26 ...

GRANADA
A
20
34

Nº 1

R/7498

# M. ACCIVS PLAVTVS

## EX FIDE, ATQVE AVCTORITATE

COMPLVRIVM LIBRORVM MANV SCRIPTORVM OPERA DIONYS. LAMBINI Monſtroliensis emendatus: ab eodémque commentariis explicatus, & nunc primùm in lucem editus.

*Adiecta ſunt Plautina loca ex antiquis grammaticis collecta: & ex commentario antiquarum lectionum Iuſti Lipſij multorum Plauti locorum illuſtrationes & emendationes.*

Additi quoque ſunt duo indices copioſiſſimi: prior verborum, locutionum & ſententiarum: poſterior eorum quæ commentariis D. Lambini continẽtur.




LVTETIÆ,

Apud Ioannem Macæum, in monte D. Hilarij, ſub ſcuto Britanniæ.

M. D. LXXVI.

Cum Priuilegio Regis ad decennium.

# CLARISSIMO ET ERVDITISS. V. GERMANO VALENTI GVELLIO PP. SENATORI AMPLISS. GERMANVS LAMBINVS S. D.

NON ID AGO (vir clariſſime) vt hac mea qualicumque epiſtola tantillum ſplendoris & ornamenti paternis vigiliis accedat. Vt enim hactenus in lucem emiſſæ, ſic & hæ ſatis per ſe ſufficient ad ſui commendationem & gloriam. Tum quod is non ſum, cui, vel ætas, vel Dei ſpecialis quidam fauor, aliquid nominis inter æquales, ne dicam eruditos, attulerit: ac ſi quid nunc poſſem, vererer adhuc, ne ea in re nimis ſuſpectum eſſet domeſticum teſtimonium. Quinimo vt intelligas, me, ſi non doctrinæ, laboris, & tolerantiæ filium imitatorem relictum, obſeruantiæ tamen & amoris in te certiſſimum eſſe monimentum. Igitur quæ patri, etiam in ipſo morbo qui vitæ diem extremum attulit, in Plauti comœdias meditari licuit, ea, inquam, in agone apud matrem depoſita, tibíque fortè iampridem conſecrata, dicare volui: vt quantum in me eſſet, vel vota defuncti perſoluerem, vel illius ſaltem optatis reſpondere conarer. Nec enim me latet qua beneuolentia, non vt litteratos cæteros, ſed fraterna pene ſis eum proſequutus: & viciſſim, quo in pretio & honore, tùm propter tuam ſingularem doctrinam, tum æqui obſeruantiam, apud eum fueris: vt coniectare liceat, ſi eum Deus & mihi & Reipublicæ diutius ſeruaſſet, nonnihil tuis auſpiciis tentaturum fuiſſe. Accedit & illud quoddam quaſi neceſſitatis vinculum, vt non immeritò laborum patris mei fructus conſequaris, qui poſtquam è fonte ſacro me ſuſcepiſti, vices illius quodammodo geras. Debuerant autem, fateor, trita eſſe hæc commentaria: verum aliquandiu me ſollicitum detinuit, communis vtilitatis alioqui cupidum, deſiderata imprimis, vt videbatur, patris ἀκρίβεια, quam in aliis quibuſcúmque libris euulgandis adhibere conſueuerat: notæ item ad poſtremas comœdias obiter & tamquam ab aliud agente conſcriptæ, quadamtenus à propoſito reuocabant: donec vicerit & parentum auctoritas, & amicorum ſincerius iudicium: quibus viſum eſt, nil illic detrahendum, nil quoque hic expetendum eſſe, ſatíſque fuiſſe patri, quod ſibi ea in re temperarit: & ſi quid (vt morte præuentus fuerat) aut abundaret, aut deeſſet, non ideo temerè quidquam de ſcriptis illius immutan-

dum. Suberat tamen eiuſmodi nouiſſima cogitatio, commentariis iſtis æquè ac cæco cuidam proprióque lumine orbato, accidiſſe, cui iam nonniſi robuſtiori aliquo duce præeunte, iter ingredi tutum ſit. Aduertens autem poſterioris cuiuſdam æui Maronem tuum grauitate & pondere præſtantem ab omnibus dignè fuiſſe exceptum, non dubitaui amplius, quin, qua gratia & auctoritate apud præſtantes clariſſimóſque viros valet, eadem vtique patrem veteris latinitatis, etſi vulgatioris, non minus venuſtæ tamen & politæ Plautum haberi faciat: atque, ſi forſan neruorum debilitate titubet, erigere: vel, quod eſt hoc tempore verendum magis, ſi detrectantium morſibus appetatur, ab eis vindicare poſſit. Viuat ergo, probetur, ametur, horum certè omnium pars maxima per me tibi concedetur, quem etiam pater, ſi ſupereſſet, maiori, credo, munere non grauatus decoraret. Quod ſi minus quidpiam deſiderio ſuo fuerim aſſecutus, id cæteris in rebus quibus & officium meum & dignitas tua poſtulabunt, compenſare nitar. Vale Lutetiæ Pariſiorum 17. Octobr.

# IACOBVS HELIAS
## GRÆCARVM LITTERARVM DOCTOR REGIVS LECTORI. S.D.

*DIONYSIVS Lambinus Græcis & Latinis litteris in primis eruditus in illuſtrãda lingua Latina, in quo ipſo omnem fere ætatẽ conſumſit, id ſpectaſſe videtur, vt quæ veteribus Grammaticis aliíſque Latinis ſcriptoribus legendis & peruolutandis animaduertiſſet, quæ ad eam rem valere arbitraretur, ea ſtatim ederet. ſperans fore vt hac ratione nõ minorem gratiam iniret ab adoleſcentibus eius linguæ ſtudioſis, quam à creditoribus debitores, qui cito, aut certè ad conſtitutam diem æs alienum diſſoluunt. Multis enim nominibus ſe patriæ deuinctos eſſe cum omnes boni, tum ij qui in ea bonis artibus & diſciplinis ſunt inſtituti fatentur. tamen in tanto ſcribendi ſtudio, tantáque celeritate multa nobis ſæpè excidunt, quæ poſtea minimè probamus nonnulla omittuntur, quæ in ſumma diligentia nobis ſummã negligentiæ famam inurunt. quamobrem D. Lambini poſteriores in Horatium & Lucretium commentarij prioribus longè accuratiores ſunt & copioſiores. Nam vt ſcribit Euripides Hippolito* ---κἀν βροτοῖς αἱ δεύτεραί πως φροντίδες, σοφώτεραι.

*Eandem ferè ille rationem in interpretando Plauto ſecutus eſt, primum enim in omnes eius fabulas ſcripſit ſcholia, quæ non edidit, veritus reprehenſionem eorum, qui hoc Horatij præceptum tenendum eſſe exiſtimant,*

---- nonúmque prematur in annum,

*deinde ſatis longo interuallo ea perpolire & augere cœpit. cum vero ad decimam tertiam comœdiam veniſſet, incidit in morbum, qui ei & ſcribendi & viuendi finem attulit. eius enim corpus non tam ſenio quam aſsiduo labore cõfectum animam diutius continere non potuit. quantum enim ſubierit laboris in conquirendis vndique comparandíſque vetuſtis libris, quorum magna eſt penuria præſertim bonorum: quantum operæ in his vno tempore non modo perlegendis, ſed etiam inter ſe conferendis conſumſerit, intelligere non poteris, niſi ſis aliquando in eodem genere verſatus. Laborem difficultas augebat, quæ quanta ſit in huius poëtæ comœdiis vel emẽdandis vel explicandis malo in animo tuo relinquere, quàm in oratione mea ponere. Hoc tamen attingam, perdifficile eſſe, valdéque periculoſum in ſumma lectionum varietate, imo deformitate vel recta diiudicare, vel deprauata corrigere, ſuámque iis quoad eius fieri poteſt ſpeciem reſtituere, aut eam certè adumbrare. ſexcentis enim*

locis corruptum eſſe Plautum nemo Latinis litteris mediocriter tinctus ignorat. Huius vero corruptionis cauſſæ, quæ multæ ſunt, non omnibus notæ. prima fuit, librariorum deſcriptorum negligentia: quam Varro libris de Analogia notat. vbi quod non probaret quædam de Truculento Plauti, in his librarij mendum accuſat. Secunda videtur illa quæ in Italiã confluxit Gothorum & Vandalorum, hominum Barbarorum pernicioſa ſentina: qua Latinam linguam contaminatam eſſe hiſtorici tradunt. Tertia, Latini & puri ſermonis ignoratio, quæ fuit in illis, qui aliquot annis poſt pulſos Italia Barbaros Latinorum ſcriptorum reliquias aut deſcripſerũt, aut interpretati ſunt. quod enim ex illis non intelligebant, id mutabant, ad coniecturámque ſuam accommodabant. exempli cauſſa, cum incidiſſent in hunc Turpilij locum, qui citatur à Nonio, qui mea verba venatur peſtis arcedat, & ſermonem hinc ſubleget. ſcripſerunt, ars cedat & ſermonem hinc ſubleget. ignorabant enim antiquos r, pro, d, vſos eſſe, vt in his verbis, aruocati, arfines, arfari: pro, aduocati, adfines, adfari. Illud quoque Virgilij ex libro quarto Æneïdos ab eiſdem malè acceptũ eſt,--eſt mollis flamma medullas. mollis enim ad flammam referebant. cum ſit in accuſandi caſu plurali, & referendum ad medullas: vt nos in noſtris in eum librum commentariis iamdiu oſtendimus. Huius generis loca innumerabilia reperiuntur in Plauto: quorum emendationem & explicationem Ioachimo Camerario, Dionyſio Lambino, & nonnullis aliis variarum lectionum ſcriptoribus acceptam referre oportet. Sunt quidam alij, quos ego noui, qui cum aliquem Plauti locum aut difficilem explicaſſent, aut corruptum emendaſſent, eum ſtatim cum Lambino communicabant. In quibus eſt Germanus Valens Guellius Pimpontius vir ampliſſimus omníque genere litterarum ornatiſſimus: Renatus Marchalus Boïſmoræus vir omni liberali doctrina politiſſimus: Ioannes Pelerinus philoſophiæ regius profeſſor eruditiſſimus & acutiſſimus: Ioannes Paſſertius Latinarum litterarum profeſſor regius ſummo ingenio, ſummáque doctrina præditus. De me vero commemorare non verebor: Siquidem nihil à me arroganter dictum exiſtimari volo: qui, vt omittam quædam Plauti loca corrupta, quæ emendaui & Lambino indicaui, quantum laboris & operæ in inſtituendis operis, à quis excuſus eſt hic liber, poſuerim, ex iis quæ ſequuntur intelligere licet: Hi commentarij manu Lambini ita ſcripti erant, vt non codex ſed aduerſaria viderentur eſſe: multas lacunas habebant: quas expleuimus verbis eorum auctorum, quos Lambinus in promtu non habebat. Multa falsò citata reſtituimus: plurima adumbrata quæ ab operis legi non poterant, expreſſimus. in quo ipſo non tam à litterarum obſcuris notis, quàm à loci ſententia adiuti ſumus. operarum errata non omnia ſed tantum grauiora in vnum locum collegimus, & emendauimus: duos indices copioſiſſimos, vnum verborũ Plauti, alterum eorum quæ commentariis continentur, conficiendos curauimus: à quibus quælibet Plautinæ locutiones & ſententiæ tibi promtæ ſunt: quæ quantum afferãt ad Latinæ linguæ cognitionem πλεονέκτημα, ſpero fore, vt intelligant qui ipſas inter ſe comparauerint. Adiunximus Plautina loca ex antiquis Grammaticis à Georgio Fabricio collecta, & à Petro Daniële Aurelio doctiſſimo viro quibuſdam in locis correcta & aucta: & ex commentariis antiquarum lectionum Iuſti Lypſij viri Latinis litteris eruditiſſimi ea omnia collegimus, quibus varia Plauti loca illuſtrantur aut emendantur. Hîc non eſt ſilentio prætereundus Typographus qui, tantos ſumtus

fecit

fecit in hanc Plauti editionem, vt in ea non tam rationibus ſuis quàm diſcentium commodis cõſuluiſſe videatur. Nam eo tempore quo Gallia bellis ciuilibus ardebat, litteræq; frigebant, exemplum Lambini magno emit, incœpítque formis excudere. Itaque cum tot, tantíque viri ad perficiendum hoc opus (ſi modò perfectum ſit id, cui aliquid ſemper addi poteſt) de ſuo aliquid attulerint, tuæ partes erunt Lector, ſi in numero illorum haberi vis, in erratis quæ inter legendum animaduerteris, potius excuſandis, quàm reprehendendis elaborare. Vale, Lutetiæ XV. calend. Nouembr. Anno CIↃ. IↃ. LXXVI.

Εἰς τὸν Πλαῦτον
Διονυσίου Λαμβίνου Ἰω. Αὐρᾶτος ποιητὴς βασιλικός.

Αὐσονίης πρόμος ὀρχήστρης ὁ Πλαῦτος ἐκεῖνος
Χείλεσιν οὗ Πειθὼ φθέγξατ' ἐφεζομένη,
Οὗ γλώσσῃ Μοῦσαι χάριτές τ' ἐχρῶντο λαλοῦσαι
Βαρβάρῳ εἰ φωνῇ χρῶντό κεν ἀμφότεραι.
ᾯ Κῶμος, καὶ Βάκχος, ἔρως τε, καλή τ' ἀφροδίτη
Τέτταρ' ἐδώρησαν, δῶρον ἕκαστος ἑόν.
Κῶμος τὴν θυμέλην, Βάκχος στεφάνους ἀπὸ κισσοῦ,
Φίλτρον ἔρως, καλὴ τὴν ἐπαφρόδιτον Ἀφρώ.
Τόσσα δὲ δῶρα θεῶν ὁρόων ἑνί γ' ἀνδρὶ δοθέντα
Ὁ χρόνος ὁ φθονερὸς, θῆξεν ὀδόντα λυγρὸν,
Ἔνσκηψεν δὲ βίβλοις στυγερὸν δάκος, ἕλκεα πολλὰ,
Ὥστε λόγον τὸ καλὸν πᾶν ἀφανιζέμεναι.
Αὐτὰρ ὁ Λαμβῖνος Διονύσιος ὡς ὁμόκλητον
Τεχνίτην ἐλέων τὸν Διονυσιακὸν,
Ὥσπερ Ὀδυσσέα Παλλὰς ἀϊστωθέντα δύῃσι,
Χρισάμενος θέτ' ἰδεῖν κάλλιον' ἢ πρότερον.
Αἶψ δ' ἄρ ὁ πανδαμάτωρ ἄφατον χόλον ὁ Χρόνος αὐτὸν
Φεῦ; εἰς Λαμβῖνον στρέψε, καὶ ἄνδρ' ἄνελεν.
Ἀλλὰ θανὼν περ ὅμως, ὡς Τειρεσίας νεκρομάντης,
Τὼς Λαμβῖνος ἔπι χρᾷ καὶ ἀπ' ἠλυσίων.

## EIVSDEM VERSIO.

Romani Plautus princépſque decúſque Theatri,
Dicta ſedens Pitho cuius in ore loqui.
Cuius Muſa Chariſque forent ſermonibus vſæ,
Vſus eis Latij ſi foret eloquij.
Quem Comus, Bacchúſque, & Amor, formoſa Venúſque,
Quatuor ornarunt munere quiſque ſuo,
Comus dans Thymelen, hederæ de fronde coronam
Bacchus, Amor veneres deliciáſque Venus.
Quæ tot dona deûm Tempus data dum videt vni
Inuidet: & dentem protinus exacuens,
Vulnera ſæua libris, triſtis fera, multa Poëtæ
Incutit: omnis vt huic iam periiſſet honos.
Sed pia Lambini Dionyſi nomine iunctum
Artificem miſerans mens Dionyſiacum,
Vt quondam ærumnis deformem Pallas Vlyſſem
Vnxit: in antiquum reſtituítque decus.
Nec mora cuncta domans Tempus conuertit in ipſum
Ah Lambinum iram, tollit & ante diem.
Sed poſt fata tamen ceu Tireſias necromantes
Vaticinatur adhuc hic quoque ab elyſiis.



A

# M. ACCII PLAVTI
## COMICI AMPHITRVO.

### ARGVMENTVM.

IN faciem verſus Amphitruonis Iuppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hoſtibus,
B Alcmenam vxorem cepit vſurariam.
Mercurius formam Soſiæ ſerui gerit
Abſentis: his Alcmena decipitur dolis.
Poſtquam rediere veri Amphitruo & Soſia,
Vterque luduntur dolis mirum in modum.
Hinc iurgium, tumultus, vxori & viro.
Donec cum tonitru voce miſſa ex æthere,
Adulterum ſe Iuppiter confeſſus eſt.

IN FACIEM VERSVS AMPHITRVONIS.] in formam Amphitruonis mutatus, vt loquitur poſteriore argumento. Idcirco dicetur poſtea Iupiter verſipellis. Dicta autem eſt facies à faciendo, quia qui facit, faciem imponit: vt figura à fingendo, forma ab informando. Varro lib. v. de lingua latina. DVM BELLVM GERERET.] interea dum Amphitruo bellũ ger. &c. C bellum gerere, ducis, ſeu imperatoris eſt. Et imperator (inquit Varro) qui dicitur res gerere, in eo neque facit, neque agit, ſed gerit, id eſt ſuſtinet. CVM TELEBOIS HOSTIB.] cum Cephaleniis, vel vt alij volunt, cum Taphiis. Eſt autem Taphus vna ex Echinadibus inſulis, quam Teleboæ incoluerunt, à Teleboa vno ex Pterelæ regis filiis appellati. VSVRARIAM] vſurariam poſuit παθητικῶς. ſignificat enim, qua Iupiter vteretur ad aliquod tempus. Et vxor vſuraria dicitur, quæ eſt multorum communis, quáque plures vtuntur: præterea vxorem quis habere dicitur vſurariam, eam quam ſibi aſciuit, non in perpetuum, neque vt ſibi ſit iuſta vxor, ſed vt ea vtatur, quandiu collibuerit. FORMAM SOSIAE SERVI GERIT] gerit formam dixit, vt gerit perſonam, colorem, veſtem. VERI AMPHITRVO ET SOSIA] recte veri, nam Iupiter, & Mercurius, erant ſimulati, hoc eſt ſimiles tantum. VTERQVE LVDVNTVR DOLIS] Amphitruo & Soſia luditur, hoc eſt deluditur dolis Iouis, & Mercurij. Sic autem legendum, vt edidi, *luduntur*, non, vt vulgò *deluduntur*. Nam deludũtur verſum corrumpit, & nullo modo ferri poteſt. Credibile autem eſt ex annotatione natum eſſe. IVRGIVM] iurgium leuius eſt lite, vt docet Nonius. TVMVLTVS] tumultus, quaſi timor multus. Cicero Philipp. viij. *Quid eſt* D *enim aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum eſt tumultus.*

### ALIVD.

Amore captus Alcumenas Iuppiter,
Mutauit ſeſe in eius formam coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hoſtibus.
Habitu Mercurius ei ſubſeruit Soſiæ.
Is aduenientis ſeruum & dominum fruſtra habet.
Turbas vxori ciet Amphitruo: atque inuicem
Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,
Vter ſit, non quit Amphitruo decernere.
Omnem rem noſcunt: geminos Alcmena enititur.

ALCVMENAS]id eſt Alcumenæ. patrius caſus antiquus. Sic paterfamiliâs, & materfamiliâs, pro paterfamilias & materfamilias, quę etiã poſteriori ętati fuerãt vſitata. illa obſoleta, A *filij terras*, apud Næuiũ, *& mentionẽ eſcas*, apud Liuium, de quibus Priſc. lib. 6. EIVS] Alcmenæ. CONIVGIS] viri Amphitruonis. DVM CERNIT] dũ pugnat, ſeu certat, ſic loquebãtur veteres. Accius. *Primores procerum reuocarent nomina, ni eſſet quis, qui armis ſecum vellet cernere.* Hinc illa nata ſunt, cernere vitam, pro decernere de vita. Et cernere bellum, pro belli fortunam experiri. Ennius ferro, non auro, vitam cernamus vtrique. Lucretius lib. 4. *Nautæ cum ventis contractum cernere bellum.* Sic enim emẽdaui, cùm antea legeretur, partim *degere*, partim *gerere bellum*. Virgilius autem vſitatè dixit, decernere ferro, lib. 11. Æn. *ipſumque iubent decernere ferro.* HABITV MERCVRIVS] ordo eſt, Mercurius habitu, id eſt ornatu, & cultu Soſiæ, & ſubſeruit. ADVENIENTEIS] libri veteres habent *aduenientis*, ſine vocali e, in vltima ſyllaba. ſic omnis, partis, ignis, & ſimil. pro omnes, partes, ignes, & ſimil. in accuſandi caſu. FRVSTRA HABET] fallit, fruſtratur, ludit. ſic Plautus dicere ſolet, fruſtra eſſe, pro falli, ac decipi. Mercatore. Nunc mulier, ne tu fruſtra ſis, mea non es. Idem Pſeud. ſtulti *haud ſcimus fruſtra vt ſimus.* TVRBAS VXORI CIET AMPHIT.] turbas vxori excitat Amphitruo vt adulteræ. atq; inuicẽ rapt. PRO MOECHIS.] & mutuo raptãt pro mœchis Iupiter & Amphitruo, Amphitruo enim ſe verũ Amphitruonẽ eſſe cõtendebat, Iouem eſſe Amphitruonem negabat: & ita Iouem adulterij accuſabat: cõtra Iupiter ſe Amphitruonem germanum eſſe aſſeuerabat, Amphitruonẽ negabat. CAPTVS ARB.] B arbiter ſumtus. Sic Terent. Heauton. *Me cepere arbitrum.* Arbiter, iudex eſt petitoris, & eius à quo petitur, conſenſu captus, non à prætore, aut lege datus: aut à prætore quidem datus, ſed non niſi volentibus. Itaque honorarius appellatur: quia honoris cauſa totius cõtrouerſiæ arbitrium ei à litigatoribus vltrò mandatur, ac defertur. διαιτητὴς, & μεσίτης, à Græcis appellatur. VTER SIT, NON QVIT, &c.] oratio implicata. nam rectus ordo talis eſt, Blepharo, captus arbiter, non quit decernere, vter ſit Amphitruo. non quit decernere, id eſt non poteſt arbitrari, ſtatuere, aut iudicare. REM NOSCVNT] id eſt tandem Amphitruo & Alcumena, & familiares, rem, hoc eſt rei veritatem, cognoſcunt. Sic autem legendum, non, vt vulgò, *Omnem rem cognoſcunt.* Nam vox *omnem* verſum corrumpit, & credibile eſt eam ex ora libri in contextum verborum irrepſiſſe. ENITITVR] nitendo parit: cum niſu totius corporis ex vtero edit. enixa (inquit Nonius) partu leuata. Virg. Æneid. lib. 3. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit.* Terentius in And. eniti vſurpauit pro valde niti. *Corrigere mihi gnatum porrò enitere.* enitere (inquit Donatus) labora, quaſi conatu ſit opus. Sic M. Tullius pro Milone. At nunc P. Clodio remoto, vſitatis iam rebus, enitendum eſt Miloni vt tueatur dignitatem ſuam.

## PROLOGVS.

### MERCVRIVS.

C
VT vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis, vendundíſque me lætum lucris
Afficere, atque adiuuare in rebus omnibus:
Et vt res, rationéſque veſtrorum omnium
Bene expedire voltis, peregréque & domi,
Bonóque atque amplo auctare perpetuo lucro:
Quáſque incœpiſtis res, quáſque incœptabitis,
Et vti bonis vos, veſtróſque omneis nuntiis
Me afficere vultis: ea afferam, eáque vt nuntiem,
D
Quæ maximè in rem voſtram communem ſient.
Nam vos quidem id iam ſcitis conceſſum & datum
Mihi eſſe ab diis aliis, nuntiis vt præſim & lucro.
Hæc vt me voltis approbare, annitier,
Lucrum vt peremne vobis ſemper ſuppetat:
Ita huic facietis fabulæ ſilentium,
Itaque æqui & iuſti hic eritis omnes arbitri.
Nunc cuius iuſſu venio, & quamobrem venerim,
Dicam: ſimúlque ipſe eloquar nomen meum.
Iouis iuſſu venio, nomen Mercurij eſt mihi.

Pater



Pater huc me miſit ad vos oratum meus,
A
Tametſi pro imperio vobis quod dictum foret,
Scibat facturos, quippe qui intellexerat
Vereri vos ſe & metuere, ita vt æquum eſt Iouem:
Verùm profectò hoc petere me precario
A vobis iuſſit leniter dictis bonis.
Etenim ille, cuius huc iuſſu venio, Iuppiter,
Non minus quàm voſtrûm quiuis formidat malum,
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non eſt æquum, ſibi ſi prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iouis ſum filius,
Contagione meæ matris metuo malum,
B
Propterea pace aduenio, & pacem ad vos affero.
Iuſtam rem & facilem, eſſe oratam à vobis volo,
Nam iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum orator datus.
Nam iniuſta à iuſtis impetrare non decet:
Iuſta autem ab iniuſtis petere, inſipientia eſt:
Quippe illi iniqui ius ignorant, neque tenent.
Nunc iam huc animum omnes ea quæ loquar aduortite.
Debetis velle quæ velimus. meruimus
Et ego, & pater de vobis & republica.
Nam quid ego memorem, vt alios in tragœdiis
Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
C
Martem, Bellonam, commemorare quæ bona
Vobis feciſſent, quis benefactis meus pater
Deûm regnator, architectus omnibus.
Sed mos nunquam fuit illi patri meo,
Vt exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur eſſe id à vobis ſibi,
Meritóque vobis bona ſe facere quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc veni, primùm proloquar:
Pôſt argumentum huius eloquar Tragœdiæ.
Quid contraxiſtis frontem? quia Tragœdiam
D
Dixi futuram hanc? deus ſum: commutauero
Eandem hanc, ſi voltis: faciam ex Tragœdia,
Comœdia vt ſit, omnibus iiſdem verſibus.
Vtrum ſit, an non, vultis? ſed ego ſtultior,
Quaſi neſciam vos velle, qui Diuos ſiem.
Teneo quid animi voſtri ſuper hac re ſiet.
Faciam vt commiſta ſit Tragicocomœdia.
Nam me perpetuò facere vt ſit Comœdia,
Reges quò veniant & dij, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſeruos quoque partis habet,
Faciam hanc proinde, vt dixi, Tragicocomœdiam.

Nunc hoc me orare à vobis iuſſit Iuppiter, A
Vt conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant.per totam caueam ſpectatoribus,
Si cui fautores delegatos viderint,
Vt his in cauea pignus capiantur togæ.
Siue etiam qui ambiſſent palmam hiſtrionibus,
Seu qoiquam artifici,ſeu per ſcriptas litteras,
Siue qui ipſi ambiſſent,ſeu per internuntium:
Siue adeò ædiles perfidioſè cui duint,
Similem rem ipſe in legem iuſſit eſſe Iuppiter,
Quaſi magiſtratum ſibi alteríve ambiuerit.
Virtute dixit,vos victores viuere,
Non ambitione,neque perfidia:qui minus B
Eadem hiſtrioni ſit lex,quæ ſummo viro?
Virtute ambire oportet,non fauitoribus.
Sat habet fauitorum ſemper,qui rectè facit.
Si illis fides eſt,quibus eſt ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Vt conquiſitores fierent hiſtrionibus,
Qui ſibi mandaſſent,delegati vt plauderent,
Quíve quo placerent,alter feciſſet minus,
Eius ornamenta & corium vti conciderent.
Mirari nolim vos,quapropter Iuppiter
Nunc hiſtriones curet.ne miremini. C
Ipſe hanc acturuſt Iuppiter comœdiam.
Quid admirati eſtis?quaſi verò nouum
Nunc proferatur,Iouem facere Hiſtrioniam.
Etiam hiſtriones anno cùm in proſcenio hîc
Iouem inuocarunt,venit:auxilio eis fuit.
Præterea certò prodit in Tragœdia.
Hanc fabulam,inquam,hic Iuppiter hodie ipſe aget:
Et ego vnà cum illo.nunc vos animum aduortite,
Dum huius argumentum eloquar Comœdiæ.
Hæc vrbs,eſt Thebe:in illiſce habitat ædibus D
Amphitruo,natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena eſt nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectuſt legionibus.
Nam cum Telebois bellum eſt Thebano poplo.
Is priuſquam hinc abiit,ipſemet in exercitum,
Grauidam Alcumenen vxorem fecit ſuam.
Iam ego vos nouiſſe credo vt ſit pater meus:
Quàm liber harum rerum multarum ſiet:
Quantúſque amator ſiet,quod complacitum eſt ſemel.
Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Vſurámque eius corporis cœpit ſibi,



A Et grauidam fecit is eam compreſſu ſuo.
Nunc,de Alcumena vt rem teneatis rectiùs,
Vtrinque eſt grauida,& ex viro,& ex ſummo Ioue.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat,
Et hæc ob eam rem nox eſt facta longior,
Dum ille qua cum volt voluptatem capit.
Sed ita aſſimilauit ſe quaſi Amphitruo ſiet.
Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc proceſſi ſic cum ſeruili ſchema.
Veterem atq; antiquam rem nouam ad vos proferam,
Propterea ornatus in nouum inceſſi modum.
Nam meus pater intus nunc eſt,eccum, Iuppiter
B In Amphitruonis vertit ſeſe imaginem.
Omnéſque eum eſſe cenſent ſerui,qui vident.
Ita verſipellem ſe facit quando lubet.
Ego ſerui ſumſi Soſiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiuit hinc in exercitum:
Vt præſeruire meo amanti poſſem patri:
Atque vt ne,qui eſſem,familiares quærerent,
Verſari crebrò hîc quum viderent me domi.
Nunc quum eſſe credent ſeruum, & conſeruum ſuum,
Haud quiſquam quæret qui ſiem:aut quid venerim.
C Pater nunc intus ſuo animo morem gerit,
Cubat complexus,cuius cupiens maximè eſt.
Quæ illi ad legionem facta ſunt,memorat pater
Meus Alcumenæ.at illa illum cenſet virum
Suum eſſe,quæ cum mœcho eſt.ibi nunc meus pater
Memorat legiones hoſtium vt fugauerit:
Quo pacto ſit donis donatus plurimis.
Ea dona,quæ illic Amphitruoni ſunt data,
Abſtulimus:facilè meus pater quod volt,facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu:
Et Soſia ſeruos,cuius ego hanc fero imaginem.
D Nunc internoſſe vt vos poſſitis facilius,
Ego has habebo hic vſque in petaſo pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo:id ſignum Amphitruoni non erit.
Ea ſigna nemo horuncce familiarium
Videre poterit:verùm vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic eſt ſeruus Soſia,
A portu illic nunc cum laterna huc aduenit.
Abigam iam ego illunc aduenientem ab ædibus.
Adeſt:ferit,operæpretium hic ſpectantibus
Iouem atque Mercurium facere hiſtrioniam.

VT VOS IN VOSTRIS VOLTIS]nonnulla hîc amphilogia eſt.ſed hæc ſententia, & hic
ordo verborum eſt,vt vultis me lætum,hoc eſt propitium,afficere vos lucris, id eſt, vobis A
lucra offerre,in veſtris mercimoniis, hoc eſt mercibus emundis, vend. &c. Omnino ſic habent
omnes libri & vulg. & manuſcr. ſed mollior, & facilior eſſet ea lectio, quam amicus quidam
meus, idémque doctiſſ. ſubſtituebat. *Vt vos in voſtris voltis mercimoniis Emundis, vendundiſque*
*me lætos lucris Efficere, atque adiuu.* &c. *Efficere vos lætos*, id eſt vno verbo vos lætificare: lucris,
ex lucris, vel ob lucra. Lucrum enim cuiuis homini ferè dulce, & iucũdum eſt. Ego hîc nihil
auſim mutare contra librorũ auctoritatẽ.ET VT RES, RATIONESQVE] per res,pecuniã,
nũmos,rem familiarẽ,negotia denique domeſtica ſignificat:per rationes,nomina,& quę in ka-
lendarium,quæque in codicem accepti,& expenſi referũtur.VESTRORVM] antiquè pro ve-
ſtrũ. BENE EXPEDIRE]& vt vultis me bene expedire res, & rationes veſtras, impeditas ſci-
licet,hoc eſt explicare,& facileis reddere:quod fit cum expediũtur, ac diſſoluuntur nomina,ne-
que plus debemus aliis,quàm alij nobis debent. Nam expeditæ rationes,ſunt,explicatæ,vel fa-
ciles ad explicandum,liquidę,non conturbatæ:contrà, impeditę,implicatę,cõturbatæ,vbi plus
aliis debemus,quàm alij nobis debent:vel quę ſunt eiuſmodi,vt nomina expedire,ſeu diſſolue-
re non poſſimus,& ſoluendo non ſimus. Soluere autẽ,& expedire nomen,& ſimilia,tracta ſunt
ab antiquo Romanorum more:quo creditoribus,ſuos debitores,qui ſoluendo non erãt,neruo
vinctos domum ducere,eóſque tam diu domi retinere licebat,eorum operis vtendo,donec vel B
æs alienum diſſoluiſſent,vel ſuis operis ſatisfeciſſent.Sic M.Tullius epiſtola ad Plancum lib.10.
*Video autem Planco Conſule, etſi etiam ſine eo expeditas rationes haberes*, &c. Idem lib.16. epiſt. ad Attic.
*Nomina per deos, expedi, exſolue.* BONOQVE ET AMPLO AVCTARE, &c.] idem ferè di-
cit,quod ſuprà. Quid enim aliud eſt,afficere lucris,quàm auctare perpetuo lucro? niſi forte hoc
plus eſt. AVCTARE] locupletare,locupletiores reddere. Catullus ad Ianua. *Salue: téque bona*
*Iupiter auctet ope.* QVASQVE INCOEPISTIS] id eſt & in iis rebus, quas inſtituiſtis, & in iis,
quas inſtituetis. ET VT BONIS VOS, VESTROSQVE OMNEIS NVNTIIS &c.]
Et vt vultis me,deorum nuntium,facere vt vos,& veſtri omnes nunquã malos, aut triſteis nun-
tios audiatis,ſed bonos,& optatos &c.Sic dixit afficere bonis nũtiis,vt ſuprà, afficere lucris.EA
AFFERAM, EAQVE VT NVNTIEM] ἐπεξήγησις.vt ea(inquit) afferam, eáque nuntiem,
quæ maximè vtilia ſint rei communi. NVNTIIS PRAESIM ET LVCRO] Hæc ſunt Mer-
curij munera,ſeu officia. Nam & διάκτορος,à poëtis appellatur,quaſi διάγων τὰς τῶν θεῶν ἀγγε-
λίας. id eſt deorum ſermones,& nuntios perferens,ſeu transferens. Sic Horat. oda. 10. lib.1. *Te*
*canam magni Iouis, & deorum Nuntium.* & Mercurius à merce, ſeu mercatura dictus eſt à La-
tinis. & ἕρμαιον appellant Græci, lucrum inſperatum: & mercatores re bene geſta domum re- C
uerſi æquè Mercurio, atque Neptuno gratias agunt. Plautus in Sticho. *Cùm re benè geſta ſaluos*
*conuortor domum, Neptuno grates habeo, & tempeſtatib. ſimul Mercurio; qui me in mercimoniis iuuit*,
&c. Poſtremò κερδῷος,à Græcis eadem ratione appellatur. HAEC VT ME VOLTIS AP-
PRO.] propter longum hyperbaton,(pendet enim vſque à prologi principio, ad hunc locum
ſentẽtia) vnico verſu ferè colligit,& complectitur,quæ pluribus verbis dixerat,hoc modo,Hæc
vt me vultis approbare,hoc eſt vobis dare,& concedere, (nam quæ dij approbant, nobis opta-
bilia ſunt)& anniti,vt vobis eueniant,nempe vt perpetuum lucrum vobis ſuppetat: Ita huic fa-
cietis &c.hîc eſt ἀπόδοσις.Lucri autem dumtaxat in hac collectione mẽtionem fecit,nõ etiam
boni nuntij,quaſi peremne lucrum ſit optabilius hominibus,quàm boni nũtij, aut etiam quaſi,
cui lucra perpetua ſuppetunt,ei nõ poſſunt non boni quoque nuntij vna,eadémque opera eue-
nire. Sed admonendus eſt lector,verſum illum, *Mihi eſſe ab diis aliis &c.* aliter in nonnullis codi-
cibus ſcriptum eſſe,quàm vulgò leguntur:nempe hoc modo, *Mihi ab diis aliis nuntiis vt præſim &*
*lucro.* fortaſſe non malè. Quæ lectio ſi cui probabitur,facilè idem intelliget,*nuntiis* pronuntian-
dum eſſe διϲυλλάβως. ITA HVIC FACIETIS FAB. SIL.] ita hanc fabulam cum ſilentio
audietis.ſic loquitur in Perſa. *bene me mones. fac ſilẽtium.* ARBITRI] id eſt ſpectatores. ſic in Mi- D
lite glor.mihi quidem iam arbitri vicini ſunt,meæ quid fiat domi.Horat.epiſt.ad Bullatiũ lib.1.
Non locus effuſi latè maris arbiter. vel dic arbitri propriè vt ſuprà. NVNC CVIVS IVSSV
VENIO] vſitatius ita loquimur, Nunc cuius iuſſu veniam, &c. ſed tamen etiam hoc modo lo-
quebantur boni ſcriptores,ne quis forte quidquam mutãdum putet. NOMEN MERCVRII
EST MIHI] Sic habent omnes libri, & manuſcr. & vulgati.quod eò dico,quòd reponendum
cẽſent, *nomen Mercurio eſt mihi.* Sic Horat.epiſt.iij.lib.1. *illi Tarco cognomen pinguis damus.* PRO IM-
PERIO VOBIS QVOD DICTVM FORET]id eſt quod vobis eſſet imperatum: quod vo-
bis pro imperij iure dictum eſſet, cùm ius habeat imperandi, non autem neceſſe habeat orare.
SCIBAT] ſciebat.ſic Plautus millies.VERERI VOS SE ET MET.] iterũ hîc amphilogia
eſt. ſed eam ſententia ipſa tollit. Hæc enim ſententia neceſſariò eſt, Scibat Iupiter vos clemen-
tiam,aut bonitatem ſuam vereri: potentiam,aut ſeueritatem ſuam metuere: vel vereri ſe, vt pa-
trem, & beneficum: metuere, vt maximum, & potentiſſimum. *Veretur liber*, inquit Donatus in
And. *metuit ſeruus.* Apud Homerum ἰλ. ω. Mercurius ad Priamum miſſus,vt eum ad Achillem
deducat, adoleſcẽtis ſpeciem gerens,& ſimulans ſe vnũ eſſe ex famulis Achillis, dicit ſe illũ me-
tuere & vereri. τὸν μὲν ἐγὼ δείδοικα, καὶ αἰδέομαι περὶ κῆρι συλεύειν. IOVEM] vereri, & me-
tuere:



tuere:vereri propitium, metuere iratum. PETERE ME PRECARIO] petere precariò, hoc
A eſt precari,petere precibus,ſeu precando. Videtur eſſe Pleonaſmus. nam petimus,(vt docet Do-
natus in And.) precario, poſcimus pro imperio, poſtulamus iure. DICTIS BONIS] blandis,
ſeu bonis verbis:ſine contumelia verborum, ſine maledictis. Sic Catullus ad Furium & Aurel.
*Pauca nũtiate meæ puellæ Non bona dicta.* Contrà,infeſta dicta apud eundem de coma Beren. *Non ſi me*
*infeſtis diſcerpant ſidera dictis.* Videntur autem hæc ad diſciplinam auguralem, ſeu ad religionem
ſacrorum Rom.eſſe referenda: in quibus mala verba loqui nefas erat. Iam verò alia ſunt dicta
meliora,quàm bona dicta.nam dicta meliora,ſunt facetè,& ſalſè dicta. Plautus Capt.dico vnũ
ridiculum dictũ,de dictis melioribus.Idem Sticho. Ibo intro ad libros: & diſcam de dictis me-
liorib. ETENIM ILLE,CVIVS HVC IVSSV VENIO, IVP.] Sic omnes quidem habẽt
libri.ſed aduerbium *huc*, videtur delendũ,vt inane,& verſum corrumpẽs. Facile enim ſubintel-
ligitur. Significatur autem hiſtrio, qui Iouis parteis agit,quíque Iouis perſonã ſuſtinet:vt verba
illa, quæ ſequuntur,declarãt, *Humana matre natus*, &c. NON MINVS, QVAM VOST. QVI-
VIS FORMIDAT MALVM]metuit malũ,vel vt hiſtrio,ne à vobis exſibiletur,atq; exploda-
tur,aut ne vos victoriã aliis hiſtrionibus adiudicetis,gratia adducti: vel vt homo potius. ſequi-
tur enim deinceps. Humana matre natus, &c. vt ſuprà diximus. PRÆTIMET] valdè timet.
ATQVE] al. Atqui. CONTAGIONE MEÆ MATRIS] meæ matris, videlicet Maiæ, quæ
B mortalis erat: & ita ſpectabitur Mercurij perſona: vel meæ matris,eius mulieris,quę me hiſtrio-
nẽ peperit. & ita ſpectabitur hiſtrionis & hominis perſona,non dei. Nonnulli libri tamẽ habẽt,
Contagione mei patris. PACE.] hoc eſt bona veſtra venia: ſeu cum veſtra gratia. ORATAM
A VOBIS] petitam à vobis. Libri nonnulli veteres habent, *oratum.* ſic loquitur infrà in eodem
prologo. Nunc hoc me orare à vobis iuſſit Iupiter. AB IVSTIS] an ab iuſtis datis? an orator
ab iuſtis,hoc eſt apud iuſtos? NAM INIVSTA A IVSTIS IMP.] quia qui iuſtus eſt, nihil
iniuſtũ facere, aut alteri dare neque debet, neque poteſt. Quidã legi volunt, impetrari. quibus
ferè aſſentior. IVSTA AVTEM AB INIVST. PET. IVS.]quia cùm iniuſti iuſtas actiones
oderint,& iuſtitiæ ſint expertes, & vt Plautus ipſe ſubiicit, ius ignorent neque teneant, inanem
operam ſumit,qui iuſta ab iniuſtis petit. Fruterius Burgẽſis hunc verſum ſic legebat,(vtrùm cõ-
iectura ductus,an alicuius veteris codicis auctoritate fretus,neſcio.) Iuſta abs iniuſtis petere au-
tem inſipientia eſt. QVIPPE ILLI INIQVI,&c.]prouocabulum *illi* me ſuboffendit,vt ſu-
peruacaneum. Itaque putabam legendum, Quippini? iniqui,&c. Quippini autem idem fere va-
let,quod, Quidni? πῶς γὰρ οὔ; Veruntamen nihil muto. Nam etiã infrà non longè ita hoc idem
prouocabulum poſuit ibi. Sed mos illi nunquam fuit patri meo. Quanquam Fruterius vult
ibi legi, Sed ille mos nunquam fuit patri meo. à quo diſſentio. NVNC IAM HVC ANIM.
C OM. EA, Q. L. ADVER.]aduertite animũ ea,quæ loquar, dictum antiquè,pro ad ea, quæ loquar.
qua de nos ſæpe alibi. Talia ſunt illa,adigere arbitrũ,adigere iuſiurandũ,&c. de quibus in Cõ-
mentariis Lucr. Sed libri nonnulli veteres habent: Nunc iam huc animũ ad ea, quæ loquar,ad-
uertite: quam ſcripturam probo, & ita reſtituendã cenſeo. MERVIMVS.] ſubintell. ita. VT
ALIOS] alios ſcilicet deos, quos ſtatim commemorat, Neptunum, Virtutem, Victoriam, &c.
Nonnulli tamen legunt, aliàs. *vt* autem valet, ὥσπερ, quemadmodum. Sententia autem hæc eſt,
Nam quid ego cõmemorem noſtra in vos merita, quemadmodum alios deos vidi in tragœdiis
cõmemorare, quæ beneficia in vos cõtuliſſent? quæ tamen omnia à patre meo in vos profecta
ſunt,quorúmque ille vnus auctor eſt. VIRTVTEM, VICTORIAM] M. Tull. lib.2. de Nat.
deorum. Vides Virtutis templum, vides Honoris à Mar. Marcello renouatum: quod multis antè
annis erat bello Liguſtico à L. Maximo dedicatũ. Quid Opis? quid Salutis? quid Cõcordiæ, Li-
bertatis, Victoriæ? quarum omnium rerum, quia vis erat tanta, vt ſine deo regi non poſſet, ipſa
res deorum nomen obtinuit. QVEIS BENEFACTIS MEVS P. D. R.] id eſt quorum be-
nefactorum tamen omnium meus pater, non humanus, & mortalis pater, ſed Iupiter deorum
D rex auctor eſt, ſiue opifex. Sic M. Tullius vocem *architectus* vſurpare ſolet tranſlatè. lib.1. de Fi-
nibus. *ab illo inuentore veritatis, & quaſi architecto beatæ vitæ, &c.* Idem de Claris orat. *Stoici architecti*
*pænè verborum.* Fortaſſis autem iocus eſt ex ambiguo in voce architectus: vt intelligamus, eum
hiſtrionem qui Iouis parteis acturus eſt, architectum fuiſſe, ædificiiſque ciuium deſcribẽdis, de-
ſignandis, & conſtruendis præfuiſſe. Cui ſuſpicioni aduerſatur id, quod additum eſt, *deûm regna-*
*tor.* Nam architectus, nõ poteſt verè dici deorum regnator. *Iam queis benefactis*, ſeu *quis benefactis*,
poſitum eſt, pro, quorum benefactorum, datiuus, pro generandi caſu. Sic in Mil. glor. & poſtea.
Qui probi homines eſſent, eſſet his annona vilior. id eſt, & poſtea, qui probi eſſent, horũ anno-
na eſſet vilior. hoc eſt, & poſtea viri boni eſſent plures, neque tã rari & cari eſſent. Nam quæ ra-
ra ſunt, eadem & cara ſunt. Non celabo autẽ lectorem, in nonnullis libris manuſcriptis ſcriptũ
eſſe, *architector.* ex quo ſuſpicabar legendum *architecton*: ídque eo mihi credibilius, ac proba-
bilius eſt, quod ea voce alibi vtitur Plautus: exempli cauſa, Moſtell. *Nam ſibi laudaſſe haſce ait ar-*
*chitectonem Neſcio quem.* Idem Pœnulo. *Me quoque dolis iam ſuperat architectonẽ.* VT EXPROBRA-
RET QVOD BONIS] Nam quod bonis benè fit, non interit. At beneficium non ſolùm ex-
probratum, verùm etiam commemoratum, perit. Aſſentior autem Fruterio Burgenſi, qui legen-
dum exiſtimabat, *quod bonis faceret bene*, non, vt vulgò, *quod bonis faceret boni.* GNATVM ARBI-

TRATVR ESSE &c.] id eſt arbitratur vos meruiſſe vt vobis benefaceret: vel ſic, arbitratur
ſe veſtra pietate prouocatum eſſe, vt ea beneficia, quibus vos affecit, in vos conſerret. Cùm au- A
tem libri omnes & veteres, & calamo exarati haberent, *Gratũ*, itáque Camerarius edidiſſet: vul-
gati autem nonnulli, *datum*: ego, gnatum repoſui: ſine dubio rectè, & emendatè. dictum enim
gnatum pro natum antiquè, vt gnauum, pro nauum: gnarum pro narum, & ſimil. Sic Plaut. Au-
lul. Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quàm ſi nuſquam ſiem. Ibid. ſi me nouiſti minus,
genere qui ſim gnatus: hic mihi eſt Megadorus auũculus. Idem Capt. Ego patri meo eſſe fateor
ſummas diuitias domi, Méque ſummo genere gnatum. ibidem. Quid ais furcifer? tun' te gnatũ
memoras eſſe liberum? ibid. infrà. Dij immortales: iterum gnatus videor, ſi vera autumas. Sic
autem eſſe legendum, & hanc eſſe huius loci ſentẽtiam, declarat verſus, qui ſequitur. Meritóque
vobis, &c. nam meritò nihil aliud ſignificat, quàm, quia ita de me meremini. PROLOQVAR]
palam loquar. QVID CONTRAXISTIS FRONTEM?] quamobrem frontis contractio-
ne triſtitiam declaraſtis? an quia hanc fabulam tragœdiam, non comœdiam, futuram dixi? Cõ-
trahere frontem, prouerbium olet. Sic M. Tull. in Cluent. *Hîc ille planus improbiſſimus, quæſtu iudi-
ciario paſtus, frontem contrahit.* Idem valet, conſulcare frontem. IISDEM VERSIBVS] iiſdem
verſibus ſeruatis, neque aliis factis. VTRVM SIT, AN NON, VOLTIS?] vtrum vultis eſſe,
comœdiam, an tragicocomœdiam? Legendum puto, *vtrum ſic, an non, vultis.* TENEO QVID]
ſcio qui ſit animus veſter hac de re: Scio quid ſentiatis, aut quid velitis, teneo, hoc eſt ſcio. mil- B
lies hoc verbo Plautus in hanc ſignificationem vſus eſt. COMMIXTA] confuſa, compoſita.
NAM ME PERPETVO F. VT SIT. COM. REG. Q. V.] Nam nõ arbitror (inquit) par eſ-
ſe, id eſt conuenire, ſeu æquum eſſe, me efficere, vt ea perpetuò, ſeu perpetua ſit comœdia, in qua
inducantur perſonæ claræ, atque illuſtres, vt dij & reges. Tales enim perſonæ, ſunt tragicæ, non
comicæ. PERPETVO] διηνεκῶς. quidam legunt, perpetua. SERVOS] ſeruus, Soſia. PRO-
INDE VT DIXI] ita vt dixi. ORARE A VOBIS] ſic ſuprà, *oratam à vobis.* VT CONQVI-
SITORES SINGVLI IN SVBSELLIA &c.] vel legendum. Vt conquiſitores ſinguli &c.
ſingli pro ſinguli, quemadmodum vinclum, periclum, ſæclum, & ſimil. pro vinculum, periculũ,
ſæculum, &c. vel, detracta particula, Vt, *Conquiſitores ſinguli in ſubſellia*, quod mâlo. Nam, quomo-
do vulgò hic verſus ſcriptus eſt, verſus vna ſyllaba redundat: licet etiam, ſeruata ea, quam dixi
lectione, particulam vt, transferre in verſum ſequentem, hoc modo, Conquiſitores ſinguli in
ſubſellia: Vt eant per totam caueam ſpectatorib. Non deſunt autem, qui ſic legunt, Vt conquæ-
ſtores ſinguli in ſubſellia Eant, &c. quam ſcripturã minus probo. Conquiſitores Ciceroni ſunt
ij, qui colligendis militibus, & dilectui habendo præpoſiti ſunt. Pro Milone. Si Italiæ dilectus,
vt nonnulli conquiſitores tui dictitant, contra Milonem armatus eſt, &c. Sed hîc pro explorato-
ribus, ſeu potius ſpeculatoribus intelligendi ſunt. PER TOTAM CAVEAM SPECT.] cauea, C
locus eſt, vnde populus ſpectat, ſeu vbi ſpectandi gratia ſedet. M. Tull. Cat. maiore, vt Turpio-
ne Ambiuio magis delectatur qui in prima cauea ſpectat: (al. ſedet) delectatur etiam qui in vlti-
ma: ſic in adoleſcentia &c. Seruius ad illum Virgilij locum libri Æn. 8. *Nec procul hinc Romam, &
raptas ſine more Sabinas. Conſeſſu caueæ, &c. Cauea eſt,* (vt inquit) *vbi populus ſpectat.* deinde hunc locum
profert, Vt conquiſitores, &c. Sententia autem totius huius loci hæc eſt, Nunc me Iupiter à vo-
bis petere iuſſit, vt ſinguli ſpeculatores, & quaſi otacuſtæ in ſubſellia ſpectatoribus additi, ſeu
appoſiti per totam caueam eant, ſi cui hiſtrioni fautores attributos, & (vt ita dicam) aſſignatos
viderint, &c. Conſtat autem hiſtriones inter ſe de victoria certaſſe, & ei, cui victoria adiudicata
eſſet, præmium tributum eſſe. Quæ victoria interdum nõ virtute, neque iure, ſed ambitione, &
fauore parabatur. Hoc ne in hac fabula fiat, laborat prologus. Erat autem ædilium palmã adiu-
dicare. SI QVOI FAVITORES DELEG.] Fauitorem dixiſſe veteres pro fautorem teſtatur
Nonius. profert Lucilij verſum, Fauitorem me tibi, amicum, amatorem putes. Idem Nonius. ta-
men in verbo *delegare*, hunc Plauti verſum proferens, videtur legiſſe, *Fautores*, ſi hoc loco emen-
datus eſt. Quod autem docet veteres poſuiſſe delegare pro diſpeſcere, & diſpertire: vel dormi- D
tauit, atque adeò errauit Nonius: vel ſcripſit *dilegare*, & hîc apud Plautum legendum *dilegatos*, vt
dilegatos fautores, ſeu fauitores, interpretemur, diſtributos, & diſpertitos. VT HIS IN CA-
VEA] vt his ſpectatoribus, alicui hiſtrioni fauentibus, vel vt iis, qui reperti ſint hiſtrionum fau-
tores per caueam diſtributi, & diſpertiti, togæ auferantur in pignus. togæ capiantur pignus,
hoc eſt in pignus, ſeu pro pignore. Nonnulli libri vet. habent, *capiatur* in numero ſing. quæ lectio
ferri poteſt, vt togæ, ſit generandi caſus. SIVE ETIAM QVI AMBISSENT &c.] ſiue etiam
aliqui ambiſſent, &c. Legendum puto, quod & Fruterio videbatur, *ambiſſint*, id eſt ambiuerint.
Sic enim reſpondebunt inter ſe tempora, *viderint, ambiſſint, duint.* licet etiam legere in numero
ſingulari *ambiſſit.* vt qui ſit etiã numeri ſingularis, pro quis. SEV QVOIQVAM ARTIFICI]
ſeu alicui artifici ſcenico. videtur idem dicere. Nam hiſtriones, artifices κατ' ἐξοχὴν dicuntur.
Feſtus. artifices dicti, quod artem ſuam per artus exercent: ſiue quod aptè opera inter ſe artent,
qua ex cauſa etiam artes appellatæ ſunt. Hiſtriones autem, vt idem docet, dicti, quòd primùm ex
Hiſtria, ſeu Iſtria venerint. ſic ferè & Plutarchus, problem. SEV PER SCRIP. LIT.] modos
aliquot enumerat, quibus palma ambitioſè quæri poſſit, per litteras, per internuntium, & ſine
litteris, & internuntio, cum ipſi hiſtriones per ſe ex compoſito & compacto palmam ad ſe deri-
uant.



uant. SIVE QVI IPSI AMBISSENT] legendũ, vt ſuprà, ambiſſint. vel vt Fruterius malebat,
A &, vt ego in codicib. duobus manuſcr. reperi. *ſiue qui ipſe ambiſſit.* Præterea, ne verſus claudicet,
videtur ſcribendum, ſeu qui ipſi ambiſſint &c. ſiue, Seu qui ipſe ambiſſit. licet etiã legere, ſiue
ipſe ambiſſit, &c. PERFIDIOSE] iurabãt enim ædiles, ſe ei, qui optimè egiſſe viſus eſſet, pal-
mã daturos. DVINT] dederint. SIREMPSE LEGEM IVSSIT ESSE IVPITER,] id eſt ſi-
milẽ re apſe, ſeu re ipſa legẽ iuſſit eſſe Iupiter: antiquus ſermo, quo vtebãtur in legibus ferẽdis:
vt docent Feſtus, & Cariſius. Cariſius Siremps tantum per nominatiuũ, & vocatiuũ declinatur,
ſiremps, ab hac ſiremſe. deinde interpretatur, ſimiliter lex eſto. Feſtus ſirẽps quaſi ſimilis re ipſa.
Cætera apud Feſtum, ſunt mutilata. lex antiqua exſtat huiuſmodi. DE EO AGRO SIREMPS
LEX ESTO. altera. SIREMPQVE EIS VIATORIBVS, DEQVE EIS VIATORI-
BVS, E. OMNIVM RERVM IVS, LEXQVE ESTO, QVASEI SEI EI VIATORES IN
EAM DECVRIAM IN TRIBVS VIATORIBVS ANTEA LECTEI, SVBLECTEI
ESSENT, QVAM IN QVISQVE DECVRIAM EORVM EX HAC LEGE VIATOR
LECTVS ERIT. SIREMPSQVE EIS PRÆCONIBVS, DEQVE EIS PRÆCONI-
BVS, QVÆSTORIB. OMNIVM RERVM IVS LEXQVE ESTO. Tria vt videre licet,
verba copulata ſunt *ſiremps*, nempe ſimilis re ipſa, ſeu ſimilis re apſe. Sic autem eſſe legendum, vi-
dit omnium primus Fruterius Burgẽſis, quem iam antea aliquoties commemoraui, iuuenis do-
B ctiſ. ab eo vſque die, à quo mihi notus eſſe cœpit, mihi, quandiu vixit, cariſſimus, & iucundiſſi-
mus: qui ſex ab hinc annos Lutetiæ morte immatura diem ſuũ obiit. QVASI MAGISTRO.]
Quaſi, pertinet ad ſirempſe, hoc modo, Iupiter ſimilem re ipſa hiſtrionum legem iuſſit eſſe, quaſi
magiſtratum ſibi, alterìve ambitu parauerit. Hoc eſt, qua pœna afficiuntur, qui magiſtratum lar-
gitione, & pacto aliquo adipiſcuntur, eadem pœna affici voluit Iupiter & eum hiſtrionem, qui
ſibi palmam ambiuerit, & eum ſpectatorem, qui hiſtrioni palmam ambitione conciliarit. VIR-
TVTE DIXIT VOS VICT.] aſſentatur prologus ſpectatori. ſic in prologo Aſinar. Vt vos
item aliàs, pariter nunc Mars adiuuet: & in prologo Captiuorum. Valete iudices iuſtiſſimi, Do-
míque, bellíque duellatores optimi. & prologo Caſſinæ. Tantum eſt. Valete: bene rem gerite, &
vincite. Virtute vera: quod feciſtis antidhac. NON AMBITIONE.] Ennius. Nec mi aurum
poſco, nec mi pretium dederitis: nec cauponantes bellum, ſed belligerantes, Ferro, non auro
vitã cernamus vtrique &c. NEQVE PERFIDIA] huc pertinet notiſſima illa de Pyrrhi per-
fuga hiſtoria: qui cùm in caſtra Fabricij veniſſet, eíque pollicitus eſſet, ſi præmium ſibi propo-
ſuiſſet, ſe, vt clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum: eum
Fabricius ad Pyrrhum reducendum curauit: idque factũ laudatum eſt à ſenatu. QVI MINVS
&c.] quamobrem minus, ſeu qua ratione minus, &c. SVMMO VIRO] præſtanti alicui viro,
C qui magiſtratum aliquem petit. VIRTVTE AMBIRE OP.] γνώμη. SAT HABET FA-
VITORVM Q. R. F.] Si hic verſus præ ſe legatur, & ſeorſum ab eo, qui ſequitur, ſentẽtia eſt
Stoica. ſignificat enim virtutem nulli fauere, nulláque adeo re externa egere, & ipſam ſe ipſa eſ-
ſe cõtentam. Nam alioqui falſum eſt, homines homini ſemper fauere. Imò plerumque virtus eſt
inuiſa, & odioſa populo: &, vt ait ille, durior eſt virtutis ſpectatæ conditio, quàm incognitæ. &
vt canit Flaccus, *Præſentem virtutem odimus, Sublatam ex oculis quærimus inuidi.* Denique ferè inuidia
virtutis eſt comes: quæ ſola morte extinguitur. Hoc igitur dicit, eum, qui rectè facit, non egere
fautoribus externis: ſed ſatis fautorum habere, eo ipſo, quod virtutem habeat, quæ non pendet
ex arbitrio popularis auræ, vt ait Flaccus, ſed ſuis ipſa viribus nititur, ſuíſque opibus pollet. Sed
hic verſus coniunctim legendus, cum ſequenti, vt intelligamus ſententiam eſſe hypotheticam,
ſiue, vt ita dicam, conditionalem. hoc modo, Satis habet fautorum qui rectè facit, ſi modo in iis
fides eſt, penes quos eſt eius rei poteſtas: id eſt, ſi fidi ſunt, ſeu, ſi fidẽ colunt, ac ſeruant ij, qui ſunt
iudices, & arbitri: vt hîc ædiles, qui iurarunt ſe actori optimo victoriam adiudicaturos. vel ſi fi-
di & integri ſunt alienæ virtutis exiſtimatores, ij qui dare poſſunt magiſtratus, vt populus Ro.
D Condicionem autem neceſſariò fuiſſe addendã facilè intelliget, qui meminerit plerumque plus
fautorum habere locupletes homines, eoſdémque improbos, quàm pauperes quantumuis pro-
bos. Porrò autem cùm hæc ſententia veriſſima ſit, intelligere licet eos eſſe perfidos, qui cùm ha-
beant præmiorum, ſeu honorum tribuendorum poteſtatem, eos tribuunt improbis, & ignauis
hominibus, &, quod multò grauius eſt, flagitioſis, aut ſceleratis: quæ debentur bonis, fortibus,
honeſtis, puris, & piis. Legendum autem eſt, Si in illis fides eſt, &c. addita præpoſitione in, quæ
deſideratur in libris vulgatis. QVIBVS EST EA RES IN MANV] id eſt, penes quos eius
rei poteſtas eſt: quorum eſt, magiſtratus, & præmia dare. Terẽt. Hecyra. *Tibi id in manu eſt ne fiat.*
HOC QVOQVE ETIAM MIHI IN MAND. D.] ſuperiores conquiſitores, adpoſiti, ſeu
apponendi ſunt ſpectatoribus, ne quid gratiæ cauſa hiſtrionibus tribuant. HI VERO HI-
STRIONIBVS.] ne qui hiſtriones mãdent aliquibus ſpectatoribus, pecunia ſcilicet, aut gratia
corruptis, & delegatis, vel, vt quidã legunt, dilegatis, vt ſibi plaudant, quaſi palma dignis. Etiam
lex xij. tabularum vetabat coronam virtutis ergô propoſitam, pacto aliquo, aut pecunia ad ſe
transferre. Verba legis hæc ſunt. QVI CORONAM VIRTVTIS ERGO PROPOSITAM
FACIT: IPSE, PECVNIAQVE EIVS ARGVITOR. Iam *quoque etiam*, poſitum eſt ἐκ
παραλλήλου. VT CONQVISITORES FIER. HISTR.] Fruterius hîc quoque detrahe-

bat particulam *vt*, quemadmodum in illo verſu, qui eſt ſuprà non admodum longe, *Vt conqui-
ſitores ſinguli in ſubſellia.* alij legunt, conquæſtores, retenta particula, *vt*. alij in *Hiſtrionibus*, faciunt
συνίζησιν, ſeu ſynæreſin, ſecundæ & tertiæ ſyllabæ, *trio* vt *Hiſtrionibus*, quod eſt quinque ſylla- A
barum, quatuor ſyllabis duntaxat pronuntietur. QVI SIBI MANDASS. DEL. VT
PL.] legendum videtur, Qui mandaſſent, ſibi delegati vt plauderent. hoc eſt, qui mandaſſent
certis ſpectatoribus hîc & illic diſpoſitis, & dilegatis, ſeu delegatis, id eſt, ad eam rem data ope-
ra poſitis, & collocatis, vt illi delegati ſibi plauderent. *ſibi* videlicet, hiſtrionibus. Quod ſi quis
nihil mutari volet: vt ego nihil muto, qui ſciam Plautum talibus tranſmutationibus vti ſolere:
at hæc eſſe debebit, in explicanda ſententia, ordinatio verborum, Qui mandaſſent, vt ſibi
delegati plauderent. Nonnulli denique ſic legunt, Si qui mandaſſent, delegati vt pl. QVIVE
QVO PLACERET ALTER, FECISSET MINVS] ordo eſt, quiue feciſſet, quominus
alter placeret, hoc eſt, qui doloſis, & malitioſis conſiliis perfeciſſet, ne alter hiſtrio placeret. Mu-
tauit numerum. alioqui, dicendum erat, *feciſſent:* vt reſponderet illi verbo ſuperiori, *mandaſſent*.
Iam quòd libri ferè omnes habent *placerent*, ferri non poteſt. Et fortaſſis hoc mendum tam ma-
nifeſtum argumento eſſe poteſt, ſic eſſe legendum, *Quiue, quo placeret alter, feciſſent, minus.* vt ſerue-
tur idem numerus, legatúrque verſu proximo, *Eis*, pro *eius*. EIVS ORNAMENTA, ET
CORIVM CONC.] mandauit Iupiter vt conquiſitores eius ornamenta, id eſt veſtimenta, &
corium, hoc eſt pellem, & tergum conciderent, hoc eſt vt eum ſpoliarent, & nudum virgis cæ-
derent. Malim hîc legi, *Eis*, quod erit vnius ſyllabæ propter verſum, & ſuprà *feciſſent*. Verũtamen B
nihil auſim mutare. NE MIREMINI.] facite vt ne miremini: vel coniunge cum iis quæ ſe-
quuntur, hoc modo. ne forte miremini: vel vt ne miremini, ſeu vt deſinatis mirari, Iupiter ipſe
hanc comœdiam acturus eſt: hoc eſt, Iupiter ipſe hiſtrio futurus eſt. Ex quo vos mirari nõ opor-
tet, Iouem hiſtriones curare. Eius enim intereſt rei hiſtrionum communi conſultum eſſe. ne, igi-
tur hîc non eſt vetantis particula: dixiſſet enim potius, *Ne miramini*: ſed alicuius rei gratia negã-
tis: valet idem, quod, vt nõ, ſeu vt ne. qualia ſunt illa apud Horat. *Ne forte credas interitura, quæ* &c.
Oda. 9. lib. 4. & *Ne ſit ancillæ tibi amor pudori*, &c. Oda. 4. lib. 2. & apud Plautum infrà non longe,
*Nunc ne hunc ornatum*, &c. QVID ADMIRATI ESTIS?] aliud, quod magis mirum videri
poſſit. QVASI VERO NOVVM.] λύσις. FACERE HISTRIONIAM] artem hiſtrio-
nicam exercere, facere artem hiſtrionicam. ſic dictum facere hiſtrioniam, vt facere argẽtariam,
facere piraticam, facere vnguentariam, facere vecturam, facere vellaturam, facere mercaturam,
& quod vrbanè & facetè per quãdam paronomaſiam, dictum eſt à Cicerone, facere empeneti-
cam, ſeu empineticam, quaſi diceret, embæneticam. ETIAM HISTR. ANNO] anno, hoc
eſt anno ſuperiore. Ordo & ſententia eſt: Etiam anno ſuperiore, ſeu anno antè, cùm hiſtriones
hîc in proſcenio Iouem inuocarũt, venit ille, & auxilio eis fuit. Proſcenium locus ante ſcenam, C
ſeu pars anterior ſcenæ. vt contra, poſtſcenium, pars ſcenæ poſterior, vt docuimus in commen-
tar. Lucretianis, ad lib. 4. non longè ab extr. quæ vox in eo loco fuerat ab aliis deprauata. Quid
hîc ſignificet, aut quid velit Plautus, non eſt facile, mihi quidem, diuinare. Sed coniicere licet in
aliqua comœdia anno ſuperiore acta, Iouem ab hiſtrionibus vocatum, veniſſe, & in comœdia
interfuiſſe, vt deum ex machina: quod non temere fieri debet, vt docet Horat. Itaque fortaſſe
Plautus, Poëtam illum, quiſquis ſit, obſcurè notat. CERTO] ſine controuerſia, & ſine cuiuſ-
quã reprehẽſione. At hæc fabula, tragicocomœdia eſt: hoc eſt partim comœdia, partim tragœ-
dia. NATVS ARGIS] Argi, quorum vrbs Peloponneſis, ſeu Argolidos: quæ tamẽ ipſa eſt in
Peloponneſo. Sed apud Nonium in voce *Argus*, legitur, *natus Argus, ex Argo patre.* HÆC
VRBS EST THEBE] legendum Thebe, vt edendum curaui, in numero ſingulari, vt à Græcis
appellatur Θήβη, non Thebæ. Eſt autem hæc Thebe Bœotia. EX ARGO PATRE] ex Argiuo
patre: ſic Nonius. QVICVM] cum quo. PRÆFECTVST. LEGIONIB.] amicus quidam
meus, legit, *profectuſt. legionibus*, & interpretatur, iuit ad legiones, à quo diſſentio. Dicta autem eſt
legio, ab eo quòd milites viritim legi, id eſt eligi ſolerent. quæ continebat 10. cohorteis: quin-
quaginta manipulos. manipulus autem 25. militib. cõſtabat. Hæc ex Boſio. POPLO] populo. D
IS PRIVS QVAM H. AB. IPS.] ſermo implicatus, qui ſic explicandus eſt. Is Amphitruo
ſcilicet, priuſquam hinc abiit in exercitum, ipſemet Alcumenam vxorem ſuam grauidam fecit.
ipſemet, emphaſis, non Iupiter, neque alius quiſquã. ALCVMENEN] ſic legendũ, non Alcu-
menam, vt vulgò. Nam hac lectione claudicat verſus. IAM EGO VOS NOVISSE CR. VT
SIT P.] Iam verò non dubito, quin vobis notum ſit, qualis ſit pater meus. *vt ſit*, hoc eſt qualis
ſit. ſic in Pſeud. *vt voles me eſſe, ita ero.* Idem Mercat. quid? ea vt videtur mulier? Ch. non ædepol
mala. Terent. Heautont. Non te ei dixti vt eſſem? eadem ratione, ſic, pro quali vſurpatur. Idem
Terent. Phorm. ſic eſt ingeniũ. ibid. ſic ſum. QVAM LIBER HARVM R. MVLT.] Quam
libere, & licenter mœchetur. quàm liber ſit, & ſolutus in ſtupris, & adulteriis: quàm nullo metu
deterreatur, quo minus liberè mœchetur. *harum rerũ*, δεικτικῶς, adulteria, & ſtupra ſignificat.
*multarum* autem, id eſt crebrarum, & vſitatarum, & quæ vulgò impunè factitãtur. AMATOR]
non dixit *amans*, ſed *amator*. nam hoc ad habitum animi pertinet, & vitioſum eſt: illud ad affe-
ctum, neque vitioſum eſt. QVOD COMPL.] in eo, quod complacitum eſt ſemel, vel vt Simo
Boſius explicat, ſi quid cõplacitum eſt ſemel. CLAM VIRVM] clam viro. ſic in Caſina. *Clam*
*vxorem*



*vxorem meam.* & item ſæpe alibi. VSVRAMQVE CORP. CEPIT S.] hunc verſum profert
Nonius in voce *vſus*. vbi vſum ab vſura, genere tantũ, & inflexione differre oſtendit. Hinc vſu- A
raria vxor dicitur. EAM] Fruterius legebat, *eampſe*. quod nullis in libris reperi. COMPRESSV
SVO] Nonius compreſſum docet dici cum virgine admiſſum. deinde continuò etiam coitum
cum meretrice compreſſum appellari ex Plauto oſtendit, in Truculento. *Nam ad amicam decimo
menſe poſt Athenas Atticas Viſo, quam grauidam hîc reliqui meo compreſſu*, &c. Sic ex hoc loco demon-
ſtrari poteſt compreſſum etiam dici cum matrona concubitum. VT REM TENEATIS R.]
vt rem ſciatis melius. ET MEVS] *meus* hîc vnius ſyllabæ eſt. ET HÆC OB EAM REM
NOX EST F. L.] Hac de exſtat Luciani facetiſſimus, vt cæteri, dialogus: cuius principium eſt,
Ὦ ἥλιε μὴ ἐλάσῃς τήμερον, &c. DVM ILLE] *Dum ille* eſt iambus. nam m, in dum non elidi-
tur. QVA CVM] cum qua ἀναστροφή. ASSIMILAVIT SE] ſimilem fecit ſe. Fruterius le-
gebat *Sé q. aßimilauit ita, quaſi Amphit. ſ.* ORNATVM] cultum corporis, veſtitum, habitum. Te-
rent. Eunucho, *Quid iſtud ornati? inquam.* Plaut. infrà in hac comœd. *Ibo intro. ornatum capiam, qui
potis decet.* Idem Menæch. *Non te pudet prodire in conſpectum meum, Flagitium hominis, cum iſtoc ornatu?*
Idem Rudente, *ſapienti ornatus quid velim, indicium facit.* QVOD EGO HVC PROCESSI SIC
CVM SERVILI SCHEMA] ſic habent libri omnes, & vulgati, & manuſcr. ſic grammatici
veteres legunt. Probus Catholicis. Nam quod Plautus in Amphit. poſuit, *cum ſeruili ſchema*, nõ
B neutri generis declinationem ſubuertit, ſed genus. Priſcianus lib. 6. HÆC TAMEN NOMI-
NA NEVTRA GRÆCA TERTIÆ DECLINATIONIS] antiquiſſimi ſecũdum primam
declinationem ſæpe protulerũt, & generis fœminini. vt Plautus in Amphitruo. *Cum ſeruili ſche-
ma*, pro ſchemate. *Nunc ne ornatum huc vos meum*, &c. Valerius in Phorm. *Quid hîc cum tragicis ver-
ſibus & ſyma facis.* pro ſyrmate. Iterum Plautus in Perſa. *theatrum lepida cum decorat ſchema.* Cæci-
lius in Hippol. *filius in me incedit ſatis hilari ſchema.* Pomponius in ſat. *Cuiuſuis leporis liber diademã
dedit.* pro diadema. Laberius in Cancro. *Nec pythaream dogmam doctus.* Plautus in Milite glor.
*glaucomam ob oculos obiiciemus*, &c. Nonius Marcellinus. *Schema generis fœminini vſurpari veterum
declarat auctoritas.* Plautus Amphitruo. *Quod ego huc proceßi ſic cum ſeruili ſchema.* Poſtremò Cariſius
lib. 1. Plautus ſchema pro ſchemate dixit, in Amphitruo. *Quod ego huc proceßi ſic cum ſeruili ſchema.*
Non eſt igitur dubium, quin hæc ſcriptura ſit integra, & ſincera tot teſtibus, atque argumentis
eam confirmantibus. ſed tamen hoc me commouet, quòd non ſolùm declinationem, & genus
mutauit, verùm etiam ſyllabam natura longuam breuem fecit. Nam *ſchema* ſine dubio priorem
ſyllabam habet longuam, cùm ſcribatur à Græcis per η, vocalem longuam. Itaque niſi tot grã-
maticorum teſtimonia, tótque librorum auctoritates obſtarent, Plautum ſcripſiſſe putarem,
*Quod ego huc proceßi cũ ſeruili ſchemate.* VETEREM, ATQVE ANTIQV. R. N. AD V. PR.]
C hiſtoriã de bello Thebano, & de Alcumena Amphitruonis vxore, à Ioue amata, & compreſſa,
quę vetus eſt, ita vobis narrabo, vt vobis noua videatur. PROPT. ORNATVS IN NOVVM
INC. M.] Propter hanc cauſam proceſſi in medium, cultus in ſeruilem modum, à deo alienũ,
& ita nouum, atque inuſitatum. NAM MEVS P.] *meus*, vnius ſyllabæ eſt. IN AMPHI-
TRVONIS VERTIT SESE IMAG.] Amphitruonis imaginem ſumſit, poſita Iouis forma.
hinc dicitur paulo poſt verſipellis. CENSENT] exiſtimant, putant. VERSIPELLEM] ver-
ſa pelle. verſipellem ſe facit: hoc eſt formam ſuam immutat: alios atque alios vultus ſumit, tan-
quam Proteus quidam. Nonius Marcell. verſipelles dicti ſunt, in quodlibet genus ſe commu-
tantes. Lucilius qui cum verſipellis fio, & commuto omnia. Plautus Amphitr. *Verſipellem ſe f.* &c.
Verſipellis tranſlatè, verſutum ſignificat. Plautus Bacch. *Verſipellem conuenit eſſe hominem pectus cui
ſapit.* Sic Seruius Comment. in lib. 6. Æneid. ad illum locum, Principio cælum, ac terras, &c.
*Inde Afros, inquit, verſipelleis, Græcos leueis, Gallos pigrioris videmus ingenij.* Plinius lib. 8. cap. 22. *Ho-
mines in lupos verti, rurſumque reſtitui ſibi, falſum eſſe confidenter exiſtimare debemus: aut credere omnia, quæ
fabuloſa tot ſæculis comperimus. Vnde tamen iſta vulgò infixa ſit fama, in tantum, vt in maledictis verſipelleis
D habeat, indicabitur* &c. Arnobius lib. 5. aduerſus genteis. *Quis edidit deos abſciſſos? quis exoletos? quis ver-
ſipelleis? quis fures? quis in vinculis habitos? quis in catenis? quis denique fulminibus appetitos? quis vulneratos?
quis obiiſſe ſupremos dies? ſepulturas etiam meruiſſe terrenas? non vos?* Verſipellem etiam de capillo dixit
Plautus in Perſa. *Ne vbi capillus verſipellis fiat, fœdus ſeruias.* ABIVIT HIM IN EXERCI-
TVM] ſic legendum. him autem, valet hinc, vt illim, illinc, quorum innumerabilia ſunt apud
Plautum, Terentium, Ciceronem exempla. Plautus Capt. *Illic him abiit. mihi rem ſummam credidit
cibariam.* In hoc verſu autem. *Qui cum Amphitr. abiuit him in exerc.* ſciendum eſt, *him*, nõ amittere
*m.* poſtremam ſuam litteram: & *vit him in*, efficere tribrachum. AMANTI MEO] *meo*, eſt vnius
ſyllabæ. QVI ESSEM] quis, ſeu qualis eſſem. ET CONSERVVM SVVM] Soſiam. SVO
ANIMO MOREM GERIT] ſuo animo obſequitur, atque indulget. τῇ ψυχῇ φίλῃ χαρί-
ζεται. ſuæ libidini ſeruit. Iterum Plautus infrà in hac comœdia. *Volo deludi illum, dum cum hac
vſuraria vxore nunc mihi morigero.* Terentius Andr. *moleſtus certè ei fuero, atque animo morem geſ-
ſero.* Donatus ad illum locum eiuſdem, Adelph. *adoleſcenti morem geſtum oportuit*, notat *mo-
rem gerere, propriè lenonis, & meretricis eſt.* Cui Donati ſcholio conſentaneum eſt illud Sueto-
nij in Tiberio. *Quare Parrhaſii quoque tabulam, in qua Meleagro atalanta ore morigeratur, legatum ſibi
ſub conditione, vt, ſi argumento offenderetur, decies pro ea HS acciperet: non modò non prætulit, ſed & in cubi-*

*culo dedicauit*. CVBAT COMPLEXVS, CVIVS. &c.] cubat complexus eam, cuius, &c.
antecedens omiſſum eſt. ſic millies loquitur Plautus. ſic & Cornelius nepos, ſiue Æmilius Pro-
bus, vt indicauimus ſuo loco. Sic iterum Plautus infrà ibid. *vt apparentur, quibus opus eſt*. ſubintelli- A
gendum, *ea*. Idem Curculione. *Ego illam reddidi, qui argentum ad te attulit*. ſubintell. *ei*. CVIVS CV-
PIENS MAX.] cuius cupidiſſimus eſt. Hîc participium *cupiens* inſtar nominis eſt, quoniã cum
generandi caſu iunctum eſt. Talia ſunt illa, amans otij, fugitans litium, patiens laboris, perferẽs
iniuriarum, &c. ſic in Milite glor. *quæ huius cupiens corporis eſt*. QVÆ ILLI AD LEGIONEM
FACTA SVNT M. P.] vel *illi* poſitum pro illic, vt apud Terentium Hecyra. *Itaque ineptus
hodie dum illi ſedeo*, &c. & Phorm. *Interea dum ſedemus illi, interuenit adoleſcens*, &c. vel *illi* dictum pro
ab illo, Græcorum more: quod minus probo. ab illo autem, videlicet Amphitruone. Iudicet le-
ctor eruditus. CENSET] putat Alcumena Iouem, virũ ſuum eſſe: quæ tamen cum Ioue eſt, mœ-
cho, id eſt adultero, ſeu matrimonij corruptore. MEMORAT LEGIONES HOSTIVM
VT FVG.] narrat Iupiter proinde ac ſi ſit Amphitruo, quemadmodũ legiones hoſtium in fu-
gam verterit. QVO PACTO DONIS. &c.] & narrat, quo pacto donis, ac præmiis ſit ornatus
plurimis. ABSTVLIMVS.] ego, & Iupiter. CVIVS EGO HANC FERO IMAG.] cuius
ego hanc formam gero. hanc δεικτικῶς. fortaſſis autem legẽdum *gero*, non fero. quanquam *fero*,
non auſim reiicere. nam vt gerere & ferre perſonã: ſic gerere & ferre colorem, recte dici poteſt.
Atqui Horatius dixit, perſonam ferre, in epiſt. ad Scæuam. *Perſonámque feret inconcinnus vterque*. B
INTERNOSSE] ſecernere me à Soſia, internoſſe me, & Soſiã. EGO HAS HABEBO HIC
VSQVE IN PETASO PINNVLAS] petaſus omni controuerſia ſublata, eſt tegmen capi-
tis latè patens, quale ſolet eſſe viatorum, à verbo Græco πετάννυμι. quod valet extendo, dilato,
tractum. Petaſo autem vſum eſſe Mercurium, & idcirco petaſatum ſcribi, & fingi, conſtat. Arno-
bius lib. v. *Saturnus cum obunca falce, cuſtos ruris, vt aliquis ramorum luxuriantium tonſor: cum petaſo gnatus
Maiæ, tanquam vias aggredi præparet, & ſolem puluerémque declinet*. Hyginus lib. 3. cap. de Perſeo. Per-
ſeus miſſus à Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas, à Mercurio, qui eum dilexiſſe exiſtimatur,
talaria, & petaſum accepit. Apuleius in apologia, per pilei vmbraculum, petaſum ſignificat. ſic
enim deſcribitur apud eum Mercurius. *En vide, quàm facies eius decora, & ſucci plena ſit, quàm hilaris
dei vultus, vt decẽter vtrinque lanugo deſerpat, vt in capite criſpatus capillus ſub vno pilei vmbraculo appareat,
quàm lepidè ſuper tempora pares pinnulæ emineant*. &c. Petaſum autem, fuiſſe tegmen capitis, tale qua-
le diximus, à viatoribus, ac peregrè venientibus vſurpari, ac geſtari ſolitum, declarat idem Plau-
tus. ſic enim in Pſeudolo, enumerans ea, quæ homini peregrè venienti conueniunt: *Etiam opus
eſt chlamyde, & machæra, & petaſo*. Cauſiã appellat Milite glor. & in Perſa, quem petaſum in Pſeu-
dolo. ſic in Perſa, *Cape tunicam, atque Zonam: & chlamydem afferto, & cauſiam*, &c. ſequitur mox quaſi
ſit peregrinus. In milite. *Facito vt venias, ornatus huc ornatu nauclerico: Cauſiam habeas ferrugineam*, &c. C
M. Tullius in epiſt. ad C. Caſſium lib. 15. *Præpoſteros habes tabellarios. & ſi me quidem non offendunt*, &c.
*ſed petaſati veniunt comites ad portam exſpectare dicunt*. Denique petaſus idem ferè ſignificat, quod ga-
lerus, cauſia. A petaſo herba dicta eſt *petaſite*: cuius folium latiſſimũ eſt, vt & colocaſis: cuius fo-
lia Theophraſtus ait pileo Theſſalico eſſe ſimilia. Suetonius in Auguſto. *domi quoque non niſi peta-
ſatus ſub dio ſpatiabatur*. PINNVLAS.] id eſt pennulas: paruas pennas, ſeu pinnas. Etiam pinnas
Mercurio tribuebant pictores, & poëtæ, nõ ſolùm in pedibus, verùm etiam in capite. vnde *Mer-
curius pinnatus* dictus. Arnobius lib. 6. *Deũm mater cum tympano, cum tibiis: & cum pſaltriis Muſa: Mer-
curius pinnatus, Argiphontes*, &c. D. Auguſt. lib. 7. de Ciuitate Dei. *Ideo alas Mercurio in capite, & pedi-
bus ponunt, volẽtes ſignificare volucrem fieri per aëra ſermonem*, &c. Apuleius libro decimo de Aſino aur.
*Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod ephebica chlamyda ſiniſtrum tegebat humerum: flauis crinibus vſque-
quaque conſpicuus, & inter comas eius aureæ pinnulæ cognatione ſimili ſociatæ prominebant: quem caduceum, &
virgula, Mercurium eſſe indicabant*. TORVLVS INERIT AVREVS] torus, præter vulgatam
ſignificationem, etiam ſignificat carnem pulpoſam, atque vt ita dicam, muſculoſam: ex quo to-
roſus. Hinc per tranſlationem tori in arboribus, & plantis. M. Tullius Tuſcul. quæſt. 2. O pe- D
ctora, ô terga, ô lacertorum tori. Sunt etiam tori in coronis, partes quædam, ſeu nodi quidam
eminentiores, tortiles. M. Tullius in Orat. perf. *aut addit aliquos, vt in corona, toros*, &c. Varro lib. 5. de
ling. Lat. *torus à toruo, quòd is in promtu ſit. ab hac ſimilitudine torulus, in mulieris capite ornatus*. Torus
autem in arboribus, & torulus, eſt materies quædam intorta, & veluti callum in ſeſe conuolu-
tum. Hîc verò torulum videtur mihi Plautus pro paruula torque, toruli, eius, qui eſt in arbori-
bus, ſpeciem præbente, poſuiſſe. aut pro funiculo aliquo retorto, aut pro paruo nodo. Nonnulli
legunt *trochulus*. Ego nihil muto. SED AMPHITR. ILLIC EST SERVOS] *illic* pro *ille*
poſitum. CVM LATERNA] quia noctu veniebat. Dicta autem eſt Laterna à latendo, quòd
in ea ignis clauſus quaſi lateat. FERIT.] pulſat foreis.

ACTVS



A

# ACTVS PRIMVS.

## SOSIA, MERCVRIVS.

SO. QVI me alter eſt audacior homo? aut qui
me confidentior?
Iuuentutis mores qui ſciam: qui hoc no-
ctis ſolus ambulem?
Quid faciam nunc, ſi tres viri me in car-
cerem compegerint?
Inde quaſi è promtuaria cella depromar
B ad flagrum.
Nec cauſſam liceat dicere mihi: neque in
hero quicquam auxilij ſiet?
Nec quiſquam ſit, quin me omnes eſſe dignum deputent? ita
Quaſi incudem me miſerum homines octo validi cædant? ita
Peregrè adueniens hoſpitio publicitus accipiar.
Hæc heri immodeſtia coegit me, qui hoc
Noctis à portu ingratis excitauit.
Nónne idem hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc magis ſeruitus dura eſt,
Hoc magis miſer eſt diuitis ſeruos.
C Noctéſque diéſque aſſiduo ſatis ſupérque eſt
Quo, facto, aut dicto adeſt opus, quietus ne ſis.
Ipſe dominus diues, operis, & laboris expers,
Quodcunque homini accidit, libere poſſe retur,
Æquum eſſe putat, non reputat laboris quid ſit,
Nec, æquum, an ne iniquum imperet, cogitabit.
Ergo in ſeruitute expetunt multa iniqua:
Habendum & ferendum hoc onus eſt cum labore.
ME. Satius eſt me queri illo modo ſeruitutem hodie,
Qui fuerim liber, eum nunc potiuit pater
D Seruitutis. hic, qui verna natus eſt, queritur.
Sum verò verna verbo. SO. nunc verò mihi in mentem fuit,
Dis aduenientem gratias pro meritis agere atque alloqui.
Næ illi edepol, ſi merito meo referre ſtudeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mi aduenienti os occillet probè:
Quoniam bene quæ in me fecerunt, ingrata ea habui, atque irrita.
ME. Facit ille, quod vulgò haud ſolent, vt, quid ſe ſit dignum, ſciat.
SO. Quod nunquam opinatus fui: neque alius quiſquam ciuium,
Sibi euenturum, id contigit, vt ſalui potiremur domum
Victores: victis hoſtibus legiones reueniunt domum.
Duello extincto maximo, atque internecatis hoſtibus,
Qui multa Thebano populo acerba obiecerunt funera.

Id vi & virtute militum victum atque expugnatum oppidum A
Eſt,imperio atque auſpicio heri mei Amphitruonis maximè.
Præda atque agro,adoreáque affecit populares ſuos,
Regíque Thebano Creonti regnum ſtabiliuit ſuum.
Me à portu præmiſit domum,vt hæc nunciem vxori ſuæ:
Vt geſſerit rempublicam ductu,imperio,auſpicio ſuo:
Ea nunc meditabor,quo modo illi dicam,quum illò aduenero.
Si dixero mendacium,ſolens meo more fecero.
Nam cum illi pugnabant maximè,ego tum fugiebam maximè.
Veruntamen quaſi affuerim,ſimulabo, atque audita eloquar.
Sed,quo modo,& verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam volo hîc meditari.ſic hoc proloquar. B
Principio vt illò aduenimus,vbi primùm terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes.
Eos legat Telebois,iubet ſententiam vt dicant ſuam.
Si ſine vi & ſine bello velint rapta & raptores tradere,
Si,quæ aſportaſſent,redderent:ſe exercitum extemplò domum
Reductum:abituros Argos Argiuos,pacem atque ocium
Dare illis:ſin aliter ſient animati,neque dent quæ petat,
Seſe igitur ſumma vi,viríſque eorum oppidum expugnaſſere.
Hæc vbi Telebois ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo,magnanimi viri freti virtute & viribus
*Superbi nimis,ferociter legatos noſtros increpant.* C
Reſpondent,bello ſe & ſuos tutari poſſe:proinde vti
Properè de finibus ſuis exercitus deducerent.
Hæc vbi legati pertulere,Amphitruo caſtris illicò
Producit omnem exercitum.contrà Teleboæ ex oppido
Legiones educunt ſuas nimis pulcris armis præditas.
Poſtquam vtrinque exitum eſt maxima copia,
Diſpertiti viri,diſpertiti ordines,
Nos noſtras more noſtro & modo inſtruximus
Legiones:item hoſtes contrà ſuas inſtruunt.
Deinde vtrique imperatores in medium exeunt.
Extra turbam ordinum colloquuntur ſimul. D
Cónuenit,victi vtri ſint eo prœlio,
Vrbem,agrum,aras,focos,ſéque vti dederent.
Poſtquam id actum eſt,tubæ vtrinque canunt:contrà
Conſonat terra:clamorem vtrinque efferunt.
Imperator vtrinque hinc & illinc Ioui
Vota ſuſcipere,hortari exercitum:
Pro ſe quiſque,id quod quiſque poteſt & valet,
Edit:ferro ferit:tela frangunt:boat
Cœlum fremitu virûm:ex ſpiritu & anhelitu
Nebula conſtat:cadunt vulneris vi & virium.

Denique



Denique vt voluimus,noſtra ſuperat manus,
A Hoſtes crebri cadunt:noſtri contrà ingruunt.
Vicimus vi feroces.
Sed in fugam ſe nemo tamen conuortitur.
Nec recedit loco,quin ſtatim rem gerat,
Animam amittunt,priuſquam demigrent loco:
Iacet vbi ſteterat quiſque, atque ordinem obtinet.
Hoc vbi Amphitruo herus conſpicatus eſt meus,
Illico equites iubet dextra inuadere.
Equites citi parent:ab dextera maximo
Cum clamore inuolant,impetúque alacri
Fœdant, & proterunt hoſtium copias iure iniuſtas.
B ME. Nunquam etiam quicquam adhuc verborum eſt prolocutus perperam.
Nanque ego fui illic in re præſenti, & meus quum pugnatum eſt, pater.
SO. Perduelles penetrant ſe in fugam,ibi noſtris animus eſt additus.
Vortentibus Telebois telis complebantur corpora.
Ipſúſque Amphitruo regem Pterelam ſua obtruncauit manu.
Hæc illi eſt pugnata pugna vſque à mane ad veſperum,
Hoc adeò hoc commemini magis,quia illo die inpranſus fui.
Sed prœlium id tandem diremit nox interuentu ſuo.
Poſtridie in caſtra ex vrbe ad nos veniunt flentes principes:
C Velatis manibus orant,ignoſcamus peccatum ſuum.
Dedúntque ſe,diuina humanáque omnia,vrbem & liberos,
In ditionem atque in arbitratum,cuncti Thebano poplo.
Pòſt ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea eſt,
Qui Pterela potitare rex ſolitus eſt.hæc ſic dicam heræ.
Nunc pergam heri imperium exſequi, & me domum capeſſere.
ME. Atat illic huc iturus eſt:ibo ego illi obuiam.
Neque ego hunc hominem hodie ad ædis has ſinam vnquam accedere.
Quando imago eſt huius in me,certum eſt hominem eludere.
D Et enimuero quoniam formam cepi huius in me & ſtatum.
Decet & facta moréſque huius habere me ſimiles item.
Itaque me malum eſſe oportet,callidum,aſtutum admodum,
Atque hunc telo ſuo ſibi malitia à foribus pellere.
Sed quid illuc eſt?cœlum aſpectat:obſeruabo quam rem agat.
SO. Certè edepol ſcio, ſi aliud quicquam eſt quod credam, aut certò ſciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiuiſſe ebrium,
Nam neque ſe ſeptentriones quóquam in cœlo commouent,
Neque ſe luna quóquam mutat,atque vti exorta eſt ſemel.
Nec iugula,neque veſperrugo,neque virgiliæ occidunt.

Ita ſtatim ſtant ſigna,neque nox quoquam concedit die.
ME. Perge nox vt occœpiſti.gere patri morem meo, A
Optumè optumo optumam operam das:datam pulcrè locas.
SO. Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo.
Niſi item vnam,verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire ſolem,atque appotum probè.
Mira ſunt, niſi inuitauit ſeſe in cœna pluſculum.
ME. Ain verò verbero?deos eſſe tui ſimilis putas?
Ego pol te iſtis tuis pro dictis & malefactis,furcifer,
Accipiam, modoſis veni huc.inuenies infortunium.
SO. Vbi ſunt iſti ſcortatores,qui ſoli inuiti cubant?
Hæc nox ſcita eſt exercendo ſcorto conducto malè. B
ME. Meus pater nunc,pro huius verbis rectè & ſapienter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans,animo obſequens.
SO. Ibo,vt herus quod imperauit,Alcumenæ nunciem.
Sed quis eſt hic homo,quem ante ædis video hoc noctis? non placet.
ME. Nullus eſt hoc meticuloſus æquè. SO. quum in mentem venit,
Illic hoc homo denuò volt pallium detexere,
ME. Timet homo:deludam illum ego. SO. perij,dentes pruriunt.
Certè aduenientem me hîc hoſpitio pugnæ accepturus eſt.
Credo miſericors eſt,nunc propterea quòd me meus herus
Fecit vt vigilarem,hic pugnis faciet hodie vt dormiam. C
Oppidò interij.obſecro herclè quantus & quàm validus eſt?
ME. Clarè aduorſum fabulabor,hic auſcultet quæ loquar.
Igitur magis modum in maiorem in ſeſe concipiet metum.
Agite pugni,iam diu eſt quod ventri victum non datis.
Iampridem videtur factum,heri quòd homines quatuor
In ſoporem collocaſtis nudos. SO. formido malè,
Ne ego hîc nomen meum commutem,& Quintus fiam è Soſia.
Quatuor viros ſopori ſe dediſſe hic autumat,
Metuo ne numerum augeam illum. ME. hem, nunc iam ergo ſic volo. D
SO. Cingitur,certè expedit ſe. ME. non feret, quin vapulet.
Quis homo? ME. quiſquis homo huc profectò venerit,pugnos edet.
SO. Apage.non placet me hoc noctis eſſe,cenaui modò.
Proin tu iſtam cenam largire,ſi ſapis,eſurientibus.
ME. Haud malum huic eſt pondus pugno. SO. perij, pugnos ponderat.
ME. Quid ſi ego illum tractim tangam vt dormiat? SO. ſeruaueris.
Nam continuas has treis nocteis peruigilaui. ME. peſſimum eſt
Facinus



Facinus. nequiter ferire malam malè diſcit manus.
A Alia forma oportet eſſe quem tu pugno legeris.
SO. Illic homo me interpolabit,meúmque os finget denuò.
ME. Exoſſatum os eſſe oportet,quem probè percuſſeris.
SO. Mirum niſi hic me quaſi murænam exoſſare cogitat.
Vltrò iſtic,qui exoſſat homines,perij,ſi me aſpexerit.
ME. Olet homo quidam malo ſuo. SO. hei,númnam ego obolui?
ME. Atque haud longè abeſſe oportet. SO. verùm longè hinc afuit,
Illic homo ſuperſtitioſuſt. ME. geſtiunt pugni mihi.
SO. Si in me exerciturus,quæſo in parietem vt primùm domes.
ME. Vox mihi ad aures aduolauit. SO. næ ego homo infelix fui,
Qui non alas interuelli:volucrem vocem geſtito.
B ME. Illic homo à me ſibi malam rem arceſſit iumento ſuo.
SO. Non equidem vllum habeo iumentum. ME. onerandus eſt pugnis probè.
SO. Laſſus ſum herclè è naui,vt vectus huc ſum.etiam nunc nauſeo.
Vix incedo inanis,ne ire poſſe cum onere exiſtimes.
ME. Certè enim hic neſcio quis loquitur. SO. ſaluus ſum.non me videt.
Neſcio quem loqui autumat:mihi certò nomen Soſia eſt.
ME. Hinc enim mihi dextera vox auris,vt videtur,verberat.
SO. Metuo vocis ne vice hodie hîc vapulem,quæ hunc verberat.
ME. Optume eccum incedit ad me. SO. timeo:totus torpeo.
C Non edepol nunc vbi terrarum ſim ſcio,ſi quis roget:
Neque miſer me commouere poſſum præ formidine.
Illicet.mandata heri perierunt vnà & Soſia.
Verùm certom eſt confidenter hominem contra colloqui,
Qui poſſim videri huic fortis,à me vt abſtineat manum.
ME. Quò ambulas,tu,qui Vulcanum in cornu concluſum geris?
SO. Quid id exquiris tu,qui pugnis os exoſſas hominibus?
ME. Seruus éſne,an liber? SO. vtcunque animo collibitum eſt meo.
ME. Ain verò? SO. Aio enimuero. ME. verbero. SO. mentiris nunc iam.
D ME. At iam faciam vt verum diſcas dicere. SO. quid eo eſt opus?
ME. Poſſum ſcire quò profectus,cuius ſis,aut quid veneris?
SO. Huc eo.heri mei ſum ſeruus,nunquid nunc es certior?
ME. Ego tibi iſtam hodie ſceleſtam comprimam linguam. SO. haud potes.
Bene pudicéque aſſeruatur. ME. pergin' argutarier?
Quid apud haſce ædis negocij eſt tibi? SO. immò quid tibi eſt?
ME. Rex Creo vigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.
SO. Bene facit,quia nos eramus peregrè,tutatu'ſt domum.
At nunc abi ſanè,aduenisse familiareis dicito.
ME. Neſcio quàm tu familiaris ſis:niſi actutum hinc abis,

Familiaris accipiere faxo aut familiariter.
SO. Hîc,inquam,habito ego,atque horum ſum ſeruus. ME. at ſcin' quomodo A
Faciam ego hodie te ſuperbũ,ni hinc abis? SO. quónam modo?
ME. Auferere,non abibis,ſi ego fuſtem ſumſero.
SO. Quin med huius eſſe familiæ familiarem prædico.
ME. Videſis,quàm mox vapulare vis,niſi actutum hinc abis.
SO. Tun' domo prohibere peregrè me aduenientem poſtulas?
ME. Hæccine tua domuſt? SO. ita, inquam. ME. quis herus eſt igitur tibi?
SO. Amphitruo,qui nunc præfectu'ſt Thebanis legionibus,
Quicum nupta eſt Alcumena. ME. quid ais?quod nomen tibi eſt? B
SO. Soſiam vocant Thebani,Dauo prognatum patre.
ME. Næ tu iſtic hodie malo tuo compoſitis mendaciis,
Adueniſti,audaciæ columen,conſutis dolis.
SO. Immò equidem tunicis conſutis huc aduenio,non dolis.
ME. At mentiris etiam.certò pedibus,non tunicis venis.
SO. Ita profectò. ME. nunc profectò vapula ob mendacium.
SO. Non edepol volo profectò. ME. at pol profectò ingratiis.
Hoc quidem profectò certum eſt,non eſt arbitrarium.
SO. Tuam fidem obſecro. ME. tun' te audes Soſiam eſſe,dicere,
Qui ego ſum? SO. perij. ME. parum etiam præ vt futurum eſt,prædicas. C
Qoius nunc es? SO. tuus,nam pugnis vſú feciſti tuum,
Prò fidi Thebani ciues. ME. etiam clamas carnifex?
Eloquere,quid veniſti? SO. vt eſſet quem tu pugnis cæderes.
ME. Cuius es? SO. Amphitruonis,inquam,Soſia. ME. ergo iſtoc magis,
Quia vaniloquus,vapulabis:ego ſum, non tu,Soſia.
SO. Ita dij faciant,vt tu potius ſis,atque ego te vt verberem.
ME. Etiam mutis? SO. iam tacebo. ME. quis tibi heruſt? SO. quem tu voles.
ME. Quid igitur?qui nunc vocare? SO. nemo,niſi quem iuſſeris. D
ME. Amphitruonis te eſſe aiebas Soſiam? SO. peccaueram.
Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere.
ME. Sciebam equidem nullum eſſe nobis,niſi,me,ſeruum Soſiam.
Fugit te ratio. SO. vtinam iſtuc pugni feciſſent tui.
ME. Ego ſum Soſia ille,quem tu dudum eſſe aiebas mihi.
SO. Obſecro vt per pacem liceat te alloqui,vt ne vapulem.
ME. Immò induciæ parumper fiant,ſi quid vis loqui.
SO. Non loquar niſi pace facta,quando pugnis plus vales.
ME. Dicito quiduis,non nocebo. SO. tuæ fidei credo? ME. meæ.
SO. Quid ſi falles? ME. tum Mercurius Soſiæ iratus ſiet.



SO. Animum aduorte:nunc licet mihi liberè quiduis loqui.
A Amphitruonis ego ſum ſeruus Soſia. ME. etiam denuò?
SO. Pacem feci,fœdus feci,vera dico. ME. vapula.
SO. Vt libet,quod tibi libet,fac:quoniam pugnis plus vales.
Verùm vtvt es facturus,hoc quidem herclè haud reticebo tamen.
Tu me viuus hodie nunquam facies,quin ſim Soſia.
Certè edepol tu me alienabis nunquam quin noſter ſiem.
Nec nobis præter med alius quiſquam eſt ſeruus Soſia.
Qui cum Amphitruone hinc vnà iui herò meo in exercitum.
ME. Hic homo ſanus nõ eſt. SO. quod mihi prædicas vitiũ,id tibi eſt.
Quid malum?non ego ſum ſeruus Amphitruonis Soſia?
Nónne hac noctu noſtra nauis huc ex portu Perſico
B Venit,quæ me aduexit?nónne me huc herus miſit meus?
Nónne ego nunc hîc ſto ante ædes noſtras? non mi eſt laterna in manu?
Non loquor?non vigilo?nónne hic homo me pugnis contudit?
Fecit hercle:nam etiam miſero nunc malæ dolent mihi.
Quid igitur ego dubito?aut cur non introeo in noſtram domum?
ME. Quid domum voſtram? SO. ita enimuero. ME. quin quæ dixiſti modò,
Omnia ementitus.equidem Soſia Amphitruonis ſum.
Nam noctu hac ſoluta eſt nauis noſtra è portu Perſico.
C Et vbi Pterela rex regnauit,oppidum expugnauimus,
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus.
Et ipſus Amphitruo obtruncauit regem Pterelam in prælio.
SO. Egomet mihi non credo,quum illæc autumare illum audio,
Hîc quidem certè,quæ illic ſunt res geſtæ,memorat memoriter.
Sed quid ais?quid Amphitruoni à Telebois datum eſt?
ME. Pterela rex,qui potitare ſolitus eſt,patera aurea.
SO. Elocutus eſt.vbi ea patera nunc eſt? ME. in ciſtula
Amphitruonis obſignata ſigno eſt. SO. ſigni dic quid eſt?
ME. Cum quadrigis ſol exoriens,quid me captas carnifex?
SO. Argumentis vincit,aliud nomen qnærendum eſt mihi.
D Neſcio vnde hæc hic ſpectauit,iam ego hunc decipiam probè.
Nam quod egomet ſolus feci,nec quiſquam alius affuit
In tabernaculo,id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Soſia es,legiones quum pugnabant maximè:
Quid in tabernaculo feciſti?victus ſum,ſi dixeris.
ME. Cadus erat vini:inde impleui hirneam. SO. ingreſſuſt viam.
ME. Eam ego vt matre fuerat natum,vini eduxi meri.
SO. Mira ſunt,niſi latuit intus illic in illac hirnea.
Factum eſt illud,vt ego illic vini hirneam ebiberim meri.
ME. Quid nunc?vincon' argumentis te non eſſe Soſiam?
SO. Tu negas med eſſe. ME. quid ego ni negem,qui egomet ſiem?

SO. Per Iouem iuro med eſſe:neque me falſum dicere.
ME. At ego per Mercurium iuro tibi Iouem non credere. A
Nam iniurato ſcio plus credet mihi,quàm iurato tibi.
SO. Quis ego ſum ſaltem,ſi non ſum Soſia,te interrogo.
ME. Vbi ego Soſia iam nolim eſſe,tu eſto ſanè Soſia:
Nunc quando ego ſum,vapulabis,ni hinc abis ignobilis.
SO. Certè edepol quum illum contemplo,& formam cognoſco meã,
Quemadmodum ego ſæpè in ſpeculũ inſpexi,nimis ſimiliſt mei.
Itidem habet petaſum,ac veſtitum,tam conſimiliſt atque ego:
Sura,pes,ſtatura,tonſus,oculi,naſum vel labra,
Malæ,mentum,barba,collum:totus,quid verbis opuſt?
Si tergum cicatricoſum,nihil hoc ſimili eſt ſimilius.
Sed quum cogito,equidem certò idem ſum qui ſemper fui. B
Noui herum,noui ædis noſtras,ſanè ſapio & ſentio,
Non ego illi obtempero quod loquitur,pultabo foris.
ME. Quò agis te? SO. domum. ME. quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis,
Atque hinc fugias,ita vix poteris effugere infortunium.
SO. Nónne heræ meæ nunciare,quod herus meus iuſſit,licet?
ME. Tuæ ſi quid vis nunciare:hanc noſtram adire non ſinam,
Nam ſi me irritaſſis,hodie lumbifragium hinc auferes.
SO. Abeo potius:di immortales obſecro voſtram fidem.
Vbi ego perij?vbi immutatus ſum?vbi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui ſi fortè oblitus fui? C
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ ante hac fuerat, poſſidet.
Viuo fit,quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum,atque hæc vti ſunt facta,hero dicam meo.
Niſi etiam is quoque me ignorabit,quod ille faciat Iuppiter,
Vt ego hîc hodie raſo capite caluus capiam pileum.

QVI ME ALTER &c.] Quis me alter &c. AVDACIOR HOMO?] Audacia (inquit Nonius)temeritatis eſt:audentia,fortitudinis. Vide cætera apud Nonium. M.Tullius epiſt.ad Valeriũ iuriſcõſul.lib.1.epiſt.in extr.*Cur enim tibi hoc nõ gratificer, neſcio:præſertim cùm his temporibus audacia pro ſapiẽtia liceat uti.* CONFIDENTIOR.] D M.Tullius Tuſcul.Quæſt.3.Qui fortis eſt,idem eſt fidẽs:quoniam cõfidens, mala conſuetudine loquendi in vitio ponitur. Nonius in confidentia, & fidentia. IVVENTVTIS MORES Q. SC.] qui ſciam iuuenes eſſe perditis moribus,& totam noctem per vrbem comiſſanteis vagari. HOC NOCTIS] hoc tempore noctis.ſic infrà: *Sed quis eſt hic homo, quem ante ædeis video hoc noctis?* TRESVIRI] treſuiri,ſeu triumuiri capitales,qui ius dicebant in facinoroſos,& ſeruos : iidem custodiæ carceris præfecti erant, eorúmque interuentu in maleficos animaduertebatur. Idem Plautus Aſin. *Nam iam ego ex hoc loco ibo ego ad tres viros,, veſtráque ibi nomina faxo erant. Capitis te perdam egò, & filiam.* Idem Aulul. *quia ad treſuiros iam ego deferam tuum nomen.* Co. *quamobrem?* Eu. *quia cultrum habes.* Idem in Perſa. *vt æqua parti prodeant ad treſuiros*. Quidam tamen hîc treiſuiros nocturnos ſignificari exiſtimant: quorum erat nocturnis incẽdiis ſubuenire. IN CARCEREM COMPEGERINT?] in carcerem contruſerint,ſeu coniecerint? ſic loquitur in Menæchmis. *At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui ſcio, Et ob eam rem in carcerem te deſſe compactum ſcio.* Idem in Rudente. *Niue te in carcerem compingier eſt æquum,* &c. INDE] è carcere. QVASI E PROMPTVARIA CELLA D.] inde, inquit, quaſi è cælla,in qua conduntur res ad victum neceſſariæ,& ex qua depromũtur.depromar ad verbera.Iocus eſt ſeruilis,quo

alludit



A alludit ad cællam penuariam , in qua conditur penus , & ex qua depromitur ad vſum domeſticum,& quotidianum: comparátque carcerem, in quem coniiciuntur malefici,& facinoroſi, vt damnati,& inde educti dent pœnas,cum cælla penuaria,in qua res ad victum vtiles , & neceſſariæ conduntur,& inde ad veſcendum, cùm opus eſt,depromuntur. AD FLAGRVM] à flagris dicuntur ſerui flagriones, vt docet Nonius, quod flagris ſubiecti ſint , vt verberones à verberibus . μαςιγίας appellant Græci . qua voce vtitur M.Tullius lib. epiſto.ad Attic.4. epiſt.6. *Scio te voluiſſe, & me maſtigiam germanum fuiſſe.* Sic enim habet mea editio. *ad flagrum* igitur,hoc eſt, vt flagro cædar. NEC CAVSAM LICEAT DICERE MIHI] nec mihi liceat recuſare, quominus flagris cædar ? nec mihi liceat oratione me defendere,ac purgare,quin flagris dignus ſim? NEQVE IN HERO QVIDQ. AVXILII S.] neque herus mihi quidquam auxiliari poſſit? NEC QVISQVAM SIT, QVIN OMNES, &c.] lego *nec quidquam ſit quin,* &c. hac ſententia nec quidquam cauſæ ſit,quin me omnes flagris dignum deputent ? DEPVTENT?] Terentius Hecyra. *Ædepol næ meam herus eſſe operam deputat parui pretij*. QVASI INCVDEM] εἰκὼν, vt incus malleis à fabris ferrariis tunditur : ita ego ab octo viris validis cædar. OCTO VALIDI] validos dixit,quia grauiores plagas infligãt, quàm ſi ſint imbecilli:& octo homines,vt viciſſim cædentes, minus fatigentur,ſintque quaſi recentes , & integri ad B cædendum. ITA PEREGRE ADVENIENS HOSP. PVBL. ACC.] alludit ad eos,qui peregrè venientes honoris cauſa hoſpitio publicè accipiuntur . Fortaſſis id quoque ſpectauit, quòd ciuibus peregrè in patriam redeuntibus,cœna dabatur. In Pſeudolo. *Iam redij exſulio.ſalue mi ſodalis Euthyce. Vt valuiſti? quid? parentes mei valent? cena dabitur. Bene vocas,* &c. in Pænulo. *Patruo aduenienti cœna curetur volo.* Profert autem hunc locum Nonius in voce, *publicitus:* eámque interpretatur publicè:vtitur & Terent. Phor. *Nónne hoc publicitus ſcelus deportarier in ſolas terras ?* HÆC HERI IMMOD.] heri immodeſtia, hoc eſt intemperantia , ἀκυλασία , coëgit me hæc: hoc eſt,impulit me ad hæc, ſeu coëgit me hæc ſubire. Sic Virgil. lib.3. Æneid. *quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* INGRATIS] ingratis, ſeu ingratiis, hoc eſt inuitum , & contra meam voluntatem,vel aduerbium eſt,vel nomen, compoſitum ex præpoſitio. *in. & gratiis.* Vtitur eo Plautus, Terentius, Lucretius. Plautus Curcul. *Tamen eſt eundum , quo imperant , ingratiis.* Caſina. *Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat , quæ mea eſt , Quæ meo educata ſumptu eſt , villico ſuo dare.* Piget alia quamplurima exempla colligere. Terentius Eunucho : *Opus faciam , vt defatiger vſque , ingratis vt dormiam.* Idem Heautont. *Ea coacta ingratis Poſtilla cœpit victum vulgo quærere.* Lucretius lib.5. *At , niſi purgatum eſt pectus , quæ prælia nobis , atque pericula tunc ingartis inſinuandum?* Idem lib.3. *at,quod ſcilicet, vt ſit, Effugere haud potis eſt , ingratis hæret , & angit.* Ad C quem locum plura. EXCITAVIT] excitauit me dormientem ſcilicet. NONNÈ IDEM HOC LVCI. &c] id eſt,nonnè herus meus propter hoc idem,ſeu propter eãdem rem,propter quam me miſit,luci,id eſt luce,me mittere potuit ? Chariſius hunc locum proferens,Plautus in Amphitr. *Nonnè idem hoc luci.* vbi Siſenna. *Quæcunque nomina è littera ablatiuo ſingulari terminantur, i. littera finita aduerbia fiunt , vt inani.* Nonnulli tamen hîc legunt, lucu pro *luci*. Sic enim Terent. Adelph. *ceterum rus cras cum filio Cum primo lucu ibo hinc.* Sed ibi lego *cum primo luci*. Sic enim Plautus Ciſtell. *Poſtea autem cum primo luci niſi ambo occidero,* &c. Idem Menæchm. *O facinus indignum, & malum, Epidamnij ciues herum meum indigniſsimè hîc in pacato oppido luci deripier in via , qui liber ad vos venerit?* Præterea ſequimur codices veteres,qui habent luci,non lucu. OPVLENTO HOMINI HOC MAGIS SERVITVS?] totius huius loci hæc ſentẽtia eſt. ſub opulento homine hoc durior eſt ſeruitus,quàm ſub paupere,hócque miſerior eſt ſeruus diuitis, quàm pauperis, quòd dies noctéiſque aſſiduè ſatis,ſupérque ſeruo negotij eſt,in quo ſeruus occupetur, neque vnquã quieſcat ſiue facto,ſiue dicto opus ſit. opulento homini ſeruitus,hoc eſt ſeruitus, quæ toleratur ſub opulento homine.& quam quis opulento hero ſeruit. ASSIDVO] id eſt aſſiduè.ſic Capt. D *Nam iſtoc me aſsiduo victu delecto domi.* Idem Moſtell. *& poſtquàm eius hinc pater ſit profectus peregrè, propotaſſe iſtic aſsiduò Tuo cum domino?* QVO FACTO, AVT DICTO ADEST OP].Quocunq; facto,aut dicto opus eſt,quidquid faciendum,aut dicendũ eſt:vel ſic:ſiue facto,ſiue dicto opus eſt.vel illa,vel hæc ſententia eſt: ideoq. poſt *Quo*, diſtinctionis nota fortaſſe ponenda eſt:vt *Quo* pertineat ad ea,quæ his interpoſitis ſequuntur, *quietus ne ſis :* hoc modo, *quo quietus ne ſis :* id eſt propter quod quietus ne ſis,tu, quiſquis ſeruis diuiti. Sed priorem explicationẽ malo. QVIETVS NE SIS] id eſt, quietus ne ſit ſeruus hominis opulenti. ſecunda perſona , pro tertia incerta,& non definita : quod genus, bonis ſcriptoribus vſitatiſſimum eſt . Sic Plautus idem Pænulo. Qui benè volunt,bene vis item.id eſt omnes homines fere pariter bene volunt eis,qui benè volunt. Idem Pænulo. *At verò non iuſta cauſa eſt quod curratur celeriter , vbi bibas , edas de alieno, quantum velis vſque affatim,* &c. *vbi bibas,edas,* id eſt vbi quis bibat,edat, &c. Idem Sticho. *nimia voluptas eſt ſi diu affueris domo,domum ſi redieris,ſi tibi nulla eſt ægritudo animo obuiam.* Cicero epiſt.lib.6. ad Torquatum &c. *victoria acerbiſsima quæ aut interitum allatura eſſet,ſi victus eſſes,aut,ſi viciſſes,ſeruitutem.* Idem pro Murena. *Nam cùm graue eſt verè accuſari in amicitia, tum etiam ſi falſò accuſeris, non eſt negligendum.* id eſt etiam ſi quis falſò accuſetur. Idem pro Sylla. *tamen hoc natura eſt inſitum, vt, quem timueris,quicum de vita,fortuniiſque contenderis,cuius ex inſidiis euaſeris:hũc ſemper oderis.* quem timueris, &c.id eſt quem quis timuerit,&c. innumerabilia ſunt alia exempla. Pendent autem hæc, *quietus*

*neſis*, ab illis. *ſatis ſupérque eſt*, ſubint. operis, aut negotij, ſeruo ſcilicet. OPERIS, ET LABORIS EXPERS] id eſt operi,& labori manum non admouens:ab opere,& labore immunis. QVODCVMQVE HOM. ACC. LIB. P. R.] diues herus(inquit)quidquid in homi- A nem cadit,& quidquid homini contingere poteſt, id arbitratur ſibi poſſe libêre, hoc eſt placêre. ſic hunc verſum legit,atque explicat Simeo Boſius: vt *libêre* ſit verbũ infinitiui modi,ab indicatiuo libeo. ex quo libido. cui aſſentior.alij *liberè* legunt,ſecunda breui, vt ſit aduerbium: & ſubintelligunt, *ſe*. Quantum ad ſententiam attinet,non multum intereſt, vtro modo legas: ſed quantum ad elegantiam,& rationem, ac menſuram verſus,non parum refert.Omnino diuitem non eſt mirum exiſtimare omnia ſe liberè poſſe,& omnia ſibi collibere poſſe. habet enim pecunias & diuitias,quæ ſunt agendarum rerum facultates,inſtrumenta,atque adiumenta. EXPETVNT] id eſt accidunt. Sic Nonius.licet etiam ſic interpretari,non longè tamen à Nonij mẽte,eueniunt,euadunt,exiſtũt. ſic infrà ead. comœd. *Nequiter pœnè expetiuit prima paraſitatio:* id eſt pœnè exitum nequam & infelicem habuit. nequiter contigit, infeliciter exſtitit, ſeu euaſit, & proceſſit.idem ibid. *Quoius ego in tergo faxo iſta expetant mendacia.* in tergo expetant: id eſt in tergo exitum habeant: ſeu in tergum euadant,atque erumpant. Idem ibid. *Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim, Id Alcumenæ ſi innocenti huic expetat.* quos verſus duos poſteriores ſuo loco explicabimus,vt ſimus breuiores. HABENDVM ET FERENDVM &c.] habendũ onus, id eſt ſuſtinendum, & gerendum onus. ſic loquitur & Marcus Tullius libr. 3. Accuſ. *Atque hoc ego plus oneris habeo, quàm qui cæteros accuſarunt*, &c. ſic enim legendum: & ita habent omnes libri B veteres,non vt olim quibuſdam amicis meis aſſenſus,edideram, *ſubeo*.Nam qui habet onus,iam ſuſtinet,& iam ſubiit:qui ſubit autem, nondum habet,neque ſuſtinet: quod me admonuit Fr. Fabricius Marcoduranus Germanus. Itaque in ſecunda editione verã ſcripturam reſtituimus. SATIVS EST] præſtat, melius eſt. QVERI ILLO MODO SERVITVT.] queri ſeruitutem, dictum antiquorum more. ſic enim Idem Plautus Aſin. *Verùm ego meas queror fortunas.* M. Tullius pro Flacco. *Non enim omnia,quæ dolemus,eadem iure queri poſſumus.* Idem pro Plancio. *queri iniquitatem legis*. lib.3.accuſ.iniuriam queror,improbitatem coarguo.Cæſar lib.1. *abditi in tabernaculis, aut ſuum fatum querebantur, aut cum familiaribus ſuis commune periculum miſerabantur.* Horat.epiſt.17.lib.1. *Qui queritur latebras, & iniquum frigus, & imbreis &c.* QVI FVERIM LIBER EVM NVNC POT. P. S.] confert ſe, & condicionem ſuam cum Soſia, & Soſiæ fortuna. ille nunquam liber fuit:& tamen queritur,ſe ſeruum eſſe: ego,qui antea liber eram, nunc ſeruio patri meo.Qui fuerim liber,(inquit)eum nunc pater potiuit ſeruitutis: id eſt me,qui fuerim liber,pater pro ſuo iure,fecit ſeruum:fecit me compotem ſeruitutis,me vi ſubegit, vt ſeruirem. ſic dixit, *quæ (horia) in mari fluctuoſo piſcatu nouo me vberi compotiuit*. hoc tãtum intereſt,quod verbum compoſitum iunxit cum ſeptimo caſu. Eadem ratione idem Plautus dicere ſolet,potiri C hoſtium,& potitus hoſtium,pro,venire in poteſtatem hoſtium, & qui venit in poteſtatem hoſtium. Captiu. *Nam pòſtquàm meus rex eſt potitus hoſtium.* Idem in Epidico. *ita gnata mea hoſtium eſt potita.* de quo genere ſuo loco plura. VERNA] vernæ (inquit Feſtus) *appellantur ex ancillis ciuium Roman. vere nati: quòd tempus anni maximè naturale fœturæ eſt.* Nonius, *vernas* (inquit) *veteres appellabant,qui vere ſacro fuerant nati: & habebatur hoc nomen pro vitabili maledicto.* Deinceps profert hunc locum, & alterum ex eadem comœdia de vere ſacro vide apud Feſtum. SVM VERÒ VERNA VERBO] ex noſtris libris manuſcriptis vnus habet verbero: alij verbo, vt vulgati ferè omnes: quam varietatem obſeruauit & Camerarius. Omnino vtraque lectio probabilis eſt. Si legamus verbero: ſic explicabo,ſum verna verbero,hoc eſt, ſum ipſe quoque ſeruus domi natus,verberibus & flagris dignus,vt intelligamus,hũc hiſtrionem, qui Mercurij parteis agit,ſeruum eſſe.ſin quis malit legi verbo,quod & ego mâlo,ſic erit locus explicandus: ſum verna,verbo tantum,vt qui ſim deus Mercurius, quanuis Soſiæ vernæ ſimilitudinẽ geram,non re,vt Soſia. NVMERO MIHI IN MENTEM FVIT.] nonnulla eſt etiã hoc loco ſcripturæ diſſimilitudo.Alij enim libri habent, *Numero mihi in mentem fuit,quomodo edidimus: alij, Nunc verò mihi in mentem fuit*, quam ſcripturam minus probo,vt ſuſpectam,& planè deprauatã. Illam D igitur ſequamur: quam & Nonius agnoſcit,in voce numerum, vbi numero interpretatur, citò. Turpil. Lindia. *neque ſat numero mihi* videbar currere. Varro de liberis edu. qui citò quid ſe facturum oſtendere volebat, dicebat numero id fore. licet etiam interpretari,ſubitò. Iam hoc, *in mentem fuit*,tale eſt,quale illud *in poteſtatem eſſe*.apud M.Tullium,pro lege Manilia. notat Gellius lib.1.cap.7.& hunc locum profert. Mendoſè autem, opinor, pro *numerò*, apud eum legitur in exemplis vulgatis, partim non verò, partim nunc verò. ATQVE ALLOQVI] ac ſalutare deos προσαγορεύειν. REFERRE STVDEANT GRATIAS] M. Tullius diceret, referre gratiã in numero ſingulari. ALLEGENT] ad me priuatim mittant. OS OCCILLET] os frangat,atque obtundat.verbum *occillo* nonnulli volunt eſſe à verbo *occo* deminutum. occo autem dictum,quaſi *occæco*, vt docet M. Tullius in Catone maiore: & refert Pompeius Feſtus, in verbo occare: quod valet grandeis terræ globos, ſeu glæbas frangere. alij à ſimplici cillo cillas. hinc compoſita incillo as,quo vtitur Lucretius, & occillo as. alij occillare ductum exiſtimant à callo manuum,vt occillare ſit manibus calloſis,& duris cædere,pugnis contundere. INGRATA EA HABVI, ATQVE IRRITA] ingrata,id eſt non grata.ingrata ea habui,id eſt eo-

rum no-



A rum nomine gratiam non habui,ea accepta non habui.ſic Catullus in ingratum. *Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè,eſt.* habui irrita,id eſt fuerunt mihi inania,& nullius ponderis:vel eorum memor non fui. FACIT ILLE QVOD VVLGO &c.] facit quod vulgus hominum facere non ſolet. Nam plerique ſe beneficio, & præmio dignos putant, cùm ſint fortaſſe malo, & pœna digni. homines enim fere ſunt ſui amantes,ſeu vt Græci appellant, φίλαυτοι: ſunt & ἀλαζόνες, pluráque ſibi tribuunt, atque arrogant,quàm merẽtur. Soſia autem,ſcit,& fatetur ſe malo dignum eſſe.vel ſic: Facit Soſia quod pauci homines faciunt. Soſia enim ſe ipſe nouit, & ſcit ſe eſſe nequam,atque idcirco malo dignum. at pauci ſe ipſi norunt, cùm hoc ſit omnium difficillimum. VT SALVI POTIREMVR DOMVM] vt ſalui domus compotes eſſemus. ſic autem legendum eſt,non,vt habent vulgati codices, *potiremur hoſtium*. Atque editionem noſtram confirmant noſtri veteres codices omnes, Clericani,Tilianus Huraltinus, niſi quòd vnus habet *potiremur domi*. quæ lectio etiam ferri poteſt: & eam comprobat Nonij Marcelli auctoritas: qui perſpicuè, & diſertè ſic legendum docet, capite de numeris & caſibus mutatis. Poſtremò cùm ſint hi verſus tetrametri, quales qui ſunt in principio ſcenæ, ferri non poteſt ſcriptura vulgata *hoſtium*: vt taceam, quòd eam, & ſententia ipſa reſpuit, & ſignificatio verbi refellit. LEGIONES.] legiones, dictæ à legendo, vt ſuprà diximus: quæ x. cohortibus conſtabant.
B REVENIVNT] redeũt. DVELLO EXTINCTO MAX.] bello cõfecto maximo. Duellum,inquit Nonius,bellum,videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. Hactenus Feſtus.Sic Duellonam dicebant veteres, quem recentiores Bellonam appellarunt: &,quem illi Duellium,hi Bellium.Iterũ Feſtus: *duis* duas habet ſignificationes.nam & pro bis ponebatur,& pro dederis. INTERNECATIS HOSTIBVS.] id eſt,interfectis hoſtibus. hinc internecio:& odium internecinum. quod internecionem progreditur. ſic & bellum internecinum.alia ratione dicitur.teſtamentũ internecinum,ſeu interneciuum potius, propter quod dominus eius necatus eſt. QVI MVLTA THEB. POPVLO AC. OBIEC. FVN.] qui multas cladeis,multáſque cædeis acerbas, hoc eſt, immaturas,vel triſteis, & moleſtas, populo Thebano intulerũt. ET VIRTVTE MILITVM] ſic ſæpe loquitur Cæſar: exempli cauſa lib.3. *Factum eſt opportunitate loci,hoſtium inſcitia,ac defatigatione, virtute militũ, & ſuperiorũ pugnarũ exercitatione, vt ne vnum quidem noſtrorum impetum ferrent, & ſtatim terga verterent.* Idem lib.7. *militum virtus ſingularis.* VICTVM] ſic habent omnes libri. ſed cur non dixit, *Captum?* IMPERIO, ATQVE AVSPICIO H. M. AMPH.] id eſt imperatore,& auſpice hero meo Amphitruone.hæc duo non temerè ſic coniunctim poſita ſunt. Nam interdum nõ iidem ſunt auſpices, qui
C belli duces: verbi gratia, bella multa ſunt auſpiciis Auguſti, ſed non eius ductu, aut imperio. PRÆDA, ATQVE AGRO, ADOREAQVE &c.] præda locupletauit milites, quorum opera vſus eſt: iiſque agros aſſignauit.adorea,id eſt,laude & gloria.ſic Feſtus, *Adoreãm*(inquit) *ſiue gloriam dicebant,quia glorioſum eum putabant eſſe,qui farris copia abundaret.* Horat. oda.4. lib.4. *& pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris,Qui primus alma riſit adorea*,&c. POPVLAREIS SVOS] ciueis ſuos. CREONTI] ſic habent noſtri codices lõgè melius,quàm aliæ editiones, in quibus impreſſum eſt,Creoni. REGNVM STABILIVIT SVVM] ſtabiliuit,ſtabile reddidit,ἠσφάλισε. *regnum ſuum*, id eſt regnum Creontis. pulchrè dictum, Creonti regnum ſtabiliuit ſuum. ſic enim, *ſuum*, rectè, vt ita dicam, reciprocatur. ſic infrà proximè, *vt hæc nuntiem vxori ſuæ.* nam etiam ibi *ſuæ* rectè reciprocatur ad Creontẽ,qui præmiſit. VT GESSERIT REMP.] quomodo remp.adminiſtrarit,&c. DVCTV] ſic infra eadem comœd. *Eos auſpicio meo, atque ductu, primo cœtu vicimus.* Cicero lib.3. epiſt. *ſiquidem vt ſcribis,omnes vires ciuitatis ſe ad Pompeij ductum applicauerunt.* MEDITABOR] μελετήσω. Terent.And. *Venit meditatus alicunde ex ſolo loco*,&c. SI DIXERO MENDACIVM, SOLENS MEO M. F.] ſi heræ meæ, inquit, falſa nuntiaro, nihil alienum à mea conſuetudine fecero. *ſolens*, id eſt ita,vt ſoleo. Contra *inſolens*. Terent.And.
D *Quid tu Athenas inſolens?* Aliud eſt autem mentiri, aliud mendacium dicere, vt docet Nigidius apud Nonium, *Qui mentitur,ipſe non falſus,alterum fallere conatur,qui mendacium dicit,ipſe fallitur,quantum in ſe eſt vir bonus præſtare debet, vt ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat.* Ego pace Nigidij, & Nonij dixerim,mendacium dicere,puto latius patêre, quàm mentiri: & hoc tantum inter hæc duo intereſſe,quòd quiſquis mentitur,mendacium dicit: non autem quiſquis mẽdacium dicit, mentitur:quia ſcilicet qui mentitur, ſciens mendacium dicit: qui mendacium dicit verò,poteſt errare,& imprudens falſa pro veris dicere. quo fit vt non mentiatur. Itaque Soſia,qui ſe mendacium dicere ſolere ait, fortaſſis eadem opera mentitur, nempe ſi prudens & ſciens mendacium dicit. NAM CVM ILLI PVG. M.] infrà paulo aliter. *Si tu Soſia es, legiones cùm pugnabant maximè,Quid in tabernaculo feciſti?* Nam ſi Soſia erat in tabernaculo cùm legiones pugnabãt: non fûgit. ſi Soſia tum fûgit:non fuit in tabernaculo. AVDITA-EL.] quæ plerumque ſolent eſſe falſa. Virgil. lib.6. Æn. *Sit mihi fas audita loqui.* Idem viij. *At Maiam (auditis ſi quidquam credimus) Atlas, Idem Atlas generat,cæli qui ſidera tollit.* Lucretius lib.5. *Quandoquidem ſapiũt alieno ex ore,petũntque Res ex auditis potius, quàm ſenſibus ipſis.* Plautus Bacchid. *Quin ego cùm peribat,vidi, non ego ex audito arguo.* FABVLARIER] fabulari,loqui, μυθεῖσθαι, fari vt poëtæ loquũtur. MEDITARI] ſuprà non longè. *Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam* &c. PROLOQVAR] palàm loquar. PRINCIPIO, VT ILLO ADVENIMVS &c.] artificium poëtæ animaduertendũ.Nam

quia fabulæ recitantur ſpectatorum cauſa : non ſolùm autem ſimplex, & artis expers erat futurum, ſi hæc Alcmenæ à Soſia narrarentur in proſcenio, ſed etiam inutile ad poëtæ conſilium, fabulæque argumentum, quia prenderetur, ac tolleretur venuſtiſſimæ, & facetiſſimę inter Soſiam & Mercurium rixæ occaſio, Alcumenæ interuentu : multóque magis, ſi hæc eadem Soſia Alcumenæ narraret, aut narrare intelligeretur in poſtſcenio, ſeu poſt ſiparium, ſpectatoribus nõ audientibus : idcirco poëta facit Soſiam hæc coram populo antequàm ad Alcmenam perueniat, meditantem, audiente Mercurio, qui eodem tẽpore in proſcenium proceſſit. TERRAM TETIGIMVS.] ſic M. Tull. lib. 6. epiſt. ad Att. epiſt. 1. *Itaque ego quo die tetigi prouinciam, cùm mihi. Cyprij* &c. Idem lib. 1. Accuſ. *Verres ſimul ac tetigit prouinciam, ſtatim Meſſanam litteras dedit*, &c. Lucret. lib. 3. *Oſcitat ex templo, tetigit cùm limina villæ.* DELEGIT VIROS PRIMORVM PRINC.] legati legebantur, hoc eſt eligebantur. Hoc etiam ex M. Tull. intelligere licet. Sic hoc loco Amphitruo legit non ſolum populi primores, aut primos, ſed primorum principes, quos ad Teleboas legatos mittat. Itaque principes delectos appellat. ſic Virgil. lib. 3. Æneid. *Delectos populi ad proceres.* EOS LEGAT TELEB.] eos ad Teleboas legatos mittit. IVBET SENTENT. VT DICANT S.] iubet legatos Telebois exponere ſentẽtiam ſuam, id eſt Amphitruonis. Etiam hîc rectè prouocabulũ *ſuam*, ad Amphitruonem reciprocatur. iubet Amphitruo legatos exponere, quæ ſit ipſius Amphitruonis ſentẽtia. Teleboæ autẽ ſunt Taphij, vt diximus. B SI SINE VI, ET SINE BELLO &c.] ſolebant veteres, antequã belli fortunã experirentur, & manus cõſererent, res repetere. Quod ſi, qui priores iniuriam feciſſent, res iniuria ablatas, moniti non redderent: tum aut vtrinque concurrebatur, aut murus eorũ qui iniuria laceſſiſſent, ariete verberabatur. M. Tull. Off. 1. *Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum antè ſit, & indictum.* Sic apud Homer. ἰλιάδ. η. Antenor cenſet Helenam, cum iis rebus omnibus, quas Paris Troiam è Græcia auexit, Menelao reddendam, vt belli cauſa præcidatur. Seruius ad illos Vergilij verſus Æneid. 9. *En ait, & iaculum intorquens emittit in auras, Principium pugnæ* &c. notat, hoc è Romana ſolemnitate tractum eſſe. Quum enim vellent bellum indicere, pater patratus, hoc eſt princeps fetialium, proficiſcebatur ad hoſtium fineis, & præfatus quædam ſolẽnia, clara voce dicebat, ſe bellum indicere propter certas cauſas, aut quia ſocios læſerant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant. Et hæc clarigatio dicebatur à claritate vocis : póſtque clarigationẽ haſta in eorum fineis miſſa indicebatur iam pugnæ principium. Eadem fere notat ad illum verſum lib. 11. *Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit:* vbi *res rapuiſſe*, ſic explicat, clarigationem exercere, hoc eſt *per fetialeis bellum indicere.* Arnob. lib. 2. aduerſ. gent. *Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut fetialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas?* Totum hunc morem rerum repetendarum, bellíque per clarigationem indicendi, ab C Anco Marcio inſtitutũ, multis verbis refert T. Liuius lib. 1. ab hoc loco : *Legatus vbi ad fineis eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato, ( filum lanæ, velamen eſt ) Audi Iupiter, inquit: audite fines*, &c. RAPTORES] quos Seruius obnoxios appellat. EXTEMPLO] continuò. Varro lib. 6. de lingua latina. *Ex templo, eſt cõtinuò; quod omne templum debet eſſe circũſeptum, nec plus, quàm vnum introitũ habere.* REDVCTVRVM] Amphitruonem. al. deducturum, vt infrà eadem ſcena. ABITVROS ARGOS ARGIVOS] Argiuos in patriam Argos reuerſuros, noſtri libri fere omnes manuſcr. habent, *abituros agro Argiuos.* quæ lectio fortaſſe recta eſt. *agro* autem Teleboarum ſcilicet. Verumtamen alteram lectionem damnadam non putaui. PACEM, ATQ. OTIVM D. ILL.] ſic ſæpe M. Tull. hæc duo coniungit. vt de lege Agraria ad Pop. *nihil eſſe tam populare, quàm id quod*, &c. *pacem tranquillitatem, otium.* SINT ALITER SICVT ANIM.] ſin alio ſint animo : ſin aliter ſint affecti : neque dent, quæ petat Amphirtuo, &c. Idem Captiu. *hæc pater quãdo ſciet, Tyndare, vt fueris animatus erga gnatum ſuum* &c. Idem Pſeud. *Nempe ita animati eſtis vos.* Idem Trinummo: *Te animatus vt ſis, video : ſubolet : ſentio.* SESE IGITVR] igitur, id eſt poſtea, vt interpretatur Nonius, hunc verſum proferẽs: & item Feſtus, vel vt Donatus, in Eunucho D ad illud, *Quid igitur faciam?* proinde, deinde. *Seſe*, autẽ, Amphitruonem. Iubet Amphitruo, legatos dicere Telebois, ni reddant res ablatas, & raptas, ſeſe ſumma vi. &c. reciprocatio bona. EXPVGNASSERE] id eſt expugnaturum eſſe. infinitiuus antiquus ab antiquo futuro expugnaſſo, pro expugnauero. ſic impetraſſere, pro impetraturum eſſe. Aulul. *Et iſtuc confido me à fratre impetraſſere.* Idem Caſina. *atq. hoc credo me impetraſſere.* Idem Milite glor. *credo te facilè impetraſſere.* Idem in Sticho. *ſpero ab eo impetraſſere*, id eſt ſpero me ab eo impetraturã. ſic reconciliaſſere pro reconciliaturum eſſe. in Capt. *Nam illũ confido domũ in his diebus me reconciliaſſere.* ITERARVNT] Telebois retulerunt, ſeu renuntiarũt, vel eadẽ, vel iiſdem verbis, atq. ab Amphitruone acceperãt. QVOS PRÆFECERAT] ij, quos præfecerat ei muneri Amphitruo: ij quib. id negotij mãdarat: ij, quos ad Teleboas legatos miſerat. MAGNANIMI VIRI] Teleboæ, μεγαλήτορες. FRETI] cõfiſi πεποιθότες: FEROCITER] ſuperbè, arroganter, elatè. ſic M. Tull. Philip. 2. *reſpõdiſti planè ferociter.* T. Liuius lib. 24. anna. *legatiſque Siracuſanorum de cæde ſtationis Romanorũ querentibus, ferociter reſponſum eſt.* PERTVLERE] ad Amphitruonẽ. al. *retulere.* PRODVCIT] foras educit. Galba ad Cicer. lib. 10. epiſt. ad Plancum. *Antonius ſuas copias in aciem de vico produxit.* NIMIS PVLCHRIS] valde pulchris. ſic Græci ἄγαν VTRINQ.] ab vtraque parte: vel ab vtriſque, nempe à Telebois, & Argiuis: & Teleboæ exierunt ex oppido: Argiui ex caſtris. DISPERTITI] diſtributi: ſeparatim



A ſeparatim poſiti, & locati. IN MEDIVM EXEVNT.] in ſpatium medium inter duos exercitus. μεσαίχμιον appellant Græci. EXTRA TVRBAM ORDINVM COLL.] ſic apud Hom. ἰλ. γ. Agamemnon, & Hector colloquuntur: & inter eos conuenit, vter è prœlio ſuperior diſceſſerit, ſiue Menelaus, ſiue Paris (qui ſingulare certamen inituri erant) is Helenam, & res cum ea aſportatas domum auferat, domíue habeat. ſic Homerus: Ὁππότερος δέ κε νικήσῃ, κρείσσων τε γένηται, Κτήμαθ' ἑλὼν εὖ πάντα, γυναῖκά τε οἴκαδ' ἀγέσθω, &c. CONVENIT] conuentio fit inter duces. VRBEM, AGRVM, ARAS, F.] omnia enumerauit humana, & diuina. FOCOS] domos, ἑστίας lares patrios. DEDERENT] victoribus, & ſuperioribus. Hoc enim ſignificat propriè *dedere*, potentiori, ſuperiori, victori, domino, hoſti dedere. Notat Donatus non ſemel apud Terent. TVBÆ VTRINQVE. CAN.] Virg. 9. Æn. *At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro Increpuit.* Cæſar lib. 2. de bello Gall. *Cæſari omnia vno tempore erant agẽda: vexillum proponendum, quod erat inſigne cùm ad arma concurri oportebat: ſignum tuba dandum*, &c. Salluſt. de coniurat. Catil. *Hæc vbi dixit, Paululum, commoratus, ſigna cauere iubet* &c. CONTRA CONS. TERRA] Virg. lib. 5. *Studiiſque fauentum Conſonat omne nemus.* Idem 8. *Conſonat omne nemus ſtrepitu, colléſque reſultant.* CLAMOREM VTRINQ. EFF.] Horat. Satyra 9. lib. 1. in extr. *Clamor vtrinque, vndique concurſus.* EFFERVNT] tollunt. VOTA SVSCIPERE] vota nũcupabant. B PRO SE QVISQ.] Virg. lib. 11. Æn. *Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.* Idem 5. *Tum validis flexos incuruant virib. arcus Pro ſe quiſque viri.* EDIT.] promit, vel facit. FERRO FERIT] quidam libri non habent vocem *ferro*. quã tamen retineo. TELA FRANGVNT] Pius legit, frangũtur, ego nihil muto. BOAT CÆLVM FREM. V.] reſonat cælũ fremitu virorum. cœlũ virorum fremitũ iterat, ac reiectat. Virg. lib. 9. æn. *ſequitur clamor, cælúmq. remugit.* Duorũ exercituũ primùm concurrentium clamorem cum multis locis mirificè deſcribit Homerus, tum ἰλιάδ. δ. vbi clamorem illum cum ſonitu torrentium è montibus in vallem præcipitãtium comparat. ſic Hom. Ὡς δ' ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ Κρουνῶν ἐκ μεγάλων κοίλης ἔντοσθε χαράδρης, Τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν· Ὣς τῶν μισγομένων γένετο ἰαχή τε, φόβος τε. & ἰλ. ε. vbi cum fluctu maris à ventis comitati, & cum ignis ſyluam depaſtentis ſonitu, & cum vento in quercus editas ingruẽte, confert. ſic Hom. Οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον, Πάντοθεν ὀρνύμενον πνοιῇ Βορέω ἀλεγεινῇ, οὔτε πυρὸς τόσσος γε ποτὶ βρόμος αἰθομένοιο οὔρεος ἐν βήσσῃς, &c. Ὅσση ἄρα Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἔπλετο φωνή. EX SPIRITV ET ANHEL.] tantus erat virorum pugnantium conatus, & anhelitus, vt ex eorum flatibus nebula cõcreta videretur. Profert Nonius: C videtúrq. interpretari, erigitur. CREBRI] denſi, ἐπάλληλοι, ἐπασσύτεροι, ἐπήτριμοι, πυκνοί. INGRVVNT] irruunt, inuadunt. ſic Seruius ad illud Virg. 2. Æn. *armorúmque ingruit horror.* & lib. 12. *Ingruit Æneas Italis.* natum verbum à gruibus, quæ ordine inſtructæ in alias oras deuolant. VICIMVS VI FEROCES] fortaſſe legendum, *Vincimus*, vt reſpondeant inter ſe tempora. *feroces* in laude ponitur: vt notauimus ad Horat. Od. 15. lib. 1. ib. *Nequicquam Veneris præſidio ferox* &c. SED FVGAM IN SE TAMEN N. CONVORT.] hoc eſt, vt Turnebus explicat libro Aduerſ. 4. cap. 15. fugam in ſe nemo conuerſam inclinatámque habet. Ego hîc puto eſſe ἀναστροφὴν, & *fugam in*, poſitum, pro *in fugam*. Hoc modo. nemo ſe in fugam conuertitur, id eſt conuertit, vt vult Nonius: cuius auctoritas refellit Turneb. ſententiam, qui conuortitur, ſeu conuertitur, paſſiuè accipit, & poëticè dictum cenſet, vt illud. *Nuda genu, & lacrymis oculos ſuffuſa nitẽteis.* Vel igitur ita, vt dico, hic verſus explicandus eſt, vel ſic legendus, vt ſit trimeter. *Sed ſe in fugã tamen nemo conuortitur.* QVIN STATIM REM GERAT] ſtatim, vt vult Nonius, priore ſyllaba producta, id eſt perſeueranter, æqualiter, ἱσταμένως Boſius *rem gerat* autem, id eſt pugnet, hoſtem feriat: id agat, quod expedit, & quod oportet, Paullò aliter Horat. epiſt. ad Celſum lib. 8. *Poſt hæc, vt valeat. quo pacto rem gerat, & ſe.* ANIMAM AMITTVNT &c.] ſic legendum, *non ani-* D *mum*, vt vulgò. ſic enim loquuntur latini, *amittere animam*, pro amittere vitam, non autem, *amittere animum.* Saluſt. de bello Catil. *Quod ſi virtuti veſtræ fortuna inuiderit, cauete, ne inulti animam amittatis.* & item alibi vt mox videre licebit. Cicero epiſt. ad Terentiam. *peccatum eſt nullum, niſi quòd non vnà cum ornamentis animam amiſimus.* Æmilius Probus, ſeu Cornel. Nepos in Epaminonda. *At Epaminondas, cum animaduerteret, mortiferũ ſe vulnus accepiſſe, ſimúlque. ſi ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animam ſtatim amiſſurum* &c. ſic proiicere, & profundere animam dicũt iidem, non animum. Græci προΐεσθαι ψυχὴν, PRIVSQVAM LOCO DEMIGRENT] prius quàm locum relinquant, ſeu deſerant. QVISQVE VTI STETERAT, IACET, OBTINETQVE ORDINEM] Sic apud Sall. bello Catil. non longe ab extr. *Nam ferè quem quiſque viuus pugnando locum ceperat, eum, amiſſa anima, corpore tegebat.* ſed videtur hic verſus ita legendus, vt ſit trimeter. *Iacet quiſque vbi ſteterat, atque ordinem obtinet.* vel ſic *Iacet vbi ſteterat quiſque, atq. ordinem obtinet.* quam poſteriorem lectionem etiam Boſius ad oram libri ſui adſcripſerat. DEXTRA INVADERE] ſic edendum curaui, à duobus codicibus manuſcr. admonitus, qui habent *inudere.* Vnde factum eſt *inducere*, quod eſt in pleriſq. vulgatis, & in aliis manuſcr. Veneti, & Florentini habent *irruere:* fortaſſe non male, ſi geminetur u. & legatur *irruuere*, pro irruere, vt *fuuat*, pro fuat, *pluuit* pro pluit, & ſimil. *Fluuidum* pro fluidum apud Lucret. Omnino *inducere* non placet. INVOLANT] id eſt irruunt, ſeu inuadunt. & ita Nonius. hic locus vincit ſupra legendum *inuadere*, non *inducere*. Nam

equites iuſſi ab Amphitruone inuadere,citi parent,inquit,& inuolant. Videtur autem hoc ver- A
bum à volatu tractum,vel à vola,id eſt media manu, vt idem Nonius docet. Terent. Eunucho.
*Vt ego vnguibus facile illi in oculos inuolem venefico!* Cicero lib.3.de Oratore. *in quam homines quaſi ca-*
*ducam,& vacuam,abundantes otio nobis occupatis inuolauerunt.* FOEDANT, ET PROTERVNT,
&c.] Fœdant,hoc eſt,vulnerant,laniant, ac lacerant,αἰκίζουσι. Virgil. Æneid. 2. *Impulerat ferro*
*Argolicas fœdare Latebras.* Idem 3. *Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucreis.* & xj. *Pectora nunc fœdans*
*pugnis nunc vnguibus ora.* Horat. ſat. v. lib. I. *at illi fœda cicatrix Setoſam læui frontem turpaue-*
*rat oris.* IVRE INIVSTAS] ἀντιθέσει. PERPERAM] prauè,peruerſè. Sic Seruius ad
illud Terent. Phorm. *Verùm iſtoc de nomine eò perperam,*&c. NAMQVE EGO FVI ILLIC,&c.]
vel legendum: *Nam ego f.* vt habent nonnulli libri vulgati,vel,ſi retineamus *Namque,*quod eſt in
manuſcri. legendum *illi,* pro *illic:* vt ſeruetur lex carminis. ſunt enim octonarij acatalecti. IN
RE PRÆSENTI] ſic in Caſina. *In re præſenti,ex copia piſcaria Conſulere potero.* Videtur natũ à iu-
riſconſultis,vel à conſuetudine Romanorum, qui de agro aliquo ambigentes, vel glæba aliqua
eius agri in ius allata, in ea, tanquam in toto agro,& in re præſenti vindiciam faciebant: vel in
agrum ipſum,hoc eſt in rem præſentem ibant. Gell.lib.20.cap.9. M.Tull.Offic.1. *vt ſi conſtitueris*
*te cupiam aduocatum in rem præſentem eſſe venturum.* Idem pro Cæcina. *Placuit Cæcinæ de amicorum ſen-*
*tentia diem conſtituere,quo die in rem præſentem veniretur;*&c. Idem lib.1. de Oratore ad Q. Fra. *An* B
*verò ſi de re ipſa,ſi de finibus,cùm in rem præſentem non venimus,ſi de tabulis,& perſcriptionibus,*&c. PER-
DVELLES] hoſtes. Cicero de offic.1. *Illud animaduerto,quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is ho-*
*ſtis vocaretur,*&c. Idem lib.3. *pirata nõ eſt ex perduellium numero definitus,*&c. Plautus in prologo Ci-
ſtell. *perdite perduelleis.* Feſtus. *duellum,bellum, videlicet quòd duabus partibus de victoria contẽdentibus di-*
*micatur. Inde & perduellis,qui pertinaciter retinet bellum.* lex xij.tabul. *Qui perduellem concitauerit, quive*
*ciuem perduelli tradiderit,capite multator.* Caius lib.2.ad legem xij.tabul.de verb.ſignific. *Quos nos ho-*
*ſteis appellamus,eos veteres perduelleis appellabant,per eam adiectionem indicantes,cum quibus bellum eſſet.* PE-
NETRANT SE IN FVGAM] coniiciunt ſe penitus in fugam.verbum *penetrare* vſurpauit
ἐνεργητικῶς. ſic Trinummo. *Quo illic homo foras ſe penetrauit ex ædibus?* aliàs abſolutum eſt. *Vt,*
*quid ego metuam cogitas? homo adoleſcentulus Penetrare huiuſmodi palæſtram,* &c. ANIMVS EST AD-
DITVS] Cicero lib.7.ad Att. *Sed hæc opinor, ſunt in iis libris , quos tu laudando animos mihi addidi-*
*ſti.* VERTENTIBVS] abſolutè pro tergiuerſantibus, & terga dantibus, vel ſubintell. *terga.*
IPSVSQVE AMPHITRVO REGEM PTER. S. OBTR. M.] ſic Romulus regem
Acronem in prælio obtruncauit,& ſpoliauit, vt narrat Tit.Liuius lib.1. Cornelius Coſſus To-
lumnium,regem Veientium,vt refert Florus in epit.lib.4. M. Marcellus Viridomarũ Inſubrium
ducem,vt refert idem epit. lib.20. Atque hæc ſpolia opima dicebantur à Romanis, vt tradunt C
illi,& pluribus verbis docet Feſtus in voce Opima. Sic Eumenes Cardianus, Neoptolemum in
prælio interemit,armíſque exuit,vt tradũt Plutarchus in Eumene, Diodorus Siculus lib.18. Cor-
nelius nepos in Eumene. OBTRVNCAT] occidit,quanquàm obtruncare propriè eſt caput
abſcindere,& capite præciſo,reliquum corpus,tanquã truncum efficere.vt Æneid. 2.de Priamo.
*iacet ingens littore truncus.* de quo paullò antè dixit, *Natum ante ora patris: patrem qui obtruncat ad aras.*
Plautus Mil.glor. *quemque hîc intus videro cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo ex tempulo.*
Ciſtell. *Ne ego dem viuus, hodie ſuauium Silenio, niſi ego te, tuámque filiam,méque hodie obtruncauero.* Tit.
Liuius lib.1. de Romulo. *Regem in prælio obtruncat,& ſpoliat: duce hoſtium occiſo,vrbem primo impetu ca-*
*pit.* HÆC ILLI EST PVGNATA P.] illi pro illic pugnata, pugna autẽ Atticiſmus qualia
ſunt illa,apud Græcos,πλοῦτον πλουτεῖν, παιδιὰν παίζειν, σπόνδας σπένδεσθαι, νείκεα νεικεῖν:
& alia ſexcenta apud Latinis,in his apud Plautum noſtrum, *Currere curſum, ſomniare ſomnium, me-*
*tere meſſem, ludere ludum, & ludos,* &c. quæ ſuis locis indicabuntur. *pugnata pugna* autem etiam
M. Tull. pro Murena.dixit. VSQVE A MANE] Cicero epiſto.vltima lib.9.ad famil. *Cum*
*ille,ſi quis quid quæreret,dixiſſet: Cenã te quærere à mane dixeris.* QVIA ILLO DIE IMPRANS. F.] D
Hæc quoque videntur pugnare cum illis,quæ ſunt infrà. *Si tu Soſia es, legiones cùm pugnabant maxi-*
*mè,quid in tabernaculo feciſti? victus ſum,ſi dixeris.* M. *Cadus erat vini,*&c.nam,ſi impranſus fuit,vt hîc
dicitur, non bibit,ſi bibit:non fuit impranſus.niſi forte impranſus eſt is, qui bibit quidẽ,ſed ni-
hil comêdit. DIREMIT NOX.] nox cum ad multas alias res inepta eſt, tum ad pugnam.
Nam tum fortiſſimo cuique, ignauo eſſe licet.minor enim verecundia eſt: immo nulla. Itaque
nox inuerecunda dici ſolet,pudor autem maximè in oculis habitat, quorum noctis interuentu,
nullus vſus. Sic autẽ apud Homer. ἰλ. β. Agamemnon ait Græcos pugnaturos,quoad nox præ-
lium dirimat, neque ante noctis interuentum pugnandi modum, aut finem facturos. Sic ille
οὐ γὰρ παυσωλή γε μετέσσεται οὐδ' ἠβαιόν, Εἰ μὴ νὺξ ἐλθοῦσα διακρινέει μένος ἀνδρῶν. &
ἰλ. ε. nox prælium dirimit. Ἠέλιος μὲν ἔδυ, παύσαντο δὲ δῖοι Ἀχαιοὶ Φυλόπιδος κρατερῆς, καὶ
ὁμοιίου πολέμοιο. id eſt Sol quidẽ occidit,finem autem fecerunt Græci pugnæ,& prælij. Saluſt.
de bello Iugũrt. *Cæteri quoquo modo potuere,pauci integri, magna pars confecti vulneribus abeunt. Denique*
*vtrinque prælium nox diremit.* Tit. Liuius lib. 27. annal. *Nouum atque atrox prælium, ex tam ſegni re-*
*pente exarſit,recentibus animis, corporibúſq. Sed nox incerta victoria, prælium diremit.* Idem Liuius lib.7.
annal. *Nec ſuperfuiſſent multi,ni nox victoriã magis quàm prælium diremiſſet.* VELATIS MANIBVS]
Virg.lib.11.Æneid. *Velati ramis oleæ veniámque rogantes.* ad quem locum Seruius, *non coronati,*inquit,
*ramis oleæ, (nec enim lugenteis decebat) ſed inſtructi, atque ornati,* id eſt, manibus oliuæ ramos ferentes.
ſic Hom.



A ſic Hom. στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Idem Virg. libro 7. *Centum oratores*
*anguſta ad mœnia regis Ire iubet,ramis velatos Palladis omneis.* ibidem infrà: *ne temne quod vltrò Præferi-*
*mus manibus vittas & verba precantum.* ſic ornati veniebant ſupplices, vittas, & oleæ ramos præ ſe
ferentes. Erant autem oleæ rami lana inuoluti: ἱκετηρίας appellant Græci Harpocratio.
ἱκετηρία καλεῖται κλάδος στέμματι ἐστεμμένος ORANT, IGNOSCAMVS PECC. S.]
profert Nonius,docens,accuſatiuum hîc eſſe poſitum pro datiuo.ſed licet dicere, non eſſe poſi-
tum caſum pro caſu.Sic enim loquuntur Latini.ignoſco tibi peccatum tuum,& ignoſco pecca-
to tuo.Itaque hîc ſubintelligitur dumtaxat, *ſibi.* M. Tull.lib.epiſt. ad Atticum 4. *Id tu quoniam*
*Macronẽ tanti facis,ignoſcas mihi velim.* DEDVNTQVE SE] vt victoribus,& ſuperioribus. DI-
VINA HVMANAQVE OMN.] quæ ſuprà nominatim enumerauit,vrbem,agrum,aras, fo-
cos. IN DITIONEM] in poteſtatem. IN ARBITRATVM] vt populus Theb.ſuo ar-
bitratu in ipſos vteretur,vt populus Thebanus ſuo arbitratu vel ſæuiret in ipſos, vel propitium
ſe præberet.vel ſic.vt populus Thebanus vel pœnas de ipſis ſumeret, vel ipſis ignoſceret. OB
VIRTVTEM H. AMPHITR. P.] hoc eſt præmium virtutis, γέρας. QVI PTERELA
POTITARE &c.] id eſt qua patera rex Pterela crebrò potare conſueuit. De hac patera,plura
infrà ibi. *Nunc tibi hanc Pateram,*&c. ET ME DOMVM CAPESSERE] id eſt, & me domum
B recipere. Sic Nonius,qui hunc locum ſic profert, in verbo Capeſcere. *Nunc tamen heri imperium*
*perſequar, & me domum capeſſam.* ILLIC] ille. QVANDO IMAGO EST HVIVS] id eſt
quoniam huius imaginẽ gero. CERTVM EST] decreui: ſtat ſententia. ELVDERE] Plau-
tus Curcul. *eluſi militem,inquam,in alea.* Cic.pro Milone. *quibus ſi non adiuuantibus,at conniuẽtibus cer-*
*tè,ſperaſſet ſe poſſe rempub.eludere.* STATVM] ſtaturam,vt Nonius videtur velle. Sed Donatus ſic
in Eunuc.ſtatura corpori adſcribitur. ſtatus ad habitum refertur. Ergo ſtatus eſt σχῆμα ſtatu-
ra, longitudo corporis. ITEM] ὁμοίως, ſimiliter. ATQVE HVNC TELO SVO SIBI
MALO &c.] & decet me à foribus hunc pellere malitia,id eſt aſtutia,& verſutia, κερδοσύνη,
per appoſitionem, ſuo ſibi telo, id eſt, ſuo ipſius telo. ſic loquitur millies Plautus, & alij boni
ſcriptores. Aſin. *cum ſuo ſibi gnato,vnà ad amicam de die Potare.* Idem Prol. Capt. *Sed is quo pacto ſer-*
*uiat ſuo ſibi patri* &c. ibidem prima ſcena. *Suo ſibi ſucco viuunt.* Terentius Adelph. *ſuo ſibi hunc*
*gladio iugulo.* ad quem locum Donatus. Sic veteres loqui ſolent. *Malitia,* inquit M.Tull. Tu-
ſcul. quæſt. lib.4. *certi cuiuſdam vitij nomen eſt, non id quod Græci κακίαν appellant.* Idem lib. 3. de
Nat.Deorum. *eſt enim malitia verſuta, & fallax nocendi ratio.* Idem de Off. 3. *Quocirca aſtutiæ tollendæ*
*ſunt,eáque malitia,quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam: ſed abeſt ab ea, diſtátque plurimum.* HAC
C NOCTV] hac nocte. NOCTVRNVM] Noctis deum. Deum,qui nocti præeſt. OBDOR-
MIVISSE] ſomno correptum eſſe. Idem Plautus Rud. *ſi inuitare nos paulliſper pergeret, ibidem ob-*
*dormiſſemus.* M.Tull.Tuſcul.1. *Endymion neſcio quando in latino obdormiuit.* Vlpianus lib.9. digeſt.titul.
ad l.Aquil. *ſi fornacarius ſeruus coloni ad fornacem obdormiſſet, & villa fuiſſet exuſta, Neratius ſcribit,ex loca-*
*to,*&c. EBRIVM] vino grauem, οἰνοβαρῆ. Itaque hoc totum, *obdormiuiſſe ebrium,*ſic interpretor,
ſomno,vinóq.ſepultũ dormiuiſſe.ſomnus autẽ ex cibo & vino,grauiſſimus, altiſſimus & arctiſ-
ſimus eſſe ſolet,ſed ex vino maximè. Plaut. Aulul. *Homo ebriacus ſomno ſanari ſolet.* SEPTEMTRIONES]
ſeptem ſtellas in vrſa maiore,quæ Helice à Græcis appellatur. Cic.lib.4. Academ. *ſed ad Helicem,*
*& clariſſimos ſeptemtriones.* Idem lib.2.de Nat.Deorum.ex Arato latino à ſe facto. *Altera dicitur eſſe*
*Helice. Cuius quidem clariſſimas ſtellas totis noctibus cernimus. Quas noſtri ſoliti ſeptem vocitare triones.* Eæ au-
tem ſeptem ſtellæ,ſemper nobis apparẽt,quia circa verticem ſemper nobis imminentem, quem
arcticum appellant Græci, vnà cum cælo mouentur. NEQVE SE LVNA QVOQVAM
M.] neque ſe luna in vllam aliam partem è ſuo loco mouet, (quod facere & debet & ſolet)
quàm quo loco exorta eſt ſemel. quoquam, aliò, ſubintel. atque, id eſt quàm. Io. Paſſeratius legẽ-
dum exiſtimat *motat,*id eſt mouet,ſeu crebrò mouet. NEC IVGVLA] Iugula,vt docet Varro
D lib.6. de lingua latina,hunc locum proferens,ſignum eſt, quod Accius appellat Griona: ſic ferè
& Feſtus. *Iugula* (inquit) *ſtella Orion, quod amplior ſit ceteris, quaſi nux iuglandis.* VESPERVGO]
Veſperugo,vt idem Varro docet eodem libro,ſtella eſt,quę veſpere oritur. Latini Veſperum alio
nomine,& veſperem appellant, Græci ἕσπερον. Sic & Feſtus. Veſperugo,veſper ſtella. Plautus.
*nec Veſperugo,* &c.ſolet autem hæc ſtella poſt ſolem occidere,& ante ſolem oriri.ſed cum ante ſo-
lem oritur, nomen mutat, & φωσφόρος à Græcis, Lucifer à Latinis appellatur. Vitruuius Archit.
lib.9. *Etiam ſtationibus propter eam circinationem morantur in ſpatiis ſignorũ. Id autem ita eſſe,maximè cognoſ-*
*citur ex Veneris ſtella,quòd ea cùm ſolem ſequatur,poſt occaſum eius apparens in cælo,clariſſiméque lucens, Veſpe-*
*rugo vocitatur: aliis autem temporibus eum ante currens, & oriens ante lucem, Lucifer appellatur.* NEQVE
VIRGILIÆ OCCIDVNT.] quæ nunc debent,& ſolent occidiſſe. has Græci pleiadas nomi-
nant. STATIM] perſeueranter, æquabiliter, vt ſuprà ex Nonio. CONCEDIT] cedit. ſic in-
fra eadem comœdia: *Nunc te nox,quæ me manſiſti,mitto,vt cedas die.* DIE] id eſt diei. Vide Gell. lib.
9.cap.14. GERE PATRI MOREM M.] χαρίζου morigerare, indulge patri meo.
OPT. OPT. OPT.] tale illud in Capt. *amœnitate,amœna,amœnus,* &c. DATAM PVLCHRE
LOCAS] operam quam das patri,bene ponis.non perit tibi opera,quam meo patri das.benefi-
cium, quod confers in patrem meum, bene collocas. Quemadmodum autem beneficia malè
collocata,ſunt malefacta: ita benè collocata, ſola beneficia debent appellari. Hoc igitur dixit

operam tuam non perdis,ſed apud eum operam,& beneficium locas, qui tibi mercedem præ- A claram perſoluet. CENSEO] puto.ſic millies hoc verbum vſurpat Plautus. NISI ITEM VNAM] præterquam vnam ſimiliter,quam perpetem,id eſt perpetuam,ſeu continuam, verberatus hero,pependi.Feſtus.*perpetem.pro perpetuam dixerunt poëtæ.* idem infrà ead.com.*Ibi cenaui,atque ibi quieui in naui noctem perpetem*.ſerui qui herum grauius offenderant, pendentes verberabantur. Aſin.*nudus,vinctus,centum pundo es,quando pendes per pedes.*Idem.*Faciſne iniuriã mihi,an non?* Eucl.*facio, quia non pendes,maximam.*Caſina.*ſi ego vnquam adeò poſthac tale admiſero, Nulla cauſa eſt, quin pendentem vxor virgis verberes:* id eſt quin me,tanquam ſeruum nequam,verberes, & pœna ſeruili afficias. ATQVE APPOTVM PROBÈ]hyſteron,proteron.Nam eo quòd appotus eſt probè,dormit.Cauſę autẽ ſuis effectis ſunt priores.ſic autem loquitur in Rud.*Vel ego amare vtramuis poßim,ſi probè appotus ſiem.* MIRA SVNT] mirum eſt.ſic loquitur millies.Caſina. *Mira ſunt, vera ſi prædicas.*Bacchid. *Mira ſunt,ni Piſtoclerus Lydum pugnis contudit.*NI INVITAVIT SESE IN CENA PLVS C.] id eſt,niſi bibit liberaliùs quàm ſatis ſit,niſi plus æquo bibit.Idem Rud. *Neptunus poculis hac nocte eum inuitauit.*ibid. *ſi inuitare nos pauliſper pergeret* &c. Lucilius. *Scito etenim bene longinquũ mortalibus morbum In vino eſſe,vbi qui inuitauit dapſilius ſe.* EGO POL TE ISTIS TVIS PRO DICTIS &c.]Ego pol te, furcifer,provt tua iſta maledicta factáq. merentur tractabo. FVRCIFER] Donatus ad illud Terentij,And.*tibi ego vt credam, furcifer.* Furciferi dicebantur, inquit, B qui ob leue delictum cogebantur à dominis, ignominiæ magis, quàm ſupplicij cauſa, circa vicinos,furcam in collo ferre,ſubligatis ad eam manibus,& prædicare peccatum ſuum, ſimúlque monere ceteros, nequid ſimile admitterent. Plutarchus ῥωμαϊκοῖς paullo aliter, cuius verba non ponam,ne ſim longior,ſed ea latinè reddam. Quamobrem eos ſeruos, qui in furando, aut ſimilibus aliis ſeruilib.delictis ſunt inſanabiles,& deſperati,furciferos appellãt? Nam qui ſeruũ ſuum compererat,aliquo vitio inſanabili eſſe affectum,iubebat eum lignum duplex, quod curribus ſupponunt,tollentem,per viciniam in omnium oculis tranſire, vt ne ei fidem haberent, & vt ſibi ab eo cauerent in poſterum. Lignum autem tale nos quidem ſterita, Romani autem furcã nominant.quare furcifer,qui hoc circumtulit,appellatur. MODÒ SIS VENI HVC] id eſt veni modò huc ſi vis.*ſis* pro ſi vis,millies vſurpat Plautus,& ſæpenumero Terent. & item alij probati ſcriptores. exempla reperientur in indice. INVENIES INFORTVNIVM] εὑρήσεις, ἢ καταλήψῃ ἀτυχίαν: Sic Bacchid.*Sed etiam vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt ſuo.* SCORTATORES] Scortatores dicti ſunt à ſcortando: ſcortari autem à ſcortis: id eſt meretricibus,quia vt pelliculę ſubigantur,inquit Feſtus.omnia namq.ex pellib. facta,ſcortea appellantur. QVI SOLI INVITI CVBANT]qui nolunt ſoli cubare,qui non libẽter ſoli cubãt: C qui iniquo animo ferant,ſi quando eos neceſſe ſit ſolos cubare.Nolunt enim,ſcilicet, ſine ſcorto aliquo, quod ſubigant, cubare. HÆC NOX SCITA EST EXERC. SC. COND. M.] hęc nox ita longa, lepida, & commoda eſt ad fatigandum, & ſubigendum ſcortum magna mercede conductum: quia ſcortatori, qui puellam impenſa mercede conduxerit, liceat per noctis longitudinem tot operas ab illa exigere, totiéſque eam ſubigere, vt nummos ſuos in ea conducenda non male collocaſſe videatur. Donatus ad illum locum Terentij in Eunuch. *Fugitiue prodi,malè conciliate.*Notat,*malè magno ſignificat*.vt Plautus Amphit. *Hæc nox ſcita eſt*, &c. PRO HVIVS VERBIS] prout hic loquitur:ex huius verbis:ſecũdum huius verba. ANIMO OBSEQVENS] animo,id eſt libidini indulgens. COMPLEXVS CVM ALCVMENA CVBAT] cum Alcumena cubat, eam complexus. HIC NOCTIS] hoc tempore noctis. NVLLVS EST HOC METIC. ÆQ.] nullus eſt æquè meticuloſus,atque hic aduerbio *æquè* tribuit ablatiuum,vt ſi eſſet comparatiuum, & quaſi dixiſſet, nullus eſt magis hoc meticuloſus,vel nullus eſt hoc meticuloſior.quod item ſæpe aliàs. CVM IN MENTEM VENIT] cùm cogito. ὅτε ἐννοῶ. ILLIC HOC HOMO DEN. VOLT. PALL. DET.] id eſt,ille homo vult hoc pallium, quod gero, deintegro pertexere.Ex iis,quæ D illum facere video,& vt eum video ſe componere,ac parare, ſuáſque manus, ac ſua brachia huc & illuc iactare,vult meum pallium iterum detexere,hoc eſt,ad extremum texere. quæ verba hãc habent ſententiam, vult me ſpoliare. DETEXERE] Vlpianus lib.digeſt.34. titulo de auro, argento,mundo,&c. *Veſtimenti. id eſt, quod detextum eſt, & ſi deſectum non eſt quod in tela eſt nondum detextum,contextum appellatur.ſi quis igitur veſtem legauerit:neque ſtamen,neque ſubtemen legato continebitur.* Idem lib.32.titulo de legatis & fideicommiſ.3. *Lino autem legato, tam factum, quàm infectum continetur,quodque netum,quodque in tela eſt:quod nondum eſt detextũ.* Virg.Eglog.2.in extr. *Quin tu aliquid ſaltem potius quorum indiget vſus,Viminibus,mollique paras detexere iunco?* vbi notat Seruius *detexere*,id eſt multum texere,finire,perficere,nam,de, modò non minuentis eſt,ſed augentis.M.Tullius lib.2. de natu.Deorum. *ea reperiunt,quibus antè exorſa,vel potius detexta pæne retexantur.* Fortaſſis autem ſignificat Soſia,Mercurium,quem non nouit,ea gratia ibi ſtare,vt pętereunteis ſpoliet,quaſi eorum pallia textoris opera adhuc egeant, ille autem vt textor, ea ſit perfecturus. PRVRIVNT DENTES] dentes mei,vt auguror,pugnis probè contundentur; dentes mei, vt intelligo, iam iam pugnis fricabuntur: nam mihi pruriunt. vel ſic,ego eſurio. dentes pruriũt, quia iampridem nullo cibo fricati ſunt: ſed mox, vt video fricabuntur pugnis. ſequitur deinceps, *Certe aduenientem*,&c. Plautus Bacch. in extr. *caput prurit:perij. Vix negito.* Idem Milit. glorioſ. *Timeo, quid rerum geſſerim: ita dorſus totus prurit.* Idem Perſa. *Vah iam ſcapullæ pruriunt.* CERTE ADVE-



A ADVENIENTEM,&c.] alludit ad morẽ illum antiquum, quo aduenĩetes peregre hoſpitio,& cena accipiebãtur. Eſt autem iocus παρὰ προσδοκίαν, in his verbis *hoſpitio pugnæ*.quaſi ita dicat, accipiar non hoſpitio,aut cena aliqua, ſed pugnis.pugna quin dicta ſit à pugnis,neminẽ eſſe arbitror,qui dubitet. FECIT VT VIGILAREM] id eſt, fecit vigilare. HIC PVGNIS FACIET]locus alius præter expectationem.qui vigilarunt,quique nocteis continũas aliquot inſomneis traduxerunt, ij egent ſomno, magníque beneficij loco numerant, ſi fiat ſibi dormiendi poteſtas: & miſericordem ſe in eos præbere videtur, qui ſinit eos dormire. miſericors igitur in Soſiam, inſomnia laſſum, Mercurius futurus eſt, qui eum pugnis conſopiet. OPPIDO] valde. Feſtus docet, hoc ortum eſſe ex ſermone ruſticorum inter ſe confabulantium,quantum quiſque frugum colligeret,& conderet: qui ſignificantes ſe magnam vim collegiſſe,reſpondebant,quantum vel oppido ſatis eſſet.Nonius, *oppido*, inquit, id eſt valde. deinde hunc locum profert. CLARE ADVORS. FAL.] clarè verſus, id eſt conuerſus in Soſiam loquar, vt facilius, quæ loquar,audiat aduorſum, ſeu aduorſus,ἐναντίον. quidam legunt Clara voce fabulabor.ego nihil muto. IGITVR] poſtea,vel proinde,vt ſuprà. MAGIS MODVM IN M.] duæ comparatiuæ voces iunctæ. CONCIPIET] accipiet. AGITE PVGNI.] Nũc incipit clarè loqui Mercurius facie in Soſiam cõuerſa. IAMDIV EST QVVM B VENTRI V.] iampridem me dum otioſi eſtis,alere intermiſiſtis:longum iam tempus abiit,ex quo neminem contudiſtis, quo proſtrato & confecto ego ſpoliis eius auctus atque ornatus,victum pararem.ſignificat,audiente Soſia, ſe eſſe graſſatorem, qui pugnis, & plagis, quibus contundat viatores, vitam toleret. ſic autem edendum curaui, iandiu eſt quom &c. non vt vulgò, *Iam diu eſt,quòd:* quæ ſcriptura ferri non poteſt.Idem infrà, *Iamdiu eſt factum,quum diſceßiſti ab hero,atque abiiſti ad forum.* Idem aliter Perſa in extr. *Iamdiu factum eſt,poſtquàm bibimus.* IN SOPOREM COLLOCASTIS NVDOS] ſpoliatos conſopiuiſtis, ἐκοιμίσατε. hoc eſt interfeciſtis,vel ita,proſtrauiſtis ictibus,& afflixiſtis, vt mortui viderentur, vel ſic plagis malè multaſtis, vt mortuorum ſimiles iacerent.Nam ſomnus & mors,germani ſunt. ex quo ſunt illa apud poëtas Græcos, longus ſomnus, & χάλκεος ὕπνος, pro morte, & apud Hom. τανηλεγὴς θάνατος, mors longum ſomnum præbens, ſeu diu dormiendi poteſtatem faciens, ſeu,vt verbis Plautinis vtar, in ſoporem longum collocans. Et Mars βροτολοιγὸς παρὰ τὸ λέγεσθαι τὸ κοιμᾶσθαι, quòd homines dormire faciat. Horat. oda 24. lib.1. *Ergo Quinctilium perpetuus ſopor Vrget?* ad quem locum, hac de re plura. nudos autem, interpretor, ſpoliatos, & exutos. alij inſepultos, vt apud Virg.lib.Æneid.5.in extr. *Nudus in ignota Palinure iacebis arena.* FORMIDO MALE] Ciſtell. *Quæ in tergum meum ne veniat,male formido.* C ET QVINCTVS FIAM] ambiguum eſt in voce *Quinctus*.Nam & Quinctus prænomen eſt Romanum,& quinctus eſt,qui ordine ſequitur quartum. Referenda autem ſunt hæc ad illa,quæ ſuprà dixerat Mercurius, ſe quatuor homines pugnis exanimaſſe,& ſpoliaſſe hoc modò. Male metuo, inquit Soſia, ne me ordine quintum in ſoporem nudum collocet: & ita nomen cõmutem, & ex Soſia fiam Quintus. Plenus eſt Plautus talium iocorum. QVATVOR VIROS SOPORI SE DED.] ἐπεξήγησις eorum quæ ſupra obſcurius dixerat. *Sopori dediſſe*, id eſt collocaſſe in ſoporem,conſopiuiſſe. AVTVMAT] dicit.Nonius:vel,prædicat,gloriatur. NE NVMERVM AVGEAM ILLVM] declaratio illius ioci,*ne Quinctus fiã ex Soſia*, hoc eſt,ne quatuor illis cõſopitis addar Quinctus. HEM NVNC IAM ERGO S. V.] Hem nunc ergo volo alium ſic pugnis conciſum ſopori dare. vel ſic,nunc ergo ſic me volo parare,atque expedire,vt aliquem pugnis concidã,& affligam. CINGITVR] id eſt ad pugnam paratur, ſeu ad bellum ſe parat.nam pugnaturi, & ad bellum profecturi, cingebantur,ex quo diſcincti,id eſt imbelles, atque ad pugnam inepti: & teſtamentum in procinctu,hoc eſt quod factum eſt à milite. Gell.lib.1.cap.11.& lib.15.cap.27. Cicer. lib.1. de Oratore. Plutarchus in Marcio Coriolano. Præterea qui gladium ſibi accommodabant, cingi dice- D bantur. Virgil. lib. 2. Æneid. *Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo Circundat ne quicquam humeris, & inutile ferrum cingitur.* Horat. epiſt. ad Piſon. *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis*, &c. EXPEDIT SE] parat ſe. NON FERET, QVIN VAPVLET.] non effugiet, ſeu non elabetur,neque euádet,quin vapulet: vel ſic, non feret,id eſt non auferet hoc à me,neque obtinebit, quin vapulet. PVGNOS EDET] pugnos comedet. reſpondent hæc illis ſuperioribus. *Certe aduenientẽ me hic hoſpitio pugnæ accepturus eſt.* NON PLACET, ME HOC N. C.] non libenter hoc noctis tempore comedo. ISTAM CENAM] iſtos pugnos. HAVD MALVM H. EST P. P.] hic pugnus,non eſt mali,hoc eſt parui ponderis. TRACTIM] id eſt diutinè, & longo tractu. Nonius hunc locum proferens.Seruius ad illum Virg.locũ,Georg.4.*tractimque ſuſurrant*, notat ſine intermiſſione,iugiter.ſed Cariſius lib.2. *tractim.* Plautus in Amphitr.Vbi Siſenna pro *lentè*. non vt Maro,pro iugiter,4.Georg. *tractimque ſuſurrãt*, inquit.Ego & hic *tractim*, & apud Virgilium,longo tractu,& ſine intermiſſione,& iugiter,aſſentiens Nonio,& Seruio,interpretor. Sic apud Lucret. lib.3. *Poſt inde per artus Ire alios tractim gelidi veſtigia lethi.* PERVIGILAVI]perpetuo vigilaui.hinc *peruigiliũ*. PESSIMVM EST FACINVS]peſſimè factũ. NEQVITER FERIRE MALAM M. D. M.] manus mea non ſatis valide,neque acriter malam, hoc eſt maxillam,ferire diſcit. Simeo Boſius putabat,verbũ *ferire* ad illud detexere, quod ſupra poſitum eſt,referendum eſſe:quia ferire dicantur textores,cum telam pectinis dentibus feriunt,

Varro lib.4.de Lingua latina, Denſum,inquit,à dētibus pectinis quibus ſeritur. ALIA FOR- A
MA OPORTET ESSE] id eſt eum immutari oportet:eum nouam formam ſumere oportet,
&c. QVEM TV PVGNE LEGERIS] ô pugne,eum aliam formam ſumere oportet, quem
tu feriendum ſuſceperis , ſeu quem tu tibi feriendum propoſueris.apoſtrophè ad pugnum . Sic
autem legendum, *pugne legeris:non pugno læſeris.* ILLIC HOMO ME INTERPOLABIT] ille
homo mihi aliam formam dabit:vel meam veterem formam in nouam cōuertet: vel ille homo
nouam mihi formam è vetere finget.ſic fere Nonius,hunc locum proferens, docétque tractum
eſſe ab arte Fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque, quaſi in nouam ſpeciem mutant.
MEVMQVE OS FINGET D.] idem dicit aliis verbis aliam mihi oris formam deintegro
affinget, vetere deleta. EXOSSATVM OS &c.] etiamnunc pugnum alloquitur, hoc modo,
exoſſatum os eius ſit oportet,id eſt,exos,& edentulum factum,conciſum,cōtritum,edentatum,
quem fortiter ferieris.Idem Pſeudolo. *Exoſſabo ego illum ſimiliter itidem, vt murenam coquus.* ſic Me-
næchm. *atque hunc ſenem exoſſabo : dein dedolabo aſſulatim viſcera.* Terent. Adelph. *Congrum iſtum
maximum in aqua ſinito ludere pauliſper. vbi ego venero , exoſſabitur.* exoſſare ἐξοςαΐζειν dicunt
Græci. QVASI MVRENAM EXOSSARE COG.] in Pſeud. *Exoſſabo illum ſimiliter,* &c.
nam iam ſuprà retulimus. VLTRO ISTIC, QVI EXOSSAT HOM.]hunc verſum ſic ex-
plicabam, perij, ſi iſte, qui exoſſat homines, vltro me aſpexerit, vltro, id eſt non appellatus,aut B
interpellatus : vel ſic. perij, ſi iſte , qui vltrò, id eſt non laceſſitus, aut inuitatus , exoſſat homi-
nes , me aſpexerit . Sim. Boſius , mutata interpunctione, ſic : Vltro iſtic , qui exoſſat homi-
nes . iſte , qui dicit ſe exoſſare homines, vltro iſtic . id eſt longè à me iſtic maneat . Ego ſic
malim: *Vltro iſtic,qui exoſſas homines :* vt intelligamus , Soſiam hîc ſummiſſa voce, ita tamen , vt
audiant ſpectatores , ad Pſeudo Soſiam verba ſua dirigere , hoc modo : Tu , qui exoſſas homi-
nes,vltro,id eſt vltra,ſeu procul iſtic,vbi tu es,mane:neque ad me propiùs accede:quæ ſequun-
tur autem,rurſum ad tertiam perſonam reuocentur,& ad ſpectatores ſolos pertineant:*perij*, &c.
OLET HOMO QVIDAM M. S.] olet,mihi ſubintell. id eſt eius odor ad me peruenit. ſic
Milite glorioſo. *Neſcio vbi hîc propè adeſt, quem expeto videre.olet, profectò.* Idem Moſtell. *Mulier rectè
olet,vbi nihil olet.* MALO SVO] ſuo damno olet , inquit. Nam dabit mihi pœnas , quiſquis
in manus meas incidet.ſic infrà,non longè. *Næ tu iſtic hodie malo tuo compoſitis mendaciis Aduenisti*
&c. NVMNAM OBOLVI?] num quídnam odorem aliquem è corpore meo , aut ex ore
hominibus afflo? Idem Caſina. *Dij me hercle cupiunt ſeruatum. iam oboluit Caſina procul.* Idem Me-
næchmis, *oboluit marſupium huic iſthuc, quod habes.* Idem Moſtell. iunxit cum quarto caſu. *oboluiſti
allium:germana inluuies, ruſticus,hircus,ara ſuis.* ATQVE HAVD LONGÈ ABESSE OPOR-
TET ]ſermonem cœptum continuat Mercurius,ſolus loquens,ita tamen vt ſpectatores audiāt. C
hoc modo. debet ille non longè abeſſe quiſquis eſt , quando eius odor nareis meas tetigit. *haud
longè abeſſe,*ſubintell.eum,qui mihi olet:ſeu quem olfacio.Alij quidam ſic hunc locum explicant,
in his Boſius.Atque haud longe ab eo malum abeſſe oportet:id eſt nō longè ab eo malū abeſt:
citò mihi ille dabit pœnas:citò fiet quod dico.à quibus diſſentio. VERÙM LONGÈ HINC
AFVIT] at ſi nunc non longè abſum,certè longè afui:tum ſcilicet,cùm in caſtris fui.*afuit* autē
legendum,quomodo edidi,& ita habent noſtri ferè omnes libri veteres:non,vt vulgati, abſuit.
qua de re nos plura in Commēt.Lucret.& in Notis Cicer. Nec pauca ante nos Muretus in ſuis
ad Philipp.ſcholiis.Verùm tamen non celabo lectorem,quoſdam hîc legere *afuat*, pro *afuit*. hac
ſentētia.Verùm vtinam Soſia hinc longè abſit,ſiquidem vapulaturus eſt.Ego,libris inuitis, hæc
verba Mercurij eſſe puto,vt & ſuperiora,hoc modo. Atque is haud longè abeſſe debet : verùm
longè hinc afuit. vt intelligamus Mercurium tanquam deum,ſcire,Soſiam,qui nunc præſtò ſit,
longè hinc anteà afuiſſe,& interfuiſſe bello Thebano.Et ita plana erunt, miréque conuenient,
quæ deinceps ſequuntur. ILLIC HOMO SVPERSTITIOSVST.] id eſt homo eſt ario-
lus,qui ſciat me longè hinc afuiſſe. Nam ſuperſtitioſus , præterquàm quod eum ſignificat , qui D
nimiùm deos metuit,quod ſignum eſt delirame̅ti,vt ſcribit Donatus in Andr. etiam fatidicū,&
fanaticum, & vel futurorū augurem, vel præteritorum quæ humanitus ſcire non potuit, ariolū
ſignificat. quod genus hominum inſanum & furioſum eſt. ſic vſurpat hanc vocem in Curcul.
*Superſtitioſus hic quidem eſt. vera prædicat.* Idem in Rud. *Quid ſi aut ſuperſtitioſa,aut ariola eſt, atque omnia,
quidquid inſit, vera dicet?* Hæc igitur eſt vera huius loci explicatio,quidquid Alciatus, & alij blate-
rent. Et cum hæc multò antè ſcripſiſſem , animaduerti Simeonem Boſium idem ferè ſentire.
GESTIVNT ] geſtit,inquit Feſtus,*qui ſubita felicitate exhilaratus,nimio corporis motu præter conſuetu-
dinem exſultat.* Eſt igitur hîc tralatio à re animata , & ratione prædita, ad inanimam. & *geſtiunt*,
valet hoc loco,ita ad pugnam ſoluti, atque expediti ſunt,vt geſtire videantur: pugni ferire ali-
quem cupiunt. SI IN ME EXERCITVRVS] ſubintellige, es pugnos tuos , ita ad ferien-
dum paratos. profert hunc verſum Nonius in verbo exercere. DOMES ] vt domes eos pri-
mùm in parietem,id eſt vt eos prius contra parietem mollias,& ſubigas, quàm me percutias: vt
eis mollioribus factis,minus grauiter me ferias,minúſve graueis plagas incutias. AD AVREIS
ADVOLAVIT] ad aureis celeriter peruenit, tralatio eſt.ſic Lucret.lib.6. *Denique per diſſæpta do-
morum ſaxea voces Peruolitāt. vox* autē alicuius hominis ſcilicet,vel eius qui mihi olet. NÆ EGO
HOMO INF. F. Q.] iocus,cuius occaſio nata eſt,ex verbo *aduolauit.* nam ſi,quod volat,alas
habeat



A habeat neceſſe eſt:vox autem Soſiæ volat:ergo vox Soſiæ alas habet.Vrbanè igitur ægrè fert,&
queritur,ſe voci ſuæ alas non interuelliſſe:ne ad alios aduolare poſſet. VOLVCREM] pinna-
tam,pinnigeram, πτερόεσσαν, alis præditam, tanquam auem.hoc quoque ad ioci rationem per-
tinet. GESTITO] frequentatiuum verbum à verbo geſto: quo verborum genere crebrò vti-
ter Plautus.quæ colligentur in indice. ILLIC HOMO A ME SIBI MALAM R. ARC.
IVM. S.] id eſt ille homo malum ſibi à me quærit,quod ſuo iumento,hoc eſt ſibi imponat:ſeu
quo ſuum iumētum,id eſt ſeipſum oneret: proinde ac ſi dicat,malum ſibi à me quærit, quo ipſe
oneretur,& vrgeatur.ſuo igitur iumento,ita accipiendum, vt ſit dandi caſus , & cohæreat cum
prouocabulo,ſibi κατὰ σύνθεσιν ſiue per appoſitionem,hoc modo,*ſibi,ſuo iumento,* id eſt ſibi qui
ipſe ſuum iumentum erit: quia,quemadmodum iumentis noſtris onera imponere ſolemus : ita
malum,quod ſibi à me arceſſit,ipſe geret,nempe pugnos,plagas, vibices. Licet etiam ſic expli-
care , & fortaſſe meliùs. *illic homo malam rem ſibi à me arceßit iumento ſuo* , id eſt ille homo ma-
lam rem ſibi à me petitum mittit, ſua impenſa , vel ſua opera , & culpa: vt *ſuo iumento,* ſit abla-
tiui caſus.Nam ſuperior explicatio violenta eſt . atque hanc explicationem confirmant ea, quæ
deinceps ſequuntur. Iumentum autem alij à iungendo dictum volunt, vt refert Gellius lib.20.
cap.1. & Nonius in voce *iumentum.* Alij à iuuando: cuius appellatione intelliguntur omnia ani-
B malia,quæ onera gerunt,aut quæ currus trahunt,bobus exceptis.Pomponius lib.5.ad S.C. &c.
titulo de verb. & rer.ſignificatione,ſcriptum reliquit,boues magis armentorū , quàm iumento-
rum nomine appellari. NON EQVIDEM VLLVM HAB. IVM.] nullum equidem habeo
iumentum,quo ſcilicet dicis me malam rem arceſcere.Iocus ex ambiguo.Nam Mercurius illud
dixit prouerbialiter, & ἀλληγορικῶς : hîc ſimpliciter,& propriè accipit. LASSVS SVM] at-
que iccirco oneri ferundo impar. nam hoc eò ſpectat , quòd dixit Mercurius , Soſiam pugnis
eſſe onerandum. E NAVI VT VECT.] poſtquàm è naui huc vectus ſum , ſed quo modo
vectus dici poteſt , qui à portu , poſteaquam è naui exiit , pedibus in vrbem venit ? reſpon-
deo vel per tranſlationem ſermonis , *vectus ſum* , poſitum pro veni : vel legendum , naui, vt
vectus huc ſum,detracto *e*, quod credibile eſt natum eſſe ex poſtrema vocali aduerbij hercle.
NAVSEO] nauſea laboro : nauſea autem, eſt vomendi appetitus,ex nauigatione contractus.
Cicer.lib.5.epiſt.ad Att.epiſt.13. *nauigauimus ſine timore, & ſine nauſea.* Plautus Merc. *Nauſea ædepol
factum credo.verùm extemplo abſceſſerit.* VIX INCEDO INANIS] vix ingredi poſſum ſine one-
re:nedum cum onere ire poſſim. NE IRE POSSE] ne me ire poſſe,&c. NESCIO QVEM]
hominem ignotum , & quaſi ſine nomine. AVTVMAT] dicit, prædicat. HINC ENIM]
C vel legendum *Him enim,* vt ſit anapæſtus:vel,ſic.*hinc enim* recta ſcriptura eſt,poſterior ſyllaba vo-
cis *enim*,breuis habenda eſt. VERBERAT] ſic Lucret.lib.6.de aëre.*Semper enim circumpoſitus res
verberat aër.* METVO, VOCIS NE VICE] Metuo ne in locum vocis meæ , à qua ille ſuas
aureis verberatas eſſe dicit,ego ipſe vapulē. TIMEO, TOTVS TORPEO]ſic in Trucul.*Lapideus
ſum.cōmouere me miſer non audeo.* ibidem.infrà. *Neq. vt hinc abeam,neque vt hunc adeam, ſcio.timore torpeo.*
ILICET] ſine dubio Feſtus. Donatus verò ad illud *ilicet* , *Ne te admiſce . nemo accuſat Syre te* &c.
Heautont.notat,*Ilicet ſemper finem rei ſignificat,vt actum eſt : & ilicet dictum eſt per ſyncopen,pro ire licet.*
&c.Seruius lib.6. Æn.ilicet docet eſſe nouiſſimum verbum,quo vtebantur,cōſumto cadauere,
& collectis cineribus,eóque referendum illud eſſe ſcribit, *dixitque nouißima verba.* Plautus Capt.
*Ilicet paraſiticæ arti in maximam malam crucem.* Idem Ciſtell. *Actum eſt : ilicet.me infelicem, & ſceleſtam.*
CERTVM EST] decretum eſt, deliberatum eſt , ſtat ſententia. HOMINEM CONTRÀ
COLLOQVI] colloqui iunxit cum accuſandi caſu.licet tamen dicere,*hominem* regi à præpoſi-
tione contra,vt ſit ἀναστροφή. ſed illo modo magis placet,vt contrà ſit aduerbium, notetúrque
accentu graui in poſteriore ſyllaba. QVI POSSIM VIDERI &c.]quo poſſim,&c. A ME
VT ABSTINEAT M.] ne me attingat,ſeu ne me verberet. QVI VVLCANVM IN COR-
D NV.&c.]qui ignem in laterna cornea clauſum geris? ſuprà Scena 1.*Sed Amphitruonis illic eſt ſeruos
Soſia. Aportu illic nunc cum laterna huc aduenit.* Lucretius libro ſecundo. *Præterea lumen per cornu
tranſit.* QVI PVGNIS OS EXOSSAS H.] Supra, *Exoſſatum os eſſe oportet* , &c.
VTCVNQVE.] legendum *vtruncunque* , non vt habent libri vulgati. *vtcunque.* Quod
autem libri nonnulli veteres habent *vtrumque* : id deprauatum eſt , ex *vtruncumque* & *vtcun-
que* factum poſtea eſt,ex *vtrumque, vtruncumque* autem eſſe legendum,etiam ratio vincit. nam cū
duo ſint poſita,*ſeruus,liber:* neceſſariò *vtruncumque* quod de duobus dicitur , non *vtcumque* quod
de pluribus ſubſequi debet.Hoc enim ſignificat Soſia,ſe vel liberum,vel ſeruū eſſe, vtruncum-
que de duobus ei libeat. ſi quis tamen *vtcunque* probet : *vtcumque,* hoc eſt quomodocumque.
quod minus mihi probatur. VERBERO] maſtigia. MENTIRIS NVNC IAM.] men-
tiris,qui dicas te verberare,cùm tamē neminem verberes. ſic Boſius,quaſi iocus ſit ex ambiguo
poſitus in voce *verbero* : quæ vt vult ille,Mercurio quidem nomen eſt:ſed à Soſia, ridiculi gratia
pro verbo accipitur,verbero as,at.Ego putabam hîc nullum eſſe iocum : & hæc verba , *mentiris
nunc iam,* eſſe Mercurij,& detrahendam hinc eſſe Soſiæ perſonam, vt ita legatur.*verbero* , *mentiris
nunc iam.At iam faciam,vt verum diſcas dicere.* quæ verba ſic explico.verbero,mentiris nūc iam,qui
dicas te eſſe vel liberum,vel ſeruum,vtruncumque animo tuo collibitum ſit , cùm ſeruus ſis, &
qui ſeruus eſt,liber eodem tempore eſſe non poſſit , neque liber , ſeruus : at iam verberibus, &

plagis docebo te vera loqui. AT IAM FACIAM, VT VERVM DISCAS DICERE] A Dolius hæc ſic explanat, Dicis me mentiri, quia non verberaris, ſeu quia te non verbero. At iam faciam, vt verum dicas, cùm ſcilicet à me verberaberis. tunc enim te verberari dices, & verum dices. Verum hæc mihi non placet explicatio. Nam vt omnia inter ſe cohæreant, & congruant, qui dicit alterum mentiri, debet idem dicere, At faciam vt verum diſcas dicere. Nunc autem abſurdum eſt, eum, qui ab altero mendacij arguitur, dicere illi, à quo arguitur, ſe facturum, vt ille verum loqui diſcat. Maneo igitur in ſentẽtia, vt exiſtimem id omne quod eſt ab illo loco, *verbero* vſque ad verbum *dicere,* eſſe Mercurij orationem. POSSVM SCIRE, QVO PROFECTVS ES?] id eſt poſsúmne ex te cognoſcere, quò ire cogitaris, cùm profectus es? vel ſic, poſſum ſcire, quò intenderis, ex eo loco, vbi eras, proficiſcens? ſic loquitur etiam alibi: vt Aulul. *nunc, quò profectus ſum, ibo.* Idem Trucul. *propè eſt, profecta quò ſum.* ſubintelligendum autem eſt hoc loco, ſis. vt ſit, *profectus ſis?* EGO TIBI ISTAM HODIE SCEL. COMPR. L.] horum quidem verborum ſententia, vt à ſeruo Soſia accipiuntur, obſcœna, & flagitioſa eſt, & caſtis auribus, atque animis indigna: ſed tamen explicanda. Mercurius Soſiæ minatur, ſe loquacitatem, & argutiam eius compreſſurum. At Soſia ſic accipit, quaſi Mercurius minetur ſe Soſiam irrumaturum. Itaque reſpondet Soſia. non potes me irrumare. linguam enim habeo pudicam, non fellatricem, neque impudicam. ſic in Rud. *Si ille te comprimere ſolitus: hic noſter nos non ſolet.* Iocus igitur B eſt ex ambiguo. PERGIN ARGVTARIER?] id eſt pergíſne argutè loqui? SINGVLOS] ſingulis noctibus vnum. LOCAT] collocat, ponit. [ADVENISSE FAMILIAREIS DICITO] dicito Creonti aduenisse Amphit. & eos, qui ſunt ex eius familia. ACTVTVM] citò. Cariſius. FAMILIARIS ACC. FAXO H. F.] tu qui familiarẽ te dicis, accipieris nõ vt familiaris, ſed vt alienus, & inimicus, aut hoſtis. *Faxo accipieris,* locutio Plauto familiaris, & valde vſitata. quod genus in indice colligetur. Præterea in hoc genere loquẽdi, *familiaris familiariter,* ineſt venuſtas non parua. HORVM] Amphitruonis, & Alcmenæ. AT SIN' QVOMODO FACIAM EGO TE SVPERBVM &c.] Iocus παρὰ προσδοκίαν ſimul, & ex ambiguo. ſuperbi ſunt, elati, magnifici, opulẽti, qui ſublimes ſunt in equo, aut curru, aut rheda: aut qui à ſeruis portantur. Rurſus, qui plagis contuſi, & debilitati ſunt, & qui grauia vulnera acceperunt, ij, quod pedibus ambulare nequeunt, auferantur ſublimes neceſſe eſt. atq. hac ratione ſuperbi dici poſſunt. Sic igitur Mercurius, ſcis ne quomodo te hodie ſuperbum, id eſt elatum faciã, niſi hinc abis? Cui Soſia, *quomodo?* inquit. *auferêre,* inquit Mercurius, *non abibis, ſi ego fuſtem ſumſero.* Hæc eſt reſponſio præter exſpectationem. Soſia enim, aut ipſi ſpectatores exſpectabant, aliquid Mercurium reſponſurum, quo Soſia lætaretur. At ille præter omnium exſpectationem reſpondet, ſe C Soſiam fuſte debilitaturum, vſque adeò, vt ſuis pedibus abire non poſſit, ſed ab aliis auferendus ſit. Sic in Curcul. *tu auferêre hinc à me ſi perges mihi Male loqui, profectò. cui ego, niſi malum, nihil debeo.* Huc pertinet illud Ciceronis lib. 5. accuſationis. *Sic nonnumquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. Iſte enim, prætor ſeuerus, ac diligens, qui populi R. legibus nunquam paruiſſet, illis legibus, quæ in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat. Itaque erant exitus eiuſmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio auferretur: alius tanquam occiſus, relinqueretur,* &c. Et illud Homeri, ἰλ. ρ. non longè à princip. οὐδὲ ἑ φημὶ πόδεσσί γε οἷσι κιόντα Εὐφρῆναι ἄλοχόν τε φίλην, κεδνούς τε τοκῆας. id eſt & eum nego ſuis pedibus euntem, oblectaturum vxorem caram, & venerandos parenteis. vel ſic, & nego eum ſuis pedibus è prælio abiturum, ſed ab aliis ablatum, mortuum, ſuæ vxori, & parentibus iniucundum ſpectaculũ præbiturum. Poſtremò φέρεσθαι, ſeu ferri ſępe locum habet, & verò propriè, in mortuis, vt notat Euſtathius ἰλιάδ. ψ. ibi. φέρον πάτροκλον ἑταῖροι, id eſt ferebant Patroclũ mortuum ſodales, & ſocij. Sic igitur hunc locum explico. Sed Nonius in voce *ſuperbos,* docet, ſuperbos à veteribus, mortuos eſſe dictos. Deinde profert hæc Plauti verba. hoc tantum. Ex quo licet intelligere, Nonium ex hoc Plauti loco, exiſtimaſſe, ſuperbum à veteribus poſitum eſſe interdum pro mortuo: & hîc ſuperbum valere mortuum, propterea ſcilicet, quod mortui D in funere ſublimes efferebantur. QVIN MED HVIVS FAM. &c.] Immo verò ego me ex hac familia familiarem eſſe dico. Med huius, pro me huius, vſitatum veteribus. ſolebãt enim interponere litteram d. inter duas vocaleis duarum vocum diuerſarum. vt hîc, & infrà non longè *præter med alius,* pro præter me alius, & *med erga* pro me erga, & alia ſexcenta ſimilia. VIDESIS] vide ſi vis. DOMO PROHIBERE] Virgil. lib. 1. Æneid. *hoſpitio prohibemur arenæ.* POSTVLAS?] æquum cenſes? ἀξιοῖς; PRÆFECTVST THEB. LEG.]. præeſt Thebanis legionibus, Creontis iuſſu. QVICVM] cum quo. MALO TVO] ſic ſuprà, *Olet homo quidẽ malo ſuo.* COMPOSITIS MENT.] comparatis, & de induſtria ſtructis mendaciis. ſic dixit, cõponere ſycophantias, in Bacchid. *Nunc pater mi, proin tu ab eo vt caueas tibi, Sycophantias componit, aurum vt abs ted auferat.* Idem Pænulo. *compoſita eſt fallacia.* AVDACIÆ COLVMEN] hoc eſt, homo omnium mortalium audaciſſime: audacium princeps: ipſa audacia audacior. columen, eius rei, cuius eſt columen, validius ac firmius ſit, neceſſe eſt. ſic Terent. Phorm. *Oh bone cuſtos ſalue. columen verò familiæ,* &c. ad quem locũ notat Donatus columen, vel culmen, vel columna. Idem ibid. columen, ſuſtentatio, vel decus. M. Tull. lib. 3. Accuſ. *Timarchides autem, columen familiæ veſtræ, premit fauceis defenſionis tuæ.* Idem pro Sext. *Vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen reip. diceres intueri.* CONSVTIS DOLIS] ſic loquitur Pſeud.

Quid



A *Quid ſi hice inter ſe conſenſerunt, Calipho, Aut de compacto faciunt conſutis dolis?* ſic Græci ῥάπτειν δόλους μηχανάς. Dionyſ. Halycarnaſ. lib. 3. pag. 106. δειναὶ γάρ ὦ τύλλε, μηχαναὶ πλέκονται καθ' ἡμῶν, καὶ δόλος ἄφυκτος ἔρραπται κατ' ἀμφοτέρων. id eſt graues enim machinæ, ô Tulle texuntur aduerſus nos, & dolus ineuitabilis, ſiue inexplicabilis aduerſus ambos conſutus eſt. Idem ibidem δόλον ῥάπτουσι τοιόνδε. Euripides in Andromacha. ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν Sophocles in Oedipo tyranno. de Tyreſia, φεὶς ὑμάγοντο ιόνδε μηχανορράφον. Hom. ὀδυσ. π μάργε, τίη δὲ σὺ τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε Ῥάπτεις, οὐδ' ἱκέτας ἐμπάζεαι, οἷσιν ἄρα ζεὺς μάρτυρος; οὐδ' ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν. id eſt, Stulte, quamobrem Telemacho mortem, & diem extremum conſuis, neque ſupplices reuereris, quibus Iupiter teſtis eſt? nam nõ eſt pium mala ſuere alterum alteri. IMMO QVIDEM TVNICIS CONS.] iocus ex nomine quæſitus. CERTE PEDIBVS NON TVNICIS] alius iocus ex interpũctionis, ſeu diſtinctionis mutatione natus. Dixerat enim Soſia, ſe aduenire, tunicis conſutis, non dolis. Mercurius autem reprehendens, ait eum venire pedibus, non tunicis, quaſi coniunctim, dixerit, aduenio tunicis. INGRATIIS] inuitus velis, nolis. de hoc ſuprà. NON ARBITRARIVM] id eſt non incertum, neque in ſententia arbitri poſitum. Et fortaſſe ſpectauit differentiam arbitrij & iudicij: quã ſic M. Tull. explicat in oratione pro Q. Roſcio Comœdo. *Aliud eſt iudicium:* B *aliud arbitrium. Iudicium, eſt pecuniæ certæ: arbitrium incertæ, ad iudicem hoc modo venîmus, vt aut totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrum hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum, quantum poſtulauimus, conſequamur,* &c. Licet etiam ſic hunc locum explicare. Hoc profectò certum eſt, quòd nunc vapulas: non arbitrarium, id eſt non in arbitrio tuo poſitum: non arbitrij tui. Omnino priorem explicationem malo. TVAM FIDEM OBS.] Soſia vapulãs vel ſimul vt vapulauit, Mercurij fidem implorat, atq. obſecrat. Videtur enim contra fidem ſuam facere, qui alterum immerentẽ verberat, aut iniuria afficit. Non poteſt autẽ dici, hîc *fidem,* ſignificare opem, & auxilium, vt apud Terent. Andr. ex ſententia Donati ibi. *Nihilne eſſe proprium cuiquam? Dij voſtram fidem.* ad quæ verba notat ille, fidem dixit, opem, & auxilium, vt *Tyrrhenámque fidem.* PRÆ VT FVTVRVM EST] præ eo, quod futurum eſt. Sic Mil. glor. *nihil hercle quidem hoc, Præut alia, quæ dicam.* Idem Mercat. *Pentheum diripuiſſe aiunt Bacchas. nugas maximas Fuiſſe credo, præut quo pacto ego diuorſus diſtrahor.* NAM PVGNIS VSV. F. T.] id eſt verberando, & cædendo pugnis, feciſti me tuum, vſu, id eſt vtendo me ad plagas accipiendas, pugnóſque tuos perferendos. vſu facere ſuum, ſic dictũ, vt vſucapere: ex quo vſucapio. PRO FIDI THEB. C.] Prò, vos inclamo, ciues Thebani, qui fidi eſtis. Nonnulli hîc legũt, *Prò fidem,* & ſubintelligũt, *imploro veſtrã.* VT ESSET QVEM] C vt eſſet tibi aliquis, quem tu, &c. ITA DII FACIANT VT TV P. S.] Ita dij faciant, inquit, vt tu potius quàm ego, ſis Soſia: nẽpe, vt tu vapules, ego te verberem. ETIAM MVTIS?] etiam ne mu facere audes? etiam ne muſſas? mutire & muſſare, dicta ſunt à littera μῦ: quam ſolam, & nullam præterea, muti proferre poſſunt. Varro lib. 6. Plautus Bacchid. *Impinge pugnum ſi mutiuerit.* Idem Curcul. *non mutit cardo. eſt lepidus.* Idem Menæchm. *etiámne impudens Mutire vnum verbum audes, aut mecum loqui?* Terent. Andr. Itaque *Hercle nihil iam mutire audeo.* ad quem locum Don. Ennius: *nec dico, nec facio mu.* Vnde & mutos dicimus, quod Græci dicunt μύειν Qui totus locus apud Donatum hodie in libris vulgatis corruptus eſt. Iterum Terent. Hecyra. *Neque opus eſt adeò mutito.* mutito, inquit Donatus, id eſt, vel tenui dicto. NEMO, NISI Q.] ſic apud Hom. ὀδυσσ. ι. Vliſſis qui vocetur, rogatur, reſpondet Οὖτις ἔμοιγ' ὄνομ' ἐστ' οὖτιν δέ με κικλήσκουσι Μήτηρ, ἠδὲ πατήρ, ἠδ' ἄλλοι πάντες ἑταῖροι ſed alio conſilio, & propter aliam cauſam. SOCIENNVM] ſocium. Idem in Aulul. Ibo intro, atque illi ſocienno tuo iam interſtringam gulam. ſed hic verſus, *nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui d,* claudicat, niſi legamus, Namque Amphitruonis &c. SCIEBAM] legendum fortaſſis eſt, *Scibam*: aut *Sciebam* duarum ſyllabarũ faciendum eſt. FVGIT TE RATIO] id eſt errasti. ſic loquitur Catullus in Carm. D de Var. ſcorto. *Iſtuc, quod modò dixeram me habere, fugit me ratio.* ſumtum fortaſſis ab iis, qui in ratione ducenda errant, vel potius ab iis, qui non attendunt animum ad id, quod agitur: qui aliud agunt: quorum denique animus alibi eſt, quàm ibi, vbi corpus eorum eſt. idcirco aliud loquuntur, quàm quod ſentiũt, aut quod opus eſt. ſic idem fere dixit, Bacchid. *Vbi me fugiet memoria* &c. & Milite glor. *At nemo ſolus ſapit. nam ego multos ſæpe vidi Regionem fugere conſilij prius, quàm repertã habere.* VTINAM ISTVC PVGNI FECISS. T.] vtinã tui pugni me fugiſſent, & ita me non attingerẽt. vel vtinam te fugiſſent. id eſt vtinam pugnis careres. vtinam pugnos habere deſiiſſes. QVEM TV DVDVM ESSE AIEB. M.] vel legendum, *quem te d.* vel ſubintelligendum *te.* PER PACEM LICEAT] pace tua liceat: ſine tua offenſione liceat. INDVTIÆ] indutiæ ſunt belli feriæ, inquit Varro, lib. de bello, & pace, vel pax caſtrenſis paucorum dierum, vt refert Gellius lib. 1. cap. 25. Idem Gellius indutias dictas eſſe arbitratur, quaſi tu dicas, *inde vti iã. Pactum indutiarum eiuſmodi eſt,* inquit, *vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur: ſed ex eo die poſtea, vti iam, omnia belli iure agantur. Quod dicitur dies certus præfinitus, pactúmque fit, vt ante eum diem ne pugnetur, atque is dies vbi venerit, inde vti iam pugnetur: idcirco ex iis, quibus dixi, vocibus, quaſi per quendam coitum, & copulam, nomen indutiarum connexum eſt.* Donatus apud Terent. Eunucho, *Indutiæ,* inquit, *ſunt pax in paucos dies, vel quòd in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant.* Nõnulli alij ab initu indutias ductas eſſe volũt, quòd, pactis indutiis, alteris ad alteros vltro, citróque ſine pugna im-

pune ire licet,ex quibus omnibus etymologiis intelligere licet, hoc nomen ſcribẽdum eſſe cum A t. in tertia ſylla. non cum c. Indutias Græci ἐκεχειρίας appellant ſignificantiſſimo vocabulo , à verbo ἔχω, & χεὶρ , quod per induttiarum dies abſtineantur , ſeu contineantur manus à pugna. TVÆ FIDEI CREDO?] poſsim ne tutò ſine aliquo ſponſore locuplete,tuam vnius fidem ſequi,& me tuæ fidei committere? QVID SI FALLES?] me , vel fidem tuam. ſed dic, *me*, potius. vt in illa antiquiſſ. iurandi formula, *ſi ſciens fallo*. M. Tull. epiſt.ad Mariũ. *Is iurare cùm cæpiſſet: vox eum defecit in illo loco. Si ſciens fallo*. Propert.lib.2. Eleg. 20. *Oſſa tibi iuro per matris, & oſſa parentis: Si fallo,cinis,heu,ſit mihi vterque grauis*. Idem lib.4.eleg.ad Cinth. *Iuro ego fatorum nulli reuocabile carmen: Tergeminúſque canis ſic mihi molle ſonet: Me ſeruaſſe fidem.ſi fallo,vipera noſtris Sibilet in tumulis, & ſuper oſſa cubet*. TVM MERCVRIVS SOSIÆ IR.] tum,id eſt, ſi ſciens fallo. Iocus. Nam cùm ſit ignotus Soſiæ Mercurius , cúmque ſe Soſiam eſſe prædicet : malum ſibi precari putatur à vero Soſia,ſi fallat: cùm re vera Mercurius malum ei precetur.proinde ac ſi ita dicat,tum ego tibi iratus ſim,ſi fallam,ſcilicet: ſeu ſi fallo. Porrò autẽ deos ſibi habere iratos vult nemo. Hinc illud loquendi genus antiquiſſ. *quis illi dij irati:* de quo ſuo loco. VT VT ES F.] id eſt quomodocunque es facturus. Donatus ad illud Terentij Andr.*Iam vbi vbi erit , inuẽtum tibi curabo* &c.notat, *vbi vbi*, in prima parte vim ſuam tenet : in poſteriore productionem : & eſt quemadmodum vt vt,qua qua,vnde vnde:pro vbicunque,vtcumque,quacumque,vndecũque. B TV ME VIVVS HODIE N. F.] Tu viuus nunquam facies, vt non ſim Soſia . Numquam me facies quin ſim,dictum more Græcorum,& Comicorum, pro nunquam me facies non eſſe: id eſt,nunquam facies vt non ſim.Sic autem legendum,vt edidi,& vt ante ediderat Camerarius, *Tu me viuus hodie nunquam,* &c.non,vt quidam volunt, *tu me viuo,* &c.quam lectionem, & verſus ratio,& ſententia reſpuunt. Adde quòd reclamant libri veteres,qui habent *viuus* : quibus cum congruunt omnes vulgati. Sententia autem in promptu eſt. tu viuus nunquam facies,&c. ergo multo minus mortuus.vel ſic. tu excedes è vita,ſeu moriere prius,quàm iſtuc facias . Quòd autem alij nonnulli,qui item legunt *viuo*,pro *viuus* , volunt hæc eſſe verba Soſiæ,vſque ad, *Hic homo*,&c.non placet.ſunt enim hæc,Mercurij:&,quæ deinceps ſequuntur, Soſiæ, par pari Mercurio referentis. Quemadmodum enim Mercurius dixit, Tu quandiu viues, nunquam efficies , vt non ſim Soſia:ita Soſia,par referens,reſpondet, Certè nũquam me alienabis ab hac familia noſtra , quin ſim huius familiæ ſeruus , & familiaris. TV ME ALIENABIS NVNQVAM] nunquam me , qui ſum familiaris, & domeſticus, alienum facies. NOSTER] è familia noſtra , vel Amphitruonis , heri noſtri , ſeruus. PRÆTER MED ALIVS] præter me alius. QVOD MIHI PRÆDICAS VIT. &c.] qui me dicis inſanum eſſe,tu ipſe es. Iam inſania, C animi vitium eſt. MALVM] interiectio eſt hoc loco,malum : qua vtitur Plautus millies. infrà ead.comœd.*Quas malùm,nugas*? idem Captiu.*Niſi ſi meo aliquam corde machinor,aſtutiam*.Quam?malùm,quid machiner? cætera exempla collecta reperientur in indice. Terent. Eunucho. *Qui malum alij* ? ad quem locum Donatus , malùm , inquit , per parentheſin ſuauiter infertur. Plautus in Epidico. Quæ malùm hæc impudentia eſt ? Et non interponitur , malum , niſi oculis conuerſis ad eum , quid , quod reprehendimus , dixerit . Itaque *malum* , nunc interiectio eſt. HAC NOCTV] hac nocte. Sic veteres loquebantur , vt refert Macrobius libro 1. cap. 4. teſtem Ennium producens annalium. Qua Galli furtim noctu ſumma arcis adorti Mœnia concubia,vigiléſque repente cruentant.Idem annal.3.*Hac noctu filo pendebit Etruria tota*.EX PORTV PERSICO]id eſt,ex mari Euboico,quòd in eo ſteterit claſsis Perſarum.Feſtus. NON VIGILO?] quaſi dicat,non dormio,neq. dormito,neque vigilans ſterto,ſed planè vigilo. MALÆ] maxillæ. QVID IGITVR DVBITO?] domum introire? EMENTITVS] es ſubintell. quod eſt Plauto vſitatiſſimum. SOLVTA EST NAVIS] Sic in Sticho. *Hodie ſoluta eſt nauis aliquanto prius*. Sic Horat.epod.od.x. *Mala ſoluta nauis exit alite,* & *ſoluere nauim*. dicũt Latini,plena,ſeu integra locutione.Plaut.Mil.glor. *Niſi eat, te ſoluturum eſſe nauim ventum operam dare*. Idem D Merc. *iiſce confectis,nauim ſoluimus*. Dicunt & *ſoluere* ſimpliciter,nec adiecta voce *nauim*. Cicer.lib. 7. epiſt.ad Att. Idem lib.3.de Off. *Si idem ſciat complureis mercatores Alexandria ſoluiſſe,* &c. Idem pro Murena. *Quòd ſi è portu ſoluentibus ij, qui in portum ex alto inuehuntur , præcipere ſummo ſtudio ſolẽt,*&c.Tacitus lib.2.*Nec Piſo moratus vltra naueis ſoluit*.&c. ET VBI PTERELA REX REGNAVIT,&c. ] & oppidum, in quo Pter. r. reg. exp. VI PVGNANDO] vi & virtute,non pactione.Græci dicunt κατὰ κράτος:quod notarat Boſius. OBTRVNCAVIT] interemit. ſuprà de hoc verbo. AVTVMARE] dicere. Nonius. MEMORAT MEMORITER] aduerbium & verbum cui adiungitur,eiuſdem originis.talia ſunt illa , *propere properas, ſapienter ſapit, memoriter meminiſſe*. quæ indicabuntur ſuis locis , & collecta ſub vno quaſi aſpectu ponentur in indice. PTERELA REX QVI POTITARE &c.]ordo eſt , datũ eſt ſubintellige,vel repete ἀπὸ κοινοῦ,id,*qui*,id eſt quo,Pterela rex potitare ſolitus eſt, videlicet patera aurea. OBSIGNATA SIGNO EST] pleonaſmus. CVM QVADRIGIS SOL EXOR.] ſol exoriens cum curru à quatuor equis tracto:vel cum quatuor equis currui iunctis.Signis quibus obſignarent,vtebantur antiqui vel ſuis ipſorum imaginibus , vt Plautus Curculione ſignum noſce?noſtim? LY.quídni nouerim? Clypeatus elephantum vbi machera diſſicit. Pſeud. *Ea cauſa miles hîc reliquit ſymbolum, Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem*. vel maiorum ſuorum. Cicer. Catil.



A Catil.3.*tum oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui,cognoſcerẽtne ſignum. annuit.Eſt verò,inquam,ſignũ quidem notum,imago aui tui,clariſsimi viri,qui amauit vnicè patriã, & ciueis ſuos: quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta reuocare debuit*. Vtebantur & imaginibus, quas arbitrio ſuo ſumebant: vt ex Auguſto intelligere licet: de quo ſic Suetonius. *In diplomatibus,libelliſque, & epiſtolis ſignandis initio Sphinge vſus eſt: mox imagine Alexandri Magni,nouiſsimè ſua,Dioſcoridis manu ſculpta : qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeuerarunt*. Sic Amphitruo vtebatur pro ſigno , ſole cum quadrigis exoriente. QVID ME CAPTAS CARNIFEX?] quid me captas,id eſt,quid me capere conaris ? quid mihi inſidiaris,vt me capias? Sic idem infrà ead. comœd. *Me captas,quia tute ab naui clanculum huc alia via Præcurriſti,* &c.ibidem. *Tu ſi me captas impudicitiæ,non potes capere*. Terent. Hecyra. *Iniurium eſt autem vlciſci aduerſarios? Aut qua via captent te illi,eadem ipſos capi?* ARGVMENTIS VINCIT,&c. ] hæc loquitur Soſia,ad ſpectatores verſus. ALIVD NOMEN QVÆRENDVM EST M.]quàm Soſiæ,ſcilicet. nam hic vincit,ſe Soſiam eſſe. LEGIONES CVM PVG. MAXIMÈ ]ſuprà. *Nam cùm illi pugnabant maximè, ego tum fugiebam maximè*. INDE IMPLEVI CYRNEAM] Secutus ſum Nonium,qui ita legit,& codicem Huraltinum, in quo ita ſcriptum eſt, nõ *hirneam*, vt habent omnes libri vulgati , & nonnulli manuſcripti. Eſt autem cyrnea, ſeu cirnea , vt docet Nonius,vas vinarium.Deinde profert hunc verſum. INGRESSV'ST VIAM] allegoria eſt. B ſignificat enim,eum,non aberrare à recta regione,& via veritatis. Sic fere in Pſeud. *is leno viam*. EAM EGO ITA VT MATRE FVERAT N. V. ED. M.] eam cyrneam vini meri,ita vt matre fuerat natum,id eſt ita vt ex vite,ſeu ex vua fuerat expreſſum,eduxi,id eſt ebibi,ex hauſi.exſiccaui.hæc verba igitur,ita vt matre fuerat natum,valent,merum,non dilutum. nam vinũ, cùm ex vua naſcitur,merum eſt.educere autem,hoc eſt ebibere: quemadmodum ducere, bibere. Horat. *ducere nectaris Succos*. oda. 3. lib.3. &, *ſed preſſum Calibus ducere Liberum Sigeſtis*, &c.oda.12. lib.4.& M.Tull.Tuſcul.1,*obduxit venenum,vt ſitiens*. MIRA SVNT] Mirum eſt. Sic Plautus loquitur millies. EBIBERIM] eduxerim vt ſuprà,non longè. TV NEGAS MED ESSE?] Tu negas me eſſe? d.interpoſitum cauſa verſus,vel vt vitetur hiatus,ſi e. non elideretur. QVID EGO NI N.] quid ni ego n. NAM INIVRATO, SCIO, PLVS CR. M.] Sic M. Tull. Actione prima. *Nec tamen eo animo ſum,vt eo iudice,quàm prætore,hanc rem tranſigi malim: & iurato ſuam, quàm iniurato aliorum tabellas committere*. Idem pro Roſcio Comœdo. Tibi verò , Piſo , diu deliberandum,& concoquẽdum eſt,vtrum potius Chereæ iniurato,in ſua lite, an Manilio,& Luſcio iuratis in alieno iudicio credas. SALTEM]ſaltem,eſt quod barbari dicunt,ad minus,Itali almanco: Galli,à tout le moins: Germani. Donatus ad illud Terẽtianum.Andr. *vt aliquot* C *ſaltem nuptiis prodat dies*,notat: ſaltem deſperatis rebus ſolam petentes ſalutem,hoc verbo vtimur. Ex quibus verbis intelligere licet,hanc vocem natam eſſe à re militari,atque adeò à captiuis,qui nihil aliud à victore,quàm ſalutem,petant. quod ab eodem Donato in Adelph.traditum eſt, ad illud. *Meum mihi reddat , ſaltem quanti emta eſt,Syre*. Sic crebrò apud Homerum victi & capti illud vſurpant ζώγει id eſt cape me viuum. noli me interimere, ſed ſerua, vt me abs te prætio redimam. IGNOBILIS] ignotus,& ſine nomine: vt omnes homines te ignorent.Nam huc pertinet quod infrà dicitur. *Niſi etiã is quoque me ignorabit*. ſic in Pſeud. *peregrina facies videtur*. CONTEMPLO] contemplor.Notat Nonius veteres dixiſſe contemplo pro contemplor, profértq; cùm alia ex aliis ſcriptoribus exempla,tum illud præterea ex Plauto in Aſin. *meum caput contemples*. IN SPECVLVM INSPEXI] ſic loquitur Terent. Adelph. *Poſtremò tanquam in ſpeculum, in patinas Demea Inſpicere iubeo* : &c. SIMILIST] ſimilis eſt. ſic autem legendum,vt edidimus, non *ſimil'eſt* : quamquam ſcio nõnullis hoc placere,ſimil'eſt, pro ſimilis eſt. SVRA] ſura pars tibiæ poſterior, & craſsior , pulpa cruris. γαστροκνημίαν nominant Græci,quaſi tibiæ ventrem. Idem Plautus Pſeud. *vbi ſuram adſpicias,ſcias poſſe eum gerere craſſas compedes*. TONSVS] tonſus pro tonſura,vt docet Nonius,hunc locũ proferens.profert & verſum ex Accio, Amph.*ſed quænam hæc* D *eſt mulier,funeſta veſte,tonſu lugubri?* NASVM] naſum in neutro genere dixiſſe veteres indicat & Nonius,teſtem citans Lucilium lib. 7. *Queis oculi non ſunt,neque naſum,*&c. idem lib.22. *Naſum rectiu' nunc homini'ſt,ſuræq́, pedéſque*. DENS, LABRA] ſic legendum,non vt vulgò, *vel labra*. Nam preter quàm ratio vulgatam lectionem refellit, codicis Huraltini litura in hoc loco,ſcripturam, quam reſtitui,adiuuat. enumerantur autem hîc omnia alia ἀσυνδέτως,vt dubium non ſit,quin, *vel labra*,mendoſum ſit. TOTVS] ſubintell.ſimilis eſt mihi. CICATRICOSVM] ex verberibus. NOVI HERVM, &c.] ſic in Menæchm. *Saluus ſaluos alios video,noui homines, alloquor*. SANÈ SAPIO, ET SENTIO] id eſt non deſipio , non ſum ſenſus expers. φρονῶ, καὶ αἰσθάνομαι. οὐκ ἄφρων, οὐδ' ἀναίσθητός εἰμι. ſic in Mil.glor. *Mihi ego video,mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimum,*&c. PVLTABO]pulſabo,ſic veteres. QVO AGIS TE?]quo te confers? quo te capeſſis? QVADRIGAS SI NVNC INSCENDAS IOVIS, &c.] hyperbole.credibile enim eſt Iouis quadrigas eſſe celerrimas.ſic Aſin. *Nam ſi huic occaſioni tẽpus ſeſe ſubterduxerit , Nunquam edepol quadrigis albis indipiſcet poſtea*. & Aulul. *Quod iubeat,citis quadrigis citius properet perſequi*. & Pænulo. *Niſi ego illum iubeo quadrigis ad carnificem rapi*. eodem pertinet illud Horat. ſat.7. lib.1. *Siſennas,Barros vt equis præcurreret albis*. ITA VIX POTERIS EFFI.] ita,id eſt etiã cùm inſcenderis quadrigas Iouis,& iis vectus aufugeris. EFFVGERE] euadere. TVÆ SI QVID VIS, NVNTIARE: &c. ] id eſt tuæ heræ,ſi quid vis,nũtiare te ſinam: ſed hanc noſtram heram, non

tuam, adire non ſinam. licet etiam ita explicare, *Tuæ heræ, ſi quid vis, nuntiare licet.* vt verbum *licet* A
repetatur à ſuperiore. ſed mâlo verbum *ſinam* ſumi ἀπὸ κοινοῦ: vel bis poſitum intelligi. IRRITASSIS] irritaueris. LVMBIFRAGIVM AVFERES] hoc eſt, lumborum fracturam, ſeu lumbos fractos auferes. lumbifragium, nomen cōpoſitum, à Plauto fictum. cuiuſmodi ſunt alia ſexcenta, quæ collecta reperientur in indice, in voce nomina. VBI EGO PERII? VBI IMM. &c.] ſic Mil. glor. *Quid metuis?* So. *enim ne noſmet perdiderimus vſpiam.* VIVO FIT QVOD NVNQVAM Q. M. F. M.] id eſt mihi viuo, vel me viuo, imago mea præfertur, quod nunquam quiſquam faciet, me mortuo. Iocus ex imaginis mentione, & nomine quæſitus: & ad conſuetudinem Romanorum referendus. ſolebant enim maiorum imagines præferri in funeribus clarorum virorum. Cuius rei exemplum exſtat luculentum apud M. Tull. lib. 2. de Oratore, poſteaquam de Craſſi facetiis locutus eſt, ibi. *Quis eſt igitur, qui non fateatur, hoc lepôre, atque his facetiis non minus refutatum eſſe Brutum, quàm illis tragœdiis, quas egit idem, cùm caſu in eadem cauſa funere efferretur anus Iunia?* ſequitur paucis pôſt. *Brute quid ſedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis?* Hoc igitur ſignificat Soſia ſe viuo, præferri imaginem ſuam, cum tamen, ipſo mortuo, quando efferetur, nemo imaginem eius ſimilem, funeris honeſtandi cauſa, ſit laturus. Namque in ſeruorum funere nullæ præferri imagines ſolebant. Non diſſimilis eſt huic ille locus in Moſtell. *Ludos ego hodie viuo, præſenti hîc ſeni Faciã,* B
*quos credo mortuo nunquam fore.* Nam in funere clarorum virorum ludi funebres inſtituebantur. ME IGNORABIT] me non cognoſcet, ſeu agnoſcet, ſic idem infrà ead. comœd. *quem omnes mortales ignorant.* ſic Terent. Heautont. *Et me ignoras, Clitipho.* Idem Eunucho. *Quid? iſti te ignorabant.* QVOD ILLE FACIAT IVPITER] *Ille* pronunciandum ſublato cælum verſus digito. faciat ille Iupiter, inquit, vt Amphitruo me ignoret. nam hoc ſi contingat, eadem opera ſim liber, ſcilicet. Itaque ſubiungit, quare id optet. VT EGO HIC HODIE RASO CAP. C. C. &c.] id eſt vt fiam liber. Nonius, *Qui liberi fiebant, inquit, ea cauſa calui erant, quòd tempeſtatem ſeruitutis videbantur effugere, vt naufragio liberati ſolent.* Plautus Amphitruo. *vt ego hîc hodie* &c. Plutarchus in Tito Flaminino. οἱ γὰρ ἄνδρες οὗτοι καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς οἰκέταις, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλὰς, καὶ πιλία φορεῖν ταῦτα δράσαντες αὐτοὶ, τῷ Τίτῳ θριαμβεύοντι παρείποντο. id eſt, hi enim viri quemadmodum conſueuerunt ſerui, vbi manu miſſi fuerint, raſis capitibus pileos gerere, ita ipſi ornati Tito triumphanti comites ſe præbuerunt. Appianus de bello Mithridat. de Pruſia loquens. ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς εἵματι Ῥωμαϊκὸν ἀμεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικὰ, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος, ὥσπερ ὅπω τινὲς ποιοῦσι τῶν ἐν διαθήκαις ἐλευθερωθέντων, C
&c. id eſt Pruſias obuiam proceſſit Romanorũ imperatoribus togatus, & Italico more calceatus, capite raſo, & pileatus, quomodo ornati nonnulli prodeunt in publicum, eorum qui in teſtamentis libertate donati ſunt. Suetonius in Tiberio. *ac primò Præneſte, inde Neapolim euaſit: ſeruiſq. ad pileum fruſtra vocatis,* in Siciliam profugit. Idem in Nerone Claudio. *obiit xxx. & ſecundo ætatis anno, quo die quondam Octauiam interemerat. tantúmq. gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe diſcurrerit.* Itaque Caſtor & Pollux, qui ſotêres, id eſt ſeruatores, & liberatores Græciæ dicuntur, pileati fingebantur, quia pileus ſit inſigne libertatis. quamquam alij hanc eius rei cauſam afferunt, quod eſſent Lacones: Lacedæmonij autem pileati pugnarent. Sic enim Feſtus, Pilea Caſtori, inquit, & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos eſt. Quid quòd Lares quoque pileati fingebantur? quod ego vidi nuper in nummo argenteo, quem mihi oſtendit Clemens Teueninus, homo & ſæpe antea à me honoris cauſa nominatus, & ſæpe poſthac nominandus. Sedent autem in eo, quem dixi, nummo, Lares, (percurram enim reliquũ illius nummi argumentum, quamuis non admodum ad id, quod nobis, in præſenti propoſitum eſt, pertineat) pelle canina amicti, canis circum pedes eorum ſtat. Vulcanus etiam pileatus, dimidiatus cum forcipe ſupra eorum capita poſitus eſt. In altera parte eſt Veiouis iratus, ſeu Appollo D
iaculator, & ſagittam mittens. Quoniam autem Pilei mentio incidit, ne hoc quidem adſcribere me pigebit, quod etiam ex illo nummo didici, valde eos falli, qui putant, pileũ & petaſum idem eſſe. Nam petaſus, vt ſuprà diximus, latus, & amplus erat, vt pote ad ardorem ſolis, & imbrem defendendum comparatus: pileus verò, non latior, quàm corporis figura, & magnitudo poſtulat. Seruius ad illum verſum Æn. 8. *Naſcenti cui treis animas Feronia mater,* notat Feronia, Nympha Campaniæ, quam etiam ſuprà diximus. Hæc etiam libertorum dea eſt: in cuius templo, raſo capite, pileum accipiebant. cuius rei etiam Plautus facit mentionem. *Quod vtinam ille faxit* &c. Poſtremo, vt ad nummos redeam, memini me videre in nummis Clementis Teuenini, quem ſuprà commemoraui, quatuor in quibus expreſſa erat Bruti effigies pileata, cum pugiunculis. quod ſignificat, Brutum liberaſſe populum Ro. tyranno interfecto. Ne hoc quidem præteribo A. Gellium tradidiſſe lib. 7. cap. 4. ſeruos, quorum nomine venditor nihil præſtaret, pileos venundari ſolitos. Tit. Liuius lib. 34. annalium: *Præbuerunt ſpeciem triumpho capitibus raſis, qui ſeruitute exemti fuerant.*





## MERCVRIVS.

A BEne proſperéque hoc hodie operis, proceſſit mihi.
Amoui à foribus maximam moleſtiam:
Patri vt liceret tutò illam amplexarier.
Iam ille illuc ad herum quom Amphitruonem aduenerit,
Narrabit ſeruum hinc ſeſe à foribus Soſiam
Amouiſſe: ille adeò illum mentiri ſibi
Credet: neque credet huc profectum, vt iuſſerat.
Erroris ambo ego illos & dementiæ
Complebo, atque omnem Amphitruonis familiam,
Adeò vſque ſatietatem dum capiet pater
B Illius quàm amat: igitur tum demum omnes ſcient,
Quæ facta, denique Alcumenam Iuppiter
Rediget antiquam coniugis in concordiam.
Nam Amphitruo actutum vxori turbas conciet,
Atque inſimulabit eam probri: meus pater
Eam ſeditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos,
Alter decumo pòſt menſe naſcetur puer,
Quàm ſeminatus, alter menſe ſeptumo.
Eorum Amphitruonis alter eſt, alter Iouis.
C Verùm minori puero, maior eſt pater,
Minor maiori: iámne hoc ſcitis quid ſiet?
Sed Alcumenæ huius honoris gratia,
Pater curauit vno vt fœtu fieret,
Vno vt labore abſoluat ærumnas duas,
Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri,
Et clandeſtina vt celetur ſuſpicio.
Quanquam, vt iam dudum dixi, reſciſcet tamen,
Amphitruo rem omnem. quid igitur? nemo id probro
Profectò ducet Alcumenæ. nam deum
D Non par videtur facere, delictum ſuum,
Suámque culpam expetere in mortalem vt ſinat.
Orationem comprimam, crepuit foris.
Amphitruo ſubditiuus eccum exit foras
Cum Alcumena vxore vſuraria.

BENE PROSPEREQVE HOC HODIE OP. PR.] felicem hodie exitum habuit hoc operis, quod confeci in Soſia amouendo à foribus. ſic loquitur Terent. Adelph. *meditor eſſe affabilis: & bene procedit.* & M. Tull. pro Rabirio Poſt. *cui bene quid proceſſerit, eum multum vidiſſe.* AD HERVM QVOM AMPHITR.] quom ad herum Amphitr. aduen. NARRAVIT SERVVM HINC SESE, &c.] ἀμφιλογία, narrauit ſeſe à ſeruo Soſia hinc à foribus eſſe amotũ. ERRORIS] tranſlatè poſuit errorem, pro eo mentis, aut animi affectu, quo id credit, quod non eſt: nõ credit quod eſt, vt hic Amphitruo putat vxorem eſſe deliram, aut cum alio viro rem habere. Alcumena putat ſe cum Amphitruone rem habuiſſe, quæ cũ Ioue habuerit, &c. ADEO VSQVE SATIET DVM] eò vſque dum pater libidinem ſuam explebit, Alcmenam com-

pleⅹus. CONCIET] commouebit, à verbo concio cis. INSIMVLABIT] Donatus ad illud Terentij, Phorm. *ſi herum inſimulabis auaritiæ, male audies.* notat: inſimulare, eſt crimen ingerere: inſimulatio, eſt falſi & veri criminis incuſatio. Cic. *nihil eorum, quæ Galli inſimulabant, negarunt.* PROBRI] adulterij, turpitudinis, flagitij. Feſtus, *Probrum, ſtuprum, flagitium.* Cecilius. *Ea tum compreſſa parit huic puerum, ſibi probrum.* EAM] eam vnius ſyllabæ eſt. SEDITIONEM] στάσιν, διάστασιν, diſſentionem, diſcordiam. IN TRANQVILLVM CONFERET] tranquillabit, ſedabit, in tranquillitatem rediget. ALTER DEC.] Alter puer, Iphiclus. SEMINATVS] ἐσπαρμένος ſatus, ab Amphitruone ſcil. AMPHITRVONIS ALTER EST] Iphiclus. ALTER IOVIS] Hercules. MINORI] Herculi, qui ſeptimo menſe pòſt quàm ſeminatus eſt à Ioue, naſcetur. MAIOR P.] Iupiter. MINOR] minor pater, Amphitr. MAIORI] Iphiclo, qui decimo menſe poſtquàm ab Amphitruone ſeminatus eſt, naſcetur. SED ALCVMENÆ HVIVS] poſtrema ſyllaba vocis Alcumenæ hîc nõ eliditur. VNO VT FOETV] vt vno onere, vnáque vt ita dicam, grauidatione, & fœcundatione. FIERET] hîc *fieret*, primã habet productam. VNO VT LABORE] vt vno labore vel grauidationis, vel partus. ABSOLVAT ÆRVMNAS DVAS] id eſt liberetur & ſoluatur ærumnis duabus, ærumnas appellat labores, & dolores partus, qui ſunt graues; & oneroſi. Feſtus, ærumnas à verbo Græco αἴρω quod valet tollo, dictas putat. Ideoque ærumnas; ſeu ærumnulas, docet eſſe furcillas, quibus viatores, aut geruli onera, & ſarcinas gerunt. Cariſius verò docet per e. ſolum ſcribi poſſe, quòd mentem eruat: vel per æ. quòd mœrorem nutriat. ET NE IN SVSP. PON. STVPRI.] & ne vocetur in ſuſpicionem ſtupri vocis *ſuſpicione* ſyllaba ſecunda, longa eſt. quòd eò ſcripſi, quòd nonnulli, & apud Plautum, & apud Terentium, in locum vocis *ſuſpicio, & ſuſpicionis* &c. ſuſpectionis nomen ſubſtituunt. non rectè. ET CLANDESTINA VT CEL. SVSP.] lego Et clandeſtina vt celetur ſuſceptio, vt per ſuſceptionem clandeſtinã, intelligamus vel clandeſtinam Iouis receptionem; & intromiſſionem in domum Amphitruonis, ab Alcumena, vel ſecundam conceptionem, quam ſuperfœtationem vulgò nominant. licet etiam per ſuſceptionem, intelligere filij ſuſceptionem, vt Latini dicunt, ſuſcipere liberos. ſed illud primo loco poſitum malo. RESCISCET TAMEN] Gellius lib. 2. cap. 19. *qui factum aliquod occultius, aut inopinatum inſperatúmque cognoſcit, is dicitur propriè reſcire.* lege cetera apud Gellium, Donatus ad illud Terent. in Hecyra. *Hoc vbi ſenex reſciuit,* &c. notat, *ſcimus quæ ad nos deferuntur: reſcimus celata.* NAM DEVM NON PAR VIDETVR FACERE &c.] ordo, & ſententia eſt, nam non videtur æquum, deum facere, id eſt committere, vt ſinat culpam ſuam expetere, id eſt recidere, erumpere, reſilire, redũdare, in mortalem, verbi gratia, in Alcumenam. ſic fere Nonius in verbo *expetere.* CREPVIT FORIS] Propterea quòd Athenis fores aperiebantur, & reuoluebantur publicam viam verſus, idcirco qui domo exire volebat, antequam foreis aperiret, & ianuam, ſeu valuam in publicum retorqueret, ſonitum aliquem vel manu, vel aliquo alio pacto edebat, ne ianua in aliquem prætereuntem non præmonitum irrueret. Sic apud Ariſtoph. ψοφεῖ τις ἔνδον, id eſt ſonitum edit aliquis intus. hoc eſt parat aliquis exire domo. Hoc pluribus verbis explicat Plutarchus in Poplicola: cuius verba non me pigebit huc adſcribere, quamuis ea relata ſint à Mureto lib. 1. var. lect. cap. 17. Sic igitur Plutarchus. Τὰς δὲ ἑλληνικὰς πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν, ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες, ὅτι κόπτουσι, καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔσωθεν οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γένοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλεισιάσιν εἰς τὸν στενωπόν. id eſt Græcorũ autẽ ianuas omnes antea taleis fuiſſe dicunt, à comœdiis hãc opinionem adepti, quia pulſant, & percutiunt ianuas ſuas intrinſecus ij qui ſunt in publicum progreſſuri, vt ij, qui prætereunt, aut qui ante eas fores ſtant, extra præſentiant, & ne deprehendantur à valuis in angiportum proiectis. SVBDITIVVS] ſubdititius. in locum veri Amphitruonis ſubditus. ὑποβολιμαῖος. VSVRARIA] cuius habet vſum fructum. ſuprà in Argumento. *Vxorem cepit Alcmenam vſurariam.*

(Margin letters A, B, C, D beside the commentary.)

## IVPITER, ALCVMENA, MERCVRIVS.

IVP. Bene vale Alcumena, cura rem communem, quod facis.
Atque imperce, quæſo, menſes iam tibi eſſe actos vides.
Mihi neceſſe eſt ire hinc: verùm quod erit natum, tollito.
AL. Quid iſtuc eſt mi vir negocij, quòd tu tam ſubitò domo
Abeas? IVP. edepol haud quod tui me neque domi diſtædeat.

Sed vbi



Sed vbi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,
A Citius quod non facto eſt vſus, fit, quàm quod facto eſt opus.
ME. Nimis hic ſcituſt ſycophanta, qui quidem meus ſit pater.
Obſeruatote, quàm blandè mulieri palpabitur.
AL. Ecaſtor te experior, quanti facias vxorem tuam.
IVP. Satin habes ſi fœminarum nulla eſt, quam æquè diligam?
ME. Edepol næ illa niſi fictis rebus te ſciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem eſſe malis, quàm Iouem.
AL. Experiri iſtuc mauellem me, quàm mi memorarier.
Prius abis, quàm lectus vbi cubuiſti concaluit locus.
Here veniſti media nocte, nunc abis. hoccine placet?
ME. Accedam, atque hanc appellabo, & ſupparaſitabor patri.
B Nunquam edepol quenquem mortalem credo ego vxorem ſuam
Sic efflictim amare, proinde vt hic te efflictim deperit.
IVP. Carnifex non ego te noui? abin' è conſpectu meo?
Quid tibi hanc curatio eſt rem, verbero, aut mutitio?
Quem pol ego iam ſcipione. AL. ah noli. IVP. mutito modò.
ME. Nequiter penè expediuit prima paraſitatio.
IVP. Verùm quod tu dicis mea vxor, non te mi iraſci decet.
Clanculum hinc abiui à legione, operam hanc ſurripui tibi:
Ex me primo prima ſcires rem vt geſſiſſem publicam.
Ea tibi omnia enarraui: niſi te amarem plurimum,
C Non facerem. ME. facítne vt dixi? timidam palpo percutit.
IVP. Nunc ne legio perſentiſcat, clàm illuc redeundum eſt mihi.
Ne me vxorem præuertiſſe dicant præ republica.
AL. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam vxorem. IVP. tace
Ne corrumpe oculos, redibo actutum. AL. id actutum diu eſt.
IVP. Non ego te hic lubens relinquo, neque abeo abſte. AL. ſentio,
Nam qua nocte ad me veniſti, eadem abis. IVP. cur me tenes?
Tempus eſt, exire ex vrbe priuſquam luceſcat volo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data eſt,
D Pterela rex qui potitauit: quem ego mea occidi manu,
Alcumena tibi condono. AL. facis vt alias res ſoles.
Ecaſtor condignum donum, qual'eſt qui donum dedit.
ME. Imò ſic condignum donum, qualeſt qoi dono datum eſt.
IVP. Pergin' autem, nónne ego poſſum furcifer te perdere?
AL. Noli amabo Amphitruo iraſci Soſiæ, cauſa mea.
IVP. Faciam ita vt vis. MER. ex amore hic admodum quàm ſæuus eſt?
IVP. Nunquid vis: AL. vt quum abſim, me ames, me tuam abſentem tamen.

ME. Eamus Amphitruo:luceſcit hoc iam. IVP. abi præ Soſia, A
Iam ego ſequar,nunquid vis? AL. etiam vt actutum aduenias.
IVP. licet.
Prius tua hic opinione adero:bonum animum habe modò.
Nunc te nox quæ me manſiſti,mitto,vt cedas die,
Vt mortalibus illuceſcas luce clara & candida.
Atque quanto nox fuiſti longior hac proxima,
Tanto breuior vt dies fiat. faciam,vt æquè diſparet,
Et dies è nocte accedat. ibo,& Mercurium ſubſequar.

CVRA REM COMM.] rem familiarem,& liberos. Nam inter virum, & vxorem omnia ſunt communia. ATQVE IMPERCE, QVÆSO]& tibi parce, quæſo. caue plus nimio maiorem laborem ſuſcipias,& ita vtero noceas,cum ſis ad pariendum vicina. vtitur hoc B eodem verbo & in Caſina ibi.*amabo,integræ, atque imperitæ huic impercito.* MENSES IAM TIBI ESSE ACTOS VIDES] menſes tibi exactos vides, quibus matureſcere partus ſolet. verbi gratia,menſes decem,more veterum,apud quos mēſes erant noſtris breuiores, vtpote 28. circiter diebus conſtantes. TOLLITO] tollito humo,atque educato,neque exponito.Solebant parentes,quos liberos in lucem primùm editos alere,nec exponere habebant in animo,iacenteis è terra tollere. ex quo tollere vſurpant Latini, pro alere, & educare, Terent. in Andria. *Quidquid peperiſſet,decreuerūt tollere.* ibidem. *Nam quod peperiſſet,iuſsit tolli.* Idem Heautont. *Meminiſti me eſſe grauidam, & mihi te magnopere interminatum.Si puellam parerem,nolle tolli?* C.*ſcio quid feceris:ſuſtuliſti.*Plautus in Trucul.*ſi,quod peperiſſem,id educarem,& tollerem.* Ex quibus exemplis intelligere licet, ſublationem filij communem eſſe patris & matris. DOMI] domus. DISTÆDEAT] valde tædeat. SED VBI SVMMVS IMPERATOR NON ADEST AD EXER.]γνώμη vbi(inquit)ſummus imperator abeſt ab exercitu,citius fit,quod factu non eſt vtile, quàm quod eſt vtile. SCITV'ST SYCOPHANTA] lepidus & venuſtus eſt impoſtor. Sycophanta vox quidem Græca eſt,ſed apud Græcos calumniatorem ſignificat:apud Latinos vero impoſtorem,& planum,& illuſorem. PALPABITVR] blandietur, aſſentabitur. Idem Mercat. *Hoc ſis vide vt palpatur,nullus eſt,cùm occepit,blandior.* Feſtus. palpari, blandiri. Proprie eſt molli, & leni C manu mulcere. ÆDEPOL TE EXPERIOR, Q. F.] ædepol experior, quanti me facias, qui tam citò à me diſcedas. ironia igitur eſt,non ſerius ſermo. SATIN' HABES, SI, &c.] ſatiſne habes,&c. NÆ ILLA SI ISTIS REB.] profectò ſi illa(Iuno)ſciat te iſtis rebus, id eſt furtis & adulteriis,ſeu furtiuis rebus,& amoribus operā dare,& cum mortalibus fœminis commiſceri,malis te eſſe Amphitruonem,quàm Iouem:nam illa irata te malè accipiet verbis atque acriter obiurget.Hæc loquitur Mercurius auerſa facie à Ioue,& Alcumena, ad ſpectatores. Scio autem hos verſus aliter vulgò legi.Sed hanc germanam ſcripturam eſſe arbitror.neq. mihi probatur illa lectio,neque eius ſententia. *Ædepol næ illa,* ſcilicet Alcmena, niſi fictis rebus rebus te ſciat operam dare,id eſt niſi ſciat te ſimulare quæ non ſunt vera,faxim,id eſt faciam,ſeu fecerim,vt te Amphitr.&c.id eſt vt tuas fortunas Iouis fortunis anteponas. Iam quod libri pleriq. veteres furtis,ſeu furtiuis rebus,gloſſæ ſunt,adſcriptæ primò ad oram libri, deinde in contextū tranſlatæ.EXPERIRI ISTVC MAVELLEM. &c.] Reſpondet his verbis Alcmena ad ea, quæ dixerat Iupiter.mauellem,id eſt,magis vellem,mallem. mauellem me experiri, veterū conſuetudine dictum,pro mauellem,ſeu mallem experiri. *Nam me* παρέλκει *.mi memorarier*, mi memorari,mihi dici. PRIVS ABIS, QVÀM LECTVS, VBI CVBVISTI, CONC. L.] D *lectus*, generandi caſus eſt,poſitum pro lecti. quod admonet Priſcianus libro 6.hūc locum proferens.Prius abis,inquit Alcumena,quàm lecti,in quo cubuiſti,locus concaluerit. HERE]heri. SVPPARASITABOR PATRI] paraſiti, & aſſentatoris parteis agam in patris gratiam. paraſiti,id eſt,aſſentatoris munere fungar patri inſeruiens.paraſiti ſunt, qui pabuli cauſa, alteri aſſentantur.Itaque cum muribus comparat eos poëta noſter in Perſa, ibi Veterem atque antiquum quæſtum &c. ſequitur. *Quaſi mures,ſemper edēre alienum cibum.* EFFLICTIM] valde, vſque donec effligatur. Sic Probus.Næuius.Coroll.Nolo ego hunc adeò efflictim amare. diu viuat volo,vt mihi prodeſſe poſſit.Nonius non ferè aliter efflictim. vehemēter Plautus Pænulo. *Earum hic adoleſcens alteram efflictim. perit.* Apuleius lib.3. Nunc etiam adoleſcentem quendam Bœotium ſummè decorū efflictim deperit. QVID TIBI HANC CVRATIO,&c.] quid eſt quod hanc rem cures?aut cur audes mutire?id eſt,quid eſt quamobrem vel mu facias? Verbalia in io regunt caſum ſui verbi. cuius rei innumerabilia ſunt apud Plautum, exempla: ex quibus vnum aut alterum colligamus.In Aſinaria.Quid tibi huc receptio ad te eſt meum virum?id eſt,quamobrem meum virum huc ad te recipis?In Aulul.Sed quid tibi nos, mēdice homo,tactio eſt?id eſt,ſed quid tu nos tangis? Sic in Curgul. *quid iſtum tibi tactio eſt?* id eſt, quid tu iſtum



A iſtum tangis? QVEM POL EGO IAM SCIPIONE] ſubintell. contundam, aut perdam, aut aliquid tale.ἀποσιώπησις quale eſt illud Virgil.lib.1. *Quos ego.ſed tantos præſtat componere motus.*Plautus in Perſa.Niſi ego illum hominem perdo.Terent.quem quidē ego ſi ſenſero.Idem Heautont.qui ſe vidente amicam patiatur ſuam.Geſtabat autem hic falſus Amphitruo, ſcipionem,ſiue ſceptrum,vt imperator. MVTITO MODÒ] hiſcito modò. proinde ac ſi dicat. & ſi nihil præterea,aut nihil amplius quàm muties, tamen ego te ob iſtuc vnum te malè multabo. NEQVITER PÆNE EXPETIVIT &c.] pœne malè & infeliciter mihi euaſit prima mea paraſitatio.pæne malum & infelicē exitum habuit mea prima paraſitatio. nequiter,id eſt, male, κακῶς. legendum autem *expetiuit*, quomodo edidi, non *expediuit*, vt habent libri vulgati. QVÒD TV DICIS] de eo,quod tu dicis,vel quòd attinet ad id, quod tu dicis. dixerat autem Alcumena, Amphitruonem nimis citò abire: eūm media nocte veniſſe, nunc abire &c. CLANCVLVM HVC ABIVI &c.] id eſt,furtim huc veni à legione.&c. Sic autem legendum,non vt vulgo, *Hinc abiui.* OPERAM HANC SVRRIP. TIBI.] operam hanc furtim ſumſi in tuam gratiam. operam ſignificat,quam dat vir vxori,cum fundum vxorium virili vomere colit,ac ſubigit,qua opera maximè delectantur mulieres. NON FACEREM]non feciſſem,non enarraſſem tibi illa omnia. PALPO PERCVTIT.]id eſt,quaſi blando,& leni manus B plauſu demulcet:quod valet,timidæ blāditur.Sic in Mercatore. *palpo percutis.* quem locū profert Nonius.mendoſè tamen *percutit*,impreſſum eſt, pro *percutis*, tractum eſt ab equis,quos magiſtri, & domitores,& domini,leniter manu tangentes,atque attrectantes, blandum quendā ſonitum manu edant: quem ποππυσμὸν, ſeu πόππυσμα Græci nominant. NE LEG. PERSENTISCAT] ne legio reſciſcat me huc veniſſe. Sic Terent.Heautont. *& ea gratia Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceret.* NE ME VXOR. PRÆ.] ne dicant milites me vxorem pluris feciſſe, quam remp.ne dicant me vxorem reip.antepoſuiſſe,præuortiſſe præ. rep. dictum. pro. præuertiſſe reip.profert hunc locum Nonius in *præuertere.* CONCINNAS] facis. Nonius hunc locū proferens. vel dic,concinnas lacrymantem,id eſt,lacrymare facis, lacrymoſam reddis. δακρυόεσσαν παρασκευάζεις. Sic autem ſæpenumero loquitur Plautus, exempli cauſa infra eadem comœd.*Nulla res tam deliranteis homines concinnat citò.*Idem in Capt. *qui me inſanū verbis concinnat ſuis.* NE CORRVMPE OCVLOS] lacrymis, quibus oculi rubeſcunt, & turgeſcunt. Catulus. *Veſtra nunc opera meæ puellæ Flendo turgiduli rubent ocelli.*Ouid.lib.1.de Arte am.*quid teneros lacrymis corrumpis ocellos?* Propertius in aliam ſententiam.lib.2. eleg.16. *Illa puellarum ingenuas corrumpit ocellos. Nequitiæq́; ſuæ noluit eſſe rudeis.* ID ACTVTVM, DIV EST] id breue tempus longum eſt C mihi,tui cupidæ,& amanti. NON EGO TE HÎC LVBENS] non lubens, ſed inuitus. CVR ME TENES.] cur me retines abeuntem? Alcumena Iouem, Pſeudamphitryonem abeuntem manu prehendens laſciuiam,retinebat,ac retrahebat.PRIVSQVÀM LVCISCAT]ſic legendum,& ita habent etiam noſtri veteres: quomodo & Camerarius ſe in ſuis ſcriptum reperiſſe teſtatur. NVNC TIBI HANC PATERAM &c.] Macrob. lib.5.cap.21. *Eſt autem carcheſium poculum Græcis tantùm notum. Meminit eius Pherecydes in libris hiſtoriarum, aitque Iouem Alcumenæ pretium concubitus carcheſeum aureum dono dediſſe. Sed Plautus inſuetum nomen reliquit, aitque in fabula Amphitruone, pateram datam,cùm longe vtriuſque poculi figura diuerſa ſit.patera enim,vt & ipſum nomen indicio eſt,planum, ac potens eſt:carcheſium verò procerum, & circa mediam partem compreſſum,anſatum mediocriter,anſis à ſummo ad infimum pertingentibus.* QVI POTITAVIT] qua crebrò potauit. qua potare ſolitus eſt. OCCIDI] obtruncaui ſuprà. CONDONO] dono. CONDIGNVM] dignum eo, qui donat,vt declarant quæ deinceps dicuntur. QVALIST] qualis eſt, Amphitruo, qui domum dedit.Nonius Marcell.legit hic. Cul'eſt,qui donum dedit,&docet,*cul'eſt*,poſitum eſſe pro qualis eſt,neutrum pro maſcul. Sed errat Nonius. nam à Plauto ſcriptum eſt, *qualiſt*, vel certè, *cualiſt*, pro qualis eſt.ſic ſuprà non lōgè, *ſimli'ſt*,pro ſimilis eſt. QVALIST QVOI. D. D.]qualis eſt D Alcumena. NOLI AMABO, AMPHITR. IR. SOS. C. M.] id eſt,noli iraſci Soſiæ propterea,quod de me locutus ſit,vel noli iraſci,hoc eſt, ignoſce Soſię,meis precibus adductus.hoc mihi gratificare,ne iraſcare Soſiæ. ADMODVM QVAM SÆVVS EST?] quàm valde iracundus eſt? NVNQVID VIS?] ſermo,quo vtebātur iamiam ab aliquo diſceſſuri. ſic in Aulul. *ibo igitur, parabo, nunquid me vis?* Idem Capt. *nunquid vis?* Heg. *venias tempori.* Idem M. glor. *Nunquid nunc aliud me vis?* Donat.ad illud Terentij. Enuc. *rogo,nunquid velit.* notat, hoc eſt, ſignifico me abire: nam abituri, ne id durè facerent, *nunquid vis*, dicebant iis,quibus cum conſtitiſſent. Idem ad illud Adelph. *Nunquid vis,quin abeam,* notat, *Hæc eſt plena locutio. Nam nunquid vis, deſiderat ſupplementum, & hoc vti dicto diſcedentes ſolent.* ſic Horatius Sat.9. libri 1. *nunquid vis? occupo.* VT, QVVM ABSIM, ME AMES, &c.] vt, quamuis, vel quando abſim, me tamen tuam quantumuis abſentem,ames,vel ſic, vt quamuis abſim,me tamen ames? & me, quamuis abſentem, tamen tuam, ames. ſic Terent. Eunuch. *egóne, quid velim? cum milite iſtoc præſens, abſens vt ſies. Dies noctéiſque ames me: me deſideres,* &c. Lucretius lib.4. *Nam ſi abeſt quod ames,præſto ſimulacra tamen ſunt. Illius, & nomen dulce obuerſatur ad aureis.* Ariſtot. ῥητορ. α. καὶ οἱ ἐρῶντες, διαλεγόμενοι, καὶ γράφοντες, καὶ ποιοῦντες ἀεί τι περὶ τοῦ ἐρωμένου, χαίρουσιν· ἐν ἅπασι γὰρ τοῖς τοιούτοις μεμνημένοι, οἷον αἰσθάνεσθαι οἴονται τοῦ ἐρωμένου· καὶ ἀρχὴ ἔρωτος γίνεται αὕτη πᾶσιν, ὅταν μὴ μόνον παρόντος χαίρωσιν, ἀλλὰ καὶ ἀπόντος μεμνημένοι ἐρῶσι. διὸ καὶ ὅταν λυπηρὸς γένηται

τῷ μὴ παρεῖναι. id eſt, & amantes cùm loquuntur, & ſcribunt, & faciunt aliquid de eo, qui A amatur, ſemper gaudent. in his enim omnibus, quia memoriam quandam illius repetũt, putant ſe quodammodo id, quod amant, ſentire. atque hoc fit amoris principium omnibus, cùm iis qui amant, non ſolùm præſente eo, qui amatur, gaudent, verùm cùm abſentem recordantes, amant. Quapropter & cùm is, qui amatur, propter abſentiam ſuam moleſtiam affert amanti, tum amor eſt. Idē. ἠθικ. ἰῶτα. μὴ γὰρ προησθεὶς τῇ ἰδέᾳ οὐδεὶς ἐρᾷ. ὁ δὲ χαίρων τῷ εἴδει, οὐδὲν μᾶλλον ἐρᾷ· ἀλλ' ὅταν καὶ ἀπόντα ποθῇ, καὶ τῆς παρουσίας ἐπιθυμῇ. id eſt, nemo enim amore capitur, qui non fuerit antè ſpecie delectatus. nec tamen is, qui ſpecie delectatur, continuò amat, ſed cùm & abſentem deſiderat, & præſentiam concupiſcit. LVCISCIT HOC IAM] hoc ſub. tempus, ſiue potius cælum. ſic Terentius. Heautont. Luciſcit hoc iam. ſic iterum Plaut. Curcul. *Nam hoc quidem ædepol haud multo pòſt luce lucebit.* ſic Lucret. lib. 5. *Denique iam tuere hoc circum, ſuperáque quod omnem Continet amplexu terram.* ad quem locum notauimus, id eſt, denique aſpice hoc cælum. ſic Ennius. *Adſpice hoc ſublime candens,* &c. ABI PRÆ, IAM EGO SEQVAR] ſic Terent. Andr. *i præ, ſequar.* NVNQVID VIS?] diſcedentis ſermo, vt ſuprà. PRIVS TVA HIC OPIN.] oratio implicata. Nam ſic debuerat dicere, Prius tua opinione hîc adero. id eſt, prius quàm opineris, hîc adero. BONVM ANIMVM HABE MODO] ſic in Epid. *ne fle mulier, intro abi: habeto animum bonum.* Idem in Perſa. *ego* B *puerum volo Mittere ad amicam meam, vt habeat animum bonum.* NVNC TE NOX &c.] Iupiter ab Alcmena digreſſus, noctem alloquitur. MANSISTI] exſpectaſti, dum Alcmena pro meo arbitrio vterer, fruerer. MITTO] miſſam facio, dimitto, neque amplius teneo. CEDAS DIE] cedas diei. ſupra. *neque nox quoquam concedit die.* VT MORTALIBVS, ILLVCESCAS, &c.] vt ex nocte fias dies, & mortalibus lucem claram, & candidam oſtendas. LVCE CLARA ET CANDIDA] duo epitheta luci conuenientiſ. clara, & candida. de priore non eſt quod plura dicamus. de poſteriore diximus in Cõmentariis Lucretianis lib. 4. ibi. *Cernitur in luce, & claro cãdore.* & ibi. *Vmbra videtur item nobis in ſole moueri.* Paſſeratius exiſtimat lucem diei, claram & candidam dici, vt diſtingatur à luce lunæ, quam Virgil. malignam appellat lib. 6. Æneid. ibi. *Quale per incertam lunam ſub luce maligna Eſt iter in ſiluis.* ATQVE QVANTO NOX FVISTI] videtur legendum, vt ne verſus claudicet, vna ſyllaba breuior. *Atque nox quanto fuiſti longior hacce proxima.* vel ſic. *Atque quanto nox fuiſti longior, quàm hæc proxima.* TANTO BREVIOR DIES VT F.] in voce *dies,* i. & e. coaleſcunt in vnam ſyllabam, ita vt dies ſit vnius ſyllabæ. FACIAM, VT ÆQVE DISPARET] faciam vt æquè dies breuis ſit. vel ſic, faciam vt tantum ſpatij de die decedat, quantum ad noctem acceſſit. vt æquè diſparet, id eſt, vt æquè diſpar ſit. ſeu, vt æquè differat, dies ſcilicet. C ET DIES E NOCTE ACCEDAT] & vt dies è nocte factus adueniat. id eſt, vt dies nocti ſuccedens, ſeu noctem excipiens, veniat. Locus eſt aliquanto obſcurior.

ACTVS



# A ACTVS SECVNDVS.

## AMPHITRVO, SOSIA.

AM. AGE, i tu, ſecundum. SO. ſequor, ſubſequor te.
AM. Sceleſtiſſimum te arbitror. SO. nam quamobrem?
AM. Quia id quod neque eſt, neque fuit, neque futurum eſt
Mihi prædicas. SO. eccere: iam tuatim
B Facis, vt tuis nulla apud te ſit fides.
AM. Quid eſt? quo modo? iam quidem herclè ego tibi iſtam
Sceleſtam ſcelus linguam abſcindam. SO. tuus ſum.
Proinde vt commodum eſt & lubet, quicque facias:
Tamen, quin loquar hæc vti facta ſunt hic,
Nunquam vllo modo me potes deterrere.
AM. Sceleſtiſſime, audes mihi prædicare id,
Domi te eſſe nunc, qui hic ades? SO. vera dico.
AM. Malum, quod tibi dij dabunt, atque ego hodie dabo.
C SO. Iſtuc tibi eſt in manu, nam tuus ſum.
AM. Tu' me verbero audes herum ludificari?
Tun' id dicere audes? quod nemo vnquam homo ante hac
Videt, nec poteſt fieri, tempore vno
Homo idem duobus locis vt ſimul ſit.
SO. Profectò vt loquor, ita res eſt. AM. Iuppiter te perdat.
SO. Quid mali ſum here tua ex re promeritus?
AM. Rogáſne improbe etiam, qui ludificas me?
SO. Meritò maledicas mihi, ſi id ita factum eſt.
Verùm haud mentior, réſque vti facta, dico.
D AM. Homo hic ebrius eſt, vt opinor. SO. Vtinam ita eſſem.
AM. Optas quæ facta. SO. egóne? AM. tu iſtic, vbi bibiſti?
SO. Nuſquam equidem bibi. AM. quid hoc ſit hominis?
SO. Equidem decies dixi.
Domi ego ſum inquam,
Ecquid audis? & apud te aſſum Soſia idem.
Satin' hoc planè,
Satin, diſertè, here nunc videor tibi locutus
Eſſe? AM. vah, apage te à me. SO. quid eſt negotij?
AM. Peſtis te tenet. SO. nam cur iſtuc dicis?
Equidem valeo & ſaluos ſum rectè Amphitruo.
AM. At te ego faciam hodie, proinde ac meritus es,

Vt minus valeas,& miſer ſis, A
Saluus domum ſi rediero iam.
Sequere ſis,herum qui ludificas dictis delirantibus:
Qui quoniam herus quod imperauit,neglexiſti perſequi,
Nunc venis etiam vltrò irriſum dominum. quæ neque fieri
Poſſunt,neque fando vnquam accepit quiſquã, profers carnifex.
Qoius ego hodie in tergo faxo iſta expetant mendacia.

SO. Amphitruo miſerrima iſtæc miſeria eſt ſeruo bono.
Apud herum qui vera loquitur,ſi id vi verum vincitur.

AM. Quo id,malum,pacto poteſt(nam mecum argumentis puta)
Fieri,nunc vti tu hîc ſis & domi? id dici volo.

SO. Sum profectò & hîc & illic.hoc cuiuis mirari licet.
Neque tibi iſtuc mirum magis videtur,quàm mihi Amphitruo. B

AM. Quo modo? SO. nihilo,inquam,mirum magis tibi iſtuc quàm mihi,
Neque,ita me dij ament,credebam primo mihimet Soſiæ,
Donec Soſia ille egomet fecit,ſibi vti crederem,
Ordine omne vti quicquid actum eſt, apud hoſtes dum ſedimus,
Ediſſertauit,tum formam vnà abſtulit cum nomine.
Neque lac lacti magis eſt ſimile,quàm ille ego ſimili'ſt mei.
Nam vt dudum ante lucem à portu me præmiſiſti domum.

AM. Quid igitur? SO. prius multò ante ædeis ſtabam quàm illò adueneram. C

AM. Quas,malum,nugas? ſatin' tu ſanus es? SO. ſic ſum,vt vides.

AM. Huic homini neſcio quid eſt mali mala obiectum manu,
Poſtquàm à me abiit. SO. fateor.nam ſum obtuſus pugnis peſſumè.

AM. Quis te verberauit? SO. egomet memet,qui nunc ſum domi.

AM. Caue quicquam,niſi quod rogabo te,mihi reſponderis.
Omnium primùm,iſte qui ſit,Soſia,hoc dici volo.

SO. Tuus eſt ſeruus. AM. mihi quidem vno te plus etiam eſt, quàm volo.
Neque poſtquam ſum natus,habui niſi te ſeruum Soſiam. D

SO. At ego nunc Amphitruo dico,Soſiam ſeruum tuum,
Præter me,alterum,inquam,adueniens faciam vt offendas domi:
Dauo prognatum patre,eadem,qua ego ſum,forma,ætate item
Qua ego ſum. quid opuſt verbis? geminus Soſia hic factuſt tibi.

AM. Nimia memoras mira,ſed vidiſtin' vxorem meam?

SO. Quin introire in ædis numquam licitum eſt. AM. quis te prohibuit?

SO. Soſia ille,quem iamdudum dico,is qui me contudit.

AM. Quis iſtic Soſia? SO. ego,inquam.quoties dicendum eſt tibi?

AM. Sed quid ais? num obdormiuiſti dudum? SO. nuſquam gentiũ.

AM. Ibi fortè iſtum ſi vidiſſes quendam in ſomnis Soſiam.

Non



ASO. Non ſoleo ego ſomniculoſe heri imperia perſequi.
Vigilans vidi,vigilans nunc te video,vigilans fabulor,
Vigilantem ille me iamdudum vigilans pugnis contudit.

AM. Quis homo? SO. Soſia,inquam ego,ille,quæſo nónne intelligis?

AM. Qui,malum,intelligere quiſquam potis eſt,ita nugas blatis?

SO. Verùm actutum noſces. AM. quem? SO. illum noſces,ſeruũ Soſiam.

AM. Sequere hac igitur me:nam mi iſtuc primùm exquiſitò eſt opus.
Sed vide ex naui efferantur,quæ iam imperaui omnia.

SO. Et memor ſum,& diligens,vt,quæ imperes,compareant.
B Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum.

AM. Vtinam di faxint,infecta dicta re eueniant tua.

AGE: I TV, SECVNDVM] Soſ. à foribus domini amotus,& repulſus,& malè mulcatus,figura κατὰ σιωπώμενον nuntiauit Amphitruoni, quæ ſibi acciderint, quæ viderit,quæ denique ſuo magno malo perpeſſus ſit. Quæ quia Amphitruoni incredibilia,vt ſunt,videntur,rixa inter eos oritur. Sic igitur Amphitruo, prodiẽs in ſcenam, loquitur, cùm tamen intelligendus ſit multa alia iam antea cum ſeruo locutus eſſe. Age: i tu, ſecũdum,id eſt,ſequere me,vel i ſecundum me: id eſt poſt me. Nonnulli libri veteres ſic habent *i. tu ſecundus ſequor.* Soſ. *ſubſequor.* SCELESTISSIMVM] impuriſſimum,maximè impium. QVOD NEQVE EST, NEQVE FVIT, NEQVE F.] ſic Homerus tria tempora complexus eſt ἰλιαδ. α. de Calchante loquens. Ὃς ἤδη τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. & Virgil. Georgicor. 4. verſum Homeri exprimere conatus,de Nereo verba faciens, *Grandæuus Nereus nouit nanque omnia vates. Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ* C *mox ventura trahantur.* Et Marc. Tull. epiſtol. ad D. Brutum,libro vndecimo epiſt. ad famil. *Dij iſti Seguleio malefaciant, homini nequiſsimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt.* ECCERE] Eccere, inquit Feſtus,iuſiurandum eſt,ac ſi dicatur,per Cererem,vt æcaſtor,ædepol. alij eccere pro ecce poſitum accipiunt. ſic Terent. Phorm. Geta *in te ſpes eſt.* Phorm. *eccere:* Verùm, vt de hac voce dicam quod ſentio,putauerim cùm eſt iuſiurãdum,ſcribendũ æcere cum diphthõgo in prima ſyllaba,cùm verò ſignificat ecce,eccere, ſine diphthongo, & cũ vno c. IAM TVATIM FACIS] id eſt,iam tuo more facis. *tuatim* autem eſſe legendũ, *non tu autem*, vt habent omnes libri vulgati, docet & vincit Nonius, hũc locum proferẽs in voce *tuatim.* VT TVIS NVLLA &c.] videlicet, vt tuis ſeruis, aut familiaribus nulla apud te fides ſit, id eſt, vt tuis ſeruis fidem non habeas,ſiue non credas. Sic Terent. loquitur Heautont. At mihi fides apud hũc eſt, nihil me iſtius facturum,pater. QVOMODO?] quomodo fieri poſſunt,quæ tu mihi narras,mihi aliũ, quàm te,Soſiam nomine, ſeruum eſſe? aut te & domi eſſe vno tempore,& hîc mecum? VT COMMODVM EST, ET L.] vt tibi commodum eſt,& libet,hoc eſt, vt tibi videtur, & libet. vel vt tibi opportunum eſt, & libet. Commodum hoc loco, non ſignificat vtile, vt nonnulli exiſtimant, ſed arbitrium animi, & voluntatem quandam cum opportunitate coniunctam. Cicero D lib. I. accuſ. *iure, & legibus tradita eriperes, & cui tibi commodum eſſet, condonares.* Idem lib. I. de diuinat. *qui*(Thales) *vt obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderétque etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam facere poſſe, omnem oleam antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe dicitur.* Idem lib. 3. de Oratore. *At Numerius. Furius noſter familiaris cùm eſt commodum, cantat.* MALVM, QVOD TIBI D. D.] dicis malum,quod &c. Simeo Boſius putat, *malum* hîc eſſe interiectionem: & nihilominus tamen, relatiuum *quòd* ad eam vocem, proinde ac ſi nomen ſit, referri. Ego non puto. IN MANV] in poteſtate. Idem Aſin. cui plus in manu ſit,quàm tibi,id eſt, qui plus poſſit, quàm tu. Idem in Rud. *in manu non eſt mea, Vbi demiſi retem, atque hamũ.* Cetera colligentur in indice. ſunt & alia in Commentariis noſtris in Cornelium Nep. ſeu Æmilium Probum. LVDIFICARI] ludificare, deludere,& quod idẽ duobus vocabulis dicere ſolet, *ludos facere?* TEMPORE VNO HOMO IDEM DVOBVS LOCIS &c.] Conſtat, & conuenit inter philoſophos omneis phyſicos,neque duo corpora in vno loco ſimul eſſe poſſe: neq; vnum corpus in duobus diuerſis locis eſſe poſſe. TVA EX RE PROMERITVS] promeritus hoc loco,id eſt, commeritus. quod notandum: quod & Nonius notat in verbo promeritum,atque hunc locum profert. Sic ille promeritum etiam in malam partem poſuit Plautus in Amphi. *Quid mali,* &c. Nam promerere,ſeu promereri vſitatius habet locum in bonis. commereri in malis. exempla ſunt in promtu. Terent. in And. *Quid feci? quid commerui, aut peccaui pater?* Idem ibid. *Ego, Charine, neutiquã*

*officium eſſe liberi puto, Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi?* Idē Adelph. *Verum enim quādo bene promeruit: fiat. ſuum ius poſtulat.* vbi notat Donatus, *promeruit, adiuuit, profuit: cui contrarium eſt, commeruit. Nam mereri, & promereri, eſt dare beneficium.* Virg. lib. 6. Æneid. *Quique ſui memores alios fecere merendo:* Ibid. lib. 4. *Ego te, quæ plurima fando Enumerare vales nunquā, regina, negabo Promeritam. tua ex re* A autē, id eſt, quod ſit è re tua quid mali meritus ſum quo à te affectus tibi ſim vtilior. vel ſic, tua ex re, id eſt, ex negotio tuo. vt ſit hæc ſententia. quid mali meritus ſum, in negotio tuo gerēdo, ſeu dum negotium tuum gero. Boſius ſic explicabat, *è re tua,* id eſt, ex tuo commodo. Nam vtile tibi eſt, te ſeruum habere, qui duobus in locis vno tempore eſſe poſſit. Quæ explicatio mihi nō probatur. Quòd autem apud Nonium legitur, *Quid mali ſum, here, ex re tanta promeritus?* puto hîc mendoſum eſſe Nonium. QVI LVDIFICAS ME?] libri nonnulli veteres, in his Huraltinus habent, *ludos facis me, ludos facere* aliquem autem pro *ludificare*, Plauto vſitatiſſimum eſt. SI ID ITA FACTVM EST] ſi te ludifico. ſi tibi mentior. Nonnulli libri, & maximè vulgati habent, *ſi non ita id factum eſt,* id eſt, ſi id quod tibi dixi non eſt factum. ego alteram ſcripturam magis probo: & verò eam ſolam amplector. RESQVE VTI FACTA, D.] id eſt, &, vt res facta eſt, ita dico. quod valet, verum dico: dico quòd res eſt, τὸ ὄν, ἢ τὸ γενόμενον λέγω. QVÆ FACTA] ſubintell. ſunt. TV ISTIC, ] tu iſte, tu, quem alloquor. ECQVID AVDIS? ] id eſt, nunquid audis? DISERTÈ] διαῤῥήδην vt notarat Boſius in ſuo B codice. QVID EST NEGOTII?] cur me abs te abigis? quid eſt, quamobrem me abs te auferam? NAM CVR ISTVC DICIS?] vel eſt ἀναςροφὴ & *nam cur* poſitum pro cur nam? vt apud Terentium P. *quam tu rem obſecro, actura es?* T. *nam quid ita?* Et Phorm. *Nam quæ hæc eſt anus exanimata, à frate quæ egreſſa eſt meo?* ibid. *Nam quod ego huic nunc ſubito exitio remedium inueniam miſer?* vel *nam* poſitum pro autem, vel *deinde.* notat Donatus. ad illud, *Nam quid ego nunc dicam de patre?* ſic ſuprà iterum Plautus noſter, *nam quamobrem?* AT TE EGO FACIAM, &c] *te faciam vt minus valeas, & miſer ſis.* genus loquendi Græcum, quo vtuntur & Comici: pro, te faciam minus valere, & miſerum eſſe. de quo alibi plura. PROINDE AC MERITVS ES] ita vt meritus es. SEQVERE SIS] ſequere ſi vis. DICTIS DELIRANTIBVS] dictis deliris, vel dictis homini delirāti conuenientibus. PERSEQVI] exſequi. VLTRÒ] non prouocatus. antequam accuſeris. NEQVE FANDO VNQVAM ACCEPIT QVISQV.] neq; vnquam quiſquam altero dicente audiuit, *fando* paſſiuè accipiendum eſt, vt rectè animaduertit Boſius. qualia ſunt illa apud Virg. Pharmac. *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* & Georg. 3. *Carpit enim vireis paulatim, vritque videndo Fœmina.* Sic M. Tull. pro Quinctio. *Non denique vlla vnquā interceßit poſtulatio, mitto æqua: verùm ante hoc tempus, ne fando quidem audita.* Idem lib. 1. de Nat. deor. *At verò ne fando quidem auditum eſt, Crocodilum aut Ibim, aut felem violatum ab Ægyptio.* QVOIVS C EGO HODIE IN TERGO &c.] id eſt, cuius in tergum fecero hodie, vt euadant, ſeu recidant iſta mendacia. legendum fortaſſis eſt *in tergum.* Veruntamen nihil muto. MISERRIMA ISTHÆC MISERIA EST] miſerrima miſeria, genus loquendi Plauto & Lucretio vſitatum: in quo nomen adiectiuum eiuſdem originis eſt, atque ſubſtantiuum, cui adiungitur: qualia ſunt illa, amœnitas amœna: pulchra pulchritudine, amiciſſimam amicitiam, &c. quæ ſuis locis indicabuntur, & in indice ſub vno aſpectu ponentur. APVD HERVM QVI VERA LOQ.] qui apud herum vera loquitur. SI ID VERVM &c.] ſi id verum vi vincitur. id eſt, ſi dominus, qui plus valeat viribus, & potentior eſt, vi extorquet, & expugnat id verum. mutauit numerum. nam debuerat dicere, *ſi ea vera vi vincuntur,* niſi dicamus in his verbis futuram fuiſſe ἀμφιλογίαν legendum autem, *qui vera loquitur,* non qui verba loquitur. quamuis ſic ediderit Camerarius, & ita habeāt nonnulli libri veteres. nam & ſententia vt *verá* legatur poſtulat, & alij libri æquè boni habent *vera,* & item vulgati, Aldini, & Florentini, & Lugdunenſes, & Pariſienſes à Rob. Stephano impreſſi. MALVM] interiectio ſtomachantis, & indignantis, de qua ſuprà. PVTA] diſputa. ſic Nonius, & hunc locum profert. SOSIA ILLE EGOMET] D Soſia ille, qui eſt ipſe ego Soſia. VTI QVIDQVID ACTVM EST,] id eſt, vt quidque actum eſt. *quidquid* autem legendum, pro *quidque,* vel *quidque,* non vt edidit Camerarius *quidquam,* quamuis ita habeant nonnulli codices manuſc. Nam & alij manuſc. & pleríque vulgati, in his Veneti, & Pariſienſes, & Lugdunenſes, habent *quicquid:* Florentini verò *quicque.* Omnino quicquam ferri non poteſt. APVD HOSTEIS DVM SEDIMVS] id eſt, quandiu apud hoſteis conſtitimus, conſedimus, morati ſumus, manſimus. EDISERTAVIT] planè, & diſertè narrauit, expoſuit. Idem in Caſina. *Quid fit denique ediſerta.* vtitur ſimplici Cato cum M. Cæcil. apud Feſtum in voce *citeria. Quid ego cum illo diſertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria,* &c. NEQVE LAC LACTI &c.] prouerbium ſeu hyperbole prouerbialis. de rebus maximè inter ſe ſimilibus. tale eſt illud, *non tam ouum ouo ſimile.* QVAM ILLE EGO SIMILI'ST MEI] quàm ille, qui eſt ipſe ego Soſia, mei ſimilis eſt. NAM VT DVDVM &c.] nam poſtea quàm dudum me ante lucem &c. QVID IGITVR?] Amphitruo iratus & moræ impatiens, Soſiam in medio ſermone interpellat, neque oratione inceptam terminare, aut claudere ſinit. pendet enim etiamnum hîc ſententia, *præmiſiſti domum.* poſtquàm me à portu *præmiſiſti domum,* inquit Soſia. Quid tum poſtea? vel, quid deinde? inquit Amphitruo interpellans. ILLO] domum. MALVM,] interiectio. NVGAS?] ſubintéll. mihi prædicas?



A prædicas? mihi narras? SIC SVM, VT VIDES] talis ſum, qualem vides. HVIC HOMINI NESCIO QVID EST M. M. OB. M.] huic homini neſcio quid veneni ab aliquo venefico obiectum eſt. *mala manu,* id eſt, venefici manu. Neſcio quis veneficus eius mētem, veneno porrecto, corrupit. ſunt autem quædam venena, quæ non ſolùm interimunt animantem, verùm etiam mentem corrumpunt, ac deprauant. Ad hunc locum notauerat Sim. Boſius. Nam in veneficij nō tantùm carminibus locus eſt, ſed etiam manibus, vt cùm obiiciunt herbæ noxiæ, ad mentem adimendam, aut corrumpendam valentes. Virg. lib. 7. Æneid. *Spargere qui ſomnos cantúque manúque ſolebat.* FATEOR &c.] fateor inquit Soſia, mihi aliquid eſſe obiectū mali manu. nam pugnis peſſimè cōtuſus ſum. Iocus ex eo, quod aliorſum accipit, quæ dicta ſunt ab Amphitruone, quàm dixit ille: nam ille ſentit, ab aliquo venefico mentem Soſię eſſe corruptam malo medicamento ei porrecto. Soſia reſponſionem aliò deriuans, fatetur verum eſſe, aliquid mali mala manu ſibi eſſe obiectum, quia pugnis à Mercurio Pſeudoſoſia ſit contuſus. EGOMET MEMET] ego ipſe Soſia, me ipſum Soſiam verberaui. OMNIVM PRIMVM ISTE QVI SIT, SOSIA &c.] primo loco mihi dici volo, quis, ſeu qualis ſit iſte Soſia, à quo te verberatū, & pugnis contuſum eſſe dicis. MIHI QVIDEM VNO TE PL. &c.] mihi quidem plus B etiam ſeruorum eſt, quàm volo, cùm te vnū Soſiam habeo. ſignificat, Soſiam eſſe ſeruum inutilem & nequam: & ſe facilè eo carere poſſe: atque adeò ſibi optabile eſſe, vt eo careat. quo fit, vt multo minus velit duos habere Soſias. AT EGO NVNC AMPH. DICO SOS. S. T.] ſubintell. eſſe domi. OFFENDAS] reperias, καταλήψῃ. DAVO PROGN. P. EOD. QVO. EGO S.] legendum fortaſſis eſt hoc modo. *Dauo prognatum patre: eadem, qua ego ſum, forma: ætate item, Qua ego ſum.* SED, QVID AIS?] ita loquebantur veteres, cùm aliquid aliud quàm quod antea dixerant, aut quæſierant, erant dicturi, aut quæſituri. vt in Aſinar. *Quid ais?* Li. *Quid vis?* Idem Bacchid. *ſed quid ais?* B. *quid eſt?* NVM OBDORMIVISTI DVD.] ſuprà. *Credo ego hac noctu Nocturnū obdormiuiſſe ebriū.* IBI FORTE ISTVM SI VIDISSES &c.] ideò ex te quæro, num obdormieris vſpiam, ſi forte iſtum Soſiam, quem narras, vidiſſes in ſomnis, id eſt ſomniaſſes te vidiſſe. IN SOMNIS] ὄναρ. VIGILANS] ὕπαρ. MALVM] interiectio ſtomachantis. POTIS EST] poteſt. ITA NVGAS BLATIS] Nonius, *blatis, & blateras,* inquit, *confingis, aut inconditè, & inaniter loqueris.* deinde hunc locum profert. Feſtus. blaterare, *eſt ſtultè, & ſtolidè loqui: quod à Græco βλὰξ originem ducit. Sed & camelos, cùm voces edunt, blaterare dicimus.* SED VIDE, EX NAVI EFFERANTVR] Sed vide, vt ex n. exportentur, &c. COMPAREANT] exſtent, appareant, ne perierint. M. Tull. accuſ. lib. 1. *ſigna & dona* C *comparere omnia.* SIMITV] ſimul. Nonius. & hunc locum profert: & præterea illum ex Mercat. Ita tres ſimitu res agendæ ſunt, quando vnam occeperis.

## ALCVMENA, AMPHITRVO, SOSIA, THESSALA.

AL. Satin' parua eſt res voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,
Præ quàm quod moleſtum eſt? ita qoique comparatum
Eſt in ætate hominum,
Ita dis placitum, voluptati vt mœror comes conſequatur:
Quin incommodi plus malíque illico aſſit, boni ſi obtigit quid.
D Nam ego id nunc experior de me, atque ipſa de me ſcio, cui voluptas
Parumper data'ſt, dum viri mei mihi poteſtas videndi fuit
Noctem vnam modò: atque is repentè abiit à me hinc ante lucem.
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abeſt, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quàm ex aduentu voluptatis cœpi.
Sed hoc me beat ſaltem, quòd perduelles vicit, & domum
Laudis compos reuenit, id ſolatio eſt. Abſit, dummodò
Laude parta domum recipiat ſe. feram & perferam vſque
Abitum eius animo forti atque obfirmato: id modò ſi mercedis
Datur mihi, vt meus victor vir belli clueat, ſatis

Mihi eſſe ducam. Virtus præmium eſt optimum.
Virtus omnibus rebus anteit profectò. A
Libertas, ſalus, vita, res, parentes,
Patria, & prognati tutantur, ſeruantur:
Virtus omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus.

AM. Edepol me vxori exoptatum credo aduenturum domum,
Quæ me amat: quam contrà amo, præſertim re geſta bene.
Victis hoſtibus, quos nemo poſſe ſuperari ratu'ſt:
Eos auſpicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.
Certè enim me illi expectatum optato venturum ſcio.
SO. Quid me? non rere exſpectatum amicæ venturum meæ?
AL. Meus vir hic quidem eſt. AM. ſequere hac tu me. AL. nam quid ille reuertitur? B
Qui dudum properare ſeſe aiebat, an ille me tentat ſciens?
Atque id ſi volt experiri, ſuum abitum vt deſiderem,
Ecaſtor med haud inuita ſe domum recipit ſuam.
SO. Amphitruo redire ad nauem meliuſt nos. AM. qua gratia?
SO. Quia domi daturus nemo eſt prandium aduenientibus.
AM. Quî tibi iſtuc in mentem venit? SO. quia enim ſerò aduenimus.
AM. Quî? SO. quia Alcumenam ante ædis ſtare ſaturam intelligo.
AM. Grauidam ego illanc hîc reliqui qōm abeo. SO. hei perij miſer.
AM. Quid tibi eſt? SO. ad aquam præbendam commodum adueni domum, C
Decumo poſt menſe vt rationem te dictare intelligo.
AM. Bono animo es. SO. ſcin' quàm bono animo ſim? ſi ſitulam cepero,
Nunquam edepol tu mihi diuini quicquā creduis poſt hūc diem.
Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.
AM. Sequere hâc me modò, alium ego iſti rei alligabo, ne time.
AL. Magis nunc meū officium facere, ſi huic eam aduerſum, arbitror.
AM. Amphitruo vxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam,
Quam omnium Thebis vir vnam eſſe optimam diiudicat.
Quámque adeò ciues Thebani vero rumificant probam. D
Valuiſtin' vſque? expectatúſne aduenio? SO. haud vidi magis
Expectatum: eum ſalutat magis haud quiſquam, quàm canem.
AM. Et cùm te grauidam, & cùm pulchrè plenam aſpicio, gaudeo.
AL. Obſecro ecaſtor quid tu me deridiculi gratia
Sic ſalutas, atque appellas, quaſi dudum non videris?
Quaſique nunc primùm recipias te domum huc ex hoſtibus?
Atque me nunc proinde appellas, quaſi multo pòſt videris?
AM. Immò equidem te, niſi nunc, hodie nuſquam vidi gentium.
AL. Cur negas? AM. quia vera didici dicere. AL. haud æquū facit,
Qui, quod didicit, id dediſcit. an periclitamini

Quid



A Quid animi habeam? ſed quid huc vos reuortimini tam citò?
An te auſpicium commoratum eſt: an tempeſtas continet?
Qui non abiiſti ad legiones ita vti dudum dixeras?
AM. Quamdudum iſtuc factum eſt? AL. tentas, iam dudum, pridem, modò.
AM. Quî iſtuc potis eſt fieri quæſo, vt dicis, iamdudum, modò?
AL. Quid enim cenſes? te vt deludam contra luſorem meum,
Qui nunc primùm te aduenisse dicas, modò qui hinc abieris.
AM. Hæc quidem deliramenta loquitur. SO. pauliſper mane,
Dum edormiſcat vnum ſomnum. AM. quæ ne vigilās ſomniat?
AL. Equidem æcaſtor vigilo, & vigilans id quod factum eſt, fabulor.
B Nam dudum antè lucem & iſtunc & te vidi. AM. quo in loco?
AL. Hîc in ædibus vbi tu habitas. AM. numquam factum eſt. SO. non taces?
Quid ſi è portu nauis huc nos dormientis detulit?
AM. Etiam tu quoque aſſentaris huic? SO. quid vis fieri?
Non tu ſcis? bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius.
Si obſequare, vna reſoluas plaga. AM. at pol. AL. quin certa res
Eſt hanc obiurgare, quæ me hodie aduenientem domum
Noluerit ſalutare. SO. irritabis crabrones. AM. tace.
Alcumena vnum rogare te volo. AL. quid vis, roga.
C AM. Num tibi aut ſtultitia acceſſit, aut ſuperat ſuperbia?
AL. Quî iſtuc in mente eſt tibi, mi vir, percontarier?
AM. Quia ſalutare venientem me ſolebas antidhac,
Appellare itidem vt pudicæ, ſuos viros, quæ ſunt, ſolent:
Eo more expertem te factam aduenienſ offendi domi.
AL. Ecaſtor equidem te certò heri hîc aduenientem illico
Et ſalutaui, & valuiſſéſne vſque, exquiſiui ſimul,
Mi vir: & manum prǽhendi, & oſculum tetuli tibi.
SO. Tun' heri hunc ſalutauiſti? AL. & te quoque etiam Soſia.
SO. Amphitruo, ſperaui ego iſtam tibi parituram filium,
D Verùm non eſt puero grauida. AM. quî igitur? SO. inſania.
AL. Equidem ſana ſum, & deos quæſo vt ſalua pariam filium.
Verùm tu magnum malum habebis, ſi hic ſuum officium facit,
Ob iſtuc omen ominator capies quod te condecet.
SO. Enimuero prægnanti oportet & malum & malum dari,
Vt quod obrodat ſit, animo ſi malè eſſe occœperit.
AM. Tu me heri hîc vidiſti? AL. ego, inquam, ſi vis me decies dicere.
AM. In ſomnis fortaſſe. AL. Immò vigilans vigilantem. AM. væ miſero mihi.
SO. Quid tibi eſt? AM. delirat vxor. SO. atra bili percita eſt.
Nulla res tam delirantis homines concinnat citò.
AM. Vbi primùm tibi ſenſiſti mulier impliciſcier?

AL. Equidem ecaſtor ſana & ſalua ſum. AM. cur igitur prædicas, A
Te heri me vidiſſe,qui hac noctu in portum aduecti ſumus?
Ibi cœnaui,atque ibi quieui in naui noctem perpetem,
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædis,vt cum exercitu
Hinc profectus ſum ad Teleboas hoſtis,eóſque vt vicimus.
AL. Immò mecum cœnauiſti,& mecum cubuiſti. AM. quid eſt?
AL. Vera dico. AM. non quidem hercle de hac re,de aliis neſcio.
AL. Primulo diluculo abiuiſti ad legiones. AM. quo modo?
SO. Rectè dicit,vt commeminit,ſomnium narrat tibi.
Sed mulier,poſtquam experrecta es prodigiali Ioui,
Aut mola ſalſa hodie,aut thure comprecatam oportuit.
AL. Væ capiti tuo. SO. tua iſtuc refert,ſi curaueris. B
AL. Iterum iam hîc in me inclementer dicit,atque id ſine malo.
AM. Tace tu:tu dic,egóne abſte abij hinc hodie cum diluculo?
AL. Quis igitur niſi vos narrauit mihi,illi vt fuerit prælium?
AM. An etiam id tu ſcis? AL. quippe quæ ex te audiui, vt vrbem maximam
Expugnauiſſes,regémque Pterelam tute occideris.
AM. Egóne iſtuc dixi? AL. tute iſtic etiam aſtante hoc Soſia.
AM. Audiſtin' tu me narrare hoc hodie? SO. vbi ego audiuerim?
AM. Hanc roga. SO. me quidem præſente nunquam factum eſt,quod ſciam.
AL. Mirum quin te aduerſus dicat. AM. Soſia,age me huc aſpice. C
SO. Specto. AM. vera volo loqui te,nolo aſſentari mihi.
Audiuiſtin' tu hodie me illi dicere ea,quæ illa autumat?
SO. Quæſo edepol num tu quoque etiam inſanis,cũ id me interrogas?
Qui ipſus equidem nunc primum iſtanc tecum conſpicio ſimul.
AM. Quin nunc mulier audin' illum? AL. Ego verò,ac falſum dicere.
AM. Neque tu illi,neque mi viro ipſi credis. AL. Eò fit,quia mihi
Plurimum credo,& ſcio iſthæc facta, proinde vt proloquor.
AM. Tun' me heri aduenisse dicis? AL. tun' te abiſſe hodie hinc negas?
AM. Ego enimuero,& me aduenire nunc primùm aio ad te domum.
AL. Obſecro etiámne hoc negabis?te auream pateram mihi D
Dediſſe dono hodie,qua te illic donatum eſſe dixeras?
AM. Neque edepol dedi,neque dixi:verùm ita animatus fui,
Itaque nunc ſum,vt ea te patera donem.ſed quis iſtuc tibi
Dixit? AL. ego equidem ex te audiui,& ex tua accepi manu
Pateram. AM. mane,mane,obſecro te.nimis demiror Soſia,
Quî illæc illic me donatum eſſe aurea patera ſciat,
Niſi tu dudum hanc conueniſti,& narrauiſti hæc omnia.
SO. Neque edepol ego dixi,neque iſtam vidi,niſi tecum ſimul.
AM. Quid hoc ſit hominis? AL. vin' proferri pateram? AM. proferri volo.
AL. Fiat,tu te Theſſala intus pateram proferto foras,

Qua



A Qua hodie meus vir donauit me. AM. ſecede huc tu Soſia.
Enimuero illud præter alia mira miror maximè,
Si hæc habet paterã illã. SO. an etiã id credis, quæ in hac ciſtellula
Tuo ſigno obſignata fertur? AM. ſaluũ ſignũ eſt. SO. inſpice.
AM. Rectè ita eſt vt obſignaui. SO. quæſo quin tu iſtanc iubes
Pro cerrita circumferri? AM. edepol quin facto eſt opus.
Nam hęc quidem edepol laruarum plena eſt. quid verbis eſt opus?
THES. Hem tibi paterã,eccam. AL. cedo mihi, age aſpice huc ſis nũc iã
Tu qui quæ facta inficiare,quem ego iam hîc conuincam palàm.
Eſtne hæc patera,qua donatus illic? AM. ſumme Iuppiter,
Quid ego video?hæc eſt ea profectò patera.perij Soſia.
B SO. Aut pol hæc præſtigiatrix mulier multò maxima eſt,
Aut pateram hîc ineſſe oportet. AM. agedũ eam ſolue ciſtulam.
SO. Quid ego iſtam exoluam?obſignataſt rectè,res geſta eſt bene.
Tu peperiſti Amphitruonem,ego alium peperi Soſiam.
Nunc ſi pateram patera peperit,omnes congeminauimus.
AM. Certum eſt aperire,atque inſpicere. SO. vide ſis ſigni quid ſiet,
Ne poſterius in me culpam transferas. AM. aperi modò.
Nam hæc quidem nos delirantes facere dictis poſtulat.
AL. Vnde hæc igitur eſt niſi abs te,quæ mihi dono data eſt?
AM. Opus mi eſt iſtuc exquiſito. SO. Iuppiter,proh Iuppiter.
AM. Quid tibi eſt? SO. hîc patera nulla in ciſtulaſt. AM. quid ego
C audio?
SO. Id quod verum eſt. AM. At cum cruciatu iam,ni apparet,tuo.
AL. Hæc quidẽ apparet. AM. quis igitur tibi dedit? AL. qui me rogat.
SO. Me captas,quia tute ab naui clanculum huc alia via
Præcucurriſti:atque hinc pateram tute exemiſti,atque eam
Huic dediſti,poſthac rurſus obſignaſti clanculum.
AM. Hei mihi,iam tu quoque huius adiuuas inſaniam.
Ain heri nos aduenisse huc? AL. aio,aduenienſque illicò
Me ſalutauiſti,& ego te,& oſculum tetuli tibi.
AM. Iam illud non placet principium de oſculo. AL. pergam exequi.
D Lauiſti. AM. quid poſteaq̃ laui? AL. accubuiſti. SO. euge optime,
Nunc exquire. AM. ne interpella,perge porrò dicere.
AL. Cœna appoſita eſt,cœnauiſti mecum,ego accubui ſimul.
AM. In eodem lecto? AL. in eodem. SO. hei non placet conuiuium.
AM. Sine modò argumenta dicat,quid poſtquam cœnauimus?
AL. Te dormitare aiebas,menſa ablata eſt,cubitum hinc abiimus.
AM. Vbi tu cubuiſti? AL. in eodem lecto tecum vnà in cubiculo.
AM. Perdidiſti. SO. quid tibi eſt? AM. hæc me modò ad mortẽ dedit.
AL. Quid iam amabo? AM. ne me appella. SO. quid tibi eſt? AM. perij miſer.
Quia pudicitiæ huius vitium me hîc abſente eſt additum.
AL. Obſecro Ecaſtor cur iſtuc mi vir ex ted audio?

AM. Vir ego tuus ſim? ne me appella falſò falſo nomine. A
SO. Hæret hæc res: ſi quidem hic iam mulier factu'ſt ex viro.
AL. Quid ego feci, qua iſtæc propter dicta dicantur mihi?
AM. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris.
AL. Quid ego tibi deliqui? ſi, cui nupta ſum, tecum fui?
AM. Tun' mecum fueris: quid illac impudente audacius?
Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.
AL. Iſtuc facinus quod tu inſimulas, noſtro generi non decet.
Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere.
AM. Proh di immortales, cognoſcin' tu me ſaltem Soſia?
SO. Propemodum. AM. cœnaui ego heri in naui in portu Perſico?
AL. Mihi quoque aſſunt teſtes, qui illud quod ego dicam, aſſentiant. B
AM. Qui teſtes? AL. teſtes. AM. quid teſticulare? enim vno ſat eſt.
Nec nobis præſente aliquis niſi ſeruus Soſia affuit.
SO. Neſcio quid iſtuc negotij dicam, niſi quiſpiam eſt
Amphitruo alius, qui fortè te hîc abſente ſic tamen
Tuam rem curet, téque abſente hîc munus fungatur tuum.
Nanque de illo ſubditiuo Soſia mirum nimis eſt.
Certo de iſtoc Amphitruone iam alterum mirum eſt magis.
Neſcio quis præſtigiator hanc fruſtratur mulierem.
AL. Per ſupremi regis regnum iuro, & matrem familias
Iunonem, quam me vereri & metuere eſt par maximè,
Vt mi extra vnum te mortalis nemo corpus corpore C
Contigit, quo me impudicam faceret. AM. vera iſtæc velim.
AL. Vera dico, ſed nequicquam: quoniam non vis credere.
AM. Mulier es, audacter iuras. AL. quæ non deliquit, decet
Audacem eſſe confidenter pro ſe & proteruè loqui.
AM. Satis audacter. AL. vt pudicam decet. AM. tu verbis probas.
AL. Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.
Tibi morigera, atque vt munifica ſim bonis, proſim probis.
SO. Næ iſta edepol, ſi hæc vera loquitur, examuſſim eſt optima. D
AM. Delinitus ſum profectò ita, vt me qui ſim neſciam.
SO. Amphitruo es profectò, caue ſis ne tu te vſu perduis.
Ita nunc homines immutantur, poſtquam peregrè aduenimus.
AM. Mulier iſtam rem inquiſitam certum eſt non amittere.
AL. Edepol me libente facies. AM. quid ais? reſponde mihi,
Quid ſi adduco tuum cognatum huc à naui Naucratem,
Qui mecum vnà vectu'ſt vno naui: atque is ſi denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum eſt fieri?
Nunquid cauſſam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
AL. Si deliqui, nulla cauſſa eſt. AM. conuenit. tu Soſia
Duc hos intrò, ego huc ab naui mecum abducam Naucratem.

Nunc



A SO. Nunc quidem præter nos nemo eſt, dic mihi verum ſeriò,
Ecquis alius Soſia intuſt qui mei ſimilis ſiet?
AL. Abin' hinc à me dignus domino ſeruus? SO. abeo, ſi iubes.
AL. Nimis ecaſtor facinus mirum eſt, qui illi collibitum ſiet
Meo miro, ſic me inſimulare falſum facinus tam malum.
Quicquid eſt, iam ex Naucrate cognato id cognoſcam meo.

SATIN' PARVA EST] *ſatin*, interrogando affirmat, vt hîc, & Caſina. *ſatin' omnes res ſunt aduerſæ mihi?* id eſt, non poteſt fieri, vt mihi res omnes magis ſint aduerſæ. RES VOLVPTATVM] res voluptatum, more Græcorum dictum, pro ipſis voluptatibus. τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν, vt notat Muretus lib. 6. variarum lectionum. Sic Eurip. Phœn. φιλόψογον γὰρ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ, id eſt, res mulierum, vituperandi cupida eſt, natura. res mulierum, hoc eſt, mulieres. Xenophon lib. 2. Κύρου παιδείας: καὶ ἅρματα εἰς ἑκατὸν, καὶ σφενδονητῶν πάμπολύ τι χρῆμα id eſt & Currus ad centum, & funditorum quàm plurima quædam res. B Herod. libro tertio. πολλόν τι χρῆμα τῶν ὀφίων ἐκλέπουσιν. id eſt, multam quandam vim ſerpentium deglubunt, ſeu pelle ſpoliant. Idem alibi. συὸς μέγα χρῆμα. & χρῆμα πολλὸν νεῶν. & χρῆμα χειμῶνος ἀφόρητον. Ariſtophan. Pluto πολὺ χρῆμα τεμαχῶν, καὶ κρεῶν ὠπτημένων. id eſt, multa res, ſeu multa copia ſalſamentorum, & carnium aſſatarum. Hæc ex Mureto. Hoc igitur dicit Alcumena in hominum vita paucas & raras eſſe voluptates, ſi cum moleſtiis comparentur. Sic Philemon. Τοιοῦτος ὁ βίος ἐστιν ἀνθρώπου γυναι, Εὐφραινόμεθα ἔλαττον, ἢ λυπούμεθα. id eſt, Talis eſt hominum vita, mulier, delectamur minus, quàm angimur. PRÆQVAM QVOD M.] præ eo, quod moleſtum eſt? comparatione facta ad id, quod moleſtum eſt? Idem Aulul. *Sed hoc etiam pulchrum eſt, præquam vbi ſumtus petũt.* ITA COMPARATVM EST] ita eſt: ita deſtinatũ eſt. Sic Terent. Phorm. *Quàm inſtitutũ iniquè comparatum eſt, ij, qui minus habent, vt ſemper aliquid addant diuitioribus?* ITA DIIS PLACITVM] Ita diis viſum eſt. Horatius od. 33. lib. 1. *Sic viſum Veneri, cui placet impares formas ſub iuga ahenea Sæuo mittere cum ioco.* Virg. lib. 3. Æn. *Poſtquàm res Aſiæ Priamique euertere gentem Immeritam viſum ſuperis.* VOLVPTATI VT MOEROR COMES CONSEQ.] Sic Plato in Phædone ſcribit, voluptatem, & dolorem, cùm ſimul eſſe non poſſint, tamen alterum alteri ita eſſe C iunctum, vt alterum alteri continuò ſuccedat. Lucret. lib. 4. *medio de fonte leporum, Surgit amari aliquid.* quatuor libri veteres, in his Huraltinus habet. *voluptatem vt m. c. conſ.* QVIN INCOMMODI &c.] id eſt, immò verò plus incommodi, malíque illico adeſſe videas, ſi quid boni obtigit. EXPERIOR DE ME] noſtri fere omnes libri veteres habent, *experior domo.* ego nihil muto. PARVMPER] ad breue tempus. ATQ. IS REPENTE &c.] fortaſſe hîc, *atque* ſignificat celeriter ſtatim, vt apud Virg. Geor. 1. *ſi brachia forte remiſit, Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.* Nonius. PLVS ÆGRI] plus ægritudinis, & moleſtiæ. ME BEATS.] me ſaltem beatam efficit. PERDVELLEIS] hoſteis. LAVDIS COMPOS] laude parta: laudem adeptus, ſic dictum laudis compos, vt virtutis, mentis, rationis, patriæ, &c. rerum compos. REVENIT] redit. ID SOLATIO EST.] id mihi ſolatio eſt, id me conſolatur. DOMVM RECIPIAT SE] domũ ſe referat. Sic in Aulul. *poſtidea domũ, me rurſum quãtum potero, tantum recipiam.* ibid. *neſcio vnde ſeſe homo recipit domum*, & hæc eadem ſcena infrà non longè. *Æcaſtor med haud inuita domum recipit ſuam.* OBFIRMATO] Cic. ad Att. lib. 1. *voluntas in iracundia obſirmatior.* VT MEVS VICTOR VIR BELLI CLVEAT] vt meus vir in bello victor nominetur, & omnium ſermone celebretur. *belli.* aduerbij loco eſt, vt domi, militiæ. D VIRTVS PRÆMIVM EST OPTIMVM] virtus ipſa ſibi eſt merces & præmium, neque vllam aliam mercedem foris petit, neque ab vllo alio externo præmio pendet. Sed videtur legendum, *opimum*, potius quàm optimum. Dicimus præmium magnum, amplum, præclarum, ſummum, eximium, & ſim. non bonum, neque optimum, At opimum, id eſt magnificum, amplum, lautum, carum, pretioſum. Vide Feſtum in voce *opima.* VIRTVS OMNIBVS REBVS ANTEIT PROF.] *ea enim hominem iungit deo*, inquit, M. Tull. Acad. quæſt. *& eius tanta vis eſt, vt omnia ſi ex altera parte ponantur, ne appareant quidem.* PROGNATI] poſteri progeniti, ἐπίγονοι nepotes, pronepotes. TVTANTVR, SERVANTVR] à virtute ſcilicet, ſiue ab eo, qui virtutem habet: vel, tutantur ac ſeruantur virtute. Salluſt. prœm. belli Catil. *Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parent.* tutantur poſuit παθητικῶς. QVEM PENES EST VIRTVS] id eſt, qui virtutis eſt compos. qui virtutem conſecutus eſt. PRIMO COËTV] primo coitu, prima coitione πρώτῃ συμβολῇ, primo concurſu. non ſemel oſtendimus in commẽtariis Lucretianis coëtum, & coitum idem valere, atque idem eſſe. Terent. Phorm. *Senex adeſt: vide quid agas, prima coitio eſt acerrima.* OPTATO] aduerbium, pro optatè vocalitatis cauſa vt docet Donatus, ad illum locum, in And. *continuò tibi dari verba cenſes. S. Falſò.* Terent. in Andr. *optatò aduenis.* Itaque *exſpectatùm optatò* videntur ἐκ παραλλήλου eſſe poſita. NAM QVID ILLE REVERTITVR?] ἀναστροφὴ, pro quídnã ille reuertitur? vel *nam* poſitũ

pro *autem*, vt ſuprà notauimus. MED HAVD INVITA] me non inuita, me libentè. vt ſit ἐλλ̓είπωσις. A AMPHITRVO RED. AD N. MELVIST NOS] Ab hoc loco capit initium gradatio facetiſſima, qua gratia, quam ob cauſam? PRANDIVM] rectè prandium dixit. nam domum veniunt manè. ſolebat autem dari cena peregrè venientibus. SERÒ] quomodo ſerò, ſi manè? nam ſerum eſt nouiſſimum ſeu vltimum diei tempus: manè principium diei, vt docet Varrò. iam dicet ipſe Soſia. SATVRAM] ex eo quod ſatura ſit Alcumena, vult colligi Soſia ipſos ſerò venire. nemo enim manè ſatur eſſe conſueuit. ex eo quòd ſit grauida, autem, putat eam ſaturam, aut certè ſe putare ſimulat. AD AQVAM PRÆBENDAM] ad aquam è puteo hauriendam, & ſuppeditandam, vt puerpera lauet, ſeu lauetur. Terent. Andr. *Fac iſtæc vt lauet, iſtæc autem*, inquit Donatus, vel quæ ex puerperio ſordent, vel ipſa puerpera. Menander, λούσατε αὐτὴν. COMMODÙM] opportunè. DECVMO PÒST MENSE] quo tempore partus ſunt maturi, ex ſententia veterum. Virg. Pollione. *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* At qui hodie exacto nono menſe ferè pariunt mulieres, & tum maturi ſunt fœtus. Quid ita? Cùm decem menſes ad partum maturandum opus eſſe dicuntur, menſes lunares intelliguntur, qui noſtris ſunt breuiores, vt ſuprà diximus. VT RATIONEM TE DVCTARE INT.] vt intelligo te rationem ducere, ſeu ratiocinari: ſic autem legendum, non vt vulgò, *rationem dictare.* Quod ſi hanc ſcripturam, quam ſecutus ſum, B non comprobaret antiquorum librorum auctoritas, tamen ſola veritas eam tueretur. Nunc autem codex Huraltinus, & nonnulli alij eam confirmant. Sic dictum autem ductare rationē pro ducere, vt ductare exercitum, pro ducere. SI SITVLAM COEPERO] cum ſitulam ad aquam hauriendam cœpero. NVNQVAM ÆDEPOL TV MIHI DIVINI &c.] Nunquam, inquit, mihi quidquam diuini credideris, niſi, cùm ſitulam cœpero illi puteo aquam omnem, quæ illi inſtar animę eſt intertraxero, id eſt, exhauſero. Hæc iurandi & deteſtandi quædam eſt formula. Sic in Aſin. *Neque diuini, neque mi humani poſthac quidquam accreduas, Artemona, ſi huius rei me eſſe mendacem inueneris.* Idem Bacchid. *Nam mihi diuini nunquam quiſquam creduat, ni ego illā exemplis plurimis planéque amo.* Idem ibid. *Nam neque Bellona mihi vnquam, neq. Mars creduat, ni illum* &c. Idem in Trucul. *Nunquam ædepol mihi Quidquam homo mortalis poſthac duarū rerum creduit, ni iſta ego veſtra hero maiori facta denarrauero.* SI OCCEPSO] vbi ſemel occepero, ſeu cœpero, ſeu incepero. Sic Nonius in verbo occepſo. ANIMAM OMNEM INTERTRAXERO] id eſt, aquam omnem exhauſero. Sic Nonius, in voce, *anima.* Quam explicationem, pace Nonij dixerim, non probo, in eo quòd animam exiſtimat hoc loco ſignificare aquam ſimpliciter, & propriè. Hoc enim fit per tranſlationem quandā ſermonis. Nam quoniam C viui lacus, & viui fontes, & viua flumina dicuntur: viuunt autem animantes beneficio & opera animæ: idcirco aqua putei, à Plauto, verecūda trāſlatione, anima putei dicta eſt. Significat igitur Plautus aquam omnem putei intertrahere, ſeu exhaurire, eſſe puteū exanimare, & puteo animā adimere, quia puteo aqua ſit loco animæ: & Soſia his verbis mortem puteo minatur. INTERTRAXERO] exhauſero. ALLIGABO] adſtringam: alligatum, atque adſtrictum tenebo. Nonnulli libri habent, *allegabo*, quod ſi cui placebit, *allegabo* interpretabor, perficiam, deſtinabo, aſſignabo. vel iſti rei allegabo, id eſt, ad iſtā rem agendam mittā. Omnino prior ſcriptura mihi magis probatur, *alium ego iſti rei alligabo.* id eſt, alij ego iſtius rei onus imponam. FACERE] ali. facerem. EAM ADVERSVM] eam obuiàm. SPERATAM SVAM] Virgo prius quàm petatur, ſperata dicitur, inquit, Nonius. Ego ſperatam interpretor, optatam, vel ſpōſam, vt alibi idem Nonius. OPTIMAM] pudiciſſimam. RVMIFICANT] Nonius legit rumiferant, quod interpretatur, rumoribus ferunt. & hunc locum teſtem producit. Sed omnes libri, & manuſcripti, & vulgati, quos quidem viderimus, habent, *rumificant.* HAVD VIDI M. EXSP.] Alcmena, exiſtimans ſe à viro derideri, & eundem ad ſe redire, qui paullo antè abierit: nihil viro reſpondet, neque eum reſalutat. quod videns, & indignè ferens Soſia, ita loquitur, D *haud vidi magis exſp.* id eſt, nihil vnquam vidi magis exſpectatum, quàm herum meum. ironia eſt, ſignificat minime eum venire exſpectatum, quem nemo ſalutet magis, quàm canem. DERIDICVLI GRATIA] deridendę mei cauſa. deridiculum, valde ridiculum, vel deridendum. Lucret. lib. 3. *denique connubia ad Veneris, partúſque ferarum Eſſe animas præſtò deridiculum eſſe videtur.* QVASI MVLTO PÒST VIDERIS?] id eſt quaſi longo interuallo videris? HAVD ÆQVVM F. Q. &c.] γνώμη. *quod didicit*, intellige rectum, & verum. nam ſi quid didiceris prauum, & iniuſtum, id dediſcere laudabile eſt. AN PERICLITAMINI Q. AN. H.] an periculum facitis tu & Soſia, quo animo ſim? an tentatum aduenitis quo pacto in virum meum animata ſim? AVSPICIVM] auium adſpectus. an te auſpicium aliquod remoratum eſt, quo minus ad legiones reuerteréris? AN TEMPESTAS CONTINET] an te tempeſtas aduerſa coërcet, coibet, retinet? *tempeſtas* mare ventis agitatum, venti aduerſi. TENTAS] tentas me. POTIS EST] pote eſt, poteſt. IAMDVDVM, MODÒ?] hoc ideò quærit, quia iamdudum aliquid factum eſſe, & modò factum eſſe, pugnant inter ſe. QVID ENIM CENSES?] nam quid exiſtimas? vel ſic, nam quare me ita reſpondere putas? videlicet, ita reſpondeo, vt te viciſſim ludam, luſorem meum. LVSOREM MEVM] deriſorem, & ludificatorem meum. TE VT DELVDAM CONTRÀ LVS. M.] videlicet, ea gratia, vt

te qui



A te qui me ludis, viciſſim deludam. QVI NVNC PRIMÙM &c.] hæc eſt cauſa, quamobrē ſe à viro ſuo Amphitruone ludi exiſtimet. DELIRAMENTA] delirorum verba. Idem Menæchm. *Audin' tu, vt deliramenta loquitur?* quid ſit, delirare, & vnde dictum ſit, docet Nonius in verbo *delirare*, & Plinius lib. 18. cap. 20. DVM EDORMISCAT VNVM SOMNVM] id eſt, dum vnum ſomnum dormiens abſoluat, & vt in Moſtell. loquitur, ſepeliat. aliter vſurpauit ibidem, *vbi ſomnum ſepeliui omnem, atque edormiui crapulam*, &c. edormire crapulam dixit, pro dormiendo concoquere, vel depellere. Sic Terent. in Adelph. dixit *edormiſcere vinum, ſeu villum, interea in angulum aliquò habeam, atque edormiſcam hoc villi.* Sic M. Tull. Philipp. 2. *edormi crapulam inquam, & exhala.* Gell. lib. 6. cap. 10. *At nunc, inquit Taurus, videre eſt philoſophos vltrò currere, vt doceant ad fores iuuenum diuitum: eóſque ibi ſedere, atque operiri propè ad meridiem, donec diſcipuli nocturnū omne vinum edormiant.* Significat autem illam quaſi dormientem ſomniare. QVÆNE VIGILANS SOMNIAT] Hæc ad ea pertinent, quæ Soſia modò dixit. dicis ne, aut putáſne illam dormientem ſomniare, quæ vigilans ſomniat? proinde ac ſi dicat, non eſſet mirum, ſi dormiens ſomniaret. plerúmque enim qui dormiunt, ſomniant. Nunc autem cùm vigilans ſomniet, quis non miretur? Sic Lucret. lib. 3. *Et vigilans ſternis, nec ſomnia cernere ceſſas.* & iterū Plautus ead. comœd. *vix apud me ſum, Vigilans ſomnio, viuus & ſanus intereo.* vel ſic, An ne opus eſt manere, id eſt, B exſpectare, dum Alcumena vnum ſomnium edormiſcat, quæ vigilans ſomniat? Boſius putat iocum eſſe ex ambiguo, in verbo ſomniare, quo *ſomniare* duo ſignificet, vnum propriè, videlicet, ſomnium in ſomnis videre, alterum tranſlatè, inania, & futilia loqui, & profert locum ex Menæchm. *certè hæc mulier cantherino ritu adſtans ſomniat.* NVNQVAM FACTVM EST.] nonnulli libri habent *nuſquam factum eſt.* NON TACES?] verba Alcumenam obliquè, & vrbanè irridentis, quaſi deliram, atque inſanam. Nam dum Amphitruonem increpare, ac reprehēdere: Alcumæ autē aſſentiri, & fauere videtur, hanc acriter pungit, & vellicat. ETIAM TV QVOQVE] ἐκ παραλλήλου poſita ſunt. ASSENTIRIS HVIC?] ſic legēdum, non vt vt vulgò *aſſentaris.* cui rei argumento eſt verbum, quod infrà non longè poſuit, vt contrarium, *aduerſarier.* præterea non queritur hic Amphitruo de Soſia, quòd Alcumenæ aſſentitur. ſed quod ei aſſentiatur, deliramenta fabulanti. poſtremò *aſſentari* ſemper malum & vitioſum eſt: aſſentiri tum demum vitioſum & vituperabile eſt, cùm aſſenſus in rem per ſe malam confertur, vt hîc. BACCHÆ BACCHANTI SI VELIS ADVERS.] aduerſarier, id eſt, verbis aut factis repugnare. SI OBSEQVARE] ſi moram geras & aſſentiare. VNA RESOLVAS PLAGA] vna plaga illata, eius inſaniam lenias. vno ictu incuſſo eius iracundiæ medearis. Non abſimile C eſt illud Terēt. Adelph. *Cùm feruit maximè, tam placidum, quàm ouē reddo.* & illud in Phorm. *loquárne? incendam?* AT POL] verba ſunt Alcumenæ, malum Soſiæ minantis, quòd ſe cum baccha inſaniente compararit. eſt autem, apoſiopeſis. voluit enim dicere Alcumena, at pol dabis pœnas iſtius dicti nomine, ſi Amphitruo ſuo munere fungi volet. vel cum talia quędā dicere conaretur, eam interpellauit Amphitr. QVIN CERTA RES EST HANC OBIVRG.] quin certū eſt, inquit Amphitruo, Alcumenam obiurgare. QVÆ ME &c.] Sic autem legendum, vt edidi, & ita habēt noſtri libri veteres, *non certa res hanc eſt*, &c. IRRITABIS CRABRONES] obiurgando, Alcumenam ex inſana inſaniorem reddes, crabrones irritatos aiunt infeſtiores, & ſæuiores reddi. Plin. lib. 11. cap. 21. *Ictus crabronum haud temere ſine febri eſt. Auctores ſunt ter nouenis punctis interfici hominem.* Nonius in verbo *irritare*, profert hunc locū: & irritare interpretatur prouocare. NVM TIBI AVT STVLTITIA ACCESSIT, AVT SVP. SVPERB.] Nunquid aut ſtulta euaſiſti, quæ antea ſapiebas, aut ſuperbia in te redundat? ſuperat, ſupereſt, πλεονάζει. IN MENTE EST TIBI] ἐννοεῖς, cogitas. PERCONTARIER?] diligenter inquirere? ſic Nonius, hunc locum teſtem citans. Vide & Feſtum in voce *percunctatio.* ANTIDHAC] antehac. APPELLARE ITIDEM, VT PVDICÈ, SVOS VIROS Q. S.] D oratio implicata. Sic autem expedienda, & ſolebas me alloqui ad eum modum, quemadmodū fœminæ quæ pudicæ ſunt, ſuos viros appellare, & alloqui ſolent. EO MORE EXPERTEM] Eius moris expertem. expers interdum iungitur cum auferendi caſu, vt hîc: ſimiliter in Aſinar. *Dono te ob iſtuc dictum, vt expers ſis metu.* Idem in Perſa. *ea res domo me expertem facit.* & apud Lucret. lib. 6. *Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.* OFFENDI DOMI] κατέλαβον οἴκοι: reperi in domo. quidam libri habent, *domu.* ET MANVM PREHENDI] manum prehendere, geſtus eſt alteri gratulantis, & beneuolentiam erga eum ſuam declarantis. ET OSCVLVM TETVLI T.] & oſculum vltro obtuli tibi. tetuli, id eſt, tuli. nam tetuli antiquum. Nonius. ferre oſculum ſolebant & vxores viris peregrè aduenientibus, vt hîc: & filiæ matribus, vt in Epidico. *Quis iſthæc eſt, quam tu oſculum mihi ferri iubes?* & filiæ maritæ patribus ſe inuiſentibus: vt in Sticho. ferre aduorſum hominem occupemus oſculum. QVÎ IGITVR?] ſic legendum, non, vt vulgò, *quid igitur?* quam ſcripturam & ratio carminis, & ſententia reſpuunt, *quî igitur?* autem, id eſt, qua re igitur, ſubintell. grauida ſum, ſi non ſum puero grauida? Iam, quod ad rationem carminis attinet, *quî i-*choreus eſt: *gitur in-*anapæſtus. *ſani-*choreus. Omnino malim legi, *quínam igitur?* ſi veteres codices adiuuent. Porrò ſic dictum à Plauto, *puero grauida*, vt à Virg. lib. 2. *Machina fœta armis*, & ab eod. lib. 1. *loca fœtu furentibus auſtris.* VT SALVA PARIAM FILIVM.] Cicer. lib. 1. epiſt. ad Att. epiſt. 1. *Filiolo me auctum ſcito, ſalua Terentia*

A

Idem lib.10. epiſt.20. *Tullia mea peperit* 14.kal.Ian. *puerum ἑπταμηνιαῖον, quòd εὐλόχησεν, gaudebam. quod quidem eſt natum, perimbecillum eſt.* MAGNVM MALVM HABEBIS.] grauiter vapulabis. OB ISTVC OMEN,] quia malè mihi, & Amphitruoni ominatus es, *ominatus es* cùm dixiſti, me eſſe grauidam inſania, quia mala nomina ſeu mala verba locutus es. QVOD TE CONDERET] quod te dignum eſt. OMINATOR.] tu qui nobis male ominatus es. PRÆGNANTI] videtur Plautus, eandem appellans prægnantem, quam ſuprà grauidam dixit, non ſeruare eam differentiam horum nominum inter ſe, quam tradit Feſtus his verbis. *Grauida eſt, quæ iam grauatur conceptu: prægnans, ſeu prægnas, quæ velut occupata eſt in generando, quod conceperit*, &c. MALVM, ET MALVM DARI, &c.] iocus eſt in verbo poſitus. oportet, inquit, malum, id eſt, κακὸν, damnum incommodum prægnanti dari, & oportet malum priore longa μῆλον dari, malum aliquod ſcilicet Punicum, aut granatum, quod prægnas obrodat &c. VT QVOD OBRODAT, SIT,] vt ſit ei aliquid, quod obrodat, &c. ANIMO SI MALÈ ESSE COEPERIT] id eſt, ſi mulier ægritudine animi laborare ceperit. Sic ferè locutus eſt in Trucul. *Non ædepol bibere poſſum iam: itaanimo malè eſt*. Idẽ in Mil.glor. *poſtquàm abs te abit, animo malè factũ eſt huic repente miſeræ*. Quidã, animo ſi malè eſſe cœperit, ita explicant, ſi inſanire, & furere cœperit. IN SOMNIIS FORTASSE] ſubintell. vidiſti. *in ſomnis* autem, id eſt, dormiens, ſeu in quiete, ſomniaſti te vidiſſe. DELIRAT VXOR] profert Nonius in verbo *delirare*. ATRA

B

BILI PERCITA EST.] μελαγχολᾷ. inſanit. NVLLA RES TAM DELIR. H. &c.] nulla res tam citò homines concinnat deliranteis, id eſt, deliros facit, ſubintell. quàm atra bilis. IMPLICISCIER?] id eſt, implicari, inuolui, ſubintellige iſtam atram bilem, ſeu inſaniam? SANA ET SALVA SVM] his duobus reſpondet totidem altera, quibus vti ſolent latini in diſceſſu, vale, & ſalue. TE HERI ME VIDISSE] me à te heri eſſe viſum. QVI HAC NOCTV &c.] mutat numerũ, debuerat enim dicere, ſeruato numero, qui hac noctu in portum aduectus ſum. ſubintelligendum fortaſſe eſt ibi, *me vidiſſe*, & Soſiam: vel legendum *nos vidiſſe*. Ego nihil muto. *hac noctu* autem pro hac nocte, iam à nobis obſeruatum. NOCTEM PERPETEM.] noctem perpetuam. ſupra. Niſi item vnam, (noctem) verberatus quam pependi perpetem. NEQVE MEVM PEDEM HVC INTVLI ETIAM &c.] id eſt, neque huc in ædeis etiam ingreſſus ſum, poſtquam hinc cum exercitu profectus ſum. inferre pedem in poſſeſſionem dixit M.Tull. oratione pro Cecinna. *ferre pedem*. Plautus noſter Menæchmis. *Propera Menæchme, fer pedem, confer gradum*. ibid. *Tu huc poſt hunc diem pedem intro non feres, ne fruſtra ſis*. & Virg.1.Georg. *Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadéſque puellæ*. VT CVM EXERCITV &c.] poſtquàm cum exercitu, &c. NIHIL NE TE PVDET SCELESTA &c.] hic verſus in ſuum

C

locum reſtitutus eſt, cùm repertus eſſet in nonnullis codicib. antiquis, & à Nonio Marcello, vt Plautinus, & ex hac comœdia prolatus in verbo *ingredi*. quod ille interpretatur hoc loco *venire te oſtendere*. Sic autẽ legendũ vt edidimus, *Nihilne*, vt ſit choréus, ſiue *Nilne*. SOMNIVM NARRAT T.] quod vidit in ſomnis narrat tibi: non rẽ geſtã. PRODIGIALI] prodigiorũ depulſori, qui prodigia amolitur ἀποτροπαίῳ τερασίῳ *prodigia*, inquit Nonius, *dicta ſunt, quaſi porro abigẽda*. deinde hunc locum profert. AVT MOLA SALSA] farre toſto, qui ſale ſit conſperſus. ex Feſto in verbo immolare, quid ſit mola ſalſa, intelligere licet. Sic autem ille, *Immolare, eſt mola*, id eſt, *farre molito, & ſale hoſtiam perſperſam ſacrare*. COMPRECATAM OPORTVIT] oportuit te comprecatam eſſe Ioui prodigiali: id eſt, à Ioue prodigiali: vel Iouem prodigialem. Sic enim loquuntur Latini, comprecari, & precari deos. non diis. dicunt etiam à diis precari. VÆ CAPITI TVO.] *væ capiti tuo, væ ætati tuæ*, vſitatæ Plauto malè precandi formulæ. *væ capiti tuo*, enim idem ferè valet, quod tibi eueniant mala: miſer ſis ætatem. dij tibi ſint irati. TVA ISTVC REFERT, SI CVRAVERIS.] Reſpondet Alcumenæ Soſia plus nimio audaciter, vt ſeruus. iſtuc, quod mihi precaris è re tua eſt, & ad te pertinet potius, quàm ad me, ſi modo ea, quæ ad te attinent, curaueris. quod non ſolent facere inſani, aut inſanæ, qualis tu es.

D

Alij quidam legunt, *niſi curaueris*, & hunc locum ſic explicant: iſtuc, quod mihi precaris, tibi eueniet potius, quàm mihi, niſi curaueris: id eſt, niſi huic malo occurreris, & niſi tibi proſpexeris. INCLEMENTER DICIT,] male dicit. Sic ſæpenumero loquitur Plautus, vt in Pſeud. *Cur inclemẽter dicis lepidis litteris?* Idem in Rud. *Aut qui inclementer dicat homini libero*. SINE MALO] impunè. TACE TV] Tace tu Soſia. TV DIC.] tu Alcmena dic. CVM DILVCVLO?] ſic loquuntur interdum Latini, cum prima luce, cum diluculo, pro prima luce, & diluculo. M.Tull. de Off.3. *Accurriſſe Romam, & cum prima luce Pomponij domum veniſſe dicitur*. Idem lib.4. epiſt. ad Att. *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus propè deuiis currebat*. ILLI VT FVERIT PROELIVM?] quomodo, vel quale illic fuerit prœlium? *illi* pro illic. quod & Camerarius notauit. alij libri tamen habent, *illud vt fuerit prælium*. id eſt, quale illud fuerit prœlium? TV TE ISTIC,] tu ipſe iſto in loco dixiſti &c. MIRVM QVIN TE ADVERS. D.] Ironia eſt. mirum verò eſt, inquit, Soſiam non loqui aduerſus te, qui herus eius ſis, & qui eum malè mulcaris, ſi contra voluntatem tuam locutus ſit. proinde ac ſi dicat, non eſt iſtud mirum. Sic autem ſæpe loquitur. vt in Ciſtell. *Mirum quin grex venalium in ciſtella infuerit vnà*. Idem in Aulul. *Mirum quin tua me cauſa faciat Iupiter Philippum regem, &c*. Idem in Mercatore. *Mirum quin me ſubágitaret*. AVTVMAT] dicit? QVOQVE ETIAM] ἐκ παραλλήλου σχῆμα

TECVM



A

TECVM CONSPICIO SIMVL] tecum ſimul. ſic infrà non longè, *neque iſtam vidi, niſi tecum ſimul*. ſic Horat. oda.1. epod. *Non dulce ni tecum ſimul*. QVIN NVNC M.] Atqui nũc mulier, audíſne illum? EGO VERÒ] ego verò audio illum, & falſum dicere audio. EÒ FIT] ob id tibi non credo, quia &c. PROINDE VT PR.] ita vt palàm loquor. VERVM ITA ANIMATVS FVI, ITAQVE N. S.] id eſt, eo animo fui. eóque nũc ſum, vt eam pateram tibi dono dem. QVID HOC SIT HOMINIS?] Hæc ſecum Amphitruo de Alcmena. Quid hoc ſit hom. id eſt, quænã ſit hæc mulier, quæ talia loquatur? PROFERTO FORAS] pleonaſmus, nam proferre, eſt foras ferre. QVIN TV IVBES ISTVM PRO CERRITA CIRCVNFERRI?] cur nõ iubes Alcumenam, tanquam inſanam, & à Cerere irata vexatam, luſtrari, & purgari? Cerriti, inquit Nonius, & Laruati, malè ſani, aut Cereris ira & laruarum incurſione animo vexati. Feſtus, Cerritus, furioſus. Cerritus autem, & Cerriti ſcribendum, duobus r r. dicti enim ſunt Cerriti quaſi cereriti, id eſt, à Cerere percuſſi, & ita apud Horatium imprimendum curaui, ſat.3. lib.2. *Cerritus fuit, an commotæ crimine mentis Abſolues hominem?* M.Tull. lib. epiſt.8. ad Att. epiſt.5. *Nunquam autem cerritior fuit, quàm in hoc negotio*: Sic enim legendum eſſe vidit Simeo Boſius, non vt vulgò, *certior fuit*. Circumferre autem pro luſtrare, verbum eſt anti-

B

quum, & põtificale, vt notat Seruius ad illum verſum Virg. Æneid.6. *Idem ter ſocios pura circumtulit vnda* ἁγνίζειν dicunt Græci. Qua de re legendus & Macrob. lib.3. cap.1. ÆD. QVIN FACTO OPVS EST] ædepol certè facto eſt opus. LARVARVM PLENA EST] laruata eſt. idem in Aulul. *Laruæ hunc, atque intemperiæ, inſaniæq́; agitant ſenem*. Idem Capt. *Laruæ ſimulant virum*. Laruæ, ſunt manes, qui corporibus delectati poſt mortem, deprauãtur in corporibus: & terrent imbecillos, atque alicuius culpæ ſibi conſcios. alio nomine lemures appellantur. Aliter, laruæ, ſunt noxiæ inferorum vmbræ, ſeu animæ, quæ & lemures appellantur. CEDÒ MIHI] da eam mihi. Theſſalam alloquitur. AGE, ADSPICE HVC SIS] nunc Amphitruonem affatur. age, inquit, adſpice huc, ſi vis, nunc iam. TV, QVI, Q. F. INFIT] tu qui ea inficiaris, quæ facta ſunt. QVA DONATVS ILLIC?] qua donatus es illic? PRÆSTIGIATRIX] præſtigiatores dicti ſunt à præſtigiis: præſtigiæ, à præſtingo: quòd præſtigiatores, oculorum aciem ſpectatoribus præſtinguentes, id eſt, obſcurantes, atque, vt ita dicam, obtenebrantes, faciant vt ea videantur, quæ non ſunt. Idem Aulul. *Ego ædepol te, præſtigiator, miſeris iam accipiam modis*. Idem Pœn. *Præſtigiator, hic quidem pœnus, probus eſt*. Eſt autem hîc dilemma. ſic enim argumẽtatur Soſia. Aut hæc mulier præſtigiatrix eſt, aut patera in hac ciſtula debet eſſe. SOLVE] reſigna. erat enim obſignata. in obſignationibus autem maximè tabellarum, ſeu epiſtola-

C

rum, linum adhibebatur. Cice. Cat.3. *Ac, ne longum ſit, Quirites tabellas proferre iuſsimus, quæ à quoque dicebantur datæ: primùm oſtendimus Cethego: ſignum cognouit. nos linum incidimus*. &c. Plaut. Bacchid. *atque effer citò*. PI. *Quid?* CH. *ſtilum, ceram & tabellas, & linum*. Suetonius in Nerone. *Aduerſus falſarios tunc primùm repertum, ne tabulæ, niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur*. & lib. Inſtitut. iuris ciuilis.2. titul. de pupil. ſubſtitut. *Illam autem ſubſtitutionem, per quam, ſi heres exſtiterit pupillus, & intra pubertatẽ deceſſerit, ſubſtitutus vocatur: ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere eámque partem proprio lino, propriáque cera conſignare*. RES GESTA EST BENE] hoc ad ea, quæ ſequuntur pertinet. hoc modo, res bene geſta eſt: id eſt, bene habet, & bene proceſſit, quia ex ſimplicibus, gemini, & duplices facti ſumus. CONGEMINAVIMVS] gemini facti ſumus. VIDESIS] vide ſi vis. DELIRANTEIS] deliros. POSTVLAT] ἀξιοῖ æquum putat. OPVS MI. EST ISTVC EXEQ.] opus eſt me iſtuc, quod dicis, exquirere. non credam tibi ita eſſe, niſi re probaris. AT CVM CRVCIATV IAM, NI. APP.] at niſi patera comparet, nõ iam impunè feres: ſed id fiet magno cum tuo malo. cruciaberis iam niſi patera exſtat. QVI ME ROGAT.] is, qui me rogat, mihi dedit. ME CAPTAS] Tu Amphitruo, mihi inſidias comparas. me capere ſtudes. TV QVOQVE] etiam tu Soſia. HVIVS] Alcmenæ.

D

TETVLI] tuli. ſic ſuprà. *tetuli* antiquum pro *tuli*. ACCVBVISTI] priuſquam menſæ accumberent, lauabant veteres maximè peregrè venientes. CENA APPOSITA EST] id eſt, dapes in cenam appoſitæ ſunt. ſic in Trinummo. *Appoſita ſit cena, popularem quam vocant*. IN EODEM] reſponſio per tautologiam. ſic in Capt. *meum gnatum?* ER. *tuum gnatum*. ſic Terent. Heautont. *ſolus?* M. *ſolus*. Cicero epiſt. ad Att. lib.7. *Coronatus Quinctus noſter Parilibus? Parilibus* auctor Priapeior. *licet indignere, ferámque. Propter olus, dicas, hoc ego? propter olus*. DORMITARE] dormire velle, ſeu potius ſemiſomnem eſſe, & parum abeſſe. quin dormires. Horat. epiſt. ad Piſones. *Telephe, vel Peleu, male ſi mandata loquêris, Aut dormitabo, aut ridebo*. MENSA ABLATA EST] menſæ veteribus cenaturis ſtatuebantur, ſeu apponebantur: vt in Aſinar. *pueri menſam apponite*. cenatis remouebantur. Virg. lib.1. Æneid. *Poſtquàm exemta fames epulis, menſæq́; remotæ* Homer. ἰλ.ω. νέον δ᾽ ἀπέληγαν ἐδωδῆς ἔδων καὶ πίνων, ἔπι καὶ παρέκειτο τράπεζα. id eſt, modò deſierat comeſſe, & bibere. etiam tunc menſa erat appoſita. AD MORTEM DEDIT] interemit ſic dictum dare ad mortem, vt alibi ab eodem dare ad languorem, dare ad cruciatum, dare ad carnificinam, & ſimil. Etiam M. Tullius in cruciatum dari dixit in oratione pro Roſcio Am. Virgil. lib. Georg.4, *eum, ne prodigus obſit dede neci*. QVID IAM? AMABO] ſego quî iã? amabo. NE ME APPELLA] ne mecum loquere. Horat. ſat.3. lib.1. *vt fortè legẽtem, Aut tacitum Appellet*. QVIA PVD. H. VITIVM ME HIC ABS. EST ADD.] quia ſtuprum huic mulieri

vxori meæ, me abſente.Hîc eſt oblatum, quia vxor mea me abſente. Hîc vitiata, & impudicata eſt. (A) Ex ted avdio?] ex te audio? Vir ego tvvs sim?] libri duo veteres ex noſtris habent,vir ego tuus ſum? ſic Terentius Hecyra. *Vir ego tuus ſum? tu virum me, aut hominem deputas adeò eſſe?* Ne me appella falsò, falso n.] ne me appella virũ tuũ: quod cùm facis, falſò, & falſo nomine me appellas. Hæret hæc res] id eſt, hæc res expediri non poteſt: hæc res inexplicabilis eſt, hæc res dubitandi, & ſtupendi, cauſam præbet πρᾶγμα ἄπορον, καὶ ἀμήχανόν ἐστι, ſiquidẽ,qui vir antea erat, factus eſt mulier ex viro.Hoc eo dicit, quòd dixerat Amphitruo,ne me appella virum tuum falſo nomine,quaſi dixiſſet, noli me appellare virum, ſed fœminam.Sic locutus eſt in Pſeudolo. *Nunc homo in medio luto eſt. Nomen neſcit: hæret hæc res.* Siqvidem hic iam mvlier factv'st ex viro] Sic legendum, & ita habet vnus ex noſtris libris veterib. Nam altera ſcriptura, *ſiquidem hæc iam mulier facta eſt ex viro,* ferri non poteſt. Pertinent autem hæc ad ea,quæ dixit Amphitruo, *vir ego tuus ſum?* quæ ita ſeruus Soſia accipit, quaſi Amphitruo dicere voluiſſet,ſe mulierem eſſe, non virũ, cùm hoc ſenſiſſet, ſe nõ eſſe coniugem Alcumenæ, quæ ſe cum alio viro corpus ſuum copulaſſe fateretur. Qvid ego feci, qva isthæc propter, &c.] quid ego feci,propter quod iſta dicta dicãtur mihi abs te? *qua iſthæc propter,* tmeſis pro qua propter iſthæc. Tvte edictas facta tva] tu ipſa tua facta clarè dictas,atque exponis. quidam legi volũt (B) *dictas,* pro crebrò dicis. ſed ego nihil muto.Nam & libri veteres ſic habent,vt edidimus,& alibi eodem verbo ita vſus eſt, vt in Epid. *Rem tibi ſum elocutus omnem Cheribule, atque admodum Meorum mærorum, atque amorum ſummam edictaui tibi.* Qvid deliqveris?] quid peccaris? *delinquere,* inquit Feſtus, *eſt prætermittere, quod non oportet præteriri.Hinc deliquia,& delicta.* Tecvm fvi?] tecum rem habui? σοὶ συγγέγονα; cum viro eſſe dictum honeſtè & Græcorum more, pro cum viro commiſcere,& rem habere, τῷ ἀνδρὶ συνεῖναι. Hinc συνουσία: & συνουσιάζειν. Saltem tvte. si pvd. eg. s. m.] qui pecunia, aut re aliqua, quæ pondere, numero, menſura cõſtet,egent eam ſumere mutuò ſolent. Hac ratione Alcumenã ſignificans Amphitruo eſſe impudentẽ,iubet pudorẽ,cuius indigeat,ab alia fœmina pudẽte & pudica,mutuũ ſumere. Qvod tv insimvlas] quod tu me admiſiſſe inſimulas: cuius tu me arguis: cuius tu me accuſas: quod tu mihi obiicis. de hoc verbo ſuprà. Nostro generi non decet] noſtrũ genus non decet. verbum *decet,* iunxit datiuo,more veterum,& Græcorum.Sic infrà eadem comœdia, *ornatũ capiã,qui potis decet:* id eſt,qui potos decet.Sic Terent.Adelph. *Hæc primùm vt fiant,deos quæſo, vt vobis decet:* &c.vbi notat Donatus Græcè dixit, ὑμῖν πρέπει. Idem Terẽt.ibidem. *Immo hercle ita nobis decet.* vt notat idem Donatus, *Antiqui ſi adebant ſtatim verbum,nos decet facere, nos decet dicere, dicebant: ſi non addebant, nobis decet.* (C) A. Gellius, antiquitatis imitator, lib.9.cap.15. *Introit adoleſcens,& præfatur arrogantius, & elatius, quàm ætati eius decebat.* Impvdicitiæ captas,] impudicitiæ conuincere ſtudes: in impudico facinore deprehendere conaris. Cenavi ego &c.] cenauíne ego,vel an cenaui ego,id eſt,nónne cenaui ego,&c. notandũ hãc interrogationẽ *cenauíne ego,* vel an cenaui ego, poſtulare reſponſionẽ aientem. qua de re in commentariis Lucretianis, & item alibi. In portv persico?] ſuprà. *Nam noctu hac ſoluta eſt nauis noſtra è portu Perſico.* Assentiant] approbent. Qvid testicvlare?] *teſticulari,* inquit Feſtus, *eſt iumentis maribus fœminas, vel fœminas mares admouere.* Sed hoc loco teſticulari aliud ſignificat. & tamen iocus eſt ex ambiguo.Nam quia dixerat Alcumena ſe teſtes habere, qui approbarẽt, quod diceret. & eandem vocem iterarat. idcirco Amphitruo ludẽs in voce ancipiti,& ambigua *teſtes,* quæ interdum ſignificat parteis virilitatis teſteis, rogat eam, quid teſticuletur, id eſt, quamobrem teſticulos toties commemoret ac prædicet. Enim vno sat est] quid teſteis mihi narras? quid teſteis tibi adeſſe prædicas? nam ſi vnum teſtem habeas, ſat eſt. etiam hic ſermo ambiguus eſt,ſignificat enim,vni fœminæ pudicæ,vnum virum ſatis eſſe.enim autem hîc præponitur, quod non eſt nouum: & exempla in indice collecta reperientur. Nec nobis (D) præsente, &c.] præſente & abſente nobis dixerunt veteres, pro præſentibus, & abſentibus nobis: vt docet Nonius in verbo *abſente,* & hunc verſum teſtem producit. Idem in verbo, præſente. *Præſente,* inquit,id eſt,coràm,vel præſentibus.Pomp.Syris. *Quidam apud forum præſentè teſtibus mihi vendidit.* Sic Terent.Eunucho. *Neſcio quid profectò abſentè nobis turbatum eſt domi.* vbi notat Donatus, *aut ſubdiſtinguẽdum eſt,& ſubaudiendum me, aut* ἀρχαϊσμὸς *figura eſt,abſentè nobis,pro abſentibus nobis.* Pompo. *ſine ergo iſtuc præſente amicis intercenam.* Varro in Marc. *id præſente legatis omnibus, exercitu pronuntiat.* Tvam rem cvret] vxorem tuam ſubigat. Mvnvs fvngatvr t.] tuas parteis agat. tuo munere fungatur. id eſt, vxorem tuam permolat. idem dicit. fungi munus dixit non vno loco Plautus in Aſin. munus adoleſcentuli fungare? in Caſ.in extr. *Sed ecquis eſt,qui homo munus velit fungier pro me?* Terent. Heautont. *proinde quaſi nemo ſiet, ita tute attentè illorum officia fungere.* Svbditivo] ſubdititio. ſuprà Amphitruo ſubditiuus.eccum exit foras. Frvstratvr] in fraudem impellit,inducit,decipit,fruſtra habet,licet etiam interpretari,faſcinat, βασκαίνει: quod & Simeoni Boſio videtur. Svpremi] ὑπάτου. Et matrem fam. ivn.] quid interſit inter matronam, & matrem familias, docent Nonius, & Seruius lib.11. Æneid. Porrò Iuno præeſt coniugiis.ex quo γαμήλιος dicitur. notat Seruius ad illum locum Æneid.4. *Diis equidem auſpicibus reor, & Iunone ſecunda.* dicitur & iugalis eadem ratione,



(A) tione,nempe propterea quòd iugum imponebatur viro, & fœminæ, matrimonio coniungẽdis. quò ſpectans dixit ibidem Virg. *Iunoni ante omneis, cui vincla iugalia curæ.* dicitur & pronuba. dicitur & Lucina,quia præeſt partubus. Vereri, et metvere] vereri vt matrẽ & propitiam: metuere,vt dominam. ſuprà in prologo, non longè à principio. *Vereri vos ſe, & metuere.* Non erit inutile legere de his vocabulis Platonẽ in Euthyphrone, vbi Socrates diſputat aduerſus Poëtam quendam,qui dixit, ἵνα γὰρ δέος ἔνθα καὶ αἰδώς. Extra vnvm te] Præter vnum te. Contigit] id eſt, attigit, contrectauit. ex quo contactus. Impvdicam faceret] vno verbo,impudicaret. Feſtus, *impudicatus, ſtupratus, impudicus factus.* Mvlieres avdacter ivras] ſic Propertius de puellis,lib.2.eleg.18. *Sed non tam ardoris culpa eſt, neque crimina cæli, Quàm toties ſanctos non habuiſſe deos. Hoc perdit miſeras,hoc perdidit antè puellas. Quidquid iurarunt,ventus & vnda rapit.* Sic,Tibullus eleg.4.lib.1. *Nec iurare time Veneris periuria venti Irrita per terras,& freta ſumma ferũt.* Decet avdacem esse confidenter,&c.] profert hũc locum Nonius in verbo *confido.* Protervè] contumaciter,perſeũerãter,peruicaciter,conſtanter. Verbis] non factis. Non ego illam mihi dotem &c.] ſic Horat. oda.24.lib.3. *Dos eſt magna parentium virtus, & metuens alterius viri Certo fœdere caſtitas.* Sic noſter Plautus Aulul. *Dum modò morata rectè veniat, morata eſt ſatis.* Et sedatvm cvpidinem] (B) & compreſſam libidinem. Tibi morigera &c.] tibi obſequens. Sic Lucretius lib.4. *Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu.* Examvssim] id eſt, examinatè ad regulam, vel coagmentum. Eſt enim amuſſis regula fabrorum, quam architecti cùm opus probant, rubrica illinunt. Sic Nonius,& hunc locum profert. Delinitvs svm prof.] delinitus hoc loco, valet, mente alienatus, vt Nonius interpretatur, hunc locum proferens. profert & illud ex Titinnio. *verùm enim dotibus deliniti, vltro etiam vxoribus ancillantur.* Sic θέλγειν, quod vulgò valet delectare,ſeu εὐφραίνειν, interdum,vt apud Homerum,ſignificat,decipere,& de ſtatu mẽtis deturbare,& à recta ratione alienare. Vt me qvi svm nesc.] id eſt, vt qui ſim ego, neſciam. Cave sis ne tv te vsv perd.] caue ſi vis, ne te vſu perdideris. ſic dictum vſu perdere,vt vſu capere,& vſu facere ſuum: quod poſtremùm ſuprà vſurpauit. Quemadmodum vſu quæruntur rerum dominia, ita & vſu amittuntur. Iocatur autem ſeruus ex eo, quòd Amphitruo ſe, qui ſit, negarat ſcire. Inqvisitam] non quæſitam, non exquiſitam ἀνερεύνητον, ἀνεξέταστον, inexploratam. Amittere] dimittere,omittere, relinquere. ſic loquitur infrà eadem comœd. *Nam me, quàm illam quæſtionem amittere mortuum ſatius eſt.* Me libente] me non repugnante, neque inuito, ſed voluptatem ex eo,quod facies, capiente. Cic. (C) lib.epiſt.ad Att.x. *me libente eripies mihi hunc errorem.* Idem de lege Agraria. *quam dignitatem ego & ſi libente illo,tamen abſente illo per vos conſecutus ſum.* Idem lib.13.epiſt.ad famil. *tantum vt faciles ad te aditus habeat.quæ æqua poſtulabit, vt lubente te impetret,* &c. Nvnqvid cavsam dicis &c.] num recuſas,quin hoc matrimonium ſoluatur,& dotem amittas? vel ſic,num quam cauſam afferS,quamobrem hoc matrimonium ſolui non debeat,& tu dotem perdere non debeas? Nvlla cavsa est] quin multer matrimonio,& dotem amittam. Convenit] conuenit inter nos.pactum inter nos conuentum eſt. ὁμολογοῦμεν. Dvc hos] duc hos captiuos intrò. Nvnc qvidem præter n. n.] nunc quidem ſoli ſumus.itaque licet tibi ſine periculo,& ſine metu arbitrorum,ac teſtium dicere. Hæc Soſia ad Alcumenam, metuens ſibi fortaſſis à ſimulato illo Soſia,à quo malè mulcatus fuit. hunc locum profert Nonius in voce *ſeriò.* vbi ſerium interpretatur,triſte,ſeuerum, & quaſi ſine riſu, & ioco. Abeo] iocus ex ambiguo. nam qui manumittuntur,abire à dominis iubentur. Ecqvis] num quis. Sic me insimvlare falsvm &c.] ſubintelligendum fortaſſis eſt, feciſſe, aut admiſiſſe. alioqui vſitatius erat ita loqui, ſic me inſimulare falſi facinoris mali. Licet etiam ſic explicare, inſimulare me,id eſt,inſimulare in me,quod eſt,mihi obiicere,& in me confingere falſum facinus, tam ma- (D) lum.infrà in Aulul. *non iſtuc,quod tu inſimulas.*

# ACTVS TERTIVS. A

## IVPITER.

EGo ſum ille Amphitruo, cui eſt ſeruus Soſia,
Idem Mercurius qui ſit, quando commodum'ſt,
In ſuperiore qui habito cœnaculo.
Qui interdum fio Iuppiter, quãdo lubet.
Huc autem qom ex templò aduentum apporto, illico
Amphitruo fio, & veſtitũ immuto meũ. B
Nunc huc honoris veſtri venio gratia,
Ne hanc incoatam transfigam comœdiam.
Simul Alcumenæ, quam vir inſontem probri
Amphitruo accuſat, veni vt auxilium feram.
Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim,
Id Alcumenæ ſi innocenti huic expetat.
Nunc Amphitruonem memet, vt occœpi ſemel
Eſſe aſſimilabo, atque in horum familiam
Fruſtrationem hodie hic iniiciam maximam.
Poſt igitur demum faciam res fiat palàm,
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram. C
Faciámque vt vno fœtu, & quòd grauida eſt viro,
Et me quòd grauida'ſt, pariat ſine doloribus.
Mercurium iuſſi me continuò conſequi,
Si quid vellem, imperarem: nunc hanc alloquar.

QVANDO COMMODVM'ST] quando lubet: quando mihi videtur. de hoc ſuprà. IN SVPERIORE QVI HABITO CENACVLO] Iocus ex ambiguo. Nam vel ad verum Iouem referri poteſt, quem in cælo Poëtæ dicunt habitare: quod hîc ſignificatur per ſuperius cenaculũ: vel ad hiſtrionẽ qui perſonã Iouis ſuſtinet: qui fortaſſis erat pauperculus, neque habebat domum ſuam, in qua habitaret, ſed alienã conducebat, & eius quidem partem ſuperiorem, tegulíſq; proximam: talem locũ ſolet appellare Homerus ὑπερώϊον, ſeu ὑπερῷον: hoc eſt poſtremum, vel ſupremũ tabulatum. D Turnebus refert ad hiſtrionem pauperculum tantùm, qui Iouis perſonam gerit. QVOM EX TEMPLO] id eſt, cùm primùm, ſimul atque. ADVENTVM APPORTO] aduenio. Sic Lucret. lib. 4. dixit, *adfigere adhæſum*, pro adhærere. NE HANC INCHOATAM TRANS. COM.] hoc eſt, vt quidam explicant, ne hanc comœdiam imperfectam relinquam. ſed melius hoc modo, ne hanc comœdiam nondum ſuis partibus abſolutam, & modò inceptam, finiam, atque abſoluam: ne ſtatim in principio comœdiam peragam. Nonnulli ſic legunt, *Ne hanc inoratam tranſigam comœdiam.* ſed errant. nam, vt taceam, quòd id faciunt ex ingenio, ac libidine, verſus vitioſus eſt. INSONTEM] innocentem. PROBRI] ſtupri, flagitij. CONTRAXERIM] commiſerim. ID ALCVM. SI INNOCENTI HVIC EXPETAT.] ſi in hanc Alcumenam innocentem redundet, recidat, transferatur. ſic ſuprà non ſemel. FRVSTRATIONEM] errorem mentis. ſic dictum iniicere fruſtrationem, vt iniicere metum, telum, tragulam, vngulas, & ſimil. quæ ſuo loco cognoſcentur. FACIAM RES FIAT PALAM] faciam, vt res pateat, ſeu pateſiat. VNO FOETV] vno fœtu. VIRO] à viro. nam aliter ſuprà dixit, *non eſt puero grauida, ſed inſania.* ET ME Q.] Et quod à me gr. SINE DOLORIBVS] ἄνευ ὠδίνων. SI QVID VELLEM, IMPERAREM] id eſt, vt, ſi quid vellem, ei imperarem. legendum potius eſt, Si fortè aliquid vellem imperare.

ALCVMENA



A

## ALCVMENA, IVPITER.

AL. DVrare nequeo in ædibus, ita me probri,
Stupri, dedecoris, à viro argutam meo?
Ea quæ ſunt facta, infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque ſunt facta, neque ego in me admiſi, arguit.
Atque id me ſúſque déque eſſe habituram putat.
Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
Falſo inſimulatam: quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi, atque adiuret inſuper
Nolle eſſe dicta quæ in me inſontem protulit.
B IVP. Faciendum eſt mi illud, fieri quod illæc poſtulat,
Si me illam amantem ad ſe ſtudeam recipere.
Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit.
Atque ille dudum meus amor negotium
Inſonti exhibuit: nunc autem inſonti mihi
Illius ira in hanc & maledicta expetent.
AL. Et eccum video illum qui me miſeram arguit
Stupri, dedecoris. IVP. Te volo vxor colloqui.
Quónam ted auertiſti? AL. ita ingenium meum eſt,
Inimicos ſemper oſa ſum obtuerier.
IVP. Eia autem inimicos. AL. ſic eſt, vera prædico,
Niſi etiam hoc falſo dici inſimulaturus es.
C IVP. Nimis verecunda es. AL. Potin' vt abſtineas manum?
Nam certò ſi ſis ſanus, aut ſapias ſatis,
Quam tu impudicam eſſe arbitrare & prædicas,
Cum ea tu ſermonem nec ioco, nec ſerio
Tibi habeas, niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo.
IVP. Si dixi, nihilo magis es, neque eſſe arbitror.
Et id huc reuorti, vti me purgarem tibi.
Nam nunquam quicquam meo animo fuit ægrius,
Quàm poſtquam audiui ted eſſe iratam mihi.
Cur dixiſti? inquies. ego expediam tibi.
D Non edepol quo te eſſe impudicam crederem:
Verùm periclitatus animum ſum tuum,
Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi cauſſa, id hunc rogato Soſiam.
AL. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem?
Teſtem quem dudum te adducturum dixeras
Te huc non veniſſe. IVP. ſi quid dictum eſt per iocum?
Non æquum eſt id te ſeriò præuortier.
AL. Ego illud ſcio quàm doluerit cordi meo.
IVP. Per dexteram tuam te Alcumena oro, obſecro,
Da mihi hanc veniam, ignoſce, irata ne ſies.

AL. Ego iſtæc feci verba virtute irrita: A
Nunc quando factis me impudicis abſtines,
Ab impudicis dictis auorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben mi ire comites? IVP. ſanan es? AL. ſi non iubes,
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.
IVP. Mane, arbitratu tuo iuſiurandum dabo,
Me meam pudicam eſſe vxorem arbitrarier.
Id ego ſi fallo, tum te ſumme Iuppiter,
Quæſo Amphitruoni vt ſemper iratus ſies.
AL. Ah propitius ſit potius. IVP. confido fore.
Nam iuſiurandum verum te aduerſum dedi. B
Iam nunc irata non es. AL. non ſum. IVP. bene facis.
Nam in hominum ætate multa eueniunt huiuſmodi:
Capiunt voluptates, capiunt rurſum miſerias.
Iræ interueniunt, redeunt rurſum in gratiam.
Verùm iræ ſi quæ fortè eueniunt huiuſmodi,
Inter eos rurſum ſi reuentum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quàm prius.
AL. Primùm cauiſſe oportuit ne diceres,
Verùm eadem, ſi idem purgas, mihi patiunda ſunt.
IVP. Iube verò vaſa pura adornari mihi,
Vt, quæ apud legionem vota voui, ſi domum C
Rediſſem ſaluus, ea ego exoluam omnia.
AL. Ego iſtuc curabo. IVP. euocate huc Soſiam,
Gubernatorem, qui in mea naui fuit,
Blepharonem arceſſat, qui nobiſcum prandeat.
Is adeò impranſus ludificabitur.
Quum ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.
AL. Mirum quid ſolus ſecum ſecretò ille agat.
Atque aperiuntur ædes, exit Soſia.

DVRARE] χαρτερεῖν. Terent. in Adelph. Non hercle hîc quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt. Plautus iterum Menæchm. *verùm viuere hîc non poſſum, neque durare vllo modo.* ITA ME PROBRI STVPRI, DED. &c.] ſubintellige patiar? vel par eſt? conuenit? verum eſt? æquum eſt? & ſimil. Quod loquendi genus vſurpari ſolet in conqueſtionibus, & indignationibus. Lucret. lib. 2. *Nónne videre, Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vt, cùm corpore ſeiunctus dolor abſit, mente fruatur Iucundo ſenſu, cura ſemota, metúque?* Horatius epod. oda 8. *Rogare longo putidam te ſæculo, Vireis quid eneruet meas?* Ad quem locum plura. ARGVTAM] accuſatam, inſimulatam. INFECTA REFERT, &c.] renuntiat, & clamitat ea non eſſe facta, quæ facta ſunt. SVSQVE DEQVE HABITVRAM] leuiter laturam. pro nihilo habituram: neglecturam: ἀδιαφορήσειν. lege A. Gellium lib. 16. cap. 9. Feſtus tamẽ ſúſque déq; interpretatur, plus minúſve. ATQVE ADIVRET INSVPER, NOLLE ESSE D.] Satisfactionis formula. Erat enim hoc in more poſitum apud veteres illos Romanos, vt, ſi quis alterum verbo, aut facto læſiſſet, is, iureiurando interpoſito, ei ſatisfaceret, hoc modo: indignum eum eſſe illa iniuria: & nolle ſe id, quod fecerit, eſſe factum, ſic Terent. Adelph. *Ego veſtra hæc noui, nollem factum: iuſiurandum dabitur, eſſe te indignum iniuria hac.* POSTVLAT] ἀξιοῖ. SI ME ILLAM AM. STVD. REC.] ordo eſt. ſi ſtudeam illam recipere me amantem. id eſt ſi velim me amantem ab illa recipi. NEGOTIVM INSONTI EXHIBVIT] πρᾶγμα παρέχειν οὐδὲν ἀδικήσαντι. negotium innocẽti faceſſiuit. inſonti autẽ, videlicet, Amphitruoni. NVNC AVTEM INSONTI] D





A Nunc autem Amphitruonis ira, & maledicta in Alcumenam, mihi inſonti expetent, id eſt, in me, qui Alcumenæ, non fui iratus, neque maledixi, recident, & redundabunt. maledicta, quæ Amphitruo coniecit in Alcumenam, facient, vt Alcumena offenſa, me, qui nihil dixi, quod eam moderet, recipere nolit. Quidam hîc legi volunt, *nunc autem ſonti*, &c. Iouem ſontem eſſe dicentes, quòd ab eo hæc omnia contracta ſint. Ego nihil muto. TE VOLO VXOR CONLOQVI] tecum volo, vxor, loqui. te conloqui dictum, pro tecum loqui, vel pro te alloqui. TED ADVERTISTI?] te auertiſti, à me? ſubintell. ITA INGENIVM MEVM'ST] tale ingenium meum eſt, tali ingenio ſum. hac de re ſuprà. OSA SVM] Nonius *oſa ſum, odi.* deinde profert hunc verſum. profert & Priſcianus lib. II. OBTVERIER] contrà intueri: rectis oculis adſpicere. EIA AVTEM, INIMICOS] eice verò, rectè factum, & rectè dictum, te ſemper odiſſe inimicos tuos obtueri. At ego non, inimicus, ſed vir tuus ſum. VERA PRÆDICO] cùm dico, me inimicos meos ſemper odiſſe obtueri: vel te inimicum eſſe meũ. NIMIS VERECVNDA ES] profert hunc locum Nonius, in voce *verecundum*, & verecundam interpretatur confidentem, audacem, in quo eum falli puto: neque hoc mihi vllo modo probari poteſt. verecundus enim nunquam aliud ſignificat, quàm quòd origo, & veritas nominis indicant, nempe pudentem, cúmque qui natura vereri, aut verecundari ſolet. Idcirco autem Iupiter
B Alcumenam nimis verecũdam dicit, quòd, cùm ſe inimicos ſuos obtueri ſemper odiſſe dixiſſet, faciem à viro ſuo auertiſſet, tãquam inimico, aut alieno. Quod ſi cui hoc minus placeat, reperiat aliquid melius. Omnino locus mihi quoque ſuſpectus eſt: & aliquando legẽdum putaui, *Nimis iracunda es*. quamuis libri reclament. Veruntamen nihil auſim mutare. POTIN VT ABST. MAN.] potíſne es, ſeu potéſne facere, vt me non tangas? vt manum tuam procul à me contineas? Hic Iupiter blanda manu Alcumenã attrectarat, &, vt loquitur Plautus noſter, palpo percuſſerat. quòd iniquo animo fert Alcumena, vt Amphitruoni irata. SI DIXI NIHILO MAGIS ES: NEQVE ESSE ARB.] non continuò ſi dixi te eſſe impudicam, impudica es: neque te arbitror talem eſſe. vel ſic, non propterea impudica es, quamuis te eſſe dixerim. ET ID HVC REVORTI, &c.] id eſt, Et propterea huc reuerti &c. *id*, id eſt, propter id. ÆGRIVS] moleſtius, λυπηρότερον. TED ESSE IRATAM M.] te eſſe iratã mihi. EGO EXPEDIAM TIBI] ego id, de quo quæris, breui diſſoluam. NON ÆDEPOL QVO TE ESSE IMP. &c.] non ædepol eò dixi, quòd te impudicam eſſe crederem, ſed periculum animi tui facere volui, quid factura eſſes, &c. experiri volui, quid animi haberes, & quid factura eſſes. animum tuum tentaui, quid facere parares, &c. ET QVO PACTO ID FERRE
C INDVC.] id eſt, & quo pacto id ferre animum induceres. RIDICVLI CAVSA] riſus mouendi cauſa. QVIN H.] cur non huc add. SERIO PRÆVORTIER] ſeriò potius accipere. ſerio ante capere, & præoccupare. QVAM DOLVERIT CORDI MEO] quantum dolorem animo meo incuſſerit. ex dolore cordis natum nomen cordolium: quo non ſemel vtitur noſter Plautus. EGO ISTHÆC FECI VERBA VIRT. IRR.] ego iſta maledicta, mea temperantia refutaui, & inania reddidi. vel ſic. ego pudicitia & temperantia perfeci, vt maledicta tua ſint imbecilla, atq. inania, neq. quicquam me lædant. Tale eſt illud Ciceronis pro Q. Roſ. comœdo. *Nonne vt ignis in aquam coniectus continuò reſtinguitur, & refrigeratur: ſic falſum crimen in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum, ſtatim concidit, & reſtinguitur?* & illud Horatij. ſat. I. lib. 2. *tamen me Cum magnis vixiſſe inuita fatebitur vſq. Inuidia & fragili quærens illidere dentem, Offendet ſolido.* NVNC QVANDO FACTIS IMP. ABST. id eſt, Nunc, quando me à factis impudicis abeſſe, & alienam eſſe confiteris &c. AB IMP. DICTIS AVORTI V.] vt ab impudicis factis abſum, quod fateris, ita ab impudicis dictis, abeſſe volo. id eſt, nolo audire dicta impudica, quibus tu aureis meas verberaſti, quandoquidem à flagitiis, & factis impudicis, pura, & vacua ſum. VALEAS, TIBI HAB. R. T.] verba, quibus vtebantur vir
D & vxor cùm inter viuos certa de cauſa ſoluebatur matrimonium, cúmq. alter ab altero diuertebatur. Caius Iuriſcon. titulo de diuortiis, & repudiis lib. xxiiij. digeſt. In repudiis, & renuntiationib. comprobata ſunt hæc verba. *Res tuas tibi habeto. item hæc, tuas res tibi agito.* M. Tull. Philipp. 2. *Mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit ex. xij. tabulis: Claueis ademit, exegit. al. foráſq. exegit.* lex xij. tabularũ. *Si vir ab vxore diuortit, vxori res ſuas ſibi habere iubeto, eiq. claueis adimito.* ARBITRATV TVO IVSIVRANDVM D.] dabo tibi iuſiurandum, ita vt arbitraberis, id eſt ſtatues concipiendum. Crebrò vſurpatur à iuriſconſultis, *arbitratu boni viri*. exempli cauſa. Celſus titulo de legatis 3. cap. 41. *Si filiæ pater dotem arbitratu tutoris dari iuſſiſſet: Tubero proinde hoc habendum ait, ac ſi boni viri arbitratu legatum ſit.* ID EGO SI FALLO, &c.] Iuriſiurandi formula. *ſi ſciens fallo, &c.* M. Tull. epiſt. I. lib. 7. ad famil. *is iurare cùm cœpiſſet, vox eum defecit in illo loco, ſi ſciens fallo,* ſupra. *Quid ſi falles? M. Tum Mercurius Soſiæ iratus ſiet.* AH PROPITIVS SIT POTIVS] Plautus deſcribit matronam pudicam, & viri amantem, ſeu φίλανδρον: quæ quamuis ei meritò irata ſit, non vult tamen eum habere ſibi Iouem iratum, ſed propitium potius: & quæ paullo antè iracundia ardebat, nunc ſubitò placatur. IRÆ INTERVENIVNT] ſic Terent. in Eunucho. *In amore hæc omnia inſunt vitia: iniuriæ, Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ, Bellum, pax rurſum.* SI REVENTVM IN GRATIAM EST] ſi reditum eſt in gratiam. BIS TANTO AMICI SVNT, &c.] id eſt duplo fiunt inter ſe amiciores, quàm prius. Sic Terent. Andr. *Amantium iræ, amoris redinte-*

*gratio eſt.* Quanquam Plautus non de amantib. tantùm, verùm de omnibus loquitur, inter quos grauis aliqua ſimultas, aut certe ira interuênit, quo minus vera fortaſſe videri poſſit ſententia. A
Nam amico in gratiam reuerſo, ſunt qui negant fidem habendam eſſe. Alij contra ei qui in gratiam cum inimico redierit, accuratè vidẽdum eſſe exiſtimant, ne parum candidè inimicitias poſuiſſe videatur. In his verbis autem, *Bis tanto amici* &c. ſubintelligendum eſt, magis. VERVM EADEM SI IDEM PVRG.] id eſt, verùm eadem maledicta erunt mihi iterum patienda, ſi tu idem te mihi purgabis: id eſt, ſi iurabis te dicta nolle. Quare caueto poſthac, ne mihi falſum crimen inferas, ne tibi ſit opus noua purgatione & ſatisfactione: atq. ita res abeat in infinitum. VASA PVRA] Vaſa munda καθαρὰ nullis ſordibus inquinata, lota: vel vaſa pura, id eſt, purè lota. purè lota autem, id eſt, aqua pura lota, vt Feſtus explicat. alias vaſa pura intelliguntur, quæ non ſunt cælata, & quæ ſunt ſine vllis emblematis: vt apud M. Tullium, *argentum purum*, lib. accuſ. 4. *Cybiratæ fratres vocantur: pauca (vaſa) improbant: quæ probarant, iis cruſtæ, aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini, excuſſis deliciis, cum argento puro domum reuertuntur.* Quemadmodum hîc vaſa pura ſibi iubet adornari falſus Amphitruo ſacra facturus, & vota quæ fecit, exſoluturus: ita ſacerdotes veſtimenta pura ad ſacrificium habebãt, id eſt, non obſita, non fulgurita, non funeſta, non maculoſa, auctor Feſtus. QVÆ APVD LEG. VOTA VOVI] *vota voui*, atticiſmus, pro, vota nuncupaui. EA EGO EXSOLVAM OMNIA] tanquam damnatus votis: id B
eſt, compos votorum factus, quia victor, & ſaluus domum redeo. ARCESSAT] euocet. COLLO HINC OBSTRICTO TR.] collo arctè circumuincto. obſtringere eſt fune, aut vinculo, aut laqueo arctè circum vincire. Plautus Aulular. *ex me vt vnam faciam litteram longuam, meum quando laqueo collum obſtrinxero.* Idem Curcul. in extr. *Nihil agit: collum obſtringe.* aliud eſt, collo obtorto: de quo ſuo loco. SECRETO] χωρὶς. ſeorſum, ſeparatim.

## SOSIA, IVPITER, ALCVMENA.

SO. Amphitruo, aſſum, ſi quid opus eſt impera, imperium exequar.
IVP. Optumè aduenis. SO. iam pax eſt inter vos quæſo duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo, & volupe eſt mihi.
Atque ita ſeruum par videtur frugi ſeſe inſtituere, C
Proinde heri vt ſint, ipſe item ſit, vultum è vultu comparet:
Triſtis ſit, heri ſi triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant.
Sed age reſponde, iam vos rediſtis in concordiam?
IVP. Derides, qui ſcis hæc dudum me dixiſſe per iocum.
SO. An id ioco dixiſti? equidem ſeriò ac verò ratus.
IVP. Habui expurgationem, facta pax eſt. SO. optumè eſt.
IVP. Ego rem diuinam intus faciam, vota quæ ſunt. SO. cenſeo.
IVP. Tu gubernatorem à naui huc euoca verbis meis
Blepharonem, vt is, re diuina facta, mecum prandeat.
SO. Iam hîc ero, qum illic cenſebis eſſe me. IVP. actutum huc redi. D
AL. Nunquid vis quin abeam iam intrò, vt apparentur quibus opuſt?
IVP. I ſanè, & quantum potes, parata fac ſint omnia.
AL. Quin veni, quando vis intrò, faxo haud quicquam ſit moræ.
Quando iſthæc omnia exiuraſti te mihi dixiſſe per iocum.
IVP. Rectè loquere, & proinde diligentem vt vxorem decet.
Iam hi ambo & ſeruus & hera fruſtra ſunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur eſſe, errant probè.
Nunc tu diuine fac huc aſſis Soſia.
Audis quæ dico, tametſi præſens non ades.
Fac Amphitruonem iam aduenientem ab ædibus,
Vt abigas quouis pacto, fac commentus ſies,

Volo



A Volo deludi illum, dum cum hac vſuraria
Vxore nunc mihi morigero, hæc curata ſint
Fac ſis: proinde adeò, vt me velle intelligis,
Atque vt miniſtres mihi, mihi cum ſacrificem.

TRANQVILLOS] leneis, non iratos, non commotos, neque concitatos. ET VOLVPE'ST MIHI] & iucundum eſt mihi. legendum fortaſſis eſt, & volup eſt mihi, id eſt, & voluptas eſt mihi. ſic Menæchm. *vt tibi ex me ſit volup.* Terent. Phorm. *Venire ſaluum volup eſt.* vbi notat Donatus, *Hoc volup, nomẽ eſt, vt hoc facul.* Sic enim veteres per ἀπὸ κοινοῦ loquebantur. Nonius volup, pro voluptate, inquit. deinde profert verſum ex Plauti noſtri Aſin. *hic ſenex ſi quid clam vxorem ſuam fecit volup.* ATQ. ITA SERVVM VID. &c.] ordo eſt, Atque par videtur ſeruum frugi ſe ſe ita inſtituere. INSTITVERE] componere, parare, fingere. Terent. Adelph. *Vah, quemquámne hominem in animo inſtituere, aut parare, quod ſit carius, quàm ipſe eſt ſibi?* VVLTVM E VVLTV COMPARET] vultum ſuum, è vultu heri, & heræ componat, fin- B
gat, conformet. RATVS] ſubintell. ſum. HABVI EXPVRGATIONEM:] vſus ſum expurgatione. Purgaui me Alcumenæ. VOTA QVÆ SVNT] mutat numerum. debuerat enim dicere, ſeruato numero, Ego rem diuinam intus faciam, vota quæ eſt. Sed & Plautus, & alij boni ſcriptores ſic loqui ſolent. ſic autem hic locus explicandus. faciam intus rem diuinam, & quæ diis immortalibus, ſi ſaluus in patriam redirem, à me vota ſunt, ea perſoluam. A NAVI] al. è naui. HVC EVOCA] huc arceſſe. IAM HIC ERO, CVM ILLIC CENS.] Iã hîc ero, cùm putabis me illic eſſe. ſignificatur ſumma celeritas & diligentia. NVNQVID VIS QVIN, &c.] nunquid vetas me abire intro, vt ea parẽtur, quib. opus eſt ad rem diuinam faciendam? vel ſic, nunquid eſt aliud, propter quod nolis me abire intro, vt, &c. vel ſic, nunquid me aliud vis, propter quod intro abire non debeam, vt, &c. VT APPARENTVR QVIBVS OPV'ST?] vt adornentur ea, quibus opus eſt? ET QVANTVM POTES] al. & quantum pote'ſt. FAXO HAVD QVIDQV. S. M.] id eſt, nihil erit moræ. curabo, vt nihil ſit moræ. QVANDO ISTHÆC OMNIA EXIVRASTI TE MIHI DIXISSE PER IOCVM.] profert hunc verſum, qui in libris vulgatis omnibus hoc loco deſideratur, Nonius in verbo *exiurare*: quod ille interpretatur, valde iurare. Deberi autem huic verſui hanc C
ſedem, & viri quidã doctiſſ. in his Boſius: quibus aſſenſus ſum, arbitrantur, & ea, quæ antecedũt, cum ſequentibus comparata, declarãt. DILIGENTEM] vel amantem viri, φίλανδρον, propriè: vel ſtrenuam, & vigilantem, tranſlatè, vt vſitatiùs vſurpatur. IAM HI AMBO ET SERVVS, &c.] ab hoc verſu vſq. ad finem ſcenæ ſunt omnes ſcenarij. FRVSTRA SVNT] luduntur, errãnt. ſic ſæpe alicubi vt Merc. *Nunc mulier, ne tu fruſtrà ſis, mea non es.* Pſeud. *Stulti haud ſcimus. fruſtrà vt ſimus.* DIVINE] diuine Soſia, id eſt, Mercuri, qui Soſiã ſimulas. TAMETSI] libri noſtri veteres habent *tamen & ſi.* FAC AMPH. IAM ADVEN. AB ÆD.] ordo eſt, fac, vt abigas quouis pacto ab ædib. Amphitruonem aduenientem. profert hunc verſum cum ſeq. Nonius in voce *commentus.* FAC COMMENTVS SIES] id eſt, fac commonitus ſies. ſic Nonius: ſed videtur delenda particula *vt*, quæ facilè ſubintelligitur, alioqui verſus vna ſyllaba plus quàm ſatis eſt, habebit. *Commentus* autem pro *commonitus*, concoquere non poſſum. malim ſic hunc locum explicare, fac commentus ſies, id eſt, fac callidè excogitaris, quomodo Amphitruonem venientem abigas, ſic enim accipi ſolet hoc verbũ, & ita idem Plautus vſurpat in Epidico. *Quid ego iam, niſi te commentum nimis aſtutè intelligo.* VSVRARIA] quæ mea eſt vſufructu: vel qua ego ad tempus vtor, & fruor. vide ſuprà. MIHI MORIGERO] mihi morem gero: D
animo meo obſequor. HÆC CVRATA SINT FAC SIS, &c.] fac ſi vis, vt hæc, quæ dico, curata ſint. ita, vt me velle intelligis.

## MERCVRIVS.

Concedite atque abſcedite, omnes de via decedite,
Nec quiſquam tam audax nunc fuat homo, qui obuiam obſiſtat mihi.
Nam mihi quidem herclè qui minus liceat Deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quàm ſeruulo in comœdiis?
Ille aut nauem ſaluam nunciat, aut irati aduentum ſenis.
Ego ſum Ioui dicto audiens, eius iuſſu nunc huc me affero.
Quamobrem mi magis par eſt via decedere, & concedere.
Pater vocat me, eum ſequar, eius dicto, imperio ſum audiens:

Vt filium bonum patri eſſe oportet,itidem ego ſum patri. A
Amanti ſupparaſitor,hortor,aſto,admoneo,gaudeo.
Si quod patri volupeſt, voluptas ea mihi multo maxima eſt.
Amat,ſapit:rectè facit,animo quando obſequitur ſuo.
Quod omnes homines facere oportet,dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem vult deludi meus pater,faxo probè
Iam hic deludatur,ſpectatores,vobis ſpectantibus,
Capiam coronam mi in caput,aſſimulabo med eſſe ebrium.
Atque illuc ſurſum aſcendero,inde optumè,ſic ciſpellam virum.
De ſupero,quum huc acceſſerit. faciam vt ſit madidus ſobrius.
Deinde ille actutum ſufferet ſuus ſeruus pœnas Soſia.
Eum feciſſe ille hodie arguet,quæ ego fecero hic,quid id mea? B
Meo me æquum eſt morigerum patri, eius ſtudio ſeruire addecet,
Sed eccum Amphitruonem aduenit,iam ille hic deludetur probè,
Siquidem vos vultis auſcultando operam dare.
Ibo intrò,ornatum capiam,qui potis decet.
Dein ſurſum aſcendam in tectum,vt illum hinc prohibeam.

CONCEDITE] vnà cedite,& locum date, hoc eſt, vnà omnes ſecedite.ſic in Curculione, *Date viam mihi,noti, atque ignoti, dum ego hic officium meum facio.fugite omnes. abite, de via decedite.* FVAT] ſit,vel fiat. Nonius. fuam,ſim,vel fiam. exempla lege apud Nonium. Plautus quoque vſurpat & alibi non ſemel.vt in Aulul. *Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid deuortij fuat.* Idem Capt. *ſi fuat occaſio.* Lucret.lib.4. *Vt quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.* QVAM SERVVLO IN COMOEDIIS?] ſic Achantio in Mercatore currit ad herum,vt ei nuntiet, puellam, quam ille ſibi emerat,ab eius patre ſene eſſe viſam.ibi. *Ex ſummis opibus, viribúſque vſq; experire,nitere,* &c. C ILLE AVT NAVEM SALVAM NVNTIAT.] vt Dinacium in Sticho nuntiat heræ ſuæ Epignomum eius virum ex Aſia veniſſe, eúmque in portu à ſe eſſe viſum. AVT IRATI ADVENTVM SENIS] vt Tranio in Moſtellaria ibi, *Iupiter ſupremus ſummis opibus,* &c. vt apud Terentium in Phorm. Geta, ibi. *Nullus es Geta, niſi aliquod iam tibi conſilium celere repereris.* EGO SVM IOVI DICTO AVDIENS] ego quod mihi à Ioue imperatur, celeriter, & ſtrenuè obeo, & perſequor. Nonnulli libri habent, *Ego ſum Iouis dicto* &c. ſed nihil muto. Iterum Plautus in Menæchm. *Dicto me emit audientem, haud imperatorem ſibi.* Idem valet, audiens ſum imperio,ſeu imperij. Truculento. *tibi ſeruio, atque audiens ſum imperij.* VT FILIVM BONVM P. ESSE OP.] id eſt qualem eſſe oportet bonũ filium patri, talis ego ſum patri meo. AMANTI SVPPARASITOR,] Amanti patri tanquam paraſitus ſubſeruio. ſuprà Accedam,atque hanc appellabo,& ſupparaſitabor patri. VOLVP EST] iucundum eſt, voluptatem affert: ſuprà. Nunc quia vos tranquillos video, gaudeo, & volup eſt mihi. AMAT: SAPIT: RECTE FACIT, &c.] ſic Menæch. *At enim ille hinc amat meretricẽ ex proximo.* SE. *ſanè ſapit.* Horat.oda 11. lib.1. *ſapias: vina liques, & ſpatio breui Spem longuam reſeces.* ANIMO QVANDO OBSEQ.] quia animo ſuo morem gerit, atque indulget. DVM ID MODO FIAT D BONO.] dum ne quid fiat contra leges: dum modò id fiat conſideratè,& ſine cuiuſquam iniuria. Idem dicitur pluribus verbis in Curculione. *Quod amas, amato teſtibus præſentibus.* PH. *Quid iſtuc eſt verbi?* PA. *cautè vt incedas via. Dum ne per fundum ſaptum facias ſemitam: dum tete abſtineas nupta, vidua, virgine, iuuentute, pueris liberis: ama quod lubet,* ſic M.Tull. pro Cœlio. *non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas, voluptáſque rationem, dum modo illa in hoc genere præſcriptio, moderatióque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur: ne incurrat in alterius domũ, atque famam. ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat:* &c. CAPIAM CORONAM MI IN CAPVT:] coronam geſtabant potantes,& ebrij. Plaut.in Menæchm. *ſed quid ego video? Menæchmum, Cum corona exit foras. Sublatum eſt conuiuium.* ibid. *Sed eccam, quam coronam habuit num mentior?* ibid. *Non ego te modo hic ante ædeis cum corona florea vidi Adſtare?* Ariſtoph. in Plut. de iuuene illo, qui amicam vetulam, diues factus aſpernabatur. ἔοικε δ' ὅτι κῶμον βαδίζειν. Χυ. φαίνεται. στέφανον γέ τοι, καὶ δᾷδ' ἔχων βαδίζεται. Itaque hic idem falſus Soſia, Mercurius, qui nunc loquitur, infrà eadem ſcena, coronam, ornatum potis decorum,& conuenientem appellat: ſic ille. capiam ornatum, qui potis decet. M.Tull. Catil.2. *qui mihi accubantes in conuiuiis complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo,*



A *cibo, ſertis redimiti, vnguentis obliti. debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum, atque vrbis incendia.* Si quis plura de hoc more legere volet, legat quæ notauimus in cõmentariis Horatianis ibi. *Furtim poſuiſſe coronas Fertur* &c. ſat.3.lib.2.& oda 11.lib.4.ibi. *eſt in horto, Phylli, nectẽdis apium coronis: Eſt ederæ vis.* MED ESSE EBRIVM] me eſſe potum, ac madidum. CISPELLAM] ſic habent noſtri libri veteres: & ita edidit Camerarius. quæ ſcriptura ſi recta eſt, videtur poſitum cis pro vltra, vt ciſpellam, pro vltra pellam accipiendum eſſe dicamus. Vide Nonium in particula *cis.* Omnino malim legi *aſpellam:* quod & Camerario videtur. Plautus. *neque adeò ſpes eſt, quæ mihi hunc aſpellat metum.* Idem Trinummo. *Ille, qui aſpellit, is compellit: ille, qui conſuadet, vetat.* VT SIT MADIDVS, SOBRIVS] vt ſit ebrius, qui ſobrius eſt tamen. ILLI] Amphitruoni. SVFFERET] ſuſtinebit, ſubibit. SVVS SERVVS] illi ſuus ſeruus. bona reciprocatio. EVM] Soſiam. ILLE] Amphitruo. QVID ID MEA?] quid id mea refert? MORIGERVM] obſequentem, ſubintell. eſſe. ORNATVM CAPIAM, QVI POTIS DECET] coronam ſignificat: quam ſuo capiti imponebant conuiuantes, & compotantes, vt diximus. ſic autem legẽdum eſt, vel libris omnibus reclamantibus, non vt vulgò, *qui potius decet.* natum mendum ex eo, quod verbum decet antiquè, & minus vſitatè iunxit hic cum datiuo. ſic ſuprà tamen. *Iſtuc facinus, quod te inſimulas noſtro generi non decet.* Idem Captiuis. *Ne patri, tametſi vnicus* B *ſum, decere videatur magis,* &c. in Perſa. *Fateor ego profectò me eſſe, vt decet lenonis familiæ.* alia ex Terentio & Gellio exempla collegimus ſuprà ad illum locum. *noſtro generi non decet.* Cùm hæc quatuor iam abhinc annos quaſi in palimpſeſto notaſſem, nuper Plauti editionem maturans, Io. Paſſeratius vir cum propter diuinum eius ingenium, egregiámque doctrinam, tum maximè propter morum integritatem: ac ſuauitatem, mihi cariſſimus, cùm fortè in commentariis Lucretianis ſecundæ editionis huius loci mentionem factam reperiſſet, dixit mihi ſibi hanc eandem coniecturam ſibi nouem ab hinc annos in mentem veniſſe, continuóque mihi in ſuis coniecturarum libris, quos aliquando editurus eſt, hunc locum ita emendatum oſtendit: addidítque ſe, vt quidem exiſtimaret, mecum illo ipſo tempore, quo tempore id excogitaſſet, mecum ea de re communicaſſe. quod fieri non memini. Verùm tamen, quando hoc idem amico meo, quod mihi, in mentem veniſſe intelligo, vel ei tota hæc reſtitutio adſcribatur, vel, quia omnia amicorum ſunt communia, mihi cum illo ſit communis.

C

# ACTVS QVARTVS.

## AMPHITRVO.

NAucratem, quem conuenire volui, in naui non erat.
Neque domi, neq; in vrbe inuenio quenquam, qui illum viderit.
Nam omnis plateas perreptaui, gymnaſia, myropolia,
D Apud emporium, atque in macello, in palæſtra, atque in foro,
In medicinis, in tonſtrinis, apud omnis ædis ſacras
Sum defeſſus quæritando: nuſquam inuenio Naucratem.
Nunc ibo domum, atque ex vxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus ſuum ſtupri compleuerit.
Nam me quàm illam quæſtionem inquiſitam hodie amittere,
Mortuum ſatius eſt. ſed ædis occluſerunt Eugepæ.
Pariter hoc fit, atque vt alia facta ſunt. feriam foris.
Aperite hoc. heus ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit oſtium?

A NAVCRATEM, QVEM CONVENIRE VOLVI, &c. ] id eſt, Naucrates, quem Naucratem conuenire volui, in naui non erat. Sic interdum loqui ſolent boni ſcriptores, & maximè Poëtæ, & Epici, & Comici. antecedens priore loco poſitum, eiuſdem caſus ſit, ac relatiuum. Virg. Æn. *Vrbē quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite naues.* Terent. Eunucho. *Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit?* ad quem locū quæ Donatus notat, legere operæpretium eſt. Sic alibi Plautus noſter, vt in Epid. *Sed iſtum, quem quæris Periphanē Platenium; Ego ſum, ſi quid vis.* Idē in Bacch. *Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero. Non ſunt tabellæ, ſed equus,* &c. NAM OMNEIS PLATEAS PERREPTAVI &c. ] Sic ferè Terēt. Adelph. *Defeſſus ſum ambulando* &c. *Perreptaui vſque omne oppidum, ad portam, ad lacum. Quò non?* &c. Sic Catul. in Camerium. *Te quæſiuimus in minore campo, Te in circo, te in omnibus tabernis, Te in templo ſuperi Iouis ſacrato, in Magni ſimul ambulatione,* &c. Iterū Plautus in Epid. *Vtinam conueniam domi Periphanem, per omnem vrbem quem ſum defeſſus quærere, per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro, Per myropolia, & lanienas, circúmque argentarias.* MYROPOLIA ] myropolia, tabernæ, in quibus veneunt vnguenta. APVD EMPORIVM ] ſubintell. fui. emporium autem, locus eſt, in quem mercatores conueniunt mercium ſuarum vendendarum gratia. IN MACELLO ] macellum, locus, in quo vendunt carnes, piſces, &c. IN MEDICINIS ] in medicorum officinis. ἐν τοῖς ἰατρείοις. SVM DEFESSVS QVÆRITAND. ] Sic B Terent. Adelph: Defeſſus ſum ambulando. QVEM PROPTER ] propter quem ἀναστροφὴ. *propter quem,* autem, id eſt, cuius gratia, vel à quo capta, ſeu corrupta. NAM ME, QVAM ILLAM INQVIS. &c. ] ordo, & ſententia eſt, nam ſatius eſt me mortuum eſſe, quàm quæſtionem illam non exquiſitam omittere, ſeu dimittere. Sic loquitur in Trucul. *Mortuum hercle me eſſe ſatiu'ſt.* EVGEPÆ ] eugepæ, interiectio eſt gaudentis, & approbantis. Idem in Sticho. *Eugepæ. Quando adbibero, alludiabo. tum ſum ridiculiſſimus.* Sed hîc ironia eſt, proinde ac ſi diceret, bene factum, ſcilicet, quod ædeis occluſerūt. PARITER HOC FIT ATQVE VT ALIA F. S. ] ſimiliter hoc fit, vt alia facta ſunt: nempe peruerſè, prauè, peſſimè, indigniſſimè. APERITE HOC ] aperite oſtium. hoc, δεικτικῶς.

## MERCVRIVS, AMPHITRVO.

ME. QVis ad fores eſt? AM. ego ſum. ME. quid ego ſum?
AM. ita loquor. ME. tibi Iupiter.
Díque omnes irati certò ſunt, qui ſic frangas fores. C
AM. Quo modo? ME. eo modo, vt profectò viuas ætatem miſer.
AM. Soſia. ME. ita, ſum Soſia, niſi me eſſe oblitum exiſtimas.
Quid nunc vis? AM. ſceleſte, at etiā quid velim, id tu me rogas?
ME. Ita rogo, pœne effregiſti fatue foribus cardines,
An foris cenſebas nobis publicitus præberier?
Quid me aſpectas ſtolide? quid nunc vis tibi? aut quis es tu homo?
AM. Verbero, etiam quis ego ſim me rogitas? vlmorum acheruns?
Quem pol ego hodie ob iſtæc dicta faciam feruentem flagris.
ME. Prodigum te fuiſſe oportet olim in adoleſcentia.
AM. Qui dum? ME. quia ſenecta in ætate à me mendicas malum. D
AM. Cum cruciatu tuo iſtæc hodie verna verba funditas.
ME. Sacrufico ego tibi. AM. quî? ME. quia enim te macto infortunio.

TIBI IVPITER, DIIQVE OMNES, IRATI, &c. ] neceſſe eſt te Iouem, & deos omneis, habere tibi iratos, id eſt, neceſſe eſt te, quādiu victurus es, eſſe infelicem, & infortunatum, qui ita pulſes foreis, quaſi eas frangere velle videaris. ÆTATEM ] quam diu victurus es, perpetuò, diutiſſimè. ſic in Aſin. *Vt tibi ſuperſtes; vxor ætatem ſiet.* ibid. *Ætatem velim ſeruire.* Idem in Curcul. *at tu ægrota, ſi lubet, per me ætatem quidem.* ſic Terent. Heautont. *Quid? malum, me ætatem cenſes velle id aſſimularier?* Idem Hecyra. *Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem iſthac ætate.* vbi notat Donatus, ætatem, tam diu, quàm longa eſt ætas. ſic Lucret. lib. 6. *Quod ſolis vapor ætatem non poſſe videtur Efficere, vſque adeò pallens feruore coruſco.* NISI ME ESSE OBLITVM EXISTIMAS ]. niſi forte me mei nominis oblitum eſſe exiſtimas. *Cardines,* quibus fores voluuntur huc & illuc. Virgil. lib. 1. Æneid. *foribus cardo ſtridebat ahenis.* vbi Seruius notat, cardinem



A dinem dictum eſſe ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd ſit quaſi cor domus, aut ianuæ. fores autem, vt ibidem notat ille, dictæ, quòd fores aperiātur, vt apud veteres. qua de re nos ſuprà. CENSEBAS ] exiſtimabas. PVBLICITVS ] de publico. PRÆBERIER ] πορίζεσθαι, ſuppeditari. VLMORVM ACHERVNS ] in cuius tergo moriuntur vlmi? qui vlmos, dum virgis vlmeis cędêris, interimis? qui vlmos, & virgas ex vlmo factas voras, vt Acheruns animas? FACIAM FERVENTEM FLAGRIS ] flagris cædam vſque ad feruorem. vel flagris cædam vſque dum ferueas. feruentem faciam, pro feruidum faciam, ſeu ferueſaciam. QVÎ DVM? ] quo pacto? vtitur hoc genere non ſemel. exempli cauſa in Bacchid. *Nam illum meum malum promptare mauelim, quàm peculium.* PH. *Quidum?* Idem in Rud. *Immò herclè inſignitè, iniquè.* D. *quidum?* GR. *quia ſi oſtēdero,* &c. QVIA SENECTA IN ÆTATE A ME MENDIC. M. ] iocus, παρὰ προσδοκίαν. Eius autem ratio in eo poſita eſt, quòd, qui prodigi in adoleſcētia fuerūt, mendicare in ſenectute ſolent. Qui mendicant autem, petunt, ſed quid petunt? victum. Tum qui petunt, obtinere interdum ſolent. At Mercurius Amphitruonem dicit à ſe mendicare malum. ſignificat igitur, ſe Amphitruoni daturum malū, quaſi hoc petat ille, cùm malum nemo petat, ſed bonum potius. SENECTA IN ÆTATE ] id eſt in ſenecta, ſeu in ſenectute. Idem in Aulul. *quem ſenecta ætate ludos facias.* Lucret. lib. 5. *Poſt vbi equum valide vires ætate ſenecta, Membráque deficiunt* &c. Idem lib. 3.
B *Quídve foras ſibi volt membris exire ſenectis?* ad quem locum plura. CVM CRVCIATV TVO ] cum tuo maximo malo, & cum tali malo, quod te non continuò interimat, ſed diu cruciet. SIC VERBA FVNDITAS ] verba crebrò fundis. ſic Terent. Adelph. *Eho, iam tu verba fundis hîc ſapientia?* QVIA ENIM TE M. INF. ] iocus alius παρὰ προσδοκίαν, vel ex ambiguo. qui ſacrificant deos honore, victimis, & ſimil. mactant, id eſt, magis augēt. At Mercurius, qui ſe Amphitruoni ſacrificare dicit, idem ſe eum mactare dicit non victimis, neque aliqua re bona, ſed infortunio. ſic autem loquitur & alibi, vt in Bacchid. *ſi ero reprenſus, macto ego illum infortunio.* in Curcul. *Non ædepol nunc ego te mediocri macto infortunio.* Idem Moſtell. *Niſi te magna re mala mactari cupis.* Idem in Pœnulo. *Diuitem audacter ſolemus mactare infortunio.* Idem in Trinummo. *Ego ob hanc operam argentum accepi, te macto infortunio.*

* * * *

*AM. Tun' me mactes, carnufex? niſi formam dij hodie meam perduint.*
*Faxo vt bubulis coriis onuſtus ſis Saturni hoſtia:*
*Ita ego te certò cruce & cruciatu mactabo. exi foras*
C *Maſtigia. ME. larua vmbratilis, tu me minis territas?*
*Niſi hinc actutum fugias, ſi denuò pultaueris:*
*Si minuſculo digito increpuerint fores, hac tegula*
*Tuum deminuam caput, vt cum dentibus linguam excrees.*
*AM. Tun' furcifer meis me procul prohibeſſis ædibus,*
*Tun' meas pultare foreis? haſce ilico toto demoliar cardine.*
*ME. Pergin'? AM. pergo. ME. accipe. AM. ſceleſte, in herum?*
*ſi te hodie apprendero,*
*Ad id redigam miſeriarum, vt ſemper ſis miſer.*
*ME. Bacchanal te exercuiſſe oportuit ſenex. AM. quî dum?*
D *ME. Quando tu me tuum ſeruom cenſes. AM. quid cenſeo?*
*ME. Malum tibi præter Amphitruonem, herum noui neminem.*
*AM. Num formam perdidi? mirum quin me norit Soſia.*
*Scrutabor, eho dic mihi, quis videor? num ſatis Amphitruo?*
*ME. Amphitruo! ſanúſne es? nónne tibi prædictum ſenex,*
*Bacchanal te exercuiſſe, quom qui ſis, alium rogites?*
*Abſcede moneo. moleſtus ne ſies, dum Amphitruo*
*Cum vxore modò ex hoſtibus aduenienſ, voluptatem capit.*
*AM. Qua vxore? ME. Alcmena. AM. quis homo? ME. quotiens vis*
*dictum? Amphitruo*
*Herus meus: moleſtus ne ſies. AM. qui cum cubat?*
*ME. Vide ne infortunium quæras, qui me ſic ludifices.*

*AM.* *Dic quæſo mi Soſia.* *ME.* *blandius cum Alcumena.* *AM.* *in eodémne* A
*Cubiculo?* *ME.* *imò vt arbitror, corpore corpus incubat.* *AM.* *væ miſero mihi.*
*ME.* *Lucri'ſt, quod miſeriam deputat. nam vxorem vſurariam.*
*Perinde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.*
*AM.* *Soſia.* *ME.* *quid(malum)Soſia?* *AM.* *non me nouiſti verbero.*
*ME.* *Noui te hominem moleſtum, quíue emas litigium.* *AM.* *adhuc Amplius, nónne ego herus ſum tuus Amphitruo?* *ME.* *tu Bacchus es,*
*Haud Amphitruo. quoties tibi dictum vis? num denuò?*
*Meus Amphitruo vno cubiculo Alcmenam complexu tenet.* B
*Si pergas, eum hic ſiſtam, neque ſine tuo magno malo.*
*AM.* *Cupio arceſſi, vtinam pro benefactis dij patriam,*
*Ædeis, vxorem, familiam, cum forma vna perduam.*
*ME.* *Arceſſam equidem: ſed de foribus tu intereaſis vide.*
*Credo iam quæ volebat ſacruficia ad epulum conduxit:*
*Si moleſtus ſis, euades nunquam, quin te ſacruficem.*

TVN' ME MACTES, CARNVFEX?] Totus hic locus ab hoc verſu, vſque ad principium ſcenæ, *Vos inter vos partite* &c. abeſt etiam à noſtris Codicibus. Nos tamen ea omnia, quæ exſtãt in vulgatis, ſuo ordine, & ſuo loco excudenda curauimus, ídque aliis litterarum elementis, vt, ſiue ſint Plauti, ſiue non ſint, ne quis iure queri poſſit, quaſi Plautum integrum non ediderim. Nam noſtrum eſſe non putamus hanc cõtrouerſiam diiudicare. PERDVINT] perdiderint. C SATVRNI HOSTIA] dignè, qui Saturno immoleris. Saturno hoſtiæ humanæ immolabantur. Macrob. lib. 1. cap. 7. ITA EGO TE CERTO CRVCE, ET CR. M.] hunc verſum profert Nonius in verbo, *mactare*, & mactare hîc interpretatur afficere. ſed licet dicere. etiam hîc ſignificare *magis augere*. nã augentur homines, vt bonis, ita & malis. Terent. Heautont. *ſi ſic eſt factum domina, ergo herus damno auctus eſt*. LARVA VMBRATILIS] non homo, ſed larua: deinde non larua ſolùm, ſed larua vmbratilis: id eſt, larua inanis, tanquam vmbra. MINVSCVLO DIGITO] minimo digito. VT CVM DENTIB. LINGVAM EX.] vt cum dentibus linguam ſcreando exſpuas. deinceps hunc verſum ſequi volunt nonnulli, *Ne tu poſtules matellam vnam tibi aquæ infundi in caput.* quem profert Nonius in voce *Matella*. PROHIBES SIS] prohibueris. ſic apud Lucret. lib. 3. cohibeſſit, pro cohibuerit ibi, *Corpore qui noſtro rarus magis am cohibeſſit.* DEMOLIAR] demouebo, deturbabo. ACCIPE] verbum cõminus pulſantis, & verberantis, aut eminus percutientis. IN HERVM?] ſubintell. tegulas iacis? BACCHANAL TE EXERCVISSE] te inſanum fuiſſe bacchãtium ritu. MIRVM, QVIN ME NORIT SOSIA] id eſt, mirum, quòd me Soſia non nouerit. ſic alibi Plautus, vt in Aulul. *Mirum quin tua me cauſa faciat Iupiter Philippum regem.* Idem in Merc. *Mirum quin me* D *ſubagitaret.* CORPORE CORPVS INCVBAT] corpore ſuo in corpus Alcumenæ incumbit. LVCRI'ST.] pro lucro eſt, ſeu lucrũ eſt. NAM VXOREM VSVR. PRÆBERE &c.] id eſt, nam vxoris vſum alteri præbere, ſimile eſt, vt ſi agrum ſterilem fodiendum mercede tradas: ſic mulier cum agro ſeu fundo comparatur in Aſinar. *Fundum alienum arat: incultum familiarem deſerit.* loquitur de quodam marito, qui vxorem ſuam non tangebat, alias, & alienas ſubigebat. allegoria enim eſt. ſic Oedipus in Antig. Ἀρώσιμοι γὰρ χ᾽ ἀτέρων εἰσὶν γύαι: id eſt, arari & ſubigi poſſunt aliarum fœminarum arua ſeu iugera. Sed hac de re lege quæ notauimus ad illum locum Lucret. lib. 4. *Eicit enim ſulci recta regione, viaq́ Vomerem atque locis auertit ſeminis ictum.* FODIENDVM LOCES] fodiendum mercede promiſſa tradas. QVÍNE EMAS LITIG.] quíne poſitum pro, qui. ne enim παρέλκει & ornatus cauſa poſitum eſt: de quo plura in commentariis Lucretianis. ADHVC AMPLIVS] hoc mihi videtur parùm latinè dictum. SED DE FORIB. TV INTEREA SIS VID.] id eſt, ſed de foribus tu interea, ſi vis, diſcedas, vide. Malim legi. ſed à foribus.





A AMPHITRVO, BLEPHARO, SOSIA.

AM. DI voſtram fidem, quæ intemperiæ noſtram agunt familiam? quæ mira
Video, poſtquam aduenio peregrè? Nam veruſt quod olim eſt auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
Et ſæuas belluas manſitaſſe, nec vnquam denuò parentibus
Cognitos. BLE. quid illuc Soſia? magna ſunt, quæ mira prædicas.
Ain' tu alterum te reperiſſe domi conſimilem Soſiam domi?
SO. Aio. ſed heus tu, quum ego Soſiam, Amphitruonem Amphitruo, qui ſcis an
B Tu fortè alium Blepharonem parias? ô di faciant, vt tu quoque
Conciſus pugnis, & illiſis dentibus, id impranſus creduas.
Nam ego ille alter Soſia, qui illic ſum, me malis mulcauit modis.
BLE. Mira profectò, ſed gradus condecet grandire: nam vt video,
Expectat Amphitruo. & vacuus mihi venter crepitat. AM. ecquid aliena
Fabulor? in noſtro olim Thebano genere pluſquam mira memorant.
Martigenam ille aggreſſus belluam magnus Europæ quæſtor anguineo
C Repentè hoſteis peperit ſeminio: & pugnata illac pugna
Frater trudebat fratrem haſta, & galea. & noſtræ autorem gentis,
Cum Veneris filia angueis repſiſſe tellus Epirotica
Vidit. de ſummo ſummus Iuppiter ſic ſtatuit, ſic fatum habet.
Optumi omnes noſtrates pro claris factis, diris aguntur malis.
Fata iſtæc me premunt, pertolerarem vim tantam, cladéſque
Exanclarem impatibiles. SO. Blepharo. BLE. quid eſt? SO. neſcio quid mali ſuſpicor.
BLE. Quid? SO. videſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante foreis graditur.
D BLE. Nihil eſt, famem exſpectat obambulans. SO. curioſe quidem: foreis enim
Clauſit, ne præuorteretur foras. BLE. oggannis. SO. nec gannio, nec latro.
Si me audias, obſerues. neſcio quid ſecum ſolus, puto,
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam, ne propera.
AM. Vt metuo, ne victis hoſtibus di partam expungant gloriam:
Totam miris modis noſtram video turbatam familiam.
Tum verò vxor vitio, ſtupro, dedecore me plena enicat.
Sed de patera miruſt, erat tamen ſignum obſignatum probè.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, & Pterelam oppugnatũ,
Noſtris occiſum manibus fortiter. atat noui iam ludum:

Id Soſiæ factuſt opera,qui me hodie quoque præſentem auſit A
Indignè præuortier. S O. de me locutus,& quæ velim minus.
Hominem ne congrediamur quæſo, priuſquam ſtomachum detexerit.
BLE. Vt lubet. A M. ſi illum datur hodie maſtigiam apprehendere, oſtendam quid ſit
Herum fallere, minis, & dolis inceſſere. S O. audin' tu illum? B L E. audio.
S O. Illæc machina meas onerat ſcapulas,compellemus ſis hominem.
Scin' quid volgo dici ſolet? B L E. quid dicturus ſis,neſcio:
Quid tibi patiundum,ferè hariolor. S O. vetuſt adagium, fames & mora
Bilem in naſum conciunt. B L E. verum quidem, & loco, compellemus B
Alacre.Amphitruo? A M. Blepharonem audio,mirum quid ad me veniat.
Opportunè tamen ſe offert,vt vxoris facta conuincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? B L.oblitus tam citò? quàm diluculo
Miſiſti ad nauim Soſiam,vt hodie tecum conuiuerem?
A M. Nuſquam factum gentium. ſed vbi illic ſceleſtus? B L E. quis? A M. Soſia.
BLE. Eccum illum. A M. vbi? B L E. ante oculos,non vides? A M. vix video præ ira,adeò me iſtic C
Hodie delirum fecit.ne te ſacruficem,nunquam euades.
Sine me Blepharo. B L E. auſculta precor. A M. dic, auſculto, tu vapula.
S O. Qua de re?num ſatis tempori?non ocyus qui vi,ſi me
Dædaleis tuliſſem remigiis. B L E. abſtine quæſo non potuimus
Noſtros grandius grandire gradus. A M.ſiue gralatorius,ſiue
Teſtudineus fuerit,certumſt mihi hunc ſceleſtum perdere.
En tectum,en tegulas,en obductas fores,en ludificatum herum,
En verborum ſcelus. B L E.quid mali fecit tibi? A M. rogas? ex illo
Tecto excluſum foribus,me deturbauit ædibus. S O.egóne? D
A M. Tu.quid minitabas te facturum,ſi iſtas pepuliſſem fores?
Negas ſceleſte? S O.quin negẽ?en teſtis ampliter,qui cum venio,
Miſſus ſedulò,vt ad te vocatum ducerem. A M. quis te miſit
Furcifer? S O.qui me rogat. A M. quando gentium? S O.dudum,iampridem,modò,
Vbi cum vxore domi rediſti in gratiam. A M.Bacchus te irritaſſit.
S O. Nec Bacchum ſalutem hodie,nec Cererem.tu purgari iuſſeras
Vaſa,vt rem diuinam faceres:& hunc me arceſſitum mittis,
Vt tecum prandeat. A M. Blepharo, diſperеam, ſi aut intus adhuc fui.

Aut ſi



A Aut ſi hunc miſerim: dic,vbi me liquiſti? S O. domi cum Alcumena coniuge.
Ego à te abiens portum vorſus volito,hunc tuis verbis voco.
Venimus, nec te niſi nunc video poſtea. A M. ſceleſtum caput, cum vxore?
Nunquam abis, quin vapules. S O. Blepharo. B L E. Amphitruo mitte hunc mea gratia.
Et me audias. A M. en mitto, quid vis loquere. B L E. iſtic iam dudum mihi
Maxuma memorauit mira.præſtigiator fortè,aut veneficus
Hanc excantat tibi familiam,inquire aliunde,vide quid fiet.
B Nec ante hunc excruciatũ, miſerum facias, quàm rem intelligas.
A M. Rectè mones, eamus, te aduorſum vxori etiam aduocatum volo.

QVÆ INTEMPERIÆ N.] quæ furiæ.&c. FABVLARIER] dici. MVTATOS ATTICOS IN ARC.] hac de re legendus Plin.cap.22. QVOM EGO SOSIAM &c.] cùm ego Soſiam alterum pepererim, Amphitruonem Amphitruo: quî ſcis,&c. ID IMPRANSVS CREDVAS] impranſus credas te alterum Blepharonem peperiſſe. credas autẽ poſtquam tibi re, & factis tibi perſuaſum fuerit. ME MALIS MVLCAVIT MODIS] me malè mulcauit: me fœdum in modum verberauit. de hoc verbo nos alibi plura. GRANDIRE] grandiores facere. Plautus in Aulul. *Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.* CREPITAT] crebrò crepat. latrat. ὑλακτεῖ. IN NOSTRO ILLO THEB. G.] Cadmus,qui Thebanus fuit, ſerpentem illum interfecit, ex cuius dentibus diſſeminatis nati ſunt homines armati. MARTIGENAM] Martiam: ſerpentem, qui Martios, & armatos homines è dentibus ſuis genuit: quem poſtea Cadmus interemit. EVROPAE QVAESTOR,] Europæ
C quæſitor. hoc eſt, qui ad Europam quærendam ab Agenore miſſus eſt. ANGVINEO REPENTE HOSTEIS PEP. SEMINIO] id eſt, repente hoſteis nactus eſt, è ſerpentis dentibus ſeminatis prognatos. NOSTRAE AVCTOREM GENTIS] Cadmum, Thebarum conditorem. CVM VENERIS FILIA] cum Hermiona, vxore ſua. ANGVEIS REPSISSE] mutatos eſſe in angueis,vel ſic, angueis ex hominib.factos,repſiſſe. PERTOLERAREM] vt pertolerarem &c. Nonius in verbo exantlare, ſeu exanclare hunc locum profert: quo argumento vtuntur nonnulli ad probandum, omneis eos verſus, quos indicauimus, eſſe Plautinos. At licet reſpondere hoc ex illo non effici. Nam vel fieri potuit, vt, qui hos verſus fecit, verſus vnum atque alterum apud Grammaticos veteres repertum ſuis admiſcuerit, vt facilius fidem faceret, eos eſſe germanos,& veros,non adulterinos: vel dici poteſt hos verſus ante ætatem Nonij eſſe ſcriptos,& Plautinis amiſſis, in eorũ locum ſubditos. EXANCLAREM] al. exantlarem. exantlarem autem,id eſt,exhaurirem,ſuſtinerem. Conſule Feſtum in verbo antlare, ſeu anclare, & Nonium in exanclare. OPESSVLATAS] id eſt, peſſulo obdito clauſas. de peſſulo infrà. CVRIOSÈ Q. &c.] id eſt, & ſanè accuratè iſtud, quod dicis, fecit. FOREIS ENIM CL. NE PRAEVORT. F.] iocus. nam foreis clauſit, ne fames foras egreſſa
D eum anteuerteret. nonnulli ſic. foreis enim clauſit, ne, ſi domum introiſſet, antè eiiceretur foras, quàm ſua ſponte domo exiret. à quibus diſſentio. NEC GANNIO, NEC LATRO.] quia Blepharo Soſiam ſibi oggannire, & obloqui, & obſtrepere dixerat: gannire autem eſt vulpium non hominum, idcirco reſpondet Soſia ſe neque vt vulpes, gannire: neque vt canes, latrare. OBSERVES] Amphitruonem quid agat, aut quid loquatur. NESCIO QVID SECVM SOLVS] ſubintell.loquitur. EXCIPIAM.] quæ loquitur. EXPVNGANT] deleant. SIGNVM OBSIGNATVM PROBÈ] ſignum obſignatum videtur eſſe Atticiſmus, vt pugna pugnata, gaudere gaudium,& ſimil. Præterea videtur eſſe hypallage, & dictum, *erat tamen ſignum obſignatum probè.* pro, erat tamen patera ſigno obſignata probè. PROLOCVTA] ſubintellige, eſt. AVSIT] auſus eſt. PRAEVORTIER] id eſt, anteuertere. LOCVTVS] ſubintell. eſt. HOMINEM NE CONGREDIAMVR Q.] antiquè dictum,pro,cum homine ne cõgrediamur. Sic ſolet Plautus dicere *colloqui hominem*, pro, cum homine colloqui. Videntur ſuperiora vſque ad hunc locum, vendi poſſe pro Plautinis: quæ ſequuntur verò, non item. Sunt enim multa ex eis, aliunde mutuò ſumta, imitata, & pœne dicam, mendicata: nonnulla, inconcinna, & Plauto indigna. MASTIGIAM] verberonem. OSTENDAM, QVID SIT HERVM FALLERE] Sic Teret. Andr. *Age nũc iam ego hodie ſi viuo, tibi oſtendã, herũ quid ſit pericli fallere, & illi patrẽ.* MACHINA] tralatio. COMPELLEMVS SIS H.]

g

compellemus ſi vis hominem. compellemus ſodes hominem. VETV'ST. ADAG.] vetus eſt A
prouerbium. FAMES ET MORA BILEM IN NASVM CONC.] naſus, bilis ſedes. Theocritus εἰδ. α. εἴπί γε πικρὸς καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. ET LOCO] id eſt, & accommodatè, ſeu opportunè. ALACRE.] id eſt, alacriter. ſed malim legi, *Alacres.* SI ME DÆDALEIS TVLISSEM REMIG.] ſi volaſſem. Dædali remigiis, id eſt, Dædali pennis, ſiue alis. quas tamen nonnulli interpretantur remigia. nauigaſſe enim Dædalum, non volaſſe. Virgil. vtrumque coniunxit lib. I. Æneid. *volat ille per aëra magnum Remigio alarum.* & libro 6. *Redditus his primum terris tibi, Phœbe, ſacrauit remigium alarum.* Lucret. libro 6. *Remigij oblitæ, pennarum vela remittunt.* GRANDIRE GRADVS] Græci dicunt διαίρεσθαι. ſeu in Aoriſt. διάρασθαι. Theoph. lib. ἠθικ. χαρακτ. περὶ ἀδολεσχ. περισείσαντα δὲ χρὴ τοὺς τοιούτους τῶν ἀνθρώπων καὶ διαράμενον ἀπαλλάττεσθαι. id eſt, dimiſſis manibus autem opus eſt taleis homines, & gradiantem gradus, qui vult febris expers eſſe. ſiue grallatorius. Varro apud Nonium. Grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ ſunt perticæ ligneæ, &c. Feſtus autem, Grallatores, inquit, appellantur pantomimi, qui vt in ſaltatione imitarentur. Ægipanas, adiectis perticis furculas habentibus atque in his ſuperſtantes, ad ſimilitudinem crurum eius generis gradiebantur, vtique propter difficultatem conſiſtendi. Plautus Pœnulo, *Vinceretis curſu ceruas, & grallatorem gradu.* Per grallatorium gradum igitur, maximum, & ita B
celerrimum ſignificat: per teſtudineum, tardiſſimum. QVID MINITABAS?] quid minitabaris, te ſ. Nonius, minitas pro minitaris, inquit. deinde profert hunc verſum. QVIN NEGEM?] quare non negem? quid cauſæ eſt, quamobrem non negem? MISSVS SEDVLÒ] ego miſſus à te ad eum ſedulò, &c. VT AD TE VOCATVM DVCEREM] vt eum vocatum, ad te ducerem. BACCHVS TE IRRITASSIT] Bacchus te irritauerit. NEC BACCHVM SALVTEM H.] Nec Bacchum hodie ſalutari potui, nec Cererem, qui nihil hodie nec comedi, nec bibi. INTVS] ἔνδον. domi. TE ADVORSVM VXORI ETIAM ADVOC. V.] te mihi aduocatum aduerſus vxorem eſſe volo. aduocati qui ſint, alibi dictum: & infrà nonnihil dicetur.

## IVPITER, AMPHITRVO, SOSIA, BLEPHARO.

IVP. QVis tam vaſto impete has foreis toto conuolſit cardine?
Quis ante ædeis tantas tandiu turbas concitat? quem ſi comperero, C
Telebois ſacruficabo manibus. nihil eſt, vt dici ſolet,
Quod hodie bene ſuccedat mihi, deſerui Blepharonẽ, & Soſiam,
Vt cognatum Naucratem conuenirem: hunc non reperi, & illos perdidi.
Sed eos video: ibo aduorſum, vt ſi quid habent, ſciſciter. SO. Blepharo, illic qui
Ex ædibus, herus eſt, hic verò veneficus. BL. proh Iuppiter,
Quid intueor? hic non eſt, ſed ille Amphitruo. iſtic ſi fuat,
Illum ſanè non eſſe oportuit, niſi quidem ſit geminus. D
IVP. Eccum cum Blepharone Soſiam: compellabo hos prius. Soſia,
Tandem ad nos? eſurio. SO. dixin' tibi hunc veneficum?
AM. Immo hunc ego, Thebani ciues, qui domi vxorem meam
Impudicitia impediuit, per quem teneo theſaurum ſtupri.
SO. Here, ſi tu nunc eſuris, ego ſatur pugnis ad te volito.
AM. Pergin' maſtigia? SO. abi ad Acheruntem venefice. AM. men' veneficum?
Vapula. IVP. quæ hoſpes intemperiæ, vt tu meum verberes? AM. tuum? IVP. meum.
AM. Mentiris. IVP. Soſia, i intrò: dum hunc ſacrufico, fac paretur prandium.



A SO. Ibo. Amphitruonem (arbitror) ita comiter Amphitruo
Accipiet, vt dudum memet ego ille alter Soſia Soſiam.
Interea dum iſti certant, in popinam deuortundunſt mihi:
Lances detergã omneis, omneiſque trullas hauriam. IV. tun' me
Mentiri ais? AM. mentiris, inquam, meæ corruptor familiæ.
IVP. Ob iſtuc indignum dictum, te obſtricto collo hac arripiam.
AM. Væ miſero mihi. IVP. at id præcauiſſe oportuit. AM. Blepharo ſuppetias mihi.
BLE. Conſimiles ſunt adeò, vt, vtri aſſim, neſciam: rixam tamen,
Vt poteſt dirimam. Amphitruo noli Amphitruonem duello perdere.
B Linque collum precor. IVP. hunc tu Amphitruonem dictitas?
BLE. Quid ni? vnus olim, nunc verò partus eſt geminus,
Dum tu vis eſſe, alter quoque eſſe forma non deſinit.
Interea quæſo collum linque. IVP. linquo: ſed dic mihi, videtúrne tibi
Iſtic, Amphitruo? BLE. vterque quidẽ. AM. proh ſumme Iuppiter, vbi hodie
Mihi formam adimis? perge quærere: tun' Amphitruo? IVP. tu negas?
AM. Pernego, quando Thebis, præter me, nemoſt alter Amphitruo.
IVP. Immò, præter me, nemo: atque adeò, tu Blepharo iudex ſies.
C BLE. Faciam id ſi queo ſignis palàm, tu reſponde prius. AM. lubens.
BLE. Antequam cum Taphiis à te pugna ſit inita, quid mandaſti mihi?
AM. Parata naui, clauo hæreres ſedulò.
IVP. Vt ſi noſtri fugam facerent, illuc me tutò reciperem.
AM. Item aliud, vt bene nummatum ſeruaretur marſupium.
IVP. Quæ pecuniæ? BLE. tace ſis tu, meumſt quærere. ſciſti numerum?
IVP. Talenta quinquaginta Attica. BLE. hic examuſſim rem enarrat. & tu.
Quot Philippei? AM. duo milia. IVP. oboli verò bis totidem. SO. vterque
D Rem tenet probè. intus in crumena clauſum alterum eſſe oportuit.
IVP. Attende ſis, hac dextra (vt noſti) regem mactaui Pterelam,
Spolia ademi, & pateram, qua ille potare ſolitus eſt, in ciſtella
Pertuli: dono vxori meæ dedi, quicum hodie domi laui,
Sacruficaui, cubui. AM. hei mihi, quid audio? vix apud me ſum,
Vigilans quippe dormio: vigilans ſomnio, viuos & ſanus intereo.
Ego idem ille ſum Amphitruo, Gorgophonis nepos, imperator Thebanorum,
Et Creontis vnicus, Teleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, & ſumma regem virtute bellica.
Illiſce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.

IVP. Ego idem latrones hoſtes bello & virtute contudi. A
Electryonem perdiderant, noſtræ & germanos coniugis,
Achaiam, Ætoliam, Phocidem, per freta Ioninium, & Ægæum, & Creticum
Vagati, vi vortebant piratica. AM. di immortales mihimet
Non credo. ita omnia, quæ facta illic, examuſſim loquitur. Vide
Blepharo. BLE. vnum ſupereſt: id ſi fuat, Amphitruones fitote gemini.
IVP. Quid dicas noui: cicatricem in dextro muſculo ex illoc volnere
Quod mihi impegit Pterela. BLE. eam quidem. AM. appoſitè. IVP. viden'? en aſpice.
BLE. Detegite, aſpiciam. IVP. deteximus, vide. BLE. ſupreme Iupiter. B
Quid intueor? vtrique in muſculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probè, vt primùm coïuit cicatrix rufula.
Sublurida. Rationes iacent, iudicium ſilet, quid agam neſcio.

TAM VASTO IMPETE] tam vaſto impetu. TELEBOIS SACRIFICABO MANIBVS.] Teleboarum interfectorũ vmbris mactabo. ILLIC, QVI EX ÆDIB. &c.] ille, qui ex ædibus prodit, herus eſt. ISTIC SI FVAT ILL.] ſi iſte, qui prope te ſtat, Amphitruo ſit, illum, qui domo egreditur, non eſſe Amphitruonem neceſſe eſt. DIXIN' TIBI HVNC VENEFICVM?] dixine tibi, hunc, cum quo ſumus, eſſe veneficum? IMMO HVNC EGO,] Immò hunc ego veneficum eſſe dico, qui domo egreditur, qui &c. QVI DOMI VX. M. IMP. IMP. THES. ST.] profert hunc locum Nonius in verbo, *impediuit*, & in voce *theſaurus*. & impediuit interpretatur, ſordidauit, & ad probrum duxit. ego impudicitia impediuit, tranſlatè dictum puto, pro ad impudicitiã perpulit, impudicitia contaminauit, impudicam reddidit, impudicitiæ macula adſperſit. C PER QVAM TENEO THES.] apud Noniũ in voce theſaurus, legitur, *quem teneo, theſaurum ſtupri*, ſine præpoſitione *per*, quam ſi retinemus, hæc ſentẽtia eſt, per quem, domus mea, plena eſt ſtupri. ſin tollimus: hæc. quem teneo, hominẽ omni ſtuprorum copia affluentem. QVAE, HOSPES, INTEMPERIAE, &c.] quæ te hoſpes intemperiæ agitant, vt tu meum ſeruum verberes? hoſpitem appellat, vt ignotum, & nõ ciuem, nedum Amphitruonem. OMNEISQVE TRVLLAS HAVRIAM.] trulla deminutũ nomen eſt à trua: numeratúrque à quibuſdam in vaſis potoriis: quamuis Nonius idem eſſe dicat, atque polubrum, ſeu χέρνιβα quod eſt vas aquarium, ſeu vas ad aquam, dum manus lauantur, recipiendam. Varro trullam vult eſſe dictam, quòd ea trauolet aqua. Nonius à terendo ſcribit eſſe appellatam. Hoc loco trullam ſignificare vas ad vſum bibendi natũ, ac factum, perſpicuum eſt. trullas haurire enim eſt trullas bibendo exſiccare. OBSTRICTO COLLO] ſuprà, *Quom ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.* SVPPETIAS MIHI] ſubintell. ferto. VT POTEST,] vt pote eſt: vt fieri poteſt. ALTER QVOQVE ESSE F.] id eſt, alter quoque Amphitruo eſſe non deſinit, quod ad formam attinet. VIDETVRNE TIBI ISTIC AMPHITRVO?] videtúrne tibi iſte, qui tibi adſtat, eſſe Amphitruo? D PERGE QVAERERE.] verba veri Amphitruonis ad Iouem, qui modò ex Blepharone quęſierat, videretúrne ei verus Amphitruo, Amphitruo. TVN' AMPHITRVO?] ſi etiã hæc Amphitruonis veri verba ſunt, dicendũ eſt, Amphitruonẽ verum nõ exſpectaſſe, dũ Iupiter ex Blepharone quærere pergeret, ſed ipſum dolore impulſum anteuertiſſe. quòd ſi verba ſunt Iouis ex Amphitruone quærentis, ſitne ille Amphitruo, commutandæ ſunt perſonæ, & his verbis præponendum eſt Amphitruonis nomẽ, & cetera deinceps ſunt eadem ratione mutanda. CLAVO HAERERES SEDVLO.] mandaui tibi, vt ſedulò gubernaculo affixus eſſes. MARSVPIVM.] ſacculus, ſiue loculus, in quo nummi conditi ſeruantur crumena. TACE SIS TV.] tace ſi vis tu. EXAMVSSIM] ſubtiliter, perfectè, ἀκριβῶς exactè, accuratè. QVOT PHILIPPEI?] quot nummi ex auro Philippeo? hac de re infrà. ATTENDE SIS] attende ſi vis. attende amabo. VIGILANS QVIPPE DORMIO, &c.] ſic ſuprà. *quæ ne vigilans ſomniat?* VIVOS, ET SANVS INTEREO.] viuus vidénſque pereo. PERDVELLIS,] hoſtis. LATRONES] milites conductos, quibus vtebantur hoſtes. VORTEBANT] euertebant. ID SI FVAT] id ſi ſit. FITOTE] al. fite. CICATRICEM IN D.] dicis cicatricem, quæ eſt in dextro muſculo. EAM QVIDEM] dico. IMPEGIT] intulit, inflixit. COIVIT] obducta eſt. SVBLVRIDA] aliquãtum lurida, ſeu pallida, coloris luræ ὤχρά ſubuiridia. Lura autẽ eſt os culei. vide quæ notauimus ad



A mus ad illud Lucret. lib. 4. *Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur Arquati.* RATIONES IACENT.] rationes nihil valent, aut proſunt. rationes non liquent, ſed conturbatæ ſunt. rationibus hæc controuerſia dirimi non poteſt. IVDICIVM SILET] iudices muti ſunt in hac controuerſia. iudices quid pronuntient in hac controuerſia, non habent. QVID AGAM, NESCIO] Vſque ad hunc locum, ab illo, quem ſuprà indicauimus, libri veteres muti ſunt.

## BLEPHARO, AMPHITRVO, IVPITER.

BLE. Vos inter vos partite, ego abeo, mihi negotium eſt.
Neque ego vnquam vſquam tanta mira me vidiſſe cenſeo.
AM. Blepharo quæſo vt aduocatus mihi aſſis, néue abeas. BLE. vale.
B Quid opuſt me aduocato? qui vtri ſim aduocatus neſcio.
IVP. Intro ego hinc eo, Alcumena parturit. AM. perij miſer,
Quid ago? quem aduocati iam omnes atque amici deſerunt?
Nunquam edepol me inultus iſtic ludificabit, quiſquis eſt.
Nam iam ad regem rectà me ducam, réſque vt facta, eloquar.
Ego pol illum vlciſcar hodie Theſſalum veneficum,
Qui peruerſe perturbauit familiæ mentem meæ.
Sed vbi illeſt? intrò ædepol abiit, credo ad vxorem meam.
Qui me Thebis alter viuit miſerior? quid nunc agam?
Quem omnes mortales ignorant, & ludificant vt lubet.
Certumſt introrumpam in ædis, vbi quenque hominem aſpexero,
C Siue ancillam, ſiue ſeruum, ſiue vxorem, ſiue adulterum:
Seu patrem, ſiue auum videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Iuppiter, neque di omnes id prohibebunt, ſi volunt.
Quin ſic faciam vti conſtitui, pergam in ædis nunc iam.

VOS INTER VOS PARTITE.] Vos inter vos iſtam controuerſiam decidite, ac dirimite. TANTA MIRA] tanta miracula. CENSEO] arbitror. VT ADVOCATVS MIHI ADSIS] aduocatus eſt, vt docet Aſconius, qui ius alicui ſuggerit, aut qui præſentiam ſuam ei commodat. INVLTVS] paſſiuè accipiendum *inultus*. ME DVCAM] me conferam. Idem in Moſtell. *Quò tu te agis?* C. Aſinius Pollio ad Ciceronem, lib. 10. epiſt. *duxit ſe à Gadibus*, &c. RESQVE VT FACTA, EL.] &, vt res facta eſt, eloquar. THESSALVM VENEF.] Theſſali veneficiis & præſtigiis, & magicis artibus infames. IGNORANT,] non nouerunt. PROHIBEANT] prohibere poſſint. SI VOLVNT] malim legi, D ſi velint.

# ACTVS QVINTVS. A

BROMIA ancilla, AMPHITRVO.

SPes atque opes vitæ meę iacent ſepultæ in pectore,
Neque vllaſt cõfidentia iam meo in corde, quin amiſerim,
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum conſequi,
Iam vt opprimar, vt enecer. me miſeram, quid agam neſcio. B
Ita tanta mira in ædibus ſunt facta. væ miſeræ mihi,
Animo maleſt, aquam velim, corrupta ſum, atque abſumta ſum.
Caput dolet, neque audio, nec oculis proſpicio ſatis,
Nec me miſerior fœmina eſt, neque vlla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit. nam vbi parturit, deos ſibi inuocat.
Strepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus, vt ſubitò, vt properè, vt validè tonit?
Vbi quiſque inſtiterat, concidit crepitu. ibi neſcio quis maxi.
Voce exclamat ſic, Alcumena adeſt auxilium, ne time.
Et tibi, & tuis propitius cæli cultor aduenit. C
Exſurgite, inquit, qui terrore meo occidiſtis præ metu.
Vt iacui, exſurgo, ardere cenſui ædis, ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena, tum ea res me horrore afficit.
Herilis præuertit metus, ocyus accurro vt ſciſcam quid velit,
Atque illam geminos filios pueros peperiſſe conſpicor.
Neque noſtrûm quiſquam ſen ſimus quum peperit, neque præuidimus.
Sed quid hoc? quis hic eſt ſenex,
Qui ante ædis noſtras ſic iacet? númnam hunc percuſſit Iupiter?
Credo edepol, nam proh Iupiter ſepultus eſt, quaſi ſit mortuus. D
Ibo & cognoſcam quiſquis eſt. Amphitruo hic quidem eſt herus meus.
Amphitruo. AM. perij. BRO. ſurge. AM. interij. BRO. cedo manum. AM. quis me tenet?
BRO. Tua Bromia ancilla. AM. totus timeo, ita me increpuit Iupiter:
Nec ſecus eſt, quàm ſi ab Acherunte veniam. ſed quid tu foras
Egreſſa es? BRO. eodem nos formido timidas terrore impulit:
In ædibus. vbi tu habitas, nimia mira vidi. væ mihi
Amphitruo, ita mihi animus etiam nunc abeſt. AM. age dum expedi,

Scin'



A Scin' me tuum eſſe herum Amphitruonem? BRO. Scio.
AM. vide etiam nunc. BRO. ſcio.
AM. Hæc ſola ſanam mentem geſtat mearum familiarium.
BRO. Immò omnes ſani ſunt profectò. AM. at me vxor inſanum facit
Suis fœdis factis. BRO. at ego faciam, tu idem aliter prædices
Amphitruo, piam & pudicam eſſe tuam vxorem vt ſcias.
De ea re ſigna atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primò Alcumena geminos peperit filios.
AM. Ain' tu geminos? BRO. geminos. AM. di me ſeruant. BRO. ſine me dicere,
B Vt ſcias tibi tuæque vxori deos eſſe omnes propitios.
AM. Loquere. BRO. poſtquam parturire hodie vxor occœpit tua,
Vbi vtero exorti dolores, vt ſolent puerperæ,
Inuocat deos immortales, vt ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. ibi continuò contonat
Sonitu maximo, ædes primò ruere rebamur tuas.
Ædes totæ confulgebant tuæ quaſi eſſent aureæ.
AM. Quæſo abſoluito hinc me extemplò, quando ſatis deluſeris.
Quid fit deinde? BRO. dum hæc aguntur, interea vxorem tuam
Neque gementem, neque plorãtem noſtrûm quiſquã audiuimus,
Ita profectò ſine dolore peperit. AM. iam iſtuc gaudeo,
C Vtut erga me eſt merita. BRO. iſtæc mitte, atque hæc, quæ dicam, accipe:
Poſtquam peperit pueros, lauere iuſsit nos. occœpimus.
Sed puer ille quem ego laui, vt magnus eſt, & multum valet?
Neque eum quiſquam colligare quiuit in cunabulis.
AM. Nimia mira memoras, ſi iſtæc vera ſunt, diuinitus
Non metuo, quin meæ vxori latæ ſuppetiæ ſient.
BRO. Magis iam faxo mira dices. poſtquam in cunas conditust,
Deuolant angues iubati deorſum in impluuium duo,
Maximi, continuò extollunt ambo capita. AM. hei mihi.
D BRO. Ne paue, ſed angues oculis omnis circumuiſere,
Poſtquam pueros conſpicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas receſſim rurſum vorſum trahere & ducere
Metuens pueris, mihi formidans: tantóque angues acrius
Perſequi. poſtquam conſpexit angueis ille alter puer,
Citus è cunis exſilit, facit rectà in anguis impetum.
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
AM. Mira memoras, nimis formidoloſum facinus prædicas.
Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere. BRO. puer ambo anguis enecat.
Dum hæc aguntur, voce clara exclamat vxorem tuam.

AM. Quis homo? BRO. ſummus imperator diuûm atque hominũ A
Iupiter.
Is ſe dixit cum Alcumena clam conſuetum cubilibus.
Eúmque filium ſuum eſſe, qui illos angueis vicerit:
Alterum eſſe tuum dixit puerum. AM. pol me haud pœnitet
Scilicet boni dimidium mihi diuidere cum Ioue.
Abi domum, iube vaſa pura actutum adornari mihi,
Vt Iouis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.
Ego Tireſiam coniectorem aduocabo, & conſulam,
Quid faciundum cenſeat, ſimul hanc rem vt facta eſt eloquar.
Sed quid hoc? quàm validè tonit, di obſecro veſtram fidem.

B IACENT SEPVLTAE] mortuæ ſunt. CONFIDENTIA] pro fiducia hîc accipiēdum eſt confidentiæ nomen. alioqui vitij nomen eſt. M.Tull. lib. 3. Tuſcul. quæſt. *confidens mala conſuetudine loquendi, (alias, loquentium) in vitio ponitur.* Lege Nonium in voce *confidentia.* QVIN OMISERIM.] quam non amiſerim, CONSEQVI,] conuenire, & concurrere, vel me ipſam conſequi, vt Paſſeratius mauult. ANIMO MALE'ST.] ſic in Trucul. *Non edepol bibere poſſum iam: ita animo male'ſt.* AQVAM VELIM] vt ea ſuffuſa, reficiar, & recreer, quæ metu exanimata ſum. Nam aqua adſperſa, iis, quorum animis malè factum eſt, quíue animis defecerunt, remedio eſt. exempli gratia. in Curcul. *Mane. ſuffundam aquulam.* Idem in Trucul. *ah, adſperſiſti aquã, Iam rediit animus.* CAPVT DOLET.] mihi ſubintell. κεφαλαλγῶ. STREPITVS CREP. SONITVS TONITRVS,] profert hunc locum Nonius in voce, *tonitrus.* VT VALIDÈ TONIT?] quàm validè tonuit? legendum puto, tonit; vt ſit tempus præſens pro præterito. Cæli cultor] qui cælum colit, qui in cælo habitat. Iupiter. VT IACVI, EXSVRGO] id eſt, poſtquã iacui, exſurrexi. vel ſic, vbi iacui, inde exſurrexi. ſed illo modo mâlo. ARDERE CENSVI AEDEIS] ædeis ardere exiſtimaui. ædes mihi ardere viſæ ſunt. ME INCLAMAT ALC.] me ſublato clamore vocat Alcum. TVM EA RES ME HORR.] tunc ea res mihi horrorem incutit. alij libri habent, tam ea res &c. ſed mendoſè opinor. Nonius videtur legiſſe, *iam ea res me,* &c. HERILIS PRAEVORT. METVS.] Nonius hunc locum proferens, *præuortit* interpretatur reuocat. Ego totum hunc locum ſic explico. inclamãte hera Alcumena, tum me ea res perterrefacit, & horrore perfundit. ſed heræ Alcumenæ metus plus apud me valet, quàm meus. C VT SCISCAM &c.] id eſt, vt ſciam, &c. Omnino apud Nonium legitur, vt ſciam, quid velit. CONSPICOR.] conſpicio. NEQVE NOSTRÛM QVISQVAM SENSIMVS,] neque quiſquam noſtrûm ſenſit. QVIS HIC EST SENEX?] hîc ancilla Amphitruonem metu perculſum & iacentem, & exanimatum reperit. O, CEDÒ MANVM.] o, da manum. INCREPVIT IVP.] Horribili ſonitu, & crepitu percuſſit. AB ACHERVNTE VEN.] ab inferis ſiue ab orco veniam. ITA MIHI ANIMVS ETIAM N. AB.] ita ego etiam nunc examinata ſum. HAEC SOLA SARTAM M. G.] id eſt, hæc ſola mearum ancillarum, mentem integram, & ſanam gerit. ceteri & ceteræ familiares omnes mentem habent vitiatam, & corruptam. Sic autem legendum mihi viſum eſt potius, quàm vt habent libri vulgati, *ſanam:* quanquam eadem ſententia eſt. Nam & ad veterem ſcripturam propius accedit, quæ eſt, *ſarcam,* aut *ſarram.* & habet tralationem perelegantem, ab D ædificiis ſartis, vel ab ædificiorũ ſartis tectis ductã. qua & M.Tull. vſus eſt in epiſt. ad C. Memmium. &c. lib. 13. *vt M. Curium, ſartum & tectum, vt aiunt, ab omnique incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrúmque conſerues,* licet etiam legere ſiccam: quod Camerarius non improbat, quamquam ſartam magis probat: in quo ei aſſentior. *ſagam* autem, quod mauult Turnebus, non placet, tum quòd nimis ab antiqua ſcriptura remotum eſt, tum quia per ſagam mentem aliud ſignificari videtur, quàm quòd Amphitruo Plautinus ſentit. *ſartam mentem* igitur, vt dixi, legendum potiſſimùm arbitror: *ſartam* autem, vt & Camerarius, integram, non læſam, non male affectam, non labantem, neque vacillantem interpretor. PIAM] fidam in te, atque officioſam. GEMINOS.] reſponſio per ταυτολογίαν Sic ſuprà. *in eodem lecto? AL. in eodem.* DOLORES] ὠδῖνες dolores partus. VT SOLENT PVERP.] quales dolores exoriri ſolent puerperæ. MANIBVS PVRIS] manibus lotis. Horat. ſat. 3. lib. 2. *Lautis manè ſenex manibus.* CAPITE OPERTO] capite velato deos oraturi, & ſacra facturi manus lauabant, & inter orandum capita operta habebant. Plutarchus ῥωμ. ABSOLVITO HINC ME EXT.] conferto in pauca, quæ narrare cœpiſti, vti hinc abeam. expedito rem paucis, vt mihi quamprimùm abire liceat. in Curcul. *ſequere hac te abſoluam, qua adueniſti gratia.* ITA PROFECTÒ SINE D.] Quidam legunt, *Ita perfectè.* Nonnulli libri habent, *Ita perfectò.* VT VT] quomodocunque de me eſt



A eſt merita. LAVERE] lauare pueros. profert hunc locum Nonius in verbo *Lauere.* ET MVLTVM VALET!] & multum validus eſt! IN CVNABVLIS] ſi legemus *in cunabulis,* duabus vocibus, cunabula dicemus idem eſſe quod cunas. ſin vna voce, *incunabulis,* quod ego mâlo, incunabula dicemus eſſe faſcias, & inuolucra, hoc eſt pannos linteos, quibus pueri infantes inuoluuntur, vinciuntur, & colligantur. In Trucul. *Faſciis opus eſt, puluinis, cunis, incunabulis.* DIVINITVS NON METVO QVIN, &c.] ordo eſt, non metuo, quin ſuppetiæ vxori meæ diuinitus latæ ſint. MAGIS IAM FA.] Sic loquitur millies Plautus. *Faxo dices,* autem id eſt fecero, vt, dicas. faciam vt dicas. & admonendus eſt lector, vtroque modo eum dicere ſolere, *faxo dices,* & *faxo dicas,* & ita de ſimilibus. DEVOLANT] deorſum volant. ANGVES IVBATI] Sic habent noſtri libri veteres. Sed Nonius in voce *angues* legit *iubatæ*: vt probet, *anguis* eſſe interdum fœminini generis. *iubati angues* autem, ſeu *iubatæ* dicuntur *crinitæ,* hoc eſt demiſſis è ceruice & collo crinibus hirſutæ: ſic dicuntur & leones, & equi iubati. Virgilius lib. 3. Georg. *Denſa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.* & lib. 11. Æneid. *Ludúntque iubæ per colla, per armos.* Plin. lib. 8. cap. 16. *Leoni præcipua generoſitas tunc cum colla, armóſque veſtiunt iubæ.* de iubis anguium. Virgil. lib. 2. Æn. *Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæq́.* IN IMPLVVIVM] *impluuium,* vt docet Aſconius, locus eſt ſine tecto in ædibus, quà impluere in domum poteſt. Varro B autem libro quarto de lingua Latina. *Si relictus erat locus in medio,* inquit, *vt lucem caperet deorſum, quà impluebat: impluuium dictum: & ſurſum, quà compluebat, compluuium*: vtrumque à pluuia. SED ANGVES OCVLIS OMN. CIRC.] ſed angues omneis familiareis oculis circumſpiciebant. CONSPICATI] ſubintell. ſunt. RVRSVM VORSVM] retrorſum. Paſſeratius legit *rurſum prorſum.* ILLE ALTER PVER.] Hercules. ALTERVM ALTERA APPREH. &c.] apprehendit eos perniciter, id eſt, celeriter, alterum altera, id eſt, vnum dextra, alterum læua. Ouidius libro 1. de Arte amandi. *Paruus erat, manibúſque ſuis Tyrinthius angueis Preſſit, & in cunis iam Ioue dignus erat.* PERCIPIT] occupat, perfundit. ſic Lucret. lib. 3. *His tibi me rebus quædam diuina voluptas Percipit, atque horror.* PORRÒ LOQVERE] id eſt, perge loqui. porro tenus loquere. AMBO ANGVEIS] *ambo,* pro ambos, vt *duo* pro duos. Virg. libro 11. Æneid. *Si duo præterea taleis Idæa tuliſſet Terra viros* &c. hac de re in Comment. Lucret. plura. CLAM CONSVETVM] clàm conſuetum eſſe. clàm conſueuiſſe, & rem habuiſſe. SI LICET BONI DIMI.] ſi licet mihi, boni ſocietate cum Ioue contracta, eius boni partem dimidiam obtinere, altera dimidia ei relicta & conceſſa. legendum *Si licet,* vt nos edidimus, non Scilicet, vt habent alij libri. VASA PVRA] ſuprà. *Iube verò vaſa pura adornari mihi.* PACEM C EXP.] ſic M.Tull. pro Rabirio perd. r. *ab Ioue opt. max. ceteríſque diis, deabúſque immortalibus quorum ope.* &c. *pacem ac veniam peto, precórque* &c. Idem pro M. Font. *illæ nationes in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt.* Lucret. lib. 5. *Non diuûm pacem votis adit, & prece quæſit Ventorum pauidus paces, animáſque ſecundas.* Iterum Plautus Pœn. *Sunt hîc omnia, quæ ad deorum pacem oportet adeſſe?* Nihil autem aliud eſt, Iouis pacem expetere, quàm Iouem ſibi propitium, placatum, & pacatum habere velle. TIRESIAM] de quo Homerus ὀδυσσ. λ. CONIECTOREM] μάντιν.

## IVPITER.

BOno animo es, aſſum auxilio Amphitruo tibi & tuis,
Nihil eſt quod timeas. ariolos, haruſpices,
Mitte omnis: quæ futura & quæ facta, eloquar.
D Multò adeò melius, quàm illi, quum ſim Iuppiter.
Primùm omnium Alcumenæ vſuram corporis
Cœpi, & concubitu grauidam feci filio.
Tu grauidam item feciſti, quum in exercitum
Profectus, vno partu duos peperit ſimul.
Eorum alter noſtro qui eſt ſuſceptus ſemine,
Suis factis te immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena vxore antiquam in gratiam
Redi. haud promeruit, quamobrem vitio verteres.
Mea vi ſubacta eſt facere. ego in cælum migro.

ALCMENÆ VSVRAM CORP. C.] Alcmenæ corporé vſus ſum. CONCVBITV] A meo compreſſu. PROFECTVS] es ſubintell. EORVM ALTER.] Hercules. HAVD PROMERVIT] Haud commeruit. SVBACTA EST] coacta eſt.

## AMPHITRVO.

FAciam ita vt iubes, & te oro promiſſa vt ſerues tua.
Ibo ad vxorem intrò, miſſum faciam Tireſiam ſenem.
Nunc ſpectatores, Iouis ſummi cauſſa clarè plaudite.

PROMISSA VT SERVES TVA.] promiſſa vt facias. MISSVM FACIAM] dimittam.

B

## FINIS AMPHITRVONIS.



A

# ASINARIA.

## DRAMATIS PERSONÆ.

LIBANIVS ſeruos.
DEMENÆTVS ſenex.
ARGVRIPPVS adoleſcẽs.
CLEÆRETA lena.
LEONIDA ſeruus.
PHILENIVM meretrix.
DIABOLVS adoleſcens.
PARASITVS.
ARTEMONA vxor.
GREX.

B

## MERCATOR.

## PROLOGVS.

HOc agite ſultis ſpectatores nunc iam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vertat benè,
Gregíque huic, & domino, atque conductorib.
Face iam tu præco nunc omnẽ auritũ poplum.
Age nunc reſide, caue modò ne gratiis.
Nunc quid proceſſerim huc, & quid mihi voluerim,
Dicam. vt ſciretis nomen huius fabulæ.
Nam quod ad argumentum attinet, ſanè breueſt.
Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam, huic nomen græcè eſt onagos fabulæ,
Demophilus ſcripſit, Marcus vortit barbarè.
Aſinariam volt eſſe, ſi per vos licet.
Ineſt lepos, ludúſque in hac comœdia.
Ridicula res eſt. date benignè operam mihi,
Vt vos item aliàs, pariter nunc Mars adiuuet.

C D

HOC AGITE, SVLTIS] id eſt, ad hoc, quod agitur, animos aduertite, neque aliud agite. attentos animos ad hanc comœdiam præbete. de hac locutione, *hoc age*, plura diximus ad illud Horat. epiſt. 2. ad Loll. lib. 1. epiſt. *Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.* NVNC IAM] *iam* hîc eſt diſſyllabum. VERTAT BENÈ] fauſta ſit, & proſpera: bene procedat. vertat in vtilitatem, vt loquitur Lucretius. ſic enim ille lib. 6. *Nil adeò poſſet cuiquam leue, tenuéque membris Vertere in vtilitatem* &c. GREGIQVE HVIC] comœdis. DOMINO] poëtæ. CONDVCTORIBVS] iis, qui conduxerunt ornamenta, ædilibus. AVRITVM] attentum. Horat. oda 12. lib. 1. *Blandum & auritas fidibus canoris ducere quercus.* CAVE MODÒ, NE GRATIIS] ſic legendum, hoc primum. *gratiis* autem, id eſt, gratis. vt ingratis, & ingratiis idem valent. Deinde ſignificat, præcones nihil gratis agere, cùm linguam, ſeu vocem venalem habeant. M. Tull. in Quinctiana, de Næuio præcone. *nec mirum, ſi is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæſierat, magno ſibi quæ-*

*ſtui fore putabat.* Hanc ſcripturam comprobat illud, quod eſt in prologo Pœnuli. *Excercе vocem, quam pro viuis & colis. Nam niſi clamabis, ſtatim te obrepet fames. Age nunc reſide, duplicem vt mercedem feras.* Dicit enim præconem duplicem mercedem laturum, alteram ob clamorem, alteram ob ſilentium. ſic hoc loco. *reſide,* inquit, *& tace.* caue modò ne gratiis taceas. id eſt, caue modò ne iſtuc facias ſine mercede. proinde ac ſi dicat, non facies. Nam nihil gratis facere ſoletis, vos præcones, ne ſilere quidem. Non diſſimulabo tamen, Riuium, virum ſanè doctiſſ. legere hîc, *caue meis ne ingratiis,* loquentem de hac voce. apud Terent. in Heautont. ibi. *proterruiſti hinc. ea coacta ingratiis* &c. Poſtremò, Paſſeratius putat legendum, *caue modò ne χεύξῃς* vt ſit hic Plauti ſenſus, caue ne etiam χεύξῃς id eſt χεῦ facias, caue ne vel ſonum minimum edas. Sed neque carminis lex hanc ſcripturam patitur, neque Latini ſermonis cõſuetudo. dixiſſet enim potius, caue ne χεύξῃς modò. VT SCIRETIS NOM. HVIVS F.] proceſſi, vt huius fabulæ nomen ex me cognoſceretis. HVIC NOMEN GR. EST ON.] huic fabulæ nomen eſt onagos Græco vocabulo. ſic legendum autem, non *onagros,* quomodo in omnibus libris & ſcriptum, & impreſſum eſt. quod vidit Adr. Turnebus. ὀναγὸς autem, ſeu ὀνηγός, hoc eſt aſinorum ductor, aſinarius. BARBARè] Latinè. idem in captiuis. *Barbarica lege certum eſt ius meum omne perſequi.* id eſt, latina lege. in Mil. glor. *Poëtæ barbaro,* id eſt poëtæ Latino. Cur ita Plautus, ratio eſt in promtu. Hæ comœdiæ, palliatæ ſunt. At Græcis gentes omnes aliæ, erant barbaræ. Feſtus in voce *barbari* hunc locum profert, atque explicat his verbis, Barbari dicuntur antiquitus omnes gentes exceptis Græcis: vnde Plautus, Næuium poëtam Latinum, Barbarum dixit: & de ſe, cùm transferret fabulam ex Græco dixit, *Marcus vertit barbarè.* Idem in prouerbio. *Vapula Papiria,* profert hunc locum, qui ſequitur ex Plauti fœneratrice, *Heus tu, in barbaria, quod dixiſſe dicitur liberta ſuæ patronæ, id adeò dico liberta, ſalue, Vapula Papiria.* In Barbaria, inquit, id eſt, in Italia. RIDICVLA] riſus plena. VOS ITEM VT ALIAS, PARITER NVNC M. ADIV.] opto, vt vos Mars adiuuet, item vt aliàs adiuuit. deos quæſo vt vobis Mars faueat, vt item antea fuit. hoc eſt, vt vera virtute belli vincatis, non fraude, neque fallacia. Idem in Prologo Capt. *Abeo. Valete, iudices iuſtiſſimi: domi, bellique duellatores optimi.* Idem Prol. Caſinæ, *Tantum eſt. Valete, bene rem gerite, & vincite. Virtute vera, quod feciſtis antidhac.* Idem in Prologo Ciſtell. *Hæc res ſic geſta eſt. bene valete, & vincite Virtute vera, quod feciſtis antidhac.* Licet mihi alia exempla colligere. ſed hæc ſatis ſunt. Quòd autem quidam vult legi, *ars adiuuet:* pro *Mars adiuuet.* fallitur.

A (margin, beside line 1); B (margin, beside "promtu. Hæ comœdiæ")

## ARGVMENTVM.

AManti argento filio auxiliarier, C
Sub imperio viuens volt ſenex vxorio.
Itaque ob aſinos relatum precium Sauree
Numerarier iuſſit ſeruo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius.
Riuinus amens ob præreptam mulierem,
Is rem omnem vxori per paraſitum nunciat.
Accurrit vxor, ac virum è luſtris rapit.

AMANTI ARG. FIL. AVX.] ordo eſt. ſenex ſub imperio viuens vxorio volt auxiliarier amanti filio, argento. FILIO] Argyrippo. SENEX] Demænetus. VXORIO] vxoris, Artemonæ. hoc totum autem, ſub imperio viuens vxorio, id eſt, γυναικοκρατούμενος. D SAVREÆ,] ſeruo atrienſi. NVMERARIER. IVSSIT S. L.] al. Numerari iuſſit ſeruulo Leonidæ. CEDIT NOCT. F.] cedit noctem filius patri ſuo Demæneto. id eſt, poteſtatem facit patri ſuo cubandi cum puella. RIVINVS] diabolus adoleſcens, riualis Argyrippi. VXOR] Artemona. VIRVM] Demænetum. RAPIT] al. trahit.



# A ACTVS PRIMVS.

LIBANVS ſeruus. DEMÆNETVS ſenex.

SICVT tuum vis vnicum gnatum tuæ
Supereſſe vitæ, ſoſpitem & ſuperſtitem:
Ita te obteſtor, tum per ſenectutem tuã,
Pérque illam quam tu metuis vxorem tuam,
Si quid med erga tu hodie falſum dixeris,
B Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſiet:
Atque illa viua, viuus vt peſtem oppetas.
DE. Per deum fidiũ quæ quæris, iurato mihi,
Video neceſſe eſſe eloqui, quicquid roges.
Ita me obſtinatè aggreſſus, vt non audeam
Profectò percunctanti, quin promam omnia.
Proinde actutum iſtud quid ſit, quod ſcire expetis,
Eloquere, vt ipſe ſcibo te faciam vt ſcias.
LI. Dic obſecro hercle ſeriò, quod te rogem.
Caue mihi mendacij quicquam. DE. quin tu ergo rogas?
C LI. Num me illuc ducis vbi lapis lapidem terit?
DE. Quid iſtuc eſt? aut vbi eſt iſtuc terrarum loci?
LI. Vbi flent nequam homines, qui polentam pinſitant.
DE. Quid iſtuc ſit, aut vbi iſtuc ſit, nequeo noſcere:
Vbi flent nequam homines, qui polentam pinſitant.
LI. Apud fuſtitudinas, ferri crepinas inſulas.
Vbi viuos homines mortui incurſant boues.
DE. Modo pol percepi Libane, quid iſtuc ſit loci:
Vbi ſit pollenta, te fortaſſe dicere. LI. ah.
Neque hercle ego iſtuc dico, nec dictum volo.
Téque obſecro hercle, vt quæ locutus deſpuas.
D DE. Fiat, geratur mos tibi. LI. age age vſque excrea.
DE. Etiámne? LI. quæſo hercle vſque ex penitis faucibus.
Etiam amplius. DE. nam quouſque? LI. vſque ad mortem volo.
DE. Caueſis malam rem. LI. vxoris dico, non tuam.
DE. Dono te ob iſtuc dictum, vt expers ſis metu.
LI. Di tibi dent quæcunque optes. DE. redde operam mihi
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quòd me non ſcientem feceris,
Aut cur poſtremò filio ſuccenſeam,
Patres vt faciunt cæteri? LI. quid iſtuc noui eſt?
DE. Equidem ſcio. iam filius quòd amet meus,

Iſtanc meretricem è proximo Philenium. A
Eſt ne hoc vt dico Libane? LI. rectam inſtas viam,
Ea res eſt, ſed eum morbus inuaſit grauis.
DE. Quid morbi eſt? LI. quia non ſuppetunt dictis data.
DE. Túne es adiutor nunc amanti filio?
LI. Sum verò, & alter noſter eſt Leonida.
DE. Bene hercle facitis. & à me initis gratiam.
Verùm meam vxorem Libane neſcis qualis ſit?
LI. Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus.
DE. Fateor eam eſſe importunam atque incommodam.
LI. Poſterius iſtuc dicis, quàm credo tibi.
DE. Omnes parentes, Libane, liberis ſuis, B
Qui mihi auſcultabunt, facient obſequelam iam:
Quippe qui mage amico vtantur gnato & beneuolo,
Atque ego me id facere ſtudeo. volo amari à meis,
Volo me patris mei ſimilem, qui cauſſa mea
Nauclerico ipſe ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis ſycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi.
Eos me decretum eſt perſequi mores patris.
Nam me hodie orauit Argyrippus filius,
Vti ſibi amanti facerem argenti copiam. C
Et id ego percupio obſequi gnato meo.
Volo amori obſecutum illius, volo amet me patrem.
Quanquam illum mater artè, contentéque habet,
Patres vt conſueuerunt. ego mitto omnia hæc.
Præſertim quum is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem eius ingenio decet,
Quom me adiit, vt pudentem gnatum æquum eſt, patrem.
Cupio eſſe amicæ quod det argentum ſuæ.
LI. Demiror quid ſit, & quò euadat, ſum in metu.
DE. Equidem ſcio iam, filium quòd amet meum. D
LI. Cupis id, quod cupere te necquicquam intelligo.
Dotalem ſeruum Sauream vxor tua.
Adduxit, cui plus in manu ſit, quàm tibi.
DE. Argentum accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti iam vſuſt filio argenti minis.
Face id vt paratum iam ſit. LI. vnde gentium?
DE. Me defraudato. LI. maximas nugas agis.
Nudo detradere veſtimenta me iubes.
Defrudem te ego? age ſis tu ſine pennis vola.
Téne ego defrudem? qoi ipſi nihil eſt in manu?
Niſi



A Niſi quid tu porrò vxorem defrudaueris.
DE. Quà me, quà vxorem, quà tu ſeruom Sauream
Potes circunduce, aufer, promitto tibi,
Tibi non offuturum, ſi id hodie effeceris.
LI. Iubeas vna opera me piſcari in aëre,
Venari autem rete iaculo in medio mari.
DE. Tibi optionem ſumito Leonidam.
Fabricare quiduis, quiduis comminiſcere,
Perficito argentum hodie vt habeat filius,
Amicæ quod det. LI. quid ais tu Demænete?
Quid ſi forte inſidias deuenero?
B Tu redimes me, ſi me hoſtes interceperint?
DE. Redimam. LI. tum tu igitur aliud cura quid lubet.
DE. Ego eo ad forum, niſi quid vis? LI. i, etiámne ambulas?
DE. Atque audin etiam? LI. ecce. DE. ſi quid te volam, vbi eris?
LI. Vbicunque libitum fuerit animo meo.
Profectò nemo eſt, quem iam dehinc metuam mihi,
Ne quid nocere mihi poſſit, quum tu tua
Oratione omnem animum oſtendiſti tuum,
Quin te quoque ipſum facio haud magni, ſi hoc patro.
Pergam quò occœpi, atque ibi conſilia exordiar.
DE. Audin tu? apud Archibulum ego ero argentarium.
C LI. Nempe in foro? DE. ibi, ſi quid opus fuerit. LI. meminero.
DE. Non eſſe ſeruus peior hoc quiſquam poteſt,
Nec magis verſutus, nec quo ab caueas ægrius.
Eidem homini, ſi quid rectè curatum velis,
Mandes. moriri ſeſe miſerè mauolet,
Quàm non perfectum reddat quod promiſerit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio eſſe, quàm me hunc ſcipionem contui.
Sed quid ego ceſſo ire ad forum, quò incœperam?
Ibo, atque ibi manebo apud argentarium.

D

SICVT TVVM VIS VNICVM &c.] Hoc omnes patres exoptant. Sic Terẽt. Heaut. SOSTR. *miſeram me! hoccine quæſiſti, obſecro. Ita mihi, atq; huic ſis ſuperſtes, vt ex me, atq; hoc natus es.* Cic. lib. 2. de nat. deor. *Nã qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latius patuit.* SOSPITEM,] ſaluum. ITA TE OBTESTOR,] vt mihi verum dicas. vel vt mihi ad ea, quæ ex te quæram verè reſpondeas. MED ERGA] erga me, *ἀναστροφή.* erga me, autem, id eſt, aduerſum me, apud me. VT TIBI SVPERSTES, &c.] ſubintell. precor, opto. ÆTATEM] diutiſſimè annos triginta, & amplius. hac de re ſuprà. PESTEM OPPETAS] ſic dictum peſtem oppetas, vt mortem oppetas. profert autem hunc verſum Nonius in verbo *oppetere*, & interpretatur, *incidere*. PER DEVM FIDIVM] deum fidium, alij Iouis filium, Herculem, ſignificari volunt, alij, θεὸν πίστιον: id eſt deum fidei præſidem, ac patronum. In vocabulario Latino-græco manuſcripto, ita ſcriptũ eſt, diuus fidius, διὸς υἱὸς, ἡρακλῆς. Feſtus autem in *medius fidius*, & hanc & alias interpretationes refert. ſententia autem huius loci hæc mihi videtur eſſe, video mihi neceſſe eſſe eloqui, quæ ex me quæris per deum fidium, id eſt, quæ me ſanctiſſimè, & religioſiſſimè, & per res hominibus cariſſimas rogas. licet fortaſſe etiam ſic explica-

re,video,mihi iurato,id eſt,qui iuraui per diuum ſidium,neceſſe eſſe eloqui, quæ quæris. OB-
STINATÈ] obfirmatè,pertinaciter,&,vt ita dicam,inſtanter. AGGRESSVS,] ſubintell.es.
VT NON AVDEAM PR. PERC.] id eſt, vt non audeam committere, quin tibi quærenti
omnia eloquar,& expromam. VT IPSE S[illegible]BO] vt ipſe ſciam,ſic efferre ſolet Plautus fu-
tura verborum quartæ coniugationis. TE FACIAM VT SCIAS] te faciam ſcire:faciam,
vt tu ſcias.ſic ſuprà in Amphitr. *fecit me,vt vigilarem*. infrà in Aulul. *Nimis hercle illum coruum ad me
veniat,velim*. CAVE MIHI MEND. Q.] ſubintell. dicas,ſeu dixeris. NVM ME ILLVC
DVCIS, &c.] piſtrinū ſignificat. Lucret.lib.1. *Conueniebat enim,fruges quoque ſæpe minutas, Robore cùm
ſaxi franguntur,mittere ſignum,Sanguinis,aut aliûm, noſtro quæ corpore aluntur: Cùm lapidi lapidem terimus,
manare cruorem*. NEQVAM HOMINES] ſerui improbi. QVI POLENTAM PRANSI-
TANT.] ſic habent omnes noſtri,libri veteres,& plerique vulgati,Veneti,Florentini, Pariſien-
ſes,Lugdunēſes.& probat Adr. Turneb.cui aſſentior:Nam vt ille refert,ſerui molitores in Grę-
cia,non pane,ſed polenta veſci ſolebant. Etiam ſæpe numero cùm agentes, & trudentes molas
eſuriebāt,furtim de hordei farina,vnde polenta fiebat, eſitabant. Teſtatur autem Plinius lib. 18.
cap.8.tam ignotam Græciæ pultem fuiſſe,quam Italię polentam.ex quo licet intelligere polen-
tam cibum Græcorum fuiſſe, vt pultem Italorum. Alij quidam, in quibus eſt Camerarius, legi
malunt *pinſitant*. pinſitāt autem,id eſt,crebrò pinſunt.Nonius pinſere,tundere,vel molere. Var- B
ro. *Nec piſtorem vllum noſſent,niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam*. Omnino *pranſitant*. probabilior
eſt lectio.pranſitant autem,id eſt,crebrò prandent,vel,vt Boſio placet, prandêre cupiunt. Erat
autem machina quædam,vt ille mihi indicauit apud Iulium Pollucem, quæ παυσικάπη Græ-
cè dicebatur, ea collo molientium ſeruorum inſerebatur, ne inter molendum polentā comeſſe,
néve manus ori admouere poſſent. Fiebat porrò hoc modo polenta: perfuſum aqua hordeum
ſiccabatur per vnius noctis ſpatium.poſtero die frigebatur. poſtremò molis tūdebatur. APVD
FVSTITVDINAS,] apud inſulas,in quibus ſerui fuſtibus verberantur,ac tunduntur. nomen
eſt à Plauto fictum,ridiculi gratia,& à fuſtibus,ac tundēdo ductum. FERRI CREPINAS]
in quibus ferreæ compedes,quibus ſerui conſtringebantur,crepant. hoc quoque nomē à Plau-
to eadem gratia fictum eſt. talia autem ſexcenta,vt oculicrepidæ,ferriteri, virgidemiam, plagi-
patidæ &c.quæ ſuis locis indicabuntur,& in indice collecta ſub vno adſpectu ponentur. VBI
VIVOS HOMINES MORT. INCVR] vbi mortui boues,id eſt,lora bubula, vel ex pel-
libus bubulis facta incurſant,id eſt,petunt, inuadunt, viuos homines, id eſt, ſeruos molitores,
ſententia eſt,vbi ſerui loris bubulis verberātur. *viuos homines,mortui boues*, antitheſis. INCVR-
SANT] verbo vſus eſt ſignificanti, & luculento, & bobus cornu petentibus perquàm conue-
nienti. tralatè poſuit in Pœnulo. *Is me autem porrò verberat, incurſat,pugnis,calcibus*. ſic in Rudente. C
*& pendentem incurſabo pugnis*. AH, NEQVE HERCLE EGO ISTVC D.] abominatur
ſeruus loci illius mentionem tanquam odioſi,atque inuiſi. QVÆ LOCVTVS,] id eſt, locu-
tus es. DESPVAS] deſpuebant veteres, quæ abominabantur, ne nocerent, néve euenirent.
Varro lib.1.de re ruſt. cap.2. *Hoc ter nouies cantare iubet, terram tangere,deſpuere, ieiunum cantare*. Non-
nulli hîc legunt exſpuas. EXCREA] ſcreando, à pectore eiice. QVÆSO HERCLE VS-
QVE EX PENITIS F.] vſque ex imis faucibus. hunc locū profert Priſc.lib.3. CAVESIS
MALAM REM] Caue ſi ſapis,malum.caue ſi vis,tibi à malo.proinde ac ſi dicat. ſi pergis im-
modeſtè loqui,& hero malè precari,dabis pœnas, noli tibi malam rem arceſſere inconſideratè,
& immodeſtè loquendo. VXORIS DICO, NON T.] vxoris dico mortē,inquit,non tuam.
interpretatur ſeruus,quod ambiguè locutus erat, ne herus de ſe,aut de ſua morte dictum putet.
OB ISTAM REM,] quia te vſque ad mortem vxoris,intelligere dixiſti. VT EXPERS SIS
METV.] vt ſis ſolutus verberum metu:vt ſecurus ſis à verberibus. *expers* cum ablatiuo iunxit,vt
ſuprà,in Amphitr. *Eo more expertem te factam aduenniens offendi domi*. DII TIBI DENT, QVÆ-
CVNQVE OPTET] ſic Horat.ſat.vlt. lib.2. *Naſidienus ad hæc:tibi dij, quæcunque preceris, commoda* D
*dent*. Iterum Plautus infrà in ead.comœd. *dabunt dij,quæ velitis, vobis*. Idem in Epid. princip. *Dij
dent, quæ velis*. REDDE OPERAM MIHI] nunc mihi da viciſſim operam, & te attētum
præbe. CVR HOC EX TE QVÆRAM &c.] παράλειψις.proinde ac ſi dicat.non debeo
id ex te quærere,quod ſcio,videlicet,filium meum amare:neque debeo tibi propterea minitari,
quòd me certiorem non feceris:neque iuſtam mihi cauſam eſſe puto, quamobrē filio meo ſuc-
cenſeam,quòd amet:quemadmodum ceteri patres faciunt,qui & quærunt ex ſeruis,quid agant
filij,& minantur eis,quòd non facti ſint ab eis certiores de libidinoſa filiorum vita,& ſuccēſent
filiis,quòd ament,quòd comiſſentur,quòd ſcortentur. EQVIDEM SCIO IAM FILIVM
Q. AM. M.] id eſt,equidem ſcio iam filium meum amare.talia ſunt illa,faciam te vt ſcias.id eſt,
faciam te ſcire. ILLVM VENIAT VELIM] id eſt, illum venire velim.& infrà ſeptem poſt
verſibus. *Verum meam vxorem Libane,neſcis qualis ſit?* id eſt,verùm,neſcis qualis vxor mea ſit?& ce-
tera ſimilia ſexcenta. ſic autem vt edidimus,legendū non vt vulgò, *ſcio iam filius quòd amet,meus*.
quod corruptum eſt à ſciolis.non enim ſolent ita loqui Latini.ſed hoc modo,ſcio filium meum
amare:& ſcio filium meum,quod amet. quo poſteriore tamen vtuntur maximè comici, à Græ-
cis ſumto. ſic enim illi, οἶδα τὸν ἐμὸν ὑὸν, ὅτι ἐρᾷ. RECTAM INSTAS VIAM] rem ipſam
eloqueris.dicis,quod res eſt.nō aberras à recta via. allegoria eſt. ſic ſuprà in Amphitr. *ingreſſu'ſt
viam*,



A *viam*. EA RES EST.] ἑρμηνεία. QVIA NON SVPPETVNT DICTIS DATA] quia
non habet,quod det Philenio,cui ſe multa daturum dixit.vel ſic,quia non habet,vnde præſtare
poſſit,quæ ſe daturum promiſit. ET A ME INITIS GRATIAM.] & mihi gratum facitis,
ciuſque facti nomine multum vobis debeo. TV PRIMVS SENTIS, NOS T. PR.] Tu
primus omnium ſentis incommoditatem,& importunitatem vxoris tuæ: ſed nos omnium pri-
mi,ſeu ante omnes ſcimus. Ter.Adelph. *Primus ſentio mala noſtra,primúſque reſciſco omnia*. POSTE-
RIVS ISTVC DICIS, Q.] id eſt prius iſtud, quod dicis, credo tibi, quàm dixeris. Profert
hunc verſum Nonius in voce *poſterius*, quam interpretatur, *tardius, vel ſecundò*. OMNES PA-
RENTES LIBANE, &c.] ordo eſt.Omnes parentes Libane,qui mihi auſcultabunt, facient
obſequelam iam liberis ſuis. *facient obſequelam* autem, id eſt, obſequentur, indulgebunt. profert
etiam hunc locum Nonius in voce, *obſequela*, vbi oſtendit,obſequelam, & obſequium, idem va-
lere. *iam* autem, hîc eſt diſſyllabum,vt & ſæpe aliàs. QVIPPE QVI MAGE AMICO &c.]
id eſt,Quippe vt filio ſuo vtātur magis amico,& beneuolo: ſeu,quippe vt filium ſuum habeant
ſibi magis amicum,& beneuolum. *Quippe qui* autem,ſpondéus eſt.Sed videtur ſic legendum po-
tius. *Quippe qui mage amicis vtantur, & beneuolis*. vel ſic, *Quippe mage amicis qui vtantur & beneuolis*.
ATQVE EGO ME ID FACERE STVDEO.] *ſtudeo me facere*, dictum antiquè. ſic Saluſt.de
B coniur.Catil. *Omneis homines,qui ſeſe ſtudēt præſtare ceteris animātibus,&c*. VOLO ME MEI P. S.]
volo me mei patris eſſe ſimilem. NAVCLERICO IPSE ORNATV] nauclericus ornatus
erat veſtis cærulea,cauſia ferruginea,palliolum ferrugineum: brachium expapillatum. Vide in
Milite glor. ibi. *Facito, vt venias ornatus huc ornatu nauclerico*. ID ÆTATIS] ea ætate. SYCO-
PHANTIAS STRVERE,] fallacias machinari, ſycophantias componere. In Bacchid. *nunc
pater mi,proin tu vt caueas tibi, Sycophantias componit,&c*. ET BENEFICIIS ME EMERE GN.
&c.] & beneficiis me filium ſuum ſibi conciliare,deuincire,atque obligare. Virgil.Georg.lib.1.
*Téque ſibi generum Thetis emat,emat omnibus vndis*. Idem lib.9.Æneid. *Qui vita bene credat emi,quam cre-
dis,honorem*. DECRETVM EST] certum eſt, ſtat ſententia. PERSEQVI] imitari. ET ID
EGO PERC.] id κατὰ τοῦτο, in eo, ſeu in hoc. profert hunc locum Nonius in voce *obſequia*,
paullo aliter quàm hodie legitur: nempe hoc modo, *Ego ſanè cupio obſequi* &c. Quòd ſi *percupio*
pro cupio ſcriberetur,tolerabilis eſſet lectio. alioqui ferri non poteſt. OBSECVTVM] ſubin-
tell.eſſe à me.nam *obſecutum*, accipiendum eſt παθητικῶς pro obſecundatum,inſeruitum,indul-
tum. ARCTÈ, CONTENTÉQVE HABET] anguſtè, & illiberaliter ei ſumtum ſuppedi-
tat.Nonius hunc verſum profert, & *contentè* interpretatur, *parcè, & continenter*. Ego contentū ar-
C bitror opponi laxo.Quare *contentè*, valet,malignè,anguſtè, γλίσχρως. *habet* autē,id eſt, tractat.
PATRES VT CONSVEVERVNT,] patres enim ſolent eſſe in filios ſuos duriores, & tena-
ciores:matres contrà mitiores,& liberaliores. HABERE HONOREM EIVS INGENIO]
eius ingenio morem gerere,& indulgere. CVPIO ESSE] Cupio ei eſſe, cupio eum habere.
ET, QVÒ EVADAT, S. IN. M.] & metuo, quò eius oratio cadat, vel ſic, & metuo, quæ ſit
eius orationis clauſula.Hæc ſecum loquitur ſeruus Libanius.hunc locū profert Nonius in ver-
bo *euadere, & euadat* hîc interpretatur *exeat, tendat*. CVPIS ID, Q.] Cupis amanti filio ar-
genti copiam facere. NE QVICQVAM] fruſtra. ADDVXIT] domum tuam. CVI PLVS
IN MANV SIT, Q. T.] qui plus poſſit,quàm tu: quoniam videlicet vxor ampliſſimam do-
tem domum tuam attulit: quam ille tractat. ARGENTVM ACCEPI, D. IMP. VEND.]
dotata vxore ducta libertatem amiſi,& ſeruus vxoris factus ſum. in Aulul. Nam quæ indotata
eſt,ea in poteſtate eſt viri.Dotatæ mactāt & malo,& damno viros. Item in Epidico. *pulcra Æde-
pol dos pecunia'ſt*. PER. *quæ quidem non maritata'ſt*. VSV'ST] opus eſt. ME DEFRAVDATO]
per fraudem pecuniam à me auferto. al. *defrudato*. De hoc verbo mox plura. NVGAS AGIS]
id eſt nugaris. ſic in Aulul. *ah nugas agis*. Idem in Capt. *enimuero non fuit.nugas agit*. NVDO DE-
D TR. VEST. ME IVB.] ſignificat,hunc ſenem, eſſe nudum, & inanem. quare fieri non poſ-
ſe, vt vlla pecunia ab eo auferatur. AGE SIS] age ſi vis. TV SINE PENNIS V.] proin-
de ac ſi diceret, ſi volare potes ſine pennis, ego etiam potero pecuniam abs te ſumere. TÉNE
EGO DEFRVDEM?] profert hunc verſum Nonius in verbo *defrudare*, vbi docet, *defrudare*, eſſe
fructū minuere,vel per fraudē aliquid eximere. QVA ME, QVA VX. &c.] Quacunque via
me,quacunq; vxorem,quacunq; ſeruum Sauream circunducere potes,circunduce. CIRCVN-
DVCE,] circunueni,decipe. NON OFFVTVRVM,] promitto tibi id non offuturū, id eſt,
nō nociturum,&c.vel promitto tibi me tibi non offuturum; id eſt,non obſtaturū,&c. Ego ſu-
periore modo mâlo. PISCARI IN AËRE] piſcari in aëre, &,quod deinceps ſequitur, ve-
nari in medio mari, prouerbiorum locum obtinent, & ſignificant, inanem operam ſumere.
VENARI AVTEM RETE IACVLO] Sic legendum, non, vt vulgò, te te iaculo. quod
deprauatum eſt à ſciolis, quibus rete iaculum, inauditum eſſet, aut qui rete in ſeptimo caſu pro
*reti* poſitum eſſe non viderent. eſt autem rete iaculum, retis genus dictum à iaciendo: quod &
funda dicitur, à fundendo, vt docet Seruius ad illud Virgil. lib.1.Georg. *Atque alius latum fun-
da cùm verberat amnem*. βόλος à Græcis eadem ratione appellatur. legendum autem apud Seruiū.
rete iaculum, non retiaculum, vt in vulgatis impreſſum eſt. Vtitur hac voce & in Trucul. *Quaſi
in piſcinam rete qui iaculum parat*. OPTIONEM] adiutorem, vicarium, ſucceſſorem. Optio, vt

docet Feſtus;hunc locum proferens, in re militari appellatur is, quem Decurio, aut Centurio A optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum, quo facilius officia publica obeat. Nonius, *Optiones in cohortibus; qui ſunt honeſti gradus, vt optatos, quod eſt electos : & adoptatos, quod adſcitos.* Varro de vita populi R.lib.3. *exiſtimat appellatos. Referentibus centurionibus adoptati in cohorteis ſubibant, vt ſemper plenæ eſſent legiones : à quo optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellati.* Vegetius lib. 2.cap.7. *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati in eorũ locum, & vicarij, ſolent vniuerſa curare.* FABRICARE QVID VIS COMM.] tralatio eſt in verbo *fabricare.* profert autem hunc locum Nonius, in verbo *fabricantur.* DEVENERO:] incidero. TV REDIMES ME,] Túne me liberabis. INTERCEPERINT?] in medio curſu ceperint? antequam rem ſuſceptam ad exitum perduxerim, ceperint? ſic dicimus litteras interceptas, quę antequam ad eũ ad quem ſcriptæ, & datæ ſunt, peruenerint, captæ ſunt. Interdũ tamen intercipere, vt vult Donatus, eſt, totum capere, ibi, in Eunucho. *Nam, quod nos capere oportet, hæc intercipit.* TVM TV IGITVR ALIVD CVRA QVID LVBET] id eſt, finito igitur me hoc curare : tu, quod ad hanc rem attinet, ne labora : ego effectam dabo: ego in me recipio: tu dormi in vtrámque aurem, aut alias res cura. Sic in Caſina. *Abi, & aliud cura.* Idem in Merc. *Potin' vt aliud cures?* Idem in Pſeud. *Potin' aliam rem vt cures?* Sic apud Homerum ἰλ. Σ. Vulcanus Thetidi reſpõdet. Θάρσει μή τοι ταῦτα μετὰ φρεσὶ σῇσι μελόντων, *Tum tu igitur*, autẽ, id eſt, Tu B ergo igitur. nam tum valet ergo, ergo igitur autẽ σχῆμα ἐκ παραλλήλου. NISI QVID VIS.] verba diſcedentium. ETIÁMNE AMBVLAS?] quid ceſſas? quin properas? quin ambulas? Sic loquitur. in Curcul. etiam tu taces? id eſt, quin tu taces? OSTENDISTI] aperuiſti. FACIO HAVD MAGNI.] contemno, non metuo. SI HOC PATRO.] ſi hoc efficio. ARGENTARIVM.] argentarij, trapezitæ erant, ſeu menſarij, apud quos depoſitæ erant ab iis pecuniæ, qui eas occupare & excercere volebant. inde enim fœnori ſumebantur. Eorum officium, vt ait Iuriſcon. publicam habet cauſam, iíque rationes conficiunt. nam ad eorum tabernas auctiones fiebant, &, vt cuique res addicta erat, ei argentarij pecuniam expenſam referebant : & ferè de menſa ſoluebant, qui alicui debebant. Hæc reperi adſcripta ad hunc locum, in codice Boſij. QVO AB.] à quo ἀναστροφή. ÆGRIVS] difficilius. CVRATVM] procuratũ adminiſtratum. MORIRI] mori quàm me hunc ſcip. contui. ſcipionem geſtabant ſenes, quo niterentur inter eundum. *contui* autem, id eſt, contueri, çernere.

## ARGYRIPPVS adoleſcens.

C

Siccine hoc fit, foras ædibus me eiici?
Promerenti optumè, hoccine pretij redditur?
Bene merenti mala es, malè merenti bona es.
At malo cum tuo. nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad tres viros, veſtráque ibi nomina
Faxo erunt, capitis te perdam ego & filiam:
Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium.
Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hic elaui bonis.
Ingrata atque irrita eſſe omnia intellego D
Quæ dedi, & quod benefeci : ac poſthac tibi,
Malè quod potero facere, faciam, meritóque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eodem vnde orta es, ad egeſtatis terminos.
Ego edepol te faciam, vt quæ ſis nunc, & quæ fueris, ſcias,
Quæ priuſquam iſtam adij, atque amans ego animum meum iſti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.
Atque ea ſi erant, magnas habebas omnibus dis gratias.
Eadem nunc quum eſt melius, me, cuius opera eſt, ignoras, mala.
Reddam ego te ex fera, fame manſuetem, me ſpecta modò.
Nam iſti quid ſuccenſeam ipſi, nihil eſt, nihil quicquam meret.

Tuo



A Tuo facit iuſſu, tuo imperio paret, mater tu, eadem hera es.
Te ego vlciſcar, te ego, vt digna es, perdam, atque vt de me meres.
At ſceleſta viden' vt ne id quidem me dignum eſſe exiſtumat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuíque irato ſupplicet,
Atque eccam illecebra exit tandem, opinor hic ante oſtium.
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum eſt mihi.

FORAS ÆDIBVS ME EIICI?] ſubintell. oportet? æquum eſt? & ſimil. hocine pretij redditur? hocine mercedis perſoluitur? hocine præmij tribuitur? Hæc loquitur Argyrippus eiectus, ad lenam, quæ domi eſt. nondum enim in proſcenium prodiit. BENE MERENTI B M.] ἀντίθεσις. EX HOC LOCO] è veſtigio. AD TREIS VIROS:] ad triumuiros, ſeu treuiros, capitaleis ſcilicet. VESTRÁQVE NOMINA IBI. F.] & fecero, vti veſtra nomina apud eos relata ſint inter reos. de *treuiros* ſuprà in Amphitr. CAPITIS] crimine capitali, ob crimen capitale. legendum autem coniunctè *capitis* cum ſuperioribus non cum verbo *perdam.* PELLECEBRÆ,] Sic dictæ perlecebræ, ſeu pellecebræ, vt illecebræ. nam vt hæ ab illiciendo, ſic illæ à perliciendo, ſeu pelliciendo. Perlecebras igitur appellat, quia perliciunt adoleſcenteis in fraudem & inſidias. Feſtus pellexit, id eſt, in fraudem induxit. NAM MARE HAVD EST MARE] mare præ vobis non eſt mare. eſtis mari iracundiores, auariores, rapaciores. Sic Horat. de quadam Myrtale libertina, oda 33. lib. 1. *fretis acrior Adriæ Curuantis Calabros ſinus.* REPPERI] rem quæſiui, & paraui : in mari autem, id eſt, mercatura facienda. HÎC ELAVI BONIS] apud vos mea omnia bona conſumſi, ac perdidi. Sic loquitur in Rud. *eho, an te pœnitet, in mari, quòd elaui, niſi hîc in terra iterum eluam?* ibid. *hac proxima nocte in mari elaui. nam Confracta eſt nauis.* Perdidi quicquid erat, miſer, ibi omne. Eſt autem hoc genus loquẽdi tractum ab iis, qui in balneis, dum lauant, aquam omnem conſumunt. ex quo illud apertiùs in Sticho. *volo eluamus hodie peregrina omnia. Relinque.* eluamus, id eſt, perfundamus, abſumamus, in cinerem vertamus. & illud apertiſſimum, in Trin. *comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis.* C INGRATA,] id eſt, non grata, vel quorum gratia nulla mihi abs te relata eſt. ſic Catul. Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne eſt. IRRITA] inania, nullius apud te ponderis. AD EGESTATIS TERMINOS] ad extremam egeſtatem, id eſt, ad ſummam, & maximam. ſic dicimus extremum ſupplicium. ſic Ariſt. lib. 3. polit. ἐσχάτη ἀδικία. EGO ÆDEPOL TE FACIAM, VT, QVÆ SIS NVNC &c.] id eſt, ego ædepol faciam te ſcire, quæ ſis nunc, & quæ fueris olim. vel ſic, faciam, vt ſcias, quæ ſis nunc &c. Et notauimus ſuprà hoc loquendi genus, & ſæpe occurret. ISTAM] Philenium. SORDIDO] atro cibario. Terent. Eunucho. *Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent.* IN PANNIS INOPIA] aliâs, *in panis inopia.* Sed hæc ſcriptura, quam ſecuti ſumus, antiquorum omnium auctoritate confirmatur : eámque ipſam ſcripturam Camerarius in ſuis videtur reperiſſe. Iam verò, *inopia* ſeptimi caſus eſt : valétque propter inopiam, vel inopia coacta. MAGNAS HAB. OMN. D. GR.] præclarè tecum agi ducebas πάνυ σοι ἀγαπητὸν εἶναι ᾔου vſitatius erat, magnam habebas omnibus d. gratiam. CVIVS OPERA EST] tibi melius. IGNORAS] non nouiſti. REDDAM EGO TE EX FERA FAME M.] ſic edendum curauimus : & tamen, ſi Nonio credimus, legendum *manſuetem*, qui D teſtatur ita ſcriptũ eſſe à Plauto, vt rectius ſit manſues pro manſuetus a. um. quod & à Feſto traditum eſt. Sed, quod ad rem attinet, hæc eſt certiſſima ratio domãdi feras, vt Plinius narrat quodam loco: & ſignificat Cicero in oratione pro Cluentio, ibi, *Iam hoc non ignoratis, iudices, vt etiam beſtiæ fame domitæ, plerunque ad eum locum, vbi paſtæ aliquando ſint, reuertantur.* Sic enim docti quidam apud Ciceronem legunt, non vt vulgò, *fame dominante.* Contrà fames beſtias accendit, vt teſtatur Liuius. Sic ille lib. 25. Annal. *ob id caſtigatis ab Hannone, quòd ne fames quidem, quæ mutas accenderet beſtias, curam eorum ſtimulare poſſet:* &c. ISTI] Philenio. NIHIL EST] nihil cauſæ eſt. NIHIL QVIDQVAM MERET] nullam culpam admiſit, nullam pœnam meretur. nihil commeruit. QVEM COLLOCATVR,] quem alloquatur. ſic ſæpe Plautus. & antiquè dictum. MEO MODO] meo arbitratu. Terent. Andr. *ſine me meo viuere interea modo.*

## LENA Clearreta. ARGYRIPPVS adoleſcens.

Vnumquodque iſtorum verbûm nummis Philippeis aureis
Non poteſt auferre hinc à me, ſi quis emtor venerit.
Nec rectè quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merumſt.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis. A
Remigio, velóque quantum poteris, feſtina & fuge.
Quàm magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.
AR. Ego pol iſtum portitorem priuabo portorio.
Ego te dehinc vt merità es de me, & mea re, tractare exequar.
Qom tu me, vt meritus ſum, non tractas, quin? eiicis domo.
LE. Magis iſtuc percipimus lingua dici, quàm factis fore.
AR. Solus ſolitudine ego ted atque ab egeſtate abſtuli.
Solus ſi ductem, referre gratiam nunquam potes.
LE. Solus ductato, ſi ſemper ſolus quæ poſcam, dabis.
Semper tibi promiſſam habeto hac lege dum ſuperes datis.
AR. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes. B
Modò quidem accepiſti: haud multò aliquid poſt quod poſcas, paras.
LE. Quid modiſt? ductando, amando, nunquámne expleri potes?
Modò remiſiſti, continuò iam vt remittam ad te rogas.
AR. Dedi equidem quod mecum egiſti. LE. & tibi ego miſi mulierem,
Par pari datum, hoſtimentuſt, opera pro pecunia.
AR. Malè agis mecum. LE. quid me accuſas, ſi facio officiũ meum.
Nam neque vſquam fictum, neque pictum, neque ſcriptum in poëmatis,
Vbi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi eſſe volt. C
AR. Mihi quidem te parcere æquum eſt tandem, vt tibi durem diu
LE. Non tu ſcis? quæ amanti parcet, eadem ſibi parcet parum.
Quaſi piſcis, itidem eſt amator lenæ. nequam eſt, niſi recens,
Is habet ſuccum, is ſuauitatem: eum quouis pacto condias:
Vel patinarium, vel aſſum, verſes quo pacto lubet.
Is dare volt, is ſe aliquid poſci. nam vbi de pleno promitur,
Neque ille ſcit quid det, quid damni faciat: illi rei ſtudet.
Volt placere ſeſe amicæ, volt mihi, volt pediſequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis, & quoque catulo meo
Sublanditur nouos amator, ſe vt quum videat, gaudeat. D
Vera dico, ad ſuum quemque hominem quæſtum eſſe æquum eſt callidum,
AR. Perdidici iſtæc eſſe vera, damno cum magno meo.
LE. Si ecaſtor nunc habeas quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis tu eam ductare poſtulas.
AR. Non meum eſt. LE. nec meum quidem edepol, ad te vt mittam gratiis.
Verùm ætatis atque honoris gratia hoc fiet tui.
Quia nobis lucro fuiſti potius, quàm decori tibi.
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris cauſa gratiis dono dabo.





A AR. Quid ſi non eſt? LE. tibi non eſſe credam: illa aliò ibit tamen.
AR. Vbi illæc quæ dedi antè? LE. abuſa. nam ſi ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te, nunquam quicquam poſcerem.
Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera quæ quæ volumus vti, græca mercamur fide.
Qum à piſtore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem. eadem nos diſciplina vtimur,
Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.
Vetus eſt, nihili coctio eſt, ſcis, cuius? non dico amplius.
AR. Aliam nunc orationem deſpoliato prædicas:
Longè aliam mihi præbes, inquã, nunc atque olim quom dabam.
B Aliam atque olim quom illiciebas me ad te blandè ac benedicè:
Tum mihi ædes quoque arridebant, quom ad te veniebam, tuæ.
Me vnicè vnum ex omnibus te, atque illam amare, aiebas mihi.
Vbi quid dederam, quaſi columbæ pulli in ore ambæ meo.
Vſque eratis, meo de ſtudio ſtudia erant voſtra omnia.
Vſque adhærebatis: quod ego iuſſeram, quod volueram
Faciebatis: quod nolebam ac vetueram, de induſtria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni peſſumæ.
LE. Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupij ſimillimuſt.
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum:
C Aues aſſueſcunt. neceſſe eſt facere ſumtum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: ſemel ſi ſunt captæ, rem ſoluunt aucupi.
Itidem hîc apud nos. ædis nobis area eſt, auceps ſum ego.
Eſca eſt meretrix, lectus illix eſt, amatores aues.
Bene ſalutando conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando, oratione vinula venuſtula.
Si papillam pertractauit, haud id eſt ab re aucupis.
Suauium ſi ſumſit, ſumere eum licet ſine retibus.
Hæccine te eſſe oblitum, in ludo qui fuiſti tamdiu?
AR. Tua iſta culpa eſt, quæ diſcipulum ſemidoctum abſte amoues.
D LE. Remeato audacter, mercedem vbi eris nactus: nunc abi.
AR. Mane, mane, audi: dic quid me æquum cenſes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio ſit. LE. téne? viginti minas,
Atque ea lege, ſi alius ad me prius attulerit, tu vale.
AR. At ego, eſt etiam priuſquam abis, quod volo loqui. LE. dic quod lubet.
AR. Non omnino iam perij, eſt reliquum quod peream magis.
Habeo vnde iſtuc tibi, quod poſcis dem: ſed in leges meas.
Dabo, vti ſcire poſſis, perpetuum annum hunc mihi vti ſeruiat,
Nec quẽquam interea aliũ admittat prorſus, quàm me, ad ſe, virũ.
LE. Quin ſi tu voles, domi ſerui qui ſunt caſtrabo viros.
Poſtremò vt voles nos eſſe, ſyngrapham facito afferas.

Vt voles, vt tibi lubebit, nobis legem imponito. A.
Modò tecum vnà argentum afferto. facilè patiar cætera.
Portitorum ſimillimæ ſunt ianuæ lenoniæ:
Si affers, tum patent: ſi non eſt quod des, ædes non patent.
AR. Interij, ſi non inuenio ego illas viginti minas.
Et profectò, niſi illud perdo argentum, pereundum eſt mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia.
Supplicabo, exobſecrabo, vt quenque amicum videro.
Dignos, indignos adire, atque experiri certum eſt mihi.
Nam ſi mutuas non potero, certum eſt ſumam fœnore.

VNVMQVODQVE ISTORVM VERBÛM, &c.] *verbûm* poſitum pro verborum: vel coniunge cum *vnumquodque* hoc modo, vnumquodque verbum iſtorũ verborum, &c. B ſignificat lena maledicta irati Argyrippi ſibi magnum & vberem quæſtum allatura, propterea quòd ille nullam iacturam facere ſit dubitaturus, vt cum Philenio in gratiam redeat. NVMMIS PHILIPP. N. P. AVF.] ſi quis emtor ad me venerit, & vnumquodque iſtorum verborum ſingulis Philippeis nummis emere voluerit: nolim ei vendere. quid ita? quia ſpero me tibi pluris vendituram: quia tu ipſe pluris redimes. NEC RECTÈ QVÆ TV IN NOS DICIS] quæ tu nobis maledicis. ſic loquitur in Aſin. *Malo hercle iam magno tuo nunc iſti nec rectè dicis.* Idem in Bacchid. *Tu diis nec recte dicis. nõ æquum facis.* Turpilius. *nec rectè dici mihi iamdudum audio.* Feſtus in *Nec.* MERVM'ST] purum eſt. Nonius, merum, ſolum. & hunc verſum cum ſeq. profert. Feſtus. Merum antiqui dicebãt ſolum. vnde & auis merula nomẽ accepit, quòd ſoliuaga eſt, & ſolitaria paſcitur. at nũc merum purum appellamus. CLAVO CVPIDINIS] vinculo ſolidiſſimo, & planè adamantino. Plato. ἐρωτικαὶ ἀνάγκαι τῶν γεωμετρικῶν δριμύτεραι πρὸς τὸ πείθειν τε καὶ ἕλκειν τὸν πολὺν λεών. id eſt amatoriæ neceſſitates acriores ſunt ad fidẽ faciendam, & ad trahendum magnum populum. Horat. oda 33. lib. 1. *iuga ahenea.* REMIGIO, VELÓQVE] prouerbium, quo ſignificatur ſumma celeritas. idem valet, *remis, veliſque.* tale illud apud M. Tull. lib. 12. epiſt. ad famil. *Atque inde ventis, remiſque in patriam omni feſtinatione properaui.* C Profert autem hunc verſum Nonius in voce *fuga.* QVAM MAGIS TE IN ALTVM CAP.] profert hunc verſum Nonius, & in verbo *capeßis*, & in voce *æſtus.* & *capeßis* interpretatur *immittis.* æſtum autem hîc vult ſignificare marinam commotionem. *in altum* autem, id eſt, in medium, & profundum mare procul à litore. *Quàm magis, tam magis* vſitata eſt bonis & antiquis ſcriptoribus locutio: de qua in commentariis Lucretianis, ad illum locũ, lib. 1. *Et quàm quæq; magis cohibet res intus inane, Tam magis* &c. REFERT] reſorbet. EGO POL ISTVM PORT.] quia lena, allegoria vſa eſt à mari ducta, & nauigatione: eandem allegoriã ſeruat & Argyrippus, his verbis: Ego pol &c. per portitorem, lenam ſignificãs, propterea quòd, quemadmodum portitores, quos Græci πορθμεῖς appellant, vectores trauehũt à litore in litus per medium mare, ita lenæ traiiciunt amanteis à limine domus meretriciæ ad egeſtatem, per domum, & conſuetudinem meretriciam. Portitores, inquit Nonius, dicuntur telonarij, qui portum obſidentes, omnia ſciſcitantur, vt ex eis vectigal accipiant. M. Tull. de rep. lib. 4. *Nolo enim eundem populum imperatorem & portitorem eſſe terrarum.* Deinde non longè profert hũc verſum. PRIVABO PORTORIO] portoriũ, eſt merces, quæ datur portitori trauectionis nomine. TRACTARE EXSEQVAR.] tractare pergam. SOLVS SOLITVDINE EGO TED, ATQVE AB EG.] D ordo eſt, ſolus ego te à ſolitudine, atque ab egeſtate abſtuli. id eſt, ego ſolus, cùm antea deſerta & ſola, & egens eſſes, te ab iſta ſolitudine, & egeſtate vindicaui. SOLVS SI DVCTEM:] ſi ſolus te potiar: ſi ſolus te habeam, &c. ductare ſcortum, vſitatè & propriè dictum. ſic infra ead. comœd. *Pôtet vnà atque vnà amicam ductet ſenex.* Idem in Pœnulo. *Neque triobulum vllum amicæ das, & ductas gratiis?* Terent. in Phorm. *Vt Phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis?* Itaque reprehenditur Saluſtius, quòd ductare exercitum in hiſtoriis ſuis vſurparit, pro *ducere exercitum.* DVM SVPERES DATIS.] vel dum ſuperes alios datis: vel vt mauult Boſius, dum abundas datis. vt Virgil. lib. 1. Georg. *Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur.* MODÒ QVIDEM ACCEPISTI.] al. modò quid accepiſti. MODÒ REMISISTI] Philenium ad me. QVOD MECVM EGISTI] de quo mecũ locuta es, vt id tibi darem, quod à me petiiſti. HOSTIMENTVM EST OPERA PRO PEC.] *hoſtimentum,* inquit Feſtus, *beneficij penſatio.* Idem in verbo *redhoſtire,* Rhedhoſtire, inquit, eſt referre gratiam. & Paullus ibidem. *nã & hoſtire pro æquare poſuerunt.* vide & in *Status dies.* Nonius. *hoſtimentum, eſt æquamentum: vnde hoſtes dicti ſunt, qui ex æqua cauſa pugnam ineunt.* deinde profert hunc verſum. profert & alterum ex ead. comœd. infrà. *Quin promitto, inquam, hoſtire contrà,* &c. Idem alibi hoſtire, eſt comprimere, retundere. Pacuu. Teucro. *Niſi coërceo proteruitatem, hoſtio ferociam.* Boſius notat hoſtimentum ἀντιποίκωσιν à Græcis dici.

MALè



A MALè AGIS MECVM.] tralatio à re forenſi, & ab actionibus iudicialibus: quarum aliæ ſunt mitiores, aliæ duriores. Malè agis mecum, id eſt, tractas me, aſperè, atque inhumaniter. te in me iniquam, duram, atque inhumanam præbes. FICTVM] formatum, effigiatum. ſic Nonius in verbo *fingere*: vbi hunc locum profert. PICTVM] à pictore aliquo, in tabula picta. CVM QVIQVAM] cum quoquam. QVÆ FRVGI ESSE VOLT] lena, quæ modò ſuis rationibus conſulit. lena, quæ modò rem ſuam bene gerere vult. MIHI QVIDEM TE PARCERE, &c.] te contentam eſſe modicis æquum eſt. æquum eſt te non omnia ſimul mihi auferre, & ad vos transferre. QVÆ AMANTI PARCÈT, CAD. S. P. P.] quæ amantem parcè & timidè poſcet: ea ſibi ipſa erit damnoſa. QVASI PISCIS &c.] amator, lenæ eſt, vt piſcis, ſubintell. conuiuæ. Comparat amatorem cum piſce, in eo, quòd vterq. niſi recens, inutilis & malus eſt: piſcis conuiuæ inutilis: amator, lenæ. ſic autẽ locus eſt explicandus, amator eſt item lenæ, vt piſcis conuiuæ. Nam *lenæ,* eſt dandi caſus. Quod autem ad ſententiam attinet, ſic ferè in Truculento ancilla Aſtaphium dicit, amatorem hoſtilis oppidi ſimilem eſſe, quia expediat amicæ amatorem quamprimùm ſpoliari atque expugnari, cui reſpondet Dinarchus adoleſcẽs amicum veterrimum quenque eſſe optimum, non item vt amatorem, qui niſi recens, nequam eſt. CONDIAS] condire poſſis. VEL PATINARIVM, VEL ASS.] patinarius piſcis, B eſt qui in patina cum iure apponitur: aſſus, qui aſſatus ſine iure apponitur. Horat. ſat. 3. lib. 1. *Si quis, eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus, Semeſos piſceis tepidúmq. ligurierit ius, In cruce ſuffigat,* &c. ſat. 4. lib. 2. *Nec ſatis eſt cara piſceis auerrere menſa, Ignarum quibus eſt ius aptius, & quibus aßis Languidus in cubitum ſeſe conuiua reponet.* Patina autem vaſis genus eſt, & coquinarij, in quo cibi coquuntur, atque elixantur, & menſarij, in quo dapes elixæ, & iurulentæ in menſis apponuntur: ab hoc patinarius piſcis dictus eſt. legito, ſi plura de patina cognoſcere voles, Apiciũ lib. 4. cap. 2. VERSES QVO PACTO LVBET] id eſt verſare poſſis recentẽ amatorem, tanquã piſcem qui aſſatur, quomodo lubet: vel tãquam quiduis aliud inanimum, atque ſenſus expers, modò ſit leue ac tractabile. Idem in Ciſtell. *mihi iſtum hominem vellem dari. Vt ego illum vorſarem?* & Bacchid. *Verſabo illunc hodie, ſi viuo probè.* M. Tull. in Lælio, ex Cæcilio. *Hodie me ante omneis comicos ſtultos ſenes Verſaris, atque luſeris lautißimè.* IS] amator recẽs. NAM VBI DE PLENO PROM.] vbi amator etiamnũ plenus, neque dum exhauſtus, & ſpoliatus eſt. VOLT PLACERE SESE AM.] antiquè dictũ, volt ſeſe placere, pro volt, ſeu vult placere. de quo genere, alibi. VOLT PEDISEQVÆ, VOLT FAMVLIS,] Terent. Eunu. *Nam diſciplina eſt eiſdem, numerarier Ancillas primùm, ad dominas qui affectant viam.* SE VT QVOM VIDEAT, GAVDEAT] amator ſubblanditur etiam catulo meo, vt cùm catulus ſe, id eſt, amatorem, videat, gaudeat. reciprocatio C bona eſt. AD SVVM QVENQVE HOMINEM &c.] ordo eſt, æquum eſt, quenque, id eſt, vnumquenque hominem, callidum eſſe ad ſuum quæſtum. eadem ſententia, & verò iiſdem ferè verbis, ponitur in Trucul. circiter med. *Ad ſuum quenque æquum eſt quæſtum eſſe callidum.* & iterum ibid. in extr. *Omnes homines ad ſuum quæſtum callent, & ſatis vident.* vbi vulgò legitur, & faſtidiunt. Eodem pertinet illud, quod eſt infrà non longè admodum *nihili cocio eſt, ſi eſt cæcus.* qui locus in libris omnibus vulg. corruptus eſt: ſi eſt cæcus, id eſt, ſi nihil videt: ſi non videt quod è re ſua eſt. PERHIBEAS.] loquaris, alij legunt præhibeas, ſeu præbeas. MALEDICTIS.] non datis. POSTVLAS.] ἀξιοῖς. NON MEVM EST] proinde ac ſi dicat. non conſueui ductare Philenium maledictis, ſed multis, & magnis muneribus. ſic Lucilius. *Homini amico, & familiari non eſt mentiri meum.* ex Lactantio lib. 6. cap. 18. Plautus in Milit. glor. *ſi fortè liber fieri occeperim, mittam nuntium ad te, ne me deſeras.* PYR. *non eſt meum.* Horat. oda 29. lib. 3. *Non eſt meum, ſi mugiat Africis Malus procellis, ad miſeras preces Decurrere,* &c. GRATIIS.] ſine pretio, aut mercede, gratis. Simonides dicere ſolebat, duas ſe capſas habere: vnam gratiarum: alteram mercedum. capſam gratiarum, cùm aliquid emere neceſſe haberet, & pecuniam promere alicunde vellet, inanem ſe D reperire, & vacuam: mercedum verò capſam, plenam, ac refertam. IN MANVM] vel numerata in manum, vel dantur in manum. NOCTEM H. C. GR. D. D.] noctem dabo. poteſtatem faciam cum Philenio dormiendi. Horat. oda 15. epod. *Nõ feret aßiduas potiori te dare nocteis,* &c. ILLÆC] illa al. illhæc. ABVSA] vtendo, vel in vſum conſumta, ſic Nonius. in *abuſa* vbi hunc locum profert. QVÆQVÆ VOLVMVS VTI,] quæcunque volumus vti, antiquè dictum, pro quibusquibus. id eſt quibuſcunq. volumus vti. GRÆCA MERCAMVR FIDE,] id eſt, præſenti, ſeu repræſentata, & ſoluta non credita pecunia emimus. numerato & tradito in manus pretio emimus. Græcis enim vt leuibus, & dubiæ fidei, nihil creditur: neq. Græci inter ſe pecuniam credunt, ſed præſenti pecunia res omneis contrahunt. legendus. M. Tull. in oratione de Græcorum leuitate, & infido ingenio. SI ÆS HABENT] id eſt, ſi æs accipiunt, vel ſi æs eis datur. MERCEM.] videlicet panem, vinum & ſimil. SEMPER OCVLATAE NOSTRAE S. M. ER. Q. V.] ſignificat lena, ſe, & ceteras lenas ac meretriceis, nullius fidei credere, nulliúſque fidem ſequi, ſed numeratam & præſentem pecuniam accipere velle. noſtræ manus, inquit, ſemper oculatæ ſunt: id eſt, volunt videre, quod datur: & credunt ſibi aliquid dari, cùm id vident, & tangunt. ſic ferè oculatam diem dixit in Pſeud. *Eme die cæca hercle oliuum. id vendito oculata die.* Feſtus *oculatum* pro præſenti poſuit Plautus, inquit, cùm dixit, *oculata die, & oculatus teſtis,* qui id ſe vidiſſe dicat, de quo teſtatur. legẽdum autem videtur, vt verſus conſtet, *Sem-*

*per oculatæ noſtræ manus ſunt.* NIHILI COCIO EST, SI EST CÆCVS.] ſic hunc locum A
reſtitui,qui antea erat corruptiſſimus,atque idcirco inexplicabilis. Quòd autem Turnebus,vir,
quandiu vixit,mihi amiciſſimus,cuius mortui memoria viuit apud me immortalis, ac ſempiter-
na,legit coactio,ea verò lectio neq; eius explicatio ferri poteſt.ſic enim ille : *præſenti eſt mihi opus*
*pecunia*, inquit , *nihil moror coactorem, qui pecuniam mihi promiſſam ac debitam poſtea redigat . præſentariis*
*nummis opus eſt,non in diem.* Legendum igitur eſt,vel vt edidimus,cocio,vel vt edidit Camerarius,
*coctio*. Gellius lib. 16 .cap. 7. Item in Necromantia, *Cocionem* peruulgatè dicit Laberius,quem ve-
teres aculatorẽ dixerunt.Feſtus. Coctiones dicti videntur à cunctatione, quòd in emendis,vẽ-
dendíſque mercib. tardè perueniant ad iuſti pretij finem . Itaque apud antiquos prima ſyllaba
per u.litteram ſcribebatur. Idem. *Arilator, qui etiam cocio (al. coctio) appellatur , dictus videtur à voce*
*Græca* ἆρε, id eſt, *tolle : quia ſequitur merceis , ex quibus quid cadens lucelli poßit tollere.* Auctor lexici
Græcolatini,cocio,μεταβολεύς. Hunc igitur locum ſic explico,vetus prouerbium eſt,cocio,ſeu
coctio,ſeu arilator,ſi cæcus eſt,nihili eſt,id eſt,nequam,improbus,atque inutilis eſt.cur ita?quia
lucrum,quod ante pedes erit,videre non poterit.quemadmodum igitur arilator,ſeu cocio,ocu-
latus,& perſpicax ſit,neceſſe eſt : ita lena ad ſuum quæſtum oculata eſſe debet, ſi modò ſtrenua,
& proba eſt.nam,niſi oculata erit:quæſtum ſuum negliget,ac præteribit , & ita rem ſuam malè
geret,& egeſtate laborabit. Hoc igitur ſignificat, quod antea dixit aliis verbis, ſe habere manus B
oculatas: hoc eſt,quæ nummos præſenteis videre,non in diem collatos, & promiſſos exſpecta-
re velint.quòd ſi manus nihil videant,aut cæcæ ſint: hoc eſt,ſi nummi præſentes non numeren-
tur: eas manus ſibi inutileis futuras, nihílque, quo familia alatur, allaturas : & ſe,ac domeſticos
omneis eſurituros ſatis.Hæc huius loci ſententia eſt,quidquid alij ſcribant. LONGE ALIAM
TE PRÆBES, INQ. NVNC. &c.] Vulgò ſic legitur,longè aliam,inquam,præbes,&c.libri
veteres ſic habẽt,& ita Camer. edidit. *Longè aliam præbes,inquam,nũc,atque,*&c.quarum lectionum
neutra ferri poteſt, ſalua verſus lege. Sic igitur legendum arbitror, vt edidi. *Longè aliam te præbes,*
*inquam,* &c. vt *aliam* referatur ad perſonam,nempe lenam, nõ ad orationem,vt in ſuperiore ver-
ſu. Quòd ſi quis contendat in *aliam*, etiam hîc,& in ſequente verſu , ſubintelligendum, oratio-
nem:legendum erit potius, *longè aliam, mihi perhibes, inquam, nunc,atque olim, quem dabam.* BENE-
DICE.] εὐφήμως. bonis,& lenibus verbis. TVM MIHI QVOQVE ÆDES ARRID.]
id eſt,etiam ædes ipſe tum ſe meo aduentu quaſi gaudere oſtendebant.ędes ipſæ ſe mihi hilaras
præbebant,& veluti riſu propter meum aduentum diffundebantur. Simile quiddam ſcribit Ci-
cero de ædibus nobilium,Verri patentibus.lib.3.accuſ. *Huic homini ſi cuius domus patet , vtrùm ea pa-*
*têre,an hiare,ac poſcere aliquid videtur? hunc veſtri ianitores,hunc cubicularij diligunt:hunc liberti veſtri,hunc* C
*ſerui,ancillæq; amant:hic cùm venit,extra ordinem vocatur: hic ſolus introduntur, ceteri ſæpe frugaliſsimi homi-*
*nes excluduntur.* QVASI COLVMBAE PVLLI &c.] εἰκών. nota eſt columborum in ob-
ſculando improbitas,& laſciuia : quam & Catullus notauit, carmine ad Manlium. *Nec tantùm*
*niueo gauiſa eſt vlla columbo Compar,ſeu quidquam dicitur improbius Oſcula mordenti ſemper decerpere roſtro,*
&c. & Propertius libro 2.eleg.15. *Exemplo iunctæ tibi ſint in amore columbæ, Maſculus & totum fæmi-*
*na coniugium*. Hinc *columbatim*, aduerbium à Mateo factum, id eſt, columborum ritu mutuò
oſculantium. ſic ille, *Sinúque amicam recipio frigidam caldo: Columbatímque labra conſerens labris.* MEO
DE STVD. STVDIA ER.V.OM.] ea ſola ſtudia colebatis, quæ me colere videbatis. veſtra
ſtudia ex meo comparabatis, & componebatis. DE INDVSTRIA] data opera : accuratè.
NEQVE NOLIM,] id eſt, neque quid nolim. FACITIS MAGNI,] magnopere labo-
ratis. NON TV SCIS?] ſic ſuprà. *Non tu ſcis ? quæ amanti parcet, eadem ſibi parcet parum.*
CONCINNAVIT AREAM.] parauit locum æquabilem,& planum. Profert hunc verſum
Nonius in verbo *concinno*. OFFVNDIT CIB.] circum eam aream ſpargit cibum, quo ca-
piantur aues. eſcam, mox appellat vſitatiore nomine : quo & Cicero vtitur in Catone δέλεαρ
nominant Græci. NECESSE EST FACERE SVMT. Q. Q. LVCR.] neceſſe eſt, D
eum, qui quærit lucrum, facere ſumtum. ITIDEM HÎC APVD N.] ἀνταπόδοσις LE-
CTVS, ILLIX EST] Sic edendum curaui Noniũ ſecutus:cuius hæc verba ſunt : *Illix & illex*
*ſic diſcernuntur. ab illiciendo fit illix : illex verò eſt , à quo lex non ſeruatur.* Deinde profert hunc locum
ex Pœnulo , *Qui illi tantæ rei fuimus illices.* BENE SALVTANDO] id eſt, dum blandè ſalu-
tantur. Sic ſuprà. *neque fando vnquam accepit quiſquam.* COMPELLANDO BL.] dum blandè
appellatur. VINNVLA] id eſt, molli,illecebroſa, & ad ſenſus permanente,vt vinum in ve-
nas. In noſtris codicibus ſcribitur *vinula*, vnico. n. quos ſecuti ſumus. adiuuat hanc ſcripturam
& ratio. Nam vinulus a. um. à vino videtur eſſe natum, per deminutionem quandam. quod &
Turnebo videbatur.Apud Nonium tamen ſcriptum eſt *vinnulum* , & *vinnula* cum duplici n. n.
vinnullúmque interpretatur ille, ſenſiloquum, illecebrum. & profert hunc locum. SI PA-
PILLAM PERTRACTAVIT,] Idem in Bacchid. *Nullon' pacto res mandata poteſt agi , niſi idem-*
*tidem Manus ferat ad papillas?* AB RE] longè ab re. EVM] amatorem. HÆCCINE TE
ESSE OBLITVM &c.] verúmne eſt, ſeu rectúmne eſt, te hæc eſſe oblitum, qui tam diu in
diſcendi ludo verſatus es ? allegoria eſt à diſcipulis. IN LVDO] in ſchola, in ludo diſcendi,
ſeu litterarum:ſed per ludum litterarum ſignificatur domus lenæ, & meretricis. REMEATO]
redito, in ludum ſcilicet. CVM QVIQVAM ALIO] cum quoquam alio. ATQVE EA
LEGE,



A LEGE, SI ALIVS AD ME PRIVS ATTVLERIT] id eſt, atque ea lege
annum hunc tecum erit, neque cum alio quoquam,ſi has quas dixi , xx. minas continuò attu-
leris. nam ſi alius ad me prius attulerit, tibi dico, vale. iubeo te valere. id eſt, abi. πολλά σε ἐρ-
ρῶσθαι κελεύω ἔρρωσο. AT EGO, EST ETIAM &c.] ordo eſt, at etiam eſt , quod ego lo-
qui & tecum volo priuſquàm abis. EST RELIQVVM, QVOD P.] reliquum mihi eſt ali-
quid propter quod peream magis, quàm adhuc perij , id eſt, aliquid mihi reſtat, quod perdã,id
eſt, quod tibi dem, præterea,quæ perdidi, id eſt,quæ tibi dedi, nonnulli libri ſic habent, *eſt reli-*
*quum, quo peream magis.* quæ ſcriptura conſuetudini Latini ſermonis magis conſentanea eſt. nam
illa, quam ſecuti ſumus, Græcam locutionem olet, vt à Camerario notatũ eſt. HABEO VN-
DE,&c.] ἑρμηνεία. dicit enim aliis verbis idẽ,quod proximè dixit. SED IN LEGES MEAS
DABO] ſed quod poſcis, dabo meis legibus, id eſt, meis conditionibus , & pactis. *in leges meas,*
id eſt, ſecundum leges meas. Lex autem hîc pactum, & cõditionem ſignificat : Sic Horat. epiſt.
2.lib. 2. *dicta tibi eſt lex.* Idem Sat.3. lib.1. *hac lege in trutina ponetur eadem.* Cicer. Philipp.12. *leges in-*
*ter ſe conditionéſque tulerunt.* VTI SCIRE POSSIS] vt ſcire poſſis, quæ te mihi præſtare ve-
lim. al. *vti ſcire poßim.* ADMITTAT] recipiat. SYNGRAPHAM FACITO AFFERAS]
tabulas, in quibus perſcribamus, quæ à nobis ſtipulaberis , quæque tibi promittemus. NO-
B BIS LEGEM IMPONITO] legem priuatam ſignificat, vt ſuprà, hoc eſt pactum, conditio-
nem. PORTITORVM SIMILLIMÆ,&c.] non debet hîc præponi nomen Argyrippi. ſunt
enim etiam lenæ verba. INTERII] hæc verba ſunt Argyrippi. Atque hoc eo adſcripſi , quod
in aliis libris peruerſè poſitum eſt Argyrippi nomen è regione verſus, *Portitorum ſimillimæ* , &c.
PERDO] do lenæ. PEREVNDVM EST MIHI] perire ſibi videtur amator, cùm eo,
quod amat, potiri non poteſt. perit & cùm pecuniam dat amicæ,vt ea potiatur. perit enim,qui
rem ſuam profundit. ita ſiue det, ſiue non det, vtrouis modo perit. Sic infrà ead. com. *Videtin'*
*viginti minæ quid pollent,quidue poſſunt? Ille qui illas perdit, ſaluus eſt : ego, qui nõ perdo, pereo.* OPIBVS]
poteſtate,& facultate mea. EXOBSECRABO] exquiſitè,& accuratè obſecrabo. DIGNOS,
INDIGNOS ADIRE CERTVM EST] id eſt, omneis adire certum eſt. genus loquendi
vſitatum bonis ſcriptoribus, cùm per contrariorum complexionem omnes & omnia intelli-
guntur. Exempla hîc pauca colligam. cetera in indice ponetur. Demoſth. de Philippo Olynth.
λόγῳ. α. κύριον ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων. Idem κατὰ μειδίου. ἐπηρεάζων ἐμοὶ συνεχῶς μικρὰ
καὶ μείζω. Cicer. lib.1. accuſ. omnes noti, ignotíq;. Sic Plautus ipſe in Curcul. *Date viam mihi, noti,*
*atque ignoti* &c. Iterum Cic. epiſt. ad Quint. fratr. lib. 3. *omnia minima, maxima.* Terent. Andr. *quo iure,*
C *quáque iniuria.* ad quod notat Donatus, huiuſmodi fermè figuræ omnes , quæ conſtant ex con-
trariis, prouerbiales exiſtimantur. quod genus ſunt fanda, atque infanda : facta , atque infecta:
digna, atque indigna. Virgil. lib. 9. Æn. *Digna atque indigna relatu vociferans.* Plautus in Captiuis.
*Indigna, digna habenda ſunt herus quæ facit. quo iure, quáque iniuria : iuuenéſque, ſenéſque.* Terent. iterum
in Eunucho. *præſente , abſente.* vbi Donatus , prouerbiale eſt, inquit, *præſente , abſente , vt ſurſum,*
*deorſum, vltro & citrò*, & cetera eiuſmodi. Sic Græci , ἄνω κάτω. Talia ſunt illa, *terra , mari : fa-*
*ctis, dictis : dextra, ſiniſtra. iuſta, iniuſta :* ATQVE EXPERIRI] profert hunc verſum Nonius
in verbo *experiri.* NON POTERO,] ſubintell. ſumere. *mutuas* autem intellige , ſine
fœnore.

# ACTVS SECVNDVS. A

## LIBANVS ſeruus.

HErcle verò Libane nunc te meliuſt expergiſcier.
Atque argento comparando fingere te fallaciam.
Iam diu eſt factum qom diſceſti ab hero, atque abiiſti ad forum.
Igitur inueniundo argẽto vt fingeres fallaciam, B
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitaſti in otio.
Quin tu abs te ſocordiam omnem reice, is ſegnitiem amoue.
Atque ad ingenium vetus verſutum te recipis tuum?
Serua herum, caue tu idem faxis. alij quod ſerui ſolent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Vnde ſumam? quem interuortam? quò hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratumſt. quouis ammittunt aues.
Picus, cornix eſt ab læua, coruos, parra ab dextera.
Conſuadent, certum hercle eſt veſtram conſequi ſententiam.
Sed quid hoc quod picus vlmum tundit? non temerariumſt. C
Certè hercle ego quantum ex augurio auſpicij intelligo,
Aut mihi in mundo ſunt virgæ, aut atrienſi Saureæ.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit huc Leonida?
Metuo, quòd illic obſcæuauit meæ falſæ fallaciæ.

HErcle verò] ſe ipſe hortatur, & ſuſcitat Libanus. Te meliv'st expergiscier] præſtat te expergiſci, qui vidêris dormire. Iam div est factvm, qvom, &c.] Sic ſolet loqui Plautus, vt ſuprà admonuimus, ibi, *Agite pugni, iamdiu eſt, quom ventri victum non datis.* Igitvr] id eſt, ea gratia, vel idcirco. Qvin tv abs te, &c.] Cur non tu abs te ſocordiam omnem repellis, & ſegnitiem aufers? legendum autem *reicis, amoues*, vt edidimus: non vt vulgò, *reice, amoue.* Secordiam] ignauiam, ῥαθυμίαν. Versvtvm] ad malitiã callidum. interdum recti peritum. Nonius. M. Tullius. lib. 3. de nat. deor. *verſutos eos appello, quorum mens celeriter verſatur.* Plautus in Epid. *vorſutior es, quàm rota figularis.* Faxis] feceris. Ad heri fravdationem] ad herum fraudandum. Call. ingen. g.] callido ingenio ſunt. callidi, & ingenioſi ſunt. Sic idem Plautus in Bacchid. dixit animum gerere. *Sed ſatin' ego animum mente ſincera gero?* Et Terent. in Hecyra. *quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.* Hoc igitur dicit. Caue feceris, quod alij ſerui ſolent, qui callidi, & verſuti ſunt, ad herũ ſuum fallendum: quin potius ad herum ſeruandum callidus, vafer, & aſtutus eſto. Vnde svmam?] has viginti minas? Intervortam?] dolis circunueniã? interuortere, eſt peruertere, euertere, &, vt ſignificantiùs dicam, totum vertere. Itaque hîc tralatè poſitum eſt. vel dic interuertere, ſeu interuortere eſſe, pecuniam, aut rem alienam, & alij debitam ad ſe. Qvò hanc celocem conferam?] quem in portum, ſeu quas in oras hanc nauim conferam, conuertam, impellam? quò mea conſilia referam? allegoria eſt. celox nauigium breue eſt, à Græca voce κέλης, τος, appellatum. Sed Nonius vult eſſe dictum à celeritudine, in voce celox, vbi hunc locum profert. Impetritvm] id eſt impetratum. Feſtus. verbum antiquum ex Etruſcorum diſciplina. M. Tull. lib. 1. de Diuinat. *vt nunc extis, (quanquam idipſum aliquanto minus, quàm olim) ſic tum auibus magnæ res impetriri ſolebant.* Idem lib. 2. *Quî euênit, vt is, qui impetrire velit,* D



A *lit, conuenientem hoſtiam rebus ſuis immolet?* Sic autem legendum eſſe vtrobique admonuimus in notis noſtris ad Ciceronem: itaque edi iuſſeramus: quamquam operarij nobis non paruêrũt. Inavgvratvm'st] augurium actum, & conſultum eſt. T. Liuius lib. 1. *Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad inaugurandum, templa capiunt.* Idem eod. lib. *Ex eo ira regi mota, eludénſque artem, vt ferunt, Agedum,* inquit, *diuine tu, inaugura, fierine poßit, quod nunc ego mente concipio.* Varro lib. 4. de ling. Latina. *quod hinc oritur caput ſacræ viæ: qua ſacra quot menſibus feruntur in arcem, & per quam augures profecti ſolent inaugurare.* Iam augurium ab auium garritu dictum eſt, vt ſcribit Feſtus. Illud pœne pręterij, quod auctor vocabularij Latino Gręci notat inauguratus, ἀποιωνισθείς. Qvovis ammittvnt aves.] in quamuis partem admittunt, ſeu addicunt aues, & conſilium ſuo garritu, aut volatu approbant, & faciunt ratum. Tit. Liuius lib. 1. *negare Atius Nauius, inclytus ea tempeſtate augur, neque mutaui, neque nouum cõſtitui, niſi aues addixiſſent, poſſe.* Tacitus lib. 1. Auctus omine, addicentibus auſpiciis, vocat contionem. Hinc admiſſiuæ aues, vt docet Feſtus, dictæ ab auguribus, quæ cõſulentem iuuarẽt, ſeu iuberent. Picvs, cornix est ab l.] M. Tull. lib. 1. de diuinat. *Quid habet augur, cur à dextra coruus: à ſiniſtra cornix faciat ratum?* Virgil. *Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.* Corvos, parra a dextra] Coruus ab dextra facit ratum, vt etiam ex M. Tull. verbis, quæ ſuprà retuli, appâret. contrà ab læua diſſuadet. Horat. oda 27. lib. 3. *ego, cui timebo. Prouidus auſpex, Antequam ſtanteis repetat paludes Imbrium diuina auis imminentum, Oſcinem coruum prece ſuſcitabo Solis ab ortu.* Iterum Plautus in Aulul. *Non temerè eſt, quòd coruus cantet mihi nunc ab læua manu. Simul radebat pedibus terram, & voce crocitabat ſua.* Parra autẽ, auis eſt infelicis augurij, & inauſpicata. Horat. oda ſuprà commemorata. *Impios parræ recinentis omen Ducat* &c. Sic autem edidimus, libros veteres ſecuti: quo modo & Camerarius. Nam alij habẽt, *coruos porrò ab dextera.* Vlmvm] arborem, vnde virgæ fieri ſolebant, quibus ſerui cædebantur. Non temerarivm'st] non temerè fit: non eſt ſine ratione: οὐκ ἔστιν ἄλογον. Sed diſſimulandum non eſt, Nonium legiſſe, *haud temerarium eſt*, in voce *temerarium*: vbi hunc locũ profert. Quòd autem ille *temerarium* hîc putat valere metuendum, & ſollicitum, errat. In mvndo svnt] paratæ ſunt: in expedito ſunt. ſic Cariſius. Iterum Plautus in Caſina. *Stultitia magna eſt, mea quidem ſententia, Hominem amatorem vllum ad forum procedere, cui quod amet, in mundo ſiet.* Idem Pſeud. *Piſtrinum in mundo ſcibam ſi id faxem, mihi.* Avt atriensi savreæ.] ſerui atrienſes, ſerui erant totius domus honoratiſſimi, & potentiſſimi, & quaſi columina, ſeu columelæ quædam. id quod maximè intelligitur ex hoc ſeruo Saurea, Seruius ad illum locum Virgil. Æneid. 9. *Fidúſque ad limina cuſtos,* notat. æditimus fuit: quod apud maiores ingenti honore fuit. illic enim epulabantur: & deos colebant. cenſus etiam omnis illis ſeruabatur. quod & Plautus docet in Aſinaria: in qua inducit Sauream ſeruum atriẽſem in tota familia plurimum poſſe. Exanimatvs] vel metu exanimatus: vel propter curſum vix ſpiritum ducẽs. Illic obscævavit] illè malam ſcæuam obiecit: malum omen obtulit. ſic ferè Nonius in verbo *obſceuauit.* vbi hunc verſum profert. *ſcæua autem, & bona, & mala dicitur. bona ſcæua, bonum omen: mala ſcæua, malum omen.* Plautus in Caſina. *Caninam ſcæuam ſpero meliorem fore.* Idem in Pſeudolo. *Bene ego ab hoc prædatus ibo. noui. bona ſcæua eſt mihi.* Quod autem libri veteres habent *obſcænauit*, & ita edidit Camerarius, nòn placet, quamuis nòn damnem, vt ſit verbum factum à nomine *obſcænus*: quod interdum ſignificat, mali & diri ominis, ominoſum δύσφημον. Accius Oenomao. *vt omnes qui Arpinam, Aſiámque accolunt ciues, ominibus fauſtis adhibeant fauentiam, ore obſcæna dicta ſegregent.* Virgilius Æneidos 12. *ne me terrete timentem Obſcænæ volucres.* Omnino obſcæuauit magis probo, tum Nonij auctoritate adductus, tum verbi *obſcænauit* nouitate, & inſolentia ſuboffenſus. Licet autem aut hoc ordine verborum hunc locum explicare: Metuo meæ fallaciæ, propterea quòd ille obſcæuauit. ſubintell. mihi. vel repete ἀπὸ κοινοῦ meæ fallaciæ: aut hoc ordine, Metuo, propterea quòd illic, id eſt, ille, obſcæuauit meæ fallaciæ.

D

## LEONIDA, LIBANVS ſeruus.

VBi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?
Vti ego illos lubentiores faciam, quàm Lubentiaſt?
Maximam prædam & triumphum eis adfero aduentu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter ſcortari ſolent:
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
LI. Illic homo ædis compilauit, more ſi fecit ſuo.
Væ illi qui tam indiligenter obſerrauit ianuam.
LE. Ætatem velim ſeruire, Libanum vt conueniam modò.
LI. Mea quidem hercle opera liber nunquam fies ocyus.

L E. Etiam de tergo ducentas plagas prægnantis dabo. A
L I. Largitur peculium omne, in tergo theſaurum gerit.
L E. Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit,
Nunquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.
Herum in obſidione linquet, inimicûm animos auxerit.
Sed ſi mecum occaſionem opprimere hanc, quæ obuenit, ſtudet,
Maximas opimitates gaudio effertiſſimas
Suis heris ille vnà mecum pariet, gnatóque & patri.
Adeò vt ætatem ambo, ambobus nobis ſint obnoxij,
Noſtro deuincti beneficio. L I. vinctos neſcio quos ait.
Non placet. metuo in commune ne quam fraudem frauſus ſit.
L E. Perij ego oppidò. niſi Libanum inuenio, iam vbi vbi eſt gentium. B
L I. Illic homo ſocium ad malam rem quærit, quem adiungat ſibi.
Non placet, pro monſtro extemplò eſt, quando qui ſudat, tremit.
L E. Sed quid ego hîc properans conceſſo pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
L I. Eu ædepol hominem infelicem, qui patronam comprimat.
Nam ſi quid ſceleſtè fecit, lingua pro illo peierat.
L E. Approperabo, ne poſt tempus, prædæ præſidium parem.
L I. Quæ illæc præda eſt? ibo aduorſum, atque electabo quicquid
Iubeo te ſaluere voce ſumma, quo ad vires valent.
L E. Gymnaſium flagri, ſalueto. L I. quid agis cuſtos carceris?
L E. O catenarum colone. L I. ô virgarum laſciuia. C
L E. Quot pondo tedeſſe cenſes nudum? L I. non edepol, ſcio.
L E. Scibam ego te neſcire, at pol ego qui te expendi, ſcio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
L I. Quo argumẽto iſtuc? L E. ego dicã, quo argumẽto & quo modo.
Ad pedes quando alligatum eſt equum centupondium,
Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependes, nec propendes, quin malus, nequámque ſis.
L I. Væ tibi. L E. hocce teſtamento ſeruitus legat tibi.
L I. Verbis velitationem fieri compendi volo.
Quid iſtud negotij eſt? LE. certũ eſt credere. LI. audacter. LE. licet. D
Sis amanti ſubuenire familiari filio,
Tantum adeſt boni improuiſo, verùm commixtum malo.
Omnes de nobis carnificum concelebrabuntur dies.
Libane nunc audacia vſuſt nobis inuenta & dolis.
Tantum facinus inueni modò ego, vt nos dicamur duo
Omnium digniſſimi eſſe, quò cruciatus confluant.
L I. Ergo mirabar quod dudum ſcapulæ geſtibant mihi,
Ariolari quæ occœperunt ſibi eſſe in mundo malum.
L I. Quicquid eſt, eloquere. L E. magna eſt præda cũ magno malo.
Siquidem omnes coniurati cruciamenta conferant,
Habeo, opinor, familiare tergum, ne quæram foris.





A L E. Si iſtam firmitudinem obtines animi, ſalui ſumus.
L I. Quin ſi tergo res ſoluenda eſt, rapere cupio publicum.
Pernegabo, atque obdurabo, periurabo denique.
L E. Hem iſta virtus eſt, quando vſuſt, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem pòſt potitur bonum.
L I. Quin rem actutum ediſſeris? cupio malum nanciſcier.
L E. Placidè ergo vnumquidque rogita, vt acquieſcam, non vides
Me ex curſura anlitum etiam ducere? L I. age age manſero.
Tuo arbitratu, vel adeò vſque dum peris. L E. Vbínam eſt herus?
L I. Maior apud forumſt, minor hîc eſt intus. L E. iam ſatis eſt mihi.
L I. Tum tu igitur es diues factus. L E. mitte ridicularia.
B L I. Mitto iſtud, quod affers, aures exſpectant meæ.
L E. Animum aduerte, vt æquè mecũ hæc ſcias. L I. taceo. L E. beas.
Meminiſtin' aſinos Arcadicos mercatori Pelleo,
Noſtrum vendere atrienſem. L I. memini, quid tum poſtea?
L E. Hem ergo is argentum huc remiſit, quod daretur Saureæ
Pro aſinis. adoleſcens venit modò, qui id argentum attulit.
L I. Vbi is homoſt? L E. iam deuorandum cenſes, ſi conſpexeris.
L I. Ita enim vero, ſed tamen tu nempe eos aſinos prædicas
Vetulos, claudos, quibus ſubtritæ ad ſemina iam erant vngulæ.
L E. Ipſos, qui tibi ſubuectabant rure huc virgas vlmeas.
L I. Teneo, atq; iidẽ te hinc vexerũt vinctũ rus. L E. memores probè.
C Verùm in tonſtrina vt ſedebam, me infit percontarier:
Ecquem, filium Stratonis nouerim Demænetum?
Dico me nouiſſe extemplò, & me eius ſeruum prædico
Eſſe, & ædis demonſtraui noſtras. L I. quid tum poſtea?
L E. Ait ſe ob aſinos ferre argentum atrienſi Saureæ.
Viginti minas, ſed eum ſeſe non nouiſſe hominem qui ſiet,
Quom iã ille elocutus hæc ſit. L I. quid tũ? L E. auſculta ergo, ſcies
Extemplò facio facetum me, atque magnificum virum,
Ipſum verò ſe nouiſſe callidè Demænetum.
Dico med eſſe atrienſem. ſic hoc reſpondit mihi:
D Ego pol Sauream non noui, neque qua facie ſit, ſcio,
Te non æquum mi eſt ſuccenſere. ſi herum vis Demænetum,
Quem ego noui, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum, & me domi præſtò fore.
Ille in balneas ituruſt, inde huc veniet poſtea.
Quid nunc conſilij captandum cenſes? dic. L I. hem iſtuc ago.
Quomodo argentum interuotam, & aduentorem & Sauream.
Iam hoc opus eſt exaſceatum. nam ſi ille argentum prius
Hoſpes huc affert, continuò nos ambo excluſi ſumus.
Nam me hodie ſenex ſeduxit ſolùm, ſeorſum ab ædibus,
Mihi tibíque interminatuſt nos futuros vlmeos.
Niſi hodie Argyrippo viginti eſſent argenti minæ.

Iuſſit vel nos atrienſem, vel nos vxorem ſuam A
Defraudare, dixit operam ſeſe promiſſam dare.
Nunc tu abi ad forum, ádque herum, & narra hæc, vt acturi ſumus.
Te ex Leonida futurum eſſe atrienſem Sauream,
Dum argentum afferat mercator pro aſinis. LE. faciam vti iubes.
LI. Ego illum interea hîc oblectabo prius, ſi fortè aduenerit.
LE. Quid ais? LI. quid vis? LE. pugno malam ſi tibi percuſſero.
Mox cùm Sauream imitabor, caueto ne ſuccenſeas.
LI. Hercle verò tu cauebis, ne me attingas, ſi ſapis. B
Ne hodie malo cum auſpicio nomen commutaueris
LE. Quæſo æquo animo patitor. LI. patitor tu idem, cum ego te referiam.
LE. Dico vt vſus fieri. LI. dico hercle ego quoque vt facturus ſum.
LE. Ne nega. LI. quin promitto, inquam, hoſtire cõtrà vt merueris.
LE. Ego abeo. tu iam, ſcio, patiere. ſed quis hîc eſt? is eſt,
Ille eſt ipſus. iam ego recurro huc, tu hunc interea hîc tene.
Volo ſeni narrare. LI. quin tuum officium facis ergo, ac fugis?

LVBENTIORES] hilariores, lætiores. LVBENTIA] hilaritatis dea. Venus lubentina. C PRAEDAM] tralatio eſt à re militari. QVANDO] quoniam, ἐπειδὴ. NACTVS] ſubintell. ſum. PARITER CVM ILLIS PARTIAM] illis impertiam. ILLIC HOMO] ille homo. COMPILAVIT.] ſpoliauit. Horat. ſat.1.lib.1. *Formidare malos fures, incendia, ſeruos, Ne te compilent fugientes.* compilati dicũtur furtũ paſſi, inquit Nonius, in ſuppilare. VÆ ILLI] O infelicem illum, cuius ædeis compilauit Leonida. QVI TAM INDILIGENTER OBSERAVIT IANVAM] ſic mâlo legi, quàm quo modo vulgò *obſeruauit*. Et verò idem & Camerario iam antea viſum erat. Eſt autem obſerare, ſera claudere. Catull. ad Ipſithillam. *Quod ſi iuſſeris, illud adiubeto, Ne quis liminis obſeret tabellã.* ÆTATEM VELIM SERVIRE] id eſt, diutiſſimè velim ſeruire: æternum velim ſeruus eſſe. Profert Nonius hunc verſum, in voce *ætatem.* MEA QVIDEM HERCLÈ OPERA, &c.] Equidem operam tibi nullam dabo, vt citius liber fias. Sed per me ætatem ſeruias licet. ETIAM DETERGO D. PL.] iocus. quaſi magnum quiddam largiturus ſit, ita ei promittit plagas ducentas tumẽteis, quas in tergo ſuo gerit. PRAEGNANTEIS] tumidas, turgidas. tralatio à mulieribus prægnantibus. LARGITVR PER. OMNE, &c.] peculium eſt pecunia ſeruilis, propriè. ſignificat autem ſeruus Litanus D ſeu Libanus, Leonidam conſeruum nihil habere paratius, quod largiatur, quàm tergum plagis refertum, ſeu plagas tergo illatas. THESAVRVM GERIT.] theſaurum plagarum, vt dicimus theſaurum mali. NAM, SI HVIC OCCASIONI. &c.] id eſt, Nam ſi hæc occaſio elapſa ſit è manibus, & non continuò à Libano arrepta fuerit: nunquã eam poſtea, quantumuis celeriter currat, adipiſci poterit. QVADRIGIS ALBIS] quadrigis celeritate præſtantibus, quales ſunt quadrigæ Iouis, quadrigis ipſius Iouis, vt Turnebo placet. Horatius ſatyr.7. lib. 1. *Siſennas Barros vt equis præcurreret albis.* Hyperbole eſt, prouerbium olet. INDIPISCET] adipiſcetur, aſſequetur, apprehendet. ſic ferè Feſtus in verbo indipiſci κιχήσει, καταλήψεται. HERVM IN OBSIDIONE LINQVET INIM.] allegoria à re militari. INIMICŨM] inimicorum occaſionem. OPPRIMERE] occaſionẽ occupare, & ita ſubito arripere, vt elabi, aut effugere non poſſit. Iterum Plautus Rudente. *Sed quid ego ceſſo fugere in fanum, ac dicere hæc Paleſtræ, in aram vti cõfugiamus priuſquàm huc ſceleſtus leno veniat, nóſque hîc opprimat?* Quidam opprimere interpretantur vrgere, quod minus probo. QVAE OBVENIT] quæ oblata eſt. OPIMITATES] copias, res ſecundas, proſperitates. *opimitas,* inquit, Nonius, ab *opimo.* deinde profert hunc verſum: & præterea illum, qui eſt in Capt. *Maximas opimitates, opiparáſque offers mihi.* EFFERTISSIMAS] refertiſſimas. ÆTATEM] æternum, perpetuò, diutiſſimè.



A tiſſimè. NOBIS SINT OBNOXII,] nobis ſint obligati: nobis debeant. ſic in Capt. *obnoxij ambo vobis ſumus propter hanc rem, &c.* METVO IN COMM. NE Q. FR. FRAVSVS SIT] frauſus, inquit Nonius, pro fraudatus, frauſus ſit, id eſt, ad fraudis fructum venerit. deinde hunc locum profert. Ego ſic potius, *ne quam fraudem frauſus ſit,* id eſt, ne quam fraudem commiſerit. & ita Feſtus in voce *frauſus,* apud quem legendum eſt. *fraudem frauſus ſit,* fraudem cõmiſerit. OPPIDO] valde. VBI VBI EST] vbicunque eſt gentium. ILLIC HOMO] Ille homo. PRO MONSTRO] portenti loco. portenti ſimile: ἀντὶ τέρατος. EXTEMPLO] ſtatim, continuò, illico. verbum augurale, hinc natum, quòd augures, augurio viſo, ex tẽplo ſurgebant, id eſt, ex ea cæli parte, quam deſignarant. QVANDO QVI SVDAT, TREMIT] Hippocr. ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη οὐ χρηστόν: id eſt, ſub ſudorem horror, non eſt bonum. CONCESSO P.] ceſſo pedibus: parco meis pedibus: parcus ſum pedibus. Simeo Boſius ſic legendum putat, *Sed quid ego hîc properans, cùm ceſſo pedibus, lingua largior?* id eſt, quamobrẽ lingua largus ſum, cùm interea pedibus meis parco? ego nihil muto. LARGIOR?] largus ſum? largior, vel vt ſit verbũ accipi poteſt: vel vt ſit nomen comparatiuum, pro nimis largus, vt ſubintelligatur ὤν. ſed illud malo. HANC] linguam. LACERAT DIEM?] conterit diem? Idem in Sticho. *Ite hâc ſecundum vos me. ego hunc lacero diem.* Idem Caſina, *contriui diem. Dum adſto aduocatus cuidam cognato meo.*
B HEV] ſic puto ſcribendũ, vt ſit dolentis interiectio: interdum geminatur Heu heu. QVI PATRONAM COMPRIMAT] linguam, patronam ſuam cõprimat. iocus ex ambiguo verbo, *comprimat.* nam comprimere linguã eſt coërcere, & continere, ne loquatur quod ad id pertinet, quod ſuprà proximè dixit. Quin ego hanc iubeo tacere, &c. comprimere patronam intelligitur is, qui patronam ſuam ſubigit. præterea cõprimere linguam ſuprà in Amphitr. ambiguè poſuit ibi. Ego tibi iſtam hodie ſceleſtam comprimam linguam. Cur autem eius linguam, patronã dicat, rationem ſubiicit. NAM, SI QVID SC. F. L. PRO ILLO P.] nam ſi quid ſceleratè fecit, inquit, iurat ſe nõ feciſſe. & ita linguæ ſuæ beneficio, hoc eſt periurio abſoluitur, quo fit, vt lingua ſit ei tanquam patrona, dum huius opera crimine liberatur, ne verberetur. NE POST TEMPVS, PR. PR.] ne poſt bellum ſuppetias. ELECTABO,] eliciam. ſic Feſtus, ſine dubio hũc locum ſpectans, quamuis eum non proferat. GYMNASIVM FLAGRI.] verbero, flagrio: homo in quo verberando aſſiduè ſe exercet dominus, ſeu potius exercentur flagra, & virgæ. CVSTOS CARCERIS?] qui à carcere nũquàm diſcedis: qui aſſiduè in carcere verſaris, quaſi carceris cuſtos. O CATENARVM COLONE] qui aſſiduè catenas colis, vt colonus agrum, id eſt, qui aſſiduè catenis vinctus es. Profert hũc locum Nonius in verbo colere. O VIRGA-
C RVM LASCIVIA] in cuius corpore, ſeu tergo laſciuire & exſultare ſolent virgæ. QVOT PONDO] quot librarũ, hoc eò pertinet, quòd ſerui dum verberabãtur, pendebãt: idq. & ex eo, quod ſequitur, & ex aliis locis intelligere licet. Horat. epiſt.2. lib.2. *In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.* Iterum Plautus infrà ead. comœd. *Vbi ſæpe cauſam dixeris pendens aduerſus octo Artitos audaceis viros,* &c. Idẽ in Amphitr. *Niſi item vnam, verberatus quàm perpendi perpetem.* SCIBAM] ſciebam. QVI TE EXPENDI,] qui te põderaui, vel qui te iuſſu heri, ex trabe pepẽdi. PER PEDES.] in pedes, ita vt pedes terræ appropinquent. AD PEDES QVANDO ALL.] alligabatur ad pedes ſeruorum pendentium pondus aliquod, ne inter vapulandum calcitrarent, néve pedibus aut calcibus eos, à quibus verberabantur, peterent. Hæc aſcripſerat ad hunc locum Boſius. ÆQVVM CENTVPODIVM] pondus centum librarum iuſtum. MANICAE] vincula, quibus manus vinciuntur. profert Nonius in voce *manicæ.* ATQVE ADDVCTAE AD TRABEM] ad trabem adſtrictæ manicæ ſcilicet. NEC DEPENDES, NEC PROP.] nec deorſum pendes, nec vllam partẽ verſus pendes, quin improbus, & nihili ſis, id eſt, nihil tibi neque ſupereſt, neque deeſt, quin improbus, & inutilis ſis. planè improbus, & nequam es. NEQVAMQVE] inutiliſque. ſic Caper, vetus grammaticus. VAE TIBI] miſer eſto. dij te infe-
D licitẽt. HOCE TESTAM. SERVITVS L. T.] ſeruitus hoc tibi ex teſtamẽto legat. *hoc* nẽpe væ, hoc eſt, vt ſis miſer. ſeruitus tibi tanquam legatum quoddam ex teſtamento relinquit miſeriam. ſignificat, omnẽ ſeruum, miſerũ eſſe. eo ipſo, quòd ſeruus ſit. VERBIS VELIT FIERI COMP. V.] contentionẽ per verba, λογομαχίαν. *Velitatio,* inquit Nonius, *leuis contentio, dicta ex congreſſione velitum.* Velites ſunt equites leuiter armati, quaſi volites. Turnebus hunc locum explicare conatus eſt lib.4. aduerſ. cap.13. ſed ita, vt ſit opus alio explicatore, ſic enim ille, facere compẽdi, vt facere lucr. Plautus dicit. Itaq. facere cõpendi velitationẽ verbis volo, eſt. volo hoc verbis commodum, lucrúmque afferre, ne in velitationem, altercationémq; de ſuo quidquam impendant. Non enim ſine eorum impẽdio fieri poteſt. Hactenus ille. ſignificat autem ille, (nam obſcurè admodum, vt nonnulla alia, hæc ſcripſit) hanc eſſe Plauti ſentẽtiam, volo velitationem verba lucrifacere: volo verbis lucrum ex hoc quæri, ne verbis contendamus inter nos. velitando enim, & altercando verbis, verba impendimus, & inſumimus. Contendere igitur verbis deſinamus, vt hoc lucri verbis afferamus. Hæc ille dicere voluit. Sed ego ſic explico, & longè, mea quidem ſententia, planius. *Verbis velitationem,* id eſt, hanc ipſam velitationem, & contentionem noſtram, quæ fit verbis, volo compendi fieri, id eſt, volo lucrifieri: quod valet, volo non adhiberi, non vſurpari, volo nos deſinere verbis velitari. Dicitur quis rem aliquam lucrifacere, quia non abuti ei licet, & cui parcere poteſt. Turnebum induxit, quòd putauit datiuum *verbis*, cohærere

cum *compendi fieri*, & ab eo regi: quod non ita eſt, nam *verbis* cohærere debet cum *velitationem*, vt A intelligamus, *verbis velitationem* dictum pro verborum velitationem, quam λογομαχίαν Græci appellant, vt diximus. Sic loquitur in Moſtell. *Orationis operam compendi face*, &c. Idem in Perſa. *Quiſquis es adoleſcens, operam fac compendi quærere.* idem in Bacch. *compendi verba multa iam faciam tibi.* Idem in Pſeud. *Quiſquis es, compendium ego te facere compendi volo.* QVID ISTVD NEGOTII EST?] quid rei habes, quam mecum cõmunices? *Quid*, hîc diſyllabum eſt. CERTVM EST CREDERE] decreui tuæ fidei cõmittere. AVDACTER.] ſubintell. credito. LICET SIS AMANTI SVBVENI.] id eſt, licet ſi vis amanti filio ſubuenire. Sic autem hunc verſum reſtitui ex codicibus noſtris veteribus. Nam & *ſis* in extremo verſu: & *ſi vis*, in principio verſu, verſum corrumpebant. nunc autem integri, & perfecti ſunt trochaïci tetrametri, catalectici, licet ſis autem, id eſt, licet ſi vis. Præterea perſonarum nomina erant perturbato, & peruerſo ordine locata: quæ nos in ſuum ordinẽ reſtituimus. VERVM COMMIXTVM MALO.] ſed hoc tantum boni, cum malo coniunctum eſt. hoc tantum boni, inquit, non eſt liquidum, neque ſincerum, neque omnino mali expers: ſed aliquid incommodi admixtum habet. OMNES DE NOBIS CARNIF. CONC.] hoc illud eſt mali, cum quo tantum boni commixtum eſſe dixit. omnes, inquit, carnificum dies, de nobis erunt celebres: quia carnifices in nobis excruciandis, ob facinus tam audax, quod nobis faciendum eſt, erunt occupati. NVNC AVDACIA VSV'ST B N. INVENTA,] id eſt, nunc opus eſt inueniri, atque adeò inuentam à nobis eſſe audaciam, & inuentos dolos. QVO] ad quos ſignificat, magnum, & audax, grauíque ſupplicio dignum facinus ſibi eſſe ſuſcipiendum, & audendum. GESTIBANT] geſtiebant, exſultabãt, quaſi præſagientes, ac præſentientes plagas ſibi imminenteis: vel, vt ipſe ſubiicit, quaſi ariolãtes ſibi eſſe in mundo malum. ARIOLARI QVAE OCC. SIBI ESSE] quæ ariolari, hoc eſt diuinare, cœperunt ſibi eſſe paratum malum. CONIVRATI.] coniuratione facta in caput noſtrum. CRVCIAMENTA] cruciatus. CONFERANT] congerant, coniiciant. HABEO, OPINOR, FAMILIAREM, TE NE Q. F.] id eſt, habeo domeſticum, ſeu domi tergũ: neque mihi quærendum eſt foris, quod valet, ad verbera paratus ſum: neque recuſo, quo minus vapulem, ſi quod facinus audax fecero. ſic ſæpe loqui ſolet Plautus: vt in Bacchid. *Regias copias aureáſque obtuli, vt domo ſumeret, neu foris quæreret.* Idem Mil. glor. *Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala: Domi habet ortum, & condimenta ad omneis mores maleficos.* Idem ibidem. *quid opu'ſt nota noſcere. Quom apud te exemplum experiendi habeas ne petas foris.* Idem in Pſeud. *Quid minitare? habeo tergum.* Tale ferè eſt illud Catulli, carm. ad Ianuam. *Sed pater illius nati violaſſe cubile Dicitur, & miſeram cõſceleraſſe domum, ſiue quòd &c. Seu quod iners ſterili ſemine natus erat: Ne quærendum aliunde foret neruoſius* C *illud, Quod poſſet Zonam ſoluere virgineam. Familiarem tergum* autem edidi, auctoritatẽ Nonij ſecutus, qui, vt probet veteres etiam tergus. gi. vſurpaſſe in maſculino genere, huius loci teſtimonio vtitur. Tale etiam illud eſt Ciceronis, *domi nobis iſta naſcuntur.* Academ. quæſt. lib. 4. qui inſcribitur Lucullus. Idem lib. 9. epiſt. ad Varr. *Sed quid ego hæc ad te, cuius domi naſcuntur?* Idem lib. 1. ad Att. *Quid enim ego aliorũ in me ἐπιφωνήματα exſpectem, cùm hæc domi naſcantur?* Idem lib. Accuſationis 3. *Non circunſpiciam: non quæram foris. habeo iudices principes ciuitatis, P. Seruilium, Q. Catulum* &c. Idem ibidem aliquot verſib. pòſt. *Sed in ipſa Sicilia non quæram exemplũ foris: hoc ipſo ex conſilio vtar exemplis* &c. SI ISTAM FIRMIT. OBT. AN. S. S.] ſi in iſta animi conſtantia permanes, ſalui ſumus. Significat eum, qui aliquid magni ſuſcipit, periculum extimeſcere non oportere. Nam qui periculum extimeſcit, non poteſt omni animi cura, in eam rem, quam aggredi parat, incumbere. contrà, qui omni metu ſolutus ac vacuus negotiũ aliquod in manus ſumit, toto pectore agit, quod agit, neque vlla grauiore cura ab agendo retrahitur, aut reuocatur. Profert autem hunc verſum Nonius in voce *firmitudo.* Quanquã non diſſimulabo, nonnullos hîc legere, *fortitudinem.* QVIN SI TERGO &c.] Immo adeò, inquit Libanus, vt intelligas, me verbera contemnere, neque vllo pacto extimeſcere, ſi, poſteaquam facinus aliquod audax fecero, tergo dependendũ, & cor- D pore luendum eſt, publicam pecuniam rapere cupio. PVBLICVM] pecuniam publicam. PERIVRABO] peierabo. HEM ISTA VIRT. EST, &c.] Ordo, & ſentẽtia eſt: Hem iſta virtus eſt, eius ſubintell. qui. quando vſu'ſt, id eſt, quando opus eſt, malum fert fortiter. Sic ferè M. Tull. Philipp. xj. niſi quòd in re ſeria, & pluribus verbis. *Magna laus, meóque iudicio, omnium maxima. Eſt enim ſapientis, quidquid homini accidere poßit, id præmeditari ferundum omnino modicè eſſe, ſi euenerit. maioris omnino eſt conſilij, prouidere, ne quid tale accidat: ſed animi non minoris, fortiter ferre, ſi euenerit.* Sic Pittacus. Συνετῶν ἀνδρῶν ἐστὶ, πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ, προνοῆσαι, μὴ γένηται: ἀνδρείων δὲ, γενόμενα εὖ θέσθαι: id eſt, intelligentium virorum eſt, prius quàm eueniant incommoda, prouidere, ne eueniant: fortium, ſi euenerit, cõpoſitè & moderatè ferre. FORT. MAL. QVI PAT. IDEM P. P. B.] Sic legi malo, *potitur bonum,* inquam, quàm, quo modo alij libri habent, *patitur bonum.* Eſt verò perelegans cum paranomaſia iuncta ἀντίθεσις *patitur malum: potitur bonum.* Præterea *pati* ſemper de malo dicitur. Quòd enim Cic. dixit Philipp. 13. *pacémque patiamur:* pacem illam habet in malis, quia turpis ſit. idcirco dixit, *pacémque patiamur.* & ita legendum, non, vt vulgò legebatur, potiamur. EDISSERIS] exponis? NANCISCIER] inuenire. EXCVRSVRA ANHELITVM ETIAM DVCERE?] ex curſu animam ægrè trahere, & ilia ducere? ſuprà *examinatus currit.* MANSERO] exſpectauero. VEL ADEÒ VSQVE] etiam vſque

eò dum



A eò dum interis. MAIOR] pater Demænetus. MINOR] filius, Argyrippus. INTVS] ἔνδον domi. TAM TV IGITVR ES D. F.] iocus, ex eo, quod dixerat Leonidas, ſibi iam ſatis eſſe: quibus verbis ſignificabat, ſatis verborũ ſibi eſſe, ex quibus cognouerit, vbi ſit vterque herus. At Litanus id in aliam ſententiam accipit, quaſi Leonidas dixerit, ſe bonis ſuis contentum eſſe, & ſe ſatis bonorum fortunæ habere: quod quibus contigit, ij ſunt diuites. MITTE RIDICVLARIA] miſſa fac ridicula, & iocoſa: & veni ad ſeria. ÆQVÈ MECVM] iuxta mecum. BEAS] beas me, quòd taces. PELLEO] ex Pella, vrbe Macedoniæ: in qua natus Alexander magnus. IS] adoleſcens à mercatore Pelleo miſſus. ATRIENSEM] ſeruum atrienſem, Sauream. IAM DEVORANDVM C. S. C.] hoc eò pertinet, quòd Litanus quæſierat, vbi is homo eſſet: quaſi in eum impetum facturus, cùm primùm conſpexiſſet, cúmque nõ ſolùm ſpoliaturus, verùm etiam, tanquam fera aliqua, deuoraturus. TE HINC VEXERVNT VINCT. R.] nempe ad opus ruſticum faciendum. QVIBVS SVBTRITÆ AD FEM.] hyperbolicῶς dictum. non poteſt enim fieri, vt iumento vngulæ ſubtritæ ſint vſque ad femina, ſeu femora. ſed hoc tamen ſignificat, horum aſinorum vngulas ferè vſque ad viuum fuiſſe ſubtritas. quod magnum eſt vitium in iumentis. Quòd autem quidam hîc legunt *flemina,* qua voce Plautus alibi vtitur, & de qua Feſtus: errãt. TIBI] quibus cædereris. VT SEDEBAM,] cùm B fortè ſederem. INFIT] incipit. ſic Aulul. *Infit ibi poſtulare plorans, eiulans, &c.* & ſæpe alibi. ſic & Lucretius non ſemel. exempli gratia. lib. 3. *Commutare animum quicunque adoritur, & infit.* ECQVEM] num quem: vel num quendam. OB ASINOS] pro aſinis, vt ſuprà locutus eſt, ibi, *Hem tergo is argentũ huc remiſit, quod daretur Saureæ, Pro aſinis* &c. EVM] Sauream. QVI SIET], quis, ſeu qualis ſit. QVOM IAM ELOCVTVS H. S.] ſic legendum, non, vt vulgò. *Quoniam eloc.* ſententia eſt aperta. Cùm iam, inquit, hæc elocutus ſit, &c. vel ſic. vbi iam hæc dixerit, ſeu dixiſſet. hîc cum eſſet reliqua additurus, interpellatur à Litano cetera cognoſcendi cupido, &, vt fit, moram non facilè ferenti. CALLIDÈ] peritè, planè. FACIO] fingo. & eſt tempus pro tempore. facio, pro faciebam. ſic autem in Milit. glor. dixit. *Dum te fidelem facere hero voluiſti,* &c. ibid. *Magnum me faciam nunc, quoniam illhæc me collaudat.* in Pſeudolo. *Atque ego nunc me glorioſum faciam, & copi pectore.* MED ESSE] me eſſe. TE NON ÆQVVM MIHI EST SVCC.] Te non æquum eſt mi ſuccenſere. SI HERVM VIS DEMÆNETVM] ſubintell. adducere. QVIN FERAS.] quin accipias, ſeu auferas. ITVRV'ST.] iturus eſt. QVID NVNC CONS. CAPT.] Quid nunc cõſilij quærendum, & capere ſtudendum exiſtimas? ISTVC AGO] ad iſtam rem animum attendo: in C iſto ſum, vt conſilium aliquod reperiam, ſeu vt aliquam fabricer fallaciam, & ſycophãtiam, qua illas 20. minas interuertamus, & ad nos transferamus. ET ADVENTOREM] adoleſcẽtem, qui aduênit. repete ἀπὸ κοινοῦ interuortam, id eſt, circumueniam. interuortam argentum autem, id eſt, ad nos è medio curſu transferam, antequam ad atrienſem perueniat. IAM HOC OPVS EST EXASCIATVM] id eſt, iam hoc negotium inceptum, & exorſum eſt. tralatio eſt à fabris, qui ligna primùm dolant, & exaſciant: deinde læuigant, & poliant. exaſciare autẽ, eſt, aſcia ſiue ſecuri parare, & rudiore quaſi opera præparare. Aſcia verò, ferramentum fabrorũ materiariorum: quod aiunt à Dædalo repertum. Vitruuius lib. 7. cap. 2. *ſumatur aſcia, & quemadmodum materia dolatur, ſic calx in lacu macerata aſcietur. Si ad aſciam offenderint calculi, non erit temperata.* Hoc igitur ſignificat, opus adhuc eſſe rude, impolitum, & imperfectum: ſed tamen inibi eſſe, vt mox perfici, & perpoliri poſſit. SEDVXIT] ſeorſum ab aliis duxit. M. Tull. lib. 5. epiſt. ad Att. *Cùm hæc diſſeruiſſem, ſeducit me Scaptius.* Plautus Aulul. *Eò nunc ego ſecreti te huc foras ſeduxi.* Idem in Curcul. *Prehendit dextram: ſeducit: rogat, quid venerim in Cariam.* NOS FVTVROS VLMEOS] nos virgis vlmeis opertum iri, vſque adeò vt toti vlmei eſſe videamur. DIXIT SE SE OPERAM PROMISSAM DARE] dixit ſe ſe operam nobis dare, & daturum quam operam promiſit, D vel ſic, dixit, ſe nobis adiutorem fore, vt promiſit. DVM ARGENTVM AFF.] tantiſper te atrienſem fore, dum mercator argentum affert pro aſinis. OBLECTABO] deliniam, θέλξω. blandis verbis lactabo, & retinebo. QVID AIS?] interrogatio eius, qui aliud præterea, quæ dicta ſunt, quæſiturus eſt. in Bacchid. *Et pol ego ſcio, quid metuo. ſed quid ais?* BA. *quid eſt?* PVGNO MALVM SI TIBI PERCVSSERO:] ſi colaphum tibi infregero, quod poterant Atrienſes. TV CAVEBIS, NE ME ATTINGAS.] Terent. Andr. *Ne me attingas ſceleſte.* NE HOD. M. C. AVSP. N. C.] ne inauſpicato, & malis auibus nomẽ Saureæ pro Leonida ſumſeris. vel ſic, ne nominis commutatio infelix, infauſtáque fuerit. *Auſpicium*, inquit Nonius, *auium inſpectio, quæ & ex volatu auium, & ex vocibus ſignificatur.* VT VSV'ST FIERI] vt vſus eſt fieri, vt opus eſt fieri. HOSTIRE CONTRÀ,] redhoſtire: par pari referre: vide ſuprà. *Hoſtimentum eſt, opera pro pecunia.* QVIN TVVM OFF.] cur igitur tuum officium non facis, atque ad ſenem curris? Dixit *fugis* autem, ſignificans, eum eſſe fugitiuum, & ſolere fugere.

## MERCATOR, LIBANVS.

VT demonſtratæ ſunt mihi, illaſce ædis eſſe oportet,
Demænetus vbi dicitur habitare. I puere pulta,

Atque Atrienſem Sauream, ſi eſt intus, euocato huc.

LI. Quis noſtras ſic frangit fores? Ohe inquam, ſi quid audis. A

ME. Nemo etiam tetigit, ſanúſne es tu? LI. at cenſebam attigiſſe

Propterea huc quia habebas iter. nolo ego fores, conſeruas meas

A te verberarier, ſanè ego ſum amicus noſtris ædibus.

ME. Pol haud periclum eſt, cardines ne foribus effringantur.

Si iſtoc exemplo tu omnibus qui quærunt reſpondebis.

LI. Ita hæc morata ianua eſt: extemplò ianitorem

Clamat, procul ſi quem videt ire ad ſeſe calcitronem.

Sed quid venis? quid quæritas? ME. Demænetum volebam.

LI. Si ſit domi, dicam tibi non eſt. ME. quid? eius Atrienſis?

LI. Nihilo magis intus eſt. ME. Vbi eſt? LI. ad tonſorem ire dixit. B

ME. Quum veniſſet, pòſt non rediit? LI. non edepol. quid volebas?

ME. Argenti viginti minas, ſi adeſſet, accepiſſet.

LI. Qui pro iſtuc? ME. aſinos vendidit Pelléo mercatori

Mercatu. LI. ſcio, tu id nunc refers. iam hîc credo eum affuturum.

ME. Qua facie noſter Saurea eſt, ſi is eſt, iam ſcire potero.

LI. Macilentis malis, rufulus: aliquantum ventrioſus,

Truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.

ME. Non potuit pictor rectius deſcribere eius formam.

Atque hercle ipſum adeò contuor, quaſſanti capite incedit. C

LI. Quiqui obuiam huic hîc occeſſerit irato, vapulabit.

ME. Siquidem hercle Æacidinis minis expletus, animíſque incedit,

Si me iratus tetigerit, hic iratus vapulabit.

DEMÆNETVS VBI D. H.] in quibus Demænetus dicitur habitare. I PVERE, P.] i puer, pulſa foreis. *puere*, antiquum FRANGIT] nimis acriter pultat. OHE,] ohe, interiectio ſatis aliquid eſſe dictum, aut factum, monentis. CENSEBAM] putabam te attigiſſe. PROPT. HVC Q. H.] propterea quia huc habebas iter. CONSERVAS M.] conſeruas appellat, quia eidem domino ſeruiunt. Sic apud Catullum, ianua Balbo ſeruiſſe dicitur. *Ianua quàm Balbo dicunt ſeruiſſe benignè Olim cùm ſedes ipſe tenuit*, &c. ISTOC EXEMPLO] iſto modo. ITA HÆC MOR. EST IAN.] his moribus prædita, ianua eſt. CLAMAT,] vocat. CALCITRONEM] hominem, qui calcibus foreis alienas verberare ſoleat. calcitrationes, inquit Nonius, qui infeſtant calcibus. deinde profert hunc verſum. SI SIT DOMI, DICAM TIBI] id eſt, Si eſſet domi, non te celarem. ſed non eſt domi. In nonnullis libris adſcriptæ reperiuntur pòſt *tibi*, duæ hæ voces, *non eſt*. NIHILO MAGIS INTVS EST.] Nihilo magis domi eſt ſeruus atrieſis Saurea, quàm Demænetus. vt herus Demænetus, non eſt domi, ita neque Saurea atrienſis, domi eſt. IRE] ſubintell. ſe. QVOM ABIISSET, PÒST NON REDIIT?] id eſt poſtquàm abiit, an non rediit? Sic autem edendum curaui, cùm libri veteres alij haberent. *Quom veniſſet*: alij. *Quom auiſſet*. Nam *auiſſet* deprauatum u. pro b. hinc factum *veniſſet*. Vulgati autem habent *iuiſſet*: quod malim, quàm *veniſſet*. QVI PRO ISTVC?] qui pro? pro qui, id eſt, pro quo, ſeu pro qua re ἀναστροφή. MERCATV] id eſt, in mercatu. Nonius, *Mercatus*, locus eſt, in quo fit mercatura. Varro. *Vbi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus*. NOSTER SAVREA] legendum fortaſſis eſt, *veſter*. MACILENTIS MALIS] deſcriptio formæ. VENTRIOSVS,] ventre prominente. TRVCVLENTIS OCVLIS] βλοσυρωπός, ſeu βλοσυρώπης. COMMODA] mediocri, tolerabili: NON POTVIT PICTOR] hyperbole. CASANTI CAPITE.] capite nutante & cadente: vultu demiſſo, ac deiecto, κατηφής. Idem Bacchid. *ſubducunt lembum capitibus caſantibus*. Macrob. lib. 5. Satur. cap. 21. *Herculem verò fictores veteres non ſine cauſa cum poculo fecerunt, & nonnunquam* D



A *quam caſabundum, & ebrium: non ſolum quòd is heros bibax fuiſſe perhibetur*, &c. Varro lib. 6. Apud Næuium. *Riſi egomet caſabundum ire ebrium. Caſabundum*, inquit, *à cadendo*. Sic autem hunc locum reſtitui, cùm in omnibus libris legatur *quaſſanti capite*, ſine dubio mendoſè. Nam primùm quaſſare caput eſt minantis. hîc autem triſtitia ſignificatur capitis deiectione. Deinde *quaſſanti capite* dici Latinè non poteſt, cùm *quaſſo, as*. ſit verbum actiuum, & Latini dicant *aliquem quaſſare caput*, actiuè: non *aliquem eſſe quaſſante capite*. Poſtremò exempla à nobis collecta, perſpicuè declarant, legendum *caſanti capite*, à verbo *caſo, as*, quod eſt à cado, is, vt docet Varro: quanquam apud Varronem mendoſè legitur *caſſabundum*, pro *caſabundum* vnico. ſ. triſtitiam autem, vultus & capitis demiſſione ſignificari, declarant multis locis poëtæ, & hiſtorici, & alij ſcriptores: ſed paucis exemplis contenti ſimus. Homerus ἰλιαδ. ρ. de equis Achillis, mæſtis Patrocli morte. Ὣς μένον ἀσφαλέως περικαλλέα δίφρον ἔχοντες, Οὔδει ἐνισκίμψαντε καρήατα: δάκρυα δέ σφιν θερμὰ κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισι. id eſt, ſic manebant equi, immotum currum tenentes, Terræ capitibus defixis: Lacrymæ autem eis calidæ è palpebris in terram manabant flentibus. Idem lib. ψ. de iiſdem. Καὶ τώγ' ἑσταότες πενθείετον, οὔδεϊ δέ σφιν Χαῖται ἐρηρέδαται· τὼ δ' ἕστατον ἀχνυμένω κῆρ. id eſt, illi autem ſtantes lugebant. porrò terræ eis infixæ erant iubæ: ipſi verò ſtabant animo mærentes. Plato in Alci-

B biade ſecundo in princip. φαίνῃ γέ τοι ἐσκυθρωπακέναι τε καὶ εἰς γῆν βλέπειν, ὥς τις συννοούμενος. id eſt, videris ſanè vultu mæſto eſſe, & terram intueri, vt aliquis in attenta cogitatione defixus. Plautus in Bacchid. *Subducunt lembum capitibus caſantibus*. Idem ibid. *num qui nummi exciderunt, here, tibi, quòd ſic terram obtuere? quid vos mæſtos, tamque triſteis eſſe conſpicor?* Cæſar lib. 1. de bello Gallico. *Animaduertit Cæſar, vnos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent: ſed triſteis capite demiſſo terram intueri*. Virg. lib. 7. Æn. *ſed frons læta parum, & deiecto lumina vultu*. Lucret. lib. 4. *oculis, nutúque cadenti*. ad quem locum quæ notauimus, legere licet. Quod autem apud Apuleium lib. 2. vulgo impreſſum eſt, *Tunc illa capite quaſſanti, abi*, inquit, *fatue: qui in domo funeſta cenas & partes requiris. in qua tot iugis iam diebus ne fumus quidem viſus eſt vllus*. legendum, *capite caſanti*, id eſt, capite crebrò cadenti & nutanti. & lib. 8. ibi. *At ille diu capite quaſſanti, vos autem*, inquit, *de cibo, vel poculo, vel omnino vlla refectione nunc cogitatis? an nulli ſcitis, quo loco conſederitis?* emendandum, *capite caſanti*. Adde ſuperioribus exemplis hoc ex Sophocle, in Antig. Σὲ δὲ σὲ, τὴν νεύουσαν ἐς πέδον κάρα, φὴς, ἢ καταρνῇ μὴ δεδρακέναι τάδε; QVI QVI] id eſt, quiſquis. OCCESSERIT] contra venerit, occurrerit. SI QVIDEM HERCLE ÆACIDINIS] quamuis Achilleis minis, animíſque oppletus incedat: tamen ſi me iratus vel ſummis digitis attigerit, vapulabit. Achillis iracundia, nota. Homer. ἰλ. α. Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.

C &c. Horat. epiſt. ad Piſon. de Achille. *Impiger, iracundus, inexorabilis, acer*. Idem epiſt. 2. lib. 2. *Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri, Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles*. Achillem autem, Æacidam dicunt Græci ab auo Æaco: Peliden, à patre Péleo.

## LEONIDA, MERCATOR, LIBANVS.

QVid hoc eſt negotij? neminem meum dictum magni facere?

Libanum in tonſtrinam vt iuſſeram venire, is nullus venit.

Næ ille edepol tergo & cruribus conſuluit haud decorè.

ME. Nimis imperioſus eſt. LI. væ mihi hodie. LE. ſaluere iuſſi.

Libanum libertum. iam manúne emiſſus? LI. obſecro te?

D LE. Næ tu hercle cum magno malo mihi obuiam occeſſiſti.

Cur non veniſti, vt iuſſerā, in tonſtrinam? LI. hic me moratuſt.

LE. Siquidem hercle nunc ſummum Iouem te dicas detenuiſſe,

Atque is precator aſſiet, malam rem effugies numquam.

Tu verbero, imperium meum contemſiſti? LI. perij, hoſpes.

ME. Quæſo hercle noli Saurea mea cauſſa hunc verberare.

LE. Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit. ME. quieſce, quæſo.

LE. Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.

Abſcede, & ſine me hunc perdere, qui ſemper me incendit ira,

Cui nunquam vnam rem me licet ſemel præcipere furi,

Quin centies eadem imperem, atque oggannia. itaque iam hercle

Clamore ac ſtomacho, non queo labori ſuppeditare.

Iuſſin' ſceleſte, ab ianua hoc ſtercus hinc auferri? A
Iuſſin columnis deiicier operas aranearum?
Iuſsine in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Nihil eſt, tanquam ſi claudus ſim, cum fuſti eſt ambulandum.
Quia triduũ hoc vnum modò foro operam aſſiduam dedi abſens,
Dum reperiam qui quæritent argentum in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud ædib. habitat.
Hem ergo hoc tibi. LI. hoſpes te obſecro defende. ME. Saurea oro
Mea cauſſa, vt mittas. LE. eho, ecquis pro vectura oliui
Reſoluit? LI. reſoluit. LE. cui datum eſt? LI. Sticho vicario ipſi
Tuo. LE. vah delinire apparas. ſcio mihi vicarium eſſe, B
Neque eo eſſe ſeruom in ædibus heri qui ſit pluris, quàm ille eſt.
Sed vina heri quæ vendidi vinario Exareambo
Iam pro his ſatisfecit Sticho? LI. feciſſe ſatis opinor.
Nam vidi huc ipſum adducere ad trapezitam, Exareambum.
LE. Sic dedero prius, quàm credidi, vix anno pòſt exegi.
Nunc ſatagit, adducit domum, etiam vltro & reſcribit nummos.
Dromo mercedem retulit. LI. dimidio minus opinor.
LE. Quid reliquom? LI. aiebat reddere quom extemplò redditũ eſſet.
Nam retineri, vt quod ſit ſibi operis efficeret, locatum.
LE. Scyphos quos vtendos dedi Philodamo, retulítne? C
LI. Non etiam. LE. hem non? ſi velis da, commoda homini amico.
ME. Perij hercle. iam hic me abegerit ſuo odio. LI. heus iam ſatis tu,
Audin' quæ loquitur? LE. audio, & quieſco. ME. tandem opinor
Conticuit. nunc adeam optimum eſt, priuſquam incipit tinnire,
Quàm mox mihi operam das? LE. ehem optume, quamdudum tu aduenisti?
Non hercle te prouideram, quæſo ne vitio vortas.
Ita iracundia obſtitit oculis. ME. non mirum factum eſt.
Sed ſi domi eſt, Demænetum volebam. LE. negat eſſe intus. D
Verùm iſtuc argentum tamen mihi ſi vis denumerare,
Repromittam iſtoc tibi nomine ſolutam rem futuram.
ME. Sic potius, vt Demæneto tibi hæro præſente reddam.
LI. Herus iſtunc nouit, atque herum hic. ME. hero huic præſente reddam.
LI. Da modò meo periculo, rem ſaluam ego exhibebo.
Nam ſi ſciat noſter ſenex fidem non eſſe huic habitam,
Succenſeat, cui omnium ſummam rerum ipſus, ſemper credit.
LE. Non magni pendo, ne duit, ſi non vult, ſic ſine adſtet.
LI. Da inquam, vah formido miſer ne hic me tibi arbitretur
Suaſiſſe, ſibi ne crederes. da quæſo, ac ne formida.

Saluum



A Saluum hercle erit. ME. credam fore, dum quidem ipſe in manu habebo.
Peregrinus ego ſum, Sauream non noui. LI. at noſce ſanè.
ME. Sit, non ſit, non edepol ſcio. ſi is eſt, eum eſſe oportet.
Ego certè me incerto ſcio hoc daturum nemini homini.
LE. Hercle iſtum di omnes perduint, verbo caue ſupplicaſſis.
Ferox eſt, viginti minas meas tractare ſeſe.
Nemo accipit, aufer te domum, abſcede hinc: moleſtus ne ſis.
ME. Nimis iracundè, non decet ſuperbum eſſe hominem ſeruum.
LI. Malo hercle iam magno tuo, nunc iſti nec rectè dicis.
Impure, nihili, non vides iraſci? LE. perge porrò.
B LI. Flagitium hominis: da, obſecro, argentũ huic ne male loquatur.
ME. Malum hercle vobis quæritis. LE. crura hercle diffringentur,
Age impudice, ni iſtum impudicum percies. LI. perij hercle.
Sceleſte non audes mihi ſceleſto ſubuenire?
LE. Pergin precari peſſimo? ME. quæ res? tun' libero homini
Malè ſeruos loquere? LE. vapula. ME. id quidẽ tibi hercle fiet
Vt vapules, Demænetum ſimulac conſpexero hodie.
In ius voco te. LE. non eo. ME. non is? memento. LE. memini.
ME. Dabitur pol ſupplicium mihi de tergo veſtro. LE. væ,
Tibi quidem ſupplicium tibi carnifex de nobis detur?
C ME. Atque etiam pro veſtris maledictis pœnæ pendentur mihi hodie?
LE. Quid verbero? ain tu furcifer? herum noſmet fugitare cenſes?
I nunc iam ad herum. quò vocas iamdudum, quò volebas.
ME. Nunc demum tamen nunquã hinc feres argẽti nummum, niſi me
Dare iuſſerit Demænetus. LE. ita facito, age ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias. tibi non dicatur?
Tam ego homo ſum, quàm tu. ME. ſcilicet ita res eſt. LE. ſequere hàc ergo,
Proficiſcin. hoc nunc dixerim, nemo etiam me accuſauit
Merito meo, neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam
D Cui credi rectè æquè putent. ME. fortaſſis. ſed tamen me
Nunquam hodie induces vt tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus eſt homo homini, non homo, quom qualis ſit, non nouit.
LE. Iam nunc ſecunda mihi facis. ſcibam huic te capitulo hodie
Facturum ſatis pro iniuria. quanquam ego ſum ſordidatus,
Frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari.
ME. Fortaſſe. LE. etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator
Diues, abſente hero ſolus mihi talentum argenti
Soli annumerauit, & mihi credidit, neque deceptus in eo.
ME. Fortaſſe. LE. atque etiam tu quoque ipſe ſi eſſes percunctatus
Me ex aliis, ſcio pol crederes, nunc quod fers. ME. haud negaſſim.

k

QVID HOC NEGOTII?] Hîc Leonida mirè ſeruum atrienſem Sauream ſimulat: atque A
ex iis, quæ ſimulat, & quæ loquitur, quæ ſint ſerui atriẽſis partes cognoſcere licet. libet au-
tem huc etiam Columelæ verba adſcribere de ſeruo atrienſi, ex libro 12. cap. 3. *tum inſiſtere atrien-
ſibus, vt ſuppellectilem exponant, & ferramenta deterſa nitidentur atque rubigine liberẽtur, ceteráque ſi refectio-
nem deſiderent, fabris concinnanda tradantur.* Erat igitur ſeruus atrienſis, ſeruus maior, ſeruus impe-
rium habens in alios, columen familiæ, ſeruus denique alios ſeruos in officio retinẽs. NVLLVS
VENIT] non venit, ſic Terent. Andr. *Liberatus ſum, Daue, hodie tua opera D. At nullus quidem.* vbi
notat Donatus, nullus pro non. Idem Eunuch. *Nemini, tametſi nullus moneas.* Idem Hecyra. *ſi quæ-
ret me, vti tum dicas: ſi non quæret, nullus dixeris.* Plautus Caſ. *Qui amat tamen hercle, & ſi eſurit, nullus eſu-
rit.* Idem Bacchid. *tu nullus affueris, ſi nõ lubet.* Idem Rudente. *Ille, qui vocauit, nullus venit.* Apuleius
lib. 8. *an nulli ſcitis, quo loco conſederitis?* id eſt, an nõ ſcitis &c. NÆ ILLE ÆD. TERGO ET CR.
CONS. H. D.] næ ille haud bene proſpexit tergo ſuo & crurib. quia tergum quidem eius pla-
gis variabitur multis: crura autem compedibus ferreis impedientur, & conſtringentur. NIMIS
IMPERIOSVS EST] imperioſus, per ſe vitium ſonat, vt imperioſus dominus, imperioſa La-
cedæmoniorum maieſtas apud Æmilium Probum: imperioſa Proſerpina, & imperioſius æquor
apud Horatium. SALVERE. IVSSI LIBANVM LIBERTVM.] verba ſunt Leonidæ.
Eſt autem ironia, qua ſignificat, Libanum gerere ſe vt libertũ. IAM MANÚNE EMISSVS?] B
iámne liber es, qui mihi dicto audiens non ſis? iámne libertate donatus es, qui imperium meum
contemnas? OBSECRO TE] oratio eorũ, qui vapulantes, deprecantur. ſic Terent. Eunuch.
*Fugitiue prodi, malè cõciliate.* DO. *obſecro.* PH. *ob. Illud vide os vt ſibi diſtorſit carnifex.* OBVIAM OC-
CESSISTI] obuiã occurriſti. ſic ſuprà proximè. SIQVIDEM HERCLE NVNC SVMM.
I. &c.] ἀμφιλογία. quæ ſic tollitur, ſi dicas hercle te à ſummo Ioue detentum eſſe &c. ATQVE
IS PRECATOR ASS.] & ſi is quem dixi, Iupiter aſſit tibi deprecator, ne vapules, &c. MA-
LAM REM] verbera, plagas, ſupplicium. EFFVGIES] euades. PERII, HOSPES] Li-
banus vapulans à Leonida, opem mercatoris implorat. QVI LATERA CONT.] quo ſti-
mulo latera confodiam, & cõminuam tua. QVÆ ORCALLVERE PL.] quæ callum cõ-
traxere, quæ obduruere verberibus, ſiue ictibus. Cicer. lib. 2. epiſt. ad Att. *De Statio manumiſſo, &
nonnullis aliis rebus angor equidẽ: ſed iam prorſus occallui.* Cornelius Celſus lib. 7. cap. 18. *Atque eius hu-
moris ſpecies duæ ſunt. Nam vel inter tunicas is increſcit, vel in membranis, quæ ibi circa venas & arterias ſunt,
vbi hæ grauatæ occalluerunt.* PERDERE.] διαφθείρειν interimere. INCENDIT IRA.] Cicero
de nat. Deor. Terẽt. Hecyr. *Quamobrẽ incendor ira, eſſe auſam facere hæc iniuſſu meo.* CVI NVNQVAM
VNAM REM &c.] ſemper neceſſe habeo vnam rem ſemel atque iterum huic furi præci-
pere. PRÆCIPERE] quid ſit præcipere, docuimus in commentar. Horat. furi. ſeruo furaci. C
Virg. in Palæmone, *Quid domini facient, audent cùm talia fures?* ATQVE OGGANNIAM] atq. ob-
ſtrepam, ſeu occlamem, gannire vulpium eſt. SVPPEDITARE] ἐπαρκεῖν ſatis eſſe, par eſſe.
nam abſolutè accipiẽdum. IVSSIN', SCEL.] Iuſsíne, ô ſceleſte, &c. Iuſsíne, dictũ. pro nón-
ne iuſſi. de quo genere alibi diximus: & exſtant exempla apud Lucret. complura, vt *Iámne vides
igitur, paullò quod diximus antè &c.* libro primo. OPERAS ARANEARVM?] aranearum labo-
res, id eſt, telas? interdum tales telæ etiam araneæ appellãtur. Catull. ad Fabullum. *nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearũ.* Afranius apud Feſtum, in particula *Támne, Támne arcula tua, plena eſt ara-
nearum?* & à Græcis ἀράχνια. Homer. ὀδυσ. Ὀδυσῆος δέπου εὐνὴ Κῆται ἐνευναίων κακ'
ἀράχνια κεῖται ἔχουσα. Propert. libro 3. eleg. 4. *Putris & in vacuo texetur aranea lecto.* Iterum
Plautus Sticho. *effert huc ſcopas ſimúlque arundinem, Vt operam omnem araneorum perdam, & textu-
ram improbam.* vbi notat Nonius, vſurpatum eſſe *araneorum* in maſculino genere à Plauto. Quin,
nequid diſſimulem etiam hoc loco, legit ille, *operas araneorum.* IN SPLENDOREM DARI]
ſplendidas fieri perfricando. BVLLAS] bullæ ſunt ornamẽta quædam valuarum, & forium,
dictæ à ſimilitudine tumorum paruorum, & fragilium, qui oriuntur ſubitò in aquis, & occidũt. D
fortaſſe claui argentei, vel aurei, ſcutulati, aut rotundi. M. Tull. lib. 4. accuſ. *Nam bullas omneis au-
reas ex his valuis, quæ erant multæ, & graues, non dubitauit auferre.* CVM FVSTI,] cum ſcipione, quo
nitar, ſi claudus ſim. ſed ſignificat, ſibi fuſtem ſemper eſſe gerendum, quo conſeruos improbos
verberet. Claudi autem fuſtem geſtare ſolent, quo nitantur, propter imbecillitatem tibiarum.
DVM REPERIAM, QVI QVÆ. ARG.] hæ quoque erãt ſerui atrienſis partes, pecuniam
herilem fœnori dare. IN HARA] in ſtabulo porcorum. M. Tull. or. in Piſon. *Epicure noſter, ex
hara producte, non ex ſchola.* Varro lib. 2. de re ruſt. cap. 4. *In haris oſtium eſſe oportet, & limen inferius al-
tum palmipedale, ne porci ex hara, cum mater prodit, tranſilire poßint.* HAVD ÆDIBVS] nõ dixit haud
in ædibus, ſed *haud ædibus*, vt ſit hæc ſententia, tam immundæ ſunt ædes, vt hara videantur eſſe,
non ædes. HEM ERGO HOC TIBI.] Hîc iterum Libanus vapulat. nam hæc verba ſunt
verberantis. ſic in Caſina. *Hem tibi.* CL. *Quid iſtunc tibi factio eſt?* alij legunt vtrobique *en*. non *hem*.
ECQVIS PROVECTVRA OL. RESOLVIT] nũquis creditor id, quod debet pro vectura
olivi, reddidit ac renumerauit? reſoluere, eſt id quod debetur, & quod creditũ eſt, reddere. Quòd
autem Turnebus vult legi, *rem ſoluit*, fallitur. Plautus iterum Epidico, *Nam leno omne argentum ab-
ſtulit pro fidicina: ego reſolui. Manibus his dinumeraui.* Idẽ Menæchm. *Perdormiſco, ſi reſolui argentũ cui de-
beo.* VICARIO IPSI TVO.] vicarius ſeruus, eſt ſerui ordinarij ſeruus. DELENIRE] θέλγειν.
demulcere,



A demulcere, blandis verbis capere. SED VINA HERI QVAE VEND. &c.] ordo eſt, ſed
iámne pro iis vinis Sticho ſatisfecit Exareambus vinarius, quæ vina heri Exareambo illi vendi-
di? VINARIO] οἰνοπώλῃ. NAM VIDI HVC IPSVM &c.] nam vidi Exareambum
huc adducere ipſum (Stichum) ad trapezitam, vt ſcilicet Exareambus ſeſe apud trapezitam obli-
garet, & datis ſponſoribus in diem certum caueret, nominibus in codice argentarij perſcriptis,
pecuniam Sticho ab argentario ſolutum iri. vel ſic, vidi Exareambum adducere Stichum ad ar-
gentarium, vt apud eum Sticho ſolueret, nempe per nouationem, & delegationem. Soluebant
enim olim apud argentarios factis nominibus, ſine pecuniæ illius interuentu. SIC DEDERO
PRIÙS] malim dare, quàm hac conditione, atque hoc pacto credere, nẽpè vt tantò pòſt quàm
credita à me pecunia eſt, exigam. Camerarius ſic, ſic dedero prius, quàm vendidero. NVM SA-
TAGIT.] nunc curat nummos reddendos, nunc demum per argentarium ſatisfacit. ADDV-
CIT DOMVM ETIAM VLTRO] proinde ac ſi dicat, mirum eſt illum vltro per argenta-
rium ſoluere, & nõ ſæpe appellatum, atque adeò flagitatum, magnum facit, quod vltrò per tra-
pezitam reſoluit. RESCRIBIT NVMMOS] per trapezitam reſoluit, non pecunia nume-
rata. Terent. Hecyra. *Sed tranſi ſodes, ad forum, atque illud mihi argentum iube rurſum reſcribi Phormio.* Ho-
rat. ſat. 3. lib. 2. *Putidius multo cerebrum eſt, mihi crede Perilli, Dictantis quod tu nunquam reſcribere poßis.* ad
B quem locum plura. DROMO MERCEDEM RETTVLIT?] Dromo inquilinus, qui con-
duxit ædeis, ſeu ædium partem, ſeu tabernam aliquam, mercedémne ædium, ſeu tabernę retulit?
QVID RELIQVOM?] quid? reliquom dimidium quãdo afferet? AIEBAT REDDERE
QVOM EXTEMPLO REDD.] aiebat ſe mercedẽ, redditũ, ſeu relaturum, cùm primùm pro
opere, quod ſibi faciendum locatum, id eſt, traditum eſſet, pecunia reddita eſſet. NAM RE-
TINERI, VT, QVOD SIT SIBI OPERIS EFF. LOC.] nam dicebat ſe retineri, id
eſt, impediri, ſeu prohiberi, quominus reliquum dimidium debitæ mercedis redderet, vt effice-
ret id operis, quod ſibi faciẽdum locatum eſſet: vel dicebant, ſibi retineri, neque reddi, quod ſibi
deberetur pro opere, quod faciendum mercede pacta ſuſcepiſſet, vt opus ſibi locatum, nondum
à ſe perfectum, efficeret. licet etiam intelligere hunc Dromonem fuiſſe ſeruum Demæneti, aut
eius vxoris, eundémque opificem, eiúſque operas alicui fuiſſe à ſeruo atrienſi locatas certa mer-
cede: totam autem mercedem ſeruo atrienſi eum nondum retuliſſe, quia totum opus, quod fa-
ciendum ſuſcepiſſet, nondum effeciſſet. VT, QVOD SIT SIBI OP. EFF. LOC.] oratio
implicata. hic enim ordo eſt, vt, quod ſit ſibi operis locatum, reficeret. SCYPHOS QVOS
VTENDOS D.] ordo eſt, quos ſcyphos vtendos dedi Philodamo, eos ſcyphos retulítne? vel
C ſic: Philodamus eóſne ſcyphos retulit, quos ei Philodamo vtendos dedi? *vtendos dedi*, id eſt, cõ-
modaui, ſeu commodato dedi. NON ETIAM] id eſt, nondum. non etiam nunc. SI VE-
LIS, DA: COMMODA HOM. A.] ironia eſt. proinde ac ſi ita dicat: i nunc, & ſi velis, da vtẽ-
dum, commoda homini amico. ſignificat non eſſe cõmodandum amicis, quãdo ita ſunt in red-
dendo negligentes. ſed videtur legendum, *ſi velis dare, commoda homini amico.* vt ſit hæc ſententia,
quiſquis commodaturus eſt amico, hoc ſtatuat, nihil eſſe commodandum amico, quod ei nolit
dare: quia amici, quod ſibi vtẽdum datur, proinde accipiunt, ac ſi donatũ ſibi ſit. SVO ODIO]
ſua multa, & odioſa loquacitate. ſua moleſtia, atque vt ita dicam, importunitate. Terent. Hecy-
ra. *Tundendo atque odio denique effecit ſenex.* Idem Phorm. *Pergit hercle: tu nunquam tuo odio vinces me.*
Plautus Curcul. de lenonibus. *vti muſcæque, culicéſque, pedéſque, pulicéſque, Odio, & malo, & moleſtiæ:
bono vſui, eſtis nulli.* TINNIRE] ſtrepere, garrire indeſinenter, & clarè loqui. Tranſlatio eſt
à metallis, & maximè ab ære, quod dicitur tinnire, cùm pulſatum ſonat. Ex quo tintinnabulum.
Iterum Plautus in Caſina. *Ohe iam ſatis vxor, eſt. comprime te: nimium tinnis.* Prologo Pœnuli. *Ma-
tronæ tacitæ ſpectent, tacitæ rideant: Canora hîc voce ſua tinnire temperent.* QVAM MOX MIHI OP.
D.?] Quàm mox mihi aureis vacuas præbes? quando tandem me loquentem audies? PRO-
D VIDEREM] præuiderem. NE VITIO VORTAS] Ne adſcribas contumaciæ, aut ſuper-
biæ. ITA IRACVND. OBSTITIT OC.] vt metus, ita & ira, & verò multomagis, turbat
oculos, eíſque impedimento eſt, quominus acutè cernant. NEGAT ESSE INTVS.]
negat Libanus eum eſſe domi. DINVMERARE.] diſſoluere. REPR. ISTOC TIBI N.
SOLVT. R. F.] repromittam tibi neminem amplius iſto nomine petiturũ, téque omni obli-
gatione liberum, ac ſolutum præſtabo. Idem in Curcul. *Ego habeo tibi res ſoluta'ſt rectè bellator vale.*
Cicero ad Atticum lib. 6. *Igitur meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim, quàm id decretum rectum ſit, tu iudi-
cabis.* MEO PERICVLO] ea lege vt periculũ ſubeã, ſi minus rectè ei ſolueris. OMNIVM
SVMMAM RERVM.] totam rem domeſticã: omneis rationes rei familiaris. NE DVIT]
ne dederit. Feſtus *duis duas habet ſignificationes, nam & pro bis ponebatur, & pro dederis.* SALVVM
HERCLE ERIT] quod Leonidæ numeraueris rectè. ſolutum erit: neque periculum eſt, ne abs
te repeti poſſit. CREDAM FORE, &c.] credam fore ſaluum, &c. Animaduerte Plautũ non
facere homines planè ſtolidos & hebetes. nam ſtolidus, & valde pinguis fuiſſet hic mercator,
ſeu mercatoris ſeruus, ſi continuò, & primo aduentu pecuniam Leonidæ numeraſſet. ME IN-
CERTO] dum incertus & ignarus ero. me incerto ſunt ablatiui caſus abſolutè poſiti. PER-
DVINT] perdiderint. SVPPLICASSIS:] ſupplicaueris. FEROX EST, VIGINTI M.]
eò ferox, id eſt, ſuperbus, & elato animo, eſt, quòd xx. minas, quæ meæ ſunt, ipſe tractat. Sed cur

A ſuas eſſe dicit? quia ſeruus dotalis eſt, aut certè, quia ſe Sauream eſſe ſimulat. Saurea enim ſeruus dotalis erat, eique hæ viginti minæ numerari debebāt. NEMO ACCIPIT, &c.] nunc Leonidas ſimulat, ſe non accepturum, etiam ſi ſibi dentur. AVFER TE DOM.] abi hinc domum. ISTI NEC RECTÈ DICIS.] iſti maledicis. ſic ſuprà & item ſæpè. NON VIDES IRASCI?] non vides eum iraſci? PERGE PORRÒ.] Hæc loquitur Leonidas, ita, vt audiat Libanus, & ſpectatores, non mercator. FLAGITIVM HOMINIS.] homo turpiſſime, & inhoneſtiſſime. CRVRA HERCLE DIFFR.] ſubintell. tibi minatur Libano, ſe ei crura diffracturum, ni mercatorem, percutiet. IMPVDICE] Libane. ISTVM] hoſpitem. PERCVTIES] ſic habent noſtri ferè omnes libri veteres, & omnes vulgati; Veneti, Florentini, Pariſienſes, Lugdunenſes. nonnulli veteres, vt edidit Camerarius, *percies*. quod equidem non improbo: ſed hæc ſcriptura probabilis eſt. Quod ſi quis *percies* malet: intelligemus ſententiam obſcœnam ſubeſſe: hoc modo, *niſi percies*: id eſt, niſi ſubigis. Licet etiam pūctum collocare poſt diffringentur, eadem ſcriptura ſeruata, vt ſit ἀποσιώπησις, & aliquid ſubintelligatur. NON AVDES.] οὐχ ὑπομένεις· οὐ τολμᾷς MIHI SCELESTO] mihi infelici, cui dij ſunt irati, vt ſceleſto. QVÆ RES?] quænam hæc res eſt? quid hoc ſibi vult? TVN' LIB. H. M. SERVOS LOQ.?] túne ſeruus homo maledicis homini libero? NON EO.] ſerui non eunt in ius: ſed licet cum eorum dominis agere, & ius ſuum noxali perſequi actione. MEMENTO] B aurem tibi vello, ſeu prehendo, vt memineris. DABITVR, POL, SVPPL. M. DE. T. V.] mihi profectò pœnas dabitis de tergo veſtro. VÆ TE TIBI Q. SVPPL. &c.] ſic legendum arbitror. *væ tibi. Quid enim ſupplicium tibi, carnifex, de nobis detur?* PENDENTVR] ſoluentur, luentur. HERVM NOSM. F. C.] putas nos herum fugere, aut extimeſcere? proinde quaſi dicat: herum neque fugimus, neque timemus. AMBVLA ERGO.] ad herum. TV CONTVM. ALT. F. TIBI NON DICATVR?] duo ſunt, vt ex hoc loco intelligere licet, contumeliam facere, & cōtumeliam dicere. hoc in verbo, illud in facto poſitum eſt. contumelioſus autem facto eſt is, qui liberum verberat: quo modo hîc mercator adoleſcens, à ſeruo verberatus eſt. PRÆFISCINE HOC NVNC DIXERIM:] id eſt, præfatus, vt abſit verbo inuidia: præfatus aliquid, quo depellam à me faſcinum. Dicitur autem præfiſcini, & præfiſcine, vt docet Cariſius Titinius in Setina. *Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiſcini, ne puella faſcinetur.* Præfiſcine Afranius in conſobrinis. *Scis habitum, ita, vt nunc eſt, præfiſcinè.* Natum autē ex eo, quòd veteres exiſtimabant, laudes immodicas habere vim faſcinādi, niſi, qui laudabatur, aliquo amuleto præmunitus, & quaſi præcinctus eſſet. Hinc illud Virgilij in Mœlib. *Aut ſi vltra placitū laudarit, baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Dictum autem præfiſcinè quaſi præfaſcinè. Nam qui aliquid magni vel de ſe, vel de altero, quem amabant, locuturi erant, inuidiam, C & faſcinū ſibi, aut illi metuētes, & ſeſe, aut illum ab illis malis præmunientes, vel in ſinum ſuum deſpuebant, vel aliquid ſimile faciebant, vel talia quædam præfabantur, prȩfiſcine hoc nunc dixerim: abſit verbo inuidia. vtitur eadem hac voce in Rudente: *vt ſine labore hanc extraxi præfiſcine?* prȩfiſcine igitur, ſeu præfiſcini, id eſt, prȩpoſito, ſeu prius inuocato Faſcino faſcini deo, ad depellendum faſcinum: vel prȩſtò ſit Faſcinus, qui faſcinum depellat. Sed hac de re plura in commentariis Horatianis ad illum locum, oda 8. epod. *Minúſve languet faſcinum?* Sic autem hîc eſſe legendum vidit Adr. Turneb. & primus omnium docuit Aduerſ. libro 24. cap. 31. INDVCES] πείσεις, adduces. LVPVS EST HOMO HOMINI, &c.] homo homini infeſtus, inimicus, & ferus eſt, non amicus, neque humanus, cùm eſt ignotus. Prouerbij locum obtinet, *homo homini lupus*: cui aduerſatur illud, *homo homini deus*. IAM NVNC SECVNDA MIHI F.] iam nunc, me iſta ſecunda oratione placas, & mihi ſatisfacis. allegoria eſt à ſacrificātium more ſumpta: qui, ſi prima hoſtia non litaſſent: ſecundam adhibebant: quæ ſuccidanea dicebatur. Sic enim Feſtus, *Succidanea hoſtia*, inquit, *hoſtia dicebatur, quæ ſecundo loco cædebatur, ſic appellata à ſuccidendo.* commemorat & Seruius ſuccidaneam hoſtiam, ad illum locum lib. 8. Æneid. *& cæſa iungebant* D *fœdera porca.* In his autem verbis *ſecunda mihi facis*. Vox *ſecunda*, eſt ſeptimi caſus: & ſubintelligitur *hoſtia*. Porrò autem totus hic locus ironia vrbanitatis Plautinæ plena tectus eſt. Significat enim ſeruus, mercatorem non contentum prioribus iniuriis, & contumeliis, nouas ſibi alias facere, & dicere. SCIBAM.] ſciebam. HVIC TE CAPITVLO, &c.] te huic ſeruulo ſatisfacturum. SORDIDATVS] veſte ſordida & pannoſa amictus. NEC POTEST PECVL. ENVM.] & peculium meum eſt innumerabile. ἀμφιβολία. Nam intelligi poteſt vtrunque & nullum ei ſuppetere peculium: Nam quod nullum, aut nihil eſt, numerari non poteſt: & multum: nam quod eſt multū, ægrè numerari poteſt. NEQVE DECEPTVST IN EO] neque in eo deceptus eſt. SCIO POL, CREDERES N. Q. F.] ſcio, profectò mihi crederes, id eſt, meæ fidei committeres id, quod nunc fers. HAVD NEGASSIM] haud negauerim.

ACTVS



A
# ACTVS TERTIVS.

CLEÆRETA lena, PHILENIVM meretrix.

NEQVEON' ego te interdictis facere mã-
ſuetam meis?
An ita tu es animata, vt qui expers matris
imperij ſies?
PHI. Vbi piem Pietatem, ſi iſto more mora-
tam tibi
B Poſtulem placere mater, mihi quo pacto
præcipis?
CLE. An decorum eſt aduerſari meis te præce-
ptis? PHI. quid eſt?
CLE. Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere?
PHI. Neque quæ rectè faciunt culpo, neque quæ delinquunt, amo.
CLE. Satis dicacula es amatrix. PHI. mater is quæſtuſt. mihi,
Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet.
CLE. Ego te volui caſtigare, tu mi accuſatrix ades.
PHI. Neque edepol te accuſo, neque me id facere fas exiſtimo.
Verùm ego meas queror fortunas, quum illo, quem amo, prohi-
C beor.
CLE. Ergo vna pars orationis de die dabitur mihi.
PHI. Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum, tu te habeas portiſculum.
Quin pol ſi repoſiui remum ſola ego in caſteria
Vbi quieſco, omnis familiæ cauſſa conſiſtit tibi.
CLE. Quid ais tu, quam ego vnam vidi mulierem audaciſſimam?
Quoties te vetui, Argyrippum filium Demæneti
Compellare, aut contrectare: colloquíue, aut contui?
Quid dedit? quid deportari iuſſit ad nos? an tu tibi
D Verba blanda eſſe aurum rere? dicta docta pro datis?
Vltro amas, vltro expetiſſis. vltro ad te arceſſi iubes.
Illos qui dant, derides: eos, qui deludunt, deperis.
An te id exſpectare oportet, ſi quis promittat tibi,
Te facturum diuitem, ſi moriatur mater ſua?
Ecaſtor nobis periculum magnum & familiæ portenditur,
Dum eius exſpectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeò niſi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille ecaſtor hinc trudetur largus lacrymarum foras.
Hic dies ſummuſt apud me inopiæ excuſatio.
PHI. Patiar, ſi cibo carere me iubeas mater mea.
CLE. Non veto te damare qui dant, qui amentur gratia.

PHI. Quid ſi hîc animus occupatuſt mater? quid faciã? mone. CL. hem A
Meum caput contemples, ſi quidem ex re conſultas tua.
PHI. Etiam opilio qui paſcit, mater, alienas ouis,
Aliquam habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.
Sine me amare vnum Argyrippum animi cauſſa quem volo.
CLE. Intrò abi, nam te quidem edepol nihil eſt impudentius.
PHI. Audientem dicto mater produxiſti filiam.

NEQVE ON' EGO TE INTERDICTIS] interdictũ ab interdicendo factum: vt edictum ab edicendo. interdico autẽ, idem ferè valet, quod veto: edicò idem ferè, quòd iubeo: vnde edicta, & interdicta prætorum. Terentius Hecyra. *Interdico, ne extuliſſe extra ædeis puerum vſquam velis.* ad quem locum Donatus. Alij interdicta dicta volunt ab interim dico. ſed videtur legendum, *ted interdictis*, vt conſtet verſus. Camerarius lectionem receptam ſeruat. ita tamen, vt *te* maneat integrum, B neque patiatur σωυεράισιν à vocali ſequente exceptum. FACERE MANSVETAM] manſuefacere, domare. AN ITA TV ES ANIMATA, VT] an ita affecta es, vt quæ matris imperio non parcas? vt qui, pro vt quę. Hęc autem idcirco dicũtur à lena matre, quòd filium vetuerat, Argyrippum, quem illa ex animo amabat, & cui gratis ſe commodare volebat, domum intromittere. VBI PIEM PIETATEM, &c.] id eſt, qua in re pietatem colam, ſi poſtulem me iſto modo, quo modo præcipis, moratam tibi placere? Ita ferè Nonius in verbo *piem*. quod interpretatur, colam. & hunc locum profert. ſed licet etiam ſic hunc locum explicare, vbi propitiam reddam, & placem pietatis deam pietatem, ſi poſtulem, &c. vt ſuprà. ſignificat autem Phileniam, ſe piam eſſe, & piè facere non poſſe, ſi matri obtemperãs Argyrippum eiiciat. POSTVLEM PLACERE.] ſubintel. me. *poſtulem* autem, id eſt, æquum exiſtimem: ἀξιοίην. non enim aſſentior Nonio, qui in verbo *poſtulare* hunc verſum proferens, interpretatur, *velim*, quanquam non lõgè abeſt à ſentẽtia. PIETATEM COLERE.] videtur interpretari, quod à filia dictum eſt, *piem pietatem*. MATRIS IMPERIVM MIN.] matris imperium negligere. NEQVE QVAE RECTÈ F.] ſignificat, tum demum eſſe parentibus obtemperandũ, ſi recta imperent, & ſi rectè præcipiant. DICACVLA] dicaces, inquit Donatus, ad prologum Eun. dicti, qui ſalibus iocôſis maledicunt. hinc dicaculi. Filiam autem mater amatricem appellat, dicacitatem C eius retundens. eſt enim indecorum meretrici, quam amatores expetere debeãt, eſſe amatricem, & viros vltro amare. MATER IS QVÆSTV'ST. M.] mater, is quæſtus eſt mihi me dicaculam eſſe. vel ſic, dicacitas mihi quæſtuoſa eſt. vel ſic, id mihi quæſtuoſum eſt, amatores amando, & blandiendo quærere. nullo alio quæſtu vitam tolerare poſſum. niſi mihi amatores conciliem, & alliciam. TV MI ACCVSATRIX ADES.] hæc eò dicit mater, quòd filia ſuprà dixerat, neque quæ delinquunt, amo. ſignificabat enim, matrem delinquere, quæ Argyrippum, adoleſcentem bene de ſe meritum eieciſſet. MEAS QVEROR FORTVNAS.] meam vicem queror: meam ſortem deploro. verbum *queror* iunxit cum accuſandi caſu. vt ſuprà in Amphit. *queri ſeruitutem*. & item ſæpe alij boni ſcriptores. QVOM ILLO QVEM AMO PROHIB.] Virgil. Æneid. *hoſpitio prohibemur arenæ*. Cæſar lib. 4. de Bello Gallico. *agricultura prohiberi*. Idem ibidem, *petebant, vti ad eos equites, qui agmen anteceſſiſſent, præmitteret, eóſque pugna prohiberet*. ERGO VNA PARS OR.] Si tu aſſiduè & continenter iſto modo loquêris: ergo mihi vſque ab initio diei ſemel duntaxat loqui licebit. DE DIE] ab initio diei. Catul. ad Portium, & Sorr. *Vos conuiuia lauta ſumptuoſè de die facitis*. ET MEAM PARTEM LOQ.] non ſolùm tuam lo- D quendi partem tibi relinquo, verùm etiam meam tibi cedo. AD LOQVENDVM ATQVE AD T.] idem ferè dicit aliis verbis. hæc enim ſententia eſt, tu ipſa ius ac poteſtatem habeas, & orationis imperãdæ, & ſilentij indicendi. Portiſculus, vt docet Feſtus ex Ælio Stilone, eſt, qui in portu modum dat claſſi. id autem eſt malleus: cuius meminit Cato in diſſuaſiône de rege Attalo, & vectigalibus Aſiæ. *C. Licinio prætore, remiges ſcripti ciues Romani ſub portiſculum, ſub flagrum conſcripti, veniêre paſſim.* Nonius autem, *portiſculus*, inquit, *propriè eſt hortator remigum*, id eſt, *qui eam perticam tenet, quæ portiſculus dicitur: quæ excurſum, & exhortamẽta moderatur*. deinde hunc verſum, cum ſuperiore profert. QVIN POL SI REPOSIVI RENVM, &c.] allegoria eſt etiam à re nautica, qua ſignificat Phileniam, cùm quæſtum corpore facere deſinit, cúmque vel ſola quieſcit, & ceſſat: totam familiæ rem, & rationem quieſcere, ac ceſſare: & non eſſe iam, vnde familia alatur. *repoſiui* autem, antiquè dictum, pro repoſui. ſic Catullus in carmine ſeculari. *Quam mater prope Deliam Depoſiuit oliuam*. Plautus millies. vnum, & alterum exemplum ponam in Curcul. *triginta minas, Quas ego apud te depoſiui*. in Moſtell. *Ecce autem hîc depoſiuit caput*. in Mil. glor. *de meo nihil his nouum appoſiui*. IN CASTERIA.] Caſteria, vt docet Nonius, locus eſt, vbi, cùm nauigatio conquieſcit, remi, & gubernacula conquieſcunt. Deinde profert hunc locum. Putant quidam ſcribendum ſchaſteria: vt ſit græca vox χαστηρία autem, funis eſt, vel trochlea, qua aliquid vel in-
tendendo



A tendendo attollitur, vel laxando demittitur. COMPELLARE.] alloqui. VERBA BLANDA] quæ Argyrippus, ſcilicet. DICTA DOCTA PRO D.] dicta docta, id eſt dicta lepida, erudita, & vrbana, pro datis habes? Idem Menæchm. *Dictum faceſſat doctum, & diſcaueas malo*. Ennius. *Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis*. VLTRO AMAS.] eo ſuprà appellauit eam amatricem. vltrò amare autem non ex diſciplina meretricia, debent enim potius amorem ſimulare, & interdum non amando amatores irritare, & excruciare. ILLOS QVI DANT] diabolum, adoleſcentem. EOS, QVI DELVD.] Argyrippum. DEPERIS] perditè amas. vſque ad interitum amas. AN TE ID EXSPECT. OP. SI QVIS PR.] ſententia eſt. An te expectare oportet, ſubintell. dum fiat, ſi quis promittat tibi re locupletaturum, vbi mater ſua diem ſuum obierit? ſignificatur Argyrippus, qui magna & multa Philenio pollicitus erat, ſi ſibi mater aut pater moreretur. PORTENDITVR] porrò oſtenditur. hinc dicta portenta. DVM EIVS EXSPECT. M.] quidam libri habent, Demæneti ſi exſpectemus mortem. LARGVS LACRYMARVM,] qui nihil largitur præter lacrymas. Virgil. Æneid. xj. *Largus opum*. talia ſunt illa, *prodigus æris, animæ prodigus*. apud Horat. *& alieni appetens, ſui profuſus*. apud Salluſt. infrà non longè, idem nomẽ iunxit cũ ſexto caſu, ibi, *vt opera largus eſt nocturna?* HIC DIES SVMMV'ST, &c.] ſic hunc verſum explico. inopiæ excuſatio, apud me dies hic eſt ſupremus, & B vltimus: hoc eſt, mortis inſtar eſt. qui mihi inopiam ſuam excuſat, quíque negat ſe nobis quidquam dare poſſe propter inopiam, is mihi quodammodo mortem denuntiat. Alij quidam ſic. qui mihi inopiam excuſat, ei hic dies poſtremus erit, quo me cõueniat, vel quo eum ſalutatione dignum putem. PATIAR, SI CIBO, &c.] non ſolum id patiar, ſi me Argyrippo, quem amo, carere iubeas, ſed etiam ſi cibo. TED AMARE.] te amare. QVI DANT, QVA AM. GR.] qui dant ea, propter quæ digni ſint, qui amentur. qui tantum dant, vt digni ſint, quamobrem amentur. qua gratia, id eſt, propter quã cauſam. HÎC] in Argyrippo. OCCVPATV'ST] amore. MEVM CAPVT CONTEMPLES,] meum caput fac contempleris, quod canũ eſt: & fac cogites, fore, vt tu quoque caneſcas, & ſeneſcas. quare dũ ætate integra es, tuis rationibus conſule, & rem tuam bene gere. Profert hunc locum Nonius in verbo *contemplo*. CONSVLTAS.] deliberas, conſilium quæris. OPILIO] ouium paſtor. Virgil. Gallo. *Venit & opilio, tardi venere bubulci*. Varro lib. 2. de re ruſt. princip. *ignorantes non idem eſſe agriculturam, & paſtionem. alius enim opilio, & arator*. PECVLIAREM.] eximiam, immò dic, propriam, & quæ ſit in eius peculio. ſic infrà in Aulul. *gallus gallinaceus, qui erat anni peculiaris*. QVI SPEM SOLETVR S.] qua ſpem ſuam ſuſtentet, paſcat, fallat. ſic Terent. Hecyra. *Ergo propterea te ſedulò. Et moneo, & hortor, me* C *cuiuſquam te miſereat, Quin ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta ſis*. P. *vtin' eximium neminem habeam?* ANIMI CAVSA] libidinis cauſa. AVDIENTEM DICTO] obedientem. PRODVXISTI FIL.] in verbo *produxiſti*, ineſt ἀμφιλογία. nam producere dicuntur lenones: hinc productores appellantur, quos Græci προαγωγεῖς appellant. & producere liberos dicuntur parentes, qui ſuſcipiunt, & efferunt in luminis oras. Eſt etiam producere foras, & palàm, & in medium ducere: vt producere teſtem & producere hiſtrionem in proſcenium.

## LEONIDA, ſerui duo. LIBANVS.

PErfidiæ laudes, gratiáſque habemus meritò magnas,
Quum noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiiſque.
Scapularum confidentia, virtute vlmorum freti,
Aduorſum ſtimulos, laminas, crucéſque, compedéſque
D Neruos, catenas, carceris, numellas, pedicas, boias,
In doctoréſque acerrimos, gnaróſque noſtri tergi
Qui ſæpe antè in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt,
Es nunc legiones, copiæ, exercitúſque eorum
Vi pugnando, periuriis noſtris, euge, potiti.
Id virtute huius collegæ, meáque comitate,
Factum eſt. LI. qui me vir fortior eſt ad ſufferendas plagas?
LE. Edepol virtutes qui tuas nunc poſſit collaudare,
Sicut ego poſſum, quæ domi duellíque malè feciſti,
Næ illa edepol pro merito nunc tuo memorari multa poſſint.
Vbi fidentem fraudaueris. vbi hero infidelis fueris:
Vbi verbis conceptis ſciens libenter periuraris.

Vbi parietes perfoderis, in furto vbi ſis prehenſus. A
Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendens aduerſus octo,
Artitos, audacis viros, valentis, virgatores.
LI. Fateor profectò vt prædicas, Leonidas, eſſe vera.
Verùm edepol næ tua etiam quoque malefacta iterari multa
Et verò poſſunt, vbi ſciens fideli infidus fueris:
Vbi prehenſus in furto ſies, & manifeſtò verberatus,
Vbi periuraris, vbi ſacro manus ſis admolitus,
Vbi heris damno, moleſtiæ, & dedecori ſæpe fueris.
Vbi creditum tibi quod ſit, tibi datum eſſe pernegaris.
Vbi amicæ, quàm amico tuo fueris magis fidelis.
Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo B
Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis,
Num malè relata eſt gratia? vt collegam collaudaui?
LE. Vt méque téque maximè, atque ingenio noſtro decuit.
LI. Iam omitte iſta, atque hoc quod rogo reſponde. LE. rogita quoduis.
LI. Argenti viginti minas habéſne? LE. ariolare.
Ædepol ſenem Demænetum lepidum fuiſſe nobis.
Vt aſſimulabat Sauream med eſſe: quàm facete?
Ægrè nimis riſum continui, vbi hoſpitem inclamauit,
Quòd ſe abſente mihi fidem habere noluiſſet.
Vt memoriter me Sauream vocabat atrienſem! C
LI. Manedum. LE. quid eſt? LI. Philenium éſtne hæc quæ intus exit?
Atque Argyrippus vnà. LE. os opprime, is eſt, ſubauſcultemus.
Lacrymantem lacinia tenet lacrimas. quídnam eſſe dicam?
Tacitè auſcultemus. LI. atat modò enim hercle in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. LE. qoi rei? LI. qui verberarem
Aſinos, ſi fortè occœperint clamare hinc ex crumena.

D

PERFIDIÆ LAVDES] Decepto mercatore, præda onuſti Leonidas & Libanus, perfidiæ gratiam habent ſuáſque virtutes prædicant. *Perfidiæ* dandi caſus eſt. SCAPVLARVM CONFIDENTIA,] id eſt, ſcapularum fiducia: vel, vt Nonius hunc verſum proferens ſcapularum patientia, & duritia. ſume ἀπὸ κοινοῦ, freti. VIRTVTE HVMERORVM FRETI,] & freti virtute humerorum. hæc ideò dicit, quòd tantum facinus auſi ſunt, etiam virgarum & plagarum ante oculos propoſito periculo: quas ſcapulis, atque humeris ſuis tolerare, ac perferre parati ſint. Sic autem legendum, nõ, vt vulgò virtute *vlmorum*: quod cùm mihi iampridem veniſſet in mentem, magna voluptate affectus ſum, cùm Simeonẽ Boſium in eadem ſententia fuiſſe, eandem coniecturam feciſſe cognoui. *Vlmorum* autem ferri non poteſt. quid eſt enim *virtute vlmorũ freti?* nempe virtute virgarũ ex vlmis factarũ freti. Atqui non ſunt auſi tantum, ac tale facinus hi ſerui virgarum virtute freti, ſed ſuarum ſcapularum, ſuorúmque humerorum, quibus virgas, & verbera, & flagra forti animo perferre poterunt. licet tamen etiam legere, *virtute armoram*, vt armorum ſit patrij caſus à recto numeri multitudinis, *armi*, id eſt, humeri: vnde dicta ſunt arma, vt docet Feſtus. ſic enim ille. *Arma propriè dicũtur ab armis, id eſt, humeris, depẽdentia.* Animaduertendum eſt autem ſententiam ab hoc loco ſuſpenſam eſſe, vſque ad *potiti*. in quo ſubintell. *ſunt*, vel eſſe ἀνακόλουθον, vt poſtea pluribus verbis docebimus. QVOM ADVERSVM STIMVLOS,]



A STIMVLOS,] quib. fodiemur. enumerat hîc multa cruciamentorũ & tormentorũ genera, quibus ſerui improbi, & liberi malefici torquebantur. Sic autẽ legendũ eſt, non vt vulgò. *Qui aduerſum*, vel *Qui*, ſiue *Quom* delendũ, vel Quî pro quo modo accipiendum, vt Boſio videbatur. LAMINAS] candenteis, quibus vremur. Laminæ, tenues æris, ſeu ferri tabulæ, quæ calefactæ, & candentes corporibus maleficorum admouebantur. M.Tull. de ſuppliciis. *Quid cùm ignes candentéſque laminæ, ceterique cruciatus admouebantur?* Lucret. lib. 3. *Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.* NVMELLAS.] Nonius. *numellæ*, inquit, *machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios paratum: quò & collum, & pedes immittunt.* deinde hunc locum profert Feſtus. *Numella*, inquit, *genus vinculi, quo quadrupedes deligantur.* PEDICAS] pedum vincula, compedes. BOIAS,] Feſtus. *boiæ, genus vinculorum, tam lingneorũ, quàm ferreorum.* IN DOCTORÉSQVE ACERR.] & aduerſus doctores acerrimos. ſignificat lorarios, & virgatores, qui ſeruos in maleficio, aut facinore aliquo deprehenſos, loris, aut flagris, aut virgis cædebant: quos Plautus facetè, & vrbanè doctores appellauit, quia periti erant verberandi, & quia, vt ſubiicit, horum ſeruorum terga probè norant, quippe quæ ſæpenumerò verberarant. Turnebus lib. 24. aduerſ. cap. 31. doctores exiſtimat eſſe à Plauto dictos propterea, quia doctores, maximè ij, qui ſunt ſæuiores, & plagoſiores, diſcipulos, ſuos virgis cædere ſolent. Camerarius verò *indoctores*, vno vocabulo legendum ſuſpicatur: B & per indoctores, verberatores ſignificari exiſtimat, à verberum ſtrepitu, quem Græci κλωσμὸν appellant, de qua ſcriptura iudicet lector. Ego *doctores* magis probo, ea quam dixi, ſentẽtia. doctoribus autem acerrimis opponuntur blandi doctores, quos commemorat Horatius. GNARÓSQVE NOSTRI TERGI] & quibus noſtrum tergum eſt notum, quippe quod ſæpe illi cæciderunt, & conſciderunt loris: vel qui, vt ſtatim ſubiicit, ſæpe anteà in noſtras ſcapulas plagas intulerunt, atque inflixerunt: ex quibus cicatrices obductæ exſtiterunt, & diu remanſerunt. CICATRICES] vibicũ, quæ conſanuerunt, notas. vel cicatrices pro vibicibus vſurpauit. EÆ NVNC LEGIONES, COPIÆ, EXERCITÚSQVE EORVM, &c.] hîc eſt ἀνακόλουθον. nam cùm antecedãt nominatiui, numeri multitudinis, ideóque debeat ſubſequi verbũ tertiæ perſonæ, numeri eiuſdẽ: perturbata orationis forma, infert preterea alios nominatiuos pluraleis, *Eæ nũc legiones*, &c. qui totã orationẽ obſcurãt. Quod arbitror à Plauto de induſtria factũ, vt exprimat affectũ ſerui lætitia elati, quòd Mercatore circumuento, & pecunia interuerſa, id, quod volebat, conſecutus ſit. Sed vt nunc ad huius loci explicationẽ veniamus, legiones, & copias appellat, ſtimulos, laminas, cruces, &c. ſuprà enumerata, eæque nunc legiones, inquit, copiæ exercitúſque eorum doctorum, potiti, ſubintellige, ſunt, id eſt, in noſtram C poteſtatem, ditionémque venerunt, vi pugnando, periuriis noſtris: vt eorum omnium cruciamentorum compotes ſumus. Omnino malim legi, *exercitúſque noſtrûm*, vt *potiti* cohæreat cum patrio caſu *noſtrûm*. ſic enim loqui ſolet Plautus, *potitus eſt hoſtium*, id eſt, in hoſtium poteſtatem peruenit. Quidam doctus, idémque amicus meus putabat legendum, ſublato anacolutho, *Eas nunc legiones, copias, exercitúſque eorum, vi pug.* &c. hac ſententia, *Quum noſtris ſycophantiis*, &c. *Scapularum confidentia, virtute humerorum freti*, &c. nũc eas legiones copias, exercitus eorum, vi, pugnando, periuriis noſtris potiti ſumus, id eſt, expugnauimus, & cepimus. EVGE] interiectio lætitiam indicans interpoſita. MEÁQVE COMITATE] meáque opera, dum me comem, & facilem præbeo. QVI ME VIR F.] *qui* pro quis. DOMI, DVELLÍQVE.] domi, bellíque. NÆ ILLA ÆDEPOL PRO M. N. T. M. M. P.] legendum cenſeo: *Næ ille ædepol pro merito nunc tuo memorare multa poßit.* alioquin oratio eſt anacoluthos. Nam nullum verbum eſt cum quo cohærere poſſit nomen, ſeu pronomen, antecedens relatiuum, *qui*. niſi fortè aliquis dicat, *qui*, poſitum eſſe, pro *quis*, & hæc eſſe legenda interrogando, hoc modo, *virtutes quis tuas nunc poßit collaudare, ſicut ego poſſum? quæ domi, bellíque feciſti? Næ illa*, &c. Alij *qui* pro *ſiquis* poſitum volunt: quod mihi valde inuſitatum videtur. Tunc autem ſic poterit hic locus expli-D cari. *Ædepol ſi quis eſt, qui tuas virtutes nunc collaudare poßit, ſicut ego poſſum, quæ domi, bellíque feciſti, collaudare: næ illa, abs te domi, bellíque abs te fortiter facta, pro tuo merito multa nunc commemorari poßint.* FIDENTEM] fidem tibi habentem, tibi credentem. VERBIS CONCEPTIS SCIENS LIB. PEIER.] verbis conceptis iurare, eſt alio præeunte, & iuſiurandum dictante ſecundum vſitatam verborum formulam, quæ talis erat, ex animi mei ſententia iuro, iurare: quod iuſiurandum, qui ſeruat: religioſus & pius eſt, hoc eſt εὐορκεῖ, qui non ſeruat, conceptis verbis peierat, ἐπιορκεῖ. M.Tull. Off. 3. *non enim falſum iurare, periurare eſt, ſed, quod ex animi tui ſententia, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.* Idem in Cluent. P. Affricanus. *cùm eſſet cenſor, & in equitum cenſu C. Licinius. Sacerdos prodiiſſet, clara voce, vt omnis contio audire poſſet, dixit, ſe ſcire illum verbis conceptis peieraſſe.* Auctor incertus, qui ſcripſit ludum in mortem Claudij Cæſaris. *Nam poſteaquàm in ſenatu iurauit, ſe Druſillã vidiſſe cælum aſcendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit, quod viderit: verbis conceptis affirmauit, ſe non indicaturum, etiam ſi in medio foro hominem vidiſſet occiſum.* Plautus Bacchid. *Ego iuſiurandum verbis conceptis dedi*, &c. Idem in Mercatore. *conceptis verbis iam iuſiurandum dabo, Me nunquam quicquam cum illa.* Idem Pſeud. *Iuraſtin' te illam nulli venditurum, niſi mihi?* BA. *Fateor.* CA. *nempe conceptis verbis.* VBI PARIETES PERFOD.] Cicero in Vatinium. *Licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris.* Τοιχωρυχεῖν, dicunt vno verbo Græci perfodere parietes: & τοιχωρύχοι vno

vocabulo,parietum perfoſſores. CAVSAM DIXERIS] te verbis defenderis:pro te dixe- A
ris:accuſatus reſponderis. Nam reorum eſt poſteaquam accuſati ſunt,cauſam dicere,vt crimina
ſibi illata diluant. PENDÈNS] pendens per pedes, vt ſuprà. *Nudus,vinctus,centum pondo es,*
*quando pendes per pedes.* ADVERSVS OCTO ARTITOS,&c.] Sic legendum eſt, vt rectè
emendauit Adr. Turnebus lib. 24. Aduerſ. cap. 31. *artitos* autem,vt idem explicat,id eſt, omnibus
artibus inſtructos, παντέχνους, δαιδάλους, vel dic potius,artitos virgatores, id eſt, peritos vir-
gatores, vel artitos viros, huius artis peritos viros, quæ ad cædendum, & verberandum perti-
net. viros arte verberandi inſtructos,atque ornatos. Feſtus, *artitus, bonis artibus inſtructus.* VIR-
GATORES] lorarios, qui virgis cædunt. ETIAM QVOQVE] ἐκ παραλλήλου. ET
VERÒ] & verè. ET MANIFESTÈ VERBERATVS] iocus. proinde ac ſi dicat, non obſcurè,
ſed manifeſtò verberatus. Et fortaſſe cùm dicturus fuiſſet, *vbi prehenſus in furto ſies manifeſto*, per
metatheſim quandam aut palillogiā, dixit, vbi prehenſus in furto ſies, (ſubintell. manifeſto) &
manifeſtò deprehenſus. VBI SACRO MANVS SIS ADMOLITVS.] vbi rei ſacræ
manus admoueris. vbi rem ſacrā contrectaris, & ſuſtuleris. TIBI DATVM ESSE PER-
NEGARIS] abiuraris, abnegaris. VBI SÆPE AD LANGVOREM TVA DVR.
DEDERIS,&c.] ad languorem dederis,id eſt,defatigaris, languidos reddideris. TVA DV-
RITIA] σῇ χαμμυνίῃ, vt dicam ὁμηρικῶς. tui tergi duritie, qua fretus plagis non cedis. B
VLMEIS AFFECTOS LENTIS VIRGIS.] ſic habent omnes libri & vulgati,& manu-
ſcripti. quæ ſcriptura ſi recta eſt, ſic videtur explicanda, *affectos virgis*, ideſt inſtructos virgis,
tenenteis virgas,vel onuſtos virgis. Sed aſſentior Simeoni Boſio, qui legendum cenſet, *vlmeis*
*affectus lentis virgis*: vt ſit hæc ſententia, vbi ſæpe tui tergi duritia ad languorem dederis octo va-
lidos lictores, affectus virgis, id eſt cæſus virgis &c. ſic dictum ſcilicet affectus virgis, vt affe-
ctus ærumnis, morbo, moleſtia, difficultatibus, iniuria, & ſimilibus. LENTIS] mollibus,
flexilibus. Sic Virgil. dixit lentam ſalicem, lentum vimen, &, quod magis ad hunc locum per-
tinet, lentum flagellum, lib. 7. Æneid. ibi, *ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.* NVM MALE REL.
EST GRATIA?] nonnè præclarè par pari retuli? ATQ. INGEN. NOSTRO D.] Puto legen-
dum *atque ingenium noſtrum decuit*, non vt habent nonnulli libri etiam veteres *ingenio noſtro*. nam
copulationis particula poſtulat ſimilem caſum. Cùm igitur anteceſſerint accuſatiui, *méque téque*,
debet neceſſariò ſequi accuſatiuus, & ita legi, *vt méque téque atque ingenium noſtrum decuit.* Niſi di-
camus, per metalepſin dictum eſſe à Plauto, *vt méque téque atque ingenio noſtro decuit*, ideſt, dignum
fuit: vt intelligamus, *méque téque*, eſſe ablatiui caſus, & item, *ingenio noſtro*. Quoniam igitur Lati-
nè dicimus *dignum fuit me, & te, & ingenio noſtro: decuit me* autem, *& te, & ingenium noſtrum*, tan- C
tum valet. quantum illud ſuperius, *dignum fuit me & te & ingenio noſtro*: per metalepſin, vt dixi,
caſum, quem poſtulabat, *dignum fuit*, tribuit verbo *decuit*. Hac vna, vt arbitror, ratione, hæc le-
ctio defendi poteſt. Alioqui legendum, *atque ingenium noſtrum decuit*. Taleis autem metalepſeis
apud ſcriptores reperiri conſtat. vno, & altero exemplo contentus erit lector, quæ à Cicerone
ſumam. Sic igitur ille, lib. 2. de Finib. loquens de Ariſtippo, & Cyrenaïcis: *quos non eſt veritum*,
inquit, *in ea voluptate, quæ maxima voluptate ſenſum moueret, ſummum bonum ponere.* En tibi, quis non
videt Ciceronem dixiſſe μεταληπτικῶς, *quos non eſt veritum*, pro *quos non puduit*, vel, *quos non eſt*
*puditum?* Idem in Lucullo. *Talia autem neque eſſe, neque videri poſſunt, eorū ratione, qui illa viſa, è quibus*
*omnia decreta ſunt nata, negant quidquā à falſis intereſſe.* Perſpicuè per metalepſin dixit *à falſis intereſſe*,
pro *à falſis differre.* HABÉSNE?] id eſt nónne habes? vt intelligamus ſubiiciendā reſponſionē
aientem. ARIOLARE.] ariolaris, diuinas: ariolus es. ÆDEPOL SENEM DÆM. &c.]
ſubintelligendum verbum aliquod, appâret, videmus, aut videre licet, perſpicuum eſt, & ſimil.
VT ASSIMVLABAT SAVREAM MEDESSE!] quàm pulchrè ſimulabat me Sauream,
ſeruum atrienſem eſſe! ÆGRÈ NIMIS] nimis ægrè: valdè ægrè. INCLAMAVIT,] con-
uiciis, & maledictis inſectatus eſt. Sic Feſtus in verbo inclamare, ſine dubio hunc locum Plau- D
tinum ſpectans, vt ſæpè aliàs. INTVS EXIT?] domo exit? OS OPPRIME.] tace. SVB-
AVSCVLTEMVS] ex occulto loco auſcultemus. LACINIA TENET LACR.] tenet Ar-
gyrippum abeuntem, per laciniam, id eſt, partem veſtis flexuoſam, ſinuoſam, apertam, & quaſi
laceram. Lacinia dicta eſt à lacerando, teſte Feſto, in verbo *lacerare*. M. Tullius filius Tironi. *Vi-*
*deor enim videre ementem te ruſticas res, cum villico loquentem, in lacinia ſeruantem ex ſecunda menſa ſemina.*
M. Tullius lib. 3. de Orat. *Nam illud alterum genus, quod eſt, temporibus, locis, reis definitum, obtinent,*
*atque id ipſum Lacinia.* Plautus Mercat. *At tu ædepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.* QVI]
qua. ASINOS] nummos pro aſinis ſolutos. Iocus. CLAMARE] rudere.



A ARGYRIPPVS, PHILENIVM, LIBANVS, LEONIDA.

AR. CVr me retentas nunc? PHI. quia tui amans abeuntis egeo.
AR. Vale. PHI. aliquanto amplius valerem ego, ſi tu hîc maneres.
AR. Salue. PHI. ſaluere me iubes, qoi tu abiens affers morbum?
AR. Mater mihi ſupremum tua dixit, domum ire iuſſit.
PH. Acerbum funus filiæ facit, ſi te carendum eſt.
LI. Homo hercle hinc extruſuſt foras. LE. ita res eſt. AR. mitte quæſo.
B PH. Quò nunc abis? quin tu hîc manes? AR. mox, ſi voles, manebo.
LI. Audin' tu hunc? opera vt largus eſt nocturna? nunc enim hic eſt,
Negotioſus interdius. videlicet Solon eſt,
Leges vt conſcribat, quibus ſe populus teneat. gerræ.
Qui ſeſe parêre âpparent huius legibus, profectò
Nunquam bonæ frugi ſient, dies noctéſque potent.
LE. Næ iſte hercle ab iſta non pedem diſcedat, ſi liceſſit,
Qui nunc feſtinat, atque ab hac minatur ſeſe abire.
LI. Sermoni iam finem face tuo, huius ſermonem accipiam.
AR. Vale. PHI. quò nunc properas? AR. bene vale, apud Orcum te videbo.
C Nam equidem me iam quantum poteſt, à vita abiudicabo.
PH. Cur tu obſecro immerito meo me morti dedere optas?
AR. Ego te? quam ſi intelligam deficere vita, iam ipſe
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.
PH. Cur ergo minitaris tibi te vitam eſſe amiſſurum?
Nam quid me facturum putas, ſi iſtuc quod dicis, faxis?
Mihi certum eſt, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.
AR. O melle dulci dulcior mihi tu es. PHI. certè enim tu vita es
Mihi, complectere. AR. facio lubens. PHI. vtinam ſic efferamur.
D LE. O Libane Libane, vt miſer eſt homo qui amat! LI. imò hercle verò
Qui pendet, multo eſt miſerior. LE. ſcio qui periculum feci.
Circumſiſtamus alter hinc, hinc alter appellemus.
LI. Here ſalue. LE. ſed num fumus eſt hæc mulier quam amplexare?
AR. Quidum? LI. quia oculi ſunt tibi lacrymantes, ego rogaui.
AR. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidiſtis.
LI. Equidem hercle nullum perdidi, ideo quia nunquam vllum habui.
LE. Philenium ſalue. PHI. dabunt di quæ velitis, vobis.
LI. Noctem tuam & vini cadum velim, ſi optata fiant.

AR. Verbum caue faxis verbero. LI. tibi equidem, non mihi opto. A
AR. Tum tu igitur loquere quod lubet. LI. hunc hercle verberare.
LE. Quíſnam iſtuc accredat tibi, cinæde calamiſtrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
AR. Vt veſtræ fortunæ meis præcedunt Libane longè
Hodie qui nunquam ad veſperum viuam. LI. quapropter quæſo?
AR. Quia ego hanc amo, & hæc me amat: huic quod ego dem, nuſquã quicquam eſt.
Hinc medamantem ex ædibus deiecit huius mater.
Argenti viginti minæ me modò ad mortem appulerunt, B
Quas hodie adoleſcens Diabolus ipſi ſe daturum dixit.
Vt hanc ne quóquam mitteret, niſi ad ſe, hunc annum totum.
Videtin viginti minæ quid pollent, quídve poſſunt?
Ille qui illas perdit, ſaluus eſt: ego qui non perdo, pereo.
LI. Iam dedit argentum? AR. non dedit. LI. bono animo es, ne formida.
LE. Secede huc Libane, te volo. LI. ſi quid vis. AR. obſecro vos.
Eadem iſtac opera ſuauius eſt complexos fabulari.
LI. Non omnia eadem æquè omnibus here ſuauia eſſe ſcito.
Vobis eſt ſuaue amantibus complexos fabulari. C
Ego complexum huius nihil moror, meum autem hic aſpernatur.
Proinde iſtud facias ipſe, quod faciamus nobis ſuades.
AR. Ego verò & quidem edepol lubens, interea ſi videtur
Concedite iſtuc. LE. vin' herum deludi? LI. dignuſt ſanè.
LE. Vin faciam vt me Philenium præſente hoc amplexetur?
LI. Cupio hercle. LE. ſequere hàc. AR. ecquid eſt ſalutis? ſatis locuti.
LL. Auſcultate, atque operam date, & mea dicta deuorate,
Primùm omnium ſeruos tuos nos eſſe non negamus: D
Sed ſi tibi minæ viginti argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? AR. libertos. LE. non patronos?
AR. Id potius. LE. viginti minæ hîc inſunt in hac crumina,
Has ego, ſi vis, tibi dabo. AR. di te ſeruaſſint ſemper,
Cuſtos herilis, decus popli, theſaurus copiarum,
Salus interioris corporis, amoríſque imperator:
Hîc pone, hîc iſtam colloca cruminam in collo planè.
LE. Nolo ego te, qui herus ſis, mihi onus iſtuc ſuſtinere.
AR. Quin tu labore liberas te, atque iſtam ponis in me.
LE. Ego baiulabo: tu, vt decet dominum, ante me ito inanis.

Quid



A AR. Quid nunc? quid eſt? quin tradis huc cruminam ære preſſatam?
LE. Hanc, cui daturus, hanc iube petere atque orare mecum.
Nam iſtuc procliue eſt, quod iubes, me planè collocare.
PHI. Da meus ocellus, da mea roſa, da mi anime, da mea voluptas.
Leonida, argentum mihi. ne nos deiunge amantis.
LE. Dic igitur me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, hœdillum me tuum dic eſſe, vel vitellum.
Præhende auriculis, compara labella cum labellis.
AR. Ten oſculetur verbero? LE. quàm verò indignum viſum eſt?
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
AR. Quid vis? egeſtas imperat, fricentur, da nunc quod oro.
B PHI. Age mi Leonida, obſecro fer amanti hero ſalutem.
Redime iſtoc beneficio te ab hoc, & tibi eme hunc iſto argento.
LE. Nimis bella es atque amabilis: & ſi hoc eſſet meum, hodie
Nunquam me orares, quin darem: nunc illum te orare, meliu'ſt.
Illic hanc mihi ſeruandam dedit. Iſanè bella belle.
Cape hoc ſis Libane. AR. furcifer etiam me deluſiſti?
LE. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares,
Ageſis. tu in partem nunc iam hũc delude, atque hanc amplexare.
LI. Taceas, me ſpectes. AR. quin ad hunc, Philenium, aggredimur:
Virum quidem pol optimum, & non ſimilem furis huius.
C LI. Inambulandum eſt. nunc mihi viciſſim ſupplicabunt.
AR. Quæſo hercle Libane ſis, herum tuis factis ſine ſoſpitari.
Da mihi iſtas viginti minas. vides me amantem egere.
LI. Videbitur, factum volo, redito huc conticinio.
Nunc iſtanc tantiſper iube petere atque orare mecum.
PHI. Amandóne exorarier te vis, an oſculando?
LI. Immò verò vtrunque. PHI. ergo obſecro te, & vtrunque noſtrûm ſerua.
AR. O Libane mi patrone, mihi trade iſtuc. magis decorumſt,
Libertum potius quàm patronum onus in via portare,
D PHI. O Libane ocellus aureus, donum decúſque amoris.
Amabo, faciam quod voles. da iſtuc argentum nobis.
LI. Dic igitur me tibi anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, paſſerculum puſillum.
Fac proſerpentem beſtiam me duplicem vt habeam linguam.
Circundatóque me brachiis, meum collum circumplecte.
AR. Ten' complectatur carnifex? LIB. quàm verò indignus videor?
Ne iſtuc, nequicquam dixeris tam indignum dictum tu in me,
Vehes pol hodie me, ſi quidem hoc argentum ferre ſperes.
AR. Ten' ego veham? LI. tun' hoc feras argentum hinc aliter à me?

AR. Perij hercle. verùm ſiquidem eſt decorum herum vehere ſeruom, A
Inſcende. LI. ſic iſti ſolent ſuperbi ſubdomari.
Adſta igitur, vt conſuetus es puer olim, ſcis vt dicam?
Hem ſic, abi, laudo. nec te equo magis eſt equus vllus ſapiens.
AR. Inſcende actutum. LI. ego fecero, hem quid iſtuc eſt? vt tuincedis,
Demam hercle iam tibi de ordeo. tolutim ni badiſſas.
AR. Amabo Libane, iam ſat eſt. LI. nunquam hercle hodie exorabis.
Nam iam calcari quadrupedem agitabo aduorſum cliuum,
Tum poſtea ad piſtores dabo, vt ibi cruciere currens.
Aſta, vt deſcendam nunc iam in procliui, quanquam nequam es.
AR. Quid nunc quoniam ambo, vt eſt libitum, nos deluſiſtis,
Datiſne argentum? LI. ſiquidem mihi ſtatuam & aram ſtatuis, B
Atque vt Deo mihi hîc immolas bouem: nam ego tibi ſalus ſum.
LE. Etiam tu here iſtunc amoues abſte, atque ipſe me aggredire?
Atque illa, ſibi quæ hîc iuſſerat, mihi ſtatuis nunc, ſupplicáſque.
AR. Quem te autem nominem deum? LE. Fortunam atque Obſequelam.
AR. Iam iſtoc es melior. LI. an quid eſt homini ſalute melius?
AR. Licet laudem fortunam, tamen vt ne ſalutem culpem.
PHI. Ecaſtor ambæ ſunt bonæ. AR. ſciam, vbi boni quid dederint.
LE. Opta id quod vt contingat tibi vis. AR. quid ſi optaro? LE. eueniet.
AR. Opto annum hunc perpetuum mihi huius operas. LE. impetraſti. C
AR. Ain verò? LE. certè, inquam. LI. ad me adi viciſſim atque experire.
Exopta id quod vis maximè tibi euenire, fiet.
AR. Quid ego aliud exoptem amplius, niſi illud, cuius inopiaſt?
Viginti argenti commodas minas, huius quas dem matri?
LI. Dabuntur, animo ſis bono, facilè exoptata obtingent.
AR. Vt conſueuere, homines ſalus fruſtratur & fortuna.
LE. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
LI. Ego pes fui. AR. qui nec caput, nec pes ſermonum apparet.
Nec quid dicatis, nec me cur ludatis ſcire poſſum. D
LI. Satis iam deluſum cenſeo, rem vt eſt, nunc eloquamur.
Animum Argyrippe aduorte ſis. pater nos ferre hoc iuſſit
Argentum ad te. AR. vt tempore, oportunéque attuliſtis!
LI. Hîc inerunt viginti minæ bonæ, mala opera partæ.
Has tibi nos pactis legibus dare iuſſit. AR. quid id eſt, quæſo?
LI. Noctem huius & cœnã ſibi vt dares. AR. iube aduenire quæſo.
Meritiſſimo eius quæ volet faciemus, qui hoſce amores
Noſtros diſpulſos compulit. LE. patieris Argyrippe
Patrem hanc amplexari tuum? AR. hæc facilè faciet, vt patiar.
Leonida cure, obſecro. patrem huc orato vt veniat.
LI. Iamdudum eſt intus. hæc quidem non venit, angiporto





A Illac per hortum, circuit clam, ne quis ſe videret
Huc ire familiarium, ne vxor reſciſcat, metuit.
De argento enim ſi mater tua ſciet vt ſit factum. AR. eia,
Benedicite, ite intrò citò, valete. LE. & vos amate.

ALIQVANTO AMPL. VAL. EGO SI TV HIC M.] profert Nonius in verbo *manere.* SALVE.] vale, & ſalue dicebãt in diſceſſu. ABIENS] tuo abitu, ſeu diſceſſu. AFFERS MORBVM?] creas morbum? SVPREMVM] ſupremum, id eſt, vltimũ, ſubintell. vale hoc modo. mater tua mihi ſupremũ vale dixit. Alij referũt hoc ad ea, quę ſcripſit Varro lib. 5. de lingua Latina his verbis. Suprema, ſummum diei. hoc tempus duodecim tabulæ. dicunt eſſe occaſum ſolis: ſed poſteà lex prætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo prætor in comitio ſupremam pronuntiauit populo. ACERBVM FVNVS F. F.] immaturum funus filiæ facit. Virgil. lib. 6. Æn. *Quos dulcis vitæ exſorteis, & ab vbere raptos Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.* facere funus autem dixit etiam in Menech. quanquam tranſlatè. *feciſti funus, abſente me, prandio.* B EXTRVSVST FORAS] extruſus eſt foras. Sic autem legendum, non, vt vulgò, *excluſuſt foras.* Sic ſuprà, *Næ ille ecaſtor hinc trudetur largus lacrymarum foras.* Idem in Caſina. fit quod futurum dixi, incenatum ſenem foras extrudunt mulieres. Idem in Mil. glor. *Hercle lepidam occaſionem, vt mulierem extrudam foras.* in Pœnulo. *ita me dij amabũt, vt ego, ſi ſim Iuppiter, iam hercle ego illam vxorem ducam, & Iunonem extrudam foras.* MOX] paullò pòſt: veſperi, noctu. Et verò quidam legi volũt, *noctu,* &c. alij, ne tam longè diſcedãt à ſcriptura recepta *nox, ſi voles,* &c. *Nox* autem dixerunt veteres pro noctu. exempla petat, qui volet è legib. 12. tab. AVDIN' TV HVNC, VT OP. LARG. EST N.] hoc eò dicit Libanus de Argyrippo, quod Philenio dixerat ſe mox, vel noctu apud eam manſurum, quaſi nunc interdiu eſſet occupatus: noctu autem vacuus. audín' tu, Leonida, inquit Libanus, quàm ſit largus, id eſt, profuſus operæ nocturnę Argyrippus? id eſt, quàm non parcat operæ ſuæ nocturnæ? iocus eſt in Argyrippum, qui à Philenio noctem, & concubitum præcipuè expetit. Iam ſerui Leonidas, & Libanus, cùm audiant & videant Argyrippum, ab eo neque videntur, neque loquentes audiuntur. NVNC ENIM HIC EST NEGOT. INTER] ironia eſt. nunc enim, interdius, id eſt, interdiu, hic Argyrippus, negotioſus eſt, id eſt, occupatus, & negotiis impeditus eſt. VIDELICET SOLON EST,] ſcilicet Argyrippus, non eſt Argyrippus, ſed Solon, Athenienſium legiſlator. C interdiu igitur negotioſus eſt, vt leges conſcribat. ironia eſt mera. QVIBVS SE POPVLVS TENEAT.] quibus legibus populus contineatur, & coërceatur. GERRÆ] Feſtus. Gerræ, crates vimineæ ſunt. Athenienſes, cùm Siracuſas obſiderent, & crebrò gerras poſcerent: irridentes Siculi gerras clamitabant. Inde factum eſt, vt gerræ pro nugis, & rebus contemtis dicantur. QVI SESE PARERE APP.] antiquè dictum, pro, qui parêre ápparent, id eſt, pârent. HVIVS] Argyrippi, quem ſuprà iocans Solonem appellauit. NVNQ. BONÆ FR. S.] ſi legiſlator, nequam eſt: leges quoque eius nequã, & malę ſint, neceſſe eſt. quare qui talibus legibus parere ſtudeat, nunquam frugis ſit, ſed nequam, & improbus, nempe gerro, ganeo, vinoſus, &c. NON PEDEM DISCEDAT.] hyperbole, non pedem, ne pedem quidem. id eſt, ne minimum quidem interuallum. SI LICESSIT] ſi licuerit. QVI NVNC FESTINAT, &c.] oſtẽdit amantium leuitatem, qui modò minantes ſe in perpetuum amicas ſuas relicturos, continuò ad eas quaſi adamantinis vinculis retracti, reuertuntur. Sic Horat. Oda xj. epod. *Vbi hæc ſeuerus te palàm laudaueram, iuſſus abire domum: ferebar incerto pede Ad nõ amicos, heu, mihi poſteis, & heu, Limina dura,* &c. exemplo eſt & ille Phædria, apud Terent. in Eunucho. & Propert. lib. 2. eleg. 25. *Sed tamen obſcura* D *teritur rubigine mucro Ferreus, & paruo ſæpe liquore ſilex: At nullo dominæ teritur ſub limine amator. Reſtat & immerita ſuſtinet aure minas. Vltro cõtemtus rogat, & peccaſſe fatetur Læſus, & inuitis ipſe redit pedibus.* APVD ORCVM TE VIDEBO] apud inferos te videbo. Hæc dicit, quaſi primo quoque tempore ſibi manus allaturus, & ſe ipſe exanimaturus, quemadmodũ deinceps ſubiicit. QVANTVM POTE'ST] quàm primùm: quàm citiſſimè fieri poteſt. A VITA ABIVDICABO] à vita ſeparabo, & ſegregabo, tralatio à iudiciis, aut iudicum ſententiis, quibus adiudicant, & abiudicant. M. Tull. Or. de leg. Agraria contra Rull. ad populum. *Iudicabit Alexandriam regis eſſe: à populo R. abiudicabit.* Idem lib. 1. accuſ. *Neque tanta fortunis omnium pernicies poteſt accidere, quàm opinione populi R. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis, ab hoc ordine abiudicari.* IMMERITO MEO] præter meritum meum. Sic dictum, immerito, vt iniuſſu, & incultu, & ſimilia. Sall. de bello Iugurt. *Cæterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu atque ſocordia torpeſcere ſinunt.* MORTI DEDERE] Virgil. Georg. 4. *dede neci.* EGO TE] Ego te dedere neci opto? non eſt ita. DEFICERE VITA] λειποψυχεῖν. IAM IPSE VITAM MEAM TIBI LARG.] quod fecit Alceſtis Admeto viro ſuo, & fratrẽ Pollux alterna morte redemit, vt ait Virgil. TE VITAM ESSE AMISSVRVM?] te vitam eſſe profuſurum, ac proiecturum? Horat. Sat. 1. lib. 1. *is neque limo Turbatam haurit aquã, neque vitam amittit in vndis.* FAXIS] feceris. MELLE DVLCI DVLCIOR M. T.] hyperbole. Homer. ἰλιάδ. Α.

τοῦ τῶν ἀπὸ γλώσσης γλυκίων μέλιτος ῥέεν αὐδή. VTINAM SIC EFFERAMVR] in rogũ. Terent. Andr. *Effertur: imus.* M. Tull. in orat. pro Flacco. *atq. hic Dorylenſis nuper cùm ecferretur magna frequentia, conſeſſúque veſtro, mortis illius inuidiam in L. Flaccum Lælius conferebat.* lib. 3. de Nat. deorum. *Cur Maximus filium extulit conſularem?* ſic autem nempe inter nos complexi. Tale quiddam optat Propertius lib. 2. eleg. 15. *Atque vtinam hærenteis ſic nos vincire catena Velles, vt nunquam ſolueret vlla dies.* QVI PENDET] ſeruus, qui pendet, manibus ad trabem adſtrictis, & ita vapulat. ſuprà. QVI PERICVLVM FECI] qui expertus ſum. CIRCVMSISTAMVS: ALTER HINC ABT] ſic debent hæc interpunctione diſtingui. circunſiſtamus: comma: alter hinc, diſtinctionis nota: alter hinc, altera nota: appellemus. QVIDVM?] qua ratione iſtuc rogas? QVIA OCVLI SVNT TIBI LACRYMANTES] Iocus παρὰ προσδοκίαν: nam aliud reſpõſum exſpectabat Argyrippus, aliud reſpõdet Libanus. Ioci autẽ ratio ex eo nata, quòd fumus lacrymas cõmouet. Horat. Sat. 5. lib. 1. *lacrymoſo non ſine fumo.* PATRONVS, QVI VOB. FVIT FVTVR. PERD.] ordo eſt, eum perdidiſtis, qui vobis patronus fuit futurus. id eſt, qui vos libertate donaturus fuit. Hîc antecedẽs congruit cum relatiuo, vt fieri ſolet apud Plautum, qua de re aliàs. EQVIDEM HERCLE NVLLVM PERDIDI, &c.] Iocus ex ambiguo, patronus enim & eum ſignificat, qui altera ex parte reſpondet liberto, quomodo Libanus accipit: & eum, qui clienti, quo modo Argyrippus accipiebat. Negat igitur Libanus ſe B vllum patronũ amiſiſſe, quippe qui nullum habuerit: nullum autem habuit, qui ſemper ſeruus fuit, neque vnquam manumiſſus fuit. Licet tamẽ dicere, iocum, ſi quis hîc iocus eſt, in eo conſiſtere, quòd Argyrippus ſe patronum his ſeruis futurum fuiſſe, atque idcirco eos patronum perdidiſſe dicit: Libanus autem negat ſe perdidiſſe, quod nunquam habuit, quaſi ea ſola perdamus, quæ habemus, non quæ habituri ſumus. HABVI] legendum fortaſſis eſt *habuui*, pro *habui*, vt ne verſus claudicet. DABVNT, DI QVÆ VELITIS, VOBIS] verba bene precantis. NOCTEM TVAM,] concubitum tuum. Sic infrà non longè. *Noctem huius, & cenam ſibi vt dares.* Idem in Trinummo, *nox datur: ducitur familia tota.* Horat. epod. od. 15. *Nec feret, aſſiduas potiori te dare nocteis,* &c. Propert. lib. 2. eleg. 17. *Mentiri noctem, promiſſis ducere amantem,* &c. VERBVM CAVE FAXIS.] caue, verbum vnum feceris: caue mutias. HVNC HERCLE VERB.] repete ἀπὸ κοινοῦ libet. ACCREDAT] credat. Horat. epiſt. ad Vuallam, lib. 1. *Scribere te nobis, tibi nos accredere par eſt.* CINÆDE] Cinædi, inquit Nonius, dicti ſunt apud veteres, ſaltatores, vel pantomimi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα. al. τὰ κῶλα. Deinde profert locum ex Aulul. *Ita fuſtibus ſum mollior magis, quàm vllus cinædus.* Verumtamen etiam pueri molles, & impudici, cinædi appellantur, παρὰ τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα. Catull. ad Thallum, *Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo, Vel anſeris medullula, vel inaula tenella, Vel pene languido ſenis, ſitúque araneoſo,* &c. Atque ita accipi C arbitror. CALAMISTRATE.] Calamiſtris inuſte, & criſpate. *Calamiſtrum,* inquit Nonius, *Fiſtula breuis, qua cirri continentur.* Immo calamiſtrata, acus ſunt, quibus calefactis capilli criſpantur. M. Tull. de Cæſare in Bruto. *Sed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratũ fortaſſe fecit, qui volent illa calamiſtris inurere:* &c. Idem in oratore. *Tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum: ne calamiſtri quidẽ adhibebuntur.* Hinc Calamiſtratus. Idem pro Sextio. *Alter vnguentis affluens, calamiſtrata coma,* &c. Idem poſt reditum, in Sen. *Cur in luſtris & heluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tandiu ceſſauit?* QVI PRO CIBO HABEAS TE VERBERARI?] cui inſtar cibi ſit verberari? qui paſcaris verberibus, vt cibo? *verberari* autem quidam hîc accipiunt, pro præcidi, & pædicari: quemadmodum & ſuprà *verberare* fortaſſis pro præcidere accipiendũ eſt. VT VESTRÆ F.] Vt, id eſt, quàm, ὡς legendum admiratiuè. HINC MEDAMANTEM EX ÆDIB.] Hinc, ex ædibus, idem valent, ſed hoc notius: *medamantem,* autem pro me amantem, & ſimilia ſexcenta, à Plauto vſurpata ſunt. DEIECIT] al. diſiecit, al. eiecit. libri veteres habent *delegit*: planè, vt opinor, mendoſè. AD MORTEM APPVLERVNT.] ad mortem adegerunt. IPSI] Philenij matri. D VT HANC NE Q. M.] Hac lege, vt mater ne vllum in locum, aut ad vllum hominem mitteret, niſi ad ſe. QVID POLLENT?] quantum virium habent! QVI HAS PERDIT,] qui has profundit, & largitur lenæ, diabolus. SALVVS EST:] quia fruetur Philenio. ſic ſuprà. *Et profectò, niſi illud perdo argentum, pereundum eſt mihi.* BONO ANIMO ES.] bono animo eſto. *es* hîc eſt imperatiui modi, præſentis temporis, nam *eſto*, eſt futuri. Notat Donatus ad illud ſimile, immò planè idem, Terent. in Adelp. *Bono animo es, duces vxorem hanc.* SI QVID VIS] ſubintell. ad te eo, & ſecedo, vt audiam, quæ me vis. verba ſunt ad audiendum, & conſiſtendum parati. contrà *nunquid vis?* & *niſi quid vis*, abeuntis, ſeu abire volentis. OBSECRO VOS] ſermo hominis aliquid mirantis, atque etiam improbantis. EADEM ISTAC OPERA,] Hoc eo dicit, quòd Leonidas, & Libanus, collatis capitibus colloquebãtur. Dicit igitur Argyrippus, eos debuiſſe vna, eadémque opera complexos. inter ſe, confabulari, & id eis ſuauius futurum, cùm capita inter ſe ita collata haberẽt, vt viderentur inter ſe oſculari. VOBIS] tibi, & Philenio, amantibus, qui amatis inter vos. NIHIL MOROR] non curo, negligo: vel nihili facio. Horat. ep. 15. lib. 1. *nam vina nihil moror illius oræ.* QVOD FACIAMVS, NOBIS SVADES,] quod vt faciamus, nobis ſuades. HERVM] herum minorem, Argyrippum. hæc dicuntur à ſeruo ſuppreſſa voce, ne Argyrippus exaudiat, ita tamen, vt ſpectatores audiant. ECQVID

EST



A EST SALVTIS?] num qua ſalus eſt? num aliquid ſalutis eſt? SATIS LOCVTI] ſubintell. *eſtis.* ET MEA DICTA DEVORATE] mea dicta auidè audite, & attentis animis accipite, tralatio eſt. ſic in Pœn. *Quàm orationem hanc aures dulce deuorant?* eiuſdem generis ſunt illa *edere ſermonem.* in Aulul. *Nimium lubenter édi ſermonem tuum.* & *guſtare ſermonem.* in Moſtell. Sic Hor. oda. 13. lib. 2. *Sed magis pugnas, & exactos tyrannos Denſum humeris bibit aure vulgus.* Nonius, *deuorari,* inquit, *non ſolum cibus gutture, ſed & vox auribus poteſt.* Plaut. Aſin. *Auſcultate,* &c. LIBERTOS] non iam ſeruos, ſed libertos, vt manumiſſos. IN HAC CRVMINA] Feſtus, *crumina, ſacculi genus.* Nonius *Bulga, eſt folliculus omnis, quam & crumenam veteres appellarunt: & eſt ſacculus è brachio pendens.* Ex his Nonij verbis, licet dicere cruminam, ſeu crumenam, ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν, id eſt, pendêre, dictum eſſe. quod & Simeoni Boſio videbatur. DII TE SERVASSINT S.] bene precantis oratio. *ſeruaſſint* autem, id eſt, ſeruauerunt. CVSTOS HERILIS] Cuſtos heri. SALVS INTERIORIS CORP.] ſalus earum corporis partium, quibus vita continetur. ſalus animæ, & vitæ. PLANÈ] ambiguè dictum. nam planè vel in loco plano ſignificat: quo modo non intelligit Argyrippus: collum enim non eſt in loco plano, neque locus planus: vel apertè, perſpicuè: quomodo intelligit. SVSTINERE] ſufferre. ISTAM] cruminam. PONIS IN ME?] mihi imponis? EGO BAIVLABO.] ego geram. baiulo, as, id eſt, porto, B & gero humeris, & baiulus, qui humeris gerit. M. Tull. lib. 3. de orat. *Remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem deſcripſeris.* Feſtus. *Baiulos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios. vnde adhuc baiulare dicitur.* profert Nonius in voce baiulus, quam tamen non interpretatur. INANIS] ſine onere. ÆRE PRESSATAM] ſic legendum, non *herum preſſatum*, vt habent alij libri. hoc primùm. Deinde *ære preſſatam*, hoc eſt, ære, ſeu nummis refertam ac diſtentam. ISTHANC CVI DATVRV'S, HANC IVBE PET.] ordo eſt. iube iſtam, nempe Philenium, cui tu daturus es crumenam, petere hanc crumenam à me. ORARE MECVM] antiquè dictum: de quo genere alibi. Vtitur autem eo Plautus millies. NAM ISTVC PROCL. Q. IVB.] iocus in vocibus procliuè, & planè. Iubes, inquit, me planè collocare hanc crumenam in collo tuo. Atqui collum tuum, non eſt planum, ſed procliue, id eſt, pronum, & propenſum. Procliue, ſignificat etiam facile, ab eo, quod eſt procliue, non arduum. MEVS OCELLVS] id eſt mi ocelle, rectus pro vocatiuo. vel tu, qui meus ocellus es. DEIVNGE] deiuga. Nonius. *Deiugare, deiungere, ſeparare, diſſociare.* deiugare, & deiungere, verba ſunt, quę propriè locũ habent in bobus à iugo remotis. Horat. epiſt. ad Villicum, *bouem Deiunctum curas, & ſtrictis frondib. exples.* ſic legendum apud Horat. & ita edendum curaui: non *diſiunctum*, vt habent aliæ editiones. HŒDIL- C LVM] paruum hœdum. VITELLVM] paruum vitulum. aliàs vitellus, pars eſt oui media, ſubrubri aut crocei coloris. PREHENDE AVRICVLIS.] ſubintell. me. modus eſt oſculandi. quo amantes prehenſis mutuò auriculis inter ſe oſculabantur: quod oſculum χύτραν appellant, à ſimilitudine ollæ anſatæ, quæ prenditur per anſas. Commemorat Theocr. εἰδ. ε. Οὐκ ἐρᾶν Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε Τῶν ὤτων καθελοῖσ᾽, ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα. id eſt non amo Alcippen, quoniã me anteà non oſculata eſt prehẽſum auribus, cùm ei palumbem dedi. Et Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν. ibi. οἵ τε πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες, αὐτοί τε τῶν ὤτων ἅπτονται, καὶ τούτοις ταὐτὸ ποιεῖν κελεύουσιν, αἰνιττόμενοι μετὰ παιδιᾶς, ὅτι δεῖ φιλεῖν μάλιστα τοὺς διὰ τῶν ὤτων ὠφελοῦντας. id eſt, vulgúſque cùm paruulos pueros oſculatur, & ipſum auriculas eorum tangit, & hos idem facere iubet obſcurè ſignificans cum ludo ac ioco, eos maximè amare oportere, qui per aureis proſunt. Plautus iterum in Pœn. *Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuauium.* Nonnulli libri hîc habẽt, *prehende auriculas.* COMPARA LAB. CVM LAB. V.] compone & coniunge labella tua cum meis. QVÀM VERÒ INDIG.] proinde ac ſi dicat, non eſt cauſa, quare tibi tam indignum videatur, Philenium mihi prehendere auriculas, & labella cum labellis comparare? NON FERES,] non auferes, non accipies à me cru- D menam. vel ſic, non baiulabis, ſeu non portabis crumenam ni genua confricare, maioris adulationis, atque amoris eſt, quàm auriculis aliquem prendere. Quin videtur eſſe ſupplicantis. Nam qui ſupplicabant, genua tangebant eorum, quibus ſupplicabant. Homer. ἰλιάδ. α. Καί ῥα πάροιθ᾽ αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων. &c. Piget alia & ex hoc poëta, & ex aliis colligere exempla. EGESTAS IMPERAT] ingens telum, neceſſitas. Virgil. Georg. 1. *Et duris vrgens in rebus egeſtas.* FER AMANTI H. SALVT] fer ſalutem, id eſt, affer ſalutem. ſic dictum fer ſalutem, vt fer auxilium. REDIME ISTOC BEN. L.] iſto beneficio te ab hero tuo Argyrippo libera: id eſt, iſto beneficio cõſequere ab hoc libertatẽ. ET TIBI EME HVNC IST.] & tibi hunc iſta pecunia obligatum, deuinctum, obnoxium redde. Sic ſuprà ead. com. non longè à princip. & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi. NVNQVAM M' ORARÈS, Q.] nonnulli libri manuſcr. habent, *nunquam morarer, quin d.* ILLVM] Libanum. ILLIC] ille Libanus. CAPE HOC SI LIBET] cape hoc ſi vis Libane, ſis, blandientis particula, quæ ſignificat, ſi vis, eam addebãt veteres verbis imperatiui modi, quia, vt ait Donatus, ea ſunt contumelioſa. NVNQVAM HERCLE FACER. GEN. NI. T. N.] nunquam hercle te deluderem, niſi tam remiſſè, & languidè genua mihi fricares. tam nequiter, tam malè. AGE SIS TV IN PARTEM, &c.] Alloquitur Libanum Leonida, fortaſſe ſummiſſa voce, & hortatur, vt viciſſim ipſe quoq. Argyrippum ludat. IN PARTEM] pro tua parte. Boſius κατὰ μέρος,

ἐν μέρει. HANC.] Philenium. AD HVNC] Libanum. FVRIS HVIVS] Leonidæ, A ſerui furacis, vel ſimpliciter, ſerui, vt intelligamus, ſeruos omneis eſſe fures. vide ſuprà ibi, *Cui nunquam vnam rem me licet præcipere furi.* SVPPLICABVNT] Argyrippus, & Philenium. LIBANE SIS,] Libane ſi vis. *ſis*, particula blandientis, pro ſi vis. Sed videtur hinc delenda, vt mox dicemus. HERVM TVIS FACTIS SINE SOSPITARI] herum me, ſine tuis factis ſoſpitari, id eſt, ſeruari, ſaluum, & ſoſpitem fieri. Sic autem legendum, vt edidimus, noſtros veteres codices ſecuti. nam, verbum *ſine* abeſt à vulgatis. quo ſublato, huius verſus ſententia nec integra, nec plana eſſe poteſt. Sed rurſus, hoc verbo recepto, vel in voce *herum. m.* eliditur, & *tuis* erit vnius ſyllabæ, vt *herum tuis* efficiant anapæſtum, aut particula *ſis* erit delenda, & tunc verſus ſua menſura, ſine vllo negotio conſtabit. CONTICINIO] *Conticinium*, vt docet Nonius, *eſt primum noctis tempus: quo omnia quieſcendi gratia conticeſcunt.* ISTHANC] Philenium, vt ſuprà. *Iſthanc, cui daturu's, hanc iube petere.* PETERE] à me. ORARE MECVM.] Sic ſuprà, ibidem. IMMÒ VERÒ VTRVNQVE] legendum arbitror, *Immò verò vtroque.* ET VTRVNQVE NOSTRÛM SERVA.] ſic legendum. Nam in vulgatis mendoſè legitur, *& tu vtrunque noſtrûm ſerua.* LIBERTVM POTIVS, QVÀM P.] magis decorum eſt, me, qui ſum libertus tuus, quàm te, qui patronus es, onus in via ferre. OCELLVS AVREVS,] ocelle auree. vel, qui ocellus aureus es. aureus autem, id eſt, cariſſimus, carus inſtar B auri. Ita duas res cariſſimas inter ſe cõiunxit, oculũ, & aurũ. oculis nihil eſt nobis carius ſecundũ vitã: aurũ omniũ metallorũ cariſſimum. Pindar. ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς, &c. notiſſimi enim ſunt verſus. ANATICVLA] anaticula, deminutũ nomẽ ab anate. M. Tull. lib. 5. de Fin. *ſerpere anguiculos, nare anaticulas, euolare merulas,* &c. CATELLVM] paruum catulum. MONEDVLAM] monedula, auis mirè furax, cùm omnium metallorum, tum maximè auri, & argenti, vt teſtatur Plinius lib. 10. cap. 29. M. Tull. in orat. pro Flacco. *Cùm verò coronam auream litteris imponebãt: re vera non plus aurum tibi, quàm monedulæ committebant.* Propterea autem hæ aues hîc commemorantur, tanquam molles, & iucundæ, quia eæ, & aliæ id genus, pueris patriciis erant in deliciis, & ludicris. Plautus in Captiuis. *Nam vbi illò adueni, quaſi patriciis pueris, aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur, quiſcum luſitent: Itidem hæc mihi aduenienti vpupa quæ me delectet, data'ſt.* Plinius lib. 4. epiſt. *Habebat puer mannulos multos, & iunctos, & ſolutos, habebat canes maiores, minoréſque habebat luſcinias, pſittacos, merulas. omneis Regulus (pater) trucidauit. nec dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris.* PASSERCVLVM PVSILLVM] vox *putillum*, ante *paſſerculum* puſillum. nam & corrumpit verſum, & ſuperuacanea eſt, & non reperitur in pleriſque libris. FAC PROSERPENTEM BESTIAM ME,] Compone linguam tuam cum mea inter oſculandum, quo facto ſimilis ero proſerpenti beſtiæ, id eſt, angui. Nam anguis duplicem, & biſulcam linguam habet: C vel, vt alij auctores volunt, triplicem, & triſulcam. qua de re mox plura. Sic Pœnulo. *Qui huc aduenisti nos captatum migdilybs Biſulca lingua, quaſi proſerpens beſtia.* Idem in Pſeud. *vbi alter alterum bilingui (al. bilingues) manifeſtò Inter ſe prehendunt.* Idem in Sticho. *Suffla celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens beſtia.* ANGVEM] proſerpentem beſtiam, quaſi ſerpendo progreditur, & procedit. proſerpere enim valet porrò ſerpere, id eſt, ſerpendo procedere. DVPLICEM VT HABEAM LINGVAM.] vt habeam linguam biſulcam. Ariſtoteles lib. 2. de partib. animal. cap. 17. de lingua: narrat angueis linguas habere duplices, ſeu biſulcas, & bifidas. Sic enim ille, οἵ τ' ὄφεις, καὶ οἱ σαῦροι μακρὰν καὶ δικρόαν γλῶτταν ἔχουσιν, οἱ μὲν ὄφεις οὕτω μακράν, ὥστε ἐκτείνεσθαι ἐκ μικροῦ ἐπιπολύ· δικρόαν δὲ, καὶ τὸ ἄκρον, λεπτὸν καὶ τριχῶδες διὰ τὸ λίχνον τῆς φύσεως. διπλῆν γὰρ τὴν ἡδονὴν κλᾶται τῶν χυμῶν, ὥσπερ διπλῆν ἔχοντα τὴν τῆς γεύσεως αἴσθησιν. id eſt, angues, ſiue ſerpentes, & lacerti, longuam, & bifidam, ſeu biſulcam linguam habent, & ſerpentes quidem ita longuam, vt ex paruo in longum protrahi, atque extendi poſſint: biſulcam verò, & eius extremam partem, tenuem, & piloſam propter naturæ auiditatem. Duplicem enim voluptatem percipiunt, tanquam duplicem D guſtatus ſenſum habentia. At Plinius lib. xj. cap. 37. *Tenuiſſima*, inquit, *lingua ſerpentibus & triſulca, vibrãs, atri coloris, & ſi extrahat, prælõga: lacertis, bifida, & piloſa*, &c. Sic Virg. lib. Georg. 3. *Cùm poſitis nouus exuuiis, nitidúſq. iuuẽta Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquẽs Arduus ad ſolẽ, & linguis micat ore triſulcis.* CIRCVNDATÓQVE ME BRACH.] amplectitor me. ambito me brachiis. nã hæc conuertuntur inter ſe, & reciprocãtur. Horat. oda. 36. lib. 1. *Laſciuis hederis ambitioſior.* M. Tull. pro Milone. *Qui annona leuanda, iacturiſq. rei familiaris, quia nimis amplecti plebẽ putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi.* CIRCVMPLECTE] complectere. QVÀM VERÒ INDIGNVS VIDEOR?] ſic ſup. quàm verò indignũ viſum eſt? NE ISTVC NE QVICQVAM DIXERIS, &c. vt ne iſtuc, quod in me dixiſti, tam indignum, fruſtrà, id eſt, impunè dixeris: tu pol hodie me vehes, vt equus equitem, &c. vel ſic. vt ne iſtuc, quod in me tam indignum dixiſti, ſine pretio, & ſine tuo malo dixeris: tu profectò hodie inſtar equi me vehes, &c. vel ſic: has mihi profectò pœnas iſtius dicti dabis, quòd mihi eris hodie pro vehiculo, &c. PERII HERCLE] ſic ſuprà ead. com. *Perij hercle. iam hic me abegerit ſuo odio.* VERÙM, SIQVIDEM EST DEC. HERVM VEH.] ſic legendum, non vt habent libri vulgati, *verùm ſi decorum eſt quidẽ*, &c. quamquam probabilis lectio eſt, neque vt plerique manuſcript. *ſi verùm eſt quidem decorum*, &c. quæ ſcriptura ferri nullo pacto poteſt. SIC ISTI SOLENT SVP. SVBD.] iſti ſuperbi,



A perbi, id eſt, tui ſimiles ſuperbi, ſic hoc eſt, equitem vehendo, ſubdomari ſolent, id eſt, eorum ferocia minui ſolet. ADSTA IGITVR, VT CONSVETVS ES P. OL. &c.] verſus quidem eſt obſcœnus, ſed tamen Plautinus. namque eum reperi in noſtris libris manuſcriptis, & in omnibus impreſſis. Suſtulit eum Camerarius, vt pleroſque alios, turpitudine ſcilicet offenſus, & pudori lectoris conſulens ac ſeruiens. Ignoſco Camerario. Sed non placet, ſcriptores veteres caſtrari, hoc eſt mutilari. Nam ſi hoc licet, cur non fit in Ariſtophane, in Platone, in Ariſtotele, in Plutarcho, in Cicerone, denique in omnibus? Cur non mares omnes caſtrantur? nam quis neget ex puſillis mentibus, & rimis muliebribus horribilia, & innumerabilia flagitia, ac ſcelera proficiſci? Atqui ſtultum, atque adeò impium eſt, conſilium Dei reprehendere, eiúſque opificium corrigere velle, & plus ſapere poſtulare, quàm ſapientiæ caput, & fontem perennem. Sed hac de re plura aliàs. Ad Plautum redeo. Adſta igitur, inquit, vt conſueuiſti olim puer, cùm ſcilicet alienæ libidini auerſus morem gerebas. VT TV INCEDIS?] quomodo incedis? DEMAM] detraham: deminuam. Iocatur ſeruus in herum, minans ſe ei de hordeo detracturum, quaſi ſit equus. TOLVTIM NI BADISSAS] ni incedis volubiliter, & vt ita dicam, glomeratim, Nonius tolutim, inquit, dicitur, quaſi volutim, vel volubiliter. Deinde profert hunc locum. & hoc Varronis. *Vt equus, qui ad vehendum eſt natus, tamen hic traditur magiſtro, vt equitare do-* B *ceat tolutim*, &c. debet autem ſcribi vnico, l. Nam prima ſyllaba corripitur. Lucill. *Si omne iter euadit, ſtadiúmque accliue tolutim.* ego arbitror, *greſſus glomerare ſuperbos.* apud Virg. lib. 3. Georg. aliis verbis idem eſſe, quod *ingredi tolutim.* Iam *badiſſas*, vox Græca eſt, βαδίζω. ζεις, hoc eſt, vado, incedo. QVADRVPEDEM] te equum. Virg. lib. xj. Æn. *Quadrupedémque citum ferrata calce fatigat.* AGITABO] Virgil. lib. xj. Æneid. *Spumantémque agitabat equum.* & Horat. Sat. 7. lib. 2. quanuis per tranſlationem perpetuam: *clunibus aut agitauit equum laſciua ſupinum.* hinc agitator. id eſt, auriga, aut qui equum, aliúmue quadrupedem ſtimulat. M. Tull. in Lucull. *Ego enim, vt agitator callidus, prius quàm ad finem veniam, equos ſuſtinebo, eóque magis, ſi locus is, quo ferentur equi, præceps erit.* Virg. lib. 1. Georg. *Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli, Vilibus aut onerat pomis.* ADVERSVM CLIVVM] in loco accliui, atque arduo. AD PISTORES D.] in priſtinum dedam. IN PROCLIVI] in loco prono, & decliui, qui contrarius eſt accliui, & arduo. IMMOLAS BOVEM.] ſacrificas bouem. Feſtus, immolare, eſt mola, id eſt farre molito, & ſale perſperſam hoſtiam ſacrare. M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *Quanquam Pythagoras, cùm in geometria quiddam noui inueniſſet, Muſis bouem immolaſſe dicitur.* Horat. Sat. 3. lib. 2. *immolet æquis Hic porcum Larib.* TIBI SALVS SVM] tibi Deus quidam ſeruator, & ſalutis dator. AGGREDIRE?] aggrediris? id eſt, aggrederis? hîc C vſurpauit verbum aggredior in quarta coniugatione, ſic dixit *moriri*, pro mori. in Captiuis. *progrediri.* in Caſina pro progredi. *fodiri.* in Mil. glor. ATQVE ILLA,] ſtatuam, & aram. FORTVNAM,] dominam rerum & externarũ, & ad corpus pertinentium, vt ait M. Tull. lib. 5. Tuſcul. Cui non vnum templum cæca veterum Romanorum religio conſecrauit, ſed complura, vt refert Plutarchus. OBSEQVELAM] deam, quæ tibi arbitratu tuo obſequitur. AN QVID EST HOMINI SALVTE MELIVS?] hoc idcirco quærit, quia ſuprà dixerat, ſe Argyrippo ſalutem eſſe. LICET LAVDEM FOR. TAMEN VT NE S.] ita mihi laudare fortunam licet, vt tamen ſalutem non vituperem. AMBÆ] fortuna, & ſalus VBI BONI QVID D.] cùm mihi aliquid boni dederint. HVIVS OPERAS.] Philenij nocteis: Philenium mihi obſequentem, & operas dantem. ſcorta conducuntur, & ſuas operas amãtibus locant, & ſuarum operarum mercedem ab his accipiunt, aut certè poſtulant, atque adeò flagitant: ſæpe etiam antequam vllam dent operam, capiunt. CVIVS INOPIA'ST, &c.] cuius indigeo. VIGINTI ARGENTI COMMODAS MINAS, &c.] id eſt, viginti argenti minas totas, atque integras. Sic Nonius in voce commodum: vbi hunc verſum profert. Sic iterum Plautus in Mercat. *Nunquam ædepol me vincet hodie. commodis poſcet pater.* ſubintell. ſeptem minis, hoc D eſt, vult ſibi puellam illam vendi ſeptem commodis minis. Idem in Pſeud. *At me viginti commodis multauit minis*, Idẽ in Rud. *talentũ argenti cõmodum magnũ inerat in crumena.* VT CONSVEVERE] ſalus, & fortuna. FRVSTRATVR] fallit, deſtituit. EGO CAPVT HVIC, &c.] id eſt, ego præcipuã operã ad hoc argentũ hodie reperiẽdũ nauaui. vel ſic, ego maior, & potior pars ad hoc argentum hodie reperiendum fui. Virg. Æn. 2. *Et quorũ pars magna fui.* Terẽt. Andr. *Nam ſi hîc mali eſt quidquam, hem illic eſt huic rei caput.* Vbi notat Donatus, Caput, id eſt, origo, & ſumma vniuſcuiuſque rei. vt Virg. Æn. xj. *ô Latio caput horum & cauſa malorum.* EGO PES FVI] iocus in verbo. caput, & pes, opponuntur. hinc ſtatim ſubiicit Argyrippus. QVIN NEC CAPVT, NEC PES &c.] id eſt immò verò, nulla pars ſermonum veſtrorum appâret. vel ſic. nec principium, nec finis ſermonum veſtrorum exſtat. prouerbiũ olet, quod ſignificat rem eſſe inchoatam, atque imperfectam. Vtitur eo M. Tull. lib. 7. epiſt. ad famil. epiſt. ad Curium. *Sulpicij tibi operam intelligo ex tuis litteris non multum opus fuiſſe propter res tuas ita contractas, vt, quemadmodum ſcribis, nec caput, nec pedes.* Iterum Plautus in Capt. *Garriet, quòd neque pes vſquam, neque caput compareat.* Eodem pertinet illud Horatij epiſt. ad Piſones, *cuius, velut ægri ſomnia, vanæ Fingentur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni Reddatur formæ.* Non admodum diſſimile illud eiuſdem epiſt. ad Iul. Florum, lib. 2. *Candidus & talos, à vertice pulcher ad imos.* SATIS IAM DEL. CENSEO.] Satis iam deluſum eſſe Argyrippum cenſeo. REM VT EST, N. EL.] nunc rem eloquamur, & narremus

Argyrippo, ita, vt eſt. SIS ] ſi vis. BONÆ, ] bonas fortaſſe hîc dicit, quas paullò antè, commodas. Verumtamen ſequamur, quod ad illum ſuperiorem locum attinet, Nonium, & dicamus per bonas hîc ſignificari. probas, & minimè falſas, neque adulterinas. BONÆ, MALA OPERA PARTÆ. ] antitheſis. *mala opera*, autem, id eſt, per ſycophantiam, & fallaciã, & dolum malum. PARTIS LEGIBVS ] latis, & acceptis conditionibus. NOCTEM HVIVS, ET CEN. ] his legibus, ſeu hac lege, vt ſineret Philenium vnà ſecum cenare, & dormire. MERITISSIMO EIVS, ] ſuperlatiuum nomen ex ſubſtantiuo factum. nam cùm dicimus *merito eius*, non eſt dubium, quin *merito*, ſit nomen ſubſtantiuum. Quomodo igitur ex hoc tali nomine *meritiſſimo* fieri poteſt? quomodo rurſus *meritiſſimo* ſubſtantiuum eſſe poteſt, ſi ſuperlatiuum eſt ? nam ſubſtantiua nomina, neque comparationem, neque ſuperlationem recipiunt. Atqui ſubſtantiuum ſit neceſſe eſt, quando patrius caſus ei ſubiungitur, proinde ac ſi dixiſſet, maximo eius merito. Notetur igitur hic locus. Iam apud Terent. in Phor. immeritò, & immeritiſſimò aduerbia ſunt. Sic ille. *Iam dudum te omneis nos accuſare audio Immeritò, & me omniũ horum immeritiſſimo.* DISPVLSOS COMPVLIT ] bella antitheſis. videtur autem eſſe tralatio à pecore, ſeu armento. diſpellere, eſt in diuerſas parteis pellere : compellere, in vnum locum pellere. M. Tull. in Piſonem. *Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cùm, omni totius prouinciæ pecore compulſo, omnem quæſtum illum domeſticum, paternúmque renouaſti?* Virg. in Melibæo. *Compulerántque greges Corydon & Thyrſis in vnum.* M. Tull. lib. 7. epiſt. ad Att. *Quid ergo, inquis acturus es?* Idem, *quòd pecudes : quæ diſpulſæ, ſui generis ſequuntur greges. vt bos armenta, ſic ego bonos viros, aut eos, quicunque dicentur boni, ſequar, etiam ſi ruent.* HÆC FACILÈ FACIET, VT P. ] id eſt, propter hanc, Philenium, qua hoc pacto mihi annum perpetuum frui licebit, facilè patiar, vt pater eam amplexetur noctem vnam. ANGIPORTO. ] per angiportum. Idem Moſtell. *Abij illà per angiportum, ad hortum noſtrum clanculũ.* Feſtus. *angiportus, iter compendiarium in oppido, eò, quòd ſit anguſtus portus, id eſt, aditus in portum.* Angiportus autem in maſcul. & angiportũ in neutro gen. veteres vſurparunt, vt indicat Nonius. Iterum Plautus, in Ciſtell. *paruolam Puellam, proiectam, ex angiportu ſuſtuli.* Idem in Pſeud. *Habui numerum ſedulò. hoc eſt ſextum à porta proximum angiportum. in id angiportum me diuorti iuſſeras.* NE QVIS SE VIDERET H. IRE FAM. ] ordo eſt, ne quis familiarium videret ſe huc ire, id eſt, venire. RESCISCAT, ] quod occultum fuerit, cognoſcat. Gellius lib. 2. cap. 29. VT SIT FACTVM: ] quomodo ſit factum. EIA: BENEDICITE. ] cùm Libanus aliquid tale eſſet additurus, patrem tuum, te, & nos, miſeros habebit : vel hoc tale, nos omneis miris modis cruciabit. Argyrippus interloquens, & interpellans vetat illum aliquod verbũ triſtius, & mali ominis proferre, & *eia: benedicite*, inquit, id eſt, fauete linguis, ſeu bona verba dicite, εὐφημεῖτε. Sic ſolebant mala nomina vitare, & auerſari veteres.

A B C (margin letters on page 128: A beside the first line, B beside "…Compulerántque", C beside the last lines)



A

# ACTVS QVARTVS.

## DIABOLVS adoleſcens, PARASITVS.

AGEDVM iſtum oſtende quem conſcripſiſti ſyngraphum,
Inter me & amicam & lenam. Leges perlege.
Nam tu poëta es prorſus ad eam rem vnicus.
B PA. Horreſcet faxo læna, leges quũ audiet.
DI. Age quæſo mi hercle tranſlege. PA. Audin'? DI. audio.
PA. Diabolus Glauci filius Clearetæ
Lænæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium vt ſecum eſſet nocteis & dies
Hunc annum totum. DI. neque cum quiquam alio quidem.
PA. Addóne? DI. adde: vt ſcribas, vide, planè & probè.
PA. Hominem alienúmque intromittat neminem.
Quòd illa aut amicum ſuum, aut patronum nominet,
Aut quòd illa amicam ſuam, aut ſororem prædicet,
C Fores occluſæ omnibus ſient, niſi tibi.
In foribus ſcribat, occupatam eſſe ſe.
Aut quòd illa dicat peregrè allatam epiſtolam,
Ne epiſtola quidem vlla vſpiam ſit in ædibus.
Nec cerata adeò tabula. & ſi qua inutilis
Pictura ſit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo ex te argentum acceperit,
Tuus arbitratus ſit, comburas, ſi velis:
Ne illi ſit cera, vbi facere poſſit litteras.
Vocet conuiuam neminem, illam tu voces.
D Ad eorum ne quem illa oculos adiiciat ſuos.
Si quem alium aſpexit, cæca continuo ſiet.
Tecum vna poſtea æquè pocula potitet,
Abſted accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minus, aut plus quàm tu, ſapiat. DI. ſatis placet.
PA. Suſpiciones omnes ab ſe ſegreget.
Neque illæc vlli ſuo pede pedem homini premat.
Cum ſurgat, non in lectum inſcendat proximum,
Neque cum deſcendat, inde, det cuiquam manum:
Spectandum ne cui annulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoueat, niſi tibi.
Quum iaciet, te, ne dicat, nomen nominet.

Deam ſibi inuocet quam libebit propitiam, A
Deum nullum. ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat. tu pro illa ores, vt ſit propitius.
Neque illa vlli homini nutet, nictet, annuat.
Poſt ſi lucerna extincta ſit, ne quid ſui
Membri commoueat quicquam in tenebris. DI. optimum
eſt.
Ita ſcilicet facturam: verùm in cubiculo
Deme iſtuc, equidem illam moueri geſtio.
Nolo habere illam cauſſam, & votitam dicere.
PA. Scio, captiones metuis. DI. verùm. PA. ergo vt iubes,
Tollam. DI. quid ni? PA. audi reliqua. DI. loquere B
audio.
PA. Neque vllum verbum faciat perplexabile,
Neque vlla lingua ſciat loqui niſi Attica.
Fortè ſi tuſſire occœpſit, ne ſic tuſſiat,
Vt quoiquam linguam in tuſſiendo proferat,
Quòd illa autem ſimulet quaſi grauedò profluat,
Hoc ne ſic faciat: tu labellum abſtergeas
Potius, quàm cuiquam ſauium faciat palàm.
Nec mater læna ad vinum accedat interim,
Nec vlli verbo malè dicat. ſi dixerit,
Hæc multa ei eſto, vino viginti dies C
Vt careat. DI. pulchrè ſcripſti, ſcitum ſyngraphum.
PA. Tum ſi coronas, ſerta, vnguenta, iuſſerit
Ancillam ferre ſuam Veneri aut Cupidini,
Tuus ſeruus ſeruet, Venerínе eas det, an viro.
Si fortè purè velle habere dixerit,
Tot reddat ſpurcas, quot puras habuerit.
Hæc ſunt non nugæ. non enim mortualia.
DI. Placent profectò leges. ſequere intrò. PA. ſequor.

D

SYNGRAPHVM.] profert hunc verſum Nonius, vt probet, veteres dixiſſe ſyngrapham in genere fœm. & ſyngraphum in maſcul. in ſyngrapho autem, ſiue ſyngrapha perſcribebâtur leges, hoc eſt, pacta, cõuenta priuata, quæ paſciſcentes ſeruari volebant. LEGES] pacta conuenta, conditiones, conuentiones. POETA] opifex, artifex. VNICVS] ſingularis, ſingulariter, & vnicè idoneus. HORRESCET FAXO LENA] *faxo* iunctum cum futuro. licebat etiam ita dicere, *Horreſcat faxo lena*. nam vtrique modo loqui ſolet Plautus: ſed illo potius. MI] mihi. TRANSLEGE] ita, vt exaudiam, lege. per lectionem transfer ad me. NEQVE CÙM QVIQVAM AL.] neque cùm quoquam alio q. VT SCRIBAS, VIDE, PLANÈ, ET PR.] oratio eſt implicata. nam hic ordo verborum eſt. vide, vt planè, & probè ſcribas. QVOD ILLA AVT AMICVM SVVM, AVT PATRONVM NOM.] antiqua locutio, quæ vel ſic explicanda eſt, *Quòd illa aut amicum, aut patr. nominet*, ſubintelligendum, non eſt. deinde ſequitur. *Fores occluſæ omnibus ſient*, &c. vel ſic potiùs, Quòd illa aut amicum, aut patronum nom. id eſt, quantum ad id attinet, quòd illa nominare poſſit, aut amicum ſuum, aut patronum: illi prętexto, & cauſæ, hoc oppono, Fores occluſæ omnibus ſient. Hæc eſt vera talium locutionum explicatio. libet autem mihi hîc aliquot earum exempla & ex poëta noſtro, & ex aliis ſcriptoribus colligere. Sic igitur



A igitur in Aulul. *Quòd quiſpiam ignem quærat, extingui volo.* id eſt, Quòd ad id attinet, quòd fortaſſe aliquis ignem quærat: huic cauſæ, propter quam alicui ianuam aperire debeas, hoc oppono: extingui ignem volo, vt iuſtã cauſam habeas neminem intromittendi. Idem infra eadem ſcena. *Quòd illa autẽ ſimulet, quaſi grauedo profluat: Hoc ne ſic faciat, tu labellũ abſtergeas.* Idẽ in Milit. glor. *Quòd ille gallinam, aut columbam ſe ſectari, aut ſimiam dicat: diſperiſtis, ni vſque ad mortẽ malè mulcaſtis.* Terẽt. in Eunucho. *Sanè quod tibi nunc vir videatur eſſe hic, nebulo magnus eſt.* Idem in ead. com. infrà. *Si te in platea offendero hac poſt vnquam: quòd dicas mihi, alium quærebam: iter hac habui. periſti.* Ad quem locum Donatus corruptus eſt. Idem Adelph. *vt id oſtenderem; quòd te iſti facilem, & feſtiuum putant, id non fieri ex vera vita.* Sic M. Tull. accuſ. lib. 5. *Quòd enim te liberatum iam exiſtimationis metu, defunctum honoribus, deſignatum conſulem cogites: mihi crede, ornamenta iſta, & beneficia populi Rom. non minore negotio retinentur, quàm comparantur.* Idem in Piſonem. *Nam quòd vobis iſte tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc verò etiam rapax: quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus; quòd impudens, quòd audax eſſe videatur: nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius; nihil proteruius, nihil nequius.* Virgil. lib. 2. Æneid. *Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas: Arma, deóſque parant comites, pelagóque remenſo, Improuiſi aderunt.* PEREGRÈ ALLATAM EP.] ex longinquo loco all. ep. NE CERATA ADEÒ T.] ne ſit quidem cerata tabula, ad ſcribenda comparata. Vteban-
B tur tabellis ceratis veteres chartæ loco. Ouidius lib. 1. de Arte am. Ceram raſis tabellis infuſam appellat. ſic ille. *Cera vadũ tentet raſis infuſa tabellis: Cera tuæ primum conſcia mentis erit.* quanquã etiam chartam ad eundem vſum adhibebant. INVTILIS P.] pictura mali exempli, qualis illa apud Terent. in Eunucho. *Suſpectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura hæc, Iouem Quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt quondam imbrem aureum.* Propertius lib. 2. eleg. 6. *Quæ manus obſcenas depinxit primà tabellas, Et poſuit caſta turpia viſa domo, Illa puellarũ ingenuos corrupit ocellos, Nequitiæq; ſuæ noluit eſſe rudeis.* ABALIENARIT] vel donando, vel vendendo. TVVS ARBITRATVS SIT] in tuo arbitrio poſitum ſit: penes arbitrium tuum ſit: tui iudicij, tuæque poteſtatis ſit: profert hunc locum Nonius in voce *arbitrium*. FACERE POSSIT LITT.] facere litteras, id eſt ſcribere litteras. ſic dixit in Aſin. facere litteram longam. VOCET CONVIVAM] vocet ad prandium, aut ad cenam. vocare eleganter locum habet in conuiuis vocandis. exempla ſunt innumerabilia apud Plautum, & probatos ſcriptores. hinc *vocatio*. Catull. ad Porcium, & Socrat. *Vos conuiuia lauta, ſumtuoſa De die facitis: mei ſodales Quærunt in triuio vocationes.* AD EORVM NE QVEM ILLA OCVL. ADIIC. S.] adiicere oculos ad, dixit & M. Tull. vt lib. 2. accuſ. *partim planè videbant oculum adiectum eſſe hæreditati.* Idem de lege Agraria contra Rullum Ad
C populum. *Cùm ad omnia veſtra pauci homines cupiditatis oculos adiecissent*, &c. Non multo ſecus dixit iterum Plautus *militi animum adieceris*, in Milite glor. *& ad illam animum adieciſſe*, in Mercatore. POCVLA POTITET] è poculis vinum crebrò potet. ABS TED ACCIPIAT:] abs te pocula accipiat. TIBI PROPINET:] tibi poculum præbeat, cùm te ad bibendum prouocarit. *Propinare*, inquit Nonius, à Græco tractum eſt, προπίνειν quod eſt, poculũ è quo antè potatum eſt, alteri tradere. SVSPICIONES OMN.] vox *ſuſpiciones*, ſyllabam ſecundam longam habet. SEGREGET] ſemoueat, auferat. nulli ſupicioni det locum. NEQVE ILLÆC VLLI S. P. PEDEM. HOM. P.] Ouid. lib. 1. de arte amandi. *Velle latus digitis, & pede tange pedem.* CÙM SVRGAT,] è lecto diſcubitorio, ſeu tricliniari. NON IN LECTVM INSCR. PR.] erant enim plures lecti in vno triclinio, tres ad ſummum. SPECTANDVM NE CVI HOM. D.] Tibull. lib. 1. eleg. 6. *Sæpe velut gemmas eius, ſignúmque probarem, Per cauſam memini me tetigiſſe manum.* Nonius hunc verſum profert, & ſpectandum hîc interpretatur inſpiciendum. TALOS] luſorios. ἀστραγάλους in quibus feliciſſimus erat Veneris iactus. Nam Venerius iactus, ſummum numerum continebat, vt docet Porphirio ad illud Horat. oda. 7. lib. 2. *quem Venus arbitrum Dicet bibendi?* idque licet intelligere ex Suetonio in Auguſto, ibi. *Talis enim*
D *iactis, vt quiſque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuerſos qui Venerem iecerat.* Ex eodem loco videre licet, canem fuiſſe infelicem: Et præterea ex Ouid. lib. 2. de Art. am. *Seu talos iacies, victam ne pœna ſequatur, Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.* Propert. lib. 4. eleg. 9. *Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos, Semper damnoſi ſubſiliere canes.* CÙM IACIET, TE, NE DICAT: NOM. N.] Cùm iaciet talos, inquit, ne dicat, te, id eſt, ne dicat hoc modo, te inuoco: nullo nomine certo edito, ſed nominatim te appellet, hoc modo, Diabole. Hoc eò pertinet, quòd ſolebant adoleſcentes amantes, & amicæ, amicarum, & amantium ſuorum nomina inter ludendum, & in iaciendis talis edere. Amicus quidam meus, idémque ſanè valde eruditus, ſic explicat, Cùm iaciet talos, *tene, dicat*, &c. id eſt, dicat hoc modo, tene ſubintell. talos, id eſt, tolle, vel accipe talos, & te nominatim appellet. ſed fallitur. DEVM NVLLVM] Propertius lib. 2. eleg. 34. *Riualem poſſum non ego ferre Iouem.* SI MAGIS RELIG. F.] ſi aliquanto religioſior fuerit: tibi negotium det. Si plus nimio religioſa fuerit ne: que ſatis habeat deas fæminas inuocare & colere, ſed etiam deos mares ſibi putet eſſe inuocãdos, venerandos, colendos, & propitiandos: ne ipſa colat, neque inuocet, ſed te vicarium ſupponat, qui pro ea Deum, quem velit, inuoces, & colas: NVTET, NICTET ANNVAT.] Nonius, inquit, *Inter nutare, annuere & nictare veteres hoc intereſſe voluerunt, quòd nutare, capitis: annuere, vel innuere, narium, vel labrorum: nictare, oculorum ſignificantiam eſſe decreuerint.* deinde hunc verſum teſtem pro-

ducit. Sed non addit ille, quod magnopere ad rem pertinet, annuere & innuere rurſum inter ſe A
eò differre, quòd annuere, eſt nutu capitis, (non labrorum, neque narium, vt vult ille) aliquid al-
teri concedere, aut aſſentiri: innuere verò, nutu capitis, alteri, quid fieri velis, ſignificare: vt ſine
dubio legendum hîc ſit, innuat, non inuuat. non enim vetat Diabolus adoleſcens per ſyngra-
pham, ne illa nutu capitis alteri aſſentiatur: ſed ne quid alteri ſignificet nutu capitis, quod fieri
velit, quemadmodum, & ne quid oculis. ſic Terent. Eunucho, *Nihil, dixit tum, vt ſequerere ſeſe?* C.
*nihil, niſi abiens mihi innuit.* Idem Adelph. *Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuò in mala hæreat.*
Per nutus autem, & talia ſigna loqui inter ſe amanteis, teſtatur Ouid. lib. 1. de Arte. *Nil opus eſt di-*
*gitis, per quos arcana loquaris: Nec tibi per nutus accipienda nota eſt.* Et Næuius in Tarentilla, ídque plu-
ribus verbis: quæ cum toto hoc loco Plautino iuuabit comparare. *quaſi in foro pila ludens datatim,*
*dat ſe, & communem facit. Alium tenet, alij adnictat, alibi manus Eſt occupata: aſt alij percellit pedem. Alij*
*dat annulum ſpectandum de labris. Alium inuocat, cúmque alio cantat, denique Aliis dat digito litteras.*
ITA SCILICET FACTVRAM] id eſt, ſcire licet eſſe facturam. vel ſic, Ita certum eſt eſſe
facturam. Sic vſurpat vocem *ſcilicet* Lucretius, vt indicauimus in comment. Lucretianis. Idem
valet & videlicet, vt alibi cognoſcemus. DEME IST.] tolle, ſeu detrahe iſtuc. EQVID
ILLAM M. G.] equidem illam in cubiculo mouere geſtio: id eſt, cupio. Lucretius ait lib. 4.
ſcorta moueri partim ſua, partim amantium cauſa, nempe vt Venus ſit concinnior, hoc eſt, vt B
voluptas tali motu efficiatur ſuauior. ſic Lucret. *Nec molles opu' ſunt noſtris vxoribus hilum. Nam*
*mulier prohibet ſe concipere, atque repugnet, Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet, Eicit enim,* &c. ſequi-
tur mox. *Idq́; ſua cauſa conſuerunt ſcorta moueri, Ne complerentur crebro, grauidæq́; iacérent: Et ſimul ipſa viris*
*Venus vt concinnior eſſet: Coniugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur.* NOLO HABERE ILL. C.]
nolo illam Philenium, habere cauſam, id eſt, prætextum, ſeu excuſationem, quamobrem non
moueatur nempe ſe voto prohibitã eſſe quo minus moueatur. ἐν σωνουσιασμῷ. Nonius, *Votitum*
*veteres,* inquit, *religione aliqua prohibitum, vel interdictum dici voluerunt.* deinde hunc verſum profert.
Sed tamen teſtor, in omnibus noſtris libris veteribus ſcriptum eſſe, *vetitam.* atque hæc ſcriptura
videtur eſſe recta, & falli Nonius. Non enim hîc de voto quæritur, ſed hoc ſentit, & dicit Dia-
bolus, quia paraſitus ſcripſerat in ſyngrapha, ne quid ſui membri commoueret Philenium in te-
nebris, ſibi quidem placere, hoc ratum eſſe, & ſeruari in triclinio: ſed in cubiculo non item. velle
enim eam in cubiculo moueri: & nolle, illam, hanc prætexere, aut opponere cauſam, quare non
moueatur, quod per leges in ſyngrapha ſcriptas moueri vetita ſit disertè, & dilucidè. Præterea
menſura carminis, poſtulat, vt legatur *vetitam,* non *votitam.* Veruntamen nolui hîc diſcedere ab
editione Cameriana: quam & libri omnes vulgati comprobant. SCIO: CAPTIONES
METVIS] intelligo quid dicas: verborũ fallacias metuis. captiones in verbis poſitæ ſunt. hinc C
captiones dialecticæ, apud M. Tullium libro ſecundo de Finibus. & refellere captiones.
lib. de Fato. & apud eundem, captioſum genus interrogationis lib. 4. Acad. ſiue Lucullo.
& ibidem ſuprà, fallace is, & captioſas interrogationes diſſoluere. Plautus in Epid. *Verùm ſi plus*
*dederis, referam. nulla in ea re captio 'ſt.* Idem in Moſtella. *At enim ne quid captioni mihi ſit, ſi dede-*
*rim tibi.* PERPLEXABILE.] ambiguum, anceps, inuerſum. Terent. in Eunucho. *Pergin' ſce-*
*leſta mecum perplexè loqui?* Nonius, *perplexabile,* inquit, *figuratum, quòd aliud audiatur, aliud ſentiatur.* de-
inde hunc verſum profert. Iterum Plautus in Mil. glor. *quæ te intemperiæ tenent, Qui me perperam*
*perplexo nomine appelles?* Idem in Sticho. *Vtrùm ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum.*
VT CVIQVAM LINGVAM IN TVSS.] ne lingua prolata videa-
tur aliquem ad baſiandum inuitare, vel alicui oſculum, lingua in eius os inſerta, ferre velle.
baſiant enim interdum, & oſculantur animantes, commiſſis, & compoſitis inter ſe linguis, vt
ſuprà indicatum eſt, ibi, *Fac proſerpentem beſtiam me,* &c. & huiuſmodi linguæ prolatio, oríſque fi-
guratio, ſuauium, ſeu vt alij ſcribi volunt, ſauium infrà non longè ab eodem appellatur, quòd
tale oſculum, ſit longè omnium ſuauiſſimum. Suauium enim à ſuauitate dictum eſſe conſtat, & D
hoc docet Nonius in vocibus *ſuauium,* & *oſculum.* QVÒD ILLA AVTEM SIMVLET,
&c.] id eſt, quòd attinet autem ad hoc, quòd illa ſimulet, ſe grauedine laborare, & idcirco inter
tuſſiendum linguam proferre, &c. GRAVEDO] κόρυζα, pituita, κατάῤῥους defluxio humoris
frigidi ex capite. Cornelius Celſus lib. 4. cap. de deſtillatione, & grauedine, *Grauedo nareis claudit,*
*vocem obtundit, tuſſim ſiccã mouet, ſub eadem ſalſa eſt ſaliua, ſonant aures, venæ mouẽtur in capite, turbida vrina*
*eſt. Hæc omnia κορύζας Hippocrates nominat.* Catull. ad Fundum. *Hic me grauedo frigida, & frequens tuſſis*
*Quaſſauit vſque, dum in tuum ſinum fugi: Et me recuraui ocymóque & vrtica.* Grauedinoſi appellantur,
qui hoc morbo affecti ſunt, aut qui ad hunc morbum natura procliues ſunt. M. Tul. Tuſcul. 4.
*Itaque dicimus grauedinoſos quoſdam, quoſdam torminoſos.* HOC NE SIC FACIAT] ne ſic lin-
guam proferat. QVàM CVIQVAM SVAVIVM FACIAT PALàM] quàm cuiquam
ſuauium, id eſt, oſculum linguæ prolatione dulcius, & iucundius factum, in promptu habeat,
atque oſtendat. AD VINVM] ad menſam, ad pocula. vel ſic, ne tum veniat mater lena, cùm
ad menſam accumbentes compotemus. Cicero pro Cælio. *quàm volent in conuiuiis faceti dicaces,*
*nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint.* Catul. ad Aſinium. *Inter cenam Aſini, manu ſiniſtra Non belle*
*vteris in ioco atque vino.* Terent. Heaut. *Vel here in vino quàm immodeſtus fuiſti?* VERBO] pleonaſ-
mus. nam *verbo* eſt ſeptimi caſus. VENERI, ET CVPIDINI:] quaſi Veneri & Cupidini
donata



A donata vota & conſecrata. SERVET,] obſeruet. AN VIRO.] an alicui viro. SI FOR-
TÈ PVRÈ VELLE HAB. D.] ſi fortè dixerit, ſe velle puram eſſe, neque cum quoquam
viro rem habere, &c. fortaſſe legendum eſt, *velle ſe habere d.* neque verſus repugnat. erit enim ana-
pæſtus. TOT REDDAT SPVRCAS, Q. P. HABVVERIT.] id eſt, tot nocteis te-
cum cubet, corpúſque ſuum cum tuo commiſceat, & copulet, quot nocteis ſcorſum abs te cu-
buerit, *habuuerit,* autem legendum eſſe, pro *habuerit,* vt producatur ſecunda ſyllaba, quæ alioqui
corriperetur: quo facto, verſus corrumperetur, admonuit Adrian. Turnebus. Spurcũ puro op-
ponitur. Iam ſemen, & ſanguis inquinant, & conſpurcant. Itaque cælibum, & viduarum no-
ctes, puræ: maritorum, & maritarum: amantium, & puellarum cum amantibus dormientium,
ſpurcæ intelliguntur, atque appellantur. Secubabant autem à viris matronæ, & meretrices, die-
bus feſtis Iſidis & Cereris, quod Tit. Liuius per decem dies obſeruari ſolitum eſſe tradit. Hinc
Propert. lib. 2. eleg. 32. *Triſtia iam redeunt, iterum ſollemnia nobis. Cinthia iam nocteis eſt operata decem.*
Quæ poſtrema ad oram ſui libri adſcripſerat Boſius. NON ENIM MORTVALIA] ra-
tio, quare non ſint nugæ. quoniam, inquit, non ſunt carmina inepta, atque inania, quæ mortuis
canuntur à præficis in funeribus, quæ vno verbo næniæ dicuntur. De nænia alibi, & ſuo loco di-
cemus. Hæc negotia, inquit, non ſunt nugæ. eſſent autem nugæ, ſi eſſent mortualia. At non ſunt
B mortualia, quia amor & res amatoriæ nihil ad mortuos pertinent, vt qui neque amore, neque
vlla re alia, quæ viuos ſollicitat, ac macerat, omnino tangantur. Hoc igitur ſignificat ea, quæ
ſcripta ſunt in ſyngrapha, res eſſe ſerias, & quæ ad viuos pertineãt, non ad mortuos, qui iam ni-
hil ſunt (loquor ex Plauti, & nonnullorum aliorum veterum ſenſu) neque verò ad viuos per-
tineant ſolùm, ſed ad ætate florẽteis, firmos, ac validos: quibus nihil tam graue, aut ſerium eſt,
quàm res amatoriæ, & veneriæ. Contrà quæcunque in funeribus fiunt, & mortuorũ cauſa fiunt,
cùm illi iam, vt ex Plauti ſententia diximus, nihil ſint, præter oſſa, & cineres: ea videntur eſſe le-
uia, vana, & inania. Non eſt fortaſſe his admodum diſſimile illud, quod eſt in Milite glor. *æde-*
*pol huius ſermones haud cinerem quæritant.* quæ verba ſuo loco explicabimus.

## DIABOLVS, PARASITVS.

SEQVERE hac. egon' hæc patiar? aut taceam? emori
C Me malim, quàm hæc non eius vxori indicem.
Ain tu apud amicam? munus adoleſcentuli
Fungare, vxori excuſes te & dicas ſenem,
Præripias ſcortum amanti? atque argentum obicias
Lenæ? ſuppiles clam domi vxorem tuam?
Suſpendas potius me, quàm tacita hæc auferas.
Iam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu propediem.
Niſi quidem illa ante occupaſſit te, affliges ſcio,
Luxuriæ ſumtus ſuppeditare vt poſſies.
Ego ſic faciundum cenſeo, me honeſtiuſt
Quàm te palàm hanc rem facere, ne illa exiſtimet
D Amoris cauſſa percitum id feciſſe te,
Magis quàm ſua cauſſa. DI. at pol quin dixti rectius.
Tu ergo fac vt illi turbas, liteis concias,
Cum ſuo ſibi gnato vnà ad amicam de die
Potare, illam expilare iam. PA. ne me mone.
Ego iſtud curabo. DI. at ego te opperiar domi.

SEQVERE HAC] Cognouit Diabolus ex paraſito, quem ad lenam Philenij matrem cum
ſyngrapha miſerat, Philenium ab Argyrippo eſſe occupatam, & ſimul qua via pecuniam,
quam lenæ daret, nactus ſit: poſtremò patrem vnà cum filio ſcortari, & potare. Idcirco ſtoma-
chatur, & minatur ſe rem omnem, vt ſe habeat, Artemonę, Demæneti vxori indicaturum, & pa-
lam facturum. EMORI ME MALIM] ſic Terent. Eunucho. *ſine modò. Mori me malim: ſen-*
*tiet, qui vir ſciem.* AIN TV?] ain tu? percontantis ſermo, ex quo intelligit auditor, multa ei,
qui ita percunctatur, ab altero eſſe dicta. Sic apud Terent. in Heaut. *Ain' tu?* D. *ſic eſt.* S. *Verum*

*interea dum ſermones cedimus,* &c. Ibidem *ſubditum? ain' tu? S. certè inquam mi vir.* In Hecyra. *Ain'* A *tu tibi hoc incommodum eueniſſe iter? S. Non hercle Parmeno verbis dici poteſt Tantum quàm reipſa nauigare incommodum'ſt.* Iterum Plautus eadem comæd. infrà non longè, *Ain' tu meum virum hic potare, obſecro, cum filio?* APVD AMICAM.] ita ne eſt? hocine oportet, aut ferri poteſt, Demænetum ſenem apud amicam potare? MVNVS ADOLESCENTI FVNGARE?] ἀποστροφὴ ad Demænetum. tun' Demænete adoleſcentis munere fungi debes? id eſt, ea facere, quæ adoleſcenti conueniunt? VXORI EXCVSES TE, ET. D. S.] vxori complexú tuum exoptanti, & expetenti, excuſationem hanc afferas, quòd ſis ſenex, atque idcirco ad Venerem tardior atque ineptior? PRÆRIP. SCORT. AM.] prior eripias ſcortum amanti, Argyrippo. filio tuo? vel potius, mihi? OBICIAS LENÆ?] vltrò in manum des? SVPPILES CL.] furtim & clam cõpiles &c. *ſuppiles clam*, pleonaſmos. Quamquã ſuppilare Nonius ſcribit, eſſe inuolare, & rapere, à pilorum raptu, vnde & furtum paſſi compilati dicuntur. Ex quibus verbis licet intelligere, ſuppilare, & compilare, idem valere. QVÀM TACITA HÆC AVF.] quàm ego hæc taceam: vel quàm hæc à me taceantur. ſic loquitur Cicero lib. 2. epiſt. ad Att. epiſt. 3. *Cætera ſi reprehenderis, non feres tacitum,* &c. Hic *tacita* paſſiuè accipiendum eſt, à tacitus, a. um. particip. paſſiuo verbi taceor. Nam aliàs tacitus actiuam ſignificationem habet. vt pro Roſcio Comœdo. *Tacita corporis figura.* & pro Cluẽtio; *Tacita veſtra expectatio.* & pro Quinctio. *tacitò ipſo ſtudio, quod* B *habebat erga propinquum ſuum, quemuis commoueret.* NISI ANTE OCCVPASSIT TE,] id eſt, niſi te anteuerterit: niſi te occupauerit: *ante occupaßit*, pleonaſmos. nam occupare, per ſe, eſt anteuerrere. Cicero de Senect. *C. Seruilius Ahala Sp. Melium regnũ appetentem, occupatũ interemit.* Idem lib. 3. de rep. in Fragm. *Si vita eius in periculũ veniet, vt eum aliquando neceſſe ſit aut occupare, aut mori, quid faciet?* Virgil. Georg. 4. *Cum clamore, ruit magno, manicíſque iacentem Occupat.* Idem Æn. 9. *Sociòſque vocantẽ Vibranti gladio connixus ab aggere dexter Occupat.* Quinctus Curtius lib. 3. *Cum deinde Darium regem vbicunque eſſet, occupare ſtatuiſſet, vt à tergo tuta relinqueret:* &c. Idem ibidem Fatig. Nihilo minus tamen dicunt Latini *ante occupare, & præoccupare.* M. Tullius ad Quinctum Fratrem epiſt. lib. 1. *Sed te illud admoneo, vt, ſi hoc plenè vitare non potes, quod antè occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit, ne occuparetur, te antè compares,* &c. Cornelius Nepos in Dione, *ne cùm inter ſe timerent alteruter alterum præoccuparet.* AFFLIGES,] ſumtibus ad terram deiicies, id eſt, ſpoliabis, & ad egeſtatem rediges. tralatio eſt. LVXVRIÆ SVMTVS SVPP.] id eſt, vt poſſis luxui, & nequitiæ tuæ ſumtus ſuggerere, ac ſubminiſtrare. PERCITVM] permotum, compulſum. AT POL. QVIN DIXTI R.] at pol. ſubintellig. ego ipſe rem palàm facere volo, ego ipſe flagitiũ Demæneti vxori eius indicare volo. eſt ἔκλειψις vel ἀποσιώπησις, ſequitur deinceps correctio, quæ ſermonem inceptum interrumpit. quin dixti r. id eſt, immò verò dixiſti C rectius. licet etiam ſic explicare, vt cõtinuata ſit oratio, hoc modo: at pol quia dixiſti rectius, id eſt, at per Pollucem tu verò dixiſti rectius. TVRBAS, LITEIS CONCIAS] turbas, & liteis excites. turbas liteis, ἀσυνδέτως poſita ſunt. CVM SVO SIBI GNATO] ſubintellige dicas, vel dicens eius vxori eum, &c. *Cum ſuo ſibi gnato ad amic.* &c. id eſt, vnà cum ſuo ipſius gnato apud amicam potare. notauimus hoc locutionis genus ſuprà in Amphitr. ibi: *Atque hũc telo ſuo ſibi,* &c DE DIE.] id eſt, à prima parte diei. ſic Cæſar, lib. 1. de bello Gallico. *De tertia vigilia T. Labienum legatum properè cum duabus legionibus & iiſdem ducibus, qui iter cognouerant, ſummum iugum montis aſcendere iubet.* Catull. Ad Porc. & Socr. *Vos conuiuia lauta ſumptuosè De die facitis.* Horat. epiſt. 2. lib. 1. *Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.* Marcus Tullius pro Murena. *Vigilas tu de nocte, vt conſultoribus tuis reſpondeas.* Plaut. *de nocte qui abiit piſcatum ad mare.* EXPILARE IAM.] ſpoliare iam, & compilare. expilare, & compilare, eſt ita furto fraudare, vt docet Aſconius, vt ne pili quidem in corpore relinquantur. extat hic titulus ordine. 19. lib. 47. pandectarum, *de crimine expilatæ hereditatis.* Vlpianus titulo 18. eiuſdem libri, expilatores, ait eſſe atrociores fures. Alexander in quadam cõſtitutione, tit. *de cauſis, ex quibus infam. ali. irrog.* expilatorẽ, furem D improbiorem appellat. Feſtus, compilare, inquit, eſt in vnum cogere. NE ME MONE] proinde ac ſi dicat, memorem mones. OPPERIAR] exſpectabo.





A

# ACTVS QVINTVS.

ARGYRIPPVS adoleſcens, DEMÆNETVS ſenex.

AR. AGEDVM decumbamus ſis pater. DE. vt iuſſeris,
Mi gnate, ita fiet. AR. pueri menſam apponite.
DE. Nunquid nam tibi moleſtum eſt gnate mi, ſi hæc nunc mecum accubat?
B AR. Pietas pater oculis dolorem prohibet, quanquam ego iſtam amo.
Poſſum equidem inducere animum, ne ægrè patiar, quia tecum accubat.
DE. Decet verecundum eſſe adoleſcentem Argyrippe. AR. edepol pater,
Merito tuo facere poſſum. DE. age ergo hoc agitemus conuiuium
Vino & ſermone ſuaui. nolo ego metui, amari mauolo
Mi gnate me abs te. AR. pol ego vtrumque facio, vt æquum eſt filium.
C DE. Credam iſtuc, ſi eſſe te hilarum videro. AR. an tu eſſe me triſtem putas?
DE. Putem ego? quem videam æquè eſſe mœſtũ, quaſi dies ſi dicta ſit.
AR. Ne dixis iſtuc. DE. ne ſic fueris, illico ego non dixero.
AR. Hem aſpecta, rideo. DE. vtinã malè qui mihi volunt, ſic rideãt.
AR. Scio equidem quamobrem me pater tu triſtem credas nunc tibi.
Quia iſta'ſt tecum. atque, ego quidem hercle vt verum tibi dicam, pater,
Ea res me malè habet: at non eo, quin tibi non cupiam quæ velis.
Verùm iſtam amo, aliam tecũ eſſe equidem facilè poſſim perpeti.
D DE. At ego hanc volo. AR. ergo ſunt quæ exoptas. mihi quæ ego exoptem volo.
DE. Vnum hunc diem perpetere, quoniam tibi poteſtatem dedi,
Cum hac annum vt eſſes, atque amanti argenti feci copiam.
AR. Hem iſtoc me facto tibi deuinxti. DE. quin te ergo hilarũ das mihi?

AGEDVM DECVMBAMVS SIS,] decumbamus, ſi vis, p. *decumbere*, videtur eſſe ægrotorum potius, quàm conuiuantium, & compotantium. Itaque putabam legendum, *diſcumbamus ſis, p.* Verumtamen nihil mutare auſus ſum. Nam & Terentius in Hecyra de conuiua *decumbere* vſurpauit. ſic enim ille: *ille ringatur, tu decumbas: Prior bibas, prior decumbas, cœna dubia apponitur?* MENSAM APPONITE] menſæ apponebantur apud veteres, & remouebantur. apponebantur cibum capturis, & epulaturis remouebantur, vbi edendi & bibendi finem fecerant. Suprà in Amphitr. *Te dormitare*

*aiebas:mensa ablata'ſt : cubitum hinc abiimus.* NVNQVIDNAM TIBI MOL.] ab hoc verſu, incipiunt eſſe verſus octonarij iambéi. OCVLIS.] ab oculis. INDVCERE ANIMVM,] mihi perſuadere : vincere animum meum: à me impetrare: Terentius, Hecyra, *quod ego nunquam credidi fore, vt, hac ille viua poſſet animum inducere, Vxorem habere.* vbi notat Donatus, quaſi rem duram & immanem. Horat. Sat. *Vt nunquam inducant animum cantare rogati: Iniuſſi, numquam deſiſtant.* DECET VERECVNDVM ESSE ADOL.] honeſta oratio : ſed hic ſenex, qui tam pulcrè loquitur: quique graui, & ſpecioſa oratione filium ad verecundiam, & pudorem vocat : factis inhoneſtis, & vita turpi eum impudenter, & immodeſtè viuere docet. M. Tullius lib. 1. de officiis. *luxuria verò cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. ſin autem etiam libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam.* HOC AGITEMVS CONVIVIVM.] ſic Terent. Hecyra. *antiqua vt conſuetudine Agitarem inter vos liberè conuiuium.* ET SERMONE SVAM.] ſermone bono, & iucundo: qualis conuiuia decet. Lucilius. *cocto, condito, ſermone bono: ſi quæri libenter.* NOLO EGO METVI, AMARI MAVOLO.] amat filius : metuit ſeruus. SI ESSE TE HILARVM VIDERO.] ſic habent omnes noſtri libri veteres, quos ſequimur. alij *hilarem.* quod tamen non damno, ſed hilarum magis probo, vt antiquitatem magis redolens. Hinc *hilarè.* PVTEM EGO?] nihil hîc opus eſt putare, aut exiſtimare. Nam res ipſa loquitur, te non eſſe hilarum. QVASI DIES SI DICTA SIT.] ſubintell. tibi. id eſt, quaſi cauſa tibi dicenda ſit, aut quaſi capitis reus ſis. M. Tullius in Sextiana princip. *mæſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicanteis.* Horat. lib. 2. oda. 1. *Inſigne mæſtis præſidium reis.* Idem lib. 4. oda. 1. *Namque & nobilis, & decens, Et pro ſollicitis non tacitus reis.* Mendoſè autem habent nonnullæ editiones, *vt quaſi dies,* &c. Nam particula *vt,* delenda eſt, propterea quòd, ſententiam ſimul, & verſum corrumpit. Adde quòd, Latini ſermonis nec ratio, nec conſuetudo eam ferre poſſunt. NE DIXIS IST.] Ne dixeris iſtuc, ſcilicet, me eſſe mœſtum. RIDEO] hîc Argyrippus, labris diductis, & dentibus nudatis, riſum ſimulauit. neque ex animo riſit. SIC RIDEANT.] ringantur, rideant labris diductis, & dentibus albis, non ex animo hilaritatem nudatis dentibus præ ſe ferant, intimis ſenſibus angantur. Mala inimicis optamus. Hoc igitur Demænetus inimicis optat, vt malum. Huc pertinet illud Horat. epiſt. 2. lib. 2. *Prætulerim ſcriptor delirus, inérſque videri, Dum mea delectent mala me, vel denique fallant, Quàm ſapere, & ringi.* & illud Plauti in Captiuis. *Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitari, Saltem, ſi non arriderent, denteis, vt diſtringerent.* Græci dicunt σεσηρέναι, & τοῖς χείλεσι γελᾶν. Sed plura hac de re à nobis dicta ſunt ad odam 27. lib. 3. QVIA ISTAST TECVM, &c.] ſic legendum, non vt vulgò, Quia iſthæc eſt tecum. EA RES ME MALE HABET.] ea res me angit, & mihi moleſta eſt. AT NON EÒ, QVIN TIBI, &c.] id eſt, at non ob id, quòd tibi non cupiã omnia ex animi ſententia euenire. ERGO SVNT, QVÆ EX OPT.] ergo ſunt tibi quæ exoptas : ergo habes, quæ exoptas. DEVINXTI] deuinxiſti. HILAREM DAS MIHI?] al. *hilarum.*

## ARTEMONA mulier, PARASITVS, DEMÆNETVS, ARGYRIPPVS, PHILENIVM meretrix.

AR. An tu meum virum hîc potare, obſecro, cum filio?
Et ad amicam detuliſſe argenti viginti minas?
Meóque filio ſciente id facere flagitium patrem?
PA. Néque diuini, neque mi humani poſthac quicquam accreduas
Artemona, ſi huius rei me eſſe mendacem inueneris.
ART. At ſceleſta ego præter alias meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè,
PA. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortales preci,
Madidum, nihili, incontinentem, atque oſorem vxoris ſuæ.
ART. Pol ni vera iſta eſſent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.
PA. Ego quoque hercle illum antehac hominem ſemper ſum frugi ratus.
Verùm hoc facto ſeſe oſtendit, qui quidem cum filio
Potet vnà, atque vnà amicam ductet decrepitus ſenex.
ART. Hoc ecaſtor eſt quòd ille it ad cœnam cotidie,

Ait ſeſe



Ait ſeſe ire ad Archidemum, Chæream, Chæreſtratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Dineam, Demoſthenem,
Is apud ſcortum corruptelæ, & liberis luſtris ſtudet.
PA. Quin tu illum iubes ancillas rapere ſublimem domum?
ART. Tace modò, næ illum mecaſtor miſerum habebo. PA. ego iſtuc ſcio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. ART. ego cenſeo
Eum etiam hominem aut in ſenatu dare operam, aut clientibus,
Ibi labore delaſſatum, noctem totam ſtertere,
Ille opere foris faciendo laſſus noctu aduenit.
Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.
Is etiam corruptus, porrò ſuum corrumpit filium.
PA. Sequere hac me modò, iam faxo ipſum hominem manifeſtò opprimas.
ART. Nihil ecaſtor eſt quod facere mauelim. PA. mane dum. ART. quid eſt?
PA. Poſſis, ſi fortè accubantem tuum virum conſpexeris,
Cum corona amplexum amicam ſi videas, cognoſcere?
ART. Poſſum ecaſtor. PAR. hem tibi hominem. ART. perij. PAR. paulliſper mane.
Aucupemus ex inſidiis clanculum quam rem gerant.
AR. Quid modi pater amplexandi facies? DE. fateor gnate mi.
AR. Quid fatere? DE. me ex amore huius corruptum eſſe oppidò.
PA. Audin' quid ait? ART. audio. DE. egon' vt non domo vxori meæ
Surripiam, in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci poſſim vita vxoris annua.
PA. Cenſen' tu illunc hodie primum ire aſſuetum eſſe in ganeum?
ART. Ille ecaſtor ſuppilabat me, quod ancillas meas
Suſpicabar, atque inſontis miſeras cruciabam. AR. pater
Iube dare vinum, iamdudum factum eſt, quum primùm bibi.
DE. Da puere ab ſummo. age tu interibi ab infimo da ſuauium.
ART. Perij miſera, vt oſculatur carnufex, capuli decus.
DE. Edepol animam ſuauiorem aliquanto quàm vxoris meæ.
PHI. Dic amabo, an fœtet anima vxoris tuæ? DE. nauteam,
Bibere malim, ſi neceſſum eſt, quàm illanc oſcularier.
ART. Miſer ecaſtor es. PA. mecaſtor dignus eſt. AR. quid ais pater?
ART. Ain' tandem? Edepol næ tu iſtuc cum magno malo tuo
Dixiſti in me, ſine venias modò domum, faxo vt ſcias,
Quid pericli ſit dotatæ vxori conuicium dicere,
AR. Ecquid matrem amas? DE. egóne? illam nunc amo, quia non adeſt.

AR. Quid qom adeſt? DE. periiſſe cupio. PA. amat homo te hic, A
vt prædicat.
ART. Næ ille ecaſtor fœneratò funditat,nam ſi domum
Redierit hodie, oſculando ego vlciſcar potiſſimum.
AR. Iace pater talos, vt porrò nos iaciamus. DE. maxumè.
Te Philenium mihi, atque vxori mortem. hoc Venerium eſt.
Pueri plaudite, & mihi ob iactum canthtaro mulſum date.
ART. Non queo durare. PA. ſi non didiciſti fullonicam,
Non eſt mirandum. in oculos inuadi nunc eſt optimum.
ART. Ego pol viuam, & tu iſthæc hodie cum tuo magno malo
Inuocauiſti. PA. ecquis currit pollinctorem arceſſere?
AR. Mater ſalue. ART. ſat ſalutiſt. PA. Mortuuſt Demænetus, B
Tempus eſt ſubducere hinc me pulcrè, hoc gliſcit prœlium.
Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta vt voluerit.
Atque interea vt diſcumbamus ſuadebo, hi dum litigant.
Poſt ea domum huc cras adducam ad lenam, vt viginti minas
Ei det, in parte, hac amanti vt liceat ei potirier.
Argyrippus exorari, ſpero, poterit, vt ſinat
Seſe alternas cum illo noctes hac frui.nam ni impetro,
Regem perdidi,ex amore tantum eſt homini incendium.
ART. Quid tibi huc receptio ad te eſt meũ virum? PH. pol me quidem
Miſeram odio enecauit. ART. age, ſurge amator, i domum.
DE. Nullus ſum. ART. Immò es,ne negato,omniũ pol nequiſſimus. C
At etiam cubat cucullus. ſurge amator, i domum.
DE. Væ mihi. ART. vera ariolare, ſurge amator, i domum.
DE. Abſcede ergo paululum iſtuc. ART. ſurge amator, i domum.
DE. Iam obſecro vxor. ART. nunc vxorem me eſſe meminiſti tuam?
Modò quom dicta in me ingerebas, odium, non vxor eram.
DE. Totus perij. ART. quid tandem, anima fœtétne vxoris tuæ?
DE. Murrham olet. ART. iam ſurripuiſti palam,quam ſcorto dares?
AR. Ecaſtor quin ſurrepturum pallam promiſit tibi.
ART. Non taces? AR. ego diſſuadebam mater. ART. bellum filium,
Iſtoſcine patrem æquum mores eſt liberis largirier? D
Nihílne te pudet? DE.pol ſi aliud nihil ſit, tui me vxor pudet.
ART. Cano capite te cucullum vxor ex luſtris domum rapit.
DE. Non licet manere ( cena coquitur,) dum cenem modò?
ART. Ecaſtor cenabis hodie, vt te dignum eſt, magnum malum.
DE. Malè cubandumſt, iudicatum me vxor adducit domum.
AR. Dicebam pater tibi, ne matri conſuleres malè.
PHI. De palla memento amabo. DE. iuben' hanc hinc abſcedere?
PHI. Immò intus potius ſequere hàc me mi anime. DE. ego ſequor.
ART. I domum. PHI. da ſuauium etiam prius quàm abeas. DE.
malam crucem.

AIN'



A AIN' TV, MEVM VIRVM HÎC P.] ſic ſuprà, *ain' tu, apud amicam?* Reſciuit hîc Artemonæ,paraſiti indicio virum ſuum cum filio ſcortari, & potare, &c. FACERE FLAGITIVM] facere rem turpem, & dedecoris plenam. ſic ſæpe alibi loquitur, vt in Caſ. *flagitium maximum feci miſer.* & in Bacchid. *Quam propter,tantum damni feci,& flagitij.* Terẽt. in Eunuch. *ah, flagitium facimus.* NEQVE DIVINI, NEQVE MI HVM.] id eſt, prorſus nihil mihi poſthac credideris,niſi me tibi verum dixiſſe compereris. ſuprà in Amphitr. *Nunquã ædepol tu mihi diuini quidquam credius poſt hunc diem, Ni ego,* &c. SCELESTA] ego ſceleſta. ego infelix, & ſcelerata. SICCVM,] ſobrium. ſiccus opponitur madido. FRVGI,] homo frugi, opponitur homini nihili,& nequã. AMANTEM VXORIS S.] φιλογύναιον. vel φιλογύνην. quanquã etiam hæc Græca nomina interdum aliud ſignificãt. MADIDVM,] βεβρεγμένον. ebrium potum,vuidum. madido opponitur ſiccus. Idem in Aulul. *Ego te hodie reddam madidum, ſi viuo, probè.* NIHILI] nullius pretij,cui opponitur homo frugi. OSOREM VXORIS SVÆ.] μισογύνην. profert hunc verſum Priſcianus lib. xj. SESE OSTENDIT,] ſeſe aperuit. DVCTET,] ductare amicam, ductare ſcortum vſitatè dici ſolet à Latinis. ſuprà, eadem comœd. *ſolus ſi ductem, referre gratiam nunquã potes.* ad quem locũ plura. DECREPITVS SENEX.] Capuli decus, ſilicerniũ, τυμβογέρων. decrepitus ſenex,& crudus ſenex inter ſe opponũtur: vt apud
B Græcos, κρόνοι, ἰαπετοὶ, τιθωνοὶ, σαπροὶ· βεκκεσέληνοι, προσέληνοι, τυμβογέροντες, παπλῆγες, σορέλληνες, ὠμογέρουσιν opponũtur. Nonius. decrepiti ſenes, inquit, in dubio vitæ ſtatu cõſtituti, id eſt, qui ita ætate cõfecti ſunt, vt dubiũ ſit, viuántne, an mortui ſint. Deinde hũc locũ profert. HOC ÆCASTOR EST, QVÒD ILLE IT AD C.] Hæc eſt profectò cauſa, quamobrẽ ille ad cenam eat quotidie. CORRVPTELÆ,] corruptionis enim actionem ſignificat vox *corruptela.* LIBERIS LVSTRIS] locis, in quibus liberè ſcortari licet. fornicibus, gáneis, lupanaribus. Nonius, *luſtra,* inquit, *etiam lupanaria dicũtur.* deinde hunc verſum profert. RAPERE SVBLIMEM] ita ſublatum rapere, vt pedibus terram non tangat, ſed portetur. Terent. Andr. *ſublimem hunc intro rape, quantum potes.* MISERVM HABEBO.] torquebo, macerabo, cruciabo. ſic in Caſina. *quot te modis, Si viuo, habebo in nuptiis miſerum meis?* EGO ISTVC SCIO ITA F. ILLI,] ego ſcio te illũ miſerum habituram, quamdiu quidem cum illo nupta eris. EGO CENSEO,] ego puto. IN SENATV] in curia. ἐν βουλευτηρίῳ. IBI,] in ſenatu, aut in negotio clientium, hoc eſt in foro. LABORE DELASSATVM,] legenda ſunt hæc coniunctim, *Ibi labore delaſſatum,* hac ſententia, ego puto, virum meum, delaſſatum labore ibi, id eſt defeſſum diurno labore, quem in ſenatu, & in foro cepit, ac pertulit, noctem totam in lecto communi in
C vtramque aurem dormire. vel ſic, ego arbitror, virum meum idcirco noctem totam domi ſtertere, quia diurno labore, quem in negotiis publicis, & amicorum, aut clientium procurandis ſuſceperit, delaſſatus ſit. ILLE OPERE FORIS FACIENDO &c.] At ille alienis mulieribus ſubigendis, atque exercendis defeſſus, noctu domum aduenit, ita vt non poſſit mihi operam dare. FVNDVM ALIENVM ARAT, &c.] Allegoria eſt. qua hoc ſignificat, fœminas alienas fodit, colit, ac ſubigit: ſuã incultam, atque intactam relinquit. vide quæ ſuprà hac de re ſcripſimus, ibi, *nam vxorem vſurariam Proinde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.* quibus adde Theognidis verſus, quos Simeo Boſius mihi pæne oblito, in memoriam redegit, quamquam Baptiſta Pius non præter miſit, homo alioqui nõ admodũ ſubtilis iudicij. Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα δὲ μάργον: Ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν. id eſt, (vt quidem vertimus) Fæmina mi eſt odio circumuaga, vírque proteruus, Cui dulce eſt alienum excoluiſſe ſolum. Quemadmodum hîc Plautus comparat eos, qui ſuas vxores relinquũt intactas, ſectantur, & amplexantur alienas, cum iis, qui ſuos agros negligunt, alienos arant: ita Soſtratus ille, tibicen, eos, qui fratribus omiſſis, alios amicos quærunt. Verba Græca adſcribam. Οἱ ἀδελφοὺς παρέντες καὶ ἄλλους φίλους, ζητοῦντες παραπλήσιοί εἰσι τοῖς τὴν ἑαυτῶν γῆν
D ἐῶσι, τὴν δὲ ἀλλοτρίαν γεωργοῦσι. FAMILIAREM DESERIT.] agrũ domeſticum, & ſuũ negligit, & relinquit incultũ. Familiarẽ oppoſuit alieno. PORRÒ] id eſt præterea, porrotenus. IAM FAXO IPSVM H. M. OPPR.] iam fecero, vt virũ tuũ in ipſo furto deprehendas. CVM CORONA,] hic erat ornatus potantiũ & potorũ ſuprà in Amph. *capiã ornatũ, qui potis decet.* POSSVM ÆCASTOR.] ſubintell. cognoſcere. malim legi *Poßim.* HEM TIBI H.] malim legi, *en tibi hominem.* AVCVPEMVS EX INSID.] excipiamus, vel captemus auribus ex occulto loco, quid agant. demus operam, vt videamus, audiamus, ſciamus denique, quid agant. tralatio eſt. Præterea *aucupemus* dictum, pro aucupemur, antiquè. Nonius. *aucupaui* actiuum, poſitum pro paſſiuo, ſeu deponenti potius. deinde profert hunc verſum ex Trucul. *Lepidè æcaſtor aucupaui, atque è mea ſententia.* & ex Menæchm *vt concedamus, ex inſidiis aucupa.* QVID MODI P. AMPLIVS F?] ex his verbis intelligimus, Demænetum hîc præter modum, & ſine intermiſſione Pheleniũ amplexari. CORRVPTVM] improbum, & nequam factum. deprauatum. OPPIDÒ] valde, admodum. lege Feſtum. ſuprà in Amphitr. *Oppido interij, obſecro hercle, quantus & quàm validus eſt?* EGON' VT NON DOMO VXORI M. &C.] egóne fieri ſinam, vt non ſurripiam domo vxori meæ pallam, quàm inter ſuas delicias habet, atque ad te deferam? vel ſic: egóne committam, vt non ſurripiam domo vx. m. pall. plurimùm delectatur, atque ad te deferam? *Palla,* inquit Nonius, *eſt honeſtæ mulieris veſtimentum.* Seruius ad illud virgil xj. Æneid.

m iiij

*pro longæ tegmine pallæ.* notat, *Palla propriè eſt muliebris veſtis, deducta vſq. ad veſtigia, vnde ait, longæ.* NON ÆDEP. C. &c.] A id eſt, ſi quis mihi mercedem promittat, vitam vxoris annuã, ea lege, ne pallam vxori meæ ſurripiam, & ad te deferam, nolim vel ſic, non meream vitam vxoris annuam, vt non ſurripiam pallam vxori meæ, &c. vel ſic, ſi quis mihi promittat, vxorem meam poſt annum exactum morituram, modò ne vxori meæ pallam ſurripiam, &c. quamuis hæc merces ampla ſit, & optata, tamen eam recuſem. vel ſic, & planius. ſi quis mihi ita dicat, Demænete, ſi pallam vxori tuæ non ſurripies, neque ad Philenium deferes, hanc tibi eius rei mercedem promitto, quòd vxor tua non plus anno victura eſt: conditionem non accipiam. Sic iterum Plautus loquitur in Caſ. *Tribus non conduci poſſum libertatibus, Quin ego illis hodie comparem magnum malum.* Solet autem Plautus viros facere ab vxoribus ſuis alienos, & earum mortem optanteis, vt in Aſin. *Non ædepol conduci poſſum vita vxoris annua.* Idem pluribus verbis in Trin. non longè à princip. Scæna, cuius principium eſt, Larem corona noſtrum. Sic Pomponius in Ariſta. *Noli, quæſo, iraſcere. more ſit, moriri ſuam quiſque vxorem, vt velit.* CENSEN' TV ILLVM, &c.] putáſne tu illum, &c. IRE ASSVETVM ESSE] ire aſſueuiſſe. IN GANEVM?] ganeum, inquit Feſtus, locum abditum, ac velut ſub terra dixerunt. Deinde profert locum illum Terentij ex Adelph. *Vbi ego illum quæram? credo abductum in ganeum Aliquò?* ad quem notat Donatus, *Veteres ganeum meretricum tabernam dixerũt* ἀπὸ τῆς γαίας, τοῦτ' ἐστι γῆς, *quòd ea ſint in terra, nõ vt cenacula, ſuprà.* SVPPILABAT ME,] B furtim compilabat me. QVÒD ANCILLAS M. SVSP.] quod ſuſpicabar ancillas meas facere. IAMDVDVM FACT. EST Q. PR.] Iampridem non bibi. DA PVERE AB SVMMO] da puer vinum, ſeu potum, initium faciens ab ſummo loco ad imum, vt omnes ſuo quiſque ordine bibant. Hoc referendum eſt ad morem antiquorum Romanorum, qui ita dicumbebant in lectis, vt alij eſſent ſummi, alij medij, alij imi. Idem in Stic. *Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere. Scis tu medeſſe imi ſubſellij virum.* ibi. paulo pòſt. *Ergo oratores populi, ſummates viri Summi accumbent. ego infimatis infimus.* TV] Philenium. INTERIBI] interea. Cato, in originibus apud A. Gell. lib. 3. cap. 7. *Conſul interibi dum ea pugna ſit, ſe in locos tutos, atque editos ſubducit.* Plautus in Captiuis. *Vos lauate interibi.* CAPVLI DECVS,] capuli ornamentum, id eſt, ſenex capularis: ſene Acheruntico τυμβογέρων Capulus, ſeu capulum à capiendo dictum, inquit Nonius, Nam ſarcophagum, id eſt, ſepulcrum veteres capulum dici voluerunt, quod corpora capiat. deinde profert hunc locum, *Perij miſera. vt oſculatur carnifex,* &c. Feſtus autem *Capulum,* inquit, *& manubrium gladij vocatur, & id, quo mortui efferuntur. vtrumque à capiendo dictum ſanè à capulo ſit capularis.* Significat igitur, huic ſeni magis conuenire capulum, id eſt, ſepulcrum, aut pheretrum, quàm luſtra, ſeu ganea. ÆDEPOL ANIMAM SVAV. AL.] ô animam, C id eſt, halitum, ſeu ſpiritum, ſeu flatum, ſuauiorem aliquam multo quàm vx. m. EM FOETET ANIMA VX. T.] an vxoris tuæ flatus malè olet? an vxoris tuæ anima fœtida eſt? Titinius Fullonibus ex Nonio. *Interea fœtida anima naſum oppugnat.* ibidem etiam hunc locum profert. NAVTEAM BIB. M.] nautea, vt docet Nonius, *eſt aqua de coriis, vel quod eſt verius, aqua de ſentina, dicta à nautis.* Plautus in Curcul. *Nam omnium vnguentûm odor, præ tuo nautea 'ſt.* deinde hunc quoque locum prôfert. Feſtus autẽ ait eſſe herbam granis nigris, qua coriarij vtuntur. à naue ductum nomen, quia nauſeam facit, permutatione ſ. in t. Idem Plautus in Caſina extr. verſu. *Ei ſupponetur hircus vnctus nautea.* MISER ÆCASTOR ES] id eſt, miſerum te habebo. vel miſer es, quia mihi pœnas meritas dabis ob iſta, quæ loqueris, & facis. ÆDEPOL NÆ TV ISTVC &c.] en quamobrem miſer ſit, aut futurus ſit Demænetus. SINE VENIAS M.] ſine, minantis eſt. Idem in Aulul. *Sine. at hercle cum magno malo tuo.* Idem in Bacchid. *Egomet tabellas detuli, vt vincirer? ſine.* FAXO VT SCIAS,] ſolet aliàs dicere, ſine particula, vt faxo ſcias: & faxo ſcies. DOTATÆ VXORI] non temerè dixit, *dotatæ.* nam dotatæ vxores volunt, & poſtulant viris imperare, nedum ſibi viros conuiciari æquo animo ferre queant. De dotatis vxoribus alibi dicetur. CONVICIVM DICERE] conuiciari, maledicere. *Conuicium,* inquit Feſtus, *à* D *vicis, in quibus prius habitatum eſt, videtur dictum, vel immutata littera, quaſi conuocium.* Vlpianus libro 47. digeſt. titulo x. capit. legis 15. *Conuicium autem,* inquit, *iniuriam eſſe Labeo ait. conuicium dicitur vel à concitatione, vel à conuentu, hoc eſt, à collatione vocum. Cùm enim in vnum complures voces conferuntur, conuicium appellatur, quaſi conuicium.* Idem eodem libro capite tertio ſic loquitur, vt hîc Plautus, his verbis. *Cùm enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat: conſequens erit dicere, hos (furioſum & impuberem) ſiue pulſent, ſiue conuicium dicant, iniuriam feciſſe non videri.* ECQVID MATREM AMAS?] nunquid matrem amas? AMAT HOMO TE HIC, VT PR.] hic homo, id eſt, Demænetus, te amat, vt palàm dicit. εἰρωνεία eſt. NÆ ILLE FOENERATÒ FVNDITAT,] id eſt, næ ille magno cum fœnore verba illa profundit. Proinde ac ſi dicat, mercedem, & fœnus ſoluet eorum, quæ in me nec rectè dicit. vel ſic: verba illa, quæ ille loquitur, & profundit, magno ei cõſtabunt. tralatio eſt ab iis, qui fœnori pecuniã accipiunt. Nam vt hi initiò cùm pecuniam acceperunt, gaudent ſibi nummorum copiam ſuppetere, & profundendi facultatem datam eſſe: poſteaquam autem nummos fœnori acceptos conſumſerunt, & iam fœnus ſoluendum eſt, moleſtia afficiuntur. Sic Demænetus nũc non ſine voluptate vxori conuiciatur, quam non audire putat, beatúſque ſibi videtur, quòd Philenium oſculetur: ſed cùm ab vxore opprimetur, & in tali flagitio deprehendetur, magnam præteritæ voluptatis mercedem



A mercedem ſoluere cogetur. Tale eſt illud apud Propert. lib. 1. eleg. 7. *Sæpe venit magno fænore tardus amor.* Nonius in verbo *fundere,* profert hunc locum: ſed videtur legiſſe, *fundit,* non *funditat.* niſi fortè legit *fundit hæc.* OSCVLANDO VLCISCAR POT. S.] quia animam meam fœtere, & ſe nauteam bibere malle, quàm me oſculari, dixit, ego de illo has potiſſimum pœnas ſumam, vt eum aſſiduè oſculer. VT PORRÒ NOS IACIAMVS.] id eſt vt deinde, & porrotenus nos iaciamus. TE PHILENIVM MIHI, ATQ. VX. M.] hoc vtrumque optat Demænetus talos iaciens, nempe Philenium ſibi, mortem vxori. Solebant autem amatores, talos iacientes, puellas, quas amabant, inuocare. vt in Capt. in princip. *Nam in conuiuio ſibi Amator talos cùm iacit, ſcortum inuocat.* HOC VENERIVM EST.] diximus ſuprà, Venerium iactum, felicem fuiſſe: canem verò, infelicem. Erat autem tum iactus Venerius, cùm quatuor tali iacti, diſſimiliter ceciderant, diſſimilíque ſitu conſtiterant: canis verò, cùm omnes eadem facie, eodémque ſitu cõſtiterant. Erant reliqui duo Baſilicus, ſeu Regius, id eſt, Hercules idem fortaſſe, qui ſenio, & vulturius, inter duos illos medij. ſed horum mediorum, vulturius deterior: cane, omnium quatuor, deterrimo, atque infeliciſſimo, melior ac felicior. Itaque infrà in Curcul. miles, qui iacit quatuor voltorius, vincitur: Curculio, qui iacit Herculem Baſilicũ, vincit. OB IACTVM] Venerium. CANTHARO] è cantharo. Cantharus poculi genus. Virg. Sileno,
B *Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.* MVLSVM] vinum melle conditum, οἰνόμελι. DVRARE] καρτερεῖν ſuprà in Amph. *Durare nequeo in ædibus.* SI NON DIDICISTI, FVLL. NON EST M.] iocus in verbo *durare.* Non eſt, inquit, mirandum, ſi nõ potes durare, ſiquidem non didiciſti artem fullonicam. quam qui didicerunt, propter conſuetudinem facilè ferre poſſunt odorem illum grauiſſimum, & tæterrimum, qui ex aqua fullonia exſiſtit. vel dic hoc modo. non eſt mirum te non poſſe durare, ſiquidem non didiciſti artem fullonicam: quam qui tenent, veſteis veteres ita interpolant, lauant, & poliunt, vt priſtinam faciem immutent, & propemodum nouas faciant. Vlpianus digeſtis tit. de furtis lib. 47. *Fullo,* inquit, *qui curanda, poliendáque veſtimenta accepit, ſemper agit.* videlicet in furem. Nonius in verbo *interpolare,* poſteaquam docuit, interpolare, eſſe nouam formam è vetere fingere, addit, *tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque quaſi in nouam ſpeciem mutant.* ex quibus verbis intelligere licet, fullones lauando, poliendo, interpolando facere, vt veſtes, alioqui veteres, diu durent. hinc iocus Plautinus. proinde ac ſi ita dicat, non eſt mirum, te non poſſe durare, quia fullonicam artem ignorans, te non interpolas. quod ſi faceres, diu durare poſſes. IN OCVLOS MV. NVNC EST OPT.] nunc eſt opportuniſſimum, impetum abs te fieri in Demænetum, neque id à tergo, ſed à fronte. quod
C longè illo horribilius, & tumultuoſius eſt. EGO POL VIVAM, &c.] hoc Artemona dicit propter illa tria, quæ ſuprà à Demæneto dicta ſunt, quorum primum eſt illud, *Non ædepol conduci poſſum vita vxoris annua.* ſecundum, *periiſſe cupio.* tertium, *Te Philenium mihi, atque vxori mortem.* ISTHÆC] Phileniũ: ibi, & mihi vxori tuæ mortem. ECQVIS CVRRIT POLLINCT. ARC.?] ſignificat Demænetum, viſa vxore, & eius minis auditis, metu eſſe exanimatum, & pæne mortuum, ita vt arceſſendus ſit pollinctor, qui eum ſepeliendum curet. Tale eſt illud Terentij in Phorm. *Exequias Chremeti, quibus eſt commodũ ire iam tempus eſt.* Pollinctores, inquit Nonius, ſunt qui mortuos curant. Deinde hunc locum profert. Varro Coſmotoryne, *Propter cunam capulum poſitum nutrix tradit pollinctori.* Arnobius lib. 3. aduerſ. genteis. *Vnus fuit è nobis, qui redire in corpora iamdudum animas præcipiebat efflatas? prodire ab aggerib. conditos? & poſt diem funeris tertium pollinctorum velaminibus expediri?* Iterum Plautus in Prologo Pœnuli, *Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Auctor vocabularij Latinogræci, quod mihi vtendum dedit Cl. Puteanus, *pollinctorem* interpretatur, νεκροφόρον, νεκροκόμον. Vlpianus lib. digeſt. 14. tit de inſtit. act. *Idem* (Labeo) *ait: ſi libitinarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, ſeruum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliauerit: dandum in eum quaſi inſtitoriam actionem, quamuis & furti, & iniuriarum actio competeret.* Dicti autem ſunt
D pollinctores à verbo pollincere: quod eſt mortuum, ſeu cadauer curare. Aliúdque eſt pollucere, aliud pollincere. Nam pollucere quidem, eſt Herculi ſacrificium facere: ex quo pollucibilis cena, pro opipara: & pollucibiliter pro opiparè. Pollincere verò, id quod diximus. ARCESSERE.] dictum Græcorum more, *currit arceſſere,* pro currit ad arceſſendum, ſeu currit, vt arceſſat. Iam *arceſſere* ſcribendum, non, vt vulgò, *accerſere.* SVBDVCERE HINC ME] hinc me furtim auferre. PVLCHRÈ] Terent. Phorm. immò verò pulchrè diſcedo, & probè, Et præter ſpem. GLISCIT] creſcit. Lucret. lib. 3. *Clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.* VT DECVMBAMVS, S.] al. vt diſcumbamus, ſuadebo. HI DVM LIT.] interea dum Demæn. & Artem. Philenium, inter ſe litigant. DOMVM HVC CR. ADD. AD LEN.] domum, huc, ad lenam, idem valent: ſed tamen ſingula aliquid ponderis habent. ADDVCAM] diabolum. EI] lenæ. IN PARTEM] ἐν μέρει legendum autem, *in partem,* non vt vulgò *in parte,* HAC] Philenio. AMANTI] Diabolo. ALTERNAS C. I. N.] *alternas nocteis,* id eſt, communiter cum illo Philenio frui, ita vt cùm Argyrippus noctem vnam Philenio fructus fuerit, Diabolus noctem proximam fruatur. Virgil. lib. 6. Æneid. *Si fratrem pollux alterna morte redemit.* REGEM] potentiorem amicum, qui me alit. Horat. epiſt. 7. lib. 1. *Sæpe verecundum laudaſti, réxque patérque Audiſti coràm, nec verbo parcius abſens.* PERDIDI] amiſi. EX AM. TANT. EST H. INC.] declamatio. ita, inquit, amore Philenij homo incenſus

eſt. QVID T. H. RECEPTIO EST, &c.]id eſt,quamobrem virum meum huc ad te recipis? *receptio* verbale more ſuo cùm accuſandi caſu iunxit. Sic ſuprà. *Quid tibi hanc curatio 'ſt rem?* POL ME Q. M. ODIO ENECAVIT] Pol mihi quidem ita moleſtus fuit, vt me propemodum enecarit. *odio*,id eſt, ſuis moleſtis, & odioſis dictis,ac factis. vel ſic. Pol mihi quidem fuit odioſiſſimus,ac moleſtiſſimus. NVLLVS SVM] perij funditus. AT ETIAM CVBAT CVCVLL.]At adhuc in lecto cubat,neque ſurgere properat cucullus.Cucullus auis eſt, quæ in nido alieno parit, auctor Ariſtotel.lib.6.de nat.anim. cap.7. hoc nomine autem hîc cucullus appellatur Demænetus,quòd ſpreta vxore, alias mulieres conſectetur. alia ratione vinitor,aut cultor agri,cucullus à viatore appellatur apud Horat.Sat.7.lib.1.ad quem locum, ſi tibi commodum eſt,lege quæ notauimus. VÆ MIHI.] ô me infelicem. VERA ARIOLARE.] vera diuinas,qui te infelicem prædicas. Nam ego te,dum viues, miſerum reddam, miſeríſque modis tractabo. QVOM DICTA IN ME INGER.] cùm mihi maledicebas. Terent.Andr. *Ingeram mala multa.* MVRRHAM OLET] Lucret.lib.2.*Et contemtus odor myrrhæ,melliſque ſapores*.Propert.lib.3. *Et crocino nareis myrrheus vngat onyx*. Nonnulli libri habent, *Smyrnam olet*,non placet. PROMISIT,) promiſit, id eſt, minatus eſt, ſeu palàm dixit. pronomen *tibi* cohæret cum particip.ſurrepturum. NON TACES?] vetat ea loqui,quæ loquatur, Argyrippum filium pater. Sic Chremes in Phormione, *Non taces?* actu.5. ſcena vltima,& ea,quæ vltimam antecedit. EGO DISSVAD. M.] ego autem, mater diſſuadebam patri, ne tibi pallam ſurriperet. ISTOSCINE PATREM ÆQVVM, &c.] plena locutio,Nam licebat ita loqui,& ſolent ſæpius ita loqui boni ſcriptores,Iſtoſcine patrem mores liberis largirier? vt ſubintell. *æquum eſt? oportet?*aut aliquid tale. LARGIRIER?] largè ſuppeditare? Hic pater eo grauius peccat,quòd non ſolùm ipſe ſuo facto culpam contrahit, & flagitiũ facit, ſed etiam exemplum nequitiæ filio præbet: quem debebat laudabilibus ac præclaris artibus erudire,& bonis moribus, ac virtutibus ornare. CANO CAPITE TE] te ſenem. Tibul. lib.1. eleg.1. *nec amare decebit,dicere nec cano delicias capite* al.*capiti*. CVCVLLVM] nido tuo relicto, alienos ſectantem,& in alienis cubantem. (CENA COQVITVR)] hoc totum legendum eſt κατὰ παρένθεσιν. DVM CENEM MODÒ?] vſque eo modò dum cenem? vel tantiſper modò dum cenem? CENABIS, VT TE D. E. M. M.] cenabis magnum malum.verbum cenandi iunxit cum accuſ.ſic Horat. Sat.2.lib.2. *Nos,inquam,cenamus aueis*. & epiſt.2. lib. 2. *Emtum cenat olus*. Hoc igitur ſignificat,non cenabis:aut,ſi cenabis,nihil cenabis,quod tibi ſuaue,aut iucundum futurum ſit. Nam tibi pro cibo, & vino ingerentur, à me mala multa, vt meritus es. IVDICATVM] damnatum. ſic lib.2.de Orat. *videtur eſſe miſericors ille, qui iudicatum duci videns, percunctatur ita, Quanti addictus?* &c.contra lib.1. accuſ.iudicari, vt docet Aſconius, poſitum pro abſolui..ibi. *anteà vel iudicari primò poterat, vel amplius pronunciari.* Sed puto falli Aſconium.nam *iudicari*,ibi ſignificat,damnari,aut abſolui.hoc loco igitur *iudicatum* valet,damnatum, manifeſtò deprehenſum,& conuictum. NE MATRI CONSVLERES MALÈ.] id eſt, ne matri iniuriam faceres. DE PALLA MEMENTO, AMABO] Nunc deludit,& deridet ſenem meretrix Philenium. MALAM CRVCEM] repete ἀπὸ κοινοῦ, tibi dabo.vel malam crucem dictum intellige,pro,*in malam crucem*:vt ſubintelligatur.i.Ego illud malo.

## GREX.

HIc ſenex ſi quid clam vxorem ſuo animo fecit volup,
Neque nouum, neque mirũ fecit, nec ſecus quàm alij ſolent.
Nec quiſquam eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin vbi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene.
Nunc ſi voltis deprecari huic ſeni ne vapulet,
Remur impetrari poſſe, ſi plauſum clarum datis.

CLAM VXOREM.] clam vxore. *SVO* ANIMO FECIT VOLVP,] fecit, quod ſuo animo iucundum eſſet.Nonius hunc locum profert,& *volup*, interpretatur,*voluptatem*, vt hoc totum,*ſi quid clam vxorem ſuo animo f.v.* videatur de eius ſententia ſic explicandum, ſi quid clam vxore ſua fecit,quod animo ſuo voluptati eſſet:& vt hæc verba *ſi quid volup*,idem valeant, quod ſi quid voluptatis TAM INGENIO DVRO] ingenio tam triſti, ſeuero, & à voluptatib.alieno.Cicero in Bruto,*vt vita,ſic oratione durus,incultus,horridus*.Idem pro domo ſua, *eámq. animi duritiam,ſicut corporis, quòd, cùm vritur,non ſentit ſtuporem potius, quàm virtutem putarem.* Horat. epiſt. 7. lib.1.*durus, ait, Vultei nimis attentúſque viderìs Eſſe mihi.* SIBI FACIAT BENE.] ſuo animo obſequatur: viuat hilariter & iucundè, ſuæ libidini indulgeat. notauimus hoc loquendi genus in commentariis Horatianis. HVIC SENI,] pro hoc ſene. NE VAPVLET,]ne verberetur ab vxore.





# AVLVLARIA.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| LAR | Prologus. |
| EVCLIO | Senex. |
| STAPHYLA | Anus. |
| EVNOMIA | Mulier. |
| MEGADORVS | Senex. |
| STROBILVS | Geminus ſeruus. |
| ANTHRAX | Coquus. |
| CONGRIO | Coquus. |
| PYTHODICVS | Seruos. |
| LYCONIDES | Adoleſcens. |
| PHÆDRA | Puella. |

## ARGVMENTVM.

SEnex auarus vix ſibi credens Euclio,
Domi ſuæ defoſſam multis cum opibus,
Aulam inuenit, rurſúmque penitus conditam
Exſanguis, amens, ſeruat. eius filiam
Lyconides vitiarat. interea ſenex
Megadorus à ſorore ſuaſus ducere
Vxorem, auari gnatam depoſcit ſibi.
Durus ſenex vix promittit, atque aulæ timens,
Domo ſublatam variis abſtrudit locis.
Inſidias ſeruos facit huius Lyconidis,
Qui virginem vitiarat, atque ipſe obſecrat
Auunculum Megadorum ſibimet cedere
Vxorem amanti. per dolum mox Euclio
Quum perdidiſſet aulam, inſperatò inuenit,
Lætúſque natam collocat Lyconidi.

VIx sibi credens] ſibi diffidens. Defossam] in terra; ſeu in foſſa conditam. deorſum, & in loco foſſo poſitam: in terra abditam, defoſſam autem à patre ſuo. Mvltis cvm opibvs] multo cum auro: ſeu multi auri plenam. Avlam] ollam. antiquè dictum. Nonius, aula, inquit, vel ola, *quam nos ollam dicimus, capaciſſimum vas.* deinde hunc profert verſum ex Amphitruon. qui hodie non reperitur, *Iure infringatur aula cineris in caput.* Penitvs conditam,] intro, & ſub terra valdè altè abditam. Exsangvis] ob metũ amittendi, & curam ſeruandi. Svasvs dvcere,] ſuaſus participium paſſ. à verbo *ſuadeor.* Avari gnatam] Euclionis filiam. Deposcit] valde poſcit, vxorem ſubintell. poſcere vxorem autem propriè & vſitatè dicunt Latini, procorum enim eſt poſcere. proci autem à procando, id eſt, poſcẽdo dicti. Dvrvs] inhumanus, ferreus, ab omni liberali voluptate abhorrẽs. Abstrvdit] abſcõdit. Servos] Strobilus Lyconidis, qui Euclionis filiam vitiarat, ſeruus. Ipse] Lyconides. Per dolvm] ſerui Strobili. Collocat] in matrimonium. A

## ARGVMENTVM ALIVD.

B

AVlam repertam auri plenam domi Euclio,
Vi ſumma ſeruat, miſeris affectus modis.
Lyconides iſtius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere.
Lubénſque vt faciat, dat coquos cum obſonio.
Auro formidat Euclio, abſtrudit foris.
Réque omni inſpecta, compreſſoris ſeruolus
Id ſurpit, illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, vxore, & filio.

VI svmma] ſummo ſtudio. Lvbénsqve vt f.] vt Euclio lubenter filiam ſuam vxorem deſpondeat Megadoro. Avro formidat] auro timet. Compressoris] Lyconidæ, qui Euclionis filiam compreſſerat. Id svrpit.] aurum ſurripit. Illic] ille, filiæ Euclionis compreſſor, Lyconides. Ab eo] Euclione. Donatvr] Lyconides. et filio] cuius ipſe Lyconides pater erat: & quem Euclionis filia ab ipſo compreſſa pepererat. C

## LAR familiaris, PROLOGVS.

NE quis miretur qui ſim, paucis eloquar.
Ego Lar ſum familiaris, ex hac familia,
Vnde exeuntem me aſpexiſtis. hanc domum
Iam multos annos eſt cum poſſideo, & colo D
Patrique, auóque iam huius, qui nunc hîc habet:
Sed mihi auus huius obſecrans concredidit
Auri theſaurum clam omneis, in medio foco
Defodit, venerans me, vt id ſeruarem ſibi.
Is quoniam moritur, (ita auido ingenio fuit,)
Nunquam indicare id filio voluit ſuo:
Inopémque optauit potius eum relinquere,
Quàm eum theſaurum commonſtraret filio.
Agri reliquit eij non magnum modum,
Quo cum labore magno, & miſerè viueret.
Vbi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,

Cœpi



A Cœpi obſeruare, ecquid maiorem filius
Mihi honorem haberet, quàm eius habuiſſet pater.
Atque ille vero minus, minúſque impendio
Curare, minúſque me impertire honoribus.
Item à me contrà factum eſt. nam item obiit diem.
Is ex ſe hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, vt pater auúſque huius fuit.
Huic filia vna eſt: ea mihi cotidie
Aut ture, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat,
Dat mihi coronas, eius honoris gratia
Feci, theſaurum vt hic reperiret Euclio,
B Quo eam facilius nuptum, ſi vellet, daret;
Nam compreſſit eam de ſummo adoleſcens loco,
Is ſcit adoleſcens quæ ſit, quam compreſſerit.
Illa illum neſcit, neque compreſſam autem pater.
Eam ego hodie faciam, vt hic ſenex de proximo
Sibi vxorem poſcat. id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compreſſerat.
Et hic, qui poſcet eam ſibi vxorem ſenex,
Is adoleſcentis illius eſt auunculus:
Qui illam ſtuprauit noctu Cereris vigiliis.
Sed hic ſenex, iam clamat intus vt ſolet,
C Anum foras extrudit, ne ſit conſcia.
Credo, aurum inſpicere volt, ne ſurreptum ſiet.

NE qvis miretvr, &c.] Donatus ad illud Terentij, in Andr. ſcena 5. actus 4. *miror vnde ſit*, notat: Veteres miror cum vnde pro neſcio ponebant. Nam admiratio ab ignorantia proficiſcitur. Plautus. *Ne quis miretur, qui ſim,* &c.] Qvi sim,] quis ſim. Ego lar svm fam.] Apuleius de deo Socr. *Lar,* inquit, *dicitur familiaris, qui ex Lemuribus poſterorum ſuorum curam ſortitus, pacato, & quieto numine domum poſſidet.* Arnob. lib. 3. aduerſus gentcis. *Poſſumus, ſi videtur, ſummatim aliquid & de laribus dicere: quos arbitratur vulgus, vicorum, atque itinerum deos eſſe, ex eo, quòd Græci vicos cognominant* λαύρας, *In diuerſis Nigidius ſcriptis modò tectorum, domuúmque cuſtodes, modo Curetas illos, qui occultaſſe perhibẽtur Iouis æribus aliquando vagitum, indigetes Samothracios; quos quinque iudicant Græci Idæos dactylos nuncupari. Varro ſimiliter hæſitans, nunc eſſe illos maneis & ideò Maniam matrem cognominatam eſſe Larum: nunc aërios rurſus deos, & heroas pronuntiat appellari.* nunc antiquorum D ſententias ſequẽs Laruas eſſe dicit Lares, quaſi quoſdam Genios defunctorum animis mortuorum. Idem lib. 1. Lares grunduleis eſſe appellatos indicat. Lege, ſi tibi commodum eſt, quæ de Laribus diximus in comment. Horat. ibi, *immolet æquis Hic porcum Laribus.* Sat. 3. lib. 2. & præterea alibi. Nonnulli, in his Ouidius, Lares à quadam Nympha nomine Lara, tradunt eſſe appellatos, atque adeò natos, à Mercurio compreſſa. Auctor vocabularij latinogræci, *Lares,* inquit, θεοὶ κατοικίδιοι. In hac comœd. autem deus adhibetur, quia quæ hîc à Lare dicuntur, non niſi à deo ſciri poterãt. Quod cùm accidit, auctore Ariſtotele, licet deum maximè in tragœdia, adhibere, ſed interdum etiam in comœdia. Horat. in epiſt. ad Piſones. *Nec Deus interſit, niſi nodus vindice dignus Inciderit.* Hanc domvm iam mvltos annos est cùm poss.] mirum, & ferè inuſitatum loquendi genus. Nam videbatur Plautus ita potius dicere debuiſſe *hanc domũ Iam multi anni ſunt, quum poſſideo, & colo,* vel ſic, *hanc domum Iam diu factum'ſt, quom poſſideo & colo.* In quarum lectionum vtraque ſi *iam* diſyllabum facias, conſtabit ſua carmini ratio. Licebat & hoc modo, *hanc domum Iam multos annos ego poſſideo, & colo.* in qua etiam ſcriptura *iam* diſſylabos erit pronuntiandum: cenſeo tamen, nihil mutandum contra omnium librorum auctoritatem, & receptam ſcripturã ſic defendi poſſe, vt dicamus, Plautum duas loquendi formas diuerſas confudiſſe, & permiſcuiſſe, vt, cùm dixit in Amphitr. *fecit me vt vigilarem.* Nam in ea locutione, duæ quodammodo inſunt per confuſionem, & mixturam quandam, nempe hæ, *fecit me vigilare:* & *fecit vt ego vigilarẽ.* tale eſt illud apud Cic. epiſt. ad Q. Fr. lib. 2. *hæc me vt confidam,*

n

*faciunt*. Nam hîc quoque hæ duæ locutiones poteſtate quadam inſunt, *hæc me faciunt confidere:* A &, *hæc faciunt, vt ego confidam*. Idem de ſimilibus ſentiendum. Sic igitur & hoc loco videtur duas loquendi formulas confudiſſe Plautus, vnam, Iam multi anni ſunt, cùm ego hanc domum poſſideo, & colo, &c. alteram, Iam multos annos ego hanc domum poſſideo, & colo. Hæc igitur mea eſt de hoc loco ſententia. Sed Simeo Boſius, putat legendum eſſe, *Iam multus annus eſt, quom*, &c. vel *multos annos* ſcriptum eſſe pro *multus annus: multus annus eſt*, autem dictum eſſe à Plauto, pro multi anni ſunt. de qua coniectura iudicent eruditi. Ego interea hoc aſſeuerabo, *multos annos* pro *multus annus*, ſcribi nullo modo poſſe: *multus annus eſt*, pro *multi anni ſunt*, Latinè fortaſſe à poëta dici poſſe. Poſtremo admonendus eſt lector, Nonium hunc locum proferre in voce colo, viderique legiſſe, *vt poſſideo, & colo*, non, vt habent omnes libri, & manuſcr. quos vidi, & impreſſi, *cùm poſſ. & colo*. PATRÍQVE, AVÓQVE IAM HVIVS, &c.] Hæc eſt antiqua ſcriptura, quam & Camerarius ſecutus eſt, & nos in noſtris veteribus libris repertam, integram retinendam putauimus. quæ ſi recta eſt, vt fortaſſis eſt, poſt verbum *colo* nulla debet interpunctionis, aut diſtinctionis nota locari: vt hæc ſit verborum ſententia. Multi iam anni ſunt, cùm hanc domum, huius, (Euclionis) qui hîc habitat, patri & auo poſſideo, & colo: id eſt, cùm hanc domum poſſideo, & colo pro patre & auo Euclionis, qui hîc habitat: vel in vſum patris & aui Euclionis, qui hîc habitat. Omnino videtur mihi hæc ſcriptura aliter explicari non poſſe. B Quare vtrum ſit recta, nécne, quærendum eſt. non enim ſemper fortaſſe librorum veterum auctoritas ſequenda eſt, neque ſemper libri veteres incorrupti, aut integri ſunt: ſed interdum deprauati, & contaminati. Primum igitur libri omnes vulgati Veneti, Florentini, Pariſienſes, Lugdunenſes, habent, partim. *Patrique auóque amicus huius*, &c. partim, *Patri, auóque amicus huius*, &c. quarum alteram, illam dico, *patrique auóque am. h.* verſus reſpuit: alteram recipit. ſententia verò ferre non poteſt: nam ex iis, quę ſequuntur intelligere licet, Larem non fuiſſe amicum Euclionis neque auo, neque patri. nemo enim amicus eſt eis, à quibus ſe læſum eſſe queritur, aut à quibus ſibi honorem habitum eſſe negat. quod vtrumque fit à Lare, ibi, *Cæpi obſeruare, ecquid maiorem filius Mihi honorem haberet, quàm eius habuiſſet pater*: &c. Itaque vulgata lectio ferri nullo modo poteſt. Quòd ſi & antiqua ſcriptura, ſuſpecta eſt, & vulgata non ferenda, quò nos vertemus? Omnino ad antiquam redeundum eſt, vt minus cõtaminatam, & ex ea, vera lectio, ſi fieri poteſt, elicienda. Ea igitur ſic habet, vt & diximus, & edidimus: neque multò ſecus legitur apud Nonium, qui hunc verſum profert in verbo *habet*. ſic autem legitur. *Patri, auóue huius, qui nũc hîc habet*. quæ ſcriptura eo diſcrepat ab ea, quam ſecuti ſumus, quòd habet *auóue*, pro *auóque*: & quod non habet particulam *iam*: quæ eſt in antiquis codicibus, à vulgata autem ſimiliter, atque noſtra editio, eo diſſentit, quòd non habet vocem *amicus*. Suſpicor igitur, & ex Nonio, & ex antiqua ſcriptura, &, C quod caput eſt, ex ſententia, vocem aliquã deeſſe, per quam ſignificet Lar, ſe alieno animo eſſe, & fuiſſe ab auo, & patre Euclionis, quòd ſibi honorem non habuerint. quam vocem? dicet aliquis. non poſſum diuinare. ſed ſi quis me vrgeat, & à me odioſè flagitet, vt, quo modo legendum putem, & promam: ſic eo defungar. Puto legendum, vel hoc modo. *Patri, auóque inimicus huius, qui nunc hîc habet*. vel hoc, *Patri, auóque infenſus huius*, &c. vel hoc *Patri, auóque offenſus huius*, &c. HABET.] id eſt, habitat. ſic Nonius in verbo *habere*. vbi etiam hunc verſum profert, vt diximus. CONCREDIDIT] meæ fidei cõmiſit, mihi credidit. CLAM OMNEIS] clam omnibus. IN MEDIO FOCO DEF.] in foco, qui medius erat totius domus locus, & Laris ipſius ſedes, vt & Veſtæ, quã ἑςίαν appellãt Græci: quo in loco, accẽdebatur, & ſeruabatur ignis: vel dic, in medio foco, in media parte foci. *defodit* autem, id eſt, penitus abdidit. VENERANS ME] orans me. Horat. Sat. 2. lib. 2. *Et venerata Ceres, vt culmo ſurgeret alto*. vbi *venerata* interpretamur, orata: & rectè. Sic Plaut. in Rud. *Venus veneror te, vt omnes miſeri lenones ſient*. Idem Trinum. *Larem corona noſtrum decorari volo. vxor venerare, vt nobis hæc habitatio, bona, fauſta, felix, fortunatáque eueniat*. Plura exempla collegimus ad illum locum Horatij, ſi quis plura deſiderabit. VT EVM D SERVAR.] vt auri theſaurum ſeruarem ſibi. ſic autem legendum, non vt habent omnes ferè libri, vt id ſer. ſibi, nam hanc lectionem carminis ratio ferre non poteſt. Theſaurum auri autem, id eſt, interpretor, aurum in terra conditum, & defoſſum. IS QVONIAM MORI.] id eſt, poſtquam is moritur, &c. ſic Donatus in prolog. Adelph. ſtatim à princip. ibi. Poſtquàm poëta ſenſit ſcript. *poſtquam*, inquit, pro *quoniam*. *cuius reciprocum quoniam, pro poſtquam*. Quòd niſi obſtaret Donati auctoritas, legendum putarem, *Is quom iam moritur*, &c. deinde profert hunc verſum, *Is quoniam moritur*, &c. (ITA AVIDO ING. F.)] hæc ſunt legenda per interpoſitionem. *auido* autem, id eſt, auaro. OPTAVIT POTIVS] maluit. προείλετο. COMMONSTRARE] ſic legendum, & ita habent ferè omnes noſtri libri veteres. Nam vulgati habent *commonſtraret*, quod minus probo: quamuis non negem vnum, atque alterum librum manuſcr. ſic habere: & aliquo pacto poſſit ea lectio defendi, & ſic explicari: *quàm commonſtraret*: id eſt, quàm vt commonſtraret. Omnino commonſtrare mihi magis placet. CREDIDIT,] commiſit, vel ſeruandum commendauit, vt interpretatur Nonius, hoc loco prolato. profert eundem in verbo *obſeruare*, ibíque errat. NON MAGNVM MODVM] non magnum agri ſpatium. Sic Horat. Sat. 6. lib. 2. *Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus*, &c. Lucret. lib. 2. in extr. *Cùm modus eſſet agri multo minor antè viritim*, &c. Exſtat titulus in Pandectis, lib. xj. *Si menſor*



A *menſor falſum modum dixerit*. Vbi modus, menſuram ſignificat. CÙM LABORE MAGNO, ET MIS.] ταλαιπωρῶν, καὶ κακοπαθῶν. laborioſè, & ærumnoſè. ECQVID] numquid. MAIOREM FILIVS MIHI HONOREM HAB.] profert hunc locum Nonius, in voce *honos*, & interpretatur hîc honorem, ſacrificium. MINVS, MINÚSQVE IMPENDIO] minus, minúſque multo. Sic Nonius, quamquam in libris vulgatis mendoſè impreſſum eſt, *impendio pro magis*, nam legendum *impendio pro multo*. Deinde profert hunc locum. CVRARE,] curabat. IMPERTIRE] impertiebat. ITEM à ME CONTRÀ F.] ſimiliter contrà à me factum eſt, id eſt, ſimiliter ei à me relata gratia eſt. NAM ITEM] nam ſimiliter. PARITER MORATVM, VT P.] ſimilibus moribus, atque pater, auúſque eius fuit, præditum: hoc eſt, auidum, atque auarum. AVT TVRE, AVT VINO, &c.] Neque Genio, neque Laribus quicquam animatum immolabatur: Genio, quia deo rerum genendarum, id eſt, gignendarum, nefas eſſe putabant veteres, quidquam, cui vitam ademiſſent, immolare, & quo die lucem intueri, & animam ducere cœpiſſent, eo die, (eo autem die Genio ſacrificabant) aliquod animal anima priuare Laribus: vel quia eoſdem deos eſſe, Lares, & Genios, exiſtimabant: vel quia ſi diſſimiles erant, Lares, vitæ patrisfamiliâs, & matrisfamiliâs, & familiarium cuſtodes habebantur: diis autem vitæ cuſtodibus ſacrificanteis, B manus ſuas ſanguine cruentare, & animali vitam adimere, nefas arbitrabantur. Laribus autem ſupplicare ſolebant Kalendis, Idibus, Nonis, cùm Feſtus dies erat. Cato de re ruſtica, cap. 143. *villica focum purum, circumuerſum quotidie priuſquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cùm erit, coronam in focum indat: per eóſque dies Lari familiari pro copia ſupplicet*. Perſius Sat. 2. *Fundemerum Genio*. AVT ALIQVI] id eſt, aut aliquo, ſeu aliqua re. DAT MIHI CORONAS] vel meo capiti coronas imponit: vel, vt vult Cato, coronas in focum indit. NVPTVM, SI VELL. D.] nuptum daret, id eſt, in matrimonio collocaret. Terent. Andr. *Datúrne illa hodie Pamphilo nuptum?* Idem Hecyra. *Perij, vnde cenſes, niſi ex illo, cui data'ſt nuptum? obſecro*. DE SVMMO ADOL.] adoleſcens ſummo loco natus. IS SCIT. ADOL. Q. SIT, Q. COMP.] ordo eſt, Is adoleſcens ſcit, quæ ſit ea puella, quam compreſſerit. ILLA ILLVM NESCIT] Illa puella illum ignorat, id eſt, illum non nouit. NEQ. COMPR. AVTEM P.] neque autem ſcit pater eam eſſe compreſſam. SENEX] Megadorus. SENEX DE PROXIMO] ſenex proximus vicinus: ſenex de proxima vicinia. DVCAT] vxorem. QVI COMPRESSERAT] qui eam vitiarat, nempe Lyconides. SENEX] Megadorus. IS] ſenex, Megadorus. QVI] illius adoleſcentis, qui eam ſtupr. &c. CERERIS VIGILIIS] ſacris no- C cturnis. Hoc ſpectans Cicero lib. 2. de legibus, ſcripſit, *Quid autem mihi diſpliceat in ſacris nocturnis, poëtæ indicant comici*. ſignificat enim Cicero, ſacra nocturna, & peruigilationes nocturnas maximam, & latiſſimam ad ſtupra patefacere feneſtram, & apud poëtas comicos multarum comœdiarum argumenta eſſe, virgines Cereris vigiliis ſtupratas. FORAS EXTRVDIT,] animaduertat lector ſcriptum eſſe, *foras extrudit*, non *foras excludit*: quæ animaduerſio erit ei ad alios locos ſimileis inquinatos emendandos perutilis.

## Senex EVCLIO. STAPHYLA anus.

EV. EXI, inquam, age exi. exeundum hercle tibi hinc eſt foràs.
Circunſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
D ST. Nam cur me miſeram verberas? EV. vt miſera ſis,
Atque vt te dignam mala malam ætatem exigas.
ST. Nam me qua nunc cauſſa extruſiſti ex ædibus?
EV. Tibi ego rationem reddam ſtimulorum ſeges?
Illuc regredere ab oſtio. illuc ſis vide, vt
Incedit. at ſcin' quo modo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.
ST. Vtinam me diui adaxint ad ſuſpendium
Potius quidem quàm hoc pacto apud te ſeruiam.
EV. At vt ſceleſta ſola ſecum murmurat?
Oculos hercle ego iſtos improba effodiam tibi,

Ne me obſeruare poſſis, quid rerum geram. A
Abſcede etiam nunc, etiam nunc, etiam ohe nunc.
Iſtic adeſto, ſi hercle tu ex iſto loco
Digitum tranſuerſum, aut vnguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis donicum ego te iuſſero,
Continuò hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certè ſcio
Vidiſſe nunquam, nimíſque ego hanc metuo malè,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit,
Neu perſentiſcat, aurum vbi eſt abſconditum.
Quæ in occipitio quoque habet oculos peſſima.
Nunc ibo vt viſam, sítne ita aurum vt condidi, B
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
STA. Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Malæ rei eueniſſe quámve inſaniam,
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die vno ſæpe extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Peruigilat noctes totas, tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Neque iam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminiſci. neque quicquam melius eſt mihi, C
Vt opinor, quàm ex me vt vnam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

EXI INQVAM] Inducitur ſenex Euclio, inſignitè miſer, dum eum auri & cuſtodiendi cura aſſiduè ſollicitat, & amittendi metus quotidie macerat. CIRCVMSPECTATRIX.] quæ perpetuò in hanc, & illam partem circumſpectas. ſuſpicatur videlicet ſenex, anum circumſpicere, vbi aurum ſit conditum, quaſi illa aliquid de eo ſenſerit. Iccirco eam extrudit ex ædibus. CVM OCVLIS EMISSITIIS] cùm oculis, qui videntur emiſſi ad explorandum, quid in quoque loco poſitum, & reconditum ſit. alij emiſſitios oculos interpretantur eminenteis, & quaſi extra poſitos: quod minus probo. vox eſt nata ab emittendo, vt & *emiſſarius*. NAM CVR ME M.] vel *Nam cur* poſitum pro cur nam: vel nam pro autem accipiēdum, vel aliquid aliud ab anu dictum eſſe intelligendum: verbi cauſa, *facis mihi iniuriam*. aut, *non ſatis ſanus es*: vt deinceps ſequatur. *Nam cur*, &c. lege Donatum ad illud Terent. Andr. *Nam quid ego dicam de patre?* & præterea alibi. Terēt. Eun. *Nam quid ita?* P. *rogitas?* Idem in Phorm. *Nam quæ hæc eſt anus exanimata, à fratre quæ egreſſa'ſt meo?* Horat. epiſt. 2. lib. 1. *nam cur Quæ lædunt oculos, feſtinas demere*, &c. Plautus ſuprà in Amphitr. *Sceleſtißimum te arbitror*. So. *nam quamobrem?* ad quem locum ſimiliter nonnulla. VERBERAS?] Nonius, *verberare*, inquit, *non ſolùm à verberibus dictum, ſed etiam à verbis*. Deinde profert hunc verſum Plauti. Ex quo perſpicuum eſt Nonium exiſtimare, *verberare* hîc poſitum eſſe à Plauto, pro obiurgare, & verbis increpare. At ego arbitror anum, dum extruditur ex ædibus, à ſeſe verberatam, & pulſatam, aut ſaltem pulſam eſſe. Quin nemo extrudi ex aliquo loco poteſt ſine aliquo pulſu. TIBI EGO RATIONEM REDD. ST. F.] Nonius hunc verſum profert in verb. reddere & reddere hîc interpretatur, dare, edere. STIMVLORVM SEGES?] id eſt, digna quæ aſſiduè ſtimulis fodiaris, digna, in cuius corpore ſtimuli perpetuo ſati, & defixi ſtent, vt in ſegete ſpicæ? ſic M. Tull. Clodium ſegetem gloriæ Milonis appellat, quia gloria Milonis, in Clodio, quaſi in ſegete, conſiſtat. Nonius in voce *ſeges*. Segetem etiam ipſam terram dicimus. deinde profert hunc Virgilij verſum, Georg. 4. *Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho* & Æneid. lib. 3. *Arebant herbæ*. Adr. Turneb. ſic explicat. in qua veluti ſegete, ſe ſtimuli cædenda, D



A cædenda, & verberanda, vt in ſegete ſe meſſores, exercent. Obſcurè & perplexè dictum, quod fuit in illo viro, alioqui doctiſſ. & mihi amiciſſ. vitioſum. ſed hoc ſentit ille (quandoquidem eius verba egent explicatore, & interprete) in qua verberāda ſtimuli exercentur, vt in ſegete metenda meſſores. non placet. Cùm hæc ſcripſiſſem, Simeo Boſius, cuius ingenium, & doctrinam non vno loco meritò prædicaui, & dum viuā, prædicabo libenter, hunc locum ſic mihi in ſuo libro oſtendit à ſe explicatū. in cuius tergo, ſiue dorſo ſerere oporteat ſtimulos, quæ explicatio, breuis eſt, & acuta & plana, & meæ conſentanea. REGREDERE] retrò cede, retrò gradere. ILLVC SIS VIDE, VT INC.] vide, ſi viś, illud, quo pacto incedat. oratio ad ſpectatorē verſa. SI HODIE HERCLE FVSTEM CEPERO, &c.] Sic ſuprà locutus eſt in Amph. *ſcin' quàm bono animo ſim? ſi ſitulā cepero*, &c. TESTVDINEVM] tardū, qualis eſt teſtitudinis. GRANDIBO] grandem faciam. Sic Nonius in verbo *grandire*: & hunc verſum profert. profert & illud Varronis ex lib. 1. rerum humana. *Cùm aut humus ſeminari incipere non poßit, aut recepta non reddat, aut edita*, (al. *reddita*) *grandire nequeat*. ADAXINT] adegerint: quamquam Nonius interpretatur *adigant*, hunc locum proferens Terent. Adelph. *Prò Iupiter: tu homo adiges me ad inſaniam*. OCVLOS H. E. IST. IMPO. EFFODIAM T.] Sic infrà ead. com. non longè. *Cui ego iam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi*. Idem Capt. *Nam hercle ego huic diei, ſi liceat, oculos effodiam libens*. &c. B Sic Terent. Eun. *atqui ſi illam digito attigerit vno, oculi illico Effodientur*. Catullus in Cominium *Effoſſos oculos voret atro corpore coruus*. NE ME OBSERVARE P.] ne me aucupari, & ſpeculari poſſis, quid agam. SI HERCLE TV EX ISTO L. DIGIT. TRANSVER. AVT VNGVEM L.] prouerbij locum hæ locutiones obtinēt propter hyperbolem. Itaque appellari ſolent vel prouerbia hyperbolica, vel hyperbolæ prouerbiales. AVT SI RESPEXIS] aut ſi reſpexeris, id eſt, retro aſpexeris. DONICVM] donec. donicum, pro donec, antiquum, quo vtitur ſæpe Lucretius, & item Plautus. piget exempla referre: & aliquot in comment. Lucretianis collecta ſunt. TE DEDAM DISCIPVLAM CRVCI.] te cruci ſuffigam. dedam te cruci, id eſt, tradam te in poteſtatem crucis. Nam qui deditur, eo, cui deditur, inferior eſt. addidit autem *diſcipulam*, vt ſignificet, eam, ſic adfixam cruci permanſuram, vt diſcipulus aſſiduè magiſtro docenti affixus eſt, proinde ac ſi dicat, ita cruci affixa, ſeu ſuffixa adhærebis, vt diſcipulus magiſtro affixus eſſe conſueuit, vel ſic ego te in crucem agam, & diſcipulam crucis faciam, vt doceat te facere ex te litteram longam, vt infrà decet ipſa anus. SCELESTIOREM ME H.] hæc ſecum ſenex, ad ſpectatores verſus. EX INSIDIIS] inſidioſè. DVIT,] dederit. PERSENTISCAT,] cognoſcat, intelligat. IN OCCIPITIO] C quod fieri non poteſt, neque quiſquam vnquam in occipitio, quæ pars capitis eſt poſterior, oculos habuit: niſi quis aliquando Iani bifrontis ſimilis exſtitit. Perſ. Sat. 1. *quos viuere fas eſt Occipiti cæco*. ſignificat igitur, hanc anum eſſe oculatiſſimam. SOLLICITAT] ſollicitum habet. *ſollicitare*, vt docet Feſtus, *eſt ſolo citare, id eſt, ſolo mouere*. QVEO COMMINISCI:] poſſum excogitare INTEMPERIÆ] animi angores, & ægritudines: vel impotentes animi motus. ſuprà Amphitr. *Quæ intemperiæ noſtram agunt familiam*. Idem eadem comæd. infrà. *Laruæ hunc atque intemperiæ, inſaniæq́ agitant ſenem*. Idem in Epid. *quæ intemperiæ te tenent?* PERVIGILAT N. T.] peruigilio, & inſomnio vexatur, vt totas nocteis ſomnum oculis non videat ſuis, vt inquit ille. INTERDIVS] interdiu. μεθ' ἡμέραν. QVASI CLAVDVS SVTOR,] ſutores haud temerè domo exeunt: coguntur enim operis faciundi cauſa domi ſe continere: ſed multo rarius, aut difficilius in publicum prodeunt, ſi claudi ſint. PROBRVM,] ſtuprum, ſeu vitium herili filiæ oblatum. PROP. PART. CVI APP.] cui partus appropinquat. videtur eſſe pleonaſmus. nam appetere abſolutè poſitum ſignificat, appropinquare. T. Liuius lib. 5. annal. *Iam ex lacu Albano aqua emiſſa, Veiorum fata appetebant*. Q. Curtius lib. 3. *Rex, qui diu Darium perſequendo fatigatus erat, poſteaquàm & nox appetebat, & cum aſſequendi, ſpes non erat, in caſtra paullò antè à ſuis* D *capta peruenit*. Plinius epiſt. lib. 5. epiſt. ad Seuerum. *Appetebat iudicij dies*. QVÀM EX ME VT VNAM FACIAM LITTERAM LONGAM,] quid ſignificat Plautus, ipſe declarat proximis verbis, *meum laqueum collo quando obſtrinxero*. id eſt, cùm mihi ſpiritum collo obſtricto intercluſero. ſed cur ex ſe facere vnam litteram longam, ſit, *ſe ſuſpendere*, & laqueo vitam finire, & quid ſit propriè, facere litteram longuam: video ab omnibus quæri à nemine probabiliter explicari. Dico igitur, facere litteram longuam, nihil aliud eſſe, niſi ſcribere litteram maiorem, & longiorem, quàm quæ ſcribi ſolet: cuiuſmodi debent eſſe litteræ, quæ proponuntur in publico, vt ab omnibus de planò legi poſſint: ſiue ſit A. ſiue B. ſiue C. ſiue aliqua alia. Nam quòd plerique putant per litteram longam, intelligi L. vehementer errant. Apud Romanos enim non erat L. littera aliis longior, cùm litteræ omnes, quæ in eadem cera, ſiue charta ab eodem ſcriptore ſcribebantur, longitudine inter ſe pares ſcriberentur. Vtebantur enim litterarum elementis, quæ nunc appellant typographi noſtri capitalia, id eſt, principialia, quòd ſoleāt nominibus propriis virorum, aut mulierum, aut vrbium, &c. præponi: non qualibus hodie in ſcribendo vtimur, quæ planè veterib. illis Romanis erant incognita, atq. inuſitata. quòd ſi litteræ omnes, quibus aliquod ſcriptū cōſtabat quoad eius fieri poterat, erāt inter ſe æquales, dicere per litteram lōgam L. ſignificari, deſipere eſt. præterea exemplis cùm ex ipſo Plauto, tum ex M. Tullio ſumtis licet intelligere, per litteram longam, non ſignificari L. aut aliam certam,

ſed quamlibet,& vnamquamq. Plautus in Pœnulo. *Ibi tu videas litteratas fictilcis epiſtolas, Pice ſignatas.nomina inſunt cubitum longis litteris.* Idem in Rud. *Cubitum hercle longis litteris ſignabo iam vſquequaque, Si quis perdiderit vidulum cum auro,atque argento multo, Ad Gripum vt veniat*,&c. Quas Plautus litteras cubitum longas dicit,eas M.Tull.maximas appellat lib.2.accuſ.ſic ille. *Huic enim Romæ videmus in baſi ſtatuarum,maximis litteris inciſum, à communi Siciliæ datas.* Idem grandeis appellat lib.4. ſic enim ille. *Hæc erat poſita Segeſtæ ſanè excelſa in baſi: in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat inciſum*,&c. Contrà minutulas litteras dixit idem eodem libro,quæ opponũtur maximis, & grandibus. ſic ille. *ſignum Apollinis pulcherrimum, cuius in ſimine litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inſcriptum.* MEVM LAQVEO COLLVM QVANDO OBSTR.] noſtri libri veteres ferè omnes habent, *mi laqueo collum q. obſtr.* nulli habent *meum*, ſed omnes habent vel mi,vel neũtrum. OBSTRINXERO] ſuprà in Amphitr. *Quum ego Amphitryonem collo hinc obſtricto traham.* A

## EVCLIO ſenex: STAPHILA anus.

EV. Nunc defæcato demum animo egredior domo, B  
Poſtquam perſpexi ſalua eſſe intus omnia.  
Redi nunc iam intrò,atque intus ſerua. STA. Quippini.  
Ego intus ſeruem,ânne quis ædeis auferat?  
Nam hic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus.  
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.  
EV. Mirum quin tua me cauſſa faciat Iuppiter  
Philippum regem, aut Darium,triuenefica.  
Araneas mihi ego illas ſeruari volo.  
Pauper ſum fateor,patior:quod di dant,fero.  
Abi intrò,occlude ianuam,iam ego hic ero,  
Caue quenquam alienum in ædis intromiſeris. C  
Quod quiſpiam ignem quærat, exſtingui volo,  
Ne cauſſæ quid ſit,quod te quiſquam quæritet.  
Nam ſi ignis viuet,tu exſtinguere extempulo.  
Tum aquam aufugiſſe dicito,ſi quis petet.  
Cultrum, ſecurim,piſtillum, mortarium,  
Quæ vtenda vaſa ſemper vicini rogant,  
Fures veniſſe,atque abſtuliſſe dicito.  
Profectò in ædeis meas me abſente neminem  
Volo intromitti.atque etiam hoc prædico tibi,  
Si bona fortuna veniat,ne intromiſeris. D  
STA. Pol ea,ipſa credo ne intromittatur cauet,  
Nam ad ædis noſtras nuſquam adiit, quanquam propè eſt.  
EV. Tace, atque abi intrò. STA. Taceo, atque abeo. EV. occlude ſis.  
Fores ambobus peſſulis. iam ego hic ero.  
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.  
Nimis hercle inuitus abeo, ſi, quid agam, ſcio.  
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ,  
Diuidere argenti dixit nummos in viros.  
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illico  
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.

Nam



A Nam non eſt veriſimile, hominem pauperem  
Pauxillum parui facere, quin nummum petat.  
Nam nunc quum celo ſedulò omneis, ne ſciant,  
Omnes videntur ſcire, & me benignius  
Omnes ſalutant, quàm ſalutabant prius.  
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras.  
Rogitant me vt valeam, quid agam, quid rerum geram?  
Nunc quò profectus ſum, ibo. poſtidea domum  
Me rurſum quantum potero, tantum recipiam.

NVNC DEFÆCATO, &c.] ſenex Euclio,anu foras extruſa, domum intrauit,vt viſeret, eſſétne aurũ ſaluum.quo facto,poſtquàm cognouit ſalua eſſe omnia, iterum domo egre- B ditur,animò tranquillo,& ſoluto.defæcato,id eſt, liquidò, miniméque turbido. tranſlatio eſt à vino percolato,ſeu per colum vinarium tranſmiſſo,vt liquidius reddatur,fæce ſecluſa. Nonius, defæcata, inquit, omnia pura, & inturbida & ſine ſordibus poſſumus dicere, vt vinum ſine fæcibus. deinde profert hũc verſum. QVIPPINI EGO INTVS SERVEM?] id eſt,quidni ego intus ſeruem?vel,quamobrem ego intus non ſeruem? proinde ac ſi dicat,magna verò & iuſta cauſa eſt,quare ego intus ſeruem. ironia eſt.ſentit enim anus, nihil eſſe cauſæ,quamobrem intus ſeruet,quia domi nihil ſit,quod ibi ſeruetur,aut quod inde auferatur. AN, NE QVIS ÆDEIS AVFERAT?]hęc verba ſatis declarant,ſuperiorem anus interrogationem,ironicam eſſe, & in contrarium ſenſum accipiendam, nempe quaſi ita locuta ſit, quid cauſæ eſt, quamobrem intùs obſeruem? an, ne quis ædeis auferat? NAM HÎC APVD NOS NIHIL EST Q. FVRIB.]id eſt,nam domi noſtrę nihil eſt,quod fures ſubripiãt,nihílq;,quo ſubrepto, quæſtum facere poſſint,præter ipſam domum.vel ſic,nihil eſt domi noſtræ, quod prodeſſe poſſit furibus, præter ipſam domum. Horat.epiſt.6.lib.1. *Exilis domus eſt,vbi non & multa ſuperſunt, Et dominum fallunt, & proſunt furibus.* QVÆSTI] quæſti pro quæſtus, dicebant, & quæſtius in generandi caſu veteres. Notat Nonius, & hunc verſum profert. ſic Terent. Hecyra. *Nunquam animum quæſti gratia ad malas inducam parteis.* INANIIS] id eſt,inanitatibus ſeu inanitate. Ita C Nonius, qui hunc verſum profert. OPPLETÆ.] ædes. ATQ. ARANEIS] Catull.ad Fabull. *nam tui Catulli Plenus ſacculus eſt aranearum.* MIRVM, QVIN TVA M. C.] id eſt,mirum,quare non me tua cauſa Iupiter Philippum,aut Darium regem faciat. Cùm ſtomacho pronuntiandum,vt & à ſtomachante ſene dictum eſt: proinde ac ſi ita diceret, egeſtatem, & inanitatem mihi obiicis. mirum verò eſt, me non eſſe Philippum, aut Darium à Ioue tua cauſa factum,vt,cùm rex eſſem, tum lautè,& opiparè viueres. *mirum quin* valet, mirum quare non, ſeu mirum quòd non. ſuprà in Amphitr. *Mirum,quin te aduerſus dicat.* Idem in Ciſtell. *Mirum,quin grex venalium in ciſtella inſuerit vnà.* Philippum, Macedonum regem, Amyntæ filiũ, Alexandri Magni patrem: Darium, Xerxis patrem accipio. TRIVENEFICA] teruenefica, veneficarum maxima. Idem in Bacchid. *Vt pergræcetur tecum teruenefice.* ARANEAS MIHI ILLAS, &c.] Hoc eò pertinet,quòd anus dixerat,nihil eſſe,præter ædeis, quod ſeruaretur: quia inanitatibus & araneis eſſent refertæ. Araneas,inquit ſenex, eas ipſas,quib. ædeis noſtras oppletas eſſe dicis, ſeruari volo. PATIOR.] laudabilis ſenex, & magni animi vir, ſiquidem vera prædicet, & ſi ex animi ſententia loquatur. Quis enim non laudat Calatinos,Acidinos, Curios illos,homines D non ſolùm honoribus populi,rebúſque geſtis,verùm etiam(vt ait M.Tullius orat.de lege Agr.) patientia paupertatis ornatos. QVOD DI DANT, FERO.] ſignificat, paupertatem dari à diis, & deorum donum eſſe, quod ab Heſiodo multis antè ſæculis dictum erat. ſic enim ille, ἔργ. καὶ ἡμ. Μηδέποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ Τέτλαθ' ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων. id eſt, ne cui pauperiem ſæuam,peſtémque animorum Obiicito,vt probrum. namque eſt donum illa deorum. OCCLVDE IANVAM.] obſera ianuam. QVOD QVISQVAM IGN. Q. EX ST. V.]id eſt,quantũ ad hoc attinet,quòd aliquis ignem quærat, & idcirco, id eſt, per cauſam ignis quærendi,introire domum poſtulet: vt omnis ei introeundi cauſa, & occaſio præciſa ſit, & vt liquidò negare poſſis ignem non eſſe domi. ignem exſtingui volo. De hoc loquendi genere ſatis multa diximus in Aſin. NE CAVSÆ QVID SIT, QVÒD, &c.] ne vlla cauſa relinquatur, propterquam te quæritet, & domum introire velit. NAM, SI IGNIS VIVET, EXSTINGVITO TV EXTEMP.] Enimuero, ſi ignis viuet,tu cõtinuò exſtinguito.viuere ignẽ. exſtingui,id eſt,interimi,ſeu vita priuari ignem, opponuntur.quæ duo vſitatè de igni,vt de animante dicuntur. Horat.oda.21. lib.3. *Viuæque producent lucernæ, Dum rediens*,&c. Lucret.lib.1. *& viuant labentes ætheris ignes.* AVFVGISSE] effluxiſſe.ſic Lucret.de fulmine diſputãs, dixit lib.6.vina diffugere,vaſis integris,ſic ille. *Curat item,vt vaſis integris,vina repente Diffugiant.* SI QVIS PETET.] Putauerit hic aliquis incautus, &

linguæ Latinæ minus peritus, Plautum vſurpaſſe verbum petendi, & verbumq; quærendi, pro eodem, quod non eſt ita. Nam, vt oſtẽdi in quadam oratione, Lutetiæ habita, anno & paucis pòſt diebus edita, qui petit vult obtinere: qui quærit vult ſcire, aut inuenire, ſic igitur hoc loco cùm dicitur quis ignem quærere, intelligẽdus eſt ignem reperire cupere: cùm petere: obtinere. Memini autem cùm ea, quam dixi, oratio, edita eſſet, ſtatímque quoſdam ludimagiſtros barbaros, atque indoctos pupugiſſet, atque offendiſſet, in his quendam omnium deterrimum, & leuiſſimum, & vix dignum, qui pueros in pergulis, & compitis prima elementa doceat, ad me venire, &, cùm multa ineptiſſima, ſuo more, blateraſſet, hoc ad extremum effutiiſſe, Virgilium perſpicuè vſurpaſſe verbum petere, pro quærere in eo verſu, *Euandrum petimus*. Nam dubitari non poteſt, inquit ille, quin Virgilius dixerit, *Euandrum petimus*, pro *Euandrum quærimus*. Quod cùm audiſſem, vix riſum potui continere: quin riſu ſatis diu compreſſo, tandem cachinnum inuitus ſuſtuli. cuius cauſam cùm ille quæſiuiſſet: quoniã, inquam, vt poëta ineptus, & ridiculus, ita grammaticus bardus, & ſtolidus es. Non vides, inquam, diis inimice ſenex, illud apud Virgilium, *Euandrum petimus*, non id ſignificare, *Euandrum quærimus*, ſed id potius, *Euandrum adimus? Euandrum conuenire, & alloqui volumus*: Quod oſtendunt, ac declarant ea, quæ ſequũtur, quæque à Pallante reſpondentur: *Egredere, ô, quicunque es, ait, corámque parẽtem Alloquere*, &c. Ille homo alioqui loquaciſſimus, & confidentiſſ. mutus & elinguis hærere. ſic hominis indoctiſſimi confidentiam repreſſi, & eum obſtupéfactum valere iuſſi. Sed nimis multa de nugis, ad rem igitur adeamus. PISTILLVM, ] lignum teres, quo aliquid in mortario pinſitur, id eſt, tunditur. Ex quo & nonnulli tunſillum, ſeu tuſillum vocant. Nonius docet *piſtillus* in maſcul. & *piſtillum* in neutro genere dixiſſe veteres. VTENDA ROGANT, ] rogant commodatò, vt eis vbi poſſint. Cato de re ruſtica. *duas, aut tres familias habeat, vnde vtenda roget, & quibus det: præterea nemini*. M. Tullius lib. 1. de Offic. *Quod ſi ea, quæ vtenda acceperis maiore menſura, modo poſsis, reddere iubet Heſiodus*, &c. Iterum Plautus ead. comœd. infrà. *Famen hercle vtendam ſi roges, nunquam vtendam dabit*. SI BONA FORTVNA VENIAT, ] M. Tull. lib. Accuſ. 4. non longè à principio. *Nullum vnquam horum ſignorum reliquit: neque aliud vllum tamen, præter vnum peruetus ligneum, Bonam Fortunam, vt opinor eam iſte domi ſuæ habere noluit*. CAVET. ] vel dic propriè cauet, id eſt, cautionem adhibet vel cauet, id eſt, metuit, vt contrà notauimus in commentariis Horatianis vſurpari interdum à ſcriptoribus metuere pro cauere, oda 2. lib. 2. ibid. *Illum aget penna metuente ſolui Fama ſuperſtes*. QVANQVAM PROPÈ EST. ] fortaſſe prope ædeis Euclionis templum, aut ſignum erat bonæ fortunæ. OCCLVDE SIS F. ] occlude ſi vis foreis. PESSVLIS ] peſſulus, inquit auctor vocabularij Latinogræci, κλεῖθρον, χελώνιον. peſſuli ſunt, quibus clauduntur fores, dicti fortaſſis à peſſis, medicamentis quibuſdam, digiti humani figuram præbentibus, molli lana exceptis, quæ in parteis muliebreis induntur, ad menſtruas purgationes ciendas. Terent. Heaut. *Anus foribus obdit peſſulum*. Idem in Eunuch. *peſſulum oſtio obdo*. Plautus. Curcul. *Peſſuli, heus peſſuli: vos ſaluto lubens*. Idem in Ciſtell. *vbi eſtis ſerui? occludite ædeis peſſulis, repagulis*. Apuleius lib. 1. *Ego verò adducta fore, peſſulíſque firmatis, grabatulo etiam pone cardinem ſuppoſito, & probè aggeſto, ſuper eum me recipio*. DISCRVCIOR ANIMI, ] ſic loquebantur veteres, diſcrucior, angor, pendeo, &c. animi, & diſcrucior, angor, pendeo, &c. animo. SI QVID AGAM, SCIO ] id eſt, ſi quidem, quid agam abeundo domo, ſcio. quaſi dicat, quippe qui ſcio, me, abeundo domo, aurum relinquere tollendum furibus, vel ſic, ſi modò, quid agam, ſcio: proinde ac ſi dicat, cùm præſertim neſciam, quid mihi hæc domo abitio profutura ſit. MAGISTER CVRIÆ ] curiã φρατρίαν appellant Græci. Iam verò legitimos ſingularum tribuum, & curiarum diuiſores, magiſtros curiæ à Plauto appellari teſtatur Aſconius, ad illum locum Cicer. Actionis primæ in Verr. diuiſores omnium tribuum: vbi hunc locum profert. Camerarius tamẽ, cui aſſentitur Turnebus, egóque item aſſentior, magiſtrum curiæ eum eſſe putat, quem Græci φρατριάρχην appellant, quia, vt curia pars erat tribus apud Romanos, ita τριττὺς, pars φυλῆς apud Græcos. Omnino vel ex ipſo Plauto infrà non longè admodum intelligere licet, magiſtros curiæ, eoſdem fuiſſe, atque diuiſores: vel ſingulas curias ſuos habuiſſe diuiſores. Sic Plautus. *Nam neque quiſquam curialium venit, neque magiſter, quem diuidere argentum oportuit*. IN VIROS. ] viritim, κατ' ἄνδρα. CELO SEDVLO OMN. ] me auri theſaurum reperiſſe domi. OMNES VIDENTVR SCIRE, ] id ſuſpicatur ſenex auarus, pauidus, & miſer auri cuſtos verius, quàm dominus, aut poſſeſſor. BENIGNIVS ] liberalius. COPVLANTVR DEXTERAS. ] τὰς δεξιὰς ἐμοὶ ἐμβάλλουσι, copulantur, inquit Nonius, pro copulant, paſſiuum pro actiuo. Plautus Aulul. *Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras*. Idem paucis paginis poſt, copulantur pro coniungunt, inquit: deinde eundem verſum iterum profert. NVNC QVÒ PROFECTVS SVM, IBO. ] id eſt, Nunc ibi, quò vt proficiſcerer, domo abij. Sic ſuprà in Amph. *Poſſum ſcire quò profectu's, cuius ſis*, &c. POSTIDEA ] poſtea. QVANTVM POTERO ] quantum valebo, quoad pedes valebunt. RECIPIAM ] recipere ſe domum, pro redire domum, vſitatum Plauto, & aliis bonis ſcriptoribus loquendi genus.

VELIM



## EVNOMIA, MEGADORVS ſenex.

EV. Velim te arbitrari me hæc verba frater
Meæ fidei, tuæque re cauſſa
Facere, ita vt æquum eſt germanam ſororem.
Quanquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi.
Nam multum loquaces meritò omnes habemur.
Nec mutam profectò repertam vllam eſſe
Hodie dicunt mulierem vllo in ſæclo.
Verùm hoc frater vnum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihíque item eſſe te.
Ita æquum eſt, quod in rem eſſe vtrique arbitremur,
Et mihi te, & tibi me conſulere & monere,
Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari,
Quin participem pariter ego te, & tu me facias.
Eo nunc ego ſecretò te huc foras ſeduxi,
Vt tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
ME. Da mihi optuma fæmina manum. EV. vbi ea eſt? quis ea
Eſtnam optuma? ME. tu. EV. túne ais? ME. ſi negas,
Nego. EV. Decet te quidem vera proloqui,
Nam optuma nulla poteſt eligi: alia alia
Peior, frater eſt. ME. idem ego arbitror. nec tibi
Aduerſari certum eſt de iſtac re vnquam, ſoror.
EV. Da mihi operam amabò. ME. tua eſt, vtere
Atque impera, ſi quid vis. EV. id quod in rem tuam
Optumum eſſe arbitror, te id admonitum aduento.
ME. Soror more tuo facis. EV. factum volo. ME. quid eſt id
Soror? EV. quod tibi ſempiternum ſalutare
Sit, liberis procreandis. ME. ita di faxint.
EV. Volo te vxorem domum ducere. ME. hei, occidi.
EV. Quid ita? ME. Quia mihi miſero cerebrum excutiunt
Tua dicta ſoror, lapides loqueris. EV. eia hoc face,
Quod te iubet ſoror. ME. ſi iubeat, faciam. EV. in rem
Hoc tuam eſt. ME. vt quidem emoriar, priuſquam ducam.
Sed his legibus. ſi, quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foràs feratur, ſoror.
His legibus quam dare vis, cedò, nuptias adorna.
EV. Quàm maxima poſſum tibi, frater, dare dote.
Sed eſt grandior natu, media eſt mulieris ætas.
Eam ſi iubes frater tibi me poſcere, poſcam,
ME. Num non vis me interrogare te? EV. immò ſi quid vis, roga.
ME. Poſt mediam ætatem, qui mediam ducit vxorem domum,

Si eam ſenex anum prægnantem fortuito fecerit, A
Quid dubitas, quin ſit paratum nomen puero Poſtumus?
Nunc ego iſtum ſoror laborem demam, & diminuam tibi.
Ego virtute deûm & maiorum, noſtrorum diues ſum ſatis.
Iſtas magnas factiones, animos, dotes, dapſileis,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quæ in ſeruitutem ſumtibus redigunt viros.
EV. Dic mihi quæſo, quis ea eſt, quam vis ducere vxorem? ME. eloquar.
Nouiſti hunc ſenem Euclionem ex proximo pauperculum?
EV. Noui hominem haud malum mecaſtor. ME. eius cupio filiam
Virginem mihi deſponderi. verba ne facias ſoror. B
Scio quid dictura es, hanc eſſe pauperem. hæc pauper placet.
EV. Di bene vertant. ME. idem ego ſpero. EV. quid me nunc quid vis? ME. vale.
EV. Et tu frater. ME. ego conueniam Euclionem, ſi domi
Eſt. ſed eccum, neſcio vnde ſeſe homo recipit domum.

TVÆQVE REI CAVSA] nonnulli libri habent, tuæque re cauſa. quod idem valet. Nam veteres nominum quintæ declinationis caſu generandi quatuor modis formarunt, rei,res,re,reij. GERMANAM SOROREM] γνησίαν ἀδελφήν. ex eodem parente vtroque natam. HAVD FALSA SVM,] haud ignara ſum: haud me fallit: haud me fugit. NOS] mulieres. mulierum genus. ODIOSAS.] moleſtas, & graueis videri. NAM MVLTÙM LOQVACES] hoc vitium eſt inter mulierum vitia, non minimum: vt contrà ſilentium mulieri non minimæ laudis locum obtinet, ex quo illud Menandri γυναικὶ πάσῃ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει, hoc eſt, omni mulieri ornamento eſt ſilentium. cum quo congruit illud Plautinum in Rud. *Eò tacent, quia tanta bona'ſt mulier ſemper, quàm loquens.* & illud in Pœnulo. *Tace, atque parce muliebri ſupellectili.* Nam ibi per muliebrem ſupellectilem, ſignificatur garrulitas, & clamor. C NEC MVTAM REPERTAM, &c.] Ego tamen, qui, cùm hæc ſcriberem, annum ætatis agebam quinquageſimum ſextum, duas mutas mulieres vidi. ITA ÆQVVM EST, &c.] Itaque æquum eſt, inquit, & mihi te, & tibi me conſulere, quod nos arbitremur alter alteri eſſe vtile. NEQVE PER METVM MVSSARI.] id eſt, neque propter metum taceri, ſeu reticeri, *Muſſare*, inquit Nonius, *eſt hominum occul. & depreſſa voce loquentium, quod celatum velint.* Virgil. xj. Æn. *Cuncti ſe ſcire fatentur, Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant.* ibid. *flent mæſti, muſſantque patres.* Idem lib. 12. *Muſſat rex ipſe Latinus, Quos generos vocet, aut quæ ſeſe ad fœdera flectat.* Terent. Adelph. *Accipiunda & muſſitanda iniuria adoleſcentium eſt.* ad quem locum legendus Donatus. Lucret. lib. 1. *Sed quia multa ſibi cernunt, contraria muſſant*: ad quem locum, lege, ſi tibi commodum eſt, quæ notauimus. Plautus in Caſin. *Ita omnes ſub arcis, ſub lectis latentes, metu muſſitant.* QVIN PARTICIP. EGO TE, &c.] pendent hæc, & apta ſunt ex ſuperioribus, hoc modo, neque æquum eſt per metum reticeri, quod eſt vtrique noſtrum vtile, quin & ego te participem, ſubintell. eius, &c. D id eſt, vt non & ego te eius participem faciam, & tu me facias. SECRETÒ] χωρὶς, ſeorſum ab aliis. SEDVXI.] id eſt, ſeorſum duxi. Itaque ſecretò ſeduxi, eſt pleonaſmus. VT TVAM REM EGO, &c.] vt tecum loquerer de tua re familiari. OPTVMA FÆMINA,] ſic in Ciſtellaria, *Bona fæmina.* VBI EA EST?] vbi eſt, inquit, optima fæmina, atque adeò bona? Nam ſi omnes mulieres, malæ ſunt, nulla bona eſt, nedum optima, omneis autem eſſe malas ſignificat Plautus illis verſibus, quorum ſententiam indicat à vetere poëta natam, in Curcul. *Antiquom poëtam audiui ſcripſiſſe in tragœdia, Mulieres duas peiores eſſe quàm vnam.* QVIS EA NAM EST OPT.] quænam ea eſt optima? TÚNE AIS?] túne aſſeueras me eſſe optimam? debet autem ſcribi hoc verbum, *aio*, in ſecunda perſona, aiis, & in tertia aiit. Nam ſi in præſenti, eſt i. ante o. & o. in ſecũda perſona vertitur in is, & ſi tertia it, fit ex ſecunda is: neceſſariò dicendum eſt, aío, aiis, aiit, aiimus, &c. Interdum tamen poëtæ detrahunt alterum i. vt corripiatur prima ſyllaba, vt apud Terent. in Andr. *Quid ais Birrhia?* Hìc autem debeátne eſſe longa: idcóque ſcribi, hoc modo *aiis*, an *ais*, mihi incertum eſt, quia verſus ſunt cõfuſi, neque omnes vniuſmodi. TVA'ST VTERE,] opera mea, tua eſt: ea vtere, id eſt, operam tibi do, vt ea vtaris, & mihi imperes, ſi quid velis. TE ADMONITVM ADVENTO] te admonitum vltro & cupidè aduenio. Sic habent etiam noſtri libri veteres. nam vulgati habent, *te admonitum volo.* MORE TVO



A TVO FACIS] nihil alienum à tuo more facis, cùm iſtuc facis, ſolens facis. QVOD TIBI SEMPIT. SALVT.] ſic ſolebant initio ſermonis, & rei gerẽdæ præfari, bene ominandi cauſa. Tale eſt illud crebrum apud hiſtoricos. Quod fauſtum, felix, fortunatúmque ſit, &c. ſed nõ celabo lectorem, in duobus libris noſtris veteribus. deſiderari vocem *ſalutare.* quæ tamen neceſſariò ineſſe debet. Præterea legendum eſt, *ſempiternum ſalutare*, ἀσυνδέτως. nam *ſempiternùm*, aduerbium eſt, & valet in ſempiternum. VOLO TE VXOREM DOM. D.] integra locutio, vxorem domum ducere. Nam interdum Latini dicunt, omiſſa voce domum, *vxorem ducere.* Sed videtur totus hic locus, ſic legendus, *quod tibi ſempiternùm ſalutare Sit.* ME. *ita faxint.* EV. *Liberis procreandis Volo te vx. domum ducere.* MIHI MISERO CEREBRVM EXCVTIVNT.] id eſt, mihi miſ. bonam mentem auferunt. vel me miſerum grauiter offendunt, ſeu magna moleſtia afficiunt. vel dic, me miſerum occídunt. In Pœnulo eadem ferè ſententia dixit, *id his cerebrum vritur.* Non celabo lectorem, nonnullos è libris noſtris veteribus habere, *mihi miſero cerebrum excruciant.* LAPIDES LOQVERIS.] loqueris, quæ mihi dura, & aſpera ſunt inſtar lapidum. De incommodis matrimonij dicere, &, quàm graue ſit onus, vxor exponere ſi quis, conetur, is magnum opus moliatur, difficiléque negotium ſuſcipiat. Præterea ſententiæ veterum hac de re ſunt in promtu poſitæ, vt cuius eas ex Stobæo, & ſimilibus colligere liceat, B vnam tamen, atque alteram antiquorum auctoritatem ponam. Sic Philetes. Βίον καλὸν ζῇς, ἂν μὴ τὴν γυναῖκ᾽ ἔχῃς. hoc eſt, Viuis beatè, vxor tibi ſi non ſit domi. Theodectes, Παραπλήσιον πρᾶγμ᾽ ἐστὶ γῆρας, καὶ γάμος. Τυχεῖν γὰρ αὐτῶν ἀμφοτέρων σπουδάζομεν: Ὅταν δὲ τύχωμεν, ὕστερον λυπούμεθα. id eſt, Affinia ſunt ſenectus, atque vinculum iugale. vtrumque enim ſtudemus conſequi. ſed cõſecutis, ſunt moleſta poſtea. SED HIS LEG. Q. V. D] id eſt, ſed his pactis, & conditionibus ducam vxorem, quam mihi dare vis: ſi ea vxor, quæ cras domum veniet, perendie, id eſt, poſt diem craſtinum, ſeu die abhinc tertio, foràs feretur, id eſt, mortua efferetur. Cum his Plautinis congruit illud Hipponactis Δύ᾽ ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται, Ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν. id eſt, dies duo ſunt coniugis ſuauiſſimi: Quo nubit illa, quoque fertur in rogum. & illud Chæremonis γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσον ἐστὶν, ἢ γαμεῖν. id eſt, Sepelire præſtat vxorẽ, quàm ducere. QVOD TE IVBET SOROR] id eſt quod tibi ſuadet ſoror, nam verbum *iubet* hìc non vim, aut imperium potentioris, ſed conſilium duntaxat, & ſuaſionem continet. vt apud Hom. ſæpe κέλομαι, & κελεύω. HIS LEGIBVS, QVAM D. V. C.] epanalepſis. his, inquam, legibus, & pactis da mihi eam, quam dare vis, vxorem, cedo, id eſt, da. NVPTIAS ADORNA.] nuptias appara. QVÀM MAXIMA POSSVM C TIBI, FRATER,] vel ſic, adornabo nuptias, quàm maxima dote poſſum, ô frater, eam vxorem tibi dare. vel ſic. Poſſum tibi eam vxorem tibi dare quàm maxima dote. GRANDIOR NATV:] πρεσβυτέρα. MEDIA EST MVLIERIS ÆTAS.] Marc. Tull. in Catone *ſunt & ineuntis adoleſcentiæ certa ſtudia. num ea iam conſtans requirit ætas, quæ dicitur media?* POSCERE,] verbũ procis cõueniens, & pronubis vt ſuprà diximus. POST MEDIAM ÆTATEM QVI MED. &c.] hunc verſum, & duos qui deinceps ſequuntur, profert Feſtus in voce *poſtumus.* FORTVITV] apud Feſtum legitur, *fortuito.* QVIN SIT PARATVM NOMEN PVERO POSTVMVS?] nihil vitij videtur eſſe in hac ſcriptura: & eam libri veteres comprobant. ſed apud Feſtum ſic legitur, *quin ſit paratum nomen puero Poſtumi?* quam lectionem puto rectam, & germanam Plautinam, quamquam illam alteram nõ damno. Dicti ſunt autem poſtumi à præpoſitione poſt, quia poſt patrem mortuũ naſcuntur, non à poſt & humo, quaſi poſt patrem humatum naſcantur. Itaque debet ſcribi hoc nomen ſine adſpirationis nota *Poſtumus*, non *poſthumus.* NVNC EGO ISTVM SOROR LABOREM DEMAM, &c.] demam, id eſt, detraham, demo, & addo, opponuntur inter ſe. M. Tull. in Lucullo. *captioſiſſimo genere interrogationis vtuntur: quod genus minimè in philoſophia probari ſolet; cùm aliquid minu-* D *tatim & gradatim aut additur, aut demitur. Soritas hos vocant, quia aceruum efficiunt, vno addito grano.* Sic autem habent omnes libri noſtri manuſcripti, & item ij, quibus Camerarius vſus eſt. Sed Nonius legit *degam*: quod ſimiliter interpretatur minuam. Idémque profert alium Plauti locum Epid. *Degetur corium de tergo meo.* degetur autem interpretatur, detrahetur. Ego hìc *demam* rectam lectionem eſſe arbitror. EGO VIRTVTE DEÛM, &c.] Sic loquebantur veteres, vitandæ offenſionis, & deorum indignationis cauſa, & vt viderentur deorum beneficia erga ſe agnoſcere, bonáque, quæ ſibi eueniſſent, deorum benignitati, non ſuæ virtuti, adſcribere. Sic in Trinum. *Deûm virtute dicam, pater, & maiorum, & tua, Multa bona bene parta habemus.* Videtur autem in hoc loquendi genere quædam ineſſe nominum hypallage, ſiue commutatio. Nam cùm dicturus eſſet is, qui loquitur, *virtute meæ*, νέμεσιν metuens, dicit, *virtute deûm*, ne deos, qui arroganteis, & plus nimio ſibi tribuenteis oderunt, irritet, atque offendat. FACTIONES,] *factio*, inquit Nonius, *dicitur malorum conſenſus, & conſpiratio.* Sall. bello Iugurt. *inter bonos amicitia, inter malos factio. factio item ſignificat opulentiam, abundantiam, & nobilitatem.* Plautus in Aulul. *Iſtas magnas factiones*, &c. DAPSILEIS,) largas, amplas. dapſilis, nomen Latinum factum ex Græco, δαψιλὴς, hoc eſt, largus, abundans, copioſus. EBVRATA] ebore ornata, ſeu obducta. nonnulli libri habent eborata. NIHIL MOROR.] non curo: nihil æſtimo. SVMTIBVS] ob ſumtus. REDIGVNT VIROS.] quia dotatas vxores domum ducentes, eadem opera

libertatem amittunt, & imperium perdunt. ſic idem ſuprà Aſin. *Argentum accepi: dote imperium vendidi.* QVIS EA'ST?] quæ ea eſt? DESPONDERI.] à patre Euclione. VERBA NE FACIAS.] πρόληψις, qua occurrit obiectioni, eáque quæ ſoror dictura erat, occupat. HÆC, PAVPER PLACET.] hæc eſt ſolutio. nam ſatis eſt, ſi ſuo regi ſua placet regina. DII BENE VORTANT.] oratio bene precantis. dij conſilium tuum fortunent. QVID ME NVNQVID VIS?] ſermo diſcedentis. A

## EVCLIO, MEGADORVS ſenes.

PRæſagibat mi animus, fruſtra me ire quum exibam domo,
Itaque abibam inuitus. nam neque quiſquam curialium
Venit, neque magiſter, quem diuidere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hic, animus domi eſt.
ME. Saluus atque fortunatus Euclio ſemper ſies. B
EV. Di te ament Megadore. ME. quid tu? recten' atque vt vis vales?
EV. Non temerarium eſt, vbi diues blandè appellat pauperem.
Iam illic homo aurum me ſcit habere, eo me ſalutat blandius.
ME. Ain' tu valere? EV. Pol ego haud à pecunia perbene.
ME. Pol ſi animus eſt æquus tibi, ſatis habes, qui bene vitam colas:
EV. Anus hercle huic indicium fecit de auro, perſpicuè palàm eſt.
Cui ego iam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi.
ME. Quid tu ſolus tecum loquere? EV. meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote caſſam atque inlocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. ME. tace. bonum habe animum Euclio, C
Dabitur, adiuuabere à me, dic ſi quid opus eſt, impera.
EV. Nunc petit quum pollicetur, inhiat aurum vt deuoret.
Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.
Nemini credo, qui largè blandus eſt. diues pauperi.
Vbi manum iniicit benignè, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego iſtos noui polypos, qui vbi quid tetigerint, tenent.
ME. Da mihi operam parumper, paucis Euclio eſt quod te volo,
De communi re appellare, mea & tua. EV. hei miſero mihi,
Aurum mihi intus harpagatum eſt. nunc hic eam rem volt, ſcio, D
Mecum adire ad pactionem. verùm interuiſam domum.
ME. Quo abis? EV. Iam ad te reuortar. nam eſt quod viſam domū.
ME. Credo edepol, vbi mentionem ego fecero de filia,
Mihi vt deſpondeat, ſeſe à me derideri rebitur.
Neque illo quiſquam eſt alter hodie ex paupertate parcior.
EV. Di me ſeruant, ſalua res eſt. ſaluum eſt, ſi quid non perit.
Nimis malè timui, priuſquam intrò redij, exanimatus fui,
Redeo ad te Megadore, ſi quid me vis. ME. habeo gratiam.
Quæſo quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EV. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat loqui.
ME. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? EV. bono.

Quid



A ME. Quid fide? EV. bona. ME. quid factis? EV. neque malis, neque improbis.
ME. Ætatem meam ſcis? EV. ſcio eſſe grandē itidem vt pecuniam.
ME. Certè edepol equidem te ciuem ſine mala omni malitia
Semper ſum arbitratus, & nunc arbitror. EV. aurum huic olet.
Quid nunc me vis? ME. quoniã tu me, & ego te qualis ſis, ſcio:
Quæ res rectè vortat, mihíque, tibíque, tuæque filiæ,
Filiam tuam mihi vxorem poſco. promitte hoc fore.
EV. Hei Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Vt inopem atque innoxium abs te, atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, vt faceres quod facis.
B ME. Neque edepol ego te deriſum venio, neque derideo,
Neque dignum arbitror. EV. cur igitur poſcis meam gnatam tibi?
ME. Vt propter me tibi ſit melius, mihíque propter te & tuos.
EV. Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem diuitem,
Factioſum. me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,
Te bouem eſſe, & me eſſe aſellum. vbi tecum coniunctus ſiem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego aſinus in luto.
Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem.
Et te vtar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
C Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid deuortij fuat.
Aſini me mordicibus ſcindant, boues incurſent cornibus.
Hoc magnum eſt periculum, ab aſinis ad boues tranſcendere.
ME. Quàm ad probos propinquitate proximè te adiunxeris,
Tam optimum eſt. tu conditionem hanc accipe, auſculta mihi.
At eam deſponde mihi. EV. at nihil eſt dotis quod dem. ME. ne duis
Dum modò morata rectè veniat, dotata eſt ſatis.
EV. Eò dico, ne me theſauros repperiſſe cenſeas.
ME. Noui, ne doceas, deſponde. EV. fiat. ſed. prò Iuppiter.
D Non ego diſperij? ME. quid tibi eſt? EV. quid? crepuit quaſi ferrum modò.
ME. Hîc apud me hortum confodere iuſſi. ſed vbi hic eſt homo?
Abiit, neque me certiorem fecit. faſtidit mei.
Quia videt me ſuam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam ſi opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, per metum malè rem gerit:
Idem quando illæc occaſio periit, pòſt ſerò cupit.
EV. Si hercle ego te non elinguandam dedero vſque ab radicibus,
Impero, auctórque ſum, vt tu me cuiuis caſtrandum loces.
ME. Video hercle ego te me arbitrari Euclio hominem idoneum,
Quem ſenecta ætate ludos facias, haud merito meo.

EV. Neque edepol Megadore facio, neque ſi cupiam, copia eſt. A
ME. Quid? nunc etiam mihi deſpondes filiam? EV. illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. ME. ſpōden' ergo? EV. ſpōdeo.
Iſtuc di bene vortant. ME. ita faxint. EV. illud facito vt memineris
Conueniſſe, vt ne quid dotis mea ad te afferret filia.
ME. Memini. EV. at ſcio, quo vos pacto ſoleatis perplexarier.
Pactum non pactum eſt, non pactum pactū eſt, quod vobis lubet.
ME. Nulla controuerſia mihi tecum erit. ſed nuptias
Hodie quin facimus? num quæ cauſa eſt? EV. immò edepol optumè.
ME. Ibo igitur, parabo, numquid me vis? EV. iſtuc fiet, vale. B
ME. Heus Strobile, ſequere properè me ad macellum ſtrenuè.
EV. Illic hinc abiit. di mortales, obſecro aurum quid valet?
Credo ego iam illum inaudiiſſe, mihi eſſe theſaurum domi:
Id inhiat. ea affinitatem hanc obſtinauit gratia.

PRÆSAGIBAT MIHI AN.] præſentiebam. diuinabam. augurabar. præcognoſcebam. Terent. Heaut. *ſed neſcio, quid profectò mihi animus præſagit mali*. Virg. lib. 10. *Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes*. Idem ibid. *Agnouit longè gemitum præſaga mali mens*. M. Tull. lib. 1. de diuin. hunc verſum profert. & quid ſit præſagire, docet his verbis. *Neque enim illud verbum temerè conſuetudo approbauiſſet, ſi ea res nulla eſſet omnino. Præſagibat mi animus fruſtra me ire, cùm exibam domo. Sagire enim, ſentire acutè eſt. ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt: & ſagaces dicti canes. Is igitur, qui antè ſagit, quàm oblata res eſt, dicitur præſagire, id eſt, futura antè ſentire. Ineſt igitur in animis præſagitio extrinſecus iniecta, atque incluſa diuinitus*, &c. Feſtus, *præſagire*, inquit, *eſt prædiuinare, præſipere. ſagax enim eſt acutus & ſollers*. NEQVE MAGISTER, QVEM DIVI.] ex hoc apparet per magiſtrum curiæ, C diuiſorem ſignificari, qui curialibus nummos diuidebat. dicuntur autem curiales à curia, qui ſunt eiuſdem curiæ, vt tribules à tribu, qui ſunt eiuſdem tribus. Porrò latiùs patet tribus, quàm curia. PROPERARE PROPERO] ſic loquuntur Græci, in primis Homerus, apud quem crebrum eſt, Βῆ δ' ἰέναι. Sic iterum Plautus Capti. *meminiſſe, vt memineris*. NAM EGOMET SVM HÎC DOMI'ST] vbi eſt id, quod ames, & cures, cuiuſque amore, & ſtudio tenearis, ibi animus tuus eſt. Plautus Pſeud. *Aduortito animum*. CA. *non adeſt*. PA. *at tu cita. Immò ego tacebo, tu hinc eum ex cera cita. Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore*. Idem in Perſa. *nam animus in naui'ſt meus*. Idem Menæch. *mens eſt in querelis*. Terent. in Eunuch. *Iamdudum eſt animus in patinis*. Quod videtur ex Alexide expreſſum, cuius exſtat hic verſus apud Athen. lib. ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον. M. Tull. lib. 15. epiſt. ad Att. *nauigia colligebat. erat animus in curſu*. Horat. oda. 5. lib. 2. *Circa virenteis eſt animus tuæ campos iuuencæ*. Sic igitur Euclio dicit animum ſuum domi eſſe, non ibi, vbi corpus eſt: propter theſaurum ſcilicet. NON TEMERARIVM EST, ] οὐκ ἄλογόν ἐστι. non ſine ratione fit. VBI DIVES BLANDÈ APP.] Non temerè fit, inquit, cùm diues eum, qui antea pauper erat, ſolito blandius ſalutat. Nam videtur eò D facere, quòd ſuſpicetur, aut etiā ſciat, illū auri theſauro aliquo reperto, diuitē eſſe repentè factū. Hæc autem ſecum loquitur Euclio ad ſpectatores verſus, à Megadoro auerſus. ILLIC HOMO] ille homo. AIN' TV TE VALERE?] ſic habent noſtri libri veteres. HAVD A PECVN. PERB.] à pecunia, id eſt, quod ad pecuniam attinet, vel ab ea parte, quæ ad rem nummariam pertinet, non perbene valeo. POL SI ANIMVS EST ÆQ. &c.] γνώμη. Pol, inquit, ſi animus tibi tranquillus, & ab angoribus, & perturbationibus animi vacuus eſt, ſatis amplam pecuniam habes, vnde bene, beatéque viuas. Lucret. lib. 5. *Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè Æquo animo*. INDICIVM FECIT, ] indicauit. Hoc totum autem ab hoc verſu Anus hercle, &c. vſque ad extremum ſequentis, loquitur ſolus Euclio. LINGVAM PRÆCIDAM [ primorem linguam exſecabo. ATQVE OCVLOS EFFODIAM D.] ſic ſuprà, *Oculos hercle ego iſtos improba effodiam tibi*. cur minatur ſe linguam anui præciſurum? quia indicauit, atque enuntiauit cur oculos effoſſurum? quia vidit. MEAM PAVPERIEM CONQV.] verbum *conqueror* iunxit cum quarto caſu, vt ſuprà verbum queror, in Amphitr. *queri ſeruitutem*. GRANDEM] grandem natu, atque idcirco maturam viro, &, vt ait Maro, plenis annis nubilem. DOTE CASSAM, ] dote vacuam, & inanem, ſiue carentem: id eſt, in vno verbo, indotatam. ἀπροίκον. Nonius profert hunc verſum in voce *caſſum*. Lucret. lib. 3.

*nec*



A *nec autem Caſſum anima corpus, durare, & ſenſibus vti*. Idem lib. 4. *Nam nihil eſſe poteſt aliud, niſi lumine caſſus Aër, id, quod nos vmbram perhibere ſolemus*. M. Tull. *caſſum* ſine caſu ablatiuo poſuit lib. 1. Tuſcul. 4. in extr. *omne, quod honeſtum nos, & laudabile eſſe dicimus, id illi caſſum quiddam, & inanis vocis ſono decoratum eſſe dicunt*. & ſimiliter Lucret. lib. 3. *Tantalus, vt fama'ſt, caſſa formidine torpens*. Pacuuius apud M. Tull. lib. 2. de Diuin. *Tardigradam, herbigenam, domiportam, ſanguine caſſam*. ATQVE INLOCABILEM.] id eſt, & quæ in matrimonio collocari non poteſt. ſeu & quæ viro nuptum dari non poteſt. ἀνέκδοτον. profert hunc locum Nonius in verbo *locare*, quod interpretatur, viro tradere, marito dare. NVNC PETIT CÙM POLL.] Hæc omnia ſecum loquitur Euclio, vſque ad ea, quæ palàm, & clarè loquitur Megadorus. INHIAT AVRVM, ] ſic in Mil. glor. *Bona mea inhiant*. tralatio eſt ab animalibus rapacib. & voracibus, quæ ore hiante, & patēte prædæ imminent. Dicunt etiam Latini, inhiare auro, ſeu ad aurum. ALTERA MANV F. LAP. P. OST. ALT.] prouerbium olet, quo ſignificatur quis ſpecie, & fronte benignus, ac beneficus eſſe: re vera perniciem, & calamitatem inſidioſè, atque occultè moliri. Sumtum videtur ab iis, qui canem, pane oſtentato alliciunt, vt hac inani ſpe lactatum, facilius lapide, aut fuſte percutiant. NEMINI CREDO, QVI L. BL.] ſententia non negligenda, quæ vtilis præcepti ac documenti loco eſſe poteſt. Ferè fit enim vt blandi homines, ſint fallaces, ac pellaces.
B DIVES PAVP. VBI MAN. INICIT B.] vbi diues pauperi benignè, id eſt, liberaliter, manū iniicit, manúmque cum manu copulat, ibi aliquod damnum parat. IBI ALIQVAM ONERAT ZAMIAM.] Si recta hæc ſcriptura, quam in omnibus ferè codicibus manuſcr. reperi, dicendum eſt, hîc eſſe hypallagen, & *onerat aliquam Zamiam pauperi*, vſurpatum eſſe, pro onerat pauperem aliqua zamia. quod non eſt bonis ſcriptoribus inuſitatum, tale eſt illud apud Horat. epiſt. ad Piſones, *ſiue receptus Terra Neptunus claſſeis Aquilonibus arcet*. quod poſitum eſt, pro à claſſibus aquilones arcet. Sed Simeo Boſius putabat legendum, ornat, pro onerat, vt *ornat* intelligamus valere, inſtruit, parat, comparat, quæ verbi ſignificatio non eſt viris Latinè doctis inaudita. Sic dicimus, nomen ornatum, prouinciam ornatam: & vt propius ad huius loci ſententiam accedam, *fugam ornare*, quod à Terentio poſitum eſt in Eunuch. profugam parare. Iam zamia Græcum nomen eſt ζημία. Zamia verſum eſt η, in α. dorice. POLYPOS:] polypus, piſcis, quidquid ſuis fibris, & branchiis adeptus & amplexus eſt, quæ ſunt illi loco manuum, & pedum, id firmiſſimè tenet. per polypos igitur, rapaceis, & tenaceis homines ſignificat, qui polyporum inſtar, quidquid concupiuerunt, id corripiunt, & retinent. PAVCIS EVCL. EST Q. TE V.] ordo, & ſententia hæc eſt. eſt aliquid propter quod te volo paucis appellare de re
C communi, mea, & tua. DE COMM. RE] Horat. Sat. 6. lib. 2. *de re communi ſcribæ magna, atque noua, te Orabant*, &c. HARPAGATVM EST.] raptum, & quaſi harpagone ablatū eſt. Harpago as, verbum, vel ab ἁρπάζω Græco, vel ab harpagone tractum. Eſt autem harpago, nis, inſtrumenti vnci genus, ad corripiendum, quidquid incidit, comparatum, quo nomine vtitur & Cæſar lib. 7. de Bello Gall. non longè admodum ab extremo. ibi. *Vno die intermiſſo, Galli, atque hoc ſpatio, magno cratium, ſcalarum, harpagonū numero effecto, media nocte ſilentio ex caſtris egreſſi ad campeſtreis munitiones accedunt*. EAM REM] ob eam rem. VERVM INTERVISA D.] verùm interim, viſam domū. EST QVOD] eſt propter quod. eſt aliqua cauſa, propter quam. DOMVM] ad domum, ad ædes. REBITVR.] opinabitur, exiſtimabit. EX PAVPERTATE] id eſt, ex anguſtiis rei familiaris. è re tenui. ſunt enim nonnulli etiam in re lauta & copioſa parci, & illiberales: nōnulli alij etiam in re tenui, & anguſta prolixi & liberales. Alij ſic explicant, ex paupertate, id eſt, ex ordine & numero pauperum. & ita Camerarius. DII ME SERVANT.] redit domo Euclio hilarior, quòd theſaurum ſuum intactum, & integrū repererit. quo cognito, ſe à diis ſeruatum, id eſt, ab interitu ereptum, ac vindicatum, dicit. Horat. epiſt. 9. lib. 1. *Sic me ſeruauit Apollo*. SALVA RES EST.] aurum ſaluum eſt. INTRO R.] domum redij, vt viderem, ſaluáne res eſſet. EXANIMATVS FVI.] metu. PROLOQVI.] palàm, & clara
D voce loqui. QVÎD? FIDE?] quid? qua me fide eſſe putas? SINE MALA OMNI MALITIA.] ſine omni malo dolo: ſed videtur hîc eſſe pleonaſmus. Nam dolus quidem alius bonus eſt: alius, malus. ſed malitia omnis, mala eſt: nulla bona. vel dicamus, hîc *malitiæ* nomen, pro ſolertia, & calliditate quadam eſſe poſitum. Nam, vt ait M. Tull. in partitionibus orat. *& prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollēdis, & veræ gloriæ, laudiſque ſtudium deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinē audacia imitatur*. Idem lib. 9. epiſt. *Tamen à malitia non recedis. tenuiculo apparatu ſignificas Balbum fuiſſe contentum. Hoc videris dicere cùm reges tam ſint continentes, multo magis conſulareis eſſe oportere*. ex quo per homines minimè malos, ſtultos, &, vt Græci loquuntur, εὐήθεις. ſignificamus. Sed Nonius, ſi eum auctorem ſequimur, omnem dubitationem tollit, qui docet, malitiam veteres, vt dolum, mediam ponendam duxiſſe, quaſi ſit & aliqua bona. & hunc locum teſtem producit. *adeò*, inquit, *vt improbum poſtpoſuerit malo, quod grauius putatur. in eadem comœdia. Quid factis? EV. neque malis, neque improbis*. AVRVM HVIC OLET.] id eſt, hic aurum odoratur. vel hic me aurum habere ſentit. tralatio eſt. & admonendus eſt lector minus callidus, Euclionem hæc ſecum loqui. QVÆ RES RECTÈ VORTAT, &c.] præfatio veterum bene ominandi gratia. PROMITTE HOC FORE] id eſt, deſponde mihi filiam tuam in poſte-

rum,ſeu in futurum. INNOXIVM ABS TE ATQ. ABS TVIS] qui nec tibi, nec tuis A nocuit.vel ſic, qui innoxius, ſeu innocens eſt, quod ad te,& ad tuos attinet. NEQVE DIGNVM ARB.] neque te dignum arbitror,qui deridearis. Cicer. Philipp.3. *Primùm quid eſt dignus?* Nam etiam malo digni multi, ſicut ipſe. Idem de voce *indignus*. nam indignus malo interdum dicitur.vt apud Horatiū Sat.2.lib.2. *Cur eget indignus quiſquã te diuite?* FACTIOSVM,] opulentum,copioſum,bonis omnibus fortunæ affluentem. PAVPERVM PAVPERRIMVM,] paupertatem extremam ſibi ſumit,ac tribuit,vt ſuſpicionem omnem theſauri, quem habet apud ſe,remoueat,ac repellat. LOCASSIM] locauerim. quid ſit locare filiam, ſuprà dictum eſt,ibi,& inlocabilem. TE BOVEM ESSE, ET ME ESSE ASSEL.] bos,& aſinus, animalia ſunt imparia, & ad iugum pariter ſubeundum, vehiculúmque trahendum, & onus ferendum inepta. bos enim, & maior,& validior aſino eſt natura, & multo magis aſello. Hinc prouerbium ab aſinis ad boues,cui nũ diſſimile eſt ab equis ad aſinos. Allegoria igitur eſt, qua ſe quidem,vt pauperrimum aſellum:Megadorũ verò,vt ditiſſimum,bouem facit. CONIVNCTVS] coniunctum intellige explicata allegoria, coniunctum per affinitatem, & per filiæ nuptias tecum contractas. *coniunctus* tamen hîc, vt allegoriam ſeruemus, valet quoque idem iugum ferens,coniugatus, eidem iugo ſubiunctus. EGO ASINVS,] vt imbecillus, & inualidus, hoc eſt, explicata allegoria, ego pauperrimus. TV ME BOS MAGIS HAVD B RESP.] id eſt,tu diues nihilo magis mihi ſubuenias,aut auxilium feras,quàm ſi nunquam natus ſim. GNATVS QVàM SI NVNQ.] id eſt, quàm ſi nunquam natus ſim.gnatus dixit, pro natus, vt ſuprà in prologo Amphitr. *Gnatum arbitratur eſſe id à vobis ſibi.* plus eſt autem nunquam natum eſſe,quàm mortuum eſſe. Nam quamuis mortui à pleriſque contemnantur,& negligantur,valet tamen apud bonos eorum memoria,præſertim ſi qua virtutis laude floruerint. qui nunquam nati ſunt verò,cùm in natura rerum fuerint nunquam, ne in mẽtem quidem nobis veniunt, neque vlla cogitatione à nobis informari poſſunt. ET TE VTAR INIQ.] id eſt,& te experiar mihi infeſtiorem,atque inimiciorem. ET MEVS ME ORDO] id eſt, & pauperes,qui ſunt mei ordinis,&c. Terent.in Eunuch. *Conueni hodie aduenients quendam mei loci hinc,atque ordinis.* NEVTRVBI.] neutro in ordine:ſiue apud neutros,id eſt,neque apud diuites,neque apud pauperes. STABILE STABVLVM] in allegoria manet. Nam ſtabulum locus eſt,in quo ſtare ſolent feræ,& pecora.ſtabile ſtabulum autem, id eſt, firmum, & certum ſtabulum.& eſt paronomaſia. SI QVID DEVORTII FVAT.] ſi quid diſcidij fiat. ſi remittas nuntium filiæ meæ: ſi filiam meam res ſuas ſibi habere iubeas. vel ſi quo alio modo ſoluatur matrimonio. ASINI ME MORDICVS SCIND.] id eſt,Aſini me morſibus, C ſeu mordendo conſcindant.ſic autem eſſe legendum, & iam antè cenſuit Adr. Turnebus,reclamante Nonio,& ego,conſultis libris veteribus,ita emendandum curaui, cum libri omnes vulgati,habeant *mordicibus*:itaque Nonius legerit:cuius hæc verba ſunt. *Mordicibus, & mordicus pro morſu, pro morſibus.* Plautus Aulul. *Aſini me mordicibus*, &c. Nam hæc lectio primùm inepta eſt: deinde verſus eam ferre non poteſt. De libris veteribus autem, hoc liquidò aſſeuero,in iis omnibus,quibus vſus ſum,(octo autem numero fuerunt)reperiſſe ſcriptum,*mordicus*, vno excepto, in quo ſcriptum eſt, *morſibus*: qui erat alter ex libris Claudij Puteani. Atque hinc fortaſſe nata eſt ſcriptura illa deprauata, *mordicibus*. nam cùm initio ſcriptum eſſet *mordicus*, itaque Plautus ſcripſerit: adſcripſit aliquis explicator *morſibus*, poſtea ſcriptores librarij alij ſcripſerunt, morſibus ſimpliciter, alij dubitanter mordicus, & morſibus hinc factum mordicibus, vox protentoſa, vt hippocentaurus, ex homine, & equo. Omnino *morſibus* quod in vno, vt dixi, codice reperi, malim, quàm *mordicibus*, ſed *mordicus* vocem germanam Plautinam eſſe arbitror. INCVRSENT CORNIBVS] petant, & inuadant cornibus. ſuprà in Aſinaria. *Vbi viuos homines mortui incurſant boues.* AB ASINIS AD BOVES TRANSCENDERE.] prouerbium eſt, vt dixi, quo ſignificat Euclio D periculoſum eſſe à pauperum atque humilium ordine, & fmilia, ad ordinem & familiam diuitum ac potentium aſcendere. Periculum eſt enim ne pauperes & humiliores à diuitibus petantur cornibus. Notum illud, Fœnum habet in cornu: quod conuenit in potenteis & factioſos: & in Craſſum coniectum eſt. qua de re plura in comment. Horatianis ad illum locum, *Fœnum habet in cornu.* Satyra 4. libri primi. QVAM AD PROBOS PROPINQVITATE, &c.] ordo eſt, quàm proximè te ad probos adiunxeris propinquitate, id eſt, propinquum reddideris: tam optimum eſt. vt Latini dicunt, *quàm magis, tam magis*: de quo ſatis multa diximus in commentar. Lucret. Sic, quam maximè, tam maximè, & ſimil. TV CONDICIONEM HANC ACC.] condicio ſæpe de re vxoria dicitur, vt hîc, & infrà eadem comœd. ibi. *Narraui amicis multis conſilium meum de cõdicione hac.* Cicero in Lælio addidit voci *condicio* vocem hanc ipſam *vxoria*, verba eius hæc ſunt. *ſi autem, ad adoleſcentiam perduxiſſent: dirimi tamen interdum contentione vel vxoriæ condicionis, vel commodi alicuius, quod idem adipiſci vterque non poſſet.* Sic autem & legendum eſſe docuimus & edendum curauimus. Nam libri ante meam editionem vulgati, habebant, *vel luxuriæ condicione*, aut non longè ſecus. AT EAM DESPONDE MIHI] omnes libri veteres, quos adhibui, quibúſque vſus ſum, habent, vt pleríq. vulgati, *Atque eam deſp. m. neq.* neque video, quamobrem hanc ſcri-

pturam



A pturam immutarit Camerarius: niſi fortè libros aliquos veteres duces ſecutus eſt. Poteſt tamen ferri editio Camerariana, vt punctum ponatur ante *At deſp.* & intelligamus *at*, poſitum pro interiectione vrgentis,& inſtantis. Omnino malim legi. *atque*, vel *&*, vt antecedat diſtinctionis nota duntaxat. AT NIHIL EST DOTIS, QVOD DEM.] quatuor ex noſtris libris veteribus habent, *at nihil eſt dotis quidem.* NE DVIS.] ne dederis. DVM MODÒ MOR. R. VEN. D. EST S.] γνώμη. Sic Horat. oda 24. lib.3. *Dos eſt magna, parentium Virtus, & metuens alterius viri Certo fœdere, caſtitas.* Tale ferè illud Menandri γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ᾽ οὐ χρυσία: id eſt, Virtus puellas ornat, haud pecunia. vel ſic: *Non fœminam ornat aurum, ſed mores probi.* Sic Antipater Theſſal. Παρθένε καλλιπάρηε, κόρη δ᾽ ἐμὴ, ἴσχε συνεργὸν ἠλακάτην, ἀρκεῦν χλῆμα πένητι βίῳ. ἢν δ᾽ ἵκῃ εἰς ὑμέναιον, ἀχαΐδος ἤθεα μητρὸς Χρηστὰ φύλασσε, πόσει προῖκα βεβαιοτάτην. id eſt, *O virgo, pulchro ore nitens, mea filia, plenam Sume colum. Hac vitam nam tolerare potes. Si nubas: caſtos cole mores matris Achiuæ. Hæc erit ampla viro dos ſtabiliſque tuo.* Sic noſter Plautus ſuprà in Amphitr. *Non ego illam dotem mihi duco eſſe, quæ dos dicitur, Sed pudicitiam & pudorem,* &c. EO DICO, NE ME THES. R. C.] omnes libri noſtri veteres habent *theſauros* in numero multitudinis. quos ſequor. Nam vulgati habent *theſaurum*, in ſingul. homo ſuſpicioſus tacere non poteſt, quod tantoperè celatum cupit. CENSEAS] exiſtimes. QVID? B CREPVIT Q.] quid ſit, rogas? aliquid crepuit inſtar ferri. HÎC APVD ME] Hîc domi meæ. Hæc eò à Megadoro dicuntur. vt Euclio omni ſuſpicione liberetur. ſed fruſtrà. nam continuò ſe domum corripit, vt videat, aurum ſítne ſaluum. FASTIDIT MEI.] Nonius, faſtidit mei, inquit, pro faſtidit me, profert & hunc Lucilij verſum Sat.lib.7. *Triſtes, difficles ſumu', faſtidimu' bonorum.* PER METVM MALÈ REM. G.] Horat. de ſene, in epiſt. ad Piſon. *res omneis timidè, gelidéque miniſtrat.* ELINGVANDAM] lingua priuandam: elinguem faciendam. VSQVE AB RADICIB.] Lucret. lib.6. *quom tamen alta Arbuſta euoluens radicibus haurit ab imis.* AVCTOR Q. SVM,] & ſuaſor, ea lege, vt periculo meo fiat, & damnum præſtem. auctor eſt, qui aliquid iubet agi, aut fieri ſuo periculo. Hinc auctoritas, quam ſcriptor vocabularij latinogallici interpretatur, ἀξιοπιστίαν. LOCES] mercede pacta, & promiſſa tradas. SENECTA ÆTATE] ætate ſenio confecta. Lucret. lib.3. *Quídue foras ſibi volt membris exire ſenectis?* Idem lib. 5. *Pòſt vbi equum valide vires ætate ſenecta Membráque deficiunt* &c. Plautus ſupra in Amphitr. *quia ſenecta in ætate meudicas malum.* LVDOS FACIAS,] deludas, ludifices. Loquitur hoc modo millies Plautus exempli cauſa, Epid. in extr. *Quo modo me ludos feciſti de illa conductitia Fidicina?* Idem in Bacchid. *Me hoc ætate ludificari: immò ædepol ſic ludos factum Cano capite,* &c. NEQVE SI CV- C PIAM, COPIA'ST.] neque ſi velim, poſſum. ILLIS LEGIB.] illis condicionibus, quas dixi, & tuli tibi. SOLEATIS.] vos diuites. PERPLEXARIER.] perplexè loqui, perplexo, & inexplicabili ſermone vti. PACTVM NON PACTVM EST: NON PACTVM, P.] tale illud Terent. in Ph. *Quid vos malum ergo me ſic ludificamini inepti veſtra pucrili ſententia? Nolo, volo: volo nolo, rurſum cedò, cape. Quod dictum, indictum eſt: quod modò erat ratum irritum eſt.* NVLLA CONTROVERSIA] οὐδεμία ἀμφισβήτησις. quin facimus? cur nõ facimus? NVM QVÆ CAVSA'ST] num aliqua cauſa eſt, quare hodie nuptias non faciamus? NVMQVID ME VIS?] ſermo abire volentis, aut parantis. STRENVÈ] σπουδαίως, diligenter, properè. ILLIC] ille. AVRVM QVID VALET?] quantam vim habet aurum? CREDO EGO IAM ILLVM INAVD.] profert hunc locum Nonius, vbi loquitur de numeris, & caſibus immutatis: & maximè vbi docet nominatiuũ pro datiuo poni, quaſi in *id inhiat. id*, ſit nominatiui caſus, pro ei inhiat. Ego Nonium falli puto. Nam hîc *id*, eſt accuſandi cauſus: cum quo caſu non ſemel iunxit Plautus hoc verbum. vt in Mil. glor. *Bona mea inhiant,* &c. & in Sticho. *Nam illic homo tuã hereditatẽ inhiat, quaſi eſuriẽs lupus.* Iam *inaudiiſſe*, poſitũ pro audiiſſe, vſitatè. ſic Moſtel. *Metuo, ne de hac re quippiã inaudiuerit.* Idem Mil. glor. *Hîc ſororem inaudiui eſſe. eam veni quæſitum.* M. Tull. lib.9. epiſt. D ad Pætũ. *Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me: quæ te video inaudiſſe.* Nonius. inaudire, audire. M. Tull. ad Panſam. 1. *Quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primùm quiddam inaudieram.* Illud me fugerat admonere lectorem, ex hoc loco videri poſſe, theſaurum eſſe maſculini, & neutri generis. Nam *id inhiat*, aliter explicari non poteſt, niſi theſaurum inhiat. EA AFFIN. H. OBST.] ea gratia, id eſt, ob eam cauſam, obſtinauit, hoc eſt, obſtinatè, pertinaciter, & obfirmatè expetiuit hanc affinitatem. Terent. in Andr. *Itáne obſtinatè operam dat, vt me à Glycerio miſerum abſtrahat?* Feſtus. obſtinat, obfirmat.

EVCLIO ſenex, STAPHYLA anus.

EV. VBi tu es quæ deblateraſti iam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? heus Staphyla te voco,
Ecquid audis? vaſcula intus purè propera, atque elue.
Filiam deſpondi ego hodie, huic nuptum Megadoro dabo.
STA. Di bene vortant. verùm ecaſtor non poteſt, ſubitum eſt nimis.
EV. Tace atque abi, curata fac ſint quum à foro redeam domum.

Atque occlude ædes: iam ego hic adero. ST. quid ego nunc A
agam?
Nunc nobis propè adeſt exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam, probrum atque partitudo propè adeſt, vt fiat palàm.
Quod celatum eſt, atque occultatũ vſque adhuc, nũc non poteſt.
Ibo intrò, vt hæc, quæ imperauit, facta, cùm veniat, ſient.
Nam ecaſtor malum mœrorem metuo ne miſtum bibam.

QVÆ DEBLATERASTI, &c.] blaterare, eſt inaniter, & inconditè loqui, inquit Nonius: confingere, blatire. deinde profert illud ex Amph. *Qui, malum, intelligere quiſquam potis eſt? ita nugas blatis.* profert & hunc verſum. *Vbi tu es*, &c. *de* autem in compoſitione plerumque auget, vt in denarrare, deſæuire, deamare, &c. PVRè PROPERA, ATQVE ELVE.] id eſt aqua pura lauare propera, & totam aquam in eis lauandis abſume. Feſtus. purè lautum, aqua pura lauatum. vel ſic: fac, vt citò pura, munda, & lota ſint. alij ſic, vaſa puta, & lota properè expedi, ac deprome. Turnebus ſic: Tu ipſa antè purè lauta, vaſa properè expedi, & elue. B SVBITVM EST NIMIS.] nimis breue, & anguſtum tempus eſt ad adparandas nuptias. M. Tull. epiſt. 2. lib. 13. epiſt. Nam propter opera inſtituta multa multorum, ſubitũ eſt ei demigrare kalend. Quinctil. PROPè ADEST, &c.] imminet exitium. NAM PROBRVM, ATQVE PART.] id eſt, tempus appropinquat, & inſtat, cùm probrum., id eſt, ſtuprum herili filiæ oblatum, & partitudo, id eſt, partio ſeu partus, fiat palàm, id eſt, exeat & emanet in vulgus. vulgo pateſiat. VSQVE ADHVC] vſque ad hoc tempus. MALVM MOEROREM] *malum* epithetũ perpetuum, vt cum dicunt poëtæ Græci λευκοῖο γάλακτος, & Latini abſintium amarum, & mel dulce, &c. MALVM MOERÒREM M. N. MIST. BIB.] allegoria ducta ab iis, qui potionem aliquam miſtam, minus iucundam bibunt, vt qui potionem abſintio temperatam, aut aliquid ſimile, immò potius qui liquorem aliquem letalem & mortiferum bibere iubentur. Plautus in Caſina. *vt ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet.* Terẽt. Phorm. *tu te hoc intriſti. tibi omne eſt exedendum.* eiuſdem generis ſunt illa, deuorare, & exſorbere moleſtiam. Præterea miſcere vinum, & poculum ſeu potum, pro parare, vt Græci κερᾶν, dicunt Latini.

C

STROBILVS ſeruus. ANTHRAX,
CONGRIO, coqui.

STR. POſtquam obſonauit herus, & conduxit coquos,
Tibicináſque haſce apud forum, edixit mihi,
Vt diſpertirem obſonium hic bifariam.
COC. Me tu quidem hercle (dicam palàm,) non diuides.
Si quò tu totum me ire vis, operam dabo.
STR. Bellum & pudicum verò proſtibulum popli.
Pòſt ſi quis vellet, te haud non velles diuidi.
Atqui ego iſtuc Anthrax aliouorſum dixeram, D
Non iſtuc quod tu inſimulas. ſed herus nuptias
Meus hodie faciet. COC. cuius ducit filiam?
STR. Vicini huius Euclionis ſenis è proximo.
Ei adeò obſonij hinc dimidium iuſſit dari,
Cocum alterum, itidémque alteram tibicinam.
COC. Nempe huic dimidium ducis, dimidium domi?
STR. Sicut dicis. COC. quid hic non poterat de ſuo
Senex obſonari filiæ in nuptiis?
STR. Vah. COC. quid negotij eſt? STR. quid negotij ſit rogas?
Pumex non æquè eſt aridus, atque hic eſt ſenex.

Ain'



A COC. Ain' tandem ita eſſe vt dicis? STR. tute exiſtima.
Suam rem periiſſe, ſéque eradicarier,
Quin diuûm atque hominum clamat continuò fidem,
De ſuo tigillo fumus, ſi qua exit foràs.
Quin quum id dormitum, follem obſtringit ob gulam.
COC. Cur? STR. ne quid animæ fortè amittat dormiens.
COC. Etiámne obturat inferiorem gutturem,
Sibi ne quid animæ fortè amittat dormiens?
STR. Hæc te mihi, ſicut tibi me, æquum eſt credere.
COC. Immò equidem credo. STR. at ſcin' etiam quo modo?
Aquam hercle plorat, quum lauat, profundere.
B COC. Cenſen' talentum magnum exorari poteſt,
Ab iſtoc ſene vt det, qui fiamus liberi?
STR. Famem hercle vtendam, ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor vngues demiſerat,
Collegit & omnia, abſtulit præſegmina.
COC. Edepol mortalem parcè parcum prædicas.
Cenſen' verò adeò eſſe parcum, & miſerè viuere?
STR. Pulmentum pridem eidem eripuit miluius,
Homo ad prætorem plorabundus deuenit,
Infit ibi poſtulare plorans, eiulans,
Vt ſibi liceret miluium vadarier.
C Sexcenta ſunt, quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed vter veſtrorum eſt celerior? memora mihi.
CON. Ego, vt multo melior. STR. cocum ego, non furem rogo.
CON. Cocum ego dico. AN. quid tu ais? CON. ſic ſum vt vides.
AN. Cocus ille nundinalis'ſt, in nonum diem
Solet ire coctum. CON. tu trium litterarum homo
Me vituperas fur? AN. etiam fur trifurcifer.

POSTQVAM OBSONAVIT H.] obſonauit, id eſt, obſonium emit. obſonare, & obſonari idem valent, ſignificántque, obſonium parare. Terẽt. Adelph. *Obſonat? potat? olet vnguenta? de meo.* Idem Andr. *Vix*, inquit, *drachmis obſonatus eſt decem.* Plautus Caſina. *Argento parci nolo. obſonato ampliter.* Idem in Mercat. *Decem vocaſſet ſi ad cenam ſummos viros, Nimium obſonauit.* Idem hac D eadem comœd. non longè. *hic non poterat de ſuo Senex obſonari filiæ in nuptiis?* ET CONDVXIT COCOS:] priuatæ perſonæ, quæ coquos non habebant familiareis, ac domeſticos, coquos in foro conducebant. Idem in Mercat. *egomet conduxi coquum. Sed eum demiror non venire, vt iuſſeram.* Idem Pſeud. COQ. *ſi me arbitrabare iſto pacto, vt prædicas, Cur conducebas?* Plinius lib. 18. cap. 12. *nec cocos verò habebant in ſeruitiis, eóſque ex macello conducebant.* ME TV QVIDEM H.] proinde ac ſi dicat. Obſonium quidem tuo arbitratu diuidas licet: ſed me non diuides. Iam hoc non diuides, vt ambiguè dictum, ita duobus modis accipere licet, vel propriè pro non ſecabis me in duas parteis dimidias: vel non præcides, ſeu non pędicabis. M. Tull. epiſt. ad Pætum lib. 9. *Quid? non honeſtum verbum eſt diuiſio?* (al. *diuido?*) *cui reſpondet intercapedo.* BELLVM ET PVDICVM, &c.] reſpondet ſeruus Strobilus ad id, quod ſe ſentire oſtenderat alter ex cocis, hoc modo, O hominem elegantem, & pudicum, & ab omni flagitio, & probro abhorrentem. εἰρωνεία eſt. ſignificat enim illum vniuerſi populi libidini eſſe expoſitum, & eſſe vulgare ſcortum. Nonius, inter meretricẽ, & proſtibulam, inquit, hoc intereſt, quòd meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus. Nam meretrices à merendo dictæ ſunt, quòd copiam ſui tantummodò noctu faciant: proſtibulæ, quòd ante ſtabulum ſtent, quæſtus diurni, & nocturni cauſa. deinceps profert verſum ex Ciſtell. qui hodiè non reperitur in ea comœd. *Intro ad bonam meretricem: adſtat hæc in via ſola. pro-*

*ſtibulum ſane'ſt.* licebat proferre alium ex Sticho in extr. *Proſtibuli'ſt autem ſtantē ſtanti ſuauium Dare amicum amicæ.* A Pòst si qvis vellet,] ſententia eſt hæc, ſimulas, inquit, te pudicū eſſe, & ab impudicitia abhorrere. ſed, ſi quis te vellet præcidere, nòn nolles te præcidi, pòſt, hoc eſt, deinde, poſtea tamen εἶτα. Aliovorsvm] aliorſum, in aliam ſententiam, quàm tu interpretatus es. Non istvc, qvod tv insim.] non iſtùc dixeram, quod te me dixiſſe inſimulas, id eſt, arguis. Inſimulare, inquit Feſtus, crimen in aliquem confingere. Ei adeò obsonii hinc dimidivm, &c.] A. Gell. lib. 3. cap. 14. profert hunc verſum, docens quid interſit inter dimidium & dimidiatum. Sic autem ille, Idem in Aulul. dimidium obſonij, non dimidiatum obſonium, in hoc verſu, *Ei adeò obſonij hinc iuſsit dimidium dari.* Nempe hvic dimidivm dvcis, &c.] ſic habent omnes libri noſtri veteres, & ita edidit Camerarius. Nam vulgati habent, *dimidium dicis.* fortaſſe non malè. ſed antiquam ſcripturam vulgatæ antepono: quamuis illa ſit aliquanto obſcurior: *ducis* autē interpretor, quaſi pompam agis, ſeu producis, πέμπεις, vel ſimpliciter *ducis*, refertur ad coquos, qui ducuntur: non portantur, vt neque res vllæ animatæ. De svo] de ſuis nummis. Obsonari] obſonium parare, ſeu emere. vt ſuprà diximus. Pvmex non æqvè est ar.] prouerbium olet. ſic in Perſa. *Nam tu aquam è pumice nunc poſtulas, Qui ipſus ſitiat.* non eſt diſſimile illud in Pſeud. *Pumiceos oculos habeo. non queo Lachrymam exorare vt expuant vnam modo.* Scriptor obſcœnorū verſuum. B *Quæ ſucco caret, vt bibax arena, Vt flauēs ſtipula, vt putriſq. pumex.* Plinius lib. 36. cap. 20. *ſed & ij pumices, qui ſunt in vſu corporum læuigandorum fœminis, iam quidem & viris, atque vt ait Catull. libris laudatiſsimi ſunt in Melo, & Scyro, & Æoliis inſulis. Probatio in candore, minimóque pondere, & vt quàmmaximè ſpongioſi, aridique ſint, ac teri faciles, nec arenoſi infricando.* Aridvs] ſenes præparci, & ſupra modum illiberales, ac tenaces, per tranſlationem dicuntur aridi. Terent. Heaut. *Sed habet patrem quendam auidum, miſerum, atque aridum.* & vita, quæ præ parcè, & valde tenuiter agitur, arida. Cicero pro Quinctio. *contrà, ſibi officium fidem, diligentiam, vitam omnino ſemper horridam, atque aridam cordi fuiſſe.* Tv te existima:] tu ipſe ex iis, quæ dicturus ſum, iudica, ſeu arbitrare. Eradicarier] funditus, & radicitus è medio ſublatum & perditum eſſe. tralatio eſt ab arboribus eradicatis, quæ nunquam reuiuiſcunt poſtea, niſi tranſplantentur. Terent. Andr. *Dij te eradicent, ita me miſeram territas.* Clamat] inclamat, inuocat, implorat, vel ſic, clamat, dij veſtram fidem! homines veſtram fidem! hoc eſt, magnam ſibi iniuriam fieri queritur, cùm ex puſillo ligno in focum coniecto fumus exit foras. De svo tigillo fvmvs siq. &c.] id eſt, ſi quando lignum puſillum, quod eſt in eius foco, fumum emittat. proinde quaſi dicat, non ſolùm ægrè fert lignum ſuum vri. ſed etiam fumum è ligno exire, & cùm fumus è ligno puſillo exit, putat ſe in eo iacturam facere, quaſi magnum quiddam amittat, cùm fumus exit foras, hoc C & multa alia ſimilia, quæ de Euclione dicuntur, ad ſignificandam eius inauditam auaritiam, inſigneis habent hyperbolas: quæ inter Plautinas virtutes non minimum locum obtinēt. Libris autē omnibus reclamantibus legendum cenſeo *De ſuo ligillo*, non *de ſuo tigillo.* Quod & Simeoni Boſio, viro doctiſſimo, & ſagaciſſimo videbatur. ligillum autem deminutiuum eſt, à ligno, vt tigillum, à tigno, ſigillum à ſigno. fumum autem è tigno, ſeu tigillo exire, non quadrat, neque conuenit: è ligno, aut ligillo, maximè, ligilli nomen autem vſurpauit Plautus ad exprimendam incredibilem Euclionis parſimoniam, qui non lignum in foco ponat, ſed ligillum: id eſt, lignū tenuiſſimum, & minutiſſimum. Quòd autem Nonius hîc legit *ligello*, non *tigillo*, neque *ligillo*, interpretárque ligellum, tuguriolum, & domicilium breue: errat. Quòd alij nonnulli, ligellum dicunt eſſe ſpiraculum qua fumus exit foras, à voce Græca λίγγυς, quæ fuliginem ſignificat, nihilo magis placet. Malim ſi quis coniecturæ locus ſit, &, ſi non placeat coniectura noſtra ſuperior legi, tegillum, vt ſit nomen deminutum à *tegulo*, quod valet tegmen. quomodo fortaſſe legit Nonius. Follem obstringit ob gvl.] hyperbole pæne dicam inexſuperabilis cùm Euclio, inquit Strobilus, it dormitum, follis, quo ignis accendi ſolet, gulam, id D eſt fiſtulam, & foramen follis, per quod ſpiritus, ſeu anima efflatur, arcto aliquo vinculo conſtrictum obturat, ne quam animam, id eſt, ne quem ventum, ſiue ſpiritum amittat ipſe inter dormiendum. Amittat] Euclio. Dormiens] inter dormiendum. Etiámne obtvrat inf. gvtt.] iocus ex ſuperiore hyperbola natus. cuius hæc ſententia eſt, quemadmodum Euclio dormitum iens, follis gulam obturat, ne quid ſpiritus, aut venti inter dormiendum amittat, vtrum ſimiliter operculo aliquo ſibi claudit anum, ſiue podicem, ne fortè inter dormiendum flatum, aut crepitum aliquem ventris emittat? Inferiorem gvttvrem,] id eſt, inferius guttur, per quod ioco ſeruili, podicem ſignificat. Hunc locum profert Nonius, docens veteribus vſitatum fuiſſe hic guttur, gutturis in gen. maſcul. & hoc guttur, in neutro. Et Priſcianus lib. 4. Aqvam hercle, plorat, cvm l. prof.] cùm lauat, inquit, plorat, id eſt, ægrè fert, ita vt ploret, ſe aquam profundere. vel ſic, cùm lauat grauatè, & inuitus aquam profundit. Sic loquitur Horat. oda 10. lib. 3. *me tamen aſperas Porrectum ante foreis obiicere incolis Plorares Aquilonib.* Censen' tal. m. exor. potesse, &c.] id eſt, putáſne poſſe ab iſto ſene impetrari, vt det talentum magnum, quo fiamus liberi? ſecutus ſum autem libros vulgatos, quibuſcum congruunt duo libri veteres, qui habent *poteſſe.* Nam alij habent, *poteſt.* quo modo edidit Camerarius. Infinitiui verbi *poteſſe* autem pertinet ad verſum



A verſum ſequentem: quod non eſt inuſitatum. Hom. ἰλ. ω. Παῖδες καὶ γαμβροὶ. τὼ δ' οὐ λάθον εὐρύοπα Ζῆ-Ν' ἐς πεδίον προφανέντε, &c. Virg. lib. Æneid. 7. *Iámque iter emenſi, turreis ac tecta Latinorū Ardua cernebant;* &c. ſic contrà apud Terent. in Eunuch. principium verſus ſequentis, pertinet ad finem antecedentis. ibi. Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam continuò, ſi quandò illa dicet, Phædriam intromittamus comiſſatum: tu Pamphilam Cantatum prouocemus. Nam prima ſyllaba verbi, *Intromittamus*, pertinet ad extremum verſum ſuperiorem, ita vt ſi metiri velis, verſus ſequens, initium capiat à, *Tromittamus.* Famem hercle vtendam si roges,] hyperbole alia, quæ etiam videtur ſuperari non poſſe. Nam quis vnquam famem vtendam rogauit, aut, cùm ab aliquo rogatus eſſet, negauit? Demserat.] detraherat, purgarat vt Horatius loquitur, epiſt. 7. lib. 1. *Cultello proprios purgantem leniter vngueis.* Præsegmina.] Nonius, propriè, inquit, Plautus præſegmina ea dici voluit in Aulul. quæ vnguib. eminulis præſecantur. deinde profert hunc locum. Fulgentius, *præſegmina*, inquit, *ſunt partes corporis inciſæ; vt Tages in Haruſpicina ait, præſegminibus amputatis.* auctor vocabularij Latinogræci, præſegmina interpretatur ἀπονυχίσματα. Horat. epiſt. ad Piſon. *Præſectum decies non caſtigauit ad vnguem.* Parcè parc.] aduerbium iunctū cum adiectiuo eiuſdem originis. ſic in Ciſtellaria. *Vtrobique me metus agitat. Illo ſunt homines miſerè Miſeri.* Pvlmentvm prid.] Pulmentum, vnde B pulmentarium, cibus eſt ad modum pultis factus, & à pulte ſic appellatus. Puls autem, cibus eſt, ex farre in farinam comminuto redactus: quo diu veteres Romani pro pane vſi ſunt. ex quo Plautus Romanos pultifagos nominat. aliud eſt pulpamentum, hoc enim à pulpa dictum eſt. Terent. Eunuch. *Lepus tute es, & pulpamentū quæris.* Vbi Donatus, *Pulpa*, inquit, *caro, quæ manducatur, dicta à pulſando, quod pulſetur, & conſcindatur.* Varro quoque lib. 4. de lingua Lat. diſertè pulmentum docet à pulte eſſe nominatum. M. Tull. Tuſcul. lib. 5. *Mihi amictus eſt Scythicum tegmen: calciamentum, ſolorum callum: cubile, terra: pulmentum, fames.* Horat. Sat. 2. lib. 2. *tu pulmentaria quære Sudando.* Idē epiſt. ad Loll. 2. lib. 1. *Cenes vt pariter pulmenta laboribus emta.* auctor vocabularij Latinogræci pulmentarium interpretatur προσφάγιον. Milvvs] omnes noſtri libri veteres ſic habent: *miluus*, inquam, non vt vulgati *miluius*, miluus autem legendum triſyllabos, milüus, per διαίρεσιν. Ad prætorem] cuius erat ius dicere, & actionem ac iudices dare. Plorabvndvs] plorans. Nonius hunc locum profert, legítque *deplorabundus.* malè omnino. Nam verſus ferre non poteſt. Infit] incipit. ſic Lucretius lib. 3. *Commutare animum quicunque adoritur & infit.* ad quem locum plura. Postvlare,] nam prætor, vt diximus, dabat actionem, & iudices. Milüvm vadarier.] id eſt, miluum in iudicium vocare, acceptis vadibus C qui promitterent ſe eum in iudicio ſtituros. Horat. Sat. 1. lib. 1. *Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem eſt,* &c. Memora mihi] dic mihi. Sic svm, vt vides.] id eſt talis ſum, qualem vides. Cocvs ille nvndinalis est, &c.] alludit ad nomen nundinarum, quæ à nono die, ſeu à nouem diebus dictæ ſunt, propterea quòd cùm ruſtici dies octo rure in opere faciendo verſati eſſent, nono in vrbem veniebant ad leges cognoſcendas, quæ promulgatæ erant, & ad mercatum. ſignificat autem, hunc coquum, vt quidam volunt, eſſe tardum. ſed ego puto ſignificari, eſſe malū, & imperitum, & ignobilem, vt iam iam planius oſtendam. In nonvm diem solet ire c.] id eſt, ex nouem diebus vno die duntaxat conduci ſolet. non quotidie conducitur, vt coci nobiles, & vſu periti, ſed nono quoque die, quaſi imperitus, & indoctus cocus. Coctvm] ad coquendum. ſic Nonius, hunc locū proferens. Tv trivm litterarvm h.] per hominem trium litterarum, ſignificatur fur, quod nomen tribus litteris ſcribitur. & verò declarat ipſe Plautus, vt non ſit opus alio interprete, aut explicatore. Fvr trifvrcifer.] videtur eſſe iocus ex ambiguo, quod ineſt in nomine *trifurcifer.* nam poteſt aliquis ſic accipere, vt dicatur *fur trifur*, id eſt, fur omnium furum maximus: deinde, repetita ſyllaba *fur* eiuſdem vocis, proinde accipiatur, quaſi dictum ſit, D *fur trifur, furcifer.*

## STROBILVS, ANTHRAX, CONGRIO COCI.

STR. TAce nunc iam tu, atque agnum horum vter eſt pinguior,
AN. Licet. STR. tu Congrio eum ſume actutum tibi,
Atque intrò abi illuc, & vos illum ſequimini,
Vos cæteri illuc ad nos. CO. Aut hercle iniuria
Diſpertiuiſti, pinguiorem agnum iſti habent.
STR. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I ſanè cum illo Phrygia, tu autem Eleuſium

Huc intrò, abi ad nos. CON. ô Strobile ſubdole, A
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum?
Vbi ſi quid poſcas, ad rauim poſcas prius,
Quàm quicquam detur. STR. ſtultus & ſine gratia es.
Tibi rectè facere, quando quod facias perit?
CON. Qui verò? STR. cogitas? iam principio in ædibus
Turba iſtuc nulla tibi erit. ſiqui vti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcère.
Hîc apud nos magna turba, ac magna familia eſt.
Suppellex, aurum, veſtes, vaſa argentea:
Vbi ſi perierit quippiam (quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obuiam eſt)
Dicant, coci abſtulerunt: comprehendite, B
Vincîte, verberate, in puteum cóndite.
Horum tibi iſtic nihil eueniet, quippe qui
Vbi quid ſurripias, nihil eſt. ſequere hac me. CON. ſequor.

TACE NVNC IAM TV, &c.] hæc, quæ ſequuntur in quibuſdam libris veteribus coniunctè ſcripta ſunt cum ſuperiore ſcena: in aliis, & verò pluribus, vt in vulgatis, ſeparatim: quos ſecuti ſumus, quamuis perſonæ ſint eædem. Hæc verba autem ad Anthracem, quem dico, fiunt, hoc modo. Tace tu, Anthrax, inquit Strobilus, & dic mihi tantùm, vter horum duorum agnorum ſit pinguior. agnûm poſitum pro agnorum, ſubintelligendum autem, dic. LICET.] reſpondet Anthrax, licet, id eſt, facilè eſt mihi tacere, in eo, quod vetas, & loqui in eo quod iubes. vel ſic, licet mihi dicere, vter agnorum ſit pinguior. poſſum dicere, &c. EVM] pinguiorem. ILLVM] Euclionis domum. AD NOS] in ædeis Megadori. INIVRIA] contra ius, iniuſtè. DISPERTIVISTI.] diſtribuiſti. PHRYGIA.] tibicinæ aptum nomen. Nam tibiæ in Phrygia inuentæ, & è Phrygia profectæ ſunt. Virgil. in Culice. *Nam turba iocoſa Obſtrepit, & Phrygio tibiæ curua ſono.* Catull. in Galliambo de Bercrinthia, & Atti. *Tibicem vbi canit Phryx curuo graue calamo.* Non celabo lectorem autem in plerisque libris veteribus ſcriptum eſſe: *Frugia* cum F. & u. AD RAVIM] id eſt, ad raucitatem. ſic enim Nonius, rauis, eſt raucitas. deinde profert hunc verſum Plauti. Feſtus, Rauim, inquit, antiqui pro raucitate dixerunt. deinde hunc verſum profert, mutilum & lacerum. ſed mendoſè. ſic enim apud eum ſcriptus eſt. *Vbi ſi quid poſcamus, ad rauim poſcamus prius*, legendum enim, vt edidimus, & vt habent omnes libri & vulg. & manuſcripti, vtrobique *poſcas*. Iam *poſcas*, ſecunda perſona eſt, pro tertia *poſcat* adiuncto nomine *aliquis*. de quo genere alibi dictum eſt. SINE GRATIA.] inuenuſtus, illepidus, ἄχαρις. immò verò ſine gratia es, videtur poſuiſſe pro ingratus es, ἀχάριστος εἶ. idque ex iis, quę deinceps ſequuntur, intelligere licet. TIBI RECTÈ F. Q. Q. F. P.] oratio eſt præciſa: quæ ſic integra eſſet, Tibi rectè facere quiſquã debeat, quando, quod facias, ſubintell. rectè perit? id eſt, cùm id, quod tibi quis faciat bene, perit? vel ſic. Tibi rectè facere quemquam oporteat, cùm quod tibi quis rectè faciat, perit? id eſt, cùm eius. quod tibi bene factum ſit, gratia apud te perit? cùm eius beneficij, quod ab aliquo acceperis, gratiam non habes, nedum refers? Tales autem præciſiones locum habent in indignationibus, expoſtulationibus, obiurgationibus, & ſimilibus. IN ÆDIBVS] Euclionis. SI QVI] ſi qua re. DOMO ABS TE AFF.] afferto domo tua abs te, pleonaſmus. niſi dicamus, *abs te*, valere, de tuis bonis. NE OPERAM PERDAS POSC.] ne operam perdas in poſcendo. QVOD TE SCIO FACILÈ ABSTIN. POSS. &c.] hæc legenda ſunt κατὰ παρένθεσιν. eſt autem iocus vrbanus per ironiam: quo ſignificat, hunc cocum ea ſola non furaturum, quæ ei non patuerint, quæque in eius manus non inciderint. IN PVTEVM CONDITE] hæc erat pœna coquorum in furto, aut aliquo alio facinore deprehenſorum. Puteus autem hîc intelligendus eſt, (quod & Adr. Turnebo videbatur) non in quo ſit aqua peremnis, ſed locus ſubterraneus, & ſuffoſſus, & quaſi barathrum quoddam. Coniiciebant in puteum etiam cocos eos, à quibus ſibi cauendum eſſe, ne quid furarentur, exiſtimabant, quibuſque nihil committendum eſſe arbitrabantur. vt infrà, ea ſcena, quæ ſequitur proximam princip. *Curate: ego interuiſam, quid faciant coqui*, &c. ſequitur, *Niſi vnum hoc faciam, vt in puteo cœnam coquant.* QVIPPE VBI QVOD SVRRIPIAS, NIHIL EST.] quippe vbi nihil eſt, quod ſurripere poſſis. Nam ſuprà Euclionis ancilla dixit, eius ædeis inaniis & araneis oppletas eſſe, nihílque in eis quæſtus eſſe furibus.

HEVS



## STROBILVS STAPHYLA.

A

STR. HEus Staphyla prodi, atque oſtium aperi. STA. qui vocat?
STR. Strobilus. STA. quid vis? STR. hos vt accipias cocos,
Tibicinámque, obſoniúmque in nuptias.
Megadorus iuſſit Euclioni hæc mittere.
STA. Cererin' Strobile iſtas facturi nuptias?
STR. Qui? STA. quia temeti nihil allatum intelligo.
STR. At iam afferetur, ſi à foro ipſus redierit.
STA. Ligna hic apud nos nulla ſunt. STR. ſunt aſſeres?
STA. Sunt pol. STR. Sunt igitur ligna, ne quæras foris.
B STA. Quid impurate, quanquam Vulcano ſtudes,
Cenæne cauſſa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos noſtras ædeis poſtulas comburere?
STR. Haud poſtulo, duc iſtos intrò. STA. ſequimini.

QVI VOCAT?] quis me vocat? CERERÍNE, STROB. ISTAS FACT. N.] in ſacrificiis Cereris vinum non adhibebatur. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. xj. vbi hũc locum profert: ſed contrà Cato lib. de re ruſt. cap. 134. in extr. *poſtea Cereri exta, & vinum dato.* nodus mihi inexplicabilis, niſi dicamus alium in hac re fuiſſe Græcorum ritum, quàm Romanorum. Nam θεσμοφορίοις, id eſt, Cerealibus, ſeu feſtis diebus Cereris, vini vſu interdictum erat, neque vinum libabatur, neque vinũ in ſacris adhibebatur. ex quo θυσίαι νηφάλιοι ſunt dictæ. Tum mulieres ea ſacra tractabant, atque adminiſtrabant: quæ perpetuò apud Romanos, temeto carebant: apud Græcos verò ſaltem iis diebus, ſeſe à vino abſtinebant. Nonnulli ſic ſoluunt, vt dicant Cererem eandem eſſe, atque Veſtam, ſeu potius Terram. C FACTVRI] ſubintell. ſumus? non celabo lectorem tamen, apud Macrob. legi, *hi ſunt fact. nupt.* TEMETI.] vini. Feſtus, *temetum*, inquit, *vinum*: deinde profert hunc locum Nonius, Temulenta, inquit, dicta eſt ebrioſa: à temeto, quod eſt vinum, quod attentet mentem. deinde profert is quoque hunc locum. & alterum, qui eſt in Trucul. *Sine adeò caret temeto: tamen ab ingenio eſt improbus.* ASSERES?] aſſeres, tabulæ ſunt ligneæ, longæ, tenues. IMPVRATE,] ſcelerate, ſanguine contaminate: nam ſanguis inquinat. vel dic impudicate, ſtuprate, ídque à ſanctiſſima corporis parte. Nam ſemen quoque contaminat, atque impurum reddit. QVAMQVAM VVLCANO ST.] quamquam in eo, quod dicis, Vulcano conſulis, qui ſine ligno, aliáque ſimili materia, coli non poteſt, vel quamquam aſſiduè igni accendendo das operam. vel quamquam in eo Vulcano ſtudes, quòd coquos domum noſtram adducis. vel quamquam igne tibi opus eſt, & ignis accendendus eſt ad coquendam cenam. Nonnulli legi volunt, *quoniam Vulcano ſtudes.* fortaſſe non malè. Propterea autem Homerus & ceteri poëtæ, Vulcanum, claudum faciunt, quod ignis noſter purus non eſt, neque ſine materia conſtare poteſt, ſed pabulo aliquo alatur, neceſſe eſt. TVÆ MERCEDIS GRATIA] vt incendium ædium noſtrarum ſit tibi pro mercede.

D

## PYTHODICVS ſeruus.

CVrate, ego interuiſam quid faciant cóqui,
Quos pol vt ego hodie ſeruem, cura maxima eſt:
Niſi vnum hoc faciam, vt in puteo cœnam coquant,
Coctam inde ſurſum ſubducemus corbulis.
Si autem deorſum comedent, ſi quid coxerint,
Superi incœnati ſint, & cœnati inferi.
Sic verba hic facio, quaſi negotij nihil ſiet,
Rapacidarum vbi tantum ſiet in ædibus.

EGO INTERVISAM,] ego interea viſam. SERVEM,] obſeruem. IN PVTEO] in loco ſuffoſſo, & ſubterraneo, vt ſuprà diximus. SVBDVCEMVS CORBVLIS.] ſeorſum ducemus paruis corbibus. Nonius ex Varrone. Cogit aliquot corbulas vuarum, & frondem iucundiſſimam miniſtrat ouibus. Idem Varro lib. 4. de Lingua Lat. *Corbes ab eo, quòd ſpicas, aliúdve quid conruebāt: hinc minores corbulæ dictæ.* SIN AVTEM DEORSVM COMEDENT, &c.] ſi autem coqui in loco inferiore comedent, quod coxerint: eueniet, vt ij, qui in loco ſuperiore remanſerint, incenati ſint, & ij ſoli, qui in locum inferiorem conditi fuerint, cenati ſint. *deorſum* hoc loco, non ſignificat motum, ſed quietem. Sic apud Varronem lib. 1. de re ruſt. cap. 6. *Qui colunt deorſum, magis æſtate laborant: qui ſurſum, magis hieme.* RAPACIDARVM VBL T.] Rapacidarum, ſic dictum, vt Priamidarum, Dardanidarum, Æacidarum, Tantalidarum, Pelopidarum, &c. finxit nomen patronymicum Plautus à voce *rapax*, vt Priamides fit à Priamo, &c. Per rapacidas igitur ſignificat, furum, & rapacium hominum filios: hoc eſt rapaceis. Nam filij, tales eſſe ſolent, quales patres, & ſæpe deteriores, ac peiores: rarò admodũ meliores, vt ait Hom. ἰλ. Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀμείνους. A

## EVCLIO, CONGRIO. B

VOlui animum tandem confirmare hodie meum,
Vt bene haberem meæ me filiæ in nuptiis.
Venio ad macellum, rogito piſces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo illinc iratus, quoniam nihil eſt qui emam.
Ita illis impuris omnibus adij manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi, feſto die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris. C
Poſtquam hanc rationem cordi ventríque edidi,
Acceſſit animus ad meam ſententiam,
Quàm minimo ſumtu filiam vt nuptum darem.
Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco noſtro lari,
Vt fortunatas faciat natæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædes noſtras conſpicor!
Et ſtrepitus eſt intus, númnam compilor miſer?
CON. Aulam maiorem ſi potes à vicina
Pete: hæc eſt parua, capere non quit. EV. hei mihi. D
Perij hercule, aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum occidor, niſi ego huc propero currere.
Apollo quæſo ſubueni mihi, atque adiuua,
Confige ſagittis fures theſaurarios.
Cui in re tali iam ſubueniſti antidhac.
Sed ceſſo prius, quàm prorſus perij currere?

VOLVI ANIMVM TAND. CONF. H. M. &c.] volui tandem in animum hodie inducere, vt hilarum & liberalem me facerem, ac præberem in filiæ meæ nuptiis. vel ſic, volui tandem mihi animum obfirmare, vt hilarus eſſem, & liberaliter, & molliter me curarem in fil. m. nupt. ROGITO PISCEIS.] rogito, quanti vendant piſceis, ſeu quanti ſint piſces. INDICANT CAROS.] carum pretium piſcibus conſtituunt. AGNINAM CARAM]

a gninam



A agninam, ſubintell. carnem. ÆS NON ERAT.] pecunia non ſuppetebat, vnde piſceis emerem. Nummi deerant, quibus piſceis pararem. Veteres Romani nummis æreis vtebantur. ex quo illa, æs alienum: ære diruti: tribuni ærarij: ærarium. & Horat. epiſt. 6. lib. 1. *Mancipiis locuples eget æris, Cappadocum rex.* ABEO ILLINC IR. Q. &c.] tempus præſens pro præterito. abeo pro abij. non eſt, pro non erat, vel non fuit. qui emam, pro vnde emerem. Sic ſæpe loquuntur ſcriptores & Græci, & Latini. ITA ILLIS IMPVRIS OMNIBVS ADII. M.] id eſt, ita cum illis ſceleratis congreſſus ſum, & ita ab illis diſceſſi ſcilicet, vel ita illos impuros tractaui. Quid ſit adire manũ alicui, ex aliis exemplis cognoſcere licebit. Sic igitur idem Plautus in Caſina. *Quid nunc? ſatin' lepidè adita'ſt vobis manus meritò?* id eſt, *Quid nunc? ſatiſne lepidè tractati à nobis eſtis?* Idē in Pœn. *Eo pacto auaræ Veneri pulchrè adij manum.* id eſt, eo pacto auarā Venerē pulchrè tractaui. οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ὡμίλησα. οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ἐξενισάμην. Idem in Perſa. *Vt me in tricas conieciſti? quomodo de Perſa manus mihi adita'ſt?* Quidā exiſtimant, adire manum, eſſe ſupplicare, apud Plautum. ſed hæc interpretatio non bene procedit in omnibus locis. FESTO DIE SI QVID PRODEGE. PROFESTO EG. L. &c.] ſententia eſt, vtilis quidem illa, ei, qui rectè interpretatur, & qui ab auaritia incorruptum gerat animum: auidò verò, atque auaro, qualis eſt Euclio, qui, quod præclarè, & vtiliter dictũ eſt,
B ad ſenſum animi deprauatum trahit, inutilis, atque adeo pernicioſa. ſignificat autem, eum, qui feſto die magnum ſumtum fecerit, & aliquid profuderit: niſi aliquid in loculis, aut capſis intactum reliquerit, fore vt profeſto die egeat, atque eſuriat. Quid hac ſententia veriùs? Sed eam Euclio ad auaritiam ſuam accommodat, & ſic interpretatur, vt die feſto nihil prorſus inſumendum ſit, atque adeò, vt nunquam ſibi faciendum ſit bene. PRODEGERIS,] profuderis. PROFESTO.] dies profeſti, feſtis opponuntur: conceſſi autem ſunt ad opus faciendum, & ruſticum, & vrbanum: domeſticum, & forenſem. Horat. Sat. 3. lib. 2. *Qui Veientanum feſtis potare diebus Campana ſolitus trulla, vappámque profeſtis.* NISI PEPERCERIS.] niſi aliquid in poſterum ſeruaris, quod non prodigas. CORDI,] animo, menti. EDIDI:] quid ſit edere rationem, & rationes, licet ex iuriſconſultis intelligere. lib. 2. pandect. titul. de edendo. Omnino edere rationes, nihil aliud eſt, quàm oſtendere, ac proferre, earúmque copiam alteri facere. ACCESSIT ANIM. AD M. S.] aſſenſus ſum huic meæ ſententiæ. hanc meam ſententiam approbaui. NVNC TVSCVLVM EMI, &c.] ſic legendum, non tuſtulum, vt edidit Camerarius: neque tutulum, quod eſt flaminicarum capitis ornamentum, vt quidam volunt: ſed tuſculum, nomen deminutum, à tus, ris. hoc primum: deinde ſic legendum eſſe, per-
C uincunt libri omnes veteres, qui ſic habent ſine vlla varietate, aut littura. CORONAS FLOREAS.] coronas ex floribus. Tibull. dixit ſerta florea, eleg. 1. lib. 1. *Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris, Seu vetus in triuio florea ſerta lapis.* Idem in 2. eleg. *Te meminiſſe decet, quæ plurima voce peregi Supplice, cum poſti florea ſerta darem.* HÆC IMPON. IN. F. N. L.] ſic ſuprà, in prologo. *ea mihi quotidie Aut ture, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat. Dat mihi coronas,* VT FORTVNATAS FACIAT.] vt fortunet. NÚMNAM COMPILOR M.] nunquídnam à furibus ſpolior? AVLAM M.] ollam m. SI POTE, EX VICINIA P.] ollam maiorem pete ex vicinia, id eſt, à vicinis. ſi pote, id eſt, ſi fieri poteſt. εἰ δυνατόν ἐστι. Cùm libri veteres habeant partim *vicinia*, partim *viciniam*, vel ſic omnino legendum, vt edidi: vel ſi cui forte placeat magis, *Aulam maiorem, ſi pote'ſt, viciniam Pete. quod mihi minus placet.* CAPERE NON Q.] non poteſt concipere, quod coquendum eſt. οὐ δύναται χωρεῖν, ſeu δέχεσθαι. NISI EGO INTRO HVC PROP. CVRR.] Videtur delenda particula *intro*, vt conſtet verſus: aut legendum, *ni ego intro huc pr. c.* APOLLO,] Apollinem inuocat, vt ἀλεξίκακον, hoc eſt malorum depulſorem. CONFINGE SAGITT.] Eſt enim ſagittarius & iaculator Apollo: & ita à Poëtis Græcis appellatur ἑκηβόλος, & ἑκατηβελέτης, & ἕκατος, ἑκάεργος. Sic Niobes filios
D duodecim confixit, & Diana ſoror, iaculatrix, ac venatrix totidem eius filias. & Brennum, Gallorum ducem, templum Delphicum ſpoliantem, ac diripientem, cum toto exercitu, grandine contriuit. ANTIDHAC.] antea, ſeu antehac.

## ANTRAX.

DRomo deſquamma piſceis, tu Machærio
Congrum, murænam, exdorſua quantum potes,
Atque omnia dum abſum hinc exoſſata fac ſient.
Ego hinc artoptam ex proximo vtendam peto
A Congrione: tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quàm volſus ludius eſt.
Sed quid clamoris oritur hinc ex proximo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium ſuum.
Fugiam intrò, ne quid hic turbæ fiat itidem.

P

DESQVAMMA P.] piſcibus ſquammas detrahe: piſceis ſquammis ſpolia. ſic Nonius, hunc A
locum proferens. profert & hæc ex Lucil. Satyr. lib. 7. *Sapor, ſubbellor, deſquamor, pumicor, or-*
*nor.* EXDORSVA, ] exdorſuare, dorſo nudare. Sic Nonius, deinde hunc locum profert
Feſtus, *exdorſua,* inquit, *dorſum confringe*: alij exime EXOSSATA FAC SIENT. ] exoſſare,
eſt oſſa detrahere, & oſſibus detractis, purgare. Terent. Adel. *piſceis ceteros purga, Dromo. Congrum*
*iſtum maximum in aqua ſinito ludere pauliſper. vbi ego venero, exoſſabitur. Prius nolo.* Plautus in Pſeud.
*Exoſſabo ego illum ſimiliter, itidem, vt murænam coquus.* Exoſſabantur autem piſces nonnulli, vt ex iis
comminutis, & in minutas parteis conciſis, fierent quædam veluti tuceta, quod & hodie fit.
ARTOPTAM ] artopta, vas erat, in quo panis torrebatur. Plinius lib. 18. cap. 11. loquens de
panis confectione. *Piſtores Romæ non fuerunt ad Perſicum vſque bellũ, annis ab vrbe condita ſuper* IↃLXXX.
*Ipſi panem faciebant Quirites: mulierúmque id opus erat. ſicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptam*
*Plautus appellat in fabula, quam Aululariam ſcripſit, magna ob id concertatione eruditorũ, an is verſus poëtæ*
*ſit illius, certúmque ſit Atteij Capitonis ſententia, toſtum panem lautioribus coquere ſolitos, piſtoréſque tan-*
*tùm eos, qui far pinſebant, nominatos.* EX PROXIMO ] domo Megadori. CONGRIONE ]
qui coquebat apud Megadorum. GLABRIOREM REDDES, &c. ] læuiorem, atque,
vt ita dicam, implumiorem, &c. Apuleius lib. 5. de Aſino aur. At ego miſera, primùm patre
meo ſeniorem maritũ ſortita ſum: dein cucurbita glabriorem, & quouis puero pumiliorem. B
QVÀM VOLSVS LVDIVS EST. ] Ludij, adoleſcentes erant imberbes, impuberes, gla-
bri, & depiles, tunicis amicti inſignibus, galeas, parmas, gladios geſtantes: qui in pompis thea-
tralibus ordinatim incedebant, & in numerum, tanquam Salij, ſaltabant, à Lydis, vt putat
Dionyſ. Halicarnaſſeus, appellati. de iis Nonius, ex Varrone de vita populi R. & hunc locum
profert. T. Liuius lib. 7. annal. *Ceterum parua quoque (vt ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res*
*fuit. ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos ſaltan-*
*tes, haud indecoros motus more Tuſco dabant. imitari deinde eos iuuentus ſimul incónditis inter ſe iocularia fun-*
*dentes verſibus cœpere,* &c. Plautus Curcul. Fite cauſa mea Lydij barbari. id eſt ſaltate. M. Tull. or.
de haruſp. reſp. *An ſi ludius conſtitit, aut tibicen repente conticuit,* &c. *ludi non ſunt ritè facti,* &c. Idem
in Sextiana. *Ipſe ille maximè Ludius, non ſolùm ſpectator, ſed actor & acroama:* &c. Suetonius in Au-
guſto. *Nam & ad communionem ſermonis taceneis, vel ſubmiſſè fabulanteis prouocabat, & aut acroamata,*
*& hiſtriones, aut etiam triuialeis ex circo ludio interponebat, ac frequentiſſimè aretalogos.* VOLSVS ]
id eſt, euulſis pilis, læuis, & glaber factus. FACIVNT OFFICIVM SVVM. ] id eſt
coquunt, vel, vt ſentit Euclio, furantur. HÎC ] domi noſtræ. TVRBÆ ] id eſt, turbationis,
ſic Nonius, hoc loco prolato.

C

## CONGRIO.

OPtati ciues, populares, incolæ, accolæ, aduenæ omnes,
Date viam, qua fugere liceat, facite totæ plateæ pateant.
Neque ego vnquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal co-
quinatum,
Ita me miſerum & meos diſcipulos fuſtibus malè contuderunt.
Totus doleo, atque oppidò perij, ita me iſte habuit ſenex gymna-
ſium.
Atat, perij hercle ego miſer, aperitur bacchanal, adeſt. D
Sequitur, ſcio quam rem geram, hoc ipſus magiſter me docuit.
Neque ligna ego vſquam gentium præberi vidi pulcrius,
Itaque omnis exegit foràs, me atque hos onuſtos fuſtibus.

OPTATI CIVES, ] cari ciues: vel dic, optati, id eſt, à me inuocati, & implorati, in rebus
meis dubiis, & aduerſis. O ciues, quos ego in meis difficilibus temporibus inuocare, &
optare debeo, vel optati ciues, id eſt, lecti ciues. POPVLARES. ] δημόται. ex eodem oppi-
do ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου. Sic loquuntur in comœdiis palliatis. Terent. Phorm. amicus ſummus
meus, & popularis Geta. AD BACCHAS ] ad homines Baccharum ſimileis: ad homines
furioſos. eò dicit, quia ab Euclione fuſtibus verberatus, & malè mulcatus fuit. IN BAC-
CHANAL. ] in locum, ſeu domicilium baccharum. COQVINATVM. ] coctum, ſiue, vt
Nonius interpretatur, hoc loco prolato, ad coquendum. coquinare, eſt in coquina, id eſt, co-
lina, ſeu culina, coquere. Idem Plautus in Pſeud. *Quanti coquinare iſtuc me vnum perdoces?* ITA
ME



A ME ISTE HAB. SEN. GYMN. ] id eſt, ita ſenex iſte ſe ſe in me verberando exercuit. vel ſic,
ita ego iſti ſeni pro gymnaſio fui, in quo ſe exerceret. ATAT. ] Senem domo exeuntem vi-
dens coquus, eius ſæuitiam re expertus, exclamat hoc modo, *atat,* &c. Iam *atat,* interiectio
eſt pauentis. Cariſius, *atat tatæ.* APERITVR BACCHANAL. ] id eſt, pateſcit baccharum
locus, & inde effunditur baccharum cohors. ſignificatur autem Euclio, quem baccharum in-
ſtar eſſe autumat. SCIO, QVAM REM GERAM. ] ſcio, quid agam. HOC IPSVS
MAG. ME. D. ] quid agere debeam, docuit me ipſe Euclio, fuſteis manibus tenens, & fuſti-
bus me, & meos inſectans, ac verberans. NEQVE LIGNA EGO VSQ. GENT. PR.
V. P. ] locus ex ambiguo. Nam ligna præbentur & ad coquendum, & ad verberandum. Hoc
loco igitur coquus, cùm ligna pulcherrimè, id eſt, largiſſimè præbita dicit, non hoc ſentit, ea
ſibi eſſe ad coquendum præbita, ſed ad verberandũ. Præbere ligna autem, ſic dicunt Latini, vt
præbere, ſalem, oleum, fanum, &c. πορίζειν, παρέχειν. ex quo πάροιχοι. Hoc igitur ſentit
cocus. querebar antea ligna mihi ad coquendum obſoniũ non præberi: ligna ad rauim vſque
poſcebam. ſed aduenit tandem ſenex, qui ligna largiſſimè præbuit, méque & diſcipulos meos,
lignis, id eſt, fuſtibus contuſos, ex ædibus eiecit. Itaque per ligna ſignificantur fuſtes, quibus
coquus contuſus eſt, non ea ligna, quæ in foco poſita ſint, & quibus in focum coniectis, obſo-
B nia coquerentur. EXEGIT FORAS. ] eiecit foras. Nonius hunc locum proferens, exige-
re interpretatur excludere. ſed errat Nonius. aliud eſt enim eiicere, aliud excludere. eiicitur is,
qui cùm intus eſt expellitur: excluditur, qui foris ad oſtium ſtans, & ingredi volens, non reci-
pitur, neque intromittitur. ONVSTOS FVSTIB. ] oneratos fuſtibus.

## EVCLIO ſenex. CONGRIO.

EV. REdi, quo fugis nunc? tene, tene. CON. quid ſtolide
clamas?
EV. Quia ad triſuiros iam ego deferam tuum nomen. CON.
quamobrem?
EV. Quia cultrum habes. CON. cocum decet. EV. quid com-
C minatu's
Mihi? CON. iſtuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
EV. Homo nullus eſt te ſceleſtior qui viuat hodie,
Neque cui ego de induſtria amplius malè plus lubens faxim.
CON. Pol etſi taceas, palàm id quidem, eſt res ipſa teſtis eſt.
Ita fuſtibus ſum mollior, miſer, magis, quàm vllus cinædus.
Sed quid tibi nos mendice homo tactio eſt? quæ res eſt?
EV. Etiam rogitas? an quia minus quàm æquum erat, feci?
CON. Sine, at hercle cum malo magno tuo, ſi hocce caput ſentit.
EV. Pol ego haud ſcio quid pòſt fiat, tuum nunc caput ſentit.
D Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotij,
Me abſente? niſi ego iuſſeram, volo ſcire. CON. tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. EV. quid tu, malum,
curas,
Vtrum crudum, an coctum edim? niſi tu mihi es tutor.
CON. Volo ſcire, ſinas, an non ſinas nos coquere hic cenam.
EV. Volo ſcire item ego, meæ domi meáne ſalua futura?
CON. Vtinam mea mihi modò auferam, quæ attuli, ſalua.
EV. Me haud pœnitet. tuáne expetam? CON. ſcio: ne doce, noui.
Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hîc cenam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſecus, quàm velles?
EV. Etiam rogitas, ſceleſte homo, qui angulos hîc omneis

Mearum ædium, & conclauium mihi peruiam facitis? A
Id vti tibi erat negotium, ad focum ſi adeſſes,
Non fiſſile haberes caput, meritò id tibi factum eſt.
Adeò vt tu meam ſententiam iamiam noſcere poſſis:
Si ad ianuam huc acceſſeris, niſi iuſſero, propius:
Ego te faciam miſerrimus mortalium vti ſis.
Scis iam meam ſententiam? quò abis? redi rurſum.
CON. Ita me bene amet Lauerna, te, iam niſi reddi
Mihi vaſa iubes, pipulo hîc differam te ante ædis.
Quid ego nunc agam? næ ego edepol veni huc auſpicio malò.
Nummo ſum conductus, plus iam medico mercede opus eſt.

B

TENE, TENE.] alloquitur quemuis ex iis, qui ſunt in ſcena, aut etiam in cauea, & hortatur, vt coquum fugientem teneat. AD TREIS VIROS] ad treuiros, ſeu triumuiros capitaleis, de quibus ſuprà in Amphitr. DEFERAM TVVM NOM.] nomen tuum apud treis viros capitaleis inſcribendum curabo, quo facto, te reum capitis faciam. QVID COMMINATV'S MIHI?] quid mihi comminatus es? ISTVC MALEF. ARB. QVIA NON LAT. F.] iſtud arbitror à me malè factum, quod tibi hoc cultro latus non transfixi, ſeu transuerberaui. Latus fodere aliàs non pro latus aperire, & transfodere, vt hîc, ſed pro látere grauius pulſo, monere vſurpatur. Horatius epiſt. 6. lib. 1. *Mercemur ſeruum, qui dictet nomina: læuum Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram Porrigere.* ſic Terent. in Hecyra. *Heri Philumenam ad ſe arceßi hic iußit. dic iußiſſe te.* PH. *Noli fodere. iußi.* DE INDVSTRIA] conſultò. data opera. ITA FVSTIBVS SVM MOLLIOR, MISER, MAGIS, &c.] pleonaſmus *mollior magis.* QVàM VLLVS CINÆDVS] Cinædi, inquit, Nonius, dicti ſunt apud veteres, ſaltatores, vel pantomimi, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ κῶλα. al. τὸ σῶμα. deinde profert hunc verſum. Propriè cinædus mollẽ ſignificat, & impudicum. Idem Plautus in Sticho. Qui Ionicus, aut cinædicus, qui hoc tale facere poſſit? Cinædica cantio apud eundem ibidem, laſciuam, mollem, & libidinoſam ſignificat. SED QVID TIBI NOS, MENDICE HOMO, TACTIO'ST?] C quid tibi nos tactio eſt, id eſt, quamobrem nos tangis? mendicum autem Euclionem appellat, propter inſignẽ hominis auaritiã, quæ ab egeſtate, & mendicitate parũ diſtat. SINE] minantis verbum. SI HOCCE CAPVT SENTIT.] ſi quid ego ſapio: ſi quid in me ſenſus, & mentis eſt, non ſine magno tuo malo me verberaſti. hæc coci verba, ſtatim Euclio in aliam ſententiam detorquet. POL EGO HAVD SCIO, QVID P. FIAT TVVM NVNC CAP. S.] Pol ego, inquit Euclio, neſcio, quid poſtea futurum ſit: tuum quidem caput, quod ego fuſtibus dolaui & contudi, ſentit, opinor, dolorem ex ictibus proficiſcentem. SED IN ÆDIBVS QVIS TIBI MEIS NAM, &c.] ordo eſt, Sed quídnam tibi in meis ædibus erat negotij, me abſente, niſi ego iuſſeram? TACE ERGO] ſi vis me tibi dicere; aut ſi vis ſcire, tace ergo. tum ego dicam. MALûM,] interiectio indignantis, ſeu ſtomachantis. VTRVM COCTVM AN CRVDVM EDIM?] vtrum cibos coctos, an crudos comedam? vtrùm ego cibis crudis, an coctis veſcar? *edim* autem legendum eſt, & ita habẽt omnes noſtri libri veteres, non, vt vulg. *edam.* NISI TV MIHI ES T.] niſi fortè tu mihi tutor datus es, quaſi puero impuberi, & paruulo. MEáNE SALVA FVTVRA.] ſubintell. ſint. ME HAVD POENITET.] D meorum me non pœnitet, inquit Euclio. id eſt, meis bonis contentus ſum. mea bona mihi non videntur æquo minora. Camerarius legendum ſuſpicatur, *Meûm haud pœnitet,* fortaſſe non malè, vt ſubintelligatur me, hoc modo. Meûm, id eſt, meorum, haud me pœnitet. TVáNE EXPETAM?] cohærent, & cõſentanea ſunt hæc cum ſuperioribus. Mea ſatis mihi ſunt, meíſque contentus ſum: neque tua expeto, tuáne expetam? id eſt, itáne mea, mihi anguſta, & parua ſunt, vt tua expetam? QVID EST, QVA PROH. N. GR.] quid eſt, qua gratia: id eſt, quid eſt quare nos prohibeas nunc hîc cenam coquere? PERVIAM FACTIS?] peruiàm, aduerbium eſt, vt iam antè admonuit Turnebus, & ſic dictum, vt *obuiam.* Neque eſt, quòd quiſquam locum mendoſum eſſe exiſtimet. Nam ita habent omnes libri veteres, vno excepto, in quo eſt, *peruios,* Hoc igitur totum, angulos omneis mearũ ædium, &c. peruiam facitis? valet, angulos omneis mearum ædiũ peruios facitis? id eſt, aperitis? ſcrutamini? Si quis tamen legi malit, *peruios,* pugnare nolo. ID VBI TIBI ERAT NEGOT. AD FOCVM SI ADES, S.] ordo, & ſententia horum verborum eſt, Si ad focum aſſidue ſtares, vbi tibi erat negotium: & ſi omnes mearum ædium angulos non ſcrutareris peruióſque faceres: non haberes caput plagis contuſum, & conciſum. Sed Camerarius hoc modo edidit, *Id, vbi t. e. n. ad focum ſic adeſſes,* &c. quam ſcripturam nullo in codice ex noſtris reperi. Eius tamen aliqua & ſententia, & ratio eſt



A eſt: nimirum talis ad focum, vbi tibi erat negotium, adeſſes, id eſt, adeſſe deberes, ſeu debebas. quod ſi faceres: caput fuſtibus conciſum ac fiſſum non haberes. Porro autem *fißile* poſuit pro *fiſſum.* alioqui *fißile,* propriè eſt, quod findi poteſt. Virgil. lib. Georg. 1. *Nam primi cuneis ſcindebant fißile lignum.* Sed non diſſimulabo, mihi videri, legendum, Ibi, vbi tibi erat negotium, ad foc. &c. Nam hæc lectio longè eſſet & planior, & vſitatior. Veruntamen nihil mutare auſim. MERITÒ ID TIBI FACTVM'ST.] quidam libri habent, merito id tuo factum'ſt. ego nihil muto. ADEÒ, VT TV MEAM S. &c.] tale eſt illud apud Terent. in Andr. *Nempe ergo apertè vis quæ reſtant, me loqui.* DA. *Sane quidem.* SI. *ſi ſenſero,* &c. Sed huic ſimillimum, & planè genuinum illud etiam Plautinum in Rud. *nunc adeò vt ſcias meam ſententiam, Occipito modò illis afferre vim ioculo pauxillulum. Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipſus te vt non noueris.* EGO TE FACIAM MISERRIMVS MORTALIVM VTI SIS.] locutio duplex permixta. quæ ſic diſtinguitur, ac ſecernitur. ego te faciam mortalium omnium eſſe miſerrimum. ego faciam, vt tu ſis omnium mortalium miſerrimus. LAVERNA,] dea furum. ſignificat, coquos omneis, fures eſſe: quippe quorum dea ſit Lauerna, non enim eam deam ſibi propitiam eſſe optaret coquus, niſi ea poteſtatem in fures præcipuam obtineret. PIPVLO HîC DIFFERAM TE ANTE ÆD.] id eſt, conuiuo hîc ante ædes tuas te nobilitabo, & diuulgabo, & infa- B mabo. *Differre,* inquit Nonius, valet interdum *diffamare.* Lucil. *Gaudes, cùm de me iſta foris ſermonibus differs.* Idem. *Et maledicendo multis ſermonibus differs.* Plautus in Aulul. *Niſi reddi mihi vaſa iub. pip. te diff.* Nonius, pipulo, inquit, id eſt conuicio. deinde profert hunc & ſuperiorem verſum. Varro lib. 6. de lingua Latina, *in Aulularia, pipulo te differam, id eſt conuicio. declinatum à pipatu pullorum.* Hoc autem ſe facturum minatur coquus, quia cum teſtibus probare non poſſit, ſe vaſa in eius ædeis intuliſſe, quæ Euclio ſibi reddere nolit: ea iudicio repetere non poterat. Quia igitur iniquum erat, rem ſuam, quæ exſtaret, domino vindicare, aut auferre non licere: lex 12. tabularum, ei, cui teſtes, quibus rem ſuam domi alienæ eſſe probaret, deeſſet, permittebat ob portum, id eſt, ob domum eius, qui ſemel atque iterum admonitus, ac rogatus, rem alienã reddere nollebat, obuagulatum ire, id eſt conuiciatum ire, ſeu cum conuicio repetitum ire. Feſtus in voce *portus.* Portum in 12. pro domo poſitum omnes fere conſentiunt. cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito. Idem Feſtus in voce *Vagulatio.* Vagulatio, inquit, in lege 12. tabularum ſignificat quæſtionem cum conuicio. Deinde profert eadem illa verba 12. tabularum. Non ſum neſcius tamen, verbum obuagulari, & vagulari, ab aliis quibuſdam aliter explicari, neque iis Feſti interpretationem nimiùm probari. Sed, vt ad pipulum redeam, Simeo C Boſius, putabat ab hac voce, verbum pipulare, quo verbo vſus eſt Catullus carm. ad Lesbiam, deriuatum eſſe: & pipulum dicebat eſſe garritum paſſeris, & ſimilium auium. Ego autem ei aſſentiebar, & vt eius ſententiam confirmarem, dicebam mihi legendum videri apud Varronem in iis, quæ ſuprà retulimus, *declinatum à pipulatu pullorum,* pro *declin. à pipatu pullorum.* Catulli verſus autem, in quo hoc verbo vſus eſt, hic eſt, *Ad ſolam dominam vſque pipulabat.* ſic enim ille legendum cenſebat, non vt alij, *pipiebat,* neque vt alij pupilabat, & verò eius coniecturam libri veteres adiuuant. Nam habent partem *piplabat* partim *pipillabat* partim *pipulabat.* NÆ EGO ÆDEPOL VENI H.] ſic edendum curaui, quinque libros manuſcriptos, quibuſcum conſentiunt omnes ferè vulgati, ſecutus. quod eò adſcripſi, ne quis dicat, me pro meo iure ſine librorum veterum auctoritate repoſuiſſe, ea ſola ratione adductum, quòd *næ,* ſiue *ne,* (ſic enim ſcribitur hæc particula affirm. in libris veteribus ſine diphthongo) ſoleat ſemper habere ante ſe aliquod pronomen, verbi gratia, ego, tu, ille, iſte, Ne quis igitur hoc ſuſpicetur, hoc confirmat, ſic eſſe ſcriptum, vt edidi, in quinque libris manuſcript. AVSPICIO MALO] mala aui. NVMMO SVM CONDVCTVS.] nummum hîc accipe, non ſeſtertium, ſed nummum aureum, qui valebat aliquanto plus duobus aureis noſtris, vt ego, & Clemens Teneuinus, qui D mihi aliquot oſtendit, ex pondere æſtimauimus. PLVS IAM MEDICO MERC. OP. E.] plus iam opus eſt medico, id eſt, plus mihi opus eſt, quod dem medico, qui me ſanabit, quàm accepturus ſum à Megadoro mercedis nomine, à quo Megadoro conductus ſum certa mercede pacta, id eſt, nummo aureo.

## EVCLIO. CONGRIO.

EV. HOc quidem herclè quoquo ibo nunc, mecum erit, mecum feram.
Neque iſtuc in tantis periclis vnquam committam vt fiet.
Ite ſanè nunc iam intrò omnes, & coqui & tibicinæ.
Etiam huc introduce, ſi vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, feſtinate nunc iam quantum lubet.

CON. Temperi: poſtquàm impleuiſti fuſtibus iſtorum caput. A
EV. Intrò abi. opera huc eſt conducta veſtra, non oratio.
CON. Heu ſenex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
EV. Lege agito mecum, moleſtus ne ſis, i & cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. CON. abi tu modò.

HOC QVIDEM H.] ſenex ollam auri effoſſam, metuens ne vel à cocis, vel ab aliquo alio auferatur, ſecum circumfert, neque audet eam ne domi quidem relinquere. *Hoc* igitur id eſt aula, ſeu olla auri: vel *hoc*, id eſt, aurum in olla cõditum. NEQVE ISTVC IN TANTIS. &c.] ordo & ſententia eſt, neque vnquam committã, vt iſtuc in tantis periculis verſetur, neque committã, id eſt, neque faciam, ſeu neque ſinam. VEL GREGEM VENALIVM.] id eſt, etiam multitudinem ſeruorum, quos dominus vendere velit. Horat. Sat. 1. lib. 1. *Non tuus hoc capiet venter plus, quàm meus: vt ſi Reticulum panis venaleis inter, onuſto Fortè vehas humero:* &c. vel dic B gregem ſeruorum, ſimpliciter: qui plerumque fures ſunt. FESTINATE N.] feſtinate nunc iam domi, & huc illuc currite. Horat. oda xj. lib. 4. *Cuncta feſtinat manus: huc, & illuc Curſitãt miſtæ pueris puellæ.* TEMPERI, POSTQ. IMPL. FVSTIB. &c.] Temperi, id eſt tempori, inquit coquus, iubes nos coquere, & feſtinare, poſtquàm nobis caput fuſtibus obruiſti. OPERA HVC EST COND. VESTRA NON OR.] conducti eſtis, vt operam obſoniis coquendis daretis, non vt loqueremini. HVC] domum meam. PRO VAPVLANDO] pro eo quòd vapulaui, quaſi ita dicat, non pro coquendo mercedẽ petam, ſed pro vapulando. LEGE AGITO MECVM.] ſi quid tibi à me iniuriæ factum eſſe putas, ius tuum experire, & me in ius voca ex lege. Lege agere, eſt actionem aliquam intendere, ex lege 12. tabul. Pomponius de orig. iuris. *Et ita eodem pæne tempore tria hæc iura nata ſunt: leges 12. tabul. ex his fluere cœpit ius ciuile: ex iiſdem legis actiones.* Idem Plaut. in Mil. glor. *lege agito. te nuſquam mittam, niſi das firmatam fidem.* IN MALVM CRVCIATVM] in malam crucem.

## EVCLIO.

C
EV. ILlic hinc abiit. Di immortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium,
Aut rem: velut Megadorus tentat me omnibus miſerum modis,
Qui ſimulauit mei honoris mittere huc cauſſa coqos,
Is ea cauſſa miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.
Condignè etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit peniſſimè
Vbi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire vngulis
Circumcirca. quid opus eſt verbis? ita mihi pectus peracuit.
Capio fuſtem, obtrunco gallum, furem manifeſtarium. D
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coqos,
Si id palàm feciſſet. exemi ex manu manubrium.
Quid opus eſt verbis? facta eſt pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis, eccum incedit à foro,
Iam hunc non auſim præterire, quin conſiſtam & colloquar.

ILLIC HINC ABIIT.] Ille, coquus, hinc abiit. proinde ac ſi dicat, nunc ſolus ſum, nunc mihi quidquid libet, dicere licet, quando nullus eſt meorum verborũ arbiter. AVT REM] res latiùs patet, quàm negotium. MITTERE] ſubintell. ſe. IS EA CAVSA MIHI, HOC QVI, &c.] id eſt, is ea cauſa miſit, vt mihi miſero hoc ſurriperent. *qui*, id eſt, quo, vel vt vel dic hoc modo. is ea cauſa miſit coquos, qui coqui hoc aurum mihi miſero ſubriperent. Ego illo modo mâlo. CONDIGNÈ] dignè. ἀξίως. INTVS] domi ἔνδον. QVI ERAT ANVI PECVLIARIS] Qui erat in peculio meæ ancillæ Staphylæ. ſic ſuprà in Aſin. *Etiam opilio,*



A *opilio, qui paſcit mater, alienas oueis, Aliquam habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.* PENISSIMÈ] *peniſſimè* dictum, pro penitiſſimè. VBI ERAT HÆC DEFOSSA, &c.] vbi hæc olla, quam gero, ſub terra abſcondita erat, ibi gallus cœpit, &c. SCALPVRIRE] ſcalpere. ita Nonius, hunc locum proferens, paullò aliter tamen quàm hodie legitur, & quàm edidimus. nam apud Noniũ impreſſum eſt, *vnguibus*. At libri omnes, & manuſcr. & impreſſi habent vngulis. PERACVIT.] peracuit, præteriti temporis eſt, à verbo peraceſco. valet autem, propriè peracre, ſeu peracidum factum eſt. tranſlatè, valde irritatum, & ira acerrima incenſum eſt. OBTRVNCO GAL.] gallum interimo. FVREM MANIF.] furem in furto manifeſto deprehenſum. POLLICITOS] ſubintell. eſſe. SI ID. PAL. FER.] ſi gallus ſcalpendo aurum palàm feciſſet, id eſt, in omnium conſpectu poſuiſſet, ſeu indicaſſet, ſeu patefeciſſet. EXEMI EX M. MANVBR.] fuſtem, qui mihi erat inſtar manubrij, emiſi è manu in gallum, & ita gallum necaui. non placet hæc explicatio. nam prouerbium eſt, quo ſignificat, ſe gallo ademiſſe occaſionem indicandi theſauri. Natum autem hinc prouerbium eſt, quòd ei, cui manubrium alicuius rei adimimus occaſionem, & facultatem rei gerendæ auferimus. Hæc igitur ſententia eſt. coci fortaſſe gallo mercedem polliciti erant, ſi aurum indicaſſet. at ego & cocorum, & galli inceptũ diſturbaui, omnémque rei gerẽdæ facultatem, ac poteſtatem eis eripui. MEVS AFFINIS.]
B meus gener.

## MEGADORVS, EVCLIO.

NArraui amicis multis conſilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant, ſapienter factum & conſilio bono:
Nam meo quidem animo ſi idem faciant ceteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum,
Et multo fiat ciuitas concordior,
C Et inuidia nos minore vtamur quàm vtimur.
Et illæ malam rem metuant, quàm metuunt, magis.
Et nos minore ſumtu ſimus, quàm ſumus.
In maximam illuc populi partem eſt optimum.
In potiores auidos altercatio eſt.
Quorum animis auidis, atque inſatietatibus
Neque lex, neque tutor capere, eſt qui poſſit, modum.
Namque hoc qui dicat, quo illæ nubent diuites
Dotatæ, ſi iſtud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat, nubant, dum dos ne fiat comes.
D Hoc ita ſi fiat, mores meliores ſibi
Pårent, pro dote quos ferant, quàm nunc ferunt.
Ego faxim muli, precio qui ſuperant equos
Sient viliores gallicis canteriis.
EV. Ita me di amabunt, vt ego hunc auſculto lubens.
Nimis lepidè fecit verba ad parſimoniam.
ME. Nulla ergo dicat, equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquum eſt purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequas:
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.
EV. Vt matronarum hic facta pernouit probè.

Moribus præfectum mulierum hunc factum velim. A
ME. Nunc quóquo venias, plus plauſtrorum in ædibus
Videas, quàm ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulcrum eſt, præ quàm vbi ſumtus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarij, induſiarij,
Flamearij, violarij, carinarij,
Aut manulearij, aut murobathrarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, ſutores, diabathrarij,
Solearij aſtant, aſtant molochinarij,
Petunt fullones, ſarcinatores petunt. B
Strophiarij aſtant, aſtant ſemizonarij.
Iam hoſce abſolutos cenſeas, cedunt, petunt.
Trecenti cùm ſtant phylaciſtæ in atriis,
Textores, limbolarij, arcularij, ducuntur, datur
Æs, iámque hoſce abſolutos cenſeas,
Cùm incedunt infectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt quæ aliquid petat.
EV. Compellarem ego illum, ni metuam, ne deſinat
Memorare mores mulierum, nunc ſic ſinam.
ME. Vbi nugigerulis res ſoluta eſt omnibus,
Ibi aût poſtremum cedit miles, æs petit. C
Itur, putatur ratio cum argentario,
Impranſus miles aſtat, æs cenſet dari.
Vbi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam ipſus vltro debet argentario
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæ ſunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumtúſque intolerabiles.
Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.
Sed eccum affinem ante ædeis. quid ais Euclio? D

DE CONDITIONE HAC] vxoria. EVCLIONIS FILIAM L.] docti quidem ſic diſtinguunt. de conditione hac: Euclionis filiam. Laudant: ſap. f. vt ſit hæc ſententia, me conſilium cepiſſe ducendæ vxoris Euclionis filiæ, id laudant: & ſapienter factum, & conſilio bono dicunt. vel, me popoſciſſe vxorem, Euclionis filiam, & eam hodie domum ducturum, id laudant, &c. PAVPERIORVM FILIAS VT INDOT. VX. D. D.] Sic Plato lib. 6. de legibus. εὖ λέγεις. ὦ παῖ. τοίνυν φῶμεν, ὅτι τῷ ἀγαθῶν πατέρων φύντι τὺς περὶ τοῖς ἔμφροσιν εὐδόξους γάμους γαμεῖν οἱ σοφοὶ παραινοῖεν ἂν, καὶ μὴ φεύγειν τὸν τῶν πενήτων, μηδὲ τὸν τῶν πλυσίων διώκειν διαφερόντως: ἀλλ' ἐὰν τἄλλα ἰσάζῃ, τὸν ὑποδεέστερον ἀεὶ τιμῶντα, εἰς τὴν κοινωνίαν συνιέναι. τῇ τε γὰρ πόλει σύμφορον ἂν εἴη ταύτῃ, ταῖς τε ξυνιούσαις ἑστίαις. τὸ γὰρ ὁμαλὸν καὶ ξύμμετρον ἀκράτυ μυρίῳ διαφέρει πρὸς ἀρετήν. &c. id eſt, Rectè dicis fili. Dicamus igitur ei, qui ex bonis patribus natus ſit, ſapienteis ſuaſuros, vt eas nuptias conſectetur, de quibus prudentes bene exiſtiment, & neque pauperum affinitatem fugiat, neque diuitum nimiùm perſequatur: ſed, ſi cetera ſint æqualia, ſemper eum, qui ſit inferiore loco, pluris faciens ſocietatem cum eo cõtrahat. Nam & ciuitati hoc expedierit, & focis, fami-



A familiiſque in vnum conductis. Nam quod eſt æquabile, & moderatum, infinitis partibus eo, quod merum eſt, ad virtutem vtilius eſt. ET INVIDIA NOS MIN. V.] & minus inuidioſi ſimus, quàm ſumus. ET ILLÆ MALAM REM M.] & vxores pauperes, nec dotatæ, minus audeant pudorem, pudicitiámque violare. magis nefas ſibi eſſe putent cum altero viro rem habere, & adulterium committere. Secuti autem ſumus libros omneis manuſcr. & vulgatos, quibus vſi ſumus, vno excepto, in quo ſcriptum reperimus, *Et illæ malam rem met q. met. minus.* cùm ceteri, quos ſecuti ſumus, habent; *metuant, quàm metuunt, magis.* Quòd ſi cui illa ſcriptura placeat magis, (non enim caret ratione) eam ſic explicabo. Et illæ, vxores indotatæ, malam rem, id eſt, pœnam flagitij, metuant minus, quia videlicet non peccarent, qui non peccant autem, pœnam non extimeſcunt: vt contrà qui peccant, & qui peccarunt, conſcientia malefactorum ſuorum, quæ admiſerunt, cruciati, conquieſcere nequeunt. ET NOS MINORE SVMTV S. &c.] & nos viri, minorem ſumtum faciamus, cùm vxores noſtræ minùs eſſent ſumtuoſæ. IN MAX. ILLVC. POP. PART.] illuc, hoc eſt, illud, nempe diuiteis, & copioſos indotatas & pauperes vxores domum ducere, maximæ populi parti eſt vtiliſſimum: quia ſcilicet multo ferè plures ſunt in omni ciuitate pauperes, quàm diuites. IN PAVCIORES AVIDOS ALT.] B ſententia hæc eſt. non eſt dubium, quin, ſi hoc fiat, quod dico, maior pars populi probatura ſit. reſtant nunc pauci locupletes, & auari, quibus cum mihi controuerſia futura eſt, qui hoc non probabunt. QVORVM ANIMIS, ATQ. INSAT.] ſententia eſt. quorum animis diuitiarum amore flagrantibus, & cupiditatibus, inexplebilibus, neque lex eſt, neque tutor, qui modum conſtituere poſſit. INSATIETATIBVS] nomen ſubſtantiuum compoſitum ex ſimplici *ſatietas*, & particula *in*, negationem ſignificante, quod rarius eſt: tale eſt apud eundem, *in conſultu meo*, in Trinummo. tale apud Lucret. *intactus*, lib. 1. *Tactus corporibus cunctis, intactus inani.* Tale apud Salluſt. de bello Iugurt. *incultus, tus, tui.* tale apud omneis *iniuſſu meo.* CAPERE] malim legi *facere*. nam legis & tutoris eſt facere, aut figere modũ cupiditatibus, & libidinibus hominum: hominum verò qui à legibus coërcentur, & comprimuntur, capere: capere modum enim tranſlatè dictum videtur à vaſe, quod capere id eſt χωρεῖν, ſeu δέχεσθαι dicitur. NAM QVÒD QVI DICAT, QVÒ ILLÆ NVBENT, &c.] locus obſcurus, & fortaſſe mendoſus. Omnino variè in libris veteribus ſcriptus eſt. Alij enim habent. *Namque hòc qui dicat*, &c. alij *Neque hòc qui dicat*, &c. quarum lectionum vtraque difficilis eſt explicatu. Priorem tamen ſic explicare licet. Nam hoc ſi quis dicat, id eſt, nam ſi quis hoc obiiciat, quò nubent diuites puellæ dotatæ? &c. alteram ſic. Neque verò quiſquam mihi hoc C dicat, *quò nubent*, &c. Vides, lector, quàm duræ ſint hæ locutiones, & earum explicationes. Quare ſic edendum curaui, Nam quòd qui dicat, &c. longè & facilius, & Plauto, cererísque bonis ſcriptoribus vſitatius. de quo genere ſuprà multa dicta ſunt ad illum locum, *Quòd illa aut amicum ſuum.* SI ISTVD IVS PAVPERIBVS PONITVR?] ſi ius iſtud conſtituitur, vt viri diuites ducant puellas pauperes, & indotatas vxores domum? QVÒ LVBEAT NVBANT, D.] ſolutio obiectionis, ſeu reſponſio ad obiectionem. nubant, inquit, quò libet, ſeu, quò libeat, id eſt, in quamlibet familiam, dum modò dos eas ne comitetur. proinde ac ſi dicat: dotatę vxores, dote fretę, viris imperare volunt, neque aliud interea afferre curant, quo viris probẽtur, & caræ ſint. HOC ITA SI FIAT: MORES MELIORES S. PARENT, &c.] id eſt, Hoc ita ſi fiat, vxores, ſeu puellæ, quæ nubere volunt, meliores mores ſibi comparent, quos in locum dotis ad viros afferant, quàm hodie afferre ſolent. EGO FAXIM, MVLI, PRETIO, &c.] id eſt, ego receperim in me, ſeu, ego ſpoponderim, fore, vt muli, qui nunc equos prætio ſuperant, propterea, quòd vxores dotatæ, ſumtuoſæ, & delicatæ, pilentis & ſimilibus vehiculis vehi volunt, quæ à mulis, ſeu mulabus trahuntur, viliores ſint Gallicis cantheriis. Cantherij, equi ſunt caſtrati. Feſtus. cantherius hoc diſtat ab D equo, quo maialis à verre, capus à gallo, veruex ab ariete. eſt enim cantherius equus cui teſticuli amputati ſunt. licet & ſic hunc locum explicare, certum eſt, ſi hoc, quod dico, fiat, mulos, qui propter mulierum maritarum, ac dotatarum luxuriam equis ſunt cariores, Gallicis cantheriis futuros viliores. Ego faxim muli ſint cantheriis viliores, id eſt, non eſt dubitandum, quin muli cantheriis futuri ſint viliores. Nonnulli hîc per mulos, piſces ſignificari volunt: à quibus diſſentio. Equi Gallici autem haud magni tum pretij erant. multò igitur viliores cantherij. Nam equi ſemper cantheriis ſunt meliores, animoſiores, ferociores. NIMIS LEPIDÈ F. V.] valde lepidè ſermonem ſuũ ad parſimoniam retulit. Hæc loquitur Euclio, ad ſpectatores verſus, à Megadoro nondum viſus. NVLLA ERGO DICAT, &c.] repete ἀπὸ κοινοῦ, Si hoc ita fiat equidem. DOTEM AD TE ATTVLI, &c.] verba vxoris dotatæ, ad virum. ENIM MIHI QVIDÈM, &c.] enim præpoſitum, notandum. ſic tamen & alibi. vt in Moſtell. *enim iſtic captio eſt.* In Mil. glor. *enim ne noſmet perdiderimus vſpiam.* SALVTIGERVLOS P.] pueri ſunt, qui ſalutem gerunt, id eſt, perferunt, ad aliquem, ſiue ad aliquam. QVÎ VEHAR] vt vehar. Nonnulli libri veteres habent, *quis vehar*. quemadmodum plerique vulgari. MORIBVS PRÆF. MVL.] γυναικοκόσμους appellant Græci, magiſtratus, mulierum moribus præfectos: qui in mulieres parùm modeſtas animaduertebant, erant autem numero viginti. M. Tull. lib. 4. de rep. ex Nonio. *Nec verò mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari*

*ſolet : ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari vxoribus.* SED HOC ETIAM PVLCHR. EST, A
QVÆ QVÀM, &c. ] ſed hoc, inquit, bellum,& pulchrum eſt, ſi comparetur cum ſumtuum
repetitione, aut cum eo tempore, quo tempore creditores,aut artifices pecuniam ſibi pactam,
aut debitam petunt. *præquàm*,id eſt,præ eo,quod eſt. ſeu præ eo,quod fit. ſuprà in Amphitr. *Sa-*
*tin' parua eſt,res voluptatum in vita,Præquàm quod moleſtum'ſt?* PHRYGIO, ] Nonius, *phrygia ve-*
*ſtis picta eſt.eius artifices,phrygiones ſunt appellati.* Plautus Menæchm. *pallam ad Phrygionem fert, confecto*
*prandio.* Seruius ad illud Virgil. lib. 3. Æneid. *Et Phrygiam Aſcanio chlamydem*, &c. notat, *aut acu*
*pictam:huius enim artis peritos,Phrygiones dicimus ſecundum Plautum:aut ob hoc addidit Phrygiam, quaſi per*
*quam patriæ memoria retinetur.* taleis veſteis ſignificat Virg.eod.libro ſuperiore verſu. *Fert picturatas*
*auri ſubtemine veſteis.* LANARIVS. ] qui lanam cōficit, ἐριουργός CAVPONES, P. ] Cau-
pones non ſunt hîc,meo iudicio, qui vinum vendunt, ſed qui rem quamlibet, quam emerunt,
pluris reuendunt,quos καπήλους,& παλιγκαπήλους Græci appellant. Itaque lego, caupones
patagiarij, ἀσωδέτως,id eſt,qui patagia vendunt.patagium autem,eſt aureus clauus,qui(al.au-
rea chlamys,quæ)prætioſis veſtibus immitti ſolet, vt docet Nonius. Plautus Epid.induſiatam,
patagiatam. Apuleius lib. 2. *ſenſímque ſinuoto patagio reſidenteis.* INDVSIARII, ] *induſium*, vt
docet Nonius, *veſtimentum eſt,quod corpori intra plurimas veſteis adhæret:quaſi intuſium.* FLAMEA-
RII. ] Flammeus, ſeu flameus, veſtis, ſeu potius tegmen, quo matronæ capita tegunt,inquit B
Nonius : & profert hunc locum . erat autem lutei coloris. VIOLARII, ] qui veſteis violæ
colore inficiunt.Nonius,violacia,ſeu violacea, à violæ colore, inquit, deinde profert hunc lo-
cum. CERINARII ] ſic legendum eſſe omnium primus vidit Baptiſta Pius, quem ſecutus
eſt Adr.Turnebus. cerinum autem genus veſtis muliebris. Plautus in Epid. *Cumatile, aut pluma-*
*tile,cerinum, aut melinum, gerræ maximæ.* Cerinum, inquit Nonius, à ceræ colore. vnus liber ma-
nuſcrip. habet calthularij. calthula autem à colore calthæ dicta. Virgil. *Mollia luteola pingit*
*vacinia caltha.* Omnino *cerinarij*, magis placet. Ouid.lib.3.de Arte amandi. *Et ſua velleribus nomina*
*cera dedit.* MANVLEARII, ] manulearij, qui manuleas vendunt. Sunt autem manuleæ,tu-
nicarum manicæ.vnde tunicæ manuleatæ. Plautus in Pſeud. *Manuleatam tunicam habere hominem*
*addecet.*dicūtur & manicatę.Cic.Catil.2.*manicatis,ac talaribus tunicis.* MYROBATHRARII. ]
ſic ferè habent noſtri libri veteres.myrobathrarij autem videntur fuiſſe, (quod & Turnebo vi-
debatur) qui calciamenta muliebria vt odorata eſſent,& vt bene olerent,vnguētis,aut gratis o-
doribus,ac ſuffimētis imbuebant. Atque hanc lectionem probauit ille in notis ad Theophraſt.
de odorib. Idem Turneb.mutata ſententia,lib.aduerſ.6.cap.24.legendum ſuſpicatur,*aromatarij*.
id eſt,qui aromata vendunt. Nonnulli legūt, *myrobrecharij*, quæ vox ſignificat eos, qui vnguen- C
to perfundunt,& madefaciunt.putaui aliquando legendum malobathrarij, id eſt, vnguentarij,
qui malobathrū vendunt. Horat.oda.7.libro ſecundo.*coronatus nitenteis Malobathro Syrio capillos.*
PROPALÆ. ] qui merceis palàm, & veluti ante palum, ſeu de palo pendenteis vendunt. Sic
Turneb. Aduerſ.lib.1.cap.1.Lucul.lib.1. *Sicuti cùm primos ficus propala recenteis Protulit, & pretio in-*
*genti dat primitu' paucos.* LINTEONES, ] qui lintea vendunt, ſeu conficiunt. SEDENTA-
RII, SVTORES, ] legendum fortaſſe eſt aſyndetως, *ſedentarij ſutores*, nam ſutorum ars, ſe-
dentaria eſt. Sed non celabo lectorem,nōnullos ex noſtris libris veteribus habere,vt vulgatos,
*ſedentarij, ſutates.* vnde quidam faciunt *Sedentarij ſutantes*,vt *ſutantes* participium ſit à verbo ſuto,
as,quod valet aſſiduè ſuo. DIABATHRARII, ] *diabathra*,inquit Feſtus, *genus ſolearum græ-*
*canicarum.* hinc diabathrarij, qui huiuſmodi ſoleas faciunt, & vendunt. SOLEARII, ] qui
ſoleas faciunt. MOLOCHINARII. ] Nonius,Molochinum,à Græco,color eſt flori ſimilis
maluæ. Cæcil. Carbaſina,ampelina, molochina. Plautus in Aulul.*infectores molochini coloris, molo-*
*chinarios appellauit.* SARCINATORES P. ] ſarcinator,inquit Nonius, ſutor, à ſarcina, vt ait
idem in voce ſarcinatrix,quia plurimum veſtium ſumant. STROPHIARII ADST. ] *ſtro-*
*phium*, inquit Nonius, *faſcia breuis,quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.*hinc ſtrophiarij,earum D
faſciarum opifices. Catull. Carmine de nuptiis Pelei, & Thet. *Non contecta leui velatū pectus amictu,*
*Non tereti ſtrophio lactanteis vincta papillas.* M.Tull.de haruſp.reſp.P. Clodius à crocôta,à mitra,à
muliebribus ſoleis,purpureíſque faſciolis,à ſtrophio,à pſaltrio,à flagitio, à ſtupro eſt factus re-
pente popularis. SEMIZONARII, ] qui conficiunt ſemizonas, id eſt,vt ita dicam,ſemicin-
gula. IAM HOSCE ABSOL. CENS. ] iam hos, qui ſuprà enumerati ſunt, dimiſſos, &
expeditos putes. CEDVNT, PETVNT, TRECENTICVM STAT, &c. ] locus im-
plicatus,& obſcurus. quem ſic putabam explicandum, ac declarandum. Iam hoſce exiſtimare
poſſis eſſe dimiſſos, &,pecunia eis curata, domum reuerſos, cùm alij trecenti flagitatores acce-
dunt, ſeu incedunt,& pecuniam petunt,& ſtant in atriis. Si delerentur hæ duæ voces, *cedunt,pe-*
*tunt*, nulla in hoc loco ineſſet obſcuritas, nulla difficultas. Sic enim ſententia procederet. Iam
hoſce abſolutos cenſeas,cùm trecenti quaſi cuſtodes carceris, ſeu flagitatores moleſti,& in car-
cerem trahere parantes, ſtant in atriis pecuniam petentes. Nunc autem hæc duo verba totam
huius loci ſententiam obſcurant. PHYLACISTÆ ] φυλακή, eſt carcer, & cuſtodia. φυλα-
κίζειν eſt in carcerem trahere, ſeu ducere φυλακιστής,qui aliquem in carcerem trahit. hîc tranſ-
latè phylaciſtæ poſitum eſt, pro flagitatore odioſo, & aſſiduo, qui debitorem quiſcere non ſi-
nunt, donec pecuniam ſibi debitam abſtulerint. LIMBVLARII ] limbus, ora veſtimenti:
quæ



A quæ plerunque purpurea erat.hinc limbulus. hinc limbularius. Nonius autem, *limbus*, inquit,
*muliebre veſtimentum, quod purpuram in imo habet.* deinde profert hunc locum. quamquam apud
eum legitur ; *limborarij*, non *limbularij*, aut *limbolarij*. ARCVLARII, ] qui arculas conficiunt,
& vendunt. HIS DATVR ÆS. ] Sic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus: & è ſuperio-
re verſu verbum *ducuntur*, quod fuerat foris illatum,verſúmque corrumpebat,ſuſtuli. INFE-
CTORES CROCOTARII ] qui crocotas inficiūt.crocota,genus veſtis crocei coloris,vt do-
cet Nonius,hunc locum proferens. AVT ALIQVA MALA CRVX, &c. ] aut aliquis fla-
gitator,qui inſtar crucis,virum cruciet. NVGIGERVLIS ] iis,qui res muliebreis ad vxorem
attulerunt, eíſque vendiderunt. nugigerulos appellat illos omneis, quos ſuprà commemorauit,
deliciarum muliebrium miniſtros. Sed videtur legendum, vt habent duo ex noſtris libris vete-
tibus, *Vbi nugiuendulis res ſoluta'ſt omnibus*; vel leui mutatione facta,quia verſus hanc lectionē ferre
non poteſt, *vbi nugiuendis res ſoluta'ſt omnibus*. quomodo legitur in pleriſque vulgatis, & vt vide-
tur legiſſe Nonius,qui hunc verſum profert in voce *Nugiuendos*; docens *nugiuendos* Plautum vo-
luiſſe dici eos omneis, qui aliquid mulieribus vendant. Nam omnia,inquit ille, quibus matro-
næ vtuntur,nugas voluit appellari. AD POSTREMVM ] ad extremum. CEDIT MI-
LES ] procedit,ſeu accedit miles,qui pecuniam poſcit, videlicet. Hunc locum declarat Varro
B lib.4.de lingua Lat.his verbis : *tributum dictum à tribubus, quòd ea pecunia, quæ à populo imperata erat,*
*tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur.ab hoc ea,quæ adſignata erat, attributum dictum.ab eo quoque,*
*quibus attributa erat pecunia,vt militi redderent,tribuni ærarij dicti, id, quod attributum erat,æs militare. Hoc*
*eſt quod Plautus ait,cedit miles : æs petit*, &c. Ex his verbis Varronis cognoſcere licet. eum virum,ad
quem venit miles flagitatum æs,quod ei debetur, fortè fortuna fuiſſe tribunum ærarium. alio-
qui non peteret ab eo pecuniam miles. ITVR, &c. ] vir,à quo miles æs petit, adit argenta-
rium,apud quem ſcilicet pecuniam olim collocarat.vt eum iubeat militi, quod ei debetur, nu-
merare.argentarius autem negat pecuniam vllam viri apud ſe eſſe reliquam: aítque ſe quantam
pecuniam ab eo accepit,tantam eius creditoribus diſſoluiſſe,atque adeò plus expendiſſe, quàm
accepiſſe. ſubducitur ratio, inquit, cum argentario. Interea miles impranſus ſtans exſpectat
poſteaquam vltro citróque ratio cum argentario ſubducta eſt ; reperitur vir vltrò argentario
debere qui argentarium ſibi debere arbitrabatur.miles alio die reuerti iubetur. Hæc eſt huius
totius loci ſententia. PVTATVR RATIO ] *ratio putari dicitur*, inquit Varro lib.5.de ling.
Lat.*in qua ſumma fit pura.* CENSET. ] putat ſibi æs datum iri. ſperat ſe æs accepturum. VBI
DISPVTATA'ST R. ] vbi ratio eſt liquida facta,ita vt nihil confuſum,aut conturbatum ſit,
C &c. ] ETIAM IPSVS VLTRÒ DEBET ARGENTARIO ] hunc verſum in noſtris
libris manuſcript.ferè omnibus & in omnibus vulgatis repertum,à Camerario deletū, reſtitui,
cùm eum iudicaſſem Plautinum,eiúſque ſententiā non ineptam, neque ab iis,de quibus agitur,
alienam.voculam *plus* autem deleui, vt natam ex voce *ipſus*, & non Plautinam, ſed foris illa-
tam & ſuperuacaneam, & verſum corrumpentem. SPES PROROGATVR MILITI
IN AL. D. ] ſpes prorogatur,quod valet, producitur militi in alium d.id eſt,miles,qui exiſti-
mabat, & confidebat, ſe ea ipſa hora ad nummos peruenturum, & pecunia accepta domum
abiturum,alio die iubetur venire, & ſpes, quam iam rem certam fore, & ſpem eſſe deſituram,
exiſtimabat, ei fit longior, ita vt pro ære nihil præter ſpem meram, eámque longiorem fa-
ctam, referat. EA IN POTESTATE EST V. ] ea viro morem gerit, & imperio viri
pâret, & à viro ex eius arbitrio,& voluntate regitur,neque vnquam ei aduerſatur: vt contrà do-
tata regit virum & imperat viro. MACTANT MALO ET DAMNO ] mactant,id eſt,af-
ficiunt,augent.Nonius *mactare*,inquit, *interdum eſt afficere*, Plautus Amphitr. *At ego te certè cruce, &*
*cruciatu mactabo.* &c. deinde profert hunc verſum. Ego, ſeruata propria verbi mactare ſignifica-
tione, ſic hunc verſum explico, dotatæ vxores magis augent, vel augent viros malo, & damno:
D malo,quia viris imperare volunt,& viros in ſeruitutem redigunt: damno, quia ſunt ſumtuoſæ.
augere damno autem Latinè dici fidem facit Terentius in Heaut. ibi. *ſi hoc eſt factum, domina, ergo*
*herus damno auctus eſt.*

## EVCLIO, MEGADORVS.

EV. NImium lubenter edi ſermonem tuum.
ME. An audiuiſti? EV. vſque à principio omnia.
ME. Tamen, è meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior ſies in filiæ nuptiis.
EV. Pro re nitorem, & gloriam pro copia:
Qui habent, meminerint ſeſe vnde oriundi ſient.
Neque pol Megadore mihi, neque cuiquam pauperi,

Opinione melius res ſtructa eſt domi. A
ME. Immò eſt,& dij faciant vti ſiet diu,
Plus plúſque ſoſpitent iſtuc quod nunc habes.
EV. Tam hic ſcit me habere, quàm egomet. anus fecit palàm.
ME. Quid tu te ſolus de ſenatu ſeuocas?
EV. Pol ego te vt accuſem meritò meditabar. ME. Quid eſt?
EV. Quid ſit me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum impleuiſti in ædibus miſero mihi.
Qui mihi intromiſiſti in ædes quingentos coqos,
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo.
Quos ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno cuſtodem addidit, B
Is nunquam ſeruet. præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatat,
Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.
Tum obſonium autem. ME. pol vel legioni ſat eſt,
Etiam agnum miſi. EV. Quo quidem agno ſat ſcio
Magis curioſam nuſquam eſſe vllam belluam.
ME. Volo ex te ego ſcire qui ſit agnus curio.
EV. Qui oſſa atque pellis totus'ſt, ita cura macet.
Quin exta inſpicere in ſole etiam viuo licet,
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
ME. Cedundum illum ego conduxi. EV. tum tu idem optimum'ſt C
Loces efferendum; nam iam mortuus'ſt.
ME. Credo. potare ego tecum hodie Euclio volo.
EV. Non potem ego quidem me hercle. ME. At ego iuſſero.
Cadum vnum vini veteris à me afferrier.
EV. Nolo hercle. nam mihi bibere decretum eſt aquam.
ME. Ego te hodie reddam madidum, ſi viuo, probè,
Tibi cui decretum eſt bibere aquam. EV. Scio quam rem agat.
Vt me deſponat vino, eam affectat viam.
Pòſt hoc quod habeo vt commutet coloniam. D
Ego id cauebo. nam alicubi abſtrudam foris,
Ego faxo & operam & vinum perdiderit ſimul.
ME. Ego niſi quid me vis, eo lauatum vt ſacruficem,
EV. Edepol næ tu aula multos inimicos habes.
Atque iſtuc aurum, quod tibi concreditum eſt.
Nunc hoc mihi factu eſt optumum, vt ted auferam
Aula in Fidei phanum, ibi abſtrudam probè.
Fides nouiſti me, & ego te: caue ſis tibi
Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te fretus tua Fides fiducia.





A NIMIVM LIBENTER EDI SERM.] edere, ſeu eſſe ſermonem, pro attentè audire, tranſlatè dictum eſt. Eiuſdem generis ſunt hæc, guſtare ſermonem. in Moſtell. *guſtare eius ſermonem volo:* deuorare ſermonem. in Pœnulo. *Quàm orationem hanc dulce deuorant?* non diſſimile eſt illud in Ciſtell. *Iſtuc ago, atque iſtic mihi cibus eſt, quod fabulare.* ſic ſuprà in Aſina. *& mea dicta deuorate.* ad quem locum plura. AN AVDIVISTI?] verſus claudicat. itaque legendum, vt verſus recto atque integro ſtet talo, *An audiuiſti tu.* vel, *an verò audiuiſti?* deinde EV. vſq. &c. Immo verò ſic potius, vt habet vnus ex noſtris codicibus. *An audiſti.?* EV. *vſque à principio omnia* ME. *tamen.* &c. vt in voce *tamen* verſus deſinat, & verſus ſequens, initium ducat à, *Meo quidem animo,* &c. MEO QVIDEM ANIMO] id eſt, mea quidem ſententia: ſeu, meo quidem iudicio. SI NITIDIOR SIES, &c.] ſi mundior, & elegantior ſis. ſi mundiore cultu, & ornatu vtare. Nam nunc quidem horrido, & ſqualido veſtitu vteris. nitidum, ſqualido opponitur. PRO RE NITOREM, ET GLOR. PRO COP.] ἔκλειψις. aliquid enim ſubintelligendum eſt, puta, quærere, vel eſſe oportet, vel aliquid tale. Oportet, inquit Euclio, vnumquemque, nitorem quęrere, & ſectari, vel vnicuique nitorem eſſe, pro re, id eſt, pro facultatibus: & oportet vnumquemque gloriam ex cultu, & veſtitu quærere, pro copia, id eſt, pro copiis rei familiaris. QVI HABENT, MEMIN. SESE VNDE OR. S.] Qui locupletes, & B copioſi ſunt, inquit, meminerint vnde ipſi originem traxerint. proinde ac ſi dicat, quantumuis diuites, & locupletes homines, meminiſſe debent ſe eſſe homines, & ex hominibus natos. Fortaſſe etiam eò ſpectauit, quòd nemo eſt hodie tam tenui re, cuius maiores aut aliquem ex vltimis maioribus incredibile ſit fuiſſe locupletiſſimum, atque adeò regem: neque rurſus quiſquam hodie eſt tam locuples, & tam lauta re familiari, cuius aliquem ex maioribus ſit ἀδυνάτου de infima plebe fuiſſe. Iam verò illud meminerint ſeſe, vnde oriundi ſient, Græcorum more dictum eſt, pro meminerint, vnde ipſi oriundi ſient. de quo genere & ſuprà dicta ſunt plura, & infrà fortaſſe nonnulla dicentur. NEQ. POL MEGOD. M. NEQ. CVIQ. PAVP. &c.] horum verborum hæc ſententia eſt, Neque ego, neque quiſquam, qui vulgo habetur pauper, rem familiarem habet domi ampliorem, aut lautiorem, quàm vulgi opinio. vel ſic. qualis eſt hominum de me, & ceteris pauperibus opinio, tales ſumus, hoc eſt, planè pauperes, & inanes. Hæc autem eò dicuntur ab Euclione, quod vult ſe pauperem exiſtimari, veretúrque ne Megadorus, aut quiſquam alius ſuſpicetur, eum theſaurum domi reperiſſe, atque idcirco diuitem eſſe. MELIVS RES STRVCTA] res magis exſtructa, exaggerata: vel res meliùs conſtructa, compoſita, collocata, congeſta, coaceruata. SOSPITENT,] fortunent, ſeruent. His verbis auget Euclioni ſuſpicionem, & ſcrupulum iniicit. C TAM HIC SCIT ME H.] hæc ſolus, & ſecum loquitur Euclio. DE SENATV SEVOCAS?] de cœtu, & conuentu ſeducis? tralatio eſt. FVRVM] cocorum, qui fures ſunt. QVINGENTOS] hyperbole. CVM SENIS MANIBVS,] ſingulos cum ſenis manibus. GENERE GERYONACEO,] coquos generis Geryonacei, quia ſinguli ſunt quaſi triplices, & tricorpores, habentes terna capita, ſenas manus, ſenos pedes, &c. qualis fuiſſe dicitur Geryon, Hiſpaniarum rex. quod fabuloſum, & factum eſt. Nam re vera Geryon duos fratres habuit, qui cum eo, & inter ſe coniunctiſſime, & concordiſſime vixerunt. idcirco talis de Geryone fuit opinio, taliſque de eo conficta, & tradita fabula eſt. ARGVS S. QVI OC. T. F.] Argum cẽtum oculis præditum, à Iunone Ioni, Inachi filiæ cuſtodem appoſitũ interfecit Mercurius: ex quo Ἀργειφόντης à Græcis dictus eſt. quamquam huius nominis aliam interpretationem nonnulli afferunt. Hanc fabulam narrat Ouidius lib. 1. Metamorpho. Apul. lib. 2. *Vides hominem ferreum, & inſomnem, certè perſpicaciorem ipſo Lynceo, vel Argo, & oculeum totum. ſeruet* autem, id eſt, cuſtodiat. QVEM QVONDAM IVNO IONI CVST. ADD.] Ouid. lib. 1. Metam. *Pellice donata, non protinus exuit omnem Diua metum: timuitque Iouem, & fuit anxia furti, Donec Ariſtoridæ ſeruandum tradidit Argo. Ioni* autem caſus D eſt dandi à recto ïo, inflexione Latina, ïo, ïonis, ïoni, ïonem, vt Calypſo, Calypſonis, &c. qua de re ſic Priſcian. lib. vj. in o, productum deſinentia, græca ſunt, fœminina, & vel græcè declinantur, vt Manto, Mantus, &c. vel addita ſyllaba *nis*, faciunt genitiuum, vt Dido Didonis, & cet. ídque vſus antiquorum comprobat. Actius in Ione. *Cuſtodem aſsiduum Ioni appoſuit virgini,* &c. Plautus in Aulularia. *Quòd ſi Argus ſeruet,* &c. CVSTODEM ADDIDIT.] id eſt, cuſtodem appoſuit. vtroque autem modo loquebantur veteres. Horat. oda 4. lib. 3. *Incontinentis nec Tityi iecur relinquit ales, nequitiæ additus Cuſtos.* Virgil. lib. 6. *nec Teucris addita Iuno Vſquam aberit.* Iterum Plautus Capt. *Quoi me cuſtodem addiderat herus maior meus.* Idem in Milit. glor. *Quem concubinæ miles cuſtodem addidit.* M. Tull. Diuinat. in Cæcilium. *Cuſtodem,* inquit, *Tullio me apponite.* PRÆTEREA TIBICINAM,] repete ἀπὸ κοινοῦ, intromiſiſti. INTERBIBERE] totum bibere. SI VINO SCATAT,] ſcatat, id eſt, ſcateat, ab indicatiuo ſcato, is, it, & ſic Lucretius lib. 5. *Et partim pleno ſcátere atque erumpere campo,* &c. ſic autem legendum eſt, non *ſcateat*, vt eſt in libris vulg. neque ſcatit, vt vult Turneb. lib. 13. Aduerſ. cap. 5. CORINTHIENSEM FONTEM PIRENEM, P.] hyperbole. Hæc tibicina, inquit Euclio, ita vinoſa eſt, vt Pirenem fontem Corinthium ſi vino ſcateat, ſola interbibere, id eſt, exhaurire, & exſiccare bibendo poſſit. Etiam hic verſus ita ſcribendus, vt edidi, non vt Camerarius, Corinthienſem fontem & Pirenem. TVM OBSONIVM AVTEM.] Tum obſonium autem, inquit Euclio, intromiſiſti in ædeis meas, plus ni-

mio, quàm par ſit. POL VEL LEGIONI SAT EST.] Megadorus extenuans id, quod misit, obſonij, per ironiam, & ſignificare volens ſe non multum miſiſſe, quid tu mihi, inquit, de obſonio quereris, quaſi multum miſerim? miſi ſcilicet, quantum legioni ſat eſt. hocine dices? proinde quaſi dicat: lōgè aliter eſt: quippe qui agnum dumtaxat miſerim: quo nihil potui mittere vilius, aut minus. MAGIS CVRIOSAM] ambiguè dictum, & obſcurè dictum. itaque eius interpretationem quærit Megadorus. Nam curioſa bellua accipi poteſt, vel macilenta, & quaſi curis confecta, vt ſunt curioſi: quo modo vult accipi Euclio: vel propriè nimis multa, & aliena, & non neceſſaria curans. AGNVS CVRIO.] agnus cura confectus, agnus curioſus. Sic Nonius, hunc locum proferens. QVI OSSA, ATQ. PELLES TOTVS EST:] ſic in Captiuis. Oſſa, atque pellis ſum miſera macritudine. ſic Theocrit. εἰδ. δ. Τηνῶας μὲν δήτοι τὰς πόρτιος αὐτὰ λέλειφθαι Τὤςεα. quod Virgil. expreſſit in Palæm. *Vix oſſibus hærent.* MACET] macer eſt: macie confectus eſt: macilentus eſt. & ita Nonius, hunc locum proferens. QVIN EXTA INSPICERE ETIAM V. L.] hyperbole, exta non niſi mactatis animalibus inſpiciebātur, aut inſpici poterant ab extiſpicis & ſacerdotibus. At hunc agnum Euclio ita macrum eſſe dicit, vt etiam ei viuo exta inſpicere liceat in ſole. PELLVCET,] tranſlucet. διαφαίνεται, pellucidus eſt inſtar laternæ punicæ. dictum autem *pellucet* pro perlucet. talia ſunt, *pellicere, pellegere*, &c. nam veteres r. ante l. mutabāt in l. vt docet Priſcianus. QVASI LATERNA PVNICA] tāquam laterna Africana: laternæ Punicæ erant ſupra alias pellucidæ. CÆDVNDVM] id eſt mactandum, immolandum. & ita Nonius, hunc locum proferens. CONDVXI] legendum videtur, *locaui*. nam Megadorus tradidit eum coco cædendum. cocus autem conduxit à Megadoro cædendum. Omnino ita ſcriptum à Plauto eſſe arbitror. & verò hanc emendationem id, quod reſpondetur ab Euclione, confirmat. Neq. me mouet Nonius, qui *conducere* hoc loco interpretatur, *emere*. TVM TV IDEM OPT'ST LOCET VT EFF.] ſententia hæc eſt: dicis te agnum illum coco locaſſe cædundum. at optimum eſt eadem opera, vt eum loces efferendum. Nam iam credo, mortuus eſt. Hoc eò pertinet, quòd mortui efferri, id eſt, foras ferri, & in rogum imponi, & humari ſolent. Hæc Euclionis reſponſio, vt dicebam, facilè declarat, legendum ſuprà, *locaui*, non enim conueniret id, quod ab eo reſpondetur, ad id, quod dixerat Megadorus, ſi Megadorus dixiſſet ſe conduxiſſe mactandum, Euclio autem reſponderet, illum eadem opera debuiſſe locare efferendum. NON POTEM, &c.] non auſim, vel non poſſim, vel nolim potare. VINI VETERIS] vetuſtas vinum commendat. A ME] domo mea. MADIDVM] potum, vuidum, βεβρεγμένον madido opponitur ſiccus. ſuprà in Aſina. *Madidum, nihili, incontinentem*, &c. TIBI, CVI DECR.] id eſt, tibi dico, qui dicis tibi decretū eſſe bibere aquam. vel, *tibi cui* intellige poſitum eſſe pro cui tibi, hoc modo, te madidum hodie reddam, cui tibi decretum eſt aquam bibere. qualia ſunt. *vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt*: & *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas fecit?* & alia huius generis ſexcenta: quo in genere relatiuum & antecedens, ſunt eiuſdem caſus, & antecedens priore loco ponitur. VT ME DEPONAT VINO, EAM AFF. V.] id eſt, vt me vino ad ſomnum dedat: vt me ſomno quaſi ſepeliat ebrium factum, eò intendit. ductum à mortuis, qui depoſiti dicuntur, id eſt, quaſi deplorati. Turnebus putat tralationem eſſe ab oneribus, quæ deponuntur: à quo diſſentio. Mortuos autem, depoſitos à veteribus dici, fidem facient aliquot exempla. Lucil. Sat. lib. 3. *Symmachu' præterea iam tum depoſtu' bubulcus, Exhalans animam pulmonibus æger agebat.* Virg. lib. 12. Æneid. *Ille vt depoſiti proferret fata parentis.* M. Tull. proœm. actionis primæ. *Itaque mihi videor, iudices, magnam, & maximè ægram, & prope depoſitam reip. partem ſuſcepiſſe.* Vbi notat Aſconius: depoſitam, deſperatæ ſalutis. Fortaſſe eadem ratione dictum eſt illud in Curcul. *propino magnū poculum. ille ebibit. Caput deponit: condormiſcit.* Quid autē Nonius in verbo *deponere* putat deponere hoc loco idem valere, quod alienare, non placet. EAM AFFECTAT VIAM.] id agit, eò tendit, ſeu intendit, eò ſuos conatus confert. *affectare viam*, plena locutio eſt: qua vtitur & in Menæchm. *Qui commiſi: vt me defrudes, ad eam rem affectas viam*: vtitur & Terentius Phorm. *Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam.* vbi notat Donatus, *affectant viam*, plenum: quod nos dicimus ἐλλειπτικῶς, *affectant*. Idem Heauton. *Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier Ancillas primùm ad dominas qui affectant viam.* Virgil. lib. 4. Georg. *viámque affectat Olympo.* Cic. pro Roſc. Amer. *nunc verò quam viam munitet, quo iter affectet, videtis.* Idem de lege Agr. in ſen. *Videte nunc, quò affectarit iter, apertius, quàm anteà.* PÒST, HOC, QVOD HAB. VT COMM. COL.] ordò eſt, vt hoc, quod habeo, pòſt comm. col. vel dic, Pòſt, id eſt, poſt quàm ſomno ſepultus fuero, vt id aurum, quod habeo, commutet coloniam, quod valet, commutet locum, alióque transferatur. tralatio eſt, à coloniarum deducendarum conſuetudine: vt cùm, verbi gratia, aliquot ciuium Rom. milia, deducebantur in aliquam vrbem vel Italiæ, vel Galliæ, vel Germaniæ. ABSTRVDAM] abſcondam. EGO FAXO ET OPERAM, ET VINVM PERD.] alludit ad prouerbiū *oleum & operam perdere.* ego faxo, inquit, id eſt, ego fecero, quod valet, ego hoc aſſecutus fuero, vt operam, & vinum, quo me deponere, id eſt, ſopire, & quaſi ſepelire cogitat, perdiderit. NISI QVID ME VIS,] oratio diſcedere volentis. EO LAVATVM, VT SACR. [ ſacrificaturi lauabant: & vaſa pura adhibebant. infrà eadem comœd. ſcena, quæ ſequitur proximam. *Nunc lauabo, vt rem diuinā faciam*, &c. NÆ TV AVLA] ἀποστροφὴ ad ollam. ATQ. ISTVC

AVRVM



AVRVM, Q.] Quidam Philoſophus interrogatus, cur aurum palleret, (hoc eſt, quod Græci dicunt ὠχρὸν εἶναι) reſpondit, quia multos haberet inſidiatores. QVOD TIBI CONCREDITVM EST.] quod tuæ cuſtodiæ, tuæque quaſi fidei commiſſum eſt. FACTV'ST OPTIMVM.] nonnulli ex noſtris libris veteribus habent, *factum eſt optimum.* VT TED AVFERAM.] vt te auferam domo, & foras in alium locum feram, nempe in fanum Fidei: ibi te diligenter abſcondam. CAVE SIS TIBI.] caue ſi vis, tibi, &c. NE TV IN ME MVTASSIS.] ne tu in me nomen mutaueris, & fias in me infidelis, vel pro Fidei nomine, quo appellaris, perfidiæ, aut infidelitatis tibi nomen ſit imponendum. SI HOC CONCREDVO.] ſi hoc aurum tibi concredidero. FRETVS TVA FID.] te confiſus.

## STROBILVS ſeruus Lyconidis.

STR. HOc eſt ſerui facinus frugi, facere quod ego perſequor,
Ne moræ moleſtiæque imperium herile habeat ſibi.
Nam qui hero ex ſententia ſeruire ſeruos poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſeruum ſeſe vt cogitet.
Nam qui amanti hero ſeruitutem ſeruit, quaſi ego ſeruio,
Si herum videt ſuperare amorem, hoc ſerui eſſe officium reor,
Retinere ad ſalutem: non eum quò incumbat, eò impellere.
Quaſi pueris qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius vt nent, & moueant manus:
Eodem modo ſeruum ratem eſſe amanti hero æquum cenſeo,
Vt toleret, ne peſſum abeat tanquam catapirates maris.
Herile imperium ediſcat, vt quos frons velit, oculi ſciant.
Quod iubeat, citis quadrigis citius properet perſequi.
Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubula.
Nec ſua opera rediget vnquam in ſplendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam huius Euclionis pauperis.
Eam hero nunc renuntiatum eſt, nuptum huic Megadoro dari.
Is ſpeculatum huc miſit me, vt quæ fierent, fieret particeps.
Nunc ſine omni ſuſpicione, in ara hic aſſidam ſacra.
Hinc ego huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.

FACINVS] factum, officium. *facinus* vocabulum μέσον. Nonius profert hunc locum, in voce *facinus*. ſed vel aliud agebat Nonius, cùm id ſcripſit, quod ſcripſit, *Facinus rurſus*, inquit ille, *ſcelus*. deindè profert hunc locum, *Hoc eſt, ſerui facinus*. vel mendoſus eſt eo loco Nonius, & Plautina verba alieno loco poſita ſunt. Nam ſine dubio, *facinus* hoc loco laudis nomen eſt. NE MORÆ, MOLESTIÆQVE IMPERIVM H. H. S.] Ne habeat herile imperium ſibi pro mora, ac moleſtia: vel ſic potius: ne cunctetur, næúe longus ſit in herili imperio obeundo, & ne imperium herile iniucundè, & cum animi moleſtia obeat. EX SENTENTIA] heri. POSTVLAT,] ἀξιοῖ: dignum, ſeu æquum iudicat. IN HERVM MATVRA, IN SE SERA COND. C.] id eſt, decet eum ſeruum in negotiis herilibus maturare, & diligentem eſſe: in ſuis, cunctari, & tardum eſſe. Nonius profert hunc locum in verbo capeſſere. Animaduertat autem lector hîc Plautum ſera & matura inter ſe oppoſuiſſe. SIN DORMITET, ITA D. &c.] id eſt, ſi autē negligētior, aut tardior ſit in negotiis domini curādis, ita ſit negligens tamen, vt meminerit ſe eſſe ſeruum: hoc eſt, vt, quod negligentia, aut mora culpæ contractum eſt, id vigilantia, aut celeritate corrigat, ac ſarciat. SERVITVTEM SERVIT] atticiſmus omnibus quidem ferè bonis ſcriptoribus Latinis vſitatus: ſed iuriſconſultorum maximè proprius. M. Tull. Topic. *quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit.* dicuntur autem

propriè ſeruitutem ſeruire ſerui : vt licet ex ſuperiore Ciceronis exemplo, & hoc Plauti cogno- A ſcere. Iterum Plautus in Menæchm. *Me hîc valere , & ſeruitutem ſeruire huic homini optimo.* Idem in Milit. gloriante. *Satin' abiit ille? neque herile negotium Plus curat , quàm ſi ſeruitutem haud ſeruiat?* QVASI.] id eſt. quemadmodum : quo modo : vt. ſic Lucret.libro ſecundo. *Sed quaſi naufragiis magnis, multiſque coortis, Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra , guberna,* &c. *Sic tibi ſi finita,* &c. Idem lib.3. *Et quaſi cùm caput, atque oculus tentante dolore Læditur in nobis, non omni concruciamur Corpore: ſic animus,* &c. Iterum Plautus infrà ead. ſcena. *Quaſi pueris,* &c. SI HERVM VIDET SVP. AM.] Si videt, amorem plus poſſe, quàm herum. ſi videt, amorem hero eſſe validiorem ac potentiorem, ita vt herus vincatur, ac ſuccumbat, &c. Ineſt in hac locutione amphibolia : ſed hæc eſt ſententia, quam diximus. NON EVM, QVÒ INCVMBAT, EÒ IMPELLERE.] id eſt, non eius morbum, & amentiam adiuuare, atque augere. allegoria eſt, ducta ab iis, qui caſabundi, ſeu iamiam caſuri, ab aliquo in eam partem , in quam procumbũt, manu impelluntur, ita vt affligantur in terram. Tale fere eſt illud apud M.Tull.in oratione pro Corn. Balbo non longè à princip. *Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere : vrgere vero iacenteis, aut præcipitanteis impellere, certe eſt inhumanum,* &c. QVASI PVERIS, &c.] id eſt, Quemadmodum pueris, &c. ſimile eſt , à pueris natare primùm diſcentibus. SCIRPEA INDVITVR RATIS : ] ratis ex ſcirpo facta ſubiicitur, aut circumdatur. induitur & cortex, ſeu ſu- B ber.Horat. Sat.4. lib.1. *ſimul ac durauerit ætas Membra, animúmque tuum , nabis ſine cortice.* Scirpus iunci genus leuiſſimum, & enode. Terent. Andr. *Nodum in ſcirpo quæris.* legendum autem *induitur*, & ita legit Donatus, hunc locum proferens, ad illud Terentij : ſic & Feſtus , in voce ſcirpus. cuius verba adſcribam. *Scirpus,* inquit, *eſt id, quod in paluſtribus locis naſcitur , leue & procerum: vnde tegetes fiunt. inde prouerbium eſt in eas natum res, quæ nullius impedimenti ſunt , in ſcirpo nodum quærere.* Ennius. *Quærunt in ſcirpo, ſoliti quod dicere, nodum.* & Plautus in Aulul. *quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis.* Non diſſimulabo tamen, & apud Donatum, & apud Feſtum reperiri in exemplis editis & vulgatis , *ſcirpo ratis* pro *ſcirpea ratis* : quo modo hodie habent libri, & manuſcripti, & vulgati. Ego ſequor ſcripturam vulgatam , ac receptam : ſed tamen non magnopere cum eo pugnarim, qui Feſti, & Donati auctoritate commotus , legendum exiſtimet, *e ſcirpo induitur ratis.* QVI LABORENT MINVS, ] vt laborent minus. ET MOVEANT M. ] & vt facilius moueant manus. EODEM MODO, &c. ] ἀπόδοσις. RATEM ESSE AM. ] ratis inſtar eſſe am. h. vel ſic, ratis vicem , vſúmque præbere, &c. VT TOLERET, ] vt herum caſantẽ aut peſſum euntẽ, ſuſtineat. PESSVM ] aduerbiũ, quod valet in locum imum, & quaſi ſub pedes. Fortaſſe verò *peſſum*, dictum quaſi ἐς βύσσον , id eſt, in fundum. mutato b. in p. & u. in e. buſſum, peſſum. vel ἀπὸ τοῦ πεσεῖν. Ego priùs illud mâlo , & ita C ferè auctor vocabularij latinogræci. crebrò vtitur eo Plautus exempli cauſa in Ciſtell. *neque niſi, quia miſer non eo peſſum , Mihi vlla abeſt perdito pernicies.* idem in Moſtell. *Aliud quiduis impetrari à me facilius perferam, Quam vt non ego iſtum pro ſuis factis peſſumis peſſum premam.* TANQVAM CATAPIRATES MARIS ] hîc eſt Lacuna in omnibus libris & manuſcript. & vulgatis, quam ego expleui veriſſima & certiſſima coniectura ductus. nam & verſus meam emendationem recipit, & ſententia poſtulat, & Plautina loquendi conſuetudo approbat, & Iſidori auctoritas adiuuat : qui quamuis hunc Plauti locum non proferat, tamen eo ipſo, quòd vocem, *catapirates* interpretatur, atque explicat, ſatis indicat, eam ab antiquis ſcriptoribus Latinis eſſe vſurpatam, neque ſolùm à Lucilio, cuius verſus duos profert , ſed & ab aliis, quorum verba prætermittit. Lucilij autem verſus ſunt hi, non ſatis emendati, *Hinc catapiraten puer eodem deferet vnctum Plumbi pauxillum, rodus, liniq. metuxam.* Poſteriorem etiam Feſtus profert in voce *Rodus*. Docet igitur Iſidorus, Catapiraten, eſſe lineam cum maſſa plumbea, qua maris altitudo tentatur. Porro quid potuit ſumere Plautus illuſtrius, & conuenientius, quo ſignificaret amantem , niſi à ſeruo regatur, & retineatur, peſſũ abiturũ, quàm tale inſtrumentũ, quo maris altitudo à nautis D exploratur ? cum qua re potuit aptius hominem peſſum euntem , & deorſum præcipitantem, quàm cum fune illo & plumbo nautico, comparare? iam Plautum libenter vti Græcis vocabulis conſtat, ídque ſciunt ij, qui eum diu legendo triuerunt. Adde quòd nulla vox exſtat Latina, quod ſciam , quæ Græcæ reſpondeat : vt non tam ſua voluntate , quàm neceſſariò voce Græca vſus eſſe videatur. Nihil igitur meo iudicio, ad hanc lacunam explendam, accommodatius reperiri poteſt. Quin hoc dico, nihil aliud in hoc inani ſpatio , antequam inane ſpatium eſſet, ſcriptum fuiſſe: niſi fortè hanc, quæ idem valet, *Catapirateriam*, quam item facilè recipiam, vt vox *maris* ſcilicet non addatur Eſt enim Catapirateria inſtrumentum nauticum, quo maris altitudinem nautæ exquirunt, & explorãt. quo nomine vtitur Herodotus in Eutrope, nõ longè à principio, verba eius adſcribam. Πρῶτα μὲν προσπλέων ἔτι, καὶ ἡμέρης δρόμον ἀπέχων ἀπὸ γῆς, κατιεὶς καταπειρητηρίην, πηλόν τε ἀνοίσεις, καὶ ἐν ἕνδεκα ὀργυιῇσιν ἔσεαι id eſt: Primùm quidem etiam vltrà nauigans, & vnius diei curſum à terra diſtans, demiſſa catapirateria, & cœnum ſurſum efferes, & eris in mari vndecim vlnas alto. Idem infrà. Οὕτω μὲν δὴ ὁ γραμματιστής, εἰ ἄρα ταῦτα γενόμενα ἔλεγε, ἀπέφαινε, ὡς ἐμὲ καταινοέειν εἶναι τινὰς ταύτῃ ἐούσας ἰσχυράς, καὶ παλιρροίην : οἷα δὲ ἐμβαλόντος τοῦ ὕδατος τοῖσι οὔρεσι μὴ δύνασθαι κατιεμένην καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἰέναι. id eſt, ſic igitur grammatiſta ille, ( ſi quidem vera narrabat) pronun-



A pronuntiabat, vt intelligerem ingenteis quoſdam aquarum vortices, & æſtus maris reciprocos in his locis eſſe : tanquam autem in monteis irruente aqua non poſſe catapirateriam demiſſam in fundum peruenire. Vel igitur ſic legendum vt edidimus, *ne peſſum abeat, tanquam catapirates maris.* vel ſic, *ne peſſum abeat tanquam catapirateria.* verſus autem huius ſcenæ , trochaïci ſunt catalectici, tetrametri. Cuius generis reperietur hic verſus, ſi quis cum digitis metietur. ſiue ita legat. *Vt toleret , ne peſſum abeat tanquam catapirates maris.* ſiue ita, *Vt tolleret ne peſſum abeat , tanquam catapirateria.* Porrò, vt videat lector, quàm ſit diues & copioſa lingua Græca, præ Latina, alio nomine Græci βολίδα nominant. VT, QVOD FRONS VELIT, OCVLI SCIANT] id eſt , vt heri voluntatem & ſententiam ex fronte, & vultu intelligat. vt heri frontem , & nutum intueatur, ex iiſque, quid ille velit cognoſcat. Terent. Adelph. *Caue nunc iam oculos à meis oculis quoquam demoueas tuos, Ne mora ſit , ſi innuerim , quin pugnus continuò in mala hereat.* CITIS QVADRIGIS CITIVS PROP. PERS. ] hyperbole, & ex hyperbole natum prouerbium, quo ſumma celeritas ſignificatur. Videtur autem ſumtum à ludis Circenſib. ſuprà in Amphitr. *quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis, Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.* & in Aſin. *Nunquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.* ABSTINEBIT CENSIONE BVB. ] id eſt, non cædetur loris bubulis. non ſubibit , neque ſufferat pœnam lorariam , qua ſerui nequam affi- B ciuntur. Alludit ad cenſoriam animaduerſionem : & per cenſionem, id eſt, animaduerſionem, bubulam, verbera ſignificat, quæ loris bubulis ſeruorum improborum tergo incutiuntur. quæ cenſio, longè ab animaduerſione, ſeu notatione cenſoria differt. Cenſores enim, tantum ignominia eos notabant, in quos animaduertebant. cenſio bubula verò, loris bubulis conſtat , & plagas infligit. Feſtus in voce Cenſio. *Cenſionem facere* dicebatur , inquit, cùm multam equiti irrogabat. NEQVE SVA OPERA REDIGET VNQVAM IN SPLEND. COMP.] id eſt, neque vnquam compedibus vincietur. ex conſequente intelligendum antecedens. nam quorum pedes compedibus vinciuntur, ij compedes quãtumuis rubiginoſas, & rubigine ſqualidas quotidiana geſtatione, & aſſiduo vſu ſplendidas reddunt. SPECVLATVM H. M.] obſeruatum huc miſit me, vt hinc proſpiciam, tanquam è ſpecula. VT, QVÆ FIERENT, FIERET PART. ] vt eorum quæ fierẽt, fieret à me particeps. HINC ] ex hac ara. ARBITRARIER. ] id eſt, tanquam arbiter, iudicare, aut proſpectare. Nam arbiter interdũ, ſpeculatorem, & arbitrium, proſpectũ, & arbitrari, proſpicere ac ſpeculari ſignificat. Horat. epiſt. ad Bullatiũ lib. 1. in extr. *Non locus, effuſi latè maris arbiter, aufert.* Apuleius lib. 2. *Nam & pueris extra limen , credo, vt arbitri nocturni gannitus procul ablegarentur , humi diſtrata fuerant grabatula,* &c. arbitri nocturni gannitus, id eſt, ſpeculatores, & ſpectatores nocturnæ ſummiſſæ confabulationis. Idem lib. 3. C *Ipſáque per rimam oſtiorum quampiam iubet arbitrari,* &c. arbitrari , id eſt , ſpectare. Idem eodem lib. infrà. *præſertim domus attiquæ, quam dixerat illa, fortunas arbitraturus.* Plautus in Cap. *Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant.* Idem in Mil. glor. *Mihi quidem iam arbitri vicini ſunt, meæ quid fiat domi.*

### EVCLIO ſenex, STROBILVS ſeruus.

EV. TV modò caue cuiquam indicaſſis aurũ meum eſſe iſtic, Fides,
Non metuo ne quiſquã inueniat, ita probè in latebris ſitũ eſt,
Edepol næ illic pulcram prædam agat, ſi quis illam inuenerit
Aulam onuſtam auri, verùm id te quæſo vt prohibeſſis, Fides.
Nunc lauabo, vt rem diuinam faciam, ne affinem morer,
D Quin vbi arceſſat me, meam extemplò filiam ducat domum.
Vide Fides etiam atque etiam, nũc ſaluã vt aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum, in tuo luco & fano modò eſt ſitum.
STR. Di immortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in fano Fidei.
Caue tu illi fidelis quæſo potius fueris, quàm mihi.
Atque hic pater eſt, vt ego opinor, huius, herus meus quam amat.
Ibo hinc intrò, perſcrutabor fanum, ſi inueniam vſpiam
Aurum, dum hic eſt occupatus: ſed ſi repperero, ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeò tibi faciam, verùm ego mihi bibam, vbi id fecero.

INDICASSIS,] indicaueris. Fidem alloquitur, in cuius fano auri ollam abſtruſit. NÆ ILLIC] næ ille. PVLCHRAM PRÆDAM AGAT] ſic loquitur Corn. Nepos in Datame. *regis prouinciam expugnat, caſtella expugnat, magnas prædas agit.* ſic & Cæſar, vt lib.6. *præda ex omnibus locis agebatur.* λεηλατεῖν dicũt Græci. VT PROHIBESSIS.] vt prohibueris. NVNC LAVABO, VT REM D. F.] ſacrificaturi lauabant, vt puri deos venerarentur, & colerent. VT REM DIVINAM F.] vt ſacrificem. AFFINEM] generum. MORER.] remorer, tardem. Terent. Heaut. *egomet conuiuas moror.* Horat. epiſt.1.lib.2. *Si longo ſermone morer tua tempora Cæſar.* DVCAT DOMVM] ducat vxorem domum, ſponſus ſponſam ſuam, domum ſuam ducebat. hinc natum, *vxorem ducere.* in quo ſubintelligitur, *domum.* VIDE FIDES,] in verbo *vide,* de, poſterior ſyllaba, breuis eſt. Sic apud Horat. epiſt.13.lib.1. *Vade, vale, caue, ne titubes, mandatáque frangas.* in verbo *caue, ue,* breue eſt. ONVSTAM AVRI,] plenam auri. onuſtam auro. HVIVS] huius puellæ, quam herus meus amat. CONGIALEM] cõgij capacem, vel congio æqualem. Congius autem ſextarios ſex capit. FACIAM TIBI] ſacrificabo tibi. FIDELIAM.] fidelia, inquit Nonius, Samium vas ad vſus plurimos. deinde hunc verſum profert, profert & in verbo *facere.* licebat & ita loqui. *Mulſi congiali plena faciam tibi fidelia.* vt Virgil in Palæm. *Cùm faciam vitula pro frugibus ipſe venito.* Fideliam autem, vas etiam fuiſſe, quo vtebantur, qui parietes dealbabãt, licet vel ex illo prouerbio vulgatiſſ. quod & M. Curius vſurpauit in epiſtola quadam ad Cic. lib.7. cognoſcere: *duos parietes de eadem fidelia dealbare.* Apud Perſium verò videtur eſſe vas fictile, quo ſalſamenta, & cetera, quæ numerantur in penu ſeruantur: Sic ille Satyra 3. *Diſce, nec inuideas quòd multa fidelia putet In locuplete penu defenſis pinguibus Vmbris.* ID ADEÒ TIBI FACIAM, VERÙM EGO M.] iocus ſeruilis. A B

## EVCLIO.

NOn temerè eſt quòd coruos cantat mihi nunc ab læua manu,
Simul radebat pedibus terram, & voce crocibat ſua,
Continuò meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare, ſed ego ceſſo currere? C

NON TEMERE ET,] non temerarium eſt: non abſque ratione eſt. QVÒD CORVOS CANTAT MIHI, &c.] malum, & inauſpicatum auſpicium. Nam auſpicia coruorum, à dextra, fauſta: à læua, infauſta, & infelicia habebantur. M. Tull. lib.1. de diuinat. *Cur à dextra Coruus, à ſiniſtra Cornix faciat ratum?* Horat. oda 27. lib.3. *Oſcinem Coruum prece ſuſcitabo Solis ab ortu.* Profert autem hunc verſum Nonius, in verbo, *Crocire,* his verbis, Crocire cùm ſit coruorum, Plautus in Aulularia cantare eos dixit. Hæc Nonius: quem miror non vidiſſe eadem opera verſum ſequentem, in quo Plautus id verbum, quod ait ille proprium eſſe coruorũ, de coruo vſurpauit. Sed quod hîc non attendit Nonius, notauit in voce *crocitum.* SIMVL] ſic legendum: & ita habent duo ex noſtris libris veteribus & omnes ferè vulgati. & ita videtur legiſſe Nonius, vt mox dicemus. ET VOCE CROCIBAT SVA] Nonius in voce *crocitum* ſcribit, Crocitum propriam coruorum vocem eſſe veteres voluerunt. Plautus Aulul. Simul. rad. ped. terr. & voce croc. ſ. *crocibat* autem edẽdum curaui, quod ita habeant omnes ferè noſtri libri veteres, niſi quòd aliquot habent *crocitabat.* Apud Nonium quidem planè impreſſum eſt, *crocibat.* ARTEM FACERE LVDICRAM] trepidare, tremere, palpitare, πηδᾶν. Turnebus ſic explicat, geſtire, D geſtum facere: non rectè. Nam quamuis ab hiſtrionibus ſumtum ſit, qui geſtũ agentes crebrò mouentur, tamen non poteſt hîc nec verè, nec aptè dici cor Euclionis, cantu, ſeu crocitu corui audito geſtiiſſe: quod lætitiam ſignificat, atque indicat. Geſtire enim eſt lætitiam animi, corporis motu, præ ſe ferre, vt docet Nonius: & profert Terentij verba ex Eunucho, *Chærea, quid eſt, quòd ſic geſtis?* ATQ. IN PECTVS EMICARE.] ἐπεξήγησις, ſeu ἑρμηνεία. nam idem dicit, quòd ſuprà proximè, aliis verbis. ſalire cor enim, & palpitare, & in pectus emicare dicitur, cùm trepidat ob metum.

## EVCLIO, STROBILVS.

EV. FOràs, foràs, lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modò,
Qui modò nuſquã comparebas: nunc quum compâres, peris.
Ego edepol te præſtigiator miſeris iam accipiam modis.

QVÆ



A STR. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum eſt commercij ſenex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me cauſſa verberas?
EV. Verberabiliſſime, etiam rogitas? non fur, ſed trifur?
STR. Quid tibi ſubripui? EV. redde huc ſis. STR. quid tibi vis reddam? EV. rogas?
STR. Nihil equidem tibi abſtuli. EV. at illud, quod tibi abſtuleras, cedò.
STR. Hem quid agis? EV. quid agam? auferre non potes. STR. quid vis tibi?
EV. Pone hoc ſis, aufer cauillum, non ego nunc nugas ago.
STR. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quicquid eſt, ſuo nomine.
B Non hercle equidem quicquam ſumſi, nec tetigi. EV. oſtende huc manus.
STR. Hem tibi oſtendi. eccas. EV. video, age oſtende etiam tertiam.
STR. Laruæ hunc atque intemperiæ, inſaniæque agitant ſenem.
Facíſne iniuriam mihi, ánnon? EV. fateor quia non pẽdes, maximam.
Atque id quoque iam fiet, niſi fatere. STR. quid fatear tibi?
EV. Quid abſtuliſti hinc? STR. Di me perdant, ſi ego tui quicquam abſtuli.
Níue adeò abſtuliſſe vellem. EV. agedum excutedũ pallium.
C STR. Tuo arbitratu. EV. ne inter tunicas habeas. STR. tenta quà lubet.
EV. Vah ſceleſtus, quàm benignè, vt ne abſtuliſſe intelligam.
Noui ſycophantias. age rurſum, oſtende huc manum
Dexteram. STR. hem. EV. nunc læuam oſtende. STR. equidem ambas profero.
EV. Iam ſcrutari mitto, redde huc. STR. quid reddam? EV. ah nugas agis.
Certè habes. STR. habeo ego? quid habeo? EV. non dico, audire expetis.
Id meum quicquid habes redde. STR. inſanis, perſcrutatus es
D Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inueniſti penes.
EV. Mane, mane, quis illic eſt, qui hic intus alter erat tecum ſimul?
Perij hercle, ille nunc intus turbat, hunc ſi omitto, hic abierit.
Poſtremò iam hunc perſcrutaui. hic nil habet, abi quò lubet.
Iuppiter te, díque omnes perdant. STR. haud malè agit gratias.
EV. Ibo intrò, atque illi ſocienno tuo iam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc ánnon? STR. abeo. EV. caue ſis te videam.

FORAS, FORAS,] ſubintell. exi. Sic autem edidit Camerarius. ſed legendum videtur, I foras lumbrice, &c. vt ſit trochaicus, tetram. catalect. quales ſunt alij. LVMBRICE,] Strobilum ſeruum, lumbricum appellat, quòd, vt vermis, ſeu lumbricus repente è terra rependo exſiſtere ſolet: ita ille non antea in illo loco ab eo viſus, ex ara deſubitò emerſerit, in qua aſ-

ſidebat. Non habent oculos lumbrici, nec vllum vermium genus, vt narrat Plin.lib.11.cap.37. A NVSQVAM COMPAREBAS.] nullo in loco apparebas. PRÆSTIGIATOR,] qui veluti præſtiigiis quibuſdam homines fallis,& in fraudem impellis. Præſtigiatores dicti ſunt à præſtigiis.præſtigiæ,à præſtinguendo,quod valet,tenebras offundere,& à præſtinguendis oculis.qua de re plura in comment. Horatianis. ACCIPIAM] tractabo, inuitabo. tralatio eſt, proprie vſurpauit Virg.lib.3.Æneid. *Illos porticib.rex accipiebat in amplis*. & M.Tull.lib.6. de repub. *pòſt autem regio apparatu accepti,ſermonem in multam noctem produximus*. AFFLICTAS?] in terram crebrò affligis? VERBERABILISSIMÈ,] verberibus digniſſimè,maximè verberãde. REDDE HVC SIS.] redde mihi ſi vis, quæ ſubripuiſti. QVOD TIBI ABSTVLERAS,] homo ſuſpicioſiſſimus,putans Strobilum,ambiguè de induſtria eſſe locutum, &, cùm ita dixit, *nihil equidem tibi abſtuli*, ſic ſenſiſſe,nihil abſtuli in vſum tuum , ſeu quod in vſum tuum verteretur:hac ſententia arrepta,vt hoc pacto omnem calumniam,& cauillum auferat:iubet eum omnino reddere,quod ea gratia abſtulit , vt eo vteretur,ac frueretur. hoc modo.at redde,inquit,illud, quod tibi, id eſt tui vſus gratia, abſtuleras. PONE HOC SIS.] pone hoc ſi vis,de manibus ſcilicet.pone,id eſt,depone. Horat.epiſt.16.lib.1. *Pone,meum eſt*,inquit, *pono, triſtíſque recedo*. AVFER CAVILLVM.] omitte iocularem,& ludicram fallaciam. *Cauillatio eſt iocoſa calumniatio*,inquit Feſtus.idem,*Cauillum,cauillatio,eſt irriſio*. Nonius.Cauillantur,quod eſt apud Cicero- B nem lib.3.de oratore,interpretatur,iocantur. QVIN TV ELOQ. QVIDQ. EST S. N.] immò verò,clarè appella, quidquid tibi ablatum eſſe arguis,ſuo nomine.licet etiam legere cum interrogatione , vt *eloquere* , ſit indicatiui modi,pro eloqueris, & *quin*, poſitum intelligamus pro cur non.ſed illo altero modo mâlo. TERTIAM] ridiculum, poſtulare ſibi oſtendi manum tertiam ab eo,qui ambas oſtẽderit,& ita ſatis probarit,niſi obſtaret Euclionis animus diffidentiæ,& ſuſpicionis plenus,ſe nihil alieni tetigiſſe.Sed hîc oſtendit Plautus,quàm miſer ſit auarus, qui auri & ſeruandi cura,&amittendi metu perturbatus,ne oculis quidẽ ſuis credit. LARVÆ,] lemures,Maniæ γοργεῖα ſeu γοργία. hinc laruati,male ſani:qui laruarum incurſatione vexantur. ATQ. INTEMPERIÆ,] ſuprà ead. comœd.in princip. *Neſcio pol,quæ illum hominem intemperiæ tenent*. FATEOR, QVIA NON PENDES, M.] fateor me tibi iniuriam facere maximam, qui non pendes,& pendens vapulas. Serui, qui virgis,aut loris cædebantur, pendebant è trabe aliqua.qua de re ſuprà ſat multa dicta ſunt,in Amphitr.ibi. *Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo. Niſi item vnam,verberatus,quam pependi perpetem*.& in Aſin.ibi. *Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes*. ATQ. ID QVOQVE IAM FIET, &c.] ſubint. tibi, id eſt,pendebis,& pendens vapulabis. NISI FATERE.] niſi fateris, te mihi ollam auri C abſtuliſſe. TVO ARBITRATV.] id eſt ita, vt arbitraberis. ita vt voles. NE INTER TVN. HAB.] pendent & apta ſunt hæc ex ſuperioribus illis, *excute dum pallium*, debéntque connecti cum illis,&coniunctè legi,in explicando,& interpretãdo:quamuis Strobilus interpoſuerit hęc,*tuo arbitratu*.Hęc enim orationis eſt ſeries *agedũ,excute dũ palliũ,ne inter tunicas habeas*.Sed cur dixit *inter tunicas*,& nõ,*inter tunicã*? vnã enim tunicã gerebant,non duas.an numerũ multitudinis vſurpauit,pro ſingulari,Græcorũ more, vt τόξα pro τόξον ἅρματα pro ἅρμα, &c.an hoc referendũ ad Euclionis perſonam,qui nõ putat vnã tunicã ſeruũ Strobilum habere, ſed plureis? vt ſuprà non duas manus tantùm, ſed plureis in eo quærebat? Porrò palliũ fuiſſe Græcorum veſtem exteriorem,tunicam verò,interiorem:& illud, ἱμάτιον hanc χιτῶνα dictam eſſe, cõſtat. quod ſi aliter eſſet,poſſem hoc ex Demoſthene,& aliis oratoribus:ex Homero,ex aliis poëtis,& omnib. denique hiſtoricis docere. QVÀM BENIGNÈ,] id eſt,quàm liberaliter,ſubintellige, poteſtatem facit exquirendi, perſcrutandi, & excutiendi, vt ne, &c. ABSTVLISSE] ſubintellige,eum. SYCOPHANTIAS] fallacias. AVDIRE EXPETIS.] cupis audire, quid amiſerim, aut etiam quid hîc abſtruſerim. NEQ. TVI ME QVIDQ. INVENT. P.] D ordo, & ſententia eſt, neque quidquam tui penes me inueniſti. QVIS ILLIC EST, &c.] quis ille eſt,&c. Nemo erat omnino, præter Strobilum : ſed quaſi aliquis alius eſſet , ita quærit, homo omnia tuta timens, & ſibi ipſe non credens , & vmbram ſuam horrens. PERSCRVTAVIT.] perſcrutatus ſum. profert Nonius in verbo *ſcruto*.titulo *de contrariis generibus verborum*. SOCIENNO TVO] ſocio tuo : Profert hunc verſum Nonius. vtitur eodem nomine, & ſuprà,in Amphitr. *Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere*. INTERSTRINGAM] interprimam.ſic enim loquitur in Rud.*Qui ſacerdoti ſceleſtus fauceis interpreſſerit*: idem valet,*obſtringere collum laqueo*:quo genere vſus eſt ſuprà in ead. com. in princip. & in Amphitr.ibi. *Quom ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham*. FVGIN' AB OCVLIS?] Fugíſne à conſpectu meo? CAVE SIS TE VID.] caue,ſi vis,te videam.

## STROBILVS.

EMortuum ego me mauelim leto malo,
Quàm non ego illi dem hodie inſidias ſeni.

NANQVE



A Nanque hîc iam non audebit aurum abſtrudere.
Credo refert iam ſecum,mutabit locum.
Atat foris crepuit,ſenex eccum aurum effert foras.
Tantiſper hic ego ad ianuam conceſſero.

EMORTVVM EGO ME] ſimul vt vidit Strobilus, Euclionem aurum ex fidei fano effodere, hæc ſecum loquitur, & minatur ſe illi inſidiaturum, magnúmque malum daturum. LETO MALO,] mala morte. QVÀM NON EGO ILLI DEM INS. H.] Quã non ego illi ſeni inſidias comparem,ſeu inſidier.ſic loquitur in Bacchid.*Is noſtræ naui lembus inſidias dabat*. & in Caſina. *hiſce ego inſidias dabo*. HÎC] in fidei fano. FORIS CREP.] fores fani crepuerunt. Ex forium crepitu autem,ſenem è fano exiturum cognoſcit. FORAS.] extra fanum. TANTISPER] interea dum aurum effert foras. HÎC] videtur legendum huc. CONCESSERO.] iuero.Terent.Heaut.*at certè concedas aliquò ab eorum ore aliquantiſper*.

B

## EVCLIO, STROBILVS.

EV. FIdei cenſebam maximam multo fidem
Eſſe,ea ſubleuit os mihi peniſſimè.
Ni ſubueniſſet coruus,periſſem miſer.
Nimis hercle ego illum coruum ad me veniat velim,
Qui indicium fecit,vt ego illi aliquid boni
Dicam.nam quod edit,tam duim,quàm perduim.
Nunc hoc vbi abſtrudam,cogito ſolùm locum.
Siluani lucus extra murum eſt auius,
C Crebro ſalicto oppletus,ibi ſumam locum.
Certum eſt,Siluano potius credam, quàm Fidei.
STR. Euge euge,dij me ſaluum & ſeruatum volunt.
Iam ego illuc præcurram,atque inſcendam aliquam in arborem,
Indéque obſeruabo,aurum vbi abſtrudat ſenex.
Quanquam hic manere herus me ſeſe iuſſerat.
Certum eſt,malam rem potius quæram cum lucro.

CENSEBAM] exiſtimabam. EA SVBLEVIT OS MIHI PENISS.] ea mihi prorſus fucũ fecit.ea me planiſſimè irriſit, illuſit, ludibrio habuit, ea me decepit, ac fefellit. vtitur hac locutione ſæpè Plautus, exempli gratia, in Capt. *Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſubleuere offuciis*. ibid.infrà. *Ad illum modum ſublitum mihi os eſſe Hodie mihi?* in argum. Epid.*mox compreſſæ, ac* D *militis Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum*. tractum à mulieribus,quæ fucum faciunt,hoc eſt,quæ ſe ipſæ fuco linunt,vt ſuas rugas tegant,& amatores capiant,vt fucum facere,& os ſublinere idem valeant:vel ab iis,qui alteri fortaſſe dormienti, aut alioqui imprudẽti os colore aliquo fœdo,& tætro inficiunt,vt ille aliis eum vidẽtibus ridiculus ſit, & ita ferè Nonius:cuius hæc verba ſunt. *ſubleuit os,ſignificat , illuſit , & pro ridiculo habuit.tractum à genere ludi , quo dormientibus ora pinguntur*. Plaut.Aulul. *Fidei cenſebam*,&c. NIMIS HERCLE ILLVM CORVVM, &c.] id eſt, valde hercle illum coruum ad me venire velim.vel valde hercle velim, coruus ille ad me veniat.genus eſt loquendi permixtũ,& confuſum è duobus, vt ſuprà docuimus:quo crebrò vtitur Plautus,& cæteri comici, ſed maximè Græci. QVI INDICIVM F.] qui indicauit mihi furem auro imminentem.vel qui me præmonuit ſuo crocitu,vt mihi à furibus cauerẽ.vel ſic, qui mihi patefecit inſidias,quæ auro comparabantur. DICAM.] non dixit,donem,aut largiar,aut faciam.nam ſenex tenaciſſimus,nihil cuiquam donare,aut benefacere poteſt,ſumtum peius morte horrens,bene dicere facilè poteſt,quia id fit ſine ſumtu. NAM QVOD EDIT, TAM DVIM, &c.] rationem ſubiicit ſenex,quare dixerit,ſe libenter aliquid boni coruo dicturum, non autem facturum. quia, inquit, nolim quidquam perdere. dare autem coruo, quod edit, id eſt,quod edat,perdere interpretor,& perdere appello.*edim,edis, edit*, coniunctiui modi, à verbo edo es,eſt.qua de re ſatis multa à nobis in comment.Horat.dicta ſunt.ſic autem hunc locum,vt

&alios innumerabileis, iampridem ex librorum veterum auctoritate reſtituit Camerarius : & A verò ita habent etiam noſtri libri manuſcr. Quod cùm ita ſit, tamen Adr.Turneb. vir optimus, idémque doctiſſ.&,quandiu vixit,atque adeò etiam nũc mihi cariſſimus, Aduerſariorum libro 6.cap.26.quaſi hic locus tum cùm Aduerſaria ſua ſcribit, & componit, ſit adhuc mendoſus, & inexplicabilis, & propè deſperatus, & quaſi hic nodus,non niſi Tenedia bipenni, alióve ferramento ſecari poſſit,iuueniliter exſultat, & gaudio triumphat, tanquam hoc loco à ſe emẽdato, diſſoluto,atque explicato.Ita autem legebatur in aliis libris vulgatis.*Nam quod dedit,tamdiu,quàm perdium*, in aliis. *Nam quod edim ,tamdiu quàm perdiuſt.* planè mendoſè. quis negat ? ſed quid magni facit is,qui,quod 12.annis antè ab alio,vt hic locus à Camerario,fuit emendatum,atque explicatum,id reſtituit,atque aperit ? Dicet aliquis.quid ? Túne Lambine, Turnebum tuum,furti arguis?tu,vt Camerarij gloriam augeas,de Turnebi laudibus demis ? Non eſt ita.ſed ſuum cuique reddi oportere contendo.& lectorem errare nolo.ſimúlque Turnebum omni tali ſuſpicione,non ſolùm crimine,liberare cupio. Dico igitur, nullam hîc Turnebi eſſe culpam : aut,ſi qua culpa eſt,ita leuem eſſe, vt nullum ei furti crimen inferri debeat. Quo argumento ? quidquid enim fecit, imprudens fecit. Cuius imprudẽtiæ hæc origo eſt. Cùm ille quippiam ingenioſè ac præclarè excogitarat,in ſuo codice perſcribebat. Cùm aliquid item ab altero ingenioſè,& eruditè inuentum repererat,id in ſuum codicem referebat,tacito interdum autoris nomine, quòd B properaret, non quòd quemquam ſua laude fraudare vellet. Ita cùm longo poſt editionem Plautinam à Camerario confectam tempore,Aduerſaria ſua conſcribere cœpiſſet:factum eſt,vt & aliena imprudens ſuo nomini adſcriberet,& ſua quidem,ſed ab aliis occupata,id eſt, prius in vulgus edita,tanquã inaudita,& ignota ederet, Cuiuſmodi plurima eſſe animaduerti in iis,quæ in M.Tullij ſcriptis reſtituiſſe videri vult, quin etiam digito indicaui, illum ea interdum emendare conatũ eſſe, quæ emẽdatione non egebant, quæque in exemplis vel à Colinæo, vel à Roberto Stephano 20. ferè abhinc annos editis,emendatè ſunt impreſſa. Cuius rei hæc cauſa eſt, quòd ille antiquis editionibus contentus,nouas parare non magnopere curabat. Hinc ſæpe factum eſt,vt,quæ fuerint ab aliis emendata,atque occupata,quod ille ignoraret, propterea quia exempla recentiora non vidiſſet, poſterius à ſe emendata ederet, cùm ſibi eam emendationem ante alios omnes in mentem veniſſe, & à ſe in vulgus editam eſſe exiſtimaret. Sed ad rem. Hæc igitur loci huius ſententia eſt. Nam quod edit, id eſt, edat Coruus,tam duim, id eſt, tam dederim,quàm perduim,id eſt,quàm perdiderim. nihilo plus velim dare coruo,quod edit,ſeu quod edat,quàm perdere,quod enim ei comedendum dederim,proinde ſit,ac ſi perdiderim. perdere autem, non eſt meum. Itaque vt ei boni aliquid dicam, veniat ad me, velim : vt donem autem, aut vt benefaciam, nihilo facilius adduci poſſim, quàm vt perdam. NVNC HOC VBI C ABSTR. COG. SOLVM L. ] Nunc cogito,id eſt,apud me quæro,locum ſolum, id eſt, deſertum,& ab arbitris liberum, ἔρημον. vbi hoc aurum abſcondam. SILVANI LVCVS] Siluanus,ſiluarum deus. Horatius epiſt. ad Auguſt. *Tellurem porco,ſiluanum lacte piabant.* EXTRA MVRVM] in ſuburbio. AVIVS] auius eſt : quia ſiluano ſacer eſt. hominum pedibus non tritus. Lucret. lib. 1. & principio quarti *Auia Pieridum peragro loca, nullius antè Trita ſolo.* CERTVM EST.] decretum eſt.fixum,& ſtabile eſt:ſtat ſententia. INDÉQVE.] & ex illa arbore, in quam inſcendero. OBSERVABO,] ſpeculabor, arbitrabor. QVAMQVAM HÎC MANERE HERVS ME SESE, &c.] amphilogia, ſeu amphibolia, ſed non dubium eſt, quin hoc ſentiat ſeruus,quamquam herus iuſſerat,vt hîc ſeſe exſpectarem. MALAM REM] plagas, & verbera propterea quòd heri imperium neglexim. CVM LVCRO.] auro Euclionis ablato.

## LYCONIDES adoleſcens, EVNOMIA mulier, VIRGO. D

LY. DIxi tibi mater, iuxtà rem mecum tenes,
Super Euclionis filia. nunc te obſecro
Fac mentionem cum auunculo mater mea,
Reſecróque mater quod dudum obſecraueram.
EV. Scis tute,facta velle me,quæ tu velis.
Et iſtuc confido à fratre me impetraſſere.
Et cauſſa iuſta eſt,ſiquidem ita eſt vt prædicas,
Te eam compreſſiſſe vinolentum,virginem.
LY. Egóne vt te aduorſum mentiar mater mea ?
VIR. Perij mea nutrix. obſecro te,vterum dolet,

IVNO



A Iuno lucina tuam fidem. LY. hem mater mea,
Tibi rem potiorem video,clamat,parturit.
EV. I hac intrò mecum gnate mi ad fratrem meum,
Vt iſtuc,quod tu me oras,efficiam tibi,
Vt iſtuc,quod me oras,impetratum ab eo auferam.
LY. I,iam ſequor te mater,ſed ſeruum meum
Strobilum miror vbi ſit ,quem ego me iuſſeram
Illic opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam,me illi iraſci iniurium eſt.
Ibo intrò,vbi de capite meo ſunt comitia.

B DIXI TIBI, MATER,] Euclionis filiam à me eſſe compreſſam Cereris vigiliis,méque velle eam mihi vxorem dari. IVXTA REM MECVM T.] iuxta, id eſt,æquè,ſimiliter.ſic Nonius:deinde hunc locum profert. NVNC TE OBSECRO.] nunc te per ſacra rogo, & hac rogatione obligo. FAC MENTIONEM CVM AVVNCVLO M.] id eſt,age cum auunculo meo, Megadoro,fratre tuo. RESECRÓQ. MATER, QVOD D. OBSECR.] & te,mater,obligatione obſecrationis huius libero,vt tibi,vtrum velis,liceat.proinde ac ſi ita dicat:te per omnia ſacra oro, atque obteſtor, vt auunculum meum conuenias de Euclionis filia, quam ſibi vxorem deſtinauit, mihi cedenda.& tamen te,ſi fortè hoc facere noles, iuriſiurandi religione ſoluo,ac libero. Solebant enim,qui alterum obſecrarant,ſi eſſent eo, quem obſecrarant,inferiores,aut humiliores, aque idcirco eum vereri, & pudore proſequi deberent,ſtatim vt illum obſecrarant,id eſt, ſacramento, & religione obſtrinxerant. reſecrare, id eſt, religione liberare, ne ei vim afferre viderentur, ſed potius permittere, vt ſuo arbitratu vteretur,&,vtrum vellet,faceret. Quin cùm reus populum comitiis per deos orauerat,id eſt,obſecrauerat, vt eo periculo ſe liberaret, iubebat illum magiſtratus populum reſecrare, id eſt, religione ſoluere, vt ſcribit Feſtus,in verbo reſecrare.deinde hunc locum profert. Idem obſecrare C interpretatur,opem à ſacris petere. Iterum Plautus in Perſa.*Obſecro te:reſecro:operam da hanc mihi fidelem.* Cornelius Nepos in Alcibiade, *Idémque illi Eumolpidæ ac Ceryces rurſus reſecrare ſunt coacti, qui eum deuouerant.* SCIS TVTE, FACTA VELLE ME Q. V.] ſcis tu ipſe, me velle tibi contingere,quæ velis.Horat.Sat.9.lib.1.*cupio omnia,quæ vis.* IMPETRASSERE.] impetraturam. EGÓNE VT ADVORS. M.] egóne ita amens ſim, vt te audiente & præſente mentiar? VTERVM DOLET.] vterus dolet. Nonius, vterus,inquit,maſculino genere dicitur, & vterum neutro. Deinde hunc locum profert.& illud ex Turpil.Philop. *Diſperij miſera, vterum cruciatur mihi.* IVNO LVCINA, TVAM FIDEM.] ſubintell. imploro. tuam fidem autem,id eſt,tuum auxilium. Iunonem Lucinam inuocabant mulieres parturientes : quæ eadem eſt Diana, Ilithyia, & Genitalis. Lucina autem dicta, quod eius opera, ac beneficio partus in lucem prodeant,& lumen ſolis intueri incipiant. Terent. in Andr.*Iuno Lucina, fer opem : ſerua me, obſecro.*vbi notat Donatus,Iuno Lucina Iunonis filia,Græcè εἰλείθυια dicitur : Latinè Iuno à iuuando dicta,Lucina ab eo,quòd in lucem producat.& gemina vota ſunt,vt & partus,& pariens ſeruetur.nam fer opem, propter partum:ſerua me, propter parientem dicitur. Feſtus in voce ſupercilia,ita ſcribit:Supercilia in Iunonis tutela eſſe putabant,quòd iis protegantur oculi, per D quos luce fruimur:quam tribuere putabãt Iunonem.vnde & Lucina dicta eſt.Idem Opigenam, inquit,Iunonẽ matronæ colebant, quòd eam ferre opem in partu laborantibus,credebant. Sed de Iunone Lucina plura diximus in comment.Horatianis, ad odam 22.lib.3. ibi. *Quæ laboranteis vtero puellas*, &c. TIBI REM POTIOREM VIDEO.] Video rem faciliorem eſſe factam ex eo,quòd puella parturiat.vel ſic,video te maiorem impetrandi facultatem habituram ex eo,quòd puella iamiam paritura ſit. I HAC INTRÒ, &c.] veni hac mecum in ædeis fratris mei. ILLIC OPERIRI.] illic exſpectare. iterum hîc amphibolia eſt. ſed perſpicuum eſt, quid velit Lyconides. INIVRIVM'ST.] iniuſtum eſt. VBI DE CAPITE MEO SVNT COMITIA.] id eſt,vbi de fama,& vita mea agitur.vbi de ſalute mea conſilia ineuntur,& verba fiunt. tractum à populi R.comitiis. Comitia autem dicta eſſe à comeundo,ſeu comitando,id eſt,ſimul itando,conſtat.

## STROBILVS.

PIcos diuitiis, qui aureos montis colunt,
Ego ſolus ſupero. nam iſtos reges ceteros

Memorare nolo, hominum mendicabula. A
Ego ſum ille rex Philippus. ô lepidum diem.
Nam vt dudum hinc abij, multo illò adueni prior,
Multóque prius me collocaui in arborem,
Inde exſpectabam vbi aurum abſtrudebat ſenex.
Vbi ille abiit, ego me deorſum duco de arbore.
Effodio aulam auri plenam : inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem, ille me non videt.
Nam ego modò declinaui paulùm me extra viam.
Atat ſenem eccum ipſum, ibo vt hoc condam, domum.

PICOS DIVITIIS, &c. ] Picos, id eſt, gryphos, ſeu γρύπας, id eſt, gryphas, de quibus ſic Pomponius Mela. lib.2. cap.1. de Scythia Europæa, qua parte Ripæis montibus eſt proxima : *Deinde*, inquit, *eſt regio ditis admodum ſoli, inhabitabilis tamen, quia Gryphi, ſæuum, & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egeſtum mirè amant, miréque cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus*. B de iiſdem ſic Nonius, *Picos*, inquit, *veteres eſſe voluerunt, quos Græci* γρύπας *appellant* : deinde hunc locum profert Seruius ad illum Virgilij verſum Pharmacentr. *Iungentur iam grypes equis*, notat, *hoc genus ferarum in hyperboreis montibus naſcitur, omni parte leones ſunt : alis & facie aquilis ſimiles : equis vehementer infeſtæ, Apollinis conſecratæ*. Plinius lib.7. cap.1. *Arimaſpi, quos diximus, vno oculo in fronte media inſignes. quibus aßiduè bellum eſſe circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, multi, ſed maximè illuſtres, Herodotus, & Ariſteas Proconneſius ſcribunt*. Idem lib. 10. cap.49. *Pegaſos*, inquit, *equino capite volucreis, & gryphas aurita aduncitate roſtri, fabuloſos reor: illos in Scythia, hos in Æthiopia*. Tale eſt, quod narrat Herodotus in Thalia, de formicis Indicis, quæ aurum cuſtodiunt in India. quo referendum eſt illud Sophoclis in Antigona, Κερδαίνετε, ἐμπολᾶτε τὸν πρὸ Σάρδεων Ἤλεκτρον, εἰ βούλεσθε, καὶ τὸν Ἰνδικὸν Χρυσόν. NAM ISTOS REGES CETEROS MEMORARE NOLO, &c. ] ratio ante propoſitionem. hic enim ordo eſt. Ego ſum ille rex Philippus. nam iſtos reges memorare, &c. cuius modi ſermonis exempla poſſum colligere quàm plurima. C HOMINVM MENDICABVLA, ] mendicabulum, inquit Nonius, pro mendicatione. deinde profert hunc verſum. hominum mendicabula interpretor, homines mendicos, vt intelligamus, ſic dictum, mēdicabula hominum, vt ſcelera hominum, flagitia hominum. EGO SVM ILLE REX PHILIPP. ] Philippum regem Macedonum, Amyntæ filium, Alexandri Magni patrem, intelligit: qui plureis vrbeis cœpit auro, quàm ferro : quíque ſolitus erat dicere, nullum caſtellum eſſe inexpugnabile, in quod aſinus auro onuſtus poſſet aſcendere: à quo dictum eſt aurum Philippeum : quod Plautus noſter ſæpe commemorat. Ille autem poſitum ἐμφατικῶς. vt in Amphit. *quod ille faciat Iupiter*. Ordo autem, vt diximus, talis eſt, in explicando, Ego ſum ille rex Philippus. Nam iſtos reges ceteros, mendicos, & egenteis, commemorare nolo. NAM VT DVDVM, &c. ] id eſt, poſtquam dudum hinc abij &c. ILLÒ ] in ſiluani lucum : in quo ſenex dicebat ſe aulam auri abſtruſurum. PRIOR: ] prior quàm Euclio. PRIVS ] quàm ſenex in lucum veniret. COLLOCÁVI IN ARBOREM. ] *collocaui in arborem*. dixit potius quàm in arbore, quia collocaui hîc ſignificat motum. VBI ILLE. ] in prouocabulo *ille* alterum l. exteritur. EGO ME DEORSVM DVCO DE ARB. ] ego deſcendo, vel me demitto, ſenſim ex arbore. D Sic autem explicat Nonius in verbo *ducere*. Sic locutus eſt in Curcul. *deduco pedes de lecto clàm, ne miles ſentiat*. INDE SPECTABAM, VBI AVR. ] Sic legendum, vel inuitis libris omnibus non *inde exſpectabam* quod Latini ſermonis conſuetudo reſpuit. Nam *illic exſpectabam* : ſeu *ibi exſpectabam* dicendum eſſet, ſi *exſpectandum* retineretur. EFFODIO ] è terra à me foſſa extraho. Nonnulli libri habent, *ecfodio*. INDE, ] id eſt, ex eo loco. EX EO LOCO VIDEO R. S. S. ] ſecutus ſum libros omneis & vulgatos, & manuſcr. Sed non poſſum non valde probare Simeonis Boſij coniecturam, planè probabilem, Hæc enim videtur eſſe totius huius loci ſententia. *inde*, hoc eſt, ex eo loco, ex quo loco video ſenem redire domum ſuam, ego effodio ollam auri plenam. Vulgata autem, & recepta lectio, inde ex eo loco vix ferri poſſe videtur, propter tautologiam. quid enim aliud eſt inde, quàm ex eo loco? verumtamen ita explicari poteſt, inde, ex eo loco. inquam, (ad maiorem rei expreſſionem) in quo loco ſcilicet ſenex ollam auri plenam abſtruſit, video ſenem ſe recipere domum. ille autem me non videt. Vulgata hac lectione probata, interpūctionis nota poſt *plenam* locanda eſt. Quod ſi quis Simeonis coniecturam probet, aliter erit diſtinguendum, atque interpungendum : nempe hoc modo. *Effodio aulam auri plenam inde, ex quo loco Video recipere ſe ſenem. ille me non videt*. DECLINAVI PAVLLVM ME EXTR. V. ] declinaui, ſeu deflexi paullum de via.



A via. Cum verbo *declino* iunxit in accuſandi caſu prouocabulum *me*. Sic Lucret. dixit de atomis, *declinare ſe ſe*. Sic ille lib.2. *Sed, nihil omnino recta regione viaï Declinare, quis eſt, qui poſſet cernere, ſe ſe?* quorum verſuum hunc ordinem eſſe docuimus in commentariis noſtris, Sed quis eſt, qui poſſet cernere, corpora prima nihil omnino declinare ſe ſe recta regione viaï? Sic Virgil. dixit lib.4. Æneid. *nec dulci declinat lumina ſomno*. IBO, VT HOC COND. DOM. ] ordo eſt, ibo domum, vt hoc condam, domi ſcilicet. Itaque debet diſtinctionis nota ſcribi poſt *condam*.

EVCLIO ſenex, LYCONIDES adoleſcens.

EV. PErij, interij, óccidi; quò curram? quo non curram?
Tene, tene, quem? quis? neſcio, nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quò eam, aut vbi ſim, aut qui ſim, nequeo cum animo
Certum inueſtigare. obſecro vos ego, mihi auxilio,
B Oro, obteſtor, ſitis, & hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.
Qui veſtitu & creta occultant ſeſe, atque ſedent, quaſi ſint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum eſt. nam eſſe bonum è vultu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? noui omneis, ſcio fures eſſe hic cōplureis,
Hem nemo habet horum? occidiſti. dic igitur. quis habet? neſcis?
Heu me miſerum, miſere perij. malè perditus, peſſimè ornatus eo.
Tantum gemiti & mali, mœſtitiæque hic dies mihi obtulit,
Famem & pauperiem. perditiſſimus ego ſum omnium in terra.
Nam quid mihi opus eſt vita, qui tantum auri perdidi?
C Quod cuſtodiui ſedulò : egomet me defraudaui,
Animúmque meum geniúmque meum: nunc eo alij lætificantur,
Meo malo & damno. pati nequeo.
LY. Quínam homo hic ante ædis noſtras eiulans conqueritur mœrēs?
Atque hic quidem Euclio eſt. eſt, opinor. oppidò ego interij, palàm eſt res.
Scit peperiſſe iam, vt ego opinor, filiam ſuam. nunc mihi incertum eſt,
Quid agam. abeam, an maneam? an adeā, an fugiam? quid agam, edepol neſcio.

D

PERII, INTERII, &c. ] Inducitur Euclio, poſteaquàm ollam auri ſublatā eſſe cognouit, mirè cōturbatus, exanimatus, & de gradu mētis, vt aiunt, deiectus. TENE, TENE. ] ſubintell. furem. Alloquitur quamuis ex iis, qui adſunt. QVEM? ] quem iubeo, aut poſtulo teneri? vel, quem tenebitis? QVIS? ] quis ollam auri abſtulit? NIHIL VIDEO, CÆCVS EO : ] idem dicitur aliis verbis, nam qui nihil videt luce clara, cæcus eſt. INVESTIGARE ] veſtigando inuenire. Sic Terentius in Heaut. *Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poßit*. Plautus in Mercat. *Non concedam, neque quieſcam vſquam noctu, neque interdius, Priuſquàm aut amicam, aut mortem inueſtigauero*. aliàs inueſtigare, valet veſtigiis quærere. Idem Terent. Eunuch. *vbi quæram? vbi inueſtigem? quem perconter?* QVI VESTITV ET CRETA OCCVLTANT S. ] qui veſtitu obſoleto, neque ſumtuoſo, & facie cretata, ſeu fuco alio candefacta, ſimulant ſe eſſe viros bonos, & frugi. alij ſic veſtitu cādido, ſeu toga cādida, ſimulant ſe eſſe viros bonos, & fortes, & iccirco honore & magiſtratu dignos. Nā magiſtratus, & honores petebant Romani in veſte candida. al. ſic, qui cum ſint nigri, id eſt, improbi & ſcelerati, ſimulant ſe eſſe cādidos, id eſt, bonos atque integros. Horat. Satyra 3. lib.2. *creta, an carbone notandi*. TANTVM GEMITI, ET MALI, MOESTITIÆQVE HIC D. OBT. ] Sic edidimus. Nam vulgati quidē alij ſic

habent, *Tantum gemiti, & mali mœſtitiæ hic d.* &c.& ita Florent. alij vt Aldini, & Lugd. ſic: *Tantum gemiti, & malæ mœſtitiæ,* &c. manuſcript. noſtri ſic ferè, vt Florentini, *Tantum gemiti & mali, mœſtitiæ hic d.* &c. Nonius porrò in voce *gemiti,* docens, *gemiti* poſitum eſſe pro *gemitus,* antiquè, legit. *Tantum gemiti mali, moleſtiæq; hic d. m. obt.* quæ ſcriptura mihi non ſatis probatur, eámque planè corruptam, ac deprauatam eſſe arbitror. quamquam eam Camerarius ſecutus eſt. Priſcianus lib. 6. eiuſdem rei exemplum afferens, ſic legit. *Tantum gemiti, & malæ mœſtitiæ hic dies mihi obtulit.* EGOMET ME DEFRAVDAVI, &c.] ſic Terent. Phorm. *Quod ille vnciatim, vix de dimenſo ſuo, Suum defrudans Genium, compar ſit miſer,* ſuprà in Aſinaria. Defrudem te ego? ad quem locum plura. defraudare autem, ſeu defrudare Genium ſuum, & indulgere Genio, inter ſe opponuntur. ſimiliter defrudare animum ſuũ, & obſequi, ſeu morem gerere animo ſuo, inter ſe pugnant. NVNC EO LÆTIFICANTVR.] nunc alij eo auro læti fiunt. vel ſic, nũc alij ex eo auro lætitiam, & voluptatem capiunt. EIVLANS] eiulare eſt vocem triſtem, & lugubrem mittere, quod muliebre eſt. M. Tull. Tuſc. quæſt. lib. 2. *Ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idque raro: eiulare ne mulieri quidem. & hic nimirũ eſt fletus, quem 12. tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt.* Horat. oda 10. Epod. *Et illa non virilis eiulatio.* Apuleius lib. 3. princip. *Hæc idemtidem mecum replicans fortunas meas eiulabam.* Idem lib. 4. *Nec tamen puella quiuit vllis aniculæ ſermonibus, ab inceptis fletibus auocari: ſed altius eiulans, & aſſiduis ſingultibus ilia quatiens, mihi etiam lacrymas excuſſit.* Leſſum appellant 12. talem eiulationem. PALAM EST RES.] Lyconides audiens Euclionem lamentantem, & eiulantem, ſuſpicatur propter partum filiæ lamentari, non propter ollæ iacturam, quam fecit ille, qua de re nihil audierat Lyconides.

## EVCLIO ſenex, LYCONIDES adoleſcens.

QVis homo hic loquitur? LY. ego ſum. EV. immò ego ſum miſer, & miſerè perditus,
Quoi tanta mala, mœſtitudóque obtigit. LY. animo bono es.
EV. Quo obſecro pacto eſſe poſſum? LY. quia iſtuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci & fateor. EV. quid ego ex te audio? C
LY. Id, quod verum eſt. EV. quid ego de te merui adoleſcens mali,
Quamobrem ita faceres, méque, meóſque perditum ires liberos?
LY. Deus mihi impulſor fuit. is me ad illam illexit. EV. quo modo?
LY. Fateor me peccauiſſe, & me hanc culpam commeritum ſcio.
Id adeò te oratum aduenio, vt animo æquo ignoſcas mihi.
EV. Cur id auſu's facere vt id, quod non tuum eſſet, tangeres?
LY. Quid vis fieri? factum eſt illud, fieri infectum non poteſt.
Deos credo voluiſſe. nam ni vellent, non fieret ſcio.
EV. At ego deos credo voluiſſe, vt apud te me in neruo enecem. D
LY. Ne iſtuc dixis. EV. quid tibi ergo meam me inuito tactio eſt?
LY. Quia vini vitio atque amoris feci. EV. homo audaciſſime,
Cum iſtácne te oratione huc ad me adire auſum, impudens?
Nam ſi iſtuc ius eſt, vt ſic tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palàm,
Pòſt id ſi prehenſi ſimus, excuſemus ebrios
Nos feciſſe, amoris cauſſa. nimis vile'ſt vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impunè facere quod lubeat, licet.
LY. Quin tibi vltrò ſupplicatum aduenio, ob ſtultitiam meam.
EV. Non mihi homines placent, qui, quando malefecerunt, purgitãt.
Tu illam ſcibas non tuam eſſe, non attactam oportuit.

Ergo



A LY. Ergo quia ſum tangere auſus, haud cauſificor, quin eam
Ego habeam potiſſimum. EV. tun' habeas me inuito meam?
LY. Haud, te inuito, poſtulo, ſed meam eſſe oportere arbitror.
Quin tu eam inuenies, inquam, meam illam eſſe oportere Euclio.
EV. Niſi refers. LY. quid tibi ego referam? EV. quod ſurripuiſti meum.
Iam quidem ad prætorem hercle te rapiam, & tibi ſcribam dicam.
LY. Surripui ego tuum: vnde? aut quid id eſt? EV. ita te amabit Iuppiter
Vt tu neſcis. LY. niſi quidem tu mihi quid quæras, dixeris.
EV. Aulam auri, inquam, te repoſco, quam tu confeſſus mihi,
B Te abſtuliſſe. LY. neque edepol ego dixi, neque feci. EV. negas?
LY. Pernego, immò neque ego aurum, neque iſta aula quæ ſiet,
Scio, nec noui. EV. illam ex Siluani luco quam abſtuleras: cedo,
I refer, dimidiam tecum potius partem diuidam.
Tametſi fur mihi es, moleſtus non ero. i verò, refer.
LY. Sanus tu non es, qui furem me voces. ego te Euclio
De alia re reſciuiſſe cenſui, quod ad me attinet.
Magna eſt res, quam ego tecum otioſè, ſi otium eſt, cupio loqui.
EV. Dic bona fide, tu id aurum non ſurripuiſti? LY. bona.
EV. Neque ſcis quis abſtulerit? LY. iſtuc quoque bona. EV. atque id ſi ſcies,
C Qui abſtulerit, mihi indicabis? LY. faciam. EV. neque partem tibi
Ab eo quiqui eſt, inde poſces, neque furem excipies? LY. ita.
EV. Quid ſi fallis? LY. tum me faciat quod volt, magnus Iuppiter,
EV. Sat habeo, age nunc, loquere quid vis. LY. ſi me nouiſti minus,
Genere qui ſim gnatus, hic mihi eſt Megadorus auunculus.
Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides:
Mater eſt Eunomia. EV. noui genus. nunc quid vis? id volo
Noſcere. LY. filiam ex te tu habes. EV. immò eccillam domi.
D LY. Eam tu deſpondiſti, opinor, meo auunculo. EV. omnem rem tenes.
LY. Is me nunc renuntiare repudium iuſſit tibi.
EV. Repudium rebus paratis, atque exornatis nuptiis?
Vt illum di immortales omnes deæque, quantum eſt, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix miſer.
LY. Bono animo es, & benedice. nunc, quæ res tibi & gnatæ tuæ
Bene felicitérque vortat, ita di faxint, inquito.
EV. Ita di faciant. LY. & mihi ita di faciant. audi nunc iam.
Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam parui pretij,
Quin pudeat, quin purget ſeſe: nunc te obteſtor Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccaui, aut gnatam tuam,

Vt mihi ignoſcas, eámque vxorem mihi des, vt leges iubent. A
Ego me iniuriam feciſſe filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ.
EV. Hei mihi, quod facinus ego ex te audio? LY. cur eiulas?
Quem hodie ego auum feci iam vt eſſes filiæ nuptiis.
Nam tua gnata peperit, decumo menſe pòſt, numerum cape.
Ea re repudium remiſit auunculus cauſſa mea.
I intrò, exquire ſítne ita, vt ego prædico. EV. perij oppidò,
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ ſe agglutinant.
Ibo intrò, vt quid huius veri ſit, ſciam. LY. iam te ſequor.
Hæc propemodum iam eſſe in vado ſalutis res videtur.
Nunc ſeruum eſſe vbi dicam meum Strobilum, non reperio, B
Niſi etiam hic opperiar tamen pauliſper, poſtea intrò
Hunc ſubſequar. nunc interim ſpatium ei dabo exquirendi
Meum factum, ex gnatæ pediſequa, nutrice, anu. ea rem nouit.

QVOI TANTA MALA, MOESTITVDOQVE OBTIGIT.] Sic habent & noſtri libri veteres. nam vulgati habent tanta mala mœſtitudo obtigit ſine copulatione, planè mendoſè. Adiuuat hanc lectionem & Nonius, apud quem ita impreſſum & ſcriptum eſt in voce *mœſtitudo*, quod pro mœſtitia poſitum docet, & hunc locum profert. ANIMO BONO ES] *es* imperatiui modi eſt, præſentis temporis, à verbo ſum. QVIA ISTVC FACINVS, &c.] ab hoc loco error vtrique obiicitur, dum Euclio putat Lyconidem ſibi ollam auri ſubripuiſſe, ídque eum fateri; Lyconides autem per facinus, quod ſe feciſſe fatetur, oblatum à ſe filiæ Euclionis ſtuprum intelligit. Errant igitur Euclio & Lyconides. Nam Lyconides facinus, quod ſe fatetur feciſſe, vult intelligi, Euclionis filiam à ſe compreſſam: Euclio verò ſic accipit, quaſi fateatur ille, ollam auri à ſe eſſe ablatam. SOLLICITAT] de ſede mouet, & de ſtatu deiicit. Feſtus: C *ſollicitare*, inquit, *eſt ſolo citare, & ex ſuo loco mouere.* DEVS MIHI IMPVLSOR F.] ſignificat ſe à Cupidine impulſum eſſe ad eius filiæ amorem, & ad illam corrumpendam. ET ME HANC CVLPAM COMMERITVM SC.] id eſt, & me hanc culpam commeruiſſe, ſeu commiſiſſe ſcio. ID ADEÒ, &c.] id eſt, propter id adeò, ſeu propter eam adeò cauſam. ANIMO ÆQVO] animo propitio, leni & tranquillo. AVSV'S] auſus es. FIERI INFECTVM NON POTEST,] Ariſt. lib. 6. de Moribus, ad Nicom. τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι. Διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων, Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν ὅσσ᾽ ἂν ᾖ πεπραγμένα. id eſt, vt nos quidem olim vertimus. Quod factum eſt autem, id vt ſit infectum, contingere non poteſt. Itaque rectè Agatho. Hoc namque duntaxat negatum eſt Deo. Quæ facta ſunt, infecta poſſe reddere. VT APVD TE ME IN NERVO ENECEM] id eſt, vt apud te mihi laqueo, ſeu potius ferreo vinculo, interſtringam gulam. Feſtus, *neruum*, inquit, *appellamus ferreũ vinculum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam vinciri ceruices ait.* NE ISTVD DIXIS] ne iſtud dixeris. QVID TIBI ERGO MEAM, ME INVITO TACTIO EST?] quod ius tibi eſt meæ tangendæ, me inuito? vel ſic, D Quamobrem meam tangis me inuito? vel ſic, quo iure meam, me inuito tangis, ſeu tetigiſti? Iam tangere, ambiguum eſt. nam & tangere rem alienam inanimam, pro tollere, ſeu auferre, vnde tagaces, fures, & tangere mulierem, pro rem cum muliere habere dicunt Latini. Horat. Sat. 2. lib. 1. *matronam nullam ego tango.* Catull. ad Aurel. *Tangam te prius irrumatione. meam*, ſubintell. ollam, vt quidem ſentit, & accipit Euclio. ſed Lyconides filiam ipſius Euclionis ſignificari putat. Animaduertat autem lector, nomina verbalia, regere caſum ſui verbi. QVIA VINI VITIO, ET AM. F.] quia, inquit, vini culpa, & amoris feci. Lyconides in vinum, & amorem culpam confert. ſic ille apud Terent. in Adelph. *Nam hoc quidem ferundum aliquo modo eſt. Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia. Humanum eſt.* Sic Demoſthenes in oratione, κατὰ μειδίου, purgans quendam, qui theſmothetam percuſſerat, dicit, eum treis habuiſſe defenſiones probabileis, quibus crimen ſibi illatum diluere poſſet, μέθην, ἔρωτα, ἄγνοιαν: id eſt, ebrietatem, amorem, ignorationẽ. Sic Philemon Ἅπας πονηρὸς οἶνος ὁ πολύς ἐστ᾽ ἀεί. Ἐμέθυον. ἱκανὴ πρόφασις εἰς θ᾽ ἁμαρτάνειν. id eſt, Vinum omne multum, ſemper eſt malum. Sat magna peccandi ebrio cauſa in manu eſt. ſed melius philoſophus ille, qui in reum hoc vno ſe defendẽtem, quòd vini vitio peccaſſet, duplicem pœnam conſtituebat. cuius rationem hanc affert Ariſtot. lib. 3. de Morib. ad Nic. principiũ enim actionis, inquit, eſt in ipſo. erat enim in eius poteſtate ſitũ cauere, ne



ne ebrius fieret. verba Ariſtotel. ſunt hæc, τοῖς μεθύουσι διπλᾶ τὰ ἐπιτίμια. ἡ γὰρ ἀρχὴ ἐν A αὐτῷ. κύριος γὰρ τοῦ μεθυσθῆναι. CVM ISTACNE OR. H. AD ME AD. AVS?] ſubintellige, par eſt, æquum eſt, aut aliquid tale. oratio enim eſt præciſa. LVCE CLARO D.] argumentum ab abſurdo, & improbabili conſequenti. Sic autem legendum, non vt vulgò, *luce clara* & verò hanc lectionem tutatur Nonius in voce *lux*, hunc locum proferens. Sic M. Tull. lib. 3. de Off. *luce claro in foro ſaltet.* NIMIS VILE'ST VINVM, ATQ. AMOR, &c.] id eſt, non poteſt ſatis magno emi vinum, atque amor, ſiquidem vinum ebrio, amor amanti dant omnium facinorum malorum licentiam, atque impunitatem. ſed non eſt ita, vt ſuprà diximus. quin qui vini impulſu, & ebrietate peccat, pœnam duplicem ſufferre debet, quia bis peccauit: ſemel, quod ebrius factus eſt, iterum, quòd ab ebrietate ad facinus impulſus eſt. PVRGITANT.] crebro purgant. ſubintell. ſe ILLAM] ollam auri. hanc enim ſentit Euclio. ſed Lyconides putat eum de ſua filia compreſſa queri. SCIBAS.] ſciebas. HAVD CAVSIFICOR] non dico cauſam. non recuſo. οὐ προφασίζομαι. QVIN EAM EGO HAB. POTISS.] quin filiam tuam vxorem ducam ante alios omneis procos. MEAM?] ollam auri. POSTVLO,] ἀξιῶ. QVIN TV EAM INVENIES, INQVAM, &c.] Quin tu inuenies, inquam, filiam tuam, meam vxorem eſſe oportere. Errat vterque, vt ſæpius iam dixi, è verbis alterius: at- B que ex hoc errore, ſpectatores incredibili voluptate fuiſſe perfuſos, probabile eſt. NISI REFERS] ἀποσιώπησις. quæ conuenit minanti. *Niſi refers ollam*, inquit Euclio, ego te in ius rapiam, vel ego de te pœnas meritas ſumam, vel aliquid tale ſubintelligendum eſt. Quamquam videtur Euclio fuiſſe orationem inceptam abſoluturus, & illud, quod ſequitur, *ad prætorem te rapiam*, additurus, niſi eum loquentem interpellaſſet Lyconides, his verbis, *quid tibi ego referam?* IAM QVIDEM AD PRÆTOREM HERCLE TE RAP.] dixit, vt iratus, & perturbatus. nam ad prætorem ducere, & in ius vocare licebat: rapere non licebat, niſi ei, qui anteſtatus eſſet. Horat. Sat. 9. lib. 1. *rapit in ius: clamor vtrinque.* ET TIBI SCRIBAM DICAM.] Græcorum more dictũ, καὶ σοι γράψω δίκην. id eſt, & tibi litem intendam. Terent. Phorm. *Ego te cognatũ dicam, & tibi ſcribã dicã.* ibid. *Sexcentas proinde potius ſcribito iam mihi dicas.* ITA TE AMABIT IVP. VT TE N.] erat hæc iuriſiurandi formula, *Ita me amabit Iupiter, vt*, &c. *Ita me dij amabunt, vt*, &c. Hanc igitur Euclio iuriſiurãdi formulã Lyconidi præſcribit, vt per eam iuret, ſe neſcire, quid Euclioni ſurreptũ ſit. NISI QVIDEM TV M. Q. Q. DIXERIS.] ſubintell. *neſcio.* vel *ita me Iupiter amabit, vt ego neſcio.* CONFESSV'S M.] confeſſus es mihi, &c. CEDÒ] da. DIMID. T. P. P D.] dimidiam potius partem totius auri in duas parteis æqualeis diuiſi, tibi dabo. CENSVI] putaui. QVI QVI EST.] quiſquis eſt. INDIPISCES?] ſumes? vſurpabis? auferes? C Sic autem legendum eſſe, & aliquot è noſtris libris veteribus, quibus cum congruunt omnes vulgati, peruincunt, & Nonius confirmat, hunc locum proferens. quamquam idem Nonius hunc eundem locum proferens in verbo *excipere* legiſſe videtur, *inde poſces*, vt alij legunt, vtitur autem & alibi hoc verbo Plautus tum in eadem voce, tum in paſſiua. in eadẽ, vt ſuprà, in Aſin. *Nunquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.* in paſſ. Epid. *nempe quem in adoleſcentia Memorant apud reges armis arte duellica, Diuitias magnas indeptum:* Si quis tamen alteram lectionem, quæ etiam in nonnullis libris manuſcript. reperitur *inde poſces*, magis probabit: non magnopere pugnabo, præſertim cùm ſe in ſuo libro ita ſcriptum reperiſſe teſtetur vir doctiſs. Camerarius. Dicam interea, & iam antea dixi, quod ſentio: hanc, quam ſecuti ſumus, mihi videri verã, & germanam Plautinam. NEQ. FVREM EXCIPIES?] id eſt, neque furem recipies ad te, & celabis? ſic ferè Nonius in verbo excipere. Exſtat autẽ titulus in Pandect. iuris ciuilis de receptorib. lib. 47. vbi Martianus, *Peſſimum*, inquit, *genus eſt receptorum, ſine quibus latêre diu nemo poteſt*: &c. quanquam videntur iuriſconſulti de iis receptoribus verba facere, qui latrones recipiunt, non de iis, qui fures. QVID SI FALLIS? LYC. TVM ME, &c.] ſic ſuprà in Amph. *Quid ſi falles?* MERC. D *tum Mercurius Soſiæ iratus ſiet.* ad quem locum plura. Hoc autem, *tum me faciat*, &c. dictum eſt εὐφήμως, pro tum magnus me perdat Iupiter. quæ eſt diræ precationis formula. SI ME NOVISTI MINVS, GENERE QVI SIM GN.] Si minus noſti quo ego ſim genere natus, &c. TENES] ſcis, cognitum habes. RENVNTIARE REPVDIVM.] remiſit tibi per me repudium, vt infrà non longè idem loquitur, vel remiſit per me nuntium, vt loquitur M. Tull. quanquam hoc potius vſurpatur in diuortio. nam vt docet Paulus titul. de Verborũ, & Rerum ſignificatio. *inter diuortium, & repudium hoc intereſt, quod repudiari etiam futurum matrimonium poteſt: non rectè autem ſponſa diuertiſſe dicitur, quod diuortium ex eo dictum eſt, quòd in diuerſas parteis eunt, qui diſcedunt.* Modeſtinus quoque lib. 8. differentiarum, eodem titulo poſteaquàm docuit, quid interſit inter ſtuprum & adulterium: *diuortium*, inquit, *inter virum & vxorem fieri dicitur: repudium verò ſponſæ remitti videtur: quod & in vxoris perſonam non abſurdè cadit.* al. *quod in vxoris perſonam non cadit.* REPVDIVM, REB. PAR. &c.] ſtomachoſè, & vultuoſè pronuntiandum. Eſt autem ἔλλειψις. ſubintelligitur enim hoc totum, *mihi iuſſit remitti?* VT ILLVM DII IMM.] malè precantis oratio. QVANTVM'ST] deorũ, ac dearum. PERDVINT] perdiderint. QVEM PROPTER] propter quem ἀναστροφή, propter quem, autem, id eſt, cuius cauſa, aut culpa, ET BENEDICE] & bona verba loquere. εὐφήμει. Sic in Caſina. *Quid ſi ſors aliter quàm voles, euenerit?* STA. *Benedice*, QVÆ RES TIBI GNATÆ TVÆ, &c.] Fauſta precatio, qua

vtebantur initio rei cuiuſlibet gerendæ, negotiíque contrahendi. BENE FELICITER VORTAT: ] bene, feliciterque eueniat. ITA DII FAXINT, INQVITO.] præit Euclioni Lyconides voce. *inquito* autem imperatiui modi, futuri temporis, rarum & notandum. Sic Terentius vſurpauit *inque* præſentis, in Heaut. ſcena 7. actus 4. *Vbi Clitipho nunc eſt? S. eccum me, inque.* QVIN PVDEAT?]. quin eum pudeat. VT LEGES IVBENT.] iubent enim leges, eum, qui virginem vitiarit, eam virginem aut dotare, aut vxorem ducere. CERERIS VIGILIIS.] θεσμοφορίοις. die feſto Cereris, qui noctu agitabatur, de quo ſuprà in argumento. CVR EIVLAS?] cur muliebriter ploras? QVEM HODIE EGO AVVM FECI VT ESSES, &c.] genus loquendi permixtum, & duplex: cuiuſmodi alia multa antea notauimus. Duo enim illa hoc continentur vnum. *Quem hodie ego auum feci eſſe in filiæ nuptiis*: alterum. Qui vt eſſes hodie auus in filiæ nuptiis, ego effeci. DECVMO MENSE POST.] decimo menſe poſt Cereris vigilias: quo die, ſeu qua nocte filiam tuam compreſſi. Quo modo autem decimus menſis hîc accipiendus ſit, dictum eſt ſuprà. NVMERVM CAPE.] id eſt, numerum accipe. Sic Nonius, hunc verſum proferens. eadem ratione dictum eſt ab eodem, capere rationem, in Pſeud. ibi, *vt ego oculis rationem capio.* EA RE ] ob eam rem. I INTRÒ, EXQVIRE, SÍTNE ITA, &c. ] Profert hunc verſum Priſcia. lib. I. his verbis, æ, inquit, tranſit in, i. productam, vt quæro, inquiro: exquiro. quanquam exquæro Plautus dixit in Aulularia. I, intrò: exquære, ſítne ita, vt ego prædico. SE AGGLVTINANT.] ſe adiungunt, & illi malo adiunctæ, ſic adhærent, vt magnam malorum mollem faciant. tralatio eſt. IN VADO SALVTIS.] id eſt, in ſalute explorata, & certa. Sic Terent. in Andr. *Omnis res eſt iam in vado.* vbi notat Donatus, in vado, id eſt in ſecuritate: nam vt in profundo periculum eſt, ita in vado ſecuritas. EX GNATÆ PEDISEQVA, NVTR.] ex Staphila.

## STROBILVS, LYCONIDES.

DI immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis?
Quadrilibrem aulã auro onuſtã habeo. quis me eſt diuitior?
Quis me Athenis nũc magis quiſquã eſt homo, cui di ſint propitij?
LY. Certò enim ego vocem hic loquentis modò me audire viſus ſum.
STR. Herúmne ego aſpicio meum? LY. video ego hunc Strobilum
ſeruum meum.
STR. Ipſus eſt. LY. haud alius eſt. STR. congrediar. LY. contollam gradum.
Credo ego, illũ, vt iuſſi, eampſe anũ adiſſe, huius nutricẽ virginis.
STR. Quin ego illi me inueniſſe dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo vt manu me mittat. ibo atque eloquar.
Repperi. LY. quid reperiſti? STR. non quod pueri clamitant
In faba ſe reperiſſe. LY. iámne autem vt ſoles me ludis?
STR. Here mane, eloquar, iam auſculta. LY. age ergo loquere. STR. repperi hodie
Here, diuitias nimias. LY. vbínam? STR. quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
LY. Quod ego facinus audio ex te? STR. Euclioni huic ſeni ſurripui.
LY. Vbi id eſt aurũ? ST. in arca apud me, nũc volo me emitti manu.
LY. Egóne te emittã manu ſcelerũ cumulatiſſime? STR. abi here, ſcio
Quam rem geras, lepidè hercle animum tuum tentaui, iam
Vt eriperes, apparabas. quid faceres, ſi reperiſſem?
LY. Non potes probaſſe nugas. i, redde aurũ. ST. reddã ego aurum?
LY. Redde, inquam, vt huic reddatur. STR. ah vnde? LY. quod modò faſſus es eſſe
In arca. ST. Soleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. LY. at ſcin
Quomodo? STR. vel hercle enica, nunquam hinc feres à me.

QVA-



QVADRILIBREM AVL.] quatuor librarum. AVRO ONVSTAM.] auri plenam. DIVITIOR?] ditior? QVIS ME ATH. NVNC M. Q. EST. Q.] Quis eſt quiſquam homo Ath. pleonaſmus. ME AVDIRE VISVS SVM.] *viſus ſum me audire*, pro viſus ſum audire, antiquè dictum. HERÚMNE EGO AD SP.] id eſt, nónne ego herum meum adſpicio. nam talem interrogationem, *Herúmne ego*, &c. conſtat vim habere affirmationis. VIDEO EGO HINC STR.] idem dicit ſeruus de hero ſuo, quod herus de ſeruo antè dixerat. Nonnulli libri habent, *Videon' ego hunc Str.* ſed carminis lex & modus hanc ſcripturam reſpuunt. HAVD ALIVS EST.] hoc eſt, ipſus eſt, ſeu ipſe eſt. CONTOLLAM GRADVM: ] id eſt, congrediar. conferam gradum. Profert Nonius in verbo *contollere* quod interpretatur, contrà tollere: à quo diſſentio. nam contollere, idem valet, quod conferre: vt protollere, idem quod *proferre.* EAMPSE ] eam ipſam. ſic Feſtus. MANV ME MITTAT ] me liberat: me libertate donet. Feſtus, *Manumitti ſeruus dicebatur*, inquit, *cùm dominus eius aut caput eius ſerui, aut aliud membrum tenens, dicebat: hunc hominem, liberum eſſe volo: & emittebat eum manu.* QVOD PVERI CLAM. IN F. SE R.] puta Curculionem aliquem, potius vermiculum, quem midam vocant, reperi, inquit, non aliquid puerile, leue, vile, nugatorium, contemtum: ſed quiddam carum, & magni ponderis, magníque pretij. IÁMNE AVTEM, VT SOLES, ME LVDIS?] nonnulli ex libris noſtris veteribus habẽt *deludis.* ego, ſi verſus eſt ſuperioribus par, & ſimilis, putarim legendum, *me lamberas.* SCELERVM CVMVLATISSIME?] ſceleribus coopertiſſime? ſceleratiſſime? IAM VT ERIPERES, APPARABAS.] iam te ad eripiendũ comparabas, iam eripere parabas. NON POTES PROBASSE NVGAS.] non potes efficere, vt mihi perſuadeas nugas. GARRIRE NVGAS.] effutire nugas, nugari. FERES ] auferes. Fabula hæc imperfecta eſt, vt & nonnullæ aliæ.

# CAPTEIVEI.

## DRAMATIS PERSONÆ.

ERGASILVS paraſitus
ARISTOPHONTES
HEGIONIS puer
PHILOPOLEMVS
STALAGMVS
HEGIO ſenex.
LORARIVS.
PHILOCRATES captiui.
TYNDARVS.
GREX.

## ARGVMENTVM.

CAPTVS fuit in pugna Hegionis filius,
Alium quadrimum fugiens ſeruos vendidit.
Pater capteiuos commercatur Alios,
Tantum ſtudens vti natum ſuum recuperet.
Et interibi emit olim amiſſum filium.
Is ſuo cum domino veſte vorſa ac nomine,
Vt amittatur, fecit: ipſus plectitur.
Et is reduxit, captum & fugitiuum ſimul,
Indicio cuius alium agnoſcit filium.

HEGIONIS FILIVS.] Philoptolemus. ALIVM QVADR.] alium Hegionis filium, quatuor annos natum, Pægnium nomine: qui poſtea Tyndarus dictus eſt. alium dixit, pro alterum. FVGIENS, SERVOS] ſeruus Hegionis Stalagnius, dum fugit. PATER] Hegio. ALIOS] Elios, ab vrbe Elide, videlicet, Philocratem Theodoromedis filium, Elium, & vnà cum eo Pægnium, eundémque Tyndarum, filium ſuum, qui ſeruitutem ſeruiebat Philocrati. GNATVM SVVM] Philoptolemum. prouocabulum *ſuum*, hîc vna ſyllaba pronuntiari debet. RECVPERET.] ſcilicet permutatione facta. rectè autem recuperet. Nam recuperari dicuntur amiſſa, cùm ad eum, qui amiſit, ſalua redeunt. ET INTERIBI] Et interea. EMIT OLIM AMICISS. FIL.] Hegio emit imprudens eum filium, quem olim amiſerat, nomine Pægnium, ſed poſtea Tyndarum appellatum. IS] Tyndarus, qui ſeruitutem ſeruiebat Philocrati Elio, Theodoromedis filio. CVM DOMINO VESTE VORSA, AC NOM.] cõmutata veſte, & commutato nomine cum domino Philocrate, id eſt, ſumta veſte domini ſui Philocratis, & eiuſdem nomine ſibi impoſito, vt dicatur Philocrates, qui eſt Tyndarus, idémq; Pægnium, ſeu Pægnius. & contrà Tyndarus appelletur, qui eſt Philocrates. VT AMITTATVR, FECIT.] fecit vt dominus ſuus amittatur, hoc eſt, abire ſinatur, Tyndari nomine ei impoſito, cùm eſſet Philocrates. amittitur autem, ea gratia Pſeudotyndarus, vt Philoptolemum captiuum ad Hegionem patrem reducat. IPSVS PLECTITVR.] ipſus, verus Tyndarus, qui ſumſerat nomen Philocratis, plectitur ab Hegione patre, hunc Tyndarum, filium ſuum eſſe neſciente. IS] Philocrates, Pſeudotyndarus. CAPTVM,] Philoptolemum, Hegionis filium, bello captum. ET FVGITIVVM SIMVL.] & vnà cum eo ſeruum Stalagnium, qui fugiens Pægnium quadrimum, qui poſtea Tyndarus appellatus eſt, Theodoromedi Philocratis patri vendiderat. INDICIO CVIVS] cuius Philocratis indicio. ALIVM] Tyndarum, eundémque Pægnium, quem putabat eſſe ſeruum.

## PROLOGVS.

HOs, quos videtis ſtare hîc, capteiuos duos,
Illic qui aſtant: ij ſtant ambo, non ſedent.
(Vos vos mihi teſtes eſtis, me verum loqui.) C
Senex qui hîc habitat, Hegio, eſt huius pater.
Sed is quo pacto ſeruiat ſuo ſibi patri,
Id ego hîc apud vos proloquar, ſi operã datis.
Seni huic fuerunt filij nati duo.
Alterum quadrimum puerum ſeruos ſurpuit,
Eúmque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri huiuſce. Iam hoc tenetis, optimum eſt.
Negat hercle ille vltimus. accedito.
Si non, vbi ſedeas, locus eſt, eſt vbi ambules,
Quando hiſtrionem cogis mendicarier.
Ego me, tua cauſſa, ne erres, non rupturus ſum. D
Vos qui poteſtis ope veſtra cenſerier,
Accipite reliquom: alieno vti nihil moror.
Fugitiuus ille, vt dixeram antè, huius patri,
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, vendidit.
Hic poſtquam hunc emit, dedit eum gnato ſuo
Peculiarem, quia quaſi vna ætas erat.
Hic nunc domi ſeruit ſuo patri, nec ſcit pater.
Enimuero di nos quaſi pilas homines habent.
Rationem habetis quomodo vnum amiſerit.
Poſtquam belligerant Ætoli cum Aliis,

VT



A Vt in bello fit, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit captiuos commercari hic Alios,
Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum
Illum captiuum. hunc ſuum eſſe neſcit, qui domi eſt.
Et quoniam heri inde audiuit, de ſummo loco,
Summóque genere captum, etiam equitem Alium,
Nihil pretio parſit, filio dum parceret,
Reconciliare vt facilius poſſet domum,
Emit hoſce de præda ambos de quæſtoribus.
Hice autem inter ſeſe hunc confinxerunt dolum,
B Quo pacto hic ſeruos ſuum herum hinc amittat domum.
Itaque inter ſe commutant veſtem & nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus:
Huius illic, hic illius hodie fert imaginem,
Et hic hodie expediet hanc doctè fallaciam,
Et ſuum herum faciet libertatis compotem,
Eodémque pacto fratrem ſeruabit ſuum.
Reducémque faciet liberum in patriam ad patrem
Imprudens, itidem vt ſæpe iam in multis locis
Plus inſciens quis fecit, quàm ſciens, boni.
Sed inſcientes ſua ſibi fallacia,
C Ita compararunt & confinxerunt dolum:
Itaque hi commenti de ſua ſententia,
Vt in ſeruitute hic ad ſuum maneat patrem,
Ita nunc ignorans ſuo ſibi ſeruit patri.
Homunculi quanti ſunt, cùm recogito,
Hæc res agetur nobis, vobis fabula.
Sed etiam eſt paucis quod monitos vos voluerim.
Profectò expediet fabulæ huic operam dare.
Non pertractatè facta eſt, neque item vt cæteræ.
Neque ſpurcidici inſunt verſus, immemorabiles.
D Hic neque periurus leno eſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus. Etiám ne vereamini,
Quia bellum Ætolis eſſe dixi cum Aliis,
Foris illic extra ſcenam fient prœlia.
Nam hoc pæne iniquum eſt comico choragio,
Conari deſubitò nos agere tragœdiam.
Proin' ſi quis pugnam exſpectat: liteis contrahat.
Valentiorem nactus aduerſarium
Si erit, ego faciam vt pugnam inſpectet non bonam,
Adeò vt ſpectare poſtea omneis oderit.
Abeo. valete iudices iuſtiſſimi,
Domi bellíque duellatores optumi.

HOs QVOS VIDETIS ST.] *Hos quos*, dictum more Plautino, apud quem ſæpe antecedés eiuſdem caſus eſt, atque relatiuum. Debuerat autem ita loqui, ſi vſitato more dicere voluiſſet: & qui hunc locum explicare velit, ita dicat: Horum, quos videtis hîc ſtare, captiuós duos, ſeu captiuorum duorum, (quorum alter eſt Philocrates, alter Tyndarus) alterius, nempe huius, quẽ oſtendo, Tyndari, Hegio ſenex, qui hîc habitat, pater eſt, neque id ſcit tamen, ſed exiſtimat, eum ſeruire ſeruitutem Philocrati captiuo Theodoromedis filio. ILLI QVI ADSTANT,] qui illic aſtant: *illi* pro illic poſitum, non inuſitatè. HI STANT AMBO, NON SED.] iteratio ad maiorem eius, quod dictum eſt, affirmationem. SENEX, QVI HÎC HAB. HEG.] hic ordo eſt, vt diximus. Senex, Hegio, qui hîc habitat, horum duorum captiuorum, ſeu ex his duobus captiuis, qui hîc adſtant, huius, quem digito vobis oſtendo, Tyndari, pater eſt. Emerat autem hos duos captiuos ex hoſtium Eleorum manubiis Hegio Ætolus, vt horum altero vel vtroque dato filium ſuum Philoptolemũ ab hoſtibus Eleis captum recuperaret. SED IS] ſed is, Tyndarus. SVO SIBI PATRI] ſuo vero patri: vel ſuo ipſius patri. genus loquendi à nobis alibi notatum: millies à Plauto, & ab aliis ſcriptoribus vſurpatum. SI OPERAM DATIS.] ſi operam mihi auribus datis. id eſt, ſi attenditis. SENI HVIC] Hegioni. FILII NATI DVO.] Pægnius & Philoptolemus. ALTERVM] Pægnium, qui poſtea ab emtore Tyndarus appellatus eſt. SERVOS] ſeruus Stalagnius. IN ALIDE.] in Elide. Elis Achaïæ oppidum. Sic autem Adr. reſtituit Aduerſa. lib. 23. cap. 27. atque hæc reſtitutio porrigenda eſt ad omneis locos, in quibus legitur Aulidi, Alij Aulidis, pro quibus legendum Alidi, Elij, Alidis, hoc eſt, Elidis, Eléi, Elidis. PATRI HVIVSCE] patri Philocratis, Theodoromedi, Eleo, ſeu Elio: qui Philocrates, poſtea captus eſt ab Ætolis: quem modò emit Hegio ex manubiis hoſtiũ Eleorum, vt diximus. TENETIS.] ſcitis. NEGAT HERCLE ILLE VLTIMVS.] negat ſe ſcire ille vltimus. ſpectatorem quendam ſignificat, qui neque ſedebat, neque attendebat: ſed hiſtriones obſtrependo interturbabat, & fortaſſe actorem interpellabat. ita autem longè à ſcena aberat, vt actores exaudire non poſſet. ACCEDITO] alloquitur ſpectatorem illũ odioſum, ac moleſtum: & iubet illum accedere propius, vt exaudire poſſit. SI NON, VBI SEDEAS LOC. &c.] ſi non eſt locus in cauea, vbi ſedeas: alius locus eſt extra caueam, vbi ambules. Proinde ac ſi dicat. ſi tibi non licet ſedere: at tibi licet ambulare. Sed quæret aliquis, quî fiat, vt huic non ſit locus, vbi ſedeat. Reſpondeo, quia vel ſeruus eſt, vel ſedes omnes ſunt occupatæ. COGIS MENDICARIER.] cogis mendicare. hiſtrio, qui attentè non auditur, & cui obſtrepitur, atque obgannitur, vocem plerumque obtundit clamando, voce obtuſa autem, & raui contracta, eiicitur, aut exſibilatur. Ita mẽdicare cogitur. alij ſic: cogis mendicarier, id eſt, cogis clarè proloqui, & vocem contendere, vt faciunt mendici, licet etiam ſic explicare. Cogis mendicarier, id eſt, cogis artem deſinere ludicram ſeu hiſtrionicam, & tacere, & ita mendicare. Nam hiſtrio, & quiuis alius artifex, arte ſua vti prohibitus, mendicet, neceſſe eſt. Ego primam explicationem magis probo, quàm ſecundam: tertiam æquè, vt primam. Sic Terent. prologo Hecyræ. *Ille ad famem hunc ab ſtudio ſtuduit reiicere.* Nonius, Mẽdicarier, inquit, pro mẽdicare. Plaut. Vidularia, *Malim moriri meos, quàm mendicarier.* EGO ME TVA C. NE CIR. NON R. S.] ego me tua cauſa, id eſt, propter ſtrepitum, & clamorem tuum, ne fortè erres, id eſt, ne forte hoc exiſtimes: quod ſi faceres, errares: non ſum rupturus, videlicet, clamorem tollendo, & vocem contendendo. Periculum eſt enim, ne, qui vocem nimis contendit, dirumpatur. M. Tull. lib. 7. epiſtol. *dirupi pæne me in iudicio Galli Caninij, familiaris tui.* Horat. epiſt. 9. lib. 1. *Rupit Hiarbitam Timagenis æmula lingua, Dum ſtudet vrbanus, tenditque diſertus haberi.* VOS, QVI POST OPE. VESTRA C.] vos, qui equites R. eſtis, vel alioqui lauta, & copioſa re familiari. vos, qui ſat amplum cenſum habetis. vel ſic, vos, qui tantum cenſum habetis, vt cenſeri poſſitis, & ciues Romani ſitis. Nam qui nullum cenſum habebant, ciues Romani non erant, neque à cenſoribus quinto quoque anno cenſeri poterant. ALIENO VTI NIHIL MOROR.] non curo eius opera, & fauore vti, qui à me alienus eſt. eum fautorem mihi habere non curo, qui maleuolo in me eſt animo, ſeu, qui me non amat: quali animo eum eſſe apparet, qui nos attentè non audit, qui nobis obſtrepit, neque lingua fauet. FVGITIVVS ILLE, &c.] redit ad inſtitutum ſermonem, fugitiuus igitur ille, inquit, id eſt, ſeruus Stalagnius, puerum quadrimum Pægnium dominum ſuum, id eſt, domini ſui filium, & ita dominum, ſiue herum minorem, quem domo profugiens abſtulerat, vendidit huius Philocratis patri, Theodoromedi. DOMO QVEM PROF.] in hoc verſu, *profugiens*, trium ſyllabarum ſit duntaxat, in metiendo verſu, neceſſe eſt. HIC] Theodoromedes. HVNC] Pægniũ, qui nũc Tyndarus dicitur. EMIT] à ſeruo fugitiuo Stalagnio. GNATO SVO] Philocrati. PECVLIAREM.] vt eſſet in eius peculio. Nam vt ſeruo, ſic & filio, peculium habere iure ciuili licebat. Vlpianus lib. 29. ad edictum. lib. digeſto. 15. cap. legis. *Quam Tuberonis*, &c. *Tam autem pupillum filium*, inquit, *quàm ſeruũ, peculium habere poſſe, Pedius lib. 15. ſcribit: cùm hoc*, inquit, *totum ex domini conſtitutione pendeat. Ergo & ſi furere cœperit ſeruus, vel filius, retinebunt peculium.* ſuprà in Aulul. *gallus gallinaceus, qui erat anni peculiaris.* & in Aſin. *Etiam opilio, qui paſcit mater alienas oues, Aliquam habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.* QVIA QVASI VNA ÆT. ER.] quia veluti, ſeu quodammodo eadem ætas erat. id eſt, quia



quia erant quodámodo æquales. HIC NVNC] Hic Tyndarus, qui olim dicebatur Pægnius, ſeu Pægnium. SERVIT SVO P.] ſeruit ſeruitutem ſuo patri Hegioni. & ita ſeruus eſt & filius eidem perſonæ, ſed non eadem ratione ſeruus Hegionis eſt, quia ab eo emtus eſt: filius eſt, quia ab eo procreatus eſt. NEC SCIT PATER.] nec ſcit pater Hegio Tyndarum eſſe filium ſuum. ENIMVERO DI NOS, QVASI PILAS, H.] digreſſiuncula breuiſſima, qua ſignificat, homines huc & illuc arbitrio deorum iactari, tanquam pilas. Enimuero, inquit, nos homines diis pilarum loco ſumus, quibus ludant. Dij nobis ludunt, nobíſque ſeſe oblectant, & exercent, tanquam pilis. Dij nos homines iactant pilarum in morem: & modò ſeruos ex liberis, modò liberos ex ſeruis efficiunt: modò diuites, modò mendicos: modò reges, modò priuatos ſumus deorum ludibria. ſic Græci θεῶν παίγνια ἄνθρωποι. quod notauerat & Boſius. RATIONEM HABETIS,] id eſt, cognouiſtis, qua ratione vnum ex filiis amiſerit Hegio. BELLIGERANT] bellant, bellum gerunt, πολεμίζουσι CVM ALIIS.] cum Eliis. ALTER FILIVS.] alter Hegionis filius, Philoptolemus. EMIT] Philoptolemũ. HIC] Hegio. ALIOS] Eleos. SI QVEM] Eleum. SVVM ILLVM CAPT.] ſuum filium Philoptolemum, bello captum, quem emerat Menarchus Eleus. HVNC SVVM ESSE N.] hunc Tyndarum, qui domi eſt, ſuum filium eſſe neſcit. QVI DOMI'ST.] alter autem filius Philoptolemus, domi non eſt. INDE] ex Elide. NIHIL PRETIO PAR SIT, &c.] non dubitauit captiuos Elios vel impenſo pretio emere, dum modò filium ſuum recuperare poſſet. dummodo ſuo filio conſuleret, & è ſeruitute in libertatem priſtinam reſtitueret ac vindicaret. RECONCILIARE, VT FACILIVS POSSET D.] vt facilius filium ſuum ſuis penatibus reſtituere: ſeu, vt facilius filium ſuum reparare, & recuperare, & domum reducere poſſet: &c. alij ſic. vt facilius poſſet domum ſuam filiorum amiſſione diſiunctam, diſciſſam, ac diſſipatam, deintegro coniungere, ſeu redintegrare, & ad vitæ ſocietatem redigere. hæc non placet, prior explicatio, quæ mea eſt, magis placet. Sic enim eadem comœd. infrà. *Habe modò bonum animum. nam illum confido domũ In his diebus me reconciliaſſere.* HOSCE] Philocratem, & Tyndarum: quem filium ſuum eſſe neſcit, quémque putat ſeruum eſſe natum. DE QVÆSTORIBVS.] à quæſtoribus. quæſtores eos dicit, qui pecuniam publicam tractabãt: non eos, qui quæſtionibus, & iudiciis publicis præerant: qui quæſitores potius appellabantur, & prætores, quàm quæſtores. Illi autem iidem, quos ſuprà dixi, quæſtores, etiam manubias hoſtium, prædáſque vendebant. M. Tull. lib. 2. epiſt. ad famil. *De præda mea, præter quæſtores vrb. id eſt, populum Ro. teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quidquam.* HICE AVTEM,] Philocrates Eleus Theodoromedis fil. & Tyndarus, qui ſeruit ei ſeruitutẽ: quem Hegio neſcit eſſe filium ſuum. HIC SERVOS] Tyndarus. SVVM HERVM] Philocratem. ITAQ. INTER SE COMMVTANT VESTEM,] Horat. oda 35. lib. 1. *Vtcunque mutata potenteis Veſte domos inimica linquis.* ET NOMINA] Idem Horat. Sat. 1. lib. 1. *mutato nomine, de Fabula narratur.* ILLIC] ille, qui eſt Tyndarus, Pægnius, Hegionis filius, à patre ignoratus. HIC, TYND.] hic qui eſt Philocrates, Theodoromedis filius. HVIVS ILLIC] ille, qui eſt Philocrates, huius, qui eſt Tyndarus, fert imaginem: &c. FERT IMAGINEM.] ſic loquitur in Amphitr. Et Soſia ſeruos, cuius ego hanc fero imaginem. ET HIC] Tyndarus, qui nomen, & veſtem ſumſit Philocratis. EXPEDIET] explicabit, ad exitum perducet. SVVM HERVM,] Philocratem, qui nunc vocatur Tyndarus. LIBERTATIS COMPOTEM] liberum. FRATREM] Philoptolemum, captiuum Elide. SEDVCEM FACIET] reducet: ſeu reducendum curabit. ſic infrà ead. comœd. *vt huius réducem facias filium.* redux, qui reducitur in patriam ex alieno & longinquo ſolo. M. Tull. pro Milone. *Quid me reducem eſſe voluiſtis?* Terent. *Egóne, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris?* ITIDEM, VT SÆPE IAM IN MVLTIS L. PL. INSCR. Q. F.] ſic Terent. in Phorm, extr. verſu. *equidem plus hodie boni Feci imprudens, quàm ſciens ante hunc diem vnquam.* SVA SIBI FALLACIA] id eſt, ſua ipſorum fallacia. ITÁQ. HI COMMENTI] ſubintell. ſunt. DE SVA SENTENTIA] ſic loquuntur boni ſcriptores, de conſilij ſententia. de amicorũ ſententia, &c. hoc eſt, ex conſilij ſententia ex amicorũ ſententia. VT IN SERVITVTE HIC ADS. M. P.] ſententia eſt, ita dolum conſixerunt, & ita commenti ſunt, ex ſua ipſorum ſententia, id eſt, nullis aliis conſultis, aut adhibitis, vt hic, videlicet Tyndarus, maneat in ſeruitute, ad ſuũ patrem, id eſt, apud ſuum patrem. ITA NVNC IGNORANS S. S. S. P.] Ita nunc Tyndarus ignorans, & inſciens ſuo ipſius ſeruit patri. HOMVNC. Q. SVNT, CÙM RECOG.] exclamatio breuis, in miſeriam humanam. Homunculi, inquit, quanti, id eſt, quàm parui pretij ſunt, cùm iterum, atque iterum cogito? HÆC RES AGETVR N. V. F.] μαρισμός. hæc res à nobis agetur: & hæc erit nobis res, quam agere debeamus: vobis verò erit fabula, quàm attentè audire & ſpectare debeatis. vel ſic. Hanc rem agemus, & vobis, vt rem geſtam, exponemus, atque oculis veſtris ita ſubiiciemus, vt rem geſtam vobis cernere videamini: vobis erit fabula: id eſt, vobis autem erit res ficta, ludicra, & comica: quæ tamen res ludicra, & fabuloſa ad vos pertinere videatur, mutatis nominibus. vt Horat. Sat. 1. lib. 1. *mutato nomine, de te Fabula narratur.* EXPEDIET] vtile erit. OPERAM DARE.] aureis attentas, & vacuas præbere. NON PERTRACTATE F. EST.] non vſitato, neque vulgato more. non quo modo aliæ fabulæ tractari, & fieri ſolent. nouo, & ſingu-

lari,& eximio,& exquiſito quodam modo hæc fabula facta eſt. quæ pertractantur,id eſt,valde, A
& ab omnibus tractantur,non ſunt noua,neque nitida,neque munda: ſed obſoleta, ſqualida, immunda, & inquinata. NEQ. ITEM, VT CETERÆ.] ἐπεξήγησις. Nam idem dicit, quod ſuprà, ſed planius. NEQ. SPVRCIDICI INS. V.] neque in hac fabula inſunt verſus ſpurci,aut ſpurciloqui: id eſt, obſcœni. ſpurca opponuntur puris, vt ſuprà in Aſin. *ſpurcæ noctes*, puris altera ex parte reſpondent. & ſpurca ſunt, quæ ſtercore cœno,tabo,ſemine,& ſimilibus conſperſa & perfuſa ſunt,& ſpurci ſermones,aut verſus, quibus res Venereæ impudenter, apertè,& inuerecundè tractantur. hinc ſpurco, as: hinc ſpurcities. IMMEMORABILES.] non memorandi, memoratu indigni, infandi. NEQ. PERIVRVS LENO:] vt in Ciſtel. & Pſeud. NEQ. MERETRIX MALA,] vt in Bachid. NEQ. MILES GLOR.] vt in Epidico,& in Milite glor. & apud Terét. in Eunuch. NE VEREAMINI,] ne fortè vereamini, quia, &c. CVM ALIIS.] cum Eliis. COMICO CHORAGIO,] id eſt, comico inſtrumento ſcenico. Ita fere Feſtus. ſententia autem huius loci, hæc eſt. Nam hoc pæne iniquum eſt, nos conari deſubitò agere tragœdiam inſtrumento ſcenico, quod ſit comicum. tragœdiæ enim agũtur choragio tragico: comœdiæ,comico. PROIN' SI QVIS PVG. EXS.] Proinde ſi quis pugnam ſpectare cupit,&c. LITEIS CONTRAHAT.] liteis vltro ſerat, & aliquem laceſſat,atque irritet, vt habeat cum quo litiget, & concertet, ſi tantopere pugnandi B
cupidus eſt,liteis contractas dixit & M.Tull.lib.3.de legib.non longè à princip.ibi. *contractas liteis indicanto*. VALENTIOREM NACTVS ADVERS. SI ERIT, E. F. VT P. INSP. N. B.] ſi nactus erit aduerſarium robuſtiorem,ac validiorem,pugnam ſpectabit non bonam,quia victus diſcedet, ſcilicet. Totius huius loci hæc ſententia eſt. Proinde ſi quis pugnæ ſpectandæ cupidus eſt: aliquem ſibi aduerſarium paret, hoc eſt,aliquem iniuria laceſſat. Si is, quem laceſſierit, & cum quo litem contraxerit, viribus valentior, & robuſtior fuerit, ſpectator erit pugnæ ſibi triſtis ac moleſtæ. id eſt, malè ab aduerſario mulcatus, ex ea pugna diſcedet. EGO FACIAM, VT PVGNAM INSP. N. B.] id eſt, pugnam inſpectabit infelicem: vel confirmo fore, vt pugnam inſpectet nõ bonam. indicauimus alibi hoc genus loquendi ſuprà, niſi fallor, in Aſinaria. *Faxo, vt ſcias, quid pericli ſit dotatæ vxori conuicium dicere.* INSPECTET.] ſic habent omnes libri & vulg. & manuſcr. neque hæc ſcriptura quidquam videtur habere vitij: ſed Simeo Boſius exiſtimabat,ſcriptum eſſe Plauto, *ego faciam, vt pugnam cernat non bonam:* & fortaſſe ita eſſe reſtituendum, vt intelligamus *cernere pugnam* dictum eſſe à Plauto, ambiguè,& ex ambiguo dicto iocum quæſiſſe: quod antiqui dicere ſoliti ſunt, *cernere pugnam*, pro committere pugnam, vt cernere bellum: & cernere pugnam, præterea ſignificare poſſit, C
ſpectare pugnam. qua de coniectura hominis eruditiſſ. & ingenioſ. iudicet lector item eruditus, atque acutus. Ego nihil immutare auſus ſum, libris omnibus repugnantibus. ADEÒ VT SPECTARE POSTEA OMN. OD.] omneis, ſubintell. pugnas. tale eſt illud Ciceronis in Roſcios Sext. Roſcij aduerſarios. *ſed, ſi ego hos bene noui litteram illam, cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam alias omneis oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt*, &c. DOMI, BELLIQ.] legendum fortaſſis eſt, *domi duellique*. DVELLATORES] bellatores.

## ERGASILVS, PARASITVS.

IVVENTVS nomen indidit ſcorto mihi,
Eò quia inuocatus ſoleo eſſe in cõuiuio. D
Scio. abſurdè dictũ hoc deriſores dicere,
At ego aio rectè. Nam in conuiuo ſibi
Amator talos cùm iacit, ſcortũ inuocat.
Eſtne inuocatũ, ánnõ eſt? eſt planiſſumè.
Verũ hercle: verùm nos paraſiti planius,
Quos nunquam quiſquam neque vocat,
neque inuocat,
Quaſi mures ſemper edimus alienum
cibum.
Vbi res prolatæ ſunt, cùm rus homines eunt,
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.

QVASI



A Quaſi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit:
Item paraſiti rebus prolatis latent
In occulto miſeri, victitant ſucco ſuo:
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.
Prolatis rebus paraſiti, venatici
Sumus quando res redierunt, moloſſici
Odioſicíque, & multum incommodiſtici.
Et hîc quidem hercle, niſi qui colaphos perpeti
Potis paraſitus, frangíque aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet.
B Quod mihi ne eueniat, nonnullum periculum eſt
Nunc poſtquàm meus rex eſt potitus hoſtium,
Ita nunc belligerant Ætoli cum Aliis.
Nam Ætolia hæc eſt, illic captu'ſt in Alide
Philopolemus huius Hegionis filius
Senis, qui hîc habitat, quæ ædes lamentariæ
Mihi ſunt. quas quotieſcunque conſpicio, fleo.
Nunc hic occœpit quæſtum hunc filij gratiæ
Inhoneſtum, maxime alienum ingenio ſuo.
Homines captiuos commercatur, ſi queat
Aliquem inuenire, ſuum quicum mutet filium.
C Nunc ad eum pergam, ſed aperitur oſtium,
Vnde ſaturitate ſæpe ego exij ebrius.

NOMEN INDIDIT SC.] nomen impoſuit. ſic autem ſępe loquitur Plaut. vt infrà ead. com. *ſexcentoplago nomen indetur tibi.* in Menech. *Illius nomen indit illi, qui domi'ſt.* INVOCATVS] ambiguè dictũ, *inuocatus*. Nam *inuocatus* ſignificat & eum, qui vocatus ſeu inuocatus eſt, & eum, qui non vocatus eſt. Hic igitur paraſitus, quia non vocatus ſolet in conuiuio præſto eſſe, non vocatus autẽ, & inuocatus, idem interdum valent: amator autem, cùm talos iacit, ſcortum, ſeu puellam, quam amat, inuocat: facetè & vrbanè à iuuenibus hic paraſitus, ſcortum nominatus eſt: cùm is, qui in conuiuio intereſt, inuocatus, id eſt, non vocatus: longè alia ratione dicatur inuocatus, quàm ſcortum, quod amator talos iaciens, inuocat. ſcortum enim inuocat, id eſt, vocat amator talos iaciens, atque hac ratione ſcortum dici poteſt inuocatum. paraſitum verò nemo ferè ad conuiuiũ vocat, ſed ille inuocatus, hoc eſt, non vocatus, vltrò, & αὐτόματος, καὶ αὐτόκλητος venit. & hac ratione dici poteſt inuo-
D catus. Sciendum eſt autem, paraſitos propter aliam rationem ſcorta dici ſolitos. Plaut. Trucul. *Vel amare poſſum, vel iam ſcortum ducere.* AST. *Lepidè mecaſtor, nuntias, ſed dic mihi: ain' paraſitum te poteſſe ducere?* STR. *Intellexſti lepidè, quid ego dicerem.* NAM IN CONVIVIO SIBI. AM. TALOS C. IAC. &c.] ſuprà in Aſin. *Iace pater talos, vt porrò nos iaciamus.* DE. *maxumè. Te Phileniũ mihi, atq. vxori mortem. hoc Venerium eſt.* Idem in Curcul. *Ille annulum ſuum oppoſuit: inuocat Planeſium.* EST PLANISSIMÈ] eſt, inquit, planiſſimè inuocatũ ſcortũ, ſiquidẽ ab amatore talos iaciẽte inuocatur. at ego inuocatus conuiuio interſum. Iure ergo, & meritò ſcortũ nominor. ſyllogiſmus eſt fallax, &, vt Græci appellant παραλογισμός. QVASI MVRES SEMPER ED.] ſic in Perſa, *Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos, Quaſi mures, ſemper edêre alienũ cibum.* Terent. in Eun. *Viden' os ſuum, & cibus quid faciat alienus?* loquẽs de paraſito. Itaq. facetè, vt multa alia. Diogenes Cynicus, qui cùm videret mures ad menſam ſuam ſubrepenteis, En tibi, inquit etiam Diogenes paraſitos alit. Græcè ſic, Πρὸς τοὺς ἑρπισαντας ἐπὶ τὴν τράπεζαν μῦς, Ἰδοὺ, φησι, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει. VBI RES P. S. &c.] vbi res forenſes, & iudiciales productæ, & in aliud tempus reiectæ ſunt. Vbi iuſtitiũ indictũ eſt, vbi rerũ forenſium, quædã indutiæ factæ ſunt. Vbi rerũ forenſiũ & iudicialiũ intermiſſio, & in aliud tẽpus prolatio facta eſt, vel propter bella, vel propter ludos, vel ꝓpter ferias, & vt liceat agricolis in opere ruſtico verſari, & rebus ruſticis operã dare. M. Tull. pro Murena. *Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam vſquam, neque*

*Romæ,rebus prolatis quidquam valet.* Idem libr.7.epiſt.ad Attic. *Nam iſtum quidem, cuius* φαλαρισμὸν A
*times,omnia tæterrimè facturũ puto:nec eum rerũ prolatio,nec ſenatus,magiſtratuumq́; diſceſſus, nec ærariũ clau-*
*ſum tardabit.* Idẽ lib.14.epiſt.5. *meã ſtultã verecundiã,qui legari noluerim ante res prolatas,ne deſerere vide-*
*ret hunc rerũ tumorẽ,*&c. Idẽ lib.3.epiſt.ad Q. Fratr.epiſt.vlt. *Scaurũ autẽ iampridẽ Põpeius abiecit: res*
*prolatæ:ad interregnũ comitia adducta.* Cùm rvs h. e.] ἐπεξήγησις. Simvl p. r. n. d.] eodẽ
tẽpore,inquit,quo res forẽſes;& iudiciales intermittũtur,ceſſant,& proferũtur, noſtris quoque
dentibus ceſſatio,& otium indicitur. Qvasi cùm c. &c.] ſimile,quo paraſitos cũ cochleis
comparat. Quemadmodũ, inquit,cùm tempus anni feruidũ & æſtuoſum eſt,ſeu cùm agri ſolis
ardore torrẽtur,homines autẽ calore,& æſtu laborant,tum cochleæ in occulto deliteſcunt,ſuó-
que ipſarũ ſucco viuũt,niſi fortè aliquid roris è cælo décidit,ita &c.cochleis nimiũ ſolis ardorẽ
inimicũ eſſe,& cõtra rorẽ,& modicũ imbrem,gratũ atq.amicũ docet Varro lib. 3. de re ruſt.cap.
14. cuius hæc tantùm verba adſcribam. *Locus is melior,quem & non coquit ſol, & tangit ros.* ſic autem
dictũ *caletur*, vt ſtatur, curritur,titubatur,laboratur,ſudatur,&c. imperſonaliter ſcilicet,pro,ſtãt
homines,currũt,titubãt,laborãt,ſudãt,&c. Cochleæ.] Cic.li.2.de Diu. *vt ſi quis medicus ægroto*
*imperet,vt ſumat terrigenã,herbigradã,domiportã ſanguine caſſam,potius,quàm hominũ more,cochleam.* Eſt au-
tẽ alia cochlea, à teſtudine.nã teſtudo eſt quadrupes,cùm cochlea pedib. careat:&teſtudo lõgè
maior cochlea eſt.deniq.cochleã alio nomine limacem nonnulli ſcriptores Latini non mali ap- B
pellãt,à limo,vt teſtatur Feſt. Svo sibi svcco] ſuo ipſarũ ſucco. Item parasiti,
&c.] ſic paraſiti,&c. ἀνταπόδοσις. Dvm rvri r.] dũ ruſticãtur homines ij,quos paraſiti
molliter, & delicatè comedant, ſeu comedint. Profert autem hũc verſum Non. in verbo *rurant.*
Ligvrriant] Nonius ligurrire interpretatur deguſtare,& ꝓfert Horat. verſum ex Sat.3.li.1.
*Semeſos piſceis tepidúmq.ligurrierit ius.* &c.ad quẽ locũ nos de hoc verbo plura. Venatici] veluti
canes venatici,hoc eſt,tenues,graciles,macri,& ad cibũ quærendũ expediti. Qvando res
r.] id eſt,quãdo res,quæ prolatæ erant de integro agi cœptæ ſunt. Nõnulli hic legi volũt *quando*
*ad res redierũt* ex verb.Cic.in orat.pro Sext.ſub.extr.vbi ſic vulgò legitur, *Decreuit eodẽ tẽpore ſenatus,*
*vt iis,qui ex tota Italia ſalutis meæ cauſa conuenerant,agerentur gratiæ:atq.vt ijdẽ ad res redeuntes, vt venirent,*
*rogarentur.* Sed fallũtur. Nã locus ille Cicer.eſt mẽdoſus,& ſic emendandus: *atque vt iidem,ad illam*
*diem,res cùm rediiſſent,vt venirẽt,rogarẽtur.* Sic in orat.poſt red.in Sen. *quid quod,vt ad illam diem,res cùm*
*rediiſſent, rogarentur,vt pari ſtudio conuenirent?* Molossici] ſumus canes Moloſſi,pingues,obœ-
ſi, proceri,mordaces. Moloſſi canes dicti ſunt à loco,vbi naſcũtur,& vnde proficiſcuntur. Sunt
autẽ Moloſſi in Epiro.Iam *Moloßici* dictum à Plauto quæſito riſu ab homœoteleuto,vt quia di-
xerat venatici,ſequeretur ſimiliter deſinens *Moloßici*, & pari ratione, *odioſici* & *incommodiſtici.* quæ
nõ ſunt Latina nomina,ſed à Plaut.vt dixi, ſub perſona paraſiti,riſus mouẽdi cauſa,ita ꝓducta. C
Nõnulli legunt, *Odioſidicique*: Lucr. *Inritata canũ quom prima magna Moloßûm Mollia ricta fremunt duros*
*nudantia dẽteis,*&c.Virg.li.3.Georg. *Veloceis Spartæ catulos acrémque Moloſſum Paſce ſerò pingui.* Odio-
sicíq.] id eſt,odioſiq;. Et mvltvm incomm.] & multũ incõmodi. Nisi qvi
colaphos] colaphi dicti à verb.Græco κολάπτειν,quod eſt cudere,ſculpere, tundere, vel, vt
mauult Euſtath. ἀπὸ τοῦ κόλου,τοῦ μεγάλου καὶ τῆς ἁφῆς,quòd ſit magnus tactus. Eſt enim co-
laphus ictus manu cõtracta,& cõpreſſa,hoc eſt,pugno,in caput vel in os illiſus. Terẽt.in Adelp.
*Homini miſero plus quingẽtos colaphos infregit mihi.* Plaut.in Rud. *Verbũ adde etiã vnũ: iam in cerebro cola-*
*phos abſtrudã tuo.* ſentẽtia autẽ huius loci hęc eſt,licet paraſito mendicatũ ire,niſi ei,qui colaphos,
& ollas in caput frangi perpeti poteſt.ſic Ter.in Eun. *At ego infelix neq.ridiculus eſſe,neq. plagas pati*
*Poſſum.* Potis] ſubintell.ſum. Avlas in c.] ollas,id eſt,aulas.Plaut.in Amph.vt profert
Nonius ſed hodie nõ reperitur, *optimo iure infringatur aula cineris in caput.* Vel extr. portam
ire trig. ad s. l.] id eſt, vel mendicatũ ire licet,q̃ lõgiſſimè extra portã tergeminã cum
aliis mẽdicis,quãdo hìc homines frigẽt,& ab alẽdo paraſito alieni,atq.auerſi ſunt.Extra portam
trigeminã,ſeu tergeminã,quæ eadẽ eſt Oſtienſis,ſtabant, aut ſedebãt tenues,& egẽtes homines,
ibiq; ſtipem petebãt,ſaccum manu tenẽtes. quod vel ex Plin.intelligere licet,lib.34.ca.5. *Item P.* D
*Minutio præfecto annonæ extra portã trigeminã vnciaria ſtipe collata,* &c. Dicta autẽ porta trigemina, ſeu
tergemina eſt à tergeminis Horatiis & Curiatiis: Oſtiẽſis ex eo,quòd per eã iretur Oſtiam. Ad
saccvm] ſaccum,id eſt,ſacculũ,ſeu loculũ,ſeu crumenã,in quã mẽdici ſtipem cõdebãt. Catul.
ad Fabul. *Plenus ſacculus eſt aranearũ.* Nvnc, postq. &c.] ſic legendũ videtur. *Nunc poſtquàm:*
non vt vulgo, Nã poſtquam,&c.&debet cohęrere extremũ verſus ſuperioris cũ aduerbio nunc,
hoc modo, *periculum eſt nunc,* &c. Mevs rex] rex hìc eum ſignificat,qui alit.Hor.ep.17.l.1.
*equus me portet,alat rex.* Plau.ſup.in Aſin. *Nam,ni impetro,Regẽ perdidi:ex amore tantum'ſt homini incendiũ.*
Est potitvs hostivm,] venit in poteſtatem hoſtium: vel captus eſt ab hoſtibus. ſic
ſæpe loquitur Plaut.vt ſupr.notauimus. Ætoli cvm aliis.] Ætoli cũ Eliis. Illic.]
ille Philoptolemus,rex meus qui me paſcebat. Hîc] in his ædibus, quas demonſtro. La-
mentariæ] lamentorum effectrices: vel lamentorum materiam mihi præbentes. Hic]
Hegio ſenex,Philoptolemi pater. Commercatvr.] coëmit. Satvritate s. e.
exii ebr.] ſaturitate,ebrius,id eſt,ſatur, vel præ ſaturitate nimia lætitia elatus. infra eadem
com. *Ita me amabit ſancta ſaturitas,Hegio,*&c.ſic autem dictum à Plauto,ſaturitate ebrius,vt ab Ho-
rat. *fortuna dulci ebrius.*

Hegio



A HEGIO ſenex. LORARIVS. PARASITVS. ERGASILVS.

ADuorte animum ſis tu,iſtos captiuos duos,
Here quos emi de præda,de quæſtoribus,
His indito catenas ſingularias:
Iſtas maiores,quibus ſunt vincti,demito.
Sinito ambulare,ſi foris,ſi intus volent.
Sed vti aſſeruentur magna diligentia.
Liber captiuus auis ferè conſimilis eſt.
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt,nunquam poſt illa poſſis prendere.
B LOR. Omnes profectò liberi lubentius
Sumus,quàm ſeruimus. HE. non videre ita tu quidem.
LOR. Si non eſt quod dem,méne vis dem ipſe in pedes?
HEG. Si dederis,erit extemplò mihi,quod dem tibi.
LOR. Auis me ferè conſimilem faciam,vt prædicas.
HEG. Ita vt dicis.nam ſi faxis,te in caueam dabo.
Sed ſatis verborum eſt,cura quæ iuſſi,atque abi.
PAR. Quod ego quidem nimis quàm cupio,vt impetret.
Nam ni illum recipit,nihil eſt quò me recipiam.
Nulla eſt iuuentutis ſpes,ſeſe omnes amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,
C Cuius nunquam voltum tranquillaui gratiis.
Condignè eſt pater eius moratus moribus.
HEG. Ego ibo ad fratrem,ad alios captiuos meos,
Viſam, ne nocte hac quippiam turbauerint,
Inde me continuò recipiam rurſum domum.
PAR. Ægrè eſt mihi hunc facere quæſtum carcerarium,
Propter ſui gnati miſeriam,miſerum ſenem.
Sed ſi vllo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnificinam hunc facere,poſſum perpeti.
HEG. Quis hic loquitur? PAR. ego qui tuo mœrore maceror.
D Maceſco,conſeneſco & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine.
Neque vnquam quicquam me iuuat quod edo domi.
Foris aliquantillum etiam quod guſto,id beat.
HEG. Ergaſile ſalue. PAR. di te bene ament Hegio.
HEG. Ne fle. PAR. egóne illum non fleam? egóne non defleam
Talem adoleſcentem? HEG. ſemper ſenſi filio
Meo te eſſe amicum, & illum intellexi tibi.
PAR. Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Ego poſtquam gnatus tuus potitu'ſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit nunc deſidero.

HEG. Alienus cùm eius incommodum tam ægrè feras, A
Quid me patrem par facere eſt, cui ille eſt vnicus?
PAR. Alienus ego? alienus ille? ah Hegio,
Nunquam iſtuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille vnicu'ſt, mihi eſt vnico magis vnicus.
HEG. Laudo, malum cùm amici tuum ducis malum.
Nunc habe animum bonum. PA. eheu. HEG. huic illud dolet,
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.
Nullúmne interea nactu's, qui poſſet tibi,
Remiſſum quem dixti, imperare exercitum?
PAR. Quid credis? fugitant omnes hanc prouinciam,
Poſte'quam captus eſt Philopolemus tuus. B
HEG. Non pol mirandum eſt, fugitare hanc prouinciam,
Multis & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus, primùm dum opus eſt piſtorienſibus.
Eorum ſunt genera aliquot piſtorienſium.
Opus paniceis, opus placentinis quoque,
Opus turdetanis, opus eſt ficedulenſibus.
Iam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
PAR. Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator, nunc priuatus eſt.
HEG. Habe modò bonum animum. nam illum confido domum
In his diebus me reconciliaſſere. C
Nam eccum captiuum hic adoleſcentem habeo Alium,
Prognatum genere ſummo, & ſummis diuitiis.
Hoc illum me mutare confido fore.
PAR. Ita di deæque faxint. HE. ſed num quò foras
Vocatus es ad cenam? PAR. nuſquam equidem quod ſciam.
Sed quid tu id quæris? HEG. quia mihi natali'ſt dies.
Propterea te vocarier ad cœnam volo.
PAR. Facetè dictum. HEG. ſed ſi pauxillo potes
Contentus eſſe. PAR. ne perpauxillum modò.
Nam iſtoc me aſſiduò victu delecto domi.
PAR. Age, ſis roga. HEG. emtum, niſi qui meliorem afferet. D
PAR. Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?
Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.
HEG. Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.
Sed ſi venturus, tempori. PA. hem, vel iam otium eſt.
HEG. I modò, venare leporem. nunc i, rem tenes.
Non meus ſcrupoſam victus commeat viam.
PAR. Nunquam iſtoc vinces me Hegio, ne poſtules.
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
HEG. Aſper meus victus ſanè eſt. PAR. ſentíſne eſitas?
HEG. Terreſtris cœna eſt. PAR. ſus, terreſtris beſtia eſt.

HEG.

^nunc ceirim tenes. Halium ex haliaeeti natura venantis ceirim, et leporem. Virgil. in ceiri. de Niso. Fecit et in terris Haliaeetus ales ut esset. quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscus. paullo post. hi inter sese tristes Haliaeetus iras Et ceiris memori seruant ad saecula facto. in captura autem leporis praecipuus, falco noster, quem volunt Haliaeetum esse. ex genere scilicet aquilarum.



A HEG. Multis oleribus. PAR. curato ægrotos domi.
Nunquid vis? HEG. venias tempori. PAR. memorē mones.
HEG. Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.
Ad fratrem quò ire dixeram, mox iuero.

ADVERTE ANIMVM SIS, TV,] animaduerte animū ſi vis, tu Lorarie, &c. ISTOS CAPTIVOS DVOS, &c.] relatiuum & antecedens hîc in eodem caſu ponuntur, more Plautino. debuerat autem ita loqui, ſi, quomodo M. Tull. loqui ſolet, loqui voluiſſet, quos captiuos duos heri de quæſtorib. emi, his indito catenas ſingul. licebat etiā ſic dicere, iſtis captiuis duobus quos heri de quæſtoribus emi, his, inquam, indito caten. ſingul. Sed Plautus ſuum ius tenuit. ſic Terent. in Eun. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas fecit?* & Virgil. lib. 1. Æneid. *Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt. ſubducite naueis.* HIS INDITO CATENAS SINGVL.] his indito catenas ſingularias, id eſt, his inicito catenas ſingulareis. Nonius. *ſingularia, pro ſingulari.* Turpil. Demetr. *homo vnica eſt natura & ſingularia.* ſingulareis autem hîc accipio pro ſimpliceis, minores, B & leuiores: ídque ex eo, quod ſequitur, intelligere licet: Iſtas maiores, &c. Nam perſpicuè ſingulareis catenas oppoſuit maioribus. Adr. Turneb. ſingularias catenas interpretatur, vnius libræ. Alij ſingularias ſeu ſingulareis interpretātur ſingulas, hac ſentētia, his ſingulis duobus captiuis indito ſingulas catenas, proinde ac ſi dicat, non binas, ſed ſingulas. DEMITO.] detrahito. SED VTI ASSERVENTVR, &c.] id eſt, ſed ita, vt aſſeruentur quàm diligentiſſimè. vel ſic, ſed vide, vt aſſeruentur quàm diligentiſſ. LIBER CAPTIVVS AVIS FERÆ CONSIM.] non temerè dixit, *auis feræ.* aliquæ enim ſunt aues non feræ, verbi cauſa, gallinæ, & anſeres. Sic enim libro 2. inſtitut. iuris Ciuilis. *Gallinarum autem, & anſerum non eſt fera natura,* &c. De pauonibus & columbis quæſitum eſt: ſed reſponſum eſt, pauones, & columbos, aues eſſe feras. nec ad rem pertinet, inquit iuriſconſ. quod ex cōſuetudine euolare, & reuolare ſolent. Nam & apes idem faciunt: quarum naturam feram eſſe conſtat. Ceruos quoque quidam ita manſuetos habent, vt in ſiluam ire, & redire ſoleant: quorum & ipſorum feram eſſe naturam nemo negat. Sic autem legendum, vt nos edendum curauimus, non vt habent omnes libri vulgati, neque aliter edidit Camerarius. *auis ferè conſim.* POSTILLA.] id eſt, poſtea. ſic autem legendum, non vt habent alij libri, *pòſt illa.* ſententia enim hæc eſt, nunquam poſtea auem, quæ aufugerit, prendere C queas. OMNES PROF. LIBERI LIB. S. Q. S.] ſeruitus enim eſt præter naturam, vt volunt iuriſconſulti, cùm omnes homines liberi ſint natura, eorum ſententia. Nam Ariſtoteles contrà, probat in primo lib. de rep. nonnullos eſſe ſeruos natura: verbi gratia, qui ſunt ingenio tardo, & pingui, & qui ſibi ſuopte marte conſulere, & proſpicere non poſſunt: ſed opus eſt eis aliquo prudentiore, & ſolertiore, qui eos regere queat. NON VIDERE TV Q.] non videris, inquit Hegio, malle liber eſſe, quàm ſeruire. nam ſi ita eſſet, tu te à me, pretio dato, redimeres. SI NON EST, QVOD DEM, &c.] ſignificat Lorarius, ſibi nihil eſſe, quod det domino, vt ſeſe ab eo redimat. ídque proinde habēdum eſt, ac ſi ab eo dictum eſſet. ſed mirus orationis lepos ineſt in hoc, nihil poſſe dare, & ſe poſſe in pedes dare. ſic igitur Lorarius, ſi non eſt quod dem, id eſt, ſi nummos non habeo, quos tibi dem, vt me manumittas, ſeu, quibus datis me abs te redimam. MÉNE VIS DEM IPSE IN PEDES?] id eſt, méne ſinis aufugere? vel, mihíne permittis, vt aufugiam? vel mihíne aufugiendi copiam, & poteſtatem facis? dare ſe in pedes, coniicere ſe in pedes. dare ſe in fugam, vſitata loquēdi genera bonis ſcriptoribus. Terent. Eun. *vbi vidi, ego me in pedes, quantum queo.* ſub. dedi, aut conieci. Idem in Phormione. *Aliquid conuaſaſſem, atque hinc me coniicerem, protinā in pedes.* Plautus in Caſin. extr. *hac dabo me protinam* D *in fugam.* ERIT EXTEMPLO, QVOD DEM TIBI] ſignificat, plagas, & verbera, ſeu compedes, & magnum malum. AVIS ME FERÆ CONS. F.] id eſt, aufugiam, ſeu euolabo. TE IN CAVEAM DABO.] ne euoles. nam aues feræ in caueā coniici ſolent, ne euolent. Videtur legendum, *Ita dicis, nam ne faxis, te in caueam dabo.* ſignificat autem ſe iniecturum ei manicas & compedes, ne aufugere poſſit. vel ſe coniecturum in aliquam cuſtodiam priuatam. QVOD EGO QVIDEM N. Q. C. &c.] referendum ad illa ſuperiora, quæ dixerat paraſitus, Hegionem cœpiſſe captiuos commercari, id eſt, coëmere, ſi forte queat aliquem captiuum inuenire, quocum filiū ſuum permutet. quod ego quidem, inquit paraſitus, valde cupio, vt impetret: id eſt, vt conficiat. RECIPIT] reciperat, ſeu recuperat. NIHIL EST, QVÒ ME RECIPIAM.] id eſt, nullum habeo receptum. nullū habeo, quò me recipiam, locum. ILLE DEMVM, &c.] ille locus, nempe Philoptolemus. ANTIQ. EST ADOL. MORB.] id eſt, bonis & probis eſt moribus: qualibus moribus antiqui fuiſſe dicuntur. ex quo illud M. Tullij pro Roſc. Amer. *homines antiqui, qui ex ſua natura ceteros fingerent.* ibid. infrà non lōgè, *in qua muliere, iud. etiam nunc, id, quod omnes ſemper exiſtimauerunt, quaſi exempli cauſa, veſtigia antiqui officij remanent,* Terēt. in Andr. *optimè, hoſpes: pol Crito antiquū obtines.* CVIVS NVNQ. VOLTVM TRANQ. GR.] cui nunquam riſum moui, ſine magna mea mercede. vel ſic, quem nunquam, dicto aliquo vrbano, ac ridiculo, exhilaraui, quin facti mei fructū tulerim. CONDIGNÈ EST PATER,

&c.] pater Hegio moratus eſt conuenienter,& congruenter filij moribus vel ſic, pater eſt conſimilibus,atque filius morib. NE N. HAC QVIPPIAM TVRBAVERINT.] nequid A
hac nocte turbæ fecerint.nequid tumultuati ſint.ne quid noui deſignarint,vnde mihi turba naſcatur. ÆGRE'ST MIHI,] ego ægrè fero,vel dolet mihi,&c. QVÆSTVM FACERE CARCERARIVM.] quæſtum facere ex captiuis in vincula, & carcerem coniectis. HVC CONCILIARI,] huc reduci,& recuperari,&,vt ſuprà locutus eſt,reconciliari. VEL CARNIF. HVNC F. P. P.] poſſum perpeti,& æquo animo ferre, Hegionem etiã carnificinam factitare,id eſt,carnificẽ eſſe,ſeu homines excarnificare,& ex carnificina quæſtum facere. MACESCO,] macer,ſeu macilentus fio. TABESCO] τήκομαι. tabidus fio, tabe conficior, & conſumor. OSSA, ATQ. PELLIS S.] hyperbole, per quam ſignificatur extrema macies,ſeu macritudo.ſic ſuprà in Aulul. de agno, *Qui oſſa,atq.pellis totu'ſt, ita cura macet.* ME IVVAT,] mihi prodeſt: με ὀνησιν hinc cibus ὄνειαρ appellatur à Græcis, eò quòd iuuet. Notus eſt verſus ab Homero non ſemel,neque vno loco vſurpatus. Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα, προκείμενα χεῖρας ἴαλλον. QVOD EDO DOMI]nam paraſiti non eſt domi ſuæ comeſſe: qui, vt mures, alienũ cibum redere ſolet.Itaque huius verſus, *Neque vnquam quidquam me iuuat, quod edo domi*, hanc ſententiam eſſe quidam putãt nihil habeo domi, quod edim. ita nihil me iuuat, quod edo domi. FORIS] domi alienæ. Ordo autem hic eſt, quod guſto foris, id etiam ali- B
quantillum beat. ID BEAT] id iuuat. DEFLEAM] valde fleam. TVM DENIQVE HOM. H. INTELL. B.] γνώμη. quam & Horatius expreſſit oda 23.lib.3. *Clarus pòſt genitis: quatinus, heu nefas, Virtutem incolumem odimus: Sublatam ex oculis quærimus inuidi.* ſic M. Tull. orat.ad Quirit.poſt red.dicit,ſe carendo magis, quàm fruendo,quid haberent voluptatis illa,quæ enumerat bona, intellexiſſe. POTITVS 'ST HOSTIVM:] id eſt,in poteſtatem hoſtium venit. EXPERTVS] ego. QVANTI FVERIT] quanti pretij ille fuerit. ALIENVS] qui non es pater,nec alioqui propinquus, aut affinis. QVID ME PATREM PAR. F. EST:] quid me æquum eſt facere,qui pater ſum?tale ferè eſt illud Terent.in Andria, *quid mihi hic faciet patri?* CVI ILLE EST VNICVS?] amplificatio. nam patri filius vnicus carior eſt,quàm qui fratrem,aut fratres habet. Itaque vnicum filium Græci ἀγαπητὸν dicunt, ex quo apud eos ἀγαπητὸν interdum idem valet, quod vnicum, & ſolum. ALIENVS EGO? ALIEN. ILLE] Túne me alienum filio tuo dicis? illum mihi alienum? AH, NE ISTVC DIXIS.] ah,ne iſtuc dixeris. INDVXIS] induxeris. HVIC ILLVD DOLET, &c.] hæc Hegio,verſus ad ſpectatores:ita tamen vt paraſitus quoque exaudiat. huic paraſito, inquit, illud dolet,videlicet filium meũ captiuum eſſe apud hoſteis,quia, &c. QVIA NVNC REMISSVS EST EDENDI EXERC.] id eſt,quia nunc epularum,& dapum apparatus,quem C
ei ſuppeditabat filius meus Philoptolemus, eum deficit:vel ſic, quia nunc non habet, cuius domi comedat, ſeu comedit, & quaſi dentibus pugnat. Nam hæc pugna, de qua Hegio agit, dentibus, non manibus pugnatur.allegoria eſt à re militari, nempe ab exercitu remiſſo, ac dimiſſo. Præterea videtur dixiſſe remiſſum exercitum,vt remiſſum arcum:cui opponitur arcus intentus. Ego tamen remiſſum exercitum,poſitum eſſe puto, pro dimiſſum exercitum. Alij exercitũ poſitum eſſe putant, pro exercitatione:à quibus diſſentio: & mecum facit id, quod ſubſequitur. NACTV'S.] nactus es. QVI POSSET TIBI REMISS. Q. D. IMP. EXERC.] manet in eadem allegoria:cuius hæc ſententia eſt: nullúmne interea alium adoleſcentem nactus es, qui poſſet epularum copias, quas dicis eſſe diſſolutas, de integro tanquam imperator, cogere,& te domi ſuæ liberaliter inuitare? id eſt,qui poſſet ſolitũ epularum apparatum tibi inſtaurare? QVEM DIXTI] atqui nihil dixit de remiſſo edendi exercitu paraſitus, ſed Hegio.quomodo igitur hæc cohærere poſſunt?reſpondeo,quamuis paraſitus his ipſis verbis nõ ſit vſus,tamen re & ſententia idem dixiſſe. vel,ſi hoc non placet,vt nec mihi nimis placet,dicamus legendum,*dixi.* Porrò perſonas, quæ hîc fuerant confuſæ,& perturbatæ, ego aliquot librorum D
antiquorum, quibus vſi ſumus, auctoritatem ſecutus in ſuum locum, atque ordinem reſtitui. QVID CREDIS?] Quid cenſes? quid exiſtimas? verba ſunt paraſiti. OMNES FVG. H. PROVINC. QVOI OBT.] videtur parum Latinè dictum, *omnes,cui,* ſed nomen collectiuum, *omnes,* traducendum eſt ad particulare, *quiſq.* hoc modo,Omnes, quiſque ſuo loco, cui prouincia obtigerat, ſeu obtigerit imperandi exercitum,ſeu exercitui, poſtquàm filius tuus captus eſt,fugitat prouinciam. NON POL MIR. EST FVG. H. PR.] pol, inquit Hegio,non eſt mirandum vnumquemque hanc prouinciam imperandi exercitus,fugitare. Vario enim militum genere opus eſt. Iocatur ſenex cum paraſito. Enumerat autem genera militum, quibus conſtat edendi exercitus, id eſt, apparatus, manens in allegoria ſuperiore. PISTORIENSIB.] Piſtorium, oppidũ eſt Italiæ. Nihilominus tamen piſtores ſignificat. EORVM GENERA] ſubdiuiſio. PANICEIS] qui panes conficiunt. PLACENTINIS] eos,qui placentas conficiunt,intelligit.& tamen ad cíueis Placentinos alludit. TVRDETANIS.] per Turdetanos ſignificat eos, qui turdos vendunt. Verùm Turdetani, populi ſunt non longe admodum à Gadibus. FICEDVLENSIBVS]Ficedulæ, vicus Romanus, ſed iocans ſignificat eos,qui vendunt ficedulas. MARITIMI OMNES] piſcatores:quorum multa ſunt genera. OPVS SVNT TIBI.] neceſſarij ſunt tibi. VT SÆPE SVMMA ING. IN OCC.] legen-



A legẽdum cum admiratione. Quo pacto,inquit,ſumma ingenia ſępe vulgò incognita,& obſcura ſunt.& verba ſunt paraſiti,non Hegionis. ſignificat autem paraſitus Hegionem virum eſſe, cænarum apparandarum,& epularum inſtruendarum valde peritum: & poſſe magna cum laude huic muneri præeſſe, ſi tale imperium ei decernatur: ſed priuatum eſſe, id eſt, ſine imperio atque idcirco eius ingenium, ac ſcientiam in occulto latere. Non admodum autem huic paraſiti verbo diſſimile eſt illud Cæcilianum, quod refert Marcus Tullius lib.3. Tuſculanarum. *Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.* Præterea quemadmodum hîc Plautus cõuiuatorem comparat cum imperatore, ſic & Horatius in Satyra vlt. lib. 2. *Sed conuiuatoris, vti ducis, ingenium, res Aduerſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.* NVNC PRIVATVS EST.] id eſt, nunc non habet imperium. Sic hiſt. Diodorus, Æmilius Probus, ſeu Corn. Nepos tradiderunt, Epaminondam, virum imperio digniſſimum,& antea ſumma cum ſua laude,& patriæ vtilitate imperio functum fuiſſe aliquando, inimicorum ſuorum & inuidorum opera in exercitu priuatum, & militem manipularem & gregalem.qua de re plura cognoſces in Commentar.noſtris in Æmilium Probum: imperatorem priuato Plautus oppoſuit, vt Horatius regem, Sat.3. lib.1. verſu vlt. *Priuatúſque magis viuam te rege beatus.* HABE BONVM AN.] verba Hegionis,non paraſiti: quem
B conſolatur ille, & bonum ac fortem animum habere iubet hac ſpe erectum fore,vt Philoptolemus prope diem domũ reducatur. NAM ILLVM CONF. D. IN HIS D. ME RECONCIL.] nam confido, inquit Hegio, me illum intra hos dies paucos, domum reducturum, & in patrias ſedes reſtituturũ. ex hoc loco intelligere licet, *Nos reconciliare domum.* ſuprà in prologo rectè explicaſſe, domum reuocare, reducem facere,& reſtituere. Eſt autem *reconciliaſſere* infinitiui modi antiqui, futuri temporis. Talia ſunt hæc *expugnaſſere*, quo in Amphitr. vtitur: *impetraſſere*, quo in Aulul. & in Caſin. ALIVM.]id eſt, Eleum, ſeu Elium, hoc eſt, in Elide natum. HOC ILLVM ME M. CONF. F.] id eſt, confido futurum, vt hoc Elio ſuis reddito, & liberato meum recuperem, permutatione captiuorum facta. ITA DII, DEÆQ. FAX.]optantis, oratio, faxint, id eſt, fecerint. SED QVID TV ID. Q.] quid? τί. διά τι, id eſt, propter quid? propter quam cauſam? Comicum. NATALIS'ST DIES]hodiernus, ſcilicet,quo die veteres cenam natalitiam dabant. PAVXILLO] ſic edendum curaui, noſtros libros veteres pleróſque ſecutus. & ita ſine dubio legendum eſt. nam vulgati habent, pauxillum, neque aliter edidit Camerarius. NE PER PAVXILLVM MODO] proinde ac ſi dicat pauxillo contentus eſſe poſſum: ſed non perpauxillo. vel ſic pauxillum apponas licet: & conditio placet, dum modò ne per pauxillum ſit, quod tu appones. NAM ISTOC ME]
C nam, inquit, idem, iſto victu, videlicet perpauxillo, me aſſiduè delecto domi. Itaque domi quidem, velim, nolim, perpauxillo contentus ſum: ſed foris, alio animo ſum, & copioſius,atque vnctius quiddam requiro. Tale ferè eſt illud Horat. epiſt.15.lib.1. *Rure meo poſſum quiduis perferre, patique. Ad mare cùm veni, generoſum, & lene requiro,* &c. AGE SIS, ROGA] Age, ſi vis,roga me ſímne hodie tecum cenaturus,vt ego tibi promittam:& ita ſtipulatio inter nos contracta ſit:quæ conſtat ex interrogatione, & reſponſione: atque hæc obligatio, iure ciuili firmiſſima eſt. EMTVM, NISI QVI M. C. A.]Hegio iocans,cùm paraſitus vellet ſe ad cenã ab eo vocari,& interrogari,promitterétne ſe venturũ,vt reſponderet, promitto atq. hoc modo ſtipulatio contraheretur. alio orationẽ ſuã deriuauit, & pro ſtipulatione,veluti emptionem induxit. Nam pro ſtipulationis formula,quæ ex interrogatione & reſpõſione cõſtat,emtionis formulã vſurpauit:& ſe quidẽ emtorẽ, paraſitũ verò venditorẽ fecit. ſolebat autem emptor in auctionib. cùm ex præcone rei venalis pretiũ audierat, clarè pronuntiare, *emtũ*, niſi quis meliorem condicionẽ afferret, quæ formula ſimile quiddam habet additioni in diem. quæ, vt ait Paullus lib.5.ad Sabinum, & exſtant hodie eius verba lib.18.digeſt.tit.de in diem addictione, ita fiebat.
D *Ille fundus centum eſto tibi emtus: niſi ſi quis intra Kalendas Ianuarias proximas meliorem condicionem fecerit, ſeu attulerit, quo res à domino abeat.* Itaque hæc licet etiam referre ad morem & formulam addictionum in diem: quæ tum valebant, ſi ante dictam, nulla melior conditio afferretur: id eſt, ſi pretium maius non offerretur,ſed priore modo mâlo. Hoc igitur ſentit Hegio, hoc dicit: voco te ad cenam, niſi quis te ad cenam vnctiorem & lautiorem vocabit. Iam verbo addicendi vti conſueuiſſe Romanos etiam in actionibus cõſtat. M. Tull. in oratione pro Cæcinna. Adeſt ad tabulam, licetur Æbutius: deterrẽtur emtores multi partim gratia Ceſenniæ, partim pretio, fundus addicitur Æbutio. Idem pro C. Rab. Poſtum. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirij Poſtumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit? MELIOREM] ſubintell. conditionem. QVASI FVNDVM VENDENS, &c.] manet in eadem allegoria paraſitus. hoc modo. Quemadmodum, inquit, qui fundum vendit, eum addicit licitatori ſuis legib. & ſuis pactis, & ſuo arbitratu. Sic ego me tibi quodammodo vendens, addicam me tibi meis condicionibus & pactis. PROFVNDVM VENDIS TV Q.] id eſt, tu verò mihi voraginem quandam, & ventrem tuum inexplebilem, non fundum, vendis. Caper Grammaticus vetus, *in profundum*, inquit, *nummi, vel in arcam conduntur.* in profundum, hoc eſt, in ventrem. Atque hæc fuerant iam ab Adrian. Turneb. animaduerſa. Feſtus autem, *profundum*, inquit, *quòd longè habet fundum.* Quare profundum rectè hoc loco pro ventre auido, & inſatiabili accipitur. neque verò eſt inconcinna παρονομασία, *in fundum profundum.* SED SI VENTVRV'S TEMPORI.] ſed ſi ven-

turus es, tempori maturè, & tempeſtiuè venito. vnum eſt de pluribus, & fortaſſe primum, quod A
tenere debet cõuiua, vt neque ſit præproperus, neque tardus. qui præproperè venit, moleſtus eſt cõuiuatori: qui tardior eſt, vel claudus eſt, vel non vult conferre ſymbolas. ſic autem debent collocari perſonæ, vt collocauimus. neque me mouent quidam docti, qui aliter collocãt, & aliter ſuperiora illa explicant. Nam eos falli ſcio. HEM, VEL IAM OTIVM'ST] Hem etiã hoc ipſo temporis puncto vacuus ſum, mihíq. nunc per otium ad cenam ire licet. non ſum occupatus. Quòd autẽ in nonnullis libr. manuſcr. ita ſcriptũ eſt, *emulis iam* otium'ſt, atque hanc ſcripturam quidam docti probant, in his Turnebus noſter: ea verò ferri non poteſt, reſpuit enim eam & lex carminis, & ſententia. Nata autẽ eſt hæc deprauata ſcriptura ex hac *emul.* quę valet em: vel ex *emul iam* factum emuliiam, geminato i. vt ſolebat ſæpe fieri. deinde adiectum eſt s. à ſemidocto aliquo hinc factum emulis. I MODÒ VENARE LEPOREM NVNC IRIM TEN.] I modò, inquit Hegio, venare, & capta cenam aliquam vnctiorem, & lautiorem mea. nunc habes tibi cenam minime ſumtuoſam, parabilẽ, & vilem, ſeu parui pretij. vel ſic, nunc habes cenæ condimentum. Iris herba eſt odorata, & aromatica ad cibum commendandum, & cõdiendum vtilis. Camerarius edidit, *nunc i. rem tenes.* non male ille quidem: ſed libros veteres pleróſque ſecutus ſum, qui ſic habent. Accedit Adriani Turnebi auctoritas, qui hanc lectionem ceteris anteponit, eámque eruditè, vt cetera ſolet, explicat, Aduerſ. lib. 14. cap. 7. NON MEVS B
SCRVPOSAM V. COM. V.] meus victus non conſtat ex difficilibus, & caris obſoniis, ſed parabilibus, facilibus, & vilibus. ſcrupoſa via, hoc eſt, difficilis, lapidoſa, & ſalebroſa. Lucret. lib. 4. *haud quaquam ratis ſcrupoſa relicta'ſt.* NE POSTVLES.] ne iſtuc æquum cenſeas. ne forte poſtules. vel vide ne poſtules. CVM CALCEATIS DENTIB. V. T.] veniam tamen cum dentibus ad comedenda cara, & ſumtuoſa obſonia paratis, atque inſtructis, quamuis ſignifices mihi, te nihil tale appoſiturum. Calceatos denteis dixit paraſitus ſe ad cenam allaturum, quia Hegio dixerat, victum ſuum non ire viam ſcrupoſam, & lapidoſam: id eſt non eſſe paratu difficilem, vt leporem. & ſimil. ASPER MEVS V. S. EST] aſper victus alius eſt ab eo, qui ſcrupoſam viam cõmeat.] hic victus enim, eſt paratu difficilis, & conſtat ex leporinis, ac ferinis carnibus: & hoc victu negat ſe vti Hegio: ille verò, parabilis eſt, & cõſtat ex oleribus, & ceteris terra natis: & illo victu ait ſe vti Hegio. SENTEÍSNE ESITAS?] id eſt. ſpináſne comeſſe ſoles? Iocus ex eo natus, quò Hegio victum ſuum aſperum eſſe dixerat. quod ſic interpretatur paraſitus, vt quærat ex eo, ſenteis, id eſt ſpináſne eſitet. quid enim ſentibus aſperius fingi poteſt? TERRESTRIS CENA'ST.] Interpretatur id, quod obſcurius dixerat, Hegio: hoc modo, *Terreſtris cœna'ſt.* ſignificans eam conſtare ex terra natis. quàm dicunt Græci C
cenam ſine ſanguine, δεῖπνον αἷμα οὐκ ἔχον, vno verbo ἄναιμον. Sed paraſitus iterũ hoc ipſum in aliam ſententiam detorquet. SVS, TERRESTRIS BESTIA'ST.] quid appellas, inquit, paraſitus, terreſtrem cenam? an quæ conſtat ex ſuilla, aut aprina, ſeu aprugna carne? ſus enim, terreſtris beſtia eſt. MVLTIS OLERIBVS.] Nunc demum planè, & dilucidè aperit ac declarat ſententiam ſuam Hegio his verbis: vt non ſit iam cauillationi locus. CVRATO ÆG. D.] ſi cenam iſtam parare cogitas: eam ægris apponito, qui tenui, & parco victu alendi ſunt. NVMQVID VIS?] diſcedentis oratio. VENIAS TEMP.] vt ad tempus adſis, & neque moreris alios conuiuas, neque anteuertas. MEMOREM MONES.] mones eum, qui non eget monitore. prouerbium olet. Sic idem in Sticho. *Capti conſilij memorem mones.* Lucret. lib. 3. in extr. *Admonuit memorem motus langueſcere mentis.* Sic enim apud Lucretium legendum eſſe docuimus in Commentar. noſtris, tum libris aliis repugnantibus, in quibus impreſſum eſt, *memores,* tum reclamante quodam improbiſſimo, & petulantiſſ. thraſone, qui meas vindemiolas partim in apothecas ſuas congeſſerat, & conuexerat: partim conſpurcarat, & contaminarat. SVBDVC. RATIVNCVLAM,] Sic loquitur in Curcul. *Beatus videor. ſubduxi ratiunculam,* &c. ſubducere rationem, eſt digitis ſeorſum, & ſecreto putare rationem, vt videamus, quid nobis de- D
beatur, quid nos aliis debeamus. *ratiunculam* dixit nomine deminutiuo, extenuandi gratia: & ſequenti verſu conuenienter ſubiunxit, *quantillum argenti.* Sic Terent. Phorm. princ. *erat ei de ratiuncula Iampridem apud me reliquum pauxillulum Nummorum,* &c. APVD TRAPEZITAM S.] apud trapezitas pecunias ſuas habebant antiqui collocatas: ex quo reſcribere, & tranſcribere. Iam trapezitæ ſunt, quos Latini menſarios, & nummularios appellant.

## LORARII, PHILOCRATES, TYNDARVS, captiui.

LOR. SI di immortales id voluere vos hanc ærumnam exſequi,
Decet id pati æquo animo. ſi id facietis, leuior labos erit.
Domi fuiſtis credo liberi.
Nunc ſeruitus ſi euenit, ei vos morigerari mos bonu'ſt,

Eámque



A Eámque herili imperio ingeniis veſtris lenem reddere.
Indigna digna habenda ſunt herus quæ facit. CAP. oho, oho.
LOR. Eiulatione haud opu'ſt, oculis multam miſeriam additis.
In re mala animo ſi bono vtare, adiuuat.
CAP. At nos pudet, quia cum cathenis ſumus. LOR. at pigeat poſteà
Herum noſtrum, ſi vos eximat è vinculis,
Aut ſolutos ſinat, quos argento emerit.
CAP. Quid à nobis metuit? ſcimus nos
Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.
LOR. At fugam fingitis, ſentio quam rem agitis.
CAP. Nos fugiamus? quò fugiamus? LOR. in patriam. CAP. apage haud nos id deceat.
B Fugitiuos imitari. LOR. imò edepol ſi erit occaſio, non dehortor.
CAP. Vnum exorare vos ſinite nos. LOR. quídnam id eſt? CAP. vt ſine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
LOR. Fiat, abſcedite hinc, nos concedamus huc. Sed breuem orationem incipeſſe.
PHI. Hem iſtuc mihi certum erat, concedo huc. LOR. abite ab iſtis.
PHI. obnoxij ambo
Vobis ſumus propter hanc rem, quom quod volumus nos,
C Copia'ſt, & facitis eius nos compotes.
Secede huc nunc iam ſi videtur, procul,
Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant:
Néve permãnet palàm hæc noſtra fallacia.
Nam doli non doli ſunt, niſi aſtu colas:
Sed malum maximum, ſi id palàm prouenit.
Nam ſi herus mihi es tu, atque ego me tuum eſſe ſeruum aſſimilo:
Tamen viſo opu'ſt, cauto eſt opus, vt hoc ſobriè ſine arbitris
Accuratè hoc agatur, doctè & diligenter.
Tanta incepta res eſt, haud ſomniculoſe hoc
D Agendum eſt. TYN. ero vt me voles eſſe. PHI. ſpero.
TYN. Nam tu me vides pro tuo caro capite,
Carum offerre meum caput vilitati.
PHI. Scio. TYN. at ſcire memento, quando id quod voles, habebis:
Nam ferè maxima pars, morem hunc homines habent: quòd ſibi volunt,
Dum id impetrant, boni ſunt: ſed id vbi iam penes ſeſe habent,
Ex bonis peſſumi & fraudulentiſſimi
Sunt. nunc vt te mihi eſſe volo, eſſe autumo.
Quod tibi ſuadeo, ſuadeam meo patri.
PHI. Pol ego ſi te audeam, meum patrem nominem.
Nam ſecundum patrem tu es pater proximus.

TYN. Audio. PHI. & propterea ſæpius te vt memineris, moneo. A
Non ego herus tibi, ſed ſeruus ſum. nunc obſecro te hoc vnum,
Quoniam di immortales animum oſtenderunt ſuum,
Vt qui herum me tibi fuiſſe atque eſſe conſeruum velint.
Quod ante hac iure imperitabam meo, nunc oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Pérque conſeruitium commune, quod hoſtica euênit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes, quàm cum ſeruibas mihi.
Atque vt qui fueris, & qui nunc ſis, meminiſſe vt memineris.
TYN. Scio quidem me te eſſe nunc, & te eſſe me. PHI. hem iſtuc ſi potes
Memoriter meminiſſe, ineſt ſpes nobis in hac aſtutia. B

EXSEQVI,] ſufferre, ſuſtinere. ÆQVO ANIMO.] placido, & tranquillo animo. SI
ID FACIETIS: LEVIOR LAB.] ſi æquo animo veſtram ærumnam ſufferetis, le-
uior, id eſt, tolerabilior, & minus grauis veſter labor erit. Nam, vt ait Flaccus, oda 24. lib. 1. *Du-
rum, ſed leuius fit patientia, Quidquid corrigere eſt nefas.* Et Virgil. lib. 5. Æn. *Nate dea, quò fata trahũt retra-
huntq́, ſequamur. Quidquid erit ſuperanda omnis fortuna, ferendo eſt.* labos autẽ dictũ pro labor, antiquè,
vt colos, odos, vapos, & ſimil. à Lucret. NVNC SERVITVS SI EVÉNIT, &c.] rectè,
*euenit.* Nam ſeruitus, ſeu ſeruitium, libertas, diuitiæ, &c. euenta à Lucret. appellantur. Sic ille lib. 1.
*Seruitium contrà libertas, diuitiæque, Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum Aduentu manet inco-
lumis natura, abitúque: Hæc ſoliti ſumus, vt par eſt, euenta vocare.* MORIGERARI, ] mo-
rem gerere, obſecundare. MOS BONV'ST,] id eſt, æquum eſt. EÁMQVE HERILI
IMP. ING. V. L. R.] locus obſcurus, & ad explicandum difficilis, & meo iudicio, mẽdoſus.
poteſt tamen ſic explicari, & mos bonus eſt lenem reddere, hoc eſt placidam, & tranquillam
reddere, & vno verbo, lenire, ſeruitutem, ingeniis veſtris, (in dandi caſu) herili imperio, id eſt,
per herile imperium: vt ſententia hæc ſit, æquum eſt vos efficere, vt herus veſter ſe lenem & cle- C
mentem dominum ingeniis veſtris præbeat: vel ſic, æquum eſt, vos operam dare bene ſeruiẽdo,
& libenter parendo, vt herus veſter lenem ſe in vos præbeat. Sic in Andria fortaſſe dixit Te-
rent. *iuſta & clemens ſeruitus.* vt hîc Plautus, *ſeruitutem lenem reddere.* Sed, vt dicam quod ſentio,
ſuſpectus eſt mihi hic locus, cùm propter obſcuritatem, tum propterea quòd omnes noſtri li-
bri veteres habent, *Eámque & herili imperio,* &c. Ego cùm me in omnem partem cogitando ver-
tiſſem, ſic tãdem arbitratus ſum hunc locum eſſe legendum, & emendandum, *Atque herile im-
periom, ſeu imperium, ingeniis veſtris lene reddere,* id eſt, atque lenire imperiũ herile per ingenia veſtra,
vt ſit hæc ſententia, & bene ſeruiendo, ac morem gerẽdo domino efficere, vt dominus clemen-
ter, & leniter vobis imperet: neque ſit in vos ſæuus, & inclemens: quia plerumque ſæui, & im-
placidi ſunt domini propter ſeruorum negligentiam, & nequitiam. Licet fortaſſe etiam hoc mo-
do legere, minore mutatione facta, *Eámque, & herile imperium ingeniis veſtris,* &c. hac ſententia, &
mos bonus eſt lenem reddere eam, ſeruitutem, & herile imperium lene reddere, ingeniis veſtris,
id eſt, per ingenia veſtra, quod valet, diligenter, & fideliter ſeruiendo, libentérque parendo. Eſt
enim ſerui prudentis & ingenioſi, cogitare ſe ſeruum eſſe, & ei, qui ius habet imperandi, parere D
oportere. INDIGNA DIGNA H.] non debet ſeruus indignari, aut indignè ferre, quæ
ſibi à domino imperantur, qualiacúmque imperentur. nam quæ dominus facit, quantumuis
inepta, abſurda, difficilia, grauia, dura, inhumana ſint, contraria habenda ſunt. indigna, digna,
prouerbialiter dictũ, vt ſuprà alibi, in Aſinaria, opinor, actu primo in extr. notauimus. talia ſunt
illa, *quo iure, quâque iniuria: velis, nolis: fas, nefas. noti, ignoti: dignos, indignos adire,* &c. quæ illo, quem
indicaui, loco, collegimus. EIVLATIONE HAVD OPV'ST. OCVLIS MVLTAM
MISERIAM ADDITIS.] ſic edendum curaui, optima ſententia, optimis numeris. eſt enim
trochaïcus catalecticus, quamquã ſcio verſus in hac ſcena eſſe confuſos, & permixtos. nam qui
proximè ſequitur, ſenarius eſt. Propterea ſecutus ſum editionem Camerarianam, niſi quod vo-
cem *multa* ſuſtuli, quam non habent vulgati, & credibile eſt à ſcriptore librario errante fruſtra
eſſe additam, propter eandem vocem, quæ poſtea ſuo loco poſita eſt. Quod autem nonnulli
libri manuſcripti habent, *oculis multa miſera cuditis,* vt & omnes vulgati, non probo. quamquam
non auſim damnare. liberum ſit hac de re lectoris iudicium. Magis placet ea, quam ſecutus ſum.
cuius ſententia, plana eſt. nam miſeriam oculis addere, nihil aliud eſſe puto, quàm quod in Am-
phitr. & in Mercatore dixit, *oculos corrumpere.* IN RE MALA ANIMO SI B. V.] γνώμη.
cum qua concinit & congruit, illa, quæ eſt in Pſeud. *Bonus animus in mala re, dimidium'ſt mali.*
& illa



A & illa, *Animus æquus, optimum ærumnæ condimentum.* bono animo vti autẽ, id eſt, fortem animum
habere, ſeu præbere. NOSTRVM OFFICIVM Q.] quod ſit noſtrum officium: id eſt,
quid nos efficere oporteat: videlicet, non fugere, ſed domino morem gerere, & parêre. officium
dictum ab efficiendo inquit Donatus, ab eo, quod quæritur, quid efficere vnumquemq. con-
ueniat pro condicione perſonæ. Et Feſtus, *officioſus,* inquit, *ab officio dictus.* FINGITIS.] para-
tis. SINE HIS ARBITRIS,] ſine his, Captiuis, qui arbitrantur, id eſt, ſpectãt, quod agi-
mus. longè ab his arbitris. SED BREVEM ORATIONEM INCIPESSE.] id eſt, ſed bre-
uis orationis exordiũ ſume. *incipeſſe.* incipe. nonnulli libri habent *incipiſſe.* OBNOXII AM-
BO VOBIS SVMVS &c.] debet hic nomen Philocratis præſcribi. QVOM, QVOD VO-
LVMVS NOS, COPIA'ST, &c.] locus hic variè ſcriptus eſt in libris manuſcr. Alij enim ſic
habent, *cùm quæ volumus, copia'ſt, ea facitis nos compotes.* alij ſic, *cùm quod volumus nos, copia'ſt, & facitis
nos compotes.* Vulg. ſic: *Cùm quæ volumus, copia'ſt, atque ea facitis nos compotes.* Ego ſic edendum cura-
ui, *quòm quod volumus nos, copia'ſt, vt facitis eius nos compotes.* quam ſcripturam ſic explico, quoniam
quod volumus nos, eius nobis copia eſt, & eius facitis nos cõpotes, hoc eſt, & eius nobis facitis
poteſtatem. ſunt autem verba Philocratis ab illo loco, *obnoxij ambo vobis ſumus,* &c. non Tyndari,
B vt diximus. NE ARBITRI DICTA N. ARB. Q.] ne vlli præſentes poſſint audire, quæ lo-
quemur. arbitrari, id eſt, ſpectare, auribus excipere, oculis cernere. ſuprà de hoc verbo ſat mul-
ta. *Hinc ego huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.* NÉVE PERMÂNET PALÀM HÆC
N. FALL.] néue hæc noſtra fallacia perueniat in vulgus. permânet à verbo permano, as.
Quidem legi volunt, *promânet* quemadmodum infrà ſcriptum eſt, *prouenit,* Ego in omnibus li-
bris ſcriptum reperi, *permânet,* Præterea vocem *palàm,* quæ eſt in omnibus ferè libris & vulgatis,
& manuſcr. delendam cenſeo, vt inculcatam, alienam, miniméque Plautinam, denique vt ex
ora libri in contextum tranſlatam. Nam nec quidquam ad ſententiam affert, & carminis legem
corrumpit. Verſus enim hi ab illo verſu, cuius principium eſt, *Copia'ſt* vſque ad illum, *Sed ma-
lum,* &c. conſtant pedibus creticis. Nam quod ad ſecundum verſum attinet, qui initium capit à
*Secede* particula *iam,* διουλλάδως legenda eſt. Tales ſunt & verſus, qui ſunt infrà, quinque, vſque
ab hoc, *Ex bonis peſſimi, & fraudulentiſſimi.* NAM DOLI NON DOLI S. N. ASTV. C.]
quidam libri hab. *non ſunt doli,* &c. pro, *non doli ſunt,* &c. ſed parum intereſt. ſententia autem
facilis, & in promtu poſita eſt. ſignificat autem dolos, non eſſe dolos, niſi aſtutè & callidè tra-
ctentur, niſiq; ita occultentur, vt eos ignorent aduerſarij: ſed perniciem maximam. NAM
SI HERVS MIHI ES TV, &c,] id eſt: Nam ſi tu Tyndare, qui mihi ſeruus peculiaris à
C patre meo datus, atque attributus es, herus meus, temporis cauſa, aſſimilaris, & ego me ſeruum
tuum eſſe ſimulo: videndum & cauendum eſt, &c. SOBRIÈ] νηφαλέως, prudenter, conſide-
ratè. SINE ARBITRIS] ſine ſpectatoribus, teſtibus & conſciis. HAVD SOMNICV-
LOSÈ] idem dicit quod ſuprà, ſed aliis verbis. Nam ſobriè, haud ſomniculoſè idem valent.
Qui enim ſicci & ſobrij ſunt, iidem vigilantes ſunt, & diligentes, miniméque ſomniculoſi: con-
trà, qui madidi, & ebrij eſſe conſueuerunt, ſomniculoſi, & dormitatores: Ebrietas enim, mor-
bus quidam eſt, qui ſomno potiſſimum curatur, & depellitur. Atque hac de re alibi dicemus.
ERO, VT ME VOLES ESSE.] ero qualem me voles eſſe. NAM TV ME VID.]
verba ſunt Tyndari. itaque hîc debet eius nomen præſcribi: ſententia autem eorum hæc eſt: de-
bes ſperare me talem fore, qualem me voles eſſe. Nam tu vides, me caput meum, id eſt, vitam,
ac ſalutem meam offerre vilitati, id eſt, minimi æſtimare, flocci facere: pro tuo caro capite, id eſt,
pro tua vita ac ſalute. vel dic planius & melius: Nam tu me vides hoc facto efficere, & aſſequi,
vt vile mancipium ab hero habear, & vt Hegio, propter hanc fallaciam, vbi me ſeruum eſſe co-
gnouerit, non liberum, id eſt, vbi reſcierit me eſſe Tyndarum, non Philocratem, peſſimis mo-
dis accipiat, & fortaſſe necet, quaſi ſeruus nihili ſim, quaſíque paruam admodũ iacturam factu-
D rus ſit, ſi me necarit. carũ caput dixit, Græcorũ more φίλη κεφαλή vel τιμία κεφαλή. QVAN-
DO ID, QVOD VOLES HAB.] quando tuis redditus eris: quando libertate, & patria
tua recuperata, apud tuos eris. NAM FERÈ MAXIMA P. M. H. HOMIN.] ma-
xima pars homines: id eſt, homines, maxima eorum pars: vel maxima pars, homines, id eſt, pleri-
que homines. Horat. Sat. 3. lib. 2. *Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.* Idem epiſt. ad Piſon.
*Maxima pars vatum,* &c. Sententia hæc veriſſima eſt: & id quotidie experiendo, & vſu diſcimus:
neq; opus eſt colligere exempla, quæ cuiuis in promtu poſita ſunt, & veniunt in mentem. Cùm
ſint igitur tot in hominum animis latebræ, tot receſſus, tot diſſimulationum integumenta, at-
que inuolucra: incõſideratè, & temerè facimus, qui ex paucorum dierum conſuetudine, & con-
uictu, quamuis antea nobis ignotum, virum bonum, & dignum, cui omnia noſtra credamus,
iudicamus, quod non debet fieri. Nam, vt præclarè Sophocles in Oedipo tyr. longo tempore
opus eſt ad cognoſcendum, ſítne aliquis vir bonus, & fide, atque amicitia noſtra dignus. impro-
bus verò, vel vno die perſpici, deprehendi, & cognoſci poteſt. Sic Sophocles Χρόνος δίκαιον ἄν-
δρα δείκνυσι μόνος. Κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ. Sed huius Plautinæ ſententiæ vis
latiſſimè patet: neque in amicitiis tantum locum habet, ſed etiam in ſacerdotiis, imperiis, bonis
denique omnibus externis, quæ quis conſequi velit, ſiue illa ſint vtilia, ſiue iucunda, locum ha-
bet. M. Tull. pro Murena in princip. taleis homines, aſtutos, & ingratos nominat, his verbis:

*Neque enim iam mihi licet, neque eſt integrum, vt meum laborem hominum periculis ſubleuandis non impertiam* A
*Nā cùm præmia mihi tāta pro hac induſtria ſint data, quāta antea nemini labores, per quos ea ceperis, cùm adeptus ſis, deponere eſſet hominis & aſtuti & ingrati.* Eodem pertinet illud Catulli in carmine de Pelei, & Thet. nuptiis. *Nunc iā nulla viro iuranti fœmina credat, Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideleis: Qui dū aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci, Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt: Sed ſimulac cupidæ mentis ſatiata libido eſt: Dicta nihil metuēre nihil periuria curant.* DVM IMPETRANT,] interea dum impetrare conantur. PENES SESE H.] habent in ſua poteſtate id, quod expetebant: compotes facti ſunt eius, quod petebant. NVNC, VT TE MIHI ESSE VOLO, ESSE AVTVMO.] id eſt, nunc te, qualem mihi eſſe volo, eſſe dico. Sic autem legendum eſt, vt edidimus. Nam alij libri habent, *nunc vt te mihi volo eſſe, autumo.* mendoſè. debet enim bis ſcribi, *eſſe.* SVADEAM MEO P.] *meo* vnius ſyllabæ faciendum eſt in metiendo verſu: fitque συνίζησις. vt in proximo ſequente. *audeam*, duarum ſyllabarum debet eſſe, & *meum*, vnius. ANIMVM OSTENDERVNT SVVM.] ſuam voluntatem aperuerunt, ac declararunt. VT QVI] vt pote qui. IVRE IMPERITAB.] iure meo, id eſt, iure herili: quod latiſſimè patet in ſeruum. ORO PER PRECEM] quid eſt orare per precem? vtrum orare precando, vel prece, vt Horatius dixit, *oratus multa prece.* epiſt. ad Vinnium Aſel. lib. 1. *an orare per precem, tanquam Iouis filiam?* Nam Homerus λιτάς, hoc eſt, Preces, Iouis filias facit, lib. ἰλ. ἰῶτα. Sic enim Hom. Καὶ γάρ τε Λιταί B
εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, &c. Solebant autem veteres orare per deos, per ſacra, per liberos, per fortunas, denique per res cariſſimas. PER FORTVNAM INCERTAM.] incertam, id eſt, inſtabilem, mobilem, mutabilem, infidam: vel cuiuſmodi eſt noſtra, vel cuiuſmodi eſt fortuna per ſe, & ſua vi. CONSERVITIVM C.] conſerui enim ſunt nunc, poſteaquam ſimul bello capti ſunt, & in eiuſdem domini poteſtatē venerunt. HOSTICA] hoſtili. Horat. oda 2. lib. 3. *ex mœnibus hoſticis.* idem Sat. 9. lib. 1. *Hunc neque dira venena, neque hoſticus auferet enſis.* HONORE HONESTES,] Sic locutus eſt infrà eadem comed. *Cùm me tanto honore honeſtas, cúmque ex vinclis eximis.* SERVIBAS] ſeruiebas. MEMINISSE MEMINERIS.] Sic videtur dictum, vt illud in Aulul. *Nunc domum properare propero.* MEMORITER MEMINISSE,] Sic Afranius in Vopiſco loquitur, *memoriter memini*, ex Soſipatro. Talia ſunt hæc etiam Plautina, *properè properas.* in Curcul. *ſapienter ſapit.* in Pœnulo. *madidè madeam.* in Pſeud. *Validè valet*, in Perſa.

## HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARVS.

C

HEG. IAm ego reuertar, intus ſi ex his quæ volo inquiſiuero.
Vbi ſunt iſti, quos ante ædeis iuſſi huc produci foras?
PHI. Edepol tibi ne in quæſtione eſſemus cautum intelligo,
Ita vinclis cuſtodiiſque circummœniti ſumus.
HEG. Qui cauet ne decipiatur, vix cauet cùm etiam cauet.
Etiam cùm cauiſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.
An verò non iuſta cauſſa eſt, cur vos ſeruem ſedulò,
Quos tam grandi ſim mercatus præſenti pecunia?
PHI. Neque pol tibi nos, quia nos ſeruas, æquom eſt vitio vortere:
Neque te nobis, ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio. D
HEG. Vt vos hîc, itidem illic apud vos meus ſeruatur filius.
PHI. Captus eſt? HEG. ita. PHI. non igitur nos ſoli ignaui fuimus.
HEG. Secede huc. nam ſunt ex te quæ ſolo ſcitari volo,
Quarum rerum te falſiloquum mihi eſſe nolo. PHI. non ero,
Quod ſciam. ſi quid neſciui, id neſcium tradam tibi.
TYN. Nunc ſenex eſt in tonſtrina. nunc iam cultros attinet.
Ne id quidem inuolucre iniicere voluit, veſtem vt ne inquinet,
Sed vtrum ſtrictímne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem,
Neſcio verùm ſi frugi eſt, vſque admutilabit probè.
HEG. Quid tu? ſeruus ne eſſe, an liber, mauelis. memora mihi.

PROXI-



A PHI. Proximum quod ſit bono, quódque à malo longiſſimè,
Id volo. quanquam non multum fuit moleſta ſeruitus:
Nec mi ſecus erat, quàm ſi eſſem familiaris filius.
TYN. Euge, pol Thalem talento non emam Mileſium.
Nam ad ſapientiam huius ille nimius nugator fuit.
Vt facetè orationem ad ſeruitutem contulit?
HEG. Quo de genere natu'ſt illic Philocrates. PHI. Polypluſio,
Quod genus illic vnum eſt pollens atque honoratiſſimum.
HEG. Quid ipſus hic? quo honore eſt illic? PHI. ſummo, atque à ſummis viris.
HEG. Tum igitur ei cùm in aliis tanta gratia eſt, vt prædicas,
B Quid diuitiæ? ſúntne opimæ? PHI. vnde excoquat ſebum ſenex.
HEG. Quid pater, viuítne? PHI. viuum, cùm inde abiimus, liquimus.
At nunc viuat, nécne, id orcum ſcire Oportet ſcilicet.
TYN. Salua res eſt, philoſophatur quoque. non mendax modò eſt.
HEG. Quod erat ei nomen? PHI. Theſaurochryſonicochryſides.
HEG. Videlicet propter diuitias inditum id nomen quaſi eſt.
PHI. Immò edepol propter auaritiam ipſius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
HEG. Quid tu ais, tenáxne pater eius'ſt? PHI. imò edepol pertinax.
Quin etiam vt magis noſcas, genio ſuo vbi quando ſacruficat,
C Ad rem diuinam quibus eſt opus Samiis vaſis vtitur,
Ne ipſe Genius ſurripiat. proinde aliis vt credat vide.
HEG. Sequere hàc me igitur. eadem ego ex hoc quæ volo exquęſiuero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi vt facere oportuit.
Nam ego ex hoc quo genere natus ſis, ſcio, hic faſſu'ſt mihi.
Hæc tu eadem ſi confiteri vis, tua è re feceris.
Quæ tamen ſcito ſcire me ex hoc. TYN. fecit officium hic ſuum
Cùm tibi eſt confeſſus verum. quanquam volui ſedulò
Meam nobilitatem occultare, & genus & diuitias meas,
D Hegio, quando patriam & libertatem perdidi,
Non ego iſtunc me potius, quàm te metuere æquum cenſeo.
Vis hoſtilis cum iſtoc fecit meas opes æquabileis.
Memini cum dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
Sed viden'? fortuna humana fingit artátque vt lubet.
Me, qui liber fueram, ſeruum fecit, è ſummo infimum.
Qui imperare inſueueram, nunc alterius imperio obſequor.
Et quidem ſi proinde vt ipſe fui imperator familiæ,
Habeam dominū, nō verear ne iniuſtè aut grauiter mihi imperet.
Hoc te monitum. niſi fortè ipſe non vis, volueram.
HEG. Loquere audacter. TY. tam ego fui antè liber, quàm natus tuus.
Tam mihi, quàm illi libertatem hoſtilis eripuit manus.

t

Tam ille apud nos ſeruit, quàm ego nunc hîc apud te ſeruio. A
Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus, audítque & videt.
Is vti tu me hîc habueris, proinde illum illic curauerit.
Bene merenti bene profuerit, malè merenti par erit.
Quàm tu filium tuum, tam pater me meus deſiderat.
HEG. Memini ego iſtoc. ſed faterin' eadem, quæ hic faſſu'ſt mihi?
TYN. Ego patri meo eſſe fateor ſummas diuitias domi,
Méque ſummo genere gnatum. ſed te obteſtor Hegio,
Ne tuum animum auariorem faxint diuitiæ meæ:
Ne patri, tametſi vnicus ſum, decere videatur magis,
Me ſaturum ſeruire apud te ſumtu & veſtitu tuo,
Potius quàm illi vbi minimè honeſtum eſt, mendicantem viuere. B
HEG. Ego virtute deûm & maiorum noſtrûm diues ſum ſatis.
Non ego omnino lucrum omne eſſe vtile homini exiſtimo.
Scio ego: multos iam lucrum luculentos homines reddidit.
Eſt etiam vbi profectò damnum præſtet facere, quàm lucrum.
Odi ego aurum, multa multis ſæpe ſuaſit perperam.
Nunc hoc animum aduortito, vt ea, quæ ſentio, pariter ſcias.
Filius meus illic apud vos ſeruit captus Alide,
Eum ſi reddis mihi, præterea vnum nummum ne duis.
Et te, & hunc amittam hinc, alio pacto abire hinc non potes.
TYN. Optumum & æquiſſimum oras, optumúſq. hominum es homo.
Sed is priuatam ſeruitutem ſeruit illi, an publicam? C
HEG. Priuatã medici Menarchi. PHI. pol hic quidem huius eſt cliẽs.
Tam hoc quidem tibi in procliui'ſt, quàm imber eſt, quãdo pluit.
HEG. Facis homo vt redimatur? TYN. Faciã, ſed te id oro ego Hegio.
HEG. Quid vis dum ab re ne quid ores, faciã. TYN. auſculta, tum ſcies.
Ego me amitti dónicum ille huc redierit, non poſtulo:
Verùm quæſo te, vt æſtimatũ hũc mihi des, quẽ mittã ad patrem,
Vt is homo redimatur illi. HEG. immò alium potius miſero
Hinc, vbi erunt induciæ, illuc, tuum qui conueniat patrem:
Qui tua quæ tu miſeris mandata, ita vt velis, perferat.
TYN. At nihil eſt, ignotum ad illum mittere. operam luſeris. D
Hunc mitte. hic omne tranſactum reddet, ſi illuc venerit.
Nec quenquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis ſit ſeruos ex ſententia:
Neque adeò quoi ſuum concredat filium hodie audacius.
Ne vereare, meo periculo huius ego experiar fidem,
Fretus ingenio eius, quòd me eſſe ſcit erga ſe beneuolum.
HEG. Mittam equidem iſtunc æſtimatum, tua fide, ſi vis. TYN. volo.
Quàm citiſſimè poteſt, tam hoc cedere ad factum volo.
HEG. Num qua cauſſa eſt, quin ſi ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? TY. optima. imò. HE. ſoluite iſtum nunc iam.
Atque vtrumque. TYN. di tibi omnes omnia optata afferant,
Cùm



A Cùm me tanto honore honeſtas, cúmque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud moleſtum eſt, quòd collus collaria caret.
HEG. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida eſt bonis.
Nunc tu, illum ſi illò es miſſurus, dice, monſtra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nuntiari. vin' vocem hunc ad te? TYN. voca.

EXQVISIVERO.] Sic noſtri omnes libri habent, cum vulgatis conſentiẽtes. Camerarius verò edidit, *inquiſiuero.* TIBI NE IN QVÆSTIONE ESSEMVS,] ne quærendi eſſemus, cautum abs te eſſe intelligo. vel ſic, ne cui laborandum eſſet in nobis quærendis, te cauiſſe video. CIRCVMMOENITI SVMVS.] id eſt circummuniti ſumus. antiquè dictum, vt mœri, pro muri, mœnera, pro munera, Pœnica pro punica, cœra pro cura, œſus pro vſus, &c. quæ ſunt vſurpata à Lucretio, & M. Tullio in libris de legib. de quibus plura in comment. Lucretianis. QVI CAVET, NE DECIP.] ſignificat, nunquam quemquam nimis cauere poſſe, ne decipiatur, propterea quòd plena fallaciarum, & inſidiarum ſunt omnia. quod B Horatius præclarè oſtendit Sat. 3. lib. 1. *hic fugit omneis Inſidias? nullique malo latus obdit opertum. Cùm genus hoc inter vitæ verſetur, vbi acris Inuidia, atque vigent vbi crimina? pro bene ſano, Ac non incauto, fictum, aſtutúmque vocamus.* RATV'ST:] ratus eſt: AN VERO NON IVSTA C.'ST. CVR. N.] Sic legendum, *Cur vos ſeruem*, inquam, non, vt habent omnes fere libri, *vt vos ſeruem*, &c. Sic enim loquuntur Latini, cauſa eſt, cur faciam, & ſimil. non cauſa eſt, vt faciam. PRÆSENTI PECVNIA] lib. 1. accuſation. ex edicto prætoris *pecunia præſens ſoluatur*, præſenti pecunia quis emere, ſeu mercari dicitur, cùm pretium ſoluit ſimul, & mercem accipit, neque ſolutionem in alium diem confert. NEQ. POL TIBI NOS, QVIA NOS SERV.] ſententia eſt hæc, neque pol nos te reprehendere, aut vituperare debemus, quia nos diligenter cuſtodis: neque tu nos, ſi aufugiamus, occaſione oblata. SI FVAT OCCASIO] ſi ſit occaſio. MEVS SERVATVR FIL.] Philocrates. NON IGITVR NOS S. IGN. S.] Videtur eſſe ignauus, qui in prælio capitur potius, quàm necatur: & voces illæ apud Homerum ζώγρει. ſunt ignauorum. pacem enim cum bello miſcent, qui ſe capi patiuntur, & qui ſe hoſtib. dedunt, vitæ retinendæ cupiditate ducti, &, vt Græci dicunt, φιλοψυχοῦντες. quod ſimile eſt, vt ſi quis aquam cum igni miſceat. quod fieri non debet. nam & bellum, dum bellum eſt, ſtrenuè atque acriter geri debet: & pax, dum pax eſt, ſanctè, atque inuiolatè colenda, ac retinenda C eſt. SECEDE HVC.] ſeorſum ab aliis huc veni. FALSILOQVVM.] mendacem. ID NESCIVM TR. T.] id ignoratum, & incognitum dicam tibi. quidam amicus meus putabat legendum, *id neſcius tradam tibi.* alius id neſcitum trad. tibi. ego nihil muto. quemadmodum *ignotus* ſignificat & eum, qui non eſt notus, & eum, qui non nouit: ita & neſcius poteſt ſignificare & eum, qui neſcit, & eum, qui neſcitur. NVNC SENEX EST IN TONSTR.] allegoria eſt. ſignificat autem ſenem inibi eſſe, vt à Philocrate decipiatur, & probè quaſi à tonſore attondeatur. Eſt enim allegoria ducta à tonſore. NVNC IAM CVLTR. ATT.] nunc iam, inquit Tyndarus, cultros tenet Philocrates, vt forficem, & nouaculam, quibus ſenem attondeat. id eſt, Nunc iam Philocrates habet omnia parata, quibus Hegionem decipiat. NE IS QVIDEM INVOLVCRE INIICERE VOL.] manet in allegoria. Solent tonſores eorum, quos tonſuri ſunt humeris inuolucre, ſeu inuolucrum iniicere, ne pilorum putaminibus inquinentur. Hoc igitur dicit Tyndarus, ne voluit quidem Philocrates Hegionis humeris inuolucre iniicere, hoc eſt, Philocrates ſine vlla accurata obſeruantia, & ſine vllo pudore, aut metu Hegionem decepturus, atque inducturus eſt. Inuolucre, ſeu inuolucrum, eſt linteum, quod D iniiciunt tonſores eorum, quos tonſuri ſunt, humeris, ne eorum veſtem pilis præſectis inquinent. ὠμόλινον appellant Græci. SED VTRVM STRICTÍMNE, &c.] manet in allegoria. attondere ſtrictim, eſt nouacula tondere, ſeu radere potius, quod Græci dicunt ἐν χρῷ. hoc eſt vſque ad viuam cutem. Idem Plautus in Bacchid. *itaque tondebo auro vſque ad viuam cutem.* ibid. *Is me ſcelus vſque attondit dolis doctis indoctum, vt libitum eſt.* AN PER PECTINEM,] tondêre per pectinem, eſt tondere pectine interpoſito, longius ſcilicet à cute: quod fit forfice. SI FRVGI EST,] ſi probus eſt. ADMVTILABIT PR.] non ſolùm tondebit, ſed etiam mutilabit vſq. id eſt non leniter eum decipiet, ſed prorſus, & funditus. mutilare, eſt mutilum reddere. mutili autem dicuntur boues, qui carent cornibus. MAVELIS,] malis. MEMORA MIHI.] dic mihi. Virgil. lib. 1. *Muſa mihi cauſas memora &c.* PROXIMVM QVOD SIT B. Q. Q. À M. L.] quod tale eſt, boni ſpeciem habet, & boni rationem obtinet. EVGE, POL THALEM TAL. NON EM.] verba ſunt Tyndari apud ſe, longè ab Hegione, & ſummiſſa voce, ita duntaxat, vt à ſpectatoribus exaudiatur loquentis, & Philocratis ingenium, prudentiámque laudantis: qui tam bellè ſe ſeruum antequam caperetur, fuiſſe ſimulet. Euge, inquit Tyndarus, Thalem Mileſium, vnum è ſeptem, præ hoc contemnam, & eum talento mihi addictum emere nolim: quia Philocrates cum Thale comparandus, atque adeò ei anteponendus eſt. NAM AD SAPIENTIAM HVIVS, &c.] id eſt, nam ſi Tha-

letis ſapientia cum huius ſapientia comparetur, ille maximus nugator fuit. *ad* interdum compa- A
rationem ſignificat, vt hîc,& apud Terent.in Eunuc. *at nihil ad noſtram hanc.* M. Tull.pro Deiot.
*nihil ad tuum equitatum.* Idem lib.2. de Oratore. *nihil ad Perſium.* ILLIC PHILOCRATES?]
ille Philocrates? ſic eum appellat ſenex, errans, cùm ſit Tyndarus. POLYPLVSIO.]nomen
confictum. nam πολυπλούσιος vox Græca eſt, quæ ſignificat valde diuitem, & magnopere lo-
cupletem. IPSVS HIC.] hic ipſe Polycrates. nam de eius genere tantùm antea locutus eſt.
ATQVE à SVMMIS VIRIS.] non temerè additum. nam ille demum honos eſt. ſi à bo-
nis, & magnis,& notis habitus, aut delatus eſt. TVM IGITVR, &c.]Tum deinde,ſeu,Tum
poſtea,&c. EI] Philocrati IN ALIIS] in aliis rebus. TANTA GRATIA EST,]tam
valet gratia Philocrates,tam honoratus,& gratioſus eſt apud ciueis ſuos,&c. SÚNTNE OPI-
MÆ?] diuitiæ súntne ei opimæ? id eſt, amplæ, &, vt ita dicam, pingues? ſic autem legendum
eſt, non, vt vulgò, optimæ. atque hanc meam emendationem, ſi nihil aliud probat Philocratis,
quem Tyndarum eſſe putat ſenex Hegio, reſponſio. VNDE EXCOQ. SEB. SENEX.] ita
ſunt, inquit, opimæ Philocrati diuitiæ, vt ſenex eius pater, ex eis coctis, multum ſebum elicere,
atque exprimere queat: *ſebum,* inquit Nonius, *fit ex adipe ruminantium.* Hinc quidam putant ſi-
gnificari, Philocratis patrem pecore abundare, & eius diuitias in re pecuaria eſſe poſitas. ID
ORCVM SCIRE OPORTET. SCIL.] id Orcus ſcire debet ſcilicet. Nam is deus omneis B
mortaleis vrget: & quidquid mortuum eſt, apud Orcum eſt. SALVA RES EST.] for-
taſſe alludit ad illud Salua res eſt, ſaltat ſenex. THESAVROCHRYSONICOCHRYSI-
DES] nomen proprium, fictum: iunctum ex theſauro, chryſo, id eſt auro, nice, id eſt victo-
ria, & iterum chryſo. Quòd ſi legamus, Theſaurochryſonychochryſides, erit iunctum ex the-
ſauro chryſo, onyche, id eſt vngue, &c. INDITVM] impoſitum. GERMANO NOM.]
vero nomine. PERTINAX] valde tenax. aliàs pertinax ſignificat eum, qui eſt obfirmato
animo in malis rebus, vt vult Nonius: qui opponit eum peruicaci. Peruicacem enim vult eſſe
interdum bonarum rerum. GENIO SVO SI QVANDO SACR.] ſi quando rem diui-
nam facit Genio, vt, poſteaquàm Genium placauit, ac piauit, Genio indulgeat, & animo ſuo
morem gerat, epuletur, & genialiter viuat, &c. AD REM DIVINAM QVIBVS EST
OP. SAM. V. VTI.] ordo eſt, ſamiis vaſis vtitur, iis, quibus ad rem diuinam opus eſt. Samia
vaſa, erant teſtea & fictilia. Auſonius. *Fama eſt fictilibus cenaſſe Agathoclea regem, Et menſam Samio
ſæpe oneraſſe luto.* M. Tull. lib.6. de repub. *Samiæ capedines.* Idem pro Murena. *& expoſuit vaſa Samia.*
Plautus noſter infrà in Menæch. *ne Samiæ fores ſient.* ALIIS VT CREDAT, V.] ſi non
credit vaſa aurea Genio, multo minus aliis credat. EADEM] eadem opera. EXQVÆSIVE-
RO.] id eſt, exquiſiuero. PHILOCRATES,] ô Philocrates. Philocratem nominat, qui eſt C
Tyndarus. ſed hic erat re vera Philocrates, cùm Tyndarus eſſe ab Hegione exiſtimaretur. QVO
GENERE GNATVS SIS,] quo genere natus ſis, ſcio. NON EGO ISTVNC ME PO-
TIVS, &c.] ordo & ſententia eſt, non poſtulo, ſeu non æquum cenſeo, vt iſte, Pſeudotyndarus,
me potius, quàm te, communem vtriuſque dominũ, metuat: cùm præſertim ego quoque iam
ſeruus ſim, neque amplius liber. Sic enim loquitur Tyndarus, quaſi ſit Philocrates, & vt ſi an-
tequam caperetur, liber eſſet. quòd contrà ſeruus erat. Quanquam liber natus erat, ſiquidem
Hegionis filius erat, vt diximus. Sed hoc nihil ad hanc rem pertinet. VIS HOSTILIS CVM
ISTOC FECIT M. OP. ÆQ.] vis hoſtium, qui plus potuerant, quàm Elei, fecit meas
opes iſtius fortunæ pareis. MEMINI CÙM DICTO HAVD AVD.] Memini tempus
eſſe, quo tempore ne dicto quidem me lædere audebat: nunc etiam facto lædat, licet. FOR-
TVNA H. F.] ſententia, ſiue γνώμη. fortuna, inquit, res humanas figurat ac format pro ſua
libidine, & in anguſtum redigit. È SVMMO INFIM.] fecit me è ſummo infimum. verbum,
*fecit,* bis ſumendum: hoc modo: me, qui liber fueram, ſeruum fecit, id eſt, fecit me ex libero
ſeruum, & fecit me ex ſummo infimum. Sic Sophocles in Antig. τύχη γὰρ ὀρθοῖ, καὶ τύχη κα- D
ταῤῥέπει, Τὸν εὐτυχοῦντα, τόν τε δυστυχοῦντ' ἀεί. Sic Horat. oda 35. lib.1. *O Diua, gratum, quæ regis
Antium, Præſens vel imo tollere de gradu Mortale corpus, vel ſuperbos, Vertere funeribus triumphos.* quidam
ſic explicant, & coniungunt: me qui liber fuerã, fecit è ſummo ſeruum infimũ, à quib. diſſentio
ET QVIDEM, SI PROINDE VT IPSE FVI, &c.] Et verò ſi talem, qualis ipſe fui fa-
miliæ imperator, habeam dominum, &c. id eſt, ſi habeam dominum iuſtum, & clementem, &
facilem, qualis ego fui, &c. NON VEREAR, NE INIVSTÈ, AVT GR. IN. IMP.] non
debeam vereri, ne ſe in me iniuſtum, hoc eſt iniquum, aut grauem, hoc eſt ſæuum, & intolera-
bilem dominum præbeat. HOSTILIS ERIP. MANVS.] ſuprà ſcena ſuperiore. *Pérque con-
ſeruitium commune, quod hoſtica euenit manu.* EST PROFECTÒ DEVS, QVI, &c.] Sic
Sophocles in Electra. Ἔτι μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει, id eſt,
eſt magnus in cælo Iupiter, qui omnia intuetur, & potẽtia ſua regit. HABVERIS.] tractaueris.
PROINDE ILL. C.] ita illum curauerit. FATERIN' EADEM, Q.] faterísne eadem, quæ
hic (Pſeudotyndarus) faſſus eſt mihi? NE PATRI, T. V. S. DECERE] *decere* iunxit cum dandi
caſu, vt in Amphitruone: *capiam ornatum qui potis decet.* Sententia autem horum trium verſuum
ſequentium, hæc eſt, te obteſtor, Hegio, ne meæ diuitiæ te faciant pecuniæ auidiorem,
atque ad quæſtum attentiorem, hoc eſt, ne pretium à patre meo pro meo capite maius exigas,
quàm



A quàm par ſit: vt ne, ſi ita feceris, patrem meum decere videatur, tametſi vnicus ei ſim filius, relin-
quere me apud te in ſeruitute, tuo ſumtu copioſè viuentem potius, quàm me impenſo pretio
abs te redimere, vt illic, vbi minime honeſtum eſt, nempe in patria, & apud notos, mendicus, &
egens viuam. ILLI, VBI] id eſt, illic, vbi, &c. EGO VIRTVTE DEÛM, &c.] ſic lo-
quebantur veteres, vitandæ iuſtæ deorum iræ, & indignationis gratia, quaſi res ſuas ſecundas, &
bona parta, diis accepta referẽtes, tametſi ea bona ſuo labore, ſua induſtria, ſua virtute, denique
reperiſſent, ac peperiſſent. Sic ſuprà in Aulul. *Ego virtute deûm, & maiorum noſtrorum diues ſum
ſatis.* SSIO EGO, MVLTOS IAM LVCR. LVCVLENTOS H. R.] ſic habent om-
nes noſtri libri veteres, à vulgatis non diſcrepantes, optima & planiſſima ſententia. Eſt enim
ὑποφορᾶς ſeu tacitæ obiectionis occupatio. Scio ego dicturum mihi aliquem: vel ſcio ego,
quamuis nemo mihi dicat id, quod ſequitur. Multi ex lucro clari, & illuſtres euaſerunt. Per lu-
culentos, claros, & illuſtreis ſignificat: ſed huic ſcripturæ obſtare videtur carminis lex, & men-
ſura, niſi in voce *lucrum* elidatur m. vel in hac ipſa voce luculentos, fiat πάθος ex trita l. & pro lu-
culẽtos, legatur, luclentos, vt vinclũ ſæclum, &c. pro vinculũ, ſeculũ, &c. vel in *ſcio* fiat συνίζησις,
& legatur *ſcio* μονοσυλλάβως. EST ETIAM VBI PROF.] ſolutio à contrario. Eſt etiam
tempus vel locus, inquit, in quo tempore, vel loco, &c. vel: Eſt etiam negotium aliquod, in quo,
B &c. ego illo modo mâlo. Sic Terent. Adelph. *Pecuniam in loco negligere, maximum interdũ eſt lucrum.*
MVLTA MVLTIS S. S. P.] Virg. lib.3. Æneid. *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?*
SVASIT PERPERAM.] Virg. lib.6. Æneid. *& maleſuada fames.* PRÆTEREA VNVM
NVMMVM NE DVIS.] præter filium meum, ne mihi vnum nummum dederis. AMIT-
TAM HINC.] hinc abire ſinam. hinc dimittam, ſeu miſſum faciam. SED IS PRIVA-
TAM SERVIT. S. AN PVBLIC.] verùm dic mihi: éſtne ſeruus priuati alicu-
ius hominis, an ciuitatis, ſeu reip. éſtne ſeruus priuatus, an publicus? IN PROCLIVI'ST,]
procliue eſt: facile eſt. QVÀM IMBER EST, Q. PL.] hyperbole quædam eſt prouer-
bium olens. quid enim procliuius eſſe poteſt imbri, è nubibus decidente? FACIS HOMO
VT RED.] facturus ne es vt filius meus liberetur? DONICVM ILLE H. RED.] do-
nec ille huc redierit. *donicum* antiquum, pro donec, quo & Lucretius vſus eſt non ſemel, vno ex-
emplo contentus ero, ex libro 2. *Donicum ad extremum creſcendi perfica finem, Omnia perduxit rerum
natura creatrix.* VT ÆSTIMATVM HVNC MIHI DES, Q. M.] rei, aut perſonæ æſtima-
tio hoc affert, quod res, aut perſona æſtimata perit periculo eius, cui data eſt: verbi gratia, fun-
dus dotalis æſtimatus, ab vxore marito datus, eius periculo perit. Quin Hermogenianus iuriſ-
C conſultus lib. 2. iuris ἐπιτομῶν ſcribit, & ea hodie leguntur lib.24. digeſt. titulo *ſoluto ma-
trimonio* &c. Æſtimatas res, etiam vſu mulieris, periculo mulieris deteriores fieri. Piget reſponſa
aliorum iuriſconſultorum colligere, in quibus fit mentio prædiorum æſtimatorum, & fundi
æſtimati, & ſimil. quæ exſtant hodie, cùm in aliis libris digeſto. tum in lib.23. titulo de pactis do-
talibus. Poſtulat igitur hic Pſeudophilocrates Pſeudotyndarum ſibi dari æſtimatum, vt ſi in
Elidem miſſus Philoptolemi redimendi gratia, non redierit, ſoluat ipſe Hegioni, quanti fuerit
æſtimatus: nempe xx. minas: tanti etiam æſtimabitur. Hoc enim poſtulat, vt omnem à ſe fal-
laciæ ſuſpicionem remoueat. VT IS HOMO RED. ILLI.] vt filius tuus illic redima-
tur. INDVTIÆ] de indutiis ſatis multa diximus ſuprà, in Amphitr. ibi, *Immò indutiæ parum-
per fiant.* AT NIHIL EST, IG.] id eſt, at nihil proderit, ignotum hominem ad patrem
mittere. vel ſic, At inanis, & inutilis labor eſt, ignotum hominem ad patrem mittere. OPE-
RAM LVSERIS.] inanem operã ſumſeris. fruſtrà miſeris. HVNC MITTE] mitte hunc,
nempe, Tyndarum, hoc eſt, eum, qui Tyndari veſtitum, & nomen gerit, & quem Tyndarum pu-
tat eſſe Hegio, qui non eſt Tyndarus, ſed Philocrates. TRANSACTVM REDDET,] con-
fectum reddet. NEC QVI MAGIS SIT SERVVS EX S.] nec quemquam qui ſit
D ſeruus ei gratior, atque acceptior. NE VEREARE, MEO PERIC. &c.] vel ſic licet ex-
plicare, quæſo ne verearis meo peric. &c. vel ſic, Ne forte verearis, meo periculo huius fidem ex-
periar. MEO PERIC. H. FIDEM EXP.] id eſt, committam hoc negotium, huius fidei,
ea lege, vt, ſi fidem non ſeruet, periculũ præſtem, & tantum, quanti à te æſtimabitur, tibi ſoluam.
FRETVS INGENIO EIVS.] confiſus eius naturæ bonitate. TVA FIDE,] te ſpon-
ſore, ſiue fideiuſſore, vt vulgò loquimur. CEDERE AD FACTVM] id eſt, fieri, ſeu per-
duci ad effectum, ſeu à verbis ad factum procedere, ac peruenire. NVM QVA CAVSA
'ST, QVIN SI ILLE, &c.] hîc contrahitur verborum obligatio, quæ ſtipulatio appella-
tur. VIGINTI MINAS] viginti minis igitur æſtimatur Thilocrates, quem putat
ſeruum eſſe, & Tyndarum appellari ſenex Hegio. OPTIMÈ.] ſic legendum: & ita ha-
bent noſtri ferè omnes libri manuſcript. cum vulgatis conſentientes. *optimè*, ſubintell. dicis.
Nulla cauſa eſt, quin dem 20. minas pro illo, quem ad patrem miſſurus es, ſi non reuer-
tatur. IMMÒ.] aliquid aliud erat dicturus Tyndarus, ſeu Pſeudophilocrates, niſi inter-
pellaſſet Hegio. QVÒD COLLVS COLLARIA CARET.] Nonius collum neu-
tri generis eſſe Virgilius docet. *Et colla comantia pectunt.* eſſe maſcul. Accius Epigono. *Quid ceſſò ire
ad eam? hem præſtò eſt. camo collum grauem.* Næuius in Col. *Vtrùm ſcapulæ plus, an collus calli habeat, neſcio.*
Profert & illud, quod eſt in Amphitr. *Malæ, mentum, barba, collus,* &c. vbi tamen vulgò, & in manu-

ſcript. legitur *collum.* COLLARIA CARET] collaria, ſeu collare, vinculum, quo collũ vincitur. Nonnulli *collario* legunt. ſed libri manuſcr. omnes habent *collaria.* Lucilius lib. 29. *Cum manicis, catulo, collarique vt fugitiuum Deportem.* QVOD BONIS BENEFIT BENEF. GRATIA EA GR. EST B.] ordo, & ſententia huius ſententiæ hæc eſt. beneficium, quod benefit bonis, id eſt, quod confertur in bonos, ea gratia; id eſt, id beneficium, grauida eſt bonis, id eſt, refertum eſt bonis, & bona parit, ei ſcilicet, qui beneficium illud contulit. *beneficium benefit.* eſt atticiſmus. qualia ſunt illa: currere curſum, machinari machinam, nomen nominare, militiam militare, pugnam pugnare, &c. & apud Grçcos νείκεα νεικεῖν, πλοῦτον πλουτεῖν, ἑστιᾶν ἑστιάσιν, τάττειν τάξιν, &c. Ne quis autem miretur, Plautum, cùm vſus eſſet nomine beneficij, cúmque deberet id nomen retinere, aliud ſumſiſſe, ídque diſſimilis generis: (ſic enim videbatur loqui debuiſſe,) Quod bonis benefit beneficiũ, id beneficium grauidum eſt bonis: dico Plautum ſumſiſſe nomen, quod idem ſignificaret: ídq; ei ſatis fuiſſe. nam gratia hoc loco, eſt quam Græci χάριν appellant: quæ vox interdum εὐεργεσίαν, id eſt, beneficium ſignificat. DICE] dic ei, quæ velis ad patrem tuum ab eo perferri. MONSTRA,] præmonſtra, doce. PRÆCIPE] præſcribe, à præcipiendo, præceptores dicti, quorum eſt diſcipulum inſtituere, & docere, & voce præire. A

B

## HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARVS.

HEG. Quæ res bene vortat mihi, meóque filio,
Vobíſque, volt te nouus herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te æſtumatum huic dedi viginti minis,
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum vt illic redimat filium, mutatio
Inter me atque illum vt noſtris fiat filiis.
PHI. Vtroque vorſum rectum eſt ingenium meum.
Ad te, atque ad illum pro rota vti me licet. C
Vel ego huc, vel illuc vortar, quò imperabitis.
HEG. Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
Cùm ſeruitutem ita fers, vti ferri decet.
Sequere hàc, hem tibi hominem. TYN. gratiam habeo tibi,
Quom copiam iſtam mihi & poteſtatem facis:
Vt ego ad parenteis hunc remittam nuntium,
Qui me quid rerum hic agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita conuẽnit inter me atque hunc, Tyndare,
Vt te æſtumatum in Alidem mittam ad patrem. D
Si non rebitas huc, vt viginti minas
Dem pro te. PHI. rectè conueniſſe ſentio.
Nam pater exſpectat aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad ſe veniat. TYN. Ergo animum aduortas volo,
Quæ nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.
PHI. Philocrates vt adhuc locorum feci, faciam ſedulò,
Vt potiſſimùm quod in rem rectè conducat tuam,
Id petam, ídque perſequar corde & animo, atque viribus.
TYN. Facis ita vt te facere oportet. Nunc animum aduortas volo,
Omnium primùm ſalutem dicito matri ac patri,
Et cognatis, & ſi quem alium beneuolentem videris.





A Me hic valere & ſeruitutem ſeruire huic homini optumo,
Qui me honore honeſtiorem ſemper fecit & facit.
PHI. Iſtuc ne præcipias, facile memoria memini. TYN. tamen.
Nam equidem niſi quòd cuſtodẽ habeo, liberũ me eſſe arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc conuenerit,
De huius filio. PHI. quæ memini, mora mera eſt monerier.
TYN. Vt eum redimat, & remittat noſtrûm huc amborum vicem.
PHI. Meminero. HEG. at quamprimum poteris, tam in rem vtrique eſt maxumè.
PHI. Non tuum tu magis videre, quàm ille ſuum gnatum cupit.
HEG. Meus mihi, ſuus cuique eſt carus. PHI. nunquid aliud vis
B patri
Nuntiari? TYN. Me hîc valere, & tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili,
Neque te commeruiſſe culpam, neque me aduerſatum tibi,
Benéque hero geſſiſſe morem in tantis ærumnis tamen.
Neque medunquam deſeruiſſe te neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. hæc pater quando ſciet,
Tyndare, vt fueris animatus erga ſuum gnatum atque ſe,
Nunquam erit tam auarus, quin te gratiis emittat manu.
Et mea opera, ſi hinc rebito, faciam vt faciat facilius.
Nam tua opera, & comitate, & virtute, & ſapientia,
C Feciſti vt redire liceat ad parenteis denuò,
Cùm apud hunc confeſſus es & genus & diuitias meas.
Quo pacto exemiſti è vinclis tuum herum, tua ſapientia.
PHI. Feci ego iſta vt commemoras: & te meminiſſe, id gratũ eſt mihi.
Meritò tibi ea euenerunt à me. nam nunc Philocrates,
Si ego item memorem quæ med erga multa feciſti bene,
Nox diem adimat. nam ſi ſeruus meus eſſes, nihilo ſecius
Obſequioſus mihi ſemper fuiſti. HEG. di voſtram fidem,
Hominum ingenium liberale, vt lacrymas excutiunt mihi.
Videas corde amare inter ſe. quantis laudibus ſuum herum
D Seruus collaudauit? PHI. pol iſtic haud me centeſimam
Partem laudat, quàm ipſe meritus'ſt, vt laudetur laudibus.
HEG. Ergo cum optimè feciſti. nunc adeſt occaſio,
Benefacta cumulare, vt erga hunc rem geras fideliter.
PHI. Magis non factum poſſum velle, quàm opera experiar perſequi.
Id vt ſcias, Iouem ſupremum teſtem laudo Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. HEG. probus es homo.
PHI. Nec me ſecus vnquam ei facturũ quicquam, quàm memet mihi.
TYN. Iſtæc dicta te experiri & operis & factis volo.
Et quò minus dixi de te, quàm volo, animum aduortas volo.
Atque horunc verborum cauſſa, caueto mihi iratus fuas.
Sed te, quæſo, cogitato, hinc mea fide mitti domum,

Te æſtimatum, & meam eſſe vitam hîc pro te poſitam pignori. A
Ne tu me ignores, cùm extemplò meo è conſpectu abſceſſeris:
Quom me ſeruom in ſeruitute pro te hîc dereliqueris:
Túque te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras.
Neque des operam pro me, vt huius reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti æſtimatum mittier.
Fac fidelis ſis fideli, caue fidem fluxam geras.
Nam pater, ſcio, faciet, quæ illum facere oportet omnia.
Serua in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inuentum inueni.
Hæc per dexteram tuam te dextera retinens manu
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego ſum tibi.
Tu hoc age, tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater. B
Tibi commendo ſpes, opéſque meas. PHI. mandauiſti ſatis.
Satin' habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? TYN. ſatis.
PHI. Et tua, & tua, huc ornatus reueniam ex ſententia.
Nunquid aliud? TYN. vt quamprimum poſſis, redeas. PHI. res monet.
HEG. Sequere me, viaticum vt dem hinc à trapezita tibi,
Eadem opera à prætore ſumam ſyngraphum. TYN. quem ſyngraphum?
HEG. Quem hic ferat ſecum ad legionem, hinc ire huic vt liceat domũ.
Tu intrò abi. TYN. bene ambulato. PHI. bene vale. HEG. edepol rem meam C
Conſtabiliui, cum illos emi de præda à quæſtoribus.
Expediui ex ſeruitute filium, ſi dis placet.
At etiam dubitaui hos homines emerem. an non emerem, diu.
Seruate iſtum ſultis intus ſerui, ne quóquam pedem
Efferat ſine cuſtode. iam ego apparebo domi.
Ad fratrem modò capteiuos alios inuiſo meos.
Eadem per contabor, ecquis hunc adoleſcentem nouerit.
Sequere tu, te vt amittam. ei rei primùm præuorti volo.

QVÆ RES BENE VORTAT, &c.] Bene ominandi cauſa. Sic loquebantur veteres initio rei gerendæ. tale eſt illud, quod omnibus rebus agendis præfabantur, *Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit.* NOVVS HERVS] ego Hegio. de ſe loquitur in tertia perſona. TVO VETERI DOMINO,] Philocrati. Nam quamuis alloquatur Philocratem, tamen eum putat eſſe Tyndarum ſeruum, & Tyndarum eſſe Philocratem. HVIC] Philocrati, vt quidem exiſtimat Hegio. AD PATREM] ſuum. MVTATIO INTER ME ATQ. ILL. VT N. F. F.] id eſt, vt ego & ille permutemus inter nos filios noſtros: ego, eius filio liberato, meum reciperem: ille, meo dimiſſo, ſuum. ATQVE ILLVM] & illum, patrem Philocratis. VTROQ. VORSVM RECT. ING. M.] ingenio ſum in vtramque partem idoneo, & habili. profert hunc verſum Priſcianus lib. 15. PRO ROTA] vice rotæ, tanquam rota, quæ in quamlibet partem verti poteſt. ſignificat ſe eſſe verſutum, & verſatilem inſtar rotæ. EA] ea ratione: ſeu ob eam cauſam. TVOPTE INGENIO] tuopte ingenio, dandi caſus eſt. HVNC REMIT. NVNCIVM.] remittam hunc, nempe Tyndarum falſo nomine, qui re vera eſt Philocrates. QVI ME QVID RERVM, &c.] Helleniſmus. Nam Latino more dixiſſet, Qui quid ego rerum hîc agitem, & quid fieri velim, omnem rem patri meo illuc ordine perferat. TYNDARE.] Sic appellat Tyndarus ipſe Philocratem, quem Tyndarum eſſe putat Hegio. SI NON REBITAS HVC] Si non redeas huc. *betere* antiquum, hoc eſt ire. D



A tunc rebitere, perbitere, præterbitere, hoc eſt, redire, perire, præterire. Pacuuius in Nipteis. *Vos hinc defenſum patriam in pugnam betite.* Idem in Medo. *ſi reſtō, pergit iter: tum ſi ire conor, prohibet betere.* Liuius Tereo. *Ego puerum interea ancillæ ſubdam lactantem meæ, Ne fame perbitet.* Ennius in Hecuba, *Nunquam ſcripſiſtis, qui parentem, aut hoſpitem necaſſet, quo quis cruciatu perbiteret.* Hæc ex Nonio in *Betere, & perbitere.* Plautus Curcul. *qui me in terra æquè Fortunatus erit, ſi illa ad me betet, Palinure? betet* id eſt, ibit. Idem in Trucul. *moriere ocyus, ſi viam beteris.* Idem infrà ead. comœd. *Qui per virtutem perbitat, non interit.* NAM PATER EXSP.] pater tuus, vt vult intelligi ab Hegione. PHILOCRATES] Philocratem appellat eum, qui eſt Tyndarus, cùm ſit ipſe Philocrates: de quo ſæpè lectorem admonemus, vt magis meminerit. VT ADHVC LOCORVM F.] vt vſque ad hoc tempus. BENEVOLENTEM] beneuolum. Vſitata vox Plauto. ſic Ciſtell. *ſed ſe quandam agebat mulierem Suam beneuolentem conuenire etiam prius.* Idem in Bacchid. *Nam ille amico, & beneuolenti ſuo ſodali ſedulò Rem mandatam exſequitur.* Terent. Phorm. actus 1. ſcena 2. *Ea ſita erat ex aduerſo. neque ei beneuolens, Neque notus, neque cognatus, extra vnam aniculam.* &c. Hoc totum autem, & ſi quem alium beneuolentem videris, valet, &, quemcunque alium beneuolentem videris. HOMINI OPTIMO.] Hegioni. homini optimo autem notãdum, nam rarius dicitur, quàm viro optimo. B ſic tamen infrà eadem fab. *Propter meum caput labores homini eueniſſe optimo.* QVI ME HONORE HONESTIOREM S. F.] qui me honore magis, ac magis honeſtauit, atq; honeſtat. ISTVC ME PRÆCIPIAS.] quæſo, ne mihi iſtuc præmonſtres, néve me doceas. quia memoria teneo. MEMORIA MEMINI.] genus loquendi Plautinum, & iam anteà à nobis indicatum, quo nomen cùm verbo, ſeu participio iungitur eiuſdem originis: quale eſt illud, quod eſt ſuprà, *honore honeſtare*, & infrà ead. ſcena, *laudetur laudibus.* & in Curcul. *iratus iracundia.* &c. TAMEN.] quamuis probè memineris, præcipiam tibi tamen. NAM EQVIDEM, NISI QVÒD CVST.] ſic eſſe legendum, & Latini ſermonis conſuetudo, & carminis lex peruincunt. Nam vulgò ſic legitur, mendoſè. *Nam quidem*, &c. CVSTODEM] φύλακα. cuſtodem mihi additum, ſeu appoſitum. QVÆ MEMINI, MORA M. EST MON.] memorem mones. qui autem memorem monet, moratur eum, quem monet, & tempus fruſtra conterit. AT, QVÀM PRIMÙM POTERIS, TAM IN REM VTRIQ. EST M.] ſic reſtitui, ſecutus partim vulgatos codices, partim manuſcr. ſententia autem plana eſt. hoc enim ſignificat, quo citius hoc confeceris, eo magis vtique profueris. quàm primùm, tam maximè. ſic dicunt Latini, vt, quàm magis, tam magis. ſic autem habent omnes ferè libri manuſcr. *at quam primùm poteris iſtuc in rem vtrique eſt max.* quæ ſcriptura ſine dubio mendoſa eſt. nam, vt de ſententia, & Latini ſer- C monis ratione nihil dicam, verſum corrumpit. vox *iſtuc* autem, nata eſt, vt arbitror, ex poſtrema ſyllaba vocis *poteris*, & ſequente particula *tam.* Ita hic verſus corruptus fuit. Iam vulgata lectio, à qua abeſt verbum *poteris*, ferri non poteſt. MEVS MIHI, SVVS CVIQ. EST CARVS] etiam ſui ſimiæ catuli, pulcherrimi, & cariſſimi ſunt. *Quin ſua cuique ſponſa*, inquit M. Tull. lib. 15. epiſt. ad Attic. *placet, mihi mea: ſuus, cuique amor, mihi meus.* Eodem pertinet illud Ariſtotelis, aduerſus communitatem vxorum, & liberorum, & bonorum Socraticam diſputantis, lib. 2. politic. cap. 3. *Præterea* ( mea enim Latina ponam ) *nemo dicendo conſequi poßit, quantum referat ad voluptatem, exiſtimare aliquid eſſe propriè ſuum. non enim fruſtrà ipſe erga ſe amicitiam vnuſquiſq. gerit. ſed hoc à natura eſt inſitũ.* ET TVTE AVD. DICITO. T.] & tu ipſe ne dubitato dicere, nos inter nos fuiſſe ingenio concordi, ſeu concordiam inter nos coluiſſe. HAVD DISCORDABILI.] haud diſcordi. BENÉQ. HERO GESS. M.] & te bene geſſiſſe mihi hero tuo etiam in tantis ærumnis. IN TANTVM ÆRVMNIS TAMEN.] id eſt, mihi quamuis in tantis ærumnis conſtituto, non defuiſſe tamen. NEQ. MED VNQVAM DEST. TE NEQ. F. &c.] ἀμφιβολία. ſed hæc ſententia eſt, & dicito te nunquam me deſeruiſſe, ſeu nunquam à me receſſiſſe, ſeu nunquam mihi defuiſſe, neque re, neque fide: dicito me nunquam à me deſertum eſſe, neque re, neque fide- D litate. *Iam med vnquam*, pro me vnquam etiam vſitatè dictum. d. interpoſito inter duas vocales duarum vocum. REBVS IN DVB. EGENIS] ἀσυνδετον. in rebus dubiis, & egenis, id eſt, in periculis, & in temporibus difficilibus, ac neceſſariis. quibus temporib. maxime explorantur, & ſpectãtur amici veri, ac falſi. Ennius. *Amicus certus in re incerta cernitur.* VT FVERIS ANIMATVS, &c.] quo animo fueris erga ſuum gnatum, & erga ſe, &c. GRATIIS] ſine vllo pretio. EMITTAT MANV.] liberet, manumittat. SI HINC REBITO] ſi hinc in patriam redeo. REDIRE LICEAT AD PAR. DEN.] *redire denuo.* pleonaſmus. QVO PACTO EXEMISTI È VINCLIS] malim legi, *Quo facto*: atque ita prorſus legendum arbitror. Quo facto, inquit, exemiſti, id eſt, eripuiſti, è vinclis tuum herum, me ſcilicet, &c. *exemiſti* autem edendum curaui, vnius libri veteris auctoritatem ſecutus: quam adiuuant exempla. ſic enim ſuprà eadem comœd. ſcena ſuperiore: *cúmque ex vinclis eximis*, &c. & ſcena, quæ incipit, *Si dij immortales*, &c. ibi. *Si vos eximat è vinculis*, &c. MED ERGA.] erga me ἀναστροφή. NOX DIEM ADIMAT.] dies me deficiat, vt loquitur Cicero. Virgil. autẽ ſic, lib. 1. Æn. *Ante diem clauſo componet veſper Olympo.* OBSEQVIOSVS.] morigerus. ad obſequendum promtus, ac paratus. VT LACRYMAS EXCVTIVNT MIHI?] quo modo me vel inuitum lacrymare cogunt? ſic loquitur & Terent. in Heaut. *Lacrymas excußit mihi, Miſerétque me eius.* VIDEAS CORDE AM.?] videre poſſis, eos amare inter ſe ex animo, corde, τῇ καρδίᾳ κῆρι. ISTIC]

iſte. CENTESIMAM PARTEM] ex centeſima parte. QVAM MERITV'ST, &c.] A notandum loquendi genus: *haud me centeſimam partem laudat, quàm vt meritus eſt*, &c. hoc eſt, centum partibus magis à me laudari meritus eſt, quàm ego ab eo laudor, ſeu laudatus ſum. LAVDETVR LAVDIBVS] etiam de hoc genere lectorem admonuimus. BENE FACTA CVMVLARE] beneficia augere, & amplificare: bene factis ſuperioribus alia addere. MAGIS NON FACTVM P. V.] ordo eſt, Non magis poſſum f.v. id eſt, non magis poſſum cupere id effectũ reddere, quod dico, quam re enitar, vt fiat. TESTEM LAVDO] teſtẽ appello, ſeu nomino. & ita Nonius, qui hunc locum profert. Et Gellius lib.2.cap.6. quo loco Virgilium defendit aduerſus grammaticos quoſdam, qui reprehendebant illud, *Aut illaudati neſcit Buſiridis aras? Laudare*, inquit, *ſignificat priſca lingua nominare, appellaréque. Sic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod eſt nominari. illaudatus enim eſt, quaſi illaudabilis, & innominabilis: qui neque mentione, aut memoria vlla dignus, neque vnquã nominandus eſt*, &c. Hæc eadem ferè Macrobius poſuit lib.6. Saturnalium cap.7. *Herennius Modeſtinus* lib.5. reſponſorum, (quæ verba relata ſunt in librum 21. Digeſtorum tit. de euict. & dupl. ſtipul.) *Caia Seia fundum à L. Titio emerat, & quæſtione mota, fiſci nomine, auctorem laudauerat: & euictione ſecuta, fundus ablatus, & fiſco adiudicatus eſt, venditore præſente, quæritur*. &c. Ad quem locum Budæus in annot. in Pandect. ISTHÆC DICTA TE EXPERIRI, &c.] ſic habent noſtri libri veteres omnes: ſic edidit Camer. quæ ſcriptura, ſi recta, & incorrupta eſt, verba ſunt B veri Tyndari ad Hegionem: ſed malim legi, *Iſthæc dicta me exper.* &c. *volo me experiri* autem antiquè dictum, pro *volo experiri*: de quo alibi. libri vulgati neutrum habent, neque *te*, neque *me*. OPERIS, ET F.] operis & numeri multitudinis, ſeptimi caſus à recto ſingul. *opera, æ*. IRATVS FVAS] iratus ſis. MEA FIDE] me ſponſore, ſeu fideiuſſore. ſponſor enim & fideiuſſor pro te interceſſi. TE ÆSTIMATVM,] ſubintellige, aut repete ἀπὸ κοινοῦ eſſe. MEAM VITAM] ſupra meum caput. POSITAM PIGNERI,] oppigneratam, pignori oppoſitam: ita vt ſi non redeas, ego domino minas xx. quanti æſtimatus es, debeam. NE TV ME IGNORES] fac, vel vide, vel quæſo, ne tu me quaſi ignotum, negligas. CVM EXTEMPLO MEO È C.] ſimulátque è meo conſpectu diſceſſeris. TVQ. TE PRO LIB.] & ne tu te pro libero, id eſt, tanquam liberum eſſe ducas: vel ne tu te pro libero geras, qui liber non es, & me, qui pro te pignori oppoſitus ſum, deſeras. NEQ. DES OPERAM, &c.] pendet & hic, & ſuperior verſus ab illo. *Ne tu me ignor*. Itaque repetita *ne* particula, ſic locus explicandus. & vide, ne non des operam pro me, vt huius filiam reducas. FAC FIDELIS SIS FIDELI] ſic habent omnes libri noſtri veteres. Nonius tamen legit, *Fac fidele*, & *fidele* ait poſitũ pro *fideliter*, hunc locum proferens. Ego Nonium falli puto, vt in multis. Ex eo tamen, quod ita legit Nonius, puto ſcriptum eſſe à Plauto, mutato verborũ ordine, *Fac fideli, ſis fidelis*: Sed hoc leue eſt. C CAVE FIDEM FLVXAM G.] fluxam, id eſt, incertam, mutabilem, infirmam, & inſtabilem. tralatio eſt à liquoribus. fluxum enim propriè ῥευστόν. Hoc eſt, quod natura fluit, qualis eſt aqua. hinc *belli fortuna fluxa*, dicta à M. Tullio in epiſt. ad Brutum libro ſingul. & à Salluſtio in procem. hiſt. coniurat. Catilin. *diuitiarum & formæ gloria, fluxa, atque fragilis*. SERVA IN PERPETVVM TIBI] Nihil hîc mutaui præter verborum ordinem. Nam libri vulgati ſic habent, *Serua tibi in perpet.* &c. quam lectionem lex carminis reſpuit. ATQ. HVNC INVENTVM INVENI] atque inueni hunc Hegionem, iam inuentum, id eſt, & para tibi amicum Hegionem iam paratum, & quæſitum, ſi officium tuũ facies, & ſi fidẽ ſeruabis. PER DEXTERAM T.] dextera fidei ſedes. Homer. ἰλ. ω. Ἔσται τοι καὶ ταῦτα γέρον Πρίαμ᾽, ὡς σὺ κελεύεις· Σχήσω γὰρ τόσσον πόλεμον χρόνον, ὅσσον ἄνωγας. Ὣς ἄρα φωνήσας ἐπὶ καρπῷ χεῖρα γέροντος Ἔλλαβε δεξιτερήν, μή πως δείσει ἐνὶ θυμῷ. hoc eſt, Hæc tibi ſenex Priame, vt poſtulas, cõtingẽt, inquit Achilles: bellum enim tandiu morabor, & intermittã, quãdiu à me petiuiſti. Sic locutus Achilles manũ ſenis dextram ad iuncturã prehendit, ne quo pacto in animo metueret. Virg. lib.3. Æn. *Ipſe pater dextrã Anchiſes haud multa moratus, Dat iuueni, atque animum præſenti pignore firmat*. qua de re Seruius ibidẽ, D paullo antè, ibi. *Dixerat: & genua amplexus, genibúſque volutans Hærebat*, &c. NE FVAS] ne ſis. TV HOC AGE.] Tu hoc negotium, quod tibi mandaui, diligenter cura, & in eo conficiendo totus eſto. SATIN' HABES, MANDATA, QVÆ SVNT, F. SI REF.] Satíſne habes, id eſt, eóne contentus eris, ſi ea refero confecta, quæ mihi mandaſti? ET TVA, ET TVA,] & tua Hegionis, & tua Philocratis. ORNATVS] inſtructus. nempe Philoptolemum reducens pro Philocrate. NVNQVID ALIVD?] ſubintelligendum vis? vox abeuntis, aut abire parantis. VT QVAMPRIMÙM POSSES, RED.] putabam olim legendum, *vt cùm primùm poſſis*: ſed nunc aliud ſentio. Nam quàm primùm poſſis, ita dictum, vt illa, quàm citiſſimè poſſis, quàm celerrimè poſſis, &c. SYNGRAPHVM.] Diploma ſignificat, per quod liceat Pſeudotyndaro tempore belli ire in Elidem. ÆDEPOL REM MEAM CONSTABILIVI, &c.] ſic loquitur Terentius Adelphis. *Dis quidem eſſes, Demea, ac rem tuam conſtabiliſſes.* EXPEDIVI] eripui, exemi, impeditum liberaui. SI DIIS PLACET.] ſi dij approbant: ſi dij volunt. diis volentibus. Interdum, ſi diis placet εἰρωνικῶς vſurpatur. AT ETIAM DVBITAVI, HOS HOM.] proinde ac ſi dicat: ſtultus fui, qui dubitaui. Nullo enim pacto dubitare debui: hos captiuos emerem, an non emerem. SVLTIS,] ſi voltis. NE QVÓQVAM PEDEM EFFERAT,] ne quò exeat. Cicero lib.7. epiſt. ad Attic. de Bibulo loquẽs: *illum*



A *illum, qui pedem porta, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulit*, &c. APPAREBO DOMI.] præſtò ero domi. comparebo domi. Hinc dicuntur apparitores, quia ſemper apparent Prætoribus, & Conſulibus. EADEM PERC.] eadem opera percontabor, &c. ECQVIS] num quis. HVNC ADOLESC.] quem Hegio putat eſſe Philocratem, cùm ſit Tyndarus Philocratis ſeruus, idémque ipſius Hegionis filius. TE VT AMITTAM,] te vt abſoluam, & expediam, ſumta à trapezita pecunia, quam tibi dem in viaticum. EI REI PRIMÙM PRÆVERTI V.] eam rem primùm tranſigere volo, ante alias res omneis, te primùm omnium rerum amittere volo.

## ERGASILVS PARASITVS.

MIſer homo eſt, qui ipſe ſibi quod edit, quærit, & id ægrè inuenit.
Sed ille eſt miſerior, qui & ægrè quærit, & nihil inuenit.
B Ille miſerrimus eſt, qui cùm eſſe cupit, quod edit, non habet.
Nam hercle ego huic diei ſi liceat oculos effodiam libens,
Ita malignitate onerauit omneis mortales mihi.
Neque ieiunioſiorem, neque magis effertum fame
Vidi: nec cui minus procedat, quicquid facere occeperit.
Itaque venter guttúrque reſident eſuriales ferias.
Ilicet paraſiticæ arti in maxumam malam crucem,
Ita iuuentus iam ridiculos, inopéſque ab ſe ſegregat.
Nihil morantur iam Laconas imi ſubſellij viros,
Plagipatidas, quibus ſunt verba ſine penu & pecunia.
C Eos requirunt, qui libenter cùm ederint, reddant domi.
Ipſi obſonant, quæ paraſitorum antè erat prouincia.
Ipſi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
In tribu quàm aperto capite ſonteis condemnant reos:
Neque ridiculos iam teruncij faciunt: ſeſe omnes amant.
Nam vt dudum hinc abij, acceſſi ad adoleſcenteis in foro:
Saluete, inquam, Quò imus vnà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait hoc, aut quis profitetur, inquam? quaſi muti ſilent.
Neque me rident, vbi cœnamus, inquam? atque illi abnuunt.
Dico vnum ridiculum dictum, de dictis melioribus,
D Quibus ſolebam menſtrualeis epulas antè adipiſcier.
Nemo ridet. ſciui extemplò rem de compacto geri.
Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier.
Saltem ſi non arriderent, denteis vt reſtringerent.
Abeo ab illis, poſtquam video me ſic ludificarier.
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: vna res.
Omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro olearij.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alij paraſiti fruſtra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum eſt ius meum omne perſequi.
Qui concilium iniere, quo nos victu & vita prohibeant,
His diem dicam, irrogabo multam, vt mihi cœnas decem

Meo arbitratu dent, cùm cara annona ſit. ſic egero. A
Nunc ibo ad portum hinc. Eſt illic mihi vna ſpes cenatica.
Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem, ad cenam aſperam.

QVOD EDIT,] quod comedat. edit modi coniunctiui: *edim, edis, edit.* SED ILLE EST MISERIOR, &c.] climax. CVM ESSE CVPIT,] cùm comeſſe cupit, cùm eſurit. In hoc ipſo ineſt miſeria extrema, ſi quis nõ habeat, quod edat, ſeu edit, cùm eſurit. Nam ſuperiores duo quærunt: atque eorum alter ægrè inuenit: alter nihil inuenit, poſteaquam diu quæſiuit, ſed non quo tempore eſurit. OCVLOS EFFODIAM LIB.] libenter lucem eripiam: tranſlatio eſt. libenter, inquit, hunc diem luce priuem, quia hodie neminem nactus ſum, qui me paſceret, aut qui me ad cenam vocaret. ITA MALIG. ONER. OMN. M. M.] ita omneis homines reddidit in me illiberaleis, ac malignos. NEQ. IEIVNIOSIOREM, &c. neque vidi diem ieiunij pleniorem, neque fame refertiorem: quia totum hunc diem, quod mihi nunquam antea contigit, ieiunus, ac famelicus fui. RESIDENT ESVRIALEIS FERIAS] reſidêre, & ſedêre interdum eſt quieſcere, & opus intermittere, & à rebus agendis ſuperſedere: quod feriis, & feſtis diebus licebat. hinc reſides. Varro lib. 5. de lingua Latina. Liberalia dicta, quòd per totum oppidum eo die ſacerdotes liberi, hedera coronatæ anus cum libis, B & foculo pro rep. ſacrificantes. reſident igitur eſurialeis ferias dixit Plautus pro eo, quod eſt, agitant ferias, quæ eſuritioni, ſeu eſuriei dicatæ ſunt: quod nihil aliud eſt, quàm quieſcunt, & ceſſant ab edendo, & bibendo, eſurialeis autem ferias dixit, ficto ab eſuriæ vocabulo. Sic ferè hunc locum explicat Adr. Turneb. comment. lib. 1. de legib. Illud præterea animaduertendum eſt, reſident ferias: eſſe atticiſmum, quaſi dictum ſit feriantur ferias. ILICET PARASITICÆ ARTI IN MAX. M. CR.] id eſt, abeat ars paraſitica in maximam malam crucem, valeat ars paraſitica, atque adeò dij eam malè perdant. *Ilicet*, vox, quam vſurpabat præco, cùm vel de conſilio iudices, vel de concilio populus dimittebatur, re ſcilicet tranſacta, ac terminata. Itaque finem rei ſignificat, quemadmodum & actum eſt. RIDICVLOS,] eos, qui riſum mouent: & qui riſu mouendo cibum quærunt, paraſitos. NIHIL MORANTVR IAM LACONAS, &c.] nihil iam curãt paraſitos. Paraſitos appellat Laconas, quia, vt pueri Lacedæmonij, ſic & paraſiti plagas, & verbera perferre aſſueſcunt. Itaque infrà non longè, hos plagipatidas appellat, id eſt, plagarum patienteis, ſeu perferenteis: quod & Lacedæmoniis, & paraſitis conuenit. Horat. oda 7. lib. 1. *Me nec tam patiens Lacedæmon*, &c. ad quem locum hac de re plura. IMI SVBSELLII VIROS.] qui accumbunt in imo ſubſellio. Sic loquitur in Sticho. *Scis tu med eſſe* C *imi ſubſellij virum*. Horat. Sat. 8. lib. 2. *ſecutis omnibus imis*. Idem epiſt. 18. lib. 1. *Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi Deriſor lecti*, &c. Vbi nos hac de re ſat multa. Accumbebant autem plerunque paraſiti in imis lectis, & minus honoratis locis: PLAGIPATIDAS] nomen à Plauto factũ. qui nihil habẽt præter verba: & qui eos viciſſim ad cenam vocare non ſolent, à quibus antè vocati, & benè accepti ſunt. Quid ſit penus, & quid appellatione penus, ſeu penoris contineatur, docent Iuriſconſulti lib. 33. digeſt. tit. de penu legata, & A. Gell. lib. 4. cap. 1. EOS REQVIRVNT,] eos ad cenam vocant. QVI LIBENTER CVM EDERINT,] qui cùm iucundè comederint, & bene accepti fuerint, vocẽt viciſſim eos, apud quos iucundè epulati fuerunt, domum ſuam. M. Tull. lib. 2. de Finib. *Et tamen non negat libenter vnquam cenaſſe Gallonium (mentiretur enim) ſed bene. Ita grauiter, & ſeuère voluptatẽ ſecernit à bono. Ex quo illud efficitur, qui benè cenent, omneis libenter cenare: qui libenter, non continuò benè.* Lucilius. *quid bene? cocto, Condito, ſermone bono: ſi queri' libenter.* IPSI OBSONANT:] ipſi obſonium parant, ſeu emunt. TAM APERTO CAPITE,] id eſt, tam ſine pudore: tam confidenter, tam depoſito omni pudore: cõtrà, operto capite, id eſt, vt Græci dicunt ἐγκαλυψάμενος. Horat. Sat. 3. lib. D 2. *Nam malè geſta cùm vellem mittere aperto Me capite in flumen*, &c. Plautus Moſtellaria. *caue reſpexis. fuge, atque operi caput.* operiebant caput, qui mortẽ ſibi conciſcere volebant, & quos alicuius ſpeciei, aut dicti, factíve pudebat. NEQ. RIDICVLOS IAM TERVNCII FACIVNT.] neque eos, qui riſum mouent, hoc eſt, paraſitos iam flocci faciunt. Teruncius à tribus vnciis dictus, inquit Varro lib. 5. de ling. Latin. M. Tull. lib. 3. de Finib. *Vt interiit magnitudine maris Ægæi ſtilla muriæ, & vt in diuitiis Crœſi teruncij acceſſio, & gradus vnus in ea via, quæ eſt hinc in Indiam*, &c. ſic autem ferè loquitur Catullus ad Leſb. *Rumoréſque ſenum ſeueriorũ omneis vnius æſtimemus aſsis.* Idem de Acme. *Non aſsis facit oblitum lupanar: Aut ſi perditius poteſt quid eſſe.* auctor Priapeior ad matronas. *Non aſsis faciunt, eúntque recta.* SESE OMNES AMANT] omnes ſunt φίλαυτοι. ATQVE ILLI TACENT.] illi verò ſtatim tacent. atque videtur hoc loco valere, ſtatim, ſiue celeriter. vt apud Virgil. *Si brachia fortè remiſit: Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.* Nonius. QVIS AIT HOC? INQ.] quis ait, eamus, inquã? ATQ. ILLI ABNVVNT.] id eſt, cõtinuò illi nutu capitis ſignificant ſe nuſquam cenatum ire. DICTVM,] ſalſum aliquod, & facetum verbum. M. Tull. lib. 2. de Oratore. *Dicere enim aiunt Ennium flammam à ſapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat, quæ ſalſa ſint.* Nam ea dicta appellãtur proprio iam nomine. DE DICTIS MELIORIBVS.] Sic in Sticho. *Ibo intro ad libros, & diſcam de dictis melioribus.* MENSTRVA-



A STRVALEIS] quæ mihi in vnũ menſem ſatis eſſent. REM DE COMPACTO GERI.] id eſt, adoleſcenteis vnà inter ſe pactos eſſe, vt paraſitos, & vrbanos, & ſcurras omneis nihili facerent: vt eſurire, atque adeò fame tabeſcere ſinerẽt. Compactum, pactum inter plureis factum. Profert hunc locum Soſipater. NE CANEM QVIDEM INRITATAM VOLVIT Q. IMIT.] ne ringi quidem voluit. ringi dicitur canis, cùm irritatus, ritum diducit, & denteis nudat cum ſtridore. Hoc igitur ſignificat: adoleſcentes illi ne ringi quidem animum induxerunt: ne denteis quidem nudarunt, vt ſaltem ſe ridere ſimularent, & more canum ringerentur. Lucret. lib. 5. *Inritata canum cùm primùm magna Moloſsûm Mollia ricta tremunt*, (*al. fremunt*) *duros nudantia denteis*, &c. SI NON ARRIDERENT,] ſi non mihi, riſum mouenti, riſu gratificarentur. DENTEIS VT RESTRINGERENT.] denteis vt nudarent: vt ritum diducerent. VNA RES.] vna & eadem res ſubintell. eſt. hoc eſt, alij omnes, ad quos iui poſtea, ita, vt illi ſeſe in me geſſerunt: vel taleis ſe qualeis illi, in me præbuerunt. COMPACTO] de compacto. ex communi pacto: quaſi communiter inter ſe pacti ſint, ſe paraſitos longum valere iuſſuros. Soſipater. *Compacto.* Afranius in Emancipato. *Te facere compacto omnia.* QVASI IN VELABRO OL.] vt in velabro olearij, id eſt, qui oleum vendunt, communi pacto oleum vendunt impẽſo, & vno, eodémque pretio. *Velabrum locus Romæ, iuxta montem Auentinum, à vehendo dictus.* Horat. B Sat. 3. lib. 2. *cum velabro omne macellũ.* de velabro nonnulla Varro lib. 4. de lingua Latina. ſed illa nõ ſatis emendata ſunt. Propertius lib. 4. in extr. de Hercule, *Venit ad inuictos pecoroſa Palatia monteis, Et ſtatuit feſſos, feſſus & ipſe boues: Quà velabra ſuo ſtagnabãt flumine, quáque Nauta per vrbanas velificabat aquas.* Idem, *At, qua velabri regio patet, ire ſolebat Cæruleus pulſa per vada linter aqua.* BARBARICA] Latina, ſeu Romana, de collegiis, & conciliis, ſeu coitionibus illicitis, vt indicat Camerarius. exſtat titulus 22. lib. 48. Digeſt. de corporibus, & collegiis illicitis. Commemorantur & leges, Duilia Mænia de coitionibus: Clodia, de collegiis reſtitutis, quæ prioribus legibus vetita fuerant. Nonnulli, in his Iacobus Capellus, conſiliarius Regius, vir doctus, & acutus, exiſtimauit ſignificari legem Variam, à Quinto Vario Hibrida latam, vt quæreretur de iis, quorum opera conſilióve ſocij contra populum Rom. arma ſumſiſſent, & ciues Rom. victu prohiberentur. QVI CONCILIVM INIERE] Qui coïerunt. Marc. Tull. in Cluent. ex lege quadam, *Qui coiit, coiierit, conuenit, conuenerit, quo quis iudicio publico condemnaretur*, &c. HIS DIEM DICAM.] ſuprà in Aſin. *quem videam æquè eſſe mæſtum, quaſi dies ſi dicta ſit.* SPES CENATICA.] ſpes cenæ. SI EA DECOLLABIT.] id eſt, ſi ea fallet, & decipiet, ſeu deficiet: atque ita ferè Diomedes libro 1. Alij, ſi ea delabetur, & quaſi de collo decidet. Vtitur eodem C verbo in Caſina, vtitur & Varro lib. 1. de re Ruſtic. *Duo in primis ſpectaſſe videntur Italici homines, colendo poſſéntne fructus pro impenſa ac labore redire: & vtrùm ſaluber locus eſſet, an non: quorum ſi alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente eſt captus, atque ad agnatos, & gentileis eſt deducendus.* Nonnulli ſic explicant, ſi ea malè procedet: & putant eſſe tranſlationem à liquoribus, aut à ſortibus, & volunt ſcribi cum vno l. *decolabit*. Aliàs decollare, eſt de collo deponere, vt docet Nonius. AD CENAM ASPERAM] ad olera, & terra nata: ad cenam terreſtrem.

## HEGIO.

QVid eſt ſuauius, quàm bene rem gerere bono publico? ſicut ego feci heri,
D Cùm emi hoſce homines. vbi quiſque vident, eunt obuiam,
Gratulantúrque eam rem: ita me miſerum reſtitando,
Retinendóque laſſum reddiderunt.
Vix ex gratulando miſer iam eminebam:
Tandem abij ad prætorem, ibi vix requieui: rogo ſyngraphum:
Datur mihi, ilico dedi Tyndaro: ille abiit domum.
Inde ilico reuortor domum. poſtquam id actum eſt, eo
Protinus ad fratrem. inde abij, mei vbi ſunt alij captiui.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium nouerit?
Tandem hic exclamat, eum ſibi eſſe ſodalem. dico eſſe eum
Apud me. hic extemplò orat, obſecrátque eum ſibi vt liceat

Videre.iuſſi ilico hunc exſolui. nunc tu ſequere me, A
Vt quod me orauiſti,impetres,hominem vt conuenias.

QVID EST SVAVIVS, QVAM, &c. ] Errat Hegio,vt paullò pòſt intelliget. BENE REM G.] bene rem ſuam gerere,quod Græci dicũt εὖ πράττειν:& hoc apprecantur initio litterarum, quas ad alterum mittunt.Horat.epiſt.ad Celſum,lib.1. *Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinouano.* BONO PVB.] cum bono publico. Hoc eo dicit, quia audierat Philocratem eſſe honeſtiſſimo,& ſummo loco natum, & idcirco non ſolùm ſua,ſed etiam reip.intereſſe,eum ſuis reddi:neque ſciebat eum ipſum dimiſſum eſſe, retento Tyndaro:ſed cõtrà exiſtimabat miſſum eſſe Tyndarum,illo retento. GRATVLANTÚRQVE EAM REM.] ſubintell. mihi. RESTITANDO, ] dum ipſi crebrò reſtant ſeu reſiſtunt,id eſt,conſiſtunt: Terent.Andr. *Daue, ades,reſiſte.* Plautus Caſina. *dabo. μέγα κακὸν, niſi reſiſtis.* RETINENDÓQ.]& dum me retinent. LASSVM REDDIDERVNT.] delaſſarunt,defatigarunt. EMINEBAM:] emergebam, euadebam:hoc dicit quaſi à gratulatoribus obrutus,& pænè oppreſſus fuerit. ROGO SYNGRAPHVM.] peto à prætore diploma, quo impunè per terram hoſtilem belli tempore, Tyndaro ire,& redire pſeudo liceat. TYNDARO.] Pſeudotyndaro,id eſt,Philocrati, qui ſimulat ſe eſſe Tyndarum. B ROGO, ] rogo meos alios Captiuos. ECQVIS OMNIVM ] nunquis ex omnibus meis Captiuis,&c. HIC ] vnus ex captiuis meis,Ariſtophontes nomine.

## TYNDARVS.

NVnc illud eſt, cùm me fuiſſe,quàm eſſe,nimio mauelim.
Nunc ſpes,opes,auxiliáque à me ſegregant,ſpernúntque me.
Hic ille eſt dies,cùm nulla vitæ meæ ſalus ſperabilis'ſt.
Neque exſulium, neque adeò ſpes eſt, quæ mihi hunc aſpellat metum.
Nec ſubdolis mendaciis vſquam mihi integumentum eſt meis.
Nec ſycophantiis,nec fucis vllum mantellum obuiam eſt. C
Neque deprecatio perfidiis meis,nec malefactis fuga eſt.
Nec confidentiæ vſquam hoſpitium eſt,nec deuerticulum dolis.
Operta quæ fuere,aperta ſunt:patent præſtigiæ.
Omnis res palàm eſt:neque de hac re negotium eſt,quin malè
Occidam,oppetámque peſtem heri vicem,meámque.
Perdidit me Ariſtophontes hic,qui intrò venit modò.
Is me nouit,is ſodalis Philocrati & cognatus eſt.
Neque iam ſeruare Salus,ſi volt,me poteſt:nec copia eſt,
Niſi ſi meo aliquam corde machinor aſtutiam.
Quam?malum:quid machiner?quid comminiſcar? maximas D
Nugas,ineptiáſque incipiſſo,hæreo.

CVM ME FVISSE ] id eſt,cum me vixiſſe.hoc eſt,cum me mortuum eſſe,&c.ſic Bacchid. *Vixiſſe nimio ſatius eſt, quàm viuere.* Idem in Pſeudo. *mortuus eſt qui fuit.* Idem in Perſa. *Omne ego.pro nihilo eſſe ducto,quod fuit,quando fuit.* Idem in Trucul. *Ita tibi pæne fuit Phroneſium.* Virgil. lib.2. Æneid. *fuimus Troes,fuit Ilium,& ingens Gloria Teucrorum.* Idem lib.4. *Vixi, &, quem dederat curſum fortuna,peregi.* Plutarch. in Cicerone. ὁρῶν δὲ πολλοὺς ἔτι τῆς συνωμοσίας, ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους, καὶ τὴν μὲν πρᾶξιν ἀγνοοῦντας, τὴν δὲ νύκτα προσμένοντας, ὡς ἔτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν, καὶ δυναμένων ἐξαρπασθῆναι, φθεγξάμενος μέγα πρὸς αὐτοὺς, ἔζησαν, εἶπεν. deinde ſubiicit, οὕτω δὲ ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν. id eſt, Videns autem Cicero multos etiam de coniuratis, in foro, denſo agmine ſimul ſtanteis, & quid actum ab eo eſſet,ignoranteis,noctem autem exſpectanteis.tanquam illis etiámnum viuẽtibus, & quaſi per vim eripi poſſent,voce ſublata, & ad eos conuerſa, vixerunt, inquit. Sic autem Romani ij, qui mali ominis verbum loqui nolunt, mori ſignificant. Tale ferè illud Terentij eſt in Heaut. *filium vnicum adoleſcentulum Habeo. ah. quid dixi? habere me?immo habui Chreme, Nunc habeam, necne,*

*incertum*



A *incertum eſt.* NVNC SPES, OPES, SE, AVXIL.&c. ] ſententia plana eſt,nunc ſpes,opes, auxiliáque ſe à me ſegregant, ,id eſt, à me diſcedunt, & me deſerunt. Aberat à libris vulgatis prouocabulum *ſe*, quod reſtitui ex duobus noſtris libris manuſcr. SPES, OPES, ] ſic ſuprà non longè hæc duo coniunctè poſuit. *Tibi commendo ſpes,opéſque meas.* NEQVE EXSILIVM EXITIO'ST.] id eſt,neque vllus mihi locus eſt,quò profugiens poſſim exitium, & perniciem declinare,ac vitare.M. Tull. pro Cæcina. *exſilium enim nõ ſupplicium eſt,ſed perfugium,portúſque ſupplicij. Nam qui volunt, pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eo ſolum vertunt,hoc eſt,ſedem,ac locum mutant. Itaque nulla in lege noſtra reperietur, vt apud ceteras ciuitates, maleficium vllum exſilio eſſe multatum. ſed cùm homines vincula,neces,ignominiáſque vitant,quæ ſunt legibus conſtitutæ, confugiunt quaſi ad aram, in exſilium:* &c.ſuperiora illa Ciceronis verba hunc Plauti locum declarant, atque illuſtrant. Poſtremò hanc ſcripturam confirmat verſus, qui ſequitur non longo pòſt interuallo. *Nec deprecatio perfidiis meis,nec malefactis fuga'ſt.* Quid enim aliud, eſt fuga,præſertim apud Græcos φυγὴ, quàm exſilium? Iam vocem *exitio*, quam ſuſtulerat Camerarius, ego in omnibus libris & vulgatis, & manuſcr.repertam reſtitui. ASPELLAT, M. ] longè à me pellat m. NEC SVBDOLIS MENDACIIS VSQVAM MIHI INTEGVMENTVM EST MEIS ] ſic hunc verſum reſtitui,qui mendoſus erat in omnibus libris, prærerquam in vno, qui fuerat mihi ab Io. Tilio B olim epiſcopo Meldenſi nuper mortuo, commodatus. Omnino cùm hic verſus ita legatur in omnibus aliis libris. *Nec mendacijs ſubdolis mihi vſquam mantellum'ſt meis*, & contra carminis legem (ſunt enim hi verſus magna partem trochaici, octonarij,acatalecti,) & præter decorũm ob eiuſdem vocis iterationem in duobus verſibus inter ſe propinquis: putabam eum non eſſe Plautinum,ſed ex annotatione aliqua, aut ex ſequente verſu natum. Nunc hac ſcripturæ diſſimilitudine in illo libro reperta, ſententiam ego quidem planè non mutaui, ſed tamen eum, vt nunc edidi,minus longè abeſſe ab elegantia Plautina exiſtimo. MANTELLVM ] tegmen, ſeu tegmentum,quo meæ ſycophantiæ meíque doli tegantur: vel quæ ſycophantiis & fucis meis opponantur,ſeu obiiciantur. Idem fere dicit quod ſuperiore dictum eſt. Hunc autem verſum, eſſe Plautinum Germanum teſtatur Seruius, qui eum profert in Commentationibus in li.4. Georg. ibi, *tonſiſque ferunt mantilia villis*.ſic autem Seruius. Varro appellat manteliа,ſeu mantella,quaſi manuteria. Ceterum Plautus huius ſingulare mantellum poſuit in Captiuis. *Nec ſycophantiis, nec fucis vllum mantellum obuiam'ſt.* Lucilius autem mantella dixit,mappas,mantella, merũmque quæ Græci μανδύα vocant. Hæc Seruius. NEQ. DEPRECATIO PERFIDIIS MEIS,&c.] id eſt,neque eſt,quòd deprecatorem mihi parem,qui pro me cauſam dicens, ſeu potius depre- C catione vtens,meis perfidiis veniam impetret. Terent.Heaut. *Ne te admiſce.nemo accuſat, Syre,te.nec tu aram tibi. Neque precatorem pararis.* vel ſic:neque eſt quòd ego deprecando ſperem me mearum perfidiarum aut culpa ſolutum,aut pœna liberatum iri. NEC MALEFACTIS FVGA'ST] id eſt,nec malefactis meis effugium eſt,id eſt,malefacta mea effugere nõ poſſunt, quin teneantur, & deprehendantur. PATENT PRÆSTIGIÆ.] aperti ſunt doli,quibus quodãmodo ſeni oculorum aciem præſtinxi. OPPETÁMQVE PESTEM, ] id eſt, mortem oppetas. ſic ſuprà Aſin. princip. *Atque illa viua viuus vt peſtem oppetas.* HERI VICEM, MEÁMQ. ] id eſt, pro hero,& pro me. NEQVE IAM SERVARE SALVS,&c. ] hyperbole. Sic Terent. Adelph. *Ipſa ſi cupiat Salus, Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.* M.Tull. *ecquod iudicium Romæ tam diſſolutum tam perditũ tam nummariũ fore putaſti,quo ex iudicio te vlla ſalus ſeruare poſſet:cùm,*&c.Idem pro M.Fonteio. *Hîc ſi ingenioſi & periti, & æqui iudicis has parteis eſſe exiſtimatis, vt,quoniam quidem teſtes dicunt, ſine vlla dubitatione credendum ſit:ſalus ipſa virorum fortium innocentiam tueri non poteſt.* NEC COPIA'ST ] nec facultas eſt mei ſeruãdi ἀμήχανόν ἐστιν ἐμὲ σώζεσθαι, καὶ ἄπορον. QVAM MALVM ] Quam,malum,aſtutiam machinari poſſim? malum,interiectio eſt,vt alibi indicauimus. ſic Terent.Heaut. *Quas malum, ambages mihi narrare occipit?* INCIPISSO:] incipio.al. incipeſſo. D ſed incipiſſo,mâlo,de quo ſuprà. HÆREO ] ἀπορῶ.quò me vertam,aut quid agam,neſcio. Neque progredi,neque regredi poſſum.interclusus eſt mihi quoquouorſum exitus.

## HEGIO, TYNDARVS, ARISTOPHONTES.

HEG. QVò illum nunc hominem proripuiſſe foràs ſe dicam ex ædibus.
TYN. Nunc enimuerò ego óccidi: eunt ad te hoſtes. Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto ſita eſt.quid rebus confidam meis?
Vtinam te di prius perderent,quàm periiſti è patria tua
Ariſtophontes, qui ex parata re imparatam omnem facis.

Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam aſtutiam. A
HEG. Sequere, hem tibi hominem. adi, atque alloquere. TYND. quis homo eſt me hominum miſerior?
AR. Quid iſtuc eſt, quod meos te oculos dicam fugitare Tyndare?
Próque ignoto me aſpernari, quaſi me nunquam noueris?
Equidem tam ſum ſeruus, quam tu. etſi ego domi liber fui,
Tu vſque à puero ſeruitutem ſeruiuiſti in Alide.
HEG. Edepol minimè miror, ſi te fugitat, aut oculos tuos,
Aut ſi te odit qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
TYN. Hegio hic homo rabioſus habitus eſt in Alide,
Ne tu quod iſtic fabuletur, aureis immittas tuas.
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem & patrem. B
Et illic iſti qui ſputatur morbus interdum venit.
Proin tu ab iſtoc procul recedas. HEG. vltro iſtum à me. AR. ain' verbero?
Me rabioſum? atque inſectatum eſſe haſtis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi eſſe, vt qui me opus ſit inſputarier?
HEG. Ne verere. multos iſte morbus homines macerat,
Quibus inſputari ſaluti fuit, atque aliis profuit.
AR. Quid tu autem, etiam huic credis? HEG. quid ego credam huic? AR. inſanum eſſe me.
TYN. Viden' tu hũc, quàm inimico voltu intuetur? concedi optumũ eſt. C
Hegio, fit quod ego tibi dixi: gliſcit rabies, caue tibi.
HEG. Credidi eſſe inſanum extemplò, vbi te appellauit Tyndarum.
TYN. Quia ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit qui ſiet.
HEG. At etiam te ſuum ſodalem eſſe aiebat. TYN. haud vidi magis.
Et quidem Alcmæo atque Oreſtes & Lycurgus poſtea,
Vna opera mihi ſunt ſodales, qua iſte. AR. at etiam furcifer
Malè mihi loqui audes? non ego te noui? HEG. pol planum id quidem eſt
Non nouiſſe, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides. D
AR. Immò iſte eum ſeſe ait, qui non eſt, eſſe: & qui verò eſt, negat.
TYN. Tu repertu's enim, Philocratem qui ſuperes veriuerbio.
AR. Pol ego vt rẽ video, tu inuentus, vera vanitudine
Qui conuincas. ſed quæſo hercle agedum aſpice ad me. TYN. hem. AR. dic modò,
Te negas Tyndarum eſſe? TYN. nego inquam. AR. tun' te Philocratem eſſe ais?
TYN. Ego inquam. AR. túne huic credis? HEG. plus quidem, quàm tibi, aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memoras eſſe, hodie hinc abiit Alidem.





A Ad patrem huius. AR. quem patrem, qui ſeruus eſt? TYN. & tu quidem
Seruus, & liber fuiſti, & ego me confido fore,
Si huius huc reconciliaſſo in libertatem filium.
AR. Quid ais furcifer, tun' te gnatum memoras eſſe liberum?
TYN. Non equidẽ me liberum, ſed Philocratem eſſe aio. AR. quid eſt?
Vt ſceleſtus Hegio nunc iſte ludos hîc facit!
Nam is eſt ſeruus ipſe, neque præter ſe vmquam ei ſeruus fuit.
TYN. Quia tute ipſe eges in patria, nec tibi qui viuas domi eſt,
Omneis inueniri ſimileis tibi vis. non mirum facis.
Eſt miſerorum, vt maleuolentes ſint, atque inuideant bonis.
B AR. Hegio vide ſis, ne quid tu huic temerè inſiſtas credere.
Atque vt perſpicio, profectò iam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quod redimere ſe ait, id neutiquam mihi placet.
TYN. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen id ego, ſi di adiuuant.
Illum reſtituam huic: hic autem in Alidem me meo patri
Propterea ad patrem hinc amiſi Tyndarum. AR. quin tute is es.
Neque præter te in Alide vllus ſeruus iſtoc nomine eſt.
TYN. Pergin' ſeruum me exprobrare eſſe, id quod vi hoſtili obtigit?
AR. Enimuerò iam nequeo contineri. TYN. heus audin' quod ait? quin fugis.
Iam illic hic nos inſectabit lapidibus, niſi illum iubes
C Comprehẽdi. AR. crucior. TYN. ardent oculi, fit opus Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. AR. at pol te, ſi hic ſapiat ſenex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuóque capiti illuceat.
TYN. Iam deliramenta loquitur, laruæ ſtimulant virum.
HEG. Quid? quid ſi hunc comprehendi iuſſerim? TYN. Sapias magis.
AR. Crucior, lapidem non habere me, vt illi maſtigiæ
Cerebrum excutiam, qui me inſanum verbis concinnat ſuis.
TYN. Audin' lapidem quæritare? AR. ſolus te ſolum volo
Hegio. HEG. iſtinc loquere ſi quid vis, procul tamen audiam.
D TYN. Nanque ædepol ſi adbites propius, os denaſabit tibi
Mordicus. AR. neque pol me inſanum, Hegio, eſſe creduis,
Neque fuiſſe vnquam, neque eſſe morbum, quem iſtic autumat.
Verùm ſi quid metuis à me, iube me vinciri: volo,
Dum iſtic itidem vinciatur. TYN. immò enimuero, Hegio,
Iſtic, qui volt, vinciatur. AR. tace modò, ego te, Philocrates
Falſe, faciam, vt verus hodie reperiare Tyndarus.
HEG. Quid mi abnutas? TYN. tibi ego abnuto? quid agat, ſi abſis longius?
Quid ais? quid ſi adeam hunc inſanum? TYND. nugas ludificabitur.
Garriet quò neque pes vnquam, neque caput compareat.

Ornamenta abſunt: Aiacem, hunc cùm vides, ipſum vides. A
HEG. Nihil facio, tamen adibo. TYN. nunc ego omnino óccidi.
Nunc ego inter ſacrum, ſaxúmque ſto, nec quid faciam, ſcio.
HEG. Do tibi operam Ariſtophontes, ſi quid eſt quod me velis.
AR. Ex me audibis vera, quæ nunc falſa opinare Hegio.
Sed hoc primùm me expurgare tibi volo, me inſaniam
Neque tenere, neque mihi eſſe morbum, niſi quòd ſeruio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriæ compotem.
Vt iſtic Philocrates non magis eſt, quàm aut ego aut tu. HEG. eho dic mihi.
Quis illic igitur eſt? AR. Quem dudum dixi à principio tibi.
Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſſam dico, quin mihi B
Et parentum & libertatis apud te deliquio ſiet.
HEG. Quid tu ais? TYN. me tuum eſſe ſeruum, & te meum herum. HEG. haud iſtuc rogo.
Fuiſtin' liber? TYN. fui. AR. enimuero non fuit, nugas agit.
TYN. Qui tu ſcis? an tu fortaſſe fuiſti meæ matri obſtetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? AR. puerum te vidi puer.
TYN. At ego te video maior maiorem. hem rurſum tibi:
Meam rem non cures, ſi rectè facias. num ego curo tuam?
HEG. Fuítne huic pater theſaurochryſonicochryſides?
AR. Non fuit, neque ego iſtuc nomen vnquam audiui ante hûc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater. TY. pereo probè. C
Quin quieſce tu dierectum cor meum, ac ſuſpende te.
Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.
HEG. Satin' iſtuc mihi exquiſitum eſt fuiſſe hunc ſeruum in Alide?
Neque eſſe hunc Philocratem? AR. tam ſatis, quàm nunquam hoc inuenies ſecus.
Sed vbi is nunc eſt? HEG. vbi ego minimè, atque ipſus ſe volt maximè.
Tum igitur ego deruncinatus deartuatus ſum miſer
Huius ſceleſti technis, qui me, vt lubitum eſt, ductauit dolis.
Sed vide ſis. AR. Quin exploratum dico & prouiſum hoc tibi. D
HEG. Certon'? AR. Quin nihil vnquam inuenies magis hoc certo certius.
Philocrates iam inde vſque amicus fuit mihi à puero puer.
HEG. Sed qua facie eſt tuus ſodalis Philocrates? AR. dicam tibi.
Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus, aliquantum criſpus, cincinnatus. HEG. conuenit.
TYN. Vt quidem hercle in medium ego hodie peſſimè proceſſerim.
Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.
HEG. Verba mihi data eſſe video. TYN. quid ceſſatis compedes
Currere ad me? meáque amplecti crura, vt vos cuſtodiam?
HEG. Satin' me illi hodie ſceleſti captiui cæperunt dolo?

Illic



A Illic ſeruum ſe aſſimulabat, hic ſeſe autem liberum.
Nucleum amiſi, reliquit pigneri putamina.
Ita mihi ſtolido ſurſum verſum os ſubleuere offuciis.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite iſtuc, atque efferte lora. LO. num lignatum mittimur?

ILLVM NVNC HOM.] Philocratem, vt putat Hegio. Nam Tyndarus eſt. PRORIPVISSE FORAS SE, &c.] Sic Virgil. Palæm. *quò nunc ſe proripit ille?* Idem lib. 6. Æneid. *Tandem proripuit ſeſe.* Intelligit hîc ſpectator, Tyndarum: Ariſtophontis, cui notus erat, conſpectum fugere, neque ſe audere ei viſendum præbere. IN INCERTO.] in dubio. QVÀM PERIISTI È P. T.] quàm patriam amiſiſti, & in hoſtium poteſtatem veniſti. OCCISA'ST HÆC RES.] id eſt interiit, & deſperata eſt hæc res. Sic idem in Menæch. *Occiſa'ſt hæc res, non ego te indutum foras Exire vidi palla?* Profert hunc locum Nonius in verbis, *interfici, & occidi.* B ATROCEM ALIQ. AST.] aſtutiam aliquam audacem, & animo atroci, id eſt, intrepido, & timoris experti dignam. Atroces, inquit Feſtus, appellantur ex Græco: quia illi atrocia appellant, quæ cruda ſunt. ſiue atrox dicitur ab eo. quòd nihil timeat τρέσαι enim Græci dicunt timere. ſic Horat. oda 1. lib. 2. *Et cuncta terrarum ſubacta, Præter atrocem animum Catonis.* Atrocem igitur aſtutiam dicit, quæ non cadet in aliquem animum timidum, & meticuloſum: ſed quæ ſit hominis audacis, confidentis, calidi, id eſt, θερμοῦργου, & μεγαλοκινδύνου propria. IN ALIDE] in Elide. HEGIO, HIC HOMO, &c.] Hæc à Tyndaro impudenter, & confidenter confecta ſunt, vt ne Hegio Ariſtophonti fidem haberet. RABIOSVS] furioſus, inſanus, rabidus. NE TV, QVOD ISTIC FABVLETVR, AVREIS IMM.] hoc eò tibi prædico, ne tu in aureis immittas tuas, quod loquatur, hoc eſt, ne aures tuæ eius ſermonibus, ſeu dictis pateant. INSECTATVS EST] inſecutus eſt. ET ILLIC, ISTI, QVI SP. M.] ordo eſt, & iſti, Ariſtophonti, morbus illic, id eſt, morbus ille, qui ſputatur, interdum venit, morbus comitialis, ſeu Herculanus ſignificatur: qui oris ſaliua, & ſputo aliquando leuatur: immo potius, cuius contagiũ ſputando prohibetur, atq. arcetur. Plinius lib. 10. cap. 23. *Coturnicibus veratri ſemen gratiſſimus cibus. quam ob cauſam eas damnauere menſæ, ſimulq́; comitialem propter morbum, deſpui ſuetum: quem ſolæ animalium ſentiunt, præter hominem.* Idem lib. C 28. cap. 4. *Deſpuimus comitialeis morbos, hoc eſt, contagia regerimus.* Ex aliis tamen Plauti verbis, quæ infrà leguntur non lõgè, videtur hoc intelligi poſſe, morbum comitialem, aut morbo comitiali laborantem, ſputari ſolitum eſſe, & ſputo leuari creditum eſſe: quæ verba ſuo loco indicabuntur, & explicabuntur. Huc eodem pertinent verba Apuleij apologia prima, quo loco de morbo comitiali loquitur. *Immò enim, ſi verum audire velis, Æmiliane, tu potiùs caducus, qui iam tot calumniis cecidiſti. neque enim grauius eſt corpore, quàm corde collabi: pede potiùs, quàm mente corruere: in cubiculo deſpui, quàm in ſplendidiſſimo cœtu deteſtari.* VLTRO ISTVM À ME] eclipſis. ſubintelligendum enim verbum aliquòd, puta, remouete, auferte, aut aliquod tale. MEMORAS] dicis. ET EVM MIHI MORBVM ESSE, VT QVI, &c.] id eſt, & dicis me eo me morbo affectum eſſe, propter quem opus ſit me inſputari? vel ſic, vt propterea opus ſit me inſputari? MACERAT.] liquefacit, tabefacit, vexat. QVIBVS INSP. SALVT. F. ET ALIIS PR.] ex his verbis intelligimus, ſputum, & ipſis morbo comitiali laborantibus ſalutare fuiſſe, & aliis, ne eo ex contactu corriperentur, profuiſſe. multos inquit Hegio, morbus iſte abſumit, & conficit, quibus inſputari ſalutem attulit, id eſt, quos inſputatio morbo leuauit, atque adeò liberauit, & aliis eadem inſputatio vtilis fuit, quia ſcilicet, ne eo morbo ex con- D tagione corriperentur, prohibuit. VIDEN' TV HVNC Q. INIM. V. INT.] viden' tu, quàm infeſtis, & inimicis oculis nos intuetur? CONCEDI OPT. EST.] tutiſſimum eſt ei cedi, vt pote inſano, aut inſanire incipienti. GLISCIT RABIES.] colligitur, igneſcit, creſcit, atque augeſcit rabies. Idem ſuprà Aſinar. *Tempus eſt ſubducere hinc me. pulcrè hoc gliſcit prœlium.* Lucret. lib. 4. *Inq́; dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit.* Idem lib. 3. *Naut oculi? clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt?* Conſule Feſtum, & Nonium. HAVD VIDI MAGIS.] ironia eſt. Significat autem falſum eſſe, quod Hegio ait Antiphontem dixiſſe. proinde ac ſi diceret, nihil minus verum eſt, quàm quod ait Antiphontes, me ſuum ſodalẽ eſſe. Sic in Amphitr. *exſpectatúſne aduenio?* SOS. *haud vidi magis Exſpectatũ. cum ſalutat magis haud quiſquã, quàm canẽ.* ET QVIDEM ALC. OR. ET L.] Treis inſanos nobiliſſimos commemorauit: quos æquè ſuos ſodaleis eſſe dicit, atque Antiphontem, ſignificans Antiphontẽ in eundẽ numerũ, atque ordinẽ eſſe referendum. Alcmæo Amphiarai, & Eriphilæ filius, matrẽ interemit mandatu patris. quo facto ad inſaniam adactus eſt. Oreſtes, Agamemnonis, & Clytemneſtræ filius, matrẽ necauit, Apolline approbante, vt patris mortem vlciſceretur, quem Clytemneſtra Ægiſto adultero adiutore freta interfecerat. Lycurgus Thracius, quia vitibus omnibus exciſis Bacchum offenderat, & è Thracia exegerat, non effũgit iuſtas & meritas à Deo irato irrogatas pœnas. Horat. oda 19. lib. 2. *tectáque Penthei Diſiecta non leui ruina, Thracis & exitium Lycurgi.* Sed de his tribus plura in commentariis Ho-

ratianis. VNA OPERA MIHI S. SOD. Q. I.] æque mihi ſunt ſodales, atque iſte. vel A
ſic,eodem modo mihi ſunt ſodales, atque iſte. At illi nullo modo mihi ſunt ſodales, neque igi-
tur iſte. MALE MIHI LOQVI] male dicere mihi. NON EGO TE NOVI?]Sic in
Amphitr. *Carnifex,non ego te noui? abin' è conſpectu meo?* NON NOVISSE.] te non nouiſſe iſtum.
QVEM VIDES, EVM IGN. ILL. NOM. Q. N. V.]Philocratẽ,quẽ vides,eum non noſti:
Tyndarum nominas, qui abeſt, & quem non vides. Hæc verba ſic explicanda ſunt ex opinione
Hegionis. nã putat eum,qui adeſt,eſſe Philocratem:eum qui abeſt,Tyndarũ:cum ille qui abiit,
ſit Philocrates,hic,qui remanſit, Tyndarus. REPERTV'S,]repertus es. PHILOCRATEM,
QVI SVPERES VERIVERB.] tu, inquit Tyndarus, repertus es, qui tui nominis veriuer-
bio, id eſt, veriloquio( ſic enim ἐτυμολογίαν interpretatur M.Tull.) Philocratem ſuperes. ſen-
tentia eſt. Philocratis ἐτυμολογία, ſeu veriloquium, eſt, potentiæ amore affectus, ſeu potentiæ
ſtudioſus : Ariſtophontis veriloquium,eſt,optimi viri interfector.Tu igitur Ariſtophontes tuis
factis tuo nomini reſpondes,& me virum optimum occidis : & ita tu factis,& re vera magis es
Ariſtophontes, quàm Philocrates,Philocrates. TV INVENTV'S, VERA VANIT. QVI
CONVINC.] id eſt tu inuentus es ,qui ea, quæ vera ſunt conuincas , ac refellas, vanitate. hoc
eſt, dictis vanis, ac falſis. profert hunc verſum Nonius, in voce *vanitudo*. NAM ILLE QVI-
DEM,&c.]ille Tyndarus,vt errans,putat Hegio. QVEM PATREM, Q. S. EST?] ad quem B
patrem abiit, qui ſeruus natus eſt, &, qui nunquam liber fuit? Hoc eò pertinet, quòd iure ciuili
nulla eſt ſeruilis cognatio. RECONCILIASSO IN LIBERTATEM] id eſt, recuperaro,
redemero , domum reduxero. permutatione facta in libertatem reſtituero. ſuprà in prologo:
*Reconciliare vt facilius poſſet domum.* Reconciliaſſo , antiquum , pro reconciliaro. GNATVM
MEM. ESSE LIB.] natum dicis eſſe liberum? Sic ſuprà in prologo Amphitr. *Gnatum arbitra-
tus eſſe id à vobis ſibi.* NEQVE PRÆTER SE VNQ. EI SERVVS F.] neque ei ſeruus
vnquã fuit,præter ipſum ſe. *ei præter ſe*,bona reciprocatio,& vſitata. NEC TIBI QVI VI-
VAS,&c.]nec tibi domi eſt,vnde viuas,&c. SIMILEIS TIBI]ſeruos,& egẽteis. BONIS.]
diuitibus. VIDE SIS,] vide ſi vis. INSISTAS CR.] pergas, perſeueres cr. ALIQVID
PVGNÆ EDID.] aliquam pugnam edidit. id eſt,aliquam fallaciam tibi damnoſam , & mo-
leſtam futuram machinatus eſt. ID NEVTIQ. MIHI PL.] id mihi non placet. id mihi
moleſtum eſt. ſuſpicor enim eum aliquas inſidias tibi comparaſſe . EXPROBRARE] ὀνει-
δίζειν maledicti loco obiicere. ID QVOD MIHI VI HOST. OBT.]quod mihi con-
tigit vi belli , & ab hoſtibus. quod, ſcilicet , me ſeruum eſſe. ILLIC.) ille. INSECTABIT
LAP.] inſectabitur lap. ARDENT OCVLI.] Antiphonti ira incenſo ardebant oculi. Virg. C
de Turno lib.12.Æneid. *Ardenteis oculorum orbeis ad mœnia torſit Turbidus*, &c. hunc oculorum ar-
dorem ex iracundia natum,attribuit inſaniæ Tyndarus. Nam,vt iratis,ita & inſanis ardere ocu-
li ſolent. nec mirum, cùm ira ſit furor breuis. FIT OPVS] fit quod dico,inſanit homo.
MACVLIS LVRIDIS?] maculis croceis, ſeu luteis , & pallidis , qualis eſt luræ color . eſt
autem lura, pellis non tincta. Talis autem deſcribitur à Virg. Dido,moritura.lib.4.Æneid. *At
trepida & cœptis immanibus effera Dido, Sanguineã voluens aciem, maculiſque trementeis Interfuſa genas,&
pallida morte futura*, &c. ATRA BILIS AG. H.]Atra bili homo agitatur,μελαγχολᾷ,atra,
bilis, μελαγχολία, qua qui laborant, inſani ſunt, & eis opus eſt elleboro. ATRA PIX.]qua
cruciabantur ſontes, & malefici.Lucret.lib.3. *Verbera, carnifices,robur,pix,lamina,tædæ.* TVÓQVE
CAPITI ILLVCEAT.] id eſt, & tuo capiti impoſita , deinde accenſa , lucem in tuo capite
emittat. DELIRAMENTA] verba delira, ſeu deliro cõuenientia. ſuprà in Amphitr. *Hæc qui-
dem deliramenta loquitur.* LARVÆ STIM.] lemures, mali dæmones, furiæ. vnde laruati, fu-
rioſi , & mente moti , ſeu mente capti : & quaſi laruis exterriti : lege Feſtum. ſuprà,Amphitr.
*Nam hæc quidem ædepol laruarum plena'ſt.* in Aulul. *Laruæ hunc, atque intemperiæ, inſaniæq́ agitant ſenem.*
MASTIGIÆ] verberoni. CONCINNAT] facit παρασκευάζει. ſuprà in Amphitr. *Nulla res* D
*tam deliranteis homines concinnat citò.* SOLVS TE SOLVM VOLO HEG.] Subintelligen-
dum verbum, alloqui , aut conuenire, aut aliquid tale. PROCVL TAMEN AVD.]nihilo-
minus,quamuis procul ſim abs te, te audiam. NAMQ. ÆDEPOL, SI ADB.] rectè tibi
conſulis,& conſideratè facis,qui ad eum accedere nolis. nam ſi ad eum propius accedes:os tibi
mordicus naſo priuabit. naſum tibi dentibus euellet, ita vt os tuum naſo careat. verbũ à Plau-
to cuſum. ADBITES.] accedes. adbito,is. id eſt, aduenio,accedo. CREDVIS,] credide-
ris. QVEM ISTIC AVTVMAT.] quem iſte prædicat. DVM ISTIC ITIDEM
VINC.] dum modo iſte ſimiliter vinciatur. EGO TE PHILOCRATES FALSE, FA-
CIAM. &c.]locutio permixta : quæ in has duas reſoluitur,ego te Philocrates falſe faciam ve-
rum Tyndarum hodie reperiri. & ego Philocrates falſe faciam, vt tu verus Tyndarus hodie re-
periare. PHILOCRATES FALSE,]Pſeudophilocrates. VT VERVS HOD. REP.
TYND.] vt vapules, quemadmodum ſerui vapulare ſolent. QVID MI ABNVTAS?]
Feſtus. *Abnutare, ſæpe abnuere.* QVID AGAT, SI ABSIS LONGIVS?] quid agat Ariſto-
phontes, qui tu Hegio abſis longius,qui te præſente dicat, me ſibi abnutare? NVGAS LV-
DIFICABITVR.] nugas nugabitur,atticiſmus ex ſententia,non ex verbis. Sunt autem Tyn-
dari verba. GARRIET QVO NEC PES,&c.] Gariet, inquit Tyndarus,id,in quo ne-
que



A que pes, neque caput appareat,loquetur,quæ neque caput, neque pedes habeant, id eſt,loque-
tur abſurda , & monſtri ſimilia. ORNAMENTA ABS. AIACEM, &c.] id eſt, excepto,
quòd arma Aiacis, clypeum Aiacis, veſtitũ & cultum Aiacis non gerit, Aiax merus eſt. hoc eſt,
inſania Aiax eſt,ſeu Aiacem refert. tantùm ei Aiacis ornamenta abſunt,verus & germanus Aiax
eſt, niſi quòd ornatus non eſt Aiacis in morem.Ornamenta accipio, cultum, veſtitum, & arma,
vt dixi. NIHILI FACIO.] eſto inſanus, vt lubet : non laboro, ſeu nihili æſtimo , ſeu nihil
moror. NVNC EGO INTER SACRVM, SAX.] id eſt, nunc in ſummo, atque extremo
diſcrimine ſum, inquit Tyndarus. prouerbium eſt ductum à victimis, nempe porcis , quæ à ſa-
cerdote in fœderibus faciendis ſaxo feriebantur. ex quo ferire,& percutere,& icere fœdus. Ta-
lia autem quædam loquebatur ſacerdos,porcam feriens : vt ego hanc porcam ſaxo ferio,ſic eũ,
qui prior fœdus violarit, Iupiter fulmine percutiat. Virg.Æneid.8. *Armati Iouis ante aras, pateráſ-
que tenentes Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.* Feſtus. *Porci effigies inter militaria ſigna quintum lo-
cum obtinebat : quia confecto bello, inter quos pax fieret cæſa porca fœdus firmari ſolebat.* AVDIBIS]au-
dies. Sic ferè Plautus figurare ſolet futura verborum quartæ cõiug.cõuenibo,ſcibo,ſubuenibo,
dormibo,expedibo,aperibo,obedibo,&c,quæ ſuis locis indicabuntur. Sic Horat. oda 23.lib.3.
*Immunis aram ſi tetigit manus, Non ſumtuoſa blandior hoſtia Mollibit auerſos penateis Farre pio, & ſaliente*
B *mica.* ME INSANIAM NEQ. TENERE, NEQ. M.] ordo eſt, neque inſaniam me te-
nere, neque mihi eſſe morbum, &c. hoc eſt, neque me inſania correptum eſſe , neque morbo
affectum,&c. ſic dixit hîc, tenet me inſania,vt in Menæch. *Num eum veternus, aut aqua intercus te-
net?* AT ITA ME REX.D.]iuriſiurandi formula. REX DEORVM, ATQ. HOMI-
NVM.] Iupiter. periphraſis.Sic Virg.1. Æn. *namque tibi diuûm pater, atque hominũ rex*,&c. & lib.2.
*ex quo me diuûm pater, atque hominum rex Fulminis afflauit ventis.* ISTIC.]iſte. ILLIC,]ille.NVL-
LAM CAVSAM DICO,]non recuſo. QVIN MIHI ET PARENTVM, ET LIB.
AP. TE DELIQVIO S.] id eſt,quin tibi perpetuò ſeruitutem ſeruiam ſine ſpe redeundi
aliquando ad parenteis meos, & recuperandæ vnquam libertatis. deliquio,nis,vt contagio,nis,
id eſt, ἔκλειψις, defectus. FVI.]verum dicit imprudens. Eſt enim Hegionis filius. NVGAS
AGIT] nugas loquitur. nugatur. ſuprà in Aulular. *non ego nunc nugas ago.* OBSTETRIX.] *ob-
ſtetrix.* dicta quaſi adſtetrix. ob, pro ad, antiquè. obſtetrix autem pro obſtitrix, vt meretrix , ge-
netrix, pro meritrix, genitrix, etiam antiquè. Sunt autem obſtetrices. mulieres , quæ præſtò
ſunt parturientibus,vt eis opem ferant. MEAM REM NON CVRES, SI RECTÈ F.]
id eſt,meam rem non curares,ſi rectè faceres. non rectè facis,qui rem alienã. hoc eſt,non tuam,
C cures.Sic ſunt intelligenda illa Ciceronis in oratione pro Roſc.Amer. *In minimis , priuatíſque re-
bus etiam negligentia in crimen, iudiciúmque infame vocatur, propterea quòd ſi rectè fiat, illum negligere opor-
teat, qui mandarit, non illum,qui mandatũ receperit*. verba illa, *ſi rectè fiat*,hoc ſignificant,ſi officio fun-
gatur vterque & is, qui mandauit, & is qui mandatum recepit,&c. nam qui mandauit aliquid
alteri, rectè facit, ſi non curat id, quod iam alteri mandauit : & is, qui mandatum recepit , non
rectè facit , ſi negligit id, quod ſibi mandatũ eſt. PEREO PROBÈ.]pereo planè. QVIN
QVIESCE DIERECT. C. M.]cor ſuum alloquitur,quod nunc palpitat,& trepidat, propter
periculi, in quo verſatur, magnitudinem. ſententia eſt : At verò age, quieſce,cor meum, diere-
ctum, ac ſuſpende te. Directi dicuntur, in crucem acti, quaſi ad diem erecti, vt docet Nonius.
Feſtus verò,dierectum vult eſſe dictum per antiphraſin, quaſi diem rectum , & infelicem. Ego
Nonium ſequor. TV SVSSVLTAS,]id eſt,tu ſurſum ſaltas : tu facis artem ludicram,vt alibi
loquitur.id eſt, tu trepidas, ac palpitas. EXQVISITVM EST, &c.] exploratum eſt. IS]Phi-
locrates. VBI EGO]in patria ſua , nempe in Elide. TVM IGITVR EGO DERVN-
CINATVS SVM,&c.] Diu me hic locus exercuit , cùm in libris omnibus legatur partim
*ærumnatus* , partim *erumnatus* , planè mendoſè. Itaque olim antequam Adr.Turneb. Aduerſa-
D ria exiiſſent in vulgus,exiſtimaram ſic eſſe legendum, *Tum igitur ego eruncatus, deartuatus ſum miſer.*
eruncatus verò valet, runca euulſus, ſeu eradicatus. Eſt enim runca ferramenti genus , quo no-
xias herbas vellunt ruſtici, hinc runcare, quod Græci dicunt βοτανίζειν. Sed poſtquàm Adrian.
Turnebus docuit in Aduerſariis, legendum eſſe, *deruncinatus*,cõtinuò ei aſſenſus ſum.Eſt autem
*deruncinare*, runcina lacerare. nam runcina, prǽterquàm quòd ſignificat inſtrumentum fabrile,
quo ligna aſpera læuigantur, & poliuntur(quod vel ex Arnobio cognoſci poteſt, de ſimulacris
loquente lib.6.cuius hæc verba ſunt, *aſceis ſecta, dolata,effoſſa, terebrorum excauata vertigine, runcina-
rum læuigata de planis.*) Præter hanc igitur ſignificationem, etiam in inſtrumentis ſæuitiæ à Ter-
tuliano numeratur. DEARTVATVS SVM,] in artus diſſectus, ſeu diſcerptus:vel, vt No-
nius hunc locum proferens, interpretatur,per artus conciſus.Idem alibi , deartuatum interpre-
tatur, per artus diſciſſum,in verbo *delibratum*. Simeo Boſius verbo græco eruditè interpretaba-
tur διεμελίχθην. DVCTAVIT DOLIS.]lactauit, ſeu pellexit dolis. SED VIDE SIS.]
ſed vide ſi vis, ſítne hoc exploratũ,& certum. MAGIS HOC CERTO CERTIVS.]pleo-
naſmus. MACILENTO ORI, NASO ACVTO,&c.]formæ deſcriptio. NASO ACV-
TO,] Lucret.lib.6.in extr. *naſi primoris acumen.* Horatius Sat.3. lib. 1. *minus aptus acutis Narib. ho-
rum hominum*, &c. ET OCVLIS NIGRIS,] Horat.oda 32.lib.1. *Et Lycum nigris oculis,nigroq́;
Crine decorum.* Idem in epiſt. ad Piſon. de Art. poët. *Viſendum nigris oculis,nigróque capillo.* SVB-

RVFVS,] Terent.Phorm. *Si quis me quæret rufus.* CRISPVS,] M.Tull.epiſt.Accuſ.lib.2. *Videtis illum ſub criſpo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, vt ſibi ipſe peracutus eſſe videatur?* CINCINNATVS.] M.Tull.Cicero poſt red.in ſenatu: *cincinnatus ganeo.* Idem pro Sextio. *cùm flens vniuerſus ordo cincinnatum conſulem orabat.* cincinni, capilli intorti βόστρυχες vel βόστρυχοι appellantur à Græcis. Plautus Trucul. *Iam ego iſtos fictos, compoſitos, criſpos cincinnos tuos, Vnguentatos vſque ex cerebro exuellam.* Ibidē. *mœchum malacum, cincinnatum, vmbraticolā, tympanotribam.* CONVENIT] Cōuenit iſta formæ deſcriptio cū forma Philocratis. VT QVIDEM HERCLE, &c.] ſubintellig.ita. VÆ ILLIS VIRGIS, QVÆ HODIE IN T. M.] O miſeras illas virgas, quæ hodie in tergo meo abſumentur, & interibunt. Eadem ferè ratione Amphitruo Pſeudoſoſiam, vlmorum Acheruntem appellat, ſignificans ſcilicet in eius tergo virgas mori ſolere. QVID CESSATIS COMP.] facetè alloquitur compedes, vt res animatas, & rationis participeis, ſignificans iamiam tempus adeſſe, cùm compedibus vinciatur. SATIN' ME ILLI HODIE SCEL.] hæc interrogatio affirmationem valet. CEPERVNT DOLO.] Ouidius. *Mulciberi capti Márſque Venúſque dolis.* ILLIC] Philocrates. HIC] Tyndarus. NVCLEVM AMISI, RELIQVIT PIGN. PVTAM.] allegoria eſt: qua hoc ſignificat, ſe amiſiſſe Philocratem, à Philocrate ſibi relictum eſſe Tyndarum ſeruum. *Putamina*, inquit Nonius, *non ſolùm arborum ſunt, verùm omnium rerum purgamenta, nam quidquid ex quaque re proiicitur, putamen appellatur.* Hactenus ille: deinde hunc verſum profert, ita, vt edidimus, non vt vulgò, *pignori putamina.* & Donatus ad illud Terent. *rem ipſam putemus.* in Adelph. *putemus*, inquit, id eſt, purgemus. nam & hinc putamina, purgamenta dicta ſunt, vt Plautus in Capt. ait. *Nucleum amiſi*, &c. SVRSVM, VORSVM,] ἄνω, κάτω. MIHI ST. S. V. OS SVBLEVERE OFFVCIIS.] me ſtolidum planè ludificati ſunt, vel ludibrio habuerunt fallaciis ſuis: vel ſic, me planè deceperunt fallaciis ſuis. Feſtus, *offucias fallacias.* COLAPHE, CORD. CORAX.] nomina ſeruorum lorariorū. NVM LIGNATVM MITT.] nunquid in ſiluam mittimus petitum lignum? quia loris lignorum faſciculi vinciuntur, idcircò vrbanè quærunt lorarij, num lignatum mittātur. Nonius. *Copiantur*, inquit, *à copia honeſtè poſitum, vt lignantur, pabulantur.* Claudius Quadrigarius lib.1. *multis armis, & magno commeatu, prædáque ingenti copiantur.* Virg. lib.4. Georg. *ſub mœnibus vrbis aquātur.* Hactenus Nonius. Cæſar lib.1. de bello ciuili. *his pontibus pabulatum mittebat, quòd ea, quæ citra flumen fuerant, ſuperioribus diebus conſumſerat.*

## HEGIO, TYNDARVS, ARISTOPHONTES.

HEG. Iniicite huic actutum manicas maſtigiæ.
TYN. Quid hoc eſt negotij? quid ego deliqui? HEG. rogas?
Sator, ſartórque ſcelerum, & meſſor maxume.
TYN. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam ſemper occant prius quàm ſarriunt ruſtici.
HEG. At vt confidenter mihi contrà aſtitit?
TYN. Decet innocentem ſeruum atque innoxium,
Confidentem eſſe, ſuum apud herum potiſſumùm.
HEG. Aſtringite iſti ſultis vehementer manus.
TYN. Tuus ſum, tuas quidem vel præcidi iube.
Sed quid negotij eſt? quamobrem ſuccenſes mihi?
HEG. Quia me, meámque rem, quod in te vno fuit,
Tuis ſceleſtis falſidicis fallaciis
Delacerauiſti, deartuauiſtique opes.
Confeciſti omneis res ac rationes meas.
Ita mi exemiſti Philocratem fallaciis.
Illum eſſe ſeruom credidi, te liberum.
Ita voſmet aiebatis, itáque nomina
Inter vos permutaſtis. TYND. fateor, omnia
Facta eſſe ita, vt tu dicis, & fallaciis

Abiiſſe



Abiiſſe eum abs te mea opera, atque aſtutia.
An, obſecro hercle te, id nunc ſuccenſes mihi?
HEG. At cum cruciatu maximo id factum eſt tuo.
TYN. Dum ne ob malefacta peream, parui id æſtimo.
Si ego hic peribo, & ille vt dixit, non redit:
At erit mihi factum hoc mortuo memorabile,
Meum herum captiuum ex ſeruitute atque hoſtibus
Reducem feciſſe liberum in patriam ad patrem,
Meúmque me potius caput in periculo
Præoptauiſſe, quàm is periret, ponere.
HEG. Facito ergo tu vt Acherunti clueas gloria.
TYN. Qui per virtutem perbitat, non interit.
HEG. Quando ego te exemplis excruciauero peſſumis,
Atque obſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interiſſe, vel periſſe prædicent,
Dum pereas, nihil interdico, dicant viuere.
TYN. Pol ſi iſtuc faxis, haud ſine pœna feceris,
Si ille huc redibit, ſicut confido affore.
AR. Prò di immortales, nunc ego teneo, nunc ſcio
Quid ſit hoc negotij. meus ſodalis Philocrates
In libertate eſt ad patrem, in patria. bene eſt:
Nec eſt quiſquam mihi, æquè melius cui velim.
Sed hoc mihi ægrè eſt, me huic dediſſe operam malam,
Qui nunc propter me, meáque verba vinctus eſt.
HEG. Vetuin' te quicquam hodie mihi falſum proloqui?
TYN. Vetuiſti. HEG. cur es auſus mentiri mihi?
TYN. Quia vera obeſſent illi, cui operam dabam,
Nunc falſa proſunt. HEG. at tibi oberunt. TYN. optimè eſt.
At herum ſeruaui, quem ſeruatum gaudeo:
Cui me cuſtodem addiderat herus maior meus.
Sed maléne id arbitrare factum? HEG. peſſumè.
TYN. At ego aio rectè, qui abs te ſeorſum ſentio.
Nam cogitato, ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſeruus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteréſne, nécne, eum ſeruum manu?
Eſſétne apud te is ſeruus acceptiſſimus?
Reſponde. HEG. opinor. TYN. cur ergo iratus mihi es?
HEG. Quia illi fuiſti, quàm mihi, fidelior.
TYN. Quid? tu vnà nocte poſtulauiſti & die,
Recens captum hominem nuperum & nouitium,
Te perdocere, vt melius conſulerem tibi,
Quàm illi, qui cum vnà puero ætatem exegeram.
HEG. Ergo ab eo petito gratiam iſtam. ducite,

Vbi ponderoſas, craſſas capiat compedes. A
Inde ibis porrò in latomias lapidarias.
Ibi quom octonos alij lapides effoderint,
Niſi cotidianum ſeſquiopus confeceris,
Sexcento plago nomen indetur tibi.
AR. Per deos atque homines ego te obteſtor Hegio,
Ne tu iſtunc hominem perduis. HE. curabitur.
Nam noctu neruo vinctus cuſtodibitur,
Interdius ſub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non vno abſoluam die.
AR. Certúmne eſt tibi iſtuc? HE. non moriri certiu'ſt.
Abducite iſtum actutum ad Hippolytum fabrum,
Iubete huic craſſas compedes impingier. B
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus ſiet.
Atque hunc ita velle me dicite curarier,
Ne qui deterius huic ſit, quàm cui peſſumè eſt.
TYN. Cur ego te inuito me eſſe ſaluum poſtulem?
Periculum vitæ meæ, ſtat tuo periculo.
Poſt mortem in morte nihil eſt, quod metuam mali.
Etſi peruiuo vſque ad ſummam ætatem, tamen
Breue ſpacium'ſt per ferundi quæ minitas mihi.
Vale atque ſalue, etſi aliter vt dicam, meres.
Tu Ariſtophontes, de me vt meruiſti, ita vale. C
Namque mihi propter te hoc obtigit. HE. abducite.
TYN. At vnum hoc quæſo, ſi huc rebitet Philocrates,
Vt mihi eius facias conueniundi copiam.
HE. Periiſtis, niſi hunc iam è conſpectu abducitis.
TYN. Vis hæc quidem hercle eſt, & trahi & trudi ſimul.
HE. Illic abductu'ſt rectà in Phylacam, vt dignus eſt.
Ego illis captiuis aliis documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat.
Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm:
Vſque offerre natum, ſuis me ductarent dolis. D
Nunc certum eſt nulli poſt hæc quicquam credere.
Satis ſum ſemel deceptus. ſperaui miſer
Ex ſeruitute me exemiſſe filium.
Ea ſpes elapſa eſt, perdidi vnum filium
Puerum quadrimum, quem mihi ſeruus ſurpuit.
Neque eum ſeruum vnquam repperi, neque filium.
Maior potitus hoſtium eſt. quod hoc eſt ſcelus?
Quaſi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac, reducam te vbi fuiſti. neminis
Miſereri certum eſt, quia mei miſeret neminem.

Exau-



A AR. Exauſpicaui ex vinclis. nunc intelligo
Redauſpicandum eſſe in cathenas denuò.

INIICITE HVIC ACTVTVM MANICAS.] Sic Virg. Sileno. *iniiciunt ipſis ex vincula ſertis.* MANICAS] manuum vincula. ſuprà, vbi *manus manicæ complexæ ſunt.* SARTÓRQVE SCELERVM,] ſartores dici non ſolùm à ſarciẽdo, verumetiam à ſarriẽdo, Plautus in Captiuis oſtendit, inquit Nonius, *Sartor, ſatórque ſcel.* &c. Animaduertat autem lector, apud Nonium, huius verſus verba alio ordine legi, quàm in exemplis Plautinis. Sic enim habent omnes libri, quos quidem viderim, *Sator, ſartórque ſcel. meſſ. q. m.* quo modo videtur legendum potius, quàm vt eſt apud Noniũ, *Sator ſatórque ſcel.* &c. nam ſerunt primùm ruſtici, deinde, ſarriunt. immò, vt poſtea dicet Tyndarus, ſerunt primùm, deinde occant, deinde ſarriunt. Iam ſarrire, ſeu potiùs ſarire, videtur habere locum propriè in ſegetibus, ídque licet ex Varrone, & Columella intelligere. eſt autem ſarrire, ſarculo purgare, herbáſque inutileis, & noxias euellere. NON OCCATOREM,] Iocus è re ruſtica ſumtus. eſt autem occare, glæbas comminuere. Varro lib. 1. de re
B ruſt. cap. 31. *Tertio interuallo inter virgiliarum exortum, & ſolſtitium hæc fieri debent. Vineas nouellas fodere, aut arare, & poſtea occare, id eſt, comminuere, ne ſit glæba: quod ita occidunt, occare dicunt.* Hactenus Varro. Sed M. Tull. ídque teſtatur Feſtus, cuius verba mox adſcribam, occare vult ab occæcando eſſe dictum. Verba Feſti hæc ſunt. *Occare, & occatorem Verrius putat dictum ab occædendo, quòd cædat grandeis globos, (aliàs glæbas) terræ: cùm Cicero venuſtiſſimè dicat, ab occæcando fruges ſatas.* Verba Ciceronis hæc ſunt in Catone maiore. *quæ cùm, gremio mollito, ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, primùm id occæcatum cohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt.* In nonnullis libris ſcriptum eſt. *Non occatorem dicere debebas prius. quæ ſcriptura, planior eſt.* ATQVE INNOXIVM] innoxium, id eſt, noxia, ſeu noxa carentem, qui nulla in re nocuit. Sic ſuprà Aulularia: *Vt inopem, atque innoxium abs te, atque abs tuis, me irrideas.* SVLTIS] Si vultis. TVVS SVM] ſpectator, ſeu auditor hîc commonetur. Nam intelligit, quod ignorabat Hegio, atque adeò Tyndarus ipſe, Hegionem ſæuire in filium ſuum Tyndarum, eundémque ſeruum. DELACERAVISTI,] aliâs dilacerauiſti. DEARTVAVISTÍQVE] & in articulos diſſecuiſti, comminuiſti. διεμέλισας, vt interpretabatur Simeo Boſius: qui eiuſdem originis verbo putat vſum eſſe Ciceronem in epiſt. 2. lib. 7. epiſt. ad Atticum. ibi. *Eius teſtamentum detortorium, Ciceronum ſi-*
C *gnis obſignatum, cohortíſque prætoriæ. Fecit palàm te exlibratum: me exartuatum.* Sic enim legendum videtur ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, vt docuimus in ſecunda noſtri Ciceronis editione. CONFECISTI] perdidiſti. EXEMISTI] è ſeruitute. ID] ob id. AT CVM CRVCIATV M. ID F. EST T.] cruciabo enim te ob iſtud factum. PRÆOPTAVISSE.] maluiſſe. ACHERVNTI] Acherunti, id eſt, apud inferos, ſeu apud Acheruntem, & apud Orcum. aduerbium eſt. Sic infrà eadem Comœd. *Vidi ego multa ſæpe picta, quæ Acherunti fierent, cruciamenta,* &c. vel ſic dictum Acherunti, vt Karthagini, pro Acherunte Karthagine. CLVEAS GLORIA] clarus, & nominatus, & memorabilis ſis gloria, ſententia autem huius verſus, hæc eſt, facito ergo tu, vt mortuus, nominis gloria ſempiterna clarus ſis. QVI PER VIRTVTEM PERBITAT N. INT.] Qui per virtutem pereat, is non interit. Sic autem legendum eſt, quod prior vidit Camerarius, non vt Nonius legit. *Qui per virtutem perit, at non interit.* in quo ille fœdiſſimè labitur: nec lex carminis eam ſcripturam ferre poteſt, perbitere porrò ab antiquis dictum eſſe pro perire: & betere, pro ire, docet idem Nonius: quod & nos ſuprà indicauimus. QVANDO EGO TE EXEMPL.] poſteaquam ego te peſſimis modis excruciauero: OB SVTELAS TVAS,] ob dolos abs
D te quaſi conſutos: vel ſic, ob tuas doloſas aſtutias, à ſimilitudine ſuentium dicta. Feſtus, in voce, *Sutelæ.* MORTI MISERO:] necauero: ad necem dedero: NIHIL INTERDICO:] non vero. interdicere, eſt prætoris. Hinc interdictum. NVNC EGO TENEO.] nunc ego intelligo. NEC EST QVISQ. M. ÆQVÈ, CVI MEL. V.] vel ſic diſtinguendum, nec eſt quiſquam mihi æquè, melius cui velim, id eſt, nec quenquam habeo æque mihi amicum, nec cui melius velim. vel ſic, potius diſtingue, & ſic explica, *Nec eſt quiſquam mihi, æquè cui melius velim.* id eſt, nec habeo quemquam cui æquè bene velim, nec cui melius velim. SED HOC MIHI ÆGRE'ST.] Sed hoc mihi moleſtum eſt. CVI ME CVSTODEM ADDIDERAT. &c.] cui me cuſtodem appoſuerat herus maior Theodoromedes, Philocratis pater. Sic autem loquebantur veteres, cuſtodem alicui addere, ſeu apponere: ídque ſuprà indicauimus ad illum locum. *Quem quondam Ioni Iuno cuſtodem addidit:* & plura hac de re ſcripſimus in commentariis Horatianis, ad odam 4. lib. 3. ibi. *Incontinentis nec Tityi iecur Relinquit ales, nequitiæ additus Cuſtos.* Atque hic locus me admonet, vt Cornelium Tacitum corruptum princip. lib. 1. emendem: vbi hanc locutionem vſurpauit. Sic autem legendum cenſeo. *Patris iuſſa ſimulabat, quibus præſcripſiſſet tribuno cuſtodi ei appoſito, ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandocunque ipſe ſupremum diem expleuiſſet.* vulgò autem legitur, *tribuno cuſtodiæ appoſito.* cuſtos, hoc loco, id eſt, pædagôgus. Sic apud Horatium

Sat.4.lib.1. *tuámque, Dĩ cuſtodis eges, vitam, famámq. tueri Incolumem poßim*, &c. Idem Sat.6. eiuſd. lib. A *Ipſe mihi cuſtos incorruptißimus, omneis Circũ doctores aderat.* QVI ABS TE SEORSVM SENT.] id eſt, qui abs te diſſentio. EMITTERÉSNE, NÉCNE, &c.] proinde ac ſi dicat, eum emitteres manu, id eſt liberares, ſeu è ſeruitute eximeres. ESSÉTNE APVD TE IS SERVVS A.] id eſt, nónne is ſeruus tibi eſſet acceptiſſimus, hoc eſt probatiſſimus, & gratiſſimus? RECÈNS CAPTVM,] modò, & recenter captum. Sic Virgil. lib.3. Georgic. *armentáque paſces Sole recèns orto.* Et Lucret. lib.2. *Et cùm ſcena croco Cilici perfuſa recèns eſt.* NVPERVM,] Nuperum, inquit Nonius, pro recenti poſitũ, ab eo, quod eſt nuper, ante non multum temporis. deinde profert hos duos verſus, *Quid? tu vna nocte poſtul. & d. Recèns cap. hom. nup. & nouit.* Sic, (vt quidam nonnulli legunt) apud Terent. in Heaut. act.1. ſcena 1. in princ. *Quanquam hæc inter nos nupera notitia admodum eſt*, &c. Priſcianus lib.3. nuperrimè ſuperlatiuus magis ab aduerbio in er deſinente, videtur naſci. nomen enim poſitiuum, in us deſinit, vt Capro videtur nuperus, cuius accuſatiuum protulit Plautus in Captiuis, Recèns captum, &c. & bene: vt enim ſuperus, ſic nuperus debet eſſe. ET NOVITIVM] ſeruus nouitius, eſt ſeruus rudis, & miniſteriorum omniũ ſeruilium imperitus, qui opponitur veteratori. Vlpianus lib.1. ad edictum ædilium curul. lib.21. digeſto. titul. de ædil. edicto. *Præcipiunt ædiles, ne veterator pro nouitio veneat. & hoc edictum fallaciis venditorum occurrit. Vbique enim curant ædiles, ne emtores à venditoribus circumueniantur, vt ecce plerique ſolent mancipia* B *quæ nouitia non ſunt, quaſi nouitia diſtrahere, ad hoc ſcilicet, vt pluris vendant. præſumtum eſt enim, ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora: trita verò, & veterana, difficilè eſſe reformare. quia igitur venalitiarij ſciunt facilè decurri ad nouitiorum emtionem, idcirco interpolant veteratores, & pro nouitiis vendunt.* &c. M. Tull. in Piſon. *Syrũ neſcio quem de grege nouitiorũ*, &c. TE PERDOCERE, &c.] ordo, & ſententia eſt, tu poſtulauiſti, te perdocere vna nocte, & vno die me hominem recèns captum, nuperum, nouitium, vt melius conſ. &c. hoc eſt túnc poſtulaſti, vt me ſeruum rudem & nouitium, & nuper emtum, vna nocte, & vno die docendo adduceres, vt tibi melius conſulerem, quàm illi, &c. vel, te perdocere me hominem &c. id eſt, te perſuadere mihi homini, &c. ERGO AB EO PET. GR.] Ergo quia tibi tanti fuit diuturna Philocratis conſuetudo, ab eo gratiam beneficij, quod in eum contuliſti, repetito. CRASSAS] denſas, dupliceis, & geminas, non ſimpliceis. IN LATOMIAS LAPIDARIAS.] Si latomias dixiſſet ſine adiectione, carcer intelligeretur, à Latomiis Syracuſanis. nunc adiecto nomine, *lapidarias*, locus intelligitur, vnde lapides effodiuntur. Iam qui in opus metalli damnabantur, etiam ad Latomias mittebantur. Sunt autem Latomiæ Græco nomine lapicidinæ, Latino λᾶς lapis, τέμνω, cædo. NISI QVOTIDIANVM SESQVIOPVS CONF.] id eſt, niſi C quotidie opus integrum, & dimidium confeceris: hoc eſt, niſi ſingulis diebus octonos lapides, & quaternos effoderis, &c. SEXCENTOPLAGO N. IND. T.] ſexcentoplagus nominaberis, ex re, quia ſexcentas plagas quotidie accipies. PERDVIS] perdideris. NERVO VINCTVS] compede ferrea vinctus: neruus hîc pro vinculo aut compede ponitur. CVSTODIBITVR.] cuſtodietur. INTERDIVS] interdiu. DIV EGO HVNC CRVC. NON VNO ABS. D.] cui moriendum eſt, optabile eſt breuiſſimo tempore, & celerrimè, & ſine cruciatu mori. Hinc illa apud Ciceronem lib. Accuſ.5. *quid, vt vno ictu ſecuris afferam mortem filio tuo, quid dabis, ne diu crucietur? ne ſæpius feriatur? ne cum ſenſu doloris aliquo, aut cruciatu ſpiritus auferatur? etiam ob hanc cauſam pecunia lictori dabatur. O magnum atque intolerandum dolorem: O grauem, acerbámque fortunam. non vitam liberûm, ſed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes*, &c. MORIRI] moriri in quarta coniugatione, pro mori, in tertia. IMPINGIER.] iniici, infligi. Cælius lib. 8. epiſt. *quid ſi filius meus fuſtem mihi impingere volet?* NE QVI DETERIVS HVIC SIT, QVÀM QVO: P.] id eſt, ne quo, ſeu neu qua re minus malè ſit huic Tyndaro, quàm cui eſt peſſimè. vel ſic, planius. ne qua re hic Tyndarus minus malè habeatur, & tractetur, quàm qui peſſime. PERICVLVM VITÆ MEÆ STAT. T. P.] vitæ meæ peri- D culum cum periculo tuo coniunctum eſt. hoc eo dicit, quòd ſeruus periculo domini moritur. POST MORTEM, IN MORTE N.] ſententia vulgatiſſima, quam probabant ij, quibus erat perſuaſum, omnia morte deleri. Ariſt. lib.3. de moribus ad Nicom. φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος· πέρας γάρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ οὔτ' ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι. id eſt, terribiliſſimum autem quiddam mors eſt. eſt enim extremus, & nihil amplius mortuo videtur neque bonum, neque malum. Horatius epiſt. 16. lib. 1. *Mors vltima linea rerum eſt.* Lucret. Multis verſibus lib. 3. in extr. oſtendere conatur nihil eſſe horribile poſt mortem. VSQVE AD SVMMAM ÆTATEM,] vſque ad extremam ætatem. Martial. *ſummum nec metuas diem, nec optes.* BREVE SPATIVM'ST] breue eſt, ſi conferatur cum æternitate. nihil eſt enim in hac vita diuturnum. MINITAS] minitaris. ſuprà in Amphitr. *Quid minitabas te facturum, ſi iſtas pepuliſſem foreis?* VALE, ATQVE SALVE] ſic coniungebant vtrumque veteres, diſcedentes ab iis, quos nunquam viſuri eſſent. In Curcul. *Vale, atque ſalue. Nam & operam, & pecuniam benignè præbuiſti.* In Ciſtell. *Quando ita tibi lubet, vale, atque ſalue.* In Mercat. *Limen ſuperum, inferúmque ſalue, ſimul autem vale.* Quin ita ſaluere, & valere iubebant mortuos. Virg. lib. 11. Æneidos. *ſalue æternum mihi maxime Palla, Æternúmque vale.* ad quem locum legendus Seruius. SI HVC REBITET P.] ſi huc redibit Phil. VIS HÆC QVIDEM HERCLE'ST.] Sic



A Sic C. Iulius Cæſar, peti ſe videns pugionibus, *Iſta quidem vis eſt*, inquit, vt refert Suetonius in C. Iulio. ET TRAHI, ET TRVDI SIMVL,] ἑλκέσθαι τε, καὶ ὠθεῖσθαι. IN PHYLACAM,] in cuſtodiam, in carcerem. φυλακή, vox Græca. Hinc Phylaciſtæ ſuprà in Aulul. ibi. *Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atriis.* EGO ILL. CAPT. AL. DOCVMENT. D.] id eſt, Ego illos captiuos alios docebo. dare documentum dixit, & M. Tull. pro Milone. *dederas enim, quam contemneres populareis inſanias, iam ab adoleſcentia, documenta maxima.* QVOD ABSQ. HOC ESSET, &c.] id eſt, quod niſi hic eſſet, videlicet Ariſtophontes, qui &c. Sic ſæpe loqui ſolent comici, In Bacch. *Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum.* In Menæchm. *Nam abſque te eſſet, hodie nunquam ad ſolem occaſum viuerem.* Idem in Trinummo. *nam abſque foret te, ſat ſcio in alto Diſtraxiſſent, diſque tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœdè.* Terent. Phorm. *Nam abſque eo eſſet, Rectè ego mihi vidiſſem, & ſenis eſſem vltus iracundiam.* QVI MIHI HOC FECIT PALÀM,] qui mihi patefecit Tyndari, & Philocratis fallacias. VSQVE OFFERRE NATVM SVIS ME D. D.] ſyllaba *vſ.* pertinet ad ſyllabam verſus ſuperioris. hoc primum. deinde ad ſententiam veniamus. quam talem eſſe puto. Quòd niſi hic Ariſtophontes eſſet, qui mihi aperuit rem omnem: mei captiui me ſuis dolis lactarent, ſubintellige, dicentes, vſque ſe filium meum mihi offerre, hoc eſt, inuenire, ſeu oſtendere, ſeu adducere. NVNC CER- B TVM'ST N. CR.] nunc decretum mihi eſt nulli quidquã cred. EA SPES ELAPSA'ST.] ea ſpes euanuit. ea ſpes effugit è manibus. VNVM FILIVM, &c.] Pægnium: qui nunc appellatur Tyndarus: & patri ſuo ſeruitutem ſeruit, inſciens inſcienti. MAIOR POTITVS H.] Philoptolemus in hoſtium poteſtatem peruenit, vel captus eſt ab hoſtib. QVASI IN ORB.] ſic mihi omnes liberi mei pereunt, quaſi eos produxerim non vt eſſem liberis auctior, munitior, beatior, ſed vt orbus viuerem. NEMINIS MISI CERT.] decreui nullius captiui miſereri. quia mei nemo miſeretur. profert hunc locum Diomedes lib.1. cap.3. aduerſus eos, qui negabant, pronomen, *nemo*, habere genitiuum. Sic ille in extr. capite. *Conuincitur verò hæc opinio auctoritate Plauti, qui ita dixit in Captiuis, Neminis miſereri certum'ſt.* at Priſcian. lib.6. *nemo* conuertit o in i. in genitiuo, inquit: vt nemo neminis. Lucil. *Neminis ingenio quenquam conſidere oportet.* deinde profert hunc locum. EXAVSPICAVI EX VINC. NVNC INTELL. REDAVSP.] ſententia hæc eſt, iter huc feci, egreſſus è vinculis: itáque denuo mihi in vincula, vnde egreſſus eram, redeundum eſt. allegoria eſt ab auſpiciorum more ducta. Auſpicium, inquit, itineris huc faciendi mihi è vinculis ductum eſt: & ita malo auſpicio huc veni. Quare mihi ad vincula meritò redeundum eſt. vel ſic, malè auſpicatus ſum, cùm vinculis ſolutus huc veni: C quare mihi deintegro ad catenas, ſeu ad vincula redeundum eſt, vt denuo auſpicer. Iocus eſt ab auſpiciis tractus.

## ERGASILVS PARASITVS.

ER. IVppiter ſupreme ſeruas me, meáſque auges opes.
Maximas opimitates, opiparáſque offers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini ſupplicare nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſum, vel inimicum perdere,
D Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerauit dies.
Sine ſacris hæreditatem ſum aptus effertiſſimam.
Nunc curſum ad ſenem capeſſam hunc Hegionem, cui boni
Tantum affero, quantum ipſe adipiſci optat, atque etiam amplius.
Nunc res certa eſt eodem pacto, vt comici ſerui ſolent,
Coniiciam in collum pallium, primò ex me hanc rem vt audiat.
Speróque me ob hunc nuntium æternum adepturum cibum.

IVPPITER SVPR.] Ergaſilus paraſitus Philoptolemo Hegionis filio, lætitiam elatus, id nuntiatum venit patri, mœrore tabeſcenti. OPIMITATES] opimitas ab opimo, inquit Nonius, deinde profert illud ex Aſinar. *Maximas opimitates, & gaudio effertiſſimas:* & hoc *Maximas opimitates.* OPIPARÁSQVE.] Feſtus opiparum, id eſt magnarum opum apparatum. itaque opimitates opiparas intelligere debemus, opimitates opum magnarum apparatu dignas, Reb. egenis & inopinoſis conſilij oppoſuit opiparas in Pænulo: id eſt, quaſi opulentas.

NEC CVIQVAM HOMINI SVPL.] ſupplicare alteri, eſt egentis,& imbecilli, & im- A
potentis. paraſitus igitur, qui ſibi nunc videtur abundans, & potẽs, Philoptolemo in patriam
& libertatem reſtituto, negat ſe decreuiſſe cuiquam ſupplicare, id eſt, à quoquam petere, aut
mendicare, quippe qui ſatis ſupérque habeat domi, id eſt, apud regem ſuum, à quo paſcitur:
Plaut. Milite glor. *Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala, Domi habet hortum, & condi-
menta ad omnes mores maleficos.* Terent. Phorm. *Et Phædriæ curam adimere argentariam, ne cuiquã ſuorum
æqualium ſupplex ſiet.* NAM VEL PROD. AM. POSS. VEL INIM. PERD.] potentis
hominis eſt, vtrumque efficere poſſe, & amicis prodeſſe, & inimicis obeſſe: quemadmodum
cuíque optabile eſt, benemerito parem gratiam, & malè merito parem iniuriam referre poſſe.
Ex quo Socrates cum interrogaretur, cur ad Archelaüm non proficiſceretur: quia, inquit, con-
tumelioſus in me futurus ſit Archelaüs, ſi bene merenti par pari referre non poſſim, vt & malè
merenti: auctor Ariſtoteles lib. 2. de Arte dicendi. *Verùm, prodeſſe amico, perdere inimicum,* non ſa-
tis videntur inter ſe opponi: ſed potius, ſeruare amicum, perdere inimicum: vel prodeſſe ami-
co, obeſſe inimico. Notum illud, *Seruare potui: perdere an poßim, rogas?* AMOENITATE
AMOENA AMOEN.] *amœnitate amœna,* ſic dictum, vt *nitoribus nitidis.* in Caſina: & *pretio pretio-
ſo.* in Epidico: *& pulchram pulchritudinem,* in Milite glor. & cetera eiuſd. generis, quæ indica-
buntur ſuo loco. Sic apud Lucret. lib. 1. *ſonitu ſonanti, & ludo iocanti.* Rurſus autem hæc tripli- B
cata earundem ſyllabarum iteratio, non eſt inuenuſta, *amœnitate amœna amœnus onerauit dies,* cui
non diſſimilis eſt illa in Amphitr. *Optimè optumo optumam operam das.* SINE SACRIS HER.
SVM APTVS EFF.] adeptus ſum hereditatem pleniſſimam, vberrimam & refertiſſimam,
ſine ſumtu & onere. adeptus ſum copias meras, nullo ſumtu admixto, aut adiuncto. adeptus
ſum magnum commodum, & emolumentum ſine vllo detrimento. Huius explicationis & ſen-
tentiæ ratio eſt: Sacra familiaria pecuniã ſequebantur, id eſt, eos ad quos pecunia teſtatoris per-
uenerat, puta heredem, bonorum poſſeſſorem, legatarium aliúmue ſucceſſorem, ſi non exſtabat
heres. At ſacra ſine ſumtu fieri non poterant, vt neque hodie fiunt. Itaque hereditatem mi-
nuebant, alia magis, alia minus. Qui igitur hæreditatem præſertim opimam, adeptus erat ſine
ſacris, is iure lætari poterat. quia magnum lucrum feciſſet ſine vllo intertrimento. Sed vt hunc
locum planiorem faciamus, libet verba Ciceronis ex lib. 2. de legibus, valde ad eum illuſtran-
dum accommodata, adſcribere. Sic igitur ille: *De ſacris autem, qui locus patet latiùs, hæc ſit vna ſen-
tentia, vt conſeruentur ſemper, & deinceps familiis prodantur, &, vt in leg. poſui, perpetua ſint ſacra.
Hoc poſito, hæc iura pontificum auctoritates conſecutæ ſunt, ne morte patrisfamiliâs ſacrorum familia occideret,
& vt iis eſſent ea adiuncta, ad quos eiuſdem morte pecunia venerit. Hoc vno poſito, quod eſt ad cognitionem di-
ſciplinæ ſatis innumerabilia naſcuntur, quibus implentur iuriſconſultorum libri. Quæruntur enim, qui adſtrin-* C
*gantur ſacris. Heredum cauſa iuſtißima eſt. nulla eſt enim perſona, quæ ad vicem eius, qui è vita emigrauerit,
proprius accedat. Deinde, qui morte, teſtamentóve eius tantundem capiat, quantum omnes heredes. id quoque
ordine. eſt enim ad id, quod propoſitum eſt, accommodatum. Tertio loco, ſi nemo ſit heres, is, qui de bonis, quæ
eius fuerint, cùm moritur, vſu ceperit plurimum poßidendo. Quartò, ſi nemo ſit, qui vllam rem ceperit, de cre-
ditoribus eius qui plurimum ſeruet. Extrema illa perſona eſt, vt is, qui ei, qui mortuus ſit, pecuniam debue-
rit, neminique eam ſoluerit, proinde habeatur, quaſi eam pecuniam ceperit. Hæc nos à Scæuola didicimus, non
ita deſcripta ſunt ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant tribus modis ſacris adſtringi hæreditatem:
aut ſi maiorem partem pecuniæ capiat: aut ſi maior pars pecuniæ ei legata ſit: aut ſi inde quippiam ceperit.*
SVM APTVS] ſum adeptus. apiſcor, ſimplex: adipiſcor, compoſitum. Lucretius
lib. 1. *Nec ratione animi quam quiſquam poßit apiſci.* EFFERTISSIMAM.] pleniſſimam, vber-
rimam, ampliſſimam, fructuoſiſſimam. Nonnulli legunt *offertißimam.* NVNC CVRSVM
AD SEN. CAPESS.] curram, vel currere incipiam ad ſenem. VT COMICI SERVI]
comici ſerui, comici ſenes, teſtes comici, aurum comicum, & ſimil. crebrò commemorantur
apud ſcriptores, atque adeò apud ipſos poëtas comicos. Cæcilius in Epiclero. *Hodie me ante om-* D
*neis comicos, ſtultos ſenes verſaris, atque luſeris lautißimè.* quos verſus refert M. Tullius in Lælio. Idem
in Catone maiore. *Nam quos ait Cæcilius comicos, ſtultos ſenes, hos ſignificat credulos, obliuioſos, diſſolutos.*
*κωμικὸς μάρτυς* apud M. Tull. in epiſt. quadam ad M. Cælium Ædil. lib. 2. epiſt. & aurum
comicum in Pœnulo. CONIICIAM IN COLLVM PALLIVM.] Sic in Epid. *Age, nunc
iam orna te, Epidice, & palliolum in collum coniice.* Terentius in Phorm. *Sed ego nunc mihi ceſſo, qui non
humerum hunc onero pallio atque hominem propero inuenire, vt hæc quæ contigerint, ſciat?*

HEGIO ſenex. ERGASILVS paraſitus.

HEG. QVanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo.
Ad illum modum ſublitum mihi os eſſe

Hodie



A Hodie mihi? neque id perſpicere quiui?
Quod cùm ſcibitur, per vrbem irridebor.
Cùm extemplò ad forum aduenero, omnes loquentur:
Hic ille eſt ſenex ductus, qoi verba data ſunt.
Sed Ergaſilus éſtne hic procul quem video?
Collecto quidem eſt pallio, quídnam acturu'ſt?
ER. Moue abs te moram, atque Ergaſile age hanc rem.
Eminor, interminórque, ne quis mi obſtiterit obuiam:
Niſi quis ſat diu vixiſſe ſeſe homo arbitrabitur.
Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet. HE. hic homo pugillatum incipit.
ER. Facere certum eſt. proinde vt omnes itinera inſiſtant ſua,
B Ne quis in hac platea negotij conferat quicquam ſui.
Nam meus eſt balliſta pugnus, cubitus catapulta eſt mihi.
Humerus aries: tum genu vt quemque icero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciam, quemquem offendero.
HE. Quæ illæc eminatio eſt? nam nequeo mirari ſatis.
ER. Faciam vt eius diei, locíque meíque ſemper meminerit.
Qui mihi in curſu obſtiterit, faxo vitæ is extemplò obſtiterit ſuæ.
HE. Quid hic homo tantum incipiſſit facere cum tantis minis?
ER. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam.
Continete vos domi, prohibete à vobis vim meam.
HE. Mira edepol ſunt. ni hic in ventrem ſumſit confidentiam.
C Væ miſero illi, cuius cibo iſte factu'ſt imperioſior.
ER. Tum piſtores ſcrophipaſci qui alunt furfuri ſues,
Quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt.
Eorum ſi quoiuſquam ſcropham in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
HE. Baſilicas edictiones atque imperioſas habet.
Satur homo eſt, habet profectò in ventre confidentiam.
ER. Tum piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos,
Qui aduehuntur quadrupedanti crucianti canterio,
Quorum odos ſubbaſilicanos omneis abigit in forum:
D Eis ego ora verberabo ſirpiculis piſcariis,
Vt ſciant alieno naſo quam exhibeant moleſtiam.
Tum lanij autem qui concinnant liberis orbas oueis,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt.
Qui petroni nomen indunt verueci ſectario,
Eum ego ſi in via petronem publica conſpexero.
Et petronem & dominum reddam mortaleis miſerrimos.
HE. Euge dictiones ædilitias hic habet quidem.
Mirúmque adeò eſt, ni hunc fecere ſibi Ætoli agoranomum.
ER. Non ego nunc paraſitus ſum, ſed regum rex regalior,
Tantus ventri commeatus meo adeſt in portu cibus.
Sed ego ceſſo hunc Hegionem onerare lætitia ſenem?

Qui homine hominum adæquè nemo viuit fortunatior. A
HEG. Quæ illæc eſt lætitia, quam hic lætus largitur mihi?
ER. Heus vbi eſtis vos? Ecquis hoc aperit oſtium? HE. hic homo
Ad cenam recipit ſe ad me. ER. aperite haſce ambas foreis,
Priuſquam pultando aſſulatim foribus exitium affero.
HE. Perlubet hunc hominem colloqui, Ergaſile. ER. Ergaſilum
qui vocat?
HE. Reſpice. ER. fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,
Hoc me iubes: ſed qui eſt? HE. reſpice ad me, Hegio ſum. ER.
oh mihi.
Quantum eſt hominum optumorũ, optumè in tempore aduenis.
HE. Neſcio quem ad portum nactus es vbi cenes, eò faſtidis.
ER. Cedo manum. HE. manum? ER. manum, inquam, cedo B
tuam actutum. HE. tene.
ER. Gaude. HE. quid eo gaudeam? ER. quia ego impero. age
gaude modò.
HE. Pol mœrores mi anteuortunt gaudiis. ER. noli iraſcier,
Iam ego ex corpore exigo omnes maculas mœrorum tibi.
Gaude audacter. HE. gaudeo, etſi nihil ſcio, quod gaudeam.
ER. Bene facis, iube. HEG. quid iubeam? ERG. ignem ingentem
fieri.
HE. Ignem ingentem? ER. ita dico, magnus vt ſit. HE. quid in eo
volt vrier?
Tuan' cauſſa me ædeis incenſurum cenſes? ER. noli iraſcier. C
Iuben', an non iubes aſtitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foueri foculis feruentibus?
Alium piſces præſtinatum abire? HE. hic vigilans ſomniat.
ER. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?
HE. Scis bene eſſe, ſi ſit vnde. ER. pernam atque ophthalmiam,
Horæum, ſcombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caſeum,
HE. Nominandi iſtorum tibi erit magis, quàm edundi copia,
Hic apud me Ergaſile. ER. mean' me cauſſa hoc cenſes dicere?
HE. Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes, ne fruſtra ſies.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. D
ER. Quin ita faciam, vt te cupias facere ſumtum, etſi ego vetem.
HE. Egóne? ER. tute. HE. tum tu mihi igitur herus es. ER.
imò beneuolens.
Vin' te faciam fortunatum? HE. malim, quàm miſerũ quidem.
ER. Cedo manum. HE. hem manum. ER. di te omnes adiuuant.
HE. nihil ſentio.
ER. Non enim es in ſenticeto, eò non ſentis. ſed iube
Vaſa tibi pura apparariер ad rem diuinam citò,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. HE. cur? ER. vt
ſacruſices.

Cui



A HEG. Cui deorum? ER. mihi hercle. nam ego tibi nunc ſum ſummus
Iuppiter.
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, lætitia, gaudium,
Proin tu deum huncce ſaturitate facias tranquillum tibi.
HE. Eſurire mihi videre. ER. mihi quidem eſurio, non tibi.
HEG. Credo: tuo arbitratu: facilè patior. ER. Conſuetu's puer.
HE. Iuppiter te díque perdant. ER. te hercle mihi æquum eſt gratias
Agere ob nuntium. tantum ego nunc porto à portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. HE. abi ſtultus, poſt tempus venis.
ER. Igitur olim ſi aduenisſem, magis tu tum iſtuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe à me, quam fero. nam filium
B Tuum modò in portu Philopolemũ viuum, ſaluum, & ſoſpitem
Vidi in publica celoce, ibidémque illum adoleſcentulum
Alium vnà, & tuum Stalagmum ſeruum, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
HE. I in malam rem. ludis me. ER. ita me amabit ſancta ſaturitas,
Hegio, itáque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Vt ego vidi. HE. meum gnatum? ER. tuum gnatum, & Ge-
nium meum.
HE. Et captiuũ illũ Alidenſem? ER. μὰ τὸν Ἀπόλλω. HE. & ſeruolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit? ER. νὴ τὰν σόραν.
HE. Iamdiu? ER. νὴ τὰν ϖραινέστην. HE. venit. ER. νὴ τὰν σιγνίαν.
C HE. Certon'. ER. νὴ τὰν φρουσινῶνα. HE. vide ſis. ER. νὴ τὸν ἀλέτριον.
HE. Quid tu per barbaricas vrbes iuras? ER. quia enim item aſperæ
Sunt, vt tuum victum autumabas eſſe. HE. væ ætati tuæ.
ER. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico ſedulò.
Sed Stalagmus qoius erat tunc nationis, cùm hinc abiit?
HE. Siculus. ER. at nunc Siculus non eſt, Boius eſt, Boiam terit,
Liberorum quærundorum cauſſa ei, credo, vxor data eſt.
HE. Dic, bonan' fide tu mihi iſtæc verba dixiſti? ER. bona.
HE. Di immortales: iterum natus videor, ſi vera autumas.
ER. An tu dubium habebis, etiam ſanctè cum iurem tibi?
D Poſtremò Hegio, ſi parua iuriiurando eſt fides,
Viſe ad portum. HEG. facere certum eſt, tu intus cura quod
opus eſt.
Sume, poſce, prome quiduis, te facio cællarium.
ER. Nam hercle niſi mantiſcinatus probè ero, fuſti plectito.
HE. Æternum tibi dapinabo cibum, ſi vera autumas.
ER. Vnde id? HE. à me, meóque gnato. ERG. ſponden' tu iſtud?
HE. ſpondeo.
ER. At ego tuum tibi adueniſſe filium reſpondeo.
HE. Cura quàm optumè potes. ER. bene ambula & redambula.

QVANTO IN PECT. H. R. N. M. VOLVTO.] Virgil. Æneid. 4. *Sic adeò inſiſtit, ſecúmq. ita corde volutat.* Idem 6. *Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat.* Lucret. lib. 3. *Senſiſcros motus, quædam qui corde volutent.* AVCTIOR] maior. AD ILLVM MODVM SVBL. M. OS

ESSE HODIE MIHI?] ſubintell.decet, par eſt? honeſtum eſt? mihi os ſublitum eſſe, autem, id eſt, me eſſe ludibrio habitum? me eſſe ludos factũ? me eſſe illuſum, vel deceptum? A SCIBITVR,] ſcietur. HIC ILLE'ST SENEX DVCTVS] id eſt, hic ille'ſt, qui inani ſpe ductus eſt, vel qui verbis inanibus, & vanis inductus, ac deceptus eſt. quidam legunt hoc modo, *Hic ille'ſt ſenex doctus: quoi verba data ſunt.* egó nihil muto, & ita interpretor, vt dixi, nempe vt ſenex ductus, & ſenex, quoi verba data ſunt, vnum ſint, per quandam ἐπεξήγησιν. CONLECTO QVIDEM'ST PALLIO.] id eſt, collegit pallium, & in collum coniecit. MOVE ABS TE MORAM:] remoue abs te morã. Virg.Georg.2. *en age, ſegneis Rumpe moras.* & lib.4.Æn. *Eia age, rumpe moras.* AGE HANC REM] hoc vnum age, & cura, vt aduentum filij Hegioni nuntiare properes. EMINOR,] palàm, vel pro meo iure minor. ſic dictũ eminor, vt edico. NISI QVIS SAT DIV VIXISSE SESE H. ARB.] id eſt, niſi quis homo volet mortem mea manu oppetere. Nonnulli legunt, *Niſi qui homo*, quo modo habent quidam libri. ORE SISTET.] id eſt, iacebit pronus in caput. non ſiſtet pedibus, ſed ore, cadet in os, à me valide pugnis pulſatus. PVGILATVM INCIPIT.] pugnos ſuos expedit, quaſi pugilatu certaturus, ſe ad pugilatum parat. ITINERA INSISTANT SVA.] ſic dixit inſtare viam in Aſin. non longè à princip. NAM MEVS EST BALL.] cõmemorat aliquot tela, & machinamenta antiqua, quibus pugnum, brachium, humerũ ſuum aſſimilat. balliſta à verbo Græco βάλλω, dicta eſt. B idcirco debet ſcribi cum gemino ll. Eſt autem balliſta machinæ genus, quo grãdia ſaxa, aut tela iaciuntur, & torquẽtur. catapulta, iaculum celere, inquit Nonius, vel ſagitta. Plaut. Curcul. *Atque ita te neruo torquebo, vt catapultæ ſolent*, deinde profert hunc locum. vox Græca eſt leuiter immutata καταπέλτης. ARIES] aries, machinæ genus, arietis animalis inſtar, qua muri olim verberabantur. Virgil.lib.2.Æneid. *Labat ariete crebro Ianua, & emoto procumbunt cardine poſtes.* Idem lib.12. *quique imos pulſabant ariete muros.* M.Tull. Offic. 1. *Tum qui, armis poſitis ad imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percuſſerit, recipiendi.* Idem Topic. *Ex quo aries ille ſubiicitur in veſtris actionibus, Si telum manu fugit magis, quàm iecit.* AD TERRAM DABO.] affligam, proſternam. DENTILEGOS OMNEIS MORT. F.] id eſt, iis omnibus hominibus, quos offendero, id eſt, in quos incurrero, ſeu quos obuiam inuenero, denteis ex ore excutiam, ita, vt denteis ſuos in terram decuſſos è terra tollere, & legere neceſſe habeant. QVEMQVEM OFFENDERO.] quemcunque offendero. FAXO VITÆ IS EXTR. OBST. S.] qui mihi (inquit) currenti obſtiterit, eadem opera vitæ ſuæ obſtabit: id eſt, mortem oppetet: quia eum pugnis contuſum obtruncabo. NE QVIS PROPT. CVLPAM CAP. S.] ne quis culpa ſua in fraudem incidat. IN VENTREM SVMSIT CONFID.] ad ventrem inanem explẽdum tantum confidentiæ ſibi aſciuit. C vel potius, ventrem inanem expleuit: & ita factus eſt confidentior. VÆ MISERO ILLI, CVIVS CIBO, &c.] ô illum miſerum, per cuius cibum iſte factus eſt in imperando inſolentior, & immodeſtior. propterea ſcilicet quia edax conuiua magnam vim cibi, & vini abſumſit. SCROF. PASCI,] ſcrofas paſcentes. ſcrofa ſus fœmina. FVRFVRI] furfure. furfur, farinæ excrementum. EXCVLCABO FVRFVRES.] calcibus excutiam furfures, id eſt, capitis ſordeis, & cutis purgamenta. BASILICAS ED.] regias quaſdam edicendi rationes, & formulas. ſic infrà non longè. *Euge edictiones ædilitias ſic habet quidem.* PRÆBENT] παρέχουσι, πορίζουσι. FÆTIDOS,] putidos. QVADRVPEDANTI] Virgil.lib.8. *Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.* CRVCIANTI] ſeſſorem ſuccuſſante, qui cruciat equitem, ſeu ſeſſorem ſuccuſſatione, & agitatione immodica. CANTERIO.] ſuprà Aulul. Sint viliores Gallicis canteriis. ODOS] odos, antiquè. pro odor. Notat Priſcianus lib.1. & hunc locum profert. SVBBASILICANOS] negotiatores, immò otioſos homines potius, qui ſub baſilica ſolebant deambulare. Sic M.Cælius lib.8.epiſt.ad M. Tull. *ſubroſtranos dixit*, qui ſub Roſtris ſedere, aut deambulare conſueuerant. Sic ille. *Te a.d. 9. Calend. Iun. ſubroſtrani (quod illorum capiti ſit) diſſiparant, periſſe*, &c. Sed dicamus tandem, ſubbaſilicanos, eos D eſſe intelligendos, qui commemorantur in Curcullione, ibi. *Diteis damnoſos maritos ſub baſilica quærito. Ibidem erunt ſcorta exoleta, quique ſtipulari ſolent.* EIS EGO ORA VERBERABO SIRPICVLIS P.] ſirpicula, vel ſirpiculum, caniſtri genus eſt à ſirpãdo, id eſt, alligando appellatũ. Sirpiculæ, inquit Varro lib.4. de lingua Latina, vocatæ à ſirpando, id eſt, alligando. Propertius lib.4. *Paſtorem ad baculum poſſum curare: vel idem Sirpiculis medio puluere ferre roſam.* Columella lib.10. *Et vos agreſtes, duro qui pollice molleis Demetitis flores, cano iam vimine textum Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.* VT SCIANT ALIENO N. Q. EXHIB. M.] vt ſciant, quàm valde naſum aliorũ offendant fœtidorũ piſcium odore. QVI CONCINNANT LIBERIS ORB. OVEIS:] id eſt, qui oueis orbant agnis: concinnant orbas, id eſt, reddunt orbas: liberis, hoc eſt agnis: ἄκυρον. ET DVPLAM AGNINAM DANVNT] id eſt, & dant carnem agninam ouilla duplicatam, vt ouilla caro videatur emtoribus agnina, tanquam ea, quæ re vera eſt agnina: vendúntque ouillam pro agnina. QVI PETRONI NOMEN IND. VERVECI SECT.] qui petronem, hoc eſt, arietem, veruecẽm appellant. Porrò carnem veruecinam arietinæ anteponendam eſſe conſtat. veruecem, ſectarium dixit Plautus, quòd ei ſecti ſint teſticuli: arietem autem, petronem, à duritie & aſperitate. Nam Feſtus ruſticos ait petrones eſſe dictos, à petrarum aſperitate, & duritia. EDICTIONES ÆDILITIAS.] edicendi formulas ædilium



A lium minorum, id eſt ædilium plebis proprias. erant enim alij ædiles, qui maiores, & curules nominantur. ad priorem ædilitatem referendus eſt titulus de ædilitio edicto, lib.21. Digeſtorũ. de eadem & Iuuenalis Sat. *Et de menſura vis dicere vaſa minora frangere pannoſus vacuis pannoſas vlubris.* Taleis ædileis ἀγορανόμους nominant Græci, vt ſignificat ipſe Plautus verſu proximo. de altera M.Tull.lib.2. de Legib. *Suntóque ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorúmque ſollemnium: olliſque ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto.* Idem plura lib.5. accuſat. in princip. ibi. *Nunc ſum deſignatus ædilis. habeo rationem. quid à populo Rom. acceperim. Mihi ludos ſanctiſſ. maxima cum cæremonia Cereri, Libero, Liberæq́ faciundos*, &c. AGORANOMVM] ædilem plebis annonæ, rebúſque forenſibus, & venalibus præfectum. REGVM REX REGALIOR.] παμβασιλεύς, βασιλεὺς βασιλέων, vt Agamemnon in exercitu Græcorũ. TANTVS VENTRI COMMEATVS MEO ADEST IN P. C.] *cibus* hìc generandi caſus eſt, vt in Amphitr. *lectus*, ibi. *Quàm lectus, vbi cubuiſti, concaluit locus.* Priſcian.lib.6. *ventus venti: cibus cibi: quamuis & huius cibus antiqui protuliſſe inueniuntur.* Plaut. capt. *tantus ventri*, &c. QVI HOMINEM ADÆQ. V. F.] Quo homine nemo viuit fortunatior, neq. æquè fortunatus, iunxit aduerbium, *adæquè*, cum cõparatiuo, vt ſupra. *Nec eſt quiſquam mihi, æquè cui melius velim.* quem verſum ſic explicandum puto. Nec eſt quiſquam mihi. cui æquè bene velim, nec cui melius velim. PRIVSQVAM PVLTANDO ASSVLATIM, &c.] B id eſt, priuſquam foreis pulſando minutatim effringo, vel in minutas particulas diſſeco. Nonius aſſulatim, id eſt, minutatim, inquit. deinde hunc verſum profert, & illum ex Menæch. *Deinde dolabo aſſulatim viſcera.* Iam illud, *foribus exitium affero*, dictum eſt tranſlatè, pro foreis effringo. Quanquam non celabo lectorem, apud Nonium legi, *aſſulatim dabo*: quam lectionem reiicio. HVNC HOMINEM COLLOQVI.] ſic ſolet loqui Plautus. RESPICE.] retro aſpice. oculos ad me reflecte. faciem à me auerſam, ad me conuerte. FORTVNA QVOD TIBI NEC F. NEC F. &c.] id eſt, Fortuna tibi propitia non eſt, qui ſic me moraris, iubes me ad te reſpicere, & ita me properantem moraris. At te Fortuna non reſpicit, neque reſpiciet. id eſt, at tu infortunatus & es, & eris. Alludit autem ad ædem Fortunæ reſpicientis, quæ fuit Romæ iuxta templum Iouis victoris: quam cõmemorat M.Tull.lib.2. de Legib. his verbis. *Rectè etiam à Calatino Spes conſecrata eſt: Fortunáque ſit vel huius diei: nam valet in omneis dies: vel reſpiciens, ad opem ferendam: vel fors:* &c. & Plutarchus ῥωμαϊκοῖς. Οὐ γὰρ μόνον τύχης εὐέλπιδος, καὶ ἀποτροπαίου, καὶ μειλίας, καὶ πρωτογενείας, καὶ ἄρρενος ἱερὰ κατεσκεύασεν, ἀλλ' ἔστιν ἰδίας τύχης ἱερὸν, ἕτερον δὲ ἐπιστρεφομένης, &c. Ludit igitur hìc Plautus in verbo ancipiti, & ambiguo, *reſpicere.* Nam reſpicere, & retro aſpicere, quomodo accipit Hegio, & quaſi retro aſpiciẽdo fauere ſignificat. Sumtum ab iis, C qui cùm opitulari, & ſubuenire nobis poſſint, principio nos auerſantes, prætereunt ac deſerunt: deinde aliquando tandem ad nos reſpiciunt, & mente mutata, nobis opitulantur. Iubes, inquit, tu me ad te reſpicere, quiſquis es: quod Fortuna tibi non faciet, nec facit. nam tibi, qui me properantem moraris, Fortuna non fauebit, neque fauet: ſed contra iniqua, atque irata eſt, quia tibi pugnis, cubito, humeris, & membris omnibus caput cõminuam, & denteis ex ore decutiam. Fortuna, aut Deus eos reſpicere dicitur, quib. aliquando, poſteaquam eis inimica, & infeſta fuit, placatur, & propitia fit, & ridet. Virgil. in Tytiro. *Libertas, quæ ſera tamen reſpexit inertem, Candidior poſtquàm tond. barba cad. Reſpexit tamen, & longo pòſt tempore venit.* Terent. in Andr. *Charine & me, & te imprudens, niſi quid dij reſpiciunt, perdidi.* Idem ibidem in extr. *age, me in tuis ſecundis rebus reſpice.* Idem Adelph. *Nam is noſtro Simulo fuit ſummus, & nos coluit maximè.* CAN. *Nam hercle alius nemo reſpicit nos.* Plautus Bacchid. *Tace modò. Deus reſpiciet nos aliquis.* Horat. oda 2. lib.1. *Siue neglectum genus, & nepotes Reſpicis auctor.* Propriæ autem huius verbi ſignificationis exempla ſunt innumerabilia, ſed vnum commemorabo luculentum. continet enim notum illum Auguſti iocum in quendam iactabundũ: qui iocus refertur à Macrob.lib.2. Saturnal.cap.4. Saxo in expeditione percuſſum, atque inſigni cicatrice in frõte deformem, nimiùm tamen ſua opera iactantem, D ſic leuiter caſtigauit. *At tu cùm fugies, nunquam poſt te reſpexeris.* OH MIHI QVANTVM EST HOMINVM OPT. OPTVMÈ] oh, optime hominum, quantum eſt hominum optimorum. Sic Catull. ad Verannium, *O quantum eſt hominum beatiorum.* EÒ FASTIDIS] eò faſtidioſus es. vel eò me, & alios omneis obuios faſtidis atq; aſpernaris. CEDO MANVM.] ſalutantium, & gratulantiũ ſermo. Idem Mercat. *Vxor tibi placida, & placata'ſt. cedo dextras, nunc iam.* POL MOERORES MI ANTEVORTVNT G.] id eſt, pol, plus habeo mœrorũ, quàm gaudiorum. vel ſic, pol mœrores mihi gaudia ſuperant. IAM EGO EX CORPORE EXIGO OMNEIS MAC. MOER.] Iam ego ex corpore tuo omneis mœrorum notas deleo. Sed cur dixit, ex corpore, & non ex animo? Quemadmodum morbi corporum ad animos interdum perueniunt: ita contrà morbi animorum ad corpora nonnunquam trameant. Itaque videmus plerunque homines animi ægritudine confici, & cõtabeſcere, & in corporibus hominum mœſtorum notas mœrorum ſæpe agnoſcimus, vt maciem, pallorem, truceis oculos, ſqualorem corporis; & ſimil. ETSI NIHIL SCIO QVOD GAVD.] etſi nihil ſcio, propter quod gaudeam. QVID IN EO VOLT VRIER?] Hæc ſecum loquitur Hegio, ad ſpectatores verſus. CENSES?] putas? ASTITVI AVLAS?] ollas ad ignem admoueri: ollas iuxta ignem locari? FOVERI FOCVLIS FERVENTIB.] calefieri, & ferueſieri paruis focis luculentis; & igne multo quaſi feruentibus? Sed quid ſi dicamus, hìc non foculos, id eſt, paruos

focos,ſed focula ſignificari? Focula autem,vt docet Nonius,ſunt nutrimenta.Vnde & foculare
A dicitur,vt fouere. Plautus Perſa. *at ædes. Nam iam intus fumant focula.* Ego tamen malim neque fo-
culos,id eſt,paruos focos intelligi,neque focula,id eſt,nutrimenta, ſed ænea vaſcula, & ita legi
*coculis.*ad coquendum apta. ALIVM PISC. PRÆS. ABIRE?] alium aliquem è familia-
ribus,aut famulis tuis emtum piſceis ire?Feſt. *Præſtinare,* inquit, *apud Plautum emere eſt.*id eſt, *emen-
do tenere.* HIC VIGILANS SOMNIAT.] Lucret. libr.3. *Et vigilans ſtertis.* Terent. Andr.
*num ille ſomniat,quæ vigilans voluit?* PORCINAM,] carnem ſubintell. SCIS BENE ESSE,
SI SIT VNDE.] id eſt,ſcis tibi bene facere: ſcis lautè,& opiparè te accipere, ſi habeas, vnde
ſumtum facias. *eſſe* hîc, eſt à verbo ſum es eſt:non à verbo edo es eſt. Sic in Menæch. *Quid multis
verbis opus eſt?minore nunquā benè fui diſpendio.* Plura collegimus huius locutionis exempla in com-
mentar.Lucretianis,ad illū locum,*bene erat,non piſcibus vrbe petitis,*&c.Sat.2.lib.2. PERNAM,]
perna à pede,inquit Varro lib.4.de lingua Lat.de pernarum ſalſura legendus Cato lib.de re ruſt.
in extr. de coquendi ratione. Apicius lib.7.cap.9. OPHTHALMIAM.] piſcem ab oculo-
rum magnitudine dictum:quem oculatum vocāt Latini. alij ophthalmiam interpretantur car-
nem oculis vicinam, & oculos ipſos certo modo conditos. Præterea alij ophthalmia legunt
numero multitudinis:alii optaleam. HORÆVM,] horæum ſalſamenti genus eſt ex pelami-
de piſce. cui quod ius ſit aptum docet Apicius lib.10.cap.5.de horæo autem ſic Athen.lib.3.
B Διοκλῆς μὲν ὁ καρύστιος ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς ἐπιγραφομένοις, φησὶ τῶν ταρίχων· τῶν ἀπέλων κρά-
τιστα εἶναι τὰ ὡραῖα· τῶν δὲ πιόνων τὰ θύννια. ἱκέσιος δ' ἱστορεῖ οὐκ εἶναι εὐεκκρίτους κοιλίαις οὔτε
πηλαμύδας,οὔτε τὰ ὡραῖα, &c.id eſt,Diocles autē Caryſtius in iis libris, qui de Salubritate in-
ſcribuntur, ait Salſamentorum eorum, quæ pinguia non ſunt, eſſe optima, horæa: eorum verò
quæ pinguia ſunt, thunnia: Hiceſius verò narrat neque Pelamidas, neque horæa ventribus ad
egerendum eſſe facilia, &c.ex quibus verbis præter alia,hoc quoque intelligimus, horæū, quod
initio dixi, ſalſamentum fuiſſe ex Pelamide, vt thynniam ex thynno. SCOMBRVM] piſcis
notus eſt, ex quo garum optimū fiebat. Perſ.Sat.1.*nec ſcombros metuentia carmina,nec thus.* ET TRI-
GONVM,] piſcem à figura triquetra,vt quidam volunt:ſed ego legendum cenſeo, trygonum,
per y Græcam litteram:ſeu trygona. Eſt autem τρύγων, auis & piſcis,quem turturem,ſeu potius
paſtinacam Latini appellant,nomen. CETVM] cete, κῆτος. maiores piſces, cete appellant
Græci,& Latini. ET MOLLEM CASEVM,] caſeum recentem. Sic Virgil.dixit, caſtaneas
molleis,teſte Nonio,vel dic,pinguem.Virg.Tityro.*Pinguis & ingratæ premeretur caſeus vrbi.* No-
MINANDI ISTORVM, &c.] Nominandi iſtorum,dixit,pro nominandorum iſtorum: &
edundorum: & ita ſæpe loquebantur veteres. Lucret.lib.5. *Ne quod ob admiſſum fœdè, dictúmque ſu-
perbè, Pœnarum graue ſit ſoluendi tempus adactum.* Terent.prologo Heaut. *date creſcendi copiam, Nouarum* C
*qui ſpectandi faciunt copiam ſine vitiis.* Plura exempla collegimus ad illum locum,ſi quis plura quæ-
ret. NE FRVSTRA SIES.] ne forte fruſtreris. PROIN TV TVI QVOTIDIANI
VICTI, &c.] Priſcianus lib.6.hic victus,huius victi,inquit. Deinde hunc verſum profert.pro-
fert & Nonius.ſententia autem hæc eſt,affer ad me ventrem, victu tuo quotidiano contentum,
non cibos ſumtuoſos,& dapes opiparas appetētem,& deſiderantem. TVM TV IGITVR,
&c.] tum pro ergo, vt ſæpe alias, vt ſit σχῆμα ἐκ παραλλήλου. BENEVOLENS] beneuo-
lus. ſic ſuprà,eadem comœd. *Omnium primum ſalutem dicito matri ac patri, Et cognatis,& ſi quem alium
beneuolentem videris.* NIHIL SENTIO.] nihil ſentio, quamobrem me fortunatum dicere
debeam. NON ENIM ES IN SENTICETO.] non eſt mirum, inquit paraſitus, te nihil
ſentire.non enim es in loco ſentibus obſito. SED IVBE VASA PVRA, &c.] ſic ſuprà.
in Amphitr. *Iube verò vaſa pura adornari mihi,* &c. ad quem locum ſatis multa, quæ ad hanc rem
pertineant,diximus. PROPRIVM,] tuum. Nā aliena diis immolare nefas eſt. PINGVEM.]
quales victimæ debēt diis immolari.ex quo pingues aræ. Virgil.lib.7.*pinguis vbi, & placabilis ara
Dianæ.* & eximiæ pecudes,quæ de grege exemtæ ſunt, vt plenius paſtæ & ſaginatæ, immolentur. D
SALVS,] M.Tull.lib.5.accuſationis: *& cum multis facibus mihi obuiam venit: & ita me ſuam ſalutem
appellans,te ſuum carnificem nominans,mihi ad pedes miſera iacuit.* LVX,] Cicero Terent.lib.14.epiſt.
*Hem mea lux, meum deſiderium.* Homerus ἰλ. Σ. Οὐδέτι Πατρόκλῳ γενόμην φάος,οὐδ' ἑτάροισι
τοῖς ἄλλοις. &c. Idem ἰλ. Θ. Βάλλ' οὕτως, αἴκεν τι φόως Δαναοῖσι γένοιο. Virgil.lib.2. Æneid.
*O lux Dardaniæ, ſpes ô fidiſſima Teucrûm.* SATVRITATE] ſupra eadem comœd. *Vnde ſaturitate
ſæpe ego exij ebrius.* infra ead.ſcena. *ita me amabit ſancta ſaturitas.* FACIAS TRANQVILLVM
TIBI.] propities, lenias,leuem reddas, places tibi. MIHI QVIDEM ESVRIO, N. T.]
iocus ex eo,quod ſenex dixerat,quæſitus: *Eſurire mihi vidêre.* cuius ſententia plana eſt, hoc enim
ſignificat, tu ſpeciem mihi præbes hominis eſurientis. vt *mihi* cohereat cum *vidêre.* At paraſitus
ſic accepit, quaſi ſenex dixiſſet, paraſitum videri eſurire Hegioni, vt *mihi* cohæreat cum *eſurire.*
CREDO.] credo te tibi eſurire. TVO ARBITRATV.] eſurito,vt lubet. FACILE PA-
TIOR] facilè patior,te eſurire, ſcilicet. hic Hegionis ſenſus eſt. ſed paraſitus in ſenſum obſcœ-
num,& ſpurcum detorquet,quaſi ille dixerit, ſe facile pati alterius in corpore ſuo libidinem, &
ſe facilè alterius animo, & libidini morigerari. CONSVETV'S PVER.] non eſt mirum,
inquit,te facilè pati ſubactorem,aut ſtupratorem,tu enim puer cōſueuiſti. Hunc verſum,quem
quidā delerant,reſtituimus,non quòd hæ ſententiæ,tam ſpurcæ,nobis probentur, aut placeant,
quæ



A quæ contrà vehementer diſplicent: ſed quod Plautum integrum, & ſuis membris ac partibus
abſolutum, quoad eius fieri poteſt, & quantum in nobis ſitum eſt, non mutilatum, neque ca-
ſtratum,vt iſti foris & palàm ſeueri:domi,& in operto diſſoluti, volunt, edendum eſſe exiſtime-
mus. IVPITER TE, DIIQ. P.] propter iſtud dictum tam proteruum, ac flagitioſum.
ABI STVLTVS: POST TEMP. V.] id eſt,abi tu, qui ſtultus es. vel, poſita diſtinctionis
nota poſt,verbum,*abi,*& deleta poſt,vocem *ſtultus* ſic explica:abi: ſtultus poſt tempus venis: id
eſt,nimis ſerò ad cenam venis.ego autem iuſſeram te tempori venire. IGITVR OLIM SI
ADVENISSEM, MAGIS TV TVM ISTVD DICERES.] ſententia huius verſus eſt,
multo igitur mihi tum diceres,me poſt tempus venire,ne apud te cenarem,ſi olim aduenìſſem.
talem nuntium ſcilicet,qualem nunc affero,tibi non afferens: cùm mihi tam lætum nuntium af-
ferenti,iſtud dicas. Proinde ac ſi dicat:ſiquādo iſtud mihi dicere potuiſti: nunc non potes, aut
certè non debes. IN PVBLICA CELOCE.] celox, inquit Nonius, nauigium breue, di-
ctum à celeritudine:deinde hūc locum profert,& alterū illum ex Aſinar. *Vnde ſumam?quem inter-
uortam? quò hanc celocem conferam?* Et tertium ex Pœnulo. Fulgentius, *Celocem*, inquit, *genus nau-
culæ modicum,quod bamplum dicimus.* ALIVM] Eleum. QVADRIMVM PVERVM,] Pæ-
gnium:qui nunc Tyndarus nominatur. ITA ME AMABIT S. SATVRITAS] iuſiu-
B randum paraſito dignum. Nam ſaturitas paraſito edaci omniū deorum, deorúmque inſtar eſt.
ITAQ. SVO ME SEMPER COND. COGN.] id eſt, & ita me ſemper ſaturum faciat.
MEVM GNATVM?] ſic rogare ſolent, qui non credunt, quod ſibi nuntiatur, aut dicitur:
quamuis cupiant eſſe verum. ET GENIVM MEVM.] qui mihi Genij inſtar eſt. Genius,
autem, rerum omnium gignendarum Deus eſt. ET CAPTIVVM ILLVM ALIDEN-
SEM?] & Polycratem Elide natum? μὰ τὸν Ἀπόλλω.] per Apollinem. νὴ τὰν σόραν.]
per Soram.Sora,Colonia populi R.in Campania.ex qua Valerius Soranus,qui auſus aliud Ro-
mæ nomen, optima(vt ait Plinius lib.3.cap.5.) & ſalutari fide abolitium enuntiare,luit pœnas.
νὴ τὰν πραινέστην.] per Prænestē,ſeu potius Præneſte. Præneſte,Campaniæ oppidū:à quo ſortes
Præneſtinæ. M.Tull.lib.2.de Diuin. *Fani pulchritudo, & vetuſtas Prædeſtinarum etiam nunc ſortium
retinet nomen,atque id in vulgus.quis enim magiſtratus,aut quis vir illuſtrior vtitur ſortibus,* &c. Sequitur
paucis verbis pòſt.*quod Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum,nuſquam ſe fortunatiorem,quàm Præ-
neſte,vidiſſe fortunam.* Horat.epiſt.ad Loll.1.lib.1. *Troiani belli ſcriptorem, maxime Lolli, dum tu declamas
Romæ,Præneſte relegi.* νὴ τὰν σιγνίαν.] per Signiam. Signini etiam in Campania ſunt. νὴ τὰν
φρουσινῶνα.] per Fruſinonem. Plinius lib.3.cap.5.*Ex falerno,*inquit,*Fruſinates,Ferentinates,Fregina-
C tes,*&c.νὴ τὸν ἀλέτριον.] per Aletrinum. Aletrinum etiam Campaniæ oppidum: vnde Aletri-
nates. PER BARBARICAS] Italicas. VT TVVM VICTVM AVTVMABAS
ESSE.] vt tuum victum dicebas eſſe, ſuprà. *Aſper meus ſanè victus eſt.* VÆ ÆTATI TVÆ.]
ætatem tuam miſer viuas. SEDVLO] bona fide. ſedulo, inquit Nonius, ſignificat ſine do-
lo. BOIVS EST, BOIAM TERIT.] Boij Galliæ tranſalpinæ, immo Ciſalpinæ, habita
ratione loci,in quo hæc ſcribimus,populi,quos in illo tractu interiiſſe ſcribit Plin.lib.3.c.15.Fue-
runt etiā populi Tranſrhenani: & poſtea in alias,atq. alias ſedes tranſlati:nunc partim Sequanis,
partim Heluetiis finitimi.Eſt etiā Boia Græciæ oppidū in Peloponneſo,non longè à Cypariſſia:
de qua Strabo lib.8. Eſt autem hic iocus in verbo ambiguo. Nam Boia, & fœmina Boia eſt, &
vinculi genus tam ligneum,quàm ferreum, vt docet Feſtus.ſupra in Aſin. *Neruos, catenas, carceres,
numellas, pedicas, boias.* Significare igitur volens Paraſitus,Stalagmum vinctum eſſe,& vinculum,
quo adſtrictus eſt,terere,ait eum Boiam terere,& Boiam ei vxorem eſſe datam, liberorum pro-
creandorum cauſa. ambiguum autem maximè conſiſtit in hoc,*boiam terit.* Nam & qui artè vin-
cti ſunt, dicuntur, vìncula, quibus adſtricti ſunt,terere:& qui cum muliere aliqua crebrò rem
habent,eam terere:& eſt mulier trita. Propert.lib.3. eleg.9. de Cleopatra. *Et famulos inter fœmina
D trita ſuos.* LIBERORVM, QVÆR. C.] id eſt,filiorum ſuſcipiendorum gratia. *liberorum.* di-
ctum eſt impropriè. Nam ſeruorum liberi eſſe non poſſunt, cùm ſeruorum nuptiæ iure ciuili
non ſint,cúmque ex ſeruo,& ancilla liber naſci non poſſit. dixi ex ancilla. nam ſi mater eſſet li-
bera,quod naſceretur,liberum eſſet.partus enim ſequitur ventrem. DIC BONAN' FIDE
TV M. &c.]non credit Hegio paraſito,quamuis iurato. iurauerat enim ille per Apollinem.
ITERVM GNATVS VID.] iterum natus videor. ſuprà in prologo Amphitr. *Gnatum ar-
bitratur eſſe id à vobis ſibi.* SI VERA AVTVMAS.] Si vera dicis. VISE AD PORTVM.]
viſere ad portum,viſere ad ægros,& ſimil.vſitatum loquendi genus bonis ſcriptoribus.Lucret.
libr.2. *Nam quicunque ſuos fugitabant viſere ad ægros,* &c. ad quem locū exempla collegimus ex aliis
ſcriptoribus non pauca. CÆLLARIVM] cellæ præfectum, vel cellæ curatorem. NAM
HERCLE, NISI PROBÈ MANTISC.] *mantiſcinatus* vox vrbanè, & facetè à Plauto fa-
cta,à Græco nomine μάντις, id eſt,vates, & cano,videlicet ad exemplum vocis *vaticinatus*.ſen-
tentia autem hæc eſt, Enimuero niſi repertus abs te fuero verus vates, etiam fuſte caſtigato.
Enimuerò niſi compereris me verè tibi vaticinatum eſſe,non recuſo, quin me vel fuſte plectas.
*mantiſcinatus* igitur dixit,pro *vaticinatus*. ineſt tamen in *mantiſcinatus*, fortaſſe aliquid ambigui,
vt hoc intelligat,ſe probè manticam,id eſt,ventrem ſuum expleturum,atque oneraturum: nam
quòd nonnulli putant paraſitum dicere, ſe furaturum, à manticulis, & manticulando, de quo

A Feſtus, errant. magis mihi placet ſuperior ſententia. Veruntamen ego hac de re nihil affirmo, iudicent eruditi. Sed non celabo lectorem, aliquot libros manuſcriptos habere, *manticinatus*, ſine conſonante ſ. in media voce. FVSTI.] fuſte. Sic apud Lucret. colli pro colle. parti, contagi, voci, &c. pro parte, contage, voce, &c. Sic ille lib. 2. *Sæpe etiam in colli tondentes pabula læta*, &c. DAPINABO CIBO.] aliud verbum à Plauto fabricatum ad ſimilitudinem verbi *propinabo*: dapinabo autem, id eſt, dapes præbebo. *dapinabo cibum* verò ſic dictum, vt ædificare ædeis, & οἰνοχοεῖν οἶνον ſeu νέκταρ & ſimil. Nec hoc quidem diſſimulabo, me reperiſſe ſcriptum in omnibus ferè noſtris libris manuſcr. *æternum tibi dapinabo victum*, quo modo impreſſum eſt in omnibus vulgatis. quam ſcripturam reieci, quia contra carminis legem facit, & verſum corrumpit. Nam niſi legatur, *dapinabo cibum*, quemadmodum edidit Camerarius, vt *bo cibum* ſit anapæſtus. ſuperuacanea erit vna ſyllaba. SPONDEN' TV ISTVD? HEG. SPONDEO.] En ſtipulatio. RESPONDEO.] iocus in verbo. Nam reſpondeo valet, iterum ſpondeo, & reſponſum do.

## ERGASILVS.

B
ILlic hinc abiit, mihi rem ſummam credidit cibariam.
Di immortales, iam vt ego collos prætruncabo tergoribus!
Quanta pernis peſtis veniet? quanta labes larido:
Quanta ſumini abſumedo? quanta callo calamitas?
Quanta laniis laſſitudo? quanta porcinariis?
Nam ſi alia memorem, quæ ad ventris victũ conducunt, mora eſt.
Nunc ibo ad meam præfecturam, vt ius dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium vt feram.

ILLIC HINC ABIIT,] id eſt, ille hinc abiit: ſed videtur legendum, illic him abiit. alioqui verſus ſua menſura non conſtabit. niſi dicamus, in aduerbio *illic.* exteri alterum l. quod non eſt Plauto inuſitatum, ne Terentio quidem. ſunt enim trochaici. Him autem, & iſtim, & illim, dixiſſe veteres pro hinc, iſtinc, illinc, conſtat. REM SVMMAM CIB.] rem ſummam ci- C bariam, ita dixit, vt ſæpe M. Tull. *rem ſummam publicam.* IAM VT EGO COLLOS PRÆTRVNCABO TEGORIBVS?] quomodo iam ego colla præcidã tergoribus ſuũ, & aliorũ pecorum? *Collus* dixiſſe veteres in genere maſculino, admonet Nonius, exemplis aliquot collectis. Cæcilius in Synepheb. *Ad reſtim res redit. immò collus, non res. nam ille argentum habet.* Cato Serc. *Accipite ſi vultis, hoc onus in veſtros collos.* Næuius in Colace. vtrùm ſcapulæ plus, an collus, calli habeat. Plautus Amphitr. *Malæ, mentum, barba, collus*, &c. Secutus ſum autem in hoc loco reſtituendo Adr. Turnebi, viri doctiſſ. coniecturam, qui pro *tergoribus*, quod in omnibus libris reperitur, verſu repugnante, *tegoribus* reponendum cenſuit. lib. aduerſ. 22. cap. 6. Atque hanc emendationem tuetur ille Varronis auctoritate, cuius hæc verba ſunt. lib. 4. de ling. Lat. vt quidem ille legit, *Tegus ſuis, ab eo, quòd tegit, vt perna, à pede*, &c. Nam in libris ſcriptum eſt, *tergus ſuis.* Sed huic lectioni aduerſatur vox *collos*: nam conuenienter, aut verè dici non poteſt, prætruncare collos, ſeu colla tergoribus animalium. Tergora enim, partes ſunt animalium à collis diſtinctæ, & quæ ſine collis conſtare poſſunt. Præterea veteres dixiſſe *tegus*. pro *tergus* non ſatis liquet. Præterea tergus, corium ſignificat, vt docet Nonius, & probat Virgilij teſtimonio. ſic enim ille lib. 1. *Tergora diripiunt coſtis.* D Quòd ſi quis dicat, nonnullos legere *callos*, vt per callos intelligamus partes tergoris denſiores, ac ſolidiores, vt *callum aprugnum*: primùm omnes libri habent, *collos*: deinde *callum* dicitur potius in genere neutro, quàm *callus*: aut ſi *callus* quoque dicitur in numero ſingulari, non continuò *calli* in numero multitudinis reperitur. Omnino hic locus non caret difficultate, quem olim putabam tolli poſſe, ſi legamus, *Dij immortales: iam vt ego collos prætruncabo pecoribus?* de qua coniectura iudicent lectores ſagaces, & eruditi. Eam quidem adiuuat laniorum facta infrà non longè mentio. laniis enim opus non eſt, ſi nulla animalia iugulantur, pernæque tantùm & laridum, & ſumen, & ſimilia parantur. ego interea ſcripturam antiquam, & receptam, excepto quòd cum Turnebo *tegoribus* edidi, quia *tergoribus*, ferri non poteſt, retinendam putaui. QVANTA PERNIS PESTIS VENIET?] pernis magna peſtis veniet, quia coctæ apponentur, & comedentur. QVANTA LABES LARIDO!] videtur ex paranomaſiis lepôrê ſermonis quæſiſſe. *pernis peſtis: labes larido: ſumini abſumedo: callo calamitas: laniis laßitudo.* QVANTA SVMINI ABSVMEDO?] vocem finxit à verbo *abſumo*, non multùm à ſumine diſcrepantem, paronomaſiam quærens: qua ſignificat abſumtionem. eſt autem ſumen, mamma ſuila cum lacte ſuo iam abdito, & in aliã naturam verſo, vel ſiccato. Martialis lib. 13. *Eſſe putes nondum ſumen, ſic vbere largo Effluit, & viuo lacte papilla tumet.* QVANTA CALLO CALAMITAS?] callum,



A callum, ſeu callus, caro durata, & denſata, vt diximus in Pœnulo. *callum aprugnum callère æquè non ſinam.* Idem in Perſa. *magis calleo, quàm apprugnum callum callet*: ſignificat etiam abdomen & carnem pinguem, & quaſi calloſam: quanta callo, inquit, calamitas, id eſt, quanta callorum ſuillorum vis, & copia exedetur? Terent. Heaut. de Bacchid. *Fundi noſtri calamitas.* QVANTA LANIIS LASSITVDO?] laſſi erant lanij pecoribus mactandis, & iugulandis, & in fruſta ſecandis: hic locus meam illam coniecturam adiuuat, vt dixi, qua legendum ſuſpicor ſuprà, *prætruncabo pecoribus?* PORCINARII?] iis, qui porcinæ carni præfecti ſunt. NVNC IBO AD M. PRÆF. VT IVS D. L.] allegoria eſt ducta à præfurarum ratione, & præfectorum conſuetudine. ſolebant enim præfecti in ſuis præfecturis ius dicere. ad eorum igitur exemplum ait paraſitus ſe ire ad præfecturam ſuam, vt ius dicat larido. ET, QVÆ PENDENT INDEMN. P. EIS VT AVX. F.] pergit iocari paraſitus. Pernæ poſteaquàm multo ſale, ídque per aliquot dies maceratæ ſunt, ſuſpenduntur in carnario, quod fit non pœnæ, ſed rationis domeſticæ, & prouidendi in poſterum alimenti, penoríſque gratia. Quod igitur fit vtilitatis cauſa, & ex ratione rei familiaris tuendæ, id quaſi nomine pœnæ factum accipit. Sic in Trinummo ſeruus Staſimus quæritur, leges ad parietem fixas eſſe clauis ferreis: vbi malos mores, inquit, affigi nimio fuerit æquius: cùm tamen B leges non pœnæ nomine, ſed vt in publico propoſitæ ab omnibus cognoſci poſſent, clauis affigi ſolerent. De pernis autem ſalliendis, & poſteaquàm accuratè ſallitæ ſunt, ſuſpendendis, multa præcipit Cato cap. 162. Sed hæc pauca de multis adſcribam. *Vbi iam dies quinque in ſale fuerint: eximito omneis cum ſuo ſale. Quæ tum ſummæ fuerint, imas facito: eodémque modo obruito, & componito. Poſt diem omnino duodecimum pernas eximito, & ſalem omnem detergeto, & ſuſpendito in vento biduum. Die tertio extergeto ſpongia bene, perunguito oleo. ſuſpendito in fumo biduum. Tertio die demito. Perunguito oleo, & aceto commixto: ſuſpendito in carnario*, &c. Iam ſerui pendentes vapulabant, vt ſuprà diximus. Præterea malefici damnati, in crucem tollebantur. Pernis igitur, quæ pendent indemnatæ, auxilium ſe ferre velle oſtendit paraſitus, cùm hoc & ſentiat, & ſignificare velit, ſe pernas, quæ in carnario pendent, tollere, & depromere velle, vt eas coquendas curet, & coctas apponat.

## PVER HEGIONIS.

C
DIeſpiter te, díque, Ergaſile, perdant, & ventrem tuum,
Paraſitóſque omneis, & qui poſthac cenam paraſitis dabit.
Clades calamitáſque, intemperiéſque modò in noſtram aduenit domum.
Quaſi lupus eſuriens, metui ne in me quoque faceret impetum.
Nimis hercle ego illum malè formidabam, ita frendebat dentibus.
Adueniens deturbauit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncauit tribus tegoribus glandia.
Aulas, calicéſque omneis confregit, niſi quæ modiales erant.
D
Cocum percontabatur, poſſéntne ſeriæ feruéſcere?
Cællas refregit omneis intus, recluſítque armarium.
Aſſeruate iſtunc ſultis ſerui, ego ibo vt conueniam ſenem.
Dicam vt ſibi penum aliud ornet, ſiquidem ſeſe vti volet.
Nam hic quidem vt adornat, aut iam nihil eſt, aut iam nihil erit.

DIESPITER] dieſpiter, Iupiter, diei pater, æther, aër. Puer Hegionis hîc inducitur, vt narret ſpectatoribus, quæ intus facta ſint à paraſito. Verſus autem huius ſcenæ ſunt iambéi, tetrametri non trochaïci, vt alij quidam exiſtimant. QVASI LVPVS ESVRIENS,] Horat. epiſt. 2. lib. 2. *poſt hæc vehemẽs lupus: & ſibi, & hoſti Iratus pariter, ieiunis dẽtibus acer.* ITA FRENDEBAT DENTIB.] Idem Trucul. *hoc vide dentibus Frendit: icit femur.* Virg. lib. 3. Æneid. *dentibus infrendens gemitu.* Idem 8. *huc ora ferebat, & illuc Dentibus infrendens.* lege Noniũ in fremere, & frendere. TRIBVS TEGORIBVS] lego etiam hîc tribus pecoribus. GLANDIA] glandulas, quæ ſunt in ceruicibus. itaque ex parte totum intellige: & per glandia, ſeu glandulas, iugula, aut ceruices ſignificari puta. Plin. lib. 11. cap. 37. *Tonſillæ in homine, in ſue glandulæ.* AV-

I AS] óllas. Nonnulli ſic legunt hunc verſum, probabili quidem coniectura, ſed reclamantibus libris omnibus. *Calices, phialáſque omneis confregit, niſi quæ modiales erant.* MODIALES] ollæ modiales, quæ ſunt modij capaces: quæ modij menſuram capiunt. COCVM PERCONTABATVR.] in voce *cocum* m. eliditur, alioqui verſus vna ſyllaba redundaret. POSSÉNTNE SERIÆ] ſeriæ, vaſa fictilia, in quibus carnes ſalſæ conditæ ſeruabantur. Cato cap. 162. *pernas ſallire ſic oportet, in dolio, aut in ſeria.* ſunt etiam vaſa vinaria. Terent. Heaut. *Releui dolia omnia, omneis ſerias.* Perſius Sat. 4. *Seriolæ veteris metuens deradere limum.* Sunt & vaſa, æs, aut argentum, aut aliquid ſimile, continentia. Perſius Sat. 2. *ſi ſub ruſtro crepit argenti mihi ſeria, dextro Hercule.* Hic paraſitus, inquit puer, non ſatis habebat carnes in ſeriis conditas depromere, & cocis coquendas dare, ſed ipſas quoque ſerias pænè dicam coqui, & ferueſcere volebat. Fortaſſis autẽ huc pertinet, quòd veteres illi heluones & lurcones, ita delectabantur calidis, vt quidam opſophagus chirothecis inter edendum vteretur, ne manus ſibi adureret cibos feruidos ſumens, cùm tamen eos ſine cunctatione in os coniiceret, mánderet, ac deuoraret. CÆLLAS REFREGIT OMNEIS INT.] cællas penarias, quarum ſunt multa genera. ſunt enim oleariæ, vinariæ, &c. RECLVSÍTQVE] aperuítque. ARMARIVM.] armarium ſignificat interdũ locum, in quo nummi reconduntur, vt hîc. ſic & apud M. Tull. pro Cælio. *Túne aurum ex armario tuo promere auſa es?* Idem pro Cluentio, *Cùm eſſet in ædibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri: noctu duos conſeruos dormienteis occidit.* Plautus in Epid. *Quin ex occluſo, atque obſignato armario Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.* ASSERVATE ISTVNC SVLTIS,] obſeruate, ſi vultis, quò iſte progrediatur, & quid agat. PENVM ALIVD ORNET,] Paullus titulo de penu legata lib. digeſt. 33. *Nomen autem penus*, inquit, *mihi traditum eſt omnibus generibus dictum.* ſic Priſcian. lib. 5. *hic & hæc & hoc penus: & hoc penum*, inquit: deinde cum aliis exemplis, ſiue teſtimoniis, etiam hoc profert: ſed aliter, quàm hodie legitur. ſic enim apud Priſc. legitur. *Dicam ſeni, curet ſibi aliud penus.* SIQVIDEM SESE VTI VOLET.] id eſt, ſi volet ſe vti, *penu*, ſubintell. vt intelligamus antiquè dictum, ſi volet ſe vti penu, pro ſi volet vti penu. vel dic, ſiquidem volet ſeſe vti. nulla re ſubintellecta, id eſt, ſiquidem volet vti ſe ipſo: quod eſt, ſiquidem volet eſſe ſibi frugi, & vtilis, ſiue vtibilis. Nam qui nullam habet penum, nulláſque facultates rei familiaris, quid ſe faciat, non habet: ſibíque & aliis inutilis eſt: denique quantus, quantus eſt, nullus eſt. NAM HIC QVIDEM VT ADORNAT. &c.] id eſt, nam vt quidem hic paraſitus facere inſtituit, & parat, aut iam nihil eſt, aut breui nihil erit.

## HEGIO, PHILOPOLEMVS, PHILOCRATES, STALAGMVS.

C

HE. IOui diíſque ago gratias meritò magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quómque ex miſeriis plurimis me exemerunt,
Quæ adhuc te carens, dum hîc fui, ſuſtentabam.
Quómque hunc conſpicio in poteſtate noſtra,
Quómque hæc reperta eſt fides, firma nobis.
Satis iam dolui ex animo, & cura me ſat
Et lacrymis maceraui. ſatis iam audiui
D Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memoraſti.
Hoc agamus. PHILOC. quid nunc quoniam tecũ ſeruaui fidẽ,
Tibíque hunc reducem in libertatem feci? HE. feciſti vt tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam poſſim ſatis,
Proinde vt tu promeritus de me & filio meo. PHILOP. immò potes
Pater, & poteris, & ego potero, & di eam poteſtatem dabunt,
Vt beneficium benemerenti noſtro meritò muneres,
Sicut tu huic potes pater mi, facere meritò maxume.
HE. Quid opu'ſt verbis? lingua eſt, qua negem quicquid roges.
PHILOC. Poſtulo abs te, vt mihi illũ reddas ſeruom, quẽ hîc reliquerã;

Pignus



A Pignus pro me, qui mihi melior, quàm ſibi ſemper fuit.
Pro benefactis eius vti ei pretium poſſim reddere.
HE. Quod benefeciſti, referetur gratia, id quod poſtulas.
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis, atque te
Nolim ſuccenſere, quod ego iratus ei feci male.
PHI. Quid feciſti? HE. in lapicidinas compeditum condidi,
Vbi reſciui mihi data eſſe verba. PHILOC. væ miſero mihi,
Propter meum caput labores homini eueniſſe optumo.
HE. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.
Gratis à me, vt ſit liber, tecum abducito. PHIL. edepol Hegio
Facis benignè. ſed quæſo hominem vt iubeas arceſſi. HE. licet.
B Vbi eſtis vos? ite actutum, Tyndarum huc arceſſite.
Vos ite intrò. interibi ego ex hac ſtatua verberea volo
Rogitando ſcire meo minore quid ſit factum filio.
Vos interibi lauate. PHILOP. ſequere hac Philocrates me intrò. PHIL. ſequor.
HE. Age tu illuc procede bone vir, lepidum mancupium meum.
STA. Quid me oportet facere, vbi tu talis vir falſum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ.
Neque ero vnquam, ne tu ſpem ponas me bonæ frugi fore.
HE. Propemodum vbi loci fortunæ tuæ ſint, facile intelligis.
Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliuſculam.
C Recta & vera mihi loquere, ſed neque verè, neque rectè adhuc
Feciſti vnquam. STAL. quid ego fatear, credin' pudeat cum tu autumes?
HE. At ego faciam vt pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
STA. Eia credo ego imperito plagas minitaris mihi.
Tandem iſta aufer, dícque quid fers, vt feras hinc quod petis.
HE. Satis facundu's. ſed fieri dictis compendium volo.
STA. Vt vis fiat. HE. bene morigerus fuit puer, nunc non decet.
Hoc agamus, iam animum aduorte, ac mihi quæ dicam ediſſere.
Si eris verax, è tuis rebus feceris meliuſculas.
D STA. Nugæ iſtæc ſunt, non me cenſes ſcire qui dignus ſiem?
HE. At ea ſubterfugere potis es pauca, ſi non omnia.
STA. Pauca effugiam ſcio. nam multa euenient, & merito meo.
Quia & fugi, & tibi ſurripui filium, & eum vendidi.
HE. Cui homini? STA. Theodoromedi in Alide Polypluſio
Sex minis. HEG. prò di immortales: is quidem huius eſt pater
Philocratis. STA. quin melius noui, quàm te, & vidi ſæpius.
HE. Serua Iuppiter ſupreme & me, & meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te genium obſecro, exi, te volo.

QVÆ ADHVC, TE CARENS,] *Quæ* neutri generis eſt, accuſandi caſu. Itaque videbatur dicere debuiſſe, *Quas*, videlicet miſerias. ſed nihil mutandum, & *quæ* interpretandum, quas res, vel quæ mala, hoc eſt, quas miſerias. SVSTENTABAM.] tolerabam. HVNC]

Philocratem. MACERAVI.] tabeſeci, conſumſi, confeci. HOC AGAMVS.] agamus A quod eſt in manibus, & quod inſtat. curemus præſentia, & præterita miſſa faciamus. QVONIAM TECVM SERV. F.] quoniam tibi ſeruaui fidem. PROINDE VT TV PROMERITV'S DE, &c.] hæc ſunt coniungenda cum ſuperioribus, hoc modo, feciſti, vt nunquam tibi ſatis poſſim gratiam referre, ita vt tu de me & de filio meo promeritus es. id eſt, feciſti, vt nunquam tibi ſatis magnam gratiam referre poſſim pro tuis in me, & filium meum promeritis. BENEMERENTI NOSTRO.] εὐεργέτῃ ἡμῶν, ſeu ἡμετέρῳ id eſt, homini bene de nobis merito. MVNERES.] munereris, remunereris, ſeu remuneres. Nonius, *munerat*, inquit, pro *muneratur*. Turpil. Thraſyleonte. *Dat vltro, ac munerat, quod ab illo abſtulit.* ILLVM] Tyndarum. PRETIVM.] mercedem, parem gratiam, ſic ſuprà in Aſinaria. *Promerenti optimè hoccine pretij redditur?* Terent. Andr. *Ergo pretium ob ſtultitiam fero*, id eſt, pretium, ſeu mercedem ſtultitiæ. COMPEDITVM] compedibus vinctum. CONDIDI] conieci. PROPTER MEVM CAPVT LABORES H. E. OPT.] vel legendum cum interrogatione, vt ſubintelligamus, par eſt, verum eſt, oportet, hoc modo, verúmne eſt, propter meũ caput, id eſt, propter meam vitam, & ſalutem, homini optimo labores, atque ærumnas eueniſſe? vel ſine interrogatione, hoc modo, væ miſero mihi, ô me miſerum, qui commiſerim, vt vir optimus propter meũ caput tot laboribus conficiatur, & tot ærumnas perferat. notetur locus, *homini optimo*. Nam B *viro optimo* vſitatius erat. quamquam illo quoque altero interdum vti ſolent Latini ſermonis auctores. ſic ſuprà eadem fab. *Me hîc valere, & ſeruitutem ſeruire huic homini optimo.* LIBELLAM PRO EO ARGENTI.] libellam argẽti, id eſt, aſſem. ſic M. Tull. accuſationis lib. 2. *ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, vnam libellam argenti dediſſet?* Idem pro Roſc. Comœd. *hîc niſi planum facit*, HS. CIↃↃ. *ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit.* Dixit M. Tull. *ad libellam*, quòd Horat. *ad aſſem*. Sic Horat. epiſt. 2. lib. 2. *Luculli miles collecta viatica multis Ærumnis laſſus, dum noctu ſtertit ad aſſem Perdiderat.* NE DVIS] ne dederis. TECVM ABDVCITO.] ſic erat emendatum in vno ex noſtris codicibus manu ſcriptis, vel ab eodem ſcriptore, vt manus ſimilitudo declarat, vel ab aliquo crudito. Nam verſus, vt ita legatur, poſtulat, cùm in vulgatis, & aliis manuſcr. vox *tecum* deſideretur. FACIS BENIGNÈ.] facis liberaliter. INTERIBI] interea. EX HAC STATVA VERBEREA] ex Stalagmo, homine aſſiduis, & perpetuis verberibus digno: vel qui ita verberibus aſſuefactus eſt, vt, quantus quantus eſt, ex verberibus concretus, & conflatus eſſe videatur. ſic in Pſeud. *Sed eccum video verbeream ſtatuam, vt magnificè infert ſeſe?* FALSVM AVTVMAS?] falſum dicis? NE TV SPEM PONAS, &c.] ne tu ſpem in hoc poſitam habeas, videlicet, me bonæ frugi fore. vel ſic, ne tu ſperes me bonæ fr. f. *ſpem ponere*, ita poſitum, ſine hac adiectione, in eo, ſeu in ea re, videtur eſſe inſolentius. VBI LOCI] quo in loco. C TVA EX RE FACIES.] tuo ex vſu facies: facies, quod tibi expedit. EX MALA MELIVSCVLAM.] facies ex mala re, tua ſcilicet, meliuſculam. QVOD EGO FATEAR CREDIN' PVD. CÙM TV AVTVMES?] id eſt credíſne fore, vt me pudeat eius, quod fatear, videlicet, me neque rectè, neque verè vſque ad hoc tempus vnquam feciſſe, cùm tu id dicas? NAM IN RVBOREM TE TOT D.] iocus ex verbo. quos pudet, ij erubeſcunt, qui virgis, aut loris vapulant, iis corium ſanguine rubet. Sic igitur Hegio. negas eſſe credibile, fore vt te pudeat tua mala facinora confiteri: id eſt, vt erubeſcas, cùm tua mala facinora fateberis. at ego abs te vel inuito ruborem exprimam: id eſt, at ego faciam, vt vel inuitus rubeas. Nam ego tibi tergum verberibus rubore perfundam, ſeu rubrum reddam. *dare in ruborem*, ſic dictum, vt dare in ſplendorem, dare ad mortem, dare ad langorem, & ſimil. quæ ſuis locis indicabuntur. EIA CREDO EGO, IMPERITO. MINIT. M.] ironia. proinde quaſi ita dicat. Eia, ſcilicet tu mihi plagarum imperito plagas minitaris. non eſt ita. ego enim vſu didici, quàm ſis plagoſus: & plagarum ſum peritiſſimus, quippe qui abs te toties verberatus fui. ISTA AVFER.] iſta omitte. DICQVE QVID FERS.] & dic, quid me velis. vel ſic: & dic, quid in D animo habeas. VT FERAS HINC Q. P.] luſit etiam hîc in *ferre*: hoc modo, *quid fers, quid habes in animo, vt feras*, id eſt, vt auferas, ſeu accipias. *hinc*, hoc eſt, à me, id, quod petis. SATIS FACVNDVS.] ſatis facundus es. ſat diſertus es. SED FIERI DICTIS COMP. V.] ſed te volo rem paucis complecti: ſed te pauca verba facere volo: ſed te volo breuem eſſe. hoc loquẽdi genus hinc natum eſt, quod qui rem aliquam non inſumit, is lucrum, ſeu compendium facere videtur. ita qui pauca verba facit, is ea verba, quæ non loquitur, lucrifacere videtur. vtroque autem modo Plautus loqui ſolet, & hoc, *verba compendij facere*: vt in Aſin. *Verbis velitationem fieri compendi volo*: & hoc, verborum, ſeu verbis compendiũ facere, vt hîc. VT VIS FIAT.] Ita fiat, vt vis. id eſt, non recuſo, quin tuo arbitratu pauciſſimis verbis rem eloquar. Sed hæc Stalagmi verba, in aliam ſententiam torquet Hegio, vt mox dicemus. BENE MORIGERVS FVIT PVER, NVNC NON DECET.] hæc loquitur ſenex ad ſpectatores verſus, Stalagmi reſponſionem in aliam partem accipiens, atque ille ſentiebat hoc modo. Stalagmus, inquit Hegio, dum puer fuit, facilè morem geſſit roganti, id eſt, fuit impudicus, & aliorum libidini obſecutus eſt. ſed nunc exſoletum, & grandem natu non decet. ſpurcities ineſt in ſentẽtia, nõ in verbis. Nam primùm reſponſionẽ Stalagmi aliter interpretatur, atq; ille volebat: deinde in voce *morigerus* nõnihil ambigui ineſt, quòd ſignificat & eũ, qui eſt moribus cõmodis,

&



& morem gerit alteri in re honeſta; & eum, qui alterius libidini ſe facilem præbet, & facilè mo- A rem gerit. HOC AGAMVS.] In hoc negotio toti ſimus: ad hoc negotium toti incumbamus: toto animo, ac toto pectore in hoc negotio, quod eſt in manibus, occupati ſimus. EDISSERE.] expone, eloquere. E TVIS REBVS FEC. MELIVSC.] id eſt, è rebus malis, quales tuæ ſunt, feceris paullo meliores. vel ſic, è rebus tuis, quæ malæ ſunt, feceris paullo meliores. NVGÆ ISTÆC SVNT.] iſtæc, ſeu iſta, quæ loqueris, nugæ ſunt. NON ME CENSES SCIRE Q. D. S.] non me putas ſcire, quid mereas? *quid dignus ſiem?* ſubintellige ſufferre, ſeu perpeti. vel legendum fortaſſis eſt, *qui dignus ſiem?* id eſt, quo dignus ſiem? AT EA SVBTERF. POTIS ES P.] at potes ea pauca, quæ mereris effugere & vitare, ſi non omnia. PAVCA EFF. SCIO. NAM M.] Seruus acutus, & argutus, &, quod caput eſt, multorum delictorum ſibi cõſcius, verba domini Hegionis, quæ fortaſſe ſimpliciter, & ἀφελῶς locutus erat, improbius interpretatur: hoc modo: rectè dicis, inquit: vel ſcio ita eſſe, vt dicis pauca mala effugiã: ſed multò maior eorum pars mihi eueniet, ídque merito meo. FILIVM] Pægnium, cui nunc Tyndaro nomen eſt. EXI.] exi domo. Nam domum introiuerat Philocrates vnà cum Philopolemo, vt lauarent.

B

## PHILOCRATES, HEGIO, STALA.

HEgio aſſum, ſi quid me vis, impera. HE. hic gnatum meum
Tuo patri ait ſe vendidiſſe ſex minis in Alide.
PHI. Quàm diu id factum eſt? STA. hic annus incipit viceſimus.
PHI. Falſa memorat. STA. aut ego, aut tu. nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem paruulum puero dedit.
PHI. Quod erat ei nomen? ſi vera dicis, memora dum mihi.
STA. Pægnium vocitatu'ſt, poſt vos indidiſtis Tyndaro.
C PHI. Cur ego te non noui? STA. quia mos eſt obliuiſci hominibus,
Neque nouiſſe, cuius nihil ſit faciunda gratia.
PHI. Dic mihi, íſne iſtic fuit, quem vendidiſti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus eſt huius filius?
HE. Viuítne is homo? STALA. argentum accepi, nihil curaui cæterum.
HE. Quid tu ais? PHI. quin iſtic ipſu'ſt Tyndarus tuus filius?
Vt quidem hic argumenta loquitur. nam is mecum à puero puer
Bene pudicéque educatu'ſt vſque ad adoleſcentiam.
HE. Et miſer ſum & fortunatus, ſi vos vera dicitis.
Eò miſer ſum, quia malè illi feci, ſi gnatus meus'ſt.
D Eheu quur ego plus, minúſque feci, quàm equom fuit.
Quòd malè feci, crucior modo, ſi infectum fieri poſſiet.
Sed eccum incedit huc ornatus, audax ſuis virtutibus.

PECVLIAREM.] qui eſſet in peculio tuo. ſic ſuprà in Aulul. *gallus gallinaceus, Qui erat anui peculiaris*, &c. Idem in Mercat. *Quin etiam tibi ancillam dabo, natam annos ſexaginta, Peculiarem.* POST VOS INDID. TYNDARO.] ſubintell. ei nomen. NEQVE NOVISSE,] ſubintellige *eum*. BENE PVDICÉQVE EDVCATV'ST.] ſic infrà in Curcul. *Frater obſecro te: noli hunc condemnatum perdere. Bene, & pudicè me domi habuit.* PLVS MINVSQVE FECI, &c.] plus mali, minus boni, &c. CRVCIOR, MODÒ S. INF.] proinde ac ſi dicat. crucior. ſed fruſtrà, quia quod factum eſt, infectum reddi non poteſt. ORNATVS, AVDAX SVIS VIRTVTIBVS.] *ornatus, audax*, poſita ſunt ἀσυνδέτως. nam hæc ſententia eſt, incedit huc Tyndarus, ornatus videlicet ſuis virtutibus, & audax, id eſt, fretus, ſeu ferox, & confiſus ſuis virtutibus. Licet tamen fortaſſis etiam ſic explicare. ornatus malleo, compedibus, manicis, boiis: & audax, id eſt, fretus ſuis virtutibus.

## TYNDARVS, HEGIO, PHILOCRATES, STALAGMVS. A

Vidi egò multa ſæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verùm enimuerò nulla adæquè eſt Acheruns,
Atque vbi egò fui, in lapicidinis, illic demum eſt locus,
Vbi labore laſſitudo omniſt exigunda ex corpore.
Nam vbi illò adueni, quaſi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, qui cum luſitent,
Itidem hæc mi aduenienti vpupa, qui me delectet, data eſt.
Sed herus, eccum ante oſtium, & herus alter eccum ex Alide
Rediit. HE. ſalue exoptate gnate mi. TYN. hem quid gnate mi? B
Atat ſcio cur te patrem aſſimiles eſſe, & me filium,
Quia mihi item vt parentes, lucis das tuendæ copiam.
PHI. Salue Tyndare. TYN. & tu quoius cauſſa hãc ærumnam exigo.
PHI. At nunc liber in diuitias faxo venies. nam tibi
Pater hic eſt, hic ſeruus, qui te huic hinc quadrimum ſurpuit,
Vendidítque patri meo te ſex minis. is te mihi
Paruolum peculiarem paruulo puero dedit.
Illic indicium fecit. nam hunc ex Alide huc reducimus.
TYN. Quid huius filium? PH. intus eccum fratrem germanum tuum.
TYN. Quid tu ais? adduxtin' illum huius captiuum filium?
PHI. Quin, inquã, intus hic eſt. TYN. feciſti edepol & rectè & bene. C
PHI. Nunc tibi pater hic eſt, hic fur eſt tuus, qui paruũ hinc te abſtulit.
TYN. At ego hunc grandis grandem natu ob furtũ ad carnificem dabo.
PHI. Meritus eſt. TYN. ergo edepol huic meritam mercedem dabo.
Sed dic oro, pater meus túne es? HEG. ego ſum, gnate mi.
TYN. Nunc ego demum in memoriam redeo, cùm mecum cogito,
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audiſſe me,
Quaſi per nebulam, Hegionem patrem meum nominarier.
HEG. Ego ſum. PHI. compedibus quæſo vt tibi ſit leuior filius.
Atque hic grauior ſeruus. HEG. certum eſt principiò id præ-
uortier.
Eãmus intrò, vt arceſſatur faber, vt iſtas compedes D
Tibi adimam, huic dem. ST. cui peculij nihil eſt, rectè feceris.

QVÆ ACHERVNTI FIERENT,] quæ apud Orcum, ſeu apud inferos, fierent. Acherunti, loco aduerbij eſt. ſic ſuprà eadem Comœd. *Facito ergo tu, vt Acherunti clueas gloria.* NVLLA ADÆQVÈ EST ACHERVNS, &c.] producit hunc locum quaſi teſtem Nonius, vt probet, *Acheruns*, etiam fœminini generis eſſe, non ſolùm maſcul. vt apud Virgil. lib. 6. *Et tenebroſa palus Acherunte refuſo.* EXIGVNDA] eiicienda. QVASI PATRICIIS PVERIS, AVT MONEDVLÆ, &c.] monetulæ, dictæ ſunt à moneta tollenda: de quibus ſuprà in Aſinar. Quod autem ad rem attinet, pueris ingenuis, & patriciis, tum apud Grçcos, tum apud Ro. aues dari ſolebãt, quibuſcum luſitarent, vt paſſeres, coturnices, anates, monedulæ, galli gallinacei, & ſimiles. Plin. lib. 4. epiſtolarum, epiſtola ad Clementem. *Habebat puer mannulos multos, & iunctos, & ſolutos: habebat canes maiores, minoréſque: habebat luſcinias, pſitacos, merulas.* Erant & puellarum deliciæ res tales, vt paſſer Leſbiæ apud Catullum. *Paſſer, deliciæ meæ puellæ, Qui cum ludere, quem in ſinu tenere, Cui primum digitum dare appetẽti, Et acreis ſolet incitare morſus.* Ouid. 10. Metam. de Pygmalione,



A qui ſtatuã eburneam virginali habitu, & figura, amabat. *Et modò blanditias adhibet, modò grata puellis Munera fert illi, conchas, tereteiſque lapillos; Et paruos volucreis, & flores mille colorum.* AVT COTHVRNICES,] cothurnices fuiſſe pueris in deliciis, vt & gallos gallinaceos declarat locus Æſchinis in oratione cõtra Tymachũ. καὶ τοὺς ὄρτυγας, καὶ τοὺς ἀλεκτρυόνας οὓς ἠγάπα ὁ τρισκακοδαίμων ἄνθρωπος, ἀπέκτειναν. id eſt, & cothurnices, & gallos gallinaceos, quos infeliciſſimus homo amabat, necauerunt. Quamquam cothurnices in oratione illa adhibebantur ad ludum quendam talem, in quo cothurnicum in circulo incluſarum, is, qui vnam circa caput percuſſerat, illam ipſam & reliquas quas poterat prẽdere, auferebat: qui aberrarat, cedebat alteri percutiẽdi ius. QVISCVM] quibus cum. VPVPA] Vpupa, inquit Plinius lib. 10. cap. 29. *Obſcæna paſtu auis, criſta viſenda plicatili, contrahens eam, ſubrigénſque per longitudinem capitis.* Hîc vrbanè malleum, quo lapides cædebat, appellat vpupam Tyndarus, tanquam auem obſcœnã, & inauſpicatã, licet etiam fortaſſe dicere, nonnullã ſimilitudinẽ eſſe malleo cum vpupa, quòd malleus criſtam quandã in dorſo gerat, & roſtro ſit adunco, vt vpupa. QVI ME DELECTET.] vel legendum, qui me delectem: id eſt, qua me delectem; vel ſpectatur, quod intelligitur, videlicet, malleus: non quod dicitur, *vpupa.* QVIA MIHI ITEM VT PARENTES LVCIS D. T. COP.] quia me viuere ſinis, vt parentes filios: quia mihi per te
B viuere licet, vt per parenteis filiis: vel ſic potius, quia vt parenteis filiis lucis videndæ poteſtatem faciunt, cùm eos in luminis oras producunt, ita me, quem necare potes, viuere ſinis. TVENDÆ] intuendæ. M. Tull. pro Milone. *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur.* Lucret. lib. 3. *Et ſæpe vſque adeò mortis formidine vitæ, Percipit humanos odium, lucíſque videndæ? Vt ſibi conciſcant mœrenti pectore lethum,* &c. Virg. lib. 6. *lucémque peroſi.* HANC ÆRVMNAM EXIGO.] hanc ærumnam ſuffero, ac tolero. Nonius exigere, inquit, interdum ſignificat agere, vt Plaut. Capt. *Salue Tyndare.* TYND. *& tu, quoius cauſa hanc ærumnam exigo.* FAXO, VENIES.] faxo, id eſt, fecero vt venias. mea opera certo venies: & ſine dubio venies. SVRPVIT.] ſurripuit. ILLIC] Ille, Stalagmus. IN MEMORIAM REGREDIOR] in memoriam redeo, vt ſuprà, recordor: memoria repeto. QVASI PER NEBVLAM] hoc eſt, obſcurè, & non ſatis planè, neque apertè. tranſlatum ab iis, qui per nebulam aliquid cernere conantur. ita trãſlatio eſt à ſenſu videndi, ad ſenſum audiendi. Sic M. Tull. dixit 12. Philippica, per caliginem, & eadem ſententia. ſic ille: *Decepti, decepti, inquam, ſumus, patres conſcripti, Antonij eſt acta cauſa ab amicis eius, non publica. quod videbam equidem, ſed quaſi per caliginem præſtinxerat aciem animi D. Bruti ſalus.* Sic autem edidimus in vtraque editione noſtri Ciceronis, & ita legendum, non vt vulgò,
C *præſtrinxerat*, neque *præſtrinxerat*, quod quamuis videam nonnullis linguæ Latinæ imperitis, iiſdémque arrogantiſſimis, perſuaderi non poſſe: tamen dirumpantur licet, ita legendum eſſe contendo, ídque me ſcire dico, quod in his Commentariis infrà ſuo loco pluribus verbis demonſtrabo. Sic idẽ Plaut. in Pſeud. *Sunt, quæ te volumus percontari: quæ quaſi per nebulam noſmet ſcimus, atque audiuimus.* VT TIBI SIT LEVIOR FILIVS.] vt tibi leuetur filius. ATQVE HIC GRAVIOR SERVOS.] & hic ſeruus, nempe Stalagmus, iiſdem compedibus ſit grauior: id eſt, grauetur, & oneretur. CERTVM'ST PRINCIPIO ID PRÆVORTIER.] ſtat ſententia primùm omnium id facere, vt filius meus compedibus leuetur, & Stalagmus iiſdem vrgeatur, & conſtringatur. CVI PECVLII NIHIL EST, RECTÈ F.] Iocatur ſeruus etiam in malis. mihi, inquit, qui peculium nullum habeo, quid dederis, rectè feceris. vel ſic, faciens tu id, quod dicis, id eſt, dans mihi aliquid, quod alij ademtum ſit, mihi nullum peculium habenti, benefeceris. ego priorem explicationem magis probo: neque tamen hãc poſteriorem damno, ſi cui fortè ea magis arrideat.

D

## GREX.

Spectatores ad pudicos mores facta hæc fabula eſt.
Neque in hac ſubagitationes ſunt, neque nulla amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio,
Neque vbi amans adoleſcens ſcortum liberet clam patrem
ſuum.
Huiuſmodi paucas poëtæ reperiunt comœdias,
Vbi boni meliores fiant. nunc vos, ſi vobis placet,
Etſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite:
Qui pudicitiæ eſſe voltis præmium, plauſum date.

SVBAGITATIONES] Terentius in Heautont. *Nam iſthæc quidem contumelia'ſt, Hominem amicum recipere ad te, atque eius amicam ſubagitare.* Plaut. Mil. Glor. *Neque ego vmquam alienum ſcortum ſubagito in conuiuio.* Idem ibid. in extr. *Cur es auſus ſubagitare alienam vxorem, impudens?* Ex his locis intelligere licet, ſubagitare mulierem, nihil aliud eſſe, quàm incontinenter, & laſciuè, & molliter eam attrectare: & ſubagitationes nihil aliud eſſe, quàm attrectationes intemperatas, molleis, & libidinoſas. NEC VLLA AMATIO:] vt in Aſinar. Caſina, Amphitr. NEC PVERI SVPPOSITIO:] vt in Truculento Plauti, & in ſubditiuo Cæcilij. puerum ſupponere dicuntur mulieres, quæ fætum non ſuum, id eſt alienum, pro ſuo alunt, ac fouent. hinc pueri ſuppoſiti, id eſt ſubditi. NEC ARGENTI CIRCVNDVCTIO,] id eſt nec fallacia, per quam pater aliquis argento emunctus ſit, vel nec argenti interuerſio, vt in Aſinar. & Pſeud. apud Plautum, & in Heautont. apud Terent. REPERIVNT] inueniunt, excogitant. SIGNVM HOC MITTITE.] hoc ſignum date, quod iam dicturus ſum: nempe plauſum date. QVI PVDICITIÆ ESSE VOLTIS PRÆMIVM.] Qui pudicitiæ præmium tribui vultis. hoc eſt, qui pudici eſtis, & idcirco pudicitiam præmio affici vultis. A

B

FINIS CAPTEIVEI.



A

# CVRCVLIO.

## DRAMATIS PERSONÆ.

B

| | |
|---|---|
| PALINVRVS | ſeruos. |
| PHÆDROMVS | adoleſcens. |
| LENA | anus. |
| PLANESIVM | virgo. |
| CAPPADOX | leno. |
| COQVS. | |
| CVRCVLIO | paraſitus. |
| LYCO | trapezita. |
| CHORAGVS. | |
| THERAPONTIGONVS | miles. |

C

## ARGVMENTVM.

CVRCVLIO miſſus à Phædromo it in Cariam,
Vt petat argentum. ibi ille cludit annulo
Riualem. ſcribit atque obſignat litteras.
Cognoſcit ſignum Lyco, vbi vidit, militis.
Vt amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in ius rapit.
Ipſus ſororem quam peribat repperit,
Oratu cuius Phædromo nuptum locat.

D

CVRCVLIO] Phædromi paraſitus. VT PETAT ARGENTVM.] à quodam Phædromi ſodali, & amico, aut aliunde alicunde. ELVDIT ANNVLO RIVALEM] de militis, Phædromi riualis, Therapontigoni digito furtim annulum detrahit per dolum, interea dum ille dormit. SCRIBIT ATQVE OBSIGNAT LITERAS.] ſcribit litteras ad Lyconem Trapezitam, vt pecuniam curet Cappadoci lenoni, penes quem erat Planeſium, quam deperibat Phædromus, & ſcribit militis nomine, & obſignat annulo militis. COGNOSCIT SIGNVM LYCO, VBI VIDIT, MIL.] Lyco ſignum militis cognoſcit, vbi id vidit. ſignum autem erat, imago militis clipeati, elephantum machæra diſſecantis. LYCO] trapezita. VT AMICAM MITTAT,] vt leno Cappadox Planeſium, amicam militis mittat, id eſt, miſſam faciat, ſeu dimittat, Lyco trapezita pretium lenoni dedit. MILES,] miles poſtea, rerum illarum ignarus, Planeſium à lenone, pecuniam à trapezita repetit. Vtrumque recuſantem, & id, quod geſtum erat, narrantem, rapit in ius. IPSVS] ipſe miles, reperit, Planeſium, quam deperibat, ſuam ſororem eſſe. ORATV CVIVS, PHÆDROMO N.] à qua oratus, eam Phædromo, ſuo æmulo, dat vxorem ducendam. NVPTVM LOCAT.] nuptum dat.

# ACTVS PRIMVS. A

PALINVRVS ſeruus, PHÆDROMVS adoleſcens.

PA. QVò ted hoc noctis dicam proficiſci foràs,
Cum iſtoc ornatu, cúmque hac pompa Phædrome?
PH. Quo Venus, Cupidóque imperat, ſuadétque amor.
Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera: B
Si ſtatus, condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundũ quò imperat, ingratiis.
PA. At tandem tandem. PH. tandem es odioſus mihi.
PA. Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile,
Tute tibi puer es lautus. luces cereum.
PH. Egon' apicularum opera congeſtum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
PA. Nam quò te dicam ego ire? PH. ſi tu me roges,
Dicam, vt ſcias. PA. ſi rogitem, quid reſpondeas?
PH. Hoc Æſculapij fanum eſt. PA. plus iam anno ſcio. C
PH. Huic proximum illud oſtium oculeiſſimum
Salue, valuiſtin' oſtium oculeiſſimum?
PA. Caruítne febris te here, vel nudiuſtertius?
Et heri cenauiſtíne? PH. deridéſne me?
PA. Quid tu ergo inſane rogitas, valeátne oſtium?
PH. Belliſſimum hercle vidi, & taciturniſſimum.
Nunquam vllum verbum mutit, quum aperitur, tacet:
Cúmque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
PA. Numquid tu, quod te, aut genere indignum ſit tuo,
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome? D
Num tu pudicæ cuipiam inſidias locas?
Aut quam pudicam oportet eſſe? PH. nemini.
Nec me ille ſinit Iuppiter. PA. ego item volo.
Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis,
Ne id quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.
Semper curato ne ſis inteſtabilis.
Quod amas, amato teſtibus præſentibus.
PH. Quid iſtuc eſt verbi? PA. cautè vt incedas via.
PH. Quin leno hîc habitat. PA. nemo hîc prohibet, nec vetat,
Quin quod palàm eſt venale, ſi argentum eſt, emas.
Nemo ire quenquam publica prohibet via,

Dum



A Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum tete abſtineas nupta, vidua, virgine,
Iuuentute, pueris liberis: ama quidlubet.
PH. Lenonis hæ ſunt ædes. PA. malè iſtis eueniat.
PH. Quî? PA. quia ſceleſtam ſeruitutem ſeruiunt.
PH. Oblóquere. PA. fiat maximè. PH. etiam tu taces?
PA. Nempe obloqui me iuſſeras. PH. at nunc veto,
Id vti occœpi dicere, ei ancillula eſt.
PA. Nempe huic lenoni, qui hîc habitat? PH. rectè tenes.
PA. Nimis formido ne exedat. PH. odioſus es.
Eam volt meretricem facere: ea me deperit
B Ego autem cum illa facere nolo mutuum.
PA. Quid ita? PH. quia proprium facio, amo pariter ſimul.
PA. Malus clandeſtinus eſt amor, damnum'ſt merum.
PH. Eſt hercle ita vt tu dicis. PA. iam ne ea fert iugum?
PH. Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit, niſi
Si eſt oſculando quippiam impudicior.
PA. Semper, tu ſcito, flamma fumo eſt proxima.
Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt.
Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pangit ſaltem ſuauium.
PH. At illa eſt pudica, neque dum cubitat cum viris.
C PA. Credam, pudor ſi cuiquam lenoni ſiet.
PH. Immò quid cenſes? vt quæque illi occaſio eſt
Surripere ſe ad me, vbi ſauium oppegit, fugit.
Id eò fit, quia hic leno ægrotus incubat,
In Æſculapij fano. is me excruciat. PA. quid eſt?
PH. Aliàs me poſcit pro illa triginta minas,
Aliàs talentum magnum, neque quicquam queo
Æqui boníque ab eo impetrare. PA. iniuriu's:
Qui quod lenoni nulliſt, id ab eo petas.
PH. Nunc hinc paraſitum in Cariam miſi meum,
D Petitum argentum à meo ſodali mutuum:
Quod ſi non affert, quò me vortam neſcio.
PA. Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.
PH. Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum fores,
Me inferre Veneri voui iam ientaculum.
PA. Quid antepones Veneri ientaculo?
PH. Me, te, atque hoſce omnes. PA. tum tu Venerem vomere vis?
PH. Cedo puere ſinum. PA. Quid facturus? PH. iam ſcies.
Anus hîc ſolet cubitare cuſtos ianitrix.
Nomen ei eſt lenæ, Multibiba atque Merobiba.
PA. Quaſi tu lagenam dicas, vbi vinum ſolet
Chium eſſe. PH. Quid opu'ſt verbis? vinoſiſſima eſt.

Eáque extempulo vbi vino has conſperſi foreis, A
De odore adeſſe me ſcit, aperit illico.
PA. Eíne hic cum vino ſinus fertur? PH. niſi neuis.
PA. Nolo hercle. nam iſtunc qui fert, afflictum velim,
Ego nobis afferri cenſui. PH. Quin tu taces?
Si quid ſuper illi fuerit, id nobis ſat eſt.
PA. Quiſnam iſtic fluuius eſt, quem non recipiat mare?
PH. Sequere hac Palinure me ad foreis, ſi mi obſequens.
PA. Ita faciam. PH. agite,bibite, feſtiuæ fores,
Potate, ſi te mihi volentes, propitiæ.
PA. Voltíſne oliuas, aut pulpamentum, aut capparim?
PH. Exſuſcitate voſtram huc cuſtodem mihi. B
PA. Profundis vinum. quæ te res agitant? PH. ſine,
Viden' vt aperiuntur ædes feſtiuiſſimæ?
Non mutit cardo. eſt lepidus. PA. quin das ſauium?
PH. Tace, occultemus lumen & vocem. PA. licet.

QVÒ TED HOC NOCTIS D. PR.] quò te proficiſci dicam hoc noctis tempore? *hoc noctis*, id eſt, hac parte noctis: hoc noctis tẽpore. Sic ſuprà in Amphitr. *qui hoc noctis ſolus ambulem.* & ibidem iterum atque iterum. CVM ISTOC ORNATV] cum cereo funali in manu, & cetero inſtrumento amatorum proprio. eſt enim ſuus amatorum ornatus, vt peregrinorum, nautarum, potorum. CÚMQVE HAC POMPA,] cum aliis ſeruis, qui vinum, & ientaculum Veneris gerunt. SIVE'ST PRIMA VESPERA.] ſiue eſt prima veſperæ pars. Sic dictum prima veſpera, vt prima luce, primo crepuſculo. SI STATVS CONDICTVS CVM HOSTE INTER D.] id eſt, ſiue conſtitutus cum peregrino, & denuntiatus peregrino intercedit dies. hoſtem antiqui pro peregrino vſurparunt. verba autẽ ſunt 12. tabul. *aut ſtatus dies cum hoſte.* quæ profert M. Tull. lib. 1. de Off. oſtendens id, quod diximus, hoſtem apud maiores vſurpatum eſſe pro eo, quem ſua ætate peregrinum dicebant. Feſtus, *Status dies*, inquit, *vocatur, qui iudicij cauſa eſt conſtitutus cum peregrino.* eius enim generis ab antiquis hoſtes appellabantur, quòd erant pari iure cũ Pop. R. atque hoſtire ponebant pro æquare. deinde profert hos duos verſus Plauti. *Si ſtatus condictus*, &c. Stata ſacrificia, dicuntur certis diebus fieri ſolita. C CONDICTVS] communiter dictus, denuntiatus. *Condicere*, inquiunt iuriſconſulti, *denuntiare eſt, priſca lingua.* INGRATIIS.] inuitè. AT TANDEM T.] At tandem, tandem intelligo te amare ἀποσιώπησις, ſeu potius ἔλλειψις. vel dic, At tandem, tandem deſine inſanire. At tandem, tandem reſipiſce, & ad ſanitatem reuertere. NEC MEMORABILE.] id eſt, nec laudabile. vt contrà, illaudatum dicitur, quod non eſt nominandum, aut memorandum. TV TE TIBI PVER ES LAVTVS, &c.] Tu non habes puerum mollem, & delicatum, qui lumen tibi præferat: ſed tute tibi miniſter, & puer delicatus es. tu es αὐτουργὸς, αὐτοδιάκονος. tu es tibi dux, & comes. LVCES CEREVM] tu tibi lumen præfers: tu tibi præluces, cereum manu geſtans. σοὶ αὐτῷ δᾳδουχεῖς. Sic dictum luces cereum, vt lucere facem, in Caſina: D Primùm omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem. EGON' APICVLARVM OPERA CONG. &c.] Egóne non feram cereum apicularum labore conſtructum, & conflatum, & ex dulci melliculo meo oriundum? NAM QVO TE DICAM IRE?] ἀναστροφή. quónam te dicam ire? vel nam pro At, vel ſed, vel autem. Sed quo te dicam ire? OCVLEISSIMVM,] id eſt, æque arque oculi, carum, cariſſimum. Sic ferè Feſtus: & hunc locum profert. Sed mendoſè apud Feſtum legitur *oculiſſimum.* nam & ratio Latini ſermonis, & lex carminis poſtulant, vt legatur *oculeiſſimum.* Quòd autem libri quidem vulgati habẽt, *ocluſiſſimum*, ferri non poteſt. CARVÍTNE FEBRIS TE, &c.] ſignificat ſeruus, abſurda interrogando, herum ſuum abſurdè quærere ab oſtio, vtrùm valuerit, nécne. Dicimus enim aliquem febri carere: non febrem aliquo homine carere. vel dic non eò eſſe ineptam, aut abſurdam interrogationem, quòd ita quærat ex Phædromo: *caruítne te febris*: ſed quòd caruítne te febris heri, vel nudiuſtertius? nam debet quiſque ſcire, valuerit heri, & nudiuſtertius, nécne. HERE] heri. ET TACITVRNISSIMVM.] Hoc eò pertinet, quòd optant amatores, qui difficileis Veneres ſectantur, & captant, vt ianuæ puellarum, quas amant, ſine ſtrepitu, & ſtridore pateant. Tibullus lib. 1. eleg. 2. *Ianua difficilis dominæ, te verberet imber: Te Iouis imperio fulmina miſſa petant. Ianua, iam pateas vni mihi, victa querelis: Nec furtim, verſo cardine, aperta ſones.* NVNQVAM VLLVM VERBVM MVTIT] id



A id eſt, ne mutit quidem. planè mutũ eſt. ne μῦ quidẽ facit: mutit verbum, tralatio eſt, nam oſtia nõ loquuntur. ſatis igitur erat dixiſſe, nunquã vel mutit. NVM TV PVDICÆ CVIPIAM INS. LOCAS?] M. Tull. pro Cælio. parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienum, &c. ibidem, paucis pòſt: ne incurrat in alterius domum, atque famam ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat. AVT QVAM PVD. OP. ESSE?] etiam ſi non ſit. NEC ME ILLE SINIT IVP.] id eſt, & dij vetant. Sic Virgil. lib. 2. Æneid. *haud ille ſinit ſuperi regnator Olympi.* quidam legunt. *Nec me ille ſinat Iup.* hoc eſt, & dij prohibeant. Iam ille ἐμφατικῶς poſitum eſt, & vna opera δεικτικῶς ille, ſcilicet, qui in cælo habitat. ITA TVVM CONF. AMARE S.] Ita tuum conferto amorem, ſeu amationem, &c. Græcorum more dictum eſt. Sic enim apud illos τὸ ἐρᾶν ponitur pro eo, quod eſt ὁ ἔρως: & τὸ μεμνῆσθαι, pro eo quod eſt, ἡ μνήμη: & cetera ſexcenta ſimilia. Idem Plautus in Bacchid. *hic vereri perdidit.* *vereri*, id eſt, τὸ αἰδεῖσθαι. τὴν αἰδῶ pudorem. Sic Lucret. lib. 4. *Præterea meminiſſe iacet, languétque ſopore.* ad quem locum plura collecta ſunt exempla. NE SIS INTESTABILIS.] id eſt, ne ſis infamiæ nota inuſtus: & ita nec tu teſtimonium dicere alteri poſſis, nec tibi alter. Inteſtabilis eſt, cui nemo teſtimonium dicere cogitur, nec ipſe teſtamenti factionem habet, nec ad alterius teſtamentum teſtis adhibere poteſt. Vlpianus lib. 28. digeſt. titul. 1. *Si quis ob carmen famoſum dam-* B *netur: ſenatuſconſulto expreſſum eſt, vt inteſtabilis ſit. ergo nec teſtamentum facere poterit, nec ad teſtamentum teſtis adhiberi.* Horat. Sat. 3. lib. 2. *vter ædilis, fueritue Veſtrûm prætor: is inteſtabilis, & ſacer eſto.* ad quem locum legito, ſi vacas, quæ notauimus, in commentariis Horatianis. Sed vt redeam ad hunc locum, iocus eſt ex ambiguo. nam *inteſtabilis* ſignificat eum, vt dixi, cui teſtimonij dictione, & teſtimonij factione interdictum eſt: qui eſt quaſi ſine teſtibus. eſſe ſine teſtibus rurſum, ambiguum eſt. nam vel intelligi poteſt is, qui iis particulis caret, quibus vir à fœmina diſtinguitur, vel is, cui teſteis adhibere in ſuis negotiis non licet. Itaque iocus eſt in verbo poſitus. Conſtat autem, iis qui Veneres legibus vetitas ſectarentur, vt qui matronis, aut virginibus inſidiarentur, ſæpe caudas ſalaceis vnà cum teſticulis ferro demeſſas eſſe. Horat. Sat. 2. lib. 1. *quin etiam illud Accidit, vt caidam teſteis, caudámque ſalacem, Demeteret ferum.* AMATO TESTIBVS PRÆSENTIBVS] etiam hoc ambiguè dictum. quod non eget interpretatione. CAVTÈ VT INCEDAS VIA.] vt per viam publicam iter facias. via, τῇ λεωφόρῳ. Lucret. lib. 4. *Volgiuagáque vagus Venere antè recentia cures.* Iterum Plautus infrà non longè. *Nemo ne quenquã publica prohibet via.* NEMO HÎC PROH. NEC VET. &c.] ordo eſt, Nemo prohibet, nec vetat, quin hic, id eſt, in domo lenonis, aut lenæ, emas, id, quod palàm eſt venale. Horat. C Sat. 2. lib. 1. loquens de meretrice. *Adde huc, quod mercem ſine fucis geſtat: apertè, Quod venale habet, oſtendit*, &c. Iam quod attinet ad hæc duo verba, *prohibere vetare*: prohibere, eſt factis: vetare, eſt verbis. NEMO IRE QVEMQVAM PVBLICA PROH. VIA.] publica via, τῇ λεωφόρῳ. Viarum, inquit iuriſconſultus lib. 43. digeſt. titul. 8. *quædam publicæ ſunt, quædam priuatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικάς, noſtri prætorias, alij conſulareis appellant.* allegoria autem eſt, qua ſignificat, neminem prohibere, quin ſuo quiſque arbitratu meretrices conſectetur. DVM NE PER FVNDVM SÆPTVM] in allegoria manet: quam mox declarat. nam per fundũ ſæptum, ſiue ſæpe circundatum, ac munitum, mulieres nuptas, ſeu matronas, virgines, viduas, pueros ingenuos ſignificat: quia lex taleis perſonas tangere vetat. DVM TETE ABST. N. V. V.] hæc eſt interpretatio ſuperioris allegoriæ: Atque hanc eandem ſententiam pluribus verbis tractat M. Tull. in oratione pro Cælio. quem locum iam antè indicauimus. QVIA SCELESTAM SERVITVTEM SERVIVNT] ſcilicet, dum lenoni ſeruiunt: dum lenonem dominum habent. ſceleſta autem ædium ſeruitus eſt, quia earum dominus ſceleſtus eſt. OBLOQVERE] obloquere. ambiguum eſt. nam vel ita accipere licet, vt ſit imperatiui modi: vel ita, vt indicatiui, pro obloqueris. quo modo Phædromus D vult accipi. at ſeruus ita audit, quaſi à Phædromo obloqui iubeatur. FIAT MAXIMÈ] tu me obloqui iubes, fiat non recuſo, quin obloquar. ID VTI OCCOEPI, &c.] *Id*, ſuperuacaneum eſt, & fortaſſe legendum, *Ita vti occœpi dicere*: verumtamen nihil muto. nam etiam alibi ita locutum eſſe ſuo loco indicabo. RECTÈ TENES] vel cum diſtinctione legendum, rectè: tenes, id eſt, rectè: ſubintell. dicis. intelligis. vel ſine diſtinctione rectè tenes: id eſt, rectè intelligis, vt quidem vult accipi Phædromus. Sed Palinurus ſic accipit, quaſi ille propriè poſuerit, rectè tenes, pro firmiter tenes dextra. vt iam oſtendemus. NIMIS FORMIDO, NE EXCIDAT.] locus difficilis, & obſcurus, & in codicibus antiquis ac recentibus variè ſcriptus, atque impreſſus. Nam alij manuſcr. habent, *Nimis formido, ne exedat.* vt duo Clericani, & alter è Puteaninis: quomodo Veneti, & Florentini, & Pariſienſes, & Lugdunenſes. alij *ne exeat*, vt codex Tilianus: alij *ne excedat*, vt Huraltinus, & alter è Puteaninis, & is, quem mihi vtendum dedit Vaſcoſanus. quam ſcripturam leuiter immutatam amplector. nam *excedat* quidam ferri non poteſt. ſed ſi e. ſecundæ ſyllabæ vertatur in i. fiet *excidat.* quam ſcripturam rectam eſſe puto: idque continuò oſtendam. ſed mihi prius aliæ tres ſcripturæ, conſiderandæ, & ſpectandæ ſunt. quòd ſi probabiles ſint, retinendæ: ſin abſurdæ, & ineptæ, reiiciendæ. Atque *excedat* quidẽ ferri non poteſt: quia ſententia hanc reſpuit. nam ſi dicamus, ſic explicari poſſe, *Nimis formido ne* ſubintell. leno. *excedat.* hoc eſt, ne domo egrediatur, & ne effugiat. idcirco ego rectè teneo. nam

quæ rectè tenemus,non ita facilè nobis de manibus elabuntur: ſentẽtia à verbis,& incepto ſer- A mone aliena erit:idémque de verbo *exeat*,ſentiendum.reſtat tertia *exedat*, quam quidam ſic explicant.nimis formido,ne me hic leno exedat,tanquam beſtia quædam immanis. Idcirco iidem legi volunt ſuprà proximè, *Nempe huic leoni,qui h.hab.* quaſi eum ſic appellarit Phædromus, propterea quia lenonem iſtum, leonis inſtar, ſæuum, & immitem, & inhumanum in ſe experiatur. Hanc igitur tertiam ſcripturam, quæ ſe tueri non poteſt, niſi *leoni*, pro *lenoni*, vt habent omnes libri, ſcribatur, quis probabilem iudicet? Reſtat, vt, cùm hæ tres ſcripturæ partim ferri non poſſint, partim, reiiciendæ ſint, *excidat* recipiamus, cùm præſertim & ab antiqua ſcriptura *exedat* parum deflectat, & ſententiam contineat huic toti loco accommodatiſſimam, & Plautino ingenio digniſſimam. hanc igitur ſcripturam ſic explico. Dixerat Phædromus, cùm reſpondiſſet Palinurus, Nempe huic lenoni, qui hîc habitat dicis ancillam eſſe? *rectè tenes.* ſic ſentiens, rectè intelligis. At ſeruus, ioco ſeruili, illud rectè tenes accipit, pro *firmiter tenes*,ſcilicet penem. Itaque ſic reſpondet, non eſt mirum me penem meum firmiter tenere. timeo enim ne excidat. ſignificans ſe eſſe probè mentulatum: & propter pondus ac magnitudinem ſe metuere,ne,cùm careat ſubligaculo, grauis illa ſupellex ſibi ex inguine excidat. Talis eſt iocus ille in Pœnulo. *tenetis rem.* ADVOC. *Vox quidem hercle: ita pauxilla eſt, digitulis primoribus.* In eandem enim ſententiam ibi accipiunt aduocati, *tenetis rem*, atque hîc ſeruus Palæſtrio *rectè tenes*. Si quis tamen B contendat, etiam *exeat* legi poſſe, ſalua eiuſdem ioci ſententia,aut certè non admodum immutata, hoc modo, nimis metuo,ne cauda mea propterea quòd valde eſt inflata, & expedita ad Venerem, exeat è ſedibus ſuis: non magnopere pugnabo. Ne cui autem durius, aut inuſitatius dictum videatur, *rectè tenes*, pro firmiter tenes, ( ſic enim accipit ſeruus, & hæc eſt altera ambigui pars ) ſic locutus etiã Terent.eſt, cùm is quoq. ambiguo luderet in Andr.ibi.*Dauo iſtuc dedã iam negotij*.SI.*non poteſt*.P.*Qui?*SI.*quia habet aliud magis ex ſe,& maius*.P.*quidnã?vinctus eſt*.P.*Pater, non rectè vinctus eſt.* SI.*haud ita iuſsi*.Nam Pamphilus:illud non rectè vinctus eſt,ſic audiri vult,nõ iure vinctus eſt,ſed pater ſic accipit,non aſtrictè,nec firmiter vinctus eſt.itaq. reſpondet,non ita iuſſi,non iuſſi,vt inualidè,& minus firmiter vinciretur:ſed cõtrà,vt quadrupes conſtringeretur. EA ME DEPERIT.] id eſt ea me perditè amat. EGO AVTEM CVM ILLA FACERE NOLO MVT.] iocus præter exſpectationem,ſeu παρὰ προσδοκίαν, & ex ambiguo. Nam cùm ſeruus & ſpectatores expectarent, vt diceret, ſe velle cum ea facere mutuum, id eſt, ſe velle eam mutuò amare, vel ei in amore reſpondere: dicit præter exſpectationem omnium, ſe nolle cum ea facere mutuum: in quo alter iocus eſt, ſed ex ambiguo. Nam, cùm *facere cum illa mutuum*, primo aſpectu, atque adeò re vera hoc ſignificare debeat, pariter illi in amore reſpondere, Phædromus longè alio modo vult accipi, vt ipſe poſtea declarat, videlicet, ſe nolle C eam ſibi dari mutuò, ſed emtione propriam fieri. Nam quas res mutuò accipimus, tametſi eæ noſtræ fiant,& idcirco, noſtro periculo pereant, tamen cogimur earum rerum ſi non eandem ſpeciem, at idem genus reddere. quas verò emimus, eas mancipio accipere ſolemus, earúmque dominium in nos ita transfertur, vt neque eas, neque earum æſtimationem, neque quidquam omnino venditori earum nomine debeamus. verbi gratia, ſi quis mihi centum aureos mutuos dederit: ij, mei quidem fiunt, & meo periculo pereunt: ſed natura huius contractus talis eſt, vt quamuis non eoſdem numero, aut ſpecie centum aureos, eoſdem genere tamen creditori reddere debeam. Itaque qui dat mutuum, facit is quidem, quod dat, quodammodo proprium debitoris,ſed non omnibus modis, neque omni ex parte: quia id, quod dedit, aliquando recepturus eſt, aut certè repetendi, ac recuperandi ius habet, nempe quo tempore conuenit: verùm, vt dixi, non idem numero, hoc eſt, non eos ipſos nummos, quos dedit mutuos: ſed alios æquè probos, & eiuſdem generis. Hoc igitur dicit Phædromus, nolle ſe hac lege Planeſium accipere à lenone, vt eam aliquando reddere cogatur: quod eueniret, ſi mutuum contraheret: ſed velle propriam facere, vt perpetuò ea potiatur,& fruatur. Hinc fit, vt proprium à D Latinis pro perpetuo vſurpetur. Virgil.lib.6. *propria hæc ſi dona fuiſſent.* Horat.epiſt.2.lib.2. *tanquam ſit proprium quidquam puncto quod mobilis horæ*, &c. ad quem locum plura quidem exempla collegimus, ſed tamen illud ex Terentio huc adſcribemus in Andr. *Nihilne eſſe proprium cuiquam?* vbi notat Donatus. *omne quod habemus, aut mutuum'ſt aut proprium. Ergo proprium perpetuum*, &c. MALVS CLANDEST. EST AMOR.] ordo eſt, clandeſtinus amor malus eſt. QVIA PROPRIVM FACIO: AMO P.S.] declarat ambiguè dictum.nolo,inquit,facere mutuum, quia proprium facio, id eſt, nolo mihi neceſſe eſſe eam reddere, ſed contrà volo eam perpetuò meam manere: & tamen in hanc ſententiam facere volo cum ea mutuum, quòd eam amo pariter ſimul. IAM NE EA FERT IVGVM?] id eſt, iámne ea maribus ſubſidit? iámne ea à te,aut ab alio viro ſubacta eſt? iámne ea,vt infrà loquitur,cubitat cũ viris? ſic Horat.oda.5. lib.2. *Nondum ſubacta ferre iugũ valet Ceruice: nondum munia comparis Æquare: nec tauri ruentis in Venerem, tolerare pondus.* SEMPER, TV SCITO, FLAMMA F. PR.] ſignificat complexum, & concubitum oſculis eſſe proximum. QVI È NVCE NVCL. ESSE VOLT. FR. N.] allegoria eſt,per quam ſignificat,ei qui aliquid efficere,aut conſequi ſtudet,eos labores ſuſcipiendos, eámque viam ac rationem ineundam eſſe, qua poſſit, ac ſoleat ad id perueniri. Ita qui vult alicuius puellæ complexu potiri,primò alloquitur,& blãdis verbis allicit, & promiſſis conciliat,deinde oſculatur:poſtremò, complexu Venerio,& concubitu fruitur. QVI VOLT

CVBARE



A CVBARE, &c.] allegoriæ explicatio. PANGIT SALTEM S.] ſaltem oſculatur. PANGIT.] figit. Virg.lib.1.Æn. *Cùm dabit amplexus,atque oſcula dulcia figet.* CREDAM PVDOR SIC.] Non eſt credibile,eam puellam eſſe pudicam, quæ penes lenonem ſit: cùm lenones omnes pudore careant.legendum autem *ſi cuiquam*,non *ſi cuipiam*. NEQ. DVM CVBITAT CVM V.] neq. dum fert iugum. IMMÒ QVID CENSES?] Immò quid arbitraris? Sic autẽ legendum, non vt vulgò, *vt illam cenſes*: neque vt edidit Camerarius, *vt illum cenſes?* VT QVÆQ. ILLI OCCASIO'ST. SVRR. SE, &c.] id eſt, quamcumque occaſionem nacta eſt ſurripiendi ſe ad me,ſuauium mihi figit: & ſimulatque id fecit, fugit. Virg. in Palæm. *Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri.* Priſc.lib.10. *Pango etiam pegi. & ex eo compoſitum, impingo,impeg' facit.* Pacuuius in Medo. *Tonſilla pegi læuo in litore*,&c. ſimplex tamen pango etiam pepigi facit ſecundum Cariſium, & panxi.Sed antiqui pago quoque dicebant pro paciſcor. *oppegit* igitur interpretor: firmiter obtulit,ori meo contrà affixit. HÎC] in fano Æſculapij. INCVBAT.] qui à diis aliquid petere cogitabant,cubabant in eorum deorum, quorum ope egebant,fanis, aut templis, tanquam reſponſa ab iis vel vigilantes,vel in ſomnis accepturi.Notat Seruius ad illud Virgil. Æn.7. *& cæſarum ouium ſub nocte ſilenti Pellibus incubuit ſtratis,ſomnóſque petiuit.* M.Tull.lib.1.de Diuinat. *Atque etiam qui præerant Lacedæmoniis non contenti vigilantibus curis,in Paſiphaæ fano, quod eſt in agro propter vr-* B *bem,ſomniandi cauſa excubabant*,alias,*incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Eodem pertinent illa Strabonis,lib.16.vbi de Moſe loquitur. Ἀλλ' ἐᾶν δεῖν πᾶσαν ξοανοποιΐαν, καὶ τέμενος ἀφορίσαντας, καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἕδους χωρίς. ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν τε, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους· καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τοῦ θεοῦ καὶ δῶρον ἀεί τι καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας, καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δ' ἄλλους μὴ προσδοκᾶν, &c. id eſt, Sed docebat ille, omnem ſtatuarũ fabricationẽ omittere oportere, & fano,ac templo auguſto certis finibus circumſcripto, quod Deo conſecraretur, eum Deum colendum:& in eo templo vel pro ſe quemque, vel alios,qui eſſent ad bene ſomniandum apti natura, pro aliis incubare oportere:& iis,qui temperãter,& iuſtè viuunt à Deo donũ aliquod,aut ſignum eſſe exſpectandum: aliis verò nihil tale exſpectandum,&c.Sic igitur ægri in templis Æſculapij incubabant, vt ſaltem in ſomnis moniti,aliquod morbi laxamẽtum,ac leuamentum ab eo conſequerentur. ALIÀS TALENTVM MAGNVM.] talentum magnum valet cẽtum minas. minæ autem ſingulæ drachmas centenas, quamquam alij ſingulis minis 75. drachmas tantùm contineri volunt.Idem Plautus Moſtell. *Si hercle nunc ferat ſex talenta magna argenti præſentaria, numquam accipiet.* ad quem locum de talento nonnulla præterea dicentur. Terentius in Phorm. *cedò, quid poſtulat?* C G.*Quid? nimium. quantum libuit.* C.*Dic.* G.*ſi quis daret talentum magnum.* Feſtus. *Talentorum*, inquit, *non vnum genus. Atticum eſt mille denariûm*,&c. Lege & Priſcianum de talento.Sed inſtar omnium erit vnus Budæus in libro de aſſe. ÆQVI, BONÍQ.] moderati, ἐπιεικοῦς. INIVRIV'S, QVI, QVOD LEN. NVLLI'ST,&c.] iniurius es,inquit,qui,quod nullus leno habet,ſcilicet, æquum,& bonum,id ab eo petas. QVÒ ME VERTAM, NESCIO] ſermo hominis inopia conſilij laborantis. ſed hæc verba aliter accipit ſeruus, vt iam cognoſcemus. SI DEOS SALVTAS, DEXTROVORSVM.] iocatur ſeruus,Phædromi verba, in aliam ſententiam, atque ille volebat, torquens.Nam cùm ille ſignificans, ſe neſcire quid ſe faciat, & quid conſilij capiat, ita locutus eſſet, *quò me vertam,neſcio*: ſeruus aliter accipiens,ſubiicit, *Si deos ſalutas, dextrouorſum.* ideſt,ſi deos ſalutas,verte te dextram partem verſus.Qui deos ſalutabant,ac venerabantur,circumagebant ſe dextram partem verſus. T. Liuius lib.5. annal. *Dicitur manus ad cælum tollens precatus eſſe,vt,ſi cui deorum, hominúmq. nimia ſua fortuna,populique R. videretur: vt eam inuidiã lenire quam minimo ſuo priuato incommodo,publicóque Romani populi liceret.conuertentem ſe inter hanc venerationem,traditur memoriæ, prolapſum cecidiſſe.* Hoc idem Plutarchus narrat planius, & vberius, his verbis. ἀνέσχε τὰς χεῖρας τοῖς θεοῖς, καὶ προσευχόμενος εἶπε, Ζεῦ μέγιστε, καὶ θεοὶ χρηστῶν ἐπίσκοποι, καὶ D πονηρῶν ἔργων, αὐτοί που σύνιστε Ῥωμαίοις, ὡς οὐ παρὰ δίκην, ἀλλὰ κατ' ἀνάγκην ἀμυνόμενοι μετερχόμεθα δυσμενῶν ἀνδρῶν καὶ παρανόμων πόλιν. εἰ δ' ἄρα τις ἔφη καὶ ἡμῖν ἀντίστροφος ὀφείλεται τῆς παρούσης νέμεσις εὐπραξίας, εὔχομαι ταύτην ὑπέρ τε πόλεως, καὶ στρατοῦ Ῥωμαίων, εἰς ἐμαυτὸν ἐλαχίστῳ κακῷ τελευτῆσαι. ταῦτ' εἰπὼν, καθά περ ἐστὶ Ῥωμαίοις ἔθος, ἐπευξαμένοις καὶ προσκυνήσασιν ἐπὶ δεξιὰ ἐξελίττειν, ἐσφάλη περιστρεφόμενος. id eſt manus in cœlum ad deos ſuperos ſuſtulit Camillus,& precans,Iupiter magne,inquit,& vos dij bonorum,& malorũ facinorũ inſpectores,vos ipſi ſcilicet iuxtà atq. Romani ſcitis,nos nõ contra ius, ſed neceſſitate coactos,& iniuriã acceptã referẽteis, hominũ maleuolorũ, & iura,legéſq. negligentiũ vrbem vlciſci.Quòd ſi qua etiã nobis reciproca,& viciſſim rediẽs præſentis felicitatis vltrix iuſtitia debetur,precor,& pro ciuitate,& pro exercitu Romanorũ,vt hęc in caput meũ cum minimo incõmodo recidat.Hęc locutus,quemadmodũ mos eſt Romanorũ,poſteaquã precati, & venerati ſunt,ſe dextrã partẽ verſus vertere,interea dum ſe circumagit,prolapſus eſt. Sueton. in Vitellio, de Lucio Vitellij imperatoris patre. *Idẽ miri in adulando ingenij,primus C.Cæſarẽ adorari inſtituit,cùm reuerſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet,quàm capite velato,circumuerténſq.ſe, deinde procumbẽs.* Lucret.lib.5. *Nec pietas vlla'ſt,velatũ ſæpe videri Vertier ad lapidẽ,atq.omneis accedere ad aras.* ad quẽ locũ licet legere,quę à nobis annotata ſunt in cõment.Lucret. ANTE HORVM FOR.] ante foreis lenonis,lenę,& puellæ. ME INFERRE VEN. V. I. I.] Voui me Veneri prima luce ſacra fa-

ſturum : quo tempore ientant pueri, vel vt Simeo Boſius, quo tempore ientacula venduntur: A quam explicationem poſſum adiuuare Martialis epigrammate, quod eſt libri vltimi vltimum. *Surgite iam: vendit pueris ientacula piſtor. Criſtatæq́; ſonant vndique lucis aues.* Licet etiam hoc modo explicare, vt Simeoni Boſio videbatur : Voui me ante alios omneis Veneri ſacra facturum, quæ ſint ei pro ientaculo. QVID ANTEPONES VENERIO IENTACVLO?] non putaui me culpam vllam contracturum, aut quidquam temerè facturum, ſi ſecutus eſſem antiquam ſcripturam, in altero ex codicibus Puteani ſine vlla litura expreſſam. *Quid antepones Veneri pro ientaculo?* Nam alij omnes habent, vt vulgati, *Quid antepones Veneri à ientaculo.* quam ſcripturam & ſententia, & lex carminis reſpuunt. Andr. Turnebus cùm animaduertiſſet, hunc locum eſſe in libris vulgatis & pleriſque aliis mendoſum, coniecit legendum. *Quid antep. Venerio ientaculo.* fortaſſe non malè, vt ita expliceтur. Quid antepones, ſubintell. Veneri, in Venerium ientaculum? Præterea Nonius in verbo *ientare*, mendosè hunc verſum profert, hoc modo, *Quid antepones Veneri ientaculi?* quamuis enim non abſurda ſit huius lectionis ſententia, nempe talis, Quid ientaculi, id eſt, quod ientaculum, Veneri antepones? id eſt ante Venerem pones? ſeu Veneri appones? tamen verſus hanc lectionem ferre non poteſt. acquieſcamus igitur vel in Adriani Turnebi coniectura : quæ ſic explicanda eſt : Quid antepones, inquit ſeruus, Venerio ientaculo? id eſt, vt ſentit ſeruus, quid appones Veneri in ientaculum? vel in antiqua ſcriptura, B quam ſecuti ſumus: quod tutius eſſe puto. Sic loquitur in Menæchm. *Bonum anteponam prandium pranſoribus.* Ita autem quærit ſeruus, quia nihil præter vinum videt. ientaculum autem eſt cibus matutinus, aut matutina cibi deguſtatio, vt veteres quidam grammatici volunt. At Phædromus verba ſerui in aliam ſententiam accipit, aut detorquet, talem ſcilicet, proinde quaſi quæſierit, quos conuiuas adhibiturus, ſeu vocaturus eſſet ad ientaculum venerium. Itaque ſic reſpondet. *Me, te*, &c. TVM TV VENEREM VOM. VIS.] ſeruus eandem verborum ſententiam, quam initio eſſe voluerat, retinens, & Phædromi ſenſum diſſimulans, qui de vocandis conuiuis acceperat. Ergo, inquit, Venerem vomere vis? proinde ac ſi ita dicat. ſi tale, quale dicis, ientaculum apponere cogitas, nempe, me, te, hoſce omneis, videris tali facto aſſequi velle, vt Venus vomat. Nam ſimul atque nos ientauerit, reuomere cogetur. Licet autem legere etiam ſine interrogatione. CEDÒ PVERE SINVM.] da puer ſinum. Nonius *ſinus, & galeola*, inquit, *vaſa ſinuoſa*. Virgil. Melibœo. *Sinum lactis, & hæc tibi liba, Priape, quotannis Exſpectare ſat eſt.* vbi Seruius, ſinus, genus vaſis : quod cùm ſignificamus, *ſi*, producitur : cùm verò gremium, *ſi*, corripitur. Iam *puere* antiquum pro *puer* à recto *puerus*. QVID FACTVRV'S?] quid facturus es? MVLTIBIBA, ATQ. MEROB.] à re ipſa ſcilicet : quia multum bibit & merũ bibit. QVASI TV LAGENAM DICAS, VBI, &c.] hoc pertinet ad id, quod poſteriore loco poſitũ eſt, *Merobiba*. anum iſtã, inquit, ſignificas eſſe lagenæ, in qua vinũ Chium ſolet C ineſſe ſimilem. Vinum Chium non ſolebat aqua marina perfundi, vt cetera vina Græca : ſed oportebat eſſe merum, & maris expers. Horat. Sat. 2. lib. 2. *procedit fuſcus Hydaſpes Cæcuba vina ferens: Alcon Chium maris expers.* ad quem locum legere, quæ notauimus, fortaſſe lectorem iuuabit. Iam lagenam fuiſſe vaſculum ad vinum capiendum, & continendum accommodatũ, conſtat, &, ſi qua controuerſia eſſet, eam tolleret iocus ille notiſſimus. immò niſi lagena nos defeciſſet, occidiſſemus te. EXTEMPVLO VBI] ſimulátque, ſimul vt. DE ODORE,] ex odore. NISI NEVIS.] niſi non vis. ſubintell. fertur : hoc modo, quæris, an feratur ei, hic ſinus vini. reſpondeo tibi, ferri, niſi non vis. *neuis* ſecunda perſona eſt à verbo *nolo*. *ne* pro *non*, antiquè. NAM ISTVNC, QVI FERT, AFFL.] nam iſtum, qui fert ſinum vini plenum, velim ad terram afflictum eſſe, id eſt, velim graui caſu in terram deiectum eſſe, ſi putem iſti anui ferri. CENSVI.] putaui. SI QVID SVPER ILLI FVERIT:] ſi quid illi ſuperfuerit. QVISNAM ISTIC FLVVIVS EST, &c.] allegoria eſt : quæ hoc ſignificat, quódnam iſtuc vinum eſt, quod anus non ebibat, cum mari, anum : cum fluuio vinum D comparat. Sic ferè in Truculento, meretricem cum mari : quæ dantur meretrici, cum fluuiis in mare decurrentibus confert. fluuios autem omneis in mare delabi cõſtat : & hac de re diximus in Comment. Lucret. lib. 6. ibi. *Principiò mare mirantur non reddere maius. Naturam, quo tantu' ſiat decurſus aquarũ: Omnia quò veniant ex omni flumina parte*, &c. FI MI OBSEQVENS.] mihi obſequere. *fi* imperatiui modi præſentis tẽporis, numeri ſingul. à verbo *fio*. vſus eſt eadem & Horat. lib. 2. Sat. 5. ibi, *ſi cognitor ipſe*. ad quẽ locũ plura. vtitur mox plurali, *fite mihi volentes, prop.* FITE MIHI VOLENTES,] fite mihi beniuolæ: vel ſic, fite mihi faciles, & libentes, ſeu voluntariæ. VOLTÍSNE OLIV. &c.] iocatur ſeruus, & dominũ ſuũ vrbanè irridet. Oliuas, ſeu oleas fuiſſe etiã veteribus in menſis vſui, vel ex his Horat. verſib. intelligere licet. Sat. 2. lib. 2. *nec dum omnis abacta Pauperies epulis regum. nam vilibus ouis Nigríſque eſt oleis hodie locus.* AVT PVLPAMENTVM,] pulpamentum, cibus eſt, qui fit ex pulpa léporis. quod declarat iocus ille militis apud Terent. in Eunuch. *Tute lepus es : & pulpamentum quæris.* aliud eſt pulmentum, ſeu pulmentarium. Nam cibus eſt admodum pultis factus: quod ex Plinio cognoſcere licet: cuius hæc verba ſunt lib. 18. cap. 8. *Pulte autem, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum: quoniam inde & pulmentaria hodiéque dicuntur, ſiue puls ipſa, ſiue quiduis aliud, quod inter cibos admodum pultis factum ſumitur*, &c. AVT CAPPARIM?] *Capparis*, inquit Plinius libro 13. capite 23. *firmioris ligni frutex, ſeminíſque & cibi*



A *cibi vulgati, caule quoque vnà plerúmque decerpto.* De cappari planius & plenius Dioſc. lib. 2. cap. 204. Sed legendum ſic potiùs hunc verſum puto, *Voltis ne oliuas, an pulpamentum, an capparim?* NON MVTIT CARDO.] cardo nullum ſtridorem mittit. nullum ſonitum edit : ne mu quidem facit. QVIN DAS SVAVIVM?] ſi cardo eſt lepidus, vt dicis, quin das ei ſauium?

## LENA anus, PHÆDROMVS, PALINVRVS.

FLos veteris vini meis naribus obiectus eſt.
Eius amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi vbi eſt, prope me eſt, euax habeo : Salue anime mi,
Liberi lepos. vt veteris vetuſti cupida ſum:
Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea eſt.
B Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocum, & caſſia es, tu bdellium. nam vbi
Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.
Sed quum adhuc naſo odos obſecutus eſt meo,
Da viciſſim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum. vbi eſt ipſus? ipſum expeto
Tangere, inuergere in me liquores tuos
Sino ductim. ſed hâc abiit, hâc perſequar.
PH. Sitit hæc anus. PA. quantulum ſitit? PH. modica eſt,
Capit quadrantal. PA. pol, vt tu prædicas,
C Vindemia hæc huic anui non ſatis eſt ſoli.
Canem eſſe hanc quidem magis par fuit : ſagax
Naſum habet. AN. amabo, cuia vox ſonat procul?
PH. Cenſeo hanc appellandam anum. Adibo. redi,
Et reſpice ad me huc lena. AN. imperator quis eſt?
PH. Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui ſcreanti, ſiccæ, ſemiſomnæ,
Affert potionem, & ſitim ſedatum it.
AN. Quàm longè abeſt à me? PH. lumen hoc vide.
Grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro.
Salue. AN. egon' ſalua ſim? quæ ſiti ſicca ſum?
D PH. At iam bibes. AN. diu fit. PH. hem tibi, anus lepida.
AN. Salue oculeiſſime homo. PA. age effunde hoc citò
In baratrum, propere, prolue cloacam. PH. tace.
Nolo huic maledici. PA. faciam igitur malè potius.
AN. Venus de paulo, paululum hoc tibi dabo,
Haud libenter. nam tibi amantes propinantes,
Vinum potantes dant omnes, mihi haud ſæpe
Eueniunt tales hereditates. PA. hoc vide, vt
Ingurgitat impura in ſe merum auariter,
Faucibus plenis. PH. perij hercle, huic quid primùm dicam
Neſcio. PA. hem iſtuc, quod mihi dixti. PH. quid id eſt?
PA. Periiſſe vt te dicas. PH. malè tibi di faciant.

PA. Dic iſti. AN. ah. PA. quid eſt? ecquid lubet? AN. A
lubet.
PA. Etiam mihi quoque ſtimulo fodere lubet te.
PH. Tace, noli. PA. taceo. ecce autem bibit arcus, pluet,
Credo hercle hodie. PH. iámne ego huic dico? PA. quid
dices?
PH. Me periiſſe. PA. age dice. PH. anus audi. hoc volo
Scire te, perditus ſum miſer. AN. at pol ego oppidò
Seruata. ſed quid eſt? quid lubet perditum
Dicere te eſſe? PH. quia, id quod amo, careo.
AN. Phædrome mi, ne plora, amabo. tu me
Curato ne ſitiam: ego tibi quod amas, iam huc adducam. B
PH. Tibi næ ego, ſi fidem ſeruas mecum,
Vineam pro aurea ſtatua ſtatuam, quæ tuo
Gutturi ſit monumentum. qui me in terra æquè
Fortunatus erit, ſi illa ad me bitet
Palinure? PA. edepol qui amat, ſi eget, miſera afficitur
Ærumna. PH. non ita res eſt. nam confido
Paraſitum hodie aduenturum cum argento ad me.
PA. Magnum inceptas, ſi id exſpectas, quod nuſquam'ſt.
PH. Quid ſi adeam ad fores, atque occentem? PA. ſi lubet,
Neque veto, neque iubeo, quando ego te video
Immutatis moribus eſſe here, atque ingenio. C
PH. Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro,
Gerite amanti mihi morem amœniſſimi.
Fite cauſſa mea Lydij barbari,
Suſſilite obſecro, & mittite iſtanc foràs,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.
Hoc vide vt dormiunt peſſuli peſſumi,
Nec mea gratia commouent ſe ocyus,
Perſpicio nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. PA. taceo Hercle, quid eſt? PH. ſentio D
ſonitum,
Tandem edepol mihi morigeri peſſuli fiunt.

FLOS VETERIS VINI M. N.] id eſt. vinum vetus præſtantiſſimum, vel fragrantiſſimi odoris ἀνθοσμίας οἶνος. Idem in Caſina. *quid eſt? niſi hæc meraclo Se vſpiã percuſſit flore Libyco.* Idem in Ciſtellaria. *Quidque adeò me compleui flore Liberi.* [Ennius Alceſtide. *Hæc anus admodum friguttit, nimirum ſe ſauciauit flore Liberi.* EIVS AMOS] eius amor, &c. amos antiquè dictum, vt colos, vapos, nidos, & ſimil. pro color, vapor, nidor, &c. PROLICIT] foras allicit, prouocat, prolectat. EVAX,] lætantis interiectio. ſic in Bacchid, *euax, aſperſiſti aquam.* quem locum profert Soſipater. VT VETERIS VETVSTI CVPIDA SVM?] quàm cupida ſum vini veteris, & vetuſti? *veteris vetuſti* dictum eſt, κατὰ σχῆμα ἐκ παραλλήλου. OMNIVM VNGVENTŮM OD.] omnium vnguentorum odor. PRÆ TVO NAVTEA'ST.] præ tuo odore, mihi nauteæ inſtar eſt. nautea, aqua eſt fœtida ex ſentina maris. ſuprà in Aſinaria. *Nauteam bibere malim, quàm illam oſcularier.* TV MIHI STACTE,] ſtacte, flos myrrhæ: vel, vt alij



A vt alij volunt, pinguitudo, & ſtilla, ſeu gutta prima recentis myrrhæ, antequàm incidatur ſudantis. TV CINNAM.] de cinnamomo. Dioſc. lib. 1. cap. 13. ET CASSIA ES] de caſſia legẽdus Dioſc. lib. 1. cap. 12. BDELLIVM,] de bdellio lege Plin. lib. 12. cap. 9. & Dioſc. lib. 1. c. 81. PROFVSV'S] profuſus es, QVVM ADHVC.] quoniam adhuc, &c. ἐπεὶ δὴ μέζει τούτου. ODOS] odos antiquè pro odor. Lucret. lib. 6. *permanet odos frigúſque, vapóſque Ignis,* &c. NIHIL AGO TEC.] inanem tecum operam ſumo, ſi nareis ſolus odore delectas, nec etiam gutturi voluptatem præbes. vel, ſic nihil ago tecum ô odor, id eſt, nihil te moror, nihili te facio, niſi ſcilicet, vinum mihi bibere liceat. Simeo Boſius cum interrogatione legebat, hoc modo, & hoc ſenſu: nihil ago tecum? id eſt nihil ne abs te impetrare poſſum? an fruſtra abs te peto, vt guttur meum voluptate perfundas? IPSVS?] ipſe flos Liberi? vel ipſe lepos Liberi? id eſt, ipſum vinum fragrantiſſimum, & lepidiſſimum? INVERGERE] infundere. Virgil. lib. 6. *inuergit vina ſacerdos.* Lucret. lib. 5. *Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum Vergebant: nunc dant aliis ſolertius ipſi.* SINO] è ſino. DVCTIM] hauſtim, tractim, ducens è ſino. ductim ab eo, quod eſt ducere, pro bibendo trahere, vt apud Horat. *ducere nectaris ſuccos*, oda 3. lib. 3. MODICA EST.] non admodum ampla eſt, aut capax, ſed modicè, & mediocriter loquitur de anu, vt de vaſe. ironia autem eſt. CAPIT QVADRANTAL.] capit octo, & quadraginta ſextarios. qua-
B drantal, vt docet Feſtus, vas pedis quadrati, quod octo, & quadraginta ſextarios capit. amphoram dicunt Græci. deinde hunc locum profert. VINDEMIA HÆC] hæc vini copia, tralatio eſt. CANEM ESSE HANC Q. M. P. F.] canes ſunt ſagaces natura. M. Tull. lib. 1. de Diuinatione. *Sagire, ſentire acutè eſt: ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes.* Idem lib. 1. de Nat. Deor. *nos elefantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad vtilitatem noſtram abutimur.* Plin. lib. 8. cap. 11. Plurima alia in his quoque vita inuenit: ſed in venatu ſollertia, & ſagacitas præcipua eſt. ex quo illud Virgil. lib. 4. Æn. *& odora canum vis.* Lucret. lib. 1. *Namque canes vt montiuagæ perſæpe feraĩ Naribus inueniunt intectas frunde quietes, Cùm ſemel inſtiterunt veſtigia certa viaĩ.* SAGAX NASVM HABET.] naſum dixiſſe veteres etiam in genere neutro teſtatur Nonius, & profert Lucilij verſum ex lib. 7. *Queis oculi non ſunt, neque naſum, & cilia fronte.* IMPERATOR QVIS EST.] quis eſt, qui ita mihi imperat? VINI POLLENS,] vini potens, id eſt, qui vini robore fretus eſt: vel, qui vini copia inſtructus eſt, nempe Bacchus ipſe. LEPIDVS LIBER.] Sic legendum, ſine copulatione interpoſita, & nomine Liber, maiuſcula littera ſcripta, vt intelligamus eſſe nomen proprium. SEMISOMNÆ,] ſomnolentæ, dormitabundæ. Ebrioſum eſſe, & ſomnolentum conſentanea ſunt. ebrietas enim ſomno cu-
C ratur & leuatur. qua de re, aliàs. SICCÆ,] ieiunæ, ſitibundæ, non madidæ. QVÆ SITI SICCA SVM.] quæ ſiti arida ſum! DIV FIT] hoc fit longum, cùm me bibituram dicis. HEM TIBI, ANVS L.] malim legi, *en tibi anus lepida.* vt ſit hic Phædromi ſenſus, ſeu tibi, quod bibas, anus lepida. OCVLEISSIME H.] homo cariſſime. Sic ſuprà, oſtium dixit oculeiſſimum. IN BARATHRVM.] in ventrem iſtius anus barathri inſtar profundum. PROLVE CLOACAM.] omni ex parte & porro tenus laua ventrem eiuſdem, inſtar cloacæ fœtidum, ſpurcíque, ac tætri odoris. Virgil. lib. 3. Georg. *fœdiſſima ventris Proluuies.* VENVS, DE PAVLO P. H. T. D.] hîc anus, paululum vini in terram, ſeu potius in aram Veneris de pleno ſino effundit: quod eſt libare. *de paulo* autem dicit, quia quantumuis plenum vas eſſet, parum tamen videbatur anui vinoſæ, ſitibundæ, & multibibæ. DABO.] libabo. DANT] libant. TALES HEREDITATES.] talia commoda, tales fructus. INGVRGITANT IMPVRA IN SE MERVM AVAR.] in ſe, tanquam in gurgitem, infundit merum auidè. aliter vſurpat Cicero verbum *ingurgitare*, aut certè aliam ſtructuram ei attribuit. Sic enim ille lib. 2. de Finib. bon. & mal. *qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur, crudíque poſtridie ſe rurſus ingurgitent*: & rurſus aliter oratione in Piſon. *nunquam te in tot vitia ingurgitaſſes.* Sic in 2.
D Philip. *In eius igitur copias cùm ſe ſubitò ingurgitaſſet, exſultabat gaudio, perſona de mimo,* &c. AVARITER.] auidè. profert hunc verſum Nonius in aduerbio *auariter.* FAVCIBVS PLENIS.] faucibus patentibus ore hiante, quod Græci dicunt. χανδὸν, à verbo χαίνω, quod valet hio. Sic dixit in Sticho, niſi quòd figuratè, & facetè, *Propino tibi ſalutem plenis faucibus.* DIC ISTI.] dic iſti, vt ei dij malè faciant. ECQVID LVBET?] nunquid tibi lubet, iſti malè precari? STIMVLO FOD.] Sic M. Tull. Philip. 2. *Num exſpectas, dum te ſtimulis fodiam?* BIBIT ARCVS.] bibit iris. arcui, ſeu arco cæleſti aſſimilat anum bibacem, & vinoſam. bibit anus, inquit, tanquam arquus, ſeu arcus cæleſtis: ex quo licet ſuſpicari mox pluuiam è nubibus caſuram. Virg. lib. 1. lib. Georg. *& bibit ingens Arquus, & è paſtu decedens agmine magno,* &c. Lucr. 6. *Tum color è nigris exſiſtit nubibus arqui.* ad quem locum plura de arcu, ſeu arquo cæleſti. DICO?] dicam? tempus pro tempore, vel dicere debeo? AT POL EGO OPP. SERVATA.] quia bibi. QVID LVBET PERDITVM, &c.] quid, id eſt, propter quid? διὰ τί; quamobrem? QVIA ID. Q. AMO, C.] quia quod ego eo careo. TV ME CVRATO, NE SITIAM.] tu curato, ne ego ſitiam, vel curato, me non ſitire. locutio eſt ex duobus generibus permixta, vt iam ſæpe admonuimus. TIBI NÆ EGO, SI FID. SERVAS M. VINEAM, &c.] ordo eſt, næ ego, ſi mihi fidem ſeruas, vineam ſtatuam pro aurea tibi ſtatuam, &c. ſtatuam vineam, id eſt, ſtatuam ex vino, vt auream ex auro dona, & ſacrificia debent eſſe diis, quibus dantur, &

ſiunt; apta. Sic igitur Phædromus ſe huic anui ſtatuam non auream, ſed vineam, poſiturum eſſe dicit. quippe quæ longè magis delectatur vino, quã auro. QVÆ TVO GVTT. SIT MON.] quæ tuæ bibacitatis monumentum ſit ſempiternum. QVI ME IN TERRA ET C.] quis me, &c. BETET,] eat. SI EGET,] ſi non habet, quod det lenoni, aut meretrici: & ita potiri non poteſt. ſic ferè infrà, eadem ſcena. *Ipſus ſe excruciat qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.* MAGNVM INCEPTAS,] magnum quoddam opus aggrederis, ac ſuſcipis, ſi, &c. ATQVE OCCENTEM.] ob foreis cantem? occentare tamen veteres pro conuitiari, vſurparũt, vt teſtatur Feſtus, & ita Plautus ipſe in Mercat. *Vellicẽt, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.* PESSVLI, HEVS PESSVLI] peſſuli vectes erant breues, & parui, vel lignei, vel ferrei, quibus fores intrinſecus claudebantur. FITE CAVSA MEA LVDII BARBARI.] id eſt, vt mox ipſe declarat, ſuſſilite. ludij, erant pueri, ſeu adoleſcentuli imberbes, & impuberes, ſaltatores, olim ex Etruria acciti, qui ad numerum ſaltabant. *Barbari* autem, id eſt, Italici, ſeu Latini. Iam verò ludij ſeu lydij, legendum, τριουλλάζως, vt ſit pes creticus: quod vidit & Adr. Turnebus. Conſtant enim omnes hi verſus octo, numerandi ab illo. *Peſſuli, heus peſſuli*, &c. conſtant pedibus creticis ſinguli quaternis, hoc modo. Peſſuli, heus -υ- peſſuli -υ- vos ſalu-υ-to libens. -υ-: & ita de reliquis ſeptem deinceps ſequentibus ſentiendum. Fite autem imperatiui modi eſt, à verbo fio, vt ſuprà diximus. SVSSILITE] ſurſum ſalite. Nam ſuſſum pro ſurſum dixerunt veteres. B ISTANC] Planeſium. QVÆ MIHI MISERO AM. EB. SANG.] quæ me exſanguem reddit. Sic apud Theocr. in Pharmac. puella illa queritur amorem, tanquam hirudinem, affixum, ſibi ſanguinem omnem ebibiſſe. Αἰ, αἰ, ἔρως ἀνιηρέ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα, πέπωκας; id eſt, vt quidem vertimus, O mihi triſtis amor, quid nigrum è corpore ſanguinem, Omne mihi abſum'ſti æquè bibiſti, hærens, vt hirudo? Ne diſſimile illud quidem eſt, quod eſt apud Sophoclẽ in Electra, vbi Clytemneſtra dicit ſe omni metu liberatam eſſe, ex vtraque parte, & ex ea parte, qua Electram inuita viuã quotidie videbat: & ex ea, qua Oreſtẽ necis paternæ vltorẽ nocteis dieſq; horrebat. ſic illa. Νῦν δ' ἡμέρα γὰρ τῇ δ' ἀπήλλαγμαι φόβου Πρὸς τῆς δ', ἐκείνου θ'. ἥδε γὰρ μείζων βλάβη Ξύνοικος ἦν μοι, τοὐμὸν ἐκπίνουσ' ἀεὶ ψυχῆς ἄκρατον αἷμα. id eſt, Nunc autem hodie metu liberata ſum, & ex Electræ parte, & ex Oreſtis. Hæc enim maior pernicies mecum habitabat, mihíque contubernalis erat, meum ſemper ebibens merum animæ ſanguinem. VT DORMIVNT] vt quieſcunt, neque ſe commouent loco, vt recludantur & pateant fores. PERSPICIO NIHILI MEAM, &c.] planè cerno vos non magnopere laborare, vtrùm vobis amicus, an inimicus ſim. ST, TACE, TACE.] ſic legendũ, non *ſed tace*, vt omnes libri habent. hoc primum. C deinde, cur ita ediderim, libris omnibus reclamantibus, exponenda ratio eſt. Non longum faciam: ratio ipſa, & veritas hanc emendationem poſtulant. ſic enim, qui ſilentium indicunt, loqui ſolent Latinè. *St, tace*, vel *tacete*. non *ſed tace*. vel *tacete*. conſtat enim *St*, ſilentij indicti, vel indicendi notam eſſe. Næuius in Coroll. *St, tale verbum caue faxis*, ex Soſipatro. apud Cic. lib. 2. de Orat. ad Q. Fratr. ex antiquo aliquo poëta. *St, tacete. quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater.* Itaque quemadmodum hîc vel ſcioli, vel librarij ex *ſt.* fecerunt, *ſed*: ita in Caſin. ex *ſt.* fecerunt *ſta*, ibi. *Sta, tacete, atque abi. neque paro neque hodie Coquetur.* Itaque ego ita reſtitui. *St. tace, atque abi.* &c. SENTIO SONITVM] ſic dictum à Plauto. *ſentio ſonitum*, vt à Lucretio *ſentire ſonorem*, lib. 4. & lib. 6.

## ANVS, PLANESIVM virgo, PHÆDROMVS, PALINVRVS.

PLacidè egredere, & ſonitum prohibe forum, & crepitum cardinum: D
Ne quod hîc agimus, herus percipiat fieri mea Planeſium,
Mane, ſuffundam aquulam. PA. viden' vt anus tremula medicinam facit?
Eapſe merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant.
PL. Vbi tu es? qui me conuadatu's Veneriis vadimoniis?
Vbi tu es? qui me libello Venerio citauiſti: ecce me.
Siſto ego tibi me, & mihi contrà itidem te vt ſiſtas ſuadeo.
PH. Aſſum. nam ſi abſim, haud recuſem quin mihi malè ſit mel meum.
PLA. Anime mi procul quidem amantem abeſſe haud conſentaneũ eſt.
PH. Palinure, Palinure. PA. eloquere, quid eſt quòd Palinurũ voces?
Eſt



A PH. Eſt lepida? PA. nimis lepida. PH. ſum Deus. PA. immò homo haud magni preti.
PH. Quid vidiſti, aut quid videbis magis diis æquiparabile?
PA. Malè valere te, quod mihi ægrè eſt. PH. malè mihi morigerus, tace.
PA. Ipſus ſe excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum licet.
PH. Rectè obiurgat. ſanè haud quicquam'ſt, magis quod cupiam tandiu.
PL. Tene me, amplectere ergo. PH. hoc etiam eſt quamobrem cupiam viuere,
B Quia te prohibet herus, clàm hero potior. PL. prohibet, nec prohibere quit:
Nec prohibebit, niſi mors meum animum abs te abalienauerit.
PA. Enimuero nequeo durare, quin ego herum accuſem meum:
Nam bonum eſt pauxillum amare ſanè, inſanè non bonum eſt.
Verùm totum inſanum amare, hoc eſt, quod meus herus facit.
PL. Sibi ſua habeant regna reges, ſibi diuitias diuites:
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia,
Dum mihi abſtineant inuidere, ſibi quiſque habeant quod ſuũ eſt.
PA. Quid tu Veneri peruigilare te vouiſti Phædrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo pòſt luce lucebit. PH. tace.
C PA. Quid taceam, quin tu is dormitum? PH. dormio, ne occlamites.
PA. Tu quidẽ vigilas. PH. at meo more dormio, hic ſomnu'ſt mihi.
PA. Heus tu mulier, malè mereri de immerente inſcitia eſt.
PL. Iraſcare, ſi te edentem hîc à cibo abigat. PA. ilicet.
Pariter hos perire amando video. vterque inſaniunt.
Viden' vt miſerè moliuntur, nec queunt complecti ſatis?
Etiam diſpertimini. PL. nulli eſt homini perpetuum bonum.
Iam huic voluptati hoc adiunctum eſt odium. PAL. quid ais propudium?
Tun' etiam cum noctuinis oculis, odium me vocas?
D Ebriola perſolæ nugæ. PH. Tun' meam Venerem vituperas?
PL. Quod quidem mihi pollutus virgis ſeruus ſermonem ſerat.
At næ tu hercle cum cruciatu magno dixiſti id tuo.
En tibi maledictis pro iſtis, dictis moderari vt queas.
PA. Tuam fidem Venus noctuuigila. PH. Pergin' etiam verbero?
PL. Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.
PA. Magnum flagitium probrúmque Phædrome expergefacis.
Bene monſtrantem pugnis cædis, hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, vt immodeſtis te hîc moderere moribus?
PH. Auro contra cedo modeſtum amatorem, à me aurum accipe.
PA. Cedo mihi contra oricalco cui ego ſano ſeruiam.
PL. Bene vale ocule mi. nam ſonitum & crepitum clauſtrorum audio.

Ædituum aperire fanum:quouſque quæſo ad hunc modum A
Inter nos vtimus amore ſemper ſurreptitio?
PH. Minimè.nam Paraſitum miſi nudiuſquartus Cariam,
Petere argentum,is hodie hîc aderit. PL. nimium conſultas diu.
PH. Ita me Venus amet,vt ego te hoc triduum nunquam ſinam
In domo eſſe iſtac,quin ego te liberalem liberem.
PL. Facito vt memineris,tene etiam priuſquam hinc abeo ſauium.
PH. Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potius perſequar,
Quando ego te videbo. PL. Ehem iſtoc verbo vindictam para:
Si amas, eme: ne rogites: facito vti pretio peruincas tuo.
Bene vale. PH. iam ne ego relinquor? pulchrè Palinure occidi. B
PA. Ego quidem qui & vapulãdo,& ſomno pereo. PH. ſequere me.

ET SONITVM PROHIBE FORVM,] & caue, ne fores ſonitum edant: *forum* poſuit pro forium. HERVS] leno Cappadox. PERCIPIAT.] animaduertat, cognoſcat, ſentiat. SVFFVNDAM AQVVLAM.] ſubintell. foribus & cradinibus, ne ſcilicet fores, & cardines ſonitum edant. MEDICINAM FACIT?] medetur, ſubintell. foribus, & cardinibus. EAPSE] ea ipſa. CONDIDICIT BIBERE:] ſic legendum eſt, non vt vulgò, *quom didicit*. condiſco autem, ſolẽt vſurpare ſcriptores pro ſimplici, *diſco*. vt Horat. oda 2. lib. 3. *Anguſtam, amici, pauperiem pati Robuſtus acri militia puer Condiſcat*, &c. QVI ME CONVADATV'S VENER. VADIM.] id eſt, qui quaſi vadibus à me acceptis me in ius vocaſti? vel ſic, cui quaſi datis vadibus promiſi memet in iudicio ſtituram? vel ſic, qui me quaſi vadimoniis Veneriis obſtrictam cogis me tibi quaſi in iudicio ſiſtere? Idem *vadatum amore* dixit paſſiuè in Bacchid. *Itaque me vadatum amore, vinctúmque attines.* actiuè autem *vadato*. dixit Horat. Sat. 9. lib. 1. vt Plautus, *conuadatus*. ſic Horat. *& reſpondere vadato Debebat: quod ni feciſſet, perdere litẽm.* VBI TV ES, QVI ME LIB. VEN. CITAVISTI?] Idem ferè dicit, quod ſuperiore verſu. Tractum eſt autem vtrumque genus à iudiciorum more, & formulis. qua de re plura diximus in commentariis Horatianis, ibi, *Ille, datis vadibus, qui rure extractus in vrbem eſt.* Sat. 1. lib. 1. Iam qui in ius vocabat, libellum prætori dabat. ex quo illa quæſtio, vtrum libertus, cui per edictum præt. non licebat patronum in ius vocare, ſi libellum principi aduerſus patronum dediſſet, patronum in ius vocaſſe contra prætoris edictum videatur. quod negat Paulus lib. 1. quęſtionum: & poſitum eſt hoc caput lib. 2. Digeſt. titul. *de in ius vocando*. Cuius capitis initium eſt, *libertus aduerſus patronum*, &c. SISTO EGO TIBI ME.] ſiſto vadimonium, obeo vadimonium. PROCVL QVIDEM AMANTEM, &c.] amans non debet longè abeſſe ab eo, quod amat. immò amantis animus in eo, quod amat, habitat. SVM DEVS] ſic Propert. lib. 2. eleg. 15. *Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis. Nocte vna quiuis vel deus eſſe poteſt.* MALÈ VALERE TE, QVOD MIHI ÆGRÈ EST.] locus obſcurus. Nam primùm non videtur Palinurus ad interrogatũ reſpondere. Deinde, falſum reſpondet. Ita enim rogauit Phædromus, quid vidiſti, aut quid videbis magis diis æquiparandum? reſpondet Palinurus: *Malè valere te.* atqui dij non valent malè. quare neque qui malè valet, eò quòd malè valet, cùm diis cõparandus eſt, neque malè valere, diis, aut deorum naturæ æquiparabile eſt. Nam quòd quidam ſic explicant, *malè valere te*, ſubintellige, video, aut vidi, non effugiũt illud abſurdum, & incommodum, quod diximus, quódque ex tali reſponſione efficitur, nempe, malè valere aliquem, eſſe diis, aut deorum fortunæ æquiparabile. Quid igitur dicendum? nihil mihi in mentem venit, quod dicam, niſi mihi videri locum eſſe corruptum. & verò tres ex noſtris libri manuſcripti, habent, *Malè valere te quidem mihi ægre'ſt.* quæ lectio mihi multo videtur vulgata, & recepta tolerabilior. neque verſus repugnat, ſi modò in particula *quidem*, m. extereretur: quod non eſt inuſitatum. ſententia autem huius ſcripturæ, plana eſt. quamuis enim ne ſic quidem Palinurus ad interrogatum reſpõdeat, nihil tamen abſurdi, aut falſi reſpondet: ſed hoc ſignificat interrogationem Phædromi, eſſe reſponſione indignam, tanquam à malè ſano factam: cùm dicit, ſe moleſtè ferre dominum ſuum mentis eſſe malè ſanæ. proinde ac ſi dicat. nihil habeo, quod ad id, quod me rogas, reſpondeam: ſed hoc tantum dicere poſſum, mihi moleſtum eſſe, ſeu me grauiter, & moleſtè ferre, te malè valere, animo ſcilicet. Nam ni ita eſſes, talia neque faceres, neque quærere. MALÈ MIHI MORIGERV'S.] malè mihi es obſequens: mihi parùm obſequeris. IPSVS SE EXCRVCIAT, &c.] his verbis hortatur herum ſuũ Palinurus, vt dum licet, potiatur eo, quod amat. MAGIS, QVOD CVPIAM TANDIV] quàm Planeſio potiri. PROHIBET NEC PROHIBERE QVIT:



A QVIT.] prohibet quidem quod in ſe eſt: vel omnia quidem facit, vt prohibeat: ſed re vera prohibere non poteſt: quia clàm potimur alter altero. vel ſic, prohibet quidem, ne palàm, & liberè potiamur: ſed prohibere nõ poteſt, ne clam potiamur. NISI MORS MEVM ANIM. ABS TE ABAL.] quæ ſola abalienare poterit. nam quàm diu anima mea ſpirabo, te ex animo amabo, téque toto pectore perſequar, exſpectam, atque amplectar. DVRARE,] καρτερεῖν, me continere, mihi temperare. NAM BONVM'ST PAVXILLVM AM. S. &c.] hoc dicit bonum eſt pauxillum amare, ita vt animi ſanitatem non amittas: inſanè amare quantumuis pauxillum, non bonum'ſt: verùm totum, hoc eſt, omni ex parte, & prorſus inſanè amare, quod herus facit meus, peſſimũ eſt. INSANVM AMARE,] inſanè amare. inſanum pro inſane dixit. & alibi Plautus teſte Nonio, vt in Neruo. *Inſanùm valde vterque deamat.* SIBI SVA HABEANT REGNA, &c.] ſignificat ſe nihil neque regibus, neque diuitibus, neque omnino vllis beatis fortuna concedere: hócque vnum vereri, ne ſibi inuideant, vt longè mortalium omnium fortunatiſſimo. DVM MIHI ABSTINEANT INVIDERE.] dummodò ne mihi inuideant. QVID TV? VENERIN' PERVIGILARE, &c.] Quid tu Phædrome, nunquid vouiſti Veneri, te totam noctem vigilaturum? hoc ideò quærit, quòd magna iam noctis parte præterita, & tranſacta, domum ſe non recipiat: alludítque ad peruigilia B Cereris. & ſacra nocturna, de quibus ſuprà. NAM HOC QVIDEM ÆDEPOL H. M. P. L. L.] hoc, δεικτικῶς, accipiendum eſt, vt apud Terent. in Heaut. *Luciſcit hoc.* Nam cælum demonſtrat, & ſignificat, ſic ſuprà in Amphitr. *Eamus Amphitruo. Luciſcit hoc iam.* ſic Lucret. lib. 5. *Denique iam tuere hoc circum, ſuprà que quod omnem Continet amplexu terram.* LVCE LVCEBIT] ſic in Amphitr. niſi quod addit nomen adiect. *Nunc te nox, quæ me manſiſti, mitto, vt cedas die: Vt mortalibus illuceſcas luce clara, & candida.* AT MEO MORE DORMIO.] id eſt, at ſic ſoleo dormire. HEVS TV MVLIER, MALÈ M. DE IMM.] malè facere ei, qui non eſt malè meritus, ſtultitia eſt. inſcitia, differt ab inſcientia: quod vulgus nõ putat. nam inſcitia, ſtultitiam, & inelegantiam ſignificat: inſcientia verò, ignorationem, ſeu ignorantiam, quæ ſcientiæ opponitur. Feſtus, inſcitia, ſtultitia. IRASCARE, SI TE EDENTEM, &c.] facis alteri (inquit Planeſium) quod tibi fieri nolis. nam ſi Phædromus te comedentem à cibo abigat, & cibum capere prohibeat, iraſcaris. at cùm eum à me abigis, à cibo abigere comedentem, & eſurientem videris. ILICET.] actum eſt: ire licet ſumtum à iudiciis, in quibus cùm dimittebatur conſilium re iudicata, præco clamabat *ilicet.* AMANDO,] id eſt, dum amant. τῷ ἐρᾷν. nam hîc actionem ſignificat. VIDEN' VT MISERÈ MOLIVNTVR?] videſne, C vt miſerè laborant. vidéſne, vt laborioſè agunt. quod agunt? ſiue oſculentur, ſiue quid aliud iucundius. Exprimit amantium inſaniam, & rabiem miſerabilem, vel in ipſo potiundi tempore vigentem: quam luculentis verſibus perſequitur Lucretius lib. 4. non longè ab extr. ab illo loco: *etenim potiundi tempore in ipſo Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. Nec conſtat, quid primum oculis, manibúſque fruantur*, &c. ETIAM DISPERTIMINI?] tandémne aliquando alter ab altero diſcedetis, & diſiungemini? vel ſic, an nondum etiam digredimini, & ſeparamini alter ab altero? perpetuóne coniuncti, & copulati cohærebitis? ſignificat, eos inter ſe cohærere complexos. NVLLI'ST HOMINI PERPETVVM BONVM.] Terent. in Andr. *nihílne eſſe proprium cuiquam?* vbi notat Donatus. *omne, quod habemus, aut mutuum eſt, aut proprium. Ergo, proprium perpetuum.* Horat. oda 16. lib. 2. *nihil eſt ab omni Parte beatum.* ad quem locum in commentariis noſtris plura notata ſunt. PERPETVVM] vel purum, liquidum, ſincerum, vel nulla moleſtia interruptũ: vel propriũ. IAM HVIC VOLVP.] vel eſt declaratio eius, quod proxime dixit, vel ratio. HOC ADIVNCTVM'ST ODIVM.] id eſt, hæc adiuncta eſt moleſtia: nempe Palinurus, homo odioſiſſimus, ac moleſtiſſimus, qui voluptatem noſtram interpellat neque liquidam, & perpetuã eſſe ſinit. PROPVDIVM?] fœmina pudoris expers? probri, & dedecoris plena? D *Propudium dicebant*, inquit Feſtus, *quãdo cum maledicto nudare turpitudinem volebant, quaſi porrò pudendũ. quidam propudium dici putant, à quo pudor, & pudcitia procul ſint.* TVN' ETIAM CVM NOCTVINIS OCVLIS, &c.] Túne etiã noctuinis oculis prædita, odium me vocas? ſed cur Planeſio noctuinos oculos maledicti loco obiicit, cùm Pallas ab Homer. laudis cauſa γλαυκῶπις epitheto ferè perpetuò appelletur? an aliud eſt, γλαυκῶπις aliud cum noctuinis oculis? vt, cùm Homer. γλαυκώπιδα. Mineruã dicit, intelligamus ab Homero glaucos oculos in Pallade laudari: cùm Palinurus Planeſium noctuinis oculis eſſe præditam dicit, intelligamus, Planeſio, noctuæ, auis deformis, & obſcœnæ, oculos à Palinuro vituperationis cauſa attribui? an, vt habent omnes libri vulgati, & plerique manuſcr. *nocturnis oculis* reponendum cenſebimus? quam ſcripturam probat Adr. Turnebus lib. Aduerſ. 11. cap. 7. & nocturnos oculos interpretatur deformeis, noctúque potius, quàm interdiu viſendos, aut oſtendendos: quemadmodum *ora nocturna* dixit idem Plautus in Pœnulo, deformia ſignificans, ſed huic lectioni obſtat carminis lex. Nam claudicabit verſus, vno pede defectus, hac ſcriptura approbata: niſi quis addat prouocabulum *iſtis*, vt hoc modo legatur, *Tun' etiam cum iſtis nocturnis oculis*, &c. Omnino editionem, & lectionem Camerarij magis probo: ſiue noctuinos oculos ita interpretemur, vt diximus, deformes, & noctuarũ oculis ſimileis, ſiue noctuinos accipiamus pro nocturnos, quia noctua ſit auis nocturna, ſiue noctuinos Planeſij oculos à Palinuro dictos intelligamus accuſatoriè, & per calumniam

pro glaucos, cum re vera eſſent glauci, & ita pulchri, ſeruum autem à puella laceſſitum, & ira-
tum, rei natura pulchræ turpe nomen impoſuiſſe: vt accuſatores liberalitatem dicere ſolēt eſſe A
profuſionem, & parcimoniam, auaritiam. EBRIOLA,] Ebriola, deminutiuum ab ebria.
PERSOLÆ NVGÆ] meræ nugæ, valde ſolæ nugæ. quanta, quanta es nugatrix, nihil præter-
ea. Idem Menæchmis. *Perſolum effodito oculum Mihi Menæchme, ſi vllum verbum faxo, niſi quod iuſſeris.*
MEAM VENEREM.] meam amicam. ſic Lucret. lib. 4. *Nec Veneres noſtras hoc fallit. quo magis
ipſe, Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcænia celant, Quos retinere volunt, adſtrictóſque eſſe in amore.* Virgil. Pa-
lemone. *parta meæ Veneri ſunt munera.* QVOD QVIDEM MIHI POL. VIRG. S. SERM.
S.] verba ſunt Planeſij. hoc primum: deinde legendum. *Quem*, vt habent duo ex noſtris codici-
bus manuſcript. non *Quod*: Referri autem debent ad proxima Phædromi verba. *Tun' meā Ven.
vituperas?* quæ ſic à Planeſio excipiuntur. Quem quidem ſermonem, id eſt, quam quidem vitu-
perationem mihi ſeruus virgis coopertus ferat. proinde ac ſi dicat, ſi quis liber me vituperare, &
maledictis inſequi auderet, æquo animo fortaſſe mihi ferendum eſſet. nunc autem cùm ſeruus
plagis, & verberibus notatus, ac variatus me contumeliis lacerare audeat, ferri nec poteſt, nec
debet. ſic igitur explico, quem quidem ſermonem, vituperationis, & contumeliæ plenum ſci-
licet, ſeruus Palinurus, virgarum Acheruns, ſpargat. Quaſi dicat, tam indignum facinus ferri
non poteſt. vel ſic tanta ſerui audacia & indignè ferenda, & coërcenda eſt. POLLVCTVS
VIRGIS.] pollucere. eſt Herculi ſacrificare. Herculi autem, non vt aliis diis, certa, verbi gratia, B
Mercurio, far, polenta, vinum, panis fermentatus, &c. quæ enumerantur à Feſto, in verbo *Pol-
lucere* (vbi pro *merces*, *Mercurio*, legendum eſt, vt rectè coniecit Antonius Auguſtinus) ſed omnia
eſculenta, & potulenta ſacrificabantur. Itaque tale ſacrificium, erat ſumtuoſum, opiparum,
ſplendidum, apparatum. ex quo *pollucibiliter*, à Plauto noſtro in Moſtell. pro opiparè vſurpatum
eſt: & à Macrobio *cena pollucibilis*, pro opipara, & ſumtuoſa. Quoniam autem talis cena erat pu-
blica, & omnibus expoſita, ex eo fit, vt pollunctus, pro expoſitus à Plauto vſurpetur: & *pollunctus
virgis* à Plauto dictum eſſe intelligere debeamus, pro expoſitus, & obiectus virgis. ſic in Ru-
dente puella illa dicit ſe non eſſe polluctam pago. Licet tamen etiam *polluctus virgis* interpretari,
vt vult Camerarius, cumulatus, & onuſtus virgis, hac ratione, quòd Herculis ara omni eſculen-
torum, & potulentorum genere onerabatur, & cumulabatur. Varro lib. 5. de lingua Latina, hu-
ius verbi originem videtur à porriciendo ducere. Ne hoc quidem celabo lectorem, pollucere,
etiam ad aliorum deorum ſacrificia interdum transferri, vt apud Catonem lib. de re ruſt. cap.
132. EN TIBI.] ſic edendum curaui, libros aliquot manuſcr. ſecutus, in quibus ſcriptum
eſt, *Hen tibi.* Nam ſæpe animaduerti, in libris manuſcriptis adſpirationis notam eſſe inanem,
& ſuperuacaneā. *En tibi* autem, ſermo eſt verberantis: ex quo intelligit auditor, (nam ſpectator C
oculis cernebat) Palinurū à Phædromo pugnis cædi: ſic ſuprà in Aſin. *En ergo hoc tibi.* quanquam
& hîc, & aliis in locis, quidam legunt, *Hem*, pro *En.* Sic in Caſina. *Hem tibi.* ſeu *En tibi* CLE.
*Quid tibi iſtunc tactio'ſt?* TVAM FIDEM, V. NOCTVVIGILA.] ἔλλειψις, ſubintelligi-
tur enim imploro, aut obſecro, aut aliquod aliud verbum tale. Venerem autem noctuuigilam
appellat ridiculè, quia Phædromus dum Veneri ſtudet, dúmque amore cōſtrictus tenetur, totas
nocteis inſomneis dicit, & peruigilat. Itaque ſuprà Phædromum ſic interrogabat, *Quid? tu Ve-
neri peruigilare te vouiſti, Phædrome?* LAPIDEM,] hominem, qui lapidis inſtar, ad plagas obdu-
ruit, qui plagas contemnit, vt ſi lapis eſſet. NE PERDAS MANVM.] vt ne manum cor-
rumpas, dum eum manu verberas. MAGNVM FLAGITIVM, PROBR.] rem inſignitè
turpem, & flagris dignam. vocabulum eſt militare. nam flagitium facere dicitur miles, qui fugit,
qui arma abiicit, & ſimil. Præterea flagitium veteres poſuerunt pro vitio virgini oblato. EX-
PERGEFACIS.] excitas. BENE MONSTRANTEM.] bene docentē, & præcipientem.
ſic infra eadem Comœd. *Rectè hic monſtrat.* In Caſina. ST. *Quæ res?* OL. *mala. malæ malè monſtrant.*
MERAS NVGAS.] ſuprà *ebriola, perſolæ nugæ.* HOCCINE FIERI,] ſubintell. par eſt, ſeu
oportet? VT IMMOD. TE MOD. MORIB.] παρονομασία. MODERERE] regas, gu- D
bernes, geras. AVRO CONTRA CEDÒ MOD. AM.] id eſt, profer, aut exhibe mihi
modeſtum aliquem amatorem: & ego, ſi id facias, tantundem tibi auri dabo. vel ſic: certemus
inter nos his legibus, vt tu oſtendas, ſeu exhibeas mihi ex infinita hominum multitudine mo-
deſtum aliquem amatorem: & ego tibi aurum æquo, paríque pondere in manus dare paratus
ſum. Proinde quaſi dicat, nunquam mihi quemquam modeſtum amatorem oſtendere poteris.
Sic alibi loqui ſolet Plautus, vt in Epid. *Non carus eſt auro.* contrà. ſi auro ſit emtus, non eſt carus.
In Milite Glor. *Cedo treis mihi homines orichalco contrà cum iſtis moribus*, id eſt, exhibe mihi treis ho-
mines ita moratos, & ego paratus ſum tibi orichalcū magni ponderis rependere. Idem in Pſeud.
*Dij immortales, orichalco contra non carum fuit Meum mendacium, hîc modò quod ſubito commentus fui.* CE-
DO MIHI CONTRÀ ORICHALCO, &c.] id eſt, oſtende mihi, & proba, eum, cui ſer-
mo, ſanæ mentis eſſe: &, hoc ſi feceris, æqui ponderis orichalcum à me accipe. Quia non potuit
nodum ſibi obiectum diſſoluere, alium non minus difficilem illi opponit. Tale eſt illud apud
Virgil. in Palem. *Dic quibus in terris, & eris mihi m. Ap.* &c. *Dic quibus in terris inſcripti nomina reg.* &c.
Sciendum eſt autem, ſeruos orichalco certare ſolitos, liberos auro, aut argento. Orichalcum,
inquit Feſtus, in voce *aurichalcum* quidam putant compoſitum ex ære, & auro, ſiue quod co-
lorem



A lorem habeat aureum. Orichalcum ſanè dicitur, quod in montuoſis locis inuenitur. Mons
etenim Græcè ὄρος appellatur. Seruius ad illum verſum Virgilij lib. 12. Æneid. *Ipſe dehinc auro
ſqualentem, albóque orichalco*, &c. notat, *auri ſcilicet comparatione. nam album non eſt. Apud maiores Ori-
chalcum pretioſius omnibus metallis fuit. námque, ſicut Lucretius dicit, cùm primùm homines ſiluas incendiſ-
ſent, nullarum adhuc rerum periti, terra caſu fertilis omnium, deſudauit metalla: inter quæ orichalcum pretio-
ſius viſum eſt, quod & auri ſplendorem, & æris duritiem poſſideret. Nam primùm ex auro ſecuris facta diſpli-
cuit cauſa mollitiei. ſimili ratione & argenti contemtus eſt vſus. mox orichalcum placuit, donec veniretur ad fer-
rum. vnde dicuntur ſæcula ita fuiſſe diuiſa. Orichalcum autem etiam fuiſſe pretioſum Plautus docet, qui ait in
Milite glor. Ego iſtos mores aurichalco comparem.* Hactenus Seruius. Horat. in epiſt. ad Piſon. *Tibia non
vt nunc, orichalco iuncta, &c.* Vtrum autem orichalcum, genus aliquod ſit metalli foſſilis, & natiui,
præter id, quod eſt omnibus notum, & factitium: an nullum fuerit vmquam, nec hodie ſit ori-
chalcum foſſile, quæritur. Ex ſuperioribus Seruij verbis, apparet, orichalcum aliquod eſſe foſ-
ſile & natiuum, ſiquidem ex viſceribus terræ incendio ſiluarum calefactæ, ita exſtitit, vt cetera
metalla, æs, aurum, argentum, &c. Quamquam videtur Seruius orichalcum idem eſſe, quod æs,
exiſtimaſſe. Nam omnino apud Lucretium lib. 5. vbi hæc tractantur, nulla orichalci fit mentio.
Sic enim, *Quod ſupereſt, æs, atque aurum, ferrúmque repertum'ſt, Et ſimul argenti pondus, plumbíque poteſtas,*
B *Ignis vbi ingenteis ſiluas ardore cremarat*, &c. Sequitur aliquot pòſt verſibus. *Nam fuit in pretio magis
æs, aurúmque iacebat, Propter inutilitatem hebeti mucrone retuſum*, &c. Rurſus, ex Feſti verbis in voce
*Cadméa*, contrarium colligitur. Sic enim Feſtus. *Cadméa terra, quæ in æs coniicitur, vt fiat orichalcum.*
Iam *orichalcum* debere ſcribi per vocalem breuem O. non *aurichalcum* per diphthongum au. Vin-
cit ratio, & ipſa nominis veritas, quam ἐτυμολογίαν Græci nominant. OCVLE MI.] homo
mihi cariſſime. ÆDITVVM APERIRE] repete ἀπὸ κοινοῦ, audio. æditiuus ab æde tuenda
dictus eſt, vt declarat Varro lib. 7. de lingua Latina. & A. Gell. lib. 12. cap. 10. Fanum autem Æ-
ſculapij, intellige: in quo leno incubabat. SVRREPTITIO?] furtiuo? clandeſtino? MI-
NIMÈ.] minimè, ſubintell. ſemper vtemur. PETERE ARGENTVM,] dictum Græcorum
more, miſi petere argētum ἔπεμψα παῖδα τ' ἀργύριον αἰτεῖν. LIBERALEM LIBEREM.]
παρονομασία. liberalem autem, id eſt, quæ in me tam liberalis es, vel quæ libertate digna es. vel
quæ tam liberali facie, & ingenio es. vel in qua omnia inſunt liberalia. TENE ETIAM,
PRIVSQVAM] tene etiam ſuauium, priùs quàm abs te diſcedo. *tene ſuauium* videtur inele-
ganter, & vix Latinè dictum, ſi quis accipiat, pro tolle, vel ſume ſuauium. Itaque putaui ali-
quando hîc reponendum *tolle*, & eiiciendum, *tene*, quaſi natum ex annotatione, ſeu, vt vocant,
C gloſſa. Ego tamen nihil ſum auſus mutare libris inuitis. ſatis habui lectorem emunctæ naris, &
Latini ſermonis peritum, admonere. Quod ſi quis dicet, *tene ſuauium*, dictum eſſe à Plauto non
pro *tolle ſuauium*, ſed pro, noli ſuauium, quod tibi præbeo, dimittere, ſed os ori firmiter, & diu
affixum habe: repugnabit huic ſententiæ temporis breuitas, & Planeſij mens. nam cùm audito
clauſtrorum ſonitu, intelligat ſibi in fanum iam iam eſſe redeundum, conſentanea eſt prope-
ranti talis oratio potius, tolle etiam hoc ſuauium, atque adeò, rape etiam hoc ſuauium, quàm
hæc, ſuauiare me, & ſuauium ſemel commiſſum noli dirimere. NVNQVAM ID POTIVS
PERS.] nunquam regnum mihi oblatum potius expetam, aut accipiam, quàm te. EHEM
ISTHOC VERBO VIND. P.] id eſt, ſi iſtud dixiſti ex animo, & ſi me breui liberè videre
cupis, para tibi vindictam, qua me liberes, tanquam prętor. id eſt, viam, & ratione reperi, qua me
liberare poſſis. vindicta, virga prætoria, qua ſerui contacti manu mittebantur. SI AMAS,
EME: NE ROGITES, &c.] ἑρμηνεία. per quam declarat, quod obſcurius dixiſſe videba-
tur, ſi me amas, inquit, & ſi me iterum tuo arbitratu videre cupis, eme: neque pretio parce, ſed
quemuis alium emtorem, pretio vt peruincas, facito, ne neceſſe habeas rogitare, quando me vi-
ſurus ſis. PVLCRÈ PALIN. ÓCCIDI] pulcrè amantis affectum deſcribit, qui ſimul vt
D ab eo, quod amat, relictus eſt, ipſe ſe excruciat. Eſt præterea fortaſſe & aliud, quamobrem ſe oc-
cidiſſe dicat Phædromus: nempe, quia metuat, ne ſeruus, quem in Cariam ad ſodalem ſuum mi-
ſit, pecuniam petitum, inanis reuertatur: & ita Planeſium liberare non poſſit. EGO QVI-
DEM. QVI ET VAP. ET S. P.] Ego quidem pulcrè óccidi: qui & pugnis, quibus à te
cæſus ſum, & ſomno, quo vrgeor, pereo. Sed cur non dixit, *qui & vapulando, & vigilando pereo?*
reſpondeo, eandem eſſe ſententiam. nam qui nocteis aliquot peruigilarunt, vt hic ſeruus, dor-
mitent, & dormituriant, & graui ſomno premantur, neceſſe eſt. Tali igitur ſomni membra om-
nia occupantis grauitate dicit ſe perire Palinurus.

# ACTVS SECVNDVS. A

CAPPADOX leno, PALINVRVS ſeruus.

Migrare certum'ſt iam nunc è fano foras
Quando Æſculapij ita ſentio ſentẽtiam:
Vt qui me nihili faciat, nec ſaluom velit.
Valetudo decreſcit, accreſcit labor.
Nam iam quaſi zona liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios. B
Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer.
PAL. Si rectè facias Phædrome, auſcultes mihi,
Atque iſtam exturbes ex animo ægritudinem.
Paues, paraſitus quia non rediit Caria.
Afferre argentum credo. nam ſi non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.
CA. Quis hic eſt, qui loquitur? PAL. quoiam vocem audio?
CA. Eſtne hic Palinurus Phædromi? PAL. Qui hîc eſt homo C
Cum conlatiuo ventre, atque oculis herbeis?
De forma noui, de colore non queo
Nouiſſe. iam iam noui, leno eſt Cappadox,
Congrediar. CAP. ſalue Palinure. PAL. ô ſcelerum caput,
Salueto. quid agis? CAP. viuo. PAL. nempe vt dignus es.
Sed quid tibi eſt? CAP. lien necat, renes dolent,
Pulmones diſtrahuntur, cruciatur iecur.
Radices cordis pereunt. hiræ omnes dolent.
PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
CA. Facile'ſt miſerum irridere. PAL. quin tu aliquot dies D
Perdura, dum inteſtina exputreſcunt tibi.
Nunc dum ſalſura ſat bona'ſt, ſi id feceris,
Venire poteris inteſtinis vilius.
CA. Lien dierectu'ſt. PA. ambula id lieni optumum'ſt.
CA. Aufer iſtæc, quæſo, atque hoc reſponde quod rogo.
Potin' coniecturam facere, ſi narrem tibi
Hac nocte quod ego ſomniaui dormiens?
PA. Vah, ſolus hic homo'ſt, qui ſciat diuinitus.
Quin coniectores à me conſilium petunt:
Quod eis reſpondi, ea omnes ſtant ſententia.

Cer-



A CERTVM'ST] decretum eſt. E FANO] Æſculapij. in fano Æſculapij ſolitos olim eſſe ægrotos, ac debileis pernoctare, vel ex Arnobio cognoſcere, licet: cuius hæc verba ſunt libro.1. *Et, quoniam beneficia ſalutis datæ aliorum numinum comparatis, & Chriſti: quot millia vultis à nobis debilium vobis oſtendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retuliſſe medicinam, cùm per omnia ſupplices irent templa? cùm deorum ante ora proſtati, limina ipſa conuerrerent oſculis? cùm Æſculapium ipſum datorem, vt prædicant, ſanitatis, quoad illis ſuperfuit vita, & precibus fatigarent, & miſerrimis votis inuitarent? Nónne alios ſcimus malis ſuis commortuos? cruciatibus alios conſenuiſſe morborum? pernicioſius alios ſeſe habere cœpiſſe, poſtquam dies nocteiſque in cõtinuis precibus & ſanitatis exſpectatione triuerũt? Quid ergo prodeſt oſtẽdere, vnũ, aut alterum fortaſſe curatos, cùm tot millibus ſubuenerit nemo, & plena ſint omnia miſerorum, infeliciúmque delubra?* QVANDO ÆSCVL. ITA SENTIO S.] id eſt, quoniam talem Æſculapij ſententiam eſſe intelligo, me ab eo nihili fieri, & contemni. *ſentio ſententiam*, dictum eſt, vt obſonare obſonium, metere meſſem, ludere ludum, & ſimilia innumerabilia, quibus & Plautus, & ceteri Latini vti ſolent, ſed maximè Græci. VALET. DECR. ACCR. L.] antitheſis perfecta: nam vt verbum verbo, ita nomen nomini opponitur. neque miretur, & animaduertat lector, Plautum valetudini laborem oppoſuiſſe: neque id miretur. nam more Græcorum, apud quos πόνος, dolorem interdum ſignificat, laborem pro dolore poſuit. Valetudini autem quin corporis do-
B lor rectè opponatur, dubitari non debet. NAM IAM QVASI ZONA, LIENE CINCTVS AMB.] ſignificat ſe lienoſum eſſe, hoc eſt, lienem ſibi intumuiſſe, induruiſſe, increuiſſe. nam cùm lien ſit mollis, & rarus, & longitudinis, craſſitudiníſque modicæ natura: ſi malè affectus eſt, intumuit, ſimúlque cum eo pars ſiniſtra, eáque dura eſt, & prementi renititur: venter quoque intentus eſt. GEMINOS IN VENTRE HAB. V. H. F.] quia vtrinque & à dextra, & à læua, cingit me lien, venterq́; eò tumidiore, & maiore facto, mihi diſtẽditur, proinde ac ſi geminos in vtero filios geram. MEDIVS] per vẽtrem. EXTVRBES] excutias, eiicias. PAVES,] times. Terent. Andr. *Id paues, ne ducas tu illam: tu autem, vt ducas.* NAM SI NON FERAT. TORM. NON RET. P. F.] ſic probat Palinurus ſeruus paraſitum argentum afferre, hoc modo. Si videret Paraſitus nullam reperiendi argenti facultatem, aut ſpem eſſe iam pridem è Caria, quò miſſus eſt, rediiſſet. non rediit. ergo argentum affert. AFFERRE] eum. NAM SI NON FERAT, &c.] nam ſi non eſſet argentum allaturus, nullis catenis, vinculis, tormentis retineri potuit, quin ſe ad præſepim ſuam reciperet, vt ſolent pecudes, & iumenta. *ferat* poſitum pro, afferat. TORMENTO FERR.] fune torto ferreo. Catena ferrea funibus magnis, & craſſis vtebantur ad torquẽdas catapultas, arietes, & ſimilia, quibus vrbium mu-
C ros verberabant. Tormentum hîc videtur vſurpaſſe pro eo, quo aliquid intorquetur, non pro eo, quod intorquetur. ESVM] ſupinum, à verbo edo, es, eſt. AD PRÆSEPIM S.] vt iumenta. In Prologo Caſinæ. *Futurum, quod amat, intra præſepeis ſuas.* Sic autem legendum, vt edidimus, *ad præſepim ſuam.* quanuis nonnulla exemplaria repugnent, & Nonius ipſe reclamet, qui hunc locum proferens, legit *ad præſepiam ſuam*, contra legem carminis. Sed errat Nonius, & in hoc loco, & in altero, quem profert ex Rudente. Sic autem vt edidimus, & codex Clericanus, habet, & Bellaquecaſis, & Huraltinus: poſtremò ita edidit & Camerarius. QVOIAM VOCEM AVD.] quoius vocem audio? QVI HIC EST HOMO. Q.] Quis hic eſt homo, qui, &c. CVM CONLATIVO VENTRE,] Feſtus. conlatiuum ventrem magnum & turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia conferuntur. Idem conlatiuum ſacrificium dictum eſſe ſcribit, quod ex conlatione offertur. Ego puto lenonis ventrem, (ignoſcant mihi Feſti manes) conlatiuum à Plauto eò eſſe dictum, quòd propter vitium corporis, & viſcerum, omne alimentum, quod deberet in omne corpus diſtribui, in eum cõferatur: & hoc pacto viſceribus omnibus vitiatis venter intumeſcat. HERBEIS.] viridibus, luridis, χλωροῖς. oculi virides, morbum indicant. DE FORMA N.] quia
D forma integra eſt, neque immutata eſt. DE COLORE] quia colore eſt lurido, & viridi. CONGREDIAR.] conferam gradum. O SCELERVM CAPVT.] ô homo ſceleratiſſime. VIVO.] viuo tantum, non valeo. nam ægroti, aut debiles viuunt quidem, ſed miſeri viuunt, propter morbum, aut debilitatem corporis. LIEN NECAT.] lien turgidus, & plus nimio auctus, & ventrem diſtendẽs, me dolore necat. Varr. lib. 6. de lingua Lat. legit *lienes necãt.* PVLMONES DISTR.] diſtrahuntur, id eſt, diuelluntur. Pulmonem dicimus numero ſingulari, & Pulmones numero multitudinis, propterea quòd quamuis pulmo, qui ſpongioſus eſt natura, ideóque ſpiritus capax, tamen in duas fibras, vngulæ bibulæ modo, diuiditur. auctor Celſus lib. 4. cap. 1. M. Tull. lib. 2. de Nat. deor. *In pulmonibus autem ineſt raritas quædam, & aſſimilis ſpõgiis mollitudo, ad hauriendum ſpiritum aptiſſima: qui tum ſe contrahunt adſpirantes, tum reſpirãtes dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes.* Varro lib. 6. de lingua Latin. hos verſus profert, in voce *diuidiam*, docens diuidiam à diuidendo eſſe dictam, quod diuiſio, & diſtractio, inquit, eſt doloris. itaque, inquit, in Curcul. ait Plautus. *ſed quid tibi eſt?* CA. *lienes necant, renes dolent, Pulmones diſtrahuntur, cruciatur iecur.* RADICES CORDIS PEREVNT.] hæc ſunt inter ſe conſentanea. pulmones diſtrahuntur: at cor, quod eſt muſculoſum natura, & in pectore, ſub ſiniſteriore mamma ſitum, pulmonibus annexum eſt. ergo pulmonibus diſtractis, cordis radices quodammodo pereunt: id eſt, cor radicitus perit: vel cor non habet,

quo contineatur, aut cui adhæreat. HIRÆ OMNES DOLENT.] ſic edendum curaui, A
Turnebi coniecturam meo iudicio, certam ac veram ſecutus, qui ſic legendum arbitratur libro
Aduerſ.11.cap.7. Hira autem, inteſtinũ eſt, propriè ieiunum, vt docet Feſtus, ſed etiam pro aliis
inteſtinis vſurpatur, vnde hillæ apud Horat. Sat.4.lib.2. ibi. *perna magis ac magis hillis Poſtulat in
morſus refici.* Macrob.lib.1. in Somn.Scip. *inteſtina principalia tria: quorum vnum dißipium vocatur, quod
ventrem, & cetera inteſtina ſecernit. alterum, quod Græci μεσεντέριον dicunt: tertium, quod hiram voca-
uerunt, habetúrque præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi recrementa deducit.* Nonius hilas inteſtina
veteres eſſe dixerũt, vnde Bohilla, oppidũ in Italia, quòd eò bos inteſtina vulnere trahens adue-
nerit. Laber. Lambit item hillam cocus, ſi lumbum adduſſit, flagris cæditur. TVM TE IGI-
TVR.] Tum igitur, pro igitur. videtur autẽ σχῆμα ἐκ παραλλήλου. nam *tum* interdũ per ſe valet
*igitur*. MORBVS AGITAT HEB.] morbus hepatarius, hoc eſt, morbus hepatis, ſeu
iecoris, agitat: hoc eſt, vexat. ſed hic iocũ aliquẽ ſubeſſe puto: ídque cõiicio ex lenonis reſpon-
ſione. nam ſi nulla alia horum verborum ſentẽtia eſſet, quàm hæc: tu igitur morbo iecoris affe-
ctus es: non reſponderet leno, *facile'ſt miſerum irridere.* quæ enim irriſio eſt in eo, quod dicat ali-
quis, quempiam hepatis morbo tentari? QVIN TV AL. D. P.] imò verò tu dies ali-
quot morbum & dolorem perfer, & vſque tolera, διακαρτέρει. DVM INTEST. EXPV-
TRESCVNT T.] perdura; inquit, & dolorem perfer aliquot dies, vſque eo dum inteſtina tibi B
putrorem contrahant. *exputreſcunt* autem edendum curauimus, libros noſtros omneis manuſcr.
vno excepto, & omneis vulgatos ſecuti, ea reiecta, quã habet editio Camerarij: perſpicuè enim
opinor *exputreſcunt* legendum, non *exputeſcunt*, aut exputiſcunt, cùm ſentiat hoc Palinurus, debe-
re perdurare lenonem vſque eò dum inteſtina eius putrorem cõtrahant, non autem, dum fœ-
torem: quippe quæ hoc ipſo tempore puteant, ſeu fœteant. Verùm ſi quis *exputiſcunt*, ſeu *exputeſ-
ſcunt*, malit, non pugnabo, NVNC DVM SALSVRA SAT BONA'ST.] nunc dum, id eſt,
nunc etiam vel dic, dum παρέλκειν, ſeu redundare. ſententia igitur hæc eſt, nunc, nondum pu-
trefactis tuis inteſtinis, ſalſura ſat bona eſt, id eſt, ex tuis inteſtinis ſale conditis, & maceratis ſat
bona ſalſamenta confici poſſunt: vel ſic, nunc tua inteſtina ſale condiri poſſunt, vt ex eis fiant
ſalſamenta, tuceta, inſicia, & ſimilia. SI ID FECERIS: VENIRE POT.[ ſi perdura-
ueris vſque eò, dum tua inteſtina exputreſcant, ſeu exputiſcant: detractis è ventre tuo inteſtinis
putrore corruptis, ſeu putrefactis, vendi tamen poteris tantò minoris, quãti eſſent inteſtina tua,
ſi cum reliquo tuo corpore integra venderentur. LIEN DIERECTV'ST.] id eſt, lien ita
diſtractus, tumidus, ac diſtentus eſt, vt videatur eſſe in crucem actus, ac diuaricatus. die-
recti propriè dicuntur in crucem ſublati. ſuprà in Captiuis. *Quin quieſce dierectum cor meum,
ac ſuſpende te.* Non diſſimulabo tamen, in noſtris libris aliquot ſcriptum eſſe, *Lien diru-* C
*ptus'ſt*, vt eſt in vulgatis, fortaſſe non malè. Veruntamen non diſcedo ab editione Camera-
riana. AMBVLA ID LIENI OPT.] ambulationem, & exercitationem lienis morbo eſſe
vtilem, argumento eſt, quod narrant, quendam lienoſum, cùm ei à medicis præceptum, & præ-
ſcriptum eſſet, vt ſi morbo leuari vellet, crebra, & contenta ambulatione vteretur, vſque adeo
primùm ambulando, deinde tandem currendo leuatum eſſe, vt præſtantiſſimus curſor euaſe-
rit. Fuit autem ei nomen Laomedonti: quem commemorat Plutarchus in Demoſthene, non
longè admodum in princip. his verbis: καὶ καθάπερ Λαομέδοντα τὸν Ὀρχομένιον λέ-
γουσι καχεξίαν τινὰ σπληνὸς ἀμυνόμενον, δρόμοις μακροῖς χρῆσθαι τῶν ἰατρῶν
κελευσάντων: εἶθ' οὕτω διαπονήσαντα τὴν ἕξιν, ἐπιθέσθαι τοῖς στεφανίταις ἀγῶσι, καὶ
τῶν ἄκρων γενέσθαι δολιχοδρόμων: οὕτω τῷ Δημοσθένει συνέβη, &c. id eſt, Et, quemadmo-
dum Laomedontem Orchomenium ferunt, malum quendam ſplenis, ſeu lienis habitum, ſiue
affectum repellere conantem, de medicorum ſententia longis curſibus vſum eſſe: deinde ita de-
pulſo lienis morbo, & corpore exercitato, auſum eſſe ad certamina illa, in quibus corona do-
nantur victores, aggredi, & curſorem ſummum euaſiſſe: ita Demoſteni contigit, &c. Iam Cel-
ſus lib.4.cap.9. ſcribit, vitium lienis, quiete augeri, exercitatione, & labore minui. CONIE- D
CTVRAM FACERE,] interpretari ſomnium meum, & cõiicere, quid ſignificet. Hinc con-
iectores, & interpretes ſomniorum dicuntur, qui ex ſomnis diuinant, quíque ea interpretantur,
& coniiciunt. SOMNIAVI DORMIENS?] quid ſibi vult hoc, dicet aliquis, *ſomniauit dor-
miens?* nónne omnes qui ſomniant, dormiunt? ex vulgi opinione, & ex vſitata loquendi conſue-
tudine, dormiunt. ſed tranſlatione quadam ſermonis, & de Philoſophorum ſententia, dicimus
nonnullos etiam vigilanteis ſomniare, videlicet eos, qui non aduertunt animum ad id, quod a-
gunt, & qui inconſideratè, & inconſultè aliquid faciunt. Lucret. lib.3. in extr. *Et vigilans ſtertis,
nec ſomnia cernere ceſſas.* SOLVS HIC HOMO'ST, &c.] ego ſolus ſum, &c. *hic,*
δεικτικῶς. PALINVRVS.] ego Palinurus. QVI SCIAT DIVINITVS] repete ἀπὸ
κοινοῦ, coniecturam facere. ſententia eſt: ego ſcio coniecturam facere de ſomniis, & ſomnia in-
terpretari, non humanitùs, neque arte humana, neque ex diſciplina, vt nonnulli, ſed diuinitùs, id
eſt, afflatu diuino, vt vates. A ME CONSILIVM PETVNT.] me conſulunt. QVOD
EIS RESP. EA OMN. ST. SENT.] quicquid eis reſpondi conſulentibus, id ſequuntur,
& probant, neque vnquam à me in eo, quod iis reſpondi, diſſentiunt. omnes in meam ſenten-
tiam pedibus eunt, neque alio diſcedunt.

Palinure



A
## COQVS, CAPPADOX, PALINVRVS, PHÆDROMVS.

CO. PAlinure quid ſtas? quin depromuntur mihi
Quæ opu' ſunt, paraſito vt ſit paratum prandium,
Qom veniat? PAL. mane ſis dum huic coniicio ſomnium.
CO. Tute ipſe, ſi quid ſomniaſti, ad me refers.
PAL. Fateor. COQ. abi deprome. PA. Age, tu interea huic ſomniũ
Narra. meliorem, quàm ego ſum, ſuppono tibi.
Nam quod ſcio, omne ex hoc ſcio. CAP. operam vt det. PAL.
dabit.
B CA. Facit hic quod pauci, vt ſit magiſtro ſuo obſequens.
Da mihi igitur operam. COQ. tametſi non noui, dabo.
CA. Hac nocte in ſomnis viſus ſum tuerier
Procul ſedere longè à me Æſculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Viſu'ſt. COQ. item alios deos facturos ſcilicet.
Sanè illi inter ſe congruunt concorditer.
Nihil eſt mirandum melius ſi nihil ſit tibi.
Nanque incubare ſatius te fuerat Ioui,
Tibi qui auxilium in iureiurando tulit.
C CA. Siquidem incubare velint, qui periurauerint,
Locus non præberi potis eſt in Capitolio.
CO. Hoc animum, aduorte, pacem ab Æſculapio
Petas, ne fortè tibi eueniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum'ſt. CAP. bene facis.
Ibo atque orabo. COQ. quæ res malè vortat tibi.
Prò di immortales quem conſpicio, qui illic eſt?
Eſtne hic paraſitus, qui miſſu'ſt in Cariam?
Heus exi Phædrome, exi, exi: exi, inquam, ocyus.
PH. Qui iſtic clamorem tollis? COQ. paraſitum tuum
Video currentem, ellum vſque in platea vltima.
D Hinc auſcultemus quid agat. PH. ſanè cenſeo.

QVIN DEPROMVNTVR, &c.] cur non mihi depromis è cælla penuaria, quæ opus ſunt, &c. MANE SIS, D.] mane ſi vis, vſque eo dum huic lenoni ſomnium interpretor, coniectura ductus. TVTE IPSE, &c.] ſignificat, ſe eſſe meliorem Palinuro, ſomniorum coniectorem. AD ME REFERS.] me conſulis, vt peritiorem: mihi permittis, vt doctiori, & meliori. ſic ſępe loquuntur boni ſcriptores. M. Tullius de Diuinat. lib.2. *Parere quædam matrona cupiens, dubitans eſſétne prægnans, viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam. ad coniectorem retulit.* Idem lib.1. *Pater autem Roſcij retulit ad haruſpices.* Idem pro Flacco, *retulit ad iuriſconſultos.* DEPROME] deprome è cella penuaria, quæ opus ſunt, &c. TV] leno. HVIC] coco: qui melior eſt coniector ſomniorum, quàm ego. MELIOREM,] peritiorem. SVPPONO TIBI.] in locum meum ſubſtituo, vt tibi operam det. & ſomnium tuum coniiciat. TIBI] ad vſum tuum. vt tibi operam det. NAM QVOD SCIO, OMNE HOC SCIO.] tanquam diſcipulus, ex magiſtro. OPERAM VT DET] ſubintellige videat. hoc modo, videat, vt det operam mihi. vel ſic, videat, vt me attentè audiat, meum ſomnium narrantem videat, vt ſe mihi attentum præbeat, ſomnium meum narranti.

VT SIT MAGISTRO TVO OBSEQ.] vt ſit magiſtro ſuo morigerus. iocus eſt obſcœnus. dicuntur enim interdum morigeri, ij, qui parati ſunt turpiter perpeti. A DA MIHI IGITVR OPERAM] id eſt, aureis igitur attentas mihi præbe. VISVS SVM TVERIER.] id eſt, viſus ſum tueri, ſeu videre. ſic autem reſtitui, ſcripturæ veteris obſcura veſtigia ſecutus. Nam vulgata, *viderier*, ferri nõ poteſt, quamuis in nonnullis codicibus manuſcr. reperiatur. nam clamat ſe eſſe corruptam, ex vera, & recta, *tuerier.* NEQVE EVM AD ME ADIRE,] repete ἀπὸ κοινοῦ, viſus ſum tueri. ITEM.] ſimiliter. SCILICET.] ſcire licet. Perſpicuum eſt, intelligere licet, ſic ſæpe Lucretius vſurpat, vt docuimus in commẽtariis. CONGRVVNT CONCORDITER.] conſentiunt, vt ita dicam, vnanimiter. NANQVE INCVBARE, &c.] id eſt, enimuerò ſatius fuerat te in Capitolio, ſeu in templo Iouis Capitolini, dormire, ad accipiendum reſponſum ſuper eo, quod quæreres. Iupiter enim, quem ſæpe periurio tuo læſiſti, tamen in iureiurando tibi auxilium tulit, & ſeſe in te placabilem ac lenem præbuit. Quid ſit incubare alicui deo, aut in aliquo fano, ſuprà diximus, ibi. *Ideò fit, quia hic leno ægrotus incubat In Æſculapij fano.* TIBI QVI AVXIL. IN IVREIVR. T.] id eſt, qui tibi in tuis periuriis propitius, & placabilis fuit, neque te fulmine, vt meritus es, percuſſit. QVI PERIVRAVERINT.] qui peierauerint. peierare & periurare vtrumque Latinis vſitatum. Horat. Sat. 3. lib. 2. *quare, Si quiduis ſatis eſt, periuras, ſurripis, aufers?* LOCVS PRÆBERI NON POTIS EST IN CAP.] capitolium non eſt capax periurorum, ſi Ioui Capitolino incubare velint: tanta eorum multitudo eſt. B POTIS EST] poteſt. PACEM AB ÆSCVLAPIO PETAS.] id eſt, Æſculapium propities, ſeu propitium tibi reddas. Sic M. Tullius pro C. Rabirio perd. reo. *ab Ioue opt. max. ceteriſque diis, deabúſque immortalibus, quorum ope, &c. pacem, ac veniam peto, &c.* Iterum Plautus in Amphitr. in extr. *Vt Iouis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.* ad quem locum plura. IN QVIETE.] in ſomnis κατ' ὄναρ. ſic M. Tullius, lib. 2. de Diuinat. *Viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam.* Idem lib. 1. *eaſdémque cauſas veriſimile eſt cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant.* PORTENTVM'ST.] portentum hoc loco, participium eſt paſſiuum à verbo portendor. portendere autem eſt, aliquid periculi, ſeu mali imminere, longè ſignificare, & portenta ſunt, quibus aliquid periculi imminere, longè, & porrò ſignificatur. MALÈ VORTAT TIBI.] infeliciter tibi euadat. infelicem exitum afferat. QVI ISTIC CLAMOREM TOLLIS?] quis iſtic clamorem tollis? id eſt, quis tu es, qui iſtic clamorem tollis? vel qui, id eſt qua ratione, ſeu quam ob cauſam iſtic clamorem tollis? ELLVM] en illum. VSQVE IN PLATEA VLT.] videtur legendum, *vſque à platea vlt.* non, vt habent libri omnes & vulg. & manuſcr. *vſque in platea vltima.*

C

## CVRCVLIO, PHÆDROMVS, PALINVRVS ſeruus.

DAte viam mihi noti atque ignoti, dum ego hîc officiũ meum
Facio. fugite omnes, abite, & de via ſecedite.
Ne quem in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut
genu.
Ita nunc ſubitò, properè, & celere obiectum'ſt mihi negotium.
Nec quiſquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in via, D
Nec ſtrategus, nec tyrannus quiſquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite ſiſtat in via de ſemita.
Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant.
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſeſe drapetæ.
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis,
Quos ſemper videas bibenteis eſſe in thermopolio.
Vbi quid ſurripuere, operto capitulo calidum bibunt:
Triſtes atque ebrioli incedunt: eos ego ſi offendero,
Ex vno quoque eorum excutiam crepitum polentarium.

Tum iſti



A Tum iſti qui ludunt datatim ſerui ſcurrarum in via,
Et datores, & factores omneis ſubdam ſub ſolum.
Proinde ſe domi contineant, vitent infortunia.
PH. Rectè hic monſtrat, ſi imperare poſſit. nam ita nunc mos viget,
Ita nunc ſeruitium'ſt. profectò modus haberi non poteſt.
CV. Ecquis eſt, qui mihi commonſtret Phædromũ, Genium meum?
Ita res ſubita, celeriter mihi hoc homine conuento eſt opus.
PA. Te ille quærit. PH. quid ſi adeamus? heus Curgulio, te volo.
CV. Quis vocat? quis nominat me? PH. qui te conuentum cupit.
CV. Haud magis cupis, quàm ego te cupio. PH. ô mea opportunitas,
B Curgulio exoptate, Salue. CV. Salue. PH. Saluum gaudeo.
Te aduenire. cedò tuam mihi dexteram. vbi ſunt ſpes meæ?
Eloquere obſecro hercle. CV. eloquere ted obſecro, vbi ſunt meæ?
PH. Quid tibi eſt? CV. tenebræ oboriuntur, genua inedia ſuccidunt.
PH. Laſſitudine hercle credo. CV. retine, retine me, obſecro.
PH. Viden' vt expallui? datin' iſti ſellam, vbi aſſidat, citò,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus? CV. animo malè eſt.
PH. Vin' aquam? CV. ſi fruſtulenta eſt, da obſecro hercle, obſorbeam. C
PH. Væ capiti tuo. CV. obſecro hercle facite ventum vt gaudeam.
PH. Maximè. CV. quid facitis quæſo? PA. ventum. CV. nolo equidem mihi
Fieri ventulum. PH. quid igitur vis? CV. eſſe, vt ventum gaudeam.
PH. Iuppiter te, díque perdant. CV. perij, proſpicio parum:
Os amarum habeo, denteis plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi vaciuitate venio laſſis lactibus.
PH. Iam edes aliquid. CV. nolo hercle aliquid, certum quàm
D aliquid mauolo.
PH. Immò ſi ſcias, reliquiæ quæ ſint. CV. ſcire nimis lubet
Vbi ſient. nam illis conuentis ſanè opus eſt meis dentibus.
PH. Pernam, abdomen, ſumen, ſuis glandium. CV. ain' tu? omnia hæc?
In carnario fortaſſe dicis. PH. immò in lancibus,
Quæ tibi ſunt parata, poſtquàm ſcimus venturum. CV. vide.
Ne me ludas. PH. ita me amabit, quam ego amo, vt ego haud mentior.
Sed quò te miſi, nihilo ſum certior. CV. nihil attuli.
PH. Perdidiſti me. CV. inuenire poſſim, ſi mihi operam datis.
Poſtquam tuo iuſſu profectus ſum, peruenit in Cariam.

Video tuum ſodalem, argenti rogo vti faciat copiam. A
Scires velle gratiam tuam. noluit fruſtrarier,
Vt decet velle hominem amicum amico, atque opitularier.
Reſpondit mihi paucis verbis, atque adeò fideliter,
Quod tibi eſt, item ſibi eſſe magnam argenti inopiam.
PH. Perdis me tuis dictis. CV. immò ſeruo, & ſeruatum volo.
Poſtquam mihi reſponſum eſt, abeo ab illo mœſtus ad forum,
Me illò fruſtra deueniſſe. fortè aſpicio militem.
Aggredior hominem, ſaluto aduenięns. ſalue, inquit mihi.
Prehendit dextram, ſeducit, rogat quid veniam Cariam?
Dico me illò adueniſſe animi cauſſa. ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam nouerim. B
Dico me nouiſſe. quid lenonem Cappadocem? annuo.
Viſitaſſe. ſed quid eum vis? quia de illo emi virginem
Triginta minis. veſtem, aurum: & pro iis decem coaccedunt minæ.
Dediſti tu argentum? inquam, immò apud trapezitam ſitum eſt,
Illum quem dixi Lyconem: atque ei mandaui, qui annulo meo
Tabulas obſignatas attuliſſet, vt daret operam,
Vt mulierem ille à lenone cum auro & veſte abduceret.
Poſtquàm hoc mihi narrauit, abeo ab illo. reuocat me illico.
Vocat ad cenam: religio fuit, denegare nolui.
Quid ſi adeamus, ac decumbamus? inquit. conſilium placet: C
Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata'ſt, & nos quibus paratum eſt, aſſumus.
Poſtquam cenati, atque appoti, talos poſcit ſibi in manum.
Prouocat me in aleam, vt ego ludam: pono pallium.
Ille ſuum annulum oppoſuit, inuocat Planeſium.
PH. Meóſne amores? CV. tace parumper, iacit voltorios quattuor.
Talos arripio, inuoco almam meam nutricem. Herculem
Iacto baſilicum. propino magnum poculum, ille ebibit.
Caput deponit, condormiſcit. ego ei ſubduco annulum,
Deduco pedes de lecto clàm, ne miles ſentiat. D
Rogitant me ſerui, quò eam? me dico ire quò ſaturi ſolent.
Oſtium vbi conſpexi. exinde me illico protinam dedi.
PH. Laudo. CV. laudato, quando illud quod cupis, effecero.
Eamus nunc intrò, vt tabellas conſignemus. PH. non moror.
CV. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, ſumen, glandium.
Hæc ſunt ventri ſtabilimenta, panem & aſſa bubula.
Poculum grande, aula magna, vt ſat conſilia ſuppetant.
Tute tabellas conſignato: hic mihi miniſtrabit, ego edam.
Dicam quemadmodum conſcribas. ſequere me hàc intrò. PH. ſequor.

DATE



A DATE VIAM MIHI NOTI, &c.] ſic ſuprà paraſitus Ergaſilus minatur omnibus, qui ſibi obſtituri ſunt malum, in Captiuis, in ſcena, cuius principium eſt, Quanto in pectore, &c. Sic in Amphitr. Mercurius, ibi, Concedite, &c. OBSISTAT.] obſtet. NEC STRATEGVS,] nec dux exercitus, ſeu imperator. prætorem appellat Æmilius Probus, in vitis clarorum Græciæ imper. AGORANOMVS,] ædilis rerum venaliũ: præfectus foro rerum venalium, & annonæ. DEMARCHVS.] tribunus Pl. præfectus populo. COMARCHVS,] præfectus vico, ſeu vici magiſter. QVIN CAPITE SISTAT.] id eſt, vt non in caput cadat in via: quam iſti omnes ſuprà enumerati efficiunt ſemitam ex via, id eſt, reddunt anguſtam inſtar ſemitæ. iſti omnes, ſi mihi obuiam fient, à me capite, aut cubito, aut pectore, aut genu dum curro, percuſſi, cadent in via, quæ nunc eſt ſemita propter anguſtias: atq. ibi à me perculſi, ac proſtrati fuerint, ea, quæ nunc ſemita eſt, erit via: ſeu quæ nunc anguſta via eſt, erit lata. Adr. Turnebus admonet, in quibuſdam libris manuſcr. legi, *de via in ſemita*. quæ ſcriptura ſi cui probabitur, eius erit hæc ſententia: cadent in via, quam reddunt ex lata anguſtam. Quemadmodum hic dicit, *capite ſiſtat*, pro capite terram tangat, ita ſuprà in Capti. *Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet.* GRÆCI PALLIATI] quamuis hæc comedia, palliata, vt ceteræ omnes Plautinæ: tamen quia Romæ recitatur, de Græcis, vt peregrinis, verba fiunt. Iam quin pallium ſit Græcorum

B veſtimẽtum, non eſt dubium. CAPITE APERTO, QVI AMB.] Cur capite operto? an quia Græcorum eſt caput operire? an potiùs, quòd hi ſe occultant, & cognoſci nolunt? SVBSARCINATI] id eſt, obeſi, & craſſi, ſeu potius, pannis obſiti, & veſtibus quaſi ſarcinis ſufferti, atque onuſti. Terent. Andr. *verùm Cantharam vidi ſubſarcinatam.* ſic enim lego apud. Terentium? non vt vulgo, *ſuffarcinatam.* & hîc, *ſubſarcinati*, non vt habent libri omnes, *ſuffarcinati*. Nam *ſuffarcinatus* vox Latina non eſt, neq. eius origo, aut ratio vllo modo explicari poteſt. neque enim à farcio, neque à farcimine, oriri, dicere licet. Farcinare porrò, aut farcina, non ſunt Latina. relinquitur, vt ſarcina originẽ ducat, & ſcribendũ ſit *ſubſarcinatus*. Eſt autem ſarcina, vt docet Fronto, propriè hominum, vt onus, nauium. Hinc ſarcinatus, ſarcina onuſtus. & ſubſarcinatus occulta ſarcina onuſtus & occultè ſarcinatus: vt Canthara illa apud Terẽtium puerum, quem ſupponeret, ſub veſte, tanquam ſarcinam gerens. CVM SPORTVLIS,] ſportæ, & ſportulæ, vel à ſparto dictæ ſunt, vt docet Nonius, quod ex ſparto fierent, vel ab aſportando. in eis enim portabant edulia, vt panem, & opſonium, & cætera ad veſcendũ parata. ex quo apud poſteriores Romanos dictæ ſunt ſportulæ, cenæ, quas dabant diuites tenuioribus, in ſportulis gerendas: quæ opponuntur rectis. CONSTANT,] ſimul ſtant. DRAPETÆ] fugitiui. Sed

C cur Græcos fugitiuos appellat? an tanquam ſeruos, ab iis, quibus mercenarias operas dabant, fugitiuos: an ſectæ, quam initio probarant, deſertores? ESSE IN THERMOPOLIO] ſic edendum curaui libris omnibus inuitis. perſpicuè enim Plautus ſcripſit *thermopolio*, non *hermopolio*, vt habent omnes ferè libri. Cui rei argumento eſt id, quod ſtatim ſequitur, *operto capitulo calidum bibunt.* & illud, quod eſt in Rud. ibi: *Ne thermopolium quidem vllum ille inſtruit: Ita falſam præbet potionem, & frigidam.* Thermopolium autem eſſe tabernam, ſeu popinam, in qua veneunt calidi cibi, aut calidæ potiones, conſtat: hoc quoque conſtat, lurcones illos, & heluones Græcos & Romanos, calidis & iuribus & potionibus eſſe delectatos. OPERTO CAPITVLO,] ſe occultantes, vel caput occultantes. *capitulo.* dixit, nomine deminutiuo ad contemtum Græcorum, quos leuitatis infamia apud Romanos, & multas alias nationes laboraſſe, nemo ignorat. TRISTES ATQVE EBRIOLI INCED.] Triſtes, id eſt, capite demiſſo, &, vt alibi, caſante: ebrioli autem, id eſt, aliquantum ebrij: vel dic, ebriolos dici Græcos, non ſpectato vini, quod biberint, modo, ſed ſpectatis Græcis, qui leues ſunt, & contemti. ſic ſuprà dixit *operto capitulo*, pro operto capite. Simile igitur eſt, vt ſi dixiſſet, *Græculi ebrij.* SI OFFENDERO:] ſi reperero: ſi in eos incidero. ἐὰν αὐτοῖς καταλάβω. EX VNOQVE EORVM EXC.

D CR. POL.] vnumquemque eorum ita grauiter percuſſum in terram affligam, vt quiſque ventris crepitum polentarium ſit editurus, ſeu emiſſurus. POLENTARIVM.] ex polenta, quam comederunt, natum: vel qui polentam, quam ederunt, oleat. Polenta Græcorum cibus: vt puls Romanorum: quod & alibi, à nobis ex Plinio relatum eſt. QVI LVDVNT DATATIM,] qui pila, vel folle ludunt dando inuicem. Sic Nonius hunc locum proferens in voce *datatim* profert & hunc ex Nonio in Exodio, *In molis non ludam raptim pilla datatim morſo?* Erant enim alij qui pilam dabant, & hi datores dicebantur: alij, qui excipiebant, & pulſabant, & hi factores appellabantur. Sed fortaſſe hîc ſignificatur aliqua obſcænitas, non ludus pilæ. qua de re mox plura. Ludebant autem olim pila, datatim, raptim, expulſim. Varro. *Purgatum ſcito, quia videbis Romæ in foro ante Lanienas pueros pila expulſim ludere.* SERVI SCVRRARVM] pueri ſerui hominũ vrbanorum & otioſorum, qui gratioſi ſunt apud locupleteis, & qui dictis ſalſis, ac facetis diuiteis, ac beatos oblectant. ET DATORES, ET FACTORES OMNEIS,] & eos, qui dant pilam, & eos, qui excipiunt, ac pulſant. Sed videtur in his verbis ineſſe obſcænitas, vt ſermo iam traducatur à luſu ſeruorum, ad eos, qui morem gerunt alienæ libidini, & eos, qui ſuam libidinem explent. Dare enim dicuntur impudici, & impudicæ facere, qui ſtuprant. SVBDAM SVB SOLVM.] conculcabo, calcibus, ſeu pedibus proteram. ſolum, pro ſolea calceorum, ſiue ſoccorum poſuit. ſic Bacchid. *Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.* Lucret. lib. 4. princ. *Auia*

*Pieridum peragro loca,nullius antè Trita ſolo.* MONSTRAT,] docet, monet. SI IMPERARE A
POSSIT,] ſi imperando aſſequi poſſit, vt quod monſtrat, fiat. ſed legendum videtur, *ſi impe-
trare poßit*, id eſt, ſi quod monſtrat, obtinere, & effectum reddere queat. Atque hanc veram le-
ctionem eſſe arbitror. ITA NVNC SERVITIVM'ST,] ita nunc ſunt ſerui.tales nunc ſer-
ui ſunt. GENIVM MEVM?] eum,qui me alit. eum qui me retinet in vita: eum denique
qui me genuiſſe quodammodo videtur. ſic Bacchid. *teneo dextera Geniũ meum.* ITA RES SV-
BITA, CELERITER MIHI, &c.] ordo eſt,celeriter mihi hoc homine conuento'ſt opus:
ita res ſubita. ſententia eſt, opus eſt me hunc hominẽ celeriter à me conueniri, ſeu conuentum
eſt. vſque adeò res quædam ſubita euênit, quamobrem opus ſit eum celeriter à me con-
ueniri. Ô MEA OPPORTVNITAS.] ô, qui dea ipſa Opportunitate mihi magis oppor-
tunus es. SALVVM GAVDEO TE ADVEN.] ſermo peregrè aduenienteis ſalutan-
tium,eiſque reditum gratulantium. CEDÒ TVAM MIHI DEXT.]da mihi tuam dexte-
ram. VBI SVNT SPES MEÆ?] quo loco ſunt ſpes meæ? vtrum ſpes meæ firmæ, & ratæ
ſunt, an fallaces, atque irritæ? TED OBSECRO,] te obſecro. SPES MEÆ?] cibariæ.
TENEBRÆ OBORIVNT,] caligant oculi. SVCCIDVNT.] ſic Lucret. lib.3. *Caligare ocu-
los, ſonere aureis, ſuccidere artus.* Virg. lib.5. *ſed tarda trementi, Genua labant.* DATIN'.] datíſne.
AQVALEM CVM AQVA?] aqualis, vas aquarium. aquam autem poſcit, vt quaſi exani- B
mato aquam ſuffundat,parteiſque animi diſſipatas aqua offuſa colligat. vt in Trucul. *ah, aſperſi-
ſti aquam. Iam rediit animus.* ANIMO MALE'ST.] animo deficior, λειποψυχῶ. SI FRV-
STVLENTA'ST,] ſi inſunt in aqua fruſta carnium, da aquam, vt totam ſorbeam. Sic autem li-
bri omnes habent: veruntamen quidam legi volunt, *ſi iurulenta'ſt.* id eſt, ſi ea aqua, ius eſt car-
nium, aut piſcium. FACITE, VENTVM VT GAVD.] facite, vt gaudeam me veniſſe.
ventum, ſubintellige, eſſe à verbo imperſonali, *venitur.* ſed Phædromus aliter accipit, vt iam
dicemus. VENTVM] Curculionis verba ſuperiora facite, ventum vt gaudeam. ſic accipiũt
Phædromus,& Palinurus, quaſi ita dixerit, facite ventum vt gaudeam, nulla interſpiratione fa-
cta inter *facite* & *ventum*. hac ſententia, facite mihi ventulum, vt animam recipiam, & diſ-
ſipatas animi parteis colligam, vel vt refrigerer. vt apud Terent. in Eunuch. *cape hoc flabellum,
& ventulum huic facito.* Itaque iocus ex amphibolia, ſeu ex ambiguo. ESSE, VT VENTVM
GAVDEAM.] nunc ſententiam verborum ſuperiorum explicat, atque explanat, hoc modo:
eſſe, id eſt, comeſſe volo, vt me veniſſe gaudeam. Itaque ſuprà hoc ſentiebat, date mihi, quod co-
medim, vt me veniſſe gaudeam: non id, quod vrbanè calumniatus eſt Phædromus, facite mihi
ventulum, &c. PROSPICIO PARVM] ſuprà, *tenebræ oboriuntur.* OS AMARVM HA-
BEO,] os mihi inamareſcit inedia, felle ſcilicet è vaſe, quod κύστιν χολη δόχον appellant Græci, C
effuſo, propter inediam. DENTEIS PLENOS,] quid ſit habere denteis plenos, aut quid
ſignificẽt dẽtes pleni, quęro. An dẽteis plenos dicit, pituitę plenos? an ſaliuę? an pulueris? an bilis
effuſæ, quæ in os redundarit? an in voce *plenos* ſubeſt aliquid mendi, & legendum eſt, *lippos?* vt
ſit tranſlatio à morbo oculorũ, ad morbum dentium: denteis autem ei ægrotare intelligamus,
qui eſurit, &, qui lõga inedia cruciatus eſt, ſic deinceps dixit fauceis lippire fame. LIPPIVNT
FAVCES FAME.] qui morbus eſt oculorum, tranſtulit ad fauceis. CIBI VACIVITA-
TE.] cibi vacuitate. hoc eſt, inedia, fame. vaciuum, pro vacuum, & vaciuitas, pro vacuitas,
dixerũt veteres. in Caſin. *vbi bene vaciuas ædeis feciſti mihi?* LASSIS LACTIBVS.] lactes, inquit
Nonius, dicuntur inteſtina. deinde profert hunc verſum: ſed videtur legiſſe, *laxis lactibus*, &
verò ita apud Noniũ ſcriptũ eſt, fortaſſe non malè, vt per laxas, intelligamus inaneis, nõ plenas,
nõ refertas, non diſtentas: qualia ſunti ieiunorum, & eſurientium inteſtina. *laßis* tamen retinere
licet, vt *laſſæ* intelligantur inedia laborantes, & fatigatæ, per tranſlationem quandam ſermonis.
Profert idem Nonius ex Pſeud. *Vna opera alligem fugitiuam canem agninis lactibus.* NOLO HER-
CLE ALIQVID] nolo rem incertam. aliquid incertum eſt. quiddam certum. IMMO SI D
SCIAS, &c.] ſubintell. gaudeas: mihi gratias agas: me laudes: & ſimil. ἀποσιώπησις, ſeu
ἔλλειψις. NAM ILLIS CONVENTIS SANE OPVS EST M. D.] id eſt, nam den-
tibus meis ex vſu eſt, ſeu vtile eſt, reliquias illas conuenire. tranſlatio ſermonis. dentes enim
non loquuntur. PERNAM, ABD. &c.] hæ ſunt reliquiæ. quid ſit abdomen, perna, ſumen,
ſuis glandium, dictum eſt ſuprà in Captiuis. Præter ea autem, quæ diximus de abdomine, ab-
domen quidem, & ſumen, ſæpe pro eodem vſurpantur, vt etiam ex Plinio intelligere licet lib. 8.
cap.51. *Hinc Cenſoriarum legum paginæ, interdictáque cœnis abdomina, glandia, teſticuli, vuluæ, ſincipita
verrina, vt tamen Publij mimorum poëtæ cœna, poſtquam ſeruitutem exuerat, nulla memoretur ſine abdomine,
etiam vocabulo ſuminis impoſito:* ſed tamen hoc intereſt, quòd abdomen quidem, venter eſt qua-
drupedum, qua parte pinguior eſt: ſumen verò, vber quadrupedum fœminarum, vnà cum la-
cte denſato. gladium ſuis verò, ſuis iugulum. ITA ME AMABIT QVAM E. A.] ita
me amet Planeſium, vt ego non mentior. SED QVO TE MISI, NIHILO SVM CER-
TIOR] ſed nihilo me facis certiorem de ea re, cuius rei gratia, te in Cariã miſi. vel ſic, ſed nihilo
certior abs te fio de Caria, quò te argentũ petitum miſi. INVENIRE POSSIM] ſubintell.
argentum. SI MIHI OPERAM DATIS] ſi opera veſtra me adiuuatis. PROFECTVS
SVM,] à vobis diſceſſi. SCIRES VELLE GR. TVAM] id eſt, facilè cognoſcere poſſes,
eum



A eum tuam gratiam plurimi facere, & in amicitia tua permanere velle. ironiam quidam eſſe pu-
tant, à quibus diſſentio. Laudat enim hunc Phædromi ſodalem, quiſquis ſit, qui Phædromũ va-
nis promiſſis, aut vana ſpe non produxerit, neque fruſtrari voluerit, ſed ingenuè reſponderit,
ſibi voluntatem quidem amico Phædromo commodandi, non deeſſe: facultatem deeſſe. Sed
nonnulli, ſic hæc diſtingunt *Scires velle: gratiam noluit fruſtrarier, Vt decet*, &c. hac ſententia: Sci-
res velle, id eſt, ſcire poſſes eum velle tibi argenti copiam facere, ſi poſſet. ſed gratiam tuam
noluit deſtituere, aut fallere, aut inani ſpe lactare. vt decet velle hominem, qui amico in amo-
re reſpondet: videlicet, velle non fruſtrari gratiam amici ſui, & velle ei opitulari. quæ ſententia
mihi quidem probatur, & cum Plauti ſenſu conſentanea eſt, ſed hæc explicatio & duriuſcu-
la, & aliquantum violenta eſt. Præterea ſcrupulus mihi ineſt in hac lectione, Scires velle gra-
tiam tuam, & fortaſſe debet legi. *Scires velle tua gratia.* ſic enim loqui ſolent Latini, volo tua
cauſa. M. Tull. lib.9. epiſt. ad Varronem epiſt.13. *Volo ipſorum cauſa.* Idem lib.13. epiſt. ad Attic.
epiſt. 47. *Sed Phameæ cauſa volebam.* Veruntamen hîc nihil muto. nam aliud fortaſſis eſt, volo
tua gratia, ſeu tua cauſa: aliud, volo tuam gratiam. qua de re infrà dicemus, non longè. VT
DECET VELLE HOMINEM AMICVM AM. &c.] referendum eſt ad illud prius,
B Scires velle gr. t. &c. hoc modo: vt decet velle hominem, qui amicus eſt amico, quidnam
illum decet velle? gratiam amici ſui, & ei opitulari. vel ſic, gratiam amici non fruſtrari, atque ei
opitulari. ME ILLÒ FRVSTRÀ DEVEN.] coniunge hæc cum voce *mæſtus*, hoc modo,
Mœſtus me in Cariam fruſtrà deueniſſe. PREHENDIT DEXTRAM:] comitatis, & be-
neuolentiæ indicium, maximè apud Græcos. SEDVCIT] ſeorſum ducit. ANIMI CAV-
SA] animo meo morigerendi gratia: nullius rei neceſſariæ cauſa: oblectandi animi gratia tan-
tùm. ſic ſæpè loquuntur boni ſcriptores, Plautus, M. Tullius, ceteri. In Epidico. *Cur eam emit?*
TH. *animi cauſa.* ibid. *Quaſi tu cupias liberare fidicinam animi gratia.* Idem. Merc. *Miſer amicam mihi pa-
raui animi cauſa pretio.* M. Tull. lib.7. epiſt. ad Mar. *Hic ſimiolus animi cauſa me, in quem inueheretur, de-
legerat.* ECQVEM] numquem, ſeu num aliquem ANNVO VISITASSE] ſignifico capi-
tis nutu me ſæpè vidiſſe, aut viſiſſe. SED QVID EVM VIS?] ſubintell. inquam. QVIA
DE ILLO, &c.] ſubintell. inquit miles. PRO IIS] pro veſte, & auro. COACCEDVNT]
ad triginta minas vnà accedunt. IMMÒ APVD TRAPEZITAM] ſubintell. inquit miles.
Solebant veteres nummos ſuos, non eos ſolum, quos aliis debebant, ſed & quos nulli debe-
bant, apud trapezitas collocare: quod & alibi admonuimus. RELIGIO FVIT] religio mihi
fuit: nefas mihi eſſe duxi: religioni verti, religione deterritus ſum. Religio hoc loco, ſignificat
C nimium quendam pudorem, aut deorũ metũ. ſic apud Terent. Heaut. *nam nihil eſſe, mihi religio eſt
dicere.* Plautus in Merc. *Relligionem illic obiecit.* QVID SI ABEAMVS, &c.] Quid ſi abea-
mus hinc, domum ſcilicet, ac decumbamus? inquit miles. NEQVE DIEM DECET ME
M. &c.] id eſt, neque decet diem mihi afferre moram, quo minus luce, & ante noctem cenem:
neque decet nocti noceri, multa iam nocte, & nimis ſerò cenando. Nocti nocet, qui non recipit
ſe domum ante noctem, vt cenet, quíque multa iam nocte foris manet. cui opponitur cedere
aut decedere nocti: quod vſurpauit Virgil. in Pharmaceutr. *nec ſeræ meminit decedere nocti.* & 3.
Georg. *& ſeræ ſolam decedere nocti.* Nonnulli volunt hîc legi *remorari*, pro me morari. ego nihil
mutandum cenſeo. Conſueuiſſe autem veteres ſub veſperum cenare, conſtat. Horat. epiſt. ad
Torquat. lib.1. *ſupremo te ſole domi, Torquate, manebo.* POSTQVAM CENATI, &c.] poſtquam
cenati, & appoti ſumus, vel fuimus. VT EGO LVDAM, PONO PALL.] vt ego à mili-
te prouocatus, ludere poſſim, (fortaſſe quia nummos non habebat) pono, id eſt depono pal-
lium, tanquam pignus. Virgil. in Palæm. *ego hanc vitulam (ne forte recuſes, Bis venit, &c.) Depono. dic
tu, mecum quo pignore certes.* ſequitur deinceps. *De grege non auſim quidquam deponere tecum.* Sed dic
non certari hîc nummis, ſed poculis. infrà *propino magnum poculum.* OPPOSIVIT,] oppoſuit
D pignori. oppignerauit. *oppoſiuit* autem dictum antiquè, pro oppoſuit. ſic *depoſiuit, repoſiuit*, &c.
de quibus alibi. INVOCAT PLANESIVM.] ſolebant amantes, talis ludentes, & talos ia-
cturi, puellas ſuas inuocare. ſuprà in Capt. princip. *Nam in conuiuio ſibi Amator, talos cùm iacit, ſcor-
tum inuocat.* MEÓSNE AMORES?] meáſne delicias? ἆρα τὰ ἐμὰ παιδικά; VOLTORIOS
QVATTVOR.] qui iactus erat infelix, aut certè paullò infelicior, quàm canis. vt ſuprà diximus.
ARRIPIO.] properè ſumo. ALMAM MEAM NVTRICEM.] ſaturitatem. ſuprà, Capt.
*Ita me amabit ſancta ſaturitas, Hegio, itáque me ſuo ſemper condécoret cognomine, Vt ego vidi.* vel dic potius
ſignificari, artem paraſiticam. Hæc enim eſt paraſitorum nutrix. HERCVLEM IACTO B.]
Herculem regium: qui iactus, felix erat, cùm Voltorio comparatus. erat tamen minus felix,
quàm Venerius. Sic autem hic iactus appellabatur ab Hercule duodecim illis laboribus, ſeu
ærumnis perfuncto. & fortaſſis in vna aliqua tali parte, regia Herculis imago picta, aut inciſa
erat. PROPINO M. P.] porrigo, ſeu trado magnum poculum, quod ebibat. quæ erat pœ-
na, ſeu multa victi. propinare, inquit Nonius, à Græco tractum eſt, προπίνειν, poſt potum trade-
re. CAPVT DEPONIT.] Caput deponit, ſomno, & vino oppreſſus ſcilicet. ſuprà, Aulul. *Vt
me deponat vino, eam affectat viam.* CONDORMISCIT.] aliàs, *obdormiſcit*, SVBDVCO AN-
NVLVM.] ſubſtraho annulum, clàm aufero, ſeu detraho annulum. DEDVCO PEDES DE
LECTO] deſcendo de lecto. DE LECTO.] in quo accumbebat vnà cum milite. QVÒ

SATVRI, SOLENT.] ad requiſita naturæ. ad exonerandam alumni, ſeu veſicam. EXINDE ME ILLICO PROTENAM D.] ex oſtio me continuò in fugam dedi, ſeu in pedes conieci. protinam, antiquum, id eſt, protinus, idem in Caſina. *hac dabo protinam me in fugam.* Terent. Phorm. *atque hinc me coniicerem protinam in pedes.* Profert hunc locum Nonius in voce *protinam.*: vbi videtur legiſſe aliter, quàm hodie in omnibus libris ſcriptum eſt. Sic enim ille. Idem Curcul. præpoſitione addita. *Oſtium vbi proſpexi, exinde me illico protenam dedi, quaſi in longam fugam.* Sed ego Nonium corruptum eſſe puto, & illud totum, *præpoſitione addita*, delendum: & verba illa, *quaſi in longã fugam*, eſſe interpretationem vocis *protenam.* QVOD CVPIS,] in verbo *cupis* ſecunda ſyllaba producitur, proinde ac ſi ſit quartæ coniugationis: vt eſt apud Lucret. lib. I. ibi, *confringere vt arcta Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.* ATQ. ALIQVID PRIVS OBSTRVNDAMVS] Sic edendum curaui, Feſtum ſecutus, cuius hæc verba ſunt, non ſatis integra: *obſtrundant, obſatulient, ab auidè trundendo gulam, in ſumendo cibum, vnde & obſtrundulentum,* dixit Titinnius, *obſtrundulenti aliquid, quod pectam ſedens,* &c. Adſcribit deinceps Paulus, *obſtrundant,* auidè trundant. Ex his laceris Feſti verbis, coniicio, obſtrundo eſſe antiquum verbum, quod valet auidè in fauceis, & in ventrem intromitto: Idque vt magis credam, altero Plauti loco adducor, qui eſt in Sticho, non admodum longè ab extr. ibi, *Quin ſic ſtans obſtrunſero aliquid ſtrenuè.* ad quem locum plura. Sic igitur hunc locum explico, *Atque aliquid prius obſtrundamus*, id eſt, & vt, prius quàm tabellas conſignemus, quaſi à milite ad lenonem miſſas, aliquid auidè comedamus, & voremus. HÆC SVNT VENTRI STAB. PANE, &c.] profert ita ſcriptum hunc verſum Nonius in voce *panis,* docens, veteres, dixiſſe & *panis* in genere maſcul. & *pane* in neutro. *pane* igitur hîc neutri generis eſt, recti caſus, pro *panis.* ſtabilimenta, autem, id eſt, fulcimenta, firmaméta. AVLA MAGNA] olla magna. ET SAT CONSILIA SVPT.] ſic legi malo, quàm quomodo habent libri omnes vulg. & nonnulli manuſcr. & ſatis conſ. ſup. quamuis enim etiam hæc lectio ferri poſſit, eliſa littera s. in voce *ſatis* tamen facilior eſt ea, quam ſecutus ſum. TVTE] tuipſe. HIC MIHI MINISTR.] hic puer mihi comedenti miniſtrabit. DICAM QVEMADM. CONSCR.] dictabo litteras.

# ACTVS TERTIVS.

## LYCO, CVRCVLIO, CAPPADOX, leno. C

LY. BEATVS videor, ſubduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi ſit, quantúmq. alieni ſiet.
Diues ſum, ſi non reddo eis, quib. debeo:
Si reddo illis, quibus debeo, plus alieni ineſt.
Verùm hercle verò cum verè recogito,
Si magis me inſtabunt, ad prætorem ſufferam. D
Habent hunc morem pleriq. argentarij,
Vt alius alium poſcant, reddant nemini.
Pugnis rem ſoluant, ſi quis poſcat durius.
Qui homo maturè quæſiuit pecuniam,
Niſi eam maturè parſit, maturè eſurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui vſurarius
Nunc mihi quæratur. vſus'ſt & pecunia.
CV. Nil tu me ſaturum monueris. memini & ſcio.
Ego hoc effectum lepidè tibi tradam. tace.
Edepol næ ego hîc med intus expleui probè,
Et quidem reliqui in ventre cællæ vni locum,

Vbi



A Vbi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hîc eſt, qui operto capite Æſculapium
Salutat? At at, quem quærebam. ſequere me.
Simulabo quaſi non nouerim. heus tu, te volo.
LY. Vnocule ſalue. CV. quæſo, deridéſne me?
LY. De Coclitum proſapia tedeſſe arbitror:
Nam ij ſunt vnoculi. CV. Catapulta hoc ictum eſt mihi
Apud Sicyonem. LY. nam quid id réfert mea,
An aula quaſſa cum cinere effoſſus ſiet?
CV. Superſtitioſus hic quidem eſt, vera prædicat.
Nam illæce catapultæ ad me crebrò commeant.
B Adoleſcens ob rempublicam hoc intus mihi
Quod inſigne habeo, quæſo ne me incomities.
LY. Licétne inforare, ſi incomitiare non licet?
CV. Non inforabis me quidem. non mihi placet
Tuum profectò neque forum, nec comitium.
Sed hunc quem quæro, commonſtrare ſi potes,
Inibis à me ſolidam & grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. LY. dic mihi,
Quid eum nunc quæris, aut cuiatis? CV. eloquar,
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
LY. Noui edepol nomen. nam mihi iſtoc nomine,
C Dum ſcribo, expleui totas ceras quattuor.
Sed quid Lyconem quæris? CV. mandatum'ſt mihi,
Vt has tabellas ad eum ferrem. LY. quis tu homo es?
CV. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.
LY. Sumane ſalue: qui Summanus? fac ſciam.
CV. Quia veſtimenta, vbi obdormiuit ebrius,
Summano, ob eam rem me omnes Summanum vocant.
LY. Alibi te meliuſt quærere hoſpitium tibi:
Apud me profectò nihil eſt Summano loci:
Sed iſtum, quem quæris, ego ſum. CV. quæſo túne is es
D Lyco trapezita? LY. ego ſum. CV. multam me tibi
Salutem iuſſit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me iuſſit. LY. mihin'? CV. ita.
Cape, ſignum noſce. noſtin'? LY. quid ni nouerim?
Clypeatus elephantum vbi machæra diſſicit.
CV. Quod iſtic ſcriptum eſt, id te orare iuſſerat,
Profectò vt faceres. ſuam ſi velles gratiam,
LY. Concede, inſpiciam quid ſit ſcriptum. CV. maximè,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto.
LY. Miles Lyconi in Epidauro hoſpiti ſuo.
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. CV. Meus hic eſt, hamum vorat.

bb

LY. Tecum oro,& quæſo,qui has tabellas afferet A
Tibi,vt ei detur,quam iſtic emi virginem,
Quod te præſente iſtic egi,téque interprete,
Et aurum,& veſtem:iam ſcis,vt conuenerit.
Argentum des lenoni,huic des virginem.
LY. Vbi ipſus? cur non venit? CV. ego dicam tibi,
Quia nudiuſquartus venimus in Cariam
Ex India:ibi nunc ſtatuam volt dare auream,
Solidam faciundam,ex auro Philippeo quæ fiet
Septempedalis,factis monumentum ſuis.
LY. Quamobrem iſtuc? CV. dicam,quia enim Perſas,Paphlagonas,
Synopeas,Arabas,Caras,Cretanos,Syros, B
Rhodiam atque Lyciam,Perediam & Perbibeſiam,
Centauromachiam,Elatiam,Vnomammiam,
Libyámque & oram omnem Conterebromniam,
Dimidiam partem nationum vſque omnium,
Subegit ſolus intra viginti dies.
LY. Vah. CV. quid mirare? LY. quia enim in cauea ſi forent,
Concluſi,itidem vti pulli gallinacei,
Ita non potuere vno anno circumirier.
Credo hercle te eſſe ab illo.nam ita nugas blatis.
CV. Immò etiam porrò (ſi vis) dicam. LY. nihil moror,
Sequere hac,te abſoluam,qua aduenisti gratia.
Atque eccum video,leno ſalue. CAP. Di te ament. C
LY. Quid hoc,quòd ad te venio? CAP. dicas quid velis.
LY. Argentum accipias,cum illo mittas virginem.
CAP. Quid quòd iuratus ſum? LY. Quid id refert tua,
Dum argentum accipias? CAP. qui monet,quaſi adiuuat.
Sequimini. CV. leno caue in te ſit mihi mora.

BEATVS VIDEOR] diues mihi videor. SVBDVXI RATIVNCVLAM] ſuprà in Capt. *Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam.* QVANTVM ÆRIS MIHI SIT.] Quantum æris mei ſit, & quantum alieni. æs meum, quod mihi debetur, aut quod mihi proprium eſt, & penes me habeo: æs alienum, quod ego aliis debeo. Itaque ſi qui libri haberent, *Quantum æris mei ſit*: valde probarem. nam verſus non reſpueret, cùm *mei* poſſit eſſe vnius ſyllabæ. RECOGITO,] iterum atque iterum cogito: D reputo. SI MAGIS ME INSTABVNT:] ſi magis me vrgebant. ſi magis mihi inſtabūt. malim legi *mi inſtabunt*, vt cenſet Camerarius, verùm nihil mutare auſus ſum. AD PRÆTOREM SVFFERAM] ſubintelligendum, trahi, rapi, duci, vocari, & ſimil. ſi mihi magis inſtabunt creditores, ad prætorē me rapi patiar. VT ALIVS ALIVM POSCANT, S. N.] vt hic argentarius hunc poſcat quod ſibi debetur ille illum? ſed nemini, quod debent, reddant. REM SOLVANT,] *rem ſoluere*, genus loquendi Plauto, & aliis bonis ſcriptoribus vſitatum. infrà, *Tibi res ſoluta'ſt rectè: bellator vale.* Idem ſuprà, Aſin. *Repromittam iſtoc tibi nomine ſolutam rem futuram.* DVRIVS] moleſtius, aſperius, odioſius. QVI HOMO MAT. QVÆS. PEC.] Profert hunc locum Soſipater Cariſius lib. 2. inſt. Gramm. in voce *maturè*; & ita explicat, Qui homo tardè. i. vix & ægrè quæſiit pecuniam, Niſi ei citò parſit, citò eſurit. Sic n. ille, Maturè duo ſignificat, citò, & tardè. Itaque ex ſententia Cariſij, maturè quæſiit, valet, tardè quæſiit: maturè parſit, & maturè eſurit: valent, citò pepercerit, & citò eſurit. PARSIT,] pepercerit. verbi parco duo ſunt præterita, parſi, & peperci. Ennius, *Quorū virtuti belli fortuna pepercit.* &c. *eam parſit* autem dictum eſt antiquè, pro ei parſit. Nam quòd apud Soſipatrum impreſſum eſt, *niſi cauſa maturè parſit*, mendoſus eſt ibi Soſipater. Ex illo mendo tamen ſuſpicatus aliquando ſunt, apud Plautum legendum, *Niſi eæ maturè parſit*, vt *eæ* ſit dandi caſus pro ei, vt alteræ, & illæ, & ſimil. pro alteri, & illi, datiuis, & ſimil. VSVRARIVS.] vt eo vtar: ad vſum meum. ſic Amphitr.



A *vſuraria vxor.* qua Iupiter vtitur vſque ad certum tempus. VSV'ST ET PECVNIA.] pecunia quoque mihi opus eſt. NIL TV ME SATVRVM MON.] proinde ac ſi dicat, ſi ſatur non eſſem, me monere deberes, & fortaſſe fruſtrà moneres, quia venter non habet aureis. nunc autem, cum ſatur ſim, non eſt, quòd me moneas. nam memorem mones, cùm me ſaturum mones. MED INTVS EXPL. PR.] me intus ſaturaui præclarè. ET QVIDEM RELIQVI IN V. CÆLLÆ V. L.] Et tamen in ventre reliqui cællam vnam vacuam, in quam cibos alios cōdam. Habeo etiam in ventre locum vnum reliquum vacuum, in quem alias dapes, & reliquiarum reliquias tanquam in cællam, abſtrudam. OPERTO CAPITE] velato capite. qui deos ſalutabant, aut venerabantur, & orabant, operto capite erant, cuius rei rationem explicat Plutarchus in quæſt. Rom. & ſcribit, ex multis hanc quoque vnam fuiſſe, ne ſcilicet inter orandum aliquid aut viderent, aut audirent triſtius, quod eis dirum aliquod omen obiiceret. DE COCLITVM PROS. TEDESSE ARB.] de Coclitum Romanorum ſtirpe, ſeu genere eſſe puto. fuerunt enim apud Romanos Horatij Coclites, ſic à re appellati, quòd huius cognominis auctor, Luſcus, ſeu vnoculus, ſeu cocles fuerit. Varro lib. 6. de Ling. Lat. *Ab oculo cocles*, inquit, *quaſi ocles dictus, qui vnum haberet oculum: quocirca in Curculione eſt, De coclitum proſapia tedeſſe arbitror. Nam*, &c. Sed licet etiam ſic explicare, arbitror te eſſe ab Arimaſpis, B qui ſunt vnoculi oriundum, & prognatum. quo modo mauult Adr. Turneb. CATAPVLTA HOC ICTVM EST, &c.] hic locus, in quo erat alter oculus, catapulta mihi percuſſus eſt: & ita mihi oculus effoſſus, vel corruptus eſt. Catapulta, genus fuit iaculi celerrimi: quo reperto dixit ille Laco, ἀπώλετο ἀνδρῶν ἀρετά, id eſt, periit virorum virtus. NAM QVID ID REF. M.] nam quid, ἀναστροφή, pro quídnam. ſententia autem hæc eſt, quídnam ad me attinet, vtrum oculus tibi catapulta, an olla fracta cum cinere effoſſus fuerit? SVPERSTITIOSVS HIC QVIDEM EST.] id eſt, hic quidem ariolus eſt, qui diuinet mihi oculum effoſſum eſſe aula cineris potius, quàm catapulta. ſuperſtitioſum pro hariolo ſolet vſurpare Plautus: vt ſuprà in Amph. *Illic homo ſuperſtitioſus eſt.* & Rudente, *Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa, aut hariola'ſt*, &c. NAM ILLÆCE CATAPVLTÆ, &c.] nam ollæ cineris, crebrò in me coniiciuntur. Loquitur autē hæc ſummiſſa voce, à Curculione auerſus: & ad ſpectatores verſus. QVÒD INSIGNE. H.] propterea quia notam inſignem habeo, accepto vulnere reip. cauſa, ne mihi, quæſo, maledicas. QVÆSO, NE ME INCOMIT.] quæſo ne mihi conuiciere. Incomitiare (inquit Feſtus) ſignificat tale conuicium facere, pro quo neceſſe ſit in comitium, hoc eſt, in conuentum venire. deinde profert hunc locum. LICÉTNE INFORARE, SI INCOMITIARE NON LI- C CET?] Iocus ſpurcus ex ambiguo. alludit autem ad forum, & comitium, & quemadmodum à comitio factum eſt, *incomitiare* verbum antiquis vſitatum, ita à foro fabricatur hîc Plautus *inforare*: ſed vult tamen *inforare* ab auditore in aliam partem accipi, nempe pro *perforare*, hoc eſt, præcedere, ſeu prædicare. Itaque reſpondet Curculio, vt intelligat ſpectator, huius ambiguè dicti interpretationem hanc fieri poſſe, *non inforabis me quidem*, hoc eſt, & vt dixi, tu quidem me non præcides. vel ſic. Quia paraſitus Curculio argentarium Lyconem orauerat, ne ſe incomitiaret, propterea quòd eſſet cocles, iocans argentarius in nominibus Comitij, & fori, quærit, liceátne Curculionem inforare, quando non liceat incomitiare. & obſcurè interea vult in verbo inforandi, ineſſe nonnullam obſcænitatem. INIBIS À ME SOLIDAM, &c.] gratiſſimum mihi facies, tuíque iſtius beneficij diuturnam memoriam conſeruabo. AVT CVIATI'S?] aut cuiatis es? *cuiatis*, & *cuias* dixerunt veteres, pro in quibus locis, ſeu terris natus es? NAM MIHI ISTOC N. DVM. SCR. EXP. TO. &c.] id eſt nam tabulas ceratas quattuor totas iſto nomine impleui, dum ſcribo, me ab eo quadraginta minas accepiſſe, quas ei darē, qui litteras eius annulo obſignatas ad me afferret, &c. vel ſimplicius, dum me pecuniam ſcribo ab illo accepiſſe, & ei per ſyngrapham caueo. Horat. Sat. 3. *Scribe, decem à Nerio.* Et ita Simeo Boſius D malebat: cui aſſentior. Solitos autem, eſſe veteres in tabellis ceratis ſcribere, notum eſt vel pueris. SVMMANVM VOCANT.] ſummanus, manium deus eſt, qui & Orcus dicitur, omnia rapiens ac deuorans. Vnde verbum ſummanare finxit Plautus, pro auferre, & rapere. Martianus Cappella lib. 2. *Denique hæc omnis aëris à Luna diffuſio ſub Plutonis poteſtate conſiſtit: qui etiā ſummanus dicitur, quaſi ſummus manium.* Arnob. lib. 5. aduerſus gēteis, quo loco de Cerere, & Proſerpina loquitur. *In nemore*, inquit, *Ennenſi, quondam flores Proſerpina lectitabat. Integrum adhuc iſtud eſt, & recta pronuntiatione prolatum. Nam & nemus & flores, quid ſint, quid Proſerpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum eſt. Emicuit Summanus è terris curru quadriiugo vectitatus. ſimplex ex hoc æquè eſt. Nam quadrigæ, Currus, & Summanus interpretationem deſiderant nullam. Improuiſus Proſerpinam rapuit, & ſub terras ſecum auexit. ſeminis, inquit, abſtruſio raptione in Proſerpinæ nuncupatur*, &c. Plin. lib. 2. cap. 52. *Romani duo tantùm ex iis ſeruare, diurna attribuentes Ioui, nocturna Summano.* Idem lib. 29. cap. 4. *Eadem de cauſa ſupplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani.* M. Tull. lib. 1. de Diuin. *Cùm Summanus in faſtigio Iouis opt. Max. qui tū erat fictilis, de cælo ictus eſſet, nec vſquā eius ſimulacri caput inueniretur*, &c. Summanū igitur ſe ab omnibus vocari dicit Curculio, quòd ad exemplū Summani, omnia quæ incidant, rapiat. VBI OBDORM. EBR.] vbi quis ebrius ſumno oppreſſus eſt, &c. SVMMANO,] id eſt, rapio, tanquam Summanus, qui omnia rapit. OB EAM REM ME. OMN. SVMM. V.] ob id quòd veſtimenta ebriorum, qui poti obdormiunt, rapio, ſeu Summano,

me Summanum vocant, id eſt, raptorem. SED ISTVM, QVEM QVÆRIS, EGO SVM.] A ſed ego iſte ſum, quem quæris. vides antecedens priori loco poni, & cum relatiuo congruere in caſu. CLYPEATVS ELEPHANTVM VBI MACH. DISSICIT.] ſic habent planè ſex noſtri libri veteres, ſine vlla diſſimilitudine, ac varietate: neque multò ſecus in ſuo codice ſcriptum eſſe teſtatur Camerarius: ait enim in eo ſcriptum eſſe *deßicit*, paruo diſcrimine. Ego igitur *dißicit* planè hîc legendum ſentio, ac cenſeo: quam meam ſententiam iam olim Cl. Puteano oſtendi: qui de hoc verbo pluribus verbis diſputauit in Aduerſariis ſuis, quæ ſibi & ſuis, non populo, comparauit: eiúſque loci mihi copiam vltro fecit, vt ſi vellem, in aliquem locum meorum ſcriptorum includerem, quod lubenter, & bona fide feci: curauíque vt quæ ille diligenter, & accuratè collegit ad hanc diſputationem pertinentia, ad verba illa, quæ videntur eſſe veteris cuiuſdam poëtæ, & ponuntur à M. Tullio in oratione pro Cœlio, *dede te ac dißice: per me licebit*, &c. adglutinarentur. Ad ea ſi plura de hoc verbo lector cognoſcere volet, ſe ſe conferat, ne neceſſe habeam ταυτολογεῖν. Hæc tantùm huc adſcribam, quæ quinq. abhinc annos, poſtquam has commentationes Plautinas adumbrare cœpi, in palimpſeſto notaui, idem valere, diſſico, cis, cit, quod diſſeco, as, at, nam ſeco in compoſitis apud veteres mutabat, e, in i, vt præſico, reſico, deſico: & præterea tranſibat in tertiam coniungationem à prima: vt do, as, condo, is, reddo, is, &c. Quinetiam ſeco cis ſimplex vſurpatum eſſe ab antiquis pro ſeco, B cas, nonnulli grammatici tradiderunt. Porro vt ad hunc locum redeam, malim legi *deſicit*, pro deſecat, quam diſſicit, pro diſſecat. neque ab illa ſcriptura longè abeſt codex Camerarij, in quo ſcriptum eſſe teſtatur, *deßicit*. veruntamen *dißicit* probo, ac teneo. Quod autem Nonius in verbo *diligere*, legit hîc *diligit*, hunc verſum proferens, & interpretatur, *diuidit*, labitur: & fortaſſis vſus eſt corruptis codicib. Errat & Feſtus in verbo *dirigere*, qui videtur legiſſe *dirigit*. Sic enim ille *dirigere*, inquit hunc locum ſpectans, *apud Plautum inuenitur pro diſcindere*. Poſtremò animaduertat lector, veteres ſignis, & annulis varias imagines expreſſas præ ſe ferentibus obſignare tabellas ſolitas. qua de re plura ad illud Amphitr. *ſigni dic quid eſt*. MER. *Cum quadrigis ſol exoriens*. PROFECTÒ VT FACERES] vt cum profectu, & ſine fruſtratione faceres. SVAM SI VELLES GRATIAM.] ſi velles ſibi gratum facere. ſi gratiam ſuam promereri velles, ſi gratiam ſuam magni faceres. ſuprà, *Scires velle gratiam tuam*. CONCEDE] ſecede aliquantùm à me, vt inſpiciam quid ſit in tabellis ſcriptum. DVM AVFERAM, &c.] dum modò auferam abs te id, quod peto. MEVS HIC EST. HAM. V.] hæc loquitur Curculio à Lycone auerſus. HAMVM VORAT] hamum vorat, quo capiatur, vt piſcis. tabellæ, quas legit, ſunt ei pro hamo. TECVM ORO, ET Q.] ſic loquebantur veteres, vt ſæpe iam admonuimus. ſuprà Aſin. *Nunc iſthanc tantiſper iube petere, atque orare mecum*. TE Q. INTERPRETE] id eſt, & te adiutore, & tuam in ea re operam interponente σοῦ μεσίτου te interueniente, atque (vt ita dicam) mediatore. idem infrà, *Quaſiq; res per me interpretẽ & tuam ancillam geratur*. C IBI NVNC STATVAM VOLT DARE AVREAM. SOLID. F.] in Caria nunc volt locare faciundam ſtatuam auream ſolidam. EX AVRO PHILIPP. QVÆ SIT.] quod aurum erat lõgè optimum, à Philippo Macedone ſic appellatum: à quo eodem & Philippei nummi dicti ſunt, & Philippi ſimpliciter. Horat. epiſt. ad Auguſtum, lib. 2. *incultis qui verſibus & malè natis Rettulit acceptos regale numiſma Philippos*. Plaut. Aſin. *Vnumquódque iſtorum verbûm nummis Philippeis aureis Non potes auferre hinc à me*. Idem Bacch. *Nam iſtic fortaſſe auro opus eſt*. PIST. *Philippeo quidem*. SEPTEMPEDALIS] ſeptem pedum longitudine. ARABAS.] al. Arabos. al. Arabes. PEREDIAM ATQ. PERBIBESIAM,] nomina regionum, quæ nuſquam ſunt à paraſito ficta, & à *peredo*, & *perbibo* facta. Paulus apud Feſtum perediam & perbibeſiam Plautus cùm dixit, intelligi voluit cupiditatem edendi & bibendi. Feſtus, perediam & perbibeſiam Plautus finxit ſua conſuetudine, cùm intelligi voluit cupiditatem edendi, & bibendi. CENTAVROMACHIAM] Phlegræam regionem. ELATIAM,] ſic legendum potius, D quàm vt habent libri manuſcripti, *& Claßiam*. VNOMAMMIAM] aliud nomen loci confictum. ſignificat fortaſſe Amazonum regionem: quæ dextram mammam ſibi exurendam curabant, vt expeditiores ad pugnam eſſe poſſent: Atque ob eam cauſam Titianus Amazonas vnimammas vocat, vt ſcribit Seruius ad illud Virgil. *At medias inter cædeis exſultat Amazon, Vnum exſerta latus pugnæ*, &c. lib. 11. Æn. ET ORAM OMNEM CONTEREBROMNIAM] aliud nomen fictum: quod quid ſignificet, quærere diſtuli. NAM ITA NVGAS BLATIS] ex eo, quòd iſtas nugas loqueris, credo te eſſe illius libertum blatire, & blaterare, ſignificant ineptè, & inaniter loqui. PORRÒ] porrotenus vltrà. TE ABSOLVAM] faciam, quæ vis, vt primo quoque tempore ad militem reuerti poſſis. faciam id, cuius gratia veniſti, vt nulla in te mora ſit, quominus ad militẽ quamprimùm reuertare. QVID QVOD IVRATVS SVM?] quid quod iurauit, me virginem Phædromo traditurum? QVID ID REFERT T.] quid id ad te attinet, dum modò, nummos accipias? QVI MONET, QVASI ADIVV.] rectè mones: & dum me mones, adiuuas. Nam qui monet alterum, eum quodammodo adiuuat.





# A ACTVS QVARTVS.

## CHORAGVS.

EDEPOL nugatorem lepidum, lepidè hunc nactu'ſt Phædromus.
Halophantan, an ſycophantan, hũc magis eſſe dicam neſcio.
Ornamenta, quæ locaui metuo vt poſſim recipere,
B Quamquam cum iſtoc mihi negotij nihil eſt: ipſi Phædromo
Credidi. tamen aſſeruabo. ſed dum hic egreditur foras,
Commóſtrabo, quo in quemque hominem facilè inueniatis loco,
Ne nimio opere ſumat operam, ſi quem conuentum velit,
Vel vitioſum, vel ſine vitio: vel probum, vel improbum.
Qui periurum conuenire vult hominem, mitto in Comitium.
Qui mendacem, & glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.
Ditis damnoſos maritos ſubbaſilica quærito.
Ibidem erunt ſcorta exoleta, quíque ſtipulari ſolent.
C Symbolarum collatores apud forum piſcarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.
In medio propter canalem ibi oſtentatores meri.
Confidentes, garrulíque, & maleuoli ſupra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipſi ſat habent, quod ipſis poſſit verè dicier.
Sub veteribus, ibi ſunt qui dant, quíque accipiunt fœnore.
Ponè ædem Caſtoris, ibi ſunt, ſubitò quibus credas malè.
In Tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe venditant.
In Velabro vel piſtorem, vel lanium, vel haruſpicem
D Vel qui ipſi vorſant, vel qui aliis ſubuertendos præbeant.
Diteis damnoſos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuere, linguæ moderandum'ſt mihi.

EDEPOL NVGATOREM LEP.] Curculionem, qui ſimulat ſe à milite eſſe miſſum, & eius eſſe libertum. HALOPHANTAM, AN MAGIS SYCOPHANTAM, &c.] verſus eſt primùm variè ſcriptus, & in libris manuſcriptis, & apud veteres grammaticos: deindè valde obſcurus, & variè à doctis explicatus. Nam alij libri habent *Kalophantam, an ſycoph.* &c. Alij *Kolophantam an ſycoph.* alij *Heciophantam*, alij, vt edidi, *Halophantam*. Feſtus legit, *Halapantam*, & interpretatur, omnia mentientem, ἀπὸ τῆς ἅλης, hoc eſt, πλαύνης, & ἅπαντα, omnia. ſed errat Feſtus. Nonius *Halophantam*. quidem legit, vt nos edendum curauimus & hũc verſum profert, ſed non explicat. tantùm ſcribit, halophantam, & ſycophantam eſſe genus hominum nequam. Camerarius qui hanc eandem ſimiliter lectionem ſecutus eſt, putat halophantam dictum eſſe à Plauto eadem ratione, qua ſycophantam, vt quemadmodum ſycophanta dictus eſt ab oſtendendis ſicubus, ita halo-

phanta dictus ſit à ſale, quod non probo, quamquam ille non longè admodum aberrat à ſcopo. A Turnebus autem exiſtimat, neſcio, quibus hominibus aſſentiens, legendum holophantam, quaſi in tota re, aut prorſus fallacem, aut omnibus in rebus impoſtorem, quod nihilomagis probare poſſum. Alciatus autem παρέργ.lib.11.cap.4. nonnullos lib.manuſcr.ſecutus, legit, *Kalophantam.* & interpretatur Χρηστολόγον, id eſt, qui vtilia quidẽ, & honeſta loquitur, & cuius honeſta oratio eſt, ſed facta ab oratione diſcrepant. multo minus mihi hæc probantur. quid igitur nobis videatur, nũc exponamus. primum halophantã, vt iam diximus, legendũ eſſe arbitramur: Deinde huius verſus ſententiam hanc eſſe dicimus: Ornatus erat Curculio veſtitu nauclerico, hoc eſt, palliolo ferrugineo (qui color thalaſſicus, id eſt, marinus eſt) tanquam ex Caria Epidaurum naui aduectus, & modò è naui egreſſus. Hunc igitur videns Choragus, cuius erat actoribus veſtitum, & cetera neceſſaria ornamenta præbere, & non ignorans eum à Phædromo ſubornatum eſſe, ac ſubmiſſum, vt Trapezita, & lenone deluſis, ac deceptis, virginem abduceret: ait ſe neſcire, vtrum eum dicat halophantam, an potius ſycophantam. Cur ſycophantam eſſe dicere debeat, id eſt, apud Latinos impoſtorem, apud Græcos calumniatorem, cauſa eſt, quòd perſpicuè ſit à Phædromo ſubornatus, non à milite miſſus, & quòd litteras falſas, pro veris Trapezitæ dederit. (Sycophantæ autẽ nomen apud Græcos, à tali origine, & cauſa natum eſt, vt docet Feſtus. Atticos quoſdã iuuenes ſolitos eſſe aiunt, in hortos irrumpere, ficóſq. legere. B quam ob cauſam lege eſt conſtitutum, vt, qui id feciſſet, capite truncaretur. Hanc pœnam qui perſequebantur ob paruula detrimenta, &, vt crimen probarent, ficus lectas, & ablatas oſtendebant, Sycophantæ ſunt appellati. Eadem ferè apud Athenæum & Suidam de ſycophantarum appellatione ſcripta ſunt. Hinc ſycophantæ dicti ſunt etiam impoſtores, & qui fucum faciunt, & qui ſimulantes, quæ non ſunt, alterum decipiunt, & circumſcribunt) hic igitur Curculio, quia Lyconem falſis tabellis decipit, non immerito ſycophanta, id eſt, impoſtor, & penè dicam calumniator, dici debet. Rurſus quia eundem Lyconem falſo, & ementito veſtitu, qui marini coloris erat, quaſi è naui iam egreſſus, inducit, atque in fraudem impellit, videtur non iniuria halophanta nominandus. Halophanta autem vox eſt, à Plauto, opinor, conficta, à nomine græco, ἡ ἅλς ἁλὸς quod mare ſignificat, & verbo græco φαίνω quod valet oſtendo. immò halophanta quidem idcirco videtur appellandus, quia veſtitum coloris marini gerit, & colorem marinum ornatu, ac veſtitu præ ſe fert, atque oſtendit: Sycophanta verò, quia Lyconi fucum facit, verba dat, atque imponit. In hac autem nominum affinitate, & quaſi annominatione iocus ineſt Plauto dignus. Cùm hæc iam olim in his commentariis quaſi adumbraſſem, cognoui aliquantò pòſt, idem ferè Gul. Cantero Vltraiectino, viro docto, in mentem veniſſe, niſi quòd ille ioci Plautini rationem, quæ in horum vocabulorum ſimilitudine ineſt, non C ſatis explicat. Verumtamen laus ei quoque ſua debetur, eáque non parua. ſed reſtat ſcrupulus de numeris, & lege verſus. Nam vt ſuis numeris conſtet, vel ſic legendus: *Halophantam hunc, an ſycophantam eſſe magis d. n.* vel ſic, *hunc halophantam, an ſycophantam eſſe magis d. n.* METVO, VT POSSIM RECIPERE.] metuo ne non poſſim recuperare, quia ſycophanta eſt, vereor, ne ornamenta, quæ ei prebui, intercipiat, atq. interuertat. Choragus autem, vt ſuprà diximus ormenta hyſtrionibus ſuppeditabat, ac præbebat. CREDIDI] etiam qui locat credit, non ſolùm qui mutuum dat, aut commodat, aut deponit, &c. *Credendi enim generalis appellatio eſt*, vt ſcripſit Celſus lib.1.quæſtionum: quod refert Vlpianus lib. 26. ad edictum, & exſtat hodie ſub titulo de Rebus creditis, ſi certum petatur condictione. *Ideo*, inquit ille, *ſub hoc titulo prætor, & de commodato, & de pignore edixit. Nam cuicunque rei aſſentimur, alienam fidem ſecuti, mox recepturi, quid ex eo contractu, credere dicimur.* QVO IN] in quo. ἀναστροφή. NIMIO OPERE] nimiopere, nimis. SVMAT OPERAM,] laboret. IN COMITIVM] locum, in quem populus Romanus conuenire, ſeu coire ſolebat, vel magiſtratuum creandorum, vel legum iubendarum, aut vetandarum gratia. ſignificat autem ſæpè contra fidem, & iuſiurandum ferri ſuffragia. D APVD CLOACINÆ SACRVM] apud ædem Cloacinæ deæ, apud Cloacinæ fanum. Cloacinæ, ſeu Cluacinæ ſimulacrum in cloaca repertum Tatius conſecrauit. quia autem cuius eſſet effigies, ignorabat, ei nomen ex loco, in quo reperta fuerat, impoſuit. vt ſcribit Lactantius Firmia. lib.1. de Falſa relig.cap.20. & Minucius in Octauio, *Cloacinam*, inquit, *& inuẽnit Tatius & coluit.* DITEIS DAMN. MARITOS] maritos locupleteis, ſumptuoſos, & profuſos, qui potant, ſcortantur, amant, quamuis habeant vxores domi non deformeis, neque inuenuſtas. SVB BASILICA QVÆR.] hinc dicti ſubbaſilicani: qua voce vtitur in Capt. ibi. *Quorum odos ſubbaſilicanos omnes abigit in forum.* SCORTA EXOLETA.] exoletus, inquit Feſtus, qui oleſcere, id eſt, creſcere deſiit. Idem in verbo adoleſcit, exoletus, qui exceſſit oleſcendi, id eſt, creſcendi modum. QVÍQ. STIPVLARI SOLENT] ſtipulario conſtat ex interrogatione & reſponſione. vt ſpondes? ſpondeo. centum dabis? centum dabo. ſtipulari tamen dicuntur, qui interrogant, & quibus reſpondetur. Paſſeratius exiſtimat eſſe hic legẽdum, *quiq. adſtipulari ſolent.* adſtipulari autẽ, eſt alteri ſtipulanti præſto eſſe, ſeu cum ſtipulante ſtipulari, ſeu pro altero ſtipulari. hinc adſtipulatores, quaſi ſtipulantium aſſenſores, & ſocij. SYMBOLARVM COLLATORES APP. F.] qui conferunt ſymbolas, id eſt, collectas. ſymbolæ, ſunt portiones, quas pro ſua quiſque parte profert in cenam communem. Terent. Andr. *eho, quid*

*Pamphi-*



A *Pamphilus? quid? ſymbolum dedit.* Plautus in Sticho. *eadem ſymbolum dabo, & iu bebo ad Sagarinum cenam coqui.* vox Græca eſt συμβολή. quare, quin ſymbolam apud Terent. legi debeat, non, vt habent libri vulgati, nemo iam dubitat, niſi in litteris hoſpes. IN FORO INFIMO] in infima fori parte. Sic apud Horat. *Ianus ſummus.* epiſt.1. lib.1. & *ima cera*, prima cera, media cera, apud ſcriptores Latinos. BONI HOMINES ATQVE DITES AMB.] diuites, qui boni viri habẽtur; & eos ita ſæpè appellat M. Tull. in epiſt. ad Atticũ. Animaduerte hìc dici à Plauto, quod rariuſculum eſt, *boni homines.* IN MEDIO] in medio foro. PROPTER CANALEM] prope canalem. Feſtus, canalicolæ forenſes, homines pauperes dicti, quòd circa canaleis fori conſiſterent. SVPRA LACVM] non lacum Curtium, qui fuerat olim in foro, ſed hoc tempore aqua abſumpta, aut aliò deriuata, in eodem loco factæ erant cloacæ, vt teſtatur Varro lib.4. de Lingua Latina, & Ouidius lib.6. Faſt. *Curtius ille locus, ſiccas qui ſuſtinet aras, Nunc ſolida eſt tellus, ſed lacus antè fuit.* quem igitur? fortaſſe Lucrinum, ſed potius Seruilium. DICVNT CONTVM.] aliud eſſe contumeliam facere, aliud dicere, declarat illud in Aſinar. *Tu contumeliam alteri facias: tibi non dicatur?* Bacchid. *Quòtque innocenti ei dixit contumelias?* SVB VETERIBVS IBI SVNT, &c.] ſub veteribus, ſubintellige, tabernis, ſunt & fœneratores, & qui fœnori accipiunt. ſic dictum ſub veteribus, vt ſub nouis. M. Tullius lib.2. de Orat. *demonſtraui di-* B *gito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico, ſub nouis diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus.* Varro lib.5. de lingua Latina, *& ſub nouis, dicta pars in foro, ædificiorum: quod vocabulum eius peruetuſtum, vt nouæ viæ: quæ via iam diu vetus.* Sueton. in Auguſto, de Aug. *bifariam laudatus eſt: pro æde diui Iulij à Tiberio pro Roſtris, ſub veteribus à Druſo Tiberij filio.* Erat autem is locus circa Ianum medium. Iam hoc ſic poſitum, *ſub veteribus, ibi ſunt*, videtur eſſe pleonaſmus. Nam *ibi* ſuperuacaneũ eſt, niſi dicamus eſſe additum, maioris declarationis gratia: hoc modo: ſub veteribus verò ibi ſunt, &c. ſic infrà loquitur non longè. *Ponè ædem Caſtoris: ibi ſunt*, &c. PONÈ ÆDEM CASTORIS.] Etiam ędes Caſtoris & Polucis erat in foro Romano: quos ſignificat Catullus carmine illo, quod ſcripſit ad contubernaleis. *Salax taberna, vóſque contubernales, A pileatis nona fratribus pila*, &c. IBI SVNT, SVBITÒ QVIBVS CR. M.] ibi ſunt homines decoctores & inficiatores lenti: quibus ſi quid mutuò des, fruſtrà repetas. IN TVSCO VICO, IBI SVNT HOMINES, QVI, &c.] In tuſco vico ſunt lenones, & ſcorta maſcula, & puellæ meretrices. Horat. Sat.3. lib.2. *Tuſci turba impia vici.* Plaut. Ciſtel. *non enim hìc es, vbi ex Tuſco modo Tute tibi indignè dotem quæras corpore.* QVI IPSI SESE VENDITANT] qui quæſtum corpore faciunt. IN VELABRO] de velabro ſuprà dictum eſt, in Capt. ibi, *Omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro olearij.* C IN VELABRO, VEL PIST. VEL LAN. VEL HAR. VEL QVI IPSI VORT. VEL QVI ALIIS SVBVERTENDOS PRÆB.] ordo eſt, in velabro ſunt, qui vel ipſi vortant vel piſtorem, vel lanium, vel haruſpicem, vel qui aliis ſubuertendos præbeant, id eſt, in velabro ſunt, qui vel ipſi fraudent piſtorem, vel lanium, vel haruſpicem, vel eos aliis fraudandos tradant. Adrianus Turnebus lib.XI. Aduerſar.cap.7. ſic explicat. qui vel ipſi fallant, vel qui aliis fallendos præbeant, & putat eſſe ductum à piſcibus, qui dum aſſantur, vertũtur, & profert illud ex Aſinaria. *verſes quo pacto lubet.* Ego à Turnebo diſſentiens, primum ſic explico, vt oſtendi, longè ſcilicet aliter, quàm ille, ſi fraudare aliud eſt, quàm fallere: deinde non exiſtimo eſſe ductum à piſcibus, qui dum aſſantur, verſantur, ſeu vertuntur: ſed vertere, poſitum eſſe puto, pro euertere: & ſubuertere, pro, pro impellere aliquem ita grauiter, vt cadat: percellere, & proſternere: hoc eſt, per tranſlationem, bonis euertere, & ſpoliare. ſic Virgil. lib.1. Æneid. *Tyrias olim quæ verteret arceis.* Sic Horat. epiſt. li.1. epiſt.10. *vt calceus olim ſi pede maior erit, ſubuertet: ſi minor, vret.* Quod autem ad Turnebi explicationem attinet, quamuis diſſolutione, aut refutatione non eget, hoc tamen dicam, libros omnes habere *vortant*: quomodo & ille legit, non *vorſent*, vt legẽdum eſſet, ſi eſſet tralatio à piſcibus: quod oſtendimus ad illũ locũ. *verſes quo pacto lubet.* Nam vbi hac tranſla- D tione vtitur, eo verbo vti ſolet. ſic Ciſtellaria. *Mihi iſtum hominem vellem dari. vt ego illum verſarem.* In reliqua parte verſus, libros vulgatos ſecuti ſumus: qui partim *ſubuerſandos*, partim *ſubuertendos* habent. Nam manuſcripti perſpicuè hìc corrupti ſunt, in quibus ſcriptum eſt, *ſubuerſentur*, planè mendoſè. Itaque nec Turnebus eos ſecutus eſt, ſed ille legit *ſubuerſandos*, vt dixi: ego *ſubuertendos*, quod magis reſpõdet ſuperiori verbo, *vertant.* DITEIS DAMNOSOS MARITOS, &c.] hunc verſum, vt alienum, miniméque Plautinum delendum arbitror. quanquam Turneb. & in omnibus libris reperitur, & Camerarius eum retinuit, & Turnebus, vt Plautinum explicare conatur. Cur ita credam, primùm facit verſus ille ſuprà poſitus, ab iiſdem tribus vocibus initium capiens. *dites damnoſos maritos ſub baſ. quær.* ex eo enim hunc natum eſſe puto: & illo recepto, hic eiiciendus eſt: deinde huius ipſius verſus, vno pede, aut vna ſyllaba claudicantis vitium. Nam quod Turnebus legit *operiam*, pro opiam, & ita ſe in libris manuſcriptis ſcriptũ repeiſſe teſtatur, ego contrà, in omnibus noſtris ſeptem, *oppiam* reperi, in vno duntaxat *opiam* cum ſimplici. p. in nullo *operiam*: quæ vox quid valeat, eruditi viderint. *operariam* fortaſſe voluit ſcriptum eſſe. LINGVÆ MODERANDVM'ST M.] lingua mihi cõtinenda eſt, linguæ me tẽperare oportet.

## CVRCVLIO, CAPPADOX, LYCO. A

CV. I, Tu præ virgo: non queo quod pone me eſt, ſeruare.
Et aurum, & veſtem omnem ſuã aiebat, quicquid hæc haberet.
CA. Nemo it inficias. LYC. attamen meliuſculum eſt monere.
Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali
Cauſſa manu aſſereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. CAP. meminero. de iſtoc quietus eſto.
Et nunc idem dico. LYC. & commeminiſſe hæc ego volam te.
CA. Memini, & mãcipio tibi dabo. CVRC. egon' vt ab lenone quicquam
Mancipio accipiam? quibus ſui nihil eſt, niſi vna lingua B
Qui abiurant, ſi quid creditum eſt. alienos mancupatis,
Alienos manu mittitis, alienſque imperatis.
Nec vobis auctor vllus eſt, nec voſmet eſtis vlli.
Item genus eſt lenonum inter homines, meo quidem animo,
Vti muſcæque culicéſque, pedéſque, pulicéſque.
Odio & malo & moleſtiæ: bono, vſui eſtis nulli.
Nec nobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet.
Qui conſtitit, culpant eum, conſpuitur, vituperatur:
Eum rem, fidémque perdere, tametſi nihil fecit, aiunt.
LY. Edepol lenones meo animo nouiſti luſce lepide.
CV. Eodem hercle vos pono & paro. pariſſimi eſtis iibus. C
Hi ſaltem in occultis locis proſtant, vos in foro ipſo.
Vos fœnore, hi malè ſuadendo, & luſtris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus ſciuit,
Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.
Quaſi aquam feruentem. frigidam eſſe, ita vos putatis leges.
LY. Tacuiſſe mauellem. CAP. hau, malè meditate, malè dicax es.
CV. Indignis ſi malè dicitur, maledictum id eſſe dico:
Verum ſi dignis dicitur, benedictum'ſt meo quidem animo.
Ego mancipem te nihil moror, nec lenonem alium quenquam.
Lyco nunquid vis? LYC. bene vale. CVRC. vale. CAP. D
heus tu, tibi ego dico.
CV. Eloquere, quid vis? CAP. quæſo vt hanc cures, bene vt ſit iſti.
Bene ego iſtam eduxi meæ domi & pudicè. CVR. ſi huius miſeret,
Ecquid das, qui bene ſit? CAP. malum. CVRC. tibi opus eſt hoc, qui te procures.
CA. Quid ſtulta ploras? ne time, bene hercle vendidi ego te.
Fac ſis bonæ frugi ſies. ſequere iſtum bella belle.
LY. Summane nunquid nunc iam me vis? CVRC. Vale atque ſalue:
Nam & operam & pecuniam benignè præbuiſti.
LY. Salutem multam dicito patrono. CVRC. nuntiabo.

Nunquid



A LY. Nunquid vis leno? CAP. iſtas minas decem, qui me procurem,
Dum melius ſit mihi, des. CVRC. dabuntur. cras peti iubeto.
CA. Quando bene geſſi rem, volo hîc in fano ſupplicare.
Nam illam minis olim decem puellam, paruolam emi.
Sed eum, qui mihi vendidit illam, nunquam poſt illa vidi:
Periiſſe credo. quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini dei ſunt propitij, lucrum ei profectò obiiciunt.
Nunc rei diuinæ operam dabo: certum eſt bene me curare.

NON QVEO, QVOD PONE ME EST] non poſſum, quod mihi à tergo eſt, ſeruare, id eſt, cuſtodire: cuſtodię enim oculis opus eſt. at natura oculos in tergo nobis nullos affinxit. ET AVRVM ET VEST. OMNEM, &c.] aiebat miles conueniſſe inter vos, vt ſecum B afferret aurum, & veſtem, & quidquid haberet. NEMO IT INFITIAS] nemo infitiatur: ego non inficior. SI QVISQVAM HANC LIB. CAVSA M. ASS.] ſi quis hanc in iudicio, ſeu actione libertatis, in libertatem aſſereret, ſeu vindicaret. Donatus ad illa verba Terent. Adelph. *Nam ego illam liberali aſſero cauſa manu:* notat, ordo eſt. nam ego illam liberali cauſa manu aſſero. Et ſunt iuris verba à quibus etiam aſſertores dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam & cauſa ipſa liberalis dicitur, quæ actionem in ſe continet libertatis. Varro lib. 5. de ling. Latina. *hinc adſere manu in libertatem, cùm prehendimus.* QVIETVS ESTO] otioſus eſto, ſecurus eſto, ne laborato. ET MANCIPIO TIBI DABO] mancipio dare, eſt promittere, & recipere, ſe eius rei, quam vendit, & tradit, eſſe dominum, ſeu, vt nunc loquimur, habere dominium, vt ſi fortè ea res euincatur, venditor præſtandæ euictionis iudicium, & periculum non recuſet. vel ſic breuius, mancipio dare, eſt periculum euictionis in ſe recipere. & ita Boſius. QVIBVS SVI NIHIL EST, NISI VNA LINGVA.] itaque ſuprà in Aſin. lenonis linguam, eius patronam appellat. ſubiicitque hanc rationem. *Nam ſi quid ſceleſtè fecit, lingua pro illo peierat.* & in Perſa. non multò ſecus. Sic enim Dordalus leno. *Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ. Eodem mihi pretio ſal præbetur, quo tibi: Niſi me hæc defendet, nunquam delinget ſalem.* QVI ABIVRANT, &c.] qui lenones iurati negant, ſe accepiſſe, quod ſibi creditum eſt, id eſt, quod ſuæ fidei C commiſſum eſt. Virgil. Æn. 8. *Abſtractæq; boues, abiuratæq; rapinæ.* Vbi Seruius notat *abiurare*, eſt rem creditam periurio negare. Deinde hunc locum profert: mox ſubiicit, ſed hoc iſti loco nõ congruit. Vnde nunc abiuratas rapinas, contra ius retentas intelligamus. hactenus Seruius. Ego, ne ſit neceſſe pluribus modis quid ſit abiurare, definire, ſeu deſcribere, ſic deſcribo: abiurare, eſt rẽ alienam periurio negare. Porrò quod ad principium verſus attinet, licet ita quoque explicare, Qui, id eſt, qua lingua abiurant, &c. ALIENOS MANCVPATIS] alienos manu capitis, ſeu accipitis, à venditore, ſcilicet. ALIENOS MANVMITT.] alienos liberatis. ALIENIS IMPER.] exornatio eſt hîc Rhetorica, qua ab eodem verbo initium capiunt plura orationis membra. NEC VOBIS AVCTOR VLL.] auctor is eſt, qui rem ſuo periculo vendit. Vnde auctoritas pro euictione apud Venuleium iuriſconſultum lib. 17. ſtipulationum lib. digeſt. 21. titulo de euictione, cap. vltimo. Cuius hæc verba ſunt. *Si alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero, amitti auctoritatem, id eſt, actionem pro euictione, placet.* Admonuit me Simeo Boſius, etiam apud Paulum iuriſconſultum, auctoritatem ita vſurpari. Quin & Marc. Tullius ita vſurpat in oratione de Haruſp. reſp. his verbis. *Multæ ſunt domus in hac vrbe, patres conſcripti, atque* D *haud ſcio, an penè cunctæ, iure optimo, ſed tamen iure priuato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipi, iure nexi.* Quanquam dicere licet, apud M. Tullium, in illa oratione, auctoritatem accipi debere potiùs pro iure vſucapionis, quod emtori quæſitũ eſt, ab auctore ſuo: id eſt, à venditore, qui mancipio dedit. Præterea vt magis intelligamus, venditorem dici auctorem: Vlpianus lib. 15. ad Sabinum digeſt. lib. eod. titulo eod. fideiuſſorem ſcribit vulgò auctorem ſecundum vocari. ſic illé. *Illud quæritur, an is, qui mancipium vendidit, debeat fideiuſſorem ob euictionem dare, quem vulgò auctorem ſecundum vocant.* ITEM GENVS EST LENON.] id eſt, lenonum genus, inter homines, ita eſt, vt muſcæ, &c. vel ſimile eſt muſcis, &c. PEDÉSQVE] id eſt, pediculíque. ODIO ET MALO, ET MOLEST.] id eſt, odioſi & incommodi, & moleſti eſtis omnibus, vt muſcæ, & culices, &c. nulli eſtis vtiles, nec commodi. CVLPANT EVM,] homines eum culpant, qui cum lenone conſiſtit, aut congreditur. CONSPVITVR,] conſpuitur, vt tæter, ſpurcus, turpis, & deteſtandus. LVSCE,] cocles, erat Curculio, & vnoculus, ſuprà, *vnocule ſalue.* EODEM HERCLE VOS PONO ET P.] in eundem numerũ hercle vos trapezitas, repono, & refero. PARISSIMI ESTIS HIBVS] maxime pares eſtis lenonibus, *hibus*, pro his, antiquum. Notant Grãmatici veteres, in his Priſcianus, lib. 13. quanuis, inquit ille, & hibus pro his antiqui protulerunt. Plaut. in Curcul. *Eodem hercle vos pono*, &c. & Cariſius lib. 1. Plaut. in Curcul. *hibus.* & Nonius *iibus pro iis*, inquit, *minus Latinum putat conſuetudo, cùm veterum auctoritate plurimùm*

*valeat.* Plautus Mil. *iibus dinumerem ſtipendium.* HI SALTEM, &c. ] lenones, & meritorij A pueri, & meretrices. PROSTANT ] venales ſtant. LVSTRIS ] ganeis lupanaribus. vel dic ſtupris, & factis ſpurcis, ac libidinoſis, vt intelligamus poſitũ eſſe id, quod continet, pro eo, quod continetur. ROGITATIONES PLVR. PROPTER VI POP. SCIVIT, &c. ] leges plurimas propter veſtra flagitioſa facta plebs ſciuit, vel populus iuſſit, quas vos perfringitis, & rimam aliquam, qua vos elabamini, reperitis. leges appellant Romani Rogationes, quia qui legem aliquam populo Romano ſuadebat, Quirites rogabat, vellent, iuberent, legem, quam proponeret, ferri: his enim verbis vtebatur. *velitis, iubeatis,* &c. Intereſſe tamen nonnihil inter legem, & rogationem docet Feſtus ex Ælio Gallo, his verbis: quæ verba, quia mendoſa ſunt, eadem opera emendabo. *Inter legem, & Rogationem, hoc intereſt. Rogatio, eſt genus legis, quæ non continuò lex eſt, ſed rogatio eſt: lex non poteſt non eſſe lex, ſi modò iuſtis comitiis rogata eſt.* Præterea cùm aliæ leges fuerint Tribunitiæ, hoc eſt, à Tribunis rogatæ: quæ plebiſcita propriè dicebatur: aliæ conſulares, hoc eſt, à conſulibus: videtur hîc Plautus ſignificare per Rogationes, quas populus ſciuit, plebiſcita, & leges tribunitias. Nam ſi leges Conſulareis intelligi voluiſſet, dixiſſet, opinor, populus iuſſit. RIMAM ] qua euadatis, & elabamini. QVASI AQVAM FERVENTEM FRIG. ESSE, ITA V. P. L. ] putatis leges eſſe inſtar aquæ, modò feruentis, nunc frigidæ. Quemadmodum enim aquam feruentem, quandiu feruet, nemo guſtare, aut tangere audet: vbi B refrixit, nemo tangere dubitat: ita leges initio, & cùm primùm latæ ſunt, valent, & ratæ ſunt, & metuuntur: ſpatio longiore interpoſito, obſoleſcunt, contemnũtur, & negliguntur. TACVISSE MAVELLEM, ] tacuiſſe mallem. AV, MALÈ MEDITATE, MALÈ DICAX ES ] ſic edendum curaui, hac potiſſimùm ſcriptura probata. Nam libri manuſcripti partim ſic habent, vt edidi: partim ſic, *hau, malè meditare, malediceres.* partim ſic *haud vel in malè meditantem maledicax es.* quæ duæ poſteriores ſcripturæ corruptiſſimæ ſunt. ſic igitur hanc, quam ſecutus ſum, explico. *au,* interiectio eſt increpantis, & obiurgantis: *malè meditate:* id eſt, homo, qui in maledicendo exercitatus es: vel homo, qui maledicta meditatus es, *maledicax es,* id eſt, dicax es odioſe, & contumelioſè: ſunt enim nonnulli dicaces: ſed ſine contumelia. tua autem dicacitas, moleſta & odioſa eſt iis, in quos dicis. De interiectione, *au,* ne quis dubitare poſſit, ſic Cariſius lib. 2. in extr. *Au.* Afranius in Emancipato. *Au, mi homo: immò ædepol, vos ſupremum meum concelebretis diem.* Licet etiam hoc modo legere *au, in malè meditantem maledicax es.* id eſt, au, in hominem imparatum, & non exercitatum in maledicendo, maledicus, vel maledicax es. vel ſic, au, in malè meditatum maledicax es. INDIGNIS SI MALEDICITVR, &c. ] ſi maledicitur iis, qui ſunt indigni maledicto, id eſt, qui ſunt boni viri: maledictum id eſſe d. DICO ] legendum fortaſſe C eſt, *duco.* VERÙM SI DIGNIS ] at ſi improbis maledicitur, quia ſunt maledicto digni, non eſt id maledictum, ſed benedictum, meo quidem iudicio, ſeu mea quidem ſententia, huc pertinet illud Ciceronis in Antoniũ Philip. 2. qui ita edixerat. *nulla contumelia eſt, quam facit dignus,* &c. quod cùm multis modis exagitat Cicero, tum etiam hoc. *primùm, quid eſt dignius? Nam etiam malo digni multi, ſicut ipſe,* &c. EGO MANCIPEM, TE NIHIL MOROR, &c. ] ego te mancipem mihi eſſe nolo. mancipem, id eſt, prædem, ſeu fideiuſſorem, nolo te mihi promittere, te periculum præſtat urum. tractum à mancipibus, qui conducebant, aut emebant aliquid à populo, & manu ſublata digitóve ſublato, ſignificabant ſe emtores eſſe: qui iidem prædes dicebantur, quia æquè præſtabant populo periculum, atque qui prædes pro iis facti erant. BENE VT SIT ISTI ] vt iſta virgo liberaliter tractetur, vel dic potius, vt hæc virgo, iſti, id eſt, iſtic bene tractetur. Non enim dixiſſet Plautus, cura hanc virginem, vt iſti virgini bene ſit: ſed potius, vt huic virgini, &c. EDVXI ] educaui, quanquam aliud eſt educere, aliud educare. Terent. Adelph. *Eduxi à paruulo, habui, amaui pro meo.* Idem Andr. *Bene, & pudicè eius doctum, atque eductum ſinam Coactum egeſtate ingenium immutarier?* Plautus Menæch. *Nam illic homo homines non alit, verùm educat.* ex iis intelligimus educare ad corpus duntaxat pertinere, & ſaturitatem quandam D includere: educere verò, ad ingeniũ magis, quàm ad corpus referri. SI HVIVS MISERET, ECQVID D. Q. B. S? ] ſi huius Virginis te miſeret, & ſi ei bene conſultum vis, & ſimulas, ac prædicas, num tu ei aliquid das, vndè benè, & prolixè tractetur, & beatè viuat? proin dè ac ſi dicat: tu verbo eius miſereris, re nihil das, vndè bene, & beatè viuat. MALVM. ] quæris, num quid tibi dem, quo Planeſio bene ſit, malum tibi dabo, ſi accipere voles. TIBI OPVS EST HOC, QVI TE PR. ] tibi opus eſt malo, ſeu malum, quo te bene cures. BENE HERCLE VEND. ] id eſt, carè te vendidi. Itaque in te vendenda, rem meam bene geſſi. FAC SIS, &c. ] fac ſi vis, &c. VALE ATQ. SALVE ] ſic eis precamur, quos nunquam poſtea viſuri ſumus, aut certè ita exiſtimamus. BENIGNÈ ] liberaliter, & prolixè. NVNQVID VIS LENO? ] ſermo abeuntis. ISTAS MINAS DECEM, &c. ] triginta minas dederat trapezita Lyco lenoni pro virgine. reſtabant decẽ pro auro, & veſte: ſuprà, *quia de illo emi virginem Triginta minis: veſtem, aurum: & pro iis decẽ coaccedunt minæ.* QVI ME PROC, ] vnde me bene curem. DVM MELIVS SIT MIHI ] dũ meliùs habeã, dũ conualeſcam. POST-ILLA ] poſtea. QVOI HOMINI DEI SVNT PROP. &c. ] ſententia lenone digna. Cui homini, inquit, dij ſunt æqui, & amici, miniméque irati, ei homini lucrum vltro dant in manum. CERTVM EST BENE ME CVR. ] deliberatum mihi eſt: ſtat ſententia, liberaliter, & molliter me tractare.

Non



A

## MILES THERAPONTIGONVS, LYCO trapezita.

MI. NOn ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed eapſe illa, qua exſcidionem facere condidici oppidis.
Nunc niſi tu mihi properè properas dare iam triginta minas,
Quas ego apud te depoſiui, vitam propera ponere.
LY. Non ædepol nunc ego te mediocri macto infortunio,
Sed eopſe illo, quo mactare ſoleo, quoi nihil debeo.
Nec te mi facias ferocem, aut ſupplicare cenſeas.
Nec tu me quidem vnquam ſubiges, redditum vt reddam tibi,
B Nec daturus ſum. MIL. idem ego iſtuc quũ credebam, credidi,
Te nihil eſſe redditurum. TRA. quur nunc à me igitur petis?
MI. Scire volo quoi reddidiſti. TRA. Luſco liberto tuo,
Is Summanum ſe vocari dixit, eij reddidi,
Qui has tabellas obſignatas attulit. MIL. quas tu tabulas:
Quos tu mihi Luſcos libertos, quos Summanos ſomnias?
Nec mihi quidem libertu'ſt vllus. TRA. facis ſapientius,
Quàm pars lenonum, libertos qui habent, & eos deſerunt.
MI. Quid feciſti? LY. Quod mandaſti, feci, tui honoris gratia,
Tuum qui ſignum ad me attuliſſet, nuntium ne ſpernerem.
MI. Stultior ſtulto fuiſti, qui iis tabellis crederes.
C LY. Quis reſpublica & priuata geritur, nónne iis crederem?
Ego abeo. tibi res ſoluta'ſt rectè. bellator vale.
MI. Quid valeam? TRAP. at tu ægrota, ſi lubet, per me, ætatem quidem.
MI. Quid ego nunc faciam? quid réfert me feciſſe regibus,
Vt mihi obedirent, ſi hic me hodie vmbraticus deriſerit?

NON EGO NVNC MED. INCEDO IRATVS IRAC. ] *iratus iracundia,* videtur eſſe atticiſmus. ſic loquebantur tamen & Romani illi veteres. Sic Cato, dierum dict. de cõſulatu ſuo, apud Cariſ. *Laudant me maximis laudibus.* Et Plautus ipſe ſuprà in Captiuis. *pol iſthic me haud centeſimam partem laudat, quam ipſe meritu'ſt, vt laudetur laudibus.* SED EAPSE ILLA, D &c. ] ſed ea ipſa illa iracundia incenſus, qua oppida exſcindere condidici, id eſt, conſueui. EXSCIDIONEM F. ] exſcidium inferre, exſcidium, dij, & exſcidio, nis à Latinis dicitur, vt contagium contagij, & contagio, nis, conſortium, tij, & conſortio, nis. exſcidium autem, & exſcidionem, oriri à verbo exſcindo, non à verbo cado, vt putat vulgus, neque à cædo, vt putat Feſtus, (niſi fortè mendoſè apud eum legitur à *cædendo,* pro à *ſcindendo.* Nam perſpicuè falſum eſt, cùm exſcidium, & exſcidio, habeant ſecundam ſyllabam breuem, & ſcribi debeant cum ſ, &c. ante vocalem, i) pluribus verbis oſtendimus in commentariis noſtris Horatianis. PROPERÈ PROPERAS, ] *properè properas,* ſic dictum vt illa, *memoriter meminiſſe, ſapienter ſapit, madidè madeam, valide valet,* quæ ſuis locis notabuntur. DEPOSIVI ] depoſui, antiquè dictum. Sic Catullus in Carmine ſæculari ad Dianam. *Quam mater propè Deliam Depoſiuit oliuam.* VITAM PROPERA PON. ] vitam propera deponere, ſeu amittere: hoc eſt, duobus verbis, propera mori. Sic & M. Tullius, dixit ponere vitam, pro deponere, epiſtol. ad M. Varr. lib. 9. epiſt. 24. in extr. *Hoc denique animo ſum, vt ſi in hac cura, atque adminiſtratione vita mihi ponenda ſit, præclarè actum mecum putem.* Sic Latini dicunt, *ponere gladium.* & ita Plautus in Caſin. *ponere pallium,* idem ſuprà hac eadem comœdia, *& ponere perſonam.* M. Tullius Offic. 3. & *ponere tunicam.* Idem lib. 5. Tuſculanarum. MACTO INFORT. ] augeo infortunio. Sic ſuprà in Amphitr. *quia enim te macto infortunio.* Idem Moſtell. *Niſi te mala re magna mactari cupis.* EOPSE ILLO ] eo ipſo illo. FE-

ROCEM,] ſuperbum, elatum, animoſum, magni animi. Sic apud Horatium *ferox Hector & ferox Latium*, & ſimil. apud T. Liuium. *Feroces iuuenes*, &c. quæ notauimus in commentariis Horatianis, ad refellendã vulgi opinionem, qui putat, *ferocem*, idem valere, quod crudelem. AVT SVPPLIC. CENSEAS] aut ne me tibi ſupplicare putes. SVBIGES,] coges. IDEM EGO ISTVC, QVVM CREDEBAM, CRED.] quum tibi credebam, cùm tuæ fidei committebã. credidi, id eſt, mihi perſuaſum habui, te nihil redditurũ. locus eſt ex ambiguo. QVOS TV MIHI LVSCOS LIBERTOS, &c.] vſus erat Lyco numero ſingulari, in his nominibus, *Luſco liberto tuo, Is ſummanum*, &c. miles autem reſponſionem ſubiiciens, eadem nomina ponit in numero multitudinis. Notat hoc Donatus, ad illud Terentij Adelph. *turbas, lampadas, tibicinas*, his verbis. *Bene totum pluraliter, vt qui reprehendit*. Sic Plautus multa, *Quos tu mihi paraſitos luſcos, quos ſummanos ſomnias?* Vbi animaduertat lector, Donatum non fideliter Plauti verba retuliſſe. quod ſæpè fit à grammaticis, vel memoriæ ſuæ fidentibus, vel ſentẽtiam, non verba ſpectãtibus. NEC MIHI QVIDEM, &c.] ordo eſt, nec vllus mihi quidem libertus eſt. alioqui ſcribendum eſſet, *Ne mihi quidem libertu'ſt*, &c. Iam hoc totum. *Nec mihi quidem*, ſiue, *Ne mihi quidem*, eſt choreus, & anapæſtus, *nec mi-* choreus: *-hi quidem*, anapæſtus. quod idcirco admonui, ne quis putaret eſſe dactylum, & iambum. QVÀM PARS LENONVM] puto legendum, quàm pars militum, non vt habent omnes libri, *quàm pars lenonum*. Nam hanc lectionem, ſententia ipſa redarguit, ac refellit. Nam, cùm miles ſit is, qui negauit ſibi libertum vllum eſſe, & cùm duæ perſonæ duntaxat in hac ſcena videlicet miles & trapezita, loquentes inducantur, abſurdum eſſet, Lyconem Trapezitam ſubiicere talem reſpõſionem, *facis ſapientiùs, quàm pars lenonum*. hæc enim reſponſio, ſi leno locutus eſſet, conueniret. nunc cùm miles locutus ſit, & negarit ſe libertum vllum habere, debet hoc reſpõdere trapezita, *facis ſapientiùs, quàm pars militũ*: proindè ac ſi ita diceret, negas tibi libertum vllum eſſe: ſapientiùs facis, quàm alij milites, qui libertos habent, & eos deſerunt. TVI HONORIS GRATIA] vt tibi honorem haberem. STVLTIOR STVLT. FVISTI] Sic in Amph. *niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo*. TVVM, QVI SIGNVM AD ME ATTVLISSET, N. NE SP.] ordo, & ſententia eſt, feci tui honoris gratia, quod mihi mandaſti, ne eum nuntium ſpernerem, qui mihi tuum ſignum attuliſſet. QVOIS RESP. ET PRIVATA GER. &c.] poſſémne facere, vt non crederem tabulis, ſeu tabellis obſignatis, quibus reſpublica, & priuata adminiſtratur? proindè ac ſi dicat, non potui aliter facere. TIBI RES SOLVTA'ST RECTÈ.] tibi quod debebam, rectè, id eſt, bona fide, & ſine dolo malo, & ita, vt leges iubent, ſolutum eſt, obligatus antea tibi eram: nunc ſolutus ſum, quando tibi ea pecunia, quam meæ fidei credideras, ſoluta eſt. AT TV ÆGROTA SI L. P. ME ÆTAT.] ſi non vis valere, ægrotare tibi per me, ſi lubet, licet, & quidem quandiu viues. ÆTATEM QVIDEM.] ægrota & quidem ætatem, id eſt, quàm diutiſſimè, annos triginta, quandiu viues, ſic ſæpè loquuntur boni ſcriptores. Plaut. in Amphitr. *eo modo, vt profectò viuas ætatem miſer*. ad quem locum plura de eodem & in comment. Lucret. ſcripſimus nonnihil lib. 6. ibi, *Quod ſolis vapor ætatem non poſſe videtur efficere*, &c. VMBRATICVS] homo in vmbra educatus & vmbraticola, vt loquitur in Truculento. homo imbellis, & ignauus: non, vt ego, ſub dio viuere conſuetus, & militaris nauus, ac fortis: vel dic, vmbraticus, id eſt, vmbra hominis, non homo: homo nihili. priorem explicationem mâlo.

A

B

C

## CAPPADOX leno, MILES.

QVoi homini dij ſunt propitij, ei non eſſe iratos puto.
Poſtquàm rem diuinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exſulatum abierit, argentum vt petam.
Vt ego potius comedim, quàm ille. MIL. iuſſeram ſaluere te.
CA. Therapontigone platagidore: ſalue, ſaluus, qum aduenis
In Epidaurum. hîc hodie apud me numquam delinges ſalem.
MI. Bene vocas, verùm vocata res eſt, vt ſit malè tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? CAP. nihil apud me quidem.
Ne facias teſtis, neque equidem debeo quidquam. MI. quid eſt.
CA. Quod fui iuratus feci. MIL. reddin', an non, virginem,
Priuſquam te huic meæ machæræ obiicio maſtigia?
CA. Vapulare ego te vehementer iubeo. ne me territes,

D

Illa



A Illa abducta eſt. tu auferere hinc à me, ſi perges mihi
Malè loqui, profectò, cui ego niſi malum, nihil debeo.
MI. Mihin' malum minitare? CAP. atque ædepol non minitabor, ſed dabo,
Mihi ſi pergis moleſtus eſſe. MI. leno minitatur mihi:
Meæque pugnæ prœliares, plurimæ obtritæ iacent
At ita me machæra & clypeus * *
Bene iuuent pugnantem in acie, niſi mihi virgo reddit:
Iam ego te faciam vt hîc formicæ fruſtillatim differant.
CA. At ita me volſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum meum
Bene me amaſſint, meáque excutia, linteúmque exterſum,
B Vti ego tua magnifica verba, neque tuas iſtas magnas minas
Non pluris facio, quàm ancillam meam, quæ latrinam lauat.
Ego illam reddidi, qui argentũ à te attulit. MI. quis is eſt homo?
CA. Tuum libertum ſeſe aiebat eſſe Summanum. MI. meum?
Atat, Curculio hercle verba mihi dedit, quum cogito.
Is mihi annulum ſurripuit. CAP. perdidiſtin' tu annulum?
Miles pulcrè centuriatus eſt expuncto in manipulo.
MI. Vbi nunc Curculionem inueniam? CAP. in tritico facillimè
Vel quingentos curculiones pro vno ſaxo reperias.
Ego abeo. vale atque ſalue. MI. malè vale, malè ſit tibi.
Quid ego faciam, maneam an abeam, ſicine eſſe mihi os oblitum?
C Cupio dare mercedem, qui illunc vbi ſit commonſtret mihi.

QVOI HOMINI DII S. P.] argumentum eſt à contrariis. Cui homini dij propitij ſunt, ei homini dij non ſunt irati. At deos ei homini cui lucrum obiiciunt, eſſe propitios, inter lenones & lenonum ſimileis conſtat: & mihi lucrum dij obiecerunt, qui virginem olim decem minis mihi venditam, triginta vendidi: ergo dij mihi non ſunt irati. ergo Æſculapius mihi non eſt iratus. EXSVLATVM ABIERIT] aufugerit, profugerit. ARGENTVM VT PET.] coniunge cum illis ſuperioribus, *venit in mentem mihi*, hoc modo. venit in mẽtem mihi, vt petam argentũ, id eſt, venit mihi in mentem argentũ, vt peterem, videlicet x. minas, pro auro, & veſte. VT EGO POTIÙS COMEDIM] vt ego potiùs comedam q. ille. ſic loquebantur veteres: id quod notauimus in commentariis Horatianis ad odam. 3. epod. ibi, *Edit cicutis allium nocentiùs*. SALVVS QVOM ADVEN. IN EPID.] ἔλλειψις. abeſt enim, ſeu deeſt verbũ *gaudeo*. his enim verbis ſolebant peregrè aduenientibus gratulari. ſaluum te aduenìſſe gaudeo: vel his, cùm ſaluus aduenis, gaudeo. HÎC HODIE APVD ME N. D. S.] hæc eò dicuntur ab illiberali, & ſordido lenone, quòd ſolebant peregrè aduenientibus amicis cenã dare. in Sticho. *Propino tibi*
D *ſalutem plenis faucibus. Cenabis apud me, quoniam ſaluus aduenis*. hãc ſpem, ſi forte hoc ſperaret miles, ei præcídens, & præcludens Cappadox leno, non cenabis, inquit, hodie apud me, quanquam plus etiam dicit, quàm quod diximus. non enim eum apud ſe cenaturum, ſed ſalem delincturum eſſe negat, quod longè minus eſt, quàm cibũ capere, aut cenare. Nam fieri poteſt, vt quis non cenet quidem, ſalem tamen lingat, ſeu delingat. Salem autem eſſe pauperum obſonium, & omnium rerum, quæ apponantur, primum, atque idcirco ex communione ſalis ſæpe intelligi cibi communionem apud ſcriptores, nemini litterato ignotum eſſe puto. & verò hac de re ſatis multa à nobis dicta ſunt in commentar. Horatian. oda 16. lib. 1. Ibi. *Viuitur paruo benè, cui paternum ſplendet in menſa tenui ſalinum*, &c. Iam delingere ſalem iterum dixit in Perſa. *Referundæ ego habeo linguã natam gratiæ. Eodem mihi pretio ſal præbetur, quo tibi, Niſi me hæc defendet, nunquam delinget ſalem.* BENE VOCAS.] ironia eſt. benignè & liberaliter me ad cenam vocas, inquit miles. VERÙM VOCATA RES EST, VT S. M.] verùm vocatus es non ad cenam, ſed ad malũ & miſeriam, vt perpetuò miſer, & calamitoſus ſis. alludit ad morem vocandi ad cenam. Sic ferè in Sticho: *Cenabis apud me, quoniam ſaluus aduenis*. EP. *Vocata eſt opera*. SED QVID AGIT MEVM MERCIMONIVM APVD TE.] ſed quid agit apud te puella, à te mercatus ſum? NE FACIAS TESTEIS] dico tibi liquidò & clarè, nihil tuum eſſe apud me, ne ſi dicerem, puellam illam eſſe apud me, teſtibus, qui hoc de me audiſſent, me oppugnares.

QVOD FVI IVRATVS, FECI.] quod me facturum iuraui,feci.iuraui autem me ei,qui A litteras abs te,& tuo annulo obſignatas ad me afferret,& triginta minas mihi daret,virginẽ traditurum. HVIC MEÆ MACHÆRÆ.] huic meo gladio. VIRGINEM,]Feſtus legit hîc *mulierem*,hunc locum proferens in *Vapula Papiria*. MASTIGIA?]verbero? flagrio? digne, qui flagris,ſeu flagellis aſſiduè cedare? vel homo,cuius tergum,& latus flagellis cõtuſa,& contrita ſunt? VAPVLARE EGO TE VEHEMENTER] id eſt, plorare te iubeo, vt loquuntur Græci,οἰμώζειν,κλαίειν,iubeo te miſerum eſſe. Horat.Sat.10.lib.1. *Demetri, téque Tigelli, Diſcipulorum interiubeo plorare cathedras.* Idem Sat. 1. lib. 2. *Flebit & inſignis tota cantabitur vrbe.* ad quæ loca leget qui volet,quæ notauimus in commẽtariis noſtris Horatianis. Ne illud quidem eiuſdem his admodum diſſimile eſt Sat.1.lib.1. *Quid facias illi?iubeas miſerum eſſe,libenter Quatinus id facit.* Profert autem hunc locum Feſtus in *Vapula Papiria*.his verbis,*Vapula Papiria in prouerbio antiquis fuit.* de quo Sinnius Capito ſic refert, *tum dici ſolitum eſſe,cùm vellent minantibus ſignificare ſe eos neglegere, & non curare,fretos iure libertatis* &c. Sequitur mox. *Ælius hoc loco vapula poſitum eſſe ait, pro dole.* Varro *pro peri*,.&c. Poſtremò profert hunc locum. TV AVFERERE HINC A ME, &c.] ita te malè mulcabo,& verberibus contundam,vt tuis pedibus abire non poſſis, ſed te ſublimem auferri neceſſe ſit. ſic ſuprà in Amphitr. *Auferere non abibis,ſi ego fuſtem ſumſero.* CVI EGO, NISI MALVM, NIHIL DEBEO] cui ego nihil debeo, niſi malum, quod malum B ego tibi larga manu perſoluam,ſi odioſus eſſe perges. MIHI SI PERGIS MOL. ESSE TV.] Camerarius ita edidit, *Mihi ſi pergis moleſt. eſſe tu.*noſtri libri nõ habent,*tu*,& rectè.eſt enim ſuperuacaneum,& præterea corrumpit verſum, qui,hoc pronomine ſublato, ſuis numeris conſtat.in verbo *pergis*, autẽ ſ.eliditur,vt hoc ἐν παρόδῳ dicam. MEÆQVE PVGNÆ PRÆLIARES PLVR. OBTR. IAC.] ſic habent omnes noſtri codices manuſcripti hunc verſum ſcriptum:& rectè, quos ſequimur. Nam & verſus trochaicus eſt optimus, & ſententia eſt optima.& meæ,inquit pugnæ magnificæ plurimæ iacent obtritæ,id eſt, contemtæ ſunt,& inanes,& nullius pretij. *Pugnæ præliares*,tamen mihi ſuſpectum eſt: quamuis Camerarius *pugnas præliares* dictas eſſe putet,militariter & glorioſè. At cur præliares dicantur potiùs, quàm præclaræ, aut magnificæ, aut ſimili aliquo nomine?Videant igitur eruditi. Ego putaui aliquando legi debere potius,hoc modo,non lõgè ab antiqua ſcriptura. *Meæq; pugnæ & prælia, & res plurimæ obtritæ iacent.* ATITA ME MACH. ET CLYP.] hic verſus non eſt integer,debet enim eſſe trochaicus,vt ceteri.perfici autẽ,atque integrari poſſet,ſi ita legatur. *At ita me machæra & clypeus, & lorica, & caſſida Bene iuuent pugnantem*,&c. *Caſſida,dæ*,enim dixerunt veteres in prima declinatione, pro *caſſis, caſſidis*, tertiæ:vt *chlamyda,dæ*,pro *chlamys chlamydis*,& ſimilia non pauca. FRVSTILLATIM DIFFER.] per fruſtà paruula diuerſum ferant, vel in paruula fruſta comminutum C & conciſum diuerſum ferant,& diſtrahãt. AT ITA ME VOLSELLÆ, &c.]quemadmodum modò miles arma ſua enumerauit, & per ea deierauit,ita hîc leno ſua & meretricia, id eſt, muliebria enumerat,& per eadem deierat. Sunt autem volſellæ,id eſt,forſices, quibus pilos ſuperuacaneos auellunt ſibi mulieres.quæ omnia mundi appellatione continentur: mundus autem muliebris eſt,vt ait Vlpianus,quo mulier mundior fit:continentur eo,inquit,ſpecula,matulæ,vnguenta,vaſa vnguẽtaria,& ſi qua ſimilia dici poſſunt, veluti alabaſtrus.Titus Liuius lib. 44.annalium. *Non magiſtratus, nec ſacerdotia,nec triumphi,nec inſignia,nec dona aut ſpolia bellica his (mulieribus)contingere poſſunt. Munditiæ & ornatus, & cultus, hæc fœminarum inſignia ſunt:his gaudent & gloriantur: hunc mundum muliebrem appellarunt maiores noſtri.* CALAMISTRVM M.] acus longa, ſeu calamus,quo calefacto mulieres crineis ſuos criſpant,& intorquent,vt fiant cincinni,& ſint ipſæ cincinnatæ.profert hunc locum Cariſius in voce *calamiſtrum*,lib.1.his verbis. *Calamiſtros Cicero in Oratore maſculinè dixit, & Varro de ſcenicis originibus hunc calamiſtrum.*ſed idem in Trifallo, *calamiſtra.* & Plautus in Curculione, *pecten, ſpeculũ,calamiſtrum meum.* AMASSINT] amauerint. MEÁQVE EXCVTIA,] ſic lego,reiecta vulgata ſcriptura,*axitia*,quæ vox non eſt Latina, ni- D hílque ſignificat.noſtris libris autẽ ducibus,& auctoribus ſic reſtitui,in quibus eſt partim *exitia*, partim *excitia*. vnde facio *excutia*.ſunt autem *excutia*, paruæ ſcopæ, quibus excutitur puluis è veſtibus, vt ſint mundæ:licet autem accipere,vt ſit numeri multitudinis,*excutia,excutiorum*,in neutro:vel numeri ſingularis in fœminino, *excutia,æ*, quod videtur probabilius. LINTEÚMQVE EXTERSVM]linteum terſum, quod iniiciunt humeris mulieres,cùm comam pectunt,ne veſtem inquinent.inuolucre appellat in Captiuis,ibi, *Ne is quidem inuolucre iniicere voluit, veſtem vt ne inquinet.* vel dic,per linteum terſum ſignificari linteum,quo terguntur manus, quod probabilius videtur. QVÀM ANCILLAM M. Q. LATR. L.]quàm ancillam contemtiſſimam, quæ latrinæ lauandæ,tergendæ,& purgandæ præfecta eſt:quæ ſtercori, quod eſt in latrina,tollendo præeſt. EGO ILLAM REDDIDI, QVI, &c.] ego illam virginem reddidi ei, qui, &c. MILES PVLCHRÈ CENTVR. &c.]centuriati dicuntur milites qui ſunt in aliquam centuriam adſcripti,ſeu conſcripti.expuncti,qui è militia eiecti:manipulus militaris,decem milites continebat.cẽturia decem manipulos:hoc eſt,centũ milites.His igitur antè expoſitis, hoc dicit Leno Cappadox, militem irridens.miles pulcrè centuriatus eſt,in expuncto manipulo:proinde quaſi dicat,peſſimè cũ milite actũ eſt,ſiquidẽ è militia eiectus eſt,nã cùm centuria ex manipulis cõſtet:manipulus autẽ,quo in manipulo miles Therapontigonus numeratur,quiq; manipulus, decima



A decima pars cẽturiæ eſt,in quam miles adſcriptus erat, expũctus ſit:dici aliter non poteſt, quin miles peſſimè centuriatus,immò planè è cẽturia,atque adeò è militia eiectus ſit. Significat res, ac rationes militis peſſimo eſſe loco, valdéque eſſe conturbatas,quod annulum ſuum amiſerit. IN TRITICO FACILL.] alludit ad Curculionis vocem,quæ vermem ſignificat,triticum rodentem.Virgil. Georg.1. *populátque ingentem farris aceruum Curculio, atque inopi metuens formica ſenectæ.* FAXO REPERIAS] aliàs faxo reperies. ſed nihil refert, nam vtroque modo loquitur Plautus, *faxo reperias* autem,ſeu *faxo reperies*, id eſt, præſtabo te reperturum. tibi confirmo, & in me recipio,te reperturum. VALE ATQVE SALVE,] ſic eos ſalutabant,quos ſe nunquam iterum viſuros ſperabant. SÍCINE ESSE MIHI OS OBLITVM?] ferendúmne eſt,honeſtúmne mihi eſt,&c.me hoc pacto à Curculione eſſe deriſum ac deluſum? nonnulli libri habent *os ſublitum*? quod idem valet.

# B ACTVS QVINTVS.

## CVRCVLIO Paraſitus.

ANtiquom poëtam audiui ſcripſiſſe in tragœdia,
Mulieres duas peiores eſſe, quàm vnam. res ita eſt.
Verùm mulierem peiorem,quàm hęc amica eſt Phædromi,
Non vidi, neque audiui, neque pol dici, nec fingi poteſt
C Peior, quàm hæc eſt, quæ vbi me hunc habere conſpicata eſt annulum,
Rogat vnde habeam.quid id tu quæris?quia mihi quæſito'ſt opus.
Nego me dicere.vt eum eriperet,manum arripuit mordicus.
Vix foràs me abripui,atque effugi. appage iſtanc caniculam.

ANTIQVOM POËTAM] quis ſit hic antiquus poëta,qui hoc ſcripſerit, obſcurum.mihi quidem incognitum eſt. MVLIERES DVAS, PEIORES ESSE, Q. VN.] Quicunque hoc ſcripſit, ſignificauit, mulierem omnem eſſe per ſe, & ſuaptè vi, ac natura malam. Cuius ratio ex philoſophia ſumenda eſt. Duo mala ſimul iuncta, ſunt peiora vno,verbi gratia, morbus per ſe malum eſt, duo morbi ſunt peiores vno.exſilium,malum eſt,paupertas malum eſt, exſilium & paupertas ſimul iuncta, D grauiora mala ſunt,quàm alterutrum. Contrà ſe res habet in bonis,vas aureum centum pondo bonum eſt,duo vaſa aurea,quę ſingula ſint centenûm pondo vno ſunt meliora.amicus,bonum eſt,duo amici meliores ſunt vno.Cùm igitur dicimus mulieres duas eſſe peiores vna,hoc ſignificamus mulierem eſſe malum,per ſe, & mulieres omnes malas eſſe. nam ſi mulier bonum eſſet, duæ mulieres eſſent vna meliores, quemadmodũ duæ veſtes ſunt meliores vna. de mulieribus innumerabilia in hanc ſententiam exempla colligere licet. ſed hæc pauca ſatis ſint. Menander. Οὐδὲν γυναικὸς χεῖρον, οὐδὲ τῆς καλῆς: id eſt,nihil eſt muliere peius,ne formoſa quidem.Idem φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι, καὶ πικρόν: id eſt,mulier ægrè regi poteſt,& amara eſt natura. Idem βίου στάνη πέφυκεν ἀνδράσιν γυνή. id eſt victus,& vitæ egeſtas eſt mulier viris natura. Idẽ χειμὼν κατ' οἴκους ἐστὶν ἀνδράσιν γυνή. id eſt,tempeſtas,& hiems domi eſt viris mulier. & epigramma Palladæ ex lib.1. Πᾶσαν ὅμηρος ἔδειξε κακήν, σφαλερήν τε γυναῖκα, Σώφρονα, καὶ πόρνην, ἀμφοτέρας ὄλεθρον, &c. id eſt, omnis monſtrata eſt dubia, & mala fœmina Homero, Et caſta, & meretrix vtraque pernicies. RES ITA EST.] videlicet, omnes mulieres malas eſſe. QVÆ VBI ME HVNC HAB. CONSP.] ab hoc loco initium capit ἀναγνωρισμός.id eſt, agnitio. QVID ID TV QVÆRIS?] inquam. QVIA MIHI QVÆSITO'ST OPVS] quia opus eſt me quærere, inquit Planeſium. CANICVLAM] Planeſium, quæ mordet inſtar caniculæ.

PLANESIVM virgo, PHÆDROMVS adoleſcens, CVRCVLIO, MILES. A

PHædrome propera. PH. quid properem? PL. paraſitum ne amiſeris.
Magna res eſt. PH. nulla eſt mihi. nam quam habui, abſumſi celeriter.
PL. Tene. PH. quid negotij eſt? PL. rogita vnde iſtunc habeat annulum:
Pater iſtum meus geſtauit. CVRC. at mea matertera.
PL. Mater ei vtendum dederat. CVRC. pater tuus rurſum tibi.
PL. Nugas garris. CVRC. ſoleo. nam propter eas viuo facilius. B
Quid nunc? PL. obſecro, parenteiſne meos mihi prohibeas.
CV. Quid? ego ſub gemman' abſtruſos habeo tuã matrem & patrem?
PL. Libera ego ſum nata. CVRC. & alij multi, qui nunc ſeruiunt.
PL. Enimuero iraſcor. CVRC. dixi equidem tibi, vnde ad me hic peruenerit.
Quoties dicendum eſt? eluſi militem, inquam, in alea.
MI. Saluos ſum, eccom, quem quærebam. quid ais bone vir? CVR. audio,
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. MIL. quin tu is in malam crucem
Cum boletis, cum bulbis. redde etiam argentum, aut virginem. C
PH. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me repoſcis? MI. quam ab lenone abduxſti hodie, ſcelus viri.
PH. Nullam abduxi. MIL. certè ecciſtam video. PH. virgo hæc libera eſt.
MI. Mean' ancilla libera vt ſit, quam ego nunquam emiſi manu?
PH. Quis tibi hanc dedit mancipio, aut vnde emiſti? fac ſciam.
MI. Ego quidem pro iſtac rem ſolui ab trapezita meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te & lenone auferam.
PH. Qui ſcias mercari furtiuas atque ingenuas virgines,
Ambula in ius. MI. non eo. PH. licet anteſtari? MI. non licet. D
PH. Iuppiter te, te malè perdat, inteſtatus viuito.
MI. At ego quem licet, te. PH. accede huc. CVRC. ſeruum anteſtari? vide.
MI. Hem, vt ſcias me liberum eſſe, ergo ambula in ius. hem tibi.
CV. O ciues, ciues. MI. quid clamas? PH. quid iſtum tibi tactio eſt?
MI. Quia mihi libitum eſt. PH. accede huc, tu: ego illum tibi dedam: tace.
CV. Phædrome, obſecro, ſerua me. PH. tanquã met Genium meum.
Miles, quæſo vt mihi dicas, vnde illunc habeas annulum,
Quem paraſitus hic te eluſit. PL. per tua genua te obſecro,
Vt nos facias certiores. MI. quid iſtuc ad vos attinet?

Quæratis



A Quæratis chlamydem, & machæram hãc, vnde ad me peruenerit.
CV. Vt faſtidit glorioſus. MI. mitte iſtum, ego dicam omnia.
CV. Nihil eſt quicquid ille dicit. PL. fac me certiorem obſecro.
MI. Ego dicam, ſurge: hanc rem agite, atque animum aduortite.
Pater meus habuit Periphanes Planeſium,
Is priuſquam moritur, mihi dedit tanquam ſuo,
Vt æquum fuerat, filio. PL. prô Iuppiter.
MI. Et iſte me heredem fecit. PL. pietas mea,
Serua me, quando ego te ſeruaui ſedulò.
Frater mi ſalue. MI. quî credam iſtuc ego? cedò,
Si vera memoras, quæ fuit mater tua?
B PL. Cleobula. MI. nutrix quæ fuit? PL. Archeſtrata.
Ea me ſpectatum tulerat per Dionyſia.
Poſtquam illò ventum eſt, iam vt me collocauerat,
Exoritur ventus turbo. ſpectacula ibi ruunt.
Ego pertimeſco: tum ibi me neſcio quis arripit
Timidam atque pauidam, nec viuam nec mortuam.
Nec, quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere.
MI. Meminiſti hanc turbam fieri? ſed tu dic mihi vbi
Is eſt homo, qui te ſurripuit? PL. neſcio.
Verùm hunc ſeruaui ſemper mecum vnà annulum.
Cum hoc olim perij. MI. cedò vt inſpiciam. PH. ſanan' es,
C Quæ iſti committas? PL. ſine modò. MI. proh Iuppiter,
Hic eſt, quem ego tibi miſi natali die.
Tam facilè noui, quàm me. ſalue mea ſoror.
PL. Frater mi ſalue. PH. deos volo bene vortere
Iſtam rem vobis. CVRC. & ego nobis omnibus,
Tu vt hodie adueniens cenam des ſororiam,
Hic nuptialem cras dabit. PH. promittimus.
MI. Tace tu. CVRC. non taceo, quando res vortit bene.
Tu iſtanc deſponde huic miles, ego dotem dabo.
PH. Quid dotis? CVRC. egóne? vt ſemper dum viuat, me alat.
D MI. Verùm hercle dico, me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
PH. Quamobrem iſtuc? MI. quia ille repromiſit mihi,
Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,
Sine controuerſia omne argentum redderet.
PH. Nunc eamus ad lenonem. MI. laudo. PH. hîc prius volo
Meam rem agere. MI. quid id eſt? PH. vt mihi hanc deſpondeas.
CV. Quid ceſſas miles, hanc huic vxorem dare?
MI. Si hæc volt. PL. mi frater cupio. MI. fiat. CVR. bene facis.
PH. Spondéſne miles mihi hanc vxorem? MI. ſpondeo.
CV. Et ego hoc idem vnum ſpondeo. MI. lepidè facis.
Sed eccum lenonem, incedit, theſaurum meum.

A NE AMISERIS.] ne abire ſineris. NVLLA'ST MIHI] iocus ex ambiguo: dixerat Planeſium, magna res eſt, id eſt, negotium magni momenti eſt. At Phædromus rei nomen aliter accepit, nempe pro fortunis, & facultatibus rei familiaris: hoc modo, ut mihi nulla res familiaris eſt, inquit, Nam quam rem habui, eam celeriter abſumſi. TENE] tene Curculionem, ne aufugiat cum annulo. GESTAVIT] in digito. MATERTERA] meæ matris ſoror. VTENDVM DEDERAT.] commodarat. NVGAS GARRIS] nugaris. nugas blatis. SVB GEMMAN' ABSTRVSOS &c.] ſub gemmáne abſconditos, &c. ſic in Ruden. *ô mei parentes hîc vos concluſos gero.* ELVSI MILITEM INQ.] fefelli militem in alea. TRIBVS BOLIS,] tribus talorum iactibus. VEL IN CHLAMYDEM] ſubintell. ludam. QVIN TV IS IN MALAM CRVCEM.] cur non is tu in malum cruciatũ, &c. ſermo malè precantis. CVM BOLETIS, CVM BVLBIS] iocus ſtomachantis militis ex annominatione, ſeu paronomaſia. Nam bolus, boletus affinia inter ſe nomina ſunt. *bulbis* autem ſubiunxit, voci boletis, propterea quòd res ſunt affines boleti & bulbi. Nam boleti, in genere fungorum ſunt. de bulbis Dioſcorides legendus lib. 2. cap. 200. TRICAS N.] tricæ, inquit Nonius, dictæ quaſi tericæ, quòd gallorum gallinaceorum pedibus implicatæ, eos inuoluant, atque impediant. profert hunc verſum Nonius. ABDVXTI] abduxiſti. SCELVS VIRI] vir ſcelerate. ECCISTAM] ecce iſtam. QVAM EGO NVNQ. EMIS. M.] poteſtne fieri, vt

B mea ancilla libera ſit, quam ego nunquam liberaui? Nam dominus ſeruum, & ancillam ſuam vindicta liberare poteſt. inuito, aut inconſulto, aut inſciente domino, ſeruus eius liber eſſe non poteſt. QVIS TIBI HANC DEDIT MANCIP. EVIC. &c.] quis tibi hanc vendidit, & dominium in te tranſtulit? vel quis ſe euictionis periculum præſtiturum recepit? REM SOLVI] pecuniam ſolui, pecunia à trapezita ſumta. QVADRVPLICEM] actione furti manifeſti, qua perſequimur quadrupli pœnam. FVRTIVAS] furtim abductas. LICET ANTESTARI?] licétne mihi aliquem eorum qui hîc adſunt, teſtem facere aut ſumere? licétne aliquem ex iis, qui hîc adſunt, monere, auricula prehenſa, vt mihi teſtificetur, me militem in ius vocaſſe? qui aliquem in ius vocaturus erat, ſi ille ire nollet, is, qui vocabat, manu iniecta illum in ius vel rapere poterat, ſi modo anteſtatus eſſet, id eſt, ſi cui eorum qui aderat, auriculam præhendiſſet: quo ſignificabat, ſe enim monere, vt eius rei, id eſt, ſuæ in ius vocationis memor eſſet. Quòd ſi ei manum inieciſſet, neque anteſtatus eſſet, tenebatur iniuriarum. Horat. Sat. 9. lib. 1. *caſu venit obuius illi Aduerſarius, & quò turpiſſime? magna Exclamat voce, & licet anteſtari? ego verò oppono Auriculam. rapit in ius*, &c. vtitur eodem verbo Plautus etiam in Pœn. & M. Tullius in Milonia-na, his verbis, *Næ iſte haud dubitans ceſſiſſet patria, is, qui ita natus eſt, & ita conſueuit, te Magne, tamen anteſtaretur, quod nunc etiam facit*, &c. Plinius lib. 11. cap. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes,* C

*anteſtamur.* ſed de anteſtatione, & anteſtandi more dicemus infrà in Perſa. NON LICET] reſpondet miles ipſe non licere Phædromo quemquam anteſtari, quia nemo liber adſit, cui auriculam prehendat, quíque teſtis eſſe poſſit. ſeruus enim teſtis eſſe non poterat. Curculio autem, qui liber quidem erat, ſed quaſi familiaris, & domeſticus erat Phædromi: teſtis erat domeſticus, ergo non grauis, neque locuples. TE, TE] te, te dictum eſt κατ' ἐπιπλοκὴν, ad maiorẽ acrimoniam. INTESTATVS] ambiguum. Nam inteſtatus ſignificat & eum, qui ſine teſtamento moritur, & cui teſtem ſuis rebus gerendis adhibere non licet. Vt inteſtabilis. vide ſuprà quæ notata ſunt ad illum verſum principio huius fabulæ, *ſemper curato, ne ſis inteſtabilis.* AT EGO, QVEM LICET TE.] at ego te, Phædrome, quem anteſtari licet, anteſtor, & moneo, vt memineris mihi teſtis eſſe aduerſus Curculionem, quem in ius voco. Quidam ſic. At ego te, Curculio in ius voco, quem mihi licet in ius rapere, Phædromi auricula prehenſa, hoc eſt, Phædromo teſte facto, ſiue ſumto. Ego priorem explicationem mâlo. ACCEDE HVC] accede huc miles, inquit Phædromus, vt mihi auriculam prehendas, ſi audes: proinde ac ſi dicat, ſi accedes, feres infortunium, malè accipieris, vapulabis. SERVVM ANTESTARI?] oratio præciſa, D

qualis eſſe ſolet indignantium. Itáne eſt? verúmne eſt? æquúmne eſt, ſeruum hominem qualis es tu miles, cuiquam homini libero auriculam prehendere audere? VIDE] vide, quò progrediaris: vide, quid agas, conſidera priuſquàm audeas, quid acturus ſis. caue. HEM] particula, ſeu interiectio ſtomachantis & iraſcẽtis: iniquo enim fert animo Terapontigonus miles, quod ſeruus à Curculione dicatur. HEM TIBI] ſermo pulſantis, ſeu verberantis. Sic in Aſinaria. *Hem ergo hoc tibi.* O CIVES, CIVES] Curculio liber, & ciuis à milite pulſatus, cùm ab eodem in ius raperetur, ciuium fidem implorat. QVID ISTVM TIBI T.] quid iſtum tangis? quo iure, aut qua poteſtate fretus, iſtum tangere audes? tactio nomen verbale eſt, à verbo tãgo. verbalia autẽ nomina ſuprà diximus apud Plautũ, regere caſum ſui verbi. ACCEDE HVC TV. EGO ILLVM TIBI DED.] accede huc, tu miles. ego Curculionem tibi dedam, id eſt, in poteſtatem tradam, vt tuo arbitratu eum in ius rapere poſſis. Liceat modo vnum ex te ſcire, quod volo: nempe vnde illũ annulũ nactus ſis, quem tibi Curculio in ludo ſubripuit. TACE.] tace miles, audi quid te velim vel tace Curculio. ſine me nonnulla ex milite, quæ volo, quærere. TANQVAM ME GEN. M.] tanquam Genium meum met: meum met, id eſt, meum ipſius, ſubintell. te ſeruabo. QVEM PARASITVS HIC TE EL.] id eſt, quem hic paraſitus tibi dormienti, & eluſo clam ademit: vel ſic, quem tibi ludo talario victo ſurripuit. videbatur



A debatur ita dicere debuiſſe, *quo paraſitus hic te eluſit.* Sic enim loquitur in argumento, ibi, *ille eludit annulo riualem.* PER TVA GENVA TE OBSECR.] mos obſecrandi antiquiſſimus. orabant enim per res ei, quem orabant, cariſſimas, vt per caput, per Genium, per oculos, per genua, per fortunas, per liberos, &c. ſuprà in Capt. *Philocrates, per tuum te Genium obſecro, exi: te volo.* Iam cùm in genibus præcipua vis corporis inſit, ea cariſſima ſunt. Præterea ſupplices orantes, & ſupplicantes, eorum, quibus ſupplicabant, genua tangebant, vt hic Planeſium militis genua tangit: cuius rei innumerabilia ſunt apud Homer. Sophoclem, Euripidem, Virgil. &c. exempla. QVÆRATIS CHLAMYDEM, ET M.] proinde ac ſi dicat, eadẽ opera quærere debeatis, aut poſſitis, inquit miles, vnde chlamys, & machæra hæc, ad me peruenerint. Iam hoc loquendi genus quæratis chlamydem & machæram hanc, vnde ad me peruen. pro quæratis, vndè chlamys, & machæra hæc ad me peruenerit, Græcorum proprium eſt: quod tamen & comici Latini aſciuerunt. Antiptoſin quidam eſſe dicunt. VT FAST. GLORIOSVS?] quàm faſtidioſus eſt homo glorioſus? quàm contumax eſt? MITTE ISTVM.] omitte Curculionem. Phædromus enim Curculionem, quem miles in ius rapere conabatur, retinebat. NIHIL EST, QVIDQVID, &c.] noli credere militi Phædrome: neque me omitte: ſed firmiter retine. Nam quod promittit ſe dicturum omnia, quæ de annulo ſcire vultis, nugatur,

B & verba dat. FAC ME CERT. OBS.] Planeſij verba militi per genua ſupplicantis, atque adeò in eius genua, vt ex iis, quæ deinceps dicuntur à milite, appâret, incumbentis. EGO DICAM: SVRGE.] militis ad Planeſium ſupplicem, & ad eius genua prouolutam, atque abiectam oratio. HANC REM AGITE] hoc attendite. veſtros animos attentos, in his quæ dicturus ſum, audiendis præbete, ne veſtræ aures peregrinentur, cauete. PATER MEVS HABVIT PERIPH.] hîc eſt ἀναγνωρισμός. MIHI DEDIT,] ſubintell. annulum. libri ferè omnes vulgati habent, *hunc mihi dedit.* in manuſcriptis, nullum eſt prouocabuli, *hunc*, veſtigium. Quod ſi quis ei locus eſſet, deberet poſt *mihi* collocari, hoc modo, *mihi hunc dedit.* Nam vt eſt in vulgatis, corrumpit verſum. SERVA ME.] da mihi ſalutem, quæ nunc periiſſe videor, ancilla facta, fac vt ſalua ſim, vt libera reperiar, vt reperiã propinquos, & cognatos meos, vt ſciam, qui mei parentes fuerint. QVANDO] quoniam. SERVAVI] colui. CEDÒ] dic. SI VERA MEMORAS.] ſi vera dicis. DIONYSIA.] feſtos dies Dionyſi, ſeu Liberi. SPECTATVM] ludos ſubintell. TVLERAT] ex hoc intelligimus Planeſiũ fuiſſe tum paruulam, quòd à nutrice ferretur, non ſuis pedibus iret. ILLÒ] ad ſpectacula. IAM VT ME COLLOCAVERAT,] cùm iam me ad ſpectandum collocaſſet: vbi me iam collo-

C cauerat ſpectandi gratia. VENTVS TVRB.] ventus turbulentus, &, vt lib. vj. appellat Lucretius, *verſabundus.* poſuit priore loco genus: poſteriore ſpeciem. Eſt enim turbo, ventus, ſeu flatus è nube ſine igne erumpens, & in aliam nubem incidens, & cum ſtridore acuto eam circumagens, & circumuerſans, atque in terram circumuerſando detrudens. SPECTACVLO IBI R.] tum aulæa, & vela, & cætera inſtrumenta ſcenica, ad ſpectandum apparata ruunt. ARRIPIT] fortè legendum *abripit.* Veruntamen *arripit* non damno. NEC VIVAM NEC MORT.] ſemimortuam, ſemiuiuam, ſemianimã, ſeu ſemianimem. VERVM HVNC SERVAVI, &c.] alium annulum ab eo, quem paraſitus militi ſubripuit. PERII.] in poteſtatẽ alienam perueni, & ſerua facta ſum. CEDÒ] da. SANAN' ES, QVÆ I. C.] proindè ac ſi dicat Phædromus non ſapis, vel inſana es, quæ annulum tuum militis fidei cõmittas. DEOS VOLO BENE VERT. IST. R. V.] opto, vt dij iſtam rem fortunent, & ad lætum exitum perducant. *Vertere.* hoc loco, eſt ἐνεργητικόν. ſic in Trinummo. *Quin fabulare, dij bene vertãt, ſpondeo?* Idem in Aulularia. *Dij benè vertant.* MEG. *Idem ego ſpero.* Terent. Adelph. MIT. *Puer natus eſt.* DE. *Dij benè vortant.* vbi notat Donatus in omnibus, quæ cupitè venerint, *dij benè vertant*, dici ſolet, quia ſæpè homines ea optauerunt, quæ aliter atque expectauerunt, contigiſſent. quam pote-

D ſtatem rerum vertentium ſeſe in vtranque partem, Vertumno deo ſupereſſe veteres exiſtimauerunt, al. eſt abſolutum, vt in Trin. *Nunc tuam ſororem filio poſco meo. Quæ res benè vortat.* Idem ſuprà in Capt. *quæ res benè vortat mihi, meóque filio, Vobíſque volt te nouos herus operam dare*, &c. ſuprà in prologo Aſinar. *Quæ quidem mihi atque vobis res vertat bene.* In Aulul. *Quæ res rectè vortat mihíque, tibíque, tuæque filiæ, Filiam tuam mihi vxorem poſco.* Idem infrà eadem Fabula, non longè. *non taceo, quando res vertit benè.* TV VT HODIE ADVEN.] ſubintellige, vide, aut fac, aut cura, aut aliquod verb. ſimile. CENAM DES SOROR.] cenam ob repertam ſororem. TV ISTHANC DESPONDE HVIC M.] rectè hîc rogatur miles, vt ſororem ſuam viro deſpondeat. Nam patre mortuo ſororis impuberis, & pupillæ tutor legitimus eſt. Quare patre mortuo, quod pater viuus faceret, ſororem ſuam Phædromo deſpondet: & eo auctore fiunt nuptię. alioqui, quod cum puella orba contraheretur, ſine auctore, ratum non eſſet. Quin etiam matronæ, & mulieri nuptæ, opus eſt viri ſui auctoritate ad aliquid contrahendum: & quod matrona viro ſuo non auctore contrahit, irritum eſt. MED ALAT.] me alat. REPROMISIT MIHI,] repromittere, eſt ſtipulanti promittere, hoc modo, ſpondes? ſpondeo. promittis? promitto. ſuprà, Aſin. *Repromittã iſtoc tibi nomine ſolutam rem futurã.* Qui autẽ interrogatione alterius nõ antegreſſa promittit, nõ dicitur repromittere, ſed promittere ſimpliciter. Sed quid de ſpõſore, ſeu fideiuſſore, qui pro alio ſpõdet? numquid poſteaquàm ſtipulanti promiſit, repromiſiſſe dicitur? minimè.

Nam qui ſuo demum nomine ſtipulanti promittit, repromittere dicitur, non qui alieno. LIBERALI] ſubintell. cauſa. cauſa liberalis, eſt, in qua de libertate controuerſia eſt. Exſtat titul. de liberali cauſa, lib. 40. *ff.* ASSERVISSET] vindicaſſet. hinc aſſertores, alienæ libertatis vindices. Terent. Adelph. *nam ego illam liberali aſſero cauſa manu.* Plautus Pœnulo. *manu eas aſſerat ſuas popularis liberali cauſa.* Idem ſuprà eadem comœd. *Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali cauſa manu aſſereret.* ad quem locum plura. MI FRATER CVPIO.] animaduertenda hæc Planeſij puellæ reſponſio eſt, nam cùm ita dixiſſet miles, eius frater, *ſi hæc volt*; reſpondit puella, *cupio.* quod plus eſt quàm volo. SPONDÉSNE MILES, &c.] ſic fiebant ſponſália, antegrediente, ſcilicet, interrogatione, & ſubſequente reſponſione. Sic & ſponſiones & ſtipulationes. tum demum enim valet promiſſio, ex eáque actio naſcitur ex ſtipulatu, alioqui nudum pactum eſt. *Stipulatio autem*, vt definit Pomponius lib. 45. Digeſt. titul. de verborũ oblig. *eſt verborũ cõceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturúmve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet.* Dicta autem ſtipulatio eſt à ſtipe potiùs quàm à ſtipite, aut ſtipulo: quamuis aliter ſentiat Theophilus, ſeu Iuſtinianus. THESAVRVM MEVM] referendum ad vocem *lenonem*: quæ eſt accuſandi caſus, non ad verbum *incedit*, alioqui dictum eſſet, *theſaurus meus*, non vt eſt *theſaurũ meum.* Ordo autem eſt hic, *Sed eccum lenonem, theſaurum meum incedit.* Iam hoc theſaurum meum, vel ſic interpretor ſimpliciter, apud quem depoſui triginta minas: vel vnde, tanquam ex theſauro quodam, depromam nummorum quantum volam.

## CAPPADOX leno, MILES, PHÆDROMVS, PLANESIVM.

CA. ARGENTARIIS malè credi qui aiunt, nugas prædicant.
Nam & bene & malè credi dico. id adeò hodie ego expertus ſum.
Non malè creditur, qui nunquam reddunt, ſed prorſus perit.
Vel decem minas dum hic ſoluit, omnis menſas tranſiit.
Poſtquam nihil fit clamore hominem poſco. ille in ius me vocat.
Peſſume metui, ne mihi hodie apud prætorem ſolueret.
Verùm amici compulerunt, reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum'ſt. MI. heus tu leno, te volo.
PH. Et ego te volo. CA. at ego vos volo ambos. MI. ſta ſis illico.
Atque argentum properè propera vomere. CA. quid mecum eſt tibi?
Aut tecum? aut. MI. quia ego ex te faciam pilum catapultarium.
Atque ita te neruo torquebo, itidem vti catapultæ ſolent,
Delicatum te hodie faciam cum catello vt accubes,
Ferreo ego dico. CA. at ego vos ambo in robuſto carcere
Vt pereatis. MI. collum obſtringe, abduce iſtum in malam crucem.
PH. Quicquid eſt, ipſe ibit potius. CA. prò Deum atque hominum fidem,
Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi?
Obſecro Planeſium, & te Phædrome, auxilium vt feras.
PLA. Frater obſecro te, noli hunc condemnatum perdere,
Bene & pudicè me domi habuit. MI. haud voluntate id ſua.
Æſculapio huic habeto, quòd pudica es, gratiam.
Nam ſi valuiſſet, iampridem, quoquo poſſet, mitteret.
PH. Animaduortite, ſi potis ſum hoc inter vos componere.
Mitte iſtunc. accede huc leno, dicam meam ſententiam.

Siqui-



Siquidem vultis, quod decrero, facere. CA. tibi permittimus,
Dum quidem hercle ita iudices, ne quiſquã à me argentũ auferat,
MIL. Quódne promiſiſti? CA. quî promiſi? PH. lingua. CA. eadem nunc nego.
Dicendi, non rem perdendi, hæc gratia nata eſt mihi,
MIL. Nihil agit, collum obſtringe homini. PH. iamiam faciam vt iuſſeris.
MIL. Quando vir bonus es, reſponde quod rogo. CA. roga quod lubet.
MIL. Promiſiſtin', ſi liberali quiſquam hanc aſſereret manu,
Te omne argentum redditurum? CA. non commemini dicere.
MIL. Quid? negas? CA. nego hercle verò. quo præſente? quo in loco?
MIL. Me ipſo præſente, & Lycone trapezita. CA. non taces?
MIL. Non taceo. CA. non ego te flocci facio, ne me territes.
MIL. Meipſo præſente, & Lycone factum eſt. PH. ſatis credo tibi.
Nunc adeò, vt tu ſcire poſſis leno meam ſententiam,
Libera hæc eſt. hic huius frater eſt, hæc autem illius ſoror.
Hæc mihi nubet, tu huic argentum redde. hoc iudicium meũ eſt.
MIL. Tu autem in neruo iam iacebis, niſi mihi argentum redditur.
CA. Hercle iſtam rem iudicaſti perfidioſè Phædrome.
Et tibi oberit, & te miles di, deæque perduint.
Tu me ſequere. MI. quò ſequar ego te? CA. ad trapezitam meum,
Ad prætorem. nam inde rem ſoluo omnibus, quibus debeo.
MIL. Ego te in neruom, haud ad prætorem hinc rapiam, ni argentum refers.
CA. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me neſcias.
MIL. Itane verò? CA. ita hercle verò. MIL. noui ego hos pugnos meos.
CA. Quid tum? MIL. quid tum rogitas? hiſce ego, ſi tu me irritaueris,
Placidum ted hodie reddam. CA. ergo age recipe actutum.
PH. licet.
Tu miles apud me cenabis, hodie fient nuptiæ.
MIL. Quæ res bene vortat mihi & vobis, ſpectatores, plaudite.

ARGENTARIIS] trapezitis, nummulariis. MALÈ CREDI] credere alteri, eſt eius fidei committere. NVGAS PRÆDICANT] nugas loquuntur. NAM ET BENE ET MALÈ, &c.] videtur legendum *nam nec bene nec malè credi dico.* & ſententia talem lectionem poſtulat, niſi fallor, nec verſus eam reſpuit. NON MALÈ CREDI. QVI NVMQ.] non malè creditur pecunia iis, qui numquam reddunt, ſed prorſus perit. hoc ſignificat leno. credere pecuniam argentariis, non eſt malè credere, vt nonnulli dicunt. Nam qui malè credit alicui pecuniam, ſpem tamen habet aliquam recuperandi: neque prorſus perdit, at qui argentariis credit, prorſus perdit. ergo nugantur, qui aiunt argentariis malè credi. VEL DECEM MINAS DVM SOLVIT, &c.] Dum Lyco decem minas dumtaxat mihi ſoluit, menſas omneis tranſiit. menſas aliorum argentariorum ſcilicet, ex quibus has decem minas corrogauit, quia domi non habebat, aut ſe habere diſſimulabat. Nonnulli libri habent, *menſis omnis tranſiit*, mendoſè. NE MIHI HODIE APVD PRÆT. SOL.] per ceſſionem bonorum. quamquam etiam extra ius, id eſt, non apud prætorem hodie bonis cedi poteſt, vt reſpondet Mar-

cianus.Sic ille lib.42. Digeſt.tit.3. *Bonis cedi, non tantum in iure, ſed etiam extra ius poteſt. ſufficit & per* A
*nuntium, vel per epiſtolam id declarari.* VERÙM AMICI COMPVL.] verùm amici com-
munes tandem eum compulerunt, vt mihi pecuniam debitam diſſolueret. REDDIT ARG.
D.] tandem argentarius Lyco reddit argentum domo depromtum, non ex alienis menſis peti-
tum. STASIS ILLICO] ſta ſi vis illico. PROPERÈ PROPERA] aduerbium iunctum
cum verbo eiuſdem originis. ſic ſuprà ead.comœd. *Nunc niſi tu mihi properè properas dare iam trigin-
ta minas,* &c. VOMERE] reddere, reſoluere, reſcribere. tralatio eſt à cibo, quem ventriculus
ferre, aut coquere non poteſt, ſed reuomere neceſſe habet. QVID MECVM EST TIBI?]
quid tibi mecum rei eſt, miles? AVT TECVM, AVT] additurus erat, *tecum mihi*? ſed miles
interpellauit.ſentẽtia enim verborũ lenonis talis eſt.quid tibi rei mecũ eſt,miles, aut mihi tecũ?
aut quid mihi tecum Phædrome, aut tibi mecum eſt? QVIA EGO EX TE FACIAM
PIL. CATAP.] pilum catapultarium,iaculum eſt,quod è catapulta mittitur.Catapulta enim,
& iaculum, quod è catapulta mittitur, ſignificat, & tormentum, quo iaculum mittitur,ac tor-
quetur.Significat igitur miles, ſe lenonem arreptum inſtar pili catapultarij proiecturum. De-
clarat autẽ,quid ſentiat,verſu proximo,κατ᾽ ἐπεξήγησιν. ATQ. ITA TE NERVO TORQ.
&c.] explanat, & declarat, quod obſcurius fortaſſe dixerat, atque ita te,inquit,fune torto tor-
quebo, id eſt,iaciã & iaculabor,vt catapultæ neruo torqueri ſolẽt. Profert hũc verſum Nonius. B
DELICATVM TE HODIÈ FACIAM] faciam te hodie mollem, & voluptuarium.de-
clarat quomodo id ſit facturus.Eſt autem iocus ex ambiguo ſimul, & præter exſpectationem,
vt iam docebimus. Licet etiam ſic explicare, & meliùs, faciam te hodie delicatum cum catello
accubare,ferreo,inquam:vel quod idem valet,faciam,vt hodie delicatus cum catello cubes. Eſt
enim hoc genus loquendi permiſtum & conflatum ex duobus, faciam te hodie delicatum cu-
bare: faciam, vt hodie delicatus cubes. qua de re alibi diximus. Nam cùm initium ſermonis fe-
ciſſet à priore genere,faciam te hodie delicatum cum catello cubare, tranſiit ad alterum in me-
dio curſu, & poſteriorem partem poſterioris generis,quod eſt,faciam, vt hodie delicatus cum
catello cubes, cum priore parte prioris generis confudit, & commiſcuit hoc modo, faciam te
delicatũ hodie, vt cum catello cubes.Hæc pluribus verbis hoc loco expoſuimus, vt quia Plau-
tus hoc loquẽdi genus crebrò vſurpat, in aliis ſimus breuiores,& lectorem admonere tantùm,
ſatis habeamus,cùm præſertim iam antè alibi id notauimus,niſi fallor,in Amphitr.ibi, *nunc pro-
pterea quòd me meus herus Fecit,vt vigilarem.*&c. venio nunc ad vocem *catello*, quæ eſt anceps & am-
bigua. Nam *catellum* in neutro paruulam catenã ſignificat. *catellus* in maſculino paruũ catulum.
Nonius, *Catellæ*, inquit, *diminutiuum eſt catenarum: & dicuntur gen. fœm. catellum neutrum à catenis ſi-* C
*militer deminutum*. Plautus Curculione. *Delicatum te hodie f.* &c. Feſtus, *catulus*, inquit, *genus
quoddam vinculi: qui interdũ canis appellatur.* Lucilius lib.29. *Cum manicis,catulo, collarique vt fugitiuum
Deportem.* CVM CATELLO VT ACCVBES] delicati homines, & τρυφεροὶ, ſolent
habere catellos, id eſt, paruos catulos, quos ſecum cubare faciant. hoc igitur dicit, faciam te
delicatum, ac beatum, vt cum catello cubes,delicatorum hominum more. vel faciam, vt deli-
catus, ac beatus cum catello cubes, &c. Quia autem, *catello*, ambiguum nomen eſt. ſignificat
enim catellus paruum catulum, quales ſunt catuli Melitæi, catellum verò in neutro vinculi ge-
nus eſt, quod & canis appellatur, vt docent Feſtus & Nonius, quamquam Feſtus etiam in
maſculino catulum eſſe ait vinculi genus,ſubiicit,*ferreo ego dico*,& ita fit iocus παρὰ προσδοκίαν
ſeu præter exſpectationem, qui modò poſitus erat in amphibolia. AT EGO VOS AMBO
IN ROBVS. CARC. VT P.] at ego, inquit, leno, faciam vos ambos in robuſto carcere
perire, vel quod idem valet, at ego faciam, vt ambo in robuſto carcere pereatis: *vos ambo*, ſic
accipio, vt ſit accuſandi caſus, & *ambo* poſitum ſit pro *ambos*, vt apud Horat.Sat.3. lib. 2. *præterea
ne vos titillet gloria,iureiurando obſtringuam ambo,vter ædilis fuerit,vel veſtrûm prætor,is inteſtabilis,& ſacer
eſto.* Eſt enim hîc quoque genus locutionis commiſtum. vt ſuprà, & ſubintelligendũ *faciam*,ſeu D
potiùs repetendum è ſuperioribus,hoc modo, faciam vos ambos in robuſto carcere vt perea-
tis,pro,faciam vos ambos in robuſto carcere perire.vel faciam,vt vos ambo in robuſto carcere
pereatis. dixit autem *in robuſto carcere* vel pro, in valido carcere,& qui non facilè effringi poſſit,
vt apud Horatium. *Robuſtæ fores.* oda 16. lib.3. vel pro, in robore. erat autem robur, ſeu robur,
vt docet Feſtus, locus in carcere, lignis ſeu tabulis robuſteis ſæptus, in quem malefici præcipi-
tes agebantur. Apuleius Apolog.2. *O mirum commentum! O ſubtilitas digna carcere, & robore?* Valer.
Max.lib.6. cap. de Seueritate. *Supremúſque humanæ conditionis honor filiis Gracchi, & Nepotibus Afri-
cani defuit. Quin etiam familiares eorum, ne quis reip. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.*
T. Lucretius Carus derer.nat.lib.4. *Verbera, carnifices, robur,pix, lamina, tædæ,* &c. ad quem locum
lectorem fortaſſe legere iuuabit, quæ notauimus in Comment. Lucret. Itaque legendum for-
taſſe eſt, in *robuſtæo carcere.* neque eſt quod quemquam moueat ſyllabarum numerus auctus.
Nam *eo* poteſt eſſe vnius ſyllabæ: quemadmodum & in aliis nominibus, ſic tuum & tuam,
&c. ſæpe vnius ſyllabæ fit, & *certior* duarum. COLLVM OBSTR.] ſuprà in Amphitr. *Cum
ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.* IPSE IBIT POTIÙS] ſubintell. quam eum abdu-
cam, ſeu abripiam. INTESTATVM] id eſt, ſine teſtibus! ME ARRIPI?] legendum
fortaſſis eſt *me abripi*? immò verò *me dabripi*? pro me abripi? propter verſum. NOLI HVNC
CONDEM.



A CONDEM. PERD.] quo modo poteſt eſſe condemnatus, & indemnatus? Nam ſuprà dixit
Cappadox ſe eſſe indemnatum. Reſpondeo,Planeſium non dicere Cappadocem eſſe condem-
natum, ſed rogare fratrem militem, ne Cappadocem ad prætorem rapiat, vt ibi condemnatus
à prætore grauiter multetur. ÆSCVLAPIO HVIC HABETO, &c.] qui eum non leua-
uit morbo. COMPONERE] ſedare. Virg.Pal. *Non noſtrum inter vos tantas componere lites.* QVOD
DECRERO] quod pronunciauero tanquam iudex, aut quod pronunciauero, tanquam præ-
tor. HABVIT] exhibuit, eduxit, ſeu educauit. TIBI PERMITTIMVS] ad te referimus,
te iudicem ſumimus, aut probamus. DVM QVIDEM, &c.] dum modo quidem, &c.
QVÓDNE PROMISISTI?] non auferatur abs te, argentum quod promiſiſti? QVÎ PRO-
MISI?] quo, id eſt, quo inſtrumento, ſeu quomodo promiſi? ſic autem habent quinque libri
manuſcripti, non vt libri vulgati, quod promiſi, &c. *iam quid promiſi*, quomodo edidit Came-
rarius, etiam eam lectionem reieci. LINGVA] reſpondet Phædromus, lingua ſubintell.
promiſiſti. EADEM NVNC NEGO] eadem lingua, qua promiſi, nunc nego. hunc locum
qui mendoſus erat in omnibus aliis editionibus, fœliciſſimè reſtituimus, libris noſtris manu-
ſcriptis ducibus atque auctoribus. DICENDI, NON REM PERD. HÆC GR. N.
EST M.] ordo eſt,hæc (lingua) nata eſt mihi, dicendi, id eſt, loquendi, non rem perdendi
B gratiã. NIHIL AGIT.) id eſt, nihil promouet, nugatur. Pius Bononienſis mauult hîc legi
*ditandi, non rem perd.* &c. Sed nihil mutandum, & lectionem illam latini ſermonis conſuetudo
ferre non poteſt. PROMISISTIN', SI LIBERALI, &c.] nónne promiſiſti, ſi quis hanc
puellã liberali cauſa manu aſſereret,te omnẽ pecuniam redditurũ? NON EGO TE FLOCCI
FACIO.] hyperbolicῶs dictum. ne flocci quidem te fecio. TV AVTEM IN NERVO,
&c.] neruum appellamus, inquit Feſtus, etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur,
quamquam Plautus eo etiam ceruices vinciri facit. Hoc igitur dicit miles, tu autem leno, niſi
mihi pecuniã, quam debes,ſoluis,vincieris. Hæc autem eò referenda ſunt,quòd qui pecuniã al-
teri debebant, & ſe debere confeſſi erant, aut iudicati fuerant, niſi intra triginta dies ſoluiſſent,
neq. quiſquam pro eis ſoluiſſet, à creditore duci, & vinciri poterant. quod ex Aul. Gell. lib.20.
cap.1. intelligere licet, qui hanc legem ex 12.tabulis profert. *Æris confeßi debitíque iudicatis 30. dies
ſunto, poſt 30. dies manus endo iacito: in ius ducito. ni iudicatum faxit, aut quips em endo iure vindicit, ſecum
ducito. vincito aut neruo, aut compedibus quindecim pondo: ne minore, aut ſi volet, maiore vincito. ſi volet, de
ſuo viuito. ni de ſuo viuit, qui em vinctum habebit, libram farris endo die dato, ſi volet, plus dato*, &c. Nam
quæ retulimus, ſatis ſunt ad id, de quo agitur. Quin ne ſuperiora quidem illa poſuiſſemus, ſed
C lectorem ad A.Gell.& ad eos, qui leges 12.tabul. collegerunt, reieciſſemus, niſi apud illos men-
doſiſſime, ſcripta eſſe, compertum haberemus. ſi quis fortè autem horum verborum explica-
tionẽ requiret,non pigebit me difficillima quæque explicare.manus endo iacito, id eſt, manus
iniicito. faxit,id eſt,fecerit.quips,id eſt,quiſpiam.em,id eſt eũ.endo iure, id eſt, in iure. vindicit,
id eſt, vindicarit, ſeu vindicat. cetera nota, & plana ſunt homini non tardiſſimo. Eodem perti-
nent hæc.T.Liuij ex lib.6. Annal. *An placeret fœnore circumuentam plebem, ni potius, quàm ſortem, cre-
ditum ſoluat, corpus in neruum, ac ſupplicia dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis
nobilium domos? & vbicumque patricius habitet, ibi carcerem priuatum eſſe?* PERDVINT] perdiderint.
optatiui modi. AD TRAPEZITAM MEVM, AD PRÆT.] ad prætorem,qui mihi
trapezitæ inſtar eſt: quia creditoribus meis à prætore ſoluo: hoc eſt, patior me, à creditoribus
meis in ius, ſeu ad prætorem vocari. prætor autem me abſoluere ſolet, cùm iis, qui à me petũt
actionem, negat. Nam prætor neque actionem neque iudices dabat iis, quibus ob turpem
cauſam debebatur: vel dic: à prætore ſoluo, tanquam à trapezita, quia in ius vocatus,id eſt,ad
prætorem, cedo bonis. ceſſio autem bonorum, erat iuris prætorij. Atque ita hunc locũ mauult
explicare Simeo Boſius Lemouix,quomodo & illum ſuperiorem: *Peßimè metui,ne mihi hodie apud
D prætorem ſolueret:* quomodo etiam nos explicauimus. NE TV ME NESCIAS] ne tu me
ignores. PLACIDVM TE HO. R.] ſic in Milit. glor. *mitis ſum equidem fuſtibus.* Sed vide-
tur legendum *ted hodiè* aut vocalis prouocabuli, *te*, non eliditur à vocali ſequente. RECIPE]
recupera, Tu Phædrome,omnem pecuniam actutam recipe.

FINIS CVRCVLIONIS.

A

# C A S I N A.

## DRAMATIS PERSONÆ.

B

| | |
|---|---|
| PROLOGVS. | |
| CHALINVS | ſeruos. |
| OLYMPIO | villicus. |
| CLEOSTRATA | vxor. |
| PARDALISCA | ancilla. |
| MVRRHINA | mulier. |
| STALENO | ſenex. |
| ALCESIMVS | ſenex. |
| COQVS. | ANCILLÆ. |

GREX.

C

## ARGVMENTVM CASINÆ.

CONSERVAM vxorem conſerui duo expetunt.
Alium ſenex allegat, alium filius.
Sors adiuuat ſenem, verùm decipitur dolis,
Ita ei ſubiicitur pro puella, ſeruulus
Nequam, qui dominum mulcat, atque villicum.
Adoleſcens ducit ciuem Caſinam cognitam.

D

CONSERVAM ] Caſinam. CONSERVI DVO.] Chalinus & Olympio. ALIVM SENEX ALLEG. ] ſenex Staleno, qui Caſinam amabat, ſeruum Olympionem mittit, & ſubornat, qui Caſinam vxorem poſcat. ALLEGAT]ad vxorem mittit. FILIVS.] Euthynicus, qui eſt muta perſona, ſeu κωφὸν πρόσωπον amans pariter Caſinam, Chalinum ſeruum ad matrem mittit, qui Caſinam itidem vxorem poſcat. SENEM,] Stalenonem. DECIPITVR.] ab vxore Cleoſtrata, & ancilla Pardaliſca, & Myrrhina, vicina. PRO PVELLA.] pro Caſina. SERVOLVS.] Chalinus. MVLCAT,] verberat. VILLICVM] Olympionem. ADOLESCENS] Euthynicus.

PROLO-



A

## PROLOGVS.

SALVERE iubeo ſpectatores optumos,
Fidem qui maximi facitis, & quos fides.
Si verum dixi, ſignum clarum date mihi,
Vt vos mihi æquos iam indè à principio ſciam.
Qui vtuntur vino vetere, ſapienteis puto,

B

Et qui libenter veteres ſpectant fabulas.
Antiqua opera, & verba qum vobis placent,
Æquum placere eſt antè veteres fabulas.
Nam nunc nouæ quæ prodeunt comœdiæ,
Multo ſunt nequiores, quàm nummi noui.
Nos poſtquam populi rumorem intelleximus,
Studioſè expetere vos Plautinas fabulas.
Antiquam illius edimus comœdiam,
Quam vos probaſtis, qui eſtis in ſenioribus.
Nam iuniorum qui ſunt, non norunt, ſcio.

C

Verùm vt cognoſcant, dabimus operam ſedulò.
Hæc qum primùm acta eſt, vicit omneis fabulas.
Ea tempeſtate flos poëtarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum,
Sed abſentes tamen proſunt præſentibus.
Vos omnes opere magno eſſe oratos volo,
Benignè vt operam detis ad noſtrum gregem.
Eiicite ex animo curam atque alienum æs,
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.
Ludi ſunt, ludus datu'ſt argentariis.

D

Tranquillum'ſt; Alcedonia ſunt in foro.
Ratione vtuntur, ludis poſcunt neminem,
Secundùm ludos reddunt autem nemini.
Aures vaciuæ ſi ſunt, animum aduortite,
Comœdiæ iam nomen dare vobis volo.
Clerumenoë vocatur hæc comœdia
Græcè, Latinè ſortientes. Diphilus
Hanc Græcè ſcripſit, pòſt id rurſum denuò
Latinè Plautus cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat, ei is'ſt filius.
Is vnà cum patre in illiſce habitat ædibus.
Eſt ei quidam ſeruos, qui in morbo cubat,

Immò hercle verò in lecto, ne quid mentiar. A
Is ſeruos, ſed abhinc annos factum eſt ſedecim,
Quum conſpicatus eſt primo crepuſculo
Puellam exponi, adit extemplo ad mulierem
Quæ illam exponebat: orat vt eam det ſibi.
Exorat, aufert, detulit rectà domum.
Dat heræ ſuæ, orat vt eam curet, educet.
Hera facit, educauit magna induſtria,
Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multo ſecus.
Poſteaquam adoleuit ad eam ætatem, vti viris
Placere poſſet: at puellam eam hic ſenex
Efflictim amat, & item huius contrà filius.
Sibi nunc vterque contrà legiones parat, B
Patérque, filiúſque, clàm alter alterum.
Pater allegauit villicum qui poſceret
Sibi iſtam vxorem: is ſperat, ſi ei ſit data,
Sibi fore paratas clam vxorem excubias foris.
Filius autem armigerum allegauit ſuum,
Qui ſibi eam vxorem poſcat. ſcit, ſi id impetret,
Futurum quod amat, intra præſepeis ſuas.
Vxor ſenis ſenſit virum amori operam dare,
Propterea ea vnà conſentit cum filio.
Ille autem poſtquam ſenſit, filium ſuum C
Eandem illam amare, & eſſe impedimento ſibi,
Hinc adoleſcentem peregrè ablegauit pater.
Sciens eius mater, ei dat operam abſenti tamen.
Is, ne exſpectetis, hodie in hac comœdia
In vrbem non redibit, Plautus noluit:
Interrupit pontem, qui erat ei in itinere.
Sunt hîc quos credo nunc inter ſe dicere:
Quæſo hercle quid iſtuc eſt? ſeruiles nuptiæ,
Seruíne vxorem ducent? aut poſcent ſibi?
Nouum attulerunt, quod fit nuſquam gentium. D
At ego aio hoc fieri in Græcia & Karthagini,
Et hic in noſtra terra etiam in Apullia.
Maioréque opera ibi ſeruiles nuptiæ,
Quàm liberales etiam, curari ſolent.
Id ni fit, mecum pignus, ſi quis volt, dato,
In vrnam mulſi, Pœnus dum iudex fiet,
Vel Græcus adeò, vel mea cauſſa Appulus.
Quid nunc? nihil agitis ſentio, nemo ſitit.
Reuortar ad illam puellam expoſititiam,
Quam ſerui ſumma vi ſibi vxorem expetunt.
Ea inuenietur & pudica & libera





A Ingenua Atheniensis: neque quicquam ſtupri
Faciet profectò in hac quidem comœdia.
Mox hercle verò pòſt, tranſacta fabula
Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor,
Vltrò ibit nuptum, non manebit auſpices.
Tantum eſt, valete, bene rem gerite, & vincite
Virtute vera, quod feciſtis antidhac.

MAXIMI FACITIS,] plurimi facitis. ET QVOS FIDES.] ſic legendum, non vt vulgò, *& vos fides.* SIGNVM CLAR. D. M.] claro applauſu ſignificate me verum dixiſſe. ÆQVOS] beneuolos, propitios. QVI VTVNTVR VINO VETERE SAPIENT. PVTO, ET QVI LIB.] Horatius in epiſt. ad Auguſt. multis & bonis verſibus docet, non, vt vina, ſic & B poëmata, quæ ſint antiquiſſima, eſſe optima, ſic ille. *Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit: Scire velim pretium, chartis quotus arroget annus,* &c. ad quem locum notauimus in commentariis Horatianis, Pindarum, Olymp. carm. 9. contrà in hac ſententia fuiſſe, vinum vetus eſſe laudandum, & noua carmina. ſic ille. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Sic Dinarchus in Truculento, cùm dixiſſet ancilla Aſtaphium, amatorem eſſe oppidi hoſtilis ſimilem, quia optimum ſit amicæ eum quàm primùm expugnari, ac ſpoliari, reſpondet, multùm intereſſe inter amicum & amatorem, quia quàm veterrimus amicus homini eſt optimus: cùm amator contrà, quaſi piſcis, nuſquam ſit, niſi recens, vt ait lena illa in Aſinaria. ANTIQVA OPERA, ET VERBA, &c.] At qui monebat vt moribus antiquis, verbis præſentibus vtamur. NEQVIORES] improbiores, peiores, deteriores. NVMMI NOVI.] qui plerúmq; ſunt improbi & falſi. QVI ESTIS, IN SENIORIBVS.] qui numeramini in ſenioribus. NAM IVNIORVM, QVI SVNT] id eſt, nam qui ſunt è numero iuniorum. ſic autem habent libri & manuſcripti, & impreſſi: neque quidquam mutandum, vt exiſtimat quidam amicus meus, vir doctus, qui vult legi, *Nam iuniores qui ſunt*, &c. quamuis enim hæc ſcriptura ſit facilior, ac planior, recepta tamen ei anteponenda eſt, nec inuſitata eſt: *iuniorum* autem, pa- C trius caſus eſt diuiſionis. FLOS POËTARVM FVIT.] Græci ἄνθος ἀοιδῶν. Theocr. ειδ. ιγ. θεῖος ἄωτος Ἡρώων. Catull. de Cœlio, & Quinctio. *Cælius Auſilenum, & Quinctius Auſilenam Flos Veronenſium depereunt iuuenum.* M. Tull. pro Flacco. *flos legatorum.* Idem pro Plancio, *flos equitum Romanorum.* Idem Philipp. 2. *flos nobilitatis, & iuuentutis.* Idem de Claris oratoribus, *flos populi.* verùm ſignificat prologus, mea quidem ſententia, non, vt quidam putant, Plautum eo tempore poëtarum florem, id eſt, præſtantiſſimum fuiſſe, quod tamen verum eſt, ſed eo tempore poëtas optimos vixiſſe. QVI NVNC ABIER. HINC IN COMM. L.] qui nunc mortui ſunt, &, vt alibi loquitur, qui ad plureis abierunt. communis omnium locus, & commune omnium mortalium, vt appellat Lucret. 5. *ſepulcrum, terra eſt.* vel per communem locum, domum Plutonis ſignificat, Orci tenebras, inferos, Acheruntem. SED ABSENTES TAMEN PROSVNT PRÆS.] ſed tamen poëtæ illi, qui mortui ſunt, & qui abſunt à nobis, nobis, qui viuimus, proſunt. Horat. in Epiſt. ad Piſonem. *Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ: Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.* Sic omnes ſcriptores, quorum monumenta ad nos peruenerunt, nobis etiam abſentes proſunt, aut certè nos delectant. nonnulli vtrumque præſtant. Sed Simeo Boſius hunc locum ſic explicat, Sed abſentes tamen ſunt pro D præſentibus, hoc eſt, proinde eſt, ac ſi præſentes eſſent. vt ſit ἀναστροφή. AD NOSTRVM GREGEM] ad gregem comicum. comœdos ſeu actores huius Comœdiæ. CVRAM ATQVE ALIENVM ÆS.] vel curam æris alieni: vel curam omnem generaliter, & curam, ſeu cogitationem æris alieni. quæ cura viros bonos, & ſuæ bonæ exiſtimationis retinendæ cupidos valdè ſollicitat, & ſæpe ex ſomno exſuſcitat. Hinc Auguſti iocus in quendam equitem Romanum mortuum, qui viuus HS. ducenties debuerat, & amplius: ídque æs alienum celauerat, & nihilominus tranquillo, ſolutóque animo vixerat. Cùm igitur is diem ſuum obiiſſet, eáque æris alieni magnitudo apparuiſſet: Auguſtus culcitam eius cubicularem in eius auctione ſibi emi iuſſit: & iuſſum eius mirantibus, cauſámque quærentibus: vt in ea culcita cubans, inquit, in qua ille tantum debens dormire potuit, ego quoque ſecurè dormire poſſim. Ad hunc locum pertinet ille in Menæchmis. *Facilin' tu dormis curans?* MEN. *perdormiſco, ſi reſolui argentum cui debeo.* NE QVIS FORMIDET FLAGITATOREM SVVM.] ne quis creditorem ſuum acriter, & odioſè pecuniam ſi debitam flagitantem pertimeſcat. flagitatorem poſuit, pro creditore moleſto, atque importuno. Sic in Moſtellaria, quanquam tranſlatè. *Sol ſemper hic eſt vſque à mane ad veſperum: Quaſi flagitator adſtans vſque ad oſtium.* LVDI SVNT.] in quibus ſpectandis populus Romanus occupatus eſt.

LVDVS DATV'ST ARGENTARIIS] vt neque à quoquam quod ſibi debetur, flagitent: A neque quiſquam, quod debent, ab eis flagitet. Argentariis otioſis eſſe, & ludere licet. argentariis data eſt otiandi & ludendi facultas. TRANQVILLVM'ST.] tralatio eſt. non enim ſignificat cælum eſſe tranquillum, & ſudum: (quanquam hoc quoque fortaſſis ita ceciderat) ſed res eſſe tranquillas, quia creditores hoc tempore ſuis debitoribus moleſti non ſint, & quia in foro ſit otium, & ſilentium. ALCEDONIA SVNT IN FORO] idem ferè dicit aliis verbis. Alcedonia, id eſt, dies Halcyonij. Alcedo enim, vt docet Feſtus, dicebatur ab antiquis, Halcyone, ſeu Halcyon, auis marina ex eo appellata, quod in littore maris oua parit. Varr. li. 6. de ling. Lat. apud Pacuuiũ, inquit, Halcyonis ritu litus peruolgans feror. Hęc enim auis grçè dicitur ἀλκυὼς à noſtris halcedo. quoniam hæc hieme pullos dicitur tranquillo mari facere. eos dies halcyonios appellant. De diebus Halcyoniis ſic Suidas. αἱ δὲ νήνεμοι, καὶ γαλήνην ἔχουσαι ἡμέραι, ἀλκυονίδες καλοῦνται, καὶ ἀλκυώνειοι ἡμέραι. id eſt, dies à ventis quieti, & tranquilli Halcyonij appellantur. Exſtat de hac aui, & de diebus Halcyoniis dialogus Luciani venuſtiſſimus, hac inſcriptione, ἀλκυὼν, ἢ περὶ μεταμορφώσεως. Plinius lib. 10. cap. 32. *Eo maximè ſunt inſignes Halcyones. Dies earum partus, maria, quique nauigãt, nouere. Ipſa auis paulò amplior paſſere, colore cyaneo ex parte maiore, tantùm purpureis, & candidis admiſtis pennis, collo gracili, & procero.* ſequitur paucis verſibus interpoſitis, *Fœtificant bruma, qui dies Halcyonides vocantur, placido mari per eos dies,* B *& nauigabili Siculo maximè.* Idem lib. 2. cap. 46. *Ante brumam autem ſeptem diebus, totidémque poſtea ſternitur mare Halcyonum fœturæ. vnde nomẽ hi dies traxere. reliquum tempus hyemat.* Ælianus lib. 1. cap. 36. Κυούσης δ' ἀλκυόνος, ἵσταται μὲν τὰ πελάγη, εἰρήνην δὲ καὶ φιλίαν ἄγουσιν ἄνεμοι. κύει δὲ ἄρα χειμῶνος μεσοῦντος, καὶ ὅμως ἡ τοῦ ἀέρος γαλήνη δίδωσι σωτηρίαν. ἀλκυωνείαν τηνικάδε τῆς ὥρας ἄγομεν ἡμέραν. id eſt, porrò autem pariente Halcedine, ſternuntur quidem maria. pacem verò & amicitiam colunt venti. quamuis autem media hieme pariat, dat ei ſalutem tamen cæli tranquillitas: & tum temporis dies Halcyonios agitamus. Idem lib. 9. cap. 17. narrat ac deſcribit mirabilem huius auis nidificandi rationem. Ariſtoteles lib. 5. cap. 8. de hiſtoria animal. ἡ δὲ ἀλκυὼν τίκτει περὶ τροπὰς χειμερινάς. διὸ καὶ καλοῦνται, ὅταν εὐδιειναὶ γένωνται αἱ τροπαὶ, ἀλκυόνειοι ἡμέραι: ἑπτὰ μὲν πρὸ τροπῶν, ἑπτὰ δὲ μετὰ τροπὰς, καθὰ καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν, &c. id eſt Halcyon circa ſolſtitium brumale, hoc eſt circa brumam parit. Quapropter cùm bruma ſerena, & tranquilla eſt, dies Halcyonij appellantur, ſeptem ante brumã, ſeptem ſecundã brumã, quemadmodũ etiam Simonides cecinit, &c. Seruius ad illud Virg. lib. 1. Georg. Dilectæ Thetidi Halcyonis, notat: hæ aues nidos faciunt in mari media hieme: quibus diebus tanta eſt tranquillitas, vt prorſus nihil in mari moueri poſſit: vnde dies Halcyonij vocantur, Plautus in Pœn. *Iam herclè tu periſti, niſi illã mihi tam tranquillam facis, quàm mare eſt olim, cùm ibi Halcedo* C *pullos educit ſuos.* RATIONE VTANTVR: LVDIS POSC. NEM. ] argentarij rationem in hoc ſequuntur, quòd ludis poſcunt neminem pecuniã, aut fœnus ſibi debitũ. Nam ſi ludorũ diebus poſcerent, ratione non vterentur. vel ſic, nunc ludorum diebus ratione vtuntur, cùm pecuniam neminem poſcunt. proindè ac ſi dicat. cùm pecuniam poſcunt, ratione non vtuntur: vel ſic, & verò acutè, vt intelligamus prologum iocari, & ſales Plautinos imitari: *Argentarij ratione vtuntur,* id eſt, ſeriò poſcunt: ludis neminem poſcunt: id eſt, ioco neminem poſcunt. non iocantur argentarij, cùm pecuniam poſcunt, ſed res ſerias agunt, & ſeriò poſcunt. Quæ explicatio, Simeonis Boſij eſt, ingenioſi, & eruditi viri. Ego tamen ſimpliciter ſic explicari mâlo, vt ſuprà dixi, argentarij nunc ratione vtuntur, quia his ludorum diebus pecuniam à ſuis debitoribus non flagitant. quòd ſi aliter facerent, ratione non vterentur. SECVND. LVD. REDD. AVTEM N.] iocus in argentarios, qui ſunt acres & moleſti in poſcendo: tricones, & lenti in reddendo. AVRES VACIVAE SI SVNT, &c.] ſi ſunt aures vacuæ, &c. Sic autem legendum eſſe iam decem abhinc annos conieci, partim ex ipſa ſententia, partim ex vetuſta loquendi conſuetudine. vaciuum enim dicebant veteres, pro vacuum, & vaciuitas, pro vacuitas. ſic infrà eadem Comœd. *Vt benè vaciuas ædeis feciſti mihi?* & in Pſeud. *Fac ſis vaciuas, Pſeudole, ædeis aurium.* D vulgata autem lectio, quæ etiam in libris manuſcriptis reperitur, ferri non poteſt. CLERVMENOË VOC.] ſic legendum, non *clerumene.* Clerumenoë autem litteris latinis eſt κληρούμενοι, græcis, id eſt, ſortientes. ſic Canephoroë apud Ciceronem lib. 4. accuſ. Canephoroæ ipſæ vocabantur. ſic enim edendum curauimus. PLAVTVS CVM LATRANTI NOMINE) id eſt, Plautus cum ſuo canino nomine, Plauti, ſcilicet. Nam Plauti, vt docet Feſtus, appellantur canes, quorum aures languidæ ſunt, ac flaccidæ, & latius videntur patêre. Non aſſentior autem iis, qui ſic explicant, Plautus cum latranti nomine, id eſt cum Marci nomine, ſeu prænomine: vel cum barbaro, id eſt, Latino, ſeu Romano nomine Marci. Quamuis enim fatear, Marci prænomen eſſe nomen Romanum, non continuò tamen fatebor etiam per nomen latrans ſignificari nomen Romanum, propterea quod in voce *barbarus,* ſunt duæ litteræ, r, r, nam hoc valde ridiculum eſt: & miror illis hoc, vnquam in mentem venire potuiſſe. dicamus igitur per nomen *latrans* ſignificari nomen, ſeu cognomen Plauti, propter eam cauſam, quam expoſuimus. Quid eſt enim aliud, ita dicere, Plautus cum latranti nomine, quàm Plautus, cui nomen, ſeu cognomen eſt animalis latrantis, id eſt, canis? Quòd autẽ quidam alij nomen *latrans* referri volũt ad nomen Caſinæ, quia Caſina & canis habeant eãdẽ primam ſylla-



A ſyllabam: minimè omnium probo. dicerem cur, niſi res in promtu eſſet. SENEX HÎC M. HAB.] hoc in loco ſenex Stalino vir Cleoſtratæ habitat. EI I'ST FILIVS.] ei ſeni filius eſt, nomine Euthynicus. QVIDAM SERVOS,] quidam ſeruus. IN MORBO CVBAT.] morbo affectus decumbit. IS SERVOS SED ABHINC F. EST SEDECIM] ordo eſt, ſed factum eſt abhinc annos ſedecim, cùm is ſeruus conſpicatus eſt primo crepuſculo puellam exp. CONSPICATVS EST] conſpexit. PRIMO CREPVSCVLO] crepuſculum, lux dubia. primo crepuſculo, prima veſpera, prima luce dubia veſpertina νυκτὸς ὀμολγῷ. creperus, dubius Lucret. lib. 5. *Exæquatáque ſunt creperi certamina belli.* PVELLAM EXPONI.] puellam Caſinam exponi: à qua hæc comœdia dicta, & inſcripta eſt. Feſtus. Caſinam fabulam Plautus inſcripſit ab ancillæ nomine Caſina, quam amari à ſene introduxit. EXPONI] extra ędeis poni, ad incertum mortis, & vitę caſum: quod faciebant, qui pueros natos alere, ſeu tollere nolebant. Terent. Heautónt. *Niſi me animus fallit, hic profectò eſt annulus, quem ego ſuſpicor, Is, quicum expoſita'ſt gnata.* Idem Hecyra. *Continuò exponetur.* ad quod annotat Donatus, *ad mortem ſcilicet.* HERÆ SVÆ] Cleoſtratæ. MAGNA INDVSTRIA] φιλοπόνως. acuratè, magno labore. QVASI SI ESSET EX SE N.] tanquam ſi eſſet è ſe nata: proindè ac ſi eſſet è ſe nata. B POSTEAQVAM ADOL. AD EAM AET.] poſteaquam ad ætatem maturam peruenit, poſteaquam matura viro facta eſt. adoleuit, id eſt, creuit. oleſco, creſco. hinc ſuboles, & indoles. HIC SENEX] Stalino. EFFLICTIM AMAT] efflictim, id eſt, vſque eò dum effligatur. Sic Probus teſte Cariſio, ſuprà in Amphitrione. *Nunquam ædepol quamquam mortalem credo ego vxorem ſuam Sic efflictim amare, proinde vt hic te efflictim deperit.* SIBI NVNC VTÉRQVE CONTRÀ LEG. P.] allegoria à re militari. ſignificat vtrumque omnes vndique copias, & fallacias colligere, atque aduocare, quibus Caſinæ nuptias expugnare poſſit. PATER ALLEGAVIT VILL. QVI POSC.] pater Stalino miſit Olympionem villicum ad vxorem, qui ab ea Caſinam ſibi vxorem poſceret. ALLEGAVIT] priuatim miſit. IS] ſenex Stalino. EI] Olympioni. CLAM VXOREM] al. clam vxore. EXCVBIAS FORIS.] locum, vbi foris excubet. ſignificat, ſi hoc contingat, vt Olympioni villico detur Caſina, fore, vt cum ea, inſcia vxore, liberè cubare poſſit. FILIVS AVTEM] Euthynicus. ARMIGERVM] Chalinum. INTRA PRÆSEPEIS SVAS,] in promtu paratum. in ea poteſtate. tralatio, ſeu potius allegoria eſt à iumentis, quæ quod habent intra præſepeis ſuas, eo liberè fruuntur. VXOR SENIS.] Cleoſtrata. ILLE AVTEM.] ſenex autem, &c. EI DAT OPERAM ABS. T.] ei quamuis abſenti dat operam tamen. ABLEGAVIT] amandauit. procul à domo C miſit. INTERRVPIT PONTEM,] intercluſit ei reditum. ademit ei redeundi in vrbem facultatem, veluti interrupto ponte. allegoria eſt, ducta à re militari. Cæſar lib. 1. de bello Gall. *Pontem, qui erat ad Geneuam, iubet reſcindi.* T. Liuius lib. 26. Annal. *vbi interciſum pontem à Fregellanis morandi itineris cauſa inuênit.* SVNT HÎC, QVOS, &c.] occupat tacitam obiectionem. SERVILES NVPTIAE? &c.] ſerui matrimonium contrahere non poſſunt, iure ciuili, neque ſunt iuſtæ ſeruiles nuptiæ, neque ſeruorum mulieres, dicuntur vxores, ſed coniunctæ, vt apud Varronem lib. 1. de re ruſt. cap. 17. neque qui ex ſeruilibus nuptiis naſcuntur, liberi ſunt. AT EGO AIO HOC] ſolutio. ET KARTHAGINI] datiuus eſt, inſtar aduerbij, quietem in loco ſignificans. Licebat etiam dicere, *& Karthagine.* notauimus in commentariis in Cornelium Nepotem, de vitis clarorum Græciæ Imperatorum. ET HÎC IN NOSTRA TERRA,] in qua terra? in Appulia, vt ſubiicit. QVÀM LIBERALES, &c.] quàm nuptiæ liberarũ perſonarum. MECVM PIGNVS, SIQVIS VOLT, D.] mecum, ſiquis volt, pignore certato. MVLSI] vini melle conditi. POENVS DVM IVD. S.] ſignificat Pœnos eſſe bibaceis, ſimilitérque Græcos & Appulos. ideóque ſe iudicem ex aliqua harum nationum optare. NIHIL AGITIS.] mecum, pignore dato, non certatis. NEMO SITIT.] nemo vult vrnam D mulſi à me ablatam bibere. QVAM SERVI SVMMA VI, &c.] quam ſerui ſummo ſtudio, ſummáque contentione ſibi vxorem poſcunt. non tamen ſuo nomine, ſed alieno. nam Olympio, patri: Chalinus, filio operam dat. ET PVDICA, &c.] pudica, quia, vt mox ſubiicit, nihil faciet ſtupri: neque ei vitium offeretur. TRANSACTA FABVLA,] peracta comœdia. ARGENTVM SIQVIS DEDERIT,] ſi quis Caſinæ pecuniam dederit, vt iam ſit dotata, &c. NON MANEBIT AVSPICES.] non exſpectabit auſpices: ſed ſine auſpicibus, vltro nubet. vltro, id eſt maritum appetens, non appetita. Solitos eſſe adhiberi auſpices in nuptiis declarant vel illa ex Cluentiana: *Nubit genero ſocrus: nullis auſpicibus, nullis auctoribus funeſtis ominibus omnium.* Virgil. lib. 3. Æneid. princip. *Sacra Dioneæ matri, Diuiſque ferebam, Auſpicibus cœptorum operum.* VIRTVTE VERA:] aperto Marte. vel potius virtute, id eſt vera fortitudine non fallacia, & dolo malo. ANTIDHAC] ante hac.

# ACTVS PRIMVS. A

## CHALINVS. OLYMPIO.

NON mihi licere meam rem me ſolum, vt volo
Loqui atque cogitare, ſine ted arbitro?
Quid tu ( malum ) me ſequere? OL. quia certum'ſt mihi
Quaſi vmbræ quoquò ibis tu, te perſequi.
Quin edepol etiã, ſi in crucẽ vis pergere, B
Sequi decretum eſt, dehinc coniicito ceterum,
Poſsíſne, nec ne, clam me ſutelis tuis
Præripere Caſinam vxorem, proinde vt poſtulas.
CH. Quid tibi negotij mecum eſt? OL. quid ais impudens?
CH. Quid in vrbe reſtas villice hic magni pretij?
OL. Libet. CH. quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius quod legatum'ſt tibi negotium,
Id curas, atque vrbanis rebus te abſtines?
Quid huc veniſti ſponſam præreptum meam?
Abi rus, abi directus tuam in prouinciam. C
OL. Chaline, non ſum oblitus officium meum.
Præfeci rure rectè qui curet. tamen
Ego huc quod veni, in vrbem, vbi impetraro,
Vxorem vt iſtanc ducam, quam tu deperis,
Bellam & tenellam Caſinam, conſeruam tuam:
Quando ego eam mecum rus vxorem abduxero,
Rure incubabo vſque in præfectura mea.
CH. Tun' illam ducas? hercle me ſuſpendio,
Quàm tu eius potitor fias, ſatius eſt mortuum.
OL. Mea præda'ſt illa, proin' tu te in laqueum induas. D
CH. Ex ſterquilinio effoſſe, tua illæc præda ſit?
OL. Scies hoc ita eſſe. CH. væ tibi. OL. quot te modis,
Si viuo, habebo in nuptiis miſerum meis?
CH. Quid tu mihi facies? OL. egóne quid faciam tibi?
Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem.
Poſt illa vt ſemper improbus, nihilíque ſis.
Poſt id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora vna, & vna ſemita,
Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia:
Quæ niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerunda curuum aqua faciam probè.

Vt



A Vt poſtilena poſſit ex te fieri.
Poſt autem niſi ruri tu eruom comederis,
Aut quaſi lumbricus terram, quod te poſtules
Guſtare quicquam: nunquam edepol ieiunium
Ieiunum eſt æquè, atque ego ruri reddibo te.
Poſt id qum laſſus fueris & famelicus,
Noctu vt condignè te cubes, curabitur.
CH. Quid facies? OL. concludère in feneſtram firmiter,
Vnde auſcultare poſſis, quum ego illanc oſculer,
Quum mihi illa dicet, mi animule, mi Olympio,
Mea vita, mea medulla, mea feſtiuitas,
B Sine tuos ocellos deoſculer voluptas mea,
Sine amabo tedamari, meus feſtus dies,
Meus pullus paſſer, mea columba, mi lepus.
Quum mihi hæc dicentur dicta, tum tu furcifer,
Quaſi mus in medio pariete verſabere.
CH. Nunc ne tute mihi reſpondere poſtules,
Abeo intrò: tædet ſermonis tui. OL. te ſequor
Hic quidem pol. certo nihil ages ſine me arbitro.

NON MIHI LICERE MEAM REM ME S.] cum indignatione pronuntiandum: & ſubintelligendum, ferendúmne eſt? aut par eſt? aut aliquid ſimile. Eſt C enim præciſa locutio. quod genus loquendi ſuprà notauimus in Amphitr. *ita me probri, Stupri, dedecoris, à viro argutam meo?* & præterea alibi. SINE TED ARBITRO?] ſine te arbitro? te non arbitrante? id eſt, non ſpectante? notauimus enim ſuprà in Aulul. ibi. *Hinc ego huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.* arbitrum interdum vſurpari, pro eo, qui teſtis eſt rei, quæ geritur, quíque eam ſpectat: & arbitrari pro ſpectare, & proſpicere. (MALÙM.)] interiectio indignationem, aut ſtomachum ſignificans. Terentius Heaut. *quas, malùm, ambages mihi narrare occipit?* QVASI VMBRÆ,] ſic legendum, non, vt vulgò, *quaſi vmbra.* Ordo enim eſt hic, *quia certum'ſt mihi, quaſi vmbræ, te quoquò ibis, perſequi.* CONIICITO CETERVM, &c.] diuinato cetera, vtrùm poſſis, &c. SVTELIS TVIS,] fallaciis tuis, aſtutiis tuis. ſuprà in Amphitr. *conſutis dolis.* ad quem locum notauimus, quæ ad hoc pertinent. PROINDE VT POSTVLAS] ita vt poſtulas. QVID IN VRBE RESTAS VILL. &c.] quamobrem hîc in vrbe remanes, & cunctaris villice contemtiſſime? legendum autem eſt *reſtas,* & ita habent omnes libri & manuſcripti & vulgati, præter eos, qui editi ſunt à Camerario: qui habent *reptas,* quam ſcripturam minus probo. nam primùm ſi *reptas* probaremus, vt ſit tralatio, pro tardo ingreſſu venis, ab animalibus reptilibus, legendum eſſet *in vrbem.* Deinde verbum D *reptas* non conuenit adoleſcenti aut iuueni, ſed potius ſeni, aut homini otioſo, & leniter, ac placidè deambulanti, vt apud Horat. epiſt. 4. lib. 1. *An tacitum ſiluas inter reptare ſalubreis?* *magni preti* autem, ironia eſt. IN PRÆFECTVRA TVA?] in eo loco, cui præfectus es? in ſtatione tua? in prouincia tua? tralatio eſt. ſic ſuprà in Capt. *Nunc ibo ad meã præfecturam.* Varro lib. 1. de re Ruſt. *Ad iniiciendam his voluptatem præfecturæ honore aliquo habendi ſunt,* &c. LEGATVM'ST] mandatum eſt. ABI DIERECTVS, &c.] abi cruciatus, & diſtractus, & quaſi in crucem actus, in prouinciam tuam. ſuprà in Curcul. *lien dierectu'ſt?* & in Capt. *Quin quieſce dierectum cor meum, & ſuſpende te.* ad quem locum de hac voce ſatis multa. PRÆFECI RVRE, RECTÉQVE] præfeci aliũ rure, negotio, aut muneri, quod mihi mandatũ eſt, ſcilicet, qui rectè curet. ;TAMEN EGO HVC QVÒD VENI, &c.] ordo, & ſententia eſt, veruntamen, vbi ſeu poſteaquã id, propter quod huc in vrbẽ veni, impetraro, id eſt, obtinuero, ſeu potiùs cõfecero, nempe vt Caſinã vxorẽ ducam: tum me rure continebo, & cubabo, neque in vrbe reſtabo, aut pernoctabo. VBI IMPETRARO] vbi confecero. ſic ſæpè Plautus exempli cauſa ſuprà in Capt. princip. *Quod ego quidem nimis quàm cupio, vt impetret.* RVRE INCVBABO, &c.] rure cubabo, &c. HERCLE ME SVSP.] ſententia eſt. id eſt, ſatius me hercule eſt, me ſuſpendio vitam finiſſe, quàm committere, vt tu eius compos fias, ſeu vt tu ea potiaris. EIVS POTITOR,] eius compos ἀυτῆς ἐγκρατής potitor oris, nomen verbale à verbo potior. MEA PRÆDA'ST ILLA] tralatio

eſt. PROIN TV TE IN LAQ. IND.] quare fac vt te ſuſpendas, doloris impatientia, ſcilicet, quòd ea tibi prærepta ſit. TE IN LAQVEVM INDVAS] collum in laqueum inſeras. ſic M. Tull. lib. 2. Accuſ. *Hîc videte, in quot laqueos ſe induerit.* non diſſimulabo tamen in nonnullis libris manuſcriptis, ſcriptum eſſe, *in laqueum duas.* fortaſſe non malè, vt *duas* valere intelligamus, *des.* vt *duis*, dederis. ego nihil muto. EX STERQVILINIO EFFOSSE,] homo turpiſſime, homo ſpurciſſime, vel homo ex inhoneſtiſſimo loco orte. HABEBO MISERVM] vexabo, cruciabo, torquebo, angam. EGÓNE QVID FACIAM TIBI?] tu ne me rogas, quid ego faciam tibi? HVIC LVCEBIS NOVÆ N. F.] huic puellæ Caſinæ nouæ nuptæ facem præferes. δᾳδουχήσεις, ſuprà in Curcul. princip. *Tute tibi puer es lautus. luces cereum.* M. Tull. Catilin. 1. *cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, nõ aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætuliſti?* Pro Sylla. *vos denique in tantis tenebris erroris, & inſcientiæ clariſſimum lumen menti meæ prætuliſtis.* ſic Lucret. lib. 1. *præpandere lumina menti.* Iam nouis nuptis faceis præferri ſolitas eſſe notum eſt. hinc faces nuptiales apud M. Tullium in Cluentiana, & apud Virgil. lib. 4. *Si non perteſum thalami, tædæque fuiſſet.* Idem in Pharmac. *Mopſe nouas incide faceis.* ad quem locum Seruius notat. quæ ſolent præire nubenteis puellas. Sanè Varrò dicit, in nuptiis ideo faceis præire, quòd antea non niſi per noctem nuptæ ducebantur à ſponſis: quas etiam ideò ait limen non tangere, ne à ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcarent rem, B veſtæ, id eſt, numini caſtiſſimo, conſecratam. Cur autem quinque faces non plures, neque pauciores, rationes explicat Plutarchus in quæſtionibus Romanis. POST-ILLA VT SEMPER IMPR. &c.] id eſt, vt poſtea ſemper improbus ſis, & nequam. POST ID LOCORVM,] poſt id temporis. VNA AMPHORA,] qua aquam haurias. VNA SEMITA,] via breuis, qua ad fontem eas. quidã per ſemitã hîc vas ſignificari putant: ſed errant. FONS VNVS,] vnde aquam haurias. QVÆ NISI ERVNT S. PL. EGO TE IMPL.] quæ dolia niſi erunt aquæ plena, faciam, vt ſis flagrorum plenus. ITA TE AGGERVNDA CVRVVM AQVA, &c.] aggerere aquam, eſt aquam aquæ gerentem addere, aquam aquæ accumulare, ſic in Pœnulo, *Aggerundáque aqua ſunt viri duo defeſsi.* VT POSTILENA POSSIT EX TE F.] poſtilena, lignum incuruum, quod iumentorum caudis ſupponitur, ad continendum baſtagma, cui onus imponitur. noſtri cropieram appellant: quod autem pectori apponitur, cõtrà, Latini antilenam, noſtri pectorale, ſeu poitrale vocant. PÒST AVTEM, NISI RVRI TV ERVOM COMEDERIS] ſic edendum curaui, ſcripturæ veteris veſtigia potiùs, quàm ſcripturam ipſam ſecutus: præſertim libris omnibus vulgatis approbantibus. Nam quod libri veteres habent, *niſi ruri tu aceruom ederis*, vt hanc lectionem probarem, à me impetrare non potui, C quanuis probet Turnebus lib. Aduerſ. 7. cap. 12. interpretetúrque hoc modo, niſi tu, vt mures de frumenti aceruo rodendo, vixeris. nam neque poteſt, neque debet hæc horum verborum interpretatio probari. Aliud enim eſt aceruum comeſſe, ſeu comedere, quomodo ille legit, aliud de aceruo comedere, quæ verba id ſignificant, quod ille per aceruum comedere, ſignificari vult. Nam qui aceruum comedit, ſeu comeſt, totum aceruum comeſſe intelligitur: qui de aceruo, acerui partem aliquam. quare hac ſcriptura reiecta, quæ ſe corruptam eſſe clamat, ſic edendum curaui, *niſi ruri tu eruom comederis*: quo modo iam antè doctiſſimus Camerarius ediderat. Neque verò me fallit, nonnullos propiùs ad ſcripturam antiquam accedenteis, legere, *niſi ruri tu acer comederis*, &c. vt per *acer* ſignificetur arbor, à qua dictæ ſunt menſæ acernæ. ſed hanc lectionem, quam ſecutus ſum, veriorem puto, & iam olim eam probauit Beroaldus. Eſt autem *eruum* leguminis genus, quod Græci ὄροβον appellant, quo paſcuntur interdũ boues. Horat. Sat. 6. lib. 2. *me ſilua, cauúſque Tutus ab inſidiis, tenui ſolabitur eruo.* Virg. Palæ. *Eheu, quàm pingui macer eſt mihi taurus in eruo?* Plautus Moſtell. *Eruom daturin' eſtis, bubus quod feram?* datur & columbis, vt ex Columella intelligere licet. AVT QVASI LVMBRICVS TERR.] ſuprà in Aulul. *Foras, foras, lumbrice, qui ſub terra erepſti modò.* QVOD TE POSTVLES GVSTARE QVICQVAM, &c.] id D eſt, quod ad id attinet, quòd te aliquid guſtare poſtules: reddam te ieiunio ieiuniorem. notauimus hoc loquendi genus ſuprà in Aſinar. ibi, *Quod illa aut amicum ſuum, aut patronum nominet*, &c. NVNQVAM ÆDEPOL IEIVNIVM IEIVNVM'ST, ÆQVÈ, &c.] hyperbole ſic autẽ legendũ, non, vt nõnulli volunt, *ieiunũ Ieiunum'ſt æquè*, de ieiuno inteſtino accipiẽtes. ATQVE EGO RVRI REDDIBO TE.] reddibo te, id eſt, reddam te. mutatio coniugationis. profert Nonius, in verbo *reddibo*, pro *reddam*. ſic in Menæch. *Saluum tibi, ita vt mihi dediſti, reddibo.* Idem in Epidico. *operam mihi da, opera reddibitur tibi.* FAMELICVS,] πεινᾳλεύς. CONDIGNÈ TE CVBES.] ita, vt te dignum eſt, cubes. condignè te, ſeu dignè te, ἀξίως σȣ, aduerbium *condignè* iunxit cum ablatiuo. aduerbia enim regunt caſum ſui nominis, vt, *ſimiliter huic.* IN FENESTRAM] in armariũ, quod eſt in pariete. MEA MEDVLLA,] Marcus Cethegus Suadæ medulla ab Ennio dictus, vt refert M. Tullius in Catone Maiore. MEVS FESTVS DIES,] nominatiuus caſus, pro vocatiuo, vt & quod deinceps ſequitur, meus pullus paſſer. IN MEDIO PARIETE] in feneſtra. NVNC, NE TV TE MIHI RESP. POSTVL. &c.] nunc, inquit Chalinus, ab eo integro, neque quidquã amplius addo, ne, ſi quid præterea dicam, tu poſtules te mihi reſpondere. CERTÒ] certè. SINE ME ARB.] ſine me ſpectatore, & teſte. Sic in Ciſtell. *tuam ſtultitiã ſola facito, vt ſcias ſine arbitris.* ſic ſæpe alibi, vt ſuprà iam notauimus.

Obſignate



A

## CLEOSTRATA, PARDALISCA ancilla.

CLE. OBſignate cællas, referte annulum ad me,
Ego huc tranſeo in proximum, ad meam vicinam.
Vir ſi quid volet me, facite hinc me arceſſatis.
PAR. Prandium iuſſerat ſenex ſibi parari.
CLE. St, tace, atque abi, neque paro, neque hodie
Coquetur, quando is mihi & filio aduorſatur.
Suo, animíque amoríſque cauſſa ſui.
Flagitium illud hominis, ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
B Vlciſcar: ego pol illum probè incommodis
Dictis angam: faciam vti proinde vt eſt dignus,
Vitam colat, Acheruntis pabulum flagitij
Perſequentem, ſtabulum nequitiæ. Nunc hinc
Meas fortunas eo queſtum ad vicinas.
Sed foris concrepuit. atque ea ipſa eccam egreditur
Foràs, non pol per tempus iter incœpi.

OBSIGNATE CÆLLAS, &c.] vel ex hoc loco intelligere licet, veteres non ſolum tabulas, & tabellas, ſeu epiſtolas, verùm etiam cællas & ſimilia nonnulla, vt & lagenas, cera obſignare conſueuiſſe. Q. Frat. ad Tironem lib. 16. epiſtol. *ſicut olim matrem noſtram facere memini: quæ lagenas etiã inaneis obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.* Horat. epiſt. C 2. lib. 2. *Comis in vxorem, poſſet qui ignoſcere ſeruis, Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.* Plautus Perſa. *Triparcos homines vetulos, auidos, aridos Bene admordere: qui ſaliuum ſeruo obſignant cum ſale.* REFERTE ANNVLVM AD ME.] annulis obſignabant veteres, vt & nonnulli hodie. Vlpianus iuriſconſultus lib. 28. Digeſtorum tit. 1. ſignum autem vtrum annulo tantùm impreſſo adhibemus, an verò & ſine annulo, verùm alio quodam impreſſo? variè enim homines ſignant. Et magis eſt, vt tantùm annulo quis poſſit ſignare, dum tamen habeat χαρακτῆρα. TRANSEO IN PROXIMVM.] tranſeo in proximas ædeis. ſic proxima ſcena. *Sequimini comites in proximum me huc.* ST, TACE, &c.] St, nota, & interiectio ſilentij indicti, ſuprà in Curcul. *St: tace, tace.* ANIMÍQVE AMORÍSQ. CAVSA SVI.] vt animo, & amori ſuo morẽ gerat. ſuprà in Curcul. *dico me illo aduenisse animi cauſa.* in Epidico. *cur eam emit?* TH. *animi cauſa.* FLAGITIVM ILLVD HOMINIS.] homo ille turpis, & flagitioſus. INCOMMODIS DICTIS ANGAM.] dictis iniucundis, & moleſtis torquebo. VITAM COLAT,] vitam tranſigat, vitam exigat. ACHERVNTIS PABVLVM] quo Acheruns paſcitur ſenem, qui Acherunti debetur. Orci victimam, vt loquitur Horat. oda. 3. lib. 2. *victima nil miſerantis Orci.* FLAGITII PERSEQVENTEM.] hominem qui aſſiduè in flagitio verſatur. hominem, qui flagitium perſequitur. D Hæc autem ſunt referenda ad verba illa, *vlciſcar, angam.* STABVLVM NEQVITIÆ.] hominem, in quo tanquam in ſtabulo, nequitia habitat. hominem nequiſſimum, & quaſi nequitiæ ipſius domicilium, ſeu potius ſtabulum. ſic in Trucul. *Túne ais impudentem me eſſe, quæ ſis ſtabulum flagitij?* MEAS FORTVNAS EO QVESTVM.] queror meas fortunas. dicunt boni ſcriptores Latini, non queror de fortunis: & queror iniuriam, non queror de iniuria, &c. quod ſuprà notauimus, in Amphitr. ibi, *Satius me queri illo modo ſeruitutem hodie.* & in Aſinar. *Verùm ego meas queror fortunas.* SED FORIS CONCREPVIT.] foris Murrhinæ cõcrepuit. ex quo Cleoſtrata intelligit aliquem foras prodire. PER TEMPVS] opportunè. ſic in Trucul. *per tempus ſubueniſtis.* Idem Bacchid. *per tempus hic venit miles mihi.*

## MVRRINA, CLEOSTRATA.

MV. SEquimini comites in proximum me huc.
Heus vos, ecquis hæc quæ loquar audit? ego hîc ero,
Vir ſi, aut quiſpiam quæret. nam vbi domi ſola ſum,

Sopor manus caluitur.iuſſin' colum A
Ferri mihi? CL. Murrina ſalue. MV. ſalue
Mecaſtor.ſed quid tu es triſtis,amabo?
CLE. Ita ſolent omnes, quæ ſunt malè nuptæ.
Domi & foris ægrè quod ſit,ſatis ſemper eſt.
Nam ego ibam ad te. MV. & pol ego iſtuc ad te. ſed quid eſt,
Quod tuo nunc animo ægrè 'ſt? nam quod tibi es.
Ægrè, idem mihi 'ſt diuidiæ. CL. credo ecaſtor.
Nam vicinam neminem amo meritò magis,quàm te:
Nec quacum plura ſunt mihi,quæ ego velim.
MV. Amo te,atque iſtuc expeto ſcire quid ſit.
CL. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis,
Nec mihi ius meum obtinendi copia'ſt. B
MV. Hem quid eſt? dic idem hoc.nam pol haud ſatis meo
Corde accepi querelas tuas,obſecro.
CL. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis.
MV. Mira ſunt,vera ſi prædicas.nam viri
Ius ſuum ad mulieres obtinere haud queunt.
CL. Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat,quæ mea eſt,
Quæ meo educata ſumtu eſt,villico ſuo dare.
Sed ipſus eam amat. MV. obſecro tace.nam hîc nunc
Licet dicere,nos ſumus. CL. ita eſt. MV. vnde ea tibi eſt?
Nam peculi probam nihil habere addecet C
Clam viro: & quod habet partum,ei haud commodi 'ſt,
Quin viro aut ſubtrahat,aut ſtupro inuenerit.
Hoc viri cenſeo eſſe omne,quicquid tuum eſt.
CL. Tu quidem aduerſum tuam amicam omnia loqueris.
MV. Tace ſis ſtulta,& mihi auſculta:noli ſis tu illi
Aduorſari,ſine amet, ſine quod libet,id faciat,
Quando tibi nihil domi delíquum'ſt.
CL. Satin' ſana es? nam tu quidem aduorſus tuam iſtam rem
Loquere. MV. inſipiens ſemper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. CL. cui verbo? MV. i foras,mulier es. D
CL. Tace. MV. quid eſt? CLE. hem. MV. quis eſt, quem vides?
CL. vir eccum it.
MV. Intrò abi,appropera age amabo. CL. impetras.
Abeo. MV. mox magis cum otium mihi & tibi erit,
Igitur tecum loquar.nunc vale. CL. valeas.

COMITES.] pediſequæ,ancillæ,ἀκόλουθοι.In Amph.ALC. *Valeas: tibi habeas res tuas: reddas meas.Iuben' mi ire Comites?* IVP.*ſanan' es?* ALC.*ſi nõ iubes,Ibo egomet:comitẽ pudicitiam duxero.* ECQVIS] numquis,vel numqua. EGO HÎC ERO,] ego ero in ædibus proximis. VIR SI] ſi vir. SOPOR MANVS CALVITVR.] ſomnus manus fruſtratur, ſeu decipit, ſic ferè Nonius:qui hunc locum profert in verbo *caluitur*. Caius iuriſconſultus lib.50.Digeſt.titul. de verbor. ſignific.*Si caluitur*, id eſt, *ſi moratur, & fruſtratur.indè & calumniatores appellati ſunt,qui per fraudem & fruſtrationem alios vexant litib.indè & cauillatio dicta*, Lucilius Satyr.lib.17. *Si non it, capito,*
*inquit,*



A *inquit,eum: & ſi caluitur,ergo Endo manum iacito.* ex Nonio,apud quem plura exempla reperiet, qui volet. Lex 12.tabular. *Si caluitur, pedémue ſtruit,manum endo iacito,in ius ducito.* id eſt,ſi fruſtratur,aut tardè it,vix pedem pedi præferens,manum ei iniicito,&c. auctor vocabularij Latinogræci,caluitur,inquit,id eſt,ἐξαπατᾷ. ſignificat autem Cleoſtrata,ſe,cùm ſola eſt domi, ſomno vrgeri,atque opprimi,ſibíque ſomnolentæ opera muliebria è manibus excidere. Sic apud Lucretium lib.6.ſed alia de cauſa mulieri opera ſua de manibus excidunt.verſus Lucretij adſcribam. *Caſtorióque graui mulier ſopita recumbit:Et manibus nitidum teneris opus effluit eij.* Sic apud Homerum ἰλ.χ. Andromachæ,magno ploratu exaudito,perturbatæ,& membris metu reſolutis, radius è manibus excidit.Hom.Τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς: id eſt,eius autem membra concuſſa ſunt:in terram autem ei radius è manu excidit. ITA SOLENT OMNES M. N.] vide,vt pulchrè deſcribat mores muliebreis: quæ ſolent ferè de viris ſuis apud vicinas aut alias mulieres notas queri. ISTVC AD TE] id eſt,domum tuam,ad te, videtur eſſe Pleonaſmus. Nam iſtuc idem valet,quod domũ tuam, ſeu ad te. ÆGRE 'ST?] ægritudinẽ affert? IDEM MIHI 'ST DIVIDIÆ.] id eſt,idem mihi triſtitiam,& mœrorem affert. Diuidiam,inquit Nonius,dixerunt triſtitiam veteres.Propertius, *Diuidias mentis conficit omnis amor.* Plautus Bacchid. *Caue tibi ducenti nummi diuidiæ fuant.* Idem Mercat.*Nec tibi iſtuc magis eſt diuidiæ quàm mihi hodie fuit.*
B Feſtus tamen diuiduam,diſcordiam interpretatur. NEC QVACVM PLVRA SVNT M.] id eſt, nec cum vlla vicina plura mihi ſunt communia, quæ exoptem, quàm tecum: vel ſic, nec vllam vicinam habeo, cum qua malim res meas ſecundas communicare,quàm tecum. vel ſic, nec vllam vicinam habeo,cui plura bona exoptem, quàm tibi.locus eſt aliquanto obſcurior,& ad explicandum difficilior. fortaſſe ſic potius explicandus eſt (nam mihi in eo explicando non ſatisfacio, ne dum lectori moroſiori) nec cum vlla vicina plura communicare velim, quàm tecum.id eſt,nullam vicinam habeo,cui omnia mea conſilia,omnéſque meas cogitationes libentius,& fidentius committam,quàm tibi. Conſideret lector. VIR ME HABET PESS. DESP. M.] id eſt, vir me peſſimis modis deſpicatur. ſic dixit deſpicatam habet, vt miſeram habet. *deſpicatam* autem poſitum eſt παθητικῶς vt apud Terent. Eun. *& illis crucibus,quæ nos, noſtrámque adoleſcentiam Habent deſpicatam,& quæ nos ſemper omnibus cruciant modis, Nunc referam gratiam.* M.Tull.lib.3.Accuſat. *ne hoc quidem retinebimus, iudices, vt magiſtratibus noſtris, in obtinendo iure noſtro ne contemtiſſimi ac deſpicatiſſimi eſſe videamur?* ſic enim legendũ,non vt vulgò.ac *deſpectiſſimi*,quanquam ſic olim nos quoque edidimus. Idem pro Sextio. *Ceſſi tribuni pl.deſpicatiſſimi hominis furori.* NEC MIHI IVS MEVM OBTIN. COPIA'ST.] nec mihi iuris mei obtinendi poteſtas
C datur. HAVD SATIS MEO CORDE ACCEPI Q. T.] haud ſatis animo comprehendi querelas tuas.MIRA SVNT V. SI PR.] mirum eſt,vera ſi prædicas.NAM VIRI IVS SVVM AD M. OBT.] viri,inquit,ferè mulieribus ſeruiunt,cùm debeant imperare natura: & cùm poſtulant imperare:quod cùm poſtulant,ius,& æquum poſtulant,non queunt id obtinere. Nam mulierũ genus ita eſt contumax & pertinax,vt viros in poteſtatem ſuam redigant,& cùm ipſæ eis parere debeant, eos ſibi parere, & ſeruire cogant. AD MVLIERES.] apud mulieres. QVIN MIHI ANCILL. INGR.] id eſt,quin me inuita contendit, & æquum putat, me ancillulam villico ſuo dare, quæ meo ſumtu, &c. OBSECRO, TACE.] obſecro, tace iſtuc alibi. nam hîc quidem & hoc tempore licet dicere. quia nos ſolæ ſumus. Simeo Boſius hunc locum ſic explicabat, exiſtimans orationem eſſe interruptam, & præciſam, obſecro tace. nam hîc ſubintell. ſunt aliqui, qui nos audiant, & ſermonem noſtrum captent, atque excipiant. deinde vbi circumſpectauit, ſubiungit, nunc licet dicere: nos ſumus, quæ loquimur: neque vlli alij, quàm nos, in hoc loco adſunt, qui loquantur. Ego autẽ mihi viſa eram aliquorum loquentium vocem audire. Ego priorem explicationem ſimpliciorem, & veriorem eſſe puto. ídque proximè pluribus verbis oſtendam. NOS SVMVS] nos ſolæ ſumus, quare nunc
D quidem, & hîc licet dicere, ſed alibi, & alio tempore non liceret. *nos ſumus* autem poſitum videtur,pro *nos ſolæ ſumus*,ἐλλειπτικῶς. vel cum Myrrhina eſſet additura vocem, *ſolæ*, Cleoſtrata illam interpellauit, & medium eius ſermonem interrupit. Iam *nos ſolæ ſumus*, prouerbij locum obtinet:quo vtimur,cùm ea loquimur,quorum arbitrum, & cõſcium eſſe volumus neminem, quia ſunt tacenda, recondita atque arcana:interdum cùm hortamur eum, quicum ſumus, vt, quando nullus alius arbiter adeſt, liberè quod vult, loquatur. Plato in Phedro. ἀλλὰ διανοήθητι, ὅτι ἐντεῦθεν οὐκ ἄπιμεν, πρὶν ἂν σὺ εἴπῃς ἃ ἔφησθα ἐν τῷ στήθει ἔχειν· ἐσμὲν δὲ μόνω ἐν ἐρημίᾳ, ἰσχυρότερος δὲ ἐγώ, καὶ νεώτερος. id eſt. At cogitato,nos hinc nõ abituros priuſquàm expoſueris, quæ te dixiſti in animo, & pectore habere.ſumus autem ſoli quidem in ſolitudine. validior autem ego ſum,quàm tu,& iunior. Idem in Menexeno: ὥστε κἂν ὀλίγου εἴ με κελεύοις ἀποδύντα ὀρχήσασθαι, χαρισαίμην ἄν, ἐπειδή γε μόνω ἐσμέν. id eſt, Itaque pœnè dicam ſi me iubeas,nudum ſaltare, tibi morem geram,quando quidem ſoli ſumus. Terent. Phorm. *Poſtquàm hominem his verbis ſentio mollirier:Soli ſumus nunc hîc,inquam.eho dic,quid velis Tibi dari.* M.Tull.li.6.epiſt.ad Att.*Omnino (ſoli enim ſumus) nullas vnquã ad me litteras miſit Brutus,ne proximè quidem de Appio, in quibus non ineſſet arrogans,& ἀκοινώνητον aliquid.* Plautus Ciſtell. *amabo,ſiccine iſtuc decet?* GYMN. *Iſtúque,ſáſque eſt.nemo alienus hîc eſt.* in Pœn. *fidei non melius creditur, loquere:locus,occaſióque libera'ſt, hîc ſoli ſumus.* Idem Trinum. *Mihi quòd credideris,ſumes, vti poſueris.* CA. *Circumſpice, dum tu,ne quis aſſit arbiter*
*nobis.*

*Nobis: & quæſo, identidem circumſpice.* Idem Milite glor. *Circumſpicito, dum ne quis noſtro hic auceps ſermoni ſiet. Nam hoc negotij clandeſtinò, vt agerem, mandatum'ſt mihi.* vt redeam autem ad hunc locum, in quo explicando verſamur, & cuius gratia, ſuperiora exempla collegimus, ſuſpicatus aliquando ſum, legendum *nam hîc nunc Licet dicere ſolæ ſumus*. quod ſi non probabitur, neceſſariò dicendũ erit eſſe ἔλλειψιν, vel ἀποσιώπησιν, & ſubintelligendum *ſolæ*. NAM PECVLI PROBAM NIHIL HAB.] nam cùm vxor in poteſtate viri ſit, & quæ acquirat, viro acquirat: nihil peculij habere debet, inſciente viro, ſiquidem pudica eſt. *probam*, id eſt, pudicam. QVOD HABET PARTVM] quod habet quæſitum, &c. quod quæſiuit. HAVD COMMODI'ST] haud verti in rem eius poteſt, quin aut viro ſurripiat, aut ſtupro quæſierit. TACESIS.] Tace, ſi vis, &c. NOLI SIS] noli, ſi vis, &c. QVANDO NIHIL TIBI DELIQVVM'ST.] id eſt, quoniam nihil tibi deeſt, vel vt Feſtus interpretatur, quando nihil tibi minus eſt. Varro lib. 6. de lingua Latina hunc locum profert: deinde ſubiungit, *deliquium dictum ab eo, quod deliquatur: vt, turbida quæ ſunt, deliquantur, vt liquida fiant. Aurelius ſcribit deliquium eſſe à liquido. Claudius ab eliquato*, &c. HVIC VERBO VITATO ABS T. V.] id eſt, huic verbo caueto à viro tuo. caue ne vir tuus hoc tibi dicat. verbum *vitato* iunxit cum dandi caſu, quia *caueto*, quod idem ſignificat, cum datiuo iungi ſolet. I FORAS, MVLIER ES] hoc ſolet dici in mulierem malam, & loquacem. Idem in Pœnulo, *rectius Tacitus tibi rem ſiſtam, quàm quod dictum'ſt malæ mulieri*. Idem in Rud. *Eò tacent, quia tacita bona'ſt mulier ſemper, quàm loquens*. notum illud Eurip. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. id eſt, mulieribus ornamento ſilentium eſt. Terent. Heaut. *Oh, pergin' mulier eſſe?* Eurip. in Androm. Ω παγκακίστη καὶ γυνή. τί γὰρ λέγων, Μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν; id eſt, O modis omnibus peſſima, & mulier. quod enim maledictum quiſquam grauius in te iacere poſſit, quàm hoc? IGITVR] poſtea. vel propriè accipe, hoc modo, mox igitut magis, &c. ſed illo priore modo mâlo.

## STALINO ſenex. CLEOSTRATA vxor.

STA. OMnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis anteuenire.
Nec pote'ſt quicquam commemorari, quod plus ſalis, plúſque lepôris hodie
Habeat. cocos equidem nimis demiror, qui vtuntur condimentis.
Eos eo condimento vno non vtier, omnibus quod præſtat.
Nanque vbi amor condimentum inerit, cuiuis placiturum credo.
Neque ſalſum, neque ſuaue eſſe poteſt quicquam, vbi amor non admiſcetur.
Fel, quod amarũ eſt, id mel faciet: hominẽ ex triſti lepidũ & lenẽ.
Hanc ego de me coniecturam domi facio, magis quàm ex auditis.
Qui poſtquam amo Caſinam, magis initio munditiis munditiam antideo.
Myropolas omneis ſollicito, vbicunque'ſt lepidum vnguentum, vngor,
Vt illi placeam: & placeo, vt videor. ſed vxor me excruciat, quia viuit.
Triſtem aſtare aſpicio, blandè hæc mihi mala res eſt appellanda:
Vxor mea, meáque amœnitas, quid tu agis? CL. abi, atque abſtine manum.
ST. Eia mea Iuno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Ioui.
Quò nunc abis? CL. mitte me. ST. mane. CL. non maneo. ST. at pol ego te ſequar.
CL. Obſecro ſanúſne es? ST. ſanus quando te amo. CL. nolo ames. ST. non





Poteſt impetrari. CL. enecas. ST. vera dicas velim. CL. credo ego
Iſtuc tibi. ST. reſpice ô mi lepos. CL. nempe ita vti tu mihi es.
Vnde hic, amabo, vnguẽta dolent? ST. oh, perij, manifeſtò miſer
Teneor. ceſſo caput pallio detergere? vti te bonus
Mercurius perdat myropola, quia hæc mihi dediſti. CL. eho tu
Nihili cana culex: vix teneor, quin quæ decent te, dicam.
Senecta ætate vnguentatus per vias incedis ignaue.
ST. Pol amico dedi cuidam operam dum emit
Vnguenta. CL. vt citò commentatus eſt.
Ecquid te pudet? ST. omnia quæ vis. CL. vbi in luſtra iacuiſti?
ST. Egóne in luſtra? CL. ſcio plus, quàm tu me arbitrare. ST. quid id eſt?
Quid tu ſcis? CL. te ſene omniũ ſenem neminẽ eſſe ignauiorem.
Vnde is nihili? vbi fuiſti? vbi luſtratu's? vbi bibiſti?
Adeſt mecaſtor, vide palliolũ vt rugat. ST. di me & te infelicitẽt,
Si ego in os meũ hodie vini guttam indidi. CL. imò age vt lubet,
Bibe, es, diſperde rem. ST. ohe iam ſatis vxor eſt, comprime te, nimium tinnis.
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.
Sed quid ais? iam domuiſti animum potius, vt quod vir velit
Fieri, id facias, quàm aduerſere cõtrà? CL. qua de re? ST. rogas?
Super ancilla Caſina, vt detur nuptum noſtro villico,
Seruo frugi, atque vbi illi bene ſit, ligno, aqua calida, cibo,
Veſtimentis, vbique educat pueros, quos pariat, bene:
Potius quàm illi ſeruo nequam des armigero, atque improbo,
Cui homini hodie peculi nummus non eſt, niſi plumbeus.
CL. Mirum mecaſtor te ſenecta ætate officium tuum
Nõ meminiſſe? ST. quid ais? CL. quia ſi facias rectè & cõmodè.
Me ſinas curare ancillas, quæ mea'ſt curatio.
ST. Qui, malum, homini ſcutigerulo dare lubet? CL. quia enim filio
Nos oportet opitulari vnico. ST. at quanquam vnicu'ſt,
Nihilo magis vnicus eſt ille mihi filius, quàm ego illi pater:
Illum mihi æquius eſt, quàm me illi, quæ volo, concedere.
CL. Tu æcaſtor tibi homo malam rem quæris. ST. ſubolet, ſentio.
Egóne? CL. tu. num quid frigutis? quid iſtuc tam cupidè petis?
ST. Vt enim frugi ſeruo detur, potius quàm ſeruo improbo.
CL. Quid ſi ego impetro, atque exoro à villico, cauſſa mea,
Vt eam illi permittat? ST. quid ſi ego autẽ ab armigero impetro
Eam illi permittat? atque me hoc credo impetraſſere.
CL. Cónuenit. vis tuis Chalinum huc euocem verbis foras?
Tu eum orato, ego autem orabo villicum. ST. ſanè volo.
CL. Iam hic erit, nunc experiemur, noſtrûm vter ſit blandior.
ST. Hercules, diíque iſtam perdant, quod nunc liceat dicere.
Ego diſcrucior miſer amore: illa autem quaſi ob induſtriam

Mihi aduorſatur. ſubolet hoc iam vxori, quod ego machinor, A
Propter eam rem magis armigero dat operam de induſtria.

OMNIBVS REBVS EGO AMB. CR.] ego credo amorem omnibus rebus, & nitoribus nitidis antecellere, ac præſtare. NITORIBVS NITIDIS.] *nitoribus nitidis*, ex illo genere eſt, in quo nomen adiectiuum, & ſubſtãtiuum, ſunt eiuſdem originis: vt ſuprà *amœnitate amœna*, in Capt. & apud Lucretium. *ſonitu ſonanti*. lib. I. ibi, *ſonitu diſtare ſonanti*. NEC POTE'ST Q. COMM.] nec poteſt quidquam dici. al. *nec potis q. comm.* QVOD PLVS SALIS PLVSQ. LEP.] quod ſalſius, lepidiúſq; ſit. NIMIS DEMIROR,] magnopere demiror. QVI VTVNTVR CONDIM.] qui adhibent condimenta in cibis. EO CONDIMENTO] amore. NANQ. VBI AMOR COND.] id eſt, nam quo in cibo amor erit pro condimento, cuiuis eum cibum placiturum credo. ID, MEL FACIET,] amor fel faciet videri mel. vel ſic, amor faciet, vt fel, quod amarum eſt ſuapte natura, ſit mel. vel ſic, amor mel ex felle faciet. EX TRISTI] ex inſuaui, acerbo, & iracundo, & iniucundo, faciet comem, elegantem, & tranquillum. DE ME] ex me. DOMI] non quæro foris exemplum, cùm habeam domi. MAGIS INITIO] magis, quàm initio. MVNDITIIS M. ANTIDEO.] hyperbole B eiuſdem fere generis eſt illud, ſuprà. *nũquam ædepol ieiunium Ieiunum'ſt æquè, atque ego ruri reddibo te.* antideo autẽ, id eſt, anteeo antecedo, ſupero. MYROPOLAS OMNEIS SOLLICITO.] vnguẽtarios, ſeu vnguentorũ venditores omneis ſollicitos reddo. VBICVNQVE'ST LEP. VNG.] apud quoſcunque eſt blandum & ſuaue vnguentum. VT VIDEOR.] vt mihi videor ὡς φαίνομαι. SED VXOR ME EXCRVCIAT, Q. V.] viri apud Plautũ vxorib. ſuis mortẽ exoptant exempli cauſa in Trin. *Quid agit ſua vxor! vt valet!* MEG. *plus quàm ego volo.* BLANDÈ HÆC MIHI M. R. &c.] hæc mala res, videlicet, vxor, blandis verbis mihi eſt appellanda. QVID TV AGIS?] hæc dum loquitur Stalino, vxorem leni manu demulcet, & vt in Amphitr. loquitur, *palpo percutit*. MEA IVNO.] ſic infrà ead. fab. *quia iuſsit hæc Iuno mea*. SANVS, QVANDO TE DAMO] ſanus ſum, quoniã te amo. NON POTEST IMPETRARI.] non poteſt à me impetrari, vt te non amem. VERA DICAS VELIM] velim te à me eſſe enecatam. velim ita ſit, vt dicis, te à me enecari. RESPICE Ô MI LEP.] reſpice ad me, ô mea lepidiſſima vxor. faciem tuam ad me cõuerte. retro adſpice. VNGVENTA DOLENT?] *vnguenta dolent*, dictum eſt, pro, vnguenta olent, d, conſonante interpoſita hiatus vitandi gratia, & propter verſum. MANIF. MIS. TENEOR] καταφωρῶμαι in ipſo furto deprehendor. ἐπ' αὐτοφώρῳ ἑάλωκα. QVIA HÆC MIHI DEDISTI] malim legi, qui hæc mihi dediſti. C CANA CVLEX] ſic appellat ſenem amatorem inſtar culicis fœtidum. vel proinde moleſtum, & odioſum, vt ſunt culices, qui formoſis puellis, dum eas vel pro muſcide ſua verberant, & pertundunt, vel ſuo tinnitu obtundunt, & ſomnum capere non ſinunt, moleſti ſunt. *Culex* hoc loco fœminini generis eſt, apud Horat. maſcul. Sat. 5. lib. I. *mali culices, ranæq; paluſtres Auertunt ſomnos*. & apud Virg. in Culice in extr. *Parue culex pecudum cuſtos tibi tale merenti, Funeris officiũ vitæ pro munere reddit.* SENECTA ÆTATE.] ætate ſenio confecta. Lucret. lib. 5. *Poſt vbi equum validæ vires ætate ſenecta, Membráque deficiunt*, &c. Idem lib. 3. *Quidue foras ſibi volt membris exire ſenectis?* Plautus ſuprà Aulul. *quem ſenecta ætate ludos facias.* VNGVENTATVS] vnguento delibutus. COMMENTATVS EST?] commẽtus eſt! falſam cauſam excogitauit? fortaſſe verò legendum, *commentus eſt?* ECQVID TE PVDET] nunquid te pudet? OMNIA QVÆ VIS] volo omnia, quæ vis. ſermo aſſentientis, & placere ſtudentis, vel etiam bene precantis, & beneuolentiam ſignificantis. ſic Horat. Sat. 9. lib. I. *& cupio omnia, quæ vis*. Iterum Plautus in Ciſtellar. *quodcunque optes, velim tibi contingere*. Idem in Perſa. *Omnia, quæ tu vis, ea cupio.* VBI IN LVSTRA IACVISTI?] vbi iacuiſti ad luſtrandum? id eſt, ſcortandum? in luſtra, id eſt, ob luſtra, luſtrorum gratia. vel in luſtra, id eſt ſuper luſtra, & in luſtris. TE SENE OMNIVM D SENEM NEM.] ſcio te ſene ſenem neminem, id eſt, nullum ſenem ex omnibus ſenibus, eſſe ignauiorem. Quidam legi volunt, te ſene omnium ſenum neminem eſſe ignauiorem. ego nihil muto: neque tamen illam lectionem improbarem, ſi eam vetus aliquis codex comprobaret. VNDE IS NIHILI?] vnde venis, homo nequiſſime? VBI LVSTRATV'S?] vbi ſcortatus es? profert hunc locum Nonius, ſed mendoſè, in voce luſtratus: quam interpretatur luxurioſus, planè labens. VT RVGAT?] vide, quo pacto palliolum rugoſum eſt? ex pallio rugoſo, cognoſcit mulier virum iacuiſſe aliquo in loco. INFELICITENT,] infelicem faciant, &c. vtitur hoc verbo non vno loco, vt in Epid. *Dij immortales te infelicitẽt, vt tu is gradibus grandibus.* INDIDI.] inieci. immiſi. ES] *es*, imperatiui modi, ab edo, es, eſt. ede. NIMIVM TINNIS.] nimis acutam vocem iacis. nimis acutè clamas. trãſlatio eſt ab ære: cuius ſonitus acutus aureis acriter ferit, ac verberat. In prologo Pœnuli. *Matronæ tacitæ ſpectent: tacitæ rideant. Canora hîc voce ſua tinnire temperent:* ſuprà in Aſin. *tandem opinor, Conticuit nunc adeam optimum'ſt priuſquam incipit tinnire.* RELINQVE ALIQVANTVM ORATI. CRAS Q. M.] noli orationem omnem tuam, qua mecum litigas, conſumere: ſed relinque aliquantum, vt habeas cras, vnde mecum litiges. SED QVID AIS?] *quid ais?* ſermo nouum ſermonem inſtituentis, & percunctari cogitantis



A cogitantis, & parantis. ADVERSERE CONTRÀ?] pleonaſmus. NOSTRO VILLICO,] Olympioni. ATQVE VBI ILLI BENE SIT.] atque apud quem Caſina bene accipiatur, & beata ſit. EDVCAT P.] alat benè, & ad ætatem maturam perducat pueros, quos pariat. ILLI SERVO NEQ.] Chalino ſeruo improbo, & inutili. NVMMVS PECVLI NON EST,] non eſt peculium, quod nummo ſit æſtimandum. ſic ſæpè loquuntur boni ſcriptores. Cornelius Nepos in Timotheo. *Ab eo mille, & ducenta talenta prædæ in publicum detulit.* NISI PLVMBEVS.] plumbeus nummus nullius pretij eſt, niſi fortè tanti eſt, quãti plumbum eſt, vnde factus eſt. Plautus in Moſtell. *Tace ſis faber, qui cudere ſoles plumbeos Nummos.* Idem in Trinummo. *Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.* NE SINAS CVRARE ANCILL. QVÆ M.'ST CVRATIO] Xenophon, & Ariſtoteles in Oeconomicis diſtinguunt officia virilia ab officiis muliebribus. Et Ariſtoteles in Politicis oſtendit, alias eſſe virtutes virileis, alias muliebreis, ex eo quod alia ſint viri officia, alia mulieris. MALVM.] malum, hîc aduerbium, ſeu potius interiectio eſt. de qua ſuprà. SCVTIGERVLO.] ſcutigerulo dixit, pro ſcutigero, ad contemtum. TV ÆCAST. T. H. MALVM R. Q.] tu tibi malam rem arceſſis iumento tuo. Sic enim loquitur in Amphitr. SVBOLET SENTIO.] hæc ſecum loquitur Stalino ſummiſſa voce, ne exaudiat vxor. ſubolet, inquit, vxori B meæ conſilium meum vel amor meus, vel nequitia mea denique. Sic Terent. Heautont. *Sed ille tuus quoque Syrus idem mirè finxit filium, vt ne paullulum quidem ſuboleat eſſe amicam hanc Cliniæ.* eſt autem tralatio à ſenſu odorandi. EGÓNE?] nunc clariùs loquitur, & ad vxorẽ verſus. egóne, inquit, mihi malam rem quæro? NAM QVID FRIGVTIS?] *frigi, & frigutire, & fritinnire*, inquit Nonius, *eſt cum ſono ſubſilire, & erigi, & excitari, quod quæcunque friguntur, vel frigent, ea vel nimio calore, vel nimio frigore ſubſiliunt.* Deinde profert hunc locum Fulgentius ſimiliter. *frigutire*, inquit, *dicitur ſubtiliter adgarrire.* Plautus Caſina, &c. Feſtus, *fringilla*, inquit, *auis dicta, quòd frigore cantet, & vigeat. vnde & frigutire.* poſtremo Varro quoque hunc locum profert lib. 6. de Lingua Latina, ſignificátque hoc verbum tranſlatum eſſe à fringuilla aui. itaque ſcriptum eſt apud eum *fringatis* non *frigutis*. QVID ISTVC TAM CVPIDÈ PETIS?] ἐπεξήγησις ſeu ἑρμηνεία. Nam idem dicit aliis verbis. frigutire enim, eſt geſtu corporis cupiditatem animi declarare. IMPETRASSERE] impetraturum eſſe. CONVENIT.] conuenit inter nos. ὁμολογοῦμεν. NOSTRÛM VTER SIT BLAND.] vter noſtrûm ſit blandior ad perſuadendum ſeruis, quod vterque noſtrûm volet. blandi propriè dicuntur à Latinis, qui molli & illecebroſo ſermone vtentes, delectare, & flectere volunt, non expugnare, aut alienare. C Horat. Sat. I. lib. I. *vt pueris olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint vt diſcere prima.* Idem de Orpheo oda 12. lib. I. *Blandum & auritas fidibus canoris Ducere quercus.* HERCVLES DIÍQVE, &c.] hæc ſecum loquitur ſenex ad ſpectatores verſus. QVOD NVNC LICEAT DIC.] cùm ſolus ſum, & abſente, ſeu non audiente vxore, quæ iuſerat Chalinum euocatum. QVASI OB INDVSTRIAM,] quaſi de induſtria. ſic loquitur infrà ead. fab. *quaſi ob induſtriam, quanto ego plus propero, tanto minus.* SVBOLET HOC IAM VXORI, QVOD EGO MACHINOR.] ſubodoratur hoc iam vxor, quod ego paro, & molior. ſuſpicatur iam vxor, quod ſtruo.

## STALINO ſenex, CHALINVS ſenex.

STA. QVi illũ dij omnes deæque perdant. CH. te vxor aiebat tua
Me vocare. STA. ego enim vocari iuſſi. CH. eloquere
D quid velis.
ST. Primùm ego te porrectiore fronte volo mecum loqui,
CH. Stultitia'ſt ei te eſſe triſtem, cuius poteſtas plus poteſt.
ST. Per bonæ frugi hominem iampridem eſſe arbitror. CHAL. intelligo.
Quin ſi ita arbitrare, emittis me manus? ST. quin id volo,
Sed nihil eſt, cupere me factum, niſi tu factis adiuuas.
CH. Quod velis modò, id velim me ſcire. ST. auſculta, ego loquar:
Caſinam ego vxorem promiſi villico noſtro dare.
CH. At tua vxor, filiúſque promiſerunt mihi. ST. ſcio,
Sed vtrùm nunc tu, cœlibem eſſe te mauis liberum,
An maritum ſeruum ætatem degere & natos tuos?

Optio hæc tua'ſt, vtram harum vis conditionem accipe. A
CH. Liber ſi ſim, meo periculo viuam, nunc viuo tuo.
De Caſina certum eſt concedere homini nato nemini.
ST. Intrò abi, atque actutum vxorem huc euoca ante ædis citò.
Et ſitulam huc tecum afferto cum aqua & ſorteis. CHAL. ſatis,
placet.
ST. Ego pol iſtam iam aliquouorſum tragulam decidero.
Nam ſi ſic nihil impetrare potero, ſaltem ſortiar.
Ibi ego te & ſuffragatores tuos vlciſcar. CH. attamen
Mihi obtinget ſors. ST. vt quidem pol pereas cruciatu malo.
CH. Mihi illa nubet, machinare quod lubet quouis modo.
ST. Abin hinc ab oculis? CH. inuitus me vides, viuam tamen.
ST. Súmne ego miſer homo? ſatin' omnes res ſunt aduorſæ mihi? B
Iam metuo, ne Olympionem mea vxor exorauerit,
Ne Caſinam ducat. ſi id factum eſt, ecce me nullum ſenem:
Si non impetrauit, etiam ſpecula inſorti reſtat mihi.
Si ſors autem decollaſſit, gladium faciam culcitam,
Eúmque incumbam. ſed progreditur optimè, eccum Olympio.

QVI ILLVM DII OMNES, &c.] qui, pro, vt, vel vtinam. ſic ferè Donatus ad illud Terentij in Phormione. *eſt paraſitus quidam Phormio homo confidens, qui illum dij omnes perduint,* &c. hæc enim notat, *Qui, vtinam eſt.* vt Lucilius in 2. *Qui te Nomentane, malum, iam cetera perdat, aut, Qui hoc conſilium, quod dicam, dedit.* Idem ibidem. *Qui, aut expletiuum eſt, aut pronomen, quo incipiens Phormionem deſcribere, cohorruit, commemoratione eius, & in hanc vocem, quaſi confuſus, erupit,* &c. Sed quanuis, *qui,* poſſit eſſe apud Terent. pronomen, hîc tamen non poteſt eſſe. Dicamus igitur, poſitum pro, vt, ſeu vtinam. ſic Marc. Tullius lib. 4. epiſtol. ad Attic. *De Apollonio quod ſcribis, qui illi dij irati, homini Græco,* &c. Plaut. Menæchm. *Qui illum dij omnes perduint, qui primus commentus eſt concionem,* &c. Idem in Perſa. *Qui illam Perſam atque omnes Perſas, atque etiam omneis perſonas Malè dij omnes perdant,* &c. Idem in Trin. *Hem, iſtuc erit. qui iſtum dij perdant.* Iam verò *illum,* hoc eſt, Chalinum. PORRECTIORE FRONTE] hilariore, explicatiore, ex ſigno, id, quod ſignificatur, intelligendum. nam ſignum pro eo, quod ſignificatur, poſitum eſt. frons enim porrecta, hilaritatem & lætitiam: contracta, triſtitiam & mœſtitiam ſignificat. Terent. Adelphis. *date hodie mihi. Exporge frontem.* Sic aliis corporis partibus, alij animi affectus indicantur: quarum rerum complura collegimus exempla in Commentariis Horatianis ad illum locum: *Deme ſupercilio nubem,* &c. epiſtol. 18. lib. 1. STVLTITIA'ST EI TE ESSE TRIST. CVIVS, &c.] id eſt, ſtultus eſt, qui ſe triſtem ei præbet, qui plus poteſt. vel ſtulti ſunt, qui ſe triſteis ei præbẽt, &c. vel ſtulti ſimus, ſi nos triſteis ei præbeamus, qui plus poteſt. ſecunda perſona poſita eſt pro tertia infinita, vel pro prima, aut tertia plurali. Idem in Pœnulo, *qui bene volunt, bene vis item.* id eſt, iis, qui bene nobis volunt, nos ſimiliter benè volumus. tale eſt, & illud eiuſdem in Sticho. *nimia voluptas eſt, ſi diu afueris domo, Domum ſi redieris, ſi tibi nulla'ſt ægritudo animo obuiam.* PER BONÆ FR. HOM.] vel ſubintelligendum *te,* ſeu repetendum ex illo verſu, *primùm ego te,* &c. vel legendum *te bonæ frugi,* &c. QVIN, SI ITA ARB.] quamobrem non, ſi ita arb. &c. QVIN ID VOLO.] Immò verò id ipſum volo. *quin* ſecundo loco poſitum, & quod eſt in reſponſione Stalinonis, aliter vſurpatur, quàm quod in ſerui interrogatione eſt. SED NIHIL EST CVP. ME F.] id eſt, ſed fruſtrà cupiam te eſſe liberum, niſi tu me factis tuis re & opera tua adiuuas. COELIBEM] *cælibem dictum exiſtimant, quòd dignam cælo vitam agat,* inquit Feſtus, Cœlebs opponitur marito. id, quod indicat & hoc, *vtrùm nunc tu cælibem eſſe te mauis liberum, An maritum ſeruum,* &c. & illud ex Merc. in extr. *Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus, Seu maritum, ſiue adeò hercle cælibem ſcortarier, Cum eo nos hîc lege agemus,* &c. OPTIO TVA'ST.] optandi poteſtas tua eſt. eligere tibi licet. VTRAM HARVM VIS CONDITIONEM ACC.] al. vtram harum vis conditionum accipe. MEO PERICVLO V.] non alieno. NVNC VIVO TVO.] quia ſeruus, non eſt ſuus, ſed domini. Itaque viuit, & moritur periculo domini. mortuo enim ſeruo, damno afficitur dominus: & quanto ſeruus, qui mortuus eſt, pretioſior eſt, tanto maiore detrimẽto afficitur. CONCEDERE] cedere. HOMINI NATO] ſic ſępe loquitur, vt in Moſtel. *Tanquàm ſi intus natus nemo in ædibus habitet.* Idem



A Idẽ in Rud. *dominus huic nemo, ne fruſtra ſies Niſi ego nemo natu'ſt.* ET SITVLAM HVC TECVM EFF. CVM AQ. ET SOR.] ex hoc loco maximè, & ceteris, quæ ad hunc locum pertinẽt, quomodo ſortirentur veteres, cognoſcere licet. Nam primùm vas, in quod coniiciendæ erant ſortes, implebatur aqua: neque in vas inane coniiciebantur ſortes: deinde ſortes erant ligneæ, non terrenæ, ſeu terreæ, ne liqueſcerent in aqua, vt ſors Ariſtodemi liberorum olim delicuit. deinde in ſortibus inſcripta erant ſortientium nomina, vel aliquid, quod eſſet loco nominis, vt hîc erant inſcriptæ numerorum notæ, videlicet vnum & duo. & ea quidem ſors, quæ vnum ſcriptum habet, fuit Olympionis: Altera Chalini. in libro autem, 2. Accuſ. ſortientium nomina ſcripta ſunt: quem locum mox proferemus. Poſtremò, cuius ſors prima exibat, vel educebatur, is vincebat. Quam autem hîc Plautus ſitulam nomine Latino dicit. M. Tull. hydriam Græco appellat in lib. illo. 2. Accuſ. EGO POL ISTAM IAM ALIQVOVORSVM TRAGVLAM DECIDERO.] allegoria eſt ducta à re militari. erat autem tragula iaculi genus, quod & tormento, & manu mittebatur: & adiectum, atque affixum, vel ab ea parte, qua adactũ erat, auellebatur, vel à contraria: atque vt commodiùs auelleretur, interdum vulnus erat latius aperiendum: quod decidere telum dicebant Latini, vt Homerus ἐκτάμνειν. Eſt enim ἐκτάμνειν βέλος apud Homerum, vulnere latius inciſo telum euellere. Feſtus, tragula, in- B quit, eſt genus teli, dicta quod ſcuto infixa trahatur. Nonius, tragula, inquit, eſt haſta. deinde profert hæc verba ex Salluſtio lib. 3. hiſt. *aut ille, ceruum qui volaticè currentem ſparo ſecutus, aut tragula traiicit.* hoc igitur ſignificat, ego vxoris meæ conatus, aſtutias, & machinas aliqua ratione, atque aliquo modo depulero, ac deiecero. Nonnulli tamen hîc legunt *deiecero.* NIHIL IMPETRARE P.] nihil efficere potero: nihil aſſequi potero: οὐδὲν ἀνύειν δυνήσομαι. VT QVIDEM POL PEREAS &c.] tibi ſors ea obtinget, vt pereas cum cruciatu malo. MACHINARE QVOD LVBET.] quas libet machinas adpara atque admoue. quod tibi lubet, molire. Lucret. lib. 3. *Nam tibi præterea quod machiner, inueniámque Quod placeat, nihil eſt.* ad quem locum de hoc verbo plura. ABIN' HINC AB OCVLIS?] abíſne hinc à conſpectu meo? SÚMNE EGO MISER HOMO?] nónne ego ſum miſer homo? *ne* interrogatiuum, reſponſionẽ aientem includens, & poſtulans. SATIN' OMNES RES, &c.] nónne affatim res omnes mihi aduerſæ ſunt? ECCE ME NVLLVM S.] ego planè perij. SI NON IMPETRAVIT,] ſi non exorauit Olympionem vxor, ne Caſinã vxorem ducat. SPECVLA.] parua ſpes. vſus eſt eodem nomine & M. Tullius in epiſt. ad M. Cœlium. lib. 2. epiſt. *& eo magis, quòd in communibus miſeriis hac tamen oblectabar ſpecula,* &c. IN SORTI] in ſorte. C SI SORS AVTEM DECOLLASSIT,] ſi ſors autem decollauerit, & c. decollauerit, id eſt, deſtituerit, fefellerit: vel vt alij malunt, defluxerit, euanuerit, vt ſcribatur vno l. vtitur eodem verbo & ſuprà in Capt. *eſt illic mihi vna ſpes cenatica. Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem. ad cenam aſperam.* GLADIVM FACIAM CVLCITAM, &c.] faciam ex gladio culcitam, & in eum incumbam. incubabo gladio tanquam culcitæ. pectus mihi gladio transfodiam. Suetonius in Auguſto. *quærentibúſque amicis quidnam Aiax ageret, reſpondit, Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* M. Tull. lib. 2. de Inuent. Rhet. *Ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem in naui incumberet.* Lucilius *Suſpendátne ſe, an in gladium incumbat, ne cælum videat. culcita, dicta eſt ab eo, quòd tomento inculcatur.* inquit Feſtus. ſic ferè Varro lib. 4. de Ling. Lat. *poſteaquàm tranſierunt ad culcitas, quòd in eas algam, aut tomentum aliúdue quid calcabant, ab inculcando culcita dicta: hinc quidquid inſternebant, à ſternendo culcitam appellarunt.* M. Tull. lib. 4. Tuſcul. *Eripiamus huic ægritudinem quomodo? collocemus in culcita plumea, pſaltriam adducamus.* EÚMQVE INCVMBAM] id eſt, in eúmque incumbam, ſic dictũ *eum incumbam,* vt propugnare nugis, & adigere arbitrum, adigere iuſiurandum, & ſimil. de quibus in commentariis Horatianis & Lucretianis. interpretatio autem eſt ſuperiorum, ſiue ἑρμηνεία. PROGREDIITVR.] procedit, prodit foras, egreditur.
D

## OLYMPIO villicus, STALINO ſenex.

OL. VNà edepol opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera.
Quàm iſtam operam à me impetres, quod poſtulas.
STA. Saluus ſum, ſalua ſpes eſt, vt verba audio.
OL. Quid tu me verò libertate territas?
Quid ſi tu nolis, filiúſque etiam tuus?
Vobis inuitis, atque amborum ingratiis,
Vna libella liber poſſum fieri.

STA. Quid iſtuc eſt? qui cum litigas Olympio? A
OL. Cum eadem, qua tu ſemper. ST. cum vxore ne mea?
OL. Quam tu mihi vxorem? quaſi venator tu quidem es:
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
STA. Quid ait? quid loquitur tecum? OL. orat, obſecrat,
Ne Caſinam vxorem ducam. ST. quid tu poſtea?
OL. Negaui enim ipſi me conceſſurum Ioui,
Si is mecum oraret. ST. di te ſeruaſſint mihi.
OL. Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.
STA. Edepol ego illam mediam diruptam velim.
OL. Credo edepol eſſe, ſiquidem tu frugi bonæ es:
Verùm edepol tua mihi odioſa eſt amatio.
Inimica eſt tua vxor mihi, inimicus filius, B
Inimici familiares. ST. quid id refert tua?
Vnus tibi hic, dum propitius ſit Iuppiter,
Tu iſtos minutos caue deos floccifeceris.
OL. Nugæ ſunt iſtæ magnæ. quaſi tu neſcias,
Repentè vt emoriantur humani Ioues?
Sed tandem ſi tu Iuppiter ſis emortuus,
Quum ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi ſubueniet tergo, aut capiti, aut cruribus?
STA. Opinione melius res tibi habet tua,
Si hoc impetramus, vt ego cum Caſina cubem.
OL. Non hercle opinor poſſe, ita vxor acriter C
Tua inſtat, ne mihi detur. ST. at ego ſic agam,
Coniiciam ſortis, in ſitellam, & ſortiar
Tibi & Chalino, ita rem natam eſſe intelligo.
Neceſſum eſt vorſis gladiis depugnarier.
OL. Quid ſi ſors aliter, quàm voles, euenerit?
STA. Benedice. Dis ſum fretus, deos ſperauimus.
OL. Non ego iſtud verbum emiſſim titiuilitio.
Nam omnes mortales deis ſunt freti, ſed tamen
Vidi ego dis fretos ſæpe multos decipi.
STA. Tace parumper. OL. quid vis? ST. eccum exit foras, D
Chalinus intus cum ſitella & ſortibus.
Nunc nos collatis ſignis depugnabimus.

VNA ÆDEPOL OPERA, &c.] Quemadmodum in ſuperiore ſcena Stalino ſenex egit cum Chalino de Caſina Olympioni concedenda, ſed fruſtra: ita hîc Cleoſtrata non poteſt impetrare ab Olympione, ne Caſinam vxorem ducat. hoc enim ex Olympionis reſponſione intelligimus multis verbis egiſſe cum Olympione Cleoſtratam, vt Caſinam vxorem poſcere deſineret: ſed inanem operam ſumſiſſe. Sic enim reſpondet Olympio. *Vna ædepol opera in furn. cul.* &c. proinde quaſi dicat, me potius in furnum calidum condi, & ibi pro pane rubido torreri patiar, quàm Caſinam mihi præripi: aut quàm iſtuc, quod petis, à me impetrari. vel ſic. quemadmodum inanem operam ſumas, ſi me in furnum calidum pro pane ruuido, ſeu ruido condas, ibíque igne exuras: ita cum me oras, vt Caſinam mihi vxorem poſcere deſinam, operam perdis. TORRETO,] igni vrito, ſic Feſtus in verbo *torrere*. vbi & hunc locum profert. PRO PANE RVBIDO.] *Rubidus apud Plautum panis vocatur*, inquit Feſtus, *parum coctus*



A *coctus*. Item ſcorteæ ampullæ, rugoſæ, rubidæ dici ſolent. Deinde profert hunc locum. Ego & *rubidus* apud Feſtum, & *rubido* hîc apud Plautum mendoſè ſcripta eſſe arbitror, illícque *ruuidus*, hîc *ruuido* ſcribendum puto: aut, vt Hermolao Barbaro videtur in gloſſematis Plinianis, illic *ruidus*, hîc *ruido* ſcribendum eſt. Nam ruidum dici mihi videtur, quod eſt rude, ſcabrum, & impolitum, quales ſunt panes non bene piſti. Ex quo aliquando exiſtimaui legendum apud Feſtũ *parum piſtus*: non parùm coctus. Nonnulli panem rubidum, ſeu ruuidum eſſe panem bis coctum, quem nauticum vulgò appellant. QVÀM ISTAM OPERAM, &c.] potiùs quàm quod poſtulas, vt iſtam operam à me impetres. vel, potiùs quàm vt ſperes te iſtam operam impetrare poſſe, quod poſtulas: id eſt, quam rem poſtulas. SALVA SPES EST,] ſalua ſpes eſt, & occiſa ſpes eſt, opponuntur inter ſe. Dicunt Latini etiam *occidit ſpes*, vt Horat. od. 4. lib. 4. *occidit, occidit ſpes omnis, & fortuna noſtri nominis, Haſdrubale interempto*. Et Plautus ſuprà in Captiuis. *ea ſpes elapſa eſt*, &c. ATQVE AMBORVM INGRATIIS] idem dicit, nam vobis ambobus inuitis, & veſtrûm amborum ingratiis idem valent. Ex hoc loco vel maximè apparet *ingratiis* nomen eſſe, non aduerbium, de quo in Commentariis Lucretianis plura. VNA LIBELLA LIBER POSS. F.] paronomaſia. Libella autem, (vt docet Varro lib. 5. de lingua Latina,) eſt decima pars denarij, quia as libram pondo valebat, & erat ex argento parua. Itaque
B vna libella, id eſt, exiguo pretio. M. Tullius pro Roſcio Comœdo. *hic niſi planum facit* HS. 1000. *ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit*. Idem lib. 2. accuſat. *Ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, vnam libellam dediſſet?* Plaut. in Capt. *At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis*. Idem in Pſeud. *quid ego ni fleam, Cui nec paratus nummus argenti ſiet, Neque cui libellæ ſpes ſit vſquam gentium?* Propterea autem dicit Olympio, ſe vna libella liberum poſſe fieri, quia ſperat, ſe, ſi Caſinam vxorem ducat, & heri ſui amoribus morem gerat, facilè libertatem conſecuturum. EVM CANE] canem dicit, quia aſſiduè latrat, vt canis. ſic in Menæchm. *Ita me illa rabioſa fœmina obſeruat canis*. ibidem, *Nam dudum vxorem ſuam eſſe aiebat rabioſam canem*. Idem Mil. Glor. *Licuit vxorem dotatam genere ſummo ducere. Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere*. NEGAVI ENIM IPSI ME CONCESS.] tale eſt illud Catuli, quod & Boſius ad hunc locum adſcripſerat. *Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle, Quàm mihi, non ſi ſe Iupiter ipſe petat*. SI IS MECVM ORARET.] ſi is mecum ageret. SERVASSINT M.] ſeruarint mihi. optantis. IN FERMENTO TOTA'ST.] fermentum, à feruendo dictum, quòd ſuo feruore farinæ maſſam turgidam reddat. in fermento eſt, igitur, id eſt, irata eſt: ira turgeſcit. ITA TVRGET MIHI.] ira ſcilicet. declarat quod prius obſcuriùs dixerat. Sic Achilles apud Homerum ἰλ. ἰῶτα. Ἀλλά μοι οἰδάνεται
C κραδίη χόλῳ. &c. quod ſic vertit M. Tull. lib. 3. Tuſcul. quæſt. *At mihi cor penitus turgeſcit triſtibus iris*, &c. & Horat. oda 13. lib. 1. *væ, meum Feruens difficili bile tumet iecur*. Eadem ſententia dixit de irato in Bacchid. *Sufflatus ille huc veniet*. MEDIAM DIRVPTAM V.] ſic reſpondet Piſtoclerus ad illud, quod dixerat paraſitus, *ſufflatus ille huc veniet*. PIST. *diruptum velim*. Ex quo intelligere licet, ſufflari & turgere, per tranſlationẽ dici de eo qui iraſcitur. CREDO ÆDEPOL ESSE] credo ædepol ita eſſe, vt dicis. AMATIO] tua amatio. τὸ ἐρᾷν σε. INIMICA'ST TVA VXOR M. &c.] tale eſt illud Horatij, quamuis differat perſonis. Satyr. 1. lib. 1. *Non vxor ſaluum te vult, non filius, omnes vicini oderunt, noti, pueri, atque puelli*. DVM PROPITIVS, &c.]. Dum modò ego tibi propitius ſim, qui ſum paterfamiliâs, & rex domus: cõtemne omneis alios familiares, qui ſunt me inferiores, ac minores. allegoria eſt. MINVTOS CAVE DEOS FLOCCI F.] noli flocci facere deos minores: id eſt, vxorem, filium, &c. caue flocci feceris, hyperbole. alludit autem ad deos maiorum gentium, qui ſunt numero 12. & minorũ gentium. Sunt autem 12. hi, ab Ennio duobus verſibus comprehenſi, Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Ceteri minorum ſunt gentium, vt Bacchus, Hercules, Æſculapius, Iuuentas, &c. M. Tull. lib. 1. Tuſcul. quæſt. *Ipſi illi maiorum*
D *gentium Dij, qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperientur*. Idem lib. 4. Academic. quæſt. *Cleanthes, qui quaſi maiorũ eſt gentium, Stoicus*. &c. Idem lib. 9. epiſt. ad Papir. Pætum. *Fuerunt enim patritij minorum gentium*. Maiorum autem gentium patritij, vt dicam ἐν παρόδῳ, dicti ſunt patres qui à Romulo lecti ſunt, & eorum progenies: minorum gentium qui à Priſco, eorúmque ſuboles. Tacitus lib. 11. *Iiſdem diebus in numerum patritiorum adſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis iam reliquis familiarum, quos Romulus maiorum, & Lucius Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiam, quas dictator Cæſar L. Caſſia Princeps Auguſtus Lege Seuia ſublegere: Lætáque hæc in rep. munia muto gaudio Cenſoris mibantur*. HVMANI IOVES] mortales Ioues, qualis tu es, Ioues à ſingulari nominatiuo, Iouis, vt vult Priſcian. lib. 6. vbi hunc locum profert. AD DEOS MINORES.] ad deos minorum gentium. QVIS MIHI SVBVENIET, &c.] al. quis me ſubueniet, &c. OPINIONE MELIVS, &c.] melius, quàm opinaris. ITA REM NATAM ESSE INTELL.] eam naturam rei eſſe video, eiuſmodi naturæ negotium eſſe intelligo, &c. NECESSVM'ST VORSIS GLAD. DEPVGN.] neceſſe eſt omni contentione dimicari. prouerbium olet. *vorſis gladiis*, id eſt, rotatis, & circumactis gladiis. tractum à gladiatoribus, qui ſine vlla diſſimulatione, neque animi, aut ludicri cauſa, ſed ſeriò, & vitam alter alterius petentes, digladiantur. BENEDICE.] εὐφήμει, bona verba loquere, bene ominare. ſic ſuprà in Aſin. *Eia benedicite*. & in Aulularia. *Bono animo es, & benedice*.

DEOS SPERAVIMVS] in diis ſpes noſtras collocatas habemus. aliter Virg.lib.1. Æneid. *Si genus humanum, & mortalia temnitis arma: At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.* ISTVD VERBVM] iſtud dictum, iſtud quod dixiſti. NON EGO ISTVD VERBVM EMISS. TITIVIL.] non iſtud quod modò dixiſti, nempe te diis fretum eſſe, & in diis ſpes tuas poſitas habere, emiſſim, id eſt, emerim titiuilitio, id eſt, re nullius pretii. titiuilitiũ, inquit Feſt. nullius ſignificationis eſt, vt apud Græcos βλίτυρι, σκινδαψός. Plautus, non ego, &c. Sed Fulgentius, titiuilitium dici voluerunt, inquit, fila putrida, quæ de telis cadunt. Deinde hunc locum profert. putat Turnebus lib.16. aduerſ.cap.3. Fulgentium legiſſe textiuilitium apud Plautum, vt ſit nomen compoſitum ex textu, & vilitate. NAM OMNES MORTALES, &c.] ſententia impia, quam Plautus ſapienter auctori improbo, & planè ea digno attribuit. INTVS.] domo. COLLATIS SIGNIS] alia metaphora, ſeu allegoria à re militari. conferri ſigna enim dicuntur, cùm duo exercitus concurrunt & confligunt. eadem ferè ſententia dixit, *verſis gladiis.* A

## CLEOSTRATA vxor, CHALINVS, STALINO, OLYMPIO.

B

CL. Face Chaline me certiorem, quid meus vir me velit?
CH. Ille ædepol videre ardentem te extra portam Metiam,
Credo caſtor velle. CL. at pol ego haud credo, ſed certò ſcio.
ST. Plus artificum eſt mi quàm rebar, hariolum hunc habeo domi.
Quid ſi propius attollamus ſigna, eamúſque obuiam?
Sequere. quid vos agitis? CH. aſſunt quæ imperauiſti omnia,
Vxor, ſortes, ſitula, atque egomet. ST. te vno adeſt pluſquam ego volo.
CH. Tibi quidem edepol ita videtur, ſtimulus ego nunc ſum tibi,
Ego quòd corculum aſſudaſſit iam ex metu. ST. maſtigia.
CL. Tace Chaline. CH. comprime iſtum. OL. immò iſtunc. C
ST. Depone hic ſitellam, ſortis cedo mihi, animum aduortite,
Atque ego cenſui abs te poſſe hoc me impetrare vxor mea,
Caſina vt vxor mihi daretur, & nunc etiam cenſeo.
CL. Tibi daretur illa? ST. mihi enim, ah non id volui dicere.
Dum mihi volui, huic dixi: atque adeò dum mihi cupio, perperã
Iamdudum hercle fabulor. CL. pol tu quidem atque etiam facis.
ST. Huic, immò hercle mihi. vah, tandem redij vix veram in viam.
CL. Perpol ſæpe peccas. ST. ita fit, vbi quid tantopere expetas.
Sed te vterque tuo pro iure, ego atque hic oramus. CL. quid eſt? D
ST. Dicam enim mea mulſa, de iſthac Caſina huic noſtro villico
Gratiam facias. CL. at pol ego neque facio, neque cenſeo.
ST. Tum igitur ego ſorteis vtrinque iam mittam. CL. quis vetat?
ST. Optimum atque æquiſſimum iſtud eſſe, iurè iudico:
Poſtremò ſi illud, quod volumus eueniet, gaudebimus.
Sin ſecus, patiemur animis æquis. CH. tene ſortem, tene,
Vide quid ſcriptum eſt. OL. vnum CH. iniquum eſt, quia iſti priuſquam mihi eſt.
ST. Accipe hanc ſis. CH. cedo, mane, vnum venit in mentem modò,





A Vide, ne qua illic inſit alia ſortis ſub aqua. ST. verbero,
Mente cenſes eſſe? nulla eſt, habe quietum animum modò.
Quod bonum atque fortunatũ ſit mihi, tuum magnum malum.
OL. Tibi quidem ædepol credo eueniet, noui pietatem tuam.
Sed manedum. num iſta aut populna ſors, aut abiegna eſt tua?
CH. Quid tu id curas? OL. quia enim metuo, in aqua ne ſumma natet.
ST. Euge caue, coniicite ſorteis nunc iam ambo huc eccere
Vxor æqua. OL. noli vxori credere. ST. habe animum bonum.
OL. Credo hercle hodie deuorabit ſortis, ſi attigerit. CH. tace.
OL. Taceo, deos quæſo, tu vt quidem hodie canem & furcam feras.
B CH. Mihi vt ſortitio eueniat, vt quidem hercle pedibus pendeas.
OL. At tu, vt oculos emungare ex capite per naſum tuos.
Quid times? paratum oportet eſſe iam laqueum tibi.
ST. Periiſti, animum aduortite amabo. OL. taceo. ST. nunc tu Cleoſtrata,
Ne à me memores malitioſè de hac re factum, aut ſuſpices,
Tibi permitto, tute ſorti. OL. perdis me. CH. lucrum facit.
CL. Benefacis. CH. deos quæſo, vt tua ſors ex ſitella effugerit.
OL. Ain' tu? quia tute es fugitiuus, omneis te imitari cupis.
Sed vtinam tua quidem ſicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.
C CH. Tu vt liqueſcas ipſe actutum, virgis calefactabere.
ST. Hoc ageſis Olympio. OL. ſi hic litteratus me ſinat.
ST. Quod bonum atque fortunatum mihi ſit. OL. ita verò & mihi.
CH. Non, imò hercle. OL. imò mihi hercle. ST. vincet, tu viues miſer.
Præcide os tu illi hodie. age, ecquid fit? CL. ne oblexis manum.
OL. Compreſſan' palma, an porrecta ferio? ST. age vt vis. OL. hem tibi.
CL. Quid tibi iſtuc tactio eſt? OL. Quia Iuppiter iuſſit meus.
CL. Feri malam tu illi rurſum. OL. perij, pugnis cædor Iuppiter.
D ST. Quid tibi tactio hunc fuit? CH. Quia iuſſit hæc Iuno mea.
ST. Patiundum'ſt, ſiquidem me viuo mea vxor imperium exhibet.
CL. Tam huic loqui licere oportet, quàm iſti. OL. cur omen mihi
Vituperat? ST. malo Chaline tibi cauendum cenſeo.
CH. Tempori poſtquam oppugnatum eſt os. ST. age vxor mea nunc iam
Sorti. vos aduortite animum. præbe tu. OL. vbi ſim neſcio.
Perij. cor lienoſum opinor habeo, iamdudum ſalit,
De labore pectus tundit. CL. teneo ſortem. ST. effer foras.
CH. Iámne mortuus? OL. oſtende, mea eſt. CH. mala crux ea eſt quidem.
CL. Victus es Chaline. ST. tum nos diu viuere Olympio

Gaudeo. pietate factum'ſt mea, atque maiorum meûm. A
Intrò abi vxor, atque adorna nuptias. CL. faciam vt iubes.
ST. Scin' tu ruri eſſe ad villam longè, quò ducat? CL. ſcio. ST. intrò abi.
Et quanquam hoc tibi'ſt ægrè, tamen fac accures. CL. licet.
ST. Eamus nos quoque intrò, hortemur vt properent. OL. nunquid moror?
Nam præſente hoc plura verba fieri non deſidero.

ILLE ÆDEPOL VIDERE TE ARD.] id eſt, Ille ædepol te videre velit in rogum impoſitam & ardẽtem extra portam Metiam. porta Metia, eadem erat atque Eſquilina. Cadauera autem extra vrbem comburebantur, quod vel ex M. Tullio lib. 2. de legibus intelligere licet, quin etiam extra vrbem mortui ſepeliebantur. ſic M. Tull. *In vrbe ne ſepelito, néue vrito.* Præterea extra portam Metiam pecudes laniabant: & maleficos ſupplicio afficiebant: quod declarat & noſter Plautus in Pſeud. ibi. *iam hîc ero. verùm extra portam Metiam currendum'ſt prius.* CA. *quid eò?* PS. *lanios inde arceſſam duos cum tintinnabulis. Eadem duo greges virgarum inde vlmearum adegero.* legendum eſt autem vt edidimus, *ille ædepol*, &c. non vt habent aliæ editiones, *Illum ædepol*, &c. AT POL EGO HAVD CREDO, SED, &c.] plus eſt ſcire, quàm credere. nam certior ſcientia eſt, quàm fides, vt docet Ariſtoteles. πίστις enim, inquit ille, in Rhetoricis, ἐστὶν ἰσχυρὰ ὑπόληψις, id eſt, fides, eſt firma, ſeu valida exiſtimatio, ſiue opinio. ſcientia verò eſt principiorum & primarum cauſarum cognitio, ſeu comprehenſio. Itaque quanto minus eſt, valide opinari, quàm ſcire, tanto minus eſt credere, quàm ſcire. Donatus ad illud Terentij in Eunuch. *Credin'?* GN. *immò certò.* Notat. *credere, dubitantis eſt: certum eſſe, fidentis.* HARIOLVM HVNC HABEO D.] hoc eò dicit Stalino, quòd ita reſponderat Chalinus Cleoſtratæ. *Ille ædepol videre*, &c. proinde ac ſi dicat, ſeruum habeo, diuinandi, & hariolandi peritum: quod neſciebam. Itaque plus artificum habeo domi, quàm putabam. Dicti ſunt harioli, vt vult Donatus ad illud Terentij in Phormione, *interdixit hariolus*, &c. vel à *fatis*, & *fando*, quaſi fariolus. hi enim pro f. & f. pro h. in multis nominibus ponebant. vel ab halando. nam harioli ſolent halitu mortalem animam quaſi eiicere, ſeu exhalare, vt immortalem, & diuinam recipiant. QVID SI PROPIVS ATTOLLAMVS S. &c.] allegoria eſt à re militari. ſic ſuprà: *Nunc nos collatis ſignis depugnabimus.* ſententia autem hæc eſt. quid ſi propius accedamus, eamúſque aduerſum? TE VNO ADEST PL. E. V.] ceteros & cetera preſtò eſſe facilè patior. te abeſſe malim, quàm adeſſe. STIMVLVS EGO N. S. T.] id eſt, ego nunc tibi moleſtus ſum, tanquam ſtimulus. mea præſentia te vrit, & cruciat. ASSVDASSIT.] aſſudauerit. eſt autem antiphraſis. nam aſſudaſſit dixit pro conglaciarit, congelarit, alſerit, frigore contractum ſit. metus enim, vt & frigus, contrahit. MASTIGIA.] verbero. ATQVE EGO CENSVI, &c.] Atqui ego putaui, &c. atque pro atqui. MIHI ENIM] inducitur ſenex præ amoris incendio, & animi perturbatione, crebrò lingua peccans, & aliud loquens, quàm velit, cùm amorem ſuum diſſimulare, & tegere debeat, neque id poſſit tamen. DVM MIHI VOLVI, HVIC D.] par, & conſentaneum erat, ſenem ita dicere, dum ego huic volui, mihi dixi, id eſt, dum ego volui dicere, putaui, vxor, me abs te impetrare poſſe, Caſina, vt huic vxor daretur, mihi dixi, ſed amore perturbatus loquitur, quod fert libido, non quod ratio poſtulat. PERPERAM IAMDVDVM H. FAB.] iamdudum hercle animo erro, & lingua pecco, & aliud D pro alio loquor. POL TV QVIDEM ATQVE ETIAM, &c.] pol tu quidem crebro penas, & perperam loqueris. VAH, TANDEM REDII VIX, &c.] allegoria, id eſt, nũc tandem vix errare deſij, & quod ſentio id loqui cœpi. ſic ferè loquitur infrà. *Nunc pol ego demum in rectam redij ſemitam.* & iterum infrà. *de via in ſemitam regredere.* VBI QVID TANTOPERE EXP.] vbi aliquis aliquid tantopere expetat, quantopere ego expeto. MEA MVLSA] mea vxor, quæ mihi inſtar mulſæ, ſeu mulſi es, mea iucundiſſima vxor: mea voluptas. aqua mulſa, vt vinum mulſum. DE ISTAC CAS. H. N. VILL. GRAT. F.] quod ad iſtam Caſinam attinet, huic noſtro villico concedas, & condones, vt eam vxorem ducat. gratiam facere, eſt remittere, concedere, condonare. ſic loquitur in Moſtellar. *De cena facio gratiam.* idem Mil. glor. *quàm benignè gratiam fecit, ne iratus eſſet?* Idem in Trinumm. *hiſce ego tibi artibus gratiam facio, neu colas, neu imbuas ingenium*, Saluſtius in orat. Catonis. *Multóſque mortales ob eam cauſam aduerſos habeo. qui mihi atque animo meo nullius vnquã delicti gratiã feciſſem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam.* Titus Liuius. *Omnium igitur tibi. Ap. Claudi, quæ impiè, nefariéque per biennium alia ſuper alia es auſus, gratiam facio.* Sueton. in Tiberio. *Bononienſibus quoque publicè, quòd in Antoniorũ clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus ſuis.* Idem in eodem. *Equiti R. iuſiurandi gratiam fecit, vt vxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe nunquam repudiaturum*

*antè*



A *antè iurauerat.* VTRINQ.] pro vtroque, Olympione, & Chalino. MITTAM.] in ſitulam aquę plenam coniiciam. quamquam fateor verbi *mittam* nullum exſtare in noſtris libris veſtigium. quod item verbum admonet Camerarius à ſuis abeſſe. POSTREMÒ SI ILLVD, QVOD VOLVMVS, &c.] factum laudabile, & præclarum Stalinonis, niſi id libido dedecoret, Nam ſententia hæc laudatur. Si eueniat, quod velis, gaudeas: ſin ſecus, æquo animo feras. TENE SORTEM,] noli coniicere in ſitulam, prius quàm inſpexerimus, quid in ea ſcriptum ſit. VNVM.] nota, quæ ſignificat vnitatem, ſeu potius, μονάδα. QVIA ISTI PRIVS QVÀM M. E. ST.] ſubintell. data ſors. ACCIPE H. SIS.] tu Chaline hanc ſortem accipe, ſi vis. CEDÒ.] da. ALIA SORTIS] alia ſors. ſortis in recto caſu numeri ſingul. pro ſors. quod notat Priſc. lib. 7. MEN' TE CENSES ESSE?] putas me tui ſimilem eſſe? me ſubdolum, & fallacem eſſe exiſtimas, qualis es tu? QVOD BONVM, ATQ. FORTVN.] hæc verba præfari ſolebant initio rei, quam acturi erant. POPVLNA,] populea, ſeu populnea, ex populo arbore. notat Priſc. lib. 2. populnus a, um, dici à veteribus. non celabo lectorem tamen, in nonnullis libris manuſcriptis legi, *populea.* TVA?] Chaline. IN AQVA NE SVMMA N.] ne aquæ innatet, ne exſtent ex aqua, & in ſumma aqua emineat. ἵνα μὴ ἐπιπολάζῃ. Fiebant enim ſortes ex ligno duriſſimo, vt ex quercu, & robore, vt in aqua ſubſiderent. quod declarant verba M. Tull. lib. 2. de Diuin. ibi. *Itaque perfracto ſaxo ſorteis erupiſſe, in robore inſculptas priſcarum litterarum notas.* &c. ſequitur paucis verſibus pòſt. *Quid igitur in his (ſortibus) poteſt eſſe certi, quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur, atque ducuntur? Quomodo autem iſtæ poſitæ in illo loco? quis robur illud cecîdit, dolauit, inſcripſit?* HVC] in ſitulam. ECERE, VXOR ÆQVA] *ecere*, inquit Feſtus, *iuſiurandum eſt, ac ſi dicatur æcaſtor, ædepol.* alij *eccere* pro *ecce* poſitum accipiunt. Hactenus Feſtus. Ego *æcere* ſcribi velim cum diphthongo, æ, in prima ſyllaba, cùm ſignificat, per ædem Cereris. cùm verò pro *ecce* accipitur, ſine diphthongo, *eccere.* Venio nunc ad huius loci explicationem. *æcere, vxor æqua*, inquit. id eſt, per ædem Cereris, vxor nunc propitia eſt, ſeu æquo animo eſt. cùm ſcilicet videt nullam à me fallaciam adhiberi. vel ſic. vxor æqua. id eſt vxor mihi propitia ſit. vt intelligamus, Stalinonem in ſortibus vxorem inuocare, vt ſolent amantes, talos iacturi, puellas ſuas inuocare. vel ſic, vxor æqua. id eſt tu vxor, æqua ſorteis, ſitellam agitando: ſeu potiùs, æqua ſitellam, id eſt fac, vt ſitella neutram in partem propendeat. vt æqua, ſit verbum imperatiui modi. vel ſic, *æcere vxor æqua*, id eſt per ædem Cereris, vxor in hac re, æqua eſt, id eſt æquo animo eſt. quare ei credere, & fidem habere ſine periculo poſſumus. Locus eſt mihi perobſcurus. NOLI VX. CRED.] caue vxor credas. DEVORABIT C SORTEIS,] ſic edendum curaui quattuor libros veteres, & vulgatos omneis, &, quod caput eſt, editionem Camerarianam ſecutus, quæ ſic habet. cuius lectionis plana ſententia eſt. ſed tres alij libri manu ſcripti habent, *deuotabit ſorteis, ſi att.* deuotare autem, verbum eſt frequentatiuum à verbo deuoueo. ab eodem deuoti dicti ſunt, qui ſe alicui certa verborum formula addixerunt, votóque obligarunt: exſecrandi, exſecrabiles, exſecrati, ſacris abdicati. Nam deuouere, interdum valet, diris precationibus obſtringere, & exſecrari, vt notauimus in commentariis Horatianis ad odam 4. & 23. lib. 3. & in Commentariis in Æmilium Probum, ſeu Cornelium Nepotem. Siquis igitur *deuotabit ſorteis*. legendum exiſtimabit, ſic erit hic locus explicandus, ſorteis diris precationibus obligabit, ſeu deuotas & exſecratas reddet Cleoſtrata, ſi eas attigerit. Vſus eſt eodem verbo & M. Tullius, vt quibuſdam videtur, & vt nonnulli libri manuſcripti fidem faciunt, in paradoxo 1. ibi. *quæ vis patrem Decium, quæ ſilium deuotauit, atque immiſit in armatas hoſtiũ copias?* vbi vulgò legitur, *deuouit, atque immiſit*, &c. & Accius in Decio. *Patrio exemplo me dicabo, atque animam deuotabo hoſtibus.* ſic enim legendum apud Nonium, *non deuorabo.* Itaque vt ingenuè fatear, hîc quoque malim legi. *deuotabit ſorteis.* CANEM, ET FVRCAM F.] canem, id eſt vinculum ferreum, catenam, catellum ferreum. ſuprà in Curcul. *cum* D *catello vt accubes. Ferreo ego dico.* furcam feras autem, notum eſt. ex quo furciferi ſerui: de quibus ſuprà ſat multa. quibus addamus illud ex Cicerone lib. 1. de Diuinatione. *Cùm bello Latino ludi votiui maximi primùm fierent, ciuitas ad arma repente eſt excitata. itaque ludis intermiſſis inſtauratiui conſtituti ſunt. qui antequàm fierent, cúmque iam populus conſediſſet, ſeruus per circum, cùm virgis cæderetur, furcam ferens, ductus eſt.* &c. Licet etiam dicere, hic ſignificari furcam, qua onera geſtabant ſerui, & milites Mariani: ex quo dicti muli Mariani, qui, vt docet Feſtus, à C. Mario inſtituti ſunt: cuius milites in furca, tabella varicoſius interpoſita, onera portare aſſueuerant. de quibus & Plutarchus in Mario. Huc referendum quod eſt infrà in ead. fabula, non longè, *Sine modò rus veniat. ego remittam ad te virum Cum furca in vrbem, tanquam carbonarium.* PEDIBVS PENDEAS.] ſerui virgis, aut loris verberabantur pendentes. quod cùm alibi aliquot exemplis collectis notauimus, tum in Amphitr. ibi. *Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo, Niſi item vnam, verberatus quam pependi perpetem.* AT TV VT OCVLOS EMVNGARE, &c.] At ego deos quæſo, vt tibi oculi tui per naſum ex capite emungantur. emungare oculos, helleniſmus eſt. pro emungare oculis, vel emungantur tibi oculi. PARATVM OP. ESSE IAM LAQ.] in quem te induas, & quo tibi collum obſtringas, & ſpiritum intercludas: vel quo te ſuſpendas AVT SVSPICES:] aut ſuſpiceris. TV TE SORTI.] tu ipſa ſortire, Sortio in voce actiua pro ſortior, dixerunt veteres. Varro lib. 22. rerum humanar. *cùm venerint cenſores, inter ſe ſortiant.*

Ennius in Creſphonte. *an inter ſe ſortiunt vrbem, atque agros?* LVCRVM FACIT,] hoc ad id A
pertinet, quod ſeruus Olympio dixerat, *perdis me here*. id eſt occídis me, quia mihi vincendi
ſpem præcídis, cùm Cleoſtratæ ſortiendi poteſtatem permittis. id in aliam ſententiam torquẽs
Chalinus, lucrum facit, inquit, cùm te perdit ſcilicet, quia tu nihili es, neque ſumtum, quem
facit herus tuus in te alendo, exſarcis. OMNEIS TE IMITARI CVPIS.] omneis eſſe
fugitiuos cupis, etiam ſorteis ipſas. Hoc eo pertinet, quod Chalinus optarat, vt ſors Olym-
pionis ex ſitella effugerit. ſic κλῆρον δραπέτην dixit Sophocles. SED VTINAM TVA QVI-
DEM SICVT HERCVL. PRAED. QVOND. PR. &c.] ſed vtinam, inquit Olympio, tua
ſors delicuerit, id eſt, liquefacta fuerit & tabuerit, ſicut dicunt ſortem Heraclidis delicuiſſe.
hanc hiſtoriam his verbis refert Pauſanias in Meſſen. non longè à principio. Κρεσφόντης δὲ
(γενέσθαι γάρ οἱ ἤθελε τὴν Μεσσηνίαν πάντως μοῖραν) Τημένου δεῖται· καὶ παρεσκευασμένος
τοῦτον, τῷ κλήρῳ δῆθεν ἐφίησι. Τήμενος δὲ ἐς ὑδρίαν, ἐνόντος ἐν αὐτῇ καὶ ὕδατος, καθίησι τῶν Ἀρι-
στοδήμου παίδων, καὶ Κρεσφόντου τοὺς πάλους, ἐπὶ διῃρημένοις μοῖραν αἱρεῖσθαι τῆς χώρας
προτέρους, ὁποτέρων ἂν πάλος ἀνέλθῃ πρότερον. τοὺς μὲν δὴ πάλους ὁ Τήμενος ἐπεποίητο ἀμφο-
τέρους. ἀλλὰ τοῖς μὲν Ἀριστοδήμου παισὶ, ξηρᾶς ὑπὸ ἡλίου· Κρεσφόντῃ δὲ ὀπτῆς πυρί. ὅτε δὴ τῶν Ἀρι-
στοδήμου παίδων πάλος κατατέτηκτο, καὶ ὁ Κρεσφόντης οὕτω λαχὼν, γῆν αἱρεῖται τὴν Μεσσηνίαν.
id eſt, Creſphontes autem (volebat enim prorſus Meſſeniam ſibi pro ſua portione continge- B
re) Temenũ orat: & hoc ſibi conciliato, & parato, rem ſorti permittit. Temenus autem Ari-
ſtodemi filiorum, & Creſphontæ ſorteis in ſitulam aquæ plenam coniicit, hac lege verbis dilu-
cidis dicta. vt ij priores portionẽ agri optarent, quorũ ſors prior exiſſet. Iam ſortem Temenus
vtramque fecerat: ſed eam, quæ erat filiorum Ariſtodemi ex terra ſole exſiccata: eam verò, quæ
erat Ariſtodemi, ex terra igne cocta. Itaque ſors Ariſtodemi filiorum delicuit: Creſphõtes verò
ita ſortitus, terrã Meſſeniam optat, *Herculeis prognatis* autem, id eſt, Ariſtodemi liberis, Her-
culis poſteris, & ab Hercule prognatis. vocis *Herculeis* ſyllaba, quæ proxima eſt vltimæ, longa
eſt. Omnino malim legi *Heracleis* à Græco nomine ἡράκλειος, id eſt, Herculeus. VT LIQVE-
SCAS] tanquam cera, aut metallum aliquod. VIRGIS CALEFACT.] virgis calefacies,
calefactaberis. calefactandi verbo vtitur Horat. epiſt. 2. lib. 2. *cmtis ſub noctem gelidam lignis calefacta
ahenum.* HOC AGE SIS OLYMPIO.] hoc age ſi vis Olympio, id eſt, huc aduerte ani-
mum ſi vis. SI HIC LITTERATVS ME SINAT.] ſi Chalinus me animum attende-
re ad id, quod agitur, ſinat, attendam. ſed hic me interturbat. *litteratus* autem id eſt, cuius ter-
gum virgis tanquam litteris inſcriptum, & conciſum eſt. Simeo Boſius, ſic litteratus, χαλάζα-
στος, ita virgis cæſus, vt virgarum notæ, veluti litteræ in tergo adhuc inhæreant. Plaut. in Pſeud. C
*Quaſi in libro conſcribuntur calamo litteræ, Stilis me totum vſque vlmeis conſcribito.* QVOD BONVM
ATQVE FORT. &c.] iterum verba illa ſolemnia, quæ præfari ſolebant initio rerum geren-
darum, memorat. NON IMMO HERCLE] fuit additurus *mihi*, ſed interpellauit Olym-
pio. HIC VINCET:] hic Olympio. PRÆCIDE OS TV ILLI H.] tu Olympio
validè cæde os Chalino. quidam legi volunt *Procîde*, id eſt, palàm cæde. ECQVID FIT?]
id eſt, nunquid fit, quod iubeo? NE OBTEXIS MANVM.] verba Cleoſtratæ, quibus ve-
tat Chalinum ori, ſeu malæ manum obiicere, quaſi Olympio non ſit auſurus eam ferire. proin-
de ac ſi ita dicat, noli metuere Chaline, aut ne manum ori oppone, nunquam enim te iſte, me
præſente, ferire audebit. obiexis, id eſt, obieceris, alij legunt *obleſis* ſeu *oblexis*, & interpretantur
*oblæſeris.* vt intelligamus Cleoſtratam verba facere cum Olympione monentem, vt videat ne, ſi
Chalinum feriat, manum lædat. ſed ferri non poteſt. quod iam antea indicauit Camerarius.
COMPRESSAN' PALMA, AN PORR.] vtrum me vis malam Chalino ferire manu con-
tracta, an explicata? vtrum me vis pugnum, & colaphum Chalino infringere, an eum manu
explicata percutere? HEM TIBI] ſermo ferientis, & verberantis, vt alibi notauimus.
QVID TIBI ISTVNC TACTIO'ST?] quamobrem iſtum tangis? inquit Cleoſtrata. D
QVIA IVP. IVSS. M.] quia iuſſit herus meus. QVID TIBI TACTIO HVNC
FVIT?] quamobrem, aut quo iure Olympionem tetigiſti? IMPERIVM EXHIBET] im-
perium palàm agitat, atque exercet. CVR OMEN MIHI VITVPERAT?] cur malis
& triſtibus verbis mihi malè ominatur? Cur mihi omen vitiat? Cur mihi omen infelix, & in-
fauſtum reddit? cur mihi ſeu meo omini obſcæuat? MALO CHALINE TIBI CAVEN-
DVM CENS.] ſic in Rud. *Caue, malo, ac tace tu.* TEMPORI, POSTQVAM OPPVGN.]
εἰρωνεία. tempori, inquit, me mones, vt caueam malo, poſteaquã mihi os pugno percuſſum eſt.
proinde ac ſi dicat, ſerò me mones SORTI.] ſortire, vt ſuprà. ſortire autem, id eſt, ſortem educ
è ſitella. PRAEBE TV.] tu Olympio, præbe animum. eſto animo præſenti. COR LIE-
NOSVM HABEO, &c.] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & impreſſi, quos quidem vi-
derim, ſeptem manuſcript. totidem impreſſi diuerſæ editionis Veneti, Florenti, Pariſienſes,
Lugdunenſes, Baſilienſes, Antuerpienſes, Colonienſes. hoc igitur primùm. Deinde horum ver-
borum quæ ſit ſententia, videndum. Dico iocum eſſe Plautinũ, & hoc venuſtè à ſeruo Olym-
pione ſignificari, ſe cor habere quaſi morbo lienis affectum. Nam cor quidẽ lienis morbo ten-
tari non poteſt, ſed per quandam ſimilitudinem ſermonis, hoc ſentit Olympio, ſibi cor palpi-
tare, & trepidare, tamquam lienem malè affectum. Nam quemadmodum lien malè affectus
ſeditionem,



A ſeditionem, vt ait idem in Mercatore, quodammodo facit, & occupat præcordia: ita cor ſpe, &
metu cõturbatum ſuſſilit, & trepidat, quaſi lienoſum. Sic ferè explicat & Adrian. Turneb. Ad-
uerſar. lib. 7. cap. 12. Quin antequam libros illos ederet, memini me, cùm de hoc loco vnà, vt de
aliis rebus ſolebamus, communicaremus, cúmque ego dicerem, mihi hanc ſcripturam videri
rectam, neque vllius emendationis indigere, hanc meam de huius loci explicatione ſentẽtiam,
ab eius ſententia nihil ferè diſcrepantem, ei aperire, & cùm eorum, qui cor *tineoſum*, tùm eorum
qui cor *ludioſum*, legendum putant, coniecturas leueis, atque inaneis improbare, ac refutare.
DE LABORE] ob laborem, & dolorem, pectus pulſat. De labore, id eſt, præ labore, ſeu ob
laborem. EFFER FORAS.] educ foras. educ extra aquam. IÁMNE MORTVV'S.]
iámne mortuus es? MVLTA CRVX EA'ST QVIDEM] immò multa crux tua eſt.
TVM NOS D. V.] nos igitur diu viuere lætor. PIETATE FACTVM'ST MEA, &c.]
cuius pietatis nunc pretium, & mercedem refero. Catullus ad ſeipſum. *O Dij, reddite mi hoc pro pie-
tate mea.* SCIN' TV RVRI ESSE, &c.] Scíſne, id eſt, nónne ſcis ruri eſſe ad villam longè,
locum ſubintellige, quò Olympio vxorem ducat? TIBI'ST AEGRÈ,] tibi moleſtum eſt.
tibi ægritudinem affert. te malè habet: te pungit, ac ſtimulat. PRAESENTE HOC]
Chalino.
B

## CHALINVS ſeruus.

SI nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim,
Et præter operam reſtim ſumti fecerim,
Et meis inimicis voluptatem creauerim.
Quid opus eſt, qui ſic mortuus? equidem tamen
Sorti ſum victus. Caſina nubet villico.
Atque id non tam ægre'ſt iam viciſſe villicum,
Quàm id expetiuiſſe opere tam magno ſenem,
C Ne ea mihi daretur, atque vt illi nuberet.
Vt ille trepidabat! vt feſtinabat miſer!
Vt ſuſſultabat, poſtquam vicit villicus!
Atat concedam huc: audio aperiri foreis
Mihi beneuolenteis. atque à me prodeunt,
Hinc ex inſidiis, hiſce ego inſidias dabo.

MEAM OPERAM LVSERIM] inanem operam ſumſerim, nempe cùm iam ſim mor-
tuus. ET PR. OP. RESTIM SVMTI FECERIM.] & præter operam, quam me
ſuſpendens, perdiderim, ſumtum fecerim in reſti emenda, qua me ſuſpendam. *ſumti* pro *ſumtus*
in patrio caſu poſitum eſt: & ſic dictum *ſumtifacere*, vt lucrifacere. ET MEIS INIMICIS
VOL. CR.] id eſt, & meis inimicis voluptatem præbuerim, quod ſtulti eſt committere. nam
D docet Ariſtoteles lib. 1. Reth. ea nobis eſſe bona, & vtilia, quæ contraria ſunt iis, quæ volunt ini-
mici, aut quæ inimicis voluptatem creant. Itaque, vt ea ſunt nobis optanda, quæ inimici me-
tuunt, & quæ iis moleſta ſunt: ita quæ inimici volunt, & quæ eis voluptatem creant, nobis
fugienda & vitanda ſunt. Profert autem illud Neſtoris omnibus notũ, quod eſt apud Hom. lib.
α. ἰλιάδ. ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, &c. id eſt gaudeat Priamus, Priami & filij,
ſi audiant nos hoc modo inter nos verbis contẽdere, & decertare, animíſq. diſcordare. QVID
OPVS EST, QVI SIC MORTVVS?] qui opus eſt, me ſuſpendere, qui ſine hoc ſumtu, &
hac opera mortuus ſim? vel quid opus eſt ei, qui iam ſit mortuus, ſe ſuſpendere? ſed ſi hanc ſen-
tentiam ex verbis elicere vellemus, ſic eſſet legendum, Quid opus eſt, qui ſit mortuus? id eſt,
quid opus eſt ei, qui iam ſit mortuus? EQVIDEM TAMEN SORTI, &c.] ſui doloris
ſolatium quærit, ſeu potius reperit, huiuſmodi. quamuis victus ſim, tamen ſorti, id eſt, ſorte vi-
ctus ſum. proinde quaſi ita dicat, victus quidem ſum, verùm non culpa mea, ſed fortunæ.
quòd victus ſum, fortunæ adſcribendũ eſt, non mihi. vel ſic, *Equidem tamen ſ. ſ. v.* id eſt nihilomi-
nus tamen ſiue me ſuſpendam, ſiue non ſuſpendam, magnum eſt hoc malum, quod mihi acci-
dit, ſorte victus ſum. atque hoc pacto Caſina nubet, non mihi, ſed villico. ATQ. ID NON
TAM ÆGRE'ST, &c.] id eſt, atque id non tam mihi moleſtum eſt, villicum viciſſe, & Ca-
ſinam villico nupturum, quàm ſenem tantopere expetiuiſſe, ne ea mihi daretur, & vt villico

nuberet, atque hoc pacto ſenem factum eſſe voti ſui compotem, & rem ei ex animi ſui ſententia eueniſſe. VT SVSSVLTABAT,] vt ſurſum ſaltabat præ gaudio ſcilicet, poſtquam vicit villicus? CONCEDAM HVC] huc me conferam. MIHI BENEVOLENTEIS,] familiareis. A ME PRODEVNT] domo noſtra prodeunt. fort. legendum ad me prodeunt. HISCE.] Stalinoni, & Olympioni. A

## OLYMPIO villicus, STALINO ſenex. CHALINVS.

OL. SINE modò rus veniat, ego remittam ad te virum
Cum furca in vrbem, tanquam carbonarium.
ST. Ita fieri oportet. OL. factum & curatum dabo.
ST. Volui Chalinum, ſi domi eſſet, mittere
Tecum obſonatum, vt etiam in mœrore inſuper B
Inimico noſtro miſeriam hanc adiungerem.
CH. Receſſim cedam ad parietem. imitabor nepam.
Captandus eſt horum clanculum ſermo mihi.
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic maſtigia,
Stimulorum loculi. protollo mortem mihi.
Certum eſt, hunc ad Acheruntem præmittam prius.
OL. Vt tibi inuentus ſum obſequens! quod maximè
Cupiebas, eius copiam feci tibi.
Erit hodie tecum, quod amas clàm vxorem. ST. tace.
Ita me di bene ament, vt ego vix reprimo labra C
Ob iſtam rem. quin te deoſculer, voluptas mea.
CH. Quid deoſculer? quæ res eſt? quæ voluptas tua?
OL. Ecquid amas nunc me? ST. immò ædepol me, quàm te minus
Licétne amplecti te? CH. quid amplecti? OL. licet.
ST. Vt quia te tango, mel mihi videor lingere?
CH. Effodere hic volt credo veſicam villico
Vltrò te amator apage te à me. hoc ſis vide,
OL. Apage te tandem amator à dorſo meo
CH. Hodie hercle opinor hi conturbabit pedes:
Solet hic barbatos ſanè ſectari viros D
Perfectò hinc illud eſt, hinc illud eſt, quod hic Olympionem fecit iſtum villicum
Idem me pridem quom ei aduorſum veneram
Facere atrienſem voluerat ſub ianua.
OL. Vt tibi morigerus hodie, vt voluptati fui.
Vt tibi dum viuam bene velim pluſquam mihi,
Vt ego hodie Caſinam deoſculabor! vt mihi
Bona multa faciam clàm meam vxorem! CH. Attate.
Nunc pol ego demum in rectam redij ſemitam,
Hic ipſus Caſinam deperit. ST. abeo rus. iam
Hercle amplexari, iam oſculari geſtio.

Sine



A OL. Sine prius deduci. quid, malum, properas? ST. amo.
OL. At non opinor fieri hoc poſſe hodie. ST. poteſt,
Siquidem cras cenſes, te poſſe emitti manu,
CH. Enimuero huc aures magis ſunt adhibendæ mihi.
Iam ego vno in ſaltu lepidè apros capiam duos.
ST. Apud hunc ſodalem meum, atque vicinum, mihi
Locus eſt paratus. ei ego amorem omnem meum
Concredidi. is mihi ſe locum dixit dare.
OL. Quid eius vxor? vbi erit? ST. lepidè repperi.
Mea vxor vocabit huc eam ad ſe in nuptias,
Vt hîc ſit ſecum, ſe adiuuet, ſecum cubet.
B Ego iuſſi, & dixit ſe facturam vxor mea.
Illa hîc cubabit. vir aberit faxo domo.
Tu rus vxorem duces, id rus hoc erit,
Tantiſper dum ego cum Caſina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces poſtea.
Satin' aſtutè? OL. doctè. CH. age modò fabricamini.
Malo hercle voſtro tam vorſuti viuitis.
ST. Scin' quid nunc facias? OL. loquere. ST. tene marſupium,
Abi atque obſona, propera: ſed lepidè volo
Molliculas eſcas, vt ipſa mollicula eſt. OL. licet.
ST. Emitto ſepiolas, lepadas, lolliguncula,
C Hordeias. CH. immò triticeias, ſi ſapis,
ST. Soleas. CH. qui, quæſo, potius, quàm ſculponeas,
Quibus batuatur tibi os ſenex nequiſſime.
OL. Vin' lingulacas? ST. quid opus eſt, quando vxor domi eſt?
Ea lingulaca eſt nobis, nam nunquam tacet.
OL. In re præſenti, ex copia piſcaria
Conſulere potero, quid emam. ST. æquum oras, abi.
Argento parci nolo, obſonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam conuento eſt opus,
Vt quod mandaui, curet. OL. iámne abeo? ST. volo.
D CH. Tribus non conduci poſſim libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum.
Quínque hanc omnem rem meæ heræ iam faciam palàm.
Manifeſtò teneo in noxia inimicos meos:
Sed ſi nunc facere volt hera officium ſuum,
Noſtra omnis lis eſt, pulcrè præuortar viros.
Noſtro omine it dies, iam victi vicimus,
Ibo intrò, vt id quod alius condiuit cocus,
Ego nunc viciſſim vt alio pacto condiam.
Quicquid paratum eſt, vt paratum ne fiet:
Sictque paratum, quod paratum non erat.

A SINE MODÒ RVS. V.] Chalinus minatur Olympio Chalino abſenti, qui tamen ex inſidiis audit omnia. *ſine* enim interdum eſt minantis, vt hîc: quod & alibi admonuimus. VIRVM] Chalinum. CVM FVRCA IN VRBEM, TANQVAM CARBON.] furca ad tergum aptata geſtabant carbones ſerui carbonarij. tum ſerui, qui deliquerant, & maximè, qui furtum fecerant, furcam ferentes circumducebantur, vt alieni ſibi ab eo cauerent. qua de re alibi. Sed hic locus intelligendus eſt potius, de furca ad tergum accõmodata, geſtandi carbonis cauſa. MISERIAM HANC ADIVNG.] nam moleſtum eſt, inimici res ſecundas oculis videre. RECESSIM CEDAM AD P.] profert hunc locum Nonius in voce, Nepa: & legit, *retrouorſum*, pro *receſſim*. in quo puto erraſſe, ſeu aliud egiſſe Nonium. nam *retrouorſum* propter verſum ferri non poteſt. *receſſim* autem aduerbium eſt à verbo recedo, quod valet retrò cedo. receſſim igitur, id eſt retro ceſſim, retrocedendo. Quemadmodum autem *ceſſim* dicunt Latini, ſic & *receſſim*. Alfenus Iuriſconſ. lib. 9. Digeſt. tit. ad legem Aquill. *Interim ſuperius ploſtrum ceſſim ire cœpit*, &c. IMITABOR NEPAM.] imitabor cancrum, ſeu potius ſcorpium, qui retrograditur. Cicero in Arato. *Ipſáque conſequitur lucens vis magna nepaï*. Nonius, *Nepam*, inquit, *quidam cancrum putant*, propter illud Plauti. *Retrouorſum cedam, imitabor nepam. & illud*, &c. Nam verè Nepa, Scorpius dicitur, inquit M. Tullius de Finibus bonorum & malorum. lib. 5. *Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videamus boues, nepas aculeis,*
B *ſuam denique cuique naturam eſſe ad viuendum ducem.* Feſtus, *nepa*, inquit, *Afrorum lingua ſidus, quod cancer appellatur: vel, vt quidam volunt, Scorpius.* Plautus, &c. Omnino ex Cicerone licet intelligere, nepam, eſſe ſcorpium, non cancrum. Nam hos Arati verſus, --- ὁ δ' ἐμμενὲς εὖ ἐπαρηρὼς Ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέροισι Σκορπίον, ὀφθαλμῷ τε, καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὼς Ὀρθός. &c. ſic Latinè vertit, *Ille tamen nitens grauiter veſtigia ponit, Atque oculos vrget pedibus, pectúſque Nepaï.* & verſus ille eiuſdem, quem ſuprà poſuimus, *Ipſáque conſequitur*, &c. cum illo, qui antecedit, *Exin proiectæ claro cum lumine Chelæ.* reſpondent huic vni Arati verſui, non integro. αἱ δ' ἐπί οἱ χηλαί, καὶ σκόρπιος αὐτός. CAPTANDVS EST HORVM.] excipiendus mihi eſt clanculum horum ſermo. aucupandus, ſubauſcultandus. ALTER CRVCIAT.] Stalino cruciat. ALTER MACERAT.] Chalinus macerat. inuideo enim euentum ſecundum, & proſperum in ſortitione. Lucret. lib. 3. *Macerat inuidia ante oculos illum eſſe potentem*, &c. AT CANDIDATVS CEDIT, &c.] at hic verbero Chalinus veſte candida amictus, vt ſponſus, incedit. Sponſi, erant candidati. infrà eadem comœd. *Villicus hic autem cum corona candidè Veſtitus lautè, exornatúſque obambulat.* CEDIT] incedit, procedit. STIMVLORVM LOCVLI.] Ita ſtimulis confodi ſolitus, vt eius humeri, & tergum. & ceteræ omnes corporis partes, ſtimulorum loculi eſſe videantur. PROTOL-
C LO MORTEM MIHI.] protollo, id eſt profero, produco. Quidam legunt, *protollam*. quod probarem, niſi libri omnes reclamarent. Lucretius libro 5. *Nec ſanctum nomen fati protollere fineis Poſſe.* Plautus Pſeud. *Manum ſi protollet, pariter proferto manum.* AD ACHERVNTEM PRÆM. PRIVS.] Olympionem ad inferos præmittam, priùs, quàm morier. libri veteres non habent præpoſitionem *ad*. quæ tamen videtur eſſe neceſſaria ad verſum complendum. niſi fortè quis dicat in voce *Acheruntem* hîc primam ſyllabam produci præmittam autem Acheruntem, ſeu, ad Acheruntem, eſt, quod Homerus dicere ſolet, ἄϊδι προΐαψω, vt notauit Boſius. VT TIBI INVENT. S. OBS.?] vt, id eſt quàm, ſeu quo modo. θαυμαστικῶς. Græci, ὡς. OBSEQVENS?] morigerus? obſequioſus? QVID? DEOSCVLER?] quid ſibi vult hoc verbi, deoſculer? vnde hæc lætitia? ECQVID AMAS NVNC ME?] id eſt numquid amas nunc me? an non amas nunc me? VT, QVIA TE TANGO MEL M. V. L.] *Vt*, iterum accipiendum, admiratiuè, pro quàm? quo modo? vt ſuprà non longè & item aliàs ſæpè. quàm videor mihi, inquit, mel lambere, quin te oſculor, & quia te tango? EFFODERE
D HIC VOLT CREDO VES. VILLICO] hîc deſiderabatur verſus, in editione Camerariana, cùm in aliis omnibus editionibus compareat, ſpurcus ille quidem, ſed tamen Plautinus, & ideo reſtituendus, vt Plautus, quoad fieri poſſit, ſit integer. Nam, quod alibi oſtendi, hæc mea eſt de talibus locis ſententia. qui ſunt caſti, pudentes, & temperantes, eos nullus ſermo, quantumuis turpis, & obſcænus, corrumpere poteſt. qui ſunt iam impudici, impudentes, & intemperantes, ſine talium locorum lectione, ſua ſponte corrupti ſunt. Ex hoc verſu autem intelligimus, Stalinonem ſenem, lætitia elatum indecorè Chalinum amplecti, & contrectare, & mox in eius tergum nequiter inſcendere. HOC SIS VIDE.] hoc ſi vis vide. videat, ſi quis velit, quid agat amator iſte. APAGE TE TANDEM AMATOR À DORSO MEO.] hic quoque verſus fuerat à neſcio quibus ſublatus. at ego eum in libris manuſcriptis, & impreſſis Venetis, Florentinis, Pariſienſibus, Lugdunenſibus repertum, Plauto iniuſtiſſimè læſo, reſtitui. ſignificatur autem eodem ſenis Stalinonis immoderata lætitia, quam Chalinum deoſculando, & à tergo improbè vrgendo declarat. HODIE HERCLE, OPINOR HI CONTVRBABIT PED.] alij duo verſus à nobis ſimiliter Plauto reſtituti, quorum ſententiam talem eſſe puto: ac prioris quidam hanc. Hodie hercle opinor, hi Stalino & Chalinus,

ita



A ita inter ſe commiſcebuntur, vt pedes vnius à pedibus alterius ſecernere, aut internoſcere non queas. vel eò dicit hoc Chalinus, quòd ſenex lætitia geſtiens, & pedibus geſticulans, ac tripudians, Olympionem demulcebat: vel quòd tergo Olympionis incumbens pedes ſuos eius pedibus implicatos habebat: quod totum eſt fœdum, & turpe dictu: tætrum, & horrendum factu. Significat enim Stalinonem, proteruum, & libidinoſum ſenem in præpoſteram Venerem ruere. Iam de pedibus, genus eſt Veneris, tollere pedes. notum illud Ciceronis libro ſecundo, epiſtola ad Atticum, epiſtola prima. *Sed ſoror* (inquit Clodius) *quæ tantum habeat conſularis loci, vnum mihi ſolum pedem dat. Noli, inquam, de vno pede ſororis queri. licet etiam alterum tollas.* Ouidius lib. 3. de arte amandi. *Melanion humeris Atalãtæ crura ferebat.* Martialis lib. 11. Epigrammate de Læda, cuius initium eſt. *Hiſtericam vetulo ſe dixerat eſſe marito, Et quæritur*, &c. ſequitur. *Protinus accedunt medici, medicæque recedunt, Tolluntúrque pedes, ô medicina grauis.* Idem lib. 10. *Cùm duo veniſſent ad Phyllida manè fututum, Et nudam cuperet ſumere vterque prior: Promiſit pariter ſe Phyllis vtrique daturam: Et dedit. ille pedem ſuſtulit: hic tunicam.* Iuuenalis Sat. 6. *Lenonum ancillas poſita Lauſella corona, Prouocat, & tollit pendentis præmia coxæ.* Porrò ſecutus ſum auctoritatem quinque librorum manuſcriptorum, qui habent *hi conturbabunt pedes.* Nam in aliis ſcriptum eſt, *hic conturbabit pedes.* quomodo impreſſum eſt in Venetis, & Florentinis, & ceteris vulgatis. poſterior ver-
B ſus à me reſtitutus, hîc eſt. SOLET HIC BARBATOS SANÈ SECTARI SENEX.] huius verſus ſententia, plana eſt. non ſolet, inquit, hic ſenex, pueros imberbeis ſectari, vt alij, ſed barbatos viros. Libri vulgati, in quibus hic verſus reperitur, ſic habẽt. *ſolet hic barbatos ſanè ſectari viros.* quæ lectio æquè probabilis eſt, vt antiqua, ſed minoris auctoritatis. ſequũtur & alij quattuor verſus, qui in libris vulgatis non reperiũtur, ne in manuſcriptis quidẽ omnibus ſed in tribus tantùm. eos quoque reſtitui, quòd eos iudicem eſſe Plautinos. PROFECTÒ HINC ILLVD EST, HINC ILLVD EST, QVOD HIC, &c.] profectò ex hac cauſa, id eſt, ex eo, quòd amat exoletos, & barbatos, illud eſt, quòd Olympionem iſtum fecit villicum, id eſt, præfecit villæ, cùm antea nullã præfecturam haberet, vt illa ruſtica præfectura eſſet illi impudicitiæ merces. IDEM ME PRIDEM CVM EI ADVORSVM V. FACERE ATR.] Idem Staleno iam pridem, cùm ei obuiam veniſſem, voluit me atrienſem facere ſub ianua, vt hæc atrienſis præfectura eſſet item mihi pro turpitudinis, quam pertuliſſem, mercede. VT TIBI MORIGERVS HOD. &c.] vt tibi hodie fui obſequens? vel vt hodie ad morem tibi gerendum paratus fui? vel vt tibi hodie morem geſſi? vt tibi voluptati fui? hoc eſt, vt tibi iucundus fui. CLAM MEAM VXOREM?] clam mea vxore? ATTATE.] interie-
C ctio eſt, vel ſe ipſum, vt hîc, vel alterum, vt infrà non longè, increpantis. NVNC POL EGODEM. IN RED. &c.] nunc demum intelligo Stalinonem Caſinæ amore eſſe captum. at ego antea errans, putabam eum amare barbatos. atque idcirco pro villico tantopere laborare. In rectam redij ſemitam: allegoria eſt, per quam ſignificat, ſe antea erraſſe animo, qui putaſſet herum ſuum tantopere villici cauſa laborare: nunc reſipuiſſe, nunc rem omnem, vt ſe babeat, nouiſſe. Sic ferè locutus eſt ſuprà non longè. *vah, tandem redij vix veram in viam.* non diſſimulabo tamen in aliquot libris antiquis ſcriptum eſſe, *nunc pol ego demum in rectam redij è ſemita.* HIC IPSVS CASIN. DEP.] Hic ipſe Stalino Caſinam perditè amat. ABEO RVS IAM HERCLÈ.] iam, diſſyllabum eſt propter verſum. AMPLEXARI.] Caſinam. GESTIO.] valde cupio. *Geſtit*, inquit Feſtus, *qui ſubita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter conſuetudinem exſultat.* QVID, MALÙM, PR.] malùm interiectio ſtomachantis. ADHIBENDÆ] admouendæ, vel attendendæ. VNO IN SALTV LEPIDÈ APR. CAP. D.] vna in re, vel vno in loco duos homines capiam, Stalinonem herũ & Olympionem. prouerbij locum obtinet, *vno in ſaltu duos apros capere. Saltum*, Ælius Gallus lib. 2. ſignificationum, quæ ad ius pertinent, ita definit, inquit Feſtus, *ſaltus eſt, vbi ſiluæ, & paſtiones ſunt, quarum cauſa caſæ quoque.*
D CONCREDIDI] commiſi fidei. REPPERI.] excogitaui, vbi eſſet interea, dum Caſina potirer. ILLA HIC CVBABIT.] Illa, vxor Alceſimi, Murrhina, hîc domi noſtræ cubabit. VIR ABERIT FAXO D.] fecero, vt vir eius Alceſimus abſit domo. nonnulli libri veteres habent, *vir abierit faxo d.* Ego nihil muto. TV RVS VXOREM D. ID. R. &c.] tu ſimulabis, te vxorem rus hodie ducere: ſed hæc domus vicini id rus erit: cras autem demum manè ante lucem Caſinam rus duces, poſteaquàm, cum Caſina meo arbitratu luſero. vel ſic, tu rus vxorem duces cras, ſcilicet, ego autem hîc, hoc eſt in domo vicini mei hodie cubabo: & hic locus mihi rus erit tantiſper, dum cum Caſina delicias faciam, & me oblectabo. DVCES POST.] poſtea Caſinam duces. SATIN' ASTVTÈ.] nónne admodum aſtutè res tota à nobis adornata, compoſita, & prouiſa eſt? FABRICAMINI.] fabricabimini, imperatiui modi eſt, quod valet fabricas facite, id eſt, fallacias ſtruite MALO HERCLE VESTRO T. V. V.] verſutiæ veſtræ vobis profectò carè conſtabunt. verſutiæ veſtræ vobis erũt damnoſæ, & pernicioſæ. verſutiæ veſtræ in caput veſtrum recident. TENE MARSVPIVM] accipe hoc à me marſupium, & tene. ATQVE OBSONA.] & obſonium eme. SED LEPIDÈ VOLO, &c.] ſed volo eſcas molliculas emi lepidè, ac parari. VT IPSA MOLL.] vt ipſa Caſina mollicula, tenella, & delicata eſt. SEPIOLAS.] paruas ſepias: ſæpia, piſcis notus. LEPADAS,] ſic edi malui, quàm *lepidas*, vt ſit nomen piſcium è genere

teſtaceorum. quod non improbat Camerarius. & approbat Simeo Boſius: quamuis libri veteres reclament: in quibus planè ſcriptum eſt, *lepidas*. quo modo item ſcriptum eſt & apud Priſcianum libro tertio, quo loco de deminutiuis nominibus loquitur. ſed Priſcianum ibi corruptum eſſe arbitror, vt & alibi. Lepadas commemorat etiam in Rud. ibi. *Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas*, &c. LOLLIGVNCVLAS] paruas lolligines. Horat. Sat. 4. lib. 1. *hic nigræ ſuccus lolliginis hæc eſt, Ærugo mera*. &c. Ad quem locum de lolligine diximus nonnulla. Priſc. libro ſuprà commemorato hunc locum profert. *Emito ſepiolas*, &c. HORDEIAS,] hoc quoque piſcis nomen eſſe puto, vt tamen iocus ſit ex ambiguo, quia poſſit ita accipi, vt ſit adiectiuum vocis *lolligunculas*. quod intelligere licet ex eo, quod ſubiicit Chalinus, qui ad parietem acclinatus, & ex inſidiis Stalinonis, atq. Olympionis ſermonem captans, & à ſpectatoribus tantùm viſus, atque auditus, ſenem reprehendit, & corrigit, quòd triticeias non dixerit potius, quàm hordeias, id eſt, hordeaceas. Turnebus non putat iocum eſſe ex ambiguo, neque hordeias piſcis nomen eſſe, ſed lolligunculas dictas eſſe hordeias à ſene ruſtico pro hordearias, ſeu hordeaceas, id eſt, pulchras, quòd ille nihil putaret eſſe frugibus pulchrius. Ego puto iocum eſſe in verbo hordeas, vt dixi: quòd cùm ſenex pro piſce poſuerit, Chalinus ſeruus in occulto latens, pro epitheto acceperit ab hordeo. IMMÒ TRITICEIAS, SI SAPIS.] immò ſi ſapis, inquit, triticeas potius parari iubeto, quàm hordearias. triticum enim hordeo præſtat. hæc Chalinus à ſpectatoribus tantũ viſus, & auditus, non à Stalinone, neq. ab Olympione. SOLEAS.] hic quoq. iocus eſt in nomine, nam ſolea; & piſcis nomen eſt, & calciamenti. Horat. Sat. vltima lib. 2. *Et ſoleas poſcit*. Plaut. in Trucul. *cedò ſoleas mihi: Properate*, &c. Idem in hac comœd. infrà. *Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito Aureum, & bona plurima*. ſed ſenex ſoleatum nomine, piſceis vult intelligi: ſeruus ſoleas pro calciamentis accipit. QVÎ QVÆSO, POTIVS QVÀM SCVLPONEAS.] ſculponeæ calciamenti ruſtici genus: quod ex Catone lib. de re ruſt. intelligere licet: cuius hæc verba ſunt. *Quoties cuique tunicam, aut ſagum dabis, priùs veterem accipito, vnde centones fiant. ſculponeas bonas alternis annis dare oportet*. Aliter Fulgent. cuius hæc verba. *Sculponeas dici volunt, cæſtus plumbo ligatos*. Vnde Næuius Philemporo. *Sculponeis batuenda ſunt huic latera probè*. & Plautus Caſina, ſimili modo, &c. Ego Fulgentiũ labi, & errare puto. QVIBVS BATVATVR, &c.] quibus tibi os verberetur, &c. auctor vocabularij Latino-Græci, *batuit*, id eſt, χαλκόπτει. quod valet cædit, concîdit, cõtundit. M. Tull. li. 9. epiſt. ad Pætum. *batuit*, inquit, *impudenter: depſit, multò impudentius*. Sueton. abſolutè vſurpauit in Caligula. *Mirmillonem è ludo rudib. ſecum batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica, ac more victorũ cum palma diſcurrit*. VIN' LINGVLACAS?] Feſtus. *Lingulaca, genus piſcis*, inquit, *vel mulier garrulatrix*. Nonius. *Lingulacæ dicuntur verboſi, ſeu verboſæ*. Plautus in Caſina. *Ea lingulaca eſt nobis. nam nunquam tacet*. Idem lingulacæ, locutuleiæ, à procacitate linguæ, & loquendi, proprietatem trahunt. Plautus in Caſina, &c. Adrianus Turnebus, *lingulata*, & *lingulatas*, ſcribi & proferri debere exiſtimat per t. non *lingulaca*, neque *lingulacas* per c. cui propemodum aſſentior. idem de *paſtinaca* ſentio, ſcribendum eſſe *paſtinata*. Eſt autem hîc iocus ex ambiguo verbo. ſeruus enim Olympio per lingulacam, ſeu lingulatam, piſcem ſignificat: ſenex aliter accipiens, loquacem, & garrulam mulierem intelligit. IN RE PRÆSENTI] ſuprà in Amphitr. *Namq. ego fui illic in re præſenti*, &c. ad quem locum plura. ÆQVVM ORAS] æquum dicis. AMPLITER] largiter. NAM MIHI VICINO HOC ETIAM C.] nam mihi opus eſt, hunc vicinum à me conueniri, ſeu conuentum eſſe. TRIBVS NON COND. P. LIB. &c.] id eſt, nolim merere treis libertates, vt non dem illis hodie magnum malum. vel ſic, nolim treis libertates pro mercede accipere, vt non dem illis hodie magnum malum. vel ſic, ſi quis mihi treis libertates pro mercede deferat, ne illis hodie dem magnum malum, eas accipere nolim. tam valde cupio illis magnum malum comparare. tale ferè eſt illud Horatij epiſt. 2. ad Lollium lib. 1. *ſcilicet vt non Sit prima fides, & verè quod placet, vt non Acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet*. ad quem locum de tali genere loquendi plura dicta ſunt in Comment. Horat. Plautus ſuprà in Aſinar. *Non ædepol conduci poſſum vita vxoris annua*. MANIFESTO TENEO, &c.] teneo in manifeſto furto deprehenſos. IN NOXIA,] in peccato non leui. NOSTRA OMNIS LIS EST.] cauſam, ſeu litem vicimus. PVLCRÈ PRAEVORTAR V.] probè anteuertam viros, ſeu præuertam. NOSTRO OMINE IT DIES] dies procedit ex animi noſtri ſententia. hic dies nobis eſt proſper, & fauſtus. IAM VICTI VICIMVS.] qui modò victi eramus, nunc vicimus. Homerus. Ξυνὸς ἐνυάλιος· καὶ τὸν κτείνοντα κατέκτα. id eſt, *Communis Mauors, perimentem mòxque peremit*. VT ID, QVOD ALIVS CONDIVIT COCVS, &c.] allegoria eſt, per quam ſignificat ſe conſilia, ac fallacias Stalinonis, & Olympionis diſturbaturum, atque euerſurum. alludit autem ad cenam, quæ à coco paratur, coquitur & condîtur.

Nunc



## STALINO, ALCESIMVS, ſenes.

STA. NVnc amici ánne inimici, ſis imago Alceſime mihi,
Sciam: nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.
Curam mi exime, caſtigare, id ponito ad compendium.
Cano capite, ætate aliena, eò addito ad compendium.
Cui ſit vxor, id quoque illuc ponito ad compendium
AL. Miſeriorem ego ex amore, quàm te, vidi neminem.
ST. Fac vacent ædes. AL. quin ædepol ſeruos, ancillas domo
Certum eſt omnis mittere ad te. ST. eho nimium ſcitè ſcitus es.
Sed facito, dum memineris verſus quos cantat colax, cibo
Cum ſuo quiqui facito vti veniant, quaſi eant Sutrium.
AL. Meminero. hem, nunc enim tu demum nullo ſcitò ſcitus es.
ST. Cura, ego ad forum modò ibo, iam hîc ero. AL. bene ambula.
ST. Fac habeant linguam tuæ ædes. AL. quid ita? STAL. quum veniam vocent.
AL. Attate, cædundus tu homo es, nimias delicias facis.
ST. Quid me amare refert, niſi ſim doctus & dicax nimis?
Sed caue tu, in quæſtione mihi ſis. AL. vſque adero domi.

NVNC AMICI, ÁNNE INIMICI] Nunc ſciam vtrùm mihi ſimilitudinem atque imaginem amici geras, an inimici. NVNC SPECIMEN SPECITVR] δεῖγμα δείκνυται. atticiſmus. ſententia autem hæc eſt. nunc ſpectaberis, & cognoſceris, vtrùm ſis mihi amicus, an inimicus. nũc ſpecimen dabis tui erga me animi. nunc oſtendes quali ſis animo erga me. Hæc eſt vera huius loci explicatio. Nam quòd Turnebus *ſpecimen* idem valere putat hîc, quod certamen, non idem ſentio. *ſpecio* autem verbum eſt antiquum, cuius compoſita ſunt adſpicio, conſpicio, inſpicio, &c. ſic autem loquitur infrà in Bacchid. *Nunc Mneſiloche ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur, ſiſne, nécne, vt eſſe oportet*. NVNC CERTAMEN CERNITVR] allegoria eſt, ſignificat autem idem, quod modò dixit, aliis verbis. nunc dimicatur, & certatur, inquit, vtrum ſis amicus, an inimicus. nunc certamen initur, vel nunc res in diſcrimen, & certamen venit, vtrum mihi ſis amicus, nécne. videtur autem etiam hîc eſſe atticiſmus, vt certamen cernitur, ſimile ſit, atque certamen certatur. cernere enim valet interdum certare, vt in Commentariis Lucretia. notauimus. ibi. *Nautæ cum ventis contractum cernere bellum*. Quod autem negat Turnebus lib. 16. Aduerſar. certamen hîc ſignificare pugnam, aut dimicationem, longè aliter ſentio. Nam certamen planè nihil hîc aliud ſignificat, quàm dimicationem. ſed non vidit ille hîc accipi trãſlatè: atque adeò hoc totum, certamen certatur, dici ἀλληγορικῶς. CVRAM MI EXIME.] cura me libera. curam mihi adime. Sic autem edendum curaui ſecutus manifeſta ſcripturæ veteris veſtigia. vulgatam autem ſcripturam *Curam erue*, reieci. CASTIGARE, ID PONITO AD COMPENDIVM.] id eſt, caſtigare deſinito, & quaſi lucrifacito, ſuperſedeto à labore, & opera caſtigandi. nolito in me caſtigando operam conſumere. quod cùm facies, lucrũ quodammodo facies. nam ſi me caſtigare conareris, longa tibi habenda eſſet oratio, & multis verbis vtendum, cùm diceres, me ſenem eſſe, cano capite, &c. CANO CAPITE, ÆTATE ALIENA, &c.] ſi me caſtigare velles, diceres me hominem eſſe cano capite, ætate ab amoribus aliena, & ad huiuſmodi ineptias, & leuitates inepta. EÒ ADDITO AD COMPEND.] Lucrifacito ſuperiorem illam orationem. ID QVOQVE ILLVC PONITO AD COMP.] id eſt, etiam eam totam orationem lucrifacito, quam in me caſtigando conſumere poſſes, me eſſe maritum, hoc eſt, me habere vxorem domi. Animaduertat lector attentus, & cordatus, quanta ſit peccati illecebra. En tibi, hic ſenex, videns, prudens, & ſciens, flagitium facit. fatetur enim ſe cano capite eſſe, ætate à talibus leuitatibus aliena, vxorem habere domi. quibus rebus omnibus, atque adeò ſingulis debeat à tali turpitudine, & flagitio auocari. veruntamen, voce, ratione ſpreta, ac repudiata, animo ſuo, & turpiſſimæ libidini morem gerit. FAC VACENT ÆDES.] fac, ædes tuæ vacuæ ſint. AD TE] domum tuam. NIMIVM SCITÈ SCITVS ES.] ſcitè ſcitus es, id eſt, valde lepidus, & ſcitus es. *ſcitè ſcitus*, ſic dictũ, vt illa, *ſapienter ſapit*. in Pœnu. *madidè madeam*. in Pſeud. *properè properas*: in Curcul. &c. SED FACITO

DVM MEMINERIS VERSVS, QVOS CANTAT COLAX.] ſecutus ſum libros vulgatos, qui omnes ad vnum ſic habent,vt edidi.quàm lectionem explicemus primum, deinde ſcripturam veterem proponamus. ſic igitur hunc locum explico. Sed facito interim memineris verſus,quos Colax Næuianus cantat. Cantabat autem hoc Colax ille Næuianus (ſcripſit enim Næuius fabulam hoc nomine) vti quiqui cum ſuo cibo venirent, quaſi, &c. nunc ſcripturam antiquam proponamus, ac repræſentemus. Sic igitur habent plerique libri veteres. *Sed facito, dum merui aper verſus, quos cantat, colas.* nonnulli ſic, *ſed facito dum Meoni aper verſus quos cantat, colas.* Alij ſic, *ſed facito dum Meonia per verſus, quos cantat, colas.* quarum ſcripturarum alij aliam probabilem eſſe putant:alij, omneis:ego primam maximè omnium probo:eámq; quanuis perobſcuram, atque impeditam ſic explico,ac declaro.ſed facito dum, ſi hoc merui, verſus colas,quos aper cantat.aper autem cantat, γρῦ, γρῦ, hoc igitur monet Alceſimum Stalino,vt ne γρῦ, quidem faciat, hoc eſt,vt taceat, neque vulget, aut enunciet, quæ ſunt eius fidei commiſſa.*merui* lego per interpoſitionem.hac ſententia.ego,qui tibi omnia mea conſilia credo: vel ego qui tibi amicus ſum,merui, vt linguam tuā contineas,& arcana tuæ fidei credita, & commiſſa, taceas. Simeo Boſius ex veſtigiis aliarum duarum ſcripturarum veterum hanc eliciebat, *Sed facito dum in eo aper, vel ſus, quod cantat, colas.* eadem opinor ſententia, atque eius eſſe putamus, quam omnium probabiliſſimam iudicamus. CIBO CVM SVO QVIQVI FACITO VTI, VENIANT Q. E, SVTR.] facito,vt ſinguli tui familiares,hoc eſt,famuli,& ancillæ veniant domū noſtrā cum ſuo cibo,quaſi eant Sutrium.vel ſic facito, vt ſerui, & ancillæ tuæ domum veniant ſaturi. Feſtus,*Sutrium ire,*inquit,*in prouerbium abiit, natum ex eo, quòd, orto quondam tumultu Gallico, edictum fuit, vt legiones Sutrij preſtò eſſent cum ſuo cibo,quod vſurpari cæptum eſt in iis, qui ſuis ſumtibus officium præſtarent, quibus deberent.* Deinde profert hunc locum Plauti, hoc modo. *Sed facito dum merula per verſus, quod cantat, colas.cum ſuo quiqui facito, vt veniant,*&c. Hactenus Feſtus, qui valde hoc loco corruptus,& lacer eſt:quanquam eum conati ſumus emendare, & in integrum reſtituere. MEMINERO] hæc Alceſimi reſpōſio videtur lectionem vulgatam comprobare. HEM NVNC ENIM TV DEMVM NVLLO SC. SC. ES.] hem, inquit Alceſimus, enimuero tu nunc demū inſcitus, & inelegans es,qui moneas me,vt ſerui mei, & ancillæ meæ domum tuam eant, tibi inſeruiendi gratia, cum ſuo cibo. CVM VENIAM VOCENT.] cùm veniam me vltro inuitent,ac vocent, quaſi ſint orationis, & ſermonis participes. cùm veniam pateant,ne neceſſe habeam,eas pulſare. ATTATE:] Attate,interiectio eſt obiurgantis: quæ apud Cariſium ita ſcribitur,*attatæ*,cum diphthongo in poſtrema ſyllaba. CÆDVNDVS TV HOMO ES.] tu homo flagris aut loris dignus es.tu verberandus es, tu maſtigia es. Sed non celabo lectorem in nonnullis libris manuſcriptis ſcriptum eſſe, *Attate, credundus tu homo es?* quæ ſcriptura ſi cui probabitur, ſic poterit explicari, attate tùne homo exiſtimādus,aut habendus es,& non bellua potius aliqua, qui tam improbus, proteruus & nequam ſis? SED CAVE TV IN QVÆSTIONE, &c.] id eſt, ſed caue mihi, quærendus ſis. Sic loquitur in Pſeud. *Sed vide ſis,ne in quæſtione ſis,quandò arceſſam mihi.* Idem in Perſa. *Sed recipe te quamprimùm potes. caue fuas mihi in quæſtione.* Sic autem legendum eſſe, vt edidimus, non, *Sed tu caue inquiſitioni mihi ſis,* & ratio vincit,& libri veteres plerique teſtantur.

## CLEOSTRATA, ALCESIMVS.

CL. VT properarem arceſſere hāc ad me vicinam meam, hoc erat.
Æcaſtor quòd me tanto vir opere orabat meus,
Liberæ ædes vt ſibi eſſent,Caſinam quò deduceret,
Nunc adeò nequaquam arceſſam,ne qua ignauiſſumis
Liberi loci poteſtas ſit vetulis veruecibus.
Sed eccum egreditur ſenati columen,præſidium popli,
Meus vicinus,meo viro qui liberum præbet locum.
Non æcaſtor vilis emtu'ſt modius,qui venit, ſalis.
AL. Miror huc iam non arceſſit proximum vxorem meam,
Quæ iamdudum ſi arceſſatur,ornata expectat domi.
Sed eccam,opinor arceſſit:ſalue Cleoſtrata. CL. & tu Alceſime.
Vbi tua vxor? AL. intus illa te,ſi ſe arceſſas,manet:
Nam tuus vir me orauit, vt eam iſtuc ad te adiutum mitterem.
Vin' vocem? CL. ſine. nolo, ſi illa occupata'ſt. AL. otium eſt.

Nihil



CL. Nihil moror, moleſta ei eſſe nolo:poſt conuenero.
AL. Non ornatis iſtic apud vos nuptias? CL. orno & paro.
AL. Non ergo opu'ſt adiutrice? CL. ſatis domi eſt. vbi nuptiæ
Fuerint,tum iſtam conuenibo.nunc vale,atque iſtam iube.
AL. Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci miſer,
Propter operam illius hirqi improbi & edentuli,
Qui hoc mihi contraxit.operam vxoris polliceor foras,
Quaſi catillatum.flagitium hominis,qui dixit mihi
Suam vxorem hanc arceſſituram eſſe. ea ſe eam negat morarier.
Atque ædepol mirum,ni ſubolet iam hoc huic vicinæ meæ.
Verùm autem altrouorſum cùm eam mecum rationem puto,
Si quid eius eſſet,eſſet mecum poſtulatio.
CL. Ibo intrò,vt ſubducam nauim rurſum in puluinarium.
Iam hic eſt lepidè ludificatus. miſeri vt feſtinant ſenes!
Nunc ego illum nihili decrepitum meum virum veniat velim,
Vt eum ludificem viciſſim,poſtquam hunc deluſi alterum.
Nam ego aliquid contrahere cupio litigij inter eos duos.
Sed eccum incedit:at quum adſpicias triſtem,frugi cenſeas.

AD ME] domum noſtram. HOC ERAT ÆCASTOR, QVOD ME, &c.] ordo & ſententia eſt,hoc erat æcaſtor, id eſt, hæc erat cauſa profectò,quamobrem me tantopere vir meus orabat, vt hanc meam vicinam ad nos arceſſere properarem. Cleoſtrata poſteaquam reſciuit omnem rem de amore, & nequitia viri ſui, ſimúlque de turpiſſimo vicini Alceſimi in eum officio,ac ſtudio, mutat conſilium de arceſſenda Murrhina vicina ſua, vt ſenum conſilia diſturbet. HOC ERAT,] hæc cauſa erat. NE QVA IGNAVISS. LIBERI LOCI POT.] ne qua vacui loci,in quo liberè, & ſine arbitris ſcortari, & amoribus turpiſſimis operam dare poſſint,fiat copia. VETVLIS VERVECIB.] ſenibus ad Venerem ineptis. SENATI COLVMEN,] ironia eſt. ſic Terent.Phorm. *columen verò familiæ,Cui commendaui filium hinc abiens meum.* ſuprà Plautus in Amphitr. *Aduenisti,audaciæ columen,conſutis dolis.* Idem in Epid. *ſenati qui columen cluent.* ſenati autem,antiquè, pro ſenatus. Salluſt. de bello Catilinar. *Igitur ſenati decreto Q. Marcius Rex Feſulas,Q. Metellus Creticus in Apuliam,circumq; ea loca miſsi,*&c.Idem alibi, *duobus ſenati decretis.* M.Tullius diuinatione in Q.Cæcilium.*quod in vnaquaque re, beneficio ſenati, populique Romani iuris habuit.* Notant Nonius & Cariſius. NON ÆCASTOR VILIS EMTV'ST, &c.] non æcaſtor vilis emtu eſt,ſalis modius,qui venit.allegoria eſt: per quam ſignificat εἰρωνικῶς hos ſenes eſſe inſipienteis,inſulſos,ac deliros.non æcaſtor,inquit, ſalis modius, vilis emtu eſt.hoc eſt,carus eſt. quid ita? quia quæ rara ſunt, cara ſunt.at hi ſenes totum ciuitatis ſalem in pectoribus ſuis continent, & poſſident, ſcilicet: ſúntque adeò ſal totius ciuitatis. non eſt igitur mirum, modium ſalis, qui venit, carum eſſe, cùm ſit totus penes duos ſenes. vel ſic, vt legatur hoc totum cum interrogatione. non æcaſtor vilis emtu'ſt modius qui venit, ſalis? id eſt, nónne ſal vili emitur, cùm ſit tanta eius penuria, & cùm hi duo ſenes ſoli in ciuitate ſalem habeant? hoc eſt, cùm ſoli ſapiant? cùm ſit tanta ſalis in vrbe paucitas, atque egeſtas,nónne debet eſſe cariſſimus? & nónne mirum eſt,tam vili emi ſpectata eius penuria? Locus eſt aliquantùm obſcurus. quem melius fortaſſe declarabit lector eruditus, & plus otij nactus.Iam ſal pro ſapientia,prudentia,ſollertia,& acumine vſupari ſolet.ex quo ſalſi,& inſulſi. Et Catull. de Quinctia & Leſbia. *Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.* Et Terent.in Eunuc. *Labore alieno magno partam gloriam Verbis ſæpe in ſe transmouet, qui habet ſalem.* Significat omnino, hos ſenes eſſe inſulſos,fatuos,ſtolidos,neque quidquam in pectore ſalis,neque aceti habere. ORNATA.] parata,& inſtructa:vel culta vt decet. INTVS ILLA TE, SI SE ARCESS. M.] domi illa te expectat,ſi fortè ſe arceſſas. NIHIL MOROR.] nihil moror vxorem tuam, id eſt,facile opera vxoris tuæ carebo. NON ORNATIS] non paratis, &c. CONVENIBO.] conueniam. ATQVE ISTAM IVBE] ſubintell.valere. FLAGITIVM] facinus turpe,& erubeſcendū. HIRQI IMPROBI, ET ED.] hircum appellat,quod inſtar hirci,ſalax ſit,& in Venerem pronus:vel quod olidus,& fœtidus.addidit epithetum,*improbi*,id eſt, proterui,petulci.addidit & alterum edentuli,hoc eſt,ſenio confecti.edentulos ſenes, νωδοὺς appellant Græci. QVI HOC MIHI CONTRAXIT.] qui hoc mali mihi conſtauit.

A QVASI CATILLATVM] *Catillare*, inquit Fulgentius, *eſt per alienas domus gyrare*, tractum à Catulis,quòd per alienas domos circumeant. deinde profert hunc locum. Sic autem legẽdum apud Fulgentium, vt retulimus, & vt habent omnes libri *gyrare*,non vt vult quidam indiligens Nonij emendator,*ligurrire*, quamuis ſciam catillones dici guloſos,& ligurritores. quaſi catillatum,igitur,i d eſt,vt eat quaſi catillatũ, vel vt quaſi catillet,id eſt,circumeat,& vagetur per alienas domos. Non diſſimulabo tamen,in nonnullis libris manuſcriptis ſcriptum eſſe. *quaſi catillætum flagit.hom.* In vno & altero.*quaſi catillæ cùm flagit.* Quæ ſcripturæ non ſunt fortaſſe reiiciendæ: & ſunt faciles, & planæ, hoc modo,*operam vxoris polliceor foras,quaſi catillæ.* id eſt, operam vxoris polliceor extra domum, & alienis viris,quaſi ea ſit impudica, & alienorum virorum appetens. Omnino prior ſcriptura, eam dico,quam ſecutus ſum,meo iudicio probabilior eſt.Sed ne hoc quidem prætermittam,quod à Feſto ſcriptum eſt,ſi quid fortè ad rem pertinet.*Catillatio*, inquit ille,*graue opprobrium hominibus generoſis obijciebatur, ſi qui prouincias, amicas populi Romani exſpoliaſſent.* FLAGITIVM HOMINIS] homo flagitioſus,ſeu flagitij,id eſt,dedecoris plenus. ATQVE ÆDEPOL MIRVM NI SVBOLET, &c.] & ædepol nimirũ hæc vicina mea hoc,quod molimur, ſubodoratur,id eſt, ſuſpicatur. hoc ei ſubolet,id eſt,hoc ei incipit eſſe notum: vel hoc ei aliquantum,& aliqua ex parte notum eſt.tralatio eſt à ſenſu odorandi. Sic Terent.Heautont.*Vt ne paullulùm quidem ſuboleat eſſe amicam hanc Cliniæ.* VERÙM AVTEM ALTROVORSVM.] ſed contra alteram in partem,vel alteram partem verſus,cùm rationẽ ineo, & cùm mecum attentiùs conſidero,ſi vicina mea aliquid horum ſuſpicaretur,mecum expoſtularet. POSTVLATIO.] expoſtulatio. VT SVBDVCAM NAVIM RVRS. IN PVLVIN.] puluinar ſeu puluinarium, locus, in quo corpus quieturum collocamus.vel ſic, puluinar,lectulus, ſeu puluillus ex aluta factus, molli tomento fartus:in quo collocabant olim Dei ſtatuam.transfertur etiam ad trabeis, in quibus naues poſt longam nauigationem, ac iactationem,& tempore ad nauigãdum minus idoneo, in litore collocantur. Eſt autem hîc allegoria, per quam ſignificat Cleoſtrata rem abeſſe à periculo:vel inibi eſſe, vt extra periculum eſſe poſſit.quod eo dicit,quia quod ſperarat ſenex,ſe Caſina potiturum, operam ei ad hanc rem dante Alceſimo,eius ſpei fruẽdæ copiam ſe eis ademturam eſſe videt,atque confidit. NVNC EGO ILLVM NIHILI DECR. &c.] locutio permixta, & ex duobus conflata, cuius generis non paucas non vno loco notauimus,& collegimus. dictum enim,virum meum veniat velim, pro vir meus veniat velim.vel virum meum venire velim. ALIQVID CONTRAH. CVP. LIT.] aliquam inter eos duos litem conflare cupio.cupio eos inter ſe committere,& concitare. AT QVOM ADSP. TRISTEM, FR. C.] tale ferè eſt illud Terent.in Andr.de Critone. *ellum, confidens,catus,Cùm faciem videas, videtur eſſe quantiuis pretij.* & illud M.Tullij de Piſo. orat. in Piſon. *quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum, atque incultum videbant*, &c. nam ſatis C mihi eſt locum indicaſſe.

## STALINO ſenex, CLEOSTRATA.

STultitia magna'ſt, mea quidem ſententia,
Hominem amatorem vllum ad forum procedere,
In eum diem,cui quod amet in mundo ſiet,
Sicut ego feci ſtultus.contriui diem,
Dum aſto aduocatus cuidam cognato meo:
Quem hercle ego litem adeò perdidiſſe gaudeo, D
Ne me nequicquam ſibi hodie aduocauerit.
Rogitare oportet priùs & percontarier,
Aſſitne animus ei, necne aſſit,quem aduocet.
Si neget eſſe,exanimatum amittat domum.
Sed vxorem ante ædis eccam.hei miſero mihi.
Metuo, ne non ſit ſurda,atque hæc audiuerit.
CL. Audiui ecaſtor cum malo magno tuo.
ST. Accedam propius.quid agis mea feſtiuitas?
CL. Te æcaſtor præſtolabar. ST. iámne ornata res eſt?
Iámne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adiutaret? CL. arceſſiui vt iuſſeras.

Verùm



A Verùm hic ſodalis tuus,amicus optimus,
Neſcio quid ſe ſufflauit vxori ſuæ.
Negauit poſſe,quando arceſſo,mittere.
ST. Vitium tibi iſtuc maximum eſt: blanda es parum.
CL. Non matronarum officium eſt,ſed meretricium,
Viris alienis,mi vir,ſubblandirier.
I tu,atque arceſſe illam:ego intus quod facto eſt opus,
Volo accurare,mi vir. ST. propera ergo. CL. licet.
Iam pol ego huic aliquem in pectus iniiciam metum,
Miſerrimum hodie ego hunc habebo amaſium.

B STVLTITIA MAGNA'ST, MEA QVIDEM S.] ſic queritur Menæchmus ſubreptus in Menæchmis, ſe, dum cuidã ſuo cognato in foro operã dat,diem optimũ corrupiſſe, & hora conſtituta ad prandium ab amica paratum non veniſſe.ibi,*Dij illum omnes perdant:ita mihi hunc hodie corrupit diem*, &c. in ſcena,cuius principium eſt. *Vt hoc vtimur maximè moro morum*,&c. Sic in ead. fabula. *Peniculus paraſitus, ſe in contione hæſiſſe, & interea prandij tempus non obijſſe:* ibi, *Plus annos triginta natus ſum*, &c. AD FORVM PROCEDERE] in forum prodire. IN EVM DIEM CVI QVOD AM. IN M. S.] ordo eſt, ad forum procedere, cui quod amat, in mundo ſiet in eum diem. IN MVNDO SIET:] id eſt,paratum ſit. de hoc loquendi genere ſuprà plura dicta ſunt in Aſin. ibi, *Aut mihi in mundo ſunt virgæ, aut atrienſi Saureæ.* CONTRIVI DIEM,] conſumſi diem. Sic in Aſinaria dixit, *lacerare diem*, ibi, *Quin ego hanc iubeo tacere,quæ loquens lacerat diem?* ADVOCATVS CVIDAM COGN.] aduocatus eſt is,qui præſentiam ſuam commodat amico,aut etiã ius ſuggerit,ita vt nihil loquatur apud iudices. NE ME NEQVICQVAM, &c.] quem gaudeo litem perdidiſſe,ne me ſine mercede,ac pretio ſibi hodie aduocauerit. vel ſic, quem litem perdidiſſe gaudeo, vt ſui facti, quòd me ad ſuam litem aduocatum adhibuit,hoc pretium,& hanc mercedem ferat, ſcilicet, litem perditam. ROGITARE OPORTET PRIÙS, ET PERC. ASSÍTNE.] id eſt,oportet priùs eum, qui C aliquem aduocat,ex eo quærere,vtrùm ei,quem aduocat, preſtò ſit animus, an peregrinetur,& alia in re ſit occupatus,quàm in negotio,quod agitur,& ad quod ille adhibetur: vt amãtis animus:qui non eſt in ſuo, neque cum ſuo corpore, ſed cum eo, eáue, quem, vel quam amat. SI NEGET ESSE:] ſi is,qui aduocatur,rogatus ab eo,qui aduocat,neget ſuum animum adeſſe. EXANIMATVM AMITT. D.] animo carentem,vtpote,qui corpore quidem adſit,animo verò abſit, dimittat domum. AVDIVI ÆCASTOR, &c.] hæc loquitur Cleoſtrata, ad ſpectatores verſa, à Stalinone auerſa. TE ÆCASTOR PRÆSTOL.] tibi æcaſtor præſtolabar, te exſpectabam. ORNATA.] parata. TRADVXTI HVC AD NOS,] domum noſtram traduxiſti. ARCESSIVI VT IVSSERAS.] vide commentum mulieris. mentitur enim,ſed id eo conſilio facit,vt rixas inter duos ſenes ſerat,& liteis contrahat. ANIMVS OPTIMVS.] ironia. NESCIO, QVID SE SVFFL. VXORI S.] neſcio quid iratus eſt vxori ſuæ. neſcio quid turgidus factus eſt vxori ſuæ. inflauit buccas vxori ſuæ. ſic ſuprà.*Nunc in fermento tota eſt:ita turget mihi.* ſufflatũ, inquit Nonius,id eſt,tumidum,& quaſi vento elatiùs factum. NEGAVIT POSSE, &c.] negauit ſe poſſe, &c. MISERRIMVM D HOD. EGO H. HAB.] habebo miſerrimum: id eſt,valde cruciabo, & torquebo. AMASIVM.] ironia eſt.non dixit amatorem,vt erat dicendus,ſed amaſiũ,id eſt, formoſum puerum, & catamitum: ſignificãs,ſenem eſſe iam ad res venerias ineptum,vtpote id ætatis,vt non modò eum quiſquam amare libidinis cauſa non poſſit,ſed etiam eum dedeceat amori operam dare.

## ALCESIMVS ſenex, STALINO.

AL. VIſo huc,amator ſi à foro rediit domum,
Qui me atque vxorem larua ludificatus eſt.
Sed eccum ante ædis.ad te hercle ibam commodùm.
ST. Atque ego hercle ad te.quid ais vir minimi preti?
Quid tibi mandaui? quid tecum oraui? AL. quid eſt?
ST. Vt bene vaciuas ædes feciſti mihi?
Vt traduxiſti huc ad nos vxorem tuam?

Satin' propter te pereo,ego atque occaſio? A
AL. Quin tu ſuſpendis te ? nempe tute dixeras,
Tuam arceſſituram eſſe hinc vxorem meam.
ST. Ergo arceſſiuiſſe ait ſeſe,& dixiſſe te,
Eam non miſſurum. AL. quin ea ipſa vltrò mihi
Negauit eius operam ſe morarier.
ST. Quin ea ipſa me allegauit,qui iſtam arceſſerem.
AL. Quin nihili facio. ST. quin me perdis. AL. quin bene eſt,
Quin etiam diu morabor,quin cupio tibi,
Quin aliquid ægrè facere,quin faciam libens.
Nunquam tibi hodie,quin erit plus,quàm mihi,
Quin hercle dei te perdant poſtremò quidem. B
ST. Quid nunc ? miſſurúſne es ad me vxorem tuam?
AL. Ducas,eáſque in maximam malam crucem,
Cúmque hac,cúmque iſtac,cúmque amica etiam tua.
Abi,& aliud cura:ego iam per hortum iuſſero
Meam iſtuc tranſire vxorem,ad vxorem tuam.
ST. Nunc tute amicus mihi es in germanum modum.
Qua ego hunc amorem mihi eſſe autem dicam datum.
Aut quid ego vnquam erga Venerem iniquè fecerim,
Cui ſic tot amanti mihi obuiam eueniant moræ?
Atat,quid illud clamoris,obſecro,in noſtra domo eſt?

C

LARVA,] homo inſanus,& laruatus:vel monogrammus homo Tithonus,id eſt, ſenectute attenuatus & minutus,homo exſanguis,& exſuccus , vt larua : vel homo ad homines terrendos,quàm ad puellas amandas aptior. COMMODÙM.] ipſo eodémque tempore commodo.Terent.Eun. *Illa ſeſe interea commodùm huc aduorterat*,&c.Idem Phorm.*cùm hoc id agebam commodùm*. ad quæ legendus Donatus ei,qui plura de hoc ſcire volet. QVID TECVM ORAVI?] quid tecum egi? VT BENE VACIVAS ÆDES FECISTI M.] quàm bene vacuas ædeis feciſti mihi? proindè ac ſi dicat,non feciſti.mandatum neglexiſti. SATIN' PROPTER TE P. &c.] nónne planè tua culpa pereo,& occaſio, quam nactus eram, mihi elabitur è manibus?propter te,id eſt,tuo facto,tua negligentia,& culpa. Rectè autē *occaſio perit*. nam occaſio præceps,& calua eſt, inquit ille. Itaque niſi ſtatim arripiatur, vix aliàs vnquam reprendi poteſt. TVAM ARCESS. ESSE H. V. M.] dixeras fore,vt tua vxor hinc è domo noſtra,meam vxorem arceſſeret. ET DIXISSE TE, EAM N. M.] & te dixiſſe,te eam non miſſurum. QVIN EA IPSA, &c.] immò verò ea ipſa, non recuſante, aut obſtante me, quominus mea vxor domum tuam iret, negauit ſe eius opera egere, vel dixit ſe eius opera facilè carituram. D VLTRÒ] id eſt,non impulſa me,vt id diceret,aut faceret, vel non reuocata, aut deterrita à me,ne vxorem meam arceſſeret. MORARIER.] Sic Horat.epiſt. ad Valam lib.1. *nam vina nihil moror illius oræ*. QVIN EA IPSA ME ALLEG.] immò verò ea ipſa me priuatim miſit,vt eam,cuius opera dicis vxorem tuam negare ſe egere,arceſſerem. QVIN NIHILI FACIO] nunc ſeriò iraſcitur ſenex Alceſimus. Et aduerte animum ad crebram eiuſdem vocis iterationem quin.qua exprimitur iratorum affectus : talis enim eorum ſermo. QVIN BENE EST.] quin bene eſt,quod peris.vel ſic, quin te perdere cupio. vel ſic, quin placet iſtuc mihi,& gaudeo te perire,vel ſic,quin dignus es,qui pereas,& iſtud tibi meritò accidit. QVIN ETIAM DIV MORABOR,] quin etiam diu in hoc verbo morabor,vt tibi malum exoptem, & te perire cupiam. exprimit affectum Alceſimi irati, idem verbum crebrò cum ſtomacho per contumeliam iterantis. QVIN CVPIO TIBI, QVIN ALIQ.] hic ordo, atque hæc ſeries orationis eſt, quin cupio tibi aliquid ægrè facere. ſed ſtomachans & ira incenſus particulam *quin* interpoſuit. NVNQVAM TIBI HODIE, QVIN ERIT PL.] iterū hîc,quin,interpoſitum eſt tantummodò ad exprimendam irati hominis orationem. Nam hæc ſententia nūquam tibi hodie plus erit mali, quàm mihi,tua ſcilicet culpa contracti.vel intelligamus,eum illud quidem dicere voluiſſe,& cogitaſſe:ſed mali ominis vitādi cauſa, rectum ſermonis



A ſermonis contextum vertiſſe, & inſtitutam ſententiam mutaſſe, vt in Stalinonis caput potiùs, quàm in ſuum,omne infortunium recideret : hoc modo. Quin tibi plus erit mali,quàm mihi, hæc poſterior eſt,vt dixi,ſententia,non ea,quam exorſus erat. Nam initiò hoc dicere voluerat, & hanc ſententiam verbis exprimere inſtituerat:Nunquam tibi plus hodie mali eueniet,quàm mihi,dum tibi,tuæque nequitiæ operam da,atque inſeruio. Cùm igitur ita orſus eſſet,*Nunquam tibi hodie:* ſequi deinceps debuerat, plus erit mali, quàm mihi. Sed orationem in medio, curſu correxit,ne ſibi malè ominetur, & ita mutauit,quin potius hoc dico, plus tibi hodie erit mali, quàm mihi. tu eris hodie miſerrimus:ego, ſi quid mali merui,quod me tibi in tuis flagitiis adiutorē præbui:aut, ſi quid mihi mali ex mea nimia facilitate imminet, minimo malo defungar, ſi dij volent. DVCAS] ducas ipſe meam vxorem,domum tuam incipit placari. CÚMQVE HAC, CÚMQVE ISTAC] & cum vxore mea,& cum tua. ET ALIVD CVRA] nunc placatus eſt.Nam his verbis iubet eum,quod ad hoc negotium attinet,ſine cura eſſe, ſignificans ſe id curaturum. ſic loquitur ſuprà in Aſinar. *Tum tu igitur aliud cura quid libet*. IN GERMANVM MODVM] germano modo, id eſt,verè, non ſimulatè, aut fucatè. QVA EGO HVNC AMOREM, &c] id eſt, qua ratione autem dicam hunc amorem mihi eſſe datum? AVT QVID EGO VNQVAM, &c.] id eſt, aut qua in re vnquam Venerem B iniuſtè læſerim: cui ſic mihi amanti tot moræ obſtent, atque aduerſentur? ATAT.] interiectio pauentis, & re ſubitò obiecta permoti.

## PARDALISCA ancilla, STALINO ſenex.

PA. NVlla ſum, nulla ſum, tota tota occidi, cor metu mortuū eſt,
Membra miſeræ tremunt:neſcio vnde auxilij,præſidij,
Perfugij mihi,aut opum copiam comparem,aut expetam.
Tanta factis modò mira miris modis intus vidi,
Nouam atque integram audaciam.caue tibi Cleoſtrata,abſcede
Ab iſta obſecro, ne quid in te malè faxit ira percita.
C Eripite iſti gladium,quæ ſui eſt impos animi.
ST. Nam quid eſt, quòd hæc huc timida atque exanimata exſiluit foras?
Pardaliſca. PA. perij,vnde meæ vſurpant aures ſonitum?
ST. Reſpice modò ad me. PA. here mi. ST. quid tibi eſt?
Quid timida es? PA. perij.
ST. Quid,periſti? PA. perij, & tu periſti. STAL. aperi, quid tibi? PA. væ tibi.
ST. Imò iſtuc tibi ſit. PA. ne cadam, amabo tene me. STA. quidquid eſt,
D Eloquere mihi citò. PA. contine pectus, face ventulum amabo
Pallio. ST. timeo hoc negocium.quid eſt,niſi hæc meraclo
Se vſpiam percuſſit flore Libyco. PA. obtine aures amabo.
ST. I in malam crucem,pectus,auris,caput,téque di perduint:
Nam,niſi ex te ſcio,quicquid hoc ſit,citò,iam tibi iſtuc
Cerebrum diſpercutiam,exſecrata,ludibrio peſſima adhuc
Quæ me habuiſti. PA. here mi. ST. quid vis mea ancilla? PA. nimium ſæuis.
ST. Numerò dicis.ſed hoc quicquid eſt loquere,in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? PAR. ſcibis. audi malum peſſimum,
Quod hîc modò intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit,quod haud Atticam addecet diſciplinam. ST. quid eſt id?

P A. Timor præpedit dicta linguæ. S T. quid eſt? poſſum ſcire ego A
iſtuc
Ex te? quid negotij eſt? PA. dicam, tua ancilla, quam tuo
Villico vis dare vxorem, ea intus. S T. quid intus? quid eſt?
P A. Imitatur malarum malam diſciplinam, viro ſuo quæ inter-
Minatur vitam. S T. quid ergo? P A. ah. S T. quid? P A. interi-
mere ait
Velle vitam gladium. S T. hem. P A. gladium. S T. quid eum
gladium? P A. habet. S T. hei miſero mihi,
Cur habet? P A. inſectatur omnis domi per ædeis, nec quenquã
Prope ad ſe ſinit adire. ita omnes ſub arcis, ſub lectis
Latentes metu muſſitant. S T. occidi, atque interij. quid illi B
Obiectum'ſt mali tam repentè? P A. inſanit. S T. ſceleſtiſſimum
Me eſſe credo. P A. imò ſi ſcias dicta, quæ dixit hodie. S T. iſtuc
Expeto ſcire, quid dixit? P A. audi, per omnes deos, & deas
Deiurauit, occiſurum eum hac nocte, qui cum cubaret.
S T. Me occidet. P A. an quicquam ad te attinet? S T. vah. P A. quid
cum ea negotij
Tibi eſt? S T. peccaui, illunc dicere villicum volebam. P A. ſciens
De via in ſemitam regredere. ST. nunquid mihi minatur?
P A. Tibi infeſta ſoli'ſt plus, quàm cuiquam. S T. quamobrem? P A.
quia ſe des
Vxorem Olympioni neque tuam, nec ſuam, C
Neque viri vitam ſinet in craſtinum protolli. id huc miſſa ſum
Tibi vt dicerem, ab ea vt caueas tibi. S T. perij hercle miſer,
Neque eſt, neque fuit me ſenex quiſquam amator adæquè miſer.
P A. Ludon' ego hunc facetè? nam quæ facta dixi, omnia huic
Falſa dixi, hera, atque hæc dolum ex proximo hunc protulerunt.
Ego huc miſſa ſum ludere. S T. heus Pardaliſca. P A. quid eſt,
quid?
S T. Eſt quod volo exquirere à te. P A. moram offers mihi. S T. at tu
Offers mœrorem. ſed etiámne habet & nunc Caſina
Gladium? P A. habet, ſed duos. S T. quid, duos? P A. altero te D
occiſurum ait.
Altero villicũ hodie. S T. occiſiſſimus ſum omnium qui viuunt.
Loricam induam mihi, optumum eſſe opinor. quid vxor
Mea non adijt, atque ademit? P A. nemo audet propè accedere.
S T. Exoret. P A. orat. negat ponere alio modo vllo profectò,
Ni ſe ſciat villico non datum iri. S T. atque ingratiis, quia
Non vult, nubet hodie. nã cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Vt nubat mihi? illud quidem volebam, non, ſed noſtro villico.
P A. Sæpiculè peccas. S T. timor præpedit verba: verùm
Obſecro. dic me vxorem orare, vt exoret illam, gladium
Vt ponat, & redire me intrò vt liceat. P A. nuntiabo.

Et tu



A S T. Et tu orato. P A R D. & ego orabo. S T A. at blandè orato vt
ſoles. ſed audin?
Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito
Aureum, & bona plurima. P A R D. operam dabo. S T A. face
vt impetres.
P A. Eo nunc iam, niſi quippiam remorare me. S T A L. abi, & cura.
P A. Redit eccum tandem obſonatu eius adiutor, pompam ducit.

NVLLA SVM, N. S.] Pardaliſca ancilla à mulieribus inſtituta, & ſubornata, foreis pro-
dit, & ſe metu exanimatam ſimulans, narrat ſeni Stalinoni, libidine ardenti, Caſinam in-
ſanire, vt, dum Chalinus veſtitu muliebri ornatur, qui pro Caſina rus producatur, ſenem foris
moretur, & eludat. Tres primi verſus ſunt cretici. quibus in rebus trepidis, aut alioqui celeri-
tatem aliquam exprimentibus. MIRA] miracula. MIRIS MODIS] Lucretius lib. 1.
*Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.* ATQVE INTEGRAM AVDACIAM,]
B atque inuſitatam audaciam. audaciam nouam, nũquam antea ab vllo ſuſceptam. AB ISTA]
à Caſina. FAXIT] fecerit. IRA PERCITA] ira impulſa, aut permota. Lucret. lib. 5.
*At pater omnipotens ira tum percitus acri.* Plautus in Amphitr. *Delirat vxor atra bili percita'ſt.* quem
verſum profert Nonius, in voce *percitum*, quam interpretatur percuſſum. QVÆ SVI EST
IMPOS ANIMI.] quæ non eſt compos ſuæ mentis, vel quæ eſt ſuæ iræ, atque inſaniæ im-
potens, hoc eſt, quæ ſuam iram, & inſaniam coërcere, aut regere non poteſt. NAM QVID
EST, &c.] ἀναςροφή. *nam quid eſt*, pro *quidnam eſt.* TIMIDA,] timore perculſa, vel timens:
vt nomen poſitum pro participio intelligamus. ſic enim, & Donatus, illud Terentij in Hecyra.
*Nam modò me intrò vt corripui timidus*, &c. explicans *timidus*, inquit, pro *timens*, nomen loco partici-
pij. Idem in Eunuch. ad illud. *Sed quid hoc eſt, quòd timida ſubitò egreditur Pythias?* notat *timida*, pro
ægra, turbata, commota, &c. Et Seruius ad illud Virgilij in Sileno, *timidíſque ſuperuenit Ægle.*
notat, *timidis*, pro, *timentibus*: Nam alioqui, inquit ille, timidus eſt, qui ſemper timet: timens ve-
rò, qui ad tempus formidat ex cauſa. Sic iterum Plautus in Rudente in prologo *De naui timidæ*
*deſilüerunt in ſcapham.* VNDE MEÆ VSVRPANT AVRES SONITVM?] id eſt, vnde
ſonitus ad aureis meas peruenit? vnde aures meæ ſonitum accipiunt? RESPICE MODÒ
C AD ME] retrò adſpice modò ad me. verte faciem tuam & oculos tuos ad me. QVID TI-
MIDA ES?] quid paues? VÆ TIBI.] miſer es. FACE VENTVLVM, AMABO,
PALLIO.] ſuprà in Curculione. *obſecro hercle, face ventum, vt gaudeam.* ſequitur aliquantò pòſt,
*nolo equidem mihi fieri ventulum.* NISI HAEC MERACLO SE VSPIAM PERC. FL.
LIBYCO] niſi fortè ſe hæc alicubi vino Mareotico præſtantiſſimo, eóque meraculo, id eſt,
aliquantum meraco, inuitauit. coniunge adiectiuum *meraclo* cum, flore Libyco. vinum Mareo-
ticum appellat Horat. oda. 37. lib. 1. ibi, *Mentémque lymphata Mareotico Redegit in veros timores*, &c.
vel à Mareotico lacu, qui non longè abeſt ab Alexandr. de quo Plinius lib. 5. cap. 10. vel à Ma-
reotide Libya. de qua idem eodem lib. cap. 6. OBTINE AVREIS AMABO.] au-
reis mihi ex aduerſa parte tene, ne cadam ſcilicet. Obtinebant aureis etiam ij, qui mutuis au-
riculis prehenſis oſculabantur: quod oſculi genus χύτραν appellant Græci. de quo ſuprà in
Aſinar. ibi, *Prehende auriculis: compara labella cum labellis.* PERDVINT.] perdiderint,
optantis. DISPERCVTIAM.] in diuerſis partibus percutiam, diminuam. *dis*, in
compoſitione plerunque auget, vt diſtædet, diſcupere, diſperdere, &c. Non celabo lectorem
tamen duos libros veteres cum vulgatis conſentienteis, habere *diſpertiam*, quos non ſequor.
D EXSECRATA:] paſſiuè accipiendum, diis addicta ac deuota. LVDIBRIO PES-
SIMA ADHVC,] ordo eſt, quæ vſque ad hoc tempus peſſima me ludibrio habuiſti.
NIMIVM SAEVIS.] ἄγαν χαλεπαίνεις, nimiùm ira excandeſcis. Virgil. lib. 6. *ne ſæui*
*magna ſacerdos.* Horat. Sat. 2. lib. 2. *Sæuiat atque nouos moueat fortuna tumultus*, &c. Plautus in Epid.
*ſed memento, ſiquid ſæuiat ſenex, Suppetias mihi cum ſorore ferre.* NVMERO DICIS.] nimiùm
citò dicis. ſic Feſtus hunc locum proferens. Sic ſuprà in Amphitr. *numerò mihi in mentem fuit.*
IN PAVCA REFER.] in pauca confer: in pauca redige: dic ſummatim, quidquid
eſt. TVMVLTI FVIT] tumultus fuit? tumulti, pro, tumultus: vt quæſti, pro quæ-
ſtus, ſenati, pro, ſenatus, &c. antiqui genitiui. notant Nonius, & Cariſius, & Priſcianus, & alij.
Iam tumultus dictus, quaſi timor multus, inquit M. Tullius Philipp. 8. SCIBIS.] ſcies. ſcibo,
conuenibo, ſubuenibo, expedibo, dormibo, obedibo, & ſimilia, pro ſciam, conueniam, ſub-
ueniam, expediam, dormiam, obediam, &c. Plauto vſitata ſunt, & nonnullis aliis poëtis, vt
Horatius oda 23. libr. 3. *Mollibit auerſos Penateis Ture pio, & ſaliente mica.* HOC PACTO]
hoc modo. ſequitur proximo verſu, *quod haud Atticam add. diſcipl.* id eſt, qui modus non de-
cet Atticam diſciplinam. TIMOR PRAEPEDIT DICTA LINGVAE] timor linguam
debilitat, & impedit, quominus eloqui poſſit. præpedit dicta linguæ, id eſt, antè occupatam
linguam impedit, quominus loqui poſſit. vel ſic, antè impedit ea, quæ lingua fuerat locutura.

A denique idem dicit quod infrà ead.ſcena : *timor præpedit verba.* vtitur eodem verbo & Terent.in Heautont.*an eò fit,quia noſtra in re,aut gaudio ſumus præpediti nimio,aut ægritudine?* & Lucretius lib.3. *Lumina luminibus quia nobis præpediuntur*, &c. Idem eod.lib.infrà. *Conſequitur grauitas membrorum, præpediuntur Crura vacillanti.* Et M. Tullius pro Caio Rabirio perduel.reo. *Confectus ſenectute, præpeditus morbo, mancus,ac membris omnibus captus,ac debilis.* EA INTVS] Cùm hæreret ancilla, neque ſatis citò,aut expeditè eloqueretur, quid ageret Caſina propter perturbationem,atque exanimationem : ſenex moræ impatiens, vrget acriter, vt pergat dicere, & totam rem aperiat. vel, cùm illa ſat citò, & ſat commodè rem narrare inciperet, eſſétque continuò ſubiunctura, *imitatur malarum malā diſciplinam*,&c. ſenex tamen ancillā in media oratione interpellauit,atq; in his verbis maximè,*ea intus*. QVID INTVS? &c.] quid ea intus? quid eſt, quod intus agit? aut quid eſt,quod de Caſina fuiſti dictura? IMITATVR MAL. &c.] hæc verba debent cohærere cum ſuperioribus illis,*ea intus*,hoc modo,atque ordine,*ea intus imitatur malarum malam diſciplinam.* VIRO SVO QVÆ INTER-MINATVR, &c.] altera Caſinæ oratio interrupta. nam ſic continuanda erat. quæ interminatur ſe interemturam vitam viro ſuo, vel, quæ interminatur interimere vitam viro ſuo. INTERIMERE AIT VELLE V.] propter ea, quæ ſunt interpoſita à ſene, & quia verbum *interminatur* longiùs abeſt, ſumit aliud verbum, & aliam quaſi orationem orditur. nam cùm ita procederet oratio *viro ſuo interminatur vitam interimere :* B verbis aliquot vtrinque interiectis,ancilla quaſi verbi ſuperioris oblîta, orationē nouam inſtituit, hoc modo,interimere ait velle vitam, viro ſuo ſcilicet,ne multa, hîc mirè exprimitur ancillæ exanimatæ,& perterrefactæ oratio. GLADIVM.] ſequitur ſatis lōgo interuallo,verbum *habet*, quicum cohærere debet accuſandi caſus *gladium*, hoc modo. *Caſina gladium habet.* quod verbum ancilla Pardaliſca præ trepidatione,& formidine,quāuis ſimulata,continuò addere non potuit. CVR HABET?] nōnulli libri manuſcripti habēt, *Cur eum habet?* METV MVSSITANT.] metu tacent. metu muſſant, ſeu muti ſunt. Lucret.lib.1. *Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat.* Virgil.lib.12.Æneid. *Stat pecus omne metu mutum,muſſántque iuuencæ.* de verbo *muſſandi*, & ſuprà in his commentar.in Aulul.ibi. *Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari*, &c.& in Lucretianis ſatis multa ſcripſimus. QVID ILLI OBIECTVM'ST MALI TAM R.?] quid illi mali tam repentè oblatum eſt?ſic loquitur in Amphitr. *Huic homini neſcio, quid eſt mali mala obiectum manu.* DEIVRAVIT] deierauit:id eſt, ſanctè iurauit. OCCISVRVM EVM HAC N. QVICVM C.] id eſt, ſe occiſuram eum hodie, cum quo cubaret. Aulus Gellius lib.1.c.7.docet hic *occiſurum* non eſſe participium, ſed verbum indefinitum,quod Græci appellant ἀπαρέμφατον, *neque liberis*, inquit ille, *neque generibus præſeruiens, ſed vndique liberum, & impromiſcuum.quali C.Gracchus verbo vſus eſt, in oratione, cuius titulus eſt, de Q.Popillio circum conciliabula: in qua ita ſcriptum eſt, Credo ego inimicos meos hoc dicturum.Inimicos*,inquit,*dicturum non dicturos. Videturne eadem ratione poſitum eſſe apud Gracchum dicturum,qua eſt apud Ciceronem, futurum?* C ſic autem Cicero lib.5.Accuſat.*hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum.* profert ibidem ex Q.Quadrigarij tertio Annal. *dum ij conciderentur, hoſtium copias ibi occupatas futurum*, &c. Profert & hunc Plauti poſtremò locum,qui eſt infrà nō longè,ibi,*ſed etiámne habet Caſina gladium?* PAR. *habet:ſed duos.* ST. *quid? duos?* PAR. *altero te occiſurum ait, altero villicum hodie.* Legendus hac ead.de re Priſcia.lib.9. vbi profert ille hunc Lucilij verſum. *Nupturum te nupta negas, quod viuere Vlyſſem, Speras.* & nupturum interpretatur nuptum ire γαμηθήσεσθαι. ME OCCIDET.] ſenex imprudens amorem ſuum prodit, ac palàm facit. SCIENS DE VIA IN SEMITAM REGREDERE.] quidam ſic explicari volunt interpunctionem collocantes poſt *ſciens*.ſciens errabas.nunc de via in ſemitam,hoc eſt,in viam breuem regrederis. Ego nulla interpunctione interpoſita,ſic.ſciens de via,in ſemitam regredere,id eſt,prudens de via lata,& recta,regrederis in viam anguſtam, & impeditam. hoc eſt, ſciens, & prudens te impedis. Nonnulli libri habent *degredere*, pro,*regredere* fortaſſe rectiùs. TIBI INFESTA SOLI'ST, &c.] tibi irata, & offenſa eſt ſoli,plus,quàm D cuiquam alij,*infeſta*,hoc loco actiuam habet ſignificationem. Nam aliàs παθητικῶς vſurpatur, vt apud Ciceronem pro C.Rabirio perduell.reo.*libertas ſupplicijs infeſta*,& in Rullū, *vectigal bellis infeſtum.* PROTOLLI:] produci. ſuprà, *protollo mortē mihi.* NEQVE EST, NEQVE FVIT ME, &c.] dicturus ita fuerat,neque eſt,neque fuit me quiſquam ſenex amator miſerior. ſed in medio curſu,orationis formam mutauit,& ſubiūxit *adæquè miſer*, pro *miſerior*.vel aduerbio *adæquè* iunxit ablatiuum caſum *me*, pro, atque ego ſum. LVDON' EGO FACETÈ? &c.] hæc loquitur ancilla ad ſpectatores verſa,à ſene auerſa,ne exaudiat. ATQVE HÆC DOL. EX PROX.] atque hæc ex proximo, id eſt, vicina Myrrhina. PROTVLERVNT] extulerunt, procuderunt,fabricatæ ſunt,excogitarunt. LVDERE] vt ſenem ludam.more Græcorum dictum eſt. MORAM OFFERS MIHI] moram mihi inijcis. Sic loquitur in Pœnulo. *haud amicè facis, quicum onere offeras moram.* ALTERO TE OCCISVRVM AIT, &c.] hunc locum profert Gellius, vt ſuprà indicauimus, & ita explicat *occiſurum*, id eſt, occiſuram eſſe. OCCISISSIMVS SVM, &c.] participij paſſiui *occiſus* ſuperlatiuum finxit Plautus pro iure ſuo,ad exprimendam ſenis formidinem. ATQVE ADEMIT?] ſubintellige gladium. EXORET] exoret vxor Caſinam, vt ponat gladium. ORAT.] orat Caſinam vxor tua, vt gladium ponat. NEGAT PONERE ALIO MODO, &c.]

ſed



A ſed negat ſe alio pacto poſituram, niſi ſe ſciat villico non nupturam. ATQVE INGRATIIS, &c.] id eſt, atqui inuita, & ſiue velit, ſiue nolit,nubet hodie villico.immò,quia nubere non vult,nubet. Ingratiis,vel aduerbium,vel potius nomen eſt,de quo plura in Commētariis Lucretianis, ibi, *ingratiis hæret, & angit, Propterea morbi,quia cauſam non tenet æger.* lib.1. NAM CVR NON EGO PERPETREM, &c.] nam cur non id perficiam, quod cœpi, vt nubat mihi. VT NVBAT MIHI?] peccat ſenex.ita ſe ipſa poſtea corrigit, ac reprendit. ILLVD QVIDEM VOLEBAM NON, &c.] debuerat dicere, *illud quidem nolebam*, ſed præ immoderata libidine,fortaſſe ſciens peccat, & dicit *volebam:* mox tamen ſe ipſe reprendens, *non*, inquit, *mihi volebam dicere,ſed villico.* Tale ferè eſt illud M.Tullij pro M.Cœlio. *niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratre volui dicere. ſemper hîc erro.* SÆPICVLÈ PECCAS.] profert Priſcianus lib.3. ſed legit *ſæpiuſculè peccas*.docens *ſæpiuſculè* eſſe aduerbium diminutiuum ab aduerbio comparatiuo *ſæpius.* TIMOR PRÆPEDIT VERBA.] ſuprà, *timor præpedit dicta linguæ.* SI EFFEXIS HOC] ſi effeceris hoc. SOLEAS TIBI DABO] ſolea, genus eſt calceamenti,quod mulieribus,& viris mulierū,ſimilibus, & ægris aptum eſt. ET ANNVLVM IN DIGITO, &c.] Idem in Mil.glor.*at non multæ de digito donum mittunt.* REDDIT ECCVM TANDEM OBSON.] B ordo eſt,eccum Olympio, eius adiutor tandem redit obſonatu. POMPAM DVCIT] ducit coquos inſtar pompæ. ſic loquitur in Trucul. *Quis homo eſt,qui ducit pompam tantam?*

## OLYMPIO, COCVS, & STALINO.

OL. Vide fur,vt ſenteis ſub ſigno ducas. CO. qui verò ſunt ſentes?
OL. Quia quod tetigere, illicò rapiunt:ſi eas ereptum, illicò ſcindunt.
Ita quoquò aduenīūt, vbi vbi ſunt, duplici dāno dominos multāt.
CO. Eia. OL. Atat ceſſo magnificè,patricéque,amicéque ita hero.
Meo ire aduorſum. ST. bone vir,ſalue. OL. fateor. ST. quid fit? OL. tu amas,
C
Ego eſurio & ſitio. ST. lepidè excuratus inceſſiſti.
OL. Ah hodie. ST. mane verò,quanquā faſtidis. OL. hei hei fœtet
Tuus mihi ſermo. ST. quæ res? OL. hæc res. ST. etiámne aſtas? OL. enimuero
πράγματα μοι παρέχεις. ST. dabo μέγα κακόν. (vt ego opinor)
Niſi reſiſtis. OL. ὦ Ζεῦ, potin' à me abeas? niſi me vis vomere
Hodie. ST. mane. OL. quid eſt?quis hic homo eſt? ST. herus ſum. OL. qui herus?
ST. Cuius tu ſeruus es. OL. ſeruus ego? ST. atque meus. OL. non ſum ego liber?
D
Memento,memento. ST. mane atque aſta. OL. omitte, ſeruus ſum tuus.
Optimè'ſt. ST. obſecro Olympiſce mi,mi pater, mi patrone.
OL. Hem ſapis ſanè. ST. tuus ſum equidem. OLYMP. quid mihi ſeruo opus eſt tam nequam?
ST. Quid nunc? quàm mox recreas me? OLY. cœna modò ſi ſit cocta.
ST. Intrò ergo abeant. OL. properè, citò introite, & citò deproperate.
ST. Ego iam intus ero,facite cenam mihi vt ebria ſit.
Cœnare lepidè, nitidéque volo,nihil moror barbarico ritu
Sanè eſſe iam.i,ſis.ego hîc habito nunc quidem gladium

Ancilla Caſinam intus habere ait, qui me atque te interimat. A
OL. Scio, ſic ſine habere. nugas agunt. noui ego illas malas merces.
Quin tu, i modo mecum domum. ST. at pol malum metuo. i tu modò,
Perſpicito prius, quid intus agatur. OLYMP. tam mihi mea vita, quàm tua
Tibi, cara eſt. ST. verùm i modò. OL. ſi tu iubes, inibitur tecum.

VIDE FVR, VT SENTEIS SVB SIGN. D.] vide tu quoque, vt miniſtros tuos, qui ſunt quaſi ſentes, quia quidquid tangunt, ſecum aut auferunt, & corripiunt, aut ſcindunt, ac lacerant, ſub ſignis ducas. SVB SIGNIS DVCAS] tractum à re militari: dicuntur enim milites ſub ſignis eſſe, & ſub ſignis duci, qui non vagantur huc & huc, & qui non ſunt diſtracti, ſed in vnum locum contracti & breui tempore, & paruo negotio ad pugnam inſtrui B poſſint. M. Tull. lib. 16. epiſt. ad Attic. epiſt. 8. *Antonium, cum legione Alaudarum ad vrbem pergere: pecunias municipiis imperare: legionem ſub ſignis ducere.* Plancus lib. x. epiſt. ad famil. epiſt. 8. *Legiones habeo quinque ſub ſignis, & ſua fide, virtutéque reipub. cõiunctiſſimas, & noſtra liberalitate nobis obſequenteis.* Plautus Pſeud. *Omneis ordines ſub ſignis ducam. legiones meas, Aui ſiniſtra, auſpicio liquido*, &c. QVÎ VERÒ SVNT SENTES?] quo pacto verò miniſtri mei ſunt ſentes? SI EAS EREPTVM, &c.] ſi eas ereptũ ſenteis, ſcilicet, ſi ſenteis veſti hærenteis eripere coneris, illicò veſtem ſcindunt. VBI VBI SVNT.] vbicunque ſunt. DVPLICI DAMNO DOM. M.] duplex damnum dominis afferunt, rapiendo, cuicunque rei adhæſerunt, & ſcindendo, ſeu lacerando. ſic in Trucul. *meretricem eſſe ſimilem ſentis condecet. Quemquem hominem attigerit, profectò malum aut damnum dari.* multant, ζημιοῦσι. EIA] eia, non eſt hîc hortantis, ſed potiùs reuocantis. eia nunquámne deſines coquis maledicere? PATRICÉQVE] ſic habent omnes libri manuſcripti, præter vnum, in quo erat quidem, *patrocéque.* vt in aliis, ſed alia manu ab aliquo emendatore ſuprà ſcriptum erat, i, inter c, & e, vt intelligamus, eum voluiſſe legi *patriciéque*, fortaſſe non malè, vt patriciè valeat, patriciorum, & nobilium more. Sed quando, vt dixi, omnes libri veteres, quos quidem viderim, habent, *patricè*, itaque edidit doctiſſimus Camerarius, poſtremò ita & vulgati: videndum, quid valeat, *patricè*. ego puto, *patricè*, idem valere, quod *patriciè*. IRE ADVORSVM.] C ire obuiam. LEPIDÈ EXCVRATVS INCESS.] quidam ſic explicant, lepidè acceptus ac tractatus, lepidè cibo & potu curatus. lepidè expletus, ſaturatus, ac potus inceſſiſti. nonnulli alij ſic. lepidè excuratus, id eſt, lepidè cultus, atque ornatus inceſſiſti. dictum autem *excuratus*, vt exornatus, excultus, expolitus. ego ſuperiore illo modo mâlo. veruntamen iudicet lector eruditus. AH HODIE] ah hodie tantùm ſic excuratus incedam, cras ad priſtinum vitæ cultum mihi redeundum erit. vel ſic potius, *ah hodie* ſubintell. nihil guſtaui. nonnulli libri veteres habent *vah, hodie*, fortaſſe melius. vt ſit hæc ſententia. vah, me ſic ornatum hodie eſſe decet, cras alius, & priſtinus repetetur. vel ſic, vah me ſic curatum hodie eſſe decet, cras ad priſtinum victum mihi erit reuertẽdum. vel ſic, vah, hodie me curabo probè, & molliter. QVANQVAM FASTIDIS.] quanquam faſtidioſè te geris, quanquam faſtidioſè me præteris. quanquam me deſpicis. Idem in Moſtell. *vide, vt faſtidit ſimia.* FOETET TVVS MIHI SERMO] diſplicet mihi tuus ſermo. tralatio eſt. propriè dixit in Aſin. *Dic, amabo, an fœtet anima vxoris tuæ?* πράγματά μοι παρέχεις.] negotia mihi exhibes, mihi moleſtus es, negotium mihi faceſſis. DABO μέγα κακόν.] dabo tibi magnum malum. ſic autem ſcriptum reperi in ſex libris manuſcriptis D duobus Clericanis, in Titiano, in Huraltino, in vno Puteano. Iciémque ſe ſcriptum reperiſſe in vno teſtatur Adrian. Turnebus, neque multò ſecus Carolus Langius. Dare malum, loquendi genus Latinis. infrà, in Bacchid. *hæ oues vobis malam rem, magnam, quam debent, dabunt.* vt de veritate huius ſcripturæ non ſit cuiquam dubitandi locus. NISI RESISTIS.] niſi reſtas. niſi manes. niſi conſiſtis. ὦ Ζεῦ,] ô Iuppiter. POTIN' ABEAS?] potin' vt abeas? potéſne facere, vt abeas? NISI ME VIS VOMERE HODIE,] abire debes, niſi me vis vomere hodie, ita mihi fœtes. vel, ita mihi fœtore tuo vomitum moues. ſuprà in Curcul. *tum tu Venerem vomere vis?* fortaſſe hic locus ad illum pertinet, qui eſt ſuprà non longè, *mane verò quãquam faſtidis.* MEMENTO, MEMENTO.] monentis & minantis. OMITTE, SERVVS SVM TVVS, OPTIMÈ'ST.] hæc dicuntur à ſeruo Olympione cum quadam comminatione, proindè ac ſi ita loquatur, omitte me, id eſt, ne me abeuntem retine, tu ſeruum tuum me appellas, & non libertum, ſeu potius patronum. at ego faxo te iſtius verbi pœniteat. nam tuo amori iam non inſeruiam, vt cœperam, atque inſtitueram. Itaquè Stalino ſtatim, errato ſuo cognito, Olympionem non iam ſeruum, ſed patrem, & patronum appellat. OLYMPISCE] blandius eſt nomen Olympiſci, quam Olympionis, vt omnia nomina formæ diminutiuæ ſunt blandiora primitiuis. Sic apud Terentium Adelph. *Ædepol Syriſce, te curaſti molliter*, &c.

TAM



A TAM NEQVAM.] quia Stalino amat, idcirco eum Olympio nequam dicit. Omnis enim amator nequam eſt. QVAM MOX RECREAS ME?] nunc quidem pœnè mortuus ſum, qui Caſina non potior. Sed quàm mox me reficis, & recreas, facta mihi Caſinæ copia? CENA MODÒ SI SIT COCTA.] tu nihil aliud cura, niſi vt cenes, ſi cena cocta ſit. ego vt cum Caſina cubes, operam dabo. ſic quidam explicari volunt, vt *cena* ſit verbum imperatiui modi, à quibus diſſentio, nam *cena* hîc nomen eſt, potius recti caſus. Itaque ſic explico, ſi modò cena ſit cocta, te recreabo. vel ſic, exſpecta modò, dum cena cocta ſit, tum te recreabo, facta ſcilicet tibi Caſinæ copia. Quidam amicus meus ſic, fac modò, cena cocta ſit. nam ego ſum impranſus, ieiunus, & ſiccus. quod ad Caſinam attinet, ſinito me curare, ego faxo ea potiare. non placet. magis placeret, ſi ita diceret, ſine modò, &c. ABEANT?] coci. PROPERÈ, CITÒ INTROITE] vos coqui, citò introite. σχῆμα ἐκ παραλλήλου. ET CITÒ DEPROPERATE,] & valde citò cenam coquite. Horat. oda 7. lib. 2. *quis vdo Deproperare apio coronas, Curátue myrto?* FACITE CENAM MIHI, VT EBRIA SIT] Secutus ſum quinque libros manuſcript. qui cum vulgatis omnibus conſentientes, ſic habent, *facite cœnam mihi, vt ebria ſit.* quod locutionis genus magis eſt comicum, quàm alterum, *facite, cena mihi vt ebria ſit.* Docuimus autem hoc, quod ſecuti ſumus eſſe commixtum, & concretum ex duobus, nempe ex hoc, B *facite, cena mihi vt ebria ſit*, & ex hoc, *facite cenam mihi ebriam eſſe.* ebria ſit autem, id eſt, opipara, copioſa, lauta, referta ſit. tralatio eſt ab ebriis. LEPIDÈ, NITIDÉQVE VOLO] volo lepos, & mundities adſit, non epulæ ſumtuoſæ, & barbarum in morem apparatæ. volo elegãter, & mundè cenare, non apparatè, neque ſumtuoſè: ſatis eſt mihi eleganter, & mundè cenare: apparatè, & profuſè nolo. NIHIL MOROR] carere poſſum. non requiro. BARBARICO RITV.] vel Perſico ritu ac more, vt eſt apud Horat. oda vlt. lib. 1. *Perſicos odi, puer, apparatus:* vel Romano ſeu Latino. ſuprà in Capt. *Nunc barbarica lege certum'ſt ius meum omne perſequi.* ESSE.] comeſſe.. I, SIS,] i, ſi vis intrò. EGO HÎC HABITO, NVNC QVIDEM.] ego nunc domi non habito, ſed hîc, vbi ſum. domus non eſt nunc domicilium meum, ſed hic locus. cauſam ſubiungit. Ancilla Caſinam gladium habere dicit, &c. QVI ME ATQVE] quo me atque te occidat. SIC SINE HABERE] habeat gladium Caſina, nihil hoc me terret. NVGAS AGVNT] nugantur. in Aulul. *Pone hoc ſis: aufer cauillum. non ego nunc nugas ago.* NOVI EGO ILLAS MAL. MERC.] mulieres ſignificat. in Ciſtell. *Mala merx, hera, & callida'ſt.* in Trucul. *ô merces malæ.* in Pſeud. de lenone dixit, *mala merx eſt.* in Menæch. *vt ætas mala merx eſt ergo!* QVIN TV, &c.] id eſt, at tu, i, modò mecum d. vel ſic, immò tu, i modò mecum domum. C INIBITVR T.] introibitur tecum. introibo tecum.

## ANCILLA.

NEC pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque vſquam ludos tam feſtiuos fieri,
Quàm hîc intus fiunt ludi ludificabiles
Seni noſtro, & noſtro Olympioni villico.
Omnes feſtinant intus totis ædibus:
Senex in culina clamat, hortatur cocos,
D Quin agitis hodie? quin datis, ſi quid datis?
Properate: cenam iam eſſe coctam oportuit.
Villicus hic autem cum corona candidè,
Veſtitus lautè, exornatúſque obambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant mulieres,
Quem dent pro Caſina nuptum noſtra villico.
Sed nimium lepidè diſſimulant
Fore huius quod futurum'ſt: dignè autem coqui
Nimis lepidè ei rei dant operam, ne cenet ſenex.
Aulas peruortunt, ignem reſtiguunt aqua.
Illarum oratu faciunt: illæ autem ſenem
Cupiunt extrudere in cenatum ex ædibus,

Vt ipſæ ſolæ ventres diſtendant ſuos. A
Noui ego illas ambas eſtrices, corbitam cibi
Comeſſe poſſunt. ſed aperitur oſtium.

NEMEÆ,] vbi ludi Nemeæi Herculi fiunt, ſeu potius Archemoro, vt alij volunt. OLYMPIÆ] vbi Ioui fiunt ludi Olympici. Archias, Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδες, τέσσαρες ἱροὶ, Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων. Ζηνὸς, λητοΐδαυ, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο. Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς. id eſt, Quattuor ſunt certamina in Græcia, eáque ſacra: duo mortalium: duo immortalium. Iouis, Apollinis, Palæmonis, Archemori. Significat autem hæc ancilla, ſenem Stalinonem, & Olympionem villicum, à mulieribus, ludibrio haberi, & ludificari. LVDIFICABILES.] ad ludificandum appoſiti, accommodati, & comparati. OMNES FESTINANT INT. T.] feſtinant, σπεύδουσι, dant operam, & ſtudium adhibent, ſic Horat. oda 11. lib. 4. *Cuncta feſtinat domus: huc, & illuc Curſitant miſtæ pueris puellæ.* SENEX IN CVL.] vocis *ſenex* poſtrema ſyllaba, breuis eſt. QVIN DATIS, SI QVID DATIS?] genus eſt loquendi, quo vtebantur, cùm aliquid citò, & properè fieri volebant. ſic infrà non longè. *date ergo, daturæ Vmquam ſi eſtis hodie vxorem.* Idem in Epid. *Age, ſi quid agis. dij immortales, vtinam conueniam domi Periphanem*, &c. Idem in Menæchm. *Obſecro, hercle, medice, properè, quidquid facturu's, face.* Idem in Mil. glor. *Age, ſi quid agis, vigila, ne ſomno ſtude.* Idem in Pœnulo. *Ite, ſi itis.* Idem in Perſa. *Quin tu me ducis, ſi quò ducturu's, pater?* Idem in Trin. *Age, ſi quid agis. S. quid ego agam?* Virgil. in Palæm. *Quin age, ſi quid agis.* al. *ſi quid habes.* Catull. ad Ipſithillam. *Verùm, ſi quid ages, ſtatim iubeto. Nam pranſus iaceo.* vtuntur eo & Græci. Theocr. ὁδοιπόροις. Εἶα, λέγ', εἴπ λέξεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις ζῶντ' ἄφες. CVM CORONA,] hic erat ornatos conuiuarum, & cenantium. quod ſuprà notauimus in Amphitr. ibi, *Ibo intrò, ornatum capiam, qui potis decet.* Eodem pertinet illud Horat. oda 17. lib. 1. *Hîc innocentis pocula Lesbij Duces ſub vmbra*, &c. ſequitur. *nec metues proteruum Suſpecta Cyprum, ne malè diſpari Incontinenteis iniiciat manus, Et ſcindat hærentem coronam Crinibus, immeritámque veſtem.* CANDIDÈ.] in veſte candida. candidatus. ſponſi, candidam veſtem gerebant, vt ſuprà admonuimus. ibi, *At candidatus cedit hic maſtigia.* præterea veteres non cenabant atrati, ne in funebri quidem cena, ſed vel albati, vel alio colore veſtem gerentes, vt ex oratione in Vatinium intelligere licet, ibi, *cedò, quis vnquam cenauit atratus?* VESTITVS LAVTÈ,] veſtitus eleganter, & honeſtè. ARMIGERVM,] Chalinum. FORE HVIVS, QVOD FVTVRVM'ST] fore hoc, quod futurũ eſt: fore quidquid huius futurum eſt. *huius* generandi caſus eſt, recti à voce *quod*, hoc modo, *quod huius*, id eſt, hoc quod huius. EI REI DANT OPERAM.] eam rem adiuuant. ei rei ſunt adiutores. AVLAS PERVORTVNT] ollas deiiciunt, percellunt. ILLARVM ORATV. F.] faciunt coqui, quod faciũt, illarum rogatu. EXTRVDERE] eiicere. non dixit excludere. intereſt enim inter hæc duo. qua de re alibi. DISTENDANT] ita compleant, vt ſint valde tenti. Horat. epod. oda 2. *Diſtenta ſiccet vbera.* ESTRICES.] eſtrix, verbale à ſupino *eſu* interpoſitum eſt, t. talia ſunt hæc tonſtrix. in Trucul. *tonſtricem Suram Nouiſti noſtram. adſeſtrix*, ab adſideo. *poſſeſtrix*, à poſſideo, quæ referuntur à Nonio. CORBITAM CIBI COMESSE POSSVNT] dictum hyperbolicῶs. pro maximam vim & copiam cibi comeſſe poſſunt, id eſt, edaciſſimæ ſunt. quaſi nauim maximam onerariam, cibi plenam exhaurire comedendo poſſint. Corbita, genus nauis onerarium. *Corbita*, inquit Nonius, *genus nauigij tardum, & grande.* Plautus Pœn. *Tardiores quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari.* noſtri libri veteres habẽt *corbitant ibi.* ex quo ego olim feceram, *corbitam cibi.* quod idem & Adriano Turnebo venit in mentem, & is prior protulit Aduerſ. lib. 16. cap. 3,

D

## STALINO, ANCILLA.

ST. SI ſapitis vxor, vos tamen cenabitis,
Cena vbi erit cocta, ego ruri cenauero.
Nam nouum maritum ego, & nouam nuptam volo
Rus proſequi. noui hominum mores maleficos,
Ne quis eam abripiat. facite voſtro animo volup.
Sed properate iſtum, atque iſtam actutum emittere,
Tandem vt veniamus luci: ego cras hîc ero,
Cras habuero, vxor, ego tamen conuiuium.
AN. Fit, quod futurum dixi, incenatum ſenem

Foras



A Foras extrudunt mulieres. ST. quid tu hîc agis?
AN. Ego eo, quò me ipſa miſit. ST. Veron'? AN. ſeriò.
ST. Quid hîc ſpeculare? AN. nihil equidem ſpeculor. ST. abi
Tu hinc, cunctas? intus alij feſtinant. AN. eo.
ST. Abi hinc ſis ergo peſſumarum peſſuma.
Iámne abiit illæc? dicere hîc quiduis licet.
Qui amat, tamen hercle ſi eſurit, nullum eſurit.
Sed eccum progreditur cum corona & lampade
Meu' ſoceru', compar, commaritus villicus.

VOS TAMEN CENABITIS.] tu vxor, & Myrrhina, & ancillæ, quamuis cena non ſit cocta, vos tamen cenabitis, ſi ſapitis. NOVI HOMINVM M. MAL.] hoc velamento factum ſuum tegit, ac prætexit. Alioqui quo more, aut verò, quo ore ſenex nouam nuptam rus proſequatur? FACITE VOSTRO AN. VOL.] volup, id eſt, voluptatem. ſic ſuprà in Aſin. *Hic ſenex ſi quid clam vxorem ſuã animo fecit volup.* &c. ad quem locũ de hac voce plura. LVCI.] luce. antequam nox, & tenebræ incubent. luci aduerbij loco poſitum eſt, vt tempori. CRAS HAB. VXOR. EGO T. C.] cras tamen, quamuis hodie hîc non cenem, conuiuium hîc agitaro. hæc videtur eſſe ſententia. nam quæri poteſt quid ſit, habuero conuiuium, an præbuero aliis conuiuium? an conuiuium mihi paratum habuero? ego illud alterum mâlo. SPECVLARE?] proſpicis? ſpectas? arbitraris? CVNCTAS?] cunctaris? INTVS ALII FESTINANT?] ſuprà, *omnes feſtinant intus totis ædibus.* ABI HINC SIS, &c.] abi hinc, ſi vis &c. DICERE HÎC QVIDVIS LICET.] quia ſolus ſum. TAMEN HERCLE SI,] tametſi hercle, &c. NVLLVM ESVRIT] nihil eſurit, non eſurit quia ſcilicet, potiundi ſpe paſcitur, alitur, & fouetur. CVM CORONA ET LAMPADE.] cum corona, quia ſponſos in conuiuio tempeſtiuo accubituros, coronam geſtare oportebat: cum lampade, qua ſponſæ prælucerer. alioqui faces quinque in iuſtis nuptiis adhiberi ſolebant. MEV' SOCERV' COMPAR COMM. VILL.] ſic habent omnes libri & manuſcripti, & vulgati. meus ſocerus autem, pro, meus ſocer, poſitum eſſe dicunt explicatores, & addunt Olympionem ſocerum à Stalinone appellari, quod Caſinam Stalinoni, vt ſocer genero conciliaturus, & traditurus ſit. quod mihi probari non poteſt. quis enim vnquam audiuit ſponſas à ſoceris conciliari generis, & nõ potiùs à ſocrubus? Alij propterea ſocerum dici, quia Stalino cum Caſina, quaſi Olympionis filia ſit cubiturus. quo quid ſtolidius, aut magis delirum fingi poteſt? quomodo enim poteſt eadem eiuſdem eſſe ſponſa & filia? Legẽdum igitur arbitror, libris omnibus reclamantibus, *meus ſocius comp. comm.* &c.

## OLYMPIO, STALINO.

OL. AGE tibicen, dum illam educunt huc nouam nuptam foras,
Suaui cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo,
Io hymen hymenæe, Io hymen. ST. quid agis mea ſalus?
D OL. Eſurio hercle, atque adeò haud ſitio. ST. at ego amo. OL. at ego hercle
Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Iamdudum inteſtina murmurant. ST. nam quid illæ nunc
Tam diu intus remorantur, quaſi ob induſtriam: quanto ego
Plus propero, tanto minus. OL. quid ſi etiam occentem hymenæum?
ST. Cenſeo, & ego te adiuuabo in nuptiis communibus.
Hymen hymenæe, Io hymen. ST. perij hercle ego miſer dirumpi
Cantando Hymenæum, licet. illo morbo, quo dirumpi cupio,

Non eſt copia. OL. ædepol ne tu ſi eſſes equus, eſſes indoma- A
bilis.
ST. Quo argumento? OL. nimis tenax es.
ST. Num me expertus vſpiam? OL. Dij melius faciant.
Sed crepuit oſtium: exitur foras.
ST. Di hercle me cupiunt ſeruatum, iam oboluit Caſina procul,

AGE TIBICEN, &c.] ex his antiquum ritum nuptiarum cognoſcimus. CONCELEBRA] celebrem redde. HYMENÆO.] nuptiarum Deo. vt Hymenæo ſit dandi caſus. vel dic, Hymenæo, carmine nuptiali, vt ſit ablatiui caſus, & cohæreat cum ablatiuo *ſuaui cantu.* IO HYMEN HYMENÆE] Sic Catullus in carmine nuptiali. *Hymen, ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.* & in altero. *O Hymen, Hymenæe, Hymen Hymen, ô Hymenæe.* Terent. Adelph. *Verùm hoc mihi moræ eſt, Tibicina & Hymenæum qui cantent.* ſequitur paucis pòſt, *miſſa hæc face, Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas.* Lucret. lib. I. *non vt ſollemni more ſacrorum Perfecto poſſet claro comitari Hymenæo,* &c. B Ariſtoph. auibus. ὑμὴν ὦ ὑμέναιε, ὦ ὑμήν. Theocr. in Adon. Epitaph. Ουκέτι δ᾽ ὑμὰν· Υμὰν οὐκέτ᾽ ἀειδόμενον μέλος, ἄδελαι αἰαῖ. Idē in Helenæ nuptiis. πᾶσι δ᾽ ἴαχε δῶμ᾽ ὑμέναιῳ. ibid. Υμὰν ὦ ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷ δε χαρείης. Carmen erat apud Græcos vſitatum, ac ſollemne in nuptiis: quale apud Romanos, Thalaſſio. Thalaſſio. ATQ. ADEÒ HAVD SIT.] non conſentiunt hìc libri veteres: ex quibus alij habent, *atque adeò haud ſitio,* vt ego edidi, & iam antè Camerarius edidit: *alij, atque adeò haud ſcio:* alij, *atque adeò hanc ſpicio.* quarū trium ſcripturarū poſtrema reiecta, vt perſpicuè deprauata, hanc, quam ſecutus ſum, ſic explico. vt intelligas, inquit, me valde eſurire, tanta mea eſuries eſt, vt nulla me ſitis vrgeat, reſtat tertia, *atque adeò haud ſcio:* quæ ſi cui probabitur, intelligemus Olympionem aliquid præterea fuiſſe dicturum: ſermonémque inceptum non abſoluiſſe, quòd à ſene interpellatus fuerit. AT EGO HERCLE NIHIL FACIO TIBI, AM. P.] id eſt, at ego hercle, amor, vim tuam non experior. vel ſic, At ego hercle, amor, tuæ potentiæ periculum non facio. vel ſic, At ego, amor, profectò non verſor in eo diſcrimine, vt tua vis, ac potentia mihi pertimeſcenda ſit. ratio eſt, quia ieiunus, & inanis ſum. ſine Cerere autem & Baccho frigent Venus, & Cupido. Quidam ſic, nolo te, amor, experiri: ſeu qualis ſis amor, periculum facere nolo. Ego priores explicationes mâlo, quæ omnes eòdem reuoluuntur, ac recidunt. C MIHI INANITATE IAMD. INTES. M.] ratio eſt, quare ab amoris periculo procul abſit. ego enim ſum inanis, inquit, & ob inanitatem mihi inteſtina murmur edunt. mihi inteſtina ob vacuitatem crepant, vt loquitur in Menæchm. *inanitate, & fame pœnè ſum emortuus.* NAM QVID ILLÆ TAMDIV INTVS REMORANTVR REMELIGINES?] Feſtum ſecuti ſumus, qui hunc verſum ex Caſina ita profert in voce *remiligines*, docétque *remiligines, & remoras*, à remorando eſſe dictas. Ego quamquam huius vocis nullum in libris veteribus veſtigium reperi: Feſti tamen auctoritatem, ſeu teſtimonium potius improbare non potui. Atque vt Feſto hìc fidem habui, ita meam hac de voce ſuſpicionem lectori aperire volui: quæ talis eſt. Si remoræ & remiligines ex eodē fonte manant, nempe à remorando, ſeu morando, vt vult ipſe Feſtus: mirum eſt *remeligines*, tam longè à ſua origine degeneraſſe, tantúmque diſcrepare. nam quid ſimile in voce *remeligines*, verbo remorandi, præter ſyllabam primam? Itaque hac tanta diſſimilitudine offenſus exiſtimabam, & apud Feſtum eſſe legendum *remoragines*, & apud Plautum. verumtamen iudicent eruditiores & antè quàm quidquam ſtatuant, conſiderent, quàm veriſimile ſit, remoram, & remiliginem eſſe eiuſdem originis, vt vult Feſtus, cùm tantopere inter ſe diſcrepent, & quanto ſit veriſimilius, D quando remora, & remiligo re vnum ſunt, piſcémque illum ſignificāt, qui naueis ingenteis remoratur, ἐχενηΐδα. à Græcis appellatum, vt vult Hermolaus Barbarus, remoram, & remoraginem ſcribi, dicíque oportere, vt originis ſimilitudo magis conſeruetur. Nam hoc audacter dicam, aut remoram, & remeliginem non eſſe eiuſdē originis, & remiliginem, ſeu remeliginem dictam eſſe potiùs à remo, & lego, vel aliunde alicunde, aut remoraginem ſcribi debere. OB INDVSTRIAM.] id eſt, de induſtria. ſic ſuprà ead. fab. *illa autem quaſi ob induſtriam mihi aduorſatur.* TANTO MINVS] ſubintell. properant. alij tantominus proficio. OCCENTEM HYMENÆVM?] ex aduerſo cantem Hymenæum, hoc eſt, carmen nuptiale? occentare, vt docet Feſtus, interdum valet, conuicium facere. ſed hìc propriè pro contrà, & ex aduerſo cantare, vt opinor, poſitum eſt. Sic ferè ſuprà in Curcul. *Quid ſi adeam ad foreis, atque occentem?* ſecutus ſum autem libros omneis vulgatos, quibuſcum editio Camerariana congruit. nam libri noſtri omnes manuſcripti habent, *offendam Hym.* mendoſè opinor. DIRVMPI CANT. HYM. LIC. ILLO MOREO. Q. D. &c.] ſentētia eſt, nihil mihi obſtat, aut impedimēto eſt, quominus cantando Hymenæum, me dirumpā: ſed non eſt mihi copia, id eſt, non datur mihi facultas, ſeu non ſit mihi poteſtas mei dirumpendi illo morbo, quo dirumpi cupio, id eſt, re Venerea, & *συνουσιασμῷ*. vel ſic, licet mihi cantare Hymenæum vſque eò, dum me dirumpā. ſed Caſinam vſq. eo ſubigere,



A ſubigere, ac permolere, vt me dirumpam, non permittitur. iocus ineſt ex ambiguo in verbo *dirumpi.* nam & dirumpi dicuntur, qui nimio clamore profundēdo rumpuntur, vt ſuprà in Prologo. Capt. *Ego me tua cauſa, ne erres, non rupturus ſum.* & qui immodico cōcubitu. vt in Priapeiis. *Porrò (nam quis erit modus, Quirites?) Aut præcidite ſeminale membrum, Quod totis mihi noctibus fatigant Vicinæ ſine fine prurientes, Vernis paſſeribus ſalaciores, Aut rumpar, nec habebitis Priapum. Ipſi cernitis,* &c. ESSES INDOMABILIS] domari non poſſes. QVO ARGVMENTO?] quo argumento iſtuc dicis? NIMIS TENAX ES.] ineſt hìc obſcœnitas. ſignificat enim Olympio, hunc ſenem nimia tentigine membri obſcœni affectum, in Venerem ferri, atque incitari. ſed videtur legendum, nimis tendax es. tendax equus autem, eſt qui nimia, & nimis crebra tentigine affectus, frenum mordet, & calcari non pâret, à tendendo ſic appellatus, quemadmodum & tentigo. hunc igitur ſenem Olympio cum equo tendaci comparat, propter immodicam eius tentiginem, qua incitatus, ac diſtentus ardet tetra libidine, & in Venerem totus ruit. Quod autem quidam legi volunt *ſternax*, in quibus eſt Pius Bononienſis, non placet. nihil enim habet commune ſternax equus, cuius eſt equitem, ac ſeſſorem ſuum excutere, & ſternere, cum viro tentigine affecto, & libidine inflammato. Vulgata autem lectio, quam & libri manuſcripti retinent, nihilominus placet. Nam tenax equus ſignificat potius eum equum, qui propter aliam B quamlibet cauſam neque freno, neque calcari regi poteſt, quàm propter tentiginem. At debet hìc talis equus ſignificari, & commemorari, vt ſimilitudo, & comparatio quadret. NVM ME EXPERTV'S VSPIAM?] obſcœna, & flagitioſa ſententia. hoc enim quærit ſenex, quia eum dixerat Olympio nimis tendacem eſſe, hoc eſt, nimis tento & indomito penè eſſe ſolere natura, num ſit aliquando expertus ille tentiginem ſuam? DII MELIVS FACIANT.] aduerſatur, & abominatur Olympio talem turpitudinem. Tale eſt illud apud M. Tull. in Catone. *Dij, meliora.* SED CREPVIT OSTIVM: EXITVR FORAS] ſuprà admonuimus apud veteres Græcos ita fuiſſe oſtia poſita, & comparata, vt extrorſum aperirentur: ideóque qui exirent, & in publicum domo prodirent, foreis percutere conſueuiſſe, ne, qui foris ſtarent, quíue præterirent, à valuis læderentur, aut in angiportu interciperentur. IAM OBOLVIT CASINA PR.] odor Caſinæ longè ad me peruenit: ex quo mihi coniicere licet mox exituram. ex odore Caſinam mox exituram intelligo, ſiue ſentio potiùs. ſuprà in Amphitr. *Olet homo quidam malo ſuo.* SO. *hei númnam ego oblui?*

C

## ANCILLÆ duæ, OLYMPIO, STALINO.

SENSIM ſuperattolle limen pedes noua nupta, ſoſpes
Iter incipe hoc. vt viro tuo ſemper ſis ſuperſtes: atque
Vt potior pollentia ſis, vincáſque virum, victríxque ſies,
Superétque tuum imperium: vir te veſtiat, tu virum diſpolies,
Noctúque, & diu vt viro ſubdola ſies obſecro memento.
OL. Malo maximo ſuo hercle illico, vbi tantulum peccaſſit.
ST. Tace. OL. non taceo. ST. quæ res? OL. mala, malæ malè
D monſtrant.
ST. Perij. iſtæ facient hanc rem mihi ex parata imparatam.
Id quærunt, volunt hæc, vt infecta faciant. AN. age Olympio.
Quando vis vxorem, accipe hanc à nobis. ST. date ergo, daturæ
Vmquam ſi eſtis hodie vxorem. OL. abite intrò. AN. amabo integræ atque
Imperitæ huic impercito. ST. futurum eſt, valete, ite.
Iam valete. iámne abſceſſit vxor? OL. domi eſt, ne time. ST. euax,
Nunc pol demum ego ſum liber, meum corculum, melculum,
Verculum. OL. heus tu, malo, ſi ſapis, cauebis, mea eſt hæc. ST. ſcio.

Sed meus fructus eſt prior. OL. tene hanc lampadam. ST. imò A
ego illam tenebo.
Venus multipotens bonam vitam mihi
Dediſti, huius quum copiam mihi dediſti
Corpuſculum mellitulum. OL. mea vxorcula.
ST. Quid eſt? OL. inſtitit plantam. ST. quaſi iocabo.
Nebula haud eſt mollis æquè, atque cutis huius eſt.
OL. Ædepol papillam bellulam, hei miſero mihi.
ST. Quid eſt? OL. pectus mihi agit nunc hæc cubito.
ST. Quid tu ergo hanc, quæſo, tractas tam?
At mihi qui bellè hanc tracto non agit. OL. Vaha.
ST. Quid negotij eſt? OL. obſecro, vt valentula'ſt? B
Pœne expoſiuit cubito. ST. cubitum ergo ire vult.
OL. Quin imus ergo? ST. bella bella tu mea.

SENSIM SVPERATTOLLE LIMEN PED.] ordo, & ſententia verborum eſt, tu Caſina, noua nupta, ſenſim pedes attolle ſuper limen inferius oſtij, ne limen pedibus tangas. Mirè, & luculentè expreſſit Plautus noſter morem veterum Romanorum, in nouis nuptis domum mariti introducendis. Ita enim ingrediebantur illæ, vt limen pedibus non tangerent, neque per ſe tranſirent, aut tranſcenderent, ſed aliorum manibus ſubleuarentur, ac tollerentur, quod refert Plutarchus in quæſt. Roman. eiúſque rei rationes explicat his verbis. διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ παραπέμποντες; πότερον ὅτι τὰς πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες, οὕτως εἰσήνεγκαν, αὐταὶ δ' οὐκ εἰσῆλθον; ἢ βούλονται, &c. id eſt, quamobrem puellam quæ nubit, non ſinunt ipſam, limen domus tranſire, ſed eam attollunt, qui deducunt? vtrùm quia primas vxores cùm eas rapuiſſent, ita introduxerunt, ipſæ autem non introiuerũt? C an quia volunt puellas videri in eum locum introire inuitas, & vi coactas, quo in loco virginitatem ſuam amiſſuræ ſunt? an quia ſignificare volunt, eam per ſe, & ſua ſponte domo non eſſe egreſſuram, neque domum viri relicturam, niſi vis ei afferatur, quemadmodum introiuit vi coacta? Eadem de re, idem Plutarchus in Romulo ſcripſit. Huc pertinet illud Catulli in carm. nupt. Iuliæ & Manl. *Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes.* & illud fortaſſe Lucret. lib. 1. *Nam ſublata virûm manibus, tremebundáque ad aras Deducta'ſt non vt ſollemni more ſacrorũ Perfecto poſſet claro comitari hymenæo: Sed caſta inceſtè.* &c. Lucan. li. 2. de nuptiis Catonis & Marciæ, *Turritáque premens frontem matrona corona, Tralata vetuit contingere limina palma.* Ouid. 1. Eleg. *Miſſa foras, iterum limen tranſire memento Cautiùs atque altè ſobria ferre pedem.* NOVA NVPTA.] νέα νύμφη. Catullus in carmine ſuprà commemorato, *Prodeas noua nupta.* VT POTIOR POLLENTIA SIS] vt viribus, ſeu potentia potius præſtes, & præpolleas. vt plus poſſis. vt potentior ſis. Idem in Rudent. *ne impiorum potior ſit pollentia.* DISPOLIES.] al. deſpolies. SVPERÉTQVE T. IMP.] id eſt, & tuum imperium imperio viri ſuperius ſit. NOCTÚQ. ET DIV VT VIRO SVBD. S. &c.] & memento, obſecro, vt nocte, diéque virum tuum dolis circumuenias. MALO MAXIMO HERCLE S.] hæc Olympio loquitur, ad ſpecta- D tores verſus, ita vt ancillæ non exaudiát. Malo, inquit, hercle ſuo peccauerit. ſtatim vbi peccarit, id eſt, cõtinuò vbi aliquid peccarit, ſui peccati pœnas dederit. QVÆ RES?] quæ res eſt, quamobrem non taceas? MALA.] mala res eſt, vel coniunge cum iis, quæ ſequuntur. MALÆ MALÈ MONSTRANT] vt malæ ſunt ancillæ, ita malè monſtrant Caſinæ, id eſt, malè docent Caſinam. Licet etiam cum his vocem *mala* coniunctim legere hoc modo, mala malæ malè monſtrant, id eſt, ancillæ, quæ malæ ſunt, docent res malas malè. atque hoc erit illi ſimile, quod eſt in Amphitr. *Optimè optimo optimam operam das.* ſed mâlo diſtinctionis notam locari poſt vocem *mala*, vt *mala* referatur ad illud, *quæ res*? VOLVNT HÆC, VT INFECTA FACIANT.] hæc volunt, vt quæ propè facta ſunt, infecta reddant. vel ſic volunt hæc, quæ propemodum facta ſunt, infecta reddere. DATE ERGO, DATVRÆ VMQVAM SI, &c.] id eſt, date tandem vxorem, ſi futurum eſt, vt detis. quod hanc vim habet, properate dare vxorem. date aliquãdo tandem vxorem. Notauimus hoc loquendi genus ſuprà non longè, ibi, *quin datis, ſi quid datis?* AMABO, INTEGRAE ATQVE IMP. H. IMPERC.] id eſt, amabo, parcito huic puellæ integræ, atque imperitæ rerum venerearum. nolito cum ea nimis acriter luctari, vt libidinem tuam expleas. nolito puellam intactam, & rudem pugnæ Venereæ tuo telo rigido, atque indomito nimis vehementer ferire, atrocitérque ſauciare. amabo, lenem te, ac moderatum

moderatum



A moderatum præbeto erga puellam teneram, rudem, atque imperitam. Imperco, is, compoſitum ex verbo *parco* & præpoſitione *in*. ſuprà in Amphitr. *Bene vale Alcumena. cura rem communem, quod facis: atque imperce, quæſo.* EVAX.] interiectio lætantis. Idem in Bacchid. *Euax aſperſiſti aquam.* profert Cariſius. NVNC POL DEMVM EGO. S. L.] poſteaquam abſceſſit vxor. MEVM CORCVL. MELL. &c.] hæc ad Caſinam ſenex, quam ſe præſentem tangere, & mulcere putat: ſed errat. Nam Chalinus pro Caſina datus eſt villico, & ſeni à mulieribus muliebri veſte cultus, atque ornatus. MELCVLVM] mel paruulum. mea Caſina, melle mihi dulcior. VERCVLVM] meum paruum ver. hæc nomina ita poſita, in deminutiua forma, ad blandiendum ſunt aptiora, quàm ſi eſſent integra, meum cor, meum mel, meum ver. Profert autem hunc locum Priſcianus lib. 3. cap. de diminutiuo, vbi legit *melculum*, non, vt habent omnes libri manuſcripti, & vulgati *melliculum*. quem ſecuti ſumus. MALO SI SAPIS, CAVEBIS.] noli, ſi ſapis, Caſinam, quæ mea eſt, tangere. nam ſi facies, infortunium feres, vel malum non effugies. SCIO: SED MEVS FRVCTVS EST PR.] ſcio Caſinam eſſe vxorem tuam, ſed ego pro meo iure fruar prior. vel ſic, ſcio Caſinam tuam eſſe, ſed ego vſufructuarius ſum, itaque prior, quàm tu, frui debeo. TENE HANC LAMPADAM] ſic edendum curaui, Priſciani fidem, auctoritatémque ſecutus, quamuis reclament B omnes codices & manuſcripti, & vulgati. Sic autem Priſcianus lib. 7. cap. de Accuſat. nominum tertiæ declination. in extr. *In Græcis autem frequenter inuenimus, auctores tam in hac, quàm in aliis declinationibus, Græcos plerúmq. ſeruanteis accuſatiuos, vt Titana, &c. lampada, pro, Titanem, &c. pro, lampadem. Quanquam Plautus hanc lampadam dixit in Caſina, tene hanc lampadam.* IMMÒ EGO ILLAM TENEBO,] Caſinam, MVLTIPOTENS] πολυκράτωρ. ſic dixit ſuprà *mulierem multibibam*. & Catullus, *multiuolam*. HVIVS QVAM COPIAM MIHI DEDISTI.] al. feciſti. MELLITVLVM] mellitulum, deminutum nomen, à mellito. nonnulli libri habent tamen, *molliculum*. quos non ſequor. INSTITIT PLANTAM.] meam ſcilicet. id eſt, pedem mihi pede preſſit. ſuprà in Aſinar. *Nec illhæc vlli ſuo pede pedem homini premat.* Ouidius lib. 1. de arte amandi. *Velle latus digitis, & pede tange pedem.* ſic autem dixit inſtitit *plantam*, vt alibi *inſiſtere viam, iter, negotium*. QVASI IOCABO.] quaſi iocabor. iocantis ſpeciem præbebo, cùm rem ſeriam agam tamen. NEBVLA HAVD EST M. ATQ. C. HVIVS EST.] nebula haud æquè mollis eſt, atque huius puellæ cutis. ſubintelligendum eſt aduerbium *æquè*. vel vt à librario aliquo ſcriptore prætermiſſum propter ſimilitudinem particulæ *atque*, quæ proximè ſequebatur, reſtituendum, ac reponendum. Stalino autem hic vel manum C in ſinum nouæ nuptæ, vt putabatur, inſeruit, vel ſtrophium, quo mamillæ muliebres teguntur, tractauit, vel quippiam tale fecit. AGIT.] pulſat, pellit. NVNC.] cùm antea mihi pedem pede premeret, quaſi me expetens: nunc quaſi aliena, mihi pectus cubito pulſat. TAM.] vel ſubintelligendum ruſticè, illiberaliter, inuenuſtè, illepidè, ineptè, improbè, nequiter, proteruè, & aliquid tale, vel vnum aliquod horum, aut ſimilium, vt neceſſarium, & à librariis prætermiſſum, reſtituendum. Nam quòd ad verſus attinet, ita ſunt confuſi, vt, quales ſint, videre difficile ſit. verumtamen ſi hic verſus ita legeretur, *Quid tu ergo hanc quæſo tractas tam ruſticè? vel tam nequiter?* eſſet ſenarius: hoc modo, *quid*, legatur διςυλλάβως. quales ſunt tres qui deinceps ſequuntur. VT VALENTVLA'ST] vt validula eſt? vt viribus valet? EXPOSIVIT] expoſiuit, antiquè pro expoſuit. propemodum, inquit, me cubito ſuo, loco mouit, excuſſit. CVBITVM, &c.] iocus ex verbo ambiguo. QVIN IMVS ERGO?] quin ergo introimus?

D

## CLEOSTRATA, PARDALISCA ancilla. MYRRINA.

ACceptæ bene & commodè eximus intus,
Ludos viſere huc in via nuptialeis.
MV. Nunquam ecaſtor vllo die riſi adæquè,
Neque hoc quod reliquum eſt, plus riſuram opinor,
Lubet Chalinum, quid agat ſcire, nouum
Nuptum, cum nouo marito: nec fallaciam
Aſtutiorem vllus fecit poëta, atque
Vt hæc eſt fabrefacta à nobis. obtunſo

Ore nunc peruelim progrediri ſenem, A
Quo ſenex nequior nullus viuit, ni illum
Quidem nequiorem arbitrarer eſſe, qui locum
Præbet illi. nunc præſide hic Pardaliſca
Etiam, qui hinc exeat, eum vt ludibrio habeas.
PA. Lubens fecero, & ſolens. MV. ſpectabo hinc omnia
Intus, quid intus agant. PA. pone me, amabo.
MV. Et illi audacius licet, quæ vis, liberè
Proloqui. PA. tace, voſtra foris crepuit.

ACCEPTÆ BENE, ET COMM.] ordo eſt, bene,& commodè intus acceptæ,eximus, immò,aduerbium, *intus*,ſuo loco poſitum eſt,& ſuo loco legendum,hoc modo.Nos benè, & commodè, acceptæ, eximus intus, id eſt, eximus domo. nam *intus* ſæpè vſurpatur pro ἔνδοθεν. & ſignificat motum de loco, vt in Ciſtellar. *Dic me orare, vt aliquis intus prodeat.* Idem in Epidico. *Atque aliquantò libentius, quàm abs te ſum egreſſus intus.* VISERE.] ad viſendum. vt viſamus.Græcorum more dictum eſt. qui in talibus infinitiuis ſubintelligunt ὥστε. IN VIA] vel legendum *in viam*, ſi *huc in viam*, coniunctè poſita ſunt. vel ſi, *in via*, retinendum eſt, cohærere debet, cum verbo *viſere*: quamquam motum ſignificat. quare malim omninò legi, *in viam.* ADÆQVÈ] æquè. NEQVE HOC QVOD RELIQ.] neque quod mihi reliquum eſt vitæ, me plus riſuram puto. LVBET CHALINVM SCIRE, QVID AG. N. N.] libet ſcire, quid agat Chalinus, nouus nuptus. Locutio comica, & à Græcis expreſſa. NOVOM NVPTVM.] quia Chalinus ſubditus erat in Caſinæ, nouæ nuptæ locum, nouum nuptum eadem ratione dixit, qua nouam nuptam Latini dicunt.Priſcian.lib.8. *nubo tibi: quamuis antiquiſſimi etiam actiua ſignificatione, nubo te dicebant. Vnde Plautus in Caſina, Lubet Chalinum.* FABREFACTA] fabricata. fabrefacta lego, vno vocabulo, vt rarefacta, labefacta, calefacta, &c. nonnulli diſiunctè legunt *Fabrè facta.* OBTVNSO ORE] ore pugnis obtuſo, &, vt ſuprà loquitur, ore oppugnato. tundo, præteritum tutudi, ſup. tunſum, & tuſum. Priſcian.lib.10. PROGREDIRI] progredi. ſic in Aſinar. *moriri* dixit pro mori. moriri ſeſe miſerè mauolet. in Trucul. aggrediri pro aggredi. *Nullam rem oportet doloſè aggrediri, niſi,* &c. NI ILLVM QVIDEM NEQVIOREM, &c.] Alceſimum, vicinum. ARBITRARER] noſtri omnes libri veteres habent, *arbitrarem.* Idem in Sticho. *Probiores verò arbitrabunt, ſi probis narraueris.* PRÆSIDE HÎC] ſtat hîc tamquam in præſidio. Sic in Moſtell. *Hîc ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.* ET SOLENS.] & meo more. & non inſolens. & non præter ſolitum. SPECTABO HINC OMNIA, &c.] ſpectabo hinc omnia, inquit Murrhina, ex ædibus Cleoſtratæ, neque exibo foras. PA. PONE, AMABO] Immo, inquit Pardaliſca, exito, & prodito: & poſt me lateto. ET ILLI AVDACIÙS, &c.] Et Cleoſtratæ licet audaciùs quæuis liberè palàm loqui, quàm mihi, cuius domi hæc flagitia fiunt. Sic autem edendum curaui libros veteres, & Camerarij editionem ſecutus: in quibus ita eſt, partim *Et illi,* &c. partim, *Et ibi,* &c. partim, *Et ili,* &c. nam in libris vulgatis impreſſum eſt, *Et tibi,* &c. TACE,] Murrhinam alloquitur.

B

C

## OLYMPIO, eædem. D

NEQVE quò fugiam, neque vbi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio. tantum herus atque ego flagitio ſuperauimus, nuptiis noſtris.
Ita nunc pudeo, atq; ita nunc paueo, atque ita in ridiculum ſumus ambo.
Sed ego inſipiẽs noua nunc facio: pudet quod prius non puditum vnquam eſt.
Operam date, dum mea facta itero eſt operæ auribus percipere.
Ita ridicula auditu, iteratu, ea ſunt quæ ego intus turbaui.

Agedum



A MV. Agedum tu adi hunc. CL. vbi tua noua nupta eſt?
OL. Perij hercle. manifeſta res eſt. CL. omnem ordine rem
Fateri ergo æquum eſt. quid intus agitur? quid agit
Caſina? ſatin morigera'ſt? OL. pudet dicere me.
CL. Memora ordine vt occœperas. OL. pudet hercle. CL. age audacter
Quàm debuiſti, inde volo memorare, quid eſt factum?
OL. At flagitium'ſt. cauebunt qui audierint. OL. faciam.
Vbi intrò hanc nouam nuptam deduxi via recta clauem
Abduxi, ſed tamen tenebræ ibi erant, tanquam nox
Colloco, fulcio, mollio: vt prior quàm ſenex aptè decumbam,
B Tardus eſſe illico cœpi, quoniam * *
Reſpecto identidem ne ſemel. *
Quæro deinde illecebram ſtupri. principio eam ſauium poſco.
Reppulit mihi manum: nec quietum dare ſibi ſauium me ſinit.
CL. Quid fit denique ediſſerta. OL. ibi appello Caſinam, Caſina, inquã,
Amabo, mea vxorcula, cur virum tuum ſic me ſpernis?
Nimis tu quidem hercle immerito meo mihi hæc facis,
Quia te mihi expetiui: illa haud verbum facit, & ſæpit veſte, id qui eſtis.
Vbi illum ſaltum video obſæptum, rogo vt alterò ſinat ire
C Enim iam magis, iam appropero, magis iam lubet in Caſinam irruere.
Cupio illam operam ſeni ſurripere. forem obdo ne ſenex me opprimat.
Hoc magnum'ſt: Primùm pergis? quin tu pergis?
OL. Vbi locus ſumtus porrò eſt: continuò ſtricto gladio: atat babæ, papæ. CL. quidquid papæ.
OL. Flagitium oh erat maximum. gladium ne haberet metui, id quærere óccœpi.
Dum gladiúmne habeat, quæro, arripio capulum
Sed quum cogito, non habuit gladium. Nam id eſſet frigidius
D CL. Eloquere. OL. At pudet. CL. num radix fuit? OL. non fuit
CL. Num cucumis? OL. profectò hercle non fuit quicquam olerum
Niſi quicquid erat, calamitas profectò attigerat numquam.
Ita quicquid erat, grande erat
Ita quaſi ſentis labra, mihi compungit barba.
Continuò adſtanti pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps. ſubſilit, obtundit os mihi.
Inde foras tacitus proficiſcens, exeo hoc ornatu, quo vides,
Vt ſenex hoc eodẽ poculo, quo ego bibi, biberet. CL. optumè eſt.
Sed vbi eſt palliolum tuum? OL. hic intus reliqui.
Quid nunc? ſatin' lepidè adita'ſt vobis manus meritò?
Sed concrepuerunt fores. OL. num illa me nunc ſequitur?

TANTVM HERVS ATQVE EGO FLAG. SVPERAVIM.] tam longè turpi, & A erubeſcendo, & flagris digno facto omneis mortaleis ſuperauimus. NVPTIIS NOSTRIS.] per nuptias noſtras. PVDEO.] pudeo in prima perſona, antiquum. Notat Priſcian. lib. 8. his verbis. *placeo placet, ſic antiquiſſimorum conſuetudine à pœniteo pœnitet, à tædeo tædet, pigeo piget, pudeo pudet, liceo licet, oporteo oportet.* ATQVE ITA IN RIDIC. SVMVS AMBO.] atq. ita pro ridiculo ſumus ambo. ſic autem legendum *in ridiculum,* vt ſint duæ voces, non vt ſit vna, *inridiculũ,* neque *irridiculum,* quomodo edidit Camerarius. Nam ſi quis fortè diceret *irridiculum,* ſeu *inridiculum* accipiendum pro valde ridiculo, falleretur, cùm Cæſar in Commentariis *irridiculè* poſuerit, pro non ridiculè, & non irridiculè, pro non ſine ridiculo, vel non infacetè, ſeu non inficetè, non inurbanè. PVDET. QVOD PR. NON PVD.] ſerò, inquit, nunc me pudet, vel noua ſunt, quæ nunc facio. numquam enim antea me turpium factorum puduit. nunc demùm pudet. Sed cur ita non dixit? *pudet, cuius non puditum vmquam eſt.* ITERO.] memoro, refero, dico. EST OPERÆ AVRIBVS PERC.] eſt operæ, pro, eſt operæpretium, poſitum eſt, quaſi pretium ſit ſubintelligendum, vt nonnulli interpretantur: vel dic potius, *eſt operæ,* ſic dictum eſſe, vt, eſt temporis, non eſt temporis. eſt officij, non eſt officij: eſt moris, non eſt moris. &c. ſic contrà in Pſeudolo. *opera non eſt.* ſic igitur hunc locum explico, eſt op. aur. per. id eſt, dignum eſt opera audire: opera bene in eo ponetur, ſi quis audiet. B denique videtur idem valere, atque, operæ pretium eſt audire. quidam *operæ* volunt eſſe dandi caſus, & operæ eſt, ſic dictum eſſe, vt eſt curæ, eſt oneri, eſt dedecori, &c. cum quibus non pugnabo. ITERATV,] dictu. TVRBAVI.] miſcui: turba & dedecore impleui. SATIN' MORIGERA'ST?] ſatíſne obſequitur voluntati, & animo tuo? ſatíſne ad morigerandum tibi viro ſuo facilis & parata eſt? morigerus, & morigerari, ſeu morem gerere, habent maximè locum in talibus rebus: exempla ſunt & apud Plautum, & apud cæteros ſcriptores innumerabilia. inſigne eſt illud apud Suetonium in Tiberio, vbi narrat ille, Tiberium Parrhaſij tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam ſibi ſub conditione, vt ſi argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet, non modò prætulit, ſed & in cubiculo dedicauit. POSTQVAM DECVBVISTI HINC TE VOLO MEM.] ſic reſtitui ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ, ſententia plana. corrupta autem, & deprauata mirum in modum ſunt quæ ſequuntur in libris vulgatis omnia, atque adeò partim loco mota, partim mutilata, ac lacerata, neque multò in manuſcriptis integriora, præterquam in vno atque altero. AT FLAGITIVM'ST.] id eſt, at facinus turpe eſt, & erubeſcendum. FACIAM.] ſic reſtitui. nam alij libri omnes, vno excepto, habent *faciant,* mendoſè. eſt enim Olympionis reſponſio, hoc modo, faciam inquit, id eſt, rem memorabo, ſeu narrabo, exor- C ſus ab eo tempore, poſtquam decubui. CLAVEM ABDVXI.] nonnulli putant legendum *clàuem obduxi,* id eſt, inquiunt, peſſulum obdidi. clauis enim non ſolùm erat apud antiquos, id, quo oſtium obſeratum reſerabatur atque aperiebatur, ſed etiam quo oppoſito, & obiecto à parte interiore claudebatur. Terentius, Heautont. *Anus obdit foribus peſſulum.* Ego clauem abduxi, interpretor, clauem ſenſi, amoui à ſera ſcilicet. COLLOCO.] Caſinam in lecto. FVLCIO, MOLLIO] lectum. VT PRIOR, QVÀM SENEX, APTÈ DECVMBAM.] ſecutus ſum quinque libros manuſcriptos: qui ſic habent, quæ ſcriptura non eget explicatione. alij ſic habent, *vt tanquam ſenex, abs te decumbam.* quam lectionem reieci. nonnulli tamen ſic eam explicant: vt quaſi eſſem vir tuus abs te ſecubarem, & Veneris furta tentarem. non placet. TARDVS ESSE ILLICO C.] ſegnis, & ineptus ad Venerem illico eſſe cœpi, &c. QVONIAM * *.] hic deſunt pauca verba omiſſa fortaſſe à librariis, vel deleta à lectore aliquo ineptè verecundo, propterea quòd erant ſpurca. Atqui amamus & nos verecundiam. ſed verecundi ſimus in his, quæ noſtra ſunt. in his verò, quæ ſunt aliena, cur verecundiam talem adhibebimus, vt eadem opera iniuriam faciamus? aut verò cur per D cauſam, & ſpeciem verecundiæ aliena opera, præſertim ex ingenio deprompta, non manufacta mutilabimus, atque imminuemus? ſed ad rem. dicebat igitur fortaſſis Olympio, ſe idcirco tardum illico eſſe cœpiſſe, quia præ feſtinatione dum metuit, ne ſenex veniat. arrigere non potuit. RESPECTO IDENTIDEM.] crebrò retrò aſpicio. vſquequaque crebrò reſpicio, vſque & vſque. NE SEMEL *] hîc quoque deſunt nonnulla, quorum fortaſſis hæc erat ſententia. ne ſemel prædam nactus amittam. QVÆRO DEINDE ILLECEBR. ST.] quæro deinde, videns me ita languidum eſſe, rationem, qua Venerem in me emortuam prouocem, ac laceſſam. NEC QVIETVM DARI SIBI ME, &c.] nec me quietum ſauium ſibi dare ſinit. nonnulli libri habent, *neque etiam dare ſibi me ſauium.* EDISSERTA.] ediſſere, diſtinctè & diſertè expone, eloquere. CASINA, INQVAM,] vox *Caſina* deſideratur in omnibus libris omiſſa à librariis ſcriptoribus, propterea quòd eadem vox in accuſandi caſu antecedebat. SPERNIS?] aſpernaris? reiicis? ILLA HAVD VER. F.] illáne verbum quidem vnum facit: illa tacet, illa muſſat. ET SÆPIT VESTE ID, QVI ESTIS] & vallat, ſeu tegit veſte naturam muliebrem, id eſt, partem illam corporis, qua fœminæ eſtis ſpecum illum muliebrem. VBI ILLVM SALTVM VID. OBSÆPT.]





A vbi illam ſiluam video eſſe veſte obductam, & circumdatam, &c. allegoria eſt. nam per ſaltum, inguen muliebre ſignificat pilis obſitum, atque horridum. ROGO, VT ALTERO S. IRE] ſermo ſpurciſſimus, & planè, vt verum fatear, nefarius, quem intactum relinquere mallem. ſed promiſſum exſoluendum eſt. promiſi autem, me Plautum explicaturum: ignoſcant igitur mihi aures verecundæ. poſteaquam, inquit, partem illam anticam, ſeu anteriorem video mihi eſſe opertã, & negatam: Caſinã rogo, vt me ad alteram adire, ſeu inuadere patiatur, videlicet poſticam. ENIM IAM MAGIS, IAM APPR. &c.] enimuerò iam tum magis propero, iam, inquam, magis cupio in Caſinam inuadere. Sic ferè loquitur Horat. oda 5. lib. 2. *nec tauri ruentis In Venerem tolerare pondus.* CVPIO ILLAM OP. SENI SVRR.] cupio furtim illam operam ſeni, cuius prioris fructus erat, furtim eripere. FOREM OBDO, NE SEN. ME OPPR.] forem ſeni obiicio, ne me in ipſa re gerenda occupet, & deprehendat. ſed videtur legendum *fori peſſulum obdo.* ſi modò verſus patiatur, vt Terentium loqui indicauimus paullò antè in Heautont. HOC MAGNVM'ST.] hoc, quod iam ſequitur, magnum eſt. magnum quiddam iam dicturus ſum. PRIMÙM] hic Olympio, pudore deterritus, hæſitat, & inſiſtit. PERGIS?] pergíſne? non pergis narrare? VBI LOCVS SVMTVS P. EST, &c.] poſteaquam locus ſtupri ſumtus eſt, tum continuò, &c. STRICTO GLADIO, B &c.] quem gladium ſignificet, res in promtu eſt. ſignificat enim ſicam illam Catulli rigidam. BABÆ; ATAT P.] interiectiones admirantis, & ſubita re, & noua ſtupefacti. ſignificat aliquid fuiſſe in inguine Chalini (qui pro Caſina productus erat) durum, rigidum & magnum, quod gladij veſtigium præ ſe ferret. FLAGITIVM OH, ERAT. M.] oh, res erat erubeſcenda, & pudenda. GLADIVM NE HAB. M.] timui, ne gladium haberet, idcirco enim gladium quærere cœpi. Teſtatur Nonius, hoc gladium in genere neutro vſurpaſſe veteres. ARRIPIO CAPVLVM.] fortaſſe teſticulos ſignificat. NAM ID ESSET FRIG.] Nam is gladius eſſet frigidus, at erat calidus. ELOQVERE.] quia etiam hîc hærebat Olympio, hortatur Cleoſtrata, vt apertè loquatur, quod reliquum eſt. NVM RADIX FVIT?] num raphanus fuit? NISI QVIDQVID ERAT, CALAMITAS PROFECTÒ ATTIG. N.] nihil fuit olerum, inquit: niſi ſi fortè fuit aliquod oleris genus, profectò grandine non fuit contuſum, aut imminutum. erat enim egregiè procerum, ſolidum, atque erectũ. calamitas à calamis, grandine, aut imbri aliquo vehementi, aut nimbo contuſis, ac proſtratis dicta eſt. Hoc igitur dicit: quidquid erat, non erat fractum, neque molle, neque languidum, neque comminutum, vt calami grandine contuſi, & deiecti: ſed erectum, ſtabile, procerum, C ſolidum, rigidum, ac validum. ITA QVIDQ. ERAT, GR. ERAT.] Epiphonema. ita quidquid erat, non erat calamitoſum, neque imminutum, aut fractum, ſed grande, plenum ac procerum. ITA QVASI SENTIS, LABRA COMP. B.] redit ad illud de ſanio, quod popoſcerat Caſinam. Ita, inquit, dum eam oſculari, ſeu diſſuauiari conor, barba eius, tamquam ſentis, mihi labra compungit. QVASI SENTIS.] tamquam ſpina. CONTINVÒ ADSTANTI, &c.] continuò mihi adſtanti, ſeu, vt alij libri habent, inſtanti, pectus percutit. DÉCIDO DE LECTO PR.] ego percuſſus à Chalino, pronus in terram deorſum cado. SVBSILIT] mox in me inſilit. malim legi deſilit. OBTVNDIT OS MIHI] os mihi pugno ferit. ſuprà, *obtunſo Ore nunc velim progrediri ſenem.* VT SENEX HOC EOD. POCVLO, &c.] allegoria eſt. aliud enim dicitur, aliud ſignificatur. Hoc autem ſignificatur: vt ſenex eodem modo acciperetur, quo modo ipſe acceptus ſum. SATIN' LEPIDÈ ADITA'ST VOBIS MANVS MERITÒ?] quid ſit alicui adire manum, ſuprà diximus, in Aulul. ibi. *Ita impuris illis omnibus adij manum.* Nihilominus tamen, quæ ſit huius loci ſententia, hîc quoque dicamus. Hoc igitur ſentit, & ſignificat Cleoſtrata, nónne ſatis lepidè vos tractati eſtis, ídque merito veſtro? nónne vobiſcum ſatis lepidè actum eſt, vt meriti D eſtis? nónne vos ſatis lepidè pro meritis veſtris vltæ ſumus? tractum eſt ab eo, quod eſt, alicui adire manum. Eſt autem, alicui adire manum propriè, ad eum accedere, cum eo congredi & colloqui, cum eo agere.

## STALINO, OLYMPIO.

MAXIMO ego ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus ſcio,
Nec meam vt vxorem aſpiciam contrà oculis, ita diſperij.
Omnia palàm ſunt probra, omnibus modis óccidi miſer.
Ita manifeſtò faucibus teneor.
Nec quibus modis purgem ſcio me meæ vxori.

Qui expalliatus ſum miſer: palàm ſunt clandeſtinæ nuptiæ A
Adeundam Murrhinam cenſeo mihi, optimum eſt.
Ea dux: ea vxorem meam. ea hanc inuenit rimam
Sed ecquis eſt? qui homo munus velit fungier pro me.
Quid nunc agam neſcio, niſi vt improbos famulos imiter, ac domo fugiam.
Nam ſalus nulla'ſt ſcapulis, ſi domum redeo.
Nugas iſtic dicere licet. vapulo ego hercle inuitus tamen,
Etſi malum merui, hac dabo protinam me in fugam. OL. heus Stalino
Amator. ST. óccidi, reuocor. quaſi non audiam. adibo.

B

MAXIMO EGO ARD. FLAG.] ſic dictum eſt, ardeo flagitio, vt ardere bello,& flagrare inuidia,ſeu infamia. Quemadmodum igitur flagrare inuidia dicitur is,in quem magna inuidia concitata eſt, ita ardere ſe flagitio dicit Stalino,propterea quòd ſummum dedecus, & flagitium admiſit. NEC, MEAM VT VXOREM ADSP. C. OC.] nec ſcio quomodo meam vxorem rectis oculis intueri poſſim, adſpicere contrà oculis, ἀντιβλέπειν dicunt Græci. OMNIA PALÀM SVNT PR.] omnia noſtra dedecora, & flagitia, palàm ſunt: id eſt, peruulgata & patefacta ſunt. OCCIDI.] interij. ITA MANIF. FAVCIB. TENEOR] vſque adeò manifeſtò teneor ea corporis parte,qua parte prehēſus effugere nullo modo poſſum. tractũ à piſcibus, & aliis animalibus,quæ faucibus capta,nullo modo effugere poſſunt. Ita teneor, inquit, vt periculum nullo modo declinare aut vitare poſſim. premunt mihi fauceis & prehenſas tenent aduerſarij mei. QVI EXPALLIATVS SVM MISER.] qui pallio ſpoliatus ſum miſer. PALAM SVNT CLAND. NVPT.] patefactæ ſunt nuptiæ furtiuæ, atque occultæ, ſeu quas tantopere occultabamus, & celabamus. EA DVX.] ea dux fuit vxori meæ ad has inſidias quibus ego exceptus ſum, mihi locandas. in libris vulgatis ita impreſſum eſt, *his præſtigiis dux fuit vxor: ea hanc inuênit rimam.* EA VXOREM MEAM:] ſubintellige, impulit. ad has fallacias fabricandas, inſidiáſque mihi comparandas. EA HANC INVÊNIT RIMAM] etiam hæc verba in libris manuſcriptis reperiuntur, quemadmodum in vulgatis: quorum hæc ſententia eſt. Ea hanc viam rationémque reperit, quas noſtras nuptias, noſtráque conſilia diſturbaret. Sic autem loquitur ſuprà in Curcul. *Rogitationes plurimas propter vos populus ſciuit: Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.* vel ſic, ea hanc viam reperit, qua fallacias noſtras eluderet, atque effugeret, videtur à muribus ductum, qui interdum pœnè capti, per tenueis rimas elabuntur, & periculum effugiunt. huc pertinet illud, quod eſt ſuprà in ſcena cuius principium eſt, *Vt properarem,&c. Ibo intrò, vt ſubducā nauim rurſum in puluinariū.* SED ECQVIS EST, QVI HOMO, &c.] id eſt, ſed num aliquis eſt homo, qui velit meus eſſe vicarius, & qui velit munere meo fungi? IMPROBOS FAMVLOS] ſeruos fugitiuos imiter, &c. ſeruos nequam imiter, qui à dominis ſuis fugiunt. NAM SALVS NVLLA'ST SCAP. &c.] nam vapulabo, ſi domum redeo. NVGAS ISTIC D. L. VAP.] licet mihi apud vos nugari, quamuis malum merui, & quamuis ſoleo vapulare, cùm malum merui, vapulo me hercule, tamen non libenter, atque adeò præter voluntatem meam. HAC DABO ME PROT. &c.] per hanc viam me protinus in fugam dabo. protinam, id eſt, protinus. Feſtus. *protinam, protinus.* Terent. *protinam coniiciam me in pedes.* D

## CHALINVS, STALINO, OLYMPIO.

CH. VBI tu es, qui colere mores Maſſylienſeis poſtulas?
Nunc tu ſi velis me ſubicitare, proba eſt occaſio.
Myrr. periiſti hercle. age, accede huc.
* *
ST. Hac ibo. caninam ſcæuam ſpero meliorem fore.

Quid



A CL. Quid agis tu marite, mi vir: vnde focum ornatu hoc aduenis?
Quid feciſti ſcipione, aut quod habuiſti pallium?
AN. In adulterio, dum mœchiſſat Caſinam, credo perdidit.
ST. Occidi. CH. etiámne imus cubitum? Caſina ſum. ST. in malam crucem.
CH. Non amas me? CL. quin reſponde, tuo quid factum eſt pallio?
ST. Bacchæ ergo, hercle vxor. CL. Bacchæ? ST. hercle vxor. CL. quid eſt?
AN. Nugatur ſciens. nam ecaſtor nunc Bacchæ nullæ ludunt.
ST. Oblitus fui, ſed tamen Bacchæ. CL. quid Bacchæ? fieri non poteſt,
B Times ecaſtor. ST. egóne manifeſtò teneor? OL. haud mentire hercle: nam palàm eſt.
* * hic deſunt aliquot verſus.
ST. Non taces? OL. non hercle taceo nam tu maxumo
Me obſecrauiſti opere, Caſinam vt poſcerem vxorem mihi.
ST. Tui amoris cauſſa ego iſtuc feci. CL. Immò ecaſtor illius,
Te quidem oppreſſi. ST. feci ego iſtæc dicta quæ vos dicitis?
CL. Rogitas etiam? ST. ſiquidem hercle feci, feci nequiter.
CL. Redi modò huc intrò, monebo, ſiquidem meminiſti minus.
ST. Hercle opinor potius vobis credam, quod vos dicitis.
Sed vxor da viro hanc veniam. Murrhina ora Cleoſtratam,
C Si vnquam poſthac, aut amaſſo Caſinam, aut occœpſo modò,
Nedum vt eam amaſſo, ſi ego vnquam adeò poſthac tale admiſero,
Nulla cauſſa eſt, quin pendentem vxor virgis verberes,
MV. Cenſeo ecaſtor, veniam huic hanc dandam. CL. faciam vti iubes,
Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus grauatè proſperò,
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.
ST. Non irata es? CL. non ſum irata. ST. tuæ fidei credo. CL. meæ?
ST. Lepidiorem vxorem nemo quiſquā quàm ego habeo hanc habet.
D CL. Age tu, redde huic ſcipionem & pallium. CH. tene. ST. libet.
CH. Mihi quidem edepol inſignitè facta eſt magna iniuria,
Duobus nupſi, neuter fecit, quod nouæ nuptæ ſolet.

VBI TV ES, QVI COL. MOR. MASSIL. P.] vel quemuis vnum ex ſpectatoribus alloquitur, vel Stalinonem ipſum. ſed illud mâlo. mores Maſſilienſeis autem, id eſt, impudicos, atque effœminatos. Sic enim de Maſſilienſibus ſcribit Athenæus lib. 12. Μασαλιῶται δ᾽ ἐθηλύνθησαν, οἱ τὸν αὐτὸν τοῖς Ἴβηρσι τῆς ἐσθῆτος φοροῦντες κόσμον. οἰσχημονοῦσι γὰρ διὰ τὴν ἐν ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες, ὅθεν καὶ παροιμία προῆλθεν πλεύσαις ἐς μασαλίαν. id eſt, Maſſilienſes autē effœminati fuerunt, eodem atque Iberi veſtitu ornati. indecoram enim, & turpem ſpeciem præ ſe ferunt propter animorum mollitiē, qui propter luxuriam, & delicias muliebria patiuntur. ex quo etiam prouerbium manauit, *nauigato in Maßiliam.* NVNC TV SI VELIS SVBICIT. ME PR. EST OCC.] ſic quidā hunc locum explicant. nunc, ſi tu me tibi ſubiicere, & ſubigere velis, proba occaſio eſt, dum ego hunc ornatum muliebrem gero ſcilicet. Ego ſic. Nam cùm Maſſilienſes impudici habiti ſint, vt diximus, & impudicum aliquem, qui mores Maſſilienſeis colere poſtulet, Chalinus appellet. impu-

dici autem ſit pati,non facere,dicendum eſt,hunc Chalinum ad faciendum,non ad patiendum A paratum eſſe, & ab eo quæri aliquem,qui pati,non qui facere paratus ſit.Hæc igitur ſentẽtia eſt, vbi aliquis eſt, inquit Chalinus,qui mores Maſſilienſeis colere poſtulet?id eſt , qui ſit mollis, & impudicus,& qui alienã libidinẽ in ſuo corpore experiri,ac ſubire velit? Nũc ſi is velit me ſubicitare, id eſt, mihi ſubſidere, & ſubiectus eſſe, proba ei occaſio datur, dum ego arma habeo ad eam rem parata,& expedita:hoc eſt,caudam ſalacem,ſtabilem,atque erectam.ſententia ſpurca eſt quidem illa , ſed tamen ea explicanda fuit,ſi quod polliciti ſumus, & quod recepimus, præſtare vellemus.Ignoſcant igitur mihi aures verecundæ,& animum meum,qui à talibus ſpurcitiis, & flagitiis longiſſimè abeſt, parteiſque mihi datas, quas agam,neceſſe eſt,conſiderent atque attendant,non mihi hos flagitioſos ſermones adſcribant. *ſubicitare* verbum eſt antiquum,à voce *ſubices.* Subices autem, vt docet Feſtus , pro ſubiectis poſuit Ennius in Achille,cùm dixit, *Nubeis per ego deûm ſubices humidas, vnde oritur imber ſonitu ſæuo.* ſubicitare igitur dictum pro ſubuectare, vt ſubicitare me,idem valeat, quod ſubuectare me. vel *ſubicitare me*, poſitum pro ſubicitare mihi,id eſt,ſubſidere & ſubiici mihi. Nonnulli hæc Stalinonis verba eſſe volunt, quibus ſi quis aſſentietur,eadem ſententia manebit. PERISTI HERCLE, &c. ]verba Myrrhinæ, ſi quibuſdam libris veteribus credimus , in quibus Myrrhinæ nomen hîc præpoſitum eſt. Alij Cleoſtratæ malunt eſſe.ſiue Cleoſtrata autem, ſiue Myrrhina hæc loquatur, Stalinonem alloquitur. B ACCEDE HVC ] accede huc Stalino,inquit Cleoſtrata, ſeu Myrrhina. HAC IBO CANINAM SCÆVAM SP. M. F. ] inter hæc verba , & proxima ſuperiora deſiderantur pauca. ſententia autem hæc eſt,ſpero canis latrantis aut ringentis occurſum,minus grauem,aut triſtem,infœlicem mihi futurum,quàm vxoris adſpectum.quare hàc ibo potius,quàm illàc, quà eſt vxor. *ſcæua* propriè ſignificat omen malum,triſte,& ſiniſtrum : veruntamen etiam *bònam ſcæuam dicimus*, vt docet Feſtus. immò verò quod ſiniſtrum eſt , bonum eſt apud Græcos, qui ſiniſtrum σχαιὸν dicunt, vt docet Varro lib.6.de Lingua Latina.Ex quo bona ſcæua,id eſt, bonum omen,& bonum auſpicium.hoc igitur dicit,hàc ibo,ſubintellige,quà mihi vxorem occurſuram non puto.nam caninam ſcæuam,id eſt,canis occurſum,vel latratum,vel rictum,mihi lætiorem , & feliciorem fore confido , quàm vxoris: quæ mihi cane quantumuis iracunda, & aſpera, iracundiùs oblatrare ſolet.Idem Plautus in Pſeud. *Bene ab hoc prædatus ibo. noui:bona ſceua'ſt mihi.* Sic in Sticho,*Bona ſcæua,ſtrenáque obuiam occeſſit mihi.*Sic autem hunc locum reſtitui ex libris noſtris manuſcriptis quatuor, in quibus ita planè ſcriptum eſt. nam vulgati habent, *caninam cenam:*itáque edidit Camerarius planè mendoſè. QVID FECISTI SCIPIONE, AVT Q. H. P. ? ] ordo eſt,quid feciſti ſcipione, aut pallio,quod pallium habuiſti?vbi eſt ſcipio tuus,quo nitebaris? vbi pallium ? infrà non longè, *quin reſponde:tuo quid factum'ſt pallio ?* ſuprà, *qui expalliatus* C *ſum miſer.* DVM MOECHISSAT CASINAM, ] dum cum Caſina adulterium facit.mœchiſſat, μοιχίζει. mœchatur,adulterat. QVIN RESPONDE TVO QVID FACT.'ST. ? ] ſuprà, *Quid feciſti ſcipione,aut quod habuiſti pallium ?* BACCHÆ ERGO HERCLE, VXOR. ] vox bacchantium, & fanaticorum,& furore quodam percitorum, quam nũc vſurpat Stalino, quaſi mente captus,atque inſanus. nonnulli libri tamen , vbique hîc habent, *bacche* ſine diphthongo, vt apud Horat.oda.3.lib.1. *ſi collibuiſſet : ab ouo Vſque ad mâla citaret, ïo Bacche, modò ſumma Voce, modò hàc reſonans,chordis quæ quattuor ima.* NAM ÆCASTOR NVNC BACCHÆ NVLLÆ LVDVNT, &c. ]nam per ædem Caſtoris nunc nullæ Bacchæ bacchantur. in aliis libris ſic legitur totus hic locus. ST. *egóne ? haud mentire hercle.nam palàm'ſt.non taces ?* OL. *non hercle verò taceo.nam tu maximo me obſecrauiſti opere, Caſinam vt poſcerẽ vxorem mihi, Tui amoris cauſa.* ST. *ego iſtuc feci ?* OL. *immò herclè.* ST. *feci ego iſthæc dicta quæ*,&c. MANIFESTÒ TENEOR. ]in manifeſto facinore turpiſſimo deprehenſus teneor.loquitur voce ſummiſſa , & ad ſpectatores tantum profuſa. NON TACES ? ] inter hæc,quæ ſequuntur,& ſuperiora,deſunt aliquot verſus,ſed nõ multi. TVI AMORIS CAVSA ] quia te amabam . idcirco ego volui tibi Caſinam vxorem dari. D alloquitur Olympionem. IMMÒ AECASTOR ILLIVS ] immò per ædem Caſtoris, quia Caſinam amabas,inquit Cleoſtrata.alij volunt eſſe Olympionis verba:quæ verò deinceps ſequuntur,Cleoſtratæ. TE QVIDEM OPPRESS. ] te quidem in ipſo flagitio occupatum deprehendi, σε κατέλαβον. MONEBO, ] redigam tibi in memoriam, ὑπομνήσω. quidam libri veteres habent, *monebimus.* SI VNQVAM POSTHAC AVT AM. ] ſi vnquam poſthac, ſermo eſt, vt ſibi, quod peccauit , ignoſcatur , petentis,& peccati pœnam deprecantis. Terent. Eunuch. *vnam hanc noxiam Mitte,ſi aliam vnquam vllam admiſero,occidito.* M.Tull.pro Lig. *Cauſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum,dum te tenuit in foro ratio honorum tuorum:certè nũquam hoc modo,ignoſcite iudices: errauit,lapſus eſt,non putauit:ſi vnquam poſthac ad parentem ſic agi ſolet.* AVT AMASSO CAS. &c. ] ſi vnquam poſthàc aut amauero Caſinam,aut occœpero modò,non ſolùm amauero, &c. NVLLA CAVSA'ST, QVIN PEND. VXOR, &c. ] cauſam non dico , vxor,ſeu non recuſo,vxor,quin me pendentem,vt ſerui verberari ſolent,verberes. ſuprà in Amphitr. *Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo,Niſi item vnam, verberatus, quam pependi , perpetem.* FACIAM, VTI IVBES. ] faciam vti cenſes , & hortaris. nam verbum *iubere* non habet abſolutè imperandi,aut neceſſitatis imponendæ,ſed hortandi tantùm,aut cenſendi,aut etiam precandi ſignificationem. PROSPERO. ] largior,concedo,ex animi tui ſententia do. TVAE FIDEI CREDO?



A CREDO? ] ſic in Amphitr. MER. *Dicito,quiduis,non nocebo.* SO. *tuæ fidei credo ?* MER. *meæ.* TENE ] id eſt,accipe, & accepta tene. INSIGNITÈ ] inſigniter. inſignitè, inquit Nonius, cum indicio notæ. Cicero lib.2.de Orat.ad Q.Frat. *nec improbum notari , ac vituperari inſignitè poſſe.* NEVTER FECIT, QVOD NOVAE NVPTAE SOLET. ] ſententia ſpurca,& nefaria eſt, quam licet ex his verſibus,qui exſtant in Priapeiis. *Da mihi,quod cupies fruſtra dare forſitan olim, Dum tenet obſeſſas inuida barba genas. Quódque Ioui dederat,qui raptus ab alite ſacra Miſcet amatori pocula grata ſuo : Quod virgo prima cupido dat nocte marito, Dum timet alterius vulnus inepta loci,* &c.

## GREX.

SPectatores,quod futurum eſt intus, hic memorabimus.
Hæc Caſina huius reperietur filia eſſe è proxumo,
Eáque nubet Euthynico noſtro herili filio.
B Nunc vos æquum eſt, manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit,clàm vxorem ducat ſcortum ſemper,quod volet.
Verùm qui non manibus,clarè quantum poterit,pluſerit,
Ei pro ſcorto ſupponetur hircus vnctus nautea.

HVIVS REPERIETVR ESSE F. ] huius vicini Alceſimi. EVTHYNICO N. H. F. ] ſic legendum eſſe , ex vno codice manuſcripto iam pridem videram, in quo ſcriptum erat, *nubet Teuthynico*,&c.quomodo poſtea ſcriptum reperi in aliis ſex. *Teuthynico* autem deprauatum erat , ex voce antecedente *nubet*, cùm ſcriptor librarius poſtremam eius litteram t, bis ſcripſiſſet. Verùm huius emendationis, vt aliarum multarum, laus Adriano Turnebo debetur, qui lib.8. Aduerſ.cap.xi.ſic reſtituendum eſſe docuit. MANIBVS MERITIS. ] id eſt,manibus fortibus,pugnacibus,& victricibus:manibus, quibus hoſtes veſtros ſæpè fudiſtis,ac ſuperaſtis: denique manibus bene de repub.meritis, propterea quòd iis hoſteis reipub. perdidiſtis, & imperium populi Romani propagaſtis. C *meritis* enim,hîc actionem ſignificat. MERITAM ] meritam, paſſiuè accipiendum. *meritis meritam* autem non ſine ornatu quæſito dictum eſt. Iam per meritam mercedem,quin plauſus ſignificetur, non eſt dubium. CLAM VXOREM ] clam vxore,inſcia vxore,ita vt non reſciſcat vxor.optat ſpectatoribus Plautus,quod pleriſque optabile eſt. valet autem hoc optatum ad riſum mouendum hominibus, in omnem hylaritatem effuſis, & maximè ita moratis. PLVSERIT ] plauſerit. SVPPONETVR HIRCVS VNC. ] hircus,per ſe,& ſua ſpõte animal eſt fœtidus,& odoris tæterrimi:ad hunc igitur naturalem fœtorem ſi accedat nautea, fœtorem intolerabilem futurum quis non videt ? quid ſit nautea , dictum eſt ſuprà in Aſinaria, ibi. *nauteam Bibere malim,ſi neceſſum'ſt, quàm illam oſcularier.* longè leuius eſt,quod optat Horatius Mæcenati ſuo,ſi allium comederit.oda 3.epod. *At ſi vmquam tale concupiueris,iocoſe Mæcenas,precor, Manum puella ſauio admoueat tuo, Extrema & in ſponda cubet.* Iam ſupponetur, id eſt,ſubdetur,& ſubſtituetur,vel ſubiicietur. Donatus ad illud Terentij in Eunuch. *quî referam illi ſacrilego gratiam, Qui hunc ſuppoſuit nobis?* notat, *propriè ſuppoſuit. nam vt ſubduci dicuntur quæ nolumus amittere,ita ſupponi quæ non deſideramus.* Plautus, *Ei pro ſcorto ſupponetur hircus vnctus nautea.*

D

FINIS CASINÆ.

A

# CISTELLARIA

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| SILENIVM | meretrix. |
| GYMNASIVM | meretrix. |
| LENA | |
| AVXILIVM | prologus. |
| MELÆNIS | lena. |
| ALCESIMARCHVS | adoleſcens. |
| LAMPADIO | ſeruos. |
| PHANOSTRATA | vxor. |
| HALISCA | ancilla. |
| DEMIPHO | ſenex. |
| CATERVA. | |

B

## ARGVMENTVM.

C

COMPRIMIT adoleſcens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam, & gnatam generat nuptiis.
Sicyonia parit æquè puellam, hanc ſeruolus
Tollit, atque exponit, & ex inſidiis aucupat.
Eam ſublatam meretrix alij detulit.
Lemno poſt rediens ducit, quam compreſſerat,
Lemníque natam deſpondit adoleſcentulo
Amore capto illius proiecticiæ.
Requirens ſeruos, reperit, quem proiecerat.
Itaque lege hanc, & ritè ciuem cognitam D
Alceſimarchus, vt erat nactus, poſſidet.

COMPRIMIT] Sicyone. ADOLESCENS LEMNIVS] Demipho. SICYONIAM] Phanoſtratam, Sicyone natam. IN PATRIAM] in Lemnum. ET GNATAM GENERAT NVPT.] & filiam procreat, ac ſuſcipit ex iuſtis nuptiis, non nominatam. SICYONIA] Phanoſtrata. ÆQVÈ] vt Demipho generat filiam. PVELLAM] Silenium nomine. SERVOLVS] Lampadiſcus. TOLLIT] tollit humo, aufert. ET EX INSIDIIS AVCVPAT] & ex occulto loco obſeruat, & ſpeculatur, quid ea fiat, ſeu à quo, vel à qua tollatur, & quò auferatur. MERETRIX] lena ἀνώνυμος. ALII DET] ad aliam detulit, Mælenidem ſcilicet. REDIENS] Demipho Sicyonem rediens, mortua vxore. DVCIT, QVAM COMPRESS.] ducit vxorem Phanoſtratam. ADOLESCENTVLO] Alceſimarcho. ILLIVS PROIECTICIÆ] illius puellæ, Silenij: quæ expoſita, & proiecta fuerat à ſeruo. SERVOS] Demiphonis & Phanoſtratæ ſeruus Lampadiſcus. QVAM PROIECERAT] Silenium. VT ERAT NACTVS] quia ſolus cum ea conſueuerat, ſolúſque ea potiebatur.





### SILENIVM, GYMNASIVM, meretrices, LENA.

CVM ego antehac te amaui, & mihi amicam eſſe creui,
Mea Gymnaſium, & matrem tuam: tum id mihi hodie
Aperuiſtis, tu atque hæc. ſoror ſi mea eſſes,
B Quî magis potueris mihi honorem ire habitum,
Neſcio, niſi, vt meus eſt animus fieri
Non poſſe arbitror: ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dediſtis. eò ego vos
Amo, & eò à me magnam iniſtis gratiam.
GY. Pol iſtoc quidem nos pretio facile'ſt
Frequentare tibi, vtileíſque habere:
Ita in prandio nos lepidè atque nitidè
Accepiſti apud te, vt ſemper meminerimus.
C SIL. Lubentíque ædepol animo factum, & fiet à me,
Quæ vos arbitrabor velle, ea vt expetam.
GY. Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt,
Tranquillo mare, ventum gaudeo ecaſtor ad te.
Ita hodie hic acceptæ ſumus ſuauibus modis.
Nec, niſi diſciplina, apud te fuit quicquam
Ibi, quin mihi placeret. SIL. quid ita amabo?
GY. Rarò nimium dabat quod biberem, id merum
Infuſcabat. LE. amabo hîcine iſtud decet?
GY. Iúſque, fáſque eſt. nemo alienus hîc eſt. SIL. merito
Veſtro amo vos, quia me colitis, & magnificitis.
D LE. Decet pol mea Silenium, hunc eſſe ordinem
Beneuolentem inter ſe, benéque amicitia vtier.
Vbi iſtas videas ſummo genere natas,
Summateis matronas, vt amicitiam colunt,
Atque vt eam iunctam bene habent inter ſe.
Si idem iſtud nos faciamus, ſi idem imitemur.
Ita tamen vix viuimus cum inuidia ſumma.
Suarum opum nos volunt eſſe indigenteis.
Noſtra copia nihilum volunt nos poteſſe,
Suíque omnium rerum nos indigere.
Vt ſibi ſimus ſupplices. eas ſi adeas,
Abitum, quàm aditum malis: ita noſtro ordini

Palàm blandiuntur: clàm, ſi occaſio vſquam eſt, A
Aquam frigidam ſubdole ſuffundunt.
Viris cum ſuis prædicant nos ſolere:
Suas pellices eſſe aiunt, eunt depreſſum,
Quia nos libertinæ ſumus & ego & tua mater ambæ
Meretrices fuimus. illa te, & ego hanc mihi educaui,
Ex patribus conuentitiis. ego neque hanc ſuperbiæ cauſſa
Repuli ad meretricium quæſtum, niſi. vt ne ego eſurirem.
SI At ſatius fuerat eam viro dare nuptum potius. L E. etiam
Hæc quidem ecaſtor cotidie viro nubit, nupſitque hodie,
Nubet mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare ſiui.
Nam ſi hæc non nubat, lugubri mihi fame familia pereat. B
GY. Neceſſe eſt, quo tu me modo voles eſſe, ita eſſe mater.
LE. Ecaſtor haud me pœnitet, ſi vt dicis, ita futura es.
Nam ſi quidem ita eris, vt volo, nunquam ætate Hecale fies,
Sempérque iſtam, quam nunc habes ætatulam obtinebis,
Multíſque damno, & mihi lucro ſine meo ſæpe eris ſumtu.
GY. Dij faxint. L E. ſine opera tua nihil di horum facere poſſunt.
GY. Equidem hercle addã operã ſedulò. ſed quid tu inter iſtæc verba,
Meus oculus, mea Silenium? nunquam ego te triſtiorem
Vidi eſſe. quid cedo, te, obſecro tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæquè es, vt ſoles? hoc ſis vide, vt petiuit
Suſpirium altè? & pallidula es. eloquere nobis vtrunque, C
Et quid tibi eſt, & quid velis noſtram operam, vt nos ſciamus.
Noli obſecro lacrumis tuis mihi exercitum imperare.
SI. Mea excrucior mea Gymnaſiũ, malè mihi eſt: malè maceror,
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
Quid dicam, niſi ſtultitia mea me in mærorem rapit?
GY. Indidem vnde oritur, facito, vt facias ſtultitiam ſepelibilem.
SI. Quid faciam? G Y. in latebras abſcondas pectore penitiſſimo.
Tuam ſtultitiam ſola facito vt ſcias ſine arbitris. S I. at mihi
Cordolium eſt. G Y. quid id? vnde eſt tibi cordolium? cõmemora obſecro. D
Quod neque ego habeo, neq. quiſquã alia mulier, vt perhibẽt viri?
SI. Si quid eſt quod doleat, dolet: ſi autẽ non eſt, tamen hoc hîc dolet.
GY. Amat hæc mulier. S I. eho, an amare occipere amarũ eſt? obſcecro.
GY. Nam ecaſtor amor & melle & felle eſt fœcundiſſimus:
Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem vſque oggerit.
SIL. Ad iſtam faciem eſt morbus, qui me, mea Gymnaſium, macerat.
GY. Perfidioſus eſt amor. S I. ergo in me peculatum facit.
GY. Bono animo es, erit iſti morbo melius. SIL. confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam poteſt.
GY. Veniet. S I. ſpiſſum iſtud amanti eſt verbum, veniet, niſi venit:
Sed ego mea culpa & ſtultitia peius miſera maceror.





A Quia ego illum vnum mihi exoptaui, qui cum ætatem degerem.
GY. Matronæ magis conducibile eſt iſtuc, mea Silenium,
Vnum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta eſt ſemel.
Verùm enim meretrix fortunati eſt oppidi ſimillima,
Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis viris.
SIL. Hoc volo agatis, qua arceſſitæ cauſſa ad me eſtis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obſecuta eſt: de ea re geſſit morem morigeræ mihi,
Vt me, quem ego amarem gnauiter, ſineret cum eo viuere.
LE. Stultè ecaſtor fecit. ſed tun' vnquam cum quiquam viro
Conſueuiſti? SIL. niſi quidam cum Alceſimarcho nemine,
B Neque pudicitiã meã mihi alius quiſquã imminuit. L E. obſecro
Quo is homo inſinuauit pacto ſe ad te? SIL. per Dionyſia.
Mater pompam me ſpectatum duxit: dum redeo domum,
Conſpicillo conſecutus eſt clanculum me vſque ad foreis,
Inde in amicitiam inſinuauit cum matre, & mecum ſimul
Blanditiis, muneribus donis. G Y. mihi iſtum hominẽ vellẽ dari.
Vt ego illum vorſarem. SIL. quid opus eſt verbis? conſuetudinẽ
Cœpi amare cõtrà ego illũ, & ille me. LE. ô mea Sileniũ. SIL. quid (eſt?
LE. Aſſimulare amare oportet. nam ſi ames extempulò,
Melius illi multo, quem ames, conſulas, quàm rei tuæ.
SIL. At ille conceptis iurauit verbis apud matrem meam,
C Me vxorem ducturum eſſe: ei nunc alia ducenda eſt domum,
Sua cognata Lemnienſis, quæ habitat hic in proximo.
Nam eum pater eius ſubegit: nunc mea mater irata eſt mihi.
Quia non redierim domum ad ſe, poſtquàm eam rem reſciuerim,
Eum vxorem ducturum eſſe aliam. L E. nihil amare iniuriũ eſt.
SIL. Nunc tu, amabo, vt hanc triduum hoc ſolùm ſinas
Eſſe, & hic ſeruare apud me: nam ad matrem arceſſita ſum,
LE. Quanquã mihi iſtud erit moleſtum triduum, & damnum dabis,
Faciam. SIL. facis benignè & amicè. ſed tu Gymnaſium mea,
Si me abſente Alceſimarchus veniet, nolito acriter
D Eum inclamare: vtut erga med eſt meritus, mihi cordi eſt tamen.
Sed amabo, tranquillè, ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias claueis, ſi quid tibi opus erit promtu, promitto.
Ego volo ire. G Y. vt mihi exciuiſti lacrumas? SI. Gymnaſiũ mea,
Bene vale. G Y. cura te amabo. ſiccine immunda, obſecro,
Ibis? SIL. immundas fortunas æquum eſt ſqualorem ſequi.
GY. Amiculum hoc ſuſtolle ſaltẽ. S I L. ſine trahi, cum egomet trahor.
GY. Quando ita tibi lubet, vale atque ſalue. SIL. ſi poſſim, velim.
GY. Nunquid me vis mater intrò quin eam? ecaſtor mihi
Viſa amare. L E. iſtoc ergo aureis grauiter obtundo tuas,
Ne quem ames. abi intrò. G Y. nunquid me vis? L E. vt valeas.
GY. vale.

ET MIHI AMICAM ESSE CREVI.) creui, id eſt, decreui, conſtitutum in animo habui, mihi perſuaſi, ἔγνωκα. Sic ferè Varro explicat lib. 6. de lingua Latina, hunc locum proferens apud Plautum. *Quom ego antehac te amaui, & mihi amicam eſſe creui, valet conſtitui. Itaque hæres cùm conſtituit ſe hæredem eſſe, dicitur cernere, & cùm id fecit, creuiſſe.* A QVÌ MAGIS.) id eſt, quomodo magis, &c. IRE HABITVM.] id eſt habere. VT MEVS EST ANIMVS,] vt ſentio, meo animo, mea ſententia, vt mea ſententia eſt. OMNIBVS RELICTIS REBVS.] ſic Terent. Andr. *Herus me relictis rebus, iuſsit Pamphilum hodie obſeruare*, &c. Plaut. Trinum. *Probus eſt amor, qui relictis rebus rem perdit ſuam.* Lucret. lib. 3. extr. *Quàm benè ſi videat: iam rebus quiſque relictis, Naturam primum ſtudeat cognoſcere rerum*, &c. ad quem locum plura exempla collegimus. Relictis rebus autem dicebant veteres, & relictis rebus omnibus, pro eodem ſignificantes, poſthabitis, & prætermiſſis omnibus aliis negotiis. FREQVENTEM] id eſt, aſſiduam. & ita Varro lib. 7. de lingua Latina, hunc locum proferens. ET EÒ À ME MAGN. INIST. GRAT.] & idcirco magnam à me eſtis meritæ gratiam. Donatus ad illud Terentij. *Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.* notat gratiam inire, eſt dare beneficium, ac per hoc, alicuius inire gratiam, id eſt, amicitiam. Idem paucis pòſt, *inire gratiam eſt, mereri gratiam.* ISTOC QVIDEM NOS PRETIO FACILE'ST N. FR.] iſtoc pretio, id eſt, iſta mercede, hoc eſt, prandio tam nitido & lepido, ſeu eleganti. Varro eod. B libro, quem paulò antè commemoraui, hunc quoque locum explicat, his verbis. *Pol iſthoc quidem nos precio*, &c. apparet eum dicere, facilè'ſt curare, vt adſimus, cum tam bene nos acceperis. FREQVENTARE] id eſt, frequenteis in hoc loco efficere: frequenter in hunc locum attrahere: facere, vt tibi frequentem operam demus. VTILÉQVE HABERE] & facilè eſt tibi nos habere ad vſum tuum, atque ad vtilitates tuas, paratas habere. LEPIDÈ] eleganter, mundè, mundo & eleganti apparatu. ATQVE NITIDÈ] liberaliter, ac prolixè: non tenuiter, neque parcè. Simeo Boſius interpretabatur nitidè, λιπαρῶς, id eſt, copioſè, opimè. QVOD ILLE DIXIT, QVI SEC. V. V. &c]. etiam hunc locum profert Varro libro quarto de lingua Latina in voce *venilia*: ſed non explicat. Locus autem eſt, in voce *ventum*, vel in hoc toto, *ventum gaudeo.* videtur tractum ab iis, qui fœliciter nauigarunt, & qui ſecundo vento in curſu vſi ſunt. ſolent enim gaudere ob ventum ſecundum. Ambiguum igitur ineſt in hoc toto, *gaudeo ventum.* nam & ſignificare poteſt, gaudeo me veniſſe: & gaudeo ob ventum, ſeu gaudeo ventum eſſe ſiue fuiſſe, vt *ventum* hìc ſit accuſandi caſus à recto *ventus*: illic temporis præteriti, à verbo impersonali *venitur.* ſic ſuprà in Curcul. *Obſecro hercle facite ventum, vt gaudeam.* NEC, NISI DISCIPLIN. APVD TE F. Q. &c.] nec quidquam fuit apud te, quod mihi non placeret, præterquàm diſciplina, id eſt, præterquàm mos, & inſtitutum viuendi, ſeu miniſtrandi. C Quidam volunt eſſe verba Lenæ, non Gymnaſij, iidem legi volunt, *diſciplina.* Itaque ſe aiunt reperiſſe in nõnullis libris manuſcr. quomodo ego item reperi in tribus. verum eam, quam ſecutus ſum ſcripturam, magis probo: & per diſciplinam, vt dixi, morem & inſtitutum domeſticum ſignificari puto. Licet tamen per me etiam *diſcipula* legere: vt per diſcipulam miniſtram aliquam intelligamus. hoc præterea diſſimilitudinis, ac varietatis in noſtris libris reperi, quòd duo habent *diſcipuli* pro *diſciplina.* RARÒ NIMIVM DABAT, QVOD B.] ſic habent omnes libri noſtri veteres ſic impreſſi, & ita edidit doctiſſimus Camerarius. nonnulli tamen, neſcio quibus libris freti, *vinum* pro *nimium* legi volunt: quod quamuis non damnem, ſi modò libri veteres aliquot confirment: tamen receptam lectionem teneo. ID MERVM INFVSCABAT.] id cùm eſſet merum, & ita nigrum, nimia aqua diluebat, atque hoc pacto fuſcum reddebat. vinum aqua infuſa inquinabat: alludit fortaſſe ad prouerbium οἶνον ἀπόλεσας ὕδωρ ἐγχέας. id eſt, vinum perdidiſti aqua infuſa. AMABO, HICCINE ISTVD DECET.] amabo, hoc me in loco decet de vino nimis diluto, & de diſciplina domus quæri? D NEMO ALIENVS HÎC EST.] proinde ac ſi dicat, ſolæ ſumus. nulli alieni ſunt noſtrorum ſermonum arbitri, & qui & quæ hîc ſunt, domeſtici, & familiares ſunt, ipſa Silenium noſtra eſt, & eius ancillæ noſtræ ſunt. quare licet nobis inter nos liberè loqui. DECET POL, M. SIL. HVNC ESSE ORD.] decet hunc ordinem meretricum ſcilicet, beneuolum eſſe inter ſe, & amicitiam inter ſe bene colere: decet meretrices inter ſe bene velle, atq; amare: Cùm videamus matronas ſummo genere natas, & ſummateis acuratè inter ſe amicitiam colere: Sic infrà non longè. *Ita noſtro ordini palam blandiuntur*, ſic apud Terent. paraſitus de alio paraſito loquens in Eunu. *Conueni hodie aduenieus quendam mei loci, atque ordinis*, &c. BENÉQVE AMICITIÁ VTIER] videtur delenda copulatio *que*, vt ſit ſenarius. VBI ISTAS VIDEAS SVMMO G. N.] hæc pendent, & apta ſunt ab illis ſuperioribus, hoc modo, cùm videas matronas iſtas ſummo genere natas & ſummateis amicitiam in te tãto ſtudio colere, &c. vel ſic, cùm videas, quo pacto iſtæ matronæ ſummo genere natæ, & ſummates amicitiam inter ſe colant, decet nos quoque eſſe inter nos beneuolas, & amicitia vti. *ſummates* à ſingulari, ſummas, tis. VT AMICITIAM COLVNT.] quomodo amicitiam inter ſe colant. ATQVE VT EAM IVNCTAM BENE, &c.] ſex noſtri libri veteres habent *vinctam bene*, &c. & in nonnullis item aliis ſcriptum audio reperiri. SI IDEM ISTVD





A NOS FACIAMVS, &c.] ſententia huius loci hæc eſt, & ſi idem iſtud faciamus, & matronas iſtas potenteis imitemur, beneuolentiam inter nos colendo, tamen cum hac cura, & diligentia vix viuere poſſumus, idq; cum ſumma inuidia, qua inuidia apud matronas laboramus. SVARVM OPVM NOS V. ESSE IND. &c.] hîc duo quæritur Silenium, quorum primum eſt hoc, matronæ nihil ſuarũ rerum nobis impertiunt, vel potius matronæ volunt nos opibus ſuis carere non poſſe: alterum eſt, matronæ nolũt nos noſtris bonis, noſtris copiis domeſticis frui. SVÍQ. OMN. RER. IND.] idem ferè dicit, quod illo verſu dictum eſt, *ſuarum opum nos volũt eſſe indigenteis*, & volunt, inquit, nos ſui in omnibus rebus indigere. Imitatur & exprimit Plaut. mores, ac ſermones mulierum, quæ ſæpè loquuntur ἀνακυκλοῦθα. & ſæpè ταυτολογοῦσι. VT SIBI SIMVS SVPPL.] qui non habent domi res neceſſarias, aliunde petant, & aliis ſupplicent, neceſſe eſt. ABITVM QVÀM ADITVM M.] id eſt, abiiſſe te mális, quàm adiiſſe: ita ſunt nobis inimicæ atque infeſtæ: vel ita nobis cùm doloſè, & inſidioſè agunt, fronte & vultu amicitiam ſignificantes, re & factis inimicitias nobiſcum gerentes. *abitum, aditum*, pręterita ſunt paſſ. à verbis impersonalib. paſſiuis aditur, abitur. NOSTRO ORD. &c.] noſtri ordinis mulieribus, id eſt, meretricib. CLAM SI VSQ. OCC. EST AQVAM FRIG. S. S.] id eſt, clam ſicubi occaſionem nactæ ſunt, nobis obtrectant, nocent, atq. aduerſantur. tractũ videtur à B balneatoribus: qui cùm aqua nimis calida eſt, frigidam ſuffundunt. accipiendum autem eſt à contrario per ironiam, vt ſi ita diceret, nobis ſubdolè gratificantur, proſunt, cõmodant, & conſulunt. Nam balneatores aquam frigidam ſuffundẽtes, iuuant. matronæ aquam frigidã ſuffundentes lædunt. Itaque aduerbium addidit *ſubdolè*, vt ſententia cõtraria, ac verbis ſignificatur, intelligatur. VIRIS CVM SVIS PRÆD. NOS SOLERE] verbũ turpe tacuit, rem habere, ſcortari, & ſimile κατ' ἀποσιώπησιν. Sic Virg. in Palæm. *Nouimus & qui te, tranſuerſa tuentib. hircis.* & Terẽt. in Eun. *Ego illum Eunuchũ, ſi ſiet opus, vel ſobrius.* Idem in Heaut. *Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam.* & Horat. oda 12. epod. *Inachiam ter nocte potes.* SVAS PELL. ESSE AIVNT] pellex ſemper refertur ad vxorem. vt pellices Iunonis, Lęda, Europa, Alcmena, Danaë, &c. Ex quo illud M. Tull. in Saſiã pro Cluentio Auito, *tantos ſonitus excitauit vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex.* EVNT DEPRESSVM,] deprimunt, abiiciunt, vituperant. QVIA NOS L. S.] meretrices, aut ſeruæ, aut libertinæ erant neq. mulieribus honeſtiore loco natis quæſtum corpore facere per leges licebat. Tacit. lib. 2. Eodem anno grauibus ſenatus decretis libido fœminarũ coërcita, cautúmq; ne quæſtũ corpore faceret. cui auus, aut pater, aut maritus eques Ro. fuiſſet. Nam Viſtilia, prætoria familia genita, licẽtiam ſtupri apud ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto, qui ſa- C tis pœnarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant. Sueton. in Tiberio. *Fœminæ vt ad euitandas legum pœnas, iure, ac dignitate matronali exoluerentur, lenociniũ profiteri cœperant*, &c. Cõcubinæ quoque libertæ erant, vt licet intelligere ex titulo de concubinis lib. 25. digeſtorum. ET TVA M.] Melænis. EX PART. CON.] ſecutus eram initio Camerarij cõiecturam, vt in malis nõ abſurdam. Nam libri veteres, mea quidem ſentẽtia, corrupti ſunt: quorum alij habẽt, *Expertibus conticuis.* Alij, *ex patribus conticuis*: Alij, *Ex pitricibus conticuis*: Alij, *Ex partib. contiguis*: Alij, *ex patrib. conuentus*, quomodo edidit is, quem modò commemoraui, Camerar. quæ ſcriptura tamen inexplicabilis eſt, neque quidquã ſignificat. De ceteris nihil exploratius afferre poſſum: ita ſunt partim inſolentes, partim ineptæ, excepta fortaſſis hac. *Ex partibus contiguis.* Nam ſi *ex cõtiguis*, fiat, *cõtignis.* Fortaſſe quod Feſtus ſcripſit de contigno, huc accommodari poterit. Sic autẽ ille, *Contignum, fruſtũ carnis, cum ſeptem coſtis, demtũ.* NEQ. EGO H. SVPERBIÆ C.] ſuperbiæ cauſa, id eſt ὕβρεως ἕνεκα. neque ego hanc puellam, inquit, contumeliæ cauſa ad meretricium quæſtum repuli, ſed vt ne eſurirem. SATIVS FVERAT] præſtiterat. VIRO DARE NVPTVM] collocare in matrimonio. Terent. And. *Quid ais Birrhia? datúrne illa hodie Pamphilo nuptum?* QVOTIDIE VIRO N.] viro nubit impropriè poſuit pro, cũ viro rem habet: ſeu cum viro cubat. D ſic & Græci vſurpant γάμον, & γαμεῖν Demoſthenes in oratione περὶ στεφάνου, pro Cteſiphõte, de Æſchinis matre loquens τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις χρωμένην. inquit, id eſt, diurnis nuptiis vtens: per nuptias diurnas, concubitus diurnos, & meretricios ſignificãs. Mart. de quodam impudico li. 1. *Nolito fronti credere, nupſit heri.* HAVD ME POENIT.] non pœnitet me, te à me eſſe educatã. vel non me pœnitet meæ fortunæ: me fortunatã iudico. NVMQ. ÆTATE HECALE FIES] numquam fies anus. Hecale anus quæ Theſeũ hoſpitio accepit. Cõmemorat eam Plutarchus in Theſeo his verbis ἡ δὲ Ἑκάλη, καὶ τὸ περὶ αὐτὴν μυθολόγημα τοῦ ξενισμοῦ, καὶ τῆς ὑποδοχῆς, ἔοικε μὴ πάσης ἀμοιρεῖν ἀληθείας, &c. id eſt. Hecale autem, & ſermo fabuloſus, qui de ea fertur, & de Theſeo ab ea in hoſpitium recepto, videtur non omninò veritatis expers eſſe, &c. Hanc commemorat Suidas, & ait apud Callimachum eſſe Heroinam. Sic autem edendum curaui, libros vulgatos ſecutus: à qua non admodum diſcrepant libri veteres qui habent partim *etatecate*, partim *etecate*, partim *etate* duntaxat: vnde ſuſpicor vocem *ætate* eſſe delendam, & legendum, *numquam Hecale fies.* quamquam iudicent eruditiores. Quod autem *Hecate* nonnulli probant, in his Camerarius: probent licet, non inuideo. Ne cum illis quidem pugnare libet, qui *Hecuba* ſeu Græco vocabulo, *Hecabe*, legi volunt. Eadem enim ſententia manet, nominibus diſſimilibus. ÆTATVLAM,] ætatem teneram, & puellarem. M. Tull. orat. de Haruſp. *Qui poſt mortem patris primam illam ætatulam ſuam ad ſcurrarum locupletum libidines detulit.*

Idem libro 5. de Finib. *facile eſt hæc cernere in primis puerorum ætatulis.* Cæcilius in Plotio: *Quæ voſtrûm fuit integra ætatula, quæ hoc itidem à viro impetrarit ſuo, quod ego anus modò Effeci, pellice vt meum priuarem virum.* A SINE OPERA TVA NIHIL DII, &c.] idem & de aliis omnibus factis humanis, & maximè rectis, ac laudabilibus, dicere licet. Nam fruſtrà à Deo precantur homines, vt ſibi virtutem, & bonam mentem donent, niſi ipſi in eo diligentiam adhibeant, & operam dent. ADDAM OPERAM SEDVLÒ] ſedulò operam Deorum benignitate adiuuabo, meam operam Deorum beneficio adiungam. SED QVID TV INTER ISTHAEC V. &c.] ſed quid tu inter iſta verba lachrymaris mea Silenium? Sic Horat. lib. 4. odar. oda. 1. *Sed cur heu, Ligurine, cur Manat rara meas lacryma per genas? Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua ſilentio?* MEVS OCVLVS?] mi ocule? puella mihi cariſſima? TAM ABHORRET HILARITVDO.] tam aliena eſt à te, aut tam longè abeſt à te hilaritas? profert locũ ſimilem Nonius in voce *hilaritudo*. ex eodem poëta in Mil. glor. *ſine, atque animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.* NEQVE MVNDA ADAEQVE ES, VT SOLEBAS] neque æquè munditiem in cultu corporis obtines, atque conſueuiſti. munda mulier, minus eſt quàm ornata, vt mundus muliebris, minus eſt quàm ornatus. eam enim ſignificat, quæ non eſt ſqualida, neque illota, neque ſordibus oblita. Contrà immunda mulier, quam Lucret. lib. 4. ἄκοσμον appellat, eſt illota, ſqualida, & nitoris expers. De B hac voce plura in Comment. Horatian. & Lucretian. HOC SIS, VIDE.] hoc vide ſi vis. VT PETIVIT SVSPIRIVM ALTÈ?] quàm altè ſuſpirium petiuit? quàm penitus, & quàm ex alto pectore ſuſpirium petiuit? ſic Horat. oda 11. epod. *Arguit & latere Petitus imo ſpiritus.* NOLI, OBSECRO, LACRYMIS TVIS MIHI EXERC. IMP.] id eſt, noli, obſecro, me lacrymis tuis exercere: exercere autem interdum valet fatigare. vt apud Terent. Adelph. *I, ſanè, ego te exercebo hodie, vt dignus es, ſilicernium.* Sic Nonius. *Iam imperare exercitum*, locutio eſt militaris, quæ valet edicere, vt milites cogantur, & conſcribantur, ex quibus conſtetur iuſtus exercitus. Quia autem exercitus ab exercendo dictus eſt, per tranſlationem, mihi lacrymis tuis imperare exercitum, poſuit, pro, me cogere, vt me conficiam & fatigem, cum te lacrymari videam. ſic ſuprà in Capt. dixit imperare exercitum edendi, *Nullúmne interea nactu's, qui poſſet tibi, Remiſſum quem dixti, imperare exercitum?* Sed non celabo lectorem, me in libris duobus manuſcriptis ſcriptum reperiſſe, *excruciatũ imperare*. fortaſſe non malè, vt *excruciatus* ſit nomẽ quartæ declinationis, quemadmodum exercitus. ea forma, qua forma comperendinatus, us, iudicatus, us, cõſenſus, us. interitus, us, &c. imperare excruciatũ alicui autem interpretabor, imperare alicui vt ſe excruciet. MEA EXCR. MEA, &c.] ô mea, mea Gymnaſium, excrucior, &c.] MALÈ MACEROR] valde maceror. ſeu miſerè maceror. DOLEO AB ANIMO,] animo laboro, meus animus eſt, qui ægrotat, non corpus. C DOLEO AB OCVLIS] propter lacrymas, quibus oculi mei corrumpuntur. DOLEO AB ÆGRITVDINE] hæc eſt cauſa efficiens morbi in animo. Itaque poſuit duas parteis ægras, vt ſubiectas, ſeu affectas, animum & oculos, poſuit & cauſam efficientem, nempe ægritudinem. NISI STVLTITIA MEA ME IN M. R.] Stoicum eſt hoc. Nam Stoici aiunt omnem ægritudinem, atque adeo omnem animi morbum ex ſtultitia, ſtultáque opinione naſci. INDIDEM VNDE ORITVR, &c.] ægritudo, ſeu mœror oritur ex ſtultitia: ſtultitia autẽ ex animo, ſeu pectore ſapientia vacuo. his ſuppoſitis, hæc eſt huius loci ſententia. facito inquit, id eſt, operam dato, & in hoc ſtudium incumbito, vt indidem, id eſt, ex eodem loco, vnde ſtultitia tua, hoc eſt, amor tuus oritur, nempe ex animo, ſtultitiam tuam facias ſepelibilem, id eſt, tuam ſtultitiam, ſeu tuum amorem ſepelire poſſis: facito, vt animum ita bene informatum, & tam ſalutaribus monitis, ac præceptis imbutum habeas, vt ſtultitiam tuã occultare poſſis, neque eam in promtu habeas, aut præ te feras. Alij *indidem* poſitum volunt, pro *in idem*, vt *med erga*, pro *me erga*, vnguenta dolent, pro vnguenta olent, & ſimilia. quod ſi probabimus, facilior erit explicatio hoc modo: facito, vt in idem, id eſt, D in eundẽ locũ, vnde oritur ſtultitia tua, iſtam ſtultitiã tuam abſtrudas, atq. abſcõdas in pectore penitiſs. Non placet. nam neq. indidẽ vnquã poſitum eſt pro in idem, cùm ſignificet apud probatos ſcriptores, ex eodẽ loco. neq. d. interponi ſolet niſi inter duas vocaleis, vt in, *me erga*. IN LATEB. A. P. P.] facito vt abſcõdas, ſeu abdas, ſeu abſtrudas amorẽ tuũ in intimos pectoris tui receſſus. Iam *in latebras abſcõdas*, vno verbo dicere poterat, *inlatebres*. inlatebrare enim valet in latebras condere, & coniicere: quo verbo vſum eſſe Q. Claudiũ Quadrigariũ refert A. Gell. li. 17. cap. 1. & hæc eius verba profert. *Arma plerique abiiciunt atque inermi inlatebrant ſeſe.* niſi quis dicat *inlatebrare* apud Q. Claud. ſignificare contrarium eius, quod eſt abſcondere, nempe aperire, nudare, dedere, vltro tradere, à nomine *inlatebræ*: quod videtur ſignificare contrariũ latebrarum apud Plaut. in fabula, quæ non exſtat, & inſcripta eſt *Baccharia*, vt refert Macro. lib. 3. ca. 16. vbi ſic paraſitus loquitur. *Quis eſt mortalis tanta fortuna affectus vnquã, Quàm ego nũc ſum, cuius hæc ventri portatur pompa? Vel nunc qui mihi in mari acipenſer latuit antehac? Cuius ego latus inlatebras reddam meis dentibus, & manib.* Eſt autem in his nominibus *latus inlatebras* paronomaſia non iniucunda, proinde ac ſi diceret, cuius ego latus reddam nõ latus, hoc eſt, cuius ego latus, quod videtur dictum à latendo, reddam eiuſmodi, vt iam non ſit latus, neque latebra, ſed pateat meis dentibus, ac manibus diſcerptũ. PENITISSIMO] intimo, ſuperlatiuum nomen à poſitiuo penitus, a, um. quo & ſuprà



A ſuprà vſus eſt in Aſinaria in principio. *quæſo hercle vſque ex penitis faucibus.* & Catullus in Epithalamio Manlij & Iuliæ. *Ille non minus atque tu pectore vritur intimo, Flamma ſed penita magis.* Iterum Plautus in Perſa. *Furtiuam aduectam ex Arabia penitiſſima.* TVAM STVLTITIAM SOLA FACITO, VT SCIAS SINE ARBITRIS.] ſententia non inanis, præceptúmque non inutile. facito, inquit, vt tu ſola tuæ ſtultitiæ ſis conſcia, neque eam aliis patefacias. Sed videtur hoc præceptũ ſeruari, & locum habere omnino non poſſe, hoc eſt, ἀδύνατον eſſe. nam qui id præſtare poteſt, hoc eſt, qui ſtultitiam ſuam occultare poteſt, profectò ſapiens ſit, neceſſe eſt. at ſapiens, ſtultitia caret, in quo autem ſtultitia ineſt, is ſapiens non eſt, cùm ſtultitia & ſapientia, quæ ſunt inter ſe contraria, in eodem ſubiecto eſſe non poſſint. non poteſt igitur fieri, vt quis ſtultitiam ſuam occultare queat: quemadmodum, neque vt qui ſtultus eſt, ſapiens ſit, & ſapientis munere fungatur. Cum hoc loco congruit illud Cæcilij in Plotio. *Is demum miſer eſt, qui ærumnam ſuam neſcit occultare.* SINE ARBITRIS.] ſine teſtibus & conſciis. vide quæ ſuprà notauimus ad illum locum, in Captiuis. *Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant.* CORDOLIVM'ST.] cordolium, cordis dolor, hoc eſt animi moleſtia. Idem in Pœnul. *Sed vbi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi Erit cordolium*, &c. B QVOD NEQVE EGO HABEO NEQ. QVISQVAM ALIA M. VT PERH. V.?] ánne tibi vllus dolor cordis eſt, quod neque ego habeo, neque vlla mulier habet, vt aiunt viri? negant enim viri, mulieres cor habere, id eſt mentem, ſeu prudentiam, ſeu conſilium, ſeu intelligentiam, aiúntque eas ſtultas eſſe, mentis experteis, amenteis, atque excordeis. cor, interdum animum, & mentem ſignificare, argumento ſunt illa, excordes, vecordes, ſocordes, ſiue ſecordes, cordati, & cor habere, cor non habere, & cor cum oculis non conſentire, & verſus Enniani ex 13. Annal. quos profert Aul. Gellius lib. 7. cap. 2. *Hannibal audaci dum pectore de me hortatur, Ne bellum faciam: quem credidit eſſe meum cor Suaſorem ſummum, & ſtudioſum robori' belli.* vbi meum cor, id eſt meus animus, ſeu mea mens. & verſus Auſonij, *Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe Latinè, Hic, vbi cor ſcriptum'ſt, faceret cor, ſi cor haberet.* Licet etiam ſic explicare, Eſtne tibi id cordolium, quod neque ego habeo, neque vlla mulier, vt dicunt viri, id eſt ea animi ægritudo, quæ ex amore naſcitur: quo neque ego affecta ſum, neque vlla mulier, vt aiunt viri. negant enim viri mulieres ex amore laborare, ſed amorem ſimulare, vt viros amoris laqueis captos, atque irretitos diutius apud ſe retinere poſſint. Contrà Lucretius lib. 4. non longè ab extr. *Nec mulier ſemper ficto ſuſpirat amore, Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit, Et tenet adſuctis humectans oſcula labris. Nam facit ex animo* C *ſæpe, & communia quærens Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris.* SI QVID EST, QVOD DOLEAT, D. &c.] videtur locus eſſe obſcurior: ſed non erit, ſi quis attentè legat. Hoc igitur dicit Silenium, omnino ſe ægram eſſe, his verbis. Si quid eſt, quod mihi doleat, id mihi ſine dubio dolet. ſin nihil eſt, tamen hoc apud me dolet. ſententia eſt, ſiue aliquid ſit, quod doleat, ſiue nihil ſit, vtrouis modò, dolet mihi: atque adeò omnibus modis ægra ſum. non igitur quærendum eſt quod mihi ſit cordolium, & quid mihi doleat, quando modis omnibus doleo. hîc dolet, id eſt apud me dolet. vnus liber manuſcriptus habet, *tamen hoc mihi dolet.* cuius ſcripturæ ſententia plana eſt. AMAT HÆC, M.] Gymnaſium adſpectatores verſa ex oratione, & vultu Silenij coniiciens eam ex amore laborare, amat hæc mulier, inquit. EHO AN AMARE OCC. AM. EST? OBS.] in *amare, amarum*, paronomaſia eſt. eho, inquit, an incipere amare, amarum eſt? propterea autem hoc quærit Silenium, quia Gymnaſium ex eo, quòd illa dixerat ſe omnibus modis ægram eſſe, ita concluſit, amat hæc mulier: quaſi amor ſit ægritudo, & morbus animi, aut quaſi amor, odioſus, & fugiendus ſit, vel animum ſanitate priuet, ac ſpoliet: cùm iucundus potiùs, & expetendus, ac dulcis videatur. NAM ÆCASTOR, AMOR. &c.] ſubintelligenda fortaſſis eſt reſponſio aiens, ſeu aſſirmatiua, D amarum eſt. Nam &c. proinde ac ſi ita dicat. erras, quæ putes, amorem eſſe omni ex parte dulcem. Nam mellis & fellis eſt particeps: & vtroque horum refertiſſimus eſt. Sic Catullus de Venere. *Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.* Euripides in Hippolyto. τί τοῦτο δὴ λέγουσιν ἀνθρώπους ἐρᾶν; Ἥδιστον, ὦ παῖ, ταυτὸν, ἀλγεινόν θ' ἅμα. id eſt, Quid igitur hoc dicunt, homines amare? Suauiſſimum, ô puer, idem, ſimúlque amariſſimum. Adſcripſerat hos Euripidis verſus Simeo Boſius ad hunc locum in ora ſui libri. FOECVNDISSIMVS] refertiſſimus. VSQVE AD SATIETATEM] εἰς κόρον. OGGERIT] ſecutus ſum editionem Camerarianam, cum qua aliquot è noſtris codicib. congruunt. alij cum libris vulg. conſentientes habent *aggerit*. ego aggerit, non damno. ſed *oggerit* magis probo. AD ISTAM FACIEM'ST MORBVS, &c.] talis eſt, ſeu iſtius modi eſt morbus, qui me macerat. ERGO IN ME PECVLATVM FACIT] ergo, inquit, in me peculatum, id eſt, furtum pecuniæ publicæ facit. allegoria eſt. ſignificat enim ſe tanquam pecuniam publicam amori commendatam & commiſſam, ab amore diripi. Amor, inquit, in me perfidioſos magiſtratus imitatur: qui pecuniam publicam ſibi commiſſam depeculantur. peculatus, vt docet Feſtus, eſt furtum publicum. ERIT ISTI MORBO MELIVS.] id eſt, iſte morbus leuabitur: ſeu, iſto morbo leuabere: ſeu, iſte morbus medicina aliqua minuetur, dolórque lenietur. ῥᾴσεις. ῥᾷον ἕξεις: ἡ σοῦ νόσος κουφοτέρα γενήσεται. SI MED. V. &c] Alceſimarchũ, cuius amore capta eſt, ſignificat.

FACERE MEDICINAM] mederi, ſic ſuprà in Curcul. *viden' vt anus tremula medicinam fa-* A
*cit?* & M.Tull. lib.14. epiſt.ad Terent. *Statim ita ſum leuatus, vt mihi deus aliquis medicinam feciſſe*
*videatur.* SPISSVM ISTVD AMANTI V.] ſpiſſum, id eſt, longum, tardum.
tranſlatione facta ab iis, qui ſpiſſo, & denſo, & conſtructo, & formicino. vt Plautus noſter
alibi loquitur, gradu incedunt, non dilatato, & diducto. Varro Myſteriis. *Naſcimur enim ſpiſsius,*
*quàm emorimur. vix duo homines decem menſibus edolatum vnum reddunt puerum. Contrà vna peſtilentia,*
*hoſtica acies, puncto temporis immaneis aceruos facit.* Cæcil. Dardano. *Nihil ego ſpei credo, omneis res*
*ſpiſſas facit.* Hæc ex Nonio, in voce *ſpiſsum* Plaut. in Pœn. *Homines ſpiſsi gradiſsimos appellat,* quos
intelligit tardigradiſſimos, eò quòd inter ingrediendum pedes ſtruunt, id eſt, minutis paſſi-
bus & paruis gradibus incedunt: neque vt ait idem alibi, *gradus grandiunt.* QVICVM ÆTA-
TEM DEGEREM] non amatorem ad tempus, ſed virum perpetuum, proprium, & ſolum,
aliis omnibus reiectis, atque excluſis. MATRONÆ MAGIS CONDVCIBVS.]
vtilius iſtuc eſt, quod dicis, matronæ, id eſt, mulieri maritæ, quàm meretrici videlicet vnum
amare, & cum vno ætatem traducere. Sic Terent. Heautont. *Nam expedit bonas eſſe vobis,* &c. ſe-
quitur paucis pòſt, *vobis cum vno ſimul vbi ætatem degere, decretum'ſt viro, cuius mos maximè eſt conſi-*
*milis veſtrûm, hi ſe ad vos applicant.* & Horat. oda 24. lib.3. *Dos eſt magna, parentium Virtus & metuens*
*alterius viri, Certo fœdere caſtitas.* Plautus in Mercat. *Nam vxor contenta'ſt, quæ bona'ſt vno viro.* VE- B
RÙM ENIM] enimuerò. MERETRIX FORTVNATI EST OPPIDI SI-
MILL.] meretricem cum oppido fortunato, id eſt, omnibus bonis referto, & abundanti com-
parat, quod quemadmodum tale oppidum ſine multis viris ſe tueri, & ſuam rem bene gerere
non poteſt: ita meretrix ſine multis amatoribus incolumis eſſe, & ſuis rationibus conſulere
non poteſt. Alibi meretrix cum mari comparatur. SINE MVLTIS VIRIS] qui eam
tueantur, & iniuriam externam repellant. HOC VOLO AGATIS] huc volo animum
aduertatis: hoc volo attentè audiatis. QVA ARCESSITÆ CAVSA, &c.] vt quam ob
cauſam ad me arceſſitæ eſtis, eloquar. OBSECVTA'ST] ſubintellige, mihi. GESSIT
MOREM MOR. M.] mihi, quæ ſum ei morigera in aliis rebus omnibus, in hac re mo-
rem geſſit, vt me cum eo viuere ſineret, quem ego grauiter ſeu potius gnauiter, id eſt, valdè
& ſtrenuè amarem. *gnauiter* autem legendum arbitror vt habent libri vulgati, omnibus anti-
quis inuitis, qui habent *grauiter.* M.Tull. lib.5. epiſt. ad familiareis. *Sed tamen, qui ſemel verecun-*
*diæ fineis tranſierit, cum benè, & nauiter oportet eſſe impudentem.* CVM QVIQVAM VIRO
CONSVEVISTI?] id eſt, cum quoquam viro rem habuiſti? Conſueſcere interdum & qui-
dem propriè, vt vult Donatus, locum habet in ſtupro. Sic Terent. in Hecyra. *Nam ſi is poſſet ab ea*
*ſe ſe derepente auellere, Quicum tot conſueſſet annos, non eum hominem ducerem.* Idem in Phormione. *Cum* C
*eius conſueuit olim matre in Lemno clanculum.* Hinc conſuetudo ſtupri apud Salluſtium in bello Ca-
tilinario. *Erat ei cum Fuluia muliere nobili, ſtupri vetus conſuetudo.* IMMINVIT] violauit. rectè
imminuit pudicitiam. Nam virgines integræ, & intactæ dicuntur. QVO IS HOMO IN-
SINVAVIT PACTO SE AD TE?] quo pacto is homo ſe in amicitiam, aut conſuetu-
dinem tuam penitus introduxit? quomodo tecum ſtupri conſuetudo ei homini eſſe cœpit?
PER DIONYSIA.] Dionyſiis: per eos dies, quibus populus rebus relictis, ſacra Bacchi
colit. POMPAM ME SP. D.] ſpectatũ me duxit ea, quæ longo ordine per vias traducũtur.
DVM RED. DOM. CONSPICILLO, &c.] animaduertendum eſt, quàm pudenter,
& decorè puella narret, atque exponat, quo pacto cum Alceſimarcho conſueſcere cœperit,
nullo verbo obſcœno interpoſito. Si Hermogenes tomo 4. εὑρέσεων, cap. περὶ σεμνοῦ λόγου.
notat Menandrum feciſſe puellam interrogatam à quodam, quo pacto primùm corrupta
eſſet, rem turpem grauiter, & pudenter honeſtis nominibus exponentem. Quæ verba eò li-
bentiùs huc adſcribam, quod non ſolùm hunc locum maximè illuſtrabunt, ſed etiam cum
his comparata fortaſſe deprehendentur à lectore fuiſſe Plauto, cum hæc ſcriberet, ante oculos D
poſita, & ad imitandum propoſita. Sic igitur Hermogenes ὅπου δ' ἂν ὁ νοῦς αἰσχρὸς ᾖ, τότε
χρεία τῆς σεμνότητος τοῦ λόγου, ἵνα τι νοούμενον αἰσχρῶς, οὕτως ἐξενέγκῃ τις τῷ λόγῳ
εὐφυῶς, ὄνομα ἀντ' ὀνόματος ἀμείβων, ὡς μὴ δόξαι τισὶν αἰσχρὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα διὰ τὴν
τοῦ λόγου σεμνότητα, ὡς παρὰ τῷ Μενάνδρῳ. πυθομένου γάρ τινος, κόρης, πῶς εἴη διε-
φθαρμένη, σεμνῶς ἀφηγήσατο πρᾶγμα αἰσχρὸν ὀνόμασι βελτίστοις. Διονυσίων ἦν πομπή.
ὁ δέ μοι ἠκολούθησε μέχρι τῶν πρὸς τὴν θύραν. ἔπειτα φοιτῶν, καὶ κολακεύων τὴν
μητέρα, ἔγνω με. τὸ γὰρ διεφθάρθαι, καὶ ὑβρίσθαι, σεμνῶς, ἔγνω με, εἰπὼν, ἐκόσμησε
πρᾶγμα αἰσχρὸν σεμνοτέρᾳ λόγου συνθέσει. id eſt. vbi autem ſententia turpis eſt, ibi vſus eſt
verecundia ſermonis, vt quod turpiter intelligitur, ita quis ſcitè, ac venuſtè verbis efferat, atq.
exprimat, vocem cum voce commutans, vt res non videatur aliquibus eſſe turpis propter ſer-
monis verecundiam: vt apud Menandrum. Nam quærente quodam ex puella, quomodo cor-
rupta fuerit, verecundè rem turpem nominibus optimis narrauit. Dionyſiorum pompa erat.
ille autem me conſecutus eſt vſque ad foreis. Deinde domum frequentans, & matri blandiens,
atque adulans, me cognouit. Nam cùm ſe corruptam, & impudicam factam, verecundè hoc
modo elocuta eſſet, cognouit me, factum turpe verecundiore ſermonis compoſitione exorna-
uit. CONSPICILLO] conſpicillum, inquit Nonius, vnde conſpicere poſſis. deinde profert
verba



A verba Plauti ex Medico, *In conſpicillo obſeruabam: pallium adſeruabam.* Sic igitur hunc locum explico
*Conſpicillo conſecutus eſt me,* &c, id eſt è loco, vnde me ſemper conſpicere poſſet, conſecutus eſt me,
&c. INDE IN AMICITIAM INSINVAVIT CVM M.] inſinuauit nunc vſurpat
abſolutè. Sic apud Virgil. libr.2. Æneid. *Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis Inſinuat pauor.*
VT EGO ILLVM VORSAREM?] quo pacto illum tractarem, atque agitarem? videtur
tractum à piſcibus, qui verſantur à cocis. ſuprà in Aſin. *eum quouis pacto condias. Vel patinarium, vel*
*aſſum, verſes quo pacto libet.* CONSVETVDINE, &c.] conſuetudo multùm valet ad amorem
conciliandum. Lucret. lib.4. *Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem. Nam leuiter quamuis quod crebro*
*tunditur ictu, Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit.* ASSIMVLARE AMARE OP.] id
eſt, ſimulare debet puella ſe amare. quidam libri habent, Aſſimulatè am. op. eadem ſententia.
aſſimulatè enim, id eſt, ſimulatè non verè. EXTEMPVLO,] extemplo, continuò. Varro lib.
6. de lingua Latin. *Extemplo, eſt continuò, quod omne templum debet eſſe circumſæptum, nèc plus, quàm vnum*
*introitum habere.* AT ILLE CONCEPTIS IVRAVIT VERB.] quid ſit conceptis ver-
bis iurare, diximus ſuprà in Aſin. ad illud. *Vbi verbis conceptis ſciens libenter periuraris.* EI NVNC
ALIA D. EST D. &c.] ex lege: quæ lex iubet orbas eis nubere, qui ſint genere proximi: &
B illos ducere eadem lex iubet. Terent. in Phorm. Idem in Adelph. *hæc virgo orba eſt patre. Hic meus a-*
*micus illi genere eſt proximus. Huic leges cogunt nubere hanc.* SVA COGNATA. &c.] *ei ſua,* bona eſt
reciprocatio. SVBEGIT] coëgit. NIHIL AMARE INIVRIVM'ST.] nulla fit cui-
quam iniuria, cùm amatur. amare aliquem, non eſt ei iniuriam facere. ſic videtur hic locus ex-
plicandus. Itaque vox *nihil* cum hoc toto *iniurium eſt,* cohærere debet, non cum verbo *amare.*
Sed non celabo lectorem, me in omnibus libris noſtris manuſcriptis ſcriptum reperiſſe, *nihil a-*
*more iniurium'ſt.* cui ſcripturæ ſi quis addat præpoſitionem *in,* & legat *nihil in amore iniurium'ſt.* ea-
dem erit ſententia, & verò aliquanto facilior: hoc modo, nulla ineſt iniuria in amore, id eſt, in
amando nulla cuiquam fit iniuria: qui amat, nullam ei, quem amat, iniuriam facit. Sed quid ſi
legamus potiùs, quando hic locus mendum olet, *nihil in amore amarum eſt?* & adſcribatur inter-
rogationis nota? vt ſit hæc ſententia, cùm hæc puella ita affligetur, quis dicet in amore nihil
eſſe amarum? vel, vt alloquatur ipſam Silenium, túne, cùm ita afflicteris, dices in amore nihil eſ-
ſe amarum? NVNC TV, AMABO,] *amabo,* loco interiectionis eſt, & blandientis eſt: tan-
tùm denique valet ferè, quantum, obſecro, quæſo. HANC] Gymnaſium. ET HÎC SER-
VARE AP. ME.] & hîc ſeruare apud me. *hîc* bis ſumendum eſt, hoc modo, vt ſinas triduum
hoc ſolum hîc eſſe apud me, & hic ibidem ſeruare. *ſeruare* autẽ, valet, aſſeruare, ſeu cuſtodire, &
C cuſtodis parteis agere. Porrò hæc Silenium in ædibus Alceſimarchi habitabat, vnà cum ipſo
Alceſimarcho. eam nunc arceſſiuit ad ſe lena, poſteaquam audiuit Alceſimarchum, qui ruri fuit
cum patre ſex dies, aliam puellam vxorem ducturum domum. ET DAMNVM DABIS,]
quia interea dum Gymnaſium in ædibus Alceſimarchi erit, corpore quæſtum non faciet, & e-
rit otioſa. BENIGNÈ] liberaliter, & prolixè. INCLAMARE] increpare, obiurgare, ἐπι-
πλήττειν. VT ERGA MED EST MARITVS,] ſic loquitur in Amphitr. *iam iſtuc gaudeo,*
*Vtut erga me eſt merita.* MIHI CORDI'ST TAMEN] mihi tamen carus eſt. TRANQVILLÈ]
tranquillè & leniter te cum eo geras. tranquillè cum eo agas. QVOD ILLI DOLEAT]
quod ei moleſtum ſit. ACCIPIAS CLAVEIS. SIQVID TIBI OPVS ERIT PROM-
TV PR.] ſententia plana eſt. Accipias claueis, inquit Silenium. ſi quid tibi opus erit promtu, id
eſt, ſi tibi opus erit aliqua re, quam promas, promitto. Sic autem legendum, vt edidimus, vt car-
minis lex, & ratio conſtet. Et verò ſic habent omnes libri vulgati: neque diſcrepant ab eis ma-
nuſcripti, niſi quòd habent partim, *ſi quid tibi opus eſt, erit,* &c. partim *ſi quid tibi opuſt erit,* &c. Nam
quis non videt, *opuſt* primùm factum eſſe ex *opus:* deinde ex *opu'ſt,* factum eſſe *opus eſt?* VT MI-
HI EXCIVISTI LACRYMAS?] quo pacto mihi lachrymas excuſſiſti, expreſſiſti, ſeu emo-
D uiſti? ſeu euocaſti? IMMVNDA] ſquatida, illota, horrido & impexo capillo. Lucret. libr.4.
*immunda, & fœtida,* ἄκοσμος. Idem eodem lib. *Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis, Morigeriſque*
*modis, & mundo corpori'cultu, Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.* M.Tull. lib.9. epiſt. ad Atticum.
*ſicut* ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς *alienant immundæ, inſulſæ, indecoræ: ſic me illius fugæ, negligentiæq́; deformitas auer-*
*tit ab amore.* IMMVNDAS FORTVNAS ÆQ.'ST SQ. S.] immundas fortunas ſqualor
ſequi debet. ſqualor, id eſt, immundities, & immundus corporis cultus. AMICVLVM HOC
SVST. S.] amiculum, hoc eſt paruum amictum. dictum enim eſt amiculum ab amiciendo. ita-
que ſyllaba ſecunda breuis eſt. Aliud eſt, amiculus in maſcul. eſt enim nomen ὑποκοριστι-
κὸν ab amico. Itaque ſecunda ſyllaba longa eſt. Horatius epiſtol. ad Scæuam lib.1. *Diſce do-*
*cendus adhuc quæ cenſet amiculus, vt ſi Cæcus iter monſtrare velit.* Catullus ad Alphenum, *Iam te nil miſe-*
*ret, dure, tui dulcis amiculi.* ſuſtolle autem, id eſt, ſurſum tolle. Vſus eſt eodem verbo & Catullus in
epithal. Pelei & Thet. *Dulcia nec mæſto ſuſtollens ſigna parenti,* &c. ibidem, *Candidaque intorti ſuſtollant*
*vela rudentes.* & Lucret. libr.4. *& tympana pondere magno Commouet, atque leui ſuſtollit machina niſu.* &
Plautus noſter in Pœnulo. *Græcæ ſunt hæ columnæ, ſuſtolli ſolent.* & iterum hac eadem comœd. SINE
TRAHI, CVM EG. TR.] ſine trahi amiculum, cum ego ipſa trahor, ab Alceſimarcho. Lu-
dit in verbo *trahi.* nam & trahi dicuntur veſtes, quæ propendent, & quæ negligenter, ac diſſo-
lutè geruntur, ita vt extrema, & poſterior pars verrat humum: dicuntur & trahi amantes, qui
ii iiij

amore coacti, atque impulſi, id quod amant, inuiti ſequuntur. Licet etiam ſic explicare. A ſine trahi amiculum, & negligenter à me geri, cum ipſa me negligam. VALE, ET SALVE.] fac valeas, & ſalua ſis. VELIM, SI POSSIM.] velim ſaluere,& valere, ſi poſſim. ſed non poſſum nec valere,nec ſalua eſſe,ſi ab Alceſimarcho diuellor. NVMQVID ME VIS, &c.] ſermo diſcedentis. INTRO] domum Alceſimarchi, cuius me cuſtodem voluit eſſe Silenium. QVIN EAM] vt non eam? Numquid me aliud facere vis,& domum Silenij, ſeu Alceſimarchi non introire? ÆCASTOR MIHI VISA AM.] æcaſtor Silenium mihi viſa eſt amare.

## LENA.

IDem mihi,magnæ quod parti eſt vitium mulierum,
Quæ hunc quæſtum facimus. quæ vbi ſaburratæ ſumus,
Largiloquæ extemplò ſumus,plus loquimur,quàm ſat eſt.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit,paruolam B
Puellam,proiectam ex angiportu ſuſtuli,
Adoleſcens quidam hic eſt apprimè nobilis:
( Quin ego nunc quia ſum onuſta mea ex ſententia
Quiáque adeò me compleui flore Liberi,
Magis libera vti lingua conlibitum eſt mihi.
Tacere nequeo miſera,quod tacito vſus eſt.)
Sicyone ſummo genere ei viuit pater.
Is amore miſerè hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modò flens abiit.contrà amore hæc perdita'ſt.
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi. C
Quæ ſæpe mecum mentionem fecerat,
Puerum aut puellam alicunde vt reperirem ſibi,
Recens natum.eapſe quod ſibi ſupponeret.
Vbi mihi poteſtas primùm euenit: illico
Feci eius eij.quod me orauit,copiam.
Poſtquam puellam eam à me accepit,illico
Eandem puellam peperit,quam à me acceperat,
Sine obſtetricis opera, & ſine doloribus:
Item vt aliæ pariunt,quæ malum quærunt ſibi.
Nam amatorem aiebat eſſe peregrinum ſibi, D
Suppoſitionem eius rei facere gratia.
Id duæ nos ſolæ ſcimus:ego,quæ illi dedi:
Et illa,quæ à me accepit,præter vos quidem.
Hæc ſic res geſta eſt.ſi quis vſus venerit,
Meminiſſe ego hanc rem vos volo.ego abeo domum.

QVÆ HVNC QVÆSTVM FACIMVS] quæſtum lenonium, & meretricium. SABVRRATÆ] cibo & potu onuſtæ.tralatio eſt à nauibus onerariis,quæ cùm alio onere ſunt vacuæ, ſaburra onerantur, vt ſint aduerſus tempeſtatem, & fluctus firmiores, ac ſtabiliores. ILLANC] Silenium. PROIECTAM] expoſitam. EX ANGIPORTV] al. ex angiporto.ſed nihil refert.nam vtrumq.eſt in vſu,angiportus, & angiportum. Plerique libri manuſcripti tamen habent,*angiportu.* ADOLESCENS QVIDAM,&c.] Alceſimarchus. APRIMÈ NOB.] in primis nobilis. apprimè aduerbium eſt à nomine apprimus, quod valet, longè primus. Gell.lib.7. cap.7. Liuius Andron. Ibi denique vir ſummus apprimus Patroclus.

Quin



A QVIN EGO,&c.] hi quinque verſus,qui deinceps ſequuntur, ab hoc numerandi, ſunt includendi duabus notis interpoſitionis.Sententia autem hæc eſt.Immò verò quoniam probè ſatura, & pota ſum, liber mihi liberè loqui, &c. ONVSTA] cibo conferta, &,vt ſuprà dixit, ſaburrata.FLORE LIBERI,] vino præſtantiſſimo. ἀνθοσμίᾳ οἴνῳ. Sic Ennius in Alceſt. *Hæc anus ad modum friguttit.nimirum ſe ſauciauit flore Liberi.* ſuprà in Curcul. *Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.* TACERE NEQ. MIS. QVOD TACITO VS. EST] id eſt, Tacere non poſſum, quod taceri opus eſt, propter vinum, quod bibi. Nam cum cæteris malis, hoc præterea habet,ſeu affert ebrietas,& vinum: *operta recludit*, vt ſcribit Horat. epiſt.ad Torquatum. ex quo Bacchi tympana apud eundem oda xviij.lib.1. ſequuntur hi comites, *cæcus amor ſui*, *Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem*, *Arcaníque fides prodiga,pellucidior vitro.* Malim autem legi, *quo tacito vſus eſt*, quàm,vt habent omnes libri, *quod tacito vſus eſt.* idémque & Camerario videbatur. EI] Alceſimarcho,de quo loqui cœperam. IS] Alceſimarchus. DEPERIT] perditè amat hanc mulierculam,Silenium. CONTRÀ] altera ex parte:mutuò. HVIC MERETRICI] Melænidi. MECVM MENTIONEM FECERAT,] mecum egerat: mecum locuta fuerat: mecum ſermonem habuerat. RECENS NATVM EAPSE Q.&c.] aliquid recens natum, B quod ea ipſa ſibi ſupponeret pro vero partu.hinc partus ſuppoſiti,partus non veri, partus ſubditi.Sic autem habent omnes libri & manuſcripti,& typis excuſi,vt edidi. Sed quidam legi volunt, *quem ſibi ſupponeret.* qua lectione recepta, *Recens natum*, referretur ad vocem *puerum*. Ego nihil mutare auſim.VBI POTESTAS MIHI PR. EVÊN.&c.] cùm primùm potui. ILLICÒ FECI EIVS EII, QVOD ME OR. C.] continuò ei feci copiam eius, quod me orabat.continuò eam feci eius,quod à me petebat,compotem. EII] eij pro ei, Plauto, & aliis vſitatum, vt producatur prior ſyllaba. PVELLAM EAM] Silenium. PEPERIT,] quaſi peperit,ſe peperiſſe ſimulauit.SINE OBSTETR. OP.&c.] nec mirum,cùm re vera non pepererit,ſed partum ſibi ſuppoſuerit.SINE DOLORIB.] ἄνευ ὠδίνων. ἀμογητί: ἀνωδίνως: interdũ dolores dicũtur à Latinis ſiue adiectiones, dolores mulieris parientis,vt hîc, & item apud Terent. interdum dolores partus,ſeu partionis,vt apud Afran.in Vopiſc. *Non dolorum partionis veniet in mentem tibi,quos miſera pertuliſti,vt partum proijceret pater?* ITEM VT ALIÆ PAR. QVÆ M. Q. S.] ſimiliter atque aliæ meretrices pariunt, quæ partus ſibi ſupponentes malum ſibi arceſſunt iumento ſuo,vt loquitur in Amphit. PRÆTER VOS Q.] vobis exceptis, qui à me modò audiſtis,& cognouiſtis.SI QVID VSVS VEN.] ſi quid opus fuerit, ſi quid euenerit, quamobrem expediat vos rem cognouiſſe,& tenere.

C

## AVXILIVM, PROLOGVS.

VTrunque,hæc,& multiloqua,& multibiba eſt anus,
Satíne vix reliquit deo,quod loqueretur,loci?
Ita properauit de puellæ proloqui
Suppoſitione?quod ſi tacuiſſet,tamen
Ego eram dicturus deus,qui poteram planius.
Nam mihi eſt Auxilio nomen.nunc operam date
Vt ego argumentum hoc,vobis planè perputem.
D Fuere Sicyoni iamdiu Dionyſia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Iſque hic compreſſit virginem adoleſcentulus,
Violentus,in tenebris,multa nocte,in via.
Is vbi malam rem ſcit ſe meruiſſe,illicò
Pedibus perfugium peperit,in Lemnum aufugit,
Vbi habitabat tum:at illa,quam compreſſerat,
Decumo pòſt menſe exactò hic peperit filiam.
Quoniam reum eius facti neſcit qui ſiet,
Paternum ſeruum ſui participat conſilij,
Dat eam puellam ei ſeruo exponendam ad necem.
Is eam proiecit.hæc puellam ſuſtulit.
Ille clàm obſeruauit ſeruus,qui eam proiecerat,

Quò, aut quas in ædis hæc puellam deferat. A
Vt eampſe vos audiſtis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eáque educauit eam ſibi pro filia
Benè ac pudicé. tum illic autem Lemnius
Propinquam vxorem duxit, cognatam ſuam.
Ea diem ſuum obiit, facta morigera'ſt viro.
Poſtquam ille vxori iuſta fecit, illico
Huc commigrauit. duxit vxorem hic ſibi
Eandem, quam olim virginem hic compreſſerat,
Et eam cognoſcit eſſe, quam compreſſerat.
Illa illi dicit, eius ex iniuria B
Peperiſſe ſe gnatam, atque eam ſe ſeruo illico
Dediſſe exponendam. ille extemplò ſeruolum
Iubet illum eundem perſequi, ſiquà queat
Reperire quæ ſuſtulerit. ei rei nunc ſuam
Operam vſque ſeruus dat, ſi poſſiet
Meretricem illam inuenire, quam olim tollere,
Quum ipſe exponebat, ex inſidiis viderat.
Nunc quod reliquum reſtat, volo perſoluere,
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.
Adoleſcens hic eſt Sicyoni. ei viuit pater,
Is amore proiecticiam illam deperit, C
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem ſuam.
Et illa hunc contrà, qui eſt amor ſuauiſſimus.
Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum.
Pater adoleſcenti dare vult vxorem. hoc vbi
Mater reſciuit, iuſſit arceſſi eam domum.
Hæc res ſic geſta eſt, bene valete, & vincite
Virtute vera, quod feciſtis antidhac.
Seruate voſtros ſocios, veteres & nouos,
Augete auxilia veſtris iuſtis legibus,
Perdite perduelleis, parite laudem, & lauream, D
Vt vobis victi Pœni pœnas ſufferant.

VTRVMQ. HÆC ET MVLTIL. ET MVLTIB.] hæc anus, eſt vtrumq. & multiloqua, & multibiba. ſic loquuntur Græci, Homerus, Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. id eſt, vtrumque & res bonus, & validus bellator. MVLTILOQ. ET MVLTIB.] πολυλόγος, καὶ πολυπότις. SATIN' VIX RELIQVIT, &c. ſatin' interrogando, affirmationem interdum continet: & valet, nónne. Sententia igitur horum verborum hæc eſt, nónne vix locum reliquit Deo loquendi? proinde ac ſi dicat, vix Deo loquendi locum reliquit. vel ſic explica, nónne vix ſatis loci Deo reliquit, quod loquatur? quod eodem récidit. *ne* autem interrogatiuum, ſæpè affirmationem inferre, vt & *an*, conſtat inter Latinè doctos. DE PVELLAE PROLOQVI SVPP.] de Silenij ſuppoſitione palàm loqui? QVI POTERAM PLANIÙS] dij enim omnia & norunt, & poſſunt. NAM MIHI'ST AVXILIO NOMEN] Auxilium, hîc eſt Deus ex machina, θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, vt in tragœdiis. Horatius in epiſt. ad Piſon. *Nec Deus interſit, niſi nodus vindice dignus Inciderit.* OPERAM DATE] mihi ſubintell. hoc eſt attendite. PERPVTEM] perfectè putem, & ſuperuacaneis omiſſis, atque amputatis



A tatis, exponam. Putare, eſt purgare, & ſuperuacanea reſecare: vt, cùm dicimus putare viteis, & putare rationes. à putando putamina. SICYONI] Sicyone. nam vtroque modo Latini dicũt. ſic Karthagini, & Karthagine: ruri, & rure, &c. MERCATOR LEMN.] Demipho. COMPRESSIT] vitiauit. VIRGINEM] Phanoſtratam. ADOLESCENTVLVS] cum etiam tunc eſſet adoleſcentulus. nam nunc quidẽ natu grandis eſt. VINOLENTVS, IN TENEB. M. N. &c.] hæc omnia faciunt, vt factum ſit & leuius, & credibilius. MALAM REM] pœnam. nam legibus pœna eſt in corruptores virginum conſtituta. ILLICO PEDIB. PERT. PEPERIT.] illico ſeſe in fugam dedit, & ſaluti ſuæ fuga conſuluit: vel ſic: illico ſibi præſidiũ, & ſpem ſalutis in pedibus, & fuga collocauit. Malim hîc legi, *reperit*, quàm *peperit*. AT ILLA, QVAM COMPR.] Phanoſtrata. DECVMO PÒST MENSE EX.] pòſt menſem decimum menſem exactum. ſuprà in Amphitr. *Alter decumo pòſt menſe naſcetur puer.* ad quem locum legenda quæ annotata ſunt. ſi quis hac de re plura hîc legere volet. quibus adde, quæ referuntur ab A. Gell. lib. 3. cap. 16. in primis hoc ex Cæcilio. *Inſoléтne mulier decimo menſe párere? Pol nono etiam, ſeptimo, atque octauo.* QVONIAM REVM EIVS F. N. Q. S.] quoniam neſcit, quis eius facti reus ſit: hoc eſt, ad quem hoc factum pertineat, ſeu cuius in hoc facto res agatur: ſeu qui ſit huic culpæ affinis: quoniam huius facti reum, & auctorem ignorat, &c. PATERNVM SERVVM]
B Lampadiſcum. SVI PARTICIPAT C.] ſui conſilij participem reddit. EXPONENDAM AD NECEM.] proiiciendam, & obiiciendam neci, ſiquis eam necare vellet, aut ſi forte aliqua fera eam direptam voraret. HÆC PVELLAM SVST.] hæc lena, (quæ non nominatur à poëta) puellam Silenium ſuſtulit humo, ad necem expoſitam. vel ſic ſuſtulit iacentem, non vt necaret, ſed vt educaret. ἀνείλετο ἐπὶ τῷ τρέφειν. ILLE CLÀM OBS. SERVOS] Lampadiſcus, qui eam puellam proiecerat, clàm, hoc eſt, vt alibi loquitur, ex inſidiis, ſpeculatus eſt, quem in locum lena puellam ferat. VT EAMPSE, &c.] vt eam ipſam lenam, &c. EÁQVE] Melænis. LEMNIVS] Demipho. VXOREM DVXIT,] Sicyone duxit vxorem, quæ hîc non nominatur. FACTA MORIG. 'ST VIRO.] in eo morem geſſit viro. quòd mortua eſt: quoniam hoc vir optabat: & verò apud Plautum viri vxorum ſuum interitum exoptare ſolent, maximè qui malas nacti ſunt. At quota quæque mulier bona eſt? ſuprà. *Non ædepol conduci poſſim vita vxoris annua*, Ibidem. AR. *Iace pater talos, vt porrò nos iaciamus.* DE. *maxume. Te Philenium mihi, atque vxori mortem.* IVSTA FECIT:] exſequias procurauit, & parentalia perſoluit: hæc enim mortuis debentur à propinquis, & affinibus, & neceſſariis, iure gentium. Itaque νομιζόμενα dicuntur à Græcis. EANDEM, Q.] Phanoſtratam. EIVS EX INIVRIA,] ex eius iniuſto
C facto, ſeu facinore. fit enim iniuria virgini ab eo, qui ei ſtuprum infert: immò verò contumelia. Itaque ὕβρις à Græcis appellatur: quæ grauior, quàm iniuria eſt. SERVOLVM IVBET ILLVM EVNDEM, &c.] Demipho iubet Lampadiſcum perſequi, & perquirere, ſi qua ratione mulierem reperire poſſit, quæ puellam Silenium neci expoſitam, & humi iacentem ſuſtulerit. MERETRICEM ILLAM] mulierem illam, olim meretricem, nunc lenam: non nominatam. TOLLERE,] ſubintell. puellam à ſe expoſitam, ac proiectam. EX INSIDIIS] ex occulto loco, vnde cernere poterat, quis puellam tolleret, cùm tamen ipſe à nemine cerni poſſet. NVNC QVOD RELIQVVM REST. V. V.] nunc quod ſupereſt ex iis, quæ vobis promiſi, vobis perſoluere volo. id eſt, nunc rem omnem, & argumentum omne huius fabulæ vobis narrare volo. allegoria eſt, ducta à pecunia credita, ſeu ab argentariis, & fœneratoribus, qui nomina faciebant, & pecuniam credere ſolebant. Sic ferè M. Tullius in Bruto. *Sed perge Pomponi, de Cæſare: & redde quæ reſtant.* VT EXPVNGATVR NOM. NEQVID DEBEAM.] manet in allegoria; expungitur enim nomen debitoris, cùm omnis pecunia, quæ creditori debebatur, perſoluta eſt. expungitur autem, id eſt deletur. ſuprà in Curculione. *Miles pulcrè centuriatus eſt expuncto in manipulo.* Licet etiam dicere, tralationem eſſe à re militari. Dicun-
D à re militari. Dicuntur enim expuncti milites, à militia remoti. Tarentinus Paternus Iuriſconſultus lib. 49. Digeſt. tit. de re militari. *Ex cauſa deſertionis notatus ac reſtitutus, temporis, quo in deſertione fuit, ſtipendiis expungitur.* Suetonius in Claudio Cæſare. *Cùm decurias rerum actu expungeret, eum, qui diſſimulata vocatione, quam beneficio liberorũ habebat, reſponderat, vt cupidum iudicandi dimiſit.* ADOLESCENS HIC EST SICYONI] hic adoleſcens Alceſimarchus, eſt Sicyoni. vel ſic potius, adoleſcens, de quo loquimur Alceſimarchus, eſt hîc Sicioni. EI VIVIT PATER] qui non nominatur in fabula. IS] adoleſcens Alceſimarchus. PROIECTICIAM ILLAM DEPERIT,] Silenium valde perditè amat. AD MATREM SVAM.] Melænidẽ. QVI EST AMOR SVAVISS.] amor, cùm eſt mutuus, eſt ſuauiſſimus: contrà, cùm claudicat, amariſſimus. Idem in Mil. glor. *Is amabat meretricem æquè Athenis Atticis: Et illa illum contrà, qui eſt amor cultu optimus.* VT SVNT HVMANA,] vt ſunt res humanæ, quæ ſcilicet ſunt incertæ, fluxæ, fugaces, mutabiles, volubiles. Sic Lucret. lib. 4. *Prætermittet te humanis concedere rebus.* Horat. epiſt. 2. lib. 1. *Interualla vides humanè commoda.* Satyr. vlt. lib. 2. *Heu fortuna, quis eſt crudelior in nos Te Deus? vt ſemper gaudes illudere rebus humanis?* Cic. lib. 12. epiſt. ad Attic. *Malè de Seio. ſed omnia humana tolerabilia ducenda*, Idem lib. 5. Tuſcul. *Quod ſi eſt, qui vim fortunæ, qui omnia humana, quæcunque accidere poſſunt, tolerabilia ducat*, &c. NIHIL EST P. D.] nullũ eſt hominib. propriũ bonũ. ſup. in Curc. *nulli'ſt homini perpetuũ bonũ.* Virg. li. 6. Æn. *propria hæc ſi dona fuiſſẽt.* VXOR.] hęc nõ nominatur à poëta. MA-

TER]Melænis.RESCIVIT] quod neſciebat,ſciuit.Aul.Gell.lib.2. cap.19. EAM]Silenium. A
VALETE, ET VINCITE VIRT. V.]ſic ſuprà in Caſina.*Tantum eſt.valete: bene rem gerite, & vincite Virtute vera: quod feciſtis antidhac*,His autem verbis,ac precibus,religionem,ac pœnè dicam terrorem iniicit ſpectatorib.fore vt hoſteis ſuos non vincant,ſed potius vincantur,& rem ſuam malè gerant,niſi attentè audiant. PERDVELLEIS] hoſteis,Pœnos. LAVREAM] triumphum. POENAS SVFFERANT]pœnas dent.*Pœni pœnas*.paronomaſia.

ALCESIMARCHVS adoleſcens, MELÆNIS lena.

CRedo ego amorem primùm apud homines carnificinam
commentum,
Hanc ego de me coniecturam domi facio,ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero,atq; antideo cruciabilitatibus animi, B
Iactor,crucior,agitor,ſtimulor,verſor in amoris rota miſer,
Exanimor,feror,differor,diſtrahor,diripior,ita nullam mentem
Animi habeo:vbi ſum,ibi non ſum:vbi non ſum,ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt:quod lubet,nō lubet iam id cōtinuò.
Ita me amor lapſum animi ludificat,fugat,agit,appetit,
Raptat,retinet, iactat,largitur:quod dat,non dat,deludit:
Modò quod ſuaſit,diſſuaſit:quod diſſuaſit,id oſtentat.
Maritumis moribus mecum experitur, ita meū frangit amantem
Animum:neque niſi quia miſer non eo peſſum,mihi vlla abeſt
Perdito pernicies,ita pater apud villam detinuit me hos dies ſex
Ruri continuos,neque licitum interea eſt,meam amicam viſere. C
Eſtne hoc miſerum memoratu?
ME. Eò facetu's,quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia,
Habeas, neque nos factione tanta,quanta tu,ſumus,
Neque opes noſtræ tam ſunt validæ quàm tuæ. veruntamen
Haud metuo,ne iuſiurandum noſtrum quiſquam
Culpitet:tu iam ſi quid tibi dolebit,ſcias qua doleat gratia.
AL. Di me perdant. ME. quodcunque optes velim tibi contingere.
AL. Si illam vxorem duxero mihi vnquam,quam deſpondit pater.
ME. Et me,ſi vnquam tibi vxorem filiam dedero meam.
AL. Periurare me patiere? ME. atque aliquanto facilius, D
Quàm me meámque rem perire,& ludificari filiam.
Abi quære:vbi iuriiurando tuo ſatis ſit ſubſidij.
Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſeram.
AL. Face ſemel periclum. ME. ſæpè feci:quod factum queror.
AL. Redde mihi illam. ME. inter nouam rem verbū vſurpabo vetus
Quod dedi,datum non vellem:quod reliquum'ſt, non dabo.
AL. Non remiſſura es mihi illam? ME. pro me reſponſa tibi.
AL. Non remittes? ME. ſcis iamdudum omnem meam ſententiam.
AL. Satin' tibi iſtuc in corde certum eſt? ME. quin ego commentor
quidem.
Non ædepol iſtæc tua dicta nunc in aureis recipio.

Non?



A AL. Non? hem quid agis? ME. igitur animum aduorte, vt quid
agas, ſcias.
AL. At ita me dij deæque, ſuperi atque inferi,& medioxumi,
Itáque me Iuno regina,& Iouis ſupremi filia,
Itáque me Saturnus patruus eius & Caſtor pater,
Itáque me Ops opulenta illius auia. ME. immò mater quidem.
AL. Iuno filia,& Saturnus patruus,& ſummus Iuppiter,
Tu me delenis,propter te hæc pecco. ME. perge dicere.
AL. An nec etiam quid conſultura ſis, ſciam? ME. perge eloqui,
Non remittam, definitum'ſt. AL. enimuero ita me Iuppiter,
Itáque me Iuno, & Saturnus: ita, quid dicam neſcio.
B Iam ſcio, immò mulier audi, meam vt ſcias ſententiam.
Dei me omnes magni,minutíque,& patellarij
Faxint,ne ego dem viuus hodie ſauium Silenio,
Niſi ego te,tuámque filiam, méque hodie obtruncauero.
Poſtea autem cum primo luci cras niſi ambo occidero,
Et equidem hercle niſi pedatu tertio omneis afflixero,
Niſi tu illam remittis ad me. dixi quæ volui, vale,
ME. Abiit intrò iratus. quid ego nunc agam? ſi redierit
Illa ad hunc. ibidem loci res erit. vbi odium occœperit,
Illam extrudet,quum hanc vxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo & perſequar,amans ne quid faciat,cauto opuſt.
C Poſtremò,quando æqua lege pauperi cum diuite
Non licet, perdam operam potius,quàm carebo filia.
Sed quis hic eſt,qui recta platea curſum huc tendit ſuum?
Et illud paueo,& hoc formido,ita tota ſum miſera in metu.

CARNIFICINAM COMMENTVM.]carnificinam,id eſt, rationē, & artem hominum excruciandorum,quod eſt carnificum munus,reperiſſe.*commentum* ſubintell.eſſe. NE FORIS Q.]domi,foris,opponūtur inter ſe.non eſt,inquit,quod foris exempla quæram,aut colligam,cùm domeſticis & familiaribus abūdem.Sic Catullus ad Ianuam.*Ne quærendū aliūde foret neruoſius illud*,&c. ANTIDEO]anteeo. CRVCIABILITATIB. A.]malis cruciatibus,quibus mihi conficitur,& cruciatur animus. VERSOR IN AMORIS ROTA M.]rota, genus ſupplicij,aut tormenti eſt.M. Tull.lib.5. Tuſcul. *In rotam beam vitam non aſcendere.* Sic autem hoc
D loco rotæ nomen accipiendum, non vt apud Tibull. lib.1. Eleg.5. *Verſatur celeri fors leuis orbe rotæ.* FEROR]φέρομαι. feror, vt res inanima,quæ in poteſtatem hoſtis peruenit. DIFFEROR,] diuellor,diſcerpor,diſtrahor,dilaceror.Terent.in Adelphis. *differor doloribus*.vbi notat Donatus hoc genus querelæ propriè conuenire parturienti.Cuius viſcera diſtenduntur. DERIPIOR] legendum *diripior*, libris aliquot manuſcriptis inuitis,non *deripior*. nam deripere eſt deorſum rapere,vt notauimus in Commentariis Horatianis:diripere verò in diuerſa rapere. omnino ſic vt edidi, tres habent libri veteres. MENTEM ANIMI.] cogitationem animi. mens eſt in animo,vt oculus in corpore. ſæpe hæc duo *mens animi*. ſic coniunctè vſurpantur à bonis ſcriptoribus,à Lucretio,à Plauto,& cæteris.Lucret. lib. 4. *Mens animi vigilat.* ad quem locum plura leges, & ad illud Horatij epiſt. 14. libr.1. *tamen illuc mens, animúſque Fert, & amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra.* VBI SVM, IBI NON SVM.] id eſt, vbi eſt corpus, ibi non eſt animus. VBI NON SVM, IBI EST ANIMVS.] vbi non eſt corpus, ibi eſt animus, quia amantis animus non eſt in corpore ſuo, ſed in eius quem, vel quam amat: aut in aliqua re, quæ ab amica, ſeu amaſio profecta eſt.Plautus Pſeudolo. *Aduortito animum.* CA. *non adeſt.* PS. *at tu cita.* CA. *Immo ego tacebo: tu hinc eum ex cera cita. Nam iſtic meus animus nunc eſt: non in pectore.* Idem Bacchid. *Anima eſt amica amanti: ſi abeſt, nullus eſt.* Plutarchus in Antonio, quo loco narrat Antonium, ſtatim vt vidit Cleopatram cum lx. nauibus, paſſis velis,è prælio

Actiaco fugientem,mente captum,nauibus , & rebus ſuis integris, & ſuis acriter pugnantibus A
eam eſſe conſecutum,ἔνθα δὴ, inquit,φανερὸν αὑτὸν Αντώνιος ἐποίησεν οὔτε ἄρχοντος,οὔτε ἀνδρὸς,
οὔτε ὅλως ἰδίοις λογισμοῖς διοικούμενον, ἀλλ᾽ ὅπερ τις παίζων εἶπε, τὴν ψυχὴν τοῦ ἐρῶντος ἐν
ἀλλοτρίῳ σώματι ζῆν,ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς γυναικὸς,ὥσπερ συμπεφυκὼς, καὶ συμμεταφερό-
μενος. &c. id eſt,hic Antonius declarauit ſe neque principis,neq.viri,neque omnino ſuis ipſius
ratiocinationibus,aut cogitationib. gubernari,ſed,quod quidem iocans dixit,amãtis animũ in
alieno corpore viuere,cùm à muliere traheretur,tanquã vnà cum ea concretus,& cohærens,&
quaſi vnà cum ea ferretur,&c. ITA MIHI OMNIA INGEN.] non vnũ mihi ingenium
eſt, ſed omnia in quibus ingenioſus ſum , ad innumerabileis mentis agitationes, quæ me con-
quieſcere,& reſpirare non ſinũt. voluerat dicere *multa*,ſed augẽdi cauſa dixit *omnia*. LAPSVM
ANIMI,] lapſum animo:errantem animo,deſipientem. AGIT,] ἐλάυνει, inſectatur,impel-
lit. APPETIT,] inuadit:petit,vt gladiator aduerſarium. MARITVMIS] vel incertis,& flu-
ctuantibus,& inconſtantibus,vel doloſis,fallacibus,pellacibus,perfidioſis.Lucret.lib.5. *Nec po-
terat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis*. vel feris immanibus,
iracundis,aſperis:quale etiam eſt mare.Itaque quem ſignificare volunt poëtæ immani,fero, at-
que inhumano ingenio eſſe pręditum,dicunt è mari eſſe natum.Homer.ἰλ.π.γλαυκὴ δέ σ᾽ ἔτι-
κτε θάλασσα. MECVM EXPERITVR] mecum agit. NISI QVIA NON EO P.] ex- B
cepto quòd non eo in fundum , ſeu quod non cogor, ſuprà in Aulul. *Eodem modo ſeruum ratem
eſſe amanti hero, Æquum cenſeo,vt toleret, ne peſſum abeat,tanquã catapirates maris*. ESTNE HOC MI-
SERVM MEM.] nónne hoc miſerum eſt dictu? EÒ FACETV'S QVIA, &c.] Intelligit
autem ſpectator,Alceſimarchum multis verbis cũ Lena expoſtulaſſe, antequã vterque ſimul in
ſcenam prodeat: Idq; ex primis Melænidis verbis. HABEAS] conceſſio amanti Alceſimarcho
iniuncunda, ac moleſta. habeas, inquit,puellam iſtam Lemniam , Demiphonis filiam ex vxore
Lemnia ſuſceptam,quæ non nominatur à poëta. FACTIONE TANTA] potentia,ſeu opu-
lentia tanta,&c. VERVMTAMEN HAVD V.] proinde ac ſi dicat,fortunæ quidem,& fa-
cultates noſtræ ſunt tenues,humiles atque anguſtæ : ſed fides certa eſt , & omni culpa caret : &
quod iuratæ promiſimus,præſtamus,iuſiurãdúmq. ſeruamus. Hac oratione Alceſimarchũ no-
tat,quaſi fidem, & iuſiurandum neglexerit,qui fortaſſe Silenium vxorem ſibi futurã iurauerat.
CVLPITET] culpet:crebrò culpet. Culpito,verbũ frequentatiuũ à verbo culpo. SCIAS QVA
DOLEAT GR.] ſcire poſſis,quam ob cauſam doleat , proindè ac ſi dicat , tu tibi conſcius es
peccati tui,iniuriæq. tuæ cõſcientia tua te accuſat,& tui peccati cõmonefacit. QVODCVMQ.
OPTES,&c.] interpellat loquentem Alceſimarchum Melęnis.Nam cùm eſſet ille hac oratione
perpetua vſurus,Dij me perdant,ſi illam vnquam vxorem duxero,quam mihi deſpondit pater: C
illa in medio orationis curſu,ſubiunxit,tãquam ei irata,velim tibi,quodcunque optes, contin-
gere.hoc eſt,velim quæ precaris, & optas,tibi eueniant. ita de me & filia mea bene meritus es.
PATER] qui hîc non nominatur. ET ME] Dij perdant. repete ἀπὸ κοινοῦ. PERIVRARE]
peierare me patieris?periurus enim ero,ſi propterea quòd filiam tuam mihi vxorem non dede-
ris,Lemniam illam vxorem ducam. ATQ. ALIQVANTO FACILIVS,&c.] ſubintell.
patiar: & verò aliquãto facilius, quàm me,& rem meã familiarem perire,& meam filiam abs te
ludibrio haberi. ABI, QVÆRE, VBI IVRIIVRANDO TVO,&c.] proinde ac ſi dicat,
abi,quære alios,qui tibi iuranti credant.Nam ego quidem,cui notus es,tibi nunquam ſum cre-
ditura.credat tibi,qui te non norit,ego te noui.Quære peregrinnm,vt ait Flaccus , huc pertinet
illud.Æſchin.in oratione. κατὰ Κτησιφῶντος,ei qui ſæpe numerò peierare ſolitus, ſibi tamen iu-
ranti credi poſtulet,duorum alterum cõtingere oportere aut nouos deos, aut nouos auditores.
Sic ille, τῷ πολλάκις μὲν ἐπιορκοῦντι ἀεὶ δὲ πρὸς τοὺς αὐτοὺς μεθ᾽ ὅρκων ἀξιοῦντι πιστεύεσθαι,
δυοῖν θάτερον ὑπάρξαι δεῖ, ὧν οὐδέτερόν ἐστι Δημοσθένει ὑπάρχον,ἢ τοὺς θεοὺς καινοὺς , ἢ τοὺς ἀκροα-
τὰς μὴ τοὺς αὐτούς. Quæ ſententia videtur ab Euphrone ſumta , paululum immutata. Cuius hi D
ſunt verſ.Καινοὺς πορίζου πρὸς μὰ τῶν θεῶν θεοὺς, ἵνα τοὺς παλαιοὺς μὴ ἐπιορκῇς πολλάκις,id eſt,
Nouos mihi ex Deis præbe Deos, vt ne veteres ſæpenumerò peieres. vel ab Euripide. ſic enim
ille in Medea,ſub perſona Medeę cũ Iaſone verba faciẽtis.ὅρκων δὲ φροῦδη πίστις·οὐδ᾽ ἔχω μαθεῖν.
Ἢ θεοὺς νομίζεις τοὺς τότ᾽ οὐκ ἄρχειν ἔτι,Ἢ καινὰ κεῖσθαι θέσμι᾽ ἀνθρώποις τανῦν,Ἐπεὶ σύν-
οισθά γ᾽ εἰς ἔμ᾽ οὐκ εὔορκος ὤν, id eſt,iuriſiurandi autem fides euanuit: neq. intelligere poſſum,
quamobrem iures.Nam aut Deos exiſtimas non eoſdem,qui tum regnabant,imperare:aut non
eadem apud homines manere : quoniam tibi conſcius es iuriſiurandi tui erga me non ſeruati.
CONFREG. TESS.] id eſt,ius hoſpitij violaſti,& amicitiam,conſuetudinémq.priſtinam,quæ
tibi nobiſcum erat,diſſoluiſti.natum ex veterum cõſuetudine:qui hoſpitibus teſſeras quaſdam
dabant,quibus oſtenſis, eos, vel eorum filios longo interuallo venienteis agnoſcerent. Nam
præter teſſeras frumentarias,& nummarias,erant & teſſeræ hoſpitales,ſeu hoſpitij: quas hoſpi-
tes, eorúmque liberi , vt dixi , ſecum ferebant , vt facilius à veteribus, & paternis hoſpitibus
agnoſci poſſent : iidem cùm hoſpitium repudiabant , teſſeram frangebant. fiebant autem hæ
teſſeræ ex ligno longiuſculo , & vtrinque exæquato,& complanato. FACE SEMEL PE-
RICLVM] fac ſemel periculum meæ fidei. INTER NOVAM REM VERB. V. V.]
in re noua dictum vetus,&c. res noua, verbũ vetus, antitheſis. QVOD DEDI, DATVM,&c.]
me, quod



A me,quod dedi,dediſſe pœnitet:&c. RESPONSA TIBI] crebrò reſponde tibi. IN CORDE
CERTVM'S T?] in animo fixum,& immotum ſedet? vt loquitur Virg. QVIN EGO COM-
MENT. Q.] immò verò aliud ago , aliúdque animo agito , neque quæ dicis, auribus perci-
pio. AT ITA ME DII, DEÆQVE, &c.] Incipit hic ita perturbari Alceſimarchus , au-
dita lenæ reſponſione, vt, quid loquatur neſciat,vt neque mente, neque lingua ſibi conſtet,ſed
quaſi mentis inops, inepta, delira,atque abſurda dicat. ET MEDIOX.] & medij ij ſunt,quos
δαίμονας appellant Græci : De quibus Plato in Sympoſio, Apuleius in libro de Deo Socratis.
ſubintelligendum autem eſt verbum aliquod,puta,iuuent,ament,aut aliquod ſimile. quod Al-
ceſimarchus fuerat additurus : ſed vel quod amore, & ira perturbatus eſt,vel quod interpella-
tus id non fecit. *Medioximum*,inquit Nonius,*medio actum modò*. ET IOVIS SVPREMI
FILIA] hîc perſpicuè errans inducitur adoleſcens , & mentis alienatæ , quippè qui Iunonem
Iouis ſororem,& vxorem,Iouis filiam dicat quemadmodum & in his, quæ continuò ſequun-
tur,in quibus Saturnum, qui Iouis & Iunonis pater eſt , patruum eius appellat : & Caſtorem,
qui Iouis ex Leda filius eſt,Iunonis eiuſdem patrem. OPS OPVLENTA ILLIVS AVIA]
rectè, *Ops opulenta*, opes enim ab Ope,deorum matre Saturni vxore , quæ & Rhea nominatur,
per quam ſignificatur Terra, dictæ ſunt.Etiam hîc,immo vbique & vſquequaquè,quandiu in
B hac ſcena loquitur adoleſcens,& maximè ab illo loco,*At ita me Dij*,*Deæq; ſuperi*, &c. amore , &
quaſi furore præceps,abſurda,& perplexa,& minimè inter ſe cohærẽtia loquitur. IVNO FIL.
&c. ] En rurſus dum redire in viam,& ſe corrigere conatur adoleſcens in maiores mentis, &
ſermonis errores delabitur. TV ME DELENIS.] id eſt, tu mihi mentem adimis : tu me
mente ſpolias. ſic loquitur in Amphitr. *Delenitus ſum, profectò, ita vt me , qui ſim, neſciam. Delinitus*.
inquit Nonius, id eſt, mente alienatus. Titinnius. Verum etiam dotibus deliniti vxoribus an-
cillantur. Sic Græci vſurpant verbum θέλγειν, & maximè Homerus : apud quem θέλγειν, vt
admonet,& notat, Euſtathius,valet idem ferè, quod διά τινος πάθους ἐξιστάναι τῆς κατὰ φύσιν,
ἐνεργείας : id eſt, per aliquam perturbationem animi , de naturali muneris functione aliquem
deducere,ac deturbare.Sic Homerus ἰλ.μ. αὐτὰρ Ἀχαιῶν Θέλγε νόον.id eſt,ac mentem Graio-
rum deleni.Non diſſimulabo autem , in nonnullis libris veteribus ſcriptũ eſſe, *Tu me delinis* : in
aliis,vt in vulgatis, *Tu Melænis*. Ego alios ſequor , qui habent *Tu me delenis*. alludit enim Plautus
ad Melænidis nomen, proinde ac ſi ita dicat Alceſimarchus, Tu Melænis me delenis. PRO-
PTER TE HÆC PECCO] tua culpa hæc peccata committo. verbum *pecco* iunxit cum ac-
cuſandi caſu.Sic M.Tull.pro Murena.*Haud multa peccas*. Idem lib.1.de natura Deor.*Atque etiam
C Xenophon paucioribus verbis eadem ferè peccat*.Hora.epiſt.ad Piſonem. *Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius
vſque*,&c. AN NEC ETIAM QVID CONS. S. SC?] hæc eſt vera,& recta huius loci ſcri-
ptura, quam ex veſtigiis antiquæ eruimus.Nam vulgata ferri non poteſt. ſentẽtia autem plana
eſt. an ne hoc quidẽ ſciã,quid conſilij captura,aut quid conſultatura ſis. DEFFINITVM'S T.]
certum eſt.decretum eſt.fixum eſt. ENIM VERÒ ITA ME IVPITER, &c.] redit ad
ſua deliria,reſponſo Melænidis commotus. ITA, QVID DICAM, NESCIO.] in medio
orationis curſu orationem abrumpit ob animi perturbationem. fuerat autem dicturus , ita me
ille,& ille Deus amet,&c. aut aliquid ſimile. PATELLARII] Dij, quibus in patella epulæ
apponebantur,& qui patellis colebantur,non pateris,vt lares,& penates,Nonius in voce *patella*,
profert hoc ex Varrone in Eumenid. *Patella eſurienti poſita prouocat Neapolitanas piſcinas*. & hoc ex
eodem in Manio. *Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere, & Deos colere,in patellã dare.* μικρὸν κρέας.
Deos patellarios igitur appellat,deos minutos,vel ex eo,quod patellis colebantur,non pateris,
vt diximus,vel à piſcibus minutis, qui in patellis apponebãtur , non in pateris:quemadmodum
cibi tenuiores,& viliores,vt oluſcula,& terra nata,in patellis ponebãtur.Hor.in epiſt.ad Torq.
*Nec modica cenare times olus omne patella*, &c. Iam verò hæc Alceſimarchi oratio,deteſtatio quędam
D eſt amatoria,ſeu dira precatio,quę tanti ponderis eſt apud amantem,quanta eſſet, ſi ita ſibi pre-
caretur,Dij me perdant : ne viuam:& ſimil.amãti enim æquè dirum,& horribile eſt, non oſcu-
lari amicam,vt alij ſano interire. præterea addit vocem *viuus* , quæ facit deteſtationem magis
diram.Ordo autem verborum,& ſententia hæc eſt,Dei magni,&c. faxint,vt ego ne dem viuus
animum Silenio.Nam locutio eſt ex his duobus cõfuſa,ac permixta,Dij me faxint hodie viuam
Silenio ſauium non dare, & Dij faxint ne ego hodie viuus Silenio ſauium dem. CVM PRI-
MO LVCI] cum prima luce:hic primum obſeruandum *luci* dictum eſſe in auferendi caſu pro
*luce*:quod notat Cariſius lib 2.& profert hunc locum ex Amphitr. deinde *lucis* nomen vſurpa-
tum eſſe à veteribus in genere maſculino.vt in Aulularia. *Luce claro diripiamus aurum matronis pa-
làm*. quem locum profert Nonius hoc ipſum docens. & apud M.Tull.lib.3. de Off. *Luce claro in
foro ſaltet*, poſtremò *cum primo luci*, ſeu *cum primo luce* , idem valere,atque ſimul atque diluxerit.
NISI AMBO OCCIDERO.] ambo,pro ambos, antiquè. ſic Cicero , Virgilius, Horatius.
Notauimus in Comment.Horatianis,& notis Ciceronianis. NISI PEDATV TERTIO
OMNEIS AFFLIX.] ſic eſt legendum hoc primum non vt habent libri vulgati,*niſi perdam te*,
&c.neque vt habẽt pleriq.libri veteres,*niſi perdatu tertio*.&c.neq.vt ſuſpicatur Camerar.*niſi peren-
dinatu tertio*, &c. Deinde quid ſit *pedatu tertio*,explicandũ eſt.*Pedatu*,igitur, inquit Nonius, *poſitum*

*pro repetitu, vel acceſſu, quaſi per pedem*. Cato lib. 1. Originum. *Igitur tertio pedatu bellum nobis fecere*, Idem diſſuaſione de fœneratione, *Tertio autem pedatu item ex fænore diſcordia excreſcebat*. Cariſius lib. 2. *primo pedatu*. Cato ſenex. *in his duobus bellis alteràs ſtipendio, agriq. parte multati, alteràs oppidum vi captum. Alteras, alteras, id eſt primo pedatu, & ſecundo, vt Maximus notat hodiéque noſtri per Campaniam ſic loquũtur.* Ex quibus Nonij & Cariſij verbis, & ex Catonis auctoritatibus, quas illi afferunt, licet intelligere primo pedatu, ſecundo, tertio, idem valere quod vulgus dicit prima vice, ſecunda, tertia. Nos Galli dicimus *la premiere fois, la ſeconde, la troiſieſme*: Itali, *la prima volta, la ſeconda, la terza*. Apud Cariſium autem, vt hoc dicam ἐν παρόδῳ, primo pedatu, ſecundo pedatu ſunt interpretatio horum, *alteràs, alteràs*, quib. vtitur Cato ſenex, vel dicendũ Cariſiũ eſſe corruptũ, & ita reſtituendum in integrũ. Cato ſenex. *In his duobus bellis primo pedatu ſtipendio, agríq. parte multati: ſecundo oppidum vi captum. primo pedatu, & ſecundo, prima & altera vice.* Dictus autẽ pedatus fortaſſis à peda, æ, pedam enim veſtigium humani pedis appellaſſe veteres teſtatur Feſtus. AFFLIXERO] nonnulli libri habent, *efflixero*. quod non eſt reiiciendum. NISI TV ILLAM REM AD ME.] pendent hæc ex ſuperioribus illis, *Dei me omnes magni*, &c. hoc modo, Dij me omnes magni, minutíque non ſinant viuum Silenio ſauium dare, niſi ego te tuámque fil. occidero, poſtea, niſi ſtatim vbi diluxerit, vos ambos interfecero: & niſi tertio ad vos acceſſu, ſeu itu, omneis afflixero, ſeu efflixero, ſi non illam ad me iamiam remittis. IBIDEM LOCI RES ER.] eodem loco res erit. aduerbio iunxit generandi caſum. Sic dicunt Latini, *vbiq. terrarum, nuſquam gentium*. Terent. in Andr. *huc viciniæ*. VBI ODIVM OCCOEPERIT.] odium Alceſimarchi in Silenium. AMANS NE QVID F. CAVTO OPV'ST] cauendum eſt, ne quid amans iratus in ſe, vel in filiam meam faciat. cautio eſt ne ſibi manus afferat: vel ne filiam adeò meam interimat. QVANDO ÆQVA LEGE PAVPERI CVM DIVITE] eſt enim inæqualis coniunctio. ſic ſuprà in Aulular. *Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem diuitem, Factioſum: me item hominem eſſe pauperum pauperrimum. Nunc ſi filiam.* PERDAM OPERAM P. Q. CAR. FIL.] ad Alceſimarchum remittam filiam meam potius, (quo facto operam perdam nam continuò eam extrudet foras) quàm committam, vt filiam meam interimat, & ita caream filia. CVRSVM HVC TENDIT SVVM?] huc contento curſu venit? vel huc curſum dirigit ſuum? Nonnulli libri veteres habent *contendit*. quod verſus ferre poteſt. ET ILLVD PAVEO.] quid ſit, quamobrem ille huc currat. ET HOC FORMIDO.] ne Alceſimarchus filiam meam interimat.

## LAMPADISCVS.

ANVM ſectatus ſum clamore per vias.
Miſerrimam habui. vt illhæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis?
Quot illi blanditias? quid illi promiſi boni?
Quot admoui illi fabricas? quot fallacias?
In quæſtione vix exculpſi vt diceret,
Quia ei promiſi me dolium vini dare.

ANVM] lenam à poëta non nominatam, quam ſuprà dixit multiloquam, & multibibam: poſtremò, quæ Gymnaſij filia exiſtimabatur, quæque Silenium Melænidi meretrici dono dederat, vt eam ſibi ſupponeret, & tanquam ſuam filiam educeret. MISERRIMAM H.] valdè ei moleſtus fui clamando. VT ILLHÆC HODIE, &c.] quam illa hodie, & quot modis ſibi moderata eſt, hoc eſt, ſe continuit, & ſibi temperauit, ne mihi indicaret, & confiteretur, cui puellam, quam ſuſtulit, tradidiſſet? ATQVE IMMEMORABILIS] & quàm fuit immemorabilis? id eſt, quàm fuit in eo pertinax, vt ne quid memoraret, id eſt, diceret quàm à memorando, hoc eſt, dicendo, abhorruit? Sic autem hunc locum explicandum arbitror. Nam *immemorabilis* hîc actiuè accipiendũ eſt, vt & alia interdum nomina in *bilis*: exempli cauſa, impetrabilis pro eo qui facile impetrare poteſt. in Moſtell. & Merca. conducibile pro eo quod conducit in Epid. ibidem, dies exitiabilis, id eſt, dies exitialis, ſeu exitioſus, id eſt, exitium afferens. & in Perſa, dies lucrificabilis id eſt, dies lucrum afferens, & vt ita dicam, lucrificus. in Mil. gl. incogitabilis pro eo, qui nihil cogitat, aut cogitare poteſt, vel ſolet, & pro homine inconſiderato. ſuprà contrà in Capt. verſus immemorabiles dicuntur παθητικῶς, qui non debent memorari ἄρρητοι. Lucret. autem immemorabile ſpatium dixit lib. 4. & lib. 6. pro eo, quod memorari, ſeu dici non poteſt, *Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe*. & apud Alcinoum de doctrina Platonis. cap. 9. in principio hæc verba, Ἑξῆς δὲ περὶ τῆς τρίτης ἀρχῆς ποιητέον τὸν λόγον, ἣν μικροῦ δεῖν καὶ ἄρρητον ποιεῖται ὁ Πλάτων. Sic Latinè verti, deinceps autem de tertio principio ſermo habendus eſt quod propemodum tacendum, & immemorabile facit Plato.

& hæc



& hæc eodẽ cap. 9. Καὶ μὴν ὁ πρῶτος θεὸς, ἀΐδιός ἐστιν, ἄρρητος, αὐτοτελὴς, τουτέστιν, ἀπροσδεὴς, ἀειτελὴς, τουτέστιν ἀεὶ τέλειος, παντελὴς, τουτέστιν πάντῃ τέλειος. &c. ſic interpretatus ſum. Et verò primus Deus, æternus eſt immemorabilis, ipſe per ſe perfectus, id eſt, nulla re externa egens, ſemper finitus ſiue ἀειτελὴς, hoc eſt, ſemper perfectus, omninò finitus ſeu παντελὴς, id eſt omni ratione, & prorſus perfectus. quam interpretationem tamen ſophiſta quidem omnium bonarum artium, ac litterarum imperitiſſimus, atque ignorantiſſimus; idémque impudentiſſimus, petulantiſſimus, turbulentiſſimus, furioſiſsimus, anno ſuperiore reprehẽdebat, & dicebat, homo linguæ Græcæ plane rudis me debuiſſe ἄρρητον, Latinè reddere vtrobique, *ineffabile*, grauis auctor. Atqui quod Alcinous dixit vnó verbo ἄρρητον, Plato duobus ſignificauit ἀδύνατον λέγειν, & M. Tullius ita Latinè reddidit, iudicare in vulgus nefas. nefas autem apud M. Tullium valet, quod barbari dicunt, impoſſibile. Sed quid mirum ab homine imperito linguæ Græcæ, bonarúmque artium, & prætereà improbiſſimo, & audaciſſimo ſycophanta, quæ ſunt rectiſſimè è Græco Latinè expreſſa, reprehendi? Ita ſcilicet maledicendi, & calumniandi cupidus eſt natura, vt inſcientiam ſuam, quæ occulta eſſe poterat, ſi taceret, malit omnibus hominibus patefacere quàm ſe ſe à maledictis abſtinere: vt cùm in eadem interpretatione mea Alcinoi Latina reprehendebat illud, *philoſophia, eſt ſapientiæ appetitio*: quæ definitio ita Græcè ab Alcinoo elata eſt. φιλοσοφία, ἐστὶν ὄρεξις σοφίας. Reprehendebat autem hoc modo Hippocrates θώρηξιν dicit eſſe meri potionem vehementem, quare debuit Lambinus dicere, *philoſophia eſt appetitio ſapientiæ vehemens*: exiſtimans θώρηξιν & ὄρεξιν idem eſſe, atque adeò vnam vocem eſſe. Nemo tum fuit paullo eruditior, quin partim miraretur hominis impudentiam, partim indignè ferret ab homine tam indocto eum locum, qui præſtanti mathematico (nam ſucceſſit mathematico) aut certè ſi ordine turbato, & more maiorum neglecto, partes mathematici homini philoſophiam profitenti mandandæ erant docto alicui philoſopho deberetur, maximo iuuentutis detrimento, & peſſimo in poſterum exemplo olim non modò emtum, & occupatum eſſe, ſed etiam nunc retineri. Sed ad Plautum redeamus. Nam alia ſunt huius βδελυροῦ, non ſolum dicta, ſed facta, quæ ſuo loco, ſuóq. tempore in iudicium fortaſſe vocabuntur. QVOT ILLI ADMOVI FABRICAS?] tralatio à re militari, admouentur enim machinæ ad muros vrbium, quæ oppugnantur, & obſidentur, tormentis verberandos. QVOT BLANDITIAS] ſubintell. adhibui, ſeu admoui. IN QVÆSTIONE.] in quærendo, inter quærendum. Licet etiam ſic diſtinguere, quot admoui illi fabricas, quot fallacias in quæſtione? VIX EXCVLPSI.] vix extorſi tandem: vix expreſſi, vt diceret, &c, DARE] daturum eſſe.

## PHANOSTRATA, MELÆNIS. LAMPADISCVS.

AVDIRE vocem viſa ſum ante ædeis modò
Mei Lampadiſci ſerui. LA. non ſurda eſt hera.
Rectè audiuiſti. PH. quid agis hîc? LA. quod gaudeas.
PH. Quid eſt? LA. hinc ex hiſce ædibus paulo prius,
Vidi exeuntem mulierem. PH. illam, quæ meam
Gnatam ſuſtulerat? LA. rem tenes. PH. quid poſtea?
LA. Dico ei quo pacto eam ab Hippodromo viderim,
Herilem filiam noſtram ſuſtollere.
PH. Extimuit tum illa? ME. iam horret corpus, cor ſalit,
Nam mihi ad hippodromo memini afferri paruulam
Puellam, eámque me mihi ſupponere.
PH. Age perge quæſo, animus meus audire expetit,
Vt res geſta ſit. ME. vtinam exaudire non queas.
LA. Pergo. puellam his colloquor dictis: iſtæc anus,
Fortuitò inuentam, ne ſe deſeras, vocat.
Nam illæc tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas,
Ego te reduco, & voco ad diuitias, vbi
Vt collocere in luculentam familiam.

Vnde tibi talenta magna viginti pater A
Det dotis. non enim hîc vbi ex Tuſco modo
Tute tibi indignè dotem quæras corpore.
PH. An amabo meretrix illa eſt, quæ illam ſuſtulit?
LA. Immò meretrix fuit. ſed vt ſit, de ea re eloquar.
Iam perducebam illam ad me ſuadela mea,
Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,
Ne deſerat ſe, eam ſuam eſſe filiam,
Séque eam peperiſſe ſanctè adiurabat mihi.
Iſtanc quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiola ſua.
Et viuit, inquit. vbi ea eſt, inquam extempulò. B
PH. Seruate me Dei, obſecro. ME. at me perditis.
PH. Quo illam dediſſet, exquiſiſſe oportuit.
LA. Quæſiui. & dixit meretrici Melænidi.
ME. Meum elocutus eſt nomen, interij, perij
LA. Vbi locuta eſt, ego continuò anum interrogo,
Vbi habitat, inquam, duc ac demonſtra mihi.
Auecta eſt, inquit, peregrè hinc habitatum. ME. obſipat
Aquulam. LA. quò auecta eſt, eò ſequemur. ſiccine
Agis nugas? periiſti, ni hercle hoc ediſſeris.
Inſtare vſque adeò donec ſe adiurat anus
Iam mihi monſtrare. PH. at eam non miſſam oportuit. C
LA. Seruatur, ſed illæc ſe quandam aiebat mulierem
Suam beniuolentem conuenire etiam prius.
Commune quacum id eſſet ſibi negotium.
Et ſcio venturam. ME. me indicabit, & ſuas
Ad meas miſerias addet. PH. fac me conſciam.
Quid nunc vis facere me? LA. intrò abi, atque animo bono es.
Vir tuus ſi veniet, iube domi opperirier,
Ne in quæſtione mihi ſit, ſi quid eum velim.
Ego ad anum recurro rurſum. PH. Lampadio obſecro, D
Cura. LA. perfectum ego hoc dabo negotium.
PH. Deos, téque ſpero. LA. eoſdem ego: vti abeas domum.
ME. Adoleſcens aſta, atque audi. LA. men' mulier vocas?
ME. Te. LA. quid negotij eſt? nam occupatus ſum ampliter.
ME. Quis iſtic habitat? LA. Demipho dominus meus.
ME. Nempe iſtic eſt, qui Alceſimarcho filiam
Suam deſpondit in diuitias maxumas?
LA. Is ipſuſt. ME. eho tu, quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? LA. ego dicam tibi,
Non ex vxore natam, vxoris filiam.
ME. Quid iſtuc eſt verbi? LA. ex priore muliere

Nata,



A Nata, inquam, meo hero filia eſt. ME. certè modò
Huius, quæ locuta eſt, quærere aiebas filiam.
LA. Huius ego quæro. ME. quo modo igitur obſecro,
Hæc eſt prior, quæ nupta nunc eſt? LA. conteris
Tu tua me oratione mulier quiſquis es.
Medioxumam quam duxit vxorem, ex ea
Nata eſt hæc virgo, Alceſimarcho quæ datur,
Ea vxor diem obiit. ſcis? ME. teneo iſtuc ſatis.
Sed ego illud quæro confragoſum, quo modo
Prior poſterior ſit, poſterior ſit prior?
LA. Prius hanc compreſſit, quàm vxorem duxit domum.
B Prius grauida facta eſt, priuſque peperit filiam.
Eam poſtquam peperit, iuſſit paruam proiici
Ego proieci eam, alia mulier ſuſtulit:
Ego inſpectaui, herus hanc duxit pòſt ibi.
Eam nunc puellam filiam eius quærimus.
Quid nunc ſupina ſic iam cælum conſpicis?
ME. I nunc iam iſtuc quò properabas, nihil moror.
Nunc intellexi. LA. diis hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam credo amitteres.
ME. Nunc mihi bonæ neceſſumſt eſſe ingratiis,
Quanquam eſſe nolo, rem palàm eſſe intelligo.
C Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quàm illæc indicet me. ibo domum
Atque ad parenteis redducam Silenium.

AVDIRE VOCEM VISA SVM, &c.] hoc principium mutuatus eſt, aut ſumſit Terentius à Plauto, in Andria, actus 3. ſcena 2. QVOD GAVDEAS] ago id, propter quod gaudeas. PAVLLÒ PRIÙS] paullò antè. ILLAM, QVAE MEA GNATAM SVSTVL.?] illámne dicis mulierem, quæ meam filiam, Silenium, proiectam & humi iacentem, ſuſtulerat, id eſt, ex humo, ſeu ex terra ſurſum extulerat? AB HIPODROMO] hipodromus, ſpatium, & curriculum, in quo quadrigæ, ſeu equi curribus iuncti currũt. Ordo autem eſt, quo pacto eam viderim ſuſtollere filiam noſtrã ab hipodromo, in quem ſcilicet fuerat puella proiecta, atque expoſita. EXTIMVIT TVM ILLA] extimuítne tum illa, cum iſta dicebas? IAM HORRET CORPVS, &c.] hîc Melænis exauditis ex occulto, quæ dicta ſunt à Lam- D padiſco de puella ab hipodromo ſublata, ſui facinoris ſibi conſcia, horrore perfunditur, & trepidat. COR SALIT:] trepido. cor mihi palpitat ex metu ἡ καρδία πηδᾷ. VT RES GESTA SIT.] quo pacto res geſta ſit. PERGO] pergo tibi narrare, quæ reliqua ſunt. Præclarè autem totus hic locus à me reſtitutus eſt, non ſine librorum noſtrorum ope. PVELLAM HIS COLL. D.] puellam Gymnaſium: quam Lampadiſcus putabat eſſe Silenium. colloquor iunxit cum accuſandi caſu, non inuſitatè. ſuprà in Amphit. *te volo, vxor, colloqui.* In Aſinar. *Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato ſupplicet.* FORTVITÒ INVENTAM] in voce *fortuitò* fit συνίζησις duarum vocalium η & ι. vt ſit trium ſyllabarum duntaxat. vt & in proximo verſu, infrà. *ſuam*, vnius ſyllabæ eſt. NE MATREM CENSEAS] tibi hoc dico, ne eam matrem tuam eſſe exiſtimes. •EGO TE REDVCO] ego te ad tuos parenteis reduco, ego te domum tuam reduco. VT COLLOCERE IN LVCVL. F.] vt nubas viro diuiti, & opulento. vel dic potiùs, vt à Melænide, quam matrem tuam eſſe putas, & ab hac humili, & obſcura domo transferaris in luculentam, & potentem famil. videlicet, tuam, & parentum tuorum. LVCVLENTAM] vel λιπαρὸν οἶκον, opulentam, vel claram, λαμπρὰν, ἐπιφανῆ. TALENTA MAGNA] talenta Attica. ſed de talentis magnis alibi. DOTIS] talenta dotis. vel det talenta dotis nomine. NON ENIM HÎC, VBI EX TVSC.] non enim hîc habitabis, vbi Lydarum, & Tuſcarum more, corpore tuo alienę libidini expoſito, quęſtum facias, & dotem quę-

ras.ſuprà in Curcul.*In Tuſco vico,ibi ſunt homines,qui ipſi ſeſe venditant.* Herodot.lib.1.narrat Lydo- A rum filias, (Lydi autem fineis Etruſcos incoluerunt, & Tyrrheni à Lydis originem traxerunt) omneis eſſe meretrices,& corpore quæſtum facere, hac ratione dotem ſibi comparanteis, Herodoti verba ſunt hæc: τοῦ γὰρ δὴ λυδῶν δήμου αἱ θυγατέρες πορνεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφίσι φέρνας. T.Liuius libro 2.annalium. Tuſcum vicum à Tuſcis ait eſſe dictum,idémque Varro lib. 4.de lingua Latina.qua de re plura legere licet in commentariis Horatian.ad illum locum *Tuſci turba inopia vici*.lib.2.ſat.3. INDIGNÈ] indecorè.Eſt enim indignum,atque indecorum,te tali loco natam, ex corporis quæſtu,& pudicitiæ iactura, dotem comparare. IMMÒ MERETRIX FVIT] immò fuit. nunc non eſt,quia anus eſt.SED VT SIT, DE EA RE EL.] ſed quomodo res tota ſeſe habeat,eloquar. AD ME] ad id, quod volebam. ad ſententiam meam. SVADELA MEA] eloquentia mea. ſermone meo ad perſuadendum accommodato.Horat.epiſt.6.lib.1.*Ac bene nummatum decorat ſuadela,Venúſque.* ANVS EI AMPLEXA'ST GEN.] quod faciebant qui ſupplicabant. Virgil.Æneid.3.*Dixerat: & genua amplexus,genibúſque volutans Hærebat*,&c.hac de re plura legere licebit,ſi quis volet,in commentariis Horatianis ad illum locum, *Deme ſupercilio nubem*,&c.epiſt.ad Lollium 2.libr.1. SANCTÈ ADIVRABAT MIHI] ſanctè iurabat.Ex hoc loco falſum eſſe colligitur,quod aiunt Grammatici quidam, in his Seruius, iurare tunc locum habere cùm aliquid promittimus nos facturos, aut confirma- B mus: adiurare verò,cùm negamus: vt Terent.in Hecyra,ſanctè adiurat,*Non poſſe apud vos ſe Pamphilo abſente perdurare.* SERVATE ME DEI, OBS.] ô dij, obſecro, ſeruate me. Deos implorat,Phanoſtrata anxia,inter ſpem,& metum.Sperat enim ſe filiam amiſſam recuperaturam: metuit,ne ſecus eueniat. AT ME PERDITIS] hæc dicuntur à Melænide,ſatis intelligente, facinus ſuum de filiæ ſuppoſitione, eſſe patefactum, & Silenium ſuis propinquis eſſe reddendam. ET DIXIT MERETRICI MELÆN.] & dixit anus illa non nominata, ſe dediſſe filiam tuam Melænidi. ANVM] lenam illam, non nominatam, matrem Gymnaſij habitam. VBI HABITAT?] Melænis. DVC,] duc me ad eam,aut domum illius. OBSIPAT AQVVLAM] aliquantum animi amiſſi mihi reddit. aliquantum me reficit, & recreat. tractum ab iis, qui animo defectos, & pœnè exanimatos aqua adſperſa recreant, & in integrum reſtituunt.ſuprà in Amphitr.*væ miſeræ mihi. Animo male'ſt.aquam velim: corrupta ſum, atque abſumta ſum.* Idem Bacchid.*euax.adſperſiſti aquam.Benéne vſque valuit?* Idem in Mil.glor.*poſtquam abs te abit,animo malè Factum'ſt huic repente miſeræ.* PY.*accurrite intrò,atque afferte aquam.* Inſipare,inquit Feſtus,inijcere eſt.Idem docet ſipare,eſſe iacere.vnde diſſipat,inquit,diſijcit: & obſipat,obijcit: & inſipat, inijcit. Vtitur & Cato hoc verbo,non ſemel: & obſipare pullis eſcam, dicere ſolebant ruſtici, pro obijcere. C Hæc autem loquitur Melænis ex occulto loco: neque cernitur à Lampadiſco, & à Phanoſtrata,neque loquens auditur. INSTARE VSQ.] ego vſque eò inſtabam, ſeu inſtare cœpi,donec anus adiurauit ſe iam mihi monſtraturam. AT EAM NON MISS. OP.] at non oportuit eam abs te dimiſſam.at non debuiſti eam dimittere. SERVATVR] non eſt elapſa è manibus noſtris. adhuc à nobis cuſtoditur. adhuc ſub cuſtodia noſtra eſt. SED ILLHÆC,&c.] in voce illhæc,ſeu illæc,vnum l.eliditur. SVAM BENEVOLENTEM] ſibi beneuolam,ſeu ſuam amicam.*beneuolens*,hîc nomen ſubſtantiuum eſt.ſic & alibi,vt ſuprà in Capt. *Omnium primùm ſalutem dicito matri,ac patri, Et cognatis, & ſi quem alium beneuolentem videris.* CONVENIRE] ſubintell.velle,vel potiùs *conuenire* poſitum pro conuenturam eſſe: vt ſuprà non longè. *monſtrare* pro monſtraturam. FAC ME CONSCIAM.] fac me participem omnium, quæ ex illa audies,& cognoſces. ANIMO BONO ES.] es.imperatiui modi eſt. NE IN QVÆSTIONE MIHI SIT, &c.] ne mihi quærendus ſit.ſic ſæpè loquitur, vt in Caſina. *Sed tu caue in quæſtione mihi ſis.* In Pſeud.*Sed vide ſis,ne in quæſtione ſis,quando arceſſam,mihi.* DEÓSQ. TÉQVE SPERO.] in diis,& in te ſpem collocatam habeo.ſic loquitur in Caſina *dijs ſum fretus.deos ſperauimus.* & in Mil.glor. *deos ſperabo, téque poſtremò tamen.* EOSDEM EGO] ego in eiſ- D dem ſpem meam poſitam habeo. iiſdem fretus ſum. VTI ABEAS DOMVM] fac vti abeas domum.vel coniunge hæc cum ſuperioribus,hoc modo. ego in eiſdem ſpes meas repoſitas habeo,ita vt ſecura,quod ad hanc rem attinet,domum abire poſſis, ADOLESCENS ADSTA] Nunc Melænis,poſtquàm Phanoſtrata domum introiuit, emergit ex latebra, & ſe conſpiciendam præbet Lampadiſco,à quo antea non cernebatur. AMPLITER] multùm. valdè. FILIAM SVAM,&c.] ex alia vxore ſuſceptam,quæ hîc non nominatur. NON EX VXORE FIL. VX. FIL.] ænigma, quod ſic declaratur. Demipho duas duxit vxores, vnam Lemniam,eámque priorem,quæ hîc non nominatur: alteram Sycioniam, Phanoſtratam, poſteriorem: ex qua tamen antè compreſſa filiam ſuſceperat,Silenium nomine: quæ proiecta fuerat, & nunc quæritatur. his cognitis,ænigma diſſoluitur,ac declaratur.quæritat enim Lampadiſcus filiam,natam ex Phanoſtrata, quæ tum non erat vxor,cùm à Demiphone grauida facta eſt: & ita quæritat filiã non ex vxore Demiphonis natam.rurſum quæritant puellam, vxoris filiam, quia nunc Phanoſtrata,Demiphonis iuſta vxor eſt. QVID ISTVC VERBI'ST?] proinde ac ſi dicat, ἀνίγματα loqueris. EX PRIORE MVL.] ex priore vxore,Lemnia.Hæc enim fuit vxor Demiphonis prior: quamuis eam priorem grauidam non fecerit. vel dic ex priore muliere ſcilicet Phanoſtrata: quam priorem compreſſit Demipho, quamuis eam poſteriorem vxorem duxerit.



A duxerit. HVIVS QVÆ LOCVTA'ST.] Phanoſtratæ, quæ paullo antè tecum locuta eſt,&c. HVIVS EGO QVAERO.] al.huius ergo quæro. QVAE NVPTA NVNC EST.] cùm Lemnia demum vxore mortua,Demiphoni nupſerit? QVISQVIS ES.] quęcumque es. MEDIOXVMAM, QVAM DVXIT VXOREM,&c.] ordo eſt,ex ea muliere quam Demipho medioxumam id eſt,mediam duxit vxorem, nata eſt hæc puella,quam deſpondit pater Alceſimarcho. Medioxuma autẽ id eſt,media appellatur Lemnia illa mulier, quàm priore loco vxorem duxit,quia eam poſt compreſſam à ſe Phanoſtratam,vxorem duxit. cogitandæ enim ſunt hîc quodammodo ternæ nuptiæ: primæ,cùm Phanoſtratam nondum ſibi nuptam compreſſit: alteræ,cùm Lemniam vxorem duxit: Tertiæ,cùm Phanoſtratam, quam olim cõpreſſerat, vxorem duxit. Et Phanoſtrata quodammodo bis nupſiſſe intelligenda eſt,ſemel cùm à Demiphone ebrio,per Dionyſia compreſſa eſt: iterum cum iuſtis nuptiis cum eo coniuncta eſt. SED EGO ILLVD QVAERO CONFRAGOSVM, &c.] id eſt,ſed ego illud ex te quæro, difficile, & aſperum, & impeditum. tranſlatio eſt. ſic tranſlatè dixit in Menech. *conditiones tortas, confragoſas.* Nam confragoſus locus propriè dicitur,qui eſt inæqualis,ſalebroſus, ſcrupoſus, ſaxoſus. PRIVS HANC COMPR.] hanc Phanoſtratam, &c. QVÀM VXOREM D.D.] quam Lemniam illam mulierem,vxorem duxit domum. vxorem duxit domum,plena locutio. Nam B interdum, vox *domum* omittitur. PRIVS GRAVIDA F.] Phanoſtrata prius grauida facta eſt,quàm Lemnia vxor. ALIA MVLIER.] Lena illa multibiba,non nominata. HERVS Demipho. HANC.] Sicyoniam, Phanoſtratam poſtea vxorẽ duxit. EAM NVNC PVELLAM.] nunc eam puellam,quæ ex Phanoſtrata nata eſt,antequam Demiphoni nuberet,quærimus. QVID NVNC SVPINA, &c.] quid nunc ſublatis in cœlum oculis, & corpore reſupinato miraris,& ſtupes? expreſſit geſtum aliquid nouum,atque inopinatum mirantiũ. ſolent enim, qui aliquid admirantur, & qui Deos precantur,oculos, & interdum manus in cœlum tollere. Notauimus in commentariis Horatianis. SIC IAM COELVM CONSP.] nonnulli libri veteres habent.*ſus iam cœlum conſp.* fortaſſe non male.ſus enim & ſuſſum, valet ſurſum. DIIS HERCLE HABEO GRA.] ironia eſt. NAM NI INTELLEXES.] nam niſi intellexiſſes,nunquam me dimiſiſſes: ſed me valde occupatum,& aliò properantem morata eſſes, & hîc retinuiſſes. INGRATIIS.] velim nolim, ſiue hoc mihi gratũ ſit ſiue ingratum. REM PALAM ESSE INTELL.] intelligo ſuppoſitionem partus,&c.quæ ad Silenij nataleis,ac propinquos pertinent,eſſe patefacta. NVNC EGOMET POTIVS HANC IN.] id eſt,ego ipſa potius bene merebor de Silenij parentibus, quàm patiar Lenam illam rem indicare: quo fa- C cto,nullam mihi Silenij parentes gratiam deberent.

## MELÆNIS, ALCESIMARCHVS, SILENIVM.

REm elocuta ſum tibi omnem, ſequere me mea Silenium:
Vt eorum quoiam eſſe oportet te, ſis potius quàm mea.
Quanquam inuita te carebo,animum ego inducam tamen,
Vt illud, quod tuam in rem bene conducat, conſulam.
Nam hic crepundia inſunt,quibus cum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit,parentes te vt cognoſcant facilius.
D Accipe hanc ciſtellam Haliſca,agedum pulta illas foreis.
Dic me orare, vt aliquis intus prodeat.propera ocyus.
AL. Recipe me ad te mors,amicum & beneuolum. SI. mater mea,
Perimus miſeræ. AL. vtrum hàc mi feriam,an ab læua latus?
ME. Quid tibi eſt? SI. Alceſimarchũ non vides ferrum tenentẽ manu?
AL. Ecquid agis? remorare? lumen linque. SI. amabo accurrite,
Ne ſe interimat. AL. ô ſalute mea ſalus ſalubrior.
Tu nunc ſiue ego volo,ſeu nolo ſola me vt viuam facis.
ME. Hau voluiſti iſtuc ſeuerum facere? AL. nihil mecum tibi,
Mortuus tibi ſum: hanc vt habeo, certum eſt non amittere.
Nam hercle iam ad me agglutinandam totam decretum eſt dare.
Vbi eſtis ſerui? occludite ædeis peſſulis,repagulis,

Vbi hanc ego tetulero intra limen. M E. abiit, abſtulit A
Mulierem: ibo perſequar iam illum intrò, vt hæc ex me ſciat:
Eadem ſic poſſum tranquillum facere ex irato mihi.

REM ELOCVTA SVM T. OM.] intelligit ex his, quæ dicuntur in proſcenio, ſpectator, ſeu auditor, Melænidem intus Silenium edocuiſſe, ex quibus parentibus nata ſit: non enim eſſe ſuam filiam. Itaque in hac fabulæ parte eſt ἀναγνωρισμός. VT EORVM, QVOIAM.] vt tuorum parentum verorum ſis filia potius, quàm mea: quæ non ſum tua mater. ANIMVM IND. TAMEN, &c.] ego tamen à me impetrabo, vt te reddam tuis. ego tamen mihi perſuadebo, vt te reddam tuis. NAM HÎC CREPVNDIA INS.] id eſt, nam in hac ciſtella crepundia inſunt, ex quibus cognoſceris Demiphonis, & Phanoſtratæ filia. A ciſtella autem, quæ paruam capſellam ſignificat, dicta eſt hæc fabula: Ciſtellaria. Porro crepundia, quæ alio nomine, vnius tamen originis crepitacula dicuntur à crepando ſunt appellata: Neque repugnat ea, quæ ſcribit Plinius lib. XI. vbi narrat, ſemeſtrem locutum eſſe Crœſi filium in crepundiis. Ex quibus verbis putant quidam, crepundia idem valere, quod cunas, ſed falluntur. Non B enim dicit Plinius, Crœſi filium in cunis eſſe locutum, ſed eo tempore eſſe locutum, quo tempore crepundiis vtebatur, id eſt ætatula prima. Solebant autem veteres liberos amiſſos cùm ex aliis multis notis, ac ſignis, tum etiam ex crepundiis agnoſcere: quod Comici & Tragici poëtæ, veritatis imitatores, in fabulis adumbrare ſolet. Ex quo illud M. Tullij in Bruto. *Nunc quoniam totum me non næuo aliquo, aut crepundiis, ſed corpore omni videris velle cognoſcere*, &c. PVLTA ILLAS FOREIS.] pulſa illas foreis, pultare dicebant veteres pro pulſare, vt mertare, pro merſare, & ſimil. INTVS PRODEAT.] domo foras prodeat. intus aduerbium ſignificat, & quietem in loco, & motum ex loco ad locum. PROPERA OCYVS.) propera ocyus pultare. nonnulli libri habent *properè ocyus*. non placet. RECIPE ME AD TE M.] hic Alceſimarchus inducitur eorum, quæ acciderunt, ignarus, & ſibi Silenio carendũ eſſe exiſtimãs, ſibi manus afferre, & mortem cõciſcere volens. quo ſpectaculo territæ Lena, & Silenium, rem inceptam paulliſper intermittũt, & prohibere ne ſe interimat, conantur. O mors igitur, inquit Alceſimarchus, recipe me ad te iamiam moriturum ſcilicet. VTRVM HAC MI FERIAM, &c.] vtrũ hac parte dextra latus transfodiam, an læua? ECQVID AGIS.] Verba ſunt Alceſimarchi, ſe ipſum increpantis, & obiurgantis. quòd cunctetur ſe ferro confodere. Ecquid agis? inquit, id eſt, nunquid agis, quod agis, non properas te occidere? REMORARE?] an cunctaris? an moraris? Sic C Europa apud Horatium oda. 27. lib. 3. *impudens orcum moror*. LVMEN LINQVE.] relinque lucem, id eſt, vitam. mórere. ACCVRRITE, NE SE, &c.] implorat opem Ciuium, vt Alſimarchum ſibi vim inferre parantem, coerceant. SALVBRIOR.] ὑγιεινοτέρα. hyperbol. quid enim ſalute ſalubrius eſſe poteſt? Iã ſalubre ſignificationẽ habet ἐνεργητικὴν, vt cum dicimus ſalubre cœlum, locum ſalubrem, cibum ſalubrem, quia ad valetudinem, & ſalutem conferunt: vel quia in eis cauſa ineſt valetudinis, & ſalutis. SOLA ME VT VIVAM, F.] ſola me viuere facis: ſola, vt ego viuam facis. ISTVC SEVERVM F.] iſtuc ſeuerum, id eſt, iſtuc triſte, atrox, crudele, implacidum. Nonius, ſic apud Lucret. *ſeuera pelage, ſeu pelagi*. lib. 5. apud Virgilium lib. 3. Georgicôn. *amnémque ſeuerum Cocyti metuet*. Sic idem Plautus in Trin. Neptunum ſeuerum, ſæuum & auidis moribus dicit. Dixit autem iſtuc ſeuerum facere, pro, te interimere καθ' εὐφημισμόν. NIHIL MECVM. T.] nihil mihi rei tecum eſt, Melænis. CERTVM EST NON AMITTERE.] decretum eſt, non dimittere è manibus Silenium. NAM HERCLÈ IAM AD ME AGGL. &c.] nam deliberatum eſt mihi, eam dare totam ad me agglutinandam, hoc eſt, eam totam ad me agglutinare: quod valet, eam totam mihi ſic adiungere, vt tanquam agglutinata mihi adhæreſcat. OCCLVDITE AEDEIS PESS. REP.] peſſuli occluD deuntur fores intus, vt ex illo Terentij intelligere licet, in Heautontim. *Anus quædam prodit. hæc vbi aperuit oſtium, Continuò hic ſe coniecit intrò. ego conſequor. Anus obdit foribus peſſulum.* Idem in Eunucho, *& ſimul alia circumſpecto, Satin' explorata ſint. video eſſe. peſſulum oſtio obdo.* Suprà in Curcul. *Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto libens.* ad quem locum plura de peſſulis. etiam repagulis occludebantur fores ab interiore parte, atque ea erant peſſulis validiora, & maiora, itaque iis claudebantur maiores ianuæ, maioréſque fores, ſeu potius valuæ templorum, & magnarum ædium. Mar. Tull. lib. 4. accuſ. *Poſtea conuulſis repagulis, effractiſque valuis*. Idẽ lib. 5. *Vt earũ rerũ vi, & auctoritate omnia repagula iuris, pudoris, & officij perfringeres.* Idem lib. 3. de Nat. Deor. Ex quodã poeta tragico fortaſſe Accio in Medæa. *Ille tranſuerſa mente mihi hodie tradidit repagula, quibus ego iram omnem recludam atque illi perniciem dabo.* TETVLERO.] tetulero, pro, tulero antiquè. Cœcilius, hyperbol. *ærumnam pariter tetuliſti meam.* Plautus in Moſtel. *quia ſeptem menſes ſunt, cùm in haſce ædeis pedem Nemo intrò tetulit.* Idem in Menæchmis. *Condiciones tetuli tortas, confragoſas*, &c. EADEM SIC POSSVM TRANQ. F.] eadem ratione, ſeu eadem opera poſſum eum lenire, & placare iratum.

ACTVS



# A ACTVS QVARTVS.

LAMPADISCVS ſeruus, PHANOSTRATA mulier.

NVLLAM ego me vidiſſe credo magis anũ
excruciabilem,
Quàm illæc eſt, quæ dudum faſſa'ſt mihi. quæ ne infitias eat?
Sed eccam heram video, ſed quid hoc eſt,
hæc quòd ciſtella hîc iacet
B Cum crepundiis? nec quenquam conſpicor alium in via?
Faciundum eſt puerile officium, conquiniſcam ad ciſtulam.
PH. Quid agis Lampadio? LA. hæc ciſtella númnam hinc à nobis domo'ſt?
Nam hinc ab oſtio iacentem ſuſtuli. PH. quid nuntias
Super anu? LA. ſceleſtiorem in terra nullam eſſe alteram.
Omnia infitias ire ea quæ dudum confeſſa eſt mihi?
Nam hercle ego illam anum irridere me vt ſinam? ſatius eſt mihi,
Quouis exitio interire. PH. di obſecro voſtram fidem.
C LA. Quid deos obſecras? PH. ſeruate nos. LA. quid eſt? PH. crepundia
Hæc ſunt, quibuſcum tu extuliſti noſtram filiolam ad necem.
LA. Sanáne es? PH. hæc ſunt profectò. LA. pergin? PH. hæc ſunt. LA. ſi mihi
Alia mulier iſtoc pacto dicat, dicam eſſe ebriam,
PH. Non ecaſtor falſa memoro. nam obſecro vnde hæc gentium?
Aut quis deus obiecit hanc ante oſtium noſtrum? quaſi
Dedita opera in tempore ipſo, ſpes mihi ſancta ſúbuenit.

D MAGIS ANVM EXCRVCIABILEM,] anum cruciatu digniorem. παθητικῶς. Licet etiam ſic interpretari, magis excruciabilem, ἐνεργητικῶς quæ me magis excruciet. ſed ego priore modo mâlo. QVAE DVDVM FASSA'ST. M.] quæ dudum confeſſa eſt mihi ſe puellam herilem ſuſtuliſſe, & Melænidi dediſſe. QVAE NE INFITIAS EAT?] nonné eſt quouis cruciatu digniſſima, quæ infitietur quod mihi faſſa eſt? ſic locus explicandus eſt, ſi cum interrogationis nota ſcribatur, vt videtur ſcribendus, propter particulam, ne: verumtamen licet fortaſſe etiam ſic explicare, vt, ne, poſitum intelligamus ornatus cauſa, quo modo apud Horatium, non ſemel. Locum vnum indicabo. Sat. x. lib. I. *O ſeri ſtudiorum, quine putetis Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit.* ad quem locum plura. Omnino priore modo mâlo. ALIVM] pręter me. FACIVNDVM EST PVERILE OFFICIVM.] cacandum. ſit honos aurib. CONQVINISCAM AD CIST.] inclinibor, vt ventrem leuem, ſeu exonerem. ſic Nonius in verbo conquiniſco. vbi hunc verſum profert & alterum ex Pſeudolo: *Si conquiniſcet iſtic, conquiniſcito*. ſic autem legendum apud Nonium, hoc loco corruptum. videtur autem hoc verbum tractum ex Gręco verbo κινεῖν vnde verbum iunctum προσκυνεῖν: quod valet, corpore inflexo, & incuruato venerari: vel ἀπὸ τοῦ κοινεῖν. vnde inquinare. Quidam, in his Auratus, & Boſius, exiſtimant, hoc verbum eſſe corruptum & apud Plautum, & apud Nonium, & ſcribendum, *conclinıſcam*. ab indicatiuo pręſenti concliniſco. A NOBIS DOMO'ST?] pleonaſmus. nam ſatis erat alte-

rum.nunquid hæc ciſtella à nobis eſt?vel numquid hęc ciſtella domo,id eſt à domo noſtra eſt? A IACENTEM SVSTVLI.] non potuit magis propriè dici. nã quę iacent, propriè tolli, ſiue ſuſtolli dicuntur,cùm è terra ſumuntur,& feruntur. QVID NVNTIAS SVPER ANV?] Phanoſtrata nihil reſpondet ad interrogatum de ciſtella, ſed quęrit de anu:quòd hęc cura magis illam ſollicitabat, & quòd in eam curam intenta, minus ad ciſtellam animum attendebat. OMNIA INFITIAS IRE, QVAE,&c.] oratio pręciſa,& in qua aliquid ſubintelligendum.qualis eſſe ſtomachantium,& indignantium ſermo ſolet. ferendúmne eſt? verúmne eſt? omnia infitias ire,id eſt omnia infitiari. NAM HERCLE EGO ILLAM ANVM,&c]. Alter ſermo præciſus,qui ſic integer & plenus eſſet, Nam hercle ego itáne ignauus, & nequam ſim,vt ſinam illam anum me irridere? SATIVS EST MIHI QVOVIS, &c.] optabilius eſt,ſeu melius eſt mihi quouis exitio perire.Sic Terent. Eun. *Mori me malim.* EXTVLISTI NOSTRAM FILIAM AD NECEM.] expoſuiſti & proieciſti,vt necari poſſet,ſi fortè ita caderet. ALIA MVLIER] alia,quàm tu, quæ mater es, & cui ea crepundia quibuscum filiam tuam expoſui, nota eſſe credibile eſt. NON ÆCASTOR FALSA MEMORO] non falſa dico.quidam libri habẽt.Non æc.caſſa memoro. NAM,OBSECRO,VNDè HÆC G.] *ἀναστροφή.nam vnde*, pro vnde nam.vnde gentium autem ſic dictum,vt vbîque gentium,vbíq. locorum,&c. HAEC] ciſtella. DEDITA OPERA] de induſtria. SPES MIHI SANCTA.S.] ſpes diua:ſpes,vt dea,religioſè,& ſanctè nobis veneranda & colenda. Spem à Calatino Romæ fuiſſe conſecratam teſtatur M.Tull.lib.2.de Legib. B

## HALISCA ancilla, LAMPADISCVS ſeruus, PHANOSTRATA mulier.

HA. NIsi quid mihi opis
Di dant, diſperij,neque vnde auxilium expetam,habeo.
Itaque petulantia mea me animi miſeram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat,malè formido:
Si hera mea ſciat,tam ſocordem eſſe,quàm ſum
Quámne in manibus tenui,atque accepi hîc ante ædeis
Ciſtellam:vbi ea ſit,neſcio?niſi,vt opinor, C
Loca hæc circiter excidit mihi.mi homines,
Mi ſpectatores facite indicium,ſi quis
Vidit,ſi quis eam abſtulerit,quiſue
Suſtulerit,& vtrum hàc,an illàc iter inſtiterit.
Non ſum inſcitior, quæ hos rogem,aut quæ fatigem,
Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes?
Nunc veſtigia ſi quæ ſunt,noſcitabo.
Nam ſi nemo hàc prætcrijt,poſtquam intrò abij,
Ciſtella hic iacêret.quid?hîc perijt opinor,
Actum eſt,ilicet.me infelicem & ſceleſtam D
Nulla'ſt, neque ego ſum vſquam. perdita perdidit me.
Sed pergam vt cœpi tamen,quæritabo.
Nam & intus paueo,& foris formido,ita nunc
Vtrobique me metus agitat.illo ſunt homines miſerè
Miſeri.ille nunc lætus eſt,quiſquis eſt,qui illam habet.
Quæ neque illa illi quicquam vſui'ſt, mihi eſſe poteſt.
Sed memet moror,quum hoc ago ſocordius.
Haliſca hoc age,ad terram adſpice,& diſpice,
Oculis inueſtigans aſtutè augura. LA. hera.
PH. Hem,quid eſt? LA. hæc eſt. PH. quis? LA. qoi hæc excidit ciſtella.





A Certè eccum locum ſignat,vbi ea éxcidit. PH. appâret,
HA. Sed is hàc iit,hàc ſocci video veſtigium
In puluere:perſequar hàc.in hoc iam loco cum altero
Conſtitit.hîc meis turba oculis modò ſe obiecit.
Neque prorſum ij hàc:hîc ſtetit:hinc illuc exiit:hîc
Concilium fuit.ad duos attinet.hi qui ſunt?
Atat ſingulûm video veſtigium.ſed is hàc abiit.
Contemplabor.hinc huc iit,hinc nuſquam abiit.
Actam rem ago.quod periit,periit.meum corium,
Ciſtella,redeo intrò. PH. Mulier mane,ſunt
Qui volunt te conuentam. HA. quis me reuocat?
B LA. Bona fœmina,& malus maſculus volunt te. HA. poſtremò ille
Plus qui vocat,ſcit quòd velit,quàm ego, quæ vocor. reuertor.
Ecquem vidiſti quærere hîc,amabo,in hac regione
Ciſtellam cum crepundiis,quam ego hîc amiſi miſera?
Nam dudum vt accurrimus ad Alceſimarchum,ne ſuam vitam
Interimeret,tum mihi puto præ timore hîc excidiſſe
Ciſtellam. LA. hæc mulier noſtra eſt. quin operam damus hera parumper?
HA. Diſperij miſera.quid ego heræ meæ dicam,quę me opere tanto
Seruare iuſſit,quî ſuos Silenium parenteis
Faciliùs poſſet noſcere?quæ herę meæ ſuppoſita eſt parua:
C Quam quędam meretrix ei dedit. LA. noſtram hæc rẽ fabulatur,
Hanc ſcire oportet filia tua vbi ſit,ſigna vt dicit.
HA. Nunc eam volt ſuæ matri & patri,quib. nata eſt,reddere vltrò,
Mi homo obſecro alias res geris:ego tibi meas res mando.
LA. Iſtuc ago,atque iſtic mihi cibus eſt,quod fabulare.
Sed inter rem iſtam agendam, heræ huic reſpondi quod rogabat.
Nunc ad te redeo.ſi quid eſt opus,dic,impera & tu.
Quid quæritabas? HA. mi homo,& mea mulier vos ſaluto.
PH. Et nos te.ſed quid quæritas? HA. veſtigium hîc requiro,
Quà aufûgit quædã neſcio quò mihi. PH. quid id?quid id nã eſt?
D HA. Alienum quod damnum afferat,& mœrorem familiarem.
LA. Mala merx,hera,hęc,& callida eſt. PH. ecaſtor ita videtur.
LA. Imitatur nequam beſtiam,& damnificam. PH. quámnã amabo?
LA. Inuoluolum:quæ in pampini folio intorta,implicat ſe,
Itidem hęc exorditur ſibi intortam hic orationem.
Quid quęritas? HA. ciſtellam,hîc mihi,adoleſcens,euolauit.
LA. In caueam latam oportuit. HA. non edepol pręda magna.
LA. Mirum quin grex venalium in ciſtella infuerit vnà.
PH. Sine dicat. LA. ſi dicat quidem. PH. age loquere tu quid ibi infuerit.
HA. Crepundia vnà. LA. eſt quidam homo,qui illã ait ſe ſcire vbi ſit.
HA. At pol ille à quadam muliere,ſi eam monſtret,gratiam ineat.

LA. At ſibi ille quidam volt dari mercedem. HA. at pol illa quædã, A
Quæ illam ciſtellam perdidit, cuidam negat eſſe quod det.
LA. At enim ille quidam argentum expetit. HA. at nequicquam argentum expetit.
LA. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita eſt.
PH. Commoda loquelam tuam. tibi nunc prodimus & confitemur
Ciſtellam habere. HA. at vos ſalus ſeruaſſit. vbi ea nunc eſt?
PH. Saluam eccam. ſed ego rem meam magnam confabulari
Tecum volo: ſociam te mihi adopto ad meam ſalutem
HA. Quid iſtuc negotij eſt? aut quis es? PH. ego ſum illius mater,
Quæ hæc geſtitauit. HA. hiccine tu ergo habitas? PH. ariolare.
Sed quæſo ambages mulier mitte, atque hoc age, B
Eloquere: vnde hæc ſunt tibi citò crepundia?
HA. Mea hæc herilis geſtitauit filia.
LA. Mentiris. nam mea geſtitauit, non tua.
PH. Ne obloquere. LA. taceo: PH. mulier perge dicere,
Vbi ea eſt, quæ geſtitauit? HA. hic in proximo.
PH. Iſtic quidam edepol mei habitat viri gener.
Adhinnire equulam poſſim ego hanc
Si detur ſola ſoli.
Nam ita muſtulentus æſtus nareis attigit
PH. Ne obloquere rurſus perge porrò dicere.
Quot annos nata dicitur? HA. ſeptem & decem. C
PH. Mea eſt. LA. ea eſt, vt numerus annorum attulit.
HA. Quod quærebas, reperiſti: iam quæro meam.
Pol hæ ſuas nactæ ſunt, quæro tertiam.
PH. Quod quæritabam, filiam inuêni meam.
HA. Æquum eſt tenere, per fidem quod creditum eſt.
Ne bene merenti ſit malo benignitas.
Noſtra hæc alumna eſt tua profectò filia.
Et reddítura hera eſt tibi tuam, & ea gratia
Domo profecta eſt: cæterùm ex ipſa obſecro
Exquiritote, ego ſerua ſum. PH. æquum poſtulas. D
Illius ego iſtanc eſſe malo gratiam.
HA. Sed iſtanc ciſtellam te obſecro vt reddas mihi.
PH. Quid ſit Lampadio? LA. quod tuum eſt, teneas tuum.
PH. At me huius miſeret. LA. ſic faciundum cenſeo.
PH. Da ciſtellam tu. & intrò abi cum iſtac ſimul.
LA. Tibi auſcultabo. tene tu ciſtellam tibi.
Abeamus intrò. ſed quod nomen eſt tuæ
Dominæ? HA. Melænis. PH. i præ, iam ego te ſequar.

DISPERII] prorſus & planè, ſeu valde perij. diſperire plus eſt, quàm perire, vt diſpudet, diſtædet, dilaudo, & ſimil. plus ſunt quàm pudet, tædet, laudo, &c. PETVLANTIA M.] petulentia dicta eſt à petẽdo, vt docet M. Tull. lib. 4. de Rep. teſte Nonio. petulentiã hîc accipio pro laſciuia, leuitate, inconſtantia, & mobilitate hominis multas res vno, eodémq; tẽpore agentis, &



A tis, & indecorè geſticulantis. ME ANIMI MISERAM HABET] me ægritudine animi afficit. QVÆ IN TERG. MEVM NE VEN.] quæ petulantia ne in tergũ meum recîdat, & redundet, valde metuo. vel ſic, valde metuo, ne mea petulantia cauſa ſit, cur virgæ in tergũ meum ſint petulantes, & laſciuæ. vel ſic, miſerè metuo, ne vt ſum, & fui petulans, ita meũ tergũ virgis, aut verberibus petatur. TAM SOCORDEM ESSE, Q. S.] me tam negligentem, tam incogitantem, ſeu, vt alibi loquitur, incogitabilem eſſe, quàm ſum. QVÁMNE IN MANIB. TENVI, ATQVE ACC. &c.] videntur hæc legenda cum interrogatione, hac ſententia. Egóne neſcio, vbi ea ciſtella ſit, quam ego in manib. tenui, & hîc ante ędeis ab hera mea accepi? Licet & interrogationis notã poſt vocem *ciſtellam*, locare hoc modo. Egóne ciſtellã, ſubiitell. amiſi, quã ego in manib. tenui, & hîc ante ædeis ab hera mea accepi? VBI EA SIT, NESCIO? NISI VT OPINOR, &c.] ſi nota interrogationis locetur, poſt verbum neſcio, quo modo mihi videtur, iterandum erit idem verbum, hoc pacto, neſcio, inquam: niſi mihi circiter hæc loca excidit. *Loca hæc circiter*, ἀναστροφή, MI HOMINES] vel *mi* pro *mei*, poſitum: vel *mi* dandi caſus eſt, & cohærere debet cum, facite indicium. MI SPECTATORES. F. IND.] ſpectatores mihi indicate, &c. ITER INSTITERIT] iter ingreſſus ſit. Sic dixit in Milite glor. *erro quam inſiſtas viã*. NON SVM INSCITIOR, QVÆ, &c.] vel inſcitior poſitum pro poſitiuo, *inſcita*, ſenſu plano, mi-
B niméque obſcuro: vel propriè hac ſententia, nónne tanto inſcitior, id eſt, ſtultior ſum, quàm fui ſcilicet, vel quam eram, quæ hos rogem, aut obtundam, qui ſemper delectantur malo, & incommodo muliebri. noſtros autẽ libros veteres ſecutus ſum, qui omnes ad vnum habent inſcitior, vt vulgati. Nam Camerarius edidit *ſcitior*. quod ſi quis probabit, εἰρωνικῶς erit accipiendum, & ſcitior pro ſcita. AVT QVAE FATIGEM,] mea rogatione, meíſque precib. ſcilicet. Horat. Oda. 2. lib. 1. *prece qua fatigent Virgines ſanctæ minus audientem Carmina Veſtam?* QVI SEMPER M. MVL. S. LIB.] qui ſemper malo muliebri lætantur, ſeu delectantur? vel qui ſemper mulierib. in ſuis malis inſultant? SI QVAE SVNT,] lego, *ſi qua ſunt*. NOSCITABO.] exquiram: cognoſcere ſtudebo. eorum, qui hâc iter fecerunt, veſtigia perſequar. NAM SI NEMO HÂC PRAETERIIT, &c.] id eſt, nam, ſi nemo hâc præteriiſſet, &c. ILICET.] ſic in Amphitr. *Ilicet mandata heri perierunt vnà & Soſia*. ad quem locum de hac voce plura. ME INFELICEM, ET SCEL.] O me infœlicem & ſceleratam. NVLLA'ST.] ciſtella non eſt hîc vlla. PERDITA PERDIDIT ME.] ciſtella perdita perdidit me. NAM ET INTVS PAVEO, ET F. F.] id eſt, nã & domi, ſeu à domo paueo, propterea quod mihi domi imminent verbera, & foris formido, quia hîc ciſtellã non reperio, quam amiſi. ILLO SVNT HOMINES MISERI, &c.]
C homines miſerabilem in modum miſeri ſunt ob metum. *illo*, nempe *metu*. hoc eſt, ob metum, ſeu ex metu. QVÆ NEQVE ILLA ILLI, &c.] quæ illi quidem vſui non eſt: mihi verò vſui eſſe poteſt. vel ſic, quæ nulla in re, vel nulla ex parte illi vſui eſt, mihi vſui eſſe poteſt. neq. quidquam, id eſt, nec vlla ex parte: ne vlla quidẽ in rę, οὐδέν pronomen *illa* autem, ſuperuacaneum eſt. ſed muliebris ſermo exprimitur. SOCORDIÙS.] negligentiùs, remiſſiùs. HOC AGE] ſe ipſa hortatur. hoc age, inquit, id eſt, in hoc negotium tota incumbe: tota in hoc eſto: tuã omnem curam, atque operam huc confer. AD TERRAM ADSPICE ET DISPICE.] alludit ad auſpicum, & augurum morem: qui in cælum, ſeu cæli templa ad ſpectum conferebant: & accuratè hanc & illam cœli partem contemplabantur. imitare inquit, augures, & auſpices: & vt illi ad cælum, ita tu ad terram oculos adiice, & contende: & omneis terræ parteis oculis colluſtra, & circumſpice. OCVLIS INVESTIGANS:] ſic habẽt quatuor è noſtris libris manuſc. quos ſequor, nam alij habent partim *inueſtiges*, partim *inueſtiga*, vt vulgati. Iam verò oculis inueſtigans propriè dictum eſt: valétque ſingula veſtigia oculis diligenter colluſtrans, & hoc pacto ciſtellam veſtigiis omnibus exquirens. ASTVTÈ AVGVRA.] callidè, & attentè augurare. augurare autem, id eſt, more augurum omnia loca contẽplare, atque oculis colluſtra. QVIS?]
D quæ? SOCCI VIDEO VEST.] rectè ſocci veſtigium, non calcei. ſoccis enim vtebantur Comici actores. ſic apud Terent. Heaut. *ſoccos detrahunt*. Horat. epiſt. ad Piſon. *Hunc ſocci cepere pedem*, &c. Idem paucis verſibus pòſt. *Indignatur item priuatis, ac prope ſocco Dignis carminibus narrari cena Thyeſtæ*. Quin ſoccus videtur Græcorũ fuiſſe proprius, vt & pallium. Cicero pro C. Rabirio Poſtumo. *Conſularis homo ſoccos habuit, & palliũ*. IN HOC IAM LOCO CVM ALT. CONST.] ab hoc iam loco cepit ille prior cum altero, ſeu cum altera conſiſtere, & congredi. In hoc loco ſcilicet, quem notat Haliſca, Lampadiſcus cum Phanoſtrata conſiſtere cœpit: idque cognoſcit, ſeu coniicit Haliſca ex veſtigiis duorum hominum, ſeu quatuor pedum. TVRBA] confuſio, conturbatio. ſic autem legendum, non vt à Camerario editum eſt, *turbo*. NEQVE PRORSVM IIT HÂC.] neque per hunc locum iit rectà, anteriorem partem verſus. prorſum, id eſt, porrò verſum: rectà. ſic in Pſeud. *Nõ prorſus, verùm ex tranſuerſo cedit, quaſi cancer ſolet*. prorſus, rectus. ex quo oratio proſa, quę opponitur verſæ. HÎC CONCILIVM FVIT.] hîc congreſſus fuit pluriũ. in hoc loco plures congreſſi ſunt. quid ſit conciliũ propriè, & vnde dictũ, docuimus in cõmentariis Lucret. Porrò autẽ in hoc loco, quem ſignificat Haliſca, congredi primùm cœperũt Lampadiſcus & Phanoſtrata. ATAT SINGVLÛM VIDEO VEST.] ſingulûm, id eſt, ſingulorum, alij ſingulum volunt eſſe numeri ſingularis, accuſandi caſus, & dictum ſingulum pro vnumquodque ἕκαστον. Ego cum Priſciano puto *ſingulum* in numero ſingulari à veteribus

non eſſe vſurpatum. ACTAM REM AGO] inanem operam ſumo,prouerbij locũ occupat. A Ortum autẽ eſt ab exceptione rei iudicatæ,& à iudiciorum more,qui talis eſt,vt res iudicata reſcindi non poſſit.notat Donatus ad illud *actum agam*.in Adelphis. QVOD PERIIT, PERIIT MEVM C. CIST.] quod perijt,non poteſt non perijſſe:ſcilicet meũ corium,& ciſtella.meum corium,id eſt,mea pellis perijt:quia virgis,aut loris conſcindetur,& lacerabitur,ob ciſtellam à me amiſſam,ſeu perditã vapulabo.Corium,δέρμα Gręci.Non diſſimulabo in libris vulg. ſcriptum eſſe,*meum corium cum ciſtella*, &c.ſed præpoſitionis *cum* nullum in noſtris libris veteribus veſtigium reperi. BONA FOEM. ET M. MASC.] bona fœmina, id eſt, fœmina quæ vno viro cõtenta eſt:fœmina maritata:matrona.bona autẽ dicitur,quia differt à meretrice,quę multis viris expoſita eſt,quęque vt oppidũ fortunatum,ſine multis viris,ſeſe tueri non poteſt. Hora.epi.ad Lolliũ 2. *Vt matrona meretrici diſpar erit,æquè Diſcolor infido ſcurræ diſtabit amicus*.per malum maſculum autem,ſeruus Lampadiſcus,ſeu Lampadio ſignificatur.maledicta communia in ſeruos hæc ſunt:nequam,fugitiuus,furcifer,maſtigia,verbero,&c.Iam in his,*bona fœmina,malus maſculus*,antitheſis ineſt non inconcinna. VOLVNT TE.] volunt te conuenire, ſeu conuentam; vt ſuprà. POST R. ILLE, QVI PLVS QVI VOCAT,&c] ordo & ſentẽtia eſt,denique, ille,qui me vocat,plus ſcit,quid me velit,quàm ego,quę vocor.proinde ac ſi dicat:ab eo,qui me vocat,hoc tantum ſcio,me vocari, non, quid me velit.ille autem plus ſcit, quid me velit,quàm B ego.quare,vt ſciam,quid me velit,mihi foras reuertendum eſt. REVERTOR] vt ſciam,quid me velit,is,qui me vocat:reuertor foras,non eo domum. ECQVEM VIDISTI AVFERRE HÎC, AMABO,&c.] ſic legendum conieci,edendúmque curaui,à trium codicũ manuſc. ſcriptura,aliquantum corrupta,ad hanc coniecturam quaſi manu ductus: qui habent, partim *querre*, partim *quere*,nam alij vel *quærere*, vel *querere* ſine diphthongo habent. quæ lectio non videtur huic loco conuenire.Iam vulgata lectio *tollere* eſt illa quidem ad hunc locum accommodata,ſed nimis longè abeſt ab antiqua.*ecquem* autem,hoc eſt,num aliquem? VT ACCVRRIMVS.] cùm accurrimus:ſeu poſtquã accurrimus,&c. poſt hæc verba in libris vulgatis ſequuntur hæc deinceps,*capillo ſciſſo,atque exſciſſatis auribus Tumultuantem*: quorũ in libris veteribus nulla comparent veſtigia. NE VITAM SVAM INTER.] ne ſe vita priuaret.ne ſe interimeret. ſic loquitur in Caſina. *interimere ait velle Vitam.* NOSTRA EST.] ea eſt, quã quærimus. ea eſt, ex qua,quod volumus, ſcire poſſimus. QVIN OPERAM DAM. H. P.] quin ei audiendę operam damus parumper?quin eam parumper audimus? QVÎ SVOS SIL. PAREN. &c.] vt Silenium facilius ſuos parenteis per hanc ciſtellam poſſet cognoſcere? vel qui, id eſt, qua ſcilicet,ciſtella,&c. NOSTRAM H. R. FAB.] hæc mulier loquitur id, quod ad nos attinet, C quódque nos ſcire valdè noſtra intereſt. HANC SCIRE OPORTET,&c.] hæc ſcire debet filia tua, vbi ſit, vt ex ſignis,quæ commemorat,coniicere licet.ſigna vt dicit,id eſt,quomodo ſigna dicit:vel qualia ſunt ſigna,quæ dicit.Iam *oportet*,videtur poſitum pro neceſſe eſt,cum oportere,ſit officij:neceſſe eſſe,vt vox ipſa ſonat,neceſſitatis. QVIBVS NATA'ST.] è quibus nata eſt. VLTRO.] αὐτόκλητος αὐτεπάγγελτος, αὐτόματος.non rogata,non arceſſita,neq. inuitata, vt reddat. deniquevltrò,id eſt,priùs quàm rogetur,aut cogatur.aliud enim eſt ſpõtè,aliud vltro.Nã ſpontè facere, & inuitè facere,inter ſe opponuntur:vltro facit verò,qui non exſpectat,dum rogetur,aut admoneatur,aut prouocetur,vt faciat.pręterea *ſponte* locum habet etiam in rebus inanimis,vt cùm dicimus corpora grauia,ſua ſponte deorſum ferri:vltrò verò,tantùm in rebus animatis, atque adeò in his,quæ rationis ſunt participes. ALIAS RES GERIS.] alias res agis, non attendis animum ad ea,quæ loquor.hoc eò dicit Haliſca,quòd Lampadiſcus nihil reſpondeat. TIBI MEAS RES MANDO.] res meas tibi curandas trado. quare ſummam diligentiam,ac fidem in meis rebus adhibere debes. ISTVC AGO:] ad iſtud quod loqueris,animum aduerto.attentè te audio. ATQVE ISTIC MIHI CIB. EST Q. F.] ἑρμηνεία, ſeu ἐπεξήγησις. Nam idem hîc dicit,quod modò dixerat.quod fabulare,inquit,hoc eſt,quod lo- D queris,mihi cibus eſt.hoc eſt,ſermonem tuum edo,ſeu deuoro.ſuprà in Aulularia.*Nimium libẽter edi ſermonem tuum.* SED INTER REM ISTAM AGE.&c] ſed interea dum iſtam rem ago: & ad id,quod loqueris,animum attendo,heræ huic meæ reſp.&c. NVNC AD TE REDEO.] poſtquam heræ meæ reſpondi. IMPERA ET TV] tu quoque mihi viciſſim impera, poſtquã heræ ſatisfeci. QVÀ AVFVGIT QVÆDAM] qua parte ciſtella aufugit mihi,neſcio: quò, id eſt,qua parte ciſtella ab aliquo mihi neſcio quem in locũ ablata eſt. QVID ID?&c.] quęnam ea res eſt,quã tibi aufugiſſe dicis? ALIENVM QVOD D. AFF. ET M. F.] res eſt,quæ damnum afferat alienum,id eſt,nobis,quæ alienæ ſumus:mœrorem familiarem,id eſt, familiaribus, & propinquis,videlicet Silenij parentibus. MALA MERX, HERA,&c.] maledictũ vſitatum in mulieres.Sic ſuprà in Caſina.*Noui ego illas malas merces*.Idẽ in Trucul. *Datum ſibi eſſe dixit*. DIN. *O merces malæ*,etiã in lenonẽ in Pſeud. *Illiccine'ſt*. PS. *illic eſt*. SY. *mala merx eſt*.poſtremò & in ætatẽ, vt in Menæch. *vt ætas mala merx eſt ergo? Nam res plurimas peſſimas,cum aduenit,affert*. Sed non eſt diſſimulandũ in nonnullis libris manuſc.reperiri ſcriptum, *mala mens eſt*. NEQVAM BEST. ET DAM.] malã beſtiam & damnoſam. INVOLVOLVM] vermiculũ,qui pampino inuoluitur, cúmque depaſcitur,conuoluulũ appellat Cato lib.de re Ru.cap.95. CISTELLAM.] quęrito, ſubintellige. HIC MIHI ADOL. EVOL.] hoc loco,ô adoleſcẽs,ciſtella,quam quęrito,mihi euo-



A hi euolauit, id eſt, amiſſa eſt: ſeu ablata eſt, ſeu perijt. tralatio ab auibus feris è cuſtodia libera, aut alicunde aliunde euolantibus.Licet etiã ita legere,vt arbitratur Camerarius. *Ciſtella mihi hîc mi adoleſcens,euolauit*. IN CAVEAM LATAM OPORTVIT.] quia dixerat Haliſca,ciſtellã ſibi euolaſſe,Lampadiſcus iocandi occaſionẽ nactus,reſpõdet, eam ciſtellam oportuiſſe in caueam eſſe coniectam,tanquam auem,ne euolare poſſet.Itaq. malim hîc legi, *in caueam datam,* quàm *in caueam latam*,vt habent omnes libri.Nam ſic dicũt Latini,dare in caueam, vt dare in cuſtodiam, dare in catenas,& in vincula,& ſimilia.Idem in Capt. *Nam ſi faxis,te in caueam dabo*. à quibus non longè admodum abſunt illa,dare in ruborem, dare ad carnificinam,dare in cruciatum,dare ad mortem,dare ad terram,dare ad caſum,&c.Plauto noſtro,& aliis probatis ſcriptoribus vſitata. NON ÆD. PRÆDA M.] ædepol non fuit magna præda in ciſtula.proinde ac ſi dicat, qui eam ciſtulam abſtulit,haud magnum lucrum fecit:quia non magna in ea inerat prȩda. MIRVM QVIN GREX VENAL.&c.] mirum gregem venaliũ in ciſtella non fuiſſe vnà.ironia eſt.mirum quin,id eſt,mirum quòd non.ſępè vſurpat Plautus,& ferè per ironiam.in Amphitr. *Mirum quin te aduerſus dicat*.ad quem locum plura.*venalium* autem,ſubintellige,ſeruorum.ſic Horat.Sat. 1.lib.1.ſermonũ. *Vt ſi Reticulum panis venaleis inter onuſto,Forte vehas humero*.&c.Sic & M.Tull. orat. poſt reditum in ſenatu. *Cappadocem aliquem modo abreptum de grege venalium diceres*.Idem in Piſonem B princip. *nemo quæritur,Syrum neſcio quem de grege nouitiorum factum eſſe conſulem*. SI DICAT QVIDEM] ſi dicat,ſinam dicere.ſed nihil dicit. CREPVNDIA VNÀ.] Nonnulli *vna* accipiũt, vt ſit nomen generis neutri numeri multitudinis:vt dicunt Latini vnæ litterę.ſed licet accipere,vt ſit aduerbiũ,vt ſuprà,quod mâlo. QVI ILLAM AIT SE SC. V.S.] qui ait ſe ſcire,vbi illa ſit: genus loquendi comicum,& à gręcis ſumptum. AT POL ILLE À QVADAM M.&c] At ille quidam,inquit Haliſca,cuidam mulieri,id eſt,mihi,ſeu heræ meæ gratum faciat, ſeu de quadam muliere bene mereatur,ſeu quandã mulierẽ ſibi magno beneficio deuinciat,ſi eam ciſtellã ei monſtret:quid ſit ab aliquo gratiam inire,ſuprà diximus:& res nota eſt:ſed conſulimus linguę latinę ſtudioſis adoleſcẽtibus. ILLE QVIDAM] ὁ δεῖνα. AT NEC QVIDQVAM,&c.] at fruſtra argentum expetit.nequidquam,& necquidquam, ἀδιαφόρως dicere licet. IN NVLLA OPERA GRATVITA. EST] id eſt,nullam operã gratuitam prębet.videtur legẽdum, vt ea,quam diximus,ſententia exprimatur, *in nulla re opera gratuita eſt*.atq. ita, *opera gratuita* erit ſeptimi caſus,vt cùm dicimus,eſt acri ingenio,forti animo,forma liberali,&c.Sed quia omnes libri manuſcr.ſic habent,vt edidimus,nihil mutare auſim. & fortaſſe hæc recepta lectio ferri poteſt,ſi ita eam explicemus in nulla opera gratuita verſatur,id eſt,nullam operã gratuitam ſumit. C COMMODA LOQVEL. TVAM] orationẽ tuam,inquit Phanoſtrata,Haliſcæ accommoda tu Lampadio:commodè cum Haliſca loquere.Quidam ſic diſtingũt, commoda loquelã tuam tibi prod.& conf.ciſtellã hab.vt *tuam* cohęreat cum *ciſtellam*. ego priorẽ diſtinctionẽ mâlo. ne hoc quidẽ diſſimulabo,nonnullos è libris noſtris veterib. habere *cõmodo loquelã*. TIBI NVNC PROD.] tibi nunc mulier aperimus,ſeu palàm prædicamus,& confitemur nos ciſtellam habere.*prodimus*,hoc loco valet aperimus ac declaramus, quod erat antea occultum & obſcurũ, ſeu ꝙ antea celabamus,atq. occultabamus. AT VOS SALVS SERVAS.] at vos ſalus ſeruarit. optantis & bene precantis ſermo. REM MAGNAM.] rem magni ponderis ac monumenti. SOCIAM TE MIHI ADOPTO, &c.] id eſt,ſociam te mihi adiungo, ſeu adhibeo, ſeu allego,ſeu aſſumo ad meam ſalutem. AVT QVIS ES?] aut quę es? HARIOLARE] tu hariolaris.tu rectè diuinas. AMBAGES MVL. MITTE] ambages,id eſt,ſermones lõgos,& à re,de qua agitur,alienos.Horat.Sat.v.lib.2. *Quãdo pauperiẽ miſſis ambagibus horres*,&c. Virg.lib.2.Georg. *Non hîc te carmine ficto, Atque per ambages,& longa exorſa tenebo*. ATQVE HOC AGE] atq. ad hoc, de quo tecum loquor,attende. ELOQVERE, VNDÈ HÆC S. TIBI CITÒ CREP.] eloquere citò,vnde hæc ſunt tibi crepundia. NAM MEA GEST.] nam mea filia herilis geſtita- D uit.mea filia herilis,id eſt,meæ heræ filia,vt ſuprà. GENER.] Alceſimarchus. ADHINNIRE EQVVL. POSS. EGO HANC S. D. S. S.] hos verſiculos duos repertos in vulg.quorum prior eſt dimeter iambicus,integer:alter imperfectus,& vno pede claudicans.quales ſunt Anacreontis plerique,& tertium trimetrum integrum,quamuis in manuſcr.non compareant,tamen retinuimus,quod ad hunc locum maximè quadrare videbantur. Dictum autem eſt *adhinnire equulã* dictum pro adhinnire ad equulam.Porrò ſolẽt equi adhinnire,maximè libidine prurienteis, & ὀργῶντας.Sic Cic.dixit orat.in Piſ.ſed tranſlatè. *ſic ſuos ſenſus voluptuarios omneis incitauit: ſic ad illius hanc orationẽ adhinniuit*,&c.Licet autem etiam equilam legere. Nam teſtatur Nonius equilam & equulã dixiſſe veteres. Varro. *Nemo eſt tam negligens,quin ſumma diligẽtia eligat aſinum,qui ſuam ſaliat equilam*. Profert autẽ hos duos verſiculos Priſc.lib.4.in extr. NAM ITA MVSTVL. ÆSTVS N. ATT.] id eſt,calor enim quidam,ſeu odor quaſi muſto oblitus, & madens, ad nareis meas peruenit.allegoria eſt.Rectè autem *nareis attigit*.Nam equi equam prurientem odorati, ad eam adhinniunt.Ex quo callidum illud Darij inuentum,natum: ſeu potiùs Oebaris equiſonis, qui manu tractatis equę cuiuſdam membris genitalibus, & aliquanto pòſt ad equi Dariani nareis admotis,odore illo equũ ad hinnitum laceſſiuit:& ita regnũ Dario conciliauit. OBLOQVERE RVRSVS,&c.] tu rurſus Lampadio obloqueris,tu puella perge dicere,quod cœperas. VT NVMERVS ANNORVM ATT.] vt numerus annorum conuenit: & quia conuenit, vide-

tur tuam quodammodo filiam attuliſſe. QVOD QVAEREBAS, REPERISTI: IAM QVAERO M.] hi verſus valde ſunt mutili, ac laceri. Nos partim ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, & ex iis, quæ antecedũt, & quæ ſequũtur, ſic reſtituimus. Reperiſti, inquit Haliſca, id quod quęrebas. iam quæro meam, nempe ciſtellã. POL HÆ S. REP. QVAERO T.] Pol, inquit Lãpadiſcus, hæ mulieres ſuas nactæ ſunt filias, & ciſtellas, quæro tertiã ſcilicet puellam aliquã mihi. Locus eſt obſcurus, & licentia, iocóq. ſeruili inquinatus. ſignificatur enim turpis libido. ÆQVVM'ST TENERI, PER FID. Q. CR.] æquũ eſt id, quod alicui creditũ eſt, ab eo, qui credidit, obtineri, ne benemerẽti ſua liberalitas, ſeu beneficẽtia ſit damnoſa. ſignificat Haliſca Sileniũ, quæ ſuæ heræ fidei quodammodo credita eſt, matri reddi debere. Quamuis enim Silenium re vera, & propriè non fuit Melęnedi credita, ſed à lena ad eã delata: tamen quod alienũ nobis datur, & quolibet pacto ad nos peruenit, id reddere debemus, proinde ac ſi nobis creditũ eſſet. EA G R.] vt filiam tuam tibi redderet. ILLIVS, &c.] heræ tuæ. mâlo, inquit, heram tuã nobis rem, omnem aperire, & filiam meam mihi reddere, eiúſq. beneficio ipſa obligari, quàm tibi hoc debere. QVOD TVVM'ST TEN. T.] cenſeo, vt ciſtellam, quæ tua eſt, teneas, neque Haliſcæ reddas. AT ME HVIVS MIS.] quæ ab hera ſua malè mulcabitur, niſi ciſtellam amiſſam repererit: vel, niſi ciſtellam, quam amiſit, ei reddiderimus. I PRAE, IAM EGO TE SEQVAR.] al. *te ſequor*. Sic Terent. Andr. *i præ, ſequar*. Idem in Enu. *i præ, ſequor*.

# ACTVS QVINTVS.

## DEMIPHO ſenex, LAMPADIO ſeruus.

QVID hoc negotij eſt, quòd omnes homines fabulantur per viam,
Mihi eſſe filiam inuentam, & Lampadionem me in foro
Quæſiuiſſe aiunt? LA. here vnde is?
DE. ex ſenatu. LA. gaudeo
Tibi mea opera liberorum eſſe amplius.
DE. etenim non placet.
Nihil moror aliena mihi opera fieri plureis liberos.
Sed quid iſtuc eſt? LA. propera ire intrò huc ad affinem tuum,
Filiam tuam iam cognoſces. intus ibidem vxor tua eſt.
DE. Abi citò, præuorti hoc certum'ſt rebus aliis omnibus.

FABVLANTVR] loquuntur. EX SENATV] ex curia. LIBERORVM ESSE AMPLIVS] amplius cum generandi caſu, amplius liberorum, id eſt, plus liberorum. ſubintellige, quàm erat antea. NIHIL MOROR, ALIENA OP. MIHI F. PL]. id eſt, non curo, vel non probo, plureis mihi fieri liberos, & creſcere numerum liberorum aliena opera, proinde ac ſi dicat: nolo mihi liberos alienos pro meis obtrudi. PRAEVORTI HOC CERTVM'ST, &c.] certum eſt hoc agere ante alias res omneis. certum hanc rem omnibus rebus anteponere. Cæſar lib. 7. comment. *Cæſar huic rei præuertendum exiſtimauit*.

## CATERVA.

NE exſpectetis ſpectatores, dum illi huc ad vos eant.
Nemo exibit, omnes intus conficient negotium.
Vbi id erit factum, ornamenta ponent. poſtidea loci
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.
Nunc quod ad vos ſpectatores reliquum relinquitur,
More maiorum date plauſum poſtrema in comœdia.

NE EXSPECTETIS, &c.] ne, id eſt, vt ne, ſeu vt non, *ἵνα μὴ*. Iam Cateruam appellat, quem alibi gregem. ORNAMENTA PON.] ornamenta ſcenica deponent. POSTIDEA LOCI, &c. poſtea. POSTREMA IN COM.] in poſtrema parte comœdiæ.

EPIDICVS.



# EPIDICVS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| EPIDICVS | ſeruos. |
| THESPRIO | ſeruos. |
| STRATIPPOCLES | adoleſcens. |
| CHERIBVLVS | adoleſcens. |
| APOECIDES | ſenex. |
| PERIPHANES | ſenex. |
| MILES. | FIDICINA. |
| MVLIER. | DANISTA. |
| VIRGO. | GREX. |

## ARGVMENTVM.

EMIT Fidicinam, filiam credens ſenex,
Perſuaſu ſerui, aliam qui conductitiam
Iterum pro amica ei ſubiecit, filio
Dat herili argentum, eo ſororem deſtinat
Imprudens iuuenis. mox compreſſæ, ac militis,
Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum,
Vt ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed inuenta gnata, ſeruolum emittit manu.

FIDICINAM] quam olim amabat Strathippocles, Periphanis filius. FILIAM CREDENS S.] natam ex muliere Epidauria, quam Epidauri compreſſerat, natam: quæ capta fuerat ab hoſtib. SENEX] Periphanes. PERSVASV SERVI] perſuaſu Epidici. ordo eſt, ſenex perſuaſu ſerui emit Fidicinam, filiam ſuam eſſe credens. ALIAM QVI COND.] qui ſeruus rurſum aliam puellam conductitiam, pro ea, quam ſenex audierat eſſe filij ſui amicam, ſubſtituit, ac ſuppoſuit. Sed hoc pluribus verbis exponẽdum eſt. Cùm Strathippocles domum reuerſus, virginem quandam, ſororem ſuam, quam ignorabat, quadraginta minis emiſſet, pecuniámq. à fæneratore ſumſiſſet: Epidicus ab eo rogatus, vt pecuniam alicunde expediret, quæ fæneratori numeraretur, ac diſſolueretur: pecuniam à ſene per fallaciam abſtulit, qua pecunia virgo illa emeretur, cùm ſeni perſuaſum eſſet ab Epidico, ſe puellam illam, pluris, quàm emiſſet, reuẽditurum, & præterea eadem opera filio ſuo ſpem ea puella potiendi præciſurum. Seruus autem puellam quidem illam emit, ſed ſeni aliam fœminam in eius locum ſubdidit, Fidicinam conductitiam: illam adoleſcenti tradidit, vt ea poteretur. qui ſtatim vt eam adeptus eſt, ſororẽ ſuam eſſe cognouit. FILIO DAT HERILI] Epidicus herili filio Strathippocli dat argentum, à ſene Periphane acceptum. EO SORОREM DEST.] eo argento iuuenis Strathippocles ſororem ſuam emit imprudens, hoc eſt, ſo-

rorem ſuam eſſe neſciens. Deſtinare interdum valet, emere, teſte Nonio. COMPRESSÆ] A eius mulieris,quam Periphanes Epidauri compreſſerat. ET MILITIS,] qui amicam ſuam quærebat,eámque apud ſenem eſſe audierat, vt erat:ſed eam filiam ſuam eſſe exiſtimabat. COGNOSCIT, OPERA, &c.] ordo eſt, ſenex cognoſcit, opera eius mulieris, quæ Epidauri ab ipſo compreſſa fuerat, filiámque communem quærebat,& opera militis,qui amicam ſuã inueſtigabat,os ſibi eſſe ab Epidico ſublitum,id eſt,ſe ab Epidico eſſe deluſum. VT ILLE AMICAM,] id eſt,cum ille amicam ſuam quæreret: hæc mulier filiam ſuam. SED INVENTA GNATA, &c.] ſed Periphanes filia ſua inuenta,Epidicum manumittit.

## EPIDICVS, THESPRIO, ſerui duo.

EP. HEvs adoleſcens. TH. quis properantem me præhendit pallio?
EP. Familiaris. TH. fateor, nam odio es nimiùm familiariter. B
EP. Reſpice verò Theſprio. TH. oh. Epidicum ne ego conſpicor?
EP. Certè oculis vteris. TH. ſalue. EP. dij dent quæ velis.
Venire ſaluom gaudeo. TH. quid cæterum? EP. quod adeò aſſolet,
Cœna tibi dabitur. TH. ſpondeo. EP. quid? TH. me accepturum, ſi dabis.
EP. Quid tu? agis vt velis? TH. exemplum adeſſe intelligo. EP. euge.
C Corpulentior videre atque habitior. TH. huic gratia.
EP. Quam quidem,te iamdiu deperdidiſſe oportuit.
TH. Minus iam furtificus ſum,quàm antehac. EP. quid ita? TH. rapio propalàm.
EP. Di immortales infelicent,vt tu is gradibus grandibus.
Nam vt apud portum te conſpexi, curriculo occœpi ſequi:
Vix adipiſcendi poteſtas modò fuit. TH. ſcurra es. EP. ſcio
Te eſſe quidem hominem militarem. TH. audacter quamuis dicito.
EP. Quid agis? perpetuon' valuiſti? TH. variè. EP. qui variè valet,
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus. D
TH. Quid tibi vis dicam, niſi quod eſt? EP. vt illa reſpondeas probè.
Quid herilis noſter filius valet? TH. pugilicè atque athleticè.
EP. Voluptabilem mihi nuncium tuo aduentu attuliſti:ſed vbi
Eſtis? TH. adueni ſimul. EP. vbi is ergo eſt? niſi ſi in vidulo,
Aut ſi in mellina attuliſti. TH. dij te perdant. EP. te volo
Percontari, operam mihi da,opera reddibitur tibi,
TH. Ius dicis. EP. me decet. TH. iam tu autem nobis præturam geris?
EP. Quem me dicis digniorem eſſe hominẽ hodie Athenis alterum?

At enim



A TH. At enim vnum à prætura tua Epidice abeſt. EP. quidnam? TH. ſcies.
Lictores duo,duo viminei faſces virgarum. EP. væ tibi.
Sed quid ais? TH. quid rogas? EP. vbi arma ſunt Stratippocli?
TH. Pol illa ad hoſtes transfugerunt. EP. armáne. TH. atque quidem citò.
EP. Serióne dicis hæc tu? TH. ſeriò, inquam.hoſtes habent.
EP. Edepol facinus improbum. TH. at iam antè alij fecerunt idem,
Erit illi illa res honori. EP. qui? TH. quia antea aliis fuit.
Mulciber,credo,arma fecit,quæ habuit Strathippocles,
Trauolauerunt ad hoſtes. EP. tum ille prognatus Theti,
B Sine perdat,alia apportabunt eij Nerei filiæ.
Id modò videndum eſt,vt materies ſuppetat ſcutariis,
Si in ſingulis ſtipendiis iis ad hoſtis exuuias dabit.
TH. Superſede iſtis rebus iam. EP. tu ipſe vbi lubet,finem face.
TH. Deſiſte percontarier. EP. eloquere,vbi ipſe eſt Strathippocles?
TH. Eſt cauſſa, qua cauſſa ſimul mecum ire veritu'ſt. EP. quidnam id eſt?
TH. Patrem videre ſenem non volt etiam nunc. EP. quapropter? TH. ſcies.
Quia forma lepida & liberali, captiuam adoleſcentulam
C De præda mercatu'ſt. EP. quid ego ex te audio? TH. hoc quod fabulor.
EP. Cur eam emit? TH. animi cauſſa. EP. quot illic homo animos habet?
Nam certò priuſquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipſe mandauit mihi,ab lenone quædam vt fidicina,
Quam amabat,emeretur ſibi: id ei impetratum reddidi.
TH. Vtcunque in alto ventus eſt,Epidice,exin' velum vortitur.
EP. Væ miſero mihi,malè perdidit me. TH. quidnam iſtuc?quid eſt?
EP. Quid? iſtanc,quam emit, quanti eam emit? TH. vili. EP. haud iſtuc te rogo.
D TH. Redde igitur. EP. quot minis emi? TH. tot, quadraginta minis.
Id adeò argentum ab daniſta,apud Thebas ſumſit fænore,
In dies mináſque argenti ſingulas, nummis. EP. papæ.
TH. Et is Daniſta aduenit vnà cum eo, qui argentum petit.
EP. Di immortales, vt ego interij baſilicè? TH. quid iã, aut quid eſt Epidice? EP. perdidit me. TH. quis? EP. ille qui perdidit arma. TH. nam
Quid ita? EP. quia cotidie ipſe ad me ab legione epiſtolas
Mittebat:ſed taceam optumũ eſt.plus ſcire ſatius eſt, quam loqui
Seruum hominem. ea ſapientia eſt. TH. neſcio edepol quid tu timidus es.

Trepidas Epidice, ita ex voltu tuo videor videre te commeruiſſe, A
Hinc me abſente in te aliquid mali. EP. potin' vti moleſtúſne
ſies?
TH. Abeo. EP. aſta, abire hinc non ſinam. TH. quid nunc me retines?
EP. Amátne iſtam, quam emit de præda? TH. rogas? deperit.
EP. Degetur corium de tergo meo. TH. plúſque amat, quàm te vmquam amauit.
EP. Iuppiter te perduit. TH. mitte nunc iam me. nam ille me ad vos
ire vetuit domum,
Venire ad Chæribulum iuſſit huc in proximum. ibi manere iuſſit.
Eò venturus eſt ipſe. EP. quid ita? TH. dicam, quia patrem B
Prius ſe conuenire non volt, neque conſpicari, quàm id argentum
Quod debetur pro illa, dinumerauerit. EP. heu ædepol res
turbulenta eſt.
TH. Mitte me vt eam nunc iam. EP. hæccine vbi ſcibit ſenex? puppis
Pereunda eſt probè. TH. quid iſtuc ad me attinet, quo tu intereas modo?
EP. Quia perire ſolus nolo, te cupio perire mecum,
Beneuolentem cum beneuolente. TH. abi in malam rem maximam à me
Cum iſtac conditione. EP. i ſanè, ſi quid feſtinas magis.
TH. Nunquam hominem quenquã conueni, vnde abierim lubentius. C
EP. Illic hinc abiit, ſolus nunc es: quo in loco hæc res ſit, vides
Epidice: niſi quid tibi in tete auxilij eſt, abſumtus es.
Tantæ in te impendent ruinæ, niſi ſuffulcis, firmiter,
Non potes ſubſiſtere. itáque in te irruunt montes mali.
Neque ego nunc, quomodo me expeditum ex impedito faciam,
Conſilium placet. ego miſer perpuli meis dolis ſenem,
Vt cenſeret ſuam ſeſe emere filiam. is ſuo filio
Fidicinam emit, quam ipſe amat, quam abiens mandauit mihi.
Is ſibi nunc alteram ab legione abduxit animi
Cauſſa. corium perdidi, nam iam ubi ſenex ſenſerit D
Sibi data eſſe verba. virgis dorſum deſpoliet meum.
At enim tu præcaue. nihil eſt iſtuc. planè hoc corruptum'ſt
caput.
Nequam homo es Epidice. qui tibi libido'ſt malè loqui?
Quia tute tete deſeris. quid faciam? men' tu rogas?
Tu quidem antehac aliis ſolebas dare conſilia mutua.
Quid? quid? aliquid reperiundum eſt. ſed ego ceſſo ire obuiam
Adoleſcenti, vt, quid negotij ſit, ſciam? atque ipſe illic eſt.
Triſtis eſt. cum Chæribulo incedit æquali ſuo.
Huc concedam, orationem vnde horum placidè perſequar.

HEVS



A HEVS ADOLESCENS, &c.] Theſprionem ſeruum vnà cum Strathippocle è militia reuerſum, & ab illo præmiſſum properantem reuocat Epidicus item ſeruus. FATEOR. NAM ODIO ES N. F.] fateor, te, quiſquis ſis, eſſe familiarem. nam odioſus es nimium familiariter. id eſt, nimis familiarem in morem. ſolent autem familiares, & noti liberiùs, & licentiùs omnia inter ſe & dicere, & facere, quàm alieni, & ignoti. Terent. in And. *Reiecit ſe in eum flens quàm familiariter.* RESPICE VERÒ] retrò adſpice. ſuprà in Capt. *Reſpice.* ERG. *fortuna quod tibi nec faciet, nec facit, hoc me iubes?* ad quem locum plura. CERTÈ OCVLIS VTERIS.] id eſt, certè me conſpicaris, ſeu conſpicis: oculi ad cernendum nati, aut à natura dati ſunt. Itaque qui in cernendo non fallitur, certè oculis vtitur. DII DENT QVÆ VELIS] bene precantis ſermo. ſubintelligendum, *tibi.* VENIRE SALVOM. G.] ſubintellige, te. ſermo peregrè redeunteis ſaluos ſalutantium, eiſque gratulantium. QVID CETERVM?] τί λοιπόν; quid alioquin, ſeu ceteroquin habes, quod dicas? quid, quod ad cetera attinet, dicis? QVOD ADEÒ ASSOLET, CENA T. D.] dico, quod adeò peregrè aduenientibus dici, & promitti ſolet, cena dabitur. ſolebat autem cena dari & peregrinis in vrbem venientibus; & ciuibus longo interuallo peregrè aduenientibus ab amicis, & familiaribus, & propinquis. Eò referendum eſt illud, quod eſt in Curculione. *ſalue ſaluos cùm aduenis, In Epidaurum, hic hodiè apud me*
B *nunquam delinges ſalem.* MIL. *bene vocas.* Et illud in Bacchid. infrà. *Venire tu me gaudes. ego credo tibi, hoſpitium, & cenam pollicere, vt conuenit, peregrè aduenienti. ego autem venturum annuo.* SPONDEO] ſpondeo, me ad cenam venturum. QVID?] quid ſpondes? hoc ita quærit Epidicus, quia non addiderat, quid ſe facturum ſponderet. ME ACCEPTVRVM.] cenam. AGIS VT VELIS?] id eſt, tuámne rem bene geris? omniáne tibi ex animi tui ſentẽtia procedunt? ſic loquũtur & Latini, & Græci, ago, ſeu rem meam gero, vt volo. πράττω ὡς θέλω. Demoſthen. κατ' Ἀνδροτίωνος. πολλὰ γὰρ ἡμῶν ἕκαστος οὐχ ὡς βούλεται, πράττει: id eſt, multa, ſeu in multis enim, vnuſquiſque noſtrûm non vt velit, agit: Lyſias oratione κατὰ Φίλωνος, καὶ γὰρ ὅστις εὐτυχοῦντας ὁρῶν ἡμᾶς ἐτόλμα προδιδόναι, τί ποτε ὡς μὴ ἐβουλόμεθα, πράττοντας ἐποίησεν ἄν; id eſt, nam qui nos rebus ſecundis florenteis videns, prodere audebat, quid in nos, non vt vellemus, agenteis, feciſſet? Theocrit. εἰδ. ιδ. Πράσσομες οὐχ ὡς λῷστα, Θυώνιχε. Non diſplicet mihi tamen Camerarij coniectura, qui putat legendum. *quid tu agis? vt vales?* EXEMPLVM ADESSE INTELLIGO] non eſt, quod tibi verbis demonſtrem, aut declarem, quomodo res meas geram; aut vt valeam: cùm ex habitu & nitore totius corporis ſati. id cognoſcere queas. exemplum tibi præſto eſt, vndè videas, & ſcias quod quæris, nempe ego tibi exemplo ſum, quem præſentem vides.
C CORPVLENTIOR VIDERE, ATQVE HABITIOR] ſic legendum libris omnibus inuitis, & veritate ipſa hanc lectionem poſtulante, & Donato indicante ad illud Terentij in Eun. *Qui color, nitor, veſtitus? quæ habitudo eſt corporis?* profert enim hunc locum ita vt edidi, ſine vlla varietate. vtitur eodem nomine & Terent. ibidem aliquanto poſt illum locum. *ſi qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum,* &c. HVIC GRATIA.] huic manui ſcilicet, habenda eſt gratia: qua manu ego furari ſoleo. huic δεικτικῶς. manum enim oſtendit, cùm hoc loquitur. QVAM QVIDEM, &c.] manum. FVRTIFICVS.] fur: furtorum effector. furtificus à fure, hoc differt, quòd fur habitu ipſo intelligitur. furtificus facto & actione. RAPIO PROPALAM] iocus παρὰ προσδοκίαν. furtum clandeſtinum factum eſt. Itaque à furuo dictum eſſe volunt nonnulli grammatici veteres, in his Nonius. TE INFOELICITENT,] te infœlicem reddant. VT TV IS GRAE. G.] quàm grandibus ingrederis gradibus? CVRRICVLÒ] curſim, celeriter currendo. Terent. Heautont. *curriculò percurre,* vbi curriculò, vt hîc, aduerbium eſt. ADIPISCENDI] aſſequendi, apprehẽdendi. SCVRRA ES] vrbanus homo es, & idcircò mollis, delicatus, atque ignauus. non es, vt ego, militaris, ſed vrbanus, & vrbanis deliciis, & vrbano otio fractus. Scurram
D Verrius vult eſſe dictum à ſequendo, quòd honoris gratia ſequantur. ſed hoc loco perſpicuè pro vrbano, accipiendum eſt. quod & Adr. Turneb. probat Aduerſariorum lib. 19. cap. 13. SCIO TE ESSE Q. H. M.] vel ex hoc loco intelligere licet ſcurram ſuprà poſitum eſſe pro vrbano. nam ſcurræ opponit militarem. At militaris vrbano opponitur. Scurra igitur, & vrbanus idem valent hoc loco. AVDACTER QVAMVIS DICITO.] quantumuis audacter dicito. proinde ac ſi dicat. licet tibi audacter dicere, cùm verum dicas. VARIÈ] nunc bene, nunc malè, ſed variè aliter accipit Epidicus, vt per reſponſionem ſuam ſignificat. Quid ſit *varium* autem M. Tullius docet lib. 1. de Finib. *Varietas Latinum nomen eſt: idque propriè quidem in diſparibus coloribus dicitur: ſed transfertur in multa diſparia. varium poëma, varia oratio, varij mores, varia fortuna,* &c. dicuntur etiam varia corpora, quæ vibicibus, & plagis, ſeu verberibus cruentis cæſa ſunt. Sic in Pſeud. *Ita ego veſtra latera loris faciam, vt validè varia ſint.* CAPRIGENVM HOMINVM, &c.] genus hominum caprigenum, hoc eſt ex caprarum genere, quæ ſunt ferè varij coloris, vt & Pantheræ. VT ILLA RESPONDEAS PROBÈ] ſic habent noſtri codices manuſcripti à vulgatis non diſſentientes: ſententia autem hæc eſt, volo, vt illa reſpondeas probè, quæ rogabo. Camerarius ſic edidit. *vt illi reſponde.* TH. *probè.* EP. *quid,* &c. Cuius ſcripturæ obſcurior ſententia eſt. PVGILICÈ, ATQVE ATHELICÈ] hoc eſt, validè, & robuſtè. Nam pugiles, & athletæ validis, & robuſtis corporibus ſint oportet. ſic in Bacchid. *Benéne vſque va-*

*luit.* CH. *Pancraticè,atque athleticè.* VOLVPTAB. MIHI N.]nuntium mihi iucundum,& voluptatis plenum attuliſti tuo aduentu. notandum nomen in *bilis* à nomine *voluptas* non à verbo vllo ductum. nam non poteſt à verbo naſci, niſi à voluptando: quod Latinis non eſt in vſu, quod ſciam.ſic enim factum & fictum eſt,vt à lætando,lætabilis. Nuntius autem perſpicuè hîc rem,quæ nuntiatur, ſignificat. At negant hoc Ludimagiſtri iſti,& ſcioli,qui nuntium in neutro genere dici volunt pro re nuntiata contra vſum omnium bene latinè loquentium.Sed valeant iſti indocti peruicaces,qui neque vnquã quidquam recti didicerunt,& quæ didicerunt,didiſcere neque poſſunt neque volunt. NISI SI IN VIDVLO,&c.] niſi fortè in mantica ſcortea eum attuliſti. Idem in Menæchm. *peniculum.* MES. *eccum hunc in vidulo ſaluum fero.* IN MELLINA]mellinam putat hîc eſſe Adr.Turnebus lagenam mellinæ.Eſt autẽ mellina potionis genus ex melle confectum. Alij melinam volunt eſſe melis pellem. Eſt autem melis animal cinericij coloris. Atque hoc pacto melina ſcribendum ſit cum vnico. l. quod verius arbitror. Alij per melinam hîc ſignificari volunt veſtimenti genus ſcenicum, quo vtebantur peregrè venientes:erâtque coloris medij inter candidum, & fuſcum. OPERAM MIHI DA] audi me,aureis attentas mihi præbe. OPERA REDDIBITVR TIBI] opera tibi reddetur, id eſt, viciſſim te attentè audiam. reddibitur pro reddetur, antiquè dictum. ſic ſuprà reddibo pro reddam, in Caſina. *Nunquam ædepol ieiunium ieiunum'ſt æquè atque ego ruri reddibo te.* IVS DICIS]tamquam prætor aliquis.Nam prætoris eſt ius dicere.lib.1.Digeſt.tit.1.de iuriſdict. *Ius dicentis officium latiſsimum eſt*, &c. PRÆTVRAM GERIS] eſt enim prætoris ius dicere,vt diximus.quamquàm enim non me præterit hanc eſſe palliatam,& per prætorem ſignificare eum, quem Græci dicunt ἄρχοντα: nihil obſtat tamen,quominus etiam ad prætorem populi Romani hæc accommodari poſſint: id quod declarant ea, quæ ſequuntur de faſcibus. Præterea quamuis hæ comœdiæ ſint palliatæ,tamen propter ſpectatores multa dicuntur,quæ ad conſuetudinem Romanam,réſque Romanas pertinent. LICTORES DVO, DVO VIM. F.] alludit ad lictores, qui prætores antecedebant, & faſceis virgarum, qui eiſdem præferebantur. Hoc autem intererat, quod ad faſceis, & lictores attinet, inter Prætores, & Conſules, quòd Prætoribus,ſex lictores cum totidem ſecuribus,ac faſcibus apparebant: Conſulibus verò duodecim. DVO VIMINEI FASCES] duo faſces viminum, quibus cædaris. vimen dictum à viendo indidem vietores. SED QVID AIS?] ſermo hominis aliquid noui dicere parantis,& cogitantis. VBI ARMA SVNT STRATHIPP.]quærit hoc Epidicus à Theſprione,quia Theſprio erat Strathippoclis armiger:vt in Caſina, Chalinus eſt armiger Euthynici. STRATHIPPOCLI?] genitiuus antiquus,pro Strathippoclis. qua de re plura in notis Ciceronianis. TRANSFVGERVNT.] tranſlatio ab iis, qui ad hoſteis transfugerunt. videtur tacitè ſignificare Strathippoclem quoque ipſum vnà cum armis in hoſtium poteſtatem veniſſe:vel potius Strathippoclem,abiectis armis, fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſe, atque ita eius arma in hoſtium poteſtatẽ perueniſſe. FACINVS IMPROB.] vno verbo dixiſſet flagitium. Nam flagitium militare eſt arma abiicere, & hoſti tradere. improbum autem id eſt, improbi hominis,& ignaui. vel facinus improbum,id eſt, facinus nequam, & malum: κακόν. AT IAM ANTÈ ALII FECERVNT IDEM] Defenſio hominibus maleficis vſitata. Sic enim ſe defendere ſolent: fecerunt âlij. Sed præclarè Demoſthenes in oratione κατὰ ἀνδροτίωνος oſtendit talem defenſionem eſſe inanem his verbis οὐχ ὅτι πολλάκις ἡμάρτηται δήπου πρότερον διὰ τοῦτ' ἐπεξαμαρτητέον ἐστὶ καὶ νῦν, ἀλλὰ τοὐναντίον ἀρκτέον ὡς ὁ νόμος κελεύει, τὰ τοιαῦτα ποιεῖν ἀναγκάζειν ἀπὸ σοῦ πρώτου. σὺ δὲ μὴ λέγε ὡς γέγονε τοῦτο πολλάκις, ἀλλ' ὡς οὕτω προσήκει γίγνεσθαι. οὐ γὰρ, εἴ τι πέπρακται μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω, διὰ τοῦτ' ἀποφύγοις ἂν δικαίως: ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ἁλίσκοιο. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκείνων προεάλω, σὺ ταδ' οὐκ ἂν ἔγραψας: οὕτως ἂν σὺ νῦν δίκην δῷς, ἄλλος οὐ γράψει.id eſt,non quod ſæpenumero vtique antea peccatũ eſt,propterea etiam nunc D poſtea peccandum eſt, ſed contra initium neceſſitatis imponendæ hominibus,vt talia faciant, qualia iubet lex capere oportet à te primo. Tu autem noli dicere ita ſæpenumero factitatum eſſe, ſed ita fieri conuenire. Non enim ſi quid aliquando non conſentaneum legibus actum eſt,& tu hoc imitatus es, idcirco iuſtè, ac meritò abſolui debeas. ſed multo magis condemnaci. quemadmodum enim ſi quis damnatus eſſet,tu hoc plebiſcitum non ſcripſiſſes: ita ſi tu nũc damnatus fueris,alius non ſcribet.Ponit eandem ſentẽtiam & quidẽ iiſdem verbis in oratione κατὰ ἀριστοκράτους. & præterea in oratione κατὰ μειδίου. aliis verbis.quæ quamuis non ſint tam aptè, atque vt ita dicam, rotundè concluſa, neque tam concinnis numeris vincta,quàm ſuperiora, tamen adſcribam. Sic igitur ille τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν τοῦ μὲν πολλὰ τοιαῦτα γίγνεσθαι, τὸ μὴ κολάζεσθαι τοὺς ἐξαμαρτάνοντας αἴτιον ὄν; τοῦ δὲ μηδένα ὑβρίζειν τὸ λοιπὸν, τὸ δίκην τὸν ἀεὶ ληφθέντα, ἣν προσήκει, διδόναι, μόνον αἴτιον ἂν γενόμενον; εἰ μὲν τοίνυν ἀποτρέψαι συμφέρει τοὺς ἄλλους, τοῦτον καὶ δι' ἐκεῖνα κολαστέον, καὶ μᾶλλον γε, ὅσῳ περ ἂν ᾖ πλείω καὶ μείζω: εἰ δὲ παροξῦναι: καὶ τοῦτον, καὶ πάντας ἐατέον. id eſt, Quis enim veſtrûm neſcit, quod ij, qui peccant, ſupplicio non afficiantur, cauſam eſſe,quamobrem talia multa facinora admittantur? ſi autem qui in facinore deprehenſus ſit,damnetur ſemper, & ſupplicio afficiatur, hanc ſolã cauſam futuram, quamobrem nemo in poſterum cuiquam contumeliam faciat? Si alios igitur à talibus

factis



A factis deterrere vtile eſt reipublicæ. hunc etiam propter illa ſuperiora, ac præterita caſtigare, & pœna afficere oportet, atque adeò tanto magis, quanto ſint & plura, & maiora: ſin autem ad ſimiliter peccandum acuere,atque incitare expedit: & iſtum, & omneis, miſſos facere debetis. Eandem ſententiam,& Iſocrates his verbis perſecutus eſt in Buſiride, οὐ γὰρ ἀπολύεις αὐτὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἀλλὰ ἀποφαίνεις, ὡς καὶ τῶν ἄλλων τινὲς ταῦτα πεποιήκασι, ῥαθυμοτάτην τοῖς ἁμαρτάνουσιν εὑρίσκων καταφυγήν. εἰ γὰρ τῶν μὲν ἀδικημάτων οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν ὃ μή πω τυγχάνει γεγενημένον, τοὺς δὲ ἐφ' ἑκάστοις αὐτῶν ἁλισκομένους μηδὲν ἡγούμεθα δεινὸν ποιεῖν, ὅτ' ἂν ἕτεροι ταῦτα φαίνωνται διαπεπραγμένοι, πῶς οὐκ ἂν καὶ τὰς ἀπολογίας ἅπασι ῥᾳδίας ποιησαίμεθα, καὶ τοῖς βουλομένοις εἶναι πονηροῖς πολλὴν ἐξουσίαν κατασκευάσαιμεν; id eſt, non enim eum peccatorum culpa liberas, ſed ais, nonnullos quoque alios eadem feciſſe, perfugium iis, qui peccant, nequiſſimum, ac diſſolutiſſimum reperiens. Nam ſi iniuſtè factum, quod nondum ab aliquo ſit admiſſum,reperire difficilè eſt: eos autem,qui in vno quoque eorum deprehenduntur, nihil, quod grauiter ferendum ſit, committere putamus, vbi alij eadem commiſiſſe reperiantur: quid aliud aſſequimur, niſi vt & defenſiones peccatorum omnibus facileis reddamus, & magnam licentiam peccandi iis, qui improbi eſſe velint, præbeamus? hanc eandem ſic tractauit M. Tullius lib. Accuſationis 3. *Quid igitur dicet? feciſſe alios? quid eſt* B *hoc? vtrum crimini defenſio,an comitatus exſilio quæritur? Tu in hac republica, atque in hac hominum libidine, &, vt adhuc habuit ſe ſtatus iudiciorum,etiam licentia non ex iure, non ex æquitate,non ex lege,non ex eo quod licuerit, ſed ex eo, quod aliquis fecerit id quod reprehenditur, rectè factum eſſe defendes? fecerunt aliqui alij,quid alia quàm multa?* &c. ſequitur aliquot verſibus pòſt. *vt ego aſſentiar orationi, defenſionem tamen non probabo. Potiùs enim te damnato,ceteris anguſtior locus improbitatis defendẽdæ relinquetur,quàm te abſoluto,alij quod audaciſsimè fecerunt, rectè feciſſe exiſtimentur.* ERIT ILLI ILLA RES HONORI] quomodo res turpis cuiquam homini qui fecerit, honori eſſe poteſt? ſignificat poëta corrupta eſſe tempora, corruptos mores. MVLCIBER CREDO ARMA F.] Vulcanus credo, inquit Theſprio arma ea fecit,quæ habuit Strathippocles, quia, quemadmodum Achillis arma,quæ à Vulcano fabricata fuerant ad Hectorem hoſtẽ, interempto Patroclo, qui ea gerebat, peruenerũt: ita arma Strathippoclis ad hoſteis quaſi trãſuolarunt.tranſuolaſſe autem dicit,fortaſſe quia opera Vulcani nonnulla,ſua ſponte mouebantur. quin vt Homer.narrat, ἰλ.σ.tripodas fecerat, qui ſua ſponte diuinum certamen inibant, deinde domum reuertebantur. Sic Homerus. Χρύσεα δέ σφ' ὑπὸ κύκλα ἑκάστῳ πυθμένι θῆκεν. Ὄφρα οἱ αὐτόματοι θεῖον δύσονται ἀγῶνα, Ἠδ' αὖτις πρὸς δῶμα νεύιατο, θαῦμα ἰδέσθαι. Iam Vulcanus Mulciber dictus, à C mulcendo,vt vult Pompeius Feſtus, ferro, id eſt, molliendo. mulcere enim, inquit ille, mollire ſiue lenire eſt. Pacuuius. *Quid me obtutu terres? mulces laudibus?* Sed Donatus apud Terentium, ad illum locum Adelphorum. ipſum, dominum, atque omnem familiam mulcauit vſque ad mortem, &c. notat, mulcauit, lacerauit, mutilauit, molliuit, atque diſſoluit. Vnde Mulciber à mulcando, ſic enim legendum apud Donatum, & quod ſequitur. *quaſi Mulciber*, aliunde inuectum eſt. ſed hic Plautus dormitauit. Nam arma,quæ Vulcanus Achilli fabricatus eſt, ad hoſtem Hectorem, Patroclo mortuo non peruenerunt; ſed alia, quæ à Vulcano non fuerant fabrefacta. quod & Camerarius animaduertit. TVM ILLE PROGNATVS THETI. &c.] tum, id eſt, præterea, vel poſtea εἶτα, ille Strathippocles, à Thetide prognatus eſt, vt Achilles ex Thetide natus. Itaque quemadmodum ad Achillem Thetidis filium, armis eius ad Hectorem tranſlatis, Thetis Nerei filia alia arma à Vulcano cuſa attulit. Itaque ſine, Strathippocles arma ſua perdat,id eſt,noli admodum laborare, ſi Strathippocles arma ſua perdat. Nam alia ei arma apportabunt quædam Thetides Nerei filiæ: Notum eſt ex Homeri, ἰλιάδος libro decimooctauo, & decimonono. Thetidem Achilli, armis eius ad hoſtem Hectorem tranſlatis, alia arma à Vulcano cuſa apportaſſe. Profert autem hunc lo- D cum Priſcianus libro ſexto docens *Theti* dictum eſſe à Plauto in ablatiuo pro *Thetide*. quod erat vſitatius. ID MODÒ VIDENDVM EST, VT MATERIES SVPPETAT SCVTARIIS, &c.] id modo prouidendum eſt Strathippocli vt ſcutorum opificibus materies, vnde ſcuta conficiant, ſuppetat. proinde ac ſi dicat, ſi, quoties militatum ibit Strathippocles, & in ſingulis ſtipendiis, ſcutum ſuum, & arma ſua perdet, verendum eſt, ne ſcutorum opificibus deſit materies, vnde ſcuta conficere poſſint. IN SINGVLIS STIPENDIIS] in ſingulis militiis. Nam ſingulæ militiæ ſua habebant ſtipendia. IS.] Strathippocles. EXVVIAS] ſpolia. σκῦλα, ſeu potius λάφυρα, *ad hoſteis exuuias dabit.* autem, id eſt, ſe ab hoſtibus ſpoliari ſinet. SVPERSEDEISTIS REBVS] profert autem hunc locum Nonius in verbo *ſuperſedere*; ſed labitur. Nam ſuperſedere interpretatur, perſeuerare, manere in conſilio, &c. ſed non eſt ita, quandoquidem ſuperſedere valet deſiſtere, ſeu deſinere, vt apud M. Tullium lib. 4. epiſt. ad familiareis, *Tu, ſi videbitur, ita cenſeo, facias: vt ſi habes iam ſtatutum, quid tibi agendum putes, in quo non ſit coniunctum concilium tuum cum meo, ſuperſedeas hoc labore itineris.* Cælius ad Ciceronem lib. 8. *Nam ſi mihi non dediſſet eas, quæ ad ludum ei aduectæ erant, Africanas, potuit ſuperſederi.* Sed exempla, quæ colligit Nonius, potuerunt eum docere, quid ſit *ſuperſedere*. Turpil. Pedio, vt ille har-
[illegible]

ſe ſe abſtineret: ego ſuperſederem nuptiis. Siſenna hiſtor. lib. 4. *De virtute eorum accuſanda prolo-qui ſuperſederunt.* PATREM VIDERE SENEM, &c.] ſic libri quidem veteres habent, ſententia non inepta, neque aliena: ſed librorum vulgatorum lectio fortaſſe non eſt reiicienda, quæ talis eſt, *patrem videre ſe non volt*, &c. id eſt, ſe à patre videri non vult, &c. patris conſpectum fugit, &c. EST CAVSA, QVA CAVSA, &c.] eſt cauſa, quamobrem vnà mecū venire non eſt auſus. CAPTIVAM ADOLESCENTVLAM, &c.] quæ erat eius ſoror, quod ille ignorabat. DE PRÆDA MERCATVS EST.] de iis rebus, quæ ab hoſtibus abactæ, atque aſportatæ erant. FABVLOR] loquor, μυϑεῦμαι. Sic in Moſtell. *neſcit quidem niſi fœnus fabularier.* ANIMI CAVSA.] id eſt, libidinis cauſa. vt animo ſuo morem gerat. vt ea ſeſe oblectet. QVOT ILLIC HOMO ANIMOS HABET?] quot ille homo libidines, & cupiditates habet? VT FIDICINAM, QVAM AM.] ſeni, vt hanc emeret, perſuaſerat Epidicus, cùm diceret eius eſſe filiam ex Epidauria muliere ſuſceptam. ID EI IMPETRATVM REDDIDI] id eſt, id ei confectum, & tranſactum reddidi. Sic loquitur in Mil. glor. *Reddam impetratum.* & impetrare interdum pro conficere, ab eodem vſurpatur: vt ſuprà in Captiuis, *Quod ego quidem minus quàm cupio, vt impetret.* Idem in Caſina. *tamen, Vbi hoc, quod veni in vrbem, vbi impetrauero*, &c. Sed legendum fortaſſis eſt *impetritum.* Sic enim loquebantur antiqui. ſuprà in Aſinar. *Impetritum inauguratum'ſt quouis ammittunt aues.* Ego tamen nihil muto. VTCVMQVE IN ALTO VENTVS EST, &c.] quomodocumque in mari ventus eſt, exinde velū vertitur. allegoria eſt, per quam hoc ſignificat hominum voluntates, & cupiditates prout ſunt tempora, & ex euentis immutari. Sed Turnebus Aduerſar. lib. 20. cap. 4. legit, vt habent libri vulgati, *ex imo velum vertitur*, quomodo habent & nonnulli ex noſtris manuſcriptis, *ex imo* autem, interpretatur, ex ima veli parte. cui aſſentior. & iampridem ita legendum, atque explicandum, exiſtimaueram. REDDE IGITVR] redde igitur, quod tibi dedi, quando acceptum non habes. Nam donatio non valet, niſi is, cui donatur, acceperit. iocus eſt: quo ſignificat Theſprio ſe nolle à ſe dictum eſſe, quod dixit, quando id, quod dixit, negat Epidicus ad interrogatum eſſe reſponſum. redde, inquit, mihi quod tibi dixi, & fac, vt non ſit dictum. AB DANISTA] à fœneratore, à trapezita. IN DIES, MINÁSQ. ARGENTI SING. NVMMIS.] accepit pecuniam illam fœnore, nempe in ſingulos dies, & in ſingulas minas, ſingulis ſeſtertiis nummis. libri vulgati habent, *nummus*: quā lectionem probant quidam, & ſubintelligunt, *ſoluitur.* ſententia autem quidem eſt eadem, ſed libros veteres ſequor. Admonet autem Camerarius, per nummum ſignificari hîc denarium, id eſt, quattuor ſeſtertios nummos, ſeu decem aſſeis. BASILICÈ.] regiè, id eſt, magnificè, fortiter, planiſſimè, prorſus, funditus. QVID IAM?] nonnulli legi volunt *qui iam*? id eſt, quomodo iam periiſti? quod videtur rectiùs. veruntamen nihil mutare auſim. nam ita ſæpè loquitur, niſi fortè vbique legendum ſit, *qui iam.* ILLE, QVI PERDIDIT ARMA, PERDIDIT ME] Iocus in verbo. Sic & Horatius dixit arma perdere, epiſt. ad Quinctium lib. 1. *Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui ſemper in augenda feſtinat, & obruitur re.* Significatur autem Strathippocles, per eum, qui arma perdidit. NAM QVID ITA?] vel, *nam*, poſitum pro, *autem*, vel eſt ἀναστροφή, *nam quid*, pro, *quidnam.* qua de re ſuprà, in Aulularia. princip. ibi. *Nam cùr me miſeram verberas?* SED TACEAM, OPTIMVM'ST.] id eſt, ſed optimum eſt, vt taceam, vel, ſed optimum eſt me tacere. ſermonem inceptum abrumpit, ſe ipſe reprimens, ne ſeruo futili committat arcana, recondita, & ἄῤῥητα: ne loquatur, quæ ſunt tacenda. PLVS SCIRE SATIVS EST, Q. L. S. H.] ſeruum hominem præſtat plus ſcire, quàm loqui. non debet ſeruus homo omnia, quæ ſcit, loqui: ſed multa tacere, & pectore clauſa continere. hæc autem ſummiſſa voce, & quaſi ſecum loquitur Epidicus à Theſprione auerſus, & ad ſpectatores verſus. TIMIDVS ES.] times. timidus, pro timēs. de quo ſuprà. ITA È VOLTV TVO VIDEOR VID. TE C.] ſic edendum curaui, ſententia plana. è voltu tuo, inquit, videor intelligere te aliquid mali in te admiſiſſe & pœnam meritum eſſe. vulgata autem lectio, à qua non diſcrepat antiqua, *ita voltum tuū videor videre commeruiſſe*, &c. ferri non poteſt. COMMERVISSE] commiſiſſe. Sic Terent. Phor. *Nam ſi te ſenſerit timidum pater eſſe arbitrabitur Commeruiſſe culpam.* POTIN', VTI, &c.] potíſne facere, vt ne mihi moleſtus ſis? vel ſic, poteſtne fieri, vt ne mihi moleſtus ſis? ſic in Pſeud. *potin' aliam rem vt cures?* Ibidem, *potin', vt taceas?* in Menæch. *Potin', vt mihi moleſtus ne ſis? non te appello.* DEPERIT] valde amat, ita vt amore pereat. DEGETVR CORIVM DE T. M.] degetur, id eſt, detrahetur, demetur, deripietur. ita Nonius in verbo *degere*, quem ſecutus ſum, reclamantib. lib. veter. qui habent *detegetur*: quomodo edidit Camerar. ſed conſentientibus, & comprobantib. omnibus vulg. QVÀM TE VMQVAM AMAVIT] ineſt in his verbis aliquid turpitudinis, & flagitij. ſignificat enim Theſprio Epidicum Strathippocli aliquādo turpiter inſeruiſſe non ſine pudicitiæ ſuæ iactura. IVPITER TE PERDVIT] Iupiter te perdiderit, ob iſtuc maledictum, quod in me iacis. MITTE NVNC IAM ME] nunc me miſſum fac. QVIA PATREM PR. SE C.] ordo eſt. quia non vult patrem ſe conuenire, & conſpicari prius, quàm id argentum, &c. hic locus cōfirmat reſtitutionem illam noſtram, quæ eſt ſuprà non longè ibi, *Patrem ſe videre non volt etiā nunc.* RES TVRBVLENTA'ST] res eſt turbatū plena. HÆCINE VBI SC. S.] ſermo præciſus, cuius hæc ſentētia eſt, hæcine feret ſenex, vbi ſciet? vel ſic, hæcinè multa



A multa patietur eſſe ſenex, vbi cognoſcet? proinde ac ſi dicat, non faciet. PVPPIS PEREVNDA'ST P.] quandoquidem mihi pereundū eſt, videndū eſt, vt probè peream, atq. vt ita dicam, honeſtè cadam. vel ſic, quandoquidem puppis perire debet, vel quando puppim perire neceſſe eſt, id eſt, tergum meum, danda mihi opera eſt, vt probè pereat, præclaro ſcilicet aliquo facinore facto. allegoria eſt: ſignificat enim quando ſibi pereundum ſit, magnificè, & glorioſè pereundum eſſe: quemadmodum dicebat Catilina ſe incendium ſuum non aqua, ſed ruina reſtincturum. Salluſt. in bello Catil. Cicero pro Murena. ſecutus autem ſum libros veteres omneis, à quibus non diſcrepant vulgati. Et verò hanc lectionem confirmant ea, quæ deinceps ſequuntur, *quid iſtud ad me attinet, quo tu intereas modo?* Camerarius tamen poſſe legi putat *perciunda*, vt percire puppim, dictum eſſe à Plauto intelligamus pro eo, quod dicunt Græci, κρούεσθαι πρύμναν. hoc eſt, pulſare puppim. ego nihil muto: neque tamen Camerarij coniecturam damno: ſed totam rem iudicio lectoris relinquo, ac permitto. Quod ſi quis *perciunda* probaret: ſic putarem hunc locum explicandum, quando mihi tantum periculum impendet, vel quandoquidem in tantum diſcrimen veni, videndum mihi eſt, vt ex hoc ipſo diſcrimine, in quo verſor, me in tutum aliquem portum recipere poſſim: vel videndum mihi eſt, vt ſim ad fugam paratus, expeditus, atque inſtructus, ſi fortè ſenis iram fugere opus ſit. Naues enim ex alto in portum B appulſæ, cùm proram habeant tum portui obuerſam, continuò remorum pulſu ita conuertuntur, vt puppis portum, prora altum ſpectet. Virgil. lib. 6. *Obuertunt pelago proras*, ſed, vt dixi, lectionē receptam tueor. QVIA PERIRE SOLVS NOLO, &c.] ſic apud M. Tull. in Catilinar. 2. *Nam illud non intelligo, quamobrem ſi viuere honeſtè non poſſunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros ſe cum multis, quàm ſi ſoli pereant, arbitrentur.* BENEVOLENTEM CVM BENEVOLENTE] te beneuolente, mecum perire volo beneuolente. ABI IN MALAM R. M.] ſermo malè precantis. CVM ISTAC CONDIC.] per quam non vis ſolus mori, ſed me tecum mori poſtulas. ILLIC] ille. SOLVS NVNC ES.] nunc quid libet dicere licet. quia ſolus ſum: neque metuendum mihi eſt, ne quis, quod hîc dixerim, diuulget. loquitur autem ſecum Epidicus hoc modo, ſolus nunc es Epidice. IN TETE] in teipſo. in tua ipſius virtute. ABSVMTVS ES] periiſti. TANTÆ IN TE IMP. R.] Tantæ tibi impendent ruinæ. NISI SVFFVLCIS FIRMITER] niſi te, tanquam ædificium ruens, & ruinæ proximum, ſeu ruinoſum, ſubiectis veluti tibi ciuibus validè fulcis: &c. vel niſi nauim fluctibus, & procellis iactatam arte aliqua fulcis, & ſuſtines, &c. allegoria eſt. SVBSISTERE.] ὑφίστασθαι. ITAQ. IN TE IRR. M. M.] & ita montes mali in te ruunt: montes C mali. id eſt, ingentia mala. tralatio eſt. Sic Cicero dixit, *moles moleſtiarum.* ſic Cornif. lib. 4. *qui montes belli fabricatus eſt.* Sic Homerus νέφος. Idem Plautus Moſtell. *Ita mali mæroris montem maximum adportem modò conſpicatus ſum:* Idem in Mercat. *Monteis tu quidem mali in me ardenteis iamdudum iacis.* NEQVE EGO NVNC, QVOMODO ME EXP.] id eſt, neque mihi conſilium vllum probatur, ſeu neque ego nunc conſilium vllum idoneum reperio, quo me impeditum expediam. PERPVLI] vſque ad extremum impuli. eo vſque impuli, dum caderet. ſenē meis dolis coëgi: ſeni meis dolis vim attuli. VT CENSERET] vt exiſtimaret, &c. SVAM FILIAM] ex Epidauria muliere ſuſceptam. IPSE] filius eius. QVAM ABIENS MAND. M.] quam abiens mandauit mihi, vt emendam curarem. ALTERAM] amicam, quam neſcit eſſe ſororem ſuam. CORIVM PERDIDI.] corium, id eſt, δέρμα, pellem, quæ lacerabitur virgis, vt ſtatim ipſe Epidicus dicit. NAM IAM VBI SENEX SENSERIT, &c.] nam vbi primum ſenex cognouerit ſibi fucum eſſe factū, non dubium eſt, quin dorſum meum virgis ſpoliet, id eſt, quin meum corium virgis concîdat, & dilaceret. AT ENIM TV P.] ſecum ipſe ſermocinatur. NIHIL EST ISTVC.] nullum commentum, aut conſilium reperire poſſum, quo mihi præcaueam: aut ſi quid reperio, inane, & inutile eſt. PLANÈ HOC D CORRVPTVM'ST C.] planè ego totus perij. NEQVAM HOMO ES, &c.] reprehendit ſe ipſe, quòd ita animum deſpondeat, neque animū fortem & præſentē præbeat. QVI TIBI LIB. EST M. L.] quî tibi libet malè loqui? totus hic locus feſtiuo dialogiſmo exornatus eſt. QVIA TVTE TETE DESERIS.] referendum ad illud, nequam homo es, hoc modo. nequam homo es Epidice, quia tu ipſe tibi dees. homo nihili es, & nullius frugi, qui te ipſe deſeris. nam qui ſe ipſe deſerit, multo facilius alios deſeret. QVID FACIAM?] reſpondet ipſe ſibi, quid faciam? inquit. proinde ac ſi dicat, quid aliud facere poſſum? quid eſt, quod facere poſſim? ſi qua ratione mihi ipſe opitulari poſſem, non me deſererem, non mihi deeſſem. nunc autem cùm mihi nihil veniat in mentem, quo me impeditum expediam: & me deſeram, & me periiſſe clamem neceſſe eſt. TV QVIDEM ANTEHAC ALIIS SOLEB. D. CONSILIVM M.] id eſt, tu antehac ita conſiliis abundabas, vt etiam aliis mutua dare poſſes: tractum eſt à pecunia, quæ mutuo datur. vt enim nemo egens alteri mutuo dare poteſt: ita qui alteri dat mutuo, intelligitur plus habere, quàm ſibi ſatis ſit. Tibi igitur Epidice, qui antehac aliis conſilia mutua dare ſolebas, conſilia ſuperſint, neceſſe eſt, quibus ipſe vtare, & quibus te impeditum expedias. HVC CONCEDAM] in hunc locum me conferam. VNDÈ] ex quo loco. PLACIDÈ] ſine ſtrepitu, tacitè, tranquillè. PERSEQVAR.] auribus ſcilicet, hoc eſt, percipiam, audiam. tralatio eſt à pedibus ad aureis.

STRATHIPPOCLES, CHERIBVLVS adoleſcens. A
EPIDICVS ſeruus.

ST. REM tibi ſum elocutus omnem Cheribule,atque admodum
Meorum mærorum,atque amorum, ſummam edictaui tibi.
CH. Præter ætatem & virtutem ſtultus es Strathippocles,
Idne pudet te, quia captiuam genere prognatam bono
In præda es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?
ST. Qui inuident, omneis inimicos mihi iſtoc facto repperi:
At pudicitiæ eius nunquam nec vim, nec vitium attuli.
CH. Iam iſtoc probior es meo quidem animo, cùm in amore temperes. B
ST. Nihil agit qui diffidentem verbis ſolatur ſuis.
Is eſt amicus, qui in re dubia re iuuat,vbi re eſt opus.
CH. Quid tibi me vis facere? ST. argenti dare quadraginta minas,
Quod Daniſtæ detur, vnde ego illud ſumſi fænore.
CH. Si hercle haberem, non negarem. ST. nam quid te igitur retulit,
Beneficum eſſe oratione, ſi ad rem auxilium emortuum eſt?
CH. Quin ædepol egomet clamore defatigor, differor.
ST. Malim iſtiuſmodi mihi amicos furno merſos, quàm foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioſo velim,
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo,
Niſi hodie prius comparaſſit mihi quadraginta minas, C
Quam argenti fuero elocutus ei poſtremam ſyllabam.
EP. Salua res eſt. bene promittit. ſpero, ſeruabit fidem.
Sine meo ſumtu paratæ iam ſunt ſcapulis ſymbolæ.
Aggrediar hominem, aduenientem peregrè herum ſuum Strathippoclem
Salua impertit ſalute ſeruus Epidicus. ST. vbi is eſt? EP. adeſt.
Saluũ te gaudeo aduenisse. ST. tam tibi iſtuc credo,quàm mihi.
EP. Benéne vſque valuiſtin'. ST. à morbo valui, ab animo æger fui.
EP. Quod ad me attinuit, ego curaui: quod mandaſti mihi, D
Impetratum eſt, emta ancilla'ſt, quod tu te ad me litteras
Miſſiculabas. ST. perdidiſti omnem operam. EP. nam quid perdidi?
ST. Quia meo neque cara'ſt cordi, neque placet. EP. quid retulit
Mihi tantopere te mandare,& mittere ad me epiſtolas?
ST. Illam amabam olim,nunc iam alia cura impendet pectori.
EP. Hercle miſerum'ſt ingratum eſſe hominem,id quod facias bene.
Ego quod benefeci, malefeci: qui amor mutauit locum.
ST. Deſipiebam mentis, cùm illas ſcriptas mittebam tibi.
EP. Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam?
Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum.

Quid



A CH. Quid iſtic verba facimus? huic homini opus eſt quadraginta minis,
Celeriter, calidis,Daniſtæ quas reſoluas, & citò.
EP. Dic modò,vnde auferre me vis? à quo trapezita peto?
ST. Vnde libet. nam ni ante ſolis occaſum hoc argentum eloces
Meam domum ne imbitas. tu te in piſtrinum rectà inferas
EP. Facilè tu iſtuc ſine periclo, & cura corde libero
Fabulare: noui ego noſtros, mihi dolet quum ego vapulo.
ST. Quid tu nunc? patierin' vt ego me interimam? EP. ne feceris,
Ego iſtuc accedam periculum potius, atque audaciam.
ST. Nunc places, nunc ego te laudo. EP. patiar ego iſtuc quod lubet.
B ST. Quid de illa fiet fidicina igitur? EP. aliqua reperibitur:
Aliqua ope exſoluam, extricabor aliqua. ST. plenus conſilij es,
Noui ego te. EP. eſt Euboicus miles locuples multo auro potens,
Qui vbi tibi iſtam emtam eſſe ſcibit,atque hanc adductã alteram,
Continuò te orabit vltrò, vt illam tranſmittas ſibi.
Sed vbi illa eſt, quam tu adduxiſti tecum? ST. iam faxo,hic erit.
CH. Quid hic nunc agimus? ST. eamus intrò ad te,vt hũc hodie diem
Luculentè habeamus. EP. ite intrò,ego de re argentaria
Iam ſenatum conuocabo, in corde conſiliarium,
Cui potiſſimum indicatur bellum, vnde argentum auferam.
Epidice vide quid agas,ita res ſubitò obiecta eſt tibi.
C Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia eſt.
At eundem ſenem oppugnare, certum eſt conſilium mihi:
Ibo intrò, atque adoleſcenti dicam noſtro herili filio,
Ne hic foris ambulet, néue vſquam veniat obuiam ſeni.

SVMMAM] τὸ κεφάλαιον. EDICTAVI TIBI] expoſui tibi. in Menæchm. *Omnia hercle ego edictaui.* PRÆTER ÆTATEM, ET VIRTVTEM.] non conuenit tuæ ætati; neque virtuti tuæ, te ita ſtultum eſſe: non decet iſtam ætatem, neque virtutem, te ita ſtultum eſſe: ætas tua,& virtus tua poſtulant, vt ſapias. ID NE PVDET TE, QVIA, &c.] ſic Horat. ad Xanthiam Phoceum oda 4. lib. 2. *Ne ſit ancillæ tibi amor pudori, Xanthia Phoceu prius inſolentem Serua Briſeis niueo colore Mouit Achillem,*&c. QVIS ERIT VITIO QVI ID V. T?] quis erit, qui te eo nomine vituperet? quis erit, qui te idcirco vitioſum eſſe arguat? quis erit,qui hoc tibi,tanquam vitium,obiiciat? ſic infrà ead. fab. *Atque hæc ſtultitia'ſt me illi vitio vortere, Egomet quod factitaui in adoleſcentia.* QVI INVIDENT.] vel ad ſuperiora pertinet: hoc modo, qui inuident,id mihi vitio vertent. vel ad ea,quæ ſequuntur,hoc modo, omneis eos mihi inimicos reddidi, qui inuident. OMNEIS INIM. MIHI ISTOC. F. R.] omnium inimicitias ob iſtud factum, mihi conflaui,quia hanc puellam emi. MEO QVIDEM ANIMO.] mea quidem ſententia. κατ᾽ ἐμὴν γνώμην. CVM IN AMORE TEMP.] cùm tibi in amore temperes: cùm tibi in amore modereris. quod eſt difficile factu. NIHIL AGIT, QVI DIFFID. VERB. S. S. &c.] inanem operam ſumit,ſeu nihil adiuuat, qui hominem ægrum,& ſuis rebus diffidẽtem verbis non re conſolatur,& erigit. Iſque verus demùm amicus eſt, qui amicum in re dubia, id eſt,in periculo,& diſcrimine aliquo re iuuat,ac ſubleuat. ſignificat non ſatis eſſe, hominem rebus ſuis diffidentem,verbis conſolari: ſed re quoque adiuuandum eſſe, atque adeò multo magis. NAM QVID TE IGITVR RETVLIT, &c.] id eſt,quidnam igitur attinuit,ſeu quidnam igitur profuit,te verbis eſſe liberalem,ſi re mihi auxilium non fers? id eſt,ſi pecuniam, & nummos. *retulit* prima longa ab imperſonali *refert.* Sic Terentius in Heautontim. *Edixin' tibi non interminatus ſum, ne faceres? num veritu's? quid retulit?* vbi notat Donatus ad illud, *quid profuit? quid interfuit?* & Plautus noſter, infrà eadem ſcena. *quid retulit mihi tantopere te mandare, & mittere ad me epiſtolas?* in editione Camerariana ſcriptum eſt hoc verbum cum duplici tt.

mendoſè: debet enim cum vno ſcribi. QVIN EGO CLA. DEFAT. DIFF.] dicis auxilium A apud me eſſe ad rem emortuum, & ita nullā rem à me tibi præſtari. Immo verò ego ipſe clamore conficior, & diſtrahor. & dirumpor, dum pecuniā ab iis, qui mihi debent, flagito. vel ſic, vt mauult Camerarius. Quin ego ipſe magnum æs alienum contraxi, & mei creditores nummos ſibi debitos exigentes, me clamore ſuo obtundunt, atque enecant. DIFFEROR.] diſcrucior, dilaceror, διαφέρομαι. Terent. Adelph. *differor doloribus*. MALIM ISTIVSMODI AMICOS FVRNO M. Q. F.] paronomaſia eſt in nominibus foro, & furno. furno merſi autem intelliguntur ære alieno, & circunforaneo obruti. In foro enim ſunt fœneratores. Hoc igitur dicit Strathippocles, Cleobulo ſuccenſens, quòd ab eo re non iuuetur: malim mihi iſtiuſmodi amicos, qualis mihi tu es, eſſe furno merſos, & in furnum calidum conditos, quàm foro merſos, id eſt, ære alieno obrutos, vt te eſſe ſignificas, cùm te à creditoribus tuis inclamari dicis. His verbis Strathippocles malè precatur Cheribulo, & eius ſimilibus: (longè autem peius eſt, furno merſum eſſe, quàm foro) ſimúlque ſignificat taleis amicos, qualis eſt Cheribulus, nihilo plus prodeſſe amicis ſuis in foro, quàm in furno. in foro prodeſſe non poſſunt, quia cùm ipſi id quod debent, expedire non poſſint, multò minus credibile eſt, eos à fœneratoribus pecuniam pro aliis mutuam impetrare poſſe. in furno prodeſſe non poſſe, in promptu eſt.
B PRETIO PRETIOSO] magno pretio, ſic dictū pretio pretioſo, vt amœnitas amœna, nitoribus nitidis, ludi ludificabiles, & ſimilia, de quibus alibi. ſic infrà non longè *ſalua ſalute*. IRRIGATVM PLAGIS PISTORI DABO] crebris plagis conciſum in piſtrinum dabo. irrigatum plagis, tralatè dictum. videtur autem ductum à farina, quæ aqua irrigata piſtori datur, vt ex ea conficiatur panis. COMPARASSIT] compararit, alicunde eruerit. PRIVS COMP. M. QVADRA. M. QVÀM, &c.] hyperbole eſt, quin ne fieri quidem poteſt, vt tam citò Epidicus pecuniam reperiat, ſed exprimitur amantis affectus. SALVA RES EST.] ironia eſt. SERVABIT FIDEM] faciet quod promittit. ratio hæc eſt, quare ſalua res ſit. ſed nobis ſeruari fidem volumus in rebus optatis, & vtilibus: non in malis, & damnoſis. ſic autem legendum non vt habent libri vulgati, *ſeruabit id*, neque vt edidit Camerarius, *ſeruabit itidem*. ſic autem eſſe legendum conieci, tum ex ſententia, quæ hanc ſcripturam poſtulat, atque adeò flagitat, tum ex antiqua noſtrorum aliquot librorum, qui habent partim *ſeruabit tidem*, partim *ſeruabit idem*, ſcriptura. SINE MEO SVMTV PARATÆ IAM SVNT SCAP. SYMB.] iocus à ſymbolis, & cenis collatiuis tractus. erant autem ſymbolæ, collectæ, ſeu pecuniæ, quæ ab iis, qui communi ſumtu erant vnà cenaturi, conferebantur. Terent. in Andria. *Eho quid Pamphilus? quid? ſymbolam dedit*. Idem Eunuch. *Heri aliquot adoleſcētuli coimus in* C *Piræeo, in hunc diem, vt de ſymbolis eſſemus: Cheræam ei rei præfecimus*, &c. ſignificat paratas eſſe ſuis ſcapulis plagas frequenteis & crebras, quæ tanquam ſymbolæ, diuerſis ex partibus in ſcapulas ſuas conferentur. SALVA IMPERTIT SALVTE] ſalua ſalute, id eſt, ſumma ſalute. A MORBO] à corporis morbo. AB ANIMO] ab animi mœrore. QVOD AD ME ATTINVIT,] quod meum fuit: quod mei officij fuit. IMPETRATVM EST] confectum, & tranſactum eſt. QVÒD TVTE AD ME LITT. MISSICVL] quod, id eſt, propter quod: vel *quòd*, cum accentu graui, quia. *miſsiculabas* autem, id eſt, crebrò mittebas: miſſitabas. vel dicamus miſſiculare, eſſe paruula quædam mittere: & litteras miſſiculare, eſſe paruulas litterulas mittere. NAM QVID PERDIDI?] quidnam, ſeu propter quidnam perdidi? nam quid, pro quidnam ἀναστροφή. QVIA MEO NEQVE CARA'ST CORDI, &c.] quia neque animo meo cara eſt, &c. licebat dicere detracta voce, *cara* hoc modo, quia neque mihi cordi eſt, neque placet. QVID RETVLIT, &c.] quid profuit, &c. *retulit* prima longa, imperſonale ab indicatiuo *refert*, quo ſuprà vſus eſt ead. ſcena. *Nam quid te igitur retulit*, &c. ALIA CVRA] alius amor. HERCLE MISERVM'ST INGR. ESSE HOM.] ordo, & ſententia eſt, profectò miſerum eſt te ei de quo bene me- D rearis, gratum non eſſe, in eo quod facias bene iam illud, te, ei, de quo bene merearis, &c. ſecunda perſona eſt pro tertia non definita: vt ſi ita dixiſſet, miſerum eſt, eum, qui alicui benefecerit, gratum non eſſe ei, cui benefecerit, in eo, quod benefecerit. Sed hæc quoque ſcriptura in nonnullis manuſcr. codicib. reperitur: *hercle mirum'ſt gratum eſſe hominem id, quod facias bene*. Cuius ſcripturæ fortaſſis hæc ſententia poſſit eſſe. profectò mirum eſt, quemquam hominem gratum reperiri in eum, de quo bene meritus ſit, & eius beneficij, quod acceperit, nomine, cum tu ingratus ſis, neque mihi vllam gratiam habeas eius rei, quam tuo mandatu feci. Ego priorem ſcripturam, & ſententiam huic antepono. QVI AMOR MVTAVIT LOCVM.] quia eam, quam olim amabas, amare deſiiſti: & nunc aliam amas. DESIPIEBAM MENTIS, CVM, &c.] deſipiebam mentis, ſeu mente, ſic dictum, vt pendere animi, ſeu animo, cruciari animi, ſeu animo, angi animi, ſeu animo: æger, ſaucius, infœlix animi, ſeu animo: & ſimilia ſexcenta. CÙM ILLAS SCRIPTAS M.] cùm illas litteras mittebam ad te: cùm illas tabellas ſcriptas dabam ad te. MEN' PIACVLAREM OP. F. &c.] méne oportet propter ſtultitiam tuam plecti? méne par eſt ſtultitiæ tuæ pœnas dare? an me oportet piaculum ſtultitia tua admiſſum luere? ánne oportet ſtultitiam tuam meis ſcapulis, & meo ſupplicio expiari? VT MEVM TERGVM STVLTI-

TIÆ



A TIÆ TVÆ SVBDAS SVCCID.] A. Gellius lib. 4. cap. 6. hunc locum proferens, Succidaneæ hoſtiæ, inquit, dicuntur, è littera per morem compoſiti vocabuli in, i, litteram commutata. nam quaſi ſuccedaneæ appellatę ſunt, quoniam ſi primis hoſtiis litatum non erat, alię poſt eaſdem ductæ hoſtiæ cædebantur, quæ quaſi prioribus iam cæſis, luendi piaculi gratia ſubdebantur, & ſuccedebant, ob id ſuccidaneæ nominatæ, littera, i, ſcilicet, tractim nominata. tergum igitur ſuccidaneum poſuit Plautus pro eo tergo, quod pro aliena culpa cædatur. Feſtus. *ſuccidanea hoſtia dicebatur, quæ ſecundo loco cædebatur, ſic appellata à ſuccedendo*. CALIDIS] recentibus. quàm primum, & celerrimè repertis θερμαῖς. RESOLVAS] reddas, reſcribas. NAM NI ANTE SOLEM OCCASVM HOC ARGENTVM ELOCES, &c.] hic verſus in pleriſque libris lacer, & mutilus eſt. ſic enim ſcriptus eſt. *Vnde libet. Nam ni ante ſolem occaſum elo.* * *. quidā ex *elo* faciunt ἕλω, id eſt, abſtulero: alij, ἔχω, id eſt, habeam. Ego docti cuiuſdam viri fidem ſecutus, qui ſe ita ſcriptum reperiſſe in antiquiſſimo codice teſtatus eſt: ita edidi. *Vnde libet. nam ni ante ſolem occaſum hoc argentum eloces*, &c. id eſt, niſi ante ſolis occaſum has quadraginta minas ex aliquo loco eruas: vel ex ſuo loco auferas, & ad me afferas, &c. *ſolem occaſum*, autē, dictum eſt antiquè, vt eſt in xij. tabulis. *Sol occaſus, ſuprema diei tempeſtas eſto*. MEAM DOMVM NE IMBITAS] meam domum ne introeas. beto, is antiquum verbum, quod valet eo, is, hinc compoſi- B ta, imbito, imbitis, perbito, perbitis, rebito, rebitis, &c. de quibus alibi. TV TE IN PISTRINVM RECTÀ INFERAS] tu te in piſtrinum rectà conferas, ſeu coniicias. Hic quoque verſus lacer eſt in pleriſque libris, ſed in vno ſic erat expletus. *tu te in piſtrinum rectà inferas*. quam lectionem recepimus, vt & ſententiæ conuenientem, & ſuis numeris conſtantem. CORDE LIBERO] animo libero, ac ſoluto. FABVLARE] fabularis, loqueris. NOVI EGO NOSTROS.] noui ego eos, qui è familia noſtra ſunt. noti ſunt mihi familiares, ac domeſtici noſtri. PATIERIN', VT EGO ME, &c.] patieríſne, vt ego mihi manus afferā, & me ipſe occidam? ACCEDAM] adibo. ALIQVA REPERIBITVR] aliqua via reperietur. ALIQVA OPE EXSOLVAM, EXTRICABOR ALIQVA.] aliqua ope me exſoluam, aliqua ope his tricis, id eſt, impedimentis expediam me, ſeu expediar. profert Nonius in voce *tricæ*. EST EVBOICVS MILES, QVI, &c.] hoc eſt commentum Epidici, quo quadraginta minas à ſene aufert. Euboicus autem, ab Eubœa dictus. MVLTO AVRO POTENS] aurum potens eſt, & ictu fulmineo potentius, vt ait Horat. Oda XVI. lib. 3. *ictu fulmineo*. quare probabiliter, qui auro abundant, ſunt potentes: quia eo freti, quiduis efficere poſſunt. ISTAM] quæ eſt apud patrem. SCIBIT,] ſciet. LVCVLENTÈ HAB.] hilariter, iucundè, ſplen- C didè, opiparè λιπαρῶς, traducamus. EGO DE RE ARGENT. IAM SENATVM CONVOCABO, &c.] ego de re argentaria, id eſt, de argento, apud me conſultabo. conuocabo ſenatum conſiliarem: tralatè dictum à ſenatu, cuius erat de rebus maximis conſultare. ſuprà in Aulularia. *Quid tu te ſolus de ſenatu ſeuocas?* Idem in Moſtell. *Dum mihi ſenatum conſilij in cor conuoco*. ibidem. *Capio conſilium, vt ſenatum congerronum conuocem: Quem cùm conuocaui, atque illi me è ſenatu ſegregant*. Idem in Milite gl. *frequens ſenatus poterit nunc haberier*. CVI POTISSIMÙM INDIC. B.] conſultabo apud me, cui potiſſimùm inſidiæ à me comparētur, vel cui potiſſimùm bellum denuntietur, à quo argentum auferam. tralatio, ſeu potius allegoria eſt. EPIDICE] ſe ipſe alloquitur, & hortatur. DORMITANDVM] negligenter, & ſomniculosè agendum. tralatio eſt. Dormitare Græci dicunt νυστάζειν quod valet dormiturire, & ſomno vrgeri, ſeu grauari. Horat. in epiſt. ad Piſo. & idem. *Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus*. Hinc dormitatores, qui alıud agunt, quíque negligenter & ſomniculosè verſantur in eo, quod agere debent. NEQVE CVNCTANDI COPIA'ST] neque cunctandi locus eſt, ſeu neque cunctari licet. AT EVNDEM SENEM OPPVGNARE] ſuprà dixit bellum indicere, eundem ſenem videlicet, quem oppugnaui, quémque adeò expugnaui, & decepi in Fidicina emenda, quam ille filiam D ſuam ex Epidauria muliere natam eſſe putat.

## APOECIDES, PERIPHANES, ſenes duo.

PLerique homines, quos quum nihil réfert, pudet, vbi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor, quum vſus eſt vt pudeat. is adeò tu es. quid
Eſt quod pudendum ſiet, genere natam bono, pauperem, domum
Ducere vxorem, præſertim eam. qua ex tibi commemores
Hanc, quæ domi eſt, filiam prognatam? PE. reuereor filium.
AP. At pol ego te credidi vxorem, quam tu extuliſti, pudore exſequi,

Cuius quoties ſepulcrum vides, ſacruficas illico orco hoſtiis: A
Neque adeò iniuria, quia licitum eſt eam tibi viuendo vincere.
PE. Oh Hercules ego fui, dum illa mecum fuit: neque ſexta ærumna
Acerbior Herculi, quàm illa mihi eſt obiecta. AP. pulcra.
Edepol dos pecunia eſt. PE. quæ quidem pol non maritata'ſt.

PLERIQVE HOMINES] ſubintellige, ſunt. CÙM NIHIL REFERT.] cùm nihil attinet: cùm nihil prodeſt. IBI EOS DESERIT PVDOR] ibi à pudore derelinquuntur. QVOM VSVS EST, VT PVDEAT.] cùm opus eſt eos pudore affici. notanda hęc iteratio. Nam ſuprà dixit, vbi pudendum eſt, id eſt, vbi pudere eos debet. dicit nunc quom vſus eſt, vt eos pudeat. ſic ſæpe loquuntur boni ſcriptores. IS ADEÒ TV ES.] talis adeò tu es. QVID EST, QVOD PVDENDVM SIET, &c.] corruptus erat hic locus in omnibus libris, in quibus ita legitur, *qui Des, quod pudendum ſiet*, quæ lectio ferri non poteſt, neque ex ea probabilem vllam ſententiam elicere licet. ego autem coniectura certiſſima ductus d. littera coniuncta cum prouocabulo *qui*, & addita vna littera, vt ex *es*, fieret *eſt*, locum mendoſum emendaui, ac perpurgaui, vt ſentētia aptiſſima, & planiſſima ex eo eliciatur. quid eſt, inquit, Apœcides, quod ſit pudendum, id eſt, quamobrem te pudere debeat, ducere vxorem domum fœminam bono genere natam, pręſertim eam, ex qua dicas hanc, quæ domi eſt, filiam eſſe natam? Epidauriā illam mulierem ſignificat, quæ hîc non nominatur, ex qua nata erat Periphani filia, quam ſe putabat habere domi. REVEREOR FILIVM] αἰδοῦμαι τὸν παῖδα, filium pudore proſequor, filius me pudore afficit. AT POL EGO TE CREDIDI VX. &c.] proinde ac ſi dicat, at pol erat æquius te vxorem mortuam pudore proſequi, ſeu exequi: id eſt, erat æquius te vxoris mortuæ pudore & reuerentia à nouis nuptiis deterreri, quàm pudore, & reuerentia filij, &c. QVAM TV EXTVLISTI] quam tu foras ad rogum extuliſti. efferri dicuntur mortui, cùm domo in rogum portantur. Teren. And. *Effertur, imus*. PVDORE EXSEQVI] pudore, & reuerētia proſequi. Hinc exſequiæ dictæ ſunt: & exſequias mortuis facere. M. Tull. Tuſcul. CVIVS QVOTIES SEP. VIDES, SACR. &c.] Cuius ſepulcrum quoties vides, toties Orco hoſtias immolas, gratiam ei referens, quòd te vxore loquaci, & odioſa liberarit, & quia, vt ſubiicit, licuit tibi eam viuendo vincere. Non ſemel lectorem admonuimus viros introduci à Plauto vxorum oſores. SACRVFICAS ILLICO ORCO HOST.] vtroque modo dicere licet, ſacrificas Orco hoſtias, & ſacrificas Orco hoſtiis. Orco autē, id eſt, ᾅδῃ, Plutoni. Orcus ab vrgendo dictus, inquit Feſtus. NEQVE ADEÒ INIVRIA: QVIA LICITVM'ST T.] Neque verò iniuria, id eſt, immeritò, Orco ſacrificas, quia licuit tibi eam viuendo ſuperare, id eſt, quia tibi datum eſt, vt eſſe poſſes ei ſuperſtes. Viuendo vincere dixit, & Lucret. lib. 1. *Multáque viuendo vitalia vincere ſecla*. & lib. 3. *Omnia ſi pergas vincendo vincere ſecla*. O H.] interiectio lætitiam declarans. HERCVLES EGO FVI, DVM ILLA M. F.] ærumnoſus ego fui, vt Hercules, quandiu illa mecum vixit. mecum fuit, ἐμοὶ συνῴκησε. NEQ. SEXTA ÆRVMNA, &c.] Virgil. in epigr. *Abſtulit hyppolitæ ſexto ſua vincula victæ*. ſignificat ſibi cum vxore, dum vixit illa, ſemper fuiſſe certādum, vt Herculi cum Hyppolita. PVLCRA AEDEPOL DOS PEC.] id eſt. dos profectò pulcra pecunia eſt. QVÆ QVIDEM POL NON MARITATA'ST] dixerat Apœcides pecuniam pulcram dotem eſſe. Reſpondet Periphanes id verum eſſe, ſi modò pecunia illa non eſt maritata, ſi non eſt cum muliere coniuncta, hoc eſt, ſi non eſt ab vxore profecta: vel ſic, ſi ad virum peruenit, & penes virum eſt, vxore mortua, & ſi vxor, quę eam ad virum attulit, mortua eſt. vel ſic, dixerat Apœcides dotem pulcram pecuniam eſſe: quod valet optandum eſſe vxorem dotatam domi habere: cui reſpondet Periphanes, id ſe concedere verum eſſe, ſi modò dos illa non ſit tanquam vxor ducta. quia ij ferè, qui vxores dotatas domum ducunt, pecuniæ, & dotis cauſa vxores ducunt, & idcirco vxoribus ſuis ſeruire coguntur. hoc igitur eò dicit, quòd vxores dotatæ plerumque regere virum, & imperare viro volūt. Sic in Aulu. *Nam quæ indotata'ſt, ea in poteſtate'ſt viri, Dotatæ mactant, & malo & damno viros*. Idē in Aſinar. *Argentum accepi dotem imperium vendidi*. profert autem hūc Plauti locum Porphyrio ad illud Horat. quod eſt in carmine ſeculari. *proliſque nouæ feraci lege marita:* videtúrq. legiſſe, *quæ quidem pol non marita'ſt*. ſic enim ille maritam autem legem videtur auctoritate Plautina dixiſſe, pro maritali. Similiter autem & ille locutus eſt, vbi ait ſenex, *pulcra ædepol dos pecunia'ſt*. Alter reſpondit, *quæ quidem non marita'ſt*, pro eo, quod eſt, quæ non maritalis eſt.

EPIDICVS ſeruus. APOECIDES, PERIPHANES, ſenes duo.

ST. tacete, habete animum bonum liquido exeo foras
Auſpicio, aui ſiniſtra, acutū cultrum habeo, ſenis qui exēterem

Marſupium



A Marſupium. ſed eccum ipſum ante ædis conſpicor Apœcidæ,
Qualeis volo vetulos duos. iam ego me conuortā in hirudinē,
Atque eorum exſugebo ſanguinem: ſenati, qui columen cluent.
AP. Continuò vt maritus fiat. PE. laudo conſilium tuum.
Nam ego illum audiui in amore hærere, apud neſcio quam fidicinam.
PE. Id ego excrucior. EP. di hercle me omnes adiuuant, augent, amant.
Ipſi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab ſe argentū auferam.
Age nunc iam orna te Epidice, & palliolum in collum coniice,
Atque diſſimulato, quaſi per vrbem totam hominem quæſiueris.
B Age ſi quid agis, dij immortales, vtinam conueniam domi
Periphanem, per omnem vrbem, quem ſum defeſſus quærere:
Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circúmque argentarias.
Rogitando ſum raucus factus, pæne in curſu cóncidi.
AP. Epidice. EP. Epidicum quis eſt qui reuocat? PE. Ego ſum Periphanes.
AP. Et ego Apœcides ſum. EP. & ego quidem ſum Epidicus, ſed here, optuma
Vos video ambo aduenire opportunitate. PE. quid rei eſt?
AP. Mane, ſine reſpirem quæſo. PE. imò acquieſce. EP. animo
C malè eſt.
Recipiam anhelitum. AP. clementer acquieſce. EP. animum aduortite.
A legione omnes remiſſi ſunt domum Thebis. AP. quis hoc
Scit factum? EP. ego ita factum eſſe dico. PE. ſcin' tu iſtuc?
EP. ſcio.
PE. Quî tu ſcis? EP. quia ego ire vidi milites plenis viis,
Arma referunt, & iumenta ducunt. PE. nimis factum bene.
Tum captiuorum quid ducunt ſecum? EP. pueros virgines,
Binos, ternos, alius quinque, fit concurſus per vias.
D Filios ſuos quiſque viſit. PE. hercle rem geſtam bene.
EP. Tum meretricum numerus tantus, quantum in vrbe omni fuit.
Obuiam ornatæ occurrebant ſuis quæque amatoribus:
Eos captabant. id adeò quàm maximè animum aduorterim,
Plerǽque hæ ſub veſtimentis ſecum habebant retia.
Quom ad portum venio, atque ego illam illic video pręſtolarier,
Et cum ea tibicinæ ibant quatuor. PE. qui cum Epidice?
EP. Cum illa quam tuus annos multos deamat, deperit?
Vbi fidémque, rémque, ſéque, téque properat perdere,
Ea præſtolabatur illum apud portam. PE. viden' veneficam?
EP. Sed veſtita, aurata, ornata, vt lepidè? vt concinnè? vt nouè?
PE. Quid erat induta, an regillam induculam, an mendiculam?

EP. Impluuiatam,vt iſtæc facimus veſtimentis nomina. A
Vt in impluuium induta erat. PE. quid autem iſtuc mirabile'ſt?
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias,
At tributus cum imperatus eſt,poteſſe pendi negant:
Illis,quibus tributus maior penditur,pendi poteſt.
Quid iſtæ,quæ veſti quotannis nomina inueniunt noua?
Tunicam rallam,tunicam ſpiſſam,linteolum cæſicium,
Induſiatam,patagiatam,caltulam,aut crocotulam,
Supparum,aut ſubminiam,ricam,baſilicum,aut exoticum,
Cumatile aut plumatile,cerinum aut melinum,gerræ maximæ.
Cani quoque etiam ademptum'ſt nomen. EP. qui? PE. vocant
Laconicum. B
EP. Hęc vocabula auctiones ſubigunt,vt faciant viri.
PE. Quin tu,vt occœpiſti,loquere. EP. occœpere aliæ mulieres
Duæ poſt me ſic fabulari inter ſe.ego abſceſſi ſolens,
Paulum ab illis.diſſimulabam me harum ſermoni operam dare.
Nec ſatis exaudiebam,nec ſermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. PE. Id lubido eſt ſcire. EP. ibi illarum altera
Dixit illi,quicum ipſa ibat. PE. quid? PE. tace ergo vt audias.
Poſtquam illam ſunt conſpicatæ,quam tuus gnatus deperit,
Quàm facilè,& quàm fortunatè euênit illi, obſecro,mulieri
Liberare quam vult amator? quíſnam is eſt?inquit altera.
Illi.ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium. PE. perij C
Hercle.quid ego ex te audio? EP. hoc,quod actum.egomet pòſt
vbi illas audiui loqui,
Cœpi rurſum vorſum ad illas pauxillatim accedere,
Quaſi retruderet hominum me vis inuitum. PE. intelligo.
EP. Ibi illa interrogauit illam,quî ſcis?quis id dixit tibi?
Quin hodie allatæ ſunt tabellæ ad eam à Strathippocle,eum
Argentum ſumſiſſe apud Thebas ab daniſta fœnore,
Id paratum, & ſeſe ob eam rem id ferre. PE. cedò, ego óccidi?
EP. Hæc ſic aiebat ſe audiuiſſe ab ea,atque ex epiſtola.
PE. Quid ego faciam nunc?conſilium à te expeteſſo Apœcides. D
AP. Reperiamus aliquid callidi conducibilis conſilij.
Nam ille quidem, aut iam hic aderit credo hercle, aut iam adeſt.
EP. ſi æquum ſiet
Me plus ſapere quàm vos,dederim vobis conſilium catum,
Quod laudetis,vt ego opinor,vterque. PE. Ergo vbi eſt Epidice?
EP. Atque ad eam rem conducibile. AP. quid iſtuc dubitas dicere?
EP. Vos priores eſſe oportet,nos poſterius dicere,
Qui plus ſapitis. AP. eia vero,age dic. EP. at deridebitis.
AP. Non edepol faciemus. EP. imò ſi placebit vtitor.
Conſilium ſi non placebit,reperitote rectius.
Mihi iſtic nec ſeritur,nec metitur,niſi ea quæ tu vis volo.

PE. Gra-



A PE. Gratiam habeo,fac participes nos tuæ ſapientiæ.
EP. Continuò arbitretur vxor tuo gnato,atque vt fidicinam
Illam quam is volt liberare,quæ illum corrumpit tibi,
Vlciſcare:atque ita curetur,vſque ad mortem vt ſeruiat.
AP. Fieri oportet. PE. facere cupio quiduis,dũ id fiat modò. EP. hem.
Nunc occaſio'ſt faciundi,priuſquam in vrbem aduenit.
Sicut cras hîc aderit,hodie non venerit. PE. qui ſcis? EP. ſcio.
Quia mihi alius dixit,qui illinc vênit,manè hic affore.
PE. Quin tu eloquere,quid faciemus? EP. ſic faciundum cenſeo.
Quaſi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quaſique ames vehementer tu illam. PE. quam ad rem iſtuc ré-
B fert? EP. rogas?
Vt enim prẹſtines argento priuſquam veniat filius,
Atque vt eam te in libertatem dicas emere. PE. intelligo.
EP. Vbi erit emta,vt aliquò ex vrbe amoueas,niſi quid tua
Secus ſententia eſt. PE. Imò doctè. EP. quid tu autem
Apœcides?
AP. Quid ego iam,niſi te commentum nimis aſtutè intelligo?
EP. Iam tunc igitur amota eij erit omnis conſultatio
Nuptiarum,ne grauetur,quod velis. AP. vt ſapis? & placet.
EP. Tum tu te igitur callidè iam quicquid acturus es,age,
PE. Rem hercle lóquere. EP. & repperi hæc te qui abſcedat ſuſpicio.
C PE. Sine me ſcire. EP. ſcibis, audi. AP. ſapit hic pleno pectore.
EP. Opus eſt homine,qui illò,argentum deferat pro fidicina.
Nam te illò non æquè opu' facto'ſt. PE. quid iam? EP. ne
te cenſeat
Filij cauſſa facere. PE. doctè. EP. quò illum ab illa prohibeas,
Ne qua ob eam ſuſpicionem difficultas eueniat.
PE. Quem hominem inueniemus ad eam rem vtilem? AP. hic erit
optimus.
Hic poterit cauere rectè,iura qui & leges tenet.
PE. Epidice habeas gratiam. EP. ſed ego iſtuc faciam ſedulò.
D Ego illum conueniam,atque adducam huc ad te,quoia'ſt fidicina,
Atque argentum ego cum hoc feram. PE. quanti emi poteſt
minimo? EP. illánc?
Ad quadraginta fortaſſe eam poſſe emi minimo minas.
Verùm ſi plus dederis,referam,nihil in ea re captio eſt.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
PE. Quidum? EP. quia enim mulierẽ illam alius adoleſcens deperit.
Auro opulentus,magnus miles,Rhodius, raptor hoſtium,
Glorioſus.hic emet illam de te,& dabit aurum, vbi eã emtã ſciet.
Tace modò,eſt lucrum hic tibi amplum. PE. deos quidem oro.
EP. impetra.
AP. Quin tu is intrò,atque huc argẽtum promis?ego viſam ad forum,

Epidice eò veni. E P. ne abitas, priuſquam ego ad te venero, A
A P. Vſque opperiar. P E. ſequere tu intrò. E P. I, numera, nihil ego te moror.

ST.] St, ſilentij indicti nota eſt. Statius. *St, tacete. quid hîc clamoris eſt?* Næuius Coroll. *St, tace.* tale verbum caue faxis. LIQVIDO EXEO FORAS AVSPICIO] liquido, id eſt, non turbulento, non dubio, certò. Liquidum auſpicium dicitur, quod cælo ſereno oſtentũ eſt. ſic in Perſa. *Vide, vt ingrediare auſpicatò.* DOR. *liquidum eſt auſpicium.* TOX. *tace.* ſic in Pſeud. dixit *liquido animo.* AVI SINISTRA] Feſtus, *ſiniſtræ aues,* inquit, *ſiniſtrúmq. & ſiniſtinũ auſpicium, eſt quod ſinat fieri.* Varro lib. epiſt. quæſt. ait, *à Deorum ſede, cùm in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes. hinc factum arbitror, vt ſiniſtra, meliora auſpicia, quàm dextra exiſtimentur. Idem ferè ſentiunt Sinnius Capito, & Cincius.* SENI, QVI EXENTEREM MARS.] quo ſenis marſupium exhauriam. exentero à voce Græca ἔντερον, quod valet inteſtinum. infrà ead. fab. *meum exenterauit Epidicus marſupium.* Ibidem. *vt illic autem exenterauit mihi opes argentarias?* exenterare marſupium igitur tranſlatè dictum pro, nummos è marſupio auferre, quaſi nummi ſint marſupij inteſtina. B QVALEIS VOLO VETVLOS D.] video vetulos duos, qualeis volo. IN HIRVNDINEM.] cuius eſt ſanguinem exſugere. Horat. epiſt. ad Piſon. *Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hyrudo.* EORVM EXSVG SANGVIN.] exſugebo, exſugam. ſed Nonius legit *exſorbebo.* SENATI, QVI COLVMEN CL.] qui cluent, id eſt, qui audiunt, quod eſt, nominantur, ſeu dicuntur, columen, hoc eſt, columna ſenati, ſenatu. cluent, Græcum eſt κλύω, id eſt, audio. audio autem interdũ valet, dicor, vt cùm dicimus, audio pater, id eſt, dicor pater Horat. epi. ad Mæcen. 2. *rexque, paterq. Audiſti coràm, nec verbo parcius abſens.* Iã ſenati in generãdi caſu dixiſſe veteres notũ eſt, & ſuprà admonuimus. M. Tull. diuinat. in L. Cœcil. *quod in vna quaq. beneficio ſenati,* &c. Notat, Cariſius. COLVMEN.] Terent. in Phor. *columen familiæ.* Horat. Oda. xvij. lib. 2. *mearum Grande decus, columénque rerum.* CONTINVÒ VT MARITVS FIAT] colloquuntur inter ſe ſenes, de Strathippocle nuptiis alligando, vt hoc pacto à meretricio amore auocetur, atque auertatur. IN AMORE HÆRERE APVD NESC. Q. F.] amori deditum, atque affixum eſſe, &c. hærere, ἔχεσθαι. ID EGO EXCRV.] ob id ego excrucior. IPSI HI QVIDEM] hi ipſi ſenes viam mihi monſtrant, qua pecuniam ab ſe, id eſt, ab iis ipſis, auferam. ab ſe, bona reciprocatio eſt. ET PALLIOLVM IN COLL. CONIICE] vt expeditiùs curras. ſuprà in Captiuis. C *Num res certa'ſt. eodem pacto vt comici ſerui ſolent, coniiciam in collum pallium.* Non celabo autem lectorem, in omnibus libris noſtris veteribus ſcriptum eſſe conice vnico i. vt legit A. Gell. lib. 4. cap. 17. AGE SIQVID AGIS] oratio, qua vel nos ipſos, vel alterum, ad diligenter, & ſtrenuè agendum incitamus. Sic in Perſa. *Age ſiquid agis. ego ad hunc redeo.* In Caſina. *quin datis, ſi quid datis?* QVEM SVM DEFESSVS QVÆRERE] quem ſum defeſſus quærendo. PER MEDICINAS] per medicorum, ſeu pharmacopolarum officinas. PER TONSTRINAS] in tonſtrinis plerunque ſedebant homines fabulandi gratia. hinc illud Horatij Sat. 7. lib. 1. *opinor Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſſe.* IN GYMNAS. ATQVE INF.] tale eſt illud Catull. ad Camerium. *Te quæſiuimus in minore campo, te in circo, te in omnibus tabernis, te in templo ſuperi Iouis ſacrati,* &c. PER MYROPOLIA] in quibus veniebant vnguenta. per tabernas vnguentarias. ET LANIENAS,] in quibus laniabantur pecudes, al. carnium macella. ARGENTARIAS] argentariorum tabernas. SVM RAVCVS FACTVS] rauim contraxi. POENE IN CVRSV CONC.] ita properè cucurri, vt pœne inter currendum conciderim. SED, HERE, OPTIMA VOS VIDI AMBO, &c.] ambo poſitum pro ambos, vt ſæpe alibi Cariſius lib. 1. hos duo, & hos ambo dixerunt veteres. D Virgil. lib. 4. Georg. *Verùm vbi ductores acie reuocaueris ambo.* optima opportunitate autem, hoc eſt opportuniſſimè. RECIPIAM ANHELITVM,] ſiue, recipiam animam. CLEMENTER ACQ.] placidè, & leniter acquieſce. PLENIS VIIS] ex eo, quòd viæ militum plenæ ſunt, multitudo militum à legione redeuntium intelligitur. BINOS, TERNOS.] ſinguli ducunt. ALIVS QVINQVE] rectè hîc quinque, non quinos. FILIOS SVOS Q. V.] filios ſuos è militia, ſeu à legione redeunteis. VISIT] noſtri libri veteres ferè omnes habent *viſunt.* QVANTVM IN VRBE OMNI E.] quantum meretricum in tota vrbe fuit. ſic autem habent codices omnes veteres, non *quantus,* vt & à Camerario annotatum eſt. ID ADEÒ QVI MAX. ANIM. ADVERT.] id adeò ſcio, quippe qui maximè animaduerterim. Sic autem legendum potiùs, quàm vt edidit Camerarius, *quàm maximè.* nam præterquàm quòd ſic, vt edidimus, omnes libri vulgati, habent eandem ſcripturam, etiam noſtri manuſcripti tuentur, & confirmant. RETIA.] quibus ſcilicet ſuos amatores irretirent. QVOM AD PORTVM VENIO, ATQVE ILLAM, &c.] atque pro ſtatim, properè, mox. ſic ſuprà in Capt. *quò imus vnà inquam ad prandium? atque illi tacent.* Virgil. Georg. 1. *ſi brachia fortè remiſit, Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.* illam autem, fidicinã, quam amat Strathipocles. PRÆSTOLARIER] exſpectare. ET CVM EA, &c.] fidicina, vt poſtea declarabit Epidicus. QVICVM EPIDICE?]



A EPIDICE?] cum qua, Epidice, dicis tibicinas iuiſſe quatuor? VT LEPIDÈ? VT CONC.] quàm lepidè? &c. AN REGILLAM INDVC.] regilla veſtis, diminutiuè dicta à regia, vt & baſilica. Nonius, apud quem ſic legitur hic verſus, *an regillam tuniculam, an mendiculam?* dicitur autem eadem & trabea, qua Reges & Reginæ vtebantur. INDVCVLAM.] inducula dicta ab induendo. AN MENDICVLAM?] erátne induta induculam regillam, an mendiculam? regillæ veſti, qua Reginæ vtuntur, oppoſuit mendiculam, quaſi mendicis conuenientẽ. Alij mendiculam dictam eſſe volunt à voce mendix, quæ magiſtratum ſignificat apud Oſcos, vt docet Feſtus quodam loco. IMPLVVIATAM, &c.] impluuiatus color, inquit Nonius, quaſi fumato ſtillicidio implutus. Sic autem legitur apud eum hic verſus, *impluuiatam, vt iſtæ faciunt veſtimentis nomina.* quo modo videtur potius legendus. & omnes libri vulgati Veneti, Florentini, Lugdunenſes, Pariſ. Germ. preter editionem Camerar. comprobant. Eſt autem impluuium, quò aqua pluuia de tecto impluit, vt docet Feſtus. VT IN IMPLVVIVM IND. ER.] iocans ſeruus, erat, inquit, meretrix illa tanquam in impluuium induta, non debet autem cuiquam nouum videri, quod participium *induta,* ſeu verbum *induor* iunxit cum accuſandi caſu, adhibita præpoſitione *in.* nam ſic quoque loquebantur veteres induere ſe in florem, in laqueum, in fraudem, & ſimilia. Non diſſimulabo tamen in nonnullis libris veteribus non reperiri præpoſitionem *in:* B quemadmodũ neque in vulgatis. QVID AVTEM ISTVC MIRVM'ST QVASI NON, &c.] ſed quid mirum eſt, inquit, meretrices iſtas tam ſumptuoſè veſtitas incedere, quaſi verò non videamus multas fundis ornatas incedere per vias? ſignificat tantam eſſe ſui temporis luxuriem, & nequitiam, vt plerique etiam fundos meretricibus largiantur. Sic Horat. de Marſæo. lib. 1. ſermonum Sat. 2. *Vt quondam Marſæus, amator Originis, ille, Qui patrium mimæ donat fundúmque larémque.* AT TRIBVTVS QVOM IMP. EST, &c.] at cùm tributum imperatum eſt à magiſtratibus, inquit, negant à ſe pendi poſſe, neque pendere volunt meretricibus, quibus non debent, & quibus maius tributum pendendum eſt, libenter pendunt, & pendere facilè poſſunt. Tributum, inquit Nonius, neutro genere, ſed maſculino. Cato in originib. *Ne prædia in lubricum dirigerentur, cùm tributus exigeretur.* Notat & A. Gell. lib. xiij. cap. xiij. ILLIS,] meretricibus. TVNICAM RALLAM] tunica ralla dicta eſt à raritate, inquit Nonius: profértque hunc locum. SPISSAM,] quæ opponitur rallæ. LINTEOLVM CÆSITIVM.] linteolum purum, & candidum. ſic dictum, vel quòd cędendo ad candorem peruenerit, vel quòd oras circumciſas habeat. auctor Nonius, qui hunc locum profert. INDVSIATAM] induſium, inquit Nonius, veſtimentum eſt, quod corpori intra plurimas veſteis adhæret, quaſi intuſiũ. Plautus in Epidico. C *Induſiatam,* &c. Profert hũc locum & Varro lib. 4. de lingua latina his verbis. *Alterius generis item duo, vnum quod foris ac palàm, palla: alterum quod intus, à quo intuſium. id quod Plautus dicit: Intuſiatam, patagiatam, caltulam, ac crocotulam.* ex quibus Varronis verbis appâret legendum hîc eſſe apud Plautum *intuſiatam,* non vt habent omnes ferè libri *induſiatam.* PATAGIATAM.] *patagiũ,* inquit Nonius, *clauus aureus, qui prætioſis veſtibus immitti ſolet.* Plaut. Epid. &c. At Feſtus patagium docet eſſe, quod ad ſummam tunicam aſſui ſolet: quæ & patagiata dicitur, & patagiarij, qui eiuſmodi opera faciunt. CALTVLAM, ET CROCOTVLAM] tunica caltula, & crocotula, vtraque dicta eſt à genere florum, calca & croco. Virgil. in Alex. *Mollia luteola pingit vaccinia calta.* M. Tull. de Haruſp. reſp. *P. Clodius à crocôta, à mitra, à muliebribus ſoleis, purpureíſque faſciolis, à ſtrophio, à pſaltrio, à flagitio, à ſtupro, eſt factus repente popularis.* SVPPARVM,] Nonius, ſupparum, eſt linteum femorale vſque ad talos pendens, dictum quòd ſubtus appareat. Deinde hunc locum profert. Varro autem lib. 4. de lingua Latina, deducere videtur ab eo, quod eſt ſuprà. Sic enim ille: alterum genus eſt, quod ſubtus eſt: à quo ſubucula: alterum, quod ſuprà, à quo ſupparus. Afranius, epiſt. *Tace: puella non ſum, ſupparo ſi induta ſum.* Varro. Eumenid. *Hic indutus ſupparo Coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit.* AVT SVBMINIAM,] ſubminia tunica, vel à minio D dicta eſt, quaſi ſubminiata & ſubrubra, vel à minuẽdo, quaſi ſubminuta. RICAM,] rica, vt docet Feſtus, ſeu Paulus ex Feſto, veſtimentum quadratum, fimbriatum, quo Flaminicæ pro palliolo vtebantur. Alij dicunt ricam ex lana ſuccida alba fieri ſolitam à virginibus ingenuis, patrinis, matrinis ciuibus, & cæruleo colore infici. Varro lib. 4. de lingua Latina. Rica, inquit, à ritu, quod Romano ritu, ſacrificiũ fœminæ cùm faciunt, capita velant. Rica, inquit Nonius, eſt quod nos ſudariũ dicimus. Plautus Epidico, &c. BASILICVM] genus veſtis regium, quod & Nonius indicat, in voce, *regilla.* EXOTICVM] genus veſtis peregrinum. CVMATILE,] veſtis eſt coloris marini, aut cærulei, quaſi fluctuum ſimilis, vt docet Nonius, fluctus enim Græcè κύματα dicuntur. Titinnius. & quem colos cumatilis deceat. Plautus in Epid. &c. AVT PLVMATILE,] veſtis plumatilis eſt clauata, aut ex clauis facta, vt docet Nonius, hunc locum proferens. CERINVM,] cerinum veſtimentum, dictum eſt à ceræ colore, vt idem Nonius docet: & hunc locum profert. AVT MELLINVM,] ſi hæc ſcriptura recta eſt, mellinum, interpretabor, veſtis genus aliquod mellei coloris. GERRÆ MAXIMÆ] gerræ, crates vimineę. Athenienſes cùm Syracuſas oppugnarent atque obſiderent, crebróque gerras poſcerent, irridentes Syracuſani gerras clamitabant. vnde factum eſt, vt gerræ pro nugis, & rebus contemtis vſurpentur. CANI QVOQVE ETIAM ADEMT. &c.] Cani quoque, inquit Periphanes, nomen, quo antea appellabatur, quóque appellari debet, ademtum eſt. Nonnulli enim canes,

Lacones,& Laconici appellantur. Horatius Oda vi. epod. *Nam qualis aut Moloſſus, aut fuluus Lacon,* &c. ſed nunc veſteis ſuas nonnullas appellant Laconicas. Hæc quidem Periphanes, vt meretrices, & mulieres libidinoſas, ac ſumtuoſas, in inuidiam vocet. ſed etiam Horatius aliquot pòſt ſeculis, vt ſit minus mirum, has veſteis ætate Plauti in pretio fuiſſe, Laconicas purpuras commemorat. Oda xviij. libro ſecundo. *Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.* Alij quidam ſic hunc locum explicant. Cani quoque ademtum eſt nomen. Nam cùm canem, canem appellare debeant, Laconicum appellant. Sophocles in Aiace maſtig. Κυνὸς Λακαίνης ὥστις εὔρινος βάσις. QVI?] quo pacto? inquit Periphanes. HÆC VOCABVLA, AVCTIONES SVBIGVNT VT FACIANT VIRI.] ordo, & ſententia eſt, hæc vocabula ſubigunt viros, vt ipſi viri auctiones faciant, id eſt, cogunt viros, vt bona ſua in auctione vendant, auctio eſt quædam venditio, ab augendo dicta, quòd in ea pretium augeatur, & ab emtore, & à venditore, ſed maximè ab emtoribus, & licitatoribus. à qua auctionari verbum. Sed quod dicit Epidicus hæc vocabula ſubigere viros, vt bona ſua vendant auctione facta, hoc videtur falſum. non enim vocabula, ſed res, id eſt, veſtes ipſæ, quibus hæc nomina imponunt, viros cogunt auctionari. FABVLARI.] loqui. EGO ABSCESSI SOLENS PAVLLVM AB ILLIS] ego vt ſoleo, paullum ab illis porrò diſceſſi. quidam legunt, *ego abſceſsi ſilens*, & cetera. quæ ſcriptura planior, ac facilior eſt, ſed eam nullis in libris reperi. HARVM SERMONI OPERAM DARE,] harum ſermoni animum attendere. NEC SERMONIS FALLEBAR TAMEN] nec tamen me earum ſermo fallebat, ſeu latebat, ſeu fugiebat. id eſt, quamuis non ſatis earum vocem exaudirem. tamen coniectura facilè aſſequebar, quod loquebantur. QVÆ LOQVERENTVR] nonnulli libri habent, *quem loquerentur.* quæ lectio planior, ſed ea, quam ſecutus ſum, antiquior, & magis Plautina. ID LVBIDO'ST SCIRE] id lubet ſcire. QVÀM FACILÈ, ET QVÀM FORTITER.] id eſt, quàm bene res proceſſit illi mulieri, quam ſuus amator vult liberare? vel ſic, quàm facilem & æquam, & propitiam, & benignam erga ſe fortunam experta eſt mulier illa, quam amator liberare cogitat? vel ſic, quàm ſecunda, & optata omnia mulieri illi euenerunt, quam amator liberare habet in animo? QVÍSNAM IS EST.] quíſnam is eſt amator mulieris illius, quam tam fortunatam prædicas? inquit altera illi, quæ id dixerat. RVRSVM VORSVM] retrorſum, vel rurſum ad illas vorſum. QVASI RETRVDERET,&c.] quaſi vis hominum me inuitum retrò in eas truderet. TABELLÆ] litteræ. ID PARATVM!] ſubintell. eſſe. CEDÒ, EGO ÓCCIDI?] Dic mihi, egóne interij? HAEC SE AIEBAT SIC AVDIVISSE AB EA, ATQVE EX EPISTOLA.] ſic hunc verſum reſtitui, partim à noſtris libris veteribus adiutus, partim rationem ſecutus. Nam recepta lectio, *Hæc aiebat ſic audiuiſſe ſe ab ſe, atque epiſtola*, ferri non poteſt. nihilo magis ea, quam repoſuit Camerarius, *Hæc ſic aiebat, ſic audiuiſſe ſe ab ſe, atque epiſtola.* EXPETISSO.] ſic habent omnes ferè noſtri libri veteres, atque ita loquebantur antiqui. Lucretius libro tertio. *Corpore cum reliquo pugnam, cædeíſque petiſsit.* ad quem locum plura. CONDVCIBILIS] vtilis. CONSILIVM CATVM] conſilium cordatum, & prudens, & acutum. Ennius. *catus Ælius Sextus.* Nonius. *catus, pro ſapiente.* Cicero Tuſculanarum libro ſecundo. *ſed homo catus numquam terminat nec magnitudinis, nec magnanimitatis modum.* Varro, catum idem ait valere, quod acutum. ERGO VBI EST, EPIDICE?] vbi igitur eſt iſtuc conſilium catum? QVI PLVS SAPITIS] vos, qui plus ſapitis. IMMÒ SI PLACEBIT, VTIMINOR.] ſic legendum libris omnibus reclamantibus, atque inuitis. *vtiminor* autem eſt ſecundæ perſonæ imperatiui modi, futuri temporis, verbi *vtor*. Nam *vtitor* ferri non poteſt. Tale autem illud eſt Horatianum epiſtol. vj. lib. I. *ſi quid nouiſti rectiùs iſtis, Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.* MIHI ISTIC NEC SERITVR, NEC METITVR] in iſto negotio gerendo nullum meum emolumentum vertitur. nihil mihi vtilitatis ex iſto negotio redit: prouerbij locum obtinet. NISI EA QVAE TV VIS, VOLO.] niſi quòd eadem, quæ tu vis, volo. pendent autem hæc ex illis ſuperioribus proximis, mihi iſtic nec ſerit. nec met. hoc modo in iſta re nullus meus fructus ineſt, niſi quòd, quæ tibi vtilia ſunt, eadem mihi quoque vtilia ſunt: & ita cupio omnia, quæ optas. Sat. ix. libro primo. *cupio omnia, quæ vis.* CONTINVÒ ARBITRETVR VXOR TVO GNATO, &c.] continuò facias, vt gnatus tuus vxorem ducat, quæ ſit ei veluti arbitra, quæque eum ab amore abſtrahat: quæ eum moderetur, & regat. ATQVE VT FIDICINAM ILLAM &c]. & facias, vt vlciſcare fidicinam illam, quam filius tuus vult liberare, &c. CVRETVR.] fidicina. SICVT CRAS HÎC ADERIT: HODIE NON VENERIT.] id eſt, hodie quidem non veniet: ſed cras aderit, quia manè veniet. ANIMI GRATIA] animi libidinis cauſa, vt animo tuo morem geras. QVAM AD REM ISTVC REFERT?] cui rei iſtuc, quod dicis, vtile eſt? VT ENIM PRAESTINES ARGENTO, &c.] enim uerò ad hanc rem vſui eſt, vt fidicinam emas priùs, quàm veniat filius. præſtinare, inquit Feſtus, apud Plautum, emere eſt, & emendo tenere. Idem in Pſeudolo. *Ego eo in macellum, vt piſcium quidquid eſt, pretio præſtinem.* IN LIBERTATEM] ad eam liberandum: ea gratia, vt libe res. AMOVEAS:] abléges: amandes. AMOTA, EII ERIT OMNIS, CONSVL.]

cùm



cùm fidicina abs te aliquo erit ablegata, & amota, eadem opera filio tua amota, & ablata erit omnis conſultandi de nuptiis ratio, per quam nuptias proferat. vel ſic, iam tunc filio tuo omnis conſultandi de nuptiis locus ademtus erit: & continuò vxorem ducet, neque granabitur quidquid voles facere. REM HERCLE LÓQVERE.] profectò non loqueris verba tantùm, ſed rem. profectò non lóqueris res inaneis, aut nugas: ſed res graueis & ſerias. vel ſic, rem lóqueris, id eſt, dicis id quod res eſt. ita eſt vt dicis. verum dicis. atque hæc explicatio magis placet. ET REPPERI, HÆC TE, QVI ABSCEDAT SVSPICIO] præterea reperi, quo pacto hæc ſuſpicio à te abeat, id eſt, quo modo effugere poſſis hanc omnem ſuſpicionem, ſcilicet libidinis, vel te fidicinam emere, vt filium ab ea prohibeas. te abſcedat autem dictum, pro abs te abſcedat. SINE ME SCIRE.] fac vt ego ſciam. vel fac mihi ſciendi poteſtatem: da mihi ſciendi copiam. SCIBIS:] ſcies. SAPIT HÎC PLENO PECTORE] hîc ſapit non palato, ſed pectore, eóque pleno. hic ſapit toto pectore. hic non parum ſapit. hic pectus habet ſapientiæ plenum. QVI ILLÒ ARGENTVM DEFERAT] qui ad lenonem argentum deferat, vt ab eo fidicina ematur: apud quem fidicina eſt. NAM TE ILLÒ NON ÆQVÈ OPV'F.] nam te ipſum illò ire, non æquè facto opus eſt. Sic autem habent quatuor libri noſtri veteres, nihil à vulgatis diſſentientes. alij, vt edidit Camerarius, *nam telo non æquè opu' facto'ſt* cuius ſcripturæ hanc ſententiam eſſe puto. Opus eſt, inquit Epidicus, aliquo homine (ſubintellige alio, quàm te) qui ad lenonem argentum deferat. Nam non æquè telo opus eſt ad aliquid efficiendum, atque opus eſt homine ad argentum deferendum. Eſt autem telo opus, ad opus omne efficiendum. telo, id eſt, inſtrumento ὀργάνῳ. Sic Lucretius libro. 5. *quia ferro tela parantur.* vel non æquè telo opus eſt ad rem militarem, vt eſt opus argento. Non celabo lectorem autem in nonnullis quoque libris reperiri. *Nam te ipſò non æquè opu' facto'ſt.* cuius ſcripturæ plana ſententia eſt. Quòd autem nonnulli alij libri habent, *Nam te lenoni æquè*, &c. Eam lectionem corruptam eſſe puto ex vera, vel ex hac, *nam te illò non*, &c. vel hac, *Nam telo non*, &c. QVID IAM?] quid propter quid. al. quî iam? vtroque modo legere licet, ſed prior ſcriptura in omnib. ferè libris reperitur. NE TE CENSEAT,&c] ne leno exiſtimet, te fidicinam emere. vt filium ab ea prohibeas, ſi tu ipſe emas, & argentum deferas. FILII CAVSA FACERE] facere, vt eam filio adimas: quemadmodum continuò Epidicus ipſe interpretatur, ibi, quo illum ab illa prohibeas. HIC ERIT OPTIMVS.] Epidicus. Immò Apœcides. Itaque debet huic loco nomen Epidici præponi. HIC POTERIT CAVERE RECTÈ IVRA QVI, &c.] cauent aliis iuris & legum periti. Epidicus ius & leges tenet. Vnde Epidicus dictus eſt. Sed videntur hæc potiùs de Apœcide intelligenda. Erat enim auctor, & cautor futurus. EPIDICE HABEAS GRATIAM.] Epidice, inquit Periphanes, habeas huius negotij bene geſti gratiam. id eſt, hoc negotium ſolus geras, vt eius gratia tibi debeatur, & habeatur. tibi huius negotij bene geſti laus & gratia debeatur. ſi qua in hac re laus, ſi qua gratia eſt: ea ſit tua. ATQVE ADDVCAM HVC AD TE QVOIA'ST FIDICINA.] atque adducam huc ad te eum, cuius fidicina eſt. CVM HOC] Apœcide. QVANTI EMI POTEST MINIMO?] id eſt, quanti emi poteſt, vt minimum pretium dicatur? vel vt minimo pretio ematur? ſic loquuntur & Iuriſconſulti. Vlpian. lib. xxxij. ad edictum, quæ verba hodie leguntur, lib. xix. Digeſtorum tit. de act. emti, & vend. cap. legis *ex Emto.* §. Idem ait non tradentem, quanti interſit, condemnari: ſatis autem non dantem, quanti plurimo auctorem periclitari oportet. Quæ ſic explicat Budæus noſter: tanti damnari debet venditor, quanti periclitari oportet emtorem, cùm plurimo periclitatur. id eſt, plurima pecunia. AD QVADRAGINTA FORTASSE EAM POSSE EMI M. M.] ſubintelligendum eſt aliquid, verbi gratia, dixerim, vel dixerit aliquis. ad quadraginta minas autem, id eſt, circiter quadraginta minas, ſeu quadraginta circiter minis. NIHIL IN EA RE CAPTIO'ST.] ſic habent omnes libri veteres, & ita edidit Camerarius. quam ſcripturam ſic explico. nihil in ea re caperis: nihil in ea re damni facis. Nam verbalibus in io, idem caſiis à veteribus tribui ſolet, atque verbis, vnde oriuntur. vt, *quid tibi meam tactio'ſt?* quemadmodum igitur dicunt Latini, nihil in ea re caperis: ita licet dicere, nihil in ea re tibi captio'ſt. Si quis tamen lectionem vulgatam, *nulla in ea re captio'ſt.* facilior erit explicatio. Nos antiquam ſcripturam repræſentauimus. ATQVE ID NON DECEM OCCVPATVM TIBI ERIT ARGENTVM DIES, &c.] atque id argentum nō decem dies erit tibi in aliena manu collocatum, & ab alio occupatum: ſed ante decem dies ad te redibit. pecuniam apud aliquem occupare, eſt pecuniam apud eum fœnore collocare. M. Tullius lib. I. accuſat. *præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat.* QVIDVM?] quo pacto? dum hîc ornatus cauſa ponitur, & πλεονάζει. DEPERIT.] perditè amat. AVRO OPVLENTVS,] auro potens, vt ſuprà locutus eſt. RAPTOR HOSTIVM.] non dixit, victor hoſtium, ſed raptor hoſtium, qui ita viribus, & robore pollet, vt non dolo, aut conſilio, aut magno negotio, ac labore, ſed aperto Marte, & facilè, & ſine labore, hoſteis in ſuam poteſtatem redigat. IMPETRA] impetra à diis, quod oras, & optas, dij te faciant tuorum optatorum, ſeu votorum compotem. EGO VISAM AD FORVM.] ſic loquuntur Latini. Lucretius libro ſexto. *Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros,* &c. Ad quem locum plura. NE ABITAS] ſic habent quattuor ex noſtris libris manuſcriptis longè

omnium optimi, ſine vlla varietate: vnus, *ne abitas*. quos ſequor. Nam ceteri habent vt vulgati, A *ne abeas*. quod natum eſt ex annotatione. nam *ne abitas*, valet ne abeas. *abitas* enim compoſitum eſt à verbo beto, is, quod eſt eo. hinc abito, is, perbito, is præterbito, is, &c. VSQVE OPPERIAR.] eò vſque in foro te opperiar, donec veneris.

## EPIDICVS.

NVllum eſſe opinor ego agrum in agro Attico
Æquè feracem, quàm hic eſt noſter Periphanes:
Quin ex occluſo atque obſignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod pol ego metuo, ſi ſenex reſciuerit,
Ne vlmos paraſitos faciat, quæ vſque attondeant: B
Sed me vna turbat res, ratióque, Apœcidi
Quam oſtendam fidicinam aliquam conductitiam.
Atque id quoque habeo. manè me iuſſit ſenex
Conducere aliquam fidicinam ſibi huc domum,
Dum rem diuinam faceret, cantaret ſibi.
Ea conducetur, atque ei præmonſtrabitur,
Quo pacto fiat ſubdola aduerſus ſenem.
Ibo intrò, argentum accipiam ab damnoſo ſene.

NVLLVM &c. AGRVM,] ager, locus eſt rure ſine ædificio, qui coli & arari poteſt. IN AGRO ATT.] in tota terra Attica. Sic dicimus agrum Campanum, agrum Romanum, agrum Tholoſanum, qui tamen ſinguli multos agros continent. C ÆQVÈ FERACEM, QVÀM] æquè feracem, ſeu fertilem, atque &c. vel tam feracem, quàm, &c. ATQVE OBSIGNATO] obſignabant veteres non tabellas ſolùm, & tabulas, ſed capſas, armaria, lagenas, vt antè admonuimus: & præterea cællas, vt in Caſina, *obſignate cællas: referte annulum ad me.* ARMARIO] in armariis pecunias, & nummos condebant, atque aſſeruabant. ſuprà in Capt. *Cællas refregit omneis intus, recluſítque armarium.* ad quem locum plura. DECVTIO ARGENTI TANTVM,] non dixit depromo, ſed decutio, quod graue eſt, & violentum. QVOD POL EGO METVO, &c.] ordo & ſententia eſt, quod pol ſi ſenex reſciuerit, metuo, ne &c. vel ita explica, quod, id eſt, propter quod, hoc modo: propter quod ego metuo, ne ſenex ſi reſciuerit, vlmos faciat paraſitos, &c. ego priore modo mâlo, vt *quod*, coniungatur cum verbo *reſciuerit*, & ab eo regatur. SI SENEX RESCIVERIT] id eſt, cùm ſenex reſciuerit, &c. NE VLMOS PARASITOS FACIAT, QVÆ VSQVE, &c.] paraſitorum eſt menſas diuitum attondere, & à diuitibus ſemper aliquid abradere. hoc igitur dicit Epidicus, metuo, ne, vbi ſenex reſciuerit, me ſibi verba dediſſe, & per dolum has quadraginta minas abſtuliſſe, faciat, vt vlmi in meo corpore, & corio ſint veluti paraſiti, meúmque corium vſque at- D tondeant, quemadmodum paraſiti diuitum menſas, & domos attondere ſolent. Idem infrà in Menæchmis princip. *Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia menſam quando edo, detergeo.* QVÆ VSQVE ATTONDEANT:] quæ vlmi. ſic edendum curaui aliquot è noſtris codicibus manuſcriptis ſecutus. quo modo & Camerarius edidit. ſed & nonnulli, vt vulgati, habent, *atque vſque attondeat:* vt hæc verba pertineant ad Periphanem: fortaſſe non malè, ſed alteram ſcripturam magis probo: comparat enim Plautus, vt dixi, vlmos cum paraſitis, quorum eſt attondere menſas. Itaque Phocylides aſſentatores, qui à paraſitis non multùm differunt τραπεζοκόρους, appellat. Sic enim ille. Μηδὲ τραπεζοκόρους κόλακας ποιεῖσθαι ἑταίρους. Πολλοὶ γάρ᾽ πόσιος, καὶ βρώσιος εἰσὶν ἑταῖροι. id eſt, neque aſſentatores menſarum tonſorum tibi amicos conciliato. multi enim potionis & cibi ſunt amici. SED ME VNA TVRBAT RES,] ſed me vna res ſollicitat, &c. QVAM OSTENDAM FIDICINAM.] quam fidicinam illi obtrudam, pro mea, quam perditè amari dixi à filio, quámque vt emeret, ei perſuaſi: Epidicus enim vult dumtaxat quadraginta minas auferre, quas det Strathippocli, puellam autem nullam emere. Quare falſam aliquam fidicinam ſubornet neceſſe eſt, quæ pro illa ſupponatur. ATQVE ID QVOQVE HABEO] & verò nunc fidicinam aliquam conductitiam reperi, quam ſeni, pro illa fidicina, quam ſe empturum putat, obiiciam.

DVM



A DVM REM D. F. C. S.] ſubintellige, quæ. hoc modo. quæ cantaret ſibi interea dum ipſe rem diuinam faceret. ATQVE EI PRÆMONSTRABITVR Q.] atque ei fidicinæ præcipietur, quo pacto dolis, & fallaciis ſuis circumueniat ſenem. docebitur, quo modo ſenem fallere queat. AB DAMNOSO SENE] damnoſo. παθητικῶς, qui damnis abſumitur. aliter cùm Horat. dicit, damnoſam Venerem, & damnoſam libidinem, damnoſam diem, ibi enim ſignificat damnificam.

## STRATHIPPOCLES, CHERIBVLVS.

EXſpectando exedor miſer, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eueniant, nimis diu maceror.
Sítne quid, nécne ſit ſcire cupio. CH. per illam tibi copiam,
Copiam parare aliam licet. ſciui equidem in principio,
B Illico nullam tibi eſſe in illo copiam. ST. interij hercle ego.
CH. Abſurdè facis, qui angas te animi. ST. ſi hercle ego illum ſemel prehendero,
Nunquam irridere nos illum inultum ſinam, ſeruum hominem.
Quid illum ferre vis? qui tibi, cui diuitiæ domi maximæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec ſodali tuo in te copia'ſt.
CH. Si hercle habeam, pollicear lubens: verùm aliquid aliqua aliquo modo,
Alicunde ab aliqui, aliqua tibi ſpes eſt fore mecum fortunam.
ST. Væ tibi murcide homo. CH. qui tibi lubet mihi malè loqui?
C ST. Quippe tu mihi aliquid aliquo modo, alicunde ab aliquib. blatis.
Quod nuſquam'ſt, neque ego id immitto in aureis meas.
Nec mihi plus adiumenti ades, quàm ille, qui nunquã etiã natu'ſt.

EXEDOR,] abſumor, conteror, conficior. EXENTEROR] exhaurior, inteſtina mihi exhauriuntur. QVO MODO MIHI EPIDICI BLANDA D. EVEN.] quem exitum mihi habeant Epidici promiſſa, & dicta ad blandiẽdum comparata. NIMIS DIV MAC.] hæc omnia, exedor, exenteror, nimis diu maceror, ad vnum & idem referenda ſunt, quomodo mihi eueniant, &c. SÍTNE QVID, NÉCNE SIT, &c.] ſítne aliquid, an nihil ſit, quod Epidicus effecerit. PER ILLAM TIBI COP. &c.] id eſt, non debet te remorari, aut tibi obſtare copia, quam tibi pollicitus eſt Epidicus, quominus aliam tibi copiam pares. nam nullam tibi comparaturus eſt. vel ſic, non debet eſſe tibi tanta in Epidico copiæ ſpes, vt aliam tibi propterea copiam parare negligere debeas: ſed contrà nihil ab Epidico ſperare debes. quare aliam tibi alicunde copiam para. per illam copiam, eſt quod Græci dicunt ἕνεκα ἐκείνης D εὐπορίας, quod ad illam copiam attinet. QVI ANGAS TE ANIMI] qui te animi, ſeu animo crucies. INVLTVM] παθητικῶς, vt apud Virgil. lib. 2. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti.* Salluſtius de bello Catilin. *Cauete ne inulti animam amittatis.* QVID ILLVM FERRE VIS, &c.] locus eſt aliquanto obſcurior, quem ſic declaro. Quid copiæ, ſeu quam copiam mihi Epidicum afferre vis, tu Cheribule? (ſodalem enim ſuum alloquitur, & in eum iratus, & impos animi irruit) tu, inquam, qui, cùm tibi diuitiæ maximæ ſint domi, tamen nullum nummum habes, neque ſodali tuo vllam copiam ſuppeditas? hæc eſt huius loci explicatio, & ſententia. Obſcuritas autem, & difficultas, nata eſt ex his vocibus, *qui tibi cui.* quas facilè explicabit, qui in Plauti lectione paullò diutiùs, & attentiùs erit verſatus. nam hoc totũ, *tibi cui* poſitũ eſt pro *cui.* *qui*, autem cohærere debet cũ pronomine *is*, quod ſequitur proximo verſu, ita vt hi duo verſus faciliore, atque vſitatiore orationis forma elati, & paullum immutati, faciles, atque expediti hoc modo eſſe poſſint. Quid tu Cheribule vis Epidicum ſeruum hominem afferre? tu, is, cui diuitiæ domi maximæ ſunt, nummum nullum habes, nec ſodali tuo in te copia eſt. Cæteræ voces, additæ, & inculcatæ intelligendæ ſunt ab homine irato, ac perturbato. Sed non diſſimulabo, me reperiſſe ſcriptum in tribus ex noſtris codicibus manuſcriptis, *facere* pro, *ferre* hoc modo. *Quid illum facere vis?* cuius ſcripturæ longè planior ſententia eſt, quàm alterius. præterea duo non habent poſt *vis*, prouocabulum *qui*, ſed hoc modo. *Quid illum facere vis? tibi*

*quoi diuitiæ domi maximæ ſunt,is nummum nullum habet*,&c.quæ ſcriptura poſtrema,omniũ mihi videtur & veriſſima,& planiſſima.*tibi quoi* autem, vt iam antè diximus,poſitum,pro,*tu,quoi*,ſeu *tu quoi tibi*,&c.VERùM ALIQVID ALIQVA ALIQVO MODO,&c.]Ridicula hominis, nihil habentis quod promittat,oratio.ALIQVà] aliqua via.AB ALIQVI,] ab aliquo.ALIQVA TIBI SPES EST FORE MECVM FORTVNAM] id eſt, aliqua ſpes eſt,propitiam tibi,& mihi fore fortunam.vel dic potius hoc modo.aliqua ſpes eſt, fore mihi tecũ fortunam communem.ambigua oratio.nam ſignificat vtrumque fore,vel fortunatum, vel infortunatum.ordo autem eſt hic,aliqua ſpes eſt tibi mecum fore fortunam.VÆ TIBI MVRC. H.] væ tibi homo ignaue,& ſtolide. ſic autem legit Hermolaus Barbarus in notis Plinianis: quanquam apud Feſtum legitur *murricidum,ignauum,ſtultum*. Plautus,*murricide homo, ignaue, iners*. quomodo & tres ex noſtris libris manuſcr.habent : niſi quod in vno ſcriptum eſt,*muricide* cum vno r.cæteri habent vt edidimus *murcide*.quod ego magis probo:&verba diui Auguſtini lib.4. de ciuitate Dei confirmant.Sic enim ille,*Vocauerunt Deam Agenoriam,quæ ad agendũ excitaret: Deam Stimulam,quæ ad agendum vltra modum ſtimularet: Deam Murceam, quæ præter modum non moueret, ac faceret hominem*,vt ait Pomponius,*murcidum,id eſt,nimis deſidioſum,& inactuoſum: Deam Strenuam quæ faceret ſtrenuum*.&c. BLATIS.] blatire,& blaterare.Feſtus docet eſſe ineptè loqui.NEQVE ID IMMITTO IN AVR. M.] & id,quod loqueris,aures meæ reſpuunt, vel non recipiunt.neque id,quod loqueris,in aureis meas penetrat. B

## EPIDICVS, STRATIPPOCLES, CHERIBVLVS.

Feciſti iam officium tu tuum,me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet eſſe.hoc quidem iam periit:
Niſi quid tibi hinc in ſpem referas.hoc oppidò politum eſt.
Crede modò tu mihi.ſic ego ago,ſic egêre noſtri.
Proh di immortales,mihi hunc diem dediſtis luculentum,
Vt facilem atque impetrabilem!ſed ego hinc migrare ceſſo,
Vt importem in coloniam,hunc auſpicio commeatum! C
Mihi ceſſo quum ſto.ſed quid hoc?ante ædis duos ſodaleis,
Herum & Cheribulum conſpicor.quid agitis?accipe hoc ſis.
ST. Quantum hic ineſt? EP. quantum ſat eſt, & plus ſatis,ſuperfit.
Decem minis plus attuli,quàm tu daniſtæ debes.
Dum tibi ego placeam,atque obſequar, meum tergũ flocciſacio.
ST. Nam quid ita? EP. quia ego tuum patrem faciã perenticidam.
ST. Quid iſtuc eſt verbi? EP. nihil moror vetera & vulgata verba.
Peratum ductitate,at ego follutum ductitabo.
Nam leno omne argentum abſtulit pro fidicina:ego reſolui:
Manibus his dinumeraui,pater quam ſuam natam eſſe credit. D
Nunc iterum vt fallatur pater,tibíque auxilium apparetur,
Inueniam.ita ego ſuaſi ſeni,atque hanc habui orationem.
Vti tu quum rediſſes,ne tibi eius copia eſſet.
ST. Euge euge. EP. ea iam domi eſt pro illa. ST. teneo. EP. nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem,is apud forum manet me,
Quaſique amaret, caueat. ST. haud malè. EP. iam ipſe cautor captu'ſt.
Ipſe in meo collo tuus pater cruminam collocauit.
Is adornat,adueniens domi extemplò vt maritus fias.
ST. Vno perſuadebit modo,ſi illam quæ adducta eſt mecum,

Mihi



A Mihi ademſit Orcus. EP. nunc ego hanc aſtutiam etiam inſtitui.
Deueniam ad lenonem domum egomet ſolus. eum ego docebo.
Si qui ad eum adueniant, vt ſibi datum eſſe argentum dicat
Pro fidicina, argenti minas ſe habere quinquaginta.
Quippe ego qui nudiuſtertius meis manibus dinumeraui
Pro illa tua amica, quam pater ſuam filiam eſſe retur.
Ibi leno ſceleratum caput ſuum imprudens alligabit,
Quaſi pro illa argentum acceperit, quæ tecum adducta nunc eſt.
CH. Verſutior es quàm rota figularis. EP. iam ego parabo
Aliquam doloſam fidicinam, nummo conducta quæ ſit,
B Quæ ſe emtam ſimulet, quæ ſenes duo docta ludificetur.
Eam ducet ſimul Apœcides ad tuum patrem. ST. vt paratè.
EP. Eam permeditatam meis dolis, aſtutiiſque onuſtam
Mittam. ſed nimis longum loquor, diu me eſtis demorati.
Hæc ſcitis iam vt futura ſint, ab eo. ST. bene ambulato.
CH. Nimis doctus ille eſt ad malefaciendum. ST. me quidem certò
Seruauit conſiliis ſuis. CH. abeamus intrò hinc ad me.
ST. Atque aliquanto libentius, quàm abs te ſum egreſſus intus.
Virtute atque auſpicio Epidici cum præda in caſtra redeo.

C FECISTI IAM OFFICIVM TV TVVM, &c.] ſenem Periphanem alloquitur,accepta ab eo pecunia. feciſti, inquit, officium tuum, cùm pecuniam mihi numeraſti : nunc me meum facere oportet,videlicet, vt emam Fidicinam,quam amat filius tuus : quod exſpectat, & vult fieri ſenex : ſed Epidicus officij ſui eſſe intelligit, pecuniam à ſene acceptam ad Strathippoclem deferre. PER HANC CVRAM Q.] per me quieto tibi licet eſſe : vel cura huius negotij, quod mihi mandatum eſt, non debet tibi obſtare, quominus quieto animo ſis. Deſine hoc curare, & aliud cura,& quieto es animo. ego enim hoc curabo. HOC QVIDEM IAM PERIIT] nunc ſecum loquitur Epidicus, à ſene degreſſus. NISI QVID TIBI HINC IN SP. R.] niſi quid tibi Epidice, hinc reſerues ad ſpem placandi ſenis, & vitandi ſupplicij ſcilicet : vel niſi quid tibi ex hoc argento in futurum tempus detrahas. HOC OPP. POL.] hoc argentum valde politum eſt. CREDE MODÒ TV MIHI] vel ſenem alloquitur abſentem, irridens, quod ſibi hanc pecuniam crediderit, & commiſerit : vel aliquem ex ſpectatoribus ſignificans ſibi nullo pacto eſſe credendum. SIC EGO AGO] ſic ſoleo eos fallere, qui mihi credunt, & qui mecum aliquid rei contrahunt. ſic me gero in eos, qui mihi credunt:quare qui ſapit, ne mihi credat. SIC EG. NO.] ſic egêre noſtri maiores. LVCVLENTVM.] candidum. pulcrum. optatum. fortunatum. VT FACILEM, ATQVE
D IMPETRABILEM!] quàm minimè laborioſum, & quàm idoneum ad id, quod volui, impetrandum, ac tranſigendum! *impetrabilem* hîc accipiendum eſt, ἐνεργητικῶς, Camerarius ſic: quàm facilem ſe mihi prebuit ſenex! quàm exorabilem! ad ſenem referens. ego ad diem refero. VT IMPORTEM IN COLON. H. A.] vt hanc pecuniã ad eam rem, ad quam quæſita eſt,auſpicatò deferam?allegoria eſt ducta à more veterum Romanorum,qui ſolebant commeatum ad exercitum in coloniã aliquã præſidij cauſa poſitum, impoſitum auſpicatò portare: ídque auſpicatò faciebant, ne interciperet, néue quid aliud incommodi accideret. ACCIPE HOC SIS] accipe hoc ſi vis. SVPERFIT] ſuperat. plus eſt, quàm ſatis eſt. quinquaginta minas ſcilicet à ſene abſtulerat. QVàM TV DANISTÆ DEBES] debebat enim quadraginta minas duntaxat. MEVM TERGVM FLOCCIFACIO] meum tergum nihili facio : quia dum tibi placere ſtudeo, committo, vt tergum meum loris, ſeu virgis concidatur. NAM QVID ITA?] quídnam ita? ἀναστροφή. vel *nam* poſitum pro autem. FACIAM PERENTICIDAM.] à voce *pera*, perenticidam finxit, riſu quæſito, id eſt, peræ cæſorem. alludit autem ad *parenticidam*, quæ vox ſignificat parentis interfectorem : vt ſit iocus ex paronomaſia petitus. ſignificat autem ſe facturum, vt Periphanes dicatur perenticida, quia toties cruminas, & loculos ſuos exhauriat, Epidici dolis inductus, ac circumuentus. NIHIL MOROR, &c.] non curo vocabula vſitata vetera & vulgata,noua & inuſitata quæ-

ro. non moror, id eſt, nihili facio, & contemno, ſeu potius non curo, & negligo. ſic Horat. A
epiſt. 15. lib. 1. *Nam vina nihil moror illius oræ.* ad quem locum de hoc verbo plura: & de eodem
ſuprà nonnulla. PERATVM DVCTITATE: AT EGO FOLLVTVM DVCT.] iocus
eſt pendens ex ſuperiore, ex ambiguo, & paronomaſia, petitus. alludit autem ad ſupplicium
patricidarum ſeu parenticidarum, qui inſuti in culleum, deiiciebantur in profundum. hoc igi-
tur dicit, quoniam Periphanes factus eſt à me perenticida, quod non longè abeſt à parentici-
da, vos eum ductitate peratum, id eſt, in peram, quaſi in culleum coniectum, tanquam pa-
renticidam: ego eum follutum, id eſt, in follem impoſitum, ductitabo. Sic autem edidi *peratum,*
*follutum?* quod ita ſcriptum in omnibus noſtris codicibus manuſcript. reperi; niſi quod non-
nulli habent *paratum,* pro, *peratum,* mendoſè. Quin Camerar. teſtatur ſic quoque eſſe ſcriptum
in ſuo, vt nos edidimus, quamuis *peratim* & *follitim* ediderit. quæ lectio fortaſſe ferri poteſt, vt
eam ſic explicemus: vos ſenem peratim tanquam peram ductitate: ego eum tanquam follem,
& vt follis ductitari, & manibus pulſari ſolet, ductitabo. Omnino prior lectio, & explicatio
mihi magis placet. NAM LENO] leno, qui vendidit patri fidicinam, quam ille filiam ſuam
eſſe exiſtimat. EGO RESOLVI.] ego pecuniam, quæ ei debebatur, reddidi. DINVME-
RAVI] al. denumeraui. PATER QVAM SVAM N. ESSE.] quam Fidicinam, pater
tuus filiam ſuam eſſe credit. ITA EGO SVASI SENI, &c.] ſuaſi ſeni, vt hanc puellam, B
quam amas, emeret, ne tibi, cùm domum Thebis rediſſes, eius puellæ copia eſſet, id eſt, ne tu
ea potiri poſſes. EA IAM DOMI EST PRO ILLA.] ea Fidicina, iam domi eſt pro filia.
NVNC AVCT. &c.] nunc dedit mihi Apœcidē auctorem, id eſt, cuius auctoritate res agatur,
& emtio contrahatur, & cuius periculo negotiū geratur. auctor enim eſt, cuius periculo & fide
res geritur: & qui periculum præſtat. ἀξιόπιστον interpretatur is, qui vocabularium Latino-
Græcum cōcinnauit. Nam ſeruus per ſe contrahēs, præſtare periculū non poteſt, hoc eſt, auctor
eſſe non poteſt, neq. ἀξιόπιστος. Scio autē hîc nonnullos legi malè *cautorem.* & ita impreſſum in
exemplis Venetis, & Florentinis, & nonnullis aliis. ſed quid eſt, quamobrem quidquam mu-
temus cùm & omnes libri manuſcripti *auctorem* habeant, niſi quod vnus & alter habent *actorem,*
& hæc lectio ſit probabiliſſima? quamuis enim *cautorem* quoq. probari poſſit, & ita infrà Apœ-
cides appelletur non longè: tamen *auctorem* quod hîc ferè idem valet, ſuo loco mouere non
placet. MANET ME] exſpectat me. QVASÍQVE AMARET, CAVEAT] ſcripturam
antiquam repræſentaui vt & Camerar. niſi quod, vt fortaſſis in ſuo libro reperit, edidit, *quaſi*
*quæ,* cum diphthongo. ſed locum mendoſum eſſe ſuſpicor. ſuſpicor dixi? immò verò planè ar-
bitror, ac cenſeo. quæ enim ſententia huius ſcripturæ eſſe poſſit, non video, niſi hæc *quaſiq́, ipſe*
*amaret fidicinam, ſibi caueat,* quæ ſententia abſurda eſt. Legendum autem videtur, *quaſi quoi emeret,* C
*caueat.* hac ſententia, quaſi caueat ei, cui emeret, nempe Periphani, id eſt, quaſi cautor eſſet
periculi, ſi quod eſſet periculum in emtione. vel ſic, quaſi cùm emerem, caueat. vel ſic, quaſi qui
emat, & caueat. vel ſic, quaſi qui emeret, caueat, id eſt, quaſi caueat ei, qui emeret. caueat au-
tem, id eſt, ſatis accipiat à Lenone, prædibus & prædiis. IAM IPSE CAVTOR, CAPTVS
EST.] ipſe Apœcides, qui adhibitus eſt, vt aliis caueat, & ne alij capiantur, & qui tam diligen-
ter vel ſibi, vel aliis cauet, captus eſt. IPSE IN MEO COLLO, &c.] quaſi hoc dicat, fru-
ſtra hæc cautio adhibetur, cùm pater tuus ipſe cruminam, ſeu crumenam ſuam mihi in manus
tradiderit, meæ poteſtati permiſerit, vt ex ea nummos meo arbitratu depromere queam. IS
ADORNAT, ADVENIENS D. EXT. &c.] is parat omnia, vt ſimul atque veneris, vxorem
ducas. participium *aduenïens* debet cohærere cum prouocabulo *tu,* ſubintell. hoc modo, vt tu
aduenïens, &c. SI ILLAM, QVÆ ADD. EST M. MIHI ADEMS. ORC.] ſi illa,
quam mecum adduxi, mortua fuerit, ſi illam mihi ademerit Orcus. INSTITVI] paraui, re-
peri, excogitaui. AD LENONEM] qui patri tuo Fidicinam vendidit, quam ille filiam ſuam
eſſe credit. PRO ILLA TVA AMICA,] pro illa Fidicina, quam olim amabas. ALLI-
GABIT] obligabit, verbis ſcilicet alligabit caput ſuum, id eſt, ſe ipſe alligabit. VORSVTIOR D
ES, QVÀM ROTA FIG.] verſutior, ſeu callidior, & verſatilior es, quàm rota figularis,
quæ eſt verſutiſſima, id eſt, verſatiliſſima, & ad verſandum facillima. rota figularis, alia ratione
dicitur verſuta, ſeu vorſuta, alia Epidicus, ſeu quis alius callidus, vafer, & aſtutus. rota propriè
verſuta: vafri & callidi, tranſlatè dicuntur verſuti. M. Tull. lib. 3. de natura Deorum. *Verſutos eos*
*appello, quorum mens celeriter verſatur.* ALIQVAM DOLOSAM FIDICINAM] aliam ab ea,
quæ iam domi eſt: aliquam falſam fidicinam non veram fidicinam, id eſt, non illam, quam ſe
emturum putat ſenex. QVÆ SE EMTAM SIMVLET,] quæ à me inſtituta, & præ-
monita ſimulet ſe eſſe à me emtam his quinquaginta minis, quas modò à ſene accepi, cum ſit cō-
ducta. SENES DVO] ſenes duos. duo pro, duos. vt ſuprà ambo pro, ambos. Virgil. lib. xj.
Æneid. *Si duo præterea taleis Idæa tuliſſet, Terra viros,* &c. DOCTA] à me inſtituta, & erudita.
Terent. Heaut. *perdocta eſt probè.* LVDIFICETVR] ludificet. ludos faciat. illudat. PER-
MEDITATAM] perfectè meditatam, atque exercitatam. ASTVTIÍSQ. ONVSTAM,] &
meis aſtutiis inſtructam, atque ornatam, atque adeò oneratam. HÆC SCITIS IAM
VT F. S.] ſcitis iam quomodo hæc futura ſint. NIMIS DOCTVS, &c.] valde doctus,
λίαν πεπαιδευμένος AD ME] domum meam. ATQVE ALIQVANTO LIBEN-
TIÙS, &c.]



A TIÙS, &c.] & verò aliquantò libentiùs introibo domum tuam, quàm egreſſus ſum domo tua
aliquantò, id eſt aliquam multò, non paullò. Sic autem legendum eſt, non vt habent libri vul-
gati, *aliquando,* planè mendoſè. quomodo tamen edidit Camerarius. noſtri libri quidem vete-
res omnes habent, *aliquanto.* INTVS] intus hîc ſignificat motum de loco. VIRTVTE,
ATQVE AVSPICIO EPIDICI, &c.] allegoria eſt à re militari. Virtute, atque auſpicio
Epidici, id eſt, conſilio, prouidentia, ductu, auctoritate Epidici rem gerente, duce, auctore, &
auſpice Epidico. CVM PRÆDA IN CASTRA REDEO] domum redeo victor, & re
bene geſta, & votorum, atque optatorum meorum compos. allegoria eſt, vt diximus.

## PERIPHANES, APOECIDES, ſenes duo. SERVVS.

B NON oris cauſſa modò homines æquum fuit
Sibi habere ſpeculum, vbi os contemplarent ſuum:
Sed qui perſpicere poſſent cor ſapientiæ,
Igitur perſpicere vt poſſent cordis copiam.
Vbi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea,
Vitam vt vixiſſent olim in adoleſcentia.
Vel quaſi egomet, qui dum filij cauſſa cœperam
Ego me excruciare animi, quaſi quid filius
Meus deliquiſſet. me erga, aut quaſi non plurimùm
Malefacta mea eſſent ſolida, in adoleſcentia.
Profectò deliramus interdum ſenes:
Fuit conducibile hoc mea quidem ſententia.
C Sed meus ſodalis it cum præda Apœcides.
Venire ſaluum mercatorem gaudeo.
Quid fit? AP. dij deæque te adiuuant, res proſperæ.
PE. Omen placet. AP. Quoi ſuppetunt res proſperæ.
Sed tu iubeas hanc intrò abducier. PE. heus foras
Exite huc aliquis. duce iſtam intrò mulierem,
Atque audin'? SER. quid vis? PE. caue ſiris cum filia
Mea copulari hanc neque conſpicere. iam tenes?
In ædiculam iſtanc ſeorſum concludi volo.
Diuortunt mores virgini longè, ac lupæ.
D AP. Doctè & ſapienter dicis. non nimis poteſt
Pudicitiam quiſquam ſuæ ſeruare filiæ:
Ædepol næ iſtam tempore gnato tuo ſumus
Præmercati. PE. quid iam? AP. quia dixit mihi,
Iamdudum ſe alius tuum vidiſſe hîc filium.
PE. Hanc ædepol rem apparabat. AP. planè hercle hoc quidem eſt.
Ne tu habes ſeruum graphicum, & quantiuis pretij,
Non carus eſt auro contrà. vt ille fidicinam
Fecit neſcire prorſus, ſe eſſe emtam tibi!
Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit ſimul!
PE. Mirum hoc quî potuit fieri. AP. te pro filio

Factum dixit rem eſſe diuinam domi, A
Quia Thebis ſaluus redierit. PE. rectè inſtitit.
AP. Immò ipſus illi dixit, conductam eſſe eam,
Quæ hic adminiſtraret, ad rem diuinam, tibi.
Facturum dixit rem eſſe diuinam domi.
Ego illic me autem ſic aſſimulabam, quaſi
Stolidum, cùm bardum me faciebam. PE. immò ita decet.
AP. Res magna amici apud forum agitur. ei volo
Ire aduocatus. PE. at quæſo, vbi erit otium,
Reuortere ad me extemplò. AP. continuò hîc ero.
PE. Nihil homini amico eſt opportuno amicius.
Sine tuo labore quod velis, actum eſt tamen. B
Ego ſi allegaſſem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum, minúſque ad hanc rem callidum,
Os ſublitum eſſet. itaque me albis dentibus
Meus derideret filius merituſſumo.
Atque hæc ſtultitia'ſt, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitaui in adoleſcentia
Quum militabam, pugnis memorandis meis,
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.
Sed hic quis eſt? quem huc aduenientem conſpicor,
Suam qui vndantem chlamydem quaſſando facit.

C

NON ORIS CAVSA, &c.] oris, id eſt, faciei cauſa. Socrates ſuadebat adoleſcẽtibus, vt in ſpeculo formã ſuam, ſeu os ſuum contemplarentur. ſi formoſi eſſent, darent operam, vt animi pulcritudo, corporis formæ par eſſet. ſin minus, multò magis elaborarent, vt quod corpori deeſſet, animi virtute ſarcirent. Exſtant apud Apuleium in Apologia prima de ſpeculi vtilitate præclara. quæ, ne ſim longior, huc non adſcribam. CONTEMPLARENT] contemplarent, pro contemplarentur, antiquè dictum. Næuius Danaë, *Contemplo placidè formam, & faciem virginis*. Titinnius Fullon. *Adſpecta formam, atque os contempla meum*, hæc ex Nonio. SED QVI PERSP.] id eſt, ſed quo, vel, ſed vt, &c. COR SAPIENTIÆ] id eſt, ſapientiam, quæ inſit in corde, ſeu in animo: vel per hypallagen, ſapientiam cordis. vel cor ſapientiæ, id eſt, perfectionem, & excellentiã ſapientiæ, vt dixit Ennius, *ſuadæ medullam*. IGITVR] poſtea, vt in Amphitr. *ſin aliter ſient animati, neque dent quæ petat: ſeſe igitur ſumma vi, viriſque eorum oppidum expugnaſſere*. Licet etiam interpretari *denique*, vt mauult Donatus. VITAM VT VIXISSENT OLIM IN ADOL.] vitam vixiſſent, atticiſmus. VEL QVASI EGOM. QVI,] vel id eſt, αὐτίκα, exẽpli cauſa, vt ſit hęc ſentẽtia: exẽpli cauſa, vt ego ipſe, qui &c. *quaſi* pro quemadmodũ, etiam Lucretius vſurpauit. ſic lib. I. *Sed quaſi naufragiis magnis, multiſq. coortis, Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra, guberna*, &c. *Sic tibi ſi finita ſemel primordia quædam Conſtitues*, &c. EXCRVCIARE ANIMI, &c.] ſic ſuprà, *abſurdè facis, qui angas te animi*. ME ERGA] erga me. ἀναστροφή. D Non eſt, d, littera interponenda, neque legendum *mederga*, vt eſt in libris vulgatis. Nam hæc interpoſitio corrumpit metrum. AVT QVASI NON PLVRIMÙM MALEF. ESSENT, &c.] aut quaſi verò non eſſent mea malefacta, & peccata: plurimùm, id eſt, maxima ex parte in adoleſcentia. ſolida malefacta autem, id eſt, grauia, integra, ſuis partibus abſoluta. ſic alibi *ſolidam ſeruitutem*, dixit, & Terent. *ſolida gaudia*. Malim autem hîc legi, *aut quaſi non plurima malefacta*, &c. PROFECTÒ DELIRAMVS, &c.] M. Tull. in Catone. *Iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum lenium eſt, non omnium*, &c. FVIT CONDVCIBILE HOC M. Q.] fuit vtile homines ſibi habere ſpeculum, in quo inſpicere poſſent ſapientiæ fontem, atque originem. IT CVM PR.] venit cum Fidicina filio erepta. ſic enim putant Periphanes & Apœcides, ſed errant, vt euentus declarabit. QVOI SVPPETVNT RES PR.] pendent hæc ab illis ſuperioribus. *dij deæq́, te adiuuant, te, quoi res proſperæ ſuppetunt*. duas voces quæ reperiuntur quidem in libris manuſcriptis, ſed perſpicuè natæ ſunt ex gloſſa, *homini omnes*, delendas curaui, vt metrum corrumpenteis. HANC] Fidicinam, quam ego emi: ſed erat hæc conducta, non emta.



A non emta. EXITE H. ALIQVIS] ſic Terent. *aperite aliquis actutum oſtium*, &c. CAVE SIRIS, &c.] caue ſineris, id eſt, noli ſinere hanc Fidicinam cum filia mea coniungi, & congredi, neque ſine conſpicere. DIVORTVNT MORES VIRG. L. AC. L.] longè diuerſi ſunt inter ſe mores virginis, & meretricis. Sic Horat. ait matronam meretrici eſſe diſparem; epiſt. ad Lolliũ 2. lib. I. *Vt matrona meretrici diſpar erit atque Diſcolor infido ſcurræ diſtabit amicus*. NON NIMIS POTEST PVDICITIAM, &c.] difficillima enim eſt virginis cuſtodia. multi autem ſunt pudicitiæ inſidiatores. Itaque rectè Phocylides; vt alia pleraque monet parenteis, vt virginem puellam cubiculis bene clauſis cuſtodiant, neque ante nuptias in publicum prodire; immò verò pro foribus conſpici ſinant. Sic ille, Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι: Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς. NÆ ISTAM] libri omnes manuſcripti habent, *ne*, ſcriptum ſine diphthongo. TEMPORE] tempori, maturè; tempeſtiuè. GNATO TVO SVMVS PRÆMERC.] ante filium tuum ſumus mercati. QVID IAM?] quid ita? quamobrem? GRAPHICVM] venuſtum, lepidum, & veluti pictum. Nam picti homines ſunt ferè veris pulchriores. Sic in Sticho. *Graphicum mortalem Antiphonem*. ſignificat autem eſſe ingenio polito, ſcito, & eleganti. NON CARVS EST AVRO CONTRÀ] B id eſt, ſi auro ematur, carè non ematur, ſed vili: ſi quis eum auro impenſo emere velit, non ſit carus. aurum pretio æquat, aut etiam ſuperat. Idem in Curculione. *Auro cõtrà cedò modeſtum oratorem*. ad quem locum plura. VT ILLE FIDICINAM FECIT NESCIRE, &c.] quo pacto ille inſtituit fidicinam, ſic vt neſciret ſe tibi emtam eſſe! vel ſic, quo pacto ille excogitauit, vt fidicina neſciret ſe emtam eſſe tibi, ſed exiſtimaret ſe tuo filio emtam eſſe? RIDIBVNDAM,] riſu diffuſam, riſus plenam, effuſè ridentem. MIRVM HOC QVÎ POTVIT F.] ſecutus ſum libros vulgatos, quibuſcum aliquot libri manuſcripti conſentiunt. nam alij habent, *Mirum hoc quòd potuit fieri*. quo modo Camerarius edidit. vtraque lectio recta, ſaltem probabilis. non negabo tamen hanc alteram mihi videri ſinceriorem, quam ſecutus ſum. *mirum hoc quî potuit fieri*. verumtamen iudicet lector. RESTÈ INSTITIT] malim legi, *reſtam inſtitit*. vt ſubintell. *viam*. Sic enim & Plautus ipſe, & alij veteres loqui ſolent, *inſiſtere viam*, ſeu *inſtare*. ſuprà in Aſinar. *rectam inſtas viam*. Idem in Milit. glor. *erro, quam inſiſtas viam*. IMMO IPSVS ILLI D.] immò Epidicus illi fidicinæ dixit, &c. ADMINISTRARET T.] miniſtraret tibi. FACTVRVM DIXIT, &c.] ſubintell. te. BARDVM] bardus, ſtultus, inquit Feſtus, à tarditate ingenij appellatur. trahitur, inquit ille, à Græco, quia tardos βραδεῖς appellant. cetera lege apud Feſtum. ſic ferè Nonius, bardum, inquit, ingenio tardum. Nam Græ- C ci βραδεῖς tardos dicunt. Homerus ἰλ. 23. βαρδίστοι μὲν γάρ οἱ ἔσαν καλλίτριχες ἵπποι, &c. Plaut. Perſa. *Nimis tandem me quidem pro barda, & pro ruſtica reor habitam eſſe abs te*. RES MAGNA AMICI AP. F.] res magna amici mei in foro diſceptatur, & in diſcrimine verſatur. IRE ADVOCATVS.] præſtò eſſe, & eius cauſæ fauere tacitus. EXTEMPLÒ] continuò. NIHIL HOMINI AMICO'ST, &c.] hæc ſecum loquitur Periphanes exiſtimans ſuis rationibus valde bene eſſe conſultum, & negotium ſuum diligenter, & ſapienter ab Apœcide geſtum, cùm vehementer erret: ordo autem eſt hic. Nihil eſt homini amicius, id eſt, carius amico opportuno, id eſt, vtili, & ad rem mandatam bene gerendam idoneo. QVOD VELIS,] quod quiſpiam velit. ſecunda perſona pro tertia non definita. ACTVM'ST TAMEN,] quamuis nullum laborẽ ſuſceperis. ALLEGASSEM] priuatim miſiſſem. MINVS HOM. DOCT.] hominem minus doctum. CALLIDVM] ſollertem, ſagacem. OS SVBLITVM ESSET] ſubintellige, mihi, id eſt, ego eſſem deceptus, ac ludibrio habitus. hoc genere loquendi Plautus vtitur millies. ALBIS DENTIBVS] id eſt, riſu profuſo. nam qui profuſè rident, & cachinnãtur, denteis nudant, ac retegunt. Itaque dentibus albis, id eſt dentibus nudis, vt Virgilius loquitur in alia re, lib. 4. Georg. *Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus*. Idem libro 7. Æneid. *Ipſe pe-* D *des tegmen torquens immane leonis, Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis*, &c. ME ILLI VITIO VORTERE, EGOMET QVOT F.] me illi vt vitium obiicere, quod ego ipſe adoleſcẽs crebrò facere conſueui. Sic ſuprà eadem fabula, *quis erit, vitio qui id vortat tibi?* ERADICABAM HOM.] obtundebam hominibus aureis, homines enecabam meis pugnis commemorãdis: neque cùm ſemel cœperam, finem facere poteram. SVAM QVI VNDANTEM CHL. Q. F.?] qui ſuam chlamydem facit fluctuantem agitando, id eſt, qui ita chlamydem ſuam quaſſat, id eſt, mouet, ſeu agitat incedendo, vt vndarum ſpeciem præbeat? Profert Nonius hunc verſum in voce *quaſſum*, vbi *quaſſare* interpretatur, mouere.

## MILES, PERIPHANES, FIDICINA.

CAVE præterbitas vllas ædis, quin roges
Senex vbi habitat Periphanes Platenius.
Incertus tuum caue ad me retuleris pedem.

PE. Adoleſcens ſi iſtunc hominem, quem tu quæritas, A
Tibi commonſtraſſo,ecquam abs te inibo gratiam?
MI. Virtute belli armatus promerui, vt mihi
Omneis mortalis deceat agere gratias.
PE. Non repperiſti adoleſcens tranquillum locum,
Vbi tuas virtutes explices, vt poſtulas.
Nam ſtrenuiori deterior ſi prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt ſordidæ.
Sed iſtum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego ſum, ſi quid vis. MI. nempe quem in adoleſcentia
Memorant apud reges armis arte duellica,
Diuitias magnas indeptum? PE. immò ſi audias B
Meas pugnas, fugias manibus dimiſſis domum.
MI. Pol ego magis vnum quæro, meas cui prædicem,
Quàm illum qui memoret ſuas mihi. PE. hic non eſt locus,
Proin tu alium quæras, cui centones farcias.
MI. Animum aduorte,vt, quod ego ad te venio, intelligas.
Meam amicam audiui te eſſe mercatum. PE. attate.
Nunc demum ſcio ego hunc, qui ſit: quem dudum Epidicus
Mihi prædicauit militem. adoleſcens, ita'ſt
Vt dicis, emi. MI. volo te verbis pauculis,
Si tibi moleſtum non eſt. PE. non ædepol ſcio,
Moleſtum non eſt mihi ſi dicis quid velis. C
MI. Mihi illanc vt tramittas: argentum accipias.
PE. Habeas. MI. nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit. PE. te abſoluam breui,
Argenti quinquaginta mihi illa emta eſt minis.
Sexaginta mihi ſi denumerantur minæ,
Tuas poſſidebit mulier faxo ferias:
Atque ita profectò, vt eam ex hoc exoneres agro.
MI. Eſt'ne emta mihi hæc? PE. iſtis legibus habeas licet.
MI. Conciliauiſti pulcrè. PE. heus foras educito D
Quam introduxiſti fidicinam. atque etiam fideis,
Ei quæ acceſſere tibi addam dono gratiis.
Age accipe hanc ſis. MI. quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras trudis? quin tu fidicinam
Produci intus iubes? PE. hæc ergo eſt fidicina.
Hic alia nulla'ſt. MI. non mihi nugari potes,
Quin tu huc producis fidicinam Acropoliſtidem?
PE. Hæc, inquam, eſt. MI. non hæc, inquam, eſt. non nouiſſe me
Meam rere amicam poſſe? PE. hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. MI. hæc non eſt ea.
PE. Quid? non eſt? MI. non eſt. PE. vnde hæc igitur gentium eſt?





A Equidem hercle argentum pro hac dedi. MI. ſtultè datum
Reor,atque peccatum largiter. PE. immò hæc ea'ſt.
Nam ſeruum miſi,qui ſectarier ſolet
Meum gnatum. ipſe hanc emit fidicinam. MI. hem iſtic homo
Articulatim te concîdit,ſenex, tuus
Seruus. PE. quid? concidit? MI. nihil. ſed ſuſpicio'ſt,
Nam pro fidicina illac hæc ſuppoſita eſt tibi,
Senex tibi os eſt ſublitum planè & probè.
Ego illam requiram iam vbi vbi eſt. bellator, vale.
PE. Euge, euge, Epidice: frugi es, pugnauiſti. homo es,
Qui me emunxiſti mucidum, minimi pretij,
B Mercatus te hodie'ſt de lenone Apœcides?
FI. Ehodum. ego iſtunc hominem nunquam audiui ante hunc diem.
Neque me quidem emere quiſquam vlla pecunia
Potuit,quæ plus iam ſum libera quinquennium.
PE. Quid tibi negotij eſt meæ domi igitur? FI. audies.
Conducta veni,vt fidibus cantarem ſeni,
Dum rem diuinam faceret. PE. fateor me omnium
Hominum eſſe Athenis Atticis minimi pretij.
Sed tu nouiſtin fidicinam Acropoliſtidem?
FI. Tam facile, quàm me. PE. vbi habitat? FI. poſtquam libera'ſt, vbi
C Habitet dum,incertò ſcio. PE. eho quis eam liberauerit,
Volo ſcire, ſi ſcis. FI. id quod audiui, audies.
Strathippoclem audiui Periphani filium
Abſentem curauiſſe vt fieret libera.
PE. Perij hercle, ſi iſtæc vera ſunt,planiſſimè,
Meum exenterauit Epidicus marſupium.
FI. Hæc ſic audiui. nunquid me vis ceterum?
PE. Malo cruciatu vt pereas,atque abeas citò.
FI. Fideis non reddis? PE. neque fideis,neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, ſi te dij amant. FI. abiero.
D Flagitio cum maiore pòſt reddes tamen.
PE. Quid nunc? qui in tantis poſitus ſum ſententiis:
Eámne ego ſinam impunè? immò etiamſi alterum
Tantum perdundum eſt,perdam potius,quàm ſinam
Me impunè irriſui eſſe habitum,depeculatum eis.
Sic mihi data eſſe verba præſenti palàm?
Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque iurium fictor, cónditor cluet.
Is etiam ſeſe ſapere memorat, malleum
Sapientiorem ſcilicet eſſe manubrio.

CAVE PRÆTERBITAS] caues prætereas vllas ædeis, puer, quin roges, vbi Periphanes A Platenius commoretur. Puerum ſuum alloquitur. beto,is,it. valet:eo,is,it. hinc præterbito,is,it,hoc eſt, prætereo. Pacuuius in Niptris. *Vos hinc defenſum patriam in pugnam betite.* Idem in Medo. *Si reſto, pergit ire, ſi ire conor, prohibet betere.* INCERTVS TVVM CAVE,&c.] caue ad me redieris, niſi certò ſcieris, vbi habitet Periphanes. RETVLERIS PEDEM] referre pedem, eſt regredi, & redire. Horat. epiſt. ad Piſonem. *Vnde pedem referre pudor vetet aut operis lex.* TIBI COMMONSTR.] tibi commonſtrauero. ECQVAM ABS TE INIBO GR.] nunquam mihi referes, aut habebis gratiam? VIRTVTE BELLI,&c.] glorioſus miles non vult cuiquam ſupplicare, nec gratiam debere. NON REPP. ADOLESCENS] non repperiſti adoleſcens locum idoneum ſeu opportunum, in quo tuas virtutes commemores, ſeu prædices, quemadmodum æquum eſſe cenſes. tranquillum locum. tralatio à mari. in trãquillo loco commodè nauigare licet: in loco minus tranquillo, non licet. NAM STRENVIORI DETERIOR SI P. S. P.&c.] nam ſi minus ſtrenuus, ſuas pugnas ſtrenuiori prædicat, pugnæ illæ hominis minus ſtrenui, eius ore prædicatæ ſordeſcunt: id eſt, contemnuntur, & nihili fiunt. Virg. in Alex. *quoniam ſordent tibi munera noſtra.* Horat. epiſt. 18. lib. 1. *pretium ætas altera ſordet.* huc illud quoq. pertinet. *Laus in ſuo cuiuſque ore ſordeſcit.* hac de re Cicero in epiſt. ad L. Lucceium lib. v. epiſt. & Plutarch. in lib. περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως. SED ISTVM QVEM QVAERIS, B &c.] id eſt, ſed ego iſte ſum, quẽ quæris, Periphanes Platenius. *iſtũ quẽ*, more ſuo dixit, quo antecedens & relatiuum eiuſdem caſus eſſe ſolent. qua de re alibi. MEMORANT] aiunt, dicunt. ARMIS, ARTE DVELLICA] ἀσυνδέτως dictũ, armis, arte duellica. id eſt, arte bellica. duis, pro bis, duellum pro bellum, duonum, pro bonum dixiſſe veteres conſtat. INDEPTVM?] adeptum? conſecutum? FVGIAS DIMISSIS MANIB.] id eſt, fugias celerrimè, & cõtentiſſimo curſu. nam qui contentè fugiunt, manus demittere, ſeu potius dimittere, & iactare ſolẽt: quod dicunt Græci παρασείειν τὼ χεῖρε. quod vſurpat Ariſtoteles lib. 4. de morib. ad Nicom. & libro de progreſſu animal. οἱ θέοντες θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας. & Theophraſt. in libell. qui inſcribitur ἠθικοὶ χαρακτῆρες. cap. περὶ ἀδολεσχίας. παρασείσαντα δὲ δεῖ τοὺς τοιούτους, καὶ διαράμενον ἀπαλλάττεσθαι, ὅστις ἀπύρετος βούλεται εἶναι. id eſt, dimiſſis manibus, & grallatorio gradu taleis homines fugere oportet, quiſquis vult febri carere. vſurpat hoc loquendi genus iterum Plautus Pſeud. *quia enim dimiſſis manibus volui dicere.* QVI MEM. S. M.] qui mihi ſuas referat, ſeu commemoret. CVI CENTONES FARCIAS.] centones farcire hîc prouerbialiter dictum, pro, ſua facinora non digna fortaſſe, quæ audiantur ſingillatim, & particulatim aliis recitare. vel ſic, centones farcire, eſt mendacia conſuta, & cõſarcinata aliis venditare. C Sic autem habent omnes lib. manuſc. & vulg. vt edidimus: Nõnulli tamen legi volunt, *cui centones ſarcias*, quod probabilius videtur: ego tamẽ nihil mutare auſus ſum. cẽtones enim dicti ſunt ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, hoc eſt à pungendo. & centones ſarciuntur, non farciuntur. QVOD EGO AD TE V.] id eſt, propter quod ad te venio. ATTATE:] interiectio, re aliqua exſpectata geſtientis. NVM DEM. SC. E. H. Q. S.] nunc tandem ſcio, quis hic ſit. hæc ſecũ loquitur Periphanes à milite auerſus ad ſpectatores conuerſus. QVEM DVDVM EPID.&c.] is miles eſt, quem mihi dudum prædicauit Epidicus ſup. *Quia enim mulierẽ illam alius adoleſcens deperit, Auro opulentus, magnus miles glorioſus.* VOLO TE V. P.] ſubintell. conuenire. MIHI ILLANC VT TR.] vt mihi illam fidicinã tradas, pecunia accepta. nonnulli ex lib. noſtris manuſc. habẽt, tranſmittas. NAM QVID EGO APVD TE P. P.] ſubintell. aliquid eſt in his loquẽdi generibus, verbi cauſa, dicam tibi liberè, & exponam tibi ingenuè, quamobrem ego eam emere velim, ſubiũge nũc quod ſequitur: & aptè cohærebit, hoc modo, nam quid ego apud te parcam, id eſt, fugiã, verear, timeam, cuncter, dubitem proloqui, ſeu proferre, quod in animo habeo? vel dic rationem eſſe poſitam ante propoſitionẽ: vel ante id, cuius eſt ratio. quod apparebit, ſi quis inuertat, hoc modo, Ego illam hodie volo facere libertã meam, &c. nam quid ego apud te, &c. D ſic apud Homer. ἰλ. δ. Ἀλλὰ χρὴ καὶ ἐμὸν θέμεναι πόνον οὐκ ἀτέλεστον. Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν, ὅθεν σοί. Καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης· Ἀμφότερον γενεῇ τε, καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις κέκλημαι, &c. Ordo enim, & ſententia eſt, at opus eſt etiam laborẽ meũ non irritum reddere. Deinde ſumẽdus eſt verſus Ἀμφότερον, &c. id eſt, propter duas cauſas, & propter genus, ſeu ætatem, & quia tua coniunx dicor. ſequitur nunc ratio, quæ priore loco erat poſita. καὶ γὰρ ἐγὼ, &c. id eſt, etenim ego quoque Dea ſum: genus autem mihi eſt indidem, vnde tibi, &c. MIHI CONCVBINA QVAESIT] ſic & alibi libertæ ſunt patronis ſuis concubinæ: quod & à nobis notatum, atque obſeruatum eſt. quin Vlpianus iuriſconſultus lib. 25. Digeſt. titulo de Concubinis. non vult licere libertæ patroni ſui concubinæ ab inuito patrono diſcedere, vt alteri ſe in matrimonium det: quippe cùm honeſtius ſit, inquit, patrono, libertam, concubinam, quàm matremfamiliâs habere. TE ABSOLVAM BREVI] non morabor te diutiùs. TVAS POSSID. MVL. FAXO FERIAS] faxo, vt hæc mulier tuas ferias poſſideat, id eſt, ſinam hanc mulierem tecum feriatam eſſe: hæc mulier tecum ferias agitabit, & otio fruetur: hæc mulier tuarum feriarum, tuíque otij erit particeps. ſignificat militem eſſe feriatum, miniméque in negotiis gerendis occupatum, & mulierem communiter cum eo feriatam futuram. Videtur autem ſic dictum, poſſidebit ferias, vt illud in Capt.

*Ita guttur*,



A *Ita guttur, venterque reſident eſurialeis ferias.* ATQ. ITA PROFECTO, VT EAM EX HOC E. AGRO.] atque ita profectò, vt eam longè huic abducas, & hunc agrum ea exoneres: hoc eſt, vt meam domum muliere inutili & edaci, tanquam onere leues. vel agrum accipe pro tota terra Attica vt ſup. eam ex hoc agro exoneres: pro ea, hunc agrum exoneres, hypallage eſt. ISTIS LEGIB. H. L.] iſta conditione tibi emta eſt. CONCILIAVISTI P.] eam mihi probè emiſti, ſeu paraſti. Sic Terent. Eunucho. *malè conciliate.* FIDEIS] chordas citharæ: citharam ipſam. M. Tull. in Hortenſ. *Ponendæ ſunt fides, & tibiæ.* Virg. lib. 6. *Threïcia fretus cithara, fidibúſque canoris.* GRATIIS] nullo pro eis pretio accepto. χαριζόμενός σοι. gratificans tibi: largiens tibi, vt gratiam abs te ineam. SIS.] ſi vis. ſuprà in Cap. *Nunquam erit tam auarus, quin te gratiis emittat manu.* QVÆ INTEMPERIÆ TE TENENT?] ſup. in Aulul. *Neſcio pol, quæ illunc hominem intemperiæ tenent.* miles viſa muliere ſibi ignota, & non agnoſcens eam, quam quærit, ſic Periphanem increpat. QVAS TV MIHI TEN. TR.] quam tu mihi ignotã mulierem obtrudis? INTVS] domo. HÆC ERGO EST F.] tu fidicinam tibi domo produci poſtulas. ergo habes quod petis, & poſtulas, quia hæc fidicina eſt. NON MIHI N. P.] non ſum is, quem nugis, & inanibus verbis lactare, & capere queas. PRODVCIS] foras, & palàm ducis. RERE] reris, arbitraris. DEPERIBAT] perditè amabat. VNDE HÆC IG. G. EST?] vnde gentium, vnde B terrarum, vbi terrarũ, quo locorum, & ſimilia, iam antea notata ſunt. ATQ. PECCAT. LAR.] & eſſe peccatum abs te grauiter, ſeu valde, ſeu effuſè. QVI SECTARIER S.&c.] qui filium meum aſſiduè ſequi ſolet: quo magis eam huic notam eſſe probabile eſt. IPSE HANC EMIT FIDICINAM] ſecutus ſum libros manuſcr. qui omnes ad vnum ſic habent: & ita edidit Camerarius. Nam libri vulgati mendoſè habent. *Nam ſeruum miſi, qui ſectarier ſolet. ipſe hanc meo articulo emit fidicinam.* quam lectionem tamen probat, & explicat Alciatus lib. παρέργων iuris xj. cap. xij. meo articulo, inquit ille, id eſt, quaſi meis digitis. licitationes enim micantibus, & ſublatis digitis fieri ſolebant. vnde mancipes dicti. hactenus ille. non ſunt autem falſa, quæ ſcripſit, ſed ab hoc loco ſunt aliena, neque ad rem quidquam pertinent. tanti refert libris vti emendatis. ISTIC HOMO.] Epidicus. ARTICVLATIM TE CONCIDIT] per articulos te comminuit. te in fruſta, & in minutas parteis, quaſi per articulos, diſſecuit. tralatio eſt. propriè vſurpauit M. Tullius, in oratione pro Flacco. *manus, quas contudit: digitos, quos confregit: neruos, quos concîdit, reſtituere non poteſt.* NIHIL: SED SVSPICIO'ST] nihil, non planè negat: ſed extenuandi eius, quod grauius dixerat, gratia poſitum eſt, quaſi ita diceret, ſi te non concîdit articulatim: at te circumuẽnit dolis, tibíque os ſubleuit. vel ſic, non affirmo te ab Epidico articu- C latim eſſe conciſum, ſed ſuſpicor. præterea admonendus eſt lector, *nihil*, hoc loco eſſe vnius ſyllabæ. Iam quod ad vocem *ſuſpicio* ſecunda ſyllaba longa eſt. quod eò dico, ne quis adductus quorumdam auctoritate, quæ tamen leuis eſt, patet legendum *ſuſpectio'ſt.* SENEX TIBI OS EST SVBLITVM PL. &c.] id eſt, ô ſenex, tu illuſus & pro ridiculo, ac delectamento habitus es. tractum à genere ludi, inquit Nonius, quo dormientibus ora pinguntur. Plautus. *Fidei cenſebam maximam multò fidem Eſſe. ea ſubleuit os mihi peniſſimè.* Prouerbium eſt etiam Græcis vſitatum, ὑπίλλειν στόμα. quod ad oram ſui libri adſcripſerat Simeo Boſius vir doctiſſimus idémque mihi amiciſſimus. BELLATOR, VALE.] ſic appellat ſenem miles per iocum, & ludibrium. EVGE, EVGE, EPIDICE, &c.] hæc nunc cum Epidico abſente loquitur ſenex, ſe ab eo deceptum eſſe, tandem intelligens. PVGNAVISTI] pugnas memorabileis & ſtrages edidiſti: ſtrenuè & fortiter te geſſiſti. M. Tullius lib. 1. epiſt. ad Atticum. *Dij immortales? quas ego pugnas, & quantas ſtrages edidi?* tralatè dictum. HOMO ES] non bellua, ſed homo es, non es ſtipes aliquis, aut truncus, ſed rationis, & conſilij particeps. QVI ME EMVNXISTI MVNCID. MIN. P.] aptè dictum. Nam emungendi ſunt mucidi, ſunt autem mucidi ij, quibus naſus, mucoris plenus eſt: vt paruuli pueri eſſe ſolent, quos νηπίους appellant Græci. ſigni- D ficat igitur Periphanes, tanquam puerum paruulum, & infantem, nondum conſilij & rationis compotem, ſeu tãquam ſtolidum, & fatuum aliquẽ, ab Epidico eſſe argento emunctum, hoc eſt, ſpoliatum, deluſum, & compilatum. Sic loquitur Terentius in Phormione. *Geta.* G. *hem.* AN. *quid egiſti?* G. *emunxi argento ſenes.* ad quem locum Donatus notat, mirè cùm è contrario dicatur emunctus homo, elegans, & facetus, vt Horat. de Lucilio, *emunctæ naris.* hactenus Donatus. Idem Horatius rurſus in epiſtola ad Piſon. *Pythias emuncto lucrata Simone talentum.* vbi emuncto Simone, ſic dictum, vt hîc, *qui me emunxiſti mucidum.* & vt apud Terentium *emunxi argento ſenes.* MERCATVS TE HODIE'ST DE LEN.&c.] fidicinam conductitiam interrogat, quæ ab Epidico ſuppoſita erat pro ea fidicina, quam Strathyppocles amare dicebatur. EHODVM] in omnibus libris, quos quidem viderim, nomen fidicinæ huic interiectioni præpoſitum, indicat eſſe vocem fidicinæ conductitiæ. ſed ego exiſtimo, *ehodum* eſſe vocem Periphanis, eam hortantis, vt reſpondeat: & nomen fidicinæ eſſe præponendum his demum verbis: *ego iſthunc hominem*, &c. NEQVE ME QVIDEM EMERE QVISQVAM VLLA. P. P. &c.] quare nemo ſe emere potuerit, rationem neceſſariam ſubiunxit, nam libertas æſtimari pretio non poteſt, & liberæ perſonæ vẽdi non poſſunt: neque vllius in commercio ſunt. AVDIES. CONDVCTA VENI] ab hoc loco aperiuntur Epidici doli. QVAE PLVS IAM SVM L. Q.] id eſt, quæ iam plus quã quinquenniũ libera ſum. ATHENIS ATT.] Athenas Atticas dixit, vt

diſtinguat ab aliis Athenis. Nam Stephanus quinq; aut ſex vrbeis hoc nomine appellatas fuiſſe A tradit. Sic in Mil.glor. *Is amabat meretricem æquè Athenis Atticis*. Idem in Rud. *Immò Athenis natus, altúſque, educatúſque Atticis*. Idem in Trucul. *Nunc ad amicam decimo menſe poſt Athenas Atticas viſo*. Plinius Iunior lib.4.epiſt. *Non mediusfidius ipſas Athenas tam Atticas dixerim*. M. Tull. in orat. ad Brut. *Itaque nobis monendi ſunt ij, quorum ſermo imperitus increbruit, qui aut dici ſe deſiderant Atticos, aut ipſi Atticè volunt dicere, vt mirentur hanc (Demoſthenem) maximè: quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe Atticas*. SED TV NOVISTIN' FID. ACROPOLISTIDEM?] hæc ea erat, quam amabat Miles, & quam quærebat: quam denique emerat Epidicus mandatu Strathippoclis, cùm perſuaſiſſet ſeni Periphani eius eſſe filiam. Itaque erat in ædibus Periphanis. ſed exiſtimabat eſſe filiam ſuam. VBI HABITET DVM, INCERTÒ SCIO.] non ſatis certò ſcio, vbi etiam habitet, poſtquam libera facta eſt. antequam libera eſſet, vbi habitaret, certò ſciebam: nunc neſcio. nonnulli libri habent *incertè ſcio*. PERIPHANI F.] Periphanis filium. Periphani, pro, Periphanis. vt Themiſtocli, Pericli, & ſimilia. pro Temiſtoclis, Periclis, & ſim. de quibus in notis Ciceronianis. EXENTERAVIT] funditus exinaniuit, penitus exhauſit. quaſi inteſtina ipſa Marſupij eripuit. ſuprà eadem fabula. *Acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem Marſupium* NVNQVID ME VIS CETERVM?] ſermo abeuntis, aut abire parantis. *ceterum*, autẽ, id eſt, ceteroqui. quod ad cetera attinet. vulgus dicit *ad reliquum*. FLAGITIO CVM B MAIORE PÒST R. T.] reddes cum maiore dedecore. nam te hîc ante ædeis tuas pipulo differam. ſuprà in Aulul. *Ita me bene amet Lauerna: te iam, niſi reddi Mihi vaſa iubes, pipulo hîc differam te ante ædeis*. QVI IN TANTIS POSITVS SVM S.] id eſt, qui tot ſeu tantis potius damnis affectus ſum. tractum à more iudiciorum. Nam qui ſententiis iudicum damnati ſunt, damnis augentur. Alij ſic, qui in tantis criminibus poſitus ſum: ſeu, cui tanta crimina illata ſunt: vt conſequens pro antecedente poſitum intelligamus. mihi prior explicatio magis placet. immò neutra ſatis placet. Itaque ſic potius explicemus, & ſubtiliùs. qui in tantis ſentẽtiis poſitus ſum, id eſt, qui me tot & tam magnis damnis affectũ eſſe ſentio, qui in tantis malis, & damnis verſor, qui tot detrimenta accipio, & ſentio: vt alludat ad verbum ſentiendi, à quo ſententia dicta eſt. Nonnulli etiam ſic explicant, qui in tãtis fabulis, ac ſermonibus verſor: de quo homines vulgò, & paſſim loquuntur, vt ſtolido, & bardo. Nonnulli ſic, qui habeor tantus vir, & tam ſapiens, vt mea dicta tanquam ſententiæ graues vulgò circumferantur, & celebrentur? De quo tam bene ſentiunt, & exiſtimant homines? iudicet lector, & aliquid melius reperiat. EÁMNE EGO SINAM IMPVNE?] eclipſis, vſitata iratis, & perturbatis. eámne iniuriã mihi impunè factam eſſe patiar? & ita ferè Camerar. Nonnulli ſic. Eámne ego ſententiã aduerſus me impunè eſſe latam C feram? quæ explicatio minus placet. ME IMPVNÈ IRRISVI ESSE H.] me impunè ludibrio eſſe habitum ab Epidico & filio. quidam libri manuſcripti non habẽt *impunè*, ſed in eo mendoſi ſunt. præterea legendum *irriſui*, non *irriſum*, vt habent libri vulg. & cum vulgatis conſentientes manuſcr. nonnulli, quos & Camerar. ſecutus eſt. DEPECVLATVM EIS.] depeculatum ab eis. Depeculatum paſſiuè accipiẽdum. ſic M. Tullius in Orat. pro Roſcio Amerino. Omnia ſcelera vno maleficio complexa dixit. ſic alia innumerabilia ab eodem, & ab aliis dicta ſunt. PRÆSENTI, PALÀM] ſubintell. ſinam, vel feram, vel aliud ſimile. *præſenti*, non temerè dixit. nam quemadmodum Ariſtot. li. 2. Rhetoric. ait eos, qui alicui præſenti, & in os maledicũt, maiorẽ iram ei cõmouere, quàm ſi abſenti, propterea quòd maior ineſt in illo maledicto, quàm in hoc, contumelia, maiórque contemtus: ita hîc Periphanes grauius iraſcitur quòd præſens ab Epidico deluſus ac deceptus eſt. Prǫterea etiam hoc dici poteſt, Periphani turpius eſſe, eum præſentem & videntem in ſuo negotio gerendo illuſum, & captum eſſe, cùm ſibi cauere poſſet, ac deberet, quàm abſentem, cùm ſibi cauere non poſſet. PRÆ ILLO] Apœcide, qui tamen re declarauit ſe eſſe inſipientem, ſtultum atque imprudentem. LEGVM ATQVE IVRIVM FICTOR, C. CL.] nonnulli lib. manuſcr. habent *iurum*, ego tamen nihil muto, quamuis metri D ratio *iurum* poſtulare videatur. nam *iurium* nihilominus diſſyllabum eſſe poteſt, χαλασωίζησιν. fictor, id eſt, ſcriptor, & quaſi compoſitor. *cluet*, hoc eſt, audit, nominatur, dicitur κλύει ακὐει. Iam fictor, conditor, ἀσωυδέτως dictum eſt. IS ETIAM SAPERE M.] is, qui ita inſipiẽs eſt, ſe ſapere memorat. MALLEVM SAP. SCILICET ESSE MANVBRIO] hîc erat lacuna in libris omnib. manuſcr. inter vocem *ſapiẽtiorem* & *manubrio*. vno excepto: in quo ſic erat expleta aliena manu *malleum ſapientiorem ſcilicet eſſe manubrio*. non inepta ſententia. ſignificat enim comicè, & εἰρωνικῶς. Periphanes Apœcidem ſe eſſe ſapientiorem, vt malleus plus ſapit, quàm manubrium. malleus enim plus quidem efficit in manibus fabrorũ, & ſimilium opificum, quàm manubrium: ſed manubrium malleo ſapiẽtius eſt. nam & malleus ſine manubrio, inutilis eſt, & manubriũ malleo dat facultatem, viámque aperit, qua efficere poſſit. Hinc prouerbium quo in Aulul. vtitur, eximere è manu manubrium. quod ſignificat adimere facultatem, & rationẽ præcidere, & conſilium diſturbare rei gerendæ. *ſcilicet eſſe* autem, id eſt, ſcire licet eſſe, perſpicuũ eſt eſſe, vt ſuprà, in Aſin. *Ita ſcilicet facturam*. & in Curcul. *Item alios deos facturos ſcilicet*. Lucret. lib. 2. *Scilicet eſſe globoſa tamen cùm ſqualida conſtent*. ad quẽ locũ plura: poſſunt etiã hæc pẽdere à ſuperiorib. hoc modò. Is etiã ſeſe ſapere memorat: malleũ ſapiẽtiorẽ, ſcilicet memorat eſſe manubrio. ironia eſt: eſt autẽ manubriũ, id, quo malleus tenetur, dictũ. vt docet Varr. ab eo quod manu teneatur.





A MVLIER. PERIPHANES, ſenex.

SI quid eſt homini miſeriarum, quod miſereſcat miſer ex animo,
Id ego experior, quoi multa in vnum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulſant ſimul. multiplex ærumna exercitam habet: paupertas,
Pauor territat mentem animi: neque vbi meas collocem ſpes,
Habeo, vſquam munitum locum, ita nata mea hoſtium'ſt potita.
Neque ea nunc vbi ſit neſcio. PE. quis illæc eſt mulier, timido
B Pectore peregrè aduenIens, quæ ipſa ſe miſeratur? MV. in his dictus eſt
Locis habitare mihi Periphanes. PE. me nominat hæc, credo ego
Illi hoſpitio vſus euenit. MV. peruelim mercedem dare,
Qui monſtret eum mihi hominem, aut vbi ille habitet. PE. noſcito ego hanc.
Nam videor neſcio vbi me vidiſſe prius éſtne ea, an non?
Eſt, quam animus retur meus? MV. di boni. viſitaui antidhac.
PE. Certè ea eſt, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
C MV. Planè hic ille eſt, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. PE. quæ meo compreſſu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. MV. quid ſi adeam? PE. haud ſcio an congrediar, ſi hæc ea'ſt.
MV. Sin eſt is homo, ſicut anni multi me dubiam dant. PE. longa
Dies meum incertat animum, ſin ea eſt, quam incertò autumo, hanc
Congrediar aſtu. MV. muliebris adhibenda mihi malitia nunc eſt.
PE. Compellabo. MV. orationis aciem contra conferam.
D PE. Salua ſis. MV. ſalutem accipio mihi & meis. PE. quid cæterum?
MV. Saluus ſis, quod credidiſti, reddo. PE. haud accuſo fidem.
Nouin' ego te? MV. ſi ego te noui, animum inducam vti noueris.
PE. Vbi te viſitaui? MV. iniquè iniuriu's. PE. quid iam? MV. quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquum cenſes. PE. commodè
Fabulata es. MV. Mira memoras. PE. hem. iſtuc rectius *
Meminiſtin'? MV. memini id. PE. in Epidauro. MV. ah guttula
Pectus ardens mihi adſperſiſti. PE. virgini pauperculæ
Tuæque matri me leuare paupertatem? MV. tún' is es?
Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obſeuiſti grauem.

PE. Ego ſum, ſalue. MV. ſalua ſum, quia te eſſe ſaluum ſentio. A
PE. Cedo manum. MV. accipe. ærumnoſam & miſeriarum compotem
Mulierem retines. PE. quid eſt, quod vultus te turbat tuus?
MV. Filiam quam ex te ſuſcepi. PE. quid eam? MV. eductam perdidi.
Hoſtium eſt potita. PE. habe animum lenem, & tranquillum face.
Domi meæ eccam ſaluam & ſanam. nam poſtquam audiui illico
Ex meo ſeruo, illam eſſe captam: continuò argentum dedi
Vt emeretur. ille eam rem adeò ſobriè & frugaliter
Accurauit, vt alias res ille'ſt impenſe improbus. B
MV. Fac videam, ſi me vis viuere. PE. eho Canthara, ſtatim iube
Acropoliſtidem prodire, filiam ante ædis meam,
Vt ſuam videat matrem. MV. remigrat animus nunc demum mihi.

SI QVID EST HOMINI M.] hîc loquitur, & primùm in ſcenā prodit mulier illa Epidauria, quæ olim à Periphane compreſſa fuit, inducitúrq. Periphanes, & filiam ex illo cōpreſſu natam, quærens: quam domi apud ſe eſſe putat, errans, & ab Epidico illuſus Periphanes. Ita iterum ſe ab Epidico dolis circumuentū eſſe reperit Periphanes, quòd illius ſuaſu eam puellam emerit, quæ non eſſet filia, cùm eſſe filiam crederet. QVÒD MISERESCAT MISER EX ANIMO:] propter quod miſer euadat, cùm ſit miſer ex animo: id ego &c. *miſereſcat*, hîc perſonale eſt ab indicatiuo primæ perſonæ miſereſco, quod hîc valet miſer fio, ſeu miſer euado. *miſereſcat miſer* autem, dictum eſt more Plautino: cuius eſt coniungere cum verbis nomina aduerbia & adiectiua eiuſdem originis. Iam verbum ſubſtantiuum, *eſt*, quod reperitur in pleriſque libris poſt *ex animo*, deleui, vt ſententiam corrumpens. IN VNVM LOCVM CONFLVVNT] in vnum locum concurrunt. tralatio à rebus liquidis. PVLSANT] percutiunt, permouent. MVLTIPLEX ÆRVMN.] ſic legendum non *ærumnam*, vt habent omnes ferè libri, Licet autem hæc referre ad ſuperiora, & cum iis coniungere: hoc modo. quoi multa in vnum locum confluunt, quæ meum pectus pulſant ſimul: multiplex ærumna meum pectus pulſat. vel multiplex ærumna confluit, quæ meum pectus pulſat. ſed malim coniungi cum iis, quæ ſequuntur, hoc modo: multiplex ærumna exercitam habet, ſubintelligitur, me. C EXERCITAM HABET] ſubintelligitur, me. *exercitam habet*, autem, id eſt, exercet, fatigat, vexat. Idem Bacchid. *quæ ſodalem, ac me exercitos habet*. Sueton. in Tiberio, non longè à principio. *Infantiā, pueritiámque habuit laborioſam, & exercitam*. ſeu vt in aliis libris legitur, *exercitatam*. quem locum eò libentiùs protuli, quòd in libris vulgatis legitur, *luxurioſam*, pro *laborioſam*. Alioqui apud Suetonium paullo aliter dictum eſt, *habere exercitam*, quàm apud Plautum. PAVPERTAS, PAVOR TERR. M. AM.] paupertas, pauor, ἀσυνδέτως. poſita. paupertas territat mentem animi: pauor item territat mentem animi. D MENTEM ANIMI] mentem, quæ eſt in animo, tanquam oculus in corpore. præſtantiſſimam, & intimam animi partem. Sic ſuprà in Ciſtellaria. *Nullam mentem animi habeo*. ad quem locum hac de re plura. & in commentariis Lucretianis, lib. 4. ibi. *Mens animi vigilat*. & in Horatianis epiſt. ad Vill. lib. 1. ibi. *tamen iſtuc mens, animúſque Fert, & amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra*. NEQVE VBI MEAS COLL. SP. HABEO VSQ. M. L.] ordo eſt, neque vſquam habeo locum munitum, vbi ſpes meas collocem. locum munitum, χωρίον ἐχυρόν. HOSTIVM'ST POTITA] in hoſtium poteſtatem peruenit. ſuprà in Captiuis, principio. *Poſtquam meus Rex eſt potitus hoſtium*. ad quē locū plura exempla collegimus. QVIS ILLHÆC EST MVL.] quæ illa eſt mulier, &c. QVAE IPSA SE MISERATVR?] quæ ſe ipſa miſeram dicit? CREDO EGO ILLI HOSPITIO VSVS EVENIT] illi credo, hoſpitio opus eſſe accidit. euenit illi, credo, vt opus ſit ei hoſpitio. Sic autē legendū vt edidimus, non, *inuenit*. PERVELIM MERC. D. Q.] ſubintell. ei NOSCITO EGO HANC] incipio cognoſcere hanc, ſeu agnoſcere. ME VIDISSE PRIVS.] *me* hîc ſuperuacaneū eſt. & tamen ſic interdum loquebantur veteres. Lucret. lib. 1. *Quippe etenim quàm multa tibi me fingere poſſum*. &c. ad quem locum, quæ annotauimus legere licet. EST QVAM ANIMVS RETVR M.?] éſtne ea, quam reor apud me, ſeu in animo meo?

HVNC



A HVNC VISITAVI ANTIDHAC] hunc ſæpe antea vidi. hic ſæpe antea ad me ventitauit, & ita crebrò eum vidi. QVAM IN EPIDAVRO PAVP. MEM. COMPR.] ſubintell. me. PVDICITIAM PEPVLIT.] ſic habent omnes libri & vulgati, & manuſcripti, idcirco nihil ſum auſus mutare. ſed libris omnibus inuitis legendum arbitror, pudicitiam *perculit*: Neq. lex carminis repugnat. perculit autem, id eſt, proſtrauit, peruertit à verbo percello. Virgil. lib. 5. Æneid. *Victorem Buten immani corpore, qui ſe Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat, Perculit & fulua moribundum extendit arena*. M. Tull. lib. 1. de Orat. ad Q. Fra. *Et C. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcentulus perculiſti*, &c. QVAM DOMI NVNC HABEO.] putabat ſe habere, ſed errabat. SI HÆC EA'ST.] oratio non eſt integra. deeſt enim *congrediar*, ſeu *aggrediar*. ME DVBIAM DANT.] me dubiam reddunt. LONGA DIES MEVM INCERTAT] longa dies, id eſt, longum tempus, temporis longinquitas, ac diuturnitas, incertat, hoc eſt, incertum reddit. HANC CONGRED. ASTV.] hanc aggrediar aſturè. videtur autem legendum *aggrediar*, potiùs quam *congrediar*. quamquam nihil mutare auſim. Nam etiam verbo *colloquor* ſubiungere ſolet accuſandi caſum. ORATIONIS ACIEM CONTRA CONF.] aciem orationis conferam. Dictum tranſlatè à re militari, aut à gladiatoribus. SALVA SIS.] ab hoc loco denique incipiunt alter cum altero loqui. Nam quæ vſque ad hunc locum locuti ſunt, ea apud ſe, & ſecum locuti ſunt, B dum dubitant etiam & Periphanes, ſítne hæc ea mulier, cum qua olim conſueuerit, & mulier, ſítne hic ille Periphanes, à quo compreſſa ſit, neque audent adhuc inter ſe ignoti, & nondum inter ſe agniti, mutuò ſalutare. QVID CETERVM?] de reliquo, aut de cetero, aut quod ad cetera attinet, quid ais? QVOD CREDIDISTI, REDDO.] reddo ſalutem, quam mihi dediſti, ſeu dixiſti, & tanquam pecuniam crediſiſti. tranſactum à rebus creditis. Idem in Bacchi. *Quin tu primum reddis ſalutem, quam dedi?* HAVD ACCVSO FIDEM.] non queror de tua fide, quæ mihi tam fideliter, quod tibi credidi, reddas, nempe ſalutem. fides locum habet & vſurpatur in rebus creditis, non ſolùm in dictis, & promiſſis. Nam qui pecuniam mutuò acceptam, aut alioqui ſibi creditam, non reddit, aut etiam abnegat, atque abiurat, fidem violat. *accuſare fidem*, autem, pro, accuſare aliquem, quod fidem non ſeruet, aut non præſtet. ſic dictum, vt à M. Tull. *accuſare officium*, pro eo, quod eſt, aliquem, quod in officio non maneat, aut quod officium non faciat. M. Tull. epiſt. 1. lib. 2. epiſt. ad C. Curionem, princip. *tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quàm iucundum requiri*, &c. SI EGO TE NOVI, ANIMVM IND. VTI NOVERIS.] ſi ego te noui, id eſt, ſi tu is es, quem eſſe arbitror, animum meum inducam, vt me noris: hoc eſt, perſuadebo mihi, ſeu credam, me tibi notam eſſe. VTI TE VISITAVI?] vbi te ſæpe vidi? C INIQVÈ INIVRIV'S] iniuſtus es præter æquum. iniuriam mihi facis præter æquitatem. ſic dictum autem *iniurius es iniquè*, vt, *miſerè miſeri*, in Ciſtell. &, *miſerè miſer*, in Mercat. &, *parcè parcus*, in Aulul. quamuis enim iniurius, & iniquè non ſint eiuſdem originis, ſunt tamen eiuſdem ferè ſignificationis. quòd ſi dixiſſet, *iniuriè iniuriu's*, eſſet hoc planè tale, qualia ſuperiora. QVID IAM?] cur ita? QVIA TVAE MEMORIAE INTERPRETARI ME AEQ. CENS.] quia poſtulas me tuæ memoriæ eſſe interpretem, atque internuncium: quia æquum cenſes me id, quod memoria tenes, proferre, & pronuntiare. vel ſic, quia æquum cenſes, me, quod memoria non tenes, tibi in memoriam redigere, & memoriæ tuę ſubuenire. verbum *interpretari* iunxit cum dandi caſu. COMMODÈ FAB. ES] ſcitè, & lepidè, ſeu aptè locuta es. MIRA MEMORAS.] mira dicis, cùm dicis me, quæ fœmina ſum, commodè fabulatam eſſe. eſt enim à natura muliebri, commodè loqui. HEM ISTVC RECTIVS.] deeſt huic verſui nonnihil in extremo. vt notat Camerarius. ſententiæ autem nihil admodum deeſt. hoc enim, opinor, ſentit Periphanes. hem iſtuc rectius eſt, quod nunc ita loqueris. ſcilicet me mira memorare, quàm illud, me iniquè eſſe iniurium. Itaque ſic ſuppleri, & ſarciri poteſt verſus. *Hem iſtuc rectius, ſic loqui*. MEMINISTIN'?] meminiſtíne me tibi virgini pauperculæ D tuæque matri paupertatem leuare? hæc fuerat vno ſpiritu Periphanes locuturus, niſi cunctatus eſſet, & hæſitaſſet. ſed cùm cunctaretur ille, & mulier tamen, quid ſentiret, ſatis intelligeret, ita reſpondit, quaſi ille totam orationem abſoluiſſet. vel dic mulierem intelligentem, quid ille ſibi vellet, & quid ſentiret, illo nihil cunctāte, anteuertiſſe & reſpondiſſe, proinde ac ſi ille integram ſententiam elocutus eſſet, ſe meminiſſe. IN EPIDAVRO.] vides vt cunctanter, & dubitanter, & timidè loquatur de re, de qua agitur, Periphanes. AH GVTTVLA PECTVS ARDENS MIHI ADSPERSISTI] allegoria eſt ab iis ſumta, qui ex morbo, aut ex alia aliqua cauſa ſupramodum calent, atque æſtuant, quibus vel guttula aquulæ adſperſa magnæ alleuationi eſt. hoc igitur ſignificat mulier: tu me ægram, & mœrore confectam tua oratione aliquantum ſolatus es, ac leuaſti. VIRGINI PAVPER. TVAEQVE MATRI, &c] tibi virgini pauperculæ, &c. pendent autem hæc ex illo ſuperiore, vt diximus, *Meminiſtin'*. TVN' IS ES, QVI IN ME AER. OBSEVISTI GR.] id eſt. Túne is es, qui me grauidā feciſti? Túne is es, qui dum voluptatem tibi quæris, & libidinem tuam explere properas, me onere graui oneraſti, & compleuiſti? ærumnam grauem appellat, fœtum in vtero ſuo concretum, & conflatum Periphanis opera, & compreſſu. obſeuiſti autem, id eſt, iacto & fuſo abs te ſemine, in meum ventrem circumſeuiſti. CEDO MANVM.] da manum. ET MISERIARVM COMPOTEM] miſeriarum plenam. RETINES.] tenes. QVID EST, QVOD VVLTVS TE T. T.] quid eſt,

quamobrem vultus tuus immutatus, & pallidus factus te turbidam reddit! quidam legunt *ſe turbat tuus?* A F ILIAM, QVAM EX TE S.] oratio imperfecta, propterea quòd Periphanes cunctantem fortaſſe mulierẽ interpellauit, non exſpectato dum eam, addito verbo *perdidi*, perficeret. QVID EAM?] vrget vt verbum addat, nam ſine verbo, & oratio illa imperfecta eſt, & eius ſententia obſcura, atque incerta. EDVCTAM PERDIDI.] nunc demum quid ſentiat, aperit, ac declarat, verbo addito. *Eductam*, inquit, id eſt, educatam à me ac ſublatam, non expoſitam, aut proiectam ad necem, perdidi. HOSTIVM EST POTITA.] in hoſtium poteſtatem peruenit. ET TRANQVILLVM FACE] & tranquilla animum. DOMI MEÆ ECCAM S. ET S.] errat ſenex, vt ſemel atque iterum diximus. SOBRIÈ,] prudenter, & vigilanter: vt ſobrij ſolent. νηφαλέως. ET FRVGALITER] nõnulli libri manuſcripti habẽt, *& fideliter*. ego nihil muto à recepta ſcriptura. VT ALIAS RES ILLE'ST IMP. IMPR.] malim legi, *vt alias ad res ille eſt impensè improbus*: neque metrum repugnat, ferri tamen hæc ſcriptura poteſt, vt intelligamus alias. obſeruandum autem hoc genus *adeò vt*, pro eo modo, quo modo. SI ME VIS VIVERE] ſic Horat. epiſt. 7. lib. 1. *Si me viuere vis, rectéque videre valentem.* CANTHARA,] ancillæ nomen. STATIM IVBE ACROPOLISTIDEM, &c.] fruſtrà hîc, ſeipſe fatigat Camerarius, dum contra veterum codicum auctoritatem diſputans, aliud filiæ ſuæ nomen eſſe oportere contendit, quàm Acropoliſtidem, hac ratione niſus, quia inquit, hoc eſt fidicinę illius, quam miles amabat, nomen. B Atqui hoc debuit videre, & intelligere Camerarius, eam ipſam fidicinam Acropoliſtidem, quam miles deperibat, eſſe apud Periphanem, non vt fidicinam, & militis amicam, ſed tanquam ipſius filiam, talémq. ab eo exiſtimari. neque obſtat, quòd eodẽ nomine vtraque appellabatur. quamuis enim Periphanes audierat ex milite Acropoliſtidem fidicinam illam, quam is amabat, appellari, cùm eodẽ nomine eam, quam filiam ſuam eſſe putabat, appellari ſciret: non tamen idcirco ei venerat in mentem ſuſpicari eam, quam filiam ſuam eſſe ſibi perſuaſum haberet, eſſe militis amicam: ſciebat enim ſæpe euenire, vt duobus atque adeò pluribus perſonis nomen ſit commune. hoc igitur dico non effici ex eo, quòd militis amica Acropoliſtis appelletur, aliud Periphanis filiæ nomen eſſe oportere, cùm præſertim hæc militis amica, quæ Acropoliſtis nominatur, & fidicina ſit, & à Periphane ſua filia habeatur. REMIGRAT] redit, quaſi aliò extra corpus migrarit. Idcirco infrà, cena proxima, dicit, eam Periphanes exanimatam filiæ ſuum adſpectum exſequi. tralatio eſt.

## FIDICINA, PERIPHANES ſenex, MVLIER. C

Qvid eſt pater, quòd me exciuiſti ante ædis? PE. vt matrem tuam
Videas, adeas, aduenienti des ſalutem, atque oſculum.
FID. Quam meam matrem? PE. quæ exanimata exſequitur aſpectum tuum.
MV. Quis iſtæc eſt, quam tu oſculum mihi ferre iubes? PE. tua filia.
MV. Hæccine? PE. hæc. MV. egóne oſculum huic dem? PE. cur non? quæ ex te nata ſit.
MV. Tu homo inſanis. PE. egóne? MV. tute. PE. qur? MV. quia ego hanc quæ ſiet D
Neque ſcio, neque noui, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
PE. Scio quid erres, quia veſtitum atque ornatum immutabilem
Habet hæc. MV. aliter catuli longè olent, aliter ſues. nego
Eam me nouiſſe quæ ſit. PE. prò deûm atque hominum fidem,
Quid? ego lenocinium facio, qui habeam alienos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorſum. quid tu, quæ patrem
Tuum vocas me, atque oſculare? quid ſtas ſtupida? quid taces?
FI. Quid loquar vis? PE. hæc negat ſe tuam eſſe matrem. FI. non fuat.

Si non



A Si non volt. equidem hac inuita tamen ero matris filia.
Non me iſtanc cogere æquum eſt meam eſſe matrem, ſi ne volt,
PE. Cur me igitur patrem vocabas? FI. tua iſtæc culpa eſt, non mea.
Non patrem ego nominem, vbi tu tuam me appelles filiam?
Hanc quoque etiam, ſi me appellet filiam, matrem vocem.
Negat hæc filiam me ſuam eſſe. non ergo hæc mater mea eſt.
Poſtremò hæc mea culpa non eſt: quæ didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magiſter fuit. PE. perij, plauſtrum perculi.
FI. Nunquid ego ibi peccaui? PE. ſi hercle te vnquam audiuero patrem
Me vocare, vitam tuam ego interimam peſſima. FI. non voco
B Vbi voles pater eſſe, ibi eſto: vbi noles, ne fueris pater.
MV. Quid? ob eam rem hanc emiſti, quia tuam gnatam ratu's? quibus
De ſignis agnoſcebas? PE. nullis. MV. quare ergo filiam
Credidiſti noſtram? PE. ſeruus Epidicus dixit mihi.
MV. Quid ſi ſeruo aliter vſum'ſt? non poteras nouiſſe, obſecro?
PE. Quid ego, qui illam vt primùm vidi, nunquam vidi poſtea?
MV. Perij miſera. PE. ne fle mulier, intrò abi, habeto animum bonum.
Ego illam reperiam. MV. hinc Athenis ciuis eam emit Atticus:
Adoleſcentem equidem dicebant emiſſe. PE. inueniam tace.
Abi modò intrò, atque hanc aſſerua Circam, Solis filiam.
C Ego relictis rebus Epidicum operam quęrendo dabo:
Si inuenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, vt fiat diem.

EXSEQVITVR ASPECTVM TVVM] exquirit, atque exoptat adſpectum tuum. QVIS ISTÆC EST, QVAM TV OSC. M. F. IVB.?] quæ iſta eſt, quam tu mihi oſculum præbere iubes? *quis*, pro *quæ* antiquè. FERRE] præbere, offerre, dare. QVIA EGO HANC, QVAE SIET, NEQVE SCIO, NEQVE N. &c.] id eſt, quia ego, quæ hęc ſit, neque ſcio, neque noui. NEQVE EGO HANC OCVLIS VIDI ANTE H. D.] id eſt, neque ego vigilans, ſeu re vera vidi ante hunc diem. quòd ſi vidi, vidi in ſomnis. non vidi anteà ὕπαρ: ſed ſi fortè vidi κατ' ὄναρ vidi. IMMVTABILEM.] immutabilem, id eſt, immutatum: à verbo immuto, as: ſeu immutor, aris. non eſt enim nomen compoſitũ à voce *mutabilis*, & prępoſitione *in*, negationem aut priuationem ſignificante, ſed, vt dixi, à verbo immutor. Itaque immutabilis ornatus hoc loco, valet mutabilis, ſeu mutatus. Licet etiam dicere immutabilis, eſſe compoſitum ex *in* & mutabilis, ſed *in*, non habere in eo vim priuationis, aut negationis, ſed acceſſionis, & incrementi: vt in his, incuruus, incauus, & ſimilibus. D ALITER CATVLI LONGÈ OLENT, ALITER SVES.] prouerbium de rebus longè diſſimilibus. & quæ facilè inter ſe diſcerni poſſunt: quemadmodum canis fœmina facilè diſcernere poteſt ſuos catulos à porcellis. QVID? EGO LENOCINIVM FACIO] quid hoc rei eſſe dicam? egóne lenocinium, aut lenoniam artem exerceo? ſic fortaſſe dixit, meretricium facere. EGVRGITEM DOMO PRORSVM?] domo effundam prorſus: egurgitare, tanquam è gurgite fundere. prorſum, id eſt, porrouorſum, rectà. QVID STAS STVPIDA?] quid ſtas ſtupens, & tacita? NON FVAT,] non ſit. SI NON VOLT] al. ſi ne volt. neuolt autem, id eſt non volt. vtitur infrà non longè. ſic neuis pro non vis: ne pro, non. Idem in Trin. *filiam tibi deſponſatam audio, niſi tu neuis.* SI NE VOLT.] ſi non vult. NON PATR. EGO N.] ſubintell. te. VBI TV TVAM ME FIL?] cùm tu me filiam tuam appelles? HANC QVOQVE ETIAM, &c.] quoque etiam σχῆμα ἐκ παραλλήλου. Sic Lucretius lib. 5. *Eſt etiam quoque, vti poſſit cælum omne manere In ſtatione*, &c. POSTREMÒ, HAEC MEA CVLPA NON EST.] ſed Epidici, qui mihi ita præmonſtrauit, ac præcepit. EPIDICVS MIHI MAGIST. F.] Epidicus me docuit, vt te patrem meum appellarem. PLAVSTRVM PERCVLI] libros vulgatos ſequutus ſum. nam manuſcripti omnes, quos quidem viderim, habent, *auſtrum perculi.* vt autem hîc vulgatos ſequerer potiùs, quàm manuſcriptos, impulit me Donati auctoritas, qui ad illud

Terentij in Eunuch. *perculeris iam tu me.* notat *perculeris*, id eſt, *peruerteris.* vnde prouerbiũ *pæne plauſtrum perculi.* plauſtrum percellere autem dicuntur prouerbio ruſticis vſitato, qui rem aliquam ſuſceptam euertunt, corrumpunt, ac perdunt. Nonnulli tamen legi volunt, addita adſpirationis nota, *hauſtrum perculi*, eadem ſententia, vt prouerbium natum ſit ab iis, qui vas aquæ plenũ percellunt, & peruertunt. eſt enim hauſtrum vas, ab hauriendo dictum. quanquam Nonius hauſtra propriè dici ſcribit, rotarum cados ab hauriendo, ſicut ἄντλια! profértque Lucretij verſum ex lib. 5. *Vt fluuios verſare rotas, atque hauſtra videmus.* Non deſunt etiam, qui ſcripturam veterem tuentur, *auſtrum perculi*, eámque ſic interpretantur, inanem operam ſumſi. VITAM TVAM INTERIMAM, PESSIMA] ſic loquitur ſuprà in Caſina, ibi, *interimere ait velle vitam.* & in Ciſtellaria, ibi. *Nam dudum vt accurrimus ad Alceſimarchum, ne ſuam vitam interimeret, tum mihi puto præ timore hîc excidiſſe Ciſtellam.* QVIA TVAM GNATAM RATV'S?] quia tuam filiam ratus es? QVID SI SERVO ALITER VISVM'ST?] quid ſi ſeruo aliter viſum eſt, quàm res ſit? QVID EGO, QVI, &c.] quid ego poteram qui, &c. vel quamobrem ego nouiſſem, qui, &c. vel lege, quî ego, id eſt, quomodo ego noſſem, qui primùm natam vidi, poſtea amplius non vidi? vel ſic, qui ab eo tempore, quo illam primùm vidi, nunquam poſtea vidi? ADOLESCENTEM EQVIDEM, &c.] dicebant quidem adoleſcentem, neſcio quem eam emiſſe. CIRCAM, SOLIS FILIAM] per Circam, ſignificat veneficam. talis enim deſcribitur ab Homero, de qua & Horat. epiſt. 2. lib. 1. *Sirenum voces & Circes pocula noſti: Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupidúſque bibiſſet: Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.* Ad quem locum plura de Circe, ſolis filia. legere licebit. M. Tullius in diuinatione de accuſ. conſt. in Verr. *ſed repente è veſtigio, ex homine, tanquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres.* RELICTIS REBVS,] ſic ſuprà in Ciſtellaria, *ita omnibus relictis rebus mihi frequentem operam dediſtis.* EPIDICVM OPERAM QVÆR. D.] dabo operam Epidico quærendo. EXITIABILEM EGO ILLI FACIAM, VT FIAT D.] mira orationis ſyntaxis: quam ſæpenumerò iam indicauimus, & explicauimus. diximus enim eſſe commixtam, & cõfuſam ex his duabus: ego faciam hunc diem fieri illi exitiabilem: ego faciam, vt hic dies ſit illi exitiabilis. Eſt autem Græcorum propria, quam poëtæ comici Latini imitati ſunt, & vſu cæperunt. *exitiabilem* autem hîc poſitum ἐνεργητικῶς, pro exitialem, & exitioſum.

## STRATHIPPOCLES adoleſcens, EPIDICVS, ſeruus, DANISTA, VIRGO.

C

MAlè morigerus mihi eſt Daniſta, qui de me argentum non petit,
Neque illam adducit, quæ emta ex præda eſt. ſed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc eſt, quòd illi caperat frons ſeueritudine?
EP. Si vndecim deos præter ſeſe ſecum adducat Iuppiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi, aderat ibi vnà Apœcides.
Nunc homines me quæritare. credo, ſenſerunt: ſciunt
Sibi data eſſe verba. ST. quid agis mea commoditas? EP. quod miſer. D
ST. Quid eſt tibi? EP. quin tu mihi adornas ad fugam viaticum
Prius quàm pereo? nam per vrbem duo defloccati ſenes
Quæritant me, in manibus geſtant copulas ſecum duas
ST. Habe bonum animum. EP. quippe ego, cui libertas in mundo ſita'ſt.
ST. Ego te ſeruabo. EP. ædepol me illi melius, ſi nacti fuant.
Sed quis eſt hæc muliercula, & illic grauiſtellus qui venit?
ST. Hic eſt Daniſta: hęc illa eſt autem, quam emi ex præda. EP. hęccine'ſt?
ST. Hęc eſt. éſtne vt tibi dixi? aſpecta. EP. hęc? ST. contẽpla Epidice

Vſque



A Vſque ab vnguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiuiſſima.
Eſt'ne? conſidera, vide, ſignum pictum pulcrè videris.
EP. Ex tuis verbis meum futurum corium pulcrum prædicas:
Quem Apelles atque Zeuſis duo pingent pigmentis vlmeis.
ST. Dij immortales, otioſè iſſe admiror. pedibus pulmoneis
Qui perhibetur, prius veniſſet quàm tu adueniſti mihi.
DA. Hæc ædepol remorata medeſt. ST. ſiquidem iſtius gratia
Es remoratus, quod iſta voluit, nimium adueniſti citò.
DA. Age age, abſolue me, atque argentum numera, ne comites morer.
ST. Pernumeratum'ſt. DA. tene cruminam. huc inde. ST. ſapienter venis.
B Opperire dum effero ad te argentum. DA. matura. EP. domi eſt.
Satin' ego oculis vtilitatem obtineo ſyncerè, an parum?
E' Philippa matre natam ac Thebis, Epidauri ſatam,
Videon' ego Acropoliſtidem te, Periphani filiam?
VI. Quis tu homo es, qui meûm parentũ nomen memoras, & meum?
EP. Non me nouiſti? VI. quod quidem nunc veniat in mẽtem mihi.
EP. Lunulam atque anellum aureolum in digitum? VI. memini mi homo.
EP. Non meminiſti me inaurem auream ad te afferre natali die?
VI. Túne is es? EP. ego ſum, & iſtic frater tuus eſt, alia matre, vno patre.
C
VI. Quid pater meus, viuu'ſt? EP. animo liquido & tranquillo es, tace.
VI. Dij me ex perdita ſeruatam cupiunt, ſi vera autumas.
EP. Non habeo vllam occaſionem, vt apud te falſa fabuler.
ST. Accipe argentum hoc Daniſta. hic ſunt quadraginta minæ.
Si quid erit dubium, immutabo. DA. benefeciſti, bene vale.
ST. Nunc enim tu mea es. VI. ſoror quidem ædepol, vt tu æquè ſcias.
Salue frater. ST. Sanan' hæc eſt? EP. ſana, ſi appellat ſuum.
D ST. Quid? ego modò huic frater factus ſum, dum intrò eo atque exeo?
EP. Quod boni'ſt, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.
ST. Perdidiſti & repperiſti me ſoror. EP. ſtultus tace.
Tibi quidem quod ames domi præſto'ſt fidicina, opera mea.
Et ſororem in libertatem idem opera concilio mea.
ST. Epidice fateor. EP. abi intrò, ac iube huic aquam calefieri.
Cætera hæc poſterius faxo ſcibis, vbi erit otium.
ST. Sequere hac me mea ſoror. EP. ego ad vos Theſprionem iuſſero
Huc tranſire. ſed memento, ſi quid ſæuiunt ſenes,
Suppetias mihi cum ſorore ferre. ST. facilè iſtuc erit.

EP. Theſprio exi iſtac per hortum,affer domum auxilium mihi. A
Magna eſt res.minoris multo facio,quàm dudum,ſenes.
Remeabo intrò,vt accurentur aduenientes hoſpites.
Eadem hæc intus edocebo,quæ ego ſcio,Strathippoclem.
Non fugio,domi adeſſe certum'ſt.neque ille haud obiiciet mihi
Pedibus ſeſe prouocatum.abeo intrò,nimis longum loquor.

MALÈ MORIGERVS MIHI EST DANISTA,&c.] malè mihi obſequitur, ſeu morem gerit argentarius,ſeu fœnerator,qui à me pecuniam non petit, quam pollicitus ſum me ei pro virgine daturum. ILLI] Epidico. CAPERAT FRONS SEVER.] frons rugoſa, & cõtracta eſt ſeueritate & triſtitia.Profert hunc verſum Nonius,& in verbo *caperare*,& in voce *ſeueritudine*.caperare autem interpretatur, rugis frontem contrahere,& aſperare: aitque tractum à caprorum frontibus criſpis. ſed non videtur ille attendiſſe, *caperare*, eſſe hîc abſolutum,& *caperat* poſitũ eſſe pro *caperatur*.Nam Varro verbo paſſiuo vſus eſt in Eumenid. ibi, *Quin* B *mihi caperatam tuam frontem,Strobile omittis*? SI VNDECIM DEOS PRÆTER SESE,&c.] qui ſint vndecim dij præter Iouem,diximus ſuprà in Caſina. *Tu iſtos minutos deos caue flocci feceris*. EXIMERE.] eripere:liberare. ME QVÆRITARE.] me quæritant. CREDO, SENSERVNT] credo,ſenſerunt,id eſt,cognouerunt ſe eſſe à me illuſos, ac deceptos. SCIVNT SIBI DATA ESSE VERBA.] ἑρμηνεία. explanat enim, quod dixerat obſcurius. MEA COMMODITAS?] homo mihi commodiſſime? homo qui mihi commoditates plurimas, & maximas affers?ſic dictum mea commoditas, vt mea ſalus,mea peſtis,mea vita,mea voluptas, & ſimilia. DEFLOCCATI SENES.] id eſt,detriti,ſeu attriti. ſic Nonius. tractum à veſtibus ſine flocco,ſeu à floccis. COPVLAS] vincula,quibus me vinciant:vel laqueos,quibus me capiãt, atque illaqueent. deinceps legendum *ſecum duas*:quod ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis conieci. QVIPPE EGO: CVI LIB. IN M. S.] id eſt, ego verò bonum animum habere debeo, cui libertas parata ſit.ironia eſt.quid ſit in mundo eſſe, pluribus verbis alibi docuimus. MELIVS] ſubintellige,ſeruabunt:id eſt,retinebunt,& vincient,vt loris poſtea cædant.Iocus eſt ex ambiguo,in verbo *ſeruabunt*.nam ſeruare,& ſalutem dare ſignificat,periculóque liberare,& cuſtodire. hoc modo accipit ſeruus:illo,Strathippocles. SI NACTI FVANT.] ſi nacti fuerint. SED QVIS EST MVL.] ſed quæ eſt muliercula,&c. quis in fœmin.antiquè. ET ILLIC GRAVIST. QVI VENIT?] ſic habent omnes noſtri codices manuſcr. ſed,quod & C ab aliis animaduerſum eſt,Feſtus inconſtanter, in duobus locis hunc locum proferens, alibi legit *rauiſtellus*,alibi *grauiſtellus*,vt edidimus.*Rauiſtellus*,legit,in raui coloris, & raui coloris homines dicit eſſe inter flauos,& cæſios,quos Plautus,inquit ille,appellat *rauiſtellos*.in voce *grauiſtellus* verò,*grauiſtellus*,inquit,id eſt,ſenior.deinde hunc locum profert:& deinceps grauiſtellum ait ſe putare eſſe à grauitate dictũ.Ego aſſentior Camerario,qui ſuſpicatur grauiſtellũ,fictũ eſſe nomẽ à Plauto ad exprimendum,quod Græci dicunt ἄχθος ἀρούρης, id eſt,onus terræ, quia fortaſſe hic daniſta eſſet habitior,& corpulentior.ſed quid mirum eſt, nos interdum, hæſitare in interpretandis,& explicandis nonnullis vocibus Latinis, qui tam longè ab auctoribus Latinæ linguæ abſumus,cùm Grammatici illi veteres,qui propiùs ab illis aberant,tam inconſtanter,& variè eas explicare,carúmque originem iudicare reperiantur. EST'NE VT TIBI DIXI?] éſtne,qualis tibi dixi?hoc eſt,elegans,ſcita & venuſta? ſchema eſt κατὰ τὸ σιωπώμενον. nuſquam enim dixit in hac fabula Strathippocles Epidico,qualis hæc puella ſit. ſed hoc intelligimus eſſe dictum,ex iis,quæ hîc dicuntur,etiam ſi id in ſcena non ſit dictũ. CONTEMPLA] contemplare. D VSQVE AB VNGVICVLO AD CAP. S. EST FEST.] vſque à talo ad verticem capitis.Sic M.Tullius in orat.pro Roſcio Amerino. *Nónne ab imis vnguibus ad verticem ſummum,ſi quam*,&c.*ex fraude,fallaciis,mendaciis conſtare totus videtur*?ſic Horat.de puero venali, epiſt. 2. lib.2. *Candidus,& talos à vertice pulcher ad imos*.ἐκ ποδὸς ἐς κορυφήν. SIGNVM PICTVM PVLCRÈ VID.] picta,pulcriora ſunt veris,& natiuis.ex quo graphicum,pro eleganti,pulcro,& ſcito.ſuprà,*Næ tu habes ſeruom graphicum,& quantiuis pretij*.ſignum pictum,videtur pro imagine picta poſuiſſe. EX TVIS VERBIS MEVM FVT. CORIVM,&c.] ſi quæ picta ſunt, pulcra ſunt:meum corium pulcrum futurum eſt.nam loris aut virgis à ſenibus quaſi pictoribus pulcrè pingetur.meum corium,id eſt,mea pellis. τὸ δέρμα μου. QVEM APELLES, ATQVE ZEVSIS,&c]. per Apellem,& Zeuſin ſignificat duos ſenes,Periphanem & Apœcidem. Apelles & Zeuſis duo clariſſimi pictores,de quib. Plinius lib.37.cap.10. Ab Apelle potiſſimùm pingi volebat Alexander Magnus, vt ſcribit M. Tull. lib.epiſt.5.epiſt. ad L.Luceium. immò à ſolo, vt Horat.epiſt.1. lib.2.*Edicto vetuit nequis ſe,præter Apellem,pingeret*.Idem Apelles,vt ſcribit iterum M.Tullius lib.1.epiſt.ad Appium,*Pulcrum Veneris caput, & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit,reliquam partem corporis inchoatam reliquit*.De Zeuxi Heracleote idem Tullius lib.2.de Inuent.Rhetor. in proœmio.PIGMENTIS VLMEIS] virgis vlmeis,quib.elicient è tergo meo ſanguinem, ita



A ita pulcrè pictus videbor. DII IMMORTALES] admirantis. ISSE ADM.] ſubintellige. PEDIBVS PVLMONEIS] pedes pulmonei,molles ſunt. molles pedes autem ad ambulandum inepti ſunt,quia itineris laborem ferre non poſſunt:vt contrà duri pedes,ad iter faciendum,atque adeò ad currẽdum ſunt aptiſſimi: vt equorum vngulæ,& equi æripedes,quos Græci vocant.χαλκόποδας,id eſt, στερεόποδας, ſolidis pedibus κρατερώνυχας, validis vngulis.Homer.ἰλ.θ.Ὣς εἰπὼν ὑπ' ὄχεσφι. τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω. &c.M.Tull.lib.1.de orat. ad Q. Fr.de Socrate loquens,*Et quod ille duriſſimis pedibus fecit,vt ſe abiiceret in herbam*;&c. Iam molles pedes pulmonei à Plauto dicti ſunt,quia pulmonis natura,mollis, & ſpongioſa eſt. M.Tull.libro 2.de Nat. Deor. *In pulmonibus autem ineſt raritas quidem,& aſsimilis ſpongiis mollitudo ad hauriendum ſpiritum aptiſsima*,&c.Alcinous de iis, quæ Platoni viſa ſunt.τὸν πνεύμονα δὲ ἐμηχανήσαντο τῆς καρδίας χάριν μαλακόν τε, καὶ ἄναιμον, σομφώδη τε, καὶ σπόγγῳ παραπλήσιον,&c. quæ ſic Latinè vertimus.Porrò autẽ pulmonem cordis cauſa mollem, & exſanguem,& cauernoſum,ac rimoſum,ſpongiæ denique ſimilem mira ſollertia machinati ſunt, &c. Quæ ſunt ex Platone in Timæo.Commemorantur autem & lanei deorum pedes,de quibus Macrobius lib.1. Saturnal. cap.8.Sed videtur hîc ſignificare Plautus aliquem fuiſſe olim pulmoneis pedibus, de quo nihil me legere memini.Ordo autem verborum hic eſt.Qui perhibetur pulmoneis pedibus, is priùs B veniſſet,quàm tu adueniſti mihi.quod dictum eſt per ſuperlationem,ſeu καθ' ὑπερβολήν. qui enim pulmoneis pedes habet,tardiſſimè ambulet,neceſſe eſt. HÆC] hæc puella. MEDEST.] me eſt. SIQVIDEM ISTIVS GRATIA ES REMORATVS.] exprimitur amor Strathippoclis in puellam ex prǽda emtam,quam ſororem ſuam eſſe neſcit,ex eo,quòd id ǽquo fert animo, atque adeò probat, quod alioqui fuerat improbaturus, moleſtéque laturus. *remoratus* autem hîc abſolutam habẽt ſignificationem. ſuprà autem proximè *remorata*,actiuam. ABSOLVE ME, ATQVE ARG. NVM.] expedi me,pecunia mihi numerata, cura mihi pecuniam numerandam,vt hoc pacto diſcedam.abſolue me,id eſt,cura,vt mihi abire liceat:& omnia impedimenta,quibus teneor,præcide.noli me hîc remorari diutiùs. ſuprà in Amphitrione. *Quæſo, abſoluito hinc me extemplo,quando ſatis deluſeris*.Teren.Adelph.*Ego ad forum ibo,vt hunc abſoluam*.PERNVMERATVM'ST] argentum hîc totum apud Cheribulum numeratum eſt. HVC INDE] in hanc cruminam iniice,ſeu immitte argentum,quod pernumeratum eſſe dicis. *inde* imperatiui modi,ab indo,is,it. SAPIENTER VENIS.] cum crumena ſcilicet:quod dicit Paulus Iuriſconſultus,cum ſacco.ſic ille lib.46.Digeſt.tit.de ſolutionibus. *Quod dicimus,heredem, fideiuſſori teſtatoris id,quod ante aditam hereditatem ab eo ſolutum eſt, debere ſtatim ſoluere : cum aliquo ſcilicet tempera-* C *mento temporis intelligendum eſt,nec enim cum ſacco adire debet*. Quæ Iuriſconſulti verba videntur cum his Plautinis pugnare.nam quod ſapienter fit,fieri debet,& ſapiẽter facit creditor,qui cum ſacco ad debitorem venit.At iuriſconſultus negat eum,qui pro teſtatorǽ ſoluit, cùm eius fideiuſſor eſſet,ad heredem teſtatoris cum ſacco venire debere. Non eſt autem credibile iuriſconſultum fuiſſe dicturum,id fieri non debere, ſi ſapienter,id eſt,rectè fieret. ergò non facit ſapienter creditor,qui cum ſacco debitorem adit,pecuniam,quǽ ſibi debetur,petiturus.facilis ſolutio eſt. ſed ſoluat lector.hæc enim ioci gratia adſperſi. OPPERIRE DVM EFFERO AD TE ARGENTVM] exſpecto, dum domo exporto ad te argentum. MATVRA] maturare, inquit Nigidius,eſt quod neque citiùs,neque ſeriùs,ſed medium quiddam, & temperatum eſt.de quo plura apud Macrobium lib.Satur.6.cap.8. SATIN', EGO OCVLIS VTILITATEM OBT.&c.] id eſt,ſatíſne ego oculis acutè cerno,nécne?vel ſic,ſatíſne oculis ſincerè vtor,an parùm ſincerè?vel ſic,ſatíſne oculos integros ac ſinceros habeo,an parũ? Alij ſic,ſatin' ego ſincerè oculis vtilitatẽ quæ ad me peruentura eſt,ſi hæc puella ſit Periphanis filia,obtineo,an parũ?non placet. E PHILIPPA M.] hoc erat matris nomen.MEMORAS] dicis.QVOD QVIDEM NVNC VENIAT IN M.] non te noui,quod ego quidem cogitem,ſeu in cogitationẽ mihi D veniat. LVNVLAM, ATQ. ANELLVM AVR.] oratio interrupta, ſic enim eſſet integra, non meminiſti me lunulã,& anellũ aureum in digitum ad te adferre?Lunulam autẽ,id eſt,lapillum,ſeu gemmam rotundam,inſtar Lunæ.annulum in digitum autẽ dixit, quia nõnulli annulli ſunt, qui digito non geſtantur, quamquam etiam ij,quibus tabellæ,& ceteræ res obſignantur, digitis geſtantur.M.Tull.orat. pro Roſcio Amerino non admodum longè ab extremo.*Si veſtitum,quo ipſe tectus erat, annulúmque de digito ſuum tibi tradidit:* &c. ab hoc loco initium capit ἀναγνωρισμός.NON MEMINISTI ME INAVREM AVREAM,&c.] ſic legendum conieci ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis.Camerarius verò *minam*: à quo diſſentio. Alioqui hîc in libris nonnullis inter *me* & *auream*,lacunula eſt.fortaſſis etiam legere licet, detracta voce, *auream: Non meminiſti me ad te inaurem afferre natali die?* eſt autem inauris, aurium ornamentum. VNO PATRE] eodem patre. ANIMO LIQVIDO, ET TR.] eſto animo ab omni perturbatione, & ægritudine vacuo,ac ſoluto: animo, vt alibi loquitur,defœcato,&c. SI VERA AVTVMAS.] ſi vera dicis. NON HABEO VLLAM OCCASIONEM, VT APVD TE FALSA FABVLER.] malim legi,Non habeo vllam occaſionem,cur apud te falſa fabuler. FABVLER.] loquar. ACCIPE HOC ARGENTVM,&c.] exit nunc domo Strathippocles,& argentum effert. interea autẽ dum introit domum,& exit,factus eſt ἀναγνωρισμὸς, & cognoſcit puella ſe eſſe Strathippoclis fratrem. SIQVID ERIT DVBIVM.]

ſi quid erit incertum,ſítne probum,an improbum,&c. VT TV ÆQVÈ SCIAS.] ſubintell.atque ego ſcio. QVOD BONI'ST, ID TACITVS FAC.&c.] quod tibi boni euênit,id fac taceas,& in ſinu gaudeas. *tacitus taceas*, & ex eo genere eſt,quod alibi notauimus, *iratus iracundia*,in Curcul.*viuus viuam*,in Pſeud. PERDIDISTI, REPPERISTI ME SOROR.] perdidiſti me,quia me amantem & te potiri cupientem,fruſtrata es,neque enim te frui potero,cùm ſoror ſis,repperiſti me:quia me,quem perdideras,& quem fratrem eſſe neſciebas, recuperaſti,cùm fratrem eſſe comperiſti. STVLTVS TACE.] tu, qui ſtultus es,tace.ſtulti enim eſt tacere,ſapientis loqui.ſi ſaperes,loqui deberes. nunc quando ſtultus es, tace. vel lege *ſtultu's,tace*,id eſt,ſtultus es.quare tace. CONCILIO] concilio in libertatem,id eſt,emo,non vt ſeruiat,ſed vt libera ſit,& ſuis natalibus reddatur. AC IVBE HVIC AQVAM CALEFIERI.] vt lauet,peregrè veniens. SIQVID SÆVIVNT SENES,] ſi quid ſuccenſent ſenes, Periphanes,& Apœcides εἴ τι χαλεπαίνωσι. Horat. Sat.2.libro 2.ſermonum. *ſæuiat atque nouos moueat fortuna tumultus*, &c. SVPPETIAS M. C. S. FERRE] ſuppetias ferre, auxilium ferre.ſuppetias,inquit Fulgentius,auxilium dicimus. REMEABO INTRÒ,] redibo intrò. EADEM] eadem opera,ſeu via. NON FVGIO DOMI ADESSE CERTVM EST.] non eſt nunc conſilium fugiendi. Decretum eſt mihi domi eſſe, nempe quia mea opera inuenta eſt Periphanis filia. NEQVE ILLE HAVD OBIICIET MIHI, PEDIB. &c.] neque fugiendo committam,vt Periphanes mihi obiiciat,ſe à me prouocatum eſſe ad currendi certamen, ſeu ad curſum.Notandum hîc duas negationes magis negare: aut certè nihilominus.

A ... B (margin)

## PERIPHANES, APOECIDES, ſenes duo.

### EPIDICVS.

SAtin' ille homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
Habet? AP. immò ædepol tu quidem miſerum me habes miſeris modis.
PE. Tace ſis modò,ſine me hominem apiſci. AP. dico ego tibi iam vt ſcias, C
Alium tibi te comitem meliùs quærere,ita dum te ſequor
Laſſitudine me inuaſerunt miſerum in genua flemina
PE. Quot illic hodie me exemplis ludificatu'ſt,atque te?
Vt illic autem exenterauit mihi opes argentarias?
AP. Apage illum à me.nam ille quidem Vulcani irati eſt filius.
Quaqua tangit,omne amburit:ſi propè aſtes,æſtu calefacit.
EP. Duodecim deis pluſquam in cœlo eſt deorum immortalium,
Mihi nunc auxilio adiutores ſunt,& mecum militant.
Quicquid ego malefeci.auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi.
Apolactizo inimicos omnis. PE. vbi illum quæram gentium? D
AP. Dum ſine me quæras,quæras mea cauſſa vel medio in mari.
EP. Quid me quæris?quid laboras?quid hunc ſollicitas?ecce me.
Num te fugi?num ab domo abſum?num oculis conceſſi tuis?
Nec tibi ſupplico.vincire vis,hem oſtendo manus.
Tu habes lora.ego te emere vidi.quid nunc ceſſas?colliga.
PE. Ilicet.vadimonium vltro mihi hic facis. AP. quid colligas?
PE. Edepol mancipium ſceleſtum. EP. te profectò Apœcides
Nihil moror mihi precatorem. AP. facilè exoras Epidice.
EP. Eho quid agis? PE. tuón' arbitratu? EP. meo hercle vero, atque haud tuo
Colligandæ hæ ſunt tibi hodie. PE. at non lubet,non colligo.

At mihi



A At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. EP. at nihil ſcies.
AP. Tragulam in te iniicere adornat.neſcio quam fabricam facit.
EP. Tibi moram facis,cùm ego ſolutus aſto.alliga,inquam,colliga.
PE. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. EP. at nihil ſcies.
PE. Quid ago? AP. quid agas?mos geratur. EP. frugi es tu homo Apœcides.
PE. Cedò manus igitur. EP. morantur nihil.atque arctè colliga,
Nihil verò obnoxioſè. PE. facto opere arbitraminor.
EP. Bene hoc habet,age nunc iam ex me exquire,rogita quod lubet.
PE. Qua fiducia auſu's primùm quæ emta eſt nudiuſtertius,
Filiam meam dicere eſſe? EP. lubuit,ea fiducia.
B PE. Ain' tu?libuit? EP. aio.vel da pignus,ni ea ſit filia.
PE. Quam negat nouiſſe mater? EP. ni ergo matris filia eſt,
In meum nummum, in tuum talentum pignus da. PE. enim iſthæc captio'ſt.
Sed quis ea eſt mulier? EP. tui gnati amica, vt omnem rem ſcias.
PE. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? EP. fateor datas.
Et eo argento illam me emiſſe amicam filij fidicinam.
Pro tua filia.iſtis adeò te tetigi triginta minis.
PE. Quomodo me ludos feciſti de illa conductitia
Fidicina? EP. factum hercle verò,& rectè factum iudico.
C PE. Quid poſtremò argento factum eſt quod dedi? EP. dicam tibi.
Neque malo homini,neque te indigno tuo dedi Strathippocli.
PE. Cur dare auſu's? EP. quia mihi libitum eſt. PE. quæ hæc,malum,ferocia eſt?
EP. Etiam inclamitor quaſi ſeruus. PE. cùm tu es liber,gaudeo.
EP. Merui vt fierem. PE. tu meruiſti? EP. viſe intrò,ego faxo ſcies.
Hoc ita eſſe. PE. quid eſt negotij? EP. iam ipſa res dicet tibi.
Abi modò intrò. PE. hei non illuc temere'ſt, aſſerua iſtum Apœcides.
D AP. Quid illuc Epidice eſt negotij? EP. maxima hercle iniuria
Vinctus aſto,cuius hæc hodie opera inuenta eſt filia.
AP. Ain' tu te illius inueniſſe filiam? EP. inuêni,& domi eſt.
Sed vt acerbum'ſt, pro benefactis cùm mali meſſem metas!
AP. Quámne hodie per vrbem vterque ſumus defeſſi quærere?
EP. Ego ſum defeſſus reperire,vos defeſſi quærere.
PE. Quid iſti oratis opere tanto?meruiſſe intelligo,
Vt liceat merito huius facere.cedo tu vt exſoluam manus.
EP. Ne attigas. PE. oſtende verò. EP. nolo. PE. non æquum facis.
EP. Nunquam hercle hodie niſi ſupplicium mihi das, me ſolui ſinam.
PE. Optimum atque æquiſſimum oras,ſoccos,tunicam, pallium

Tibi dabo. EP. quid deinde porrò? PE. libertatem. EP. at poſteà? A
Nouo liberto opus eſt quod pappet. PE. dabitur, præbebo cibum.
EP. Nunquam hercle hodie niſi me oraſſis, ſolues. PE. oro te Epidice
Mihi ignoſcas, ſi quid imprudens culpa peccaui mea.
At ob eam rem liber eſto. EP. inuitus do hanc veniam tibi,
Niſi neceſſitate cogar. ſolue ſanè, ſi lubet.

SATIN' ILLE HOMO, &c.] id eſt, nónne Epidicus nos duos vetulos decrepitos ſatis ludibrio habet? *Satin'*, *&* *ſatiſne*, reſponſionem aientem poſtulant, & affirmationem ſignificant: B vt hîc & apud M. Tullium in orat. pro Roſcio comœdo. *Satiſne iſta reſtipulatio dicere tibi videtur apertè, Roſcium pro ſe decidiſſe?* DECREPITOS] ſenes in dubio vitæ conſtitutos. Nonius, vel ſic ita ætate confectos, vt dubium ſit, viui, an mortui ſimus. MISERVM ME HABES] miſerum me facis, dum ita celeriter ambulas, vt te ſubſequi non poſſim. TACE SIS MODÒ.] tace, ſi vis modò. APISCI] adipiſci, apprehendere. MELIVS] ſubintell. eſt, vel lege, *meliu'ſt* id eſt, melius eſt. FLEMINA] flemina dicuntur, cùm ex labore viæ ſanguis defluit circa talos. Feſtus. ILLIC] ille Epidicus. QVOT EXEMPLIS] quot modis. LVDIFICATV'ST] ludificatus eſt? ludificauit? VT ILLIC AVTEM, &c.] quo pacto autem ille, &c. EXENTERAVIT, OPES ARG.] ex cruminis & loculis meis argentũ penitus excuſſit? crumenas meas argento funditus exhauſit, atque exinaniuit? VVLCANI IRATI EST FILIVS] quia vt Vulcanus iratus, quidquid contigit, amburit, exurit, & conſumit. *irati Vulcani* dixit, quia Vulcanus propitius iuuat. QVAQVA TANGIT, OMNE AMB.] epexegeſis, per quam declarat, quod obſcuriùs dixerat, quacumq. parte quippiam tangit, inquit, id omne amburit, id eſt, circum vrit, & circũ vrendo conſumit. ÆSTV] calore. DVODECIM DEIS PLVSQVAM IN COELO'ST, DEORVM IMM.] ordo, & ſentẽtia eſt, plus duodecim deis, plus deorum C immortalium, quàm in cœlo eſt, mihi nunc adiutores ſunt, vt auxilientur, & mecum militent. oratio eſt impedita, & eius ſyntaxis perturbata. Quòd ſi legeretur, duodecim dei, plus quàm in cœlo eſt d. imm. &c. facilior eſſet explicatio, hoc modo. duodecim dei mihi ſunt adiutores, immò plus deorum immortaliũ, quàm in cœlo eſt. ſæpè autem commemorantur à Plauto dij duodecim, qui dicuntur à Cicerone, per quandam tranſlationem ſermonis, dij maiorum gentium: quorũ nomina duob. verſib. complexus eſt Ennius, vt anteà diximus, & verſus poſuimus. ponit hîc & Camerarius in notis ſuis. APOLACTIZO.] calcibus ſummoueo, ac repello. ἀπολακτίζω. verbum Græcum. DVM SINE ME QVÆRAS, &c.] hæc ideò dicit Apœcides, quod minis properabat Periphanes. MEA CAVSA.] ἐμοῦ ἕνεκα: quod ad me attinet. vel ſic, per me licet, vel in medio mari quæras. HVNC,] Apœcidem. SOLLICITAS?] quaſi de ſolo commoues? NVM OCVLIS CONCESSI TVIS?] num ab oculis aliquò abſceſſi tuis? NEC TIBI SVPPLICO] nec verò tibi ſupplex eſſe volo, vt mihi ignoſcas. ſermo eſt hominis altero non egentis, & ſuis bonis contenti, & ſua virtute freti. Idem in Milite gl. *Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala. Domi habet hortum*, &c. In Pſeud. *nunquam ædepol cuiquam ſupplicabo, dum quidem Tu viues*, &c. EGO TE EMERE VIDI.] repete è ſuperiore, lora. paullò antè dixit copulas. D ILICET] actum eſt. VADIMONIVM VLTRO MIHI HÎC FACIS.] id eſt, vltro te mihi ſiſtis, quaſi in iudicio. vltro mihi obis vadimonium. vltro te in iudicium ſtatutum mihi ſpondes. TE PROF. APOECI. NIHIL MOROR, &c.] te profectò Apœcide non egeo precatore: vel non curo te habere deprecatorem. EHO QVID AGIS?] eho quid ſtas? quin mihi manus colligas? TVÓN' ARBITRATV?] tuóne arbitratu me agere, aut non agere poſtulas? tuóne arbitratu mihi viuendum eſt? MEO HERCLE VERÒ] meo hercle verè arbitratu. ſic autẽ legendum eſt, non vt habent nonnulli libri vulgati, *meo hercle verbo*, ſubintelligitur enim, & repetitur ἀπὸ κοινοῦ, arbitratu. TRAGVLAM IN TE INIICERE ADORNAT] id eſt, fallaciam aliquam in te parat. Allegoria eſt à re militari, ſic autem dixit, *telum iniicere*, in Moſtellaria. tragula, genus eſt haſtæ. ſuprà in Caſina. *Ego pol iſtam iam aliquouorſum tragulam deiecero*. vtitur Cæſar in Commentariis de bello Gallico. QVID AGAS?] rogas quid agas? MOS GERATVR.] mos Epidico geratur. hoc eſt, manus ei colligentur. CEDO MANVS IGITVR] da manus igitur. NIHIL VERÒ OBNOXIOSÈ.] id eſt, nihil facias ambitioſè, & cuius nomine tibi obnoxius eſſe debeam. obnoxioſus, qui habet, vel qui reddit ſibi obnoxium: vt in Trinummo. *Mores leges perduxerũt iam in poteſtatem ſuam: Magis queis ſunt obnoxioſi, quàm parentes liberis*. quos verſus ſuo loco declarabimus. Nũc hoc ſatis ſit, ad huius loci, in quo verſamur



A verſamur, explicationem, ſcire, obnoxioſum ſignificare actionem, aut certè habere ſignificationem actiuã. ex quo *obnoxioſè* hîc valet id, quod diximus, liberaliter, & benignè, & propter quod me tibi obnoxium reddas. FACTO OPERE ARBIT.] colligatis manibus, vos iudicatote, vtrum obnoxioſè fecerim, nécne. AVSV'S] auſus es. EA FIDVCIA] ea fiducia dixi, ſeu dicere auſus ſum, eſſe filiam tuam, quia libuit. VEL DA PIGNVS, NI EA SIT FIL.] vel mecum certa pignore aliquo depoſito, ni ſit filia tua, ſponde mihi certam pecuniam, pignore depoſito, ſi filia tua ſit: ea lege, vt, ſi filia tua ſit, ea pecunia mea ſit: ſi non ſit, ego tergo dependam. QVAM NEGAT N. M.] quomodo poteſt ea eſſe mea filia, quã negat ſe nouiſſe mater? NI ERGO MATR. FIL. EST, IN MEVM N. IN TVAM TAL. P. DA.] id eſt, ergo, ni tua filia eſt, pignus depone in ſeſtertium nummùm à me depoſitum, in talentum à te depoſitum. ENIM ISTHAEC CAPTIO'ST] enimuerò ineſt in iſtac conditione captio aliqua. vel ſic, enimuerò ineſt in iſta conditione iniquitas mihi damnoſa, & detrimẽtoſa. ſecuti autem ſumus codices manuſcriptos: Itaq. Camerarius edidit. Nam Alciatus lib. xj. παρέργων, cap. 13. legit hoc modo: *quam negat nouiſſe mater?* EP. *non ergo matris ea filia eſt? In meum nummum, in tuum talentum pignus da, ni eſt.* PE. *captio eſt.* Alciati coniectura fortaſſe non eſt abſurda. ſed libri veteres plus auctoritatis habent. SED QVIS EA EST MVLIER] ſed quæ ea fidicina eſt, quam B ego te ſuaſore, & impulſore, pro filia mea emi? DEDIN' TIBI, &c] dedíne tibi, id eſt, nónne dedi tibi, &c. TE TETIGI] te ferij, fraudaui, damno affeci. tale eſt illud, quod eſt libro 2. de orat. ad Q. Fr. ex quodam poëta, *Sentin' ſenem tactum eſſe triginta minis?* Idem Plautus in Perſa, *tactus eſt leno, qui rogarat, vbi nata eſſet, diceret.* Idem in Pſeudol. *ſi neminem alium potero, tuum tangam patrem.* QVOMODO ME LVDOS FECISTI, &c.] id eſt, quomodo me ludificatus es, quod ad illam conductitiam fidicinam attinet? NEQVE TE INDIGNO] ſic reſtitui libris omnib. inuitis, in quibus eſt, *neque benigno*. quæ lectio ferri non poteſt. adiuuit autem me codex manuſcr. Tilianus, in quo ſcriptũ erat, *neque te digno*, & Huraltinus, in quo erat cum litura *neque te indigno*. Quis non videt autem ex, *te indigno*, factum eſſe ab errante librario, *te innigno*, aut, *te nigno*, deinde ex horum alterutro, ab aliquo ſciolo, *benigno?* CVR DARE AVSV'S?] cur dare auſus es? QVAE HÆC, MALVM, FEROCIA EST?] quæ malùm, hæc ſuperbia eſt? *malûm*, hîc aduerbium eſt, & particula indignationis. proinde ac ſi ita dicat, quæ hæc ſerui hominis ferocia, id eſt, ſuperbia eſt, qui ita domino ſuo reſpondet, ſe id, quod minus rectè fecerit, idcirco feciſſe quod libitum eſt? Erat autem hîc poſt, *malûm*, lacunula, quam ex codice manuſcrip. Vaſcoſ. expleui. ETIAM INCLAMITOR, Q. S.] etiam increpor, atque obiurgor, tanquã ſeruus. C CÙM TV ES LIBER, GAVDEO] quia ſeruus Epidicus dixerat, ſe inclamitari quaſi ſeruum, quibus verbis ſignificaſſe videbatur, ſe eſſe liberum: (*quaſi*, enim, aduerbium ſimilitudinis eſt: ex quo qui ſe dicit increpari quaſi ſeruum, ſignificat ſe non eſſe ſeruum) Periphanes eius dominus irridens, & εἰρωνευόμενος, ait ſe gaudere, quòd iam liber ſit Epidicus. vel ſic explica, & planiùs. dictum eſt hoc, ab hero Periphane per ironiam, *cùm tu es liber, gaudeo*: quaſi ita dicat: ego verò gaudeo, te liberum eſſe: quod neſciebã. Nam ſi hoc ſciſſem, clementiùs te appellaſſem. EGO FAXO SCIES HOC ITA, &c.] id eſt, hoc ita eſſe ſcies. IAM IPSA RES D. T.] non opus eſt, aut non neceſſe eſt tibi hoc me, vel quemquam alium dicere, res ipſa loquetur, & res ipſa tibi dicet: nempe filia tua, mea opera inuenta. SED VT ACERBVM'ST, PRO BENEF. CÙM M. M. M.] ſed quàm graue, ac moleſtum eſt, pro beneficiis pœna affici, & vinciri! mali meſſem metere, dictum pro, malum metere. & meſſem metere, eſt atticiſmus. Sic in Trinummo, princip. *Eorum licet iam meſſem metere maximam*. Malum metere autem, id eſt malum conſequi, & percipere. tranſlatum à re ruſtica, & à meſſoribus. tale eſt illud, *vt ſementem feceris, ita & metes*. quod exſtat in lib. 2. de orat. ad Q. Fr. QVÁMNE HODIE PER VRBEM, &c.] túne filiam Periphanis reperiſti eam, quam hodie vterque defeſſi ſumus quærendo? QVID D ISTI ORATIS OPERE TANTO?] quid iſtîc agitis, id eſt, dicitis, aut loquimini tantopere? *iſti*, pro, iſtic, vt *illi*, pro illic, notauimus in Commentariis Lucretianis, & præterea alibi. orare autem dixerunt veteres pro agere. hinc oratores. agere autem interdum valet dicere. hinc actores. qua de re plura in commentariis Horatianis. MERITO HVIVS.] quia filiam meam reperit. FACERE] manus eius exſoluere. NE ATTIGAS.] ne attingas. *tago* dixerunt veteres pro, tango. ex quo *tagax*, id eſt, furax. qua voce vſus eſt M. Tull. lib. 6. epiſt. ad Atticum epiſtol. 3. *etenim eſt leuis libidinoſus tagax*. ſed de his conſulendi ſunt Feſtus & Nonius. NISI SVPPLICIVM MIHI DAS,] niſi mihi das pœnas, id eſt, niſi mihi ſatisfacis. Sic loquitur Catullus in epigram. ad Gellium quod eſt poſtremum. *At fixus noſtris tu dabi' ſupplicium.* QVOD PAPET.] quod edat, ſeu edit. pappare dicuntur parui pueri. Perſius Sat. 3. *pappare minutum*. PRAEBEBO CIBVM] ſuppeditabo tibi, quod comedis, ſeu comedas. πορίσω σοι τὸ ἐσθίειν. παρέξω σοι τὸ σῖτον. NISI ME ORASSIS,] niſi me oraueris. NISI NECESSITATE COGAR,] niſi neceſſitate cogerer. niſi mihi neceſſitas ignoſcendi imponeretur.

## GREX. A

HIC is homo eſt,qui libertatem malitia inuenit ſua.
Plaudite & valete.lumbos porgite ,atque extollite.

INVÊNIT] conſecutus eſt,parauit. LVMBOS PORGITE, ET EXTOLLITE]id eſt, vno verbo,exſurgite.ambiguè videtur dictum , nam qui ſedent, lumbos videntur habere contractos,atque inflexos:quos cùm ſurgunt,porrigunt,atque extollunt.rurſum,qui rei Venereæ dant operam,lumbos porrigunt.

FINIS EPIDICI.


B

# BACCHIDES.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| PISTOCLERVS | adoleſcens. |
| LYDVS | pædagogus. |
| BACCHIDES | meretrices. |
| CHRYSALVS | ſeruos. |
| NICOBVLVS | ſenex. |
| MNESILOCHVS | adoleſcens. |
| PARASITVS. | |
| MILITIS | puer. |
| PHILOXENVS | ſenex. |
| CLEOMACHVS | miles. |

C

GREX. D

## BACCHIDES & PISTOCLERVS.

BA. QVID ſi hoc potius eſt,vt taceas,ego loquar?BA.lepidè licet.
BA. Vbi me fugiet memoria ibi,tu facito, vt ſubuenias ſoror.
BA. Pol magis metuo,mihi in monēdo ne deſuat oratio
BA. Pol ego quoque metuo,luſciniolæ ne deſuat cantio.
Sequere hac. PI. quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?

Quid



A Quid in concilio conſuluiſtis? BA. bene pol. PI. haud meretricium'ſt.
BA. Miſerius nihil eſt, quàm mulier. PI. quid eſſe dicis dignius?
BA. Hæc ita me orat, ſibi qui caueat, aliquem vt hominem reperiam,
Ab iſtoc milite,vt,vbi emeritum ſibi ſit, ſe vt reuehat domum.
Id, amabo te, huic caueas. PI. quid iſti caueam? BA. vt reuehatur domum.
Vbi ei dederit operas, ne hanc ille habeat pro ancilla ſibi.
Nam hæc ſi habeat aurum, quod illi renumeret. faciat libens.
PI. Vbi is homo eſt? BA. iam hic, credo, aderit. ſed hoc idem apud nos rectius
B Poteris agere: atque is dum veniat, ſedens hic opperibere.
Eadem biberis: eadem,dedero tibi, vbi biberis,ſauium.
PI. Viſcus merus veſtra eſt blanditia. BA. quid iam? PI. quia enim intelligo.
Duæ vnum expetitis palumbem. perij, arundo alas verberat.
Non ego iſtuc facinus mihi mulier conducibile eſſe arbitror.
BA. Qui?amabo. PI. quia Bacchis, bacchas metuo & Bacchanal tuum.
BA. Quid eſt, quid metuis? ne tibi lectus malaciam apud me ſuadeat?
PI. Magis inlectum tuum,quàm lectum metuo. mala tu es beſtia.
Nam huic ætati non conducit mulier,latebroſus locus.
C BA. Egomet,apud me ſi quid ſtultè facere cupias,prohibeam,
Sed ego apud me te eſſe ob eam rem, miles cùm veniat,volo,
Quia, cùm tu aderis , huic, mihíque haud faciet quiſquam iniuriam.
Tu prohibebis, & eadem opera tuo ſodali operam dabis.
Et ille adueniens tuam me eſſe amicam ſuſpicabitur.
Quid amabo obticuiſti? PI. quia iſthæc lepida ſunt memoratui.
Eadem in vſu,atque vbi periculum facias,aculeata ſunt,
Animum fodicant, bona deſtimulant,facta & famam ſauciant.
Apage à me,apage. BA. Ah,nimium ferus es. PI. mihi ſum. BA. malaciſſandus es.
D Quid ab hac metuis? PI. quid ego metuam, rogitas?homo adoleſcentulus
Penetrare huiuſmodi in palæſtram, vbi damnis deſudaſcitur,
Vbi pro diſco damnum capiam,pro curſura dedecus?
BA. Lepidè memoras. PI. vbi ego capiam pro machæra turturem,
Vbíque imponat in manum alius mihi pro cæſtu cantharum.
Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſta talus,pro lorica malacum capiam pallium.
Vbi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.
Apage à me, apage. BA. ah, nimium ferus es. PI. mihi ſum. BA. malaciſſandus es.

Equidem tibi do hanc operam. PI. ah nimiùm pretioſa es operaria. A

BA. Simulato me amare. PI. vtrum ego ioco aſſimulem iſtud, an ſeriò?

BA. Eia: hoc agere meliu'ſt, miles quum huc adueniat, te volo
Me amplexari. PI. quid eo mihi opus eſt? BA. vt ille te videat volo.
Scio, quid ago. PI. & pol ego ſcio quid metuo. ſed quid ais? BA. quid eſt?

PI. Quid ſi apud te eueniat de ſubitò prandium, aut potatio
Fortè, aut cena, vt ſolet in iſtis fieri conciliabulis:
Vbi ego tum accubem? BA. apud me, mi anime, vt lepidus cum lepida accubet. B
Locus hîc apud nos, quamuis ſubitò venias, ſemper liber eſt.
Vbi tu lepidè voles eſſe tibi, mea roſa, mihi dicito.
Dato qui bene ſit. ego vbi bene ſit, tibi locum lepidum dabo.

PI. Rapidus fluuius eſt hic, non hac temerè tranſiri poteſt.

BA. Atque ecaſtor, apud hunc fluuium aliquid perdundum eſt tibi.
Manum da, & ſequere. PI. aha minimè. BA. quid ita?

PI. Quia iſtoc inlecebroſius
Fieri nihil poteſt: nox, mulier, vinum, homini adoleſcentulo?

BA. Age igitur. equidem pol nihili facio, niſi cauſſa tua.
Ille quidem hanc abducet. tu nullus adfueris, ſi non lubet. C

PI. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?

BA. Quid eſt quod metuas? PI. nihil eſt. nunc ego mulier tibi me emancupo,
Tuus ſum, tibi dedo operam. BA. lepidus es. nunc ego te facere hoc volo.
Ego ſorori meæ cenam hodie dare volo viaticam,
Ego tibi argentum iubebo iam intus efferri foras.
Tu facito obſonatum nobis ſit opulentum obſonium.
Ego obſonabo. nam id flagitium ſit meum, mea te gratia
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere ſumtum de tuo. D

PI. At ego nolo dare te quicquam. ſine. BA. ſino equidem ſi lubet.
Propera amabo. PI. priùs hîc adero, quàm te amare deſinam.

BA. Bene me accipis aduenientem mea ſoror. BA. quid ita obſecro?

BA. Quia piſcatus meo quidem animo hic tibi hodie euenit bonus.

BA. Meus ille quidem eſt. tibi nunc operã dabo, de Mneſilocho ſoror,
Vt hic accipias potius aurum, quàm hinc eas cum milite.

BA. Cupio. BA. dabitur opera. aqua calet. eamus hinc intrò vt laues.
Nam vt in naui vecta es, credo timida es. BA. aliquantum ſoror.
Simul hinc neſcio qui turbat, qui huc it. decedamus ſoror.

BA. Sequere hàc igitur me intrò in lectúm, vt ſedes laſſitudinem.

QVID



A QVID SI HOC POTIVS, EST, &c.] loquitur vna ex Bacchidibus cum altera, ſorore ſua. LEPIDÈ LICET.] licet mihi tacere. licet taceam. VBI ME FVGIET MEM. &c.] id eſt, cùm me deficiet memoria, tum tu ſoror, mihi ſuccurrito, & memoriam refricato. tu me commonefacito. NE DEFVAT] ne deſit. LVSCINIOLÆ NE DEFVAT CANTIO.] quod vt non eſt metuendũ, ita, nec metuendum, ne tibi deſit oratio. Luſcinia, dicta eſt à Grȩcis ἀηδὼν, ὡς ἀεὶ ᾄδουσα, tanquam ſemper canens. COGNOMINES?] συνώνυμοι, eiuſdẽ nominis? vno, eodémq. nomine appellatæ? ſic infrà. *Illa mihi cognominis fuit.* quem locum profert Seruius, ad illud Virgil. lib. 6. *Gaudet cognomine terra.* QVID IN CONCILIO CONSVLVISTIS?] quid vos vnà conſultaſtis? in concilio, id eſt, in cœtu: in congreſſu: congreſſæ. HAVD MERETRICIVM'ST] non eſt meretricum proprium, ſeu non conuenit meretricibus bene conſultare. QVID ESSE DICIS DIGNIVS?] quid dicis eſſe dignius miſeria, quàm mulierem? vel ſic: quæris quid ſit muliere miſerius. immo, quæro ego ex te, quid eſt muliere dignius? id eſt, maiore dignitate præditum? HÆC ITA ME ORAT, SIBI QVI CAVEAT, &c.] ordo & ſententia eſt. hæc, mea ſoror, ita me orat, aliquem vt hominem reperiam, qui ſibi caueat ab iſto milite, hoc
B eſt, qui ſe tutetur, ac defendat ab iſto milite: vel qui ſibi proſpiciat, & prouideat ab iſto milite, vt, poſtquam operarum ſuarum militi locatarum tempus abierit, mercedémque pro datis militi operis annuis emeruerit, ipſam domum reuehat. *ſibi qui caueat* autem, bona reciprocatio eſt, nam ad Bacchidem, quæ orat, reciprocatur. Iam *ſibi caueat*, à iuriſconſultis, & eorum formulis tractum: apud quos, cauere aliis, dicuntur ſpõſores, & fideiuſſores, & aduocati, & ipſi iuriſconſulti. M. Tull. epiſt. 1. lib. 3. epiſt. ad Appium *melius enim ei cauere volo, quàm ipſe aliis ſolet.* ex quo cautor alieni periculi, qui alicui cauet in eius periculo. VBI EMERITVM SIBI SIT,] vbi tempus operarum, quas militi locauit, exactum ſit, &c. ſumtum à re militari. Dicuntur enim ſtipendia emerita, cùm militi tempus omne, quod ſe in caſtris, & militia poſiturũ iurauerat, tranſactum ſit. M. Tull. lib. 6. epiſt. ad Atticum, epiſt. 2. *annuæ enim mihi operæ ad 3. Kalendas Sext. emerẽtur.* Idem eodem lib. epiſt. 5. *Etſi annuum tempus propè iam emeritum habebamus.* Idem in Catone maiore. *At illa, quanti ſunt, animum tanquam emeritis ſtipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecúmque, vt dicitur, viuere?* Plautus in Moſtell. *vnum vbi emeritum eſt ſtipendium igitur, tum ſpecimen cernitur, quò eueniat ædificatio.* ID AMABO TE HVIC CAVEAS.] obſecro te, vt id huic caueas. hoc eſt, vt huic promittas, ac ſpondeas te facturum; vt poſteaquam emeritæ ei fuerint annuæ operæ, quas ſe militi daturam promiſit, domum reuehatur.
C VBI EI DEDERIT OPERAS] poſtquam militi promiſſas operas dederit, & emeruerit. QVOD ILLI RENVMERET:] quod militi reddat. FACIAT LIBENS] libenter domum redeat. SED HOC IDEM APVD NOS R.] ſed hoc idem, quod te rogamus, poteris hîc apud nos commodiùs agere, quàm foris. OPPERIBERE.] opperieris: exſpectabis. EADEM BIBERIS] eadem opera nobiſcum biberis. EADEM DEDERO TIBI, VBI BIB. S.] eadem opera poſtquam biberis, ſauiũ tibi præbuero. ſauium, eſt oſculum meretricium, aut certè voluptarium, à ſuauitate dictum. quamquam hoc non eſt perpetuò verum. M. Tull. lib. 16. ad Att. *Atticæ, quoniam, quod optimum in puerulis eſt, hilarula eſt, meis verbis ſuauium des.* VISCVS MERVS, &c.] viſcum merum. viſcus, ſeu viſcum, materia lenta, & tenax, qua captantur aues. Virgil. Georg. 1. *Tum laqueis captare feras, & fallere viſco, Inuentum.* in quo verſu tamen ridiculè Nonius interpretatur, viſco, viſceris tractu. M. Tullius lib. 2. de natur. Deorum. *prouiſum etiam, vt, ſiqua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium, tanquam in viſco, inhæreſceret.* QVID IAM?] quid ita iam? cur ita? DVÆ VNVM EXP. PAL.] allegoria eſt. duæ meretrices vnum captatis amatorem: vnam prædam captatis. palumbes, is. in maſcul. gen. tertia inflex. & palumbus, i, um. ſecunda. notat Nonius, & hunc locum profert. ARVNDO
D ALAS VERBERAT.] in allegoria manet. arundo, inquit, viſco illita, alas mihi verberat: & ita fit, vt viſco contractas alas explicare non poſſim. ſignificat, ſe propè captum eſſe, vt aues propè captȩ ſunt, quæ ab arundine viſco illita contactæ, aut verberatæ ſunt. Secutus autem ſum codices manuſcriptos. nam vulgati habent, *hirundo alas verberat.* quam lectionem minus probo: quamuis ſciam quoſdam non indoctos eam ita tueri, vt dicant, Piſtoclerum ſignificare, ſe propemodum captum eſſe, quemadmodum parum abeſt, quin capta ſit hirundo, quæ viſco contacta, alas verberando viſcum excutere conatur. CONDVCIBILE] vtile. QVI? AMABO.] quo pacto? amabo te, non eſt tibi conducibile hîc apud nos bibere, &c. BACCHANAL.] locum in quo ſunt Bacchæ. NE TIBI LECTVS APVD ME MALACIAM SVADEAT?] num metuis, ne lectus meus malaciam, id eſt mollitiem tibi ſuadeat? ſic autem legendum, vt edidi, non vt habent omnes libri, *malitiam ſuadeat?* idem infrà eadem ſcena, *malaciſſandus es.* & inferiùs. eadem tamen fab. *Hîc noſtra agetur ætas in malacum modum.* Cæſar. lib. 3. de bello Gall. malaciam vſurpauit pro maris tranquillitate, ibi, *Ac iam conuerſis in eam partem nauibus quò ventus ferebat, tanta ſubitò malacia ac tranquillitas exſtitit, vt ſe loco commouere non poſſent.* MAGIS INLECTVM TVVM, QVÀM LECTVM M.] id eſt magis illecebras tuas, quàm lectum tuum metuo. vel ſic, magis tuam inliciendorum hominum rationem extimeſco, quàm lectum. Inlectum dixit, pro inlectionem, à recto, *inlectus* quartæ inflexionis. MALA TV ES BE-

STIA] ſic Catullus in Rufum. *Hunc metuunt omnes: neque mirum: nam mala valdè eſt Beſtia*, &c. Sic A Græci χαλὸν θηρίον. NAM HVIC ÆTATI NON CONDVCIT MVL. LAT.] huic meæ ætati, quæ procliuis eſt ad libidinem, non eſt vtilis mulier, & latebroſus locus, id eſt, fornix, luſtrum, ganeum. infrà eadem fabul. ibi ſuam ætatem. in locis latebroſis, maior eſt peccandi licentia, minor verecundia. EGOMET APVD ME, SIQVID STVLTÈ, &c.] tantum abeſt, vt velim te ad peccandũ illicere, vt ego ipſa, ſiquid peccare velis, te peccare prohibeã. TV PROHIBEBIS] iniuriam. TVO SODALI] Mneſilocho. ILLE] miles. OBTICVISTI?] nonnulli hîc legunt, *obſtipuiſti?* & verò ſic habent nonnulli libri. *obſtipuiſti*, autem, dicebant veteres, pro, *obſtupuiſti*, ſeu potiùs vtroq. ἀδιαφόρως vtebantur. QVIA ISTHÆC LEP. SVNT MEMORATVI] quia iſta, quæ loqueris, ſcita ſunt memoratu, id eſt, dictu, ſeu ad memorandum, id eſt, ad dicendum. ATQVE VBI PERICVLVM FACIAS] id eſt, cùm experiaris. ACVLEATA SVNT] aculeum habent. FODICANT,] fodiunt, ſuo aculeo ſcilicet. BONA DESTIMVLANT] bona, & facultates rei familiaris, tanquam ſtimulo conficiunt. deſtimulant, valde ſtimulant. tralatio eſt, quæ ab illo, quod ſuprà poſitum eſt, *aculeata ſunt*, pendet, & ad id refertur. FACTA, ET FAMAM SAVCIANT] factum & famam ſuo aculeo lædũt, ac vulnerant. Sic Lucret. lib. 3. in prœmio dixit *volnera vitæ*. & lib. 4. *ægrotat fama vacillans*. FERVS] immanis. MIHI SVM] ferus ſum, ex vſu meo. hæc feritas è re mea eſt. MALACIS- B SANDVS ES] molliendus es, nimiùm enim durus es, Malaciſſare, mollire à Græco μαλακίζειν. HOMO ADOLESCENTVLVS PENETR. HVIVSM. IN PAL.] id eſt, ego homo adoleſcentulus non metuam penitus intrare in huiuſmodi palæſtram, vbi damnis decertatur? deſudaſcitur, id eſt deſudatur, certatur, laboratur. deſudaſcitur, verbum imperſonale, à verbo deſudaſco, is, it. PRO DISCO D. C.] quid ſit diſcus, vel notum eſt, vel à nobis alibi dictum eſt. PRO MACHAERA TVRTVREM] pueris, & adoleſcentibus delicatis dabantur aues, & auiculæ, quibus cum luſitarent, & quibus ſe oblectarent. ſuprà in Capt. *Nam vbi illo adueni, quaſi patriciis pueris aut monedulæ, aut anates, aut coturnices dantur, quicum luſitent.* &c. PRO CAESTV CANTH.] cæſtus, us. quid ſit: licet ex Seruio cognoſcere in lib. 5. Æneid. vbi pugillum certamen commemoratur. erant enim cæſtus, arma pugilum, quibus illi manus armatas habentes, ora inter ſe verberabant. Sic cæſtus deſcribit Virg. lib. 5. Æneid. *Sic deinde locutus, In medium geminos immani pondere cæſtus Proiecit, quibus acer Eryx in prœlia ſuetus, Ferre manum, duroq́; intendere brachia tergo. Obſtupuere animi, tantorum ingentia ſeptem Terga boum plumbo inſuto, ferróque rigebant.* SCAPHIVM.] ſcaphium, poculum oblonga figura, & lateribus in ſcaphæ modum flexis. COROLLA PLECTILIS] ϛεφανὸς πλεκτός. Euripides in Hippolyto. notauerat Simeo C Boſius. corona plexa, & ex variis floribus contexta. corona plectilis, eſt, quæ ex ramo lauri, aut murti, aut ſimil. nectitur, non adhibitis vllis ornamentis ſuperuacaneis, quales ſunt Lemniſci, ſeu vt alij volunt, laniſci. Horat. oda vlt. lib. 1. *Diſplicent nexæ Phylira coronæ, Mitte ſectari, roſa quo locorũ Sera moretur. Simplici myrto nihil allabores*, &c. nonnulli legunt hîc *plexilis*, ſed contra librorum manuſcriptorum auctoritatem. MALACVM PALLIVM] molle pallium. EQVIDEM TIBI DO HANC OP.] hanc operam, quam ego nunc ſumo, tibi do, & tua cauſa ſuſcipio. AH, NIMIVM PRETIOSA ES OP.] ah, nimiùm cara es operaria. operas tuas nimis carè locas. operæ tuæ nimis magna & ampla mercede cõducuntur. operarius eſt, qui operas ſuas mercede pacta aliis locat. EIA: HOC AGERE MELIVS'ST] eia, præſtat ſeriò amare, quàm iocò, & ſimulatè. SCIO QVID AGO] ſcio quamobrem, & cuius rei gratia hoc agi velim. SED QVID AIS?] ſermo eius, qui aliquid noui ex eo, ſeu ex ea, quicum loquitur, quæſiturus eſt. VT SOLET IN ISTIS FIERI CONC.] vt ſolet fieri apud vos, in conciliabulis, hoc eſt, in congreſſibus & cœtibus meretriciis, ſeu potius in locis, in quę vos meretrices, & homines voluptarij, vobis dediti, & vobis ſeruientes conciliamini, id eſt, congredimini, & coïtis. VT LEPIDVS CVM LEPIDA ACCVBET] vt lepidus Piſtoclerus cum lepida Bacchide D accubet. VBI TV LEPIDÈ VOLES ESSE TIBI, &c.] id eſt, cùm voles te lepidè, & eleganter accipi, ac tractari: tum mihi dicito, me appellans: ô Bacchis, mea roſa, dato, quo pacto mihi bene ſit, &c. vel dato, vnde mihi bene ſit. RAPIDVS FLVVIVS EST HÎC, &c.] allegoria eſt, meretricem rapido fluuio ſimilem eſſe vult: quemadmodum igitur per rapidum fluuium non facilè tranſiri poteſt: ita non facilè meretricis fallaciæ, aut blãditiæ à quoquam, qui ad eam accedat, & maximè ſi adoleſcens ſit, ſuperari, aut vitari poſſunt. INLECEBROSIVS] illecebrarum plenius. profert hunc locum Cariſius. NOX, MVLIER, VINVM, HOM. ADOL.] oratio non perfecta: eſt enim aliquid ſubintelligendum: puta, *fugienda ſunt: damnoſa ſunt: pernicioſa ſunt*: aut aliquid aliud ſimile. ſic Ouidius. *Nox & amor vinúmque nihil moderabile ſuadent, Illa pudore vacat: Liber, amórque metu.* Terent. Adelph. *Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia.* Licet autem etiam legere cum interrogatione, hoc modo, *nox, mulier, vinũ homini adoleſcentulo?* ſubintell. probentur? amentur? placeant? proinde ac ſi dicat, Dij prohibeant, vt tales peſtes, homini adoleſcentulo placeant. AGE IGITVR EQVIDEM POL NIHILI F. N. T. C.] nunc meretrix, vbi videt ſe Piſtoclero perſuadere non poſſe, vt introeat, & agat, quæ rogatus eſt: ei aſſentitur, quæ ille vult, & deſinit aduerſari, oſtendens nihil ſe male, quàm vt ei gratificetur, & placeat. atque hoc pacto omnia, quæ vult, ab illo impetrat. Age, inquit, equidem nihili



A nihili quicquam facio, niſi quod tibi libet, aut cordi eſt. volo omnia tua cauſa: nihil præterea. ILLE QVIDEM H. ABD. &c.] miles quidem hanc ſororẽ meam ſecum abducet. verùm abducat. quid ad me? ne adfueris, vt eum prohibeas; quandoquidem tibi hoc commodum non eſt, volo omnia, quæ vis. NVLLVS ADFVERIS] quoniam mihi adeſſe non vis, fiat, quod vis: ne affueris. nullus, pro non. SÚMNE AVTEM NIHILI, QVI NEQVEAM ING. MOD. M.] hîc ſuccumbit adoleſcens, victus callida, & fallaci meretricis oratione quod intelligens, ipſe ſe reprehendit, atq. accuſat: his verbis. nónne ego ſum homo nullius pretij, qui nequeam mihi imperare? qui nequeam ingenio meo temperare? qui nequeam me continere? qui me regere non poſſim? EMANCVPO] trado. CENAM HOD. DARE V. VIAT.] cena viatica dari ſolebat peregrè euntibus & aduenientibus. ſuprà in Curculione. *Hîc hodie apud me nunquam delinges ſalem.* MIL. *bene vocas*, &c. infrà eadem fabula. *Venire tu me gaudes. ego credo tibi. Hoſpitium, & cenam pollicere, vt conuenit Peregrè aduenienti.* INTVS] domo. TV FACITÓ OBSONATVM NOBIS SIT OP. OBS.] obſonatum, id eſt, paratum, emtum. EGO OBSONABO.] ego prætium præbebo, quo paretur obſonium. ego Bacchis obſonium emam, id eſt, ego pecuniam, qua ematur obſonium, ipſa præbebo. NAM ID F. SIT MEVM, &c.] B id eſt, nam id turpe ſit mihi, te & mihi operam dare, meáque gratia hîc adeſſe, & ad eam operam ſumtum facere de tuo. AT EGO NOLO DARE TE, &c.] verba ſunt Piſtocleri, non Bacchidis. quod eò dico, quod in nonnullis aliis æditionibus perſonarum nomina peruerſè ſunt poſita. PRIVS HÎC ADEÒ, QVÀM TE AM. D.] quid ſibi hæc verba volunt? ſi hoc Piſtoclerus ſentit, ſe mox adfuturum, ſignificat eadem opera ſe citò amare deſiturum. Rurſus ſi hoc ſignificat, ſe nunquam amare deſiturum, videtur eadem opera dicere, ſe ſerò adfuturum. ſed dicamus, hoc ſignificari à Piſtoclero, ego mox adero. quòd ſi tu vereris, Bacchis, ne quia aut te non amem, aut non conſtanter amem, tardus in redeundo ſim futurus: ſpondeo tibi me prius hîc adfuturum, quàm te amare deſinam. Profert autem hũc locum Donatus in Eunuc. ad illud Terentij. *ſi illud non licet, Saltem hoc licebit certè extrema linea amare haud nihil eſt.* Vbi notat, amare modò frui amore dicit. Plautus in Bacchidib. Prius hîc adero quàm te am. deſ. & ſine te amem. BENE ME ACCIPIS ADVENIENTEM] ab hoc loco incipiunt ſolæ colloqui duæ Bacchides Piſtoclero ab eis degreſſo. QVIA PISCATVS MEO Q. A.] iocatur ex ambiguo: ſignificat enim amatorem locupletem, & copioſum ei hodie contigiſſe, cùm aliud dicere videatur, nempè bonos piſceis ei emtos eſſe. AQVA CALET.] aqua ad lauandum calet. VT IN NAVI VECTA ES] poſtquam in naui vecta es. TIMIDA ES] ægra, & perturbata C es. ſic ferè Donatus in Andr. SIMVL HINC NESCIO, QVI TVRBAT, &c.] præterea neſcio, quis ab hoc loco turbas excitat, qui huc ad nos venit, vel turbat nos colloquenteis. DECEDAMVS,] de via. VT SEDES LASSITVDINEM] vt abſtergeas, ſeu leues laſſitudinem tuam ex nauigatione, & nauſea contractam.

LYDVS ſeruus. PISTOCLERVS adoleſcens.

IAmdudum Piſtoclere tacitus te ſequor,
Spectans quas tute res hoc ornatu geras.
Nam ita me dij ament, vt Lycurgus mihi quidem
Videtur poſſe hîc ad nequitiam adducier.
Quò nunc capeſſis te hinc aduerſa via,
D Cum tanta pompa? PI. huc. LY. quid huc? quis iſtic habet?
PI. Amor, voluptas, venus, venuſtas, gaudium,
Iocus, ludus, ſermo, ſuauis ſuauiatio.
LY. Quid tibi commercij eſt cum diis damnoſiſſimis?
PI. Mali ſunt homines, qui bonis dicunt malè.
Tu dîs nec rectè dicis. non æquum facis.
LY. An deus eſt vllus ſuauis ſuauiatio?
PI. An non putaſti eſſe vnquam? ô Lyde es barbarus,
Quem ego ſapere nimio cenſui plus quàm Thalem,
Idem ſtultior es barbaro Potitio.
Qui tantus natu deorum neſcis nomina.
LY. Non hic placet mihi ornatus. PI. nemo ergo tibi

Hæc apparauit. mihi paratum eſt, cui placet. A
LY. Etiam me aduerſus exordire argutias?
Qui ſi decem habeas linguas, mutum eſſe addecet.
PI. Non omnis ætas, Lyde, ludo cónuenit.
Magis vnum in mente eſt mihi nunc, ſatis vt commodè
Pro dignitate obſonij hæc concuret coquus.
LY. Iam perdidiſti te, atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequicquam ſæpe monſtraui bene.
PI. Ibidem ego meam operam perdidi, vbi tu tuam.
Tua diſciplina nec mihi prodeſt, nec tibi.
LY. O prælígatum pectus. PI. odioſus mihi es,
Tace atque ſequere Lyde me. LY. illuc ſis vide, B
Non pædagogum iam me, ſed Lydum vocat.
PI. Non par videtur, neque ſit conſentaneum,
Cùm herus hic intus ſit, & cum amica ſua accubet,
Cúmque oſculetur, & conuiuæ alij accubent.
Præſentibus illis pædagogus vnà vt ſiet.
LY. An hoc ad eas res obſonatum eſt obſecro?
PI. Sperat quidem animus: quò eueniat, diis in manu eſt.
LY. Tu amicam habebis? PI. cùm videbis, tum ſcies.
LY. Immò neque habebis, nec ſinam: iturus ſum domum.
PI. Omitte Lyde, ac caue malo. LY. quid caue malo?
PI. Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo. C
LY. O barathrum, vbi tu es, vt ego te vſurpem lubens?
Video nimio iam multo pluſquam volueram.
Vixiſſe nimio ſatius eſt, quàm viuere,
Magiſtron' quenquam diſcipulum minitarier?
Nihil moror diſcipulos mihi eſſe iam plenos ſanguinis,
Valens afflictat me vaciuom virium?
PI. Fiam, vt ego opinor, Hercules, tu autem Linus.
LY. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Téque ad patrem eſſe mortuum renuntiem.
PI. Satis hiſtoriarum'ſt. LY. hic vereri perdidit. D
Compendium ædepol haud ætati optabile
Feciſti, cùm iſtanc nactu's impudentiam
Occiſus hic homo'ſt. ecquid in mente eſt tibi
Patrem tibi eſſe? PI. tibi ego, aut tu mihi ſeruus es?
LY. Peior magiſter te iſtæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,
Quàm ad illa, quæ te docui, vbi operam perdidi.
PI. Iſtactenus tibi Lyde libertas data eſt
Orationis. ſatis eſt, ſequere me hac, ac tace.
LY. Ædepol feciſti furtum in ætate malum,
Qum iſtæc flagitia me celauiſti, & patrem.

Hoc



A HOC ORNATV] hoc nouo ornatu, & comitatu, vel hoc apparatu, atque inſtructu. NAM ITA ME DII AMENT, VT LYCVRGVS, &c.] id eſt, Dij me non ament, niſi Lycurgus ipſe Lacedæmonius, qui Lacedæmoniis ſeueriſſimas leges ſcripſit, homo ſeueriſſimus, continentiſſimus, patientiſſimus, duriſſimus, & ab omni luxu, ac voluptate alieniſſimus, videtur mihi in hoc loco corrumpi, & nequam fieri poſſe. Sic Ouid. *Illic Hippolytum pone: Priapus erit.* QVÒ NVNC CAPESSIS TE, &c.?] quò nunc te confers cum tanto apparatu, quem tecum circumfers? HABET?] habitat? SVAVIS SVAVIATIO.] ſuauis ſuauiatio, ex illo genere eſt, quod ſæpe iam notauimus, in quo nomen ſubſtantiuum cohæret cum adiectiuo eiuſdem originis, & appellationis, vt amœnitas amœna. ſuprà in Captiuis, nitores nitidi, in Caſina, &c. QVEM EGO SAPERE NIMIO SENSVI PL. Q. TH.] quem ego putaui Thale ſeu Thalete, qui fuit vnus è ſeptem, multo eſſe ſapientiorem. ſuprà in Capt. *Euge, pol Thalem talento non emam mileſium.* IDEM STVLTIOR ES, BARBARO POTITIO,] De Potitio, & Pinario, quos genus ſacrificij Hercules edocuit, & quo pacto Potitij omnes interierint intra diem trigeſimũ, legendus Feſt. Significat autem Potitium ſacerdotem fuiſſe ſtultum, atque imperitum, vt antiquum. Antiquitas enim ſimplex, & ſtulta habetur: & antiquum pro ſtulto plerumque vſurpatur. Et apud græcos ἀρχαϊκα, id eſt, ſtulta, & ἀρχαϊκῶς ſtultè. vel idcirco B Potitium vult ſtultum fuiſſe, quòd ea ſacra, quæ ab Hercule didicerat, ſeruos publicos docuerit, eóque facto tota Potitiorum familia interierit. Commemorat & Virg. Potitiũ lib. 8. Æneid. *Ex illo celebratus honos, lætique minores, Seruauêre diem primúſque Potitius, auctor, Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.* Legendus & Macrobius de Potitiis & Pinariis lib. 3. Saturn. cap. 6. Quod autem Feſtus legit hîc *putitium*, non *Potitium*: & *putitium* interpretatur ſtultum: puto eum eſſe lapſum, & vitioſo exemplari eſſe vſum. vel dicamus Feſtum eſſe corruptum, & apud eum legẽdum *Potitium* non *putitium*: quod apparet ex Plauti verbis, quæ profert, & ex iis, quæ addit de Herculis ſacris, quamuis non ſint vſquequaque integra. Iam barbaro Potitio, id eſt, Romano. Romani enim Græcis erant barbari. In prologo Aſinariæ. *Demophilus ſcripſit: Marcus vertit barbarè.* TANTVS NATV] tam grandis natu. ORNATVS.] apparatus. ME ADVERSVS] aduerſus me. ἀναστροφή. EXORDIRE ARGVTIAS?] exordiris verba arguta? MVTVM ESSE ADDECET.] tamen te mutum eſſe decet. quia ſcilicet magiſter, & cuſtos tuus ſum. NON OMNIS ÆTAS, LYDE, LVDO CONV.] ſignificat, ſe eſſe ea ætate, quæ à ludo diſcendi, & à magiſtro abhorreat, ſe olim, cùm puer eſſet, Lydo pædagogo & magiſtro paruiſſe, & ad ludum diſcendi, eo duce, itaſſe. nunc alium ſibi pædagogum ac magiſtrum, aliúmque ludum C obtigiſſe: videlicet amorem. ſic infrà non longè, *Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.* Ineſt autem hîc paronomaſia non illepida, *Lyde ludo.* Eodem enim modo pronuntiantur, *Lydus*, & *ludus.* IN MENTE EST MIHI,] ἐν νῷ ἐστιν: ἐννοῶ: cogito. HÆC VT CONCVRET COCVS.] vt hæc obſonia curet cocus. Terent. Andr. *Nempe vt curentur rectè hæc.* QVI TIBI NEQVICQVAM SAEPE M. B.] qui tibi ſæpe bene præcepi fruſtrà. qui te ſæpe fruſtrà rectè docui. O PRAELIGATVM P.] ô animum veneficiis, aut cantionibus, & excantamentis quibuſdam anteoccupatum, & quaſi antè vinctum, & conſtrictum, tranſlatum ab iis qui veneficiis, ſeu carminibus, tanquam vinculis quibuſdam, ligati ſunt. ILLVC SIS VIDE.] alloquitur aliquem ex iis, qui adſunt. illud, inquit, vide ſi vis. SED LYDVM VOCAT.] Lydum, quaſi ſeruum. M. Tullius pro Flacco. *Quis vnquam Græcus comœdiam ſcripſit, in qua ſeruus primarum partium non Lydus eſſet?* NON PAR VIDETVR,] non æquum videtur. NEQVE SIT CONSENTANEVM,] οὐδ' ἂν εὔλογον εἴη, neque ſit conſonum. SPERAT QVIDEM ANIMVS] ſperat animus, Græcorum more dictum eſt, ἔλπεται θυμός. Homer. ἰλ. ρ. μάλα δέ σφισιν ἔλπετο θυμός, &c. id eſt, valde autẽ eis ſperabat animus, &c. ſpero equidem hæc obſonia nobis vſui fore ad epulandum, & conuiuium agitandum. QVÒ EVENIAT D. IN D M. EST] quò res euaſura ſit, deorũ in poteſtate ſitum eſt. Homer. non vno loco θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. TV AMICAM HABEBIS?] ſtomachoſè pronuntiandum, túne amicam, hoc eſt, ἑταῖραν, habebis? CAVE MALO] ſermo minantis. caue malo, inquit, id eſt, noli committere, vt tibi dem malum, ſeu, vt tu vapules. noli tibi malum, & infortunium vltro arceſſere. ſi non vis vapulare, & ſi ſapis, ſine me meo modo viuere, & animo meo obſequi. ſic in Rud. *Caue malo, ac tace tu.* IAM EXCESSIT MIHI AETAS EX MAG. T.] id eſt, iam ſum id ætatis, vt nec magiſtro, nec cuſtode egeam. Horat. epiſt. ad Piſonem. *Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto, Gaudet equis*, &c. Terent. Andr. *nam antea Qui ſcire poſſes, Dum ætas, magiſter, metus prohibebant?* Sic dictum à Plauto autem, *exceſſit ex magiſterio*, vt à Terentio, ibidem, *exceſſit ex ephebis.* O BARATHRVM VBI TV ES? VT EGO TE VS. L.] ô quàm libenter me in barathrum præcipitem agam, cùm iſta audio! malim me in barathrũ præcipitem dare, quàm iſta videre, atque audire. talia ſunt illa, ἐμοὶ χάνοι εὐρεῖα χθών: mihi tellus ima dehiſcat. VIDEO NIMIO IAM MVLTO, &c.] nimio multo, ἐκ παραλλήλου. Vide, inquit, plus multo ac nimio, quàm videre volueram. video quæ videre nolueram. VIXISSE NIMIO SATIÙS EST, &c.] vixiſſe, id eſt, mortuum eſſe. Virg. lib. 4. Æneid. *Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi.* ſic ſuprà in Capt. *Nunc illud eſt, cùm me fuiſſe, quàm eſſe, nimio mauelim.* ad quem locum plura. MAGISTRON' QVEMQVAM DISC. MIN.] æquúmne eſt? ferendúmne eſt?

A oportétne,& ſimilia quædam ſubintelligenda ſunt. eſt enim præciſa loquutio: quia vtimur in indignationibus. hoc eò pertinet,quod ſuprà dixerat Piſtoclerus, *caue malo.* NIHIL MOROR DISC. MIHI ESSE, &c. ] non curo habere diſcipulos,tam animoſos, tam calidos, feruidos, atque iracundos, qui pleni ſanguinis ſunt, præſidentes,animoſi,& audaces ſunt:contrà, exſangues, timidi. VALENS AFFL. ME VACIVVM V.] oratio ad ſpectatores verſa. valens, inquit Lydus, id eſt, robuſtus, ac validus, me imbecillum, viribus vacuum affli-ctat, id eſt, crebrò ad terram deiicit, atque illidit. VACIVOM ] vacuum. In prologo Caſinæ. *Aures vaciuæ ſunt, animum aduertite.* FIAM, VT EGO OPINOR, HERCVLES: TV AVTEM LIN.]Lynus Herculem muſicam docuit. at Hercules non bellum magiſtro pretium docendi perſoluit. Nam cùm ab illo reprehenſus,& obiurgatus eſſet, quòd citharam nimis validè pulſaret, aut quod eam fidem,quam non oportebat, pulſaſſet, ea ipſa cithara, quam tenebat, percuſſum interemit. minatur igitur non obſcurè Piſtoclerus, ſe Lydo necem illaturum, vt Hercules Linum interfecit. POL METVO MAGIS, NE PHOENIX T. F. F.] id eſt,pol metuo potiùs, ne inanem operam in te docendo ſumſerim,& triſtis nuntius tuæ breuis vitæ parentibus tuis fiam: quod Phœnici Achillis magiſtro contigit: qui cùm Achillem inſtituiſſet, neque eum ab iracundia ad clementiam inflectere potuiſſet: Achillem à Paride interfectum vidit, eiúſque mortis nuntium ad Peleum eius patrem pertulit. FVAM. ] ſim, fiam. SATIS HISTORIARVM'ST. ] hiſtoriarum appellatione intelliguntur apud Plautum etiam fabulæ, & omnia, quæ ad cognitionem antiquitatis pertinent. HIC VERERI PERDIT. ] id eſt hic pudorem amiſit. vereri pro pudore poſuit, Græcorum more, τὸ αἰδεῖσθαι. notauimus in commentariis Lucretian. lib.4. ibi. *Præterea meminiſſe iacet, languétque ſopore.* vbi diximus meminiſſe dictum eſſe Græcorum more, pro memoria, vt illi dicere ſolent τὸ μεμνῆσθαι, ἀντὶ τῆς μνήμης. COMPENDIVM ÆDEPOL, &c. ] id eſt, profectò lucrum feciſti ætati tuæ incommodum, & inutile, cùm ita impudens euaſiſti. NACTV'S ] nactus es. OCCISVS HIC HOMO'ST. ] periit hic homo. loquitur nunc de Piſtoclero in tertia perſona, ad ſpectatores oratione auerſa. mox iterum ad eum ſe conuertet. ECQVID IN MENTE EST TIBI PATR. &c. ] id eſt nunquid cogitas patrem tibi eſſe? *in mente eſt tibi.* ἐν νῷ σοι ἐστι. vt ſuprà,ead.fab. *Magis nunc in mente eſt mihi nunc, ſatis vt cõmodè,*&c. TIBI EGO, AVT TV MIHI S. ES?]malim ita legi, Tibi ego,an tu mihi ſeruus es?hoc eſt,dic mihi,tibíne ego, an tu mihi ſeruus es? proinde ac ſi dicat,ſi tu mihi ſeruus es: mihi obſequi debes. ſin ego tibi ſeruus ſum: ego tibi obtemperare debeo. PEIOR MAGISTER, &c. ] Cupido, amor,libido,cupiditas,affectus animi immoderatus. NIMIO ]multo. AD ISTAS RES] ad res amatorias, & Venerias. DOCILIOR, ] M. Tullius, lib.7. epiſt.ad Trebat. *O medicum ſuauem, méque docilem ad hanc diſciplinam.* ÆDEPOL FECISTI FVRTVM M. ÆT. M.]furtum, κλοπήν, κλέμμα. κλέπτειν autem, vſurpant interdum Græci pro fallere, & latere, & occultare conſilium ſuum. Sic & hoc loco Plautus furtum vſurpauit pro calliditate, & aſtutia, qua quis conſilium,& voluntatem celat. hæc igitur huius loci ſententia eſt. profectò diſſimulaſti, & celaſti rem malam, ac turpem. nam cùm te probum, ac frugi adoleſcentem eſſe putaremus: tu eras improbus, ac nequam. FLAGITIA ] facta turpia, & erubeſcenda.

## CHRYSALVS ſeruus.

HErilis patria ſalue: quam ego biennio, D
Poſtquam hinc in Epheſum abij, conſpicio lubens.
Saluto te vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus noſtris accolis, venerórque te,
Ne Nicobulum me ſinas noſtrum ſenem
Prius conuenire, quàm ſodalem viderim
Mneſilochi Piſtoclerum, quem ad epiſtolam
Mneſilochus miſit ſuper amica Bacchide.

HERILIS PATRIA, &c.] loquitur Chryſalus, Mneſilochi,qui biennium à patria afuerat, Epheſique fuerat, ſeruus: patriámque vnà cum hero reuerſus, & ab eo præmiſſus,ſalutat. IN EPHESVM ABII,]addit præpoſitionem nomini vrbis proprio,vt & infrà ſemper. SALVTO TE, VICINE APOLLO,]qui prope ædeis noſtras collocatus es,&,vt deinceps ſubiungit



A ſubiungit,qui ædibus propinquus noſtris accolis. M.Tullius lib.4. epiſt. ad Attic. prima epiſt. *Ibi mihi Tulliola mea fuit præſto natali ſuo ipſo die: qui caſu idem natalis erat, & Brundiſinæ coloniæ, & tuæ vicinæ ſalutis.* Apollinem autem προστατήριον ſignificat: quem tanquam præſidem Athenienſes in veſtibulo domus colebant, Iam verò hæc Athenis aguntur. VENERÓRQ. TE, &c. ] & te precor, vt priùs Piſtoclerum videam, quàm me Nicobulus herus maior conueniat. QVEM AD EPIST.] ad quem Mneſilochus miſit epiſtolam de amica Bacchide. quem ad, pro,ad quem ἀναστροφή.

## PISTOCLERVS adoleſcens.
## CHRYSALVS ſeruus.

MIrum eſt me vt redeam te opere tanto quæſere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim,ſi velim,
B Ita me vadatum amore, vinctúmque attines.
CH. Proh dij immortales,Piſtoclerum conſpicor.
O Piſtoclere ſalue. PI. ſalue Chryſale.
CH. Compendi verba multa iam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hoſpitium & cenam pollicere, vt cónuenit,
Peregrè aduenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem ab ſodali ſolidam nuntio.
Rogabis me vbi ſit? viuit. PI. nempe rectè valet.
CH. Iſtuc volebam ego ex te percontarier.
PI. Quî ſcire poſſum? CH. nullus plus. PI. quémnam ad modum?
C CH. Quia illa inuenta eſt, quam ille amat, viuit,rectè & valet:
Si non inuenta eſt, minus valet, moribundus eſt.
Anima eſt amica amanti. ſi abeſt, nullus eſt:
Si adeſt, res nulla'ſt, ipſus eſt nequam & miſer.
Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper?
PI. Egon' vt, quod ab illo attuliſſet nuntius,
Non impetratum id aduenienti ei redderem?
Regiones colere mauellem ego Acherunticas.
CH. Eho, an inueniſti Bacchidem? PI. Samiam quidem.
CH. Vide quæſo, ne quis tractet illam indiligens.
D Scis tu, vt confringi vas citò Samium ſolet.
PI. Iámne vt ſoles? CH. dic vbi ea nunc eſt,obſecro
PI. Hic, exeuntem me vnde aſpexiſti modò.
CH. Vt iſtuc eſt lepidum,proximæ viciniæ
Habitat. ecquídnam meminit Mneſilochi? PI. rogas?
Immò vnicè vnum plurimi pendit. CH. papæ?
PI. Immò vt eum credis, miſera amans deſiderat.
CH. Scitum iſtuc. PI. immò Chryſale hem non tantulum
Vnquam intermittit tempus, quin eum nominet.
CH. Tanto hercle melior Bacchis. PI. immò. CH. immò hercle abiero
Potius. PI. num inuitus rem bene geſtam audis heri?

CH. Non herus,ſed actor mihi cor odio ſauciat. A
Etiam Epidicum,quam ego fabulam æquè ac me ipſum amo,
Nullam æquè inuitus ſpecto, ſi eam agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi viſa'ſt? PI. rogas?
Ni nactus Venerem eſſem, hanc Iunonem dicerem.
CH. Ædepol Mneſiloche,vt rem hanc natam eſſe intelligo,
Quod ames, paratum eſt: quod des,inuento eſt opus.
Nam iſtic fortaſſe auro opus eſt. PI. Philippeo quidem.
CH. Atque eo fortaſſe iam opus eſt. PI. atque etiam priùs.
Nam iam huc adueniet miles,& miles quidem
Qui de amittenda Bacchide aurum hîc exigit.
CH. Veniat quando vult, atque ita ne mihi ſit moræ, B
Domi'ſt, non metuo, nec cuiquam ſupplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intrò,ego hic curabo. tu intus dicito
Mneſilochum adeſſe Bacchidi. PI. faciam vt iubes.
CH. Negotium hoc ad me nunc attinet aurarium.
Mille & ducentos Philippos attulimus aureos
Epheſo, quos hoſpes debuit noſtro ſeni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Vnde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit noſtra, quínam exit foras?

C

MIRVM EST,&c.]loquitur Piſtoclerus domo Bacchidum exiẽs,cum ea Bacchide,quam amare occœperat. mirum eſt,inquit,te tam valdè me orare vt redeã,qui abire hinc nullo modo poſſim. quæſere, rogare,orare. Lucretius lib.5. *Non diuûm pacem votis adit,& prece quæſit Ventorum pauidus paces,animáſque ſecundas?* ITA ME VADATVM AMORE,&c.] ita me quaſi vadibus à me acceptis obligatum attines. hîc *vadatum* vſurpauit paſſiuè, aliàs actiuè: vt ſuprà, in Curculione, *Vbi tu es, qui me conuadatu's Veneriis vadimoniis?* & Horatius Satyra nona lib.2. *& reſpondere vadato,Debebat.* ATTINES]apud te retines. COMPENDI MVLTA VERBA IAM F. T.] id eſt, multa tibi verba lucrifaciam, id eſt, faciam, vt multa verba prætermittere poſſis, quibus te vti neceſſe fuiſſet. faciam, vt multa verba, quæ neceſſariò inſumturus eras, lucreris, ſeu lucrifacias, neque inſumere neceſſe habeas. ſic loquitur in Moſtellar. *Orationis operam compendi face.* Idem in Aſinaria. *Verbis velitationem fieri compendi volo.* Sic Pacuuius.Hermiona.*Lamentas, fletus,facere compendi licet.* ex Nonio, in voce *lamentas*, pro, lamentationes. Sic autem legendum,vt edidimus, non vt eſt in libro vulgato, *compendio multa v.* &c. VENIRE TV ME GAVDES,&c] hæc ſunt verba, quæ locuturus fuerat Piſtoclerus: ea igitur occupat Chryſalus,ne Piſtoclerus ea loqui neceſſe habeat,& vt ea lucrifaciat. his autem verbis vti ſolebant ad eos, qui peregrè veniebant. HOSPITIVM, ET CENAM POLL. VT CONVENIT,&c.] hoc quoque in more erat poſitum, vt peregrè aduenientibus cenam darent. ſuprà eadem fabula. *Ego ſorori meæ cenam hodie dare volo viaticam.* Et in Epid. in principio. *Venire ſaluom gaudeo.* TH. *quid ceterum?* EP. *quod adeò aſſolet, cena tibi dabitur.* SALVTEM AB SODALI,&c.] in voce *ſalutem*, m, non eliditur, AB SODALI] Mneſilocho. ROGABIS ME, VBI SIT,&c.] huius verſiculi menſura non videtur conſtare. à me quidem non facilè expediri poteſt. videtur enim vna ſyllaba ſupereſſe. niſi quis dicat in aduerbio *rectè*, c, exteri. aut, t, liqueſcere. ISTVC VOLEBAM EGO EX TE PERC.] ſcio equidem eum viuere: ſed vtrum valeat,ne, ex te quærere volebam: & hoc ex te ſcire poſſum. Significat Chryſalus Mneſilochum valere, ſi Bacchis,quam amat inuenta eſt:ſin autem non eſt inuenta, non valere. multi viuunt,qui minus rectè valent. QVÎ SCIRE POSSVM?] quo pacto ſcire poſſum, recténe valeat Mneſilochus, quem biennio non viderim? NVLLVS PLVS.] nullus plus ſcire poteſt, quàm tu, quippe qui ſcias vnus, quo loco ſint eius res, quæ ad amorem eius pertinent. Valet igitur D

herus



A herus meus Mneſilochus, ſi Bacchidem, quam deperit, reperiſti. ſi non reperiſti, non valet. QVIA ILLA INVENTA,&c.]in prouocabulis,*illa*,& *ille*, vnũ l,exteritur,& prior ſyllaba corripitur. quod & Terentio vſitatum eſt. ANIMA'ST AMICA AMANTI,&c.] & anima, ſeu animus eius, qui amat, non eſt in eius corpore,neque pectore, ſed in eius, quam, aut quem amat, pectore. In Pſeud.*Aduertito animum.* CA. *non adeſt.* PS. *at tu cita*, &c. ſuprà in Ciſtel. *Vbi ſum,ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.* ad quem locum hac de re plura. SI ABEST,] amica. RES NVLLA'ST] res familiaris perit. IPSVS EST NEQVAM, ET M.] ipſe omnia ſua profundit, & diſſipat,& nulli rei honeſtæ operam dat, ita miſer eſt. MANDATIS SVPER?]de mandatis?de iis,quæ tibi mãdauit herus meus Mneſilochus?EGON' VT QVOD AB ILLO ATT. N. &c.] egóne committerem, vt quod mihi ab illo per nuntium mandatum eſſet, id ei non confectum redderem? egóne tam ignauus, aut tam negligens, aut tam inofficioſus eſſem, vt quod nuntius ab eo veniẽs mihi nuntiaſſet,id ego ei cõtinuò non tranſactum redderem? REGIONES COLERE MAVELL. ACH.]mallem mortuus eſſe,mallem apud inferos eſſe: vel prima ſyllaba vocis *Acheruntica*s hîc breuis eſt, vel, vt verſus ſit integer,addendum pronomen *ego*. SAMIAM QVIDEM] emi Bacchidem non quamlibet, ſed Samiam. VIDE QVÆSO, NE QVIS ILLAM TR. INDIL.] iocus ex verbo *Samiam*. B alludit enim ad vaſa Samia, quæ fictilia, hoc eſt,ex luto Samio ficta erant: & idcirco fragilia. IÁMNE VT SOLES?] Iámne ad ingenium redis,vt riſum captes in rebus ſeriis? Iámne, vt ſoles,facetus es? VT ISTVC EST LEPIDVM?] quàm iſtuc, quod dicis, lepidum eſt? PROXIMÆ VICINIÆ H.] in proxima vicinia habitat.proximæ viciniæ, patrius caſus eſt, aduerbium olens. Iam in prouocabulo, iſtuc, s, exteritur, vt prima ſyllaba, breuis eſſe poſſit. ECQVÍDNAM MEM. MNES.] numquídnam meminit Mneſilochi? Sic Horat. lib. 1. epiſt.ad Iul.Flor. *Vt valet? vt meminit noſtri?* IMMÒ, VT EVM CRED. MIS. AM. D.]Immò,vt credis eum abſentem deſiderio Bacchidis macerari, ita Bacchis illum abſentem miſera amans deſiderat. SCITVM ISTVD] bellum, & lepidum eſt iſtud, quod dicis, Bacchidem deſiderio Mneſilochi affectam eſſe. NON TANTVLVM INTERMITTIT. T.] ne breuiſſimum quidem tempus intermittit, quin eum nominet aſſiduè,& indeſinenter,& ſine intermiſſione temporis eum habet in ore. *tantulum*, δεικτικῶς, oſtendit enim aliquid minimũ, cùm hoc loquitur: fortaſſe pilum,aut vnguem extremum,aut aliquid tale ad ſignificandam temporis breuitatem. Argumẽtum amoris eſt certiſſimum, cùm abſens abſentem deſiderat, & nominat. IMMÒ] cùm plura dicturus eſſet Piſtoclerus,orationẽ eius interrumpit Chryſalus, fortaſſis obſcurè ſignificans,ſuſpicioſum eſſe,& non decere, ſodalis amicam nimium à ſodali laudari: vel eò tantùm interpellat, quod inepta,& indecora actione vtatur in eis,quæ referat,pronuntiãdis. quod magis probo,propterea quæ ſequuntur, *non herus,ſed actor*,&c. IMMÒ HERCLE ABIERO P.] quàm audiam tam ineptè narrantem. SED ACTOR MIHI COR OD. S.] ſed Piſtoclerus, qui agit, & loquitur, mihi animum moleſtia afficit, ſauciat, offendit. tralatio eſt.Piſtoclerus mihi moleſtus eſt,vel propterea quòd cõmemoratione multorũ Bacchidis dictorum,ac factorum arguit ſe cũ ea ſæpius,& familiariùs, quàm par ſit,cum ea verſari. ſed ego priorem ſententiam magis probo. SI EAM AGIT PELLIO.] quidam fuit Pellio malus, atque ineptus comœdus. eſt autem Pellio, qui pelleis, ſubigit, aut interpolat, & concinnat, aut vendit. Nonnulli dicunt cuidam actori inepto,hoc nomen fuiſſe. SED BACCHIS ETIAM FORTIS TIBI VISA'ST?]ſed dic mihi,Bacchíſne tibi fortis,id eſt,formoſa viſa eſt?ſic in Milite. *ecquid fortis viſa eſt?* Ita Seruius,& Nonius. fortaſſis autem *fortis*, cùm de muliere, aut puella dicitur, formoſam ſignificat,quia formoſa mulier,quouis viro, quantumuis robuſto, ac valido, potentior, ac validior eſt. quod Anacreon teſtatur huius rei teſtis locuples Φύσις κέρατα ταύροις, Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις, Ποδωκείην λαγωοῖς, Λέουσι χάσμ' ὀδόντων, D Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτόν, Τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι, Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα. Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν. Τί οὖν δίδωσι; κάλλος, Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν, Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων. Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον, Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. id eſt, natura cornua tauris,vngulas autẽ equis dedit: celeritatẽ pedum leporibus, Leonibus dentium hiatum,piſcibus natandi facultatem,auibus volatum,viris mentis præſtantiam: At mulieribus non poterat eam largiri: quid igitur? formam, pro clypeis omnibus, pro gladiis omnibus. ferrum autem, & ignem ſuperat mulier, quæ formoſa eſt. NI NACTVS VEN. ESSEM H. IVN. D.]ni nactus eſſem formoſiorẽ,hanc ei proximam dicerem. Nonnulli, *ducerem*, legi volunt. ego nihil muto. ÆDEPOL MNESIL.]alloquitur Mneſilochum abſentem. VT REM HANC NATAM ESSE INTELLIGO,] qualem huius rei naturam eſſe video: Sic loquitur in Caſina. *Ita rem natam eſſe intelligo. Neceſſum eſt verſis gladiis depugnarier.* Idem in Trucul. *Fiat vt,rem gnatam video, hoc accipiendum eſt, quod datur.* Eodem pertinet,& eiuſdem generis eſt, quod ſæpè vſurpari ſolet, *è re nata*. PHILIPPEO QVIDEM]auro puriſſimo, & putiſſimo,à Philippo Macedone. hinc nummi Philippei. infrà eadem fabula. *Nunc niſi ducenti Philippei redduntur mihi, Iam ego illorum ego animam amborum exſorbebo.* Idem in Trinummo. *Nummorum Philippeûm ad tria millia.* Horatius. epiſtola prima, libr. 2. *Chœrilus, incultis qui verſibus, & malè natis Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos.* Vlpianus Iuriſconſultus libro Digeſtorum trigeſimo quarto. tit. 2. capitul.legis. Quintus Mutius.

*Si autem aurum, vel argentum ſignatum, legatum ſit: id paterfamiliâs videtur teſtamento legaſſe, quod aliqua forma eſt expreſſum: veluti quæ Philippi ſunt*, &c. A ATQVE ETIAM PRIÙS] prius, quàm iam, ſi fieri poteſt. hyperbole. ET MILES QVIDEM. QVI DE AMITT. BACCH.] & miles non quiuis, ſed is miles, qui aurum hîc exigit, vt miſſam faciat Bacchidem: &, ſi aurum non accipiat, vnà ſecum hinc Bacchidem abducet. ATQVE ITA NE MIHI SIT M.] atque ita citò veniat, ne me moretur. proinde ac ſi dicat, tantùm abeſt, vt eum ſim moraturus in nummis expediendis, ac numerandis, vt verear, ne ille me paratum moretur. DOMI'ST] aurum. non quæro foris. NEC CVIQVAM SVPPL.] id eſt, nec aurũ à quoquã ſupplex peto, cum domi habeam. quod domi habemus, nec à vicinis, nec ab amicis petimus: ſic ſuprà, in Aſin. *habeo opinor familiare tergum, ne quæram foris*. ad quem locum plura exempla collegimus, & infrà alia colligentur. DVM QVIDEM HOC VALEBIT PECT. P. M.] quandiu quidem meum pectus perfidia pollebit, ſeu inſtructũ erit hoc pectus, δεικτικῶς. id eſt meum pectus. TV INTVS DICITO MNESIL. ADESSE B.] ordo, tu intus dicito Bacchidi Mneſilochum adeſſe. NEGOTIVM HOC AD ME NVNC ATT. AVR.] negotium aurarium, id eſt, negotium de auro inueniendo. PHILIPPOS] nummos à Philippo Macedone dictos, & Philippi imagine impreſſos ac ſignatos. Valebat autem nummus Philippeus aureus duos circiter aureos Gallicos. quod ego ex vno nuper cognoui, quem mihi oſtendit Clemens Teueninus. B MACHINABOR MACHINAM.] Atticiſmus. μηχανήσομαι μηχανήν, hoc eſt, aliquam fabricabor fallaciam: aliquid comminiſcar: aliquid excogitabo, ſeu reperiam: aliquam machinam parabo. SED FORIS CONCREPVIT, &c.] Sæpè iam diximus, apud veteres illos, foreis ita fuiſſe poſitas, & ita aperiri ſolitas, vt qui domi exituri erant, foreis pulſarent, ne, qui extrà iter facerent, à ianua extrorſum verſa læderentur.

## NICOBVLVS ſenex. CHRYSALVS ſeruus.

IBo in Piræeum, viſam ecquæ aduenerit
In portum ex Epheſo nauis mercatoria.
Nam meus formidat animus noſtrum tam diu
Ibi deſidere, neque redire filium. C
CH. Extexam ego illum pulcrè iam, ſi dij volunt.
Haud dormitandum'ſt. eſt opus chryſo Chryſale.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hîc arietem
Phryxi. itáque tondebo auro vſque ad viuam cutem.
Seruus ſalutat Nicobulum Chryſalus.
NI. Proh di immortales, Chryſale, vbi mihi eſt filius?
CH. Quin tu primùm ſalutem reddis, quam dedi?
NI. Salue. ſed vbínam eſt Mneſilochus? CH. viuit, valet.
NI. Venítne? CH. venit. NI. euax, adſperſiſti aquam.
Benéne vſque valuit? CH. pancraticè atque athleticè. D
NI. Quid hoc? qua cauſſa eum hinc in Epheſum miſeram,
Accepítne aurum ab hoſpite Archidemide?
CH. Heu, cor meum & cerebrum Nicobule finditur,
Iſtius hominis vbi fit quaque mentio.
Tun' hoſpitem illum nominas, hoſtem tuum?
NI. Quid ita hercle obſecro? CH. quia ædepol certè ſcio,
Vulcanus, ſol, luna & dies, dei quattuor,
Sceleſtiorem nullum hoc illuxere alterum.
NI. Quémne? Archidemidem? CH. quàm, inquam, Archidemidem.
NI. Quid fecit? CH. quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primùm dum infitias ire cœpit filio,

Negare



A Negare ſe debere tibi triobulum,
Continuò antiquum ibi hoſpitem noſtram ſibi
Mneſilochus aduocauit, Pelagonem ſenem?
Eo preſente homini extemplò oſtendit ſymbolum.
Quem tute dederas, ad eum vt ferret, filio,
NI. Quid vbi ei oſtendit ſymbolum? CH. infit dicere
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum.
Quótque innocenti ei dixit contumelias?
Adulterare eum aiebat rebus ceteris.
NI. Habet n' aurum? id mihi primùm dici volo.
CH. Poſtquam quidem prætor recuperatores dedit,
B Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos, & mille Philippûm. NI. tantum debuit?
CH. Porrò etiam auſculta pugnam, quam voluit dare,
NI. Etiámne eſt quid porrò? CH. hem accipe, trina hæc nunc erit.
NI. Deceptus ſum. Autolyco hoſpiti aurum credidi.
CH. Quin tu audi. NI. immò ingenium auidi haud pernoram hoſpitis.
CH. Poſtquam aurum abſtulimus, in nauem conſcendimus,
Domum cupientes. fortè vt aſſedi in ſtega,
Dum circumſpecto, atque ego tum lembum conſpicor:
C Longum'ſt rigorem maleficum exornarier.
NI. Perij hercle. lembus ille mihi lædit latus.
CH. Is erat, communis eum hoſpite & prædonibus.
NI. Adeón' me fuiſſe fungum, vt qui illi crederem.
Cùm mihi ipſum nomen eius Archidemidis
Clamaret demturum eſſe ſi quid crederem.
CH. Is noſtræ naui lembus inſidias dabat.
Occœpi ego obſeruare eos, quam rem gerant.
Interea è portu noſtra nauis ſoluitur.
Vbi portu eximus, homines remigio ſequi,
D Neque aues, neque venti citiùs. quoniam ſentio
Quæ res gereretur, nauem extemplò ſtatuimus.
Quoniam vident nos ſtare, occeperunt ratem
Turbare in portu. NI. heu ædepol, mortalis malos.
Quid denique agitis? CH. rurſum in portum recipimus.
NI. Sapienter factum à vobis. quid illi poſtea?
CH. Reuorſionem ad terram faciunt veſperi.
NI. Aurum hercle auferre voluere, ei rei operam dabant.
CH. Non me fefellit, ſenſi, eo exanimatus fui.
Poſtquam nos vidimus auro inſidias fieri,
Capimus conſilium continuò, poſtridie
Auferimus inde aurum omne illis præſentibus,

Palàm atque apertè,vt illi id factum ſciſcerent. A
NI. Scitè hercle.cedò quid illi? CH. triſtes illico,
Quando extemplò à portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus caſantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deponimus,
Qui illic ſacerdos eſt Dianæ Epheſiæ.
NI. Qui iſtic Theotimus eſt? CH. Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheſo eſt Epheſiis cariſſimus.
NI. Næ ille hercle mihi ſit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
CH. Quin ipſa in æde Dianæ conditum eſt,ibi,
Demum publicitus ſeruant. NI. occidiſtis me, B
Nimio hic priuatim ſeruaretur rectius.
Sed vos nihilne attuliſtis inde auri domum?
CH. Immò etiam.verum quantum attulerit,neſcio.
NI. Quid neſcis? CH. quia Mneſilochus noctu clanculum
Deuênit ad Theotimum:nec mihi credere,
Nec cuiquam in naui voluit.eò ego neſcio
Quantillum attulerit,verùm haud permultùm attulit.
NI. Etiam dimidium cenſes? CH. non ædepol ſcio.
Verùm haud opinor. NI. fértne partem tertiam?
CH. Non hercle opinor,verùm verum neſcio.
Profectò de auro nihil ſcio,niſi neſcio. C
Næ tibimet illuc naui capiendum eſt iter,
Vt illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu? NI. quid vis? CH. annulum gnati tui
Facito vt memineris ferre. NI. quid opu'ſt annulo?
CH. Quia id ſignum eſt cum Theotimo,qui eum illi afferet,
Ei aurum vt reddat. NI. meminero,& rectè mones.
Sed diuéſne eſt iſtic Theotimus? CH. etiam rogas?
Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.
NI. Cur ita faſtidit? CH. tantas diuitias habet,
Neſcit quid faciat auro. NI. mihi dederit velim.
Sed qui præſente id aurum Theotimo datum eſt? D
CH. Populo præſente nullu'ſt Epheſi quin ſciat.
NI. Iſtuc ſapienter ſaltem fecit filius,
Cùm diuiti homini id aurum ſeruandum dedit,
Ab eo licebit quamuis ſubitò ſumere.
CH. Immò hem tantiſper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
NI. Cenſebam me effugiſſe à vita maritima,
Ne nauigarem tandem hoc ætatis ſenex,
Id mihi haud vtrum velim licere intelligo,
Ita bellus hoſpes fecit Archidemides.

Vbi



A Vbi nunc eſt ergo meus Mneſilochus filius?
CH. Deos atque amicos iit ſalutatum ad forum.
NI. At ego hinc ad illum,vt conueniam quantum pote'ſt.
CH. Ille eſt oneratus rectè,& plus iuſto vehit.
Exorſa hæc tela non malè eſt omnino mihi,
Vt amantem herilem copem facerem filium,
Ita feci,vt aurum quantum vellet ſumeret.
Quantum autem lubeat reddere,vt reddat patri.
Senex in Epheſum hinc ibit aurum arceſſere.
Hîc noſtra agetur ætas in malacum modum.
Siquidem hic relinquet,nec ſecum abducet ſenex
B Medet Mneſilochum.quas ego hic turbas dabo?
Sed quid futurum eſt,cùm hoc ſenex reſciuerit?
Quom ſe excucurriſſe illuc fruſtra ſciuerit.
Nóſque aurum abuſos?quid mihi fiet poſtea?
Credo hercle adueniens nomen mutabit mihi,
Faciétque extemplò cruciſalum me ex Chryſalo.
Aufugero hercle,ſi magis vſus venerit.
Si ero reprehenſus,macto ego illum infortunio:
Si illi ſunt virgæ ruri,at mihi tergum domi'ſt.
Nunc ibo,herili filio hanc fabricam dabo,
Super auro,amicáque eius inuenta Bacchide.

C

IBO IN PIRÆEVM: VISAM,&c.]præpoſitionem addidit nomini accuſatiui caſus *Piræeum*,non vt oppido,ſed vt loco.vide epiſt.5.lib.7.Epiſtolarum ad Att.ibi. *Venio ad Piræea: in quo magis reprehendendus ſum,quòd homo Romanus Piræea ſcripſerim,non Piræeum (ſic enim omnes noſtri locuti ſunt)quàm quòd,in,addiderim. non enim hoc vt oppido præpoſui, ſed vt loco.* &c. ECQVÆ.] ecqua: numqua. NAM MEVS FORMIDAT ANIMVS,&c.] id eſt, nam ego formido, &c. NOSTRVM TAM DIV IBI DES.] id eſt,quòd noſter filius ibi tam diu deſideat:id eſt, otioſus ſedeat.à deſidendo,deſides dicti ſunt,& deſidia.EXTEXAM EGO ILLVM PVLCRÈ IAM,&c.] id eſt,ſpoliabo,& nudabo illum auro.extexere, eſt telam ſua textura aut lana nudare.ſignificat & minatur ſe Nicobulum auro emuncturum & marſupia, vt in Epid. loquitur,exenteraturum.alij ſic explicant: ego illius rationes omneis, & conſilia omnia peruertam. SI DII VOLVNT:] ſi dij adiuuant.diis volentibus.In epiſt. Timarchidis Verris accenſi ad Apronium,lib.3.accuſat. *ipſi ſudabunt,ſi dij volent.* HAVD DORMITANDVM'ST.]
D ſic ſuprà in Epid.*non enim nunc tibi dormitandum,neque cunctandi copia'ſt.* EST OPVS CHRYSOCHR.] παρήχησις,& παρονομασία.eſt opus auro Chryſale. QVEM QVIDEM EGO HODIE FACIAM HÎC ARIETEM PHRYXI.] id eſt, quem ego auro nudabo, ac ſpoliabo,vt arietem Phryxi,cuius vellus erat aureũ.Phryxum autem,& Hellen deorum beneficio ab interitu vindicatos,cùm iam aræ,& neci deſtinati eſſent,vexit per mare Ægeum hic aries.Atque Helle quidem ad Propontidem in mare decidit,à qua dictus eſt Helleſpontus:Phryxus verò ad Colchidem ſaluus perlatus eſt. TONDEBO AVRO VSQVE AD VIVAM CVTEM.] manet in allegoria.ſpoliabo ſenem,inquit,auro, vſque ad viuam cutem. ad viuam cutem tondentur arietes,& oues,cùm ita tundentur,vt nuda cutis relinquatur,& ferrum vſque ad ſanguinem perueniat.ſic dicimus,de viuo detrahere,ſeu reſecare:& vſque ad viuum vngueis, vel aliquid aliud reſecare:& viuos vngueis rodere.Horat.epiſt.10.lib.1. *Sæpe ſcaput ſcaberet,viuos & roderet vngueis.*M.Tull.in Lælio. *Neque id ad viuum reſeco, vt illi, qui hæc ſubtilius diſputant.* Idem pro Flacco.*dat de lucro:nihil detrahit de viuo.*Idem lib.3.accuſationum. *De viuo igitur erat aliquid reſecandum,vt eſſet vnde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur.* tonſos ad viuum,ſeu ad viuam cutem dicunt Græci ἐν χρῷ κεκαρμένους. QVIN TV PRIMÙM REDDIS SALVTEM Q. D.?]ſic dixit reddere ſalutem,ſuprà in Epid.*ſaluus ſis,quod credidiſti, reddo?* VIVIT, VALET.] plus eſt valere,quàm viuere.Itaque hoc ordine poſuit,viuit,valet.oratio enim debet creſcere.ſic ſuprà.*Rogabis me,vbi ſit,viuit.* PIST. *nempe rectè valet*,&c. EVAX.] inter-

ieĉtio animi lætitiam declarans.profert hunc locum Cariſius lib.2.gram.inſtitut. Idem Plautus A
Menæch.*Euax iurgio hercle tandem vxorem abegi ab ianua.* ADSPERSISTI AQVAM.] reddi-
diſti animum, allegoria eſt, ab iis ducta, qui aut curſu, & labore aliquo corporis delaſſati, aut
aliqua animi perturbatione percuſſi,& permoti,aqua adſperſa recreantur. ſuprà in Ciſtell. *obſi-
pat aquulam.*Idem in Trucul.*ah adſperſiſti aquam,iam rediit animus, deme ſoleas.* VSQVE] vſque ab
eo tempore, quo profectus eſt, ad hodiernum diem. PANCRATICÈ ATQVE ATHLE-
TICÈ.] valuit,vt ij,qui omnibus corporis viribus aduocatis certant, omnibúſq. certandi mo-
dis in certando vtuntur:quod Græci dicunt παγκρατιάζειν, vnde παγκρατιασταὶ,qui omni-
bus neruis,& membris,& vt dicitur,vnguiculis, connixi certant.*athleticè valere* autem eſt,more
athletarum valere.ſuprà in Epid.*pugilicè, atque athleticè.* QVA CAVSA EVM HVNC IN
EPH. MIS.&c.] ordo,& ſententia eſt,accepítne aurum ab hoſpite Archidemide:qua cauſa,id
eſt, propter quam cauſam, eum Epheſum miſeram? HEV COR MEVM, ET CERE-
BRVM NIC. FINDITVR.] finditur,μερίζεται σχίζεται,τέμνεται,ſcinditur, ſecatur diuidi-
tur. ISTIVS HOM. VBI FIT QVAQ. MENT.]malim ſic legi,*Iſtius hominis vbi fit quom-
que mentio*,id eſt,vbicumque,ſeu quandocumq.iſtius hominis fit mentio.*quaque*,ſi cui retinendũ
videbitur, licebit interpretari,ex omni parte,ſeu ex quaque parte.TVN' HOSP. ILL. NOM.
HOST. T.?]hoſpitẽ,hoſtẽ,παρονομασία. DEI QVATVOR]dij quatuor,Dei,pro dij,vt ei & B
eis,pro ij & iis ,bonis ſcriptorib. ſunt vſitata.Iam cur quatuor hi proximè cõmemorati dij ſint,
in promptu eſt.Ac de Vulcano quidem,& ſole,qui Apollo eſt &,Luna,quæ Diana,nemo dubi-
tat.de die poſſit aliquis dubitare.ſed primùm qui Theogoniã Heſiodi legerit, cognoſcet Diem
eſſe Noctis,& Erebi filiam,ſeu filium.Sic Heſiodus Νυκτὸς δ' αὖτ' αἰθήρ τε, καὶ ἡμέρη ἐξεγένον-
το,Οὓς τέκε κυσαμένη ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα. id eſt, ex nocte Æther,& Dies nati ſunt. quos
peperit grauida,cum Erebo per amorem commiſta.deinde ſi,quidquid mortaleis iuuat,in deo-
rum numerum retulit antiquitas. quid eſt,quamobrem etiam Diei ſuus ſit inter deos locus?
Enumerantur autem hîc potiſſimùm ij dij,ex quibus aliquid lucis oritur,quales ſunt Vulcanus,
cuius ignea natura eſt, Apollo ſiue ſol: Diana,quæ eſt Luna,& Dies,qui ſine luce conſtare non
poteſt. ILLVXÊRE] id eſt,illuſtrauere. Nam *illuxêre*, hoc loco actiuam ſignificationem ha-
bet.vel hoc modo explica,dij quatuor non luxere in ſcelectiorem alterum,quàm hic eſt Archi-
demides.Horatius epiſt.4.lib.1.*Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*M.Tull.Philippica 1.*quem
potes recordari in vita illuxiſſe tibi diem lætiorem,quàm cùm expiato foro,diſsipato concurſu impiorum*, &c. *do-
mum te recepiſti?*Idem pro Milone.*Erit,erit illud profectò tẽpus,& illuceſſet aliquãdo ille dies*,&c.QVID
NON FECIT? QVIN TV ID ME R.] quin potiùs me rogas, quid non fecerit, quàm
quid fecerit?proinde ac ſi dicat,ſcelerata eius facta , numerari non poſſunt : & mihi faciliùs eſt C
dicere, quid non fecerit,quã quid non fecerit. PRIMÙM DVM INFIT.]primùm igitur in-
fitiari cœpit,filio ſe tibi debere treis obolos.*dum*, particula eſt nihil ſignificãs,quæ adiicitur aliis
vocibus. TRIOBVLVM,]ne treis obolos quidem,ne triobolum quidem.ADVOCAVIT,]
hinc aduocati dicti , qui à nobis adhibentur cauſæ noſtræ, & iuri noſtro ſtudendi, ac fauendi
gratia. OSTENDIT SYMBOLVM:] ſolebant Græci etiam diuerſarum ciuitatum,in rebus
contrahendis,& pactis conuentis vti teſſeris tabularum, & ſyngrapharum loco : quas appella-
bant ſymbola:ex híſque ius dicebatur,& iudicia,iudicéſque,ſeu, vt Latini vocant, recuperato-
res dabantur. Ariſtotel.libro 3.Polit.princip. οὐδ' οἱ τῶν δικαίων μετέχοντες οὕτως,ὥστε καὶ δίκην
ὑπέχειν, καὶ δικάζεσθαι, πολῖται εἰσί. τοῦτο γὰρ ὑπάρχει καὶ τοῖς ἀπὸ συμβόλων κοινωνοῦσι.
&c.id eſt,neque ij, quibus cum iura ita communicata ſunt, vt & iudicium inter ſe accipere de-
beant,& litem intendere,atque in ius vocare poſſint,ciues ſunt.hoc enim contingit,& tribuitur
etiam iis,qui teſſeris publicè acceptis iura inter ſe habent communia, & res contrahunt. Anti-
phon.καὶ δίκας ἀπὸ συμβόλων ὑμῖν δικαζόμενος. Plautus noſter ſignũ videtur appellare infrà
ead.fab.non longè,ibi.*Quia id ſignum eſt cum Theotimo,qui eum illi afferet.*Sed non eſt ita. nam aliud
ibi ſignificatur per ſignum:aliud hîc per ſymbolum. INFIT DICERE] incipit dicere, &c. D
ſic Lucret.lib.3.*Commutare animum quicumque adoritur , & infit.* INNOCENTI] filio tuo. DI-
XIT CONTVMELIAS?] contumelia duplex:altera in verbo,altera in facto poſita.in verbo,
vt ſi quis virum bonum,& abſtinentem, furem:pium & religioſum,impium , & periurum ap-
pellet.in facto,vt ſiquis hominem liberum fuſte mulcet,ac verberet. Sic loquitur in Pſeudolo.
*Contumeliam ſi dices,audies.*& in Trucul.*ſanus ſi ſis videas , ne dixis contumeliam.* ADVLTERARE
EVM AIEBAT REB. CETERIS.] adulterare videtur vſurpaſſe abſolutè,pro corrupto-
rem eſſe.Nonnulli legunt,*res ceteras*:neque repugnat metrum.nam *eum*,duarum ſyllabarum erit:
cùm in ſcriptura recepta,quam ſecuti ſumus, vnius ſyllabæ ſit.ego nihil muto. POSTQVÀM
QVIDEM PR. RECVP. DEDIT] prætoris erat iudices dare, qui recuperatores diceban-
tur,& tres erant numero:& de controuerſiis priuatis cognoſcebant. nunc iudices delegati vul-
gò nominantur. Idem in Rud. *Quis me eſt mortalium miſerior,qui viuat alter hodie, Quem ad recuperato-
res modo damnauit Pleuſidippus?* ET MILLE PHILIPPÛM] ſic dictum mille philippûm , vt
mille hominum,mille ouium,mille nummûm,& ſimilia.De quibus Gellius lib.1.cap.16. nota-
uimus ad illum verſum Horatij Sat.3. lib.2. *Mille hominum inſanus læto dedit*, &c. PVGNAM]
tralatio. QVAM VOLVIT DARE] edere. ETIÁMNE EST QVID PORRÒ?]
etiámne



A etiámne eſt aliquid amplius? TRINA HÆC N. E.] triplex hæc nunc erit. AVTOLYCO
HOSPITI.]hoſpiti furaci,ſeu furi.Autolycus Siſyphi filius, Synonis pater,homo furaciſſimus.
Immò Autolycus Mercurij fuit filius , Vlyſſis auus maternus, qui animalium,quæ furto abſtu-
lerat,colorem mutabat.Martialis lib.8.epig.in Luſcum furem.*Ne contemne caput , nihil eſt furacius
illo,Non fuit Autolici tam piceata manus.*Autolicum commemorat. Homerus ἰλιάδ. κ. & pluri-
bus verbis, ὀδυσσείας Υ. ab illo loco. αὐτίκα δ' ἔγνω οὐλὴν, τήν ποτέ μιν σῦς ἤλασε
λευκῷ ὀδόντι, Παρνησόν δ' ἐλθόντα μετ' Αὐτόλυκόν τε καὶ υἷας,Μητρὸς ἑῆς πατέρ' ἐσθλὸν,
ὃς ἀνθρώπους ἐκέκαστο κλεπτοσύνῃ θ', ὅρκῳ τε. θεὸς δέ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν Ἑρμείας. id eſt,
continuò autem agnouit cicatricem ex vulnere, quod ei aper quondam inflixit candido
dente,in montem Parnaſſum profectò ad Autolycum, & eius filios, matris patrem virum for-
tem,qui ſupra omneis homines ornatus erat furandi arte, & iureiurando. Deus autem Mercu-
rius ipſe ei hæc donauerat. AVIDI] cupidi,auari. DOMVM CVPIENTES] domum re-
uerti,ſeu reuiſere cupientes.ἔκλειψις. VT ASSEDI IN STEGA:] ſtega, nauis tabula-
tum,& quaſi proſcenium,in quo nautæ ambulant.ſic ferè Fulgentius,qui hunc locum profert.
ATQVE EGO TVM,&c.]id eſt,continuò ego tum lembum conſpicio.*atque* prò, continuò,
ſeu ſtatim,notant grammatici veteres.Sic ſuprà in Capt.*Quò imus vnà, inquam,ad prandium ? atque
B illi tacent.* LEMBVM] lembus,inquit Nonius,nauicula breuis piſcatoria.Plaut. Mercat. *Dum
hæc aguntur,lembo aduehitur pater pauxillulo.*Fulgentius autem,lembus,inquit, genus nauiculæ ve-
lociſſimæ:quod dromonis,aliàs dromadis nomine appellamus. LONGVM'ST RIG. MAL.
EXORN.] id eſt,longus ſim,ſi velim rigorem,id eſt, metum maleficum, hoc eſt , noxium de-
ſcribere atque amplificare. ADEÓN' ME FVISSE FVNG.] éſtne credibile me vſque
adeò fuiſſe tardum, ſtolidum , ſtupidum , nullius pretij hominem , ἀναίσθητον , vt illi num-
mos crederem?id eſt,vt nummos apud illum deponerem? pecuniam credit etiam is, qui depo-
nit,vt ſuprà diximus. fungus autem, per tranſlationem , id eſt, homo ſenſus expers , ſtolidus, &
nullius pretij:ſic infrà ead.fab.*& iam nihil ſapit:Nec ſentit. tanti'ſt, quanti fungus putridus.* IPSVM
NOMEN EIVS ARCHIDEMIDIS,&c.] Latini vitabant mala nomina , vt Epidamnum,
propterea quòd in eo nomine damnum exauditur, Dyrrhacium appellarunt. Sic igitur quia in
nomine Archidemide,verbum *demo* incluſum videtur , ſignificat Nicobulus ſe ab eo nomine
debuiſſe admoneri,nummos ei, qui ita appellaretur,non fuiſſe committendos, quaſi clarè dice-
ret,ſe aliquid de ſumma detracturum,aut etiam totam ademturum. demturum, id eſt, de toto
detracturum,& deminuturum.ſed videtur legendum *ademturum*.adimere autem , eſt totum au-
C ferre,quæ ſignificatio videtur hîc poſtulari:demere verò de toto detrahere. Verumtamen nihil
mutandum arbitror.perſpicuè enim alludit ad verbum *demo*,quod exauditur in nomine Archi-
demidis. CLAMARET] clarè admoneret,& quaſi loqueretur.ἐβόα.Sic M.Tull. Verr.4.*Litte-
ræ ſunt in medio,quæ ſe corruptas eſſe clamant.*Catullus ad Flauium.*Nam te non viduas iacere nocteis,nequic-
quam tacitum cubile clamat.*Apuleius lib.8. *Interea quidã ſenex de ſummo colle proſpectat: quem circum,oues,
& capellæ paſcentes,opilionem eſſe profectò clamabant.* Demoſth.orat. περὶ παραπρεσβ. ταῦθ' οὐχὶ βοᾷ,
καὶ λέγει,ὅτι χρήματα εἴληφεν Αἰσχίνης.id eſt,hæc nónne clamant,& loquuntur pecunias acce-
piſſe Æſchinem?Idem Olynth.1.ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι,μονονουχὶ λέγει φω-
νὴν ἀφιεὶς,ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστίν.&c.id eſt,præſens igitur op-
portunitas,Athenienſes,tantum non dicit, vocem mittens, oportere vos res illas retinere , &c.
INSIDIAS DABAT.] inſidiabatur.ſic ſæpe loquitur.ſuprà in Aulularia. *Emortuum ego me ma-
uelim læto malo,Quàm non ego illi dem hodie inſidias ſeni.* In Caſina, *Hinc ex inſidiis,hiſce ego inſidias dabo.*
HOMINES REMIGIO SEQVI] homines, qui erant in lembo , ſequebantur, ſeu ſequi
cœperunt,lembum remis impellentes,vt nos aſſequantur,ſeu adipiſcantur.libri vulgati habent
*remulco ſequi*, mendoſè. NEQVE AVES, NEQVE VENTI CITIVS] hyperbole, per
D quam ſignificatur ſumma celeritas.QVONIAM SENT.&c.]id eſt,quãdo ſentio,&c.ἐπειδὴ,
poſteaquam.vel legendum , *quom iam ſentio.* verumtamen nihil muto. QVÆ RES GERE-
RETVR,] quo ſpectarent prædones illi:aut,quid molirentur.malim legi, *quæ res geratur.* NA-
VEM EXTEM. STATVIMVS] nauem continuò ſiſtimus. curſum ſuſtinemus. TVRBA-
RE.]ita agitare,vt non procederet.RVRSVM IN PORTVM RECIPIMVS.]recipimus
nos in portum, vel nauim potiùs. REVORSIONEM AD TER. F. V.] reuertuntur ad
terram veſperi. EI REI OP. DAB.] ei rei ſtudebant. NON ME FEFELLIT.] non me
latuit. INDE.] è naui. SCISCERENT] ſcirent. SVBDVCVNT LEMBVM.] ſubducunt
in portum,ſeu ad terram.Virgilius lib.1.Æneid.*Vrbem,quam ſtatuo,veſtra eſt,ſubducite naueis.*Græci
dicunt, νεωλκεῖν ναῦν. quod Latini ſubducere nauem:contra ἀνάγειν,quòd illi deducere,ſeu in
altum deducere. CAPITIBVS CASANTIB.] id eſt , capitibus deiectis, ac demiſſis: &
ita mœſtitiam indicantes,ac declarantes κατηφεῖς.τὰς κεφαλὰς κάτω ἔχοντες.ſic ſuprà in Aſi-
nar.*Atque hercle ipſum adeò contuor.caſanti capite incedit.* ad quem locum hac de re plura. Sic autem
legendũ,non vt vulgò,*capitibus quaſſantibus.* NOS APVD THEOTIMVM OMNE AVR.
DEP.] Solebant veteres nummos,& res cariſſimas, in fanis , ac templis potiſſimùm deponere,
& maximè in temporibus difficilibus,&in rebus dubiis.Cicero lib.5.epiſt.ad Rufum.*Nam de lo-
geo,ita eſt actum,vt auctore G.Pompeio,iſta pecunia in fano poneretur.*Idem lib.5. epiſt. ad Att. epiſt.vlt.in

extr. *Græcis quærentibus, & vt in fano deponerent, poſtulantibus non conceßi.* Cæſar lib. 1. de bello Ciuili. A *Tota Italia delectus habentur, arma imperantur, pecuniæ à municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur: omnia diuina, humanáque iura permiſcentur.* Herodotus in Terpſichore. Εἰ δὲ τὰ χρήματα καθαιρεθείη τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τοῦ ἐν Βραγχίδῃσι, τὰ Κροῖσος ὁ Λυδὸς ἀνέθηκε, πολλὰς εἶχε ἐλπίδας ἐπικρατήσειν τῆς θαλάττης. id eſt, ſi autem pecuniæ ex templo, quod eſt in Branchidis, quas Crœſus Lydus depoſuerat, tollerētur, magnopere ſperabat ſe maris imperiū habiturū. Herodianus lib. 1. πᾶν τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος κατεφλέχθη, μέγιστον καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων· πλουσιώτατον δὲ ἦν πάντων ἱερῶν δι' ἀσφάλειαν, ἀναθήμασι κεκοσμημένον χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου. ἕκαστος δὲ ἃ εἶχεν ἐκεῖσε ἐθησαυρίζετο. ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐκ τῆς νυκτὸς πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν: id eſt, totum Pacis templum incendio conſumtū eſt, maximum, & pulcherrimum omnium, quę in vrbe erant, operum. Tum templorum omnium erat ditiſſimum propter loci religionem ab omni iniuria tutum, & donis conſecratis ex auro, & argento exornatum. Vnuſquiſque autem quæ habet cariſſima, ibi vt in loco tutiſſimo, recondebat. Sed ignis vna nocte multos ex copioſis, ac locupletibus pauperes fecit. & Dio Chryſoſt. λόγῳ Ῥοδιακῷ. ἴστε που τοὺς Ἐφεσίους ὅτι πολλὰ χρήματα παρ' αὐτοῖς ἐστι, τὰ μὲν ἰδιωτῶν ἀποκείμενα ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀρτέμιδος, οὐκ Ἐφεσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ξένων, καὶ τῶν ὁπόθεν δήποθεν ἀνθρώπων, τὰ δὲ καὶ δήμων, καὶ βασιλέων. τιθέασι δὲ πάντες οἱ τιθέντες ἀσφαλείας χάριν, οὐδενὸς οὐδέπω ποτὲ τολμήσαντος ἀδικῆσαι τὸν B τόπον, καίτοι καὶ πολέμων ἤδη μυρίων γεγονότων, καὶ πολλάκις ἁλούσης τῆς πόλεως. id eſt, ſcitis apud Epheſios pecunias eſſe multas, partim priuatorū in templo Dianæ depoſitas, non Epheſiorum modò, ſed & peregrinorum, & hominum longinquorum, partim populorum & regum. Deponunt autem ſuas res in eo templo omnes qui deponunt, propterea quòd ab omni iniuriæ periculo munitum, ac tutum eſt, cùm auſus ſit nemo vnquam locum violare, quamuis & innumerabilia orta ſint, & vrbs ſæpe capta ſit. Emilius Probus, ſeu Cornelius Nepos, in Ariſtide. Eius arbitrio quadraginta & ſexaginta talenta quotannis Delum ſunt collata. Id enim commune ærarium eſſe voluerunt. Ad quem locum alia exempla collegimus in commentariis noſtris. MEGALOBVLI FILIVS.] legendum puto Megabizi filius. NÆ ILLE HERCLE MIHI SIT MVLTO TANTO CAR. &c.] carior, hîc, id eſt, damnoſior, ſumtuoſior. ambiguum enim nomen eſt *carus*. Nam & id ſignificat, quod nobis cordi eſt, ſeu quod amamus: & id, quod nobis carè conſtat. vt hîc. CIRCVMDVXERIT] fraudauerit ſuprà in Aſinaria. *Quà me, quà vxorem, quà tu ſeruom Sauream Potes, circumduce,* &c. Idem in Pſeud. *Nam iſthæc, quæ tibi renunciantur, filium te velle amantem circumducere,* &c. IBI DEMÙM PVBLICITVS SERVANT.] ſic reſtitui ex noſtris libris veteribus, nam alij habent *ibi ibidem publ.* &c. mendoſè. publicitus autem, id eſt, publicè, ſuprà in Amphitr. *Ita peregrè adueniens hoſpitio publicitus accipiar.* NEC QVIC- C QVAM IN NAVI.] nec cuiquam eorum, qui erant in naui, &c. ETIAM DIMIDIVM CENSES.] dimidium dixit, non dimidiatum, inquit A. Gellius lib. 3. cap. 14. PROFECTÒ DE AVRO NIHIL SCIO NISI N.] Tale illud, quod Socrates dicere ſolebat: hoc tantum ſcio, quod nihil ſcio τοῦτο μόνον οἶδα, ὅτι οὐδὲν οἶδα. NÆ TIBIMET ILLVC NAVI CAP.] næ tibi ipſi illuc naui proficiſcendū eſt. CAPIENDVM'ST ITER] ſuſcipiendum, ſeu capeſcendum eſt iter. ANNVLVM GNATI TVI] annulum obſignatorium, ſiue ſecus. QVIA ID SIGNVM EST, &c.] quia id ſignum inter eos conuênit, vt, qui eum annulum illi afferret, ei aurum reddat. QVI SOCCIS HABEAT AVRO SVPP. S.] qui ſoccorum ſoleam habeat auro ſuppactam. ſuppactam autem, id eſt, ſuffultam, ſubſtratam. paullò aliter dixit in Trin. *pulmentas iubeam ſuppingi ſoccis.* pro pulmentis iubeam ſuppingi ſoccos. Sic dicimus, aſpergo te aqua, & adſpergo tibi aquam: impertio te ſalute, & impertio tibi ſalutem: circ. foſſam lecto circumdare, & foſſa lectum circumdare. ſolum autem pro ſolea, etiam Lucret. vſurpauit, lib. 1. & 4. in princip. *Auia Pieridum peragro ſola, nullius antè Trita ſolo, iuuat integros accedere fonteis.* CVR ITA FASTIDIT?] cur ita faſtidioſus eſt rerum vulgarium, & vſitatarum? *faſtidit* hîc abſolutè D poſitum eſt. aliàs enim actiuam ſignificationem habet, vt apud Horatium epiſt. 3. lib. 1. *Faſtidire lacus, & riuos auſus apertos.* SED QVI PRÆSENTE, &c.] ſed quo præſente, &c. QVAMVIS SVBITÒ.] id eſt, quantumuis ſubitò. IMMÒ HEM TANTISPER NVNQVAM TE M.] tantiſper accipiendum δεικτικῶς, vt vnguem aut dentem, aut aliquid tale oſtendat. ne tantillum quidem temporis ſpatium te morabitur. CENSEBAM] exiſtimabam. ME EFFVGISSE À VITA M.] me euaſiſſe & ereptum eſſe è vita maritima, *effugiſſe* poſuit abſolutè. licebat & ita dicere, me effugiſſe vitam maritimam. ἐνεργητικῶς. HOC ÆTATIS.] hac ætate. ſic ſæpe M. Tullius. *homo id ætatis.* ID MIHI HAVD VTRVM VELIM LICERE INT.] id eſt, intelligo non eſſe mihi liberum alterutrum è duobus facere, nauigare, aut hîc quieſcere, & manere: ſed neceſſariò mihi nauigandum eſt. ITA BELLVS HOSPES, &c.] ita fecit, id eſt, ita ſe geſſit erga me, vt mihi ſit, velim, nolim, nauigandum. bellus hoſpes, per ironiam, & irriſionem dictum eſt. AD ILLVM] ſubintell. ibo. QVANTÙM POTE'ST.] quàm primùm fieri poteſt. ILLE EST ONER. R. ET PL. IVSTO. V.] allegoria à iumentis, aut à nauibus onerariis: & alludit tamen ad nauigationem, quam ſenex ex ſermone Chryſali perſuaſit ſibi eſſe neceſſariò capeſſendam. EXORSA EST H. T.] alia allegoria. ſignificat autem ſuam fallaciam non malè eſſe ceptam. *exorſa* paſſiuè poſuit. ſic M. Tull. lib. 2. de orat. ad

Q. Fr.



A Q. Fr. *Et multa quærendo reperiunt, non modò ea, quæ non poßint ipſi diſſoluere, ſed etiam quib. ante exorſa, & potius detexta, propè retexantur.* COPEM] copioſum. ſic Nonius: copi, inquit, pro copioſo. Plautus Pſeud. *Atque ego nunc me vt glorioſum faciam, & copi pectore.* AVRVM ARCESSERE.] vt aurum arceſſat, vt aurum reportandum curet. ſcriptum eſt autem ad hunc modum, *arceſſere*, in omnibus libris, & manuſcriptis & vulgatis, non vt aliquis in Latinis litteris tiro exiſtimarit, *arceſſere*, adductus nonnullorum grammaticorum auctoritate, qui tradiderunt, *arceſſo*, valere, *accuſo*: *accerſo*, *euoco*: cùm *accerſo*, non ſit Latina vox, ſed barbara, vt aliàs pluribus verbis docui. IN MALACVM MODVM] molliter: mollem in modum. NEC SECVM ABDVCET SENEX MEDET. MNES.] & ſi non abducet ſenex me, & Mneſilochum. NÓSQVE AVRVM ABVSOS?] & cùm reſciuerit nos aurum conſumſiſſe? ſic in Perſa. *Nam hoc argentum alibi abutar.* ſuprà in Aſinaria. *abuſa* poſuit παθητικῶς, pro *conſumta. Vbi illhæc, quæ dedi antè?* LE. *abuſa.* non abſque ratione vti, abuti, vſurpatur à Latinis pro conſumere. Nam abuſus eſt earum rerum, quæ vſu conſumuntur, vt aiunt iuriſconſulti, & M. Tull. in Top. CRVCISALVM,] quaſi in cruce, ſeu in crucem ſalientem, vel quaſi cruci ſuffixum. SI MAGIS VSVS VENERIT,] ſi magis opus fuerit. ſi vtilius fuerit. ſi magis in rem meam fuerit. MACTO ILLVM INFORTVNIO.] iubeo illum plorare, iubeo illum eſſe miſerum, damno & infortunio illum au- B geo. ſuprà in Curcul. *Non ædepol nunc ego te mediocri macto infortunio.* SI ILLVM SVNT VIRGÆ RVRI, AT MIHI T. D.'ST.] ſignificat ſe verbera cõtemnere, neque ſe deterreri etiam virgarum metu, & periculo propoſito, ab audaci facinore. ſi virgas, inquit, habet ruri, quibus me concîdat: ego contra tergum habeo domi, quod concidatur, & plagas perferat. ſic in Aſinaria. *Si quidem omnes coniurati cruciamenta conferant, Habeo, opinor, familiare tergum, ne quæram foris.* HERILI FILIO HANC FAB. D.] herili filio Mneſilocho, hanc fabricam, quam paraui, dabo, vt ea vtatur.

## LYDVS ſeruus.

PAndite atque aperite properè ianuam hanc Orci obſecro,
Nam equidem haud aliter eſſe duco, quippe quò nemo áduenit,
C Niſi quem ſpes reliquere omnes, eſſe vt frugi poſſiet.
Bacchides, non Bacchides, ſed Bacchæ ſunt acerrimæ.
Apage iſtas à me ſorores: quæ hominum ſorbent ſanguinem.
Omnis ad perniciem inſtructa domus opimè atque opiparè.
Quæ vt aſpexi, me continuò contuli protinam in pedes.
Egóne vt hæc concluſa geſtem clanculum? vt celem patrem
Piſtoclêre, tua flagitia, aut damna, aut deſidiabula?
Quibus patrem, & me, téque, amicóſque omneis affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere vnà, & perdere?
Neque mei, neque te tui intus puditum eſt factis, quæ facis,
D Quibus tuum patrem, méque vnà, amicos, affines tuos,
Tua infamia feciſti geruli figulos flagitij.
Nunc priuſquam malum iſtoc addis, certum eſt iam dicam patri.
De me culpam hanc demolibor iam, & ſeni faciam palàm,
Vt eum ex lutulento cœno properè hinc eiiciat foras.

PANDITE, ATQVE APERITE, &c.] Virg. libro 7. *Pandite nunc Helicona Deæ, cantúſque mouete,* &c. IANVAM HANC ORCI] ſic appellat meretricum ianuam, quod quamobrem faciat, mox rationem ſubiungit. Orci ianuam dixit propriè Lucretius libro 6. ibi. *Ianua ne his Orci potiùs regionibus eſſe, Credatur poſta.* Plautus infrà in Trin. *Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro.* NAM EQVIDEM HAVD ALITER ESSE D.] non arbitror aliter eſſe, quàm hanc Bacchidum ianuam, Orci eſſe ianuam. QVIPPE QVÒ NEMO ADVENIT, &c.] hæc eſt ratio, propter quam Bacchidum ianuam, Orci ianuam dixerit. Equidem, inquit, non aliter eſſe

puto,quin hæc ſit Orci ianua.nam nemo vnquam ad has ædeis venit,niſi qui ſit ab omni ſpe derelictus,fore,vt frugi eſſe poſſit,id eſt,niſi quem nulla ſpes ſit,frugi eſſe poſſe. A BACCHIDES, NON BACCH. SED B. S. ACERR.] Bacchides,non ſunt Bacchides, id eſt, paruæ Bacchæ,ſed Bacchæ, eæque acerrimæ : quæ inſtar Baccharum amentium, & inſanarum dilacerant quemcumque nactæ ſunt. SORBENT SANGVINEM.] allegoria eſt.Sic M.Tull.Philipp. 2. *Guſtaras ciuilem ſanguinem,vel potius exſorbueras.* INSTRVCTA] parata,ornata. OPIMÈ, ATQVE OPIPARÈ] inſtructa opimè,atque opiparè,tralatio eſt. ME CONTINVÒ CONTVLI PROT. IN P.] contuli me in pedes:id eſt,dedi,ſeu conieci me in fugam : conieci me in pedes:aufugi ex domo meretricia:proripui me ex ædibus Bacchidum.protinam,id eſt,protinus.Itaque continuò,protinam,σχῆμα eſt ἐκ παραλλήλου. Terent.Phor. *Aliquid conuaſaſſem,atque hinc me conicere protinam in pedes.* EGÓNE VT HÆC CONCL. GEST. CLANCVLVM?] egóne facere poſſum,vt hæc taceam,& condita in pectore contineam? VT CELEM PATREM PISTOCLERE,&c.] ἀποστροφὴ ad Piſtoclerum abſentem. DESIDIABVLA?] deſidiei loca?apta ad deſidiam,ſeu ad deſidendum loca? ſic autem factum eſt, deſidiabulum à deſidia,vt conciliabulum à concilio,mendicabulum à mendico, &c.aliàs legitur *deſpoliabula*,ſeu *diſpoliabula*,à diſpoliendo,ſeu deſpoliendo:fortaſſe non malè,vt per diſpoliabula,ſignificet nequitias,luſtrationes,& ſcortationes,quæ adoleſcenteis intemperanteis deſpoliant. B Atque ita legit Nonius,in verbo *affectare*,quod interpretatur ille, afficere.neq. vidit hunc eſſe verborum ordinem,quibus affectas appellere vnà tuos ad probrum,damnum, flagitium. Ego tamen ſequor libros manuſcriptos,qui ſic habent,vt nos edidimus:& item edidit Camerarius.Si quis tamen *diſpoliabula* magis probabit,non pugnabo,quin factum probabo. AFFECTAS.] id eſt,paras, cupis.Nonius,*afficis*.à quo diſſentio. AD PROBRVM, DAM. FLAG. APPELLERE.] id eſt. probro damno,flagitio admouere,adiungere, affineis & propinquos reddere: προσπελάζειν, προσεγγίζειν.videtur tranſlatum à naui,quam ad portum, & ad terram appellere dicuntur Nautæ. FACTIS; QVÆ FACIS.] ob ea,quæ facis:ob facta tua. FECISTI GERVLI FICVLOS FL.]id eſt,feciſti geſtatores;& gerulos flagitij. feciſti, vt ſuſtinerent,& gererent onus flagitij,ac dedecoris ex infamia tua,ſeu per infamiam tuam. geruli figuli, ſunt figuli, qui gerunt ſua vaſa fictilia : vel geruli, qui figulorum vaſa fictilia gerunt. MALVM ISTHOC ADDIS] malum iſtud addis ad præterita. DEMOLIBOR IAM]iam demoliar, & demouebo,& deonerabo. VT EVM EX LVTVL.&c.] vt eum Piſtoclerum ex lutulento cœno,id eſt,ex ganeo,ſeu lupanari eiiciat foras,id eſt,extrahat foras.Libri vulgati habent *eliciat foras*,fortaſſe non malè, ſed antiqua lectio tutior eſt.præterea videtur legendum, *vt te ex lutulento*,&c.non,*vt eum*,&c.eſt enim ἀποστροφὴ ad Piſtoclerum,vt diximus. C Quare vel, *vt te*, legendum,vel dicendum,finitam eſſe ἀποστροφήν, ibi. *&* *ſeni faciam pallàm.* & Lydum nunc loqui de Piſtoclero in tertia perſona.Omnino malim legi,*vt te*.præterea videtur verſus claudicare,& vna ſyllaba breuior eſſe,vtrocumque modo legatur,niſi ita legatur,*vt ted ex lutul.*&c. Iam *lutulento cœno*,ſi non verbo,aut nomine,at re,eiuſdem generis eſt, cuius ſunt illa, amœnitas amœna, nitoribus nitidis,&c.quæ ſuprà collegimus.quid enim aliud eſt,lutulentum cœnum, quàm lutulentum lutum,aut cœnoſum cœnum.

MNESILOCHVS adoleſcens.

MVltimodis medidatus egomet mecũ ſum, &ita eſſe arbitror
Homini amico,qui eſt amicus,ita vti nomen poſſidet,
Niſi deos,ei nihil præſtare.id opera expertus ſum eſſe ita.
Nã vt in Epheſum hinc abij,(hoc factũ eſt fermè abhinc bienniũ,) D
Ex Epheſo huc ad Piſtoclerum meum ſodalem literas
Miſi amicam vt mihi inueniret Bacchidem.illum intelligo
Inueniſſe,vt ſeruus meus mihi nuntiauit Chryſalus.
Condignè is quàm technam de auro aduerſum meũ fecit patrem,
Vt mihi amanti copia eſſet.ſed eccum video incedere.
Nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil impenſiu'ſt.
Malefactorem amitti ſatius,quàm relinqui beneficum.
Nimio præſtat impendioſum te,quàm ingratum dicier.
Illum laudabunt boni,hunc etiam ipſi culpabunt mali.
Qua me cauſſa magis accurare atque aduigilare eſt opus.
Nunc Mneſiloche ſpecimen ſpecitur,nunc certamen cernitur.

Siſne,



A Siſne,nécne,vt eſſe oportet:malus,bonus,cuiuſmodi,
Iuſtus,iniuſtus,malignus,largus,commodus,incommodus.
Caue ſis te ſuperare ſeruum ſiris faciundo bene.
Vtut eris,moneo,haud celabis.ſed eccos video incedere
Patrem ſodalis,& magiſtrum.hinc auſcultabo quam rem agant.

MVLTIMODIS MED.] id eſt,multis modis mecum cogitaui,& commentatus ſum,&c. HOMINI AMICO, QVI EST AMI. ITA, VTI. N. P.] ordo, & ſententia eſt: nihil præſtare homini amico,qui re amicus eſt,& qui non ſolùm nomine,ſed facto,& vſu amicus eſt,niſi deos.id eſt,ſecundùm deos,vel diis exceptis,verum & germanum amicum,& qui re talis eſt,qualis nomine eſt,vel quale nomen poſſidet,rebus omnibus eſſe anteponẽdum. NAM VT IN EPH.&c.] nam poſtquàm hinc Epheſum naui profectus ſum, &c. CONDIGNÈ IS, QVI TECH.&c.]*is qui*, poſitum, pro *qui*.legendum eſſe *qui*, non, *quam*, perſpicuum eſt. B NAM POL QVIDEM MEO ANIMO,&c.] ratio antecedit propoſitionem, vt & aliàs. Nam talis ordo eſt: malefactorem amitti ſatiu'ſt,quàm relinqui beneficum.ratio.nam pol, mea quidem ſententia,nihil homini ingrato impenſius,id eſt,iniquius, ſeu iniuſtius. penſum, inquit Nonius, ſignificat exæquatum, quod ſine inclinatione ſunt, quæ penduntur. ex quibus Nonij verbis,licet interpretari penſum,æquale,æquum,quia quæ penſa, id eſt, ponderibus examinata ſunt,iuſta & æqua ſunt.quæ igitur impenſa,id eſt,non penſa ſunt,iniqua atque iniuſta ſunt. vel dic,hoc modo,ingrato homine nihil eſt impenſius,id eſt,nihil eſt minoris prætij,nihil nequius, nihil contemtius.quæ penſa ſunt,bona & cara ſunt.quæ igitur impenſa, inutilia, leuia, vilia, & parui pretij ſunt.Plautus in Sticho. *vtra ſit conditio penſior, Virginem, an viduam habere.* penſior,id eſt, melior.vel dic hoc modo, ingrato homine nihil eſt remiſsius, negligentius, inertius, ignauius, inconſideratius.quæ penſa ſunt,intelliguntur interdum,quæ nobis curæ ſunt, vel quæ conſiderata, & accuratè cogitata ſunt.Ergo,quæ impenſa,eadem ſunt inconſiderata,neglecta, diſſoluta.Salluſt. de bello Catilin.in orat.Catonis.*Nam quid ego de Gabinio,Statilio,Cæpario loquar? quibus ſi quidquam penſi vnquam fuiſſet,non ea conſilia de Rep.habuiſſent.* Suetonius. *Nihil penſi habuit, quin prædaretur omnimodo bona viuorum,ac mortuorum.* Iudicet lector,quæ harum trium explicationũ ſit optima.Nam omnes meo quidem iudicio,ſunt tolerabiles,& probabiles, ſed ſecunda videtur om- C nium optima.prima tamen non eſt peſſima.tertia & poſtrema non eſt mala. MALEFACTA AMITTI SALV'ST, QVÀM RELINQVI BENEF.] id eſt,præſtat, ſeu melius eſt, miſſum fieri malefactorem,id eſt,non retineri ad pœnas de eo ſumendas,& ad vlciſcendam acceptam iniuriam,quàm relinqui beneficum,id eſt,quàm non referri gratiam benemerito. hanc ſententiam plurib. verbis tractat M.Tullius in oratione poſt reditum, ad Quirites. *Quamquam mihi quidem maiori curæ eſt,quemadmodum vobis,qui de me eſtis optimè meriti, gratiam referam,quàm quemadmodum inimicorum iniurias,crudelitatémque perſequar. Etenim cùm vlciſcẽdæ iniuriæ facilior ratio eſt, quàm beneficij remunerandi,propterea quod ſuperiorem eſſe contra improbos,minùs eſt negotij,quàm bonis exæquari: tum etiam ne tam neceſſarium quidem eſt, malè meritis ,quàm optimè meritis referre, quod debeas. odium vel precibus mitigari poteſt,vel temporibus reip.communique vtilitate deponi,vel difficultate vlciſcendi teneri , vel vetuſtate ſedari.benemeritos quin colas,neque exorari fas eſt,neque id reip.repetere neceſſe eſt, neque eſt excuſatio difficultatis,neque æquum eſt tempore & die memoriã beneficij definire.* NIMIO PRÆST. IMP. TE, QVÀM INGR. D.&c.] id eſt, longè præſtat te ſumtuoſum, profuſum, & prodigum quàm ingratum dicier.Sic Ariſtoteles lib.4.de Moribus ad Nicom.loquens de prodigo. Ἐπεὶ δέ γε τοιοῦτος, δόξαι ἂν οὐ μικρῷ βελτίων εἶναι τοῦ ἀνελευθέρου. εὐίατός τε γὰρ ἐστὶ καὶ ὑπὸ τῆς ἡλικίας, καὶ ὑπὸ D τῆς ἀπορίας· καὶ ἐπὶ τὸ μέσον δύναται ἐλθεῖν. ἔχει γὰρ τὰ τοῦ ἐλευθερίου. καὶ γὰρ δίδωσι, καὶ οὐ λαμβάνει. οὐδέτερον δ' ὡς δεῖ, οὐδ' εὖ. εἰ δὴ αὐτὸ τοῦτο ἐθισθείη, ἢ πως ἄλλως μεταβάλλοι, εἴη ἂν ἐλευθέριος. δώσει γὰρ οἷς δεῖ, καὶ οὐ λήψεται ὅθεν οὐ δεῖ. διὸ καὶ δοκεῖ οὐκ εἶναι φαῦλος τὸ ἦθος. οὐ γὰρ μοχθηροῦ, οὐδὲ ἀγεννοῦς τὸ ὑπερβάλλειν διδόντα, καὶ μὴ λαμβάνοντα, ἠλιθίου δέ. ὁ δὲ τοῦτον τὸν τρόπον ἄσωτος, πολὺ δοκεῖ βελτίων τοῦ ἀνελευθέρου εἶναι διά τε τὰ εἰρημένα, καὶ ὅτι ὁ μὲν ὠφελεῖ πολλούς, ὁ δὲ οὐδένα, ἀλλ' οὐδὲ αὑτόν. Quæ ſic iam olim Latinè vertimus, id eſt, namq. is quidẽ, qui talis eſt,auaro nõ paullo melior videri poſſit.facilè enim poteſt ad ſanitatẽ reuerti,& ætatis maturitate coactus,& inopia coactus,atque ita ad mediocritatẽ peruenire,in eo inſunt ea omnia, quæ conueniunt liberali. Nam & donat,& non accipit : ſed neutrum neque vt debet, neque bene. quòd ſi huic rei aſſueſcat,aut aliquo alio modo immutetur, fuerit liberalis. Nam & quibus erit dandum,dabit,& non accipiet,vnde non oportet. Quocirca & videtur non eſſe malè moratus. non enim improbi,neque humilis,aut degeneris hominis eſt,largiendo, & non accipiẽdo modum ſuperare,ſed ſtulti potiùs. Qui autem hoc modo prodigus eſt, multo melior illiberali videtur eſſe:cùm propter eas cauſas,quas diximus,tum quòd hic iuuat multos, ille autem neminem,atque adeò ne ſe ipſum quidem. ILLVM.] impendioſum, & prodigum. HVNC] ingratum.alij libri habent,*hoc*. QVA ME CAVSSA MAGIS ACCVRR. ATQVE ADVIGIL. EST OP.]ſic edendum curaui,libros ferè omneis vulgatos. quibuſcum nonnulli ma-

nuſcripti conſentiunt,ſecutus,ſententia planiſſima,atque apertiſſima. nam alij manuſcripti habent,*Qua me cauſa magis cum cura eſſe,ac obuigilato eſt opus*, mendosè opinor. quam licere‍t ſic leniter mutatam,meliorem facere.*Qua me cauſa magis cum cura eſſe,atque aduigilare eſt opus*.vel ſic,*Qua mi cauſa magis accurato, atque aduigilato eſt opus*. NVNC MNESILOCHE SPECIMEN SPECITVR, NVNC CERT. C.]ſpecimen ſpecitur,id eſt,ſpecimen datur ſpectandum,& experiundum proponitur:periculi faciendi poteſtas datur:certamen cernitur,id eſt,certamen initur, & committitur,ſíſne,an non ſis,qualem eſſe oportet.ſic ſuprà loquitur in Caſina. *Nunc amici, ánne inimici ſis imago, Alceſime,mihi,ſciam. Nunc ſpecimen ſpecitur,nunc certamen cernitur*.ad quẽ locum plura.Idem in Moſtell.*Tum ſpecimen cernitur,quo eueniat ædificatio*. VT ESSE OPORTET,] id eſt, qualem eſſe oportet. MALVS, BONVS, CVIVSMODI, &c.] síſne malus, an bonus, cuiuſmodi debes eſſe,vel cuiuſmodi eſſe oportet.MALIGNVS, LARGVS:]síſne illiberalis, an liberalis.malignus,& benignus, inter ſe opponuntur, benignus & largus idem valent. ergo malignus & largus etiam inter ſe opponuntur. præterea grammatici veteres docent malignum idem valere,quod anguſtũ.Virg.lib.7. *Quale per incertam Lunam ſub luce maligna*. Horat.Sat.5.lib.1. *Cauponibus atque malignis*.Idem epiſt.1.lib.2.*Laudare malignè*.T.Liu.lib.Annal.39. *Et malignè omnia præbentibus ſuis meretriculæ munificentia ſuſtentabatur*.COMMODVS, INCOMMODVS.]qui ſint commodi apud Latinos,docuimus pluribus verbis in commentar. Horat.ad odam.8.lib.4.ibi. *Donarem pateras,gratáque commodis*,al.*commodus*,*Cenſorine meis æra ſodalibus*,&c. CAVE SIS,] caue ſi vis. SIRIS]ſiueris,à verbo ſino.caue ſiueris,id eſt,noli ſinere. FACIVNDO BENE.] beneficiis conferendis bene merendo.VTVT ERIS,]qualiſcumque eris.HAVD CELABIS.] haud falles.haud latebis.non eris occultus.qualiſcumque ſis,non eris incognitus,ex factis tuis, indicabis,& declarabis,qualis ſis.

A, B (margin)

### LYDVS ſeruus, PHILOXENVS ſenex, MNESILOCHVS adoleſcens.

NVnc experiar ſítne aceto tibi,cor acre in pectore,
Sequere. PH. quò ſequar? quò ducis nunc me? LY. ad illam,quæ tuum
Perdidit,peſſumdedit tibi filium vni vnicum. C
PH. Eia,Lyde,leniter qui ſæuiunt,ſapiunt magis.
Minus mirandum'ſt,illhæc ætas ſi quid illorum facit,
Quàm ſi non faciat:feci ego iſtæc itidem in adoleſcentia.
LY. Hei mihi,hei mihi.iſtæc illum perdidit aſſentatio.
Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum,
Nunc propter te,tuámque prauus factus eſt fiduciam
Piſtoclerus. MN. dij immortales, meum ſodalem hic nominat.
Quid hoc negotij eſt,Piſtoclerum Lydus, quòd herum tam ciet?
PH. Pauliſper Lyde eſt libido homini, ſuo animo obſequi: D
Iam aderit tempus,cùm ſeſe etiam ipſe oderit:morem geras,
Dum caueatur,præter æquum ne quid delinquat,ſine,
LY. Non ſino.neque illum, me viuo, corrumpi ſinam.
Sed tu,qui tam pro corrupto dicis cauſſam filio,
Eadémne erat hæc diſciplina,cùm tu adoleſcens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ.
Digitum longè à pædagogo pedem vt efferres ædibus.
Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras,
Gymnaſij præfecto haud mediocris pœnas penderes.
Id quoi obtigerat,hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,
Et diſcipulus & magiſter perhibebantur improbi.





A Ibi curſu,luctando,haſta,diſco,pugilatu,pila,
Saliendo ſeſe exercebant magis,quàm ſcorto,aut ſauiis:
Ibi ſuam ætatem extendebant,non in latebroſis locis.
Inde de hippodromo & palæſtra,vbi reueniſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres:
Tum librum legeres.ſi vnam peccauiſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum,quàm eſt nutricis pallium.
MN. Propter me hæc nunc meo ſodali dici diſcrucior miſer.
Innocens ſuſpicionem hanc ſuſtinet cauſſa mea.
PH. Alij Lyde nunc ſunt mores. LY. id equidem certò ſcio.
Nam olim populi priùs honorem capiebat ſuffragio,
B Quàm magiſtri deſinebat eſſe dicto obediens.
At nunc priuſquam ſeptuennis eſt,ſi attingas eum manu,
Extemplò puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Cum patrem adeas poſtulatum,puero ſic dicit pater:
Noſter eſto,dum te poteris defenſare iniuria.
Prouocatur pædagogus,eho ſenex minimi pretij,
Ne attigas puerum iſta cauſſa,quando fecit ſtrenuè.
It magiſter quaſi lucerna vncto expretus linteo.
Itur illinc iure dicto.iſtoccine hic pacto poteſt
Inhibere imperium magiſter,ſi ipſus primus vapulet?
MN. Acris poſtulatio hæc eſt,cùm huius dicta intelligo.
C Mira ſunt,ni Piſtoclerus Lydum pugnis contudit.
PH. Sed quis eſt,quem aſtantem video ante oſtium? LY. ô Philoxene.
MN. Deos propitios me videre,quàm illum,mauellem,mihi.
PH. Quis illic eſt? LY. Mneſilochus,gnati tui ſodalis Piſtocleri:
Haud conſimili ingenio atque ille'ſt, qui in lupanari accubat.
Fortunatum Nicobulum,qui illum produxit ſibi.
PH. Saluus ſis Mneſiloche.ſaluum te aduenire gaudeo.
MN. Dij te ament Philoxene. LY. hic enim ritè productu'ſt patri.
In mare it,rem familiarem curat.cuſtodit domum,
Obſequens obediénſque eſt mori atque imperiis patris.
D Hic ſodalis Piſtoclero iam puer puero fuit.
Triduum non inter eos eſt ætatis vter maior ſiet.
Verùm ingenium plus triginta annis maius'ſt,quàm alteri.
PH. Caue malum,& compeſce in illum dicere iniuſtè. LY. tace,
Stultus es,qui illi malè ægrè patere dici,qui facit.
Nam illum meum malum promtare malim,quàm peculium.
PH. Qui dum? LY. quia malum ſi promtet,indies faciat minus.
MN. Quid ſodalem meum caſtigas Lyde,diſcipulum tuum?
LY. Periit tibi ſodalis. MN. ne di ſirint. LY. ſic eſt vt loquor,
Quin ego cum peribat vidi,non ex auditu arguo.
MN. Quid factum eſt? LY. meretricem indignè deperit. MN. non tu taces?

LY. At quæ acerrimè atque æſtuoſè abſorbet, vbi quemque attigit. A
MN. Vbi ea mulier habitat? LY. hîc. MN. vnde eam eſſe aiunt?
LY. ex Samo.
MN. Quæ vocatur? LY. Bacchis. MN. erras Lyde, ego omnem rem ſcio,
Quemadmodum eſt. tu Piſtoclerum falſò atque inſontem arguis.
Nam ille amico & beneuolenti ſuo ſodali ſedulò
Rem mandatam exſequitur ipſus nec amat, nec tu creduas.
LY. Itáne oportet rem mandatam gerere amici ſedulò,
Vt ipſus in gremio oſculantem mulierem teneat ſedens?
Nullón' pacto res mandata poteſt agi, niſi identidem
Manus ferat ad papillas? labra à labris nuſquam auferat? B
Nanque alia memorare, quæ illum facere vidi, diſpudet:
Cùm manum ſub veſtimenta ad corpus tetulit Bacchidi,
Me præſente, neque pudere quicquam. quid verbis opus eſt?
Mihi diſcipulus, tibi ſodalis periit, huic filius.
Nam ego illum periſſe duco, cui quidem periit pudor,
Quid opu'ſt verbis? ſi opperiri vellem pauliſper modò,
Vt opinor, illius inſpectandi mihi eſſet maior copia,
Plus vidiſſem quàm deceret, quàm me atque illo æquum foret.
MN. Perdidiſti me ſodalis. egóne illam iam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satin' vt quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas neſcias? C
LY. Viden' vt ægrè patitur hic gnatum eſſe corruptum tuum,
Suum ſodalem, vt ipſus ſeſe cruciat ægritudine?
PH. Mneſiloche hoc tecum oro, vt illius animum atque ingeniũ regas.
Serua tibi ſodalem, & mihi filium. MN. factum volo.
PH. In te ergo hoc onus omne impono. Lyde ſequere hàc me. LY. ſequor.
Meliùs eſſet me quoque vnà ſi cum illo relinqueres.
PH. Affatim eſt. Mneſiloche cura, & concaſtiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicóſque alios flagitiis ſuis. D

SÍTNE ACETO TIBI COR ACRE IN P.] id eſt, ſítne tibi animus, qui offendatur reb. malis, & turpibus: vel ſic, insítne tibi prudentia, & conſilium in pectore. Allegoria eſt. ſed priorem explicationem magis probo. Idem in Pſeud. *Ecquid habet is homo aceti in pectore?* CH. *atque acidiſsimi.* PESSVMDEDIT TIBI FIL.] peſſumdedit, id eſt, in imum fundum, & penitus, demerſit. ſuprà, *ne peſſum abeat, tanquam catapirates maris*, ad quem locum, quid ſit peſſum, pluribus verbis docuimus. EIA LYDE,] *Eia*, particula hortantis. ſed interdum diſſimulãtis, aut etiam diſſimulanter reuocantis & reprehendentis, vt hîc, & item alibi. LENITER QVI SÆVIVNT, SAP. M.] qui moderatè, & intra modum iraſcuntur, ſapientiores ſunt. MINVS MIRANDVM'ST, ILLHÆC ÆTAS SI QVID ILL. F.] non eſt valde mirandum, ſi illa ætas ſcortatur, luſtratur, amat, potat. Terent. Adelph. *Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum ſcortari, neque potare, non eſt, neque foreis Effringere.* ASSENTATIO] legendũ putabã *aſſenſio*, libris omnibus inuitis, ſed ne ita legatur, obſtat lex carminis. Nam quòd ad Latini ſermonis conſuetudinem attinet, longè aliud eſt aſſentiri, quàm aſſentari: & patres aſſentiuntur interdum filiis peccantibus, atque indulgent: ſed non aſſentantur, neque videtur conuenire ita loqui. Verumtamen nihil mutandum, præſertim cùm verſus, vt legatur *aſſentatio*, poſtulet. Nam ſi legatur *aſſenſio*, verſus erit vna ſyllaba breuior. NAM ABSQVE TE ESSET, &c.] abſque te eſſet, id eſt, niſi



A niſi tu filium tuum corrumperes nimia indulgentia: niſi tu mihi obſtares, aſſentiendo eius peccatis, & flagitiis. ſic loquitur ſuprà in Capt. *Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm*, &c. ad quem locum de hoc loquendi genere plura. ſic & in Menæchm. *Nam abſque tè eſſet, hodie nunquam ad ſolem occaſum viuerem.* HABEREM RECT. AD ING. B.] haberem illum bonis moribus, & bono ingenio præditum. haberem illum facilem, ac propenſum ad ingenium bonum. rectum prauo opponitur. Rectum igitur interpretor, integrum, incorruptum, non inflexum, aut implicatum ad nequitiam, & vitium. Sic Ennius, *Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant, Antehac dementes ſeſe flexêre viaï?* NVNC PROPTER TE TVÁMQVE PR. F. EST FID.] *nunc* hîc aduerſantis particula eſt, non aduerbium temporis. propter tuam fiduciam autem, id eſt, propterea quòd tua indulgentia, & aſſenſione fretus eſt. QVID HOC NEG. EST PISTOCLERVM LYDVS QVÒD HERVM T. C.?] ordo eſt, quid hoc rei eſt, quamobrem Lydus tam habet in ore herum Piſtoclerum? tam ciet? id eſt, tam crebro ſermone vſurpat? tam mouet? tantopere agitat? vel tantopere inſectatur, & exagitat? διώκει. EST LIBIDO HOMINI] libet filio meo. ANIMO OBSEQVI.] animo ſuo morem gerere, atque indulgere. τῇ ψυχῇ χαρίζεσθαι. de hoc genere alibi plura. paulliſper autem, id eſt, non diu, breue
B temporis ſpatium. MOREM GERAS.] obſecundes & indulgeas Piſtoclero. IAM ADERIT TEMPVS, CÙM SESE, &c.] iam veniet tempus, cùm ſatiatus erit voluptatibus, & ſibi ipſe diſplicebit, quòd tam nequam fuerit. DVM CAVEATVR, PRAETER AEQ.] id eſt, dum modo caueatur ab illo, ne quid peccet præter æquum, & bonum, præter modum. παρὰ τὸ ἴσον, παρὰ τὸ μέτριον. NEQVE ILLVM ME VIVO, CORRVMPI SINAM] neque illum, dum viuam, corrumpi patiar. cur non dixit, neque illum viuus corrumpi ſinam? Licebat & illo modo dicere. ſed hoc eſt plenius, & ſignificantius. ſic in Amphitr. *Tu me viuo hodie nunquam facies, quin ſim Soſia.* QVI TAM PRO CORRVPTO DICIS CAVS. F.] qui pro tam corrupto, &c. dicis cauſam pro filio, id eſt, defendis filium συνηγορεῖς τῷ υἱῷ, ὄντι διεφθαρμένῳ. NEGO TIBI HOC ANNIS VIGINTI F. PR. C.] nego tibi hanc poteſtatem primis annis viginti fuiſſe, &c. nego tibi hoc primis viginti annis licuiſſe, &c. DIGITVM L.] digitum, id eſt, breuiſſimum ſpatium longè à pædagogo, vt exires domo. efferre pedem ex ædibus, vel aliunde alicunde, vſitatum genus loquendi bonis ſcriptoribus. ſic ſuprà in Capt. *Seruate iſtum, ſultis, intus, ſerui, ne quoquam pedem Efferat ſine cuſtode.* M. Tullius lib. 7. epiſt. ad Attic. epiſt. 2. *Nunc illum, qui pedem porta, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulit, honore augeri*, &c. Sic apud Ariſtophanem commemoratur antiqua diſciplina, & cum ho-
C diernis moribus confertur, in Νεφέλ. ibi, Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν, ὡς διέκειτο, Ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἤνθουν, καὶ σωφροσύνη νενόμιστο, &c. Nam ſatis eſt locum indicaſſe. GYMNASII PRÆFECTO] γυμνασιάρχῃ. POENAS PENDERES] pœnas lueres, ſeu ſolueres. ID QVOI OBTIGERAT, HOC ETIAM AD M.] cui id acciderat, vt pœnas daret, hoc etiam malum ad illud malum accedebat, quòd & diſcipuli, & pædagogus dicebantur improbi. ARCESSEBATVR] aduocabatur, adiungebatur. IBI.] in palæſtra. CVRSV, LVCTANDO, &c.] certaminum, & exercitationum nomina, quæ & ſuprà poſita ſunt. EXTENDEBANT] traducebant, producebant, ſeu, vt Varro quodam loco loquitur, procudebant. NON IN LATEBROSIS LOCIS] non in luſtris. & fornicibus. ſuprà. *Nam huic ætati non conducit mulier, latebroſus locus.* DE HIPPODR.] quid ſit hippodromus, diximus in Ciſtell. CINCTICVLO PRAECINCTVS,] paruo cincto, ſeu, cinctu, ſuprà vel antè cinctus. cinctum eſſe, erat continentiæ & pudoris argumentum. contrà diſcinctum eſſe, mores diſſolutos arguebat. Ex quo illud, *diſcincta veſtis, diſcinctus animus.* Sylla de Caio Iulio Cæſare, apud Suetonium. *Malè præcinctum puerum caueatis.* quod fluxiore cinctura vteretur. FIERET CORIVM TAM MACVLOS. Q. EST NVTR. P.] concideretur tibi corium
D virgis, ex quibus contraherer maculas rubras, & liuidas, hoc eſt, vibices. Corium, δέρμα, pellis. NVTRICIS PALLIVM] quod à pueris, quibus mammam præbent, & quos alunt, maculatur, dum præmanſum in os ingerunt. pallium nutricis maculoſum, refricuit mihi memoriam verſuum illorum Homeri ἰλιάδ. ἰῶτα, quibus Phœnix narrat Achilli, tunicam ſuam ſæpe ab eo eſſe madefactam, cùm ei cibum præberet, & vinum labris eius admoueret. Sic Homer. πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα, Οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ. SVSPICIONEM HANC SVSTINET, C. M.] ſic dictũ ſuſtinere ſuſpicionẽ, pro ſuſpicione laborare, & ſuſpectum eſſe, vt ſuſtinere culpam & cauſam. pro culpæ affinẽ exiſtimari, ὑπέχειν αἰτίαν dicunt Græci. NAM OLIM POPVLI PR. HON. CAP. SVFF.] ordo, & ſententia eſt. Nam olim honorem prius capiebat, id eſt, conſequebatur, populi ſuffragio, quàm magiſtro parere deſierat. hoc eſt, magiſtro parebat vſque ad eam ætatem, qua petere magiſtratũs per leges licet. TABVLA] libro, ſeu potius tabula litteraria, in qua pueri litteras ſcribebant, aut ſcribere litteras diſcebant. DIRVMPIT CAPVT] libri omnes manuſcripti habent, *dirumpit*, quos ſequor. nonnulli vulgati *diſrumpit*. POSTVLATVM:] expoſtulatum. vel dic, poſtulatum, id eſt, accuſatum, vel propriè accipe, & ſubintellige, vt filium caſtiget, ſeu vt de filio pœnas ſumat. NOSTER ESTO, &c.] hæc ſunt patris filio indulgentis, & quod factum ab eo eſt, approbantis. Virgilius lib. 2. Æneid. *Quiſquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios. Noſter eris.* INIVRIA]

ſubintell. ab. PROVOCATVR PÆD.] porrò vocatur, ſeu in medium vocatur pædagogus à patre, & his, quæ deinceps ſequuntur, verbis obiurgatur, atque increpatur. NE ATTIGAS P.] caue ne attingas puerum ob iſtam cauſam, quoniam fecit fortiter. attigas, pro attingas, antiquum à ſimplici, tago, is. pro tango. de quo alibi. Profert autem hunc verſum Nonius, in eo ipſo verbo *attigas*. QVANDO] quia. IT MAGISTER QVASI LVCERNA VNCTO EXPRETVS L.] comparatur magiſter à puero, & diſcipulo percuſſus, atque oleo perunctus, ſeu vncto linteo obligatus ad vulnus acceptum leniendum, cum lucerna, quam quis experitur vncto linteo, vtrùm bene luceat, néc ne. It magiſter, inquit, hoc eſt, redit à patre diſcipuli ſui, vncto linteo, tanquã lucerna, expertus, vtrum bene luceat: id eſt, vncto linteo obligatus, ſeu appoſito ad vulnus capitis vncto linteo, diadematus, ac redimitus ad dolorem leniendum ſcilicet, quod ei puer intulit, & ad vibices tollendas. vt in Sticho. Expretus, antiqui vſurparunt pro expertus. Expertus autem paſſiuè, id eſt, ſpectatus, tentatus, & cuius periculum factum eſt. M. Tull. pro Lucio Cornelio Balbo. *præſens, perſpecta, atque experta virtus*, &c. De voce *expretus*, autem, ſi quis eſt, qui dubitet, diſcat ex Feſto. *Expreta*, inquit ille, *antiqui dicebant quaſi ex peritia habita*. IVRE DICTO] iure dicto à patre, tanquam à prætore. INHIBERE IMPERIVM] id eſt, exercere imperium, adhibere, retinere, vſurpare. Sic Tit. Liuius lib. 3. Annal. *Animis ad inhibendum imperium imminutis. & inhibere damnum.* lib. 4. *pronunciauerúntque ex collegij ſententia C. Valerio coſ. ſe damnum, aliámque coërtionem aduerſus interceſſionem collegæ dilectus cauſa detrectantibus militiam, inhibenti, auxilio futuros eſſe.* Sic M. Tullius Philipp. 13. *eadémque inhiberet ſupplicia nobis?* POSTVLATIO,] accuſatio, ſeu expoſtulatio. MIRA SVNT] mirum eſt. DEOS PROPITIOS ME VIDERE, &c.] εὐφημισμὸς, voluit enim dicere deos mihi iratos, quàm illum mallem me videre, id eſt, mallem me videri à diis iratis, quàm à Lydo irato. hoc ideo dicit, ſcilicet, quod Lydus, iratus, erat grauis, acer, & acerbus. Licet etiam ſimpliciter ſic explicare, mallem me à diis videri, quàm ab illo. hoc eſt, nollem me ab illo videri. prior explicatio mihi magis placet: eámque confirmãt illa, quæ ſunt in Amphitr. *Id ego ſi fallo, tum te ſummé Iupiter, Quæſo, Amphitruoni, vt ſemper iratus ſies.* ALC. *Ah, propitius ſit potius*. Omnino vtraque in hoc congruit, quod ſignificat Mneſilochus ſe nullo pacto à Philoxeno videri velle. QVIS ILLIC EST?] quis ille eſt? HAVD CONSIMILI INGENIO, ATQVE ILLE'ST, Q. &c.] Piſtoclerus ſodalis filij tui Piſtocleri, qui haud ſimili ingenio, atque eſt Mneſilochus filius tuus, q. &c. FORTVNATVM NICOB.] ô fortunatum Nicobulum, qui, &c. PRODVXIT] procreauit. IN MARE IT:] nauigat. OBSEQ. OBED. Q. EST M. ATQ. IMP. P.] id eſt, morem gerit patri: obſequitur moribus, & paret imperio patris. Sic autem eſt legẽdum, non vt edidit Camerar. *moræ atque imperiis patris*. Nam hæc lectio ferri nullo modo poteſt. Quòd enim quidam interpretãtur *moræ*, moroſitati, in eo ſatis declarant ſe dormitare, cùm alioqui in aliis ſint ſatis vigilantes, & acuti. moroſitas enim dicta eſt à moribus, ſeu more, non à mora. præterea metrum poſtulat, vt *mori* legatur, non, *moræ*: ſunt enim trochaïci. Quod ſi verſus ferre poſſet, *moræ*, ſic explicarem. hoc totum, obſequens, obediénſque eſt moræ, &c. exſpectat patris mortem filius: non fert moleſtè patrem diu viuere. Sed cùm neque verſus hanc ſcripturã ferre poſſit, neque tale loquendi genus ſit Plautinum: ad alteram ſcripturam, eiúſque explicationem redeo, eámque me magis probare aſſeuero. Licebit tamen, quod ad huius ſcripturæ, quam ſecutus ſum, explicationem attinet, etiam ſic explicare. Filius patrem moroſum, & imperioſum fert æquo animo: filius difficilibus moribus, & duro imperio patris obſequitur. TRIDVVM NON INTER EOS EST ÆTATIS, &c.] id eſt, non intereſt triduum ætatis inter eos, vter altero maior ſit. vel ſic alter non eſt altero natu grandior triduo. VERÙM HVIC INGENIVM, &c.] id eſt, verùm hîc nempe Piſtoclerus, ita alteri (filio tuo) ingenio præſtat, vt ſi triginta annis maior natu eſſet. CAVE MALÙM] minantis ſermo. quod alibi admonuimus. conſule indicem. ET COMPESCE IN ILLVM DICERE INIVSTÈ] id eſt, & reprime, ſeu comprime te, ne illi malè dicas, & tempera tibi ne illum maledictis inſequare. NAM ILLVM MEVM MALVM PROMTARE M.] id eſt, nam malim Piſtoclerum meum malum profundere, quàm peculium. promtare, id eſt, ſæpe promere, quod eſt inſumere, impendere, profundere. ſignificat Lydus Piſtoclerum eſſe pecuniæ largum, & prodigum. quod declarant ea, quæ ab eo reſpondentur ſeni Philoxeno. QVÎ DVM?] quærit ſenex, in quã ſententiam Lydus illa dixerit, & cui ſic reſpondet Lydus. QVIA MALVM SI PROMTET, IN D. F. M.] quia, inquit Lydus, ſi meũ malum ſæpe promat, atque inſumat filius tuus, in dies minuatur, quod idem peculio meo accidere nolim. peculium enim meum malim augeri, quàm minui. taleis dubitationes autem, & quæſtiones ſciendum eſt, ſpectatorum cauſa adhiberi, nequid ſit, quod ſpectator non ſtatim percipiat. NE DI SIRINT] id eſt, Dij prohibeant, ne Dij ſiuerint, ſodalem meum perire. Dij iſtuc auertant, vt ſodalis meus perierit. QVIN EGO CÙM PERIBAT V. &c.] quin ego pereuntem vidi, non ex eo, quod audiui, arguo. malim autem legi, ex audito, quàm ex auditu. Sic in Merc. vidiſtin', an tu ex audito. Sic Lucret. lib. 5. *petúntque Res ex auditis potius, quàm ſenſibus ipſis*. ATQVAE ACCERRIMÈ, ATQ. ÆSTVOSÈ ABSORBET, VBI QVEMQ. ATT.] deperit meretricem, inquam, non aliquam moderatam, lenem ac ſedatam, ſed eam, quæ inſtar maris æſtuoſi rapax, & feruida, acerrimè abſorbet quemcumque nacta eſt. tranſlatum à mari æſtuoſo, ſeu ab æſtu maris. M. Tull. in Brut. *Sed hunc quoque abſorbuit æſtus quidem non inſolitæ adoleſcentibus gloriæ.* Talem commemorat Meretricem Horat. oda 27. lib. 1. *Ah, miſer, Quanta laboras in Charybdi? Digne puer meliore flamma.* ſic autem edendum curaui. *At quæ acerr.* libros noſtros veteres ſecutus, optima, & planiſſima ſententia, cùm Camerarius ediderit, *atque*, &c. & ita habeant libri vulgati *vbiquemque attigit*, id eſt, vt quemque attigit. FALSÒ, ATQVE INSONTEM ARGVIS] iniuſtè atque innocentem accuſas. ET BENEVOLENTI] & beneuolo, &c. ſic ſæpe aliàs. SVO SODALI,] mihi. NEC TV CREDVAS.] nec tu credideris. ITÁNE OPORTET, &c.] ex his Lydi verbis oritur Mneſilocho ſuſpicio, amari ſuam Bacchidem à Piſtoclero: hoc eſt, Piſtoclerum rem mandatam non ſatis bona fide geſſiſſe, aut curaſſe. NVLLON' PACTO RES MAND. P. A. NISI IDENT. &c.] Tale eſt illud Terentij in Heautont, *Itáne fieri oportet?* CL. *Quid ego feci?* CHR. *viden' ego te modò manum in ſinum huic meretrici inſerere?* &c. MANVS FERAT AD PAPILLAS?] papillas manibus contrectet? manum in ſinum inſerat? DISPVDET.] valde pudet. CÙM MANVM SVB VEST. AD CORP. TETVL. B.] ſatis rectè, atque honeſtè ſignificauit factum turpe. ſignificat enim Lydus Piſtoclerum manum admouiſſe Bacchidis rimulæ ſub veſtimentis latenti. ad corpus igitur, id eſt, ad particulam illam corporis muliebris, quæ honeſtè appellari non poteſt. *tetulit* autem legendum, non *detulit*. nam reſpuit hanc ſcripturam verſus. NEQVE PVDERE QVIDQVAM] neque pudebat quidquam. NAM EGO ILLVM P. D. &c.] γνώμη. pudor enim à turpi facto adoleſcenteis, & mulieres prohibet, reuocat, & refrenat. QVÀM ME, ATQVE ILLO ÆQVVM F.] quàm me, atque illo dignum eſſet, quàm mihi atque illi conueniret. PERDIDISTI ME, SODALIS, &c.] Ab hoc loco & tempore ſuſpicari incipit Mneſilochus Bacchidem ſuam à Piſtoclero amari. Eſt autem ἀποστροφὴ ad Piſtoclerum ſodalem, abſentem. & loquitur hæc ſolus Mneſilochus: nec eius verba exaudiunt Philoxenus, & Lydus, ſed querentem, & lamentantem vident tantùm, putántque eum ita cruciari, quòd ægrè ferat ſodalem ſuum corruptum eſſe, non rei ſuæ cauſa. CAPITIS NON PERDAM?] ſic dictum, perdam capitis, vt accuſare, & damnare capitis. ſic in Aſinar. *Ibo ego ad treis viros: veſtráque ibi nomina faxo erunt. capitis te perdam ego, & filiam.* SATIN' VT, QVEM TV H. FID. T. AVT CVI C. &c.] ordo, & ſententia eſt. Itáne eſt, vt ſatis neſcias, quem fidelem tibi habeas, aut cui credere debeas? Eſt autem hîc ſecunda perſona poſita, pro tertia infinita, & incerta, hoc modo, *vt neſcias*, id eſt, vt neſcire poſſit aliquis. quem tu habeas fidelem tibi, id eſt, quem habeat fidelem ſibi, &c. de quo genere ſuprà. videto indicem, in, ſecunda perſona pro, &c. ſi plura exempla quæris. VIDEN' VT ÆGRÈ PATITVR, &c.] hîc ſeruus errat, qui Mneſilochum putet, propterea quia Piſtoclerus amore corruptus ſit, cruciari ægritudine, cùm ea gratia indignetur, & lamentetur, quod ſuſpicatur Piſtoclerum eam Bacchidẽ ſibi præripuiſſe, quam Mneſilochus ipſe amabat, quámq; vt ille reperiret, ei mandauerat. TECVM ORO,] tecum ago: te oro. ſic ſæpe loquitur Plautus: & item Terent. IN TE ERGO HOC ON. O. IMP.] id eſt, tibi ergo hoc onus omne impono. AFFATIM EST, &c.] plus ſatis eſt, ſi Mneſilochus curet. vnus Mneſilochus hoc curabit.



## MNESILOCHVS adoleſcens.

IMmitiorem nunc vtrum credam magis
Sodalémne eſſe, an Bacchidem, incertum admodum eſt.
Illum exoptauit potius, habeat. optimum eſt.
Næ illa hercle cum malo fecit ſuo, meo.
Nam mihi diuini numquam quiſquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planéque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam iam domum ibo, atque aliquid ſurripiam patri.
Id iſti dabo. ego iſtanc multis vlciſcar modis,
Adeò ego illam cogam, vſque vt mendicet meus pater.
Sed ſatin' ego animum mente ſincera gero,
Qui ad hunc modum hæc hic quæ futura fabulor?
Amo hercle, opinor, vtpote quod certo ſciam.

Verùm quàm illa vnquam de mea pecunia A
Ramenta fiat plumea propenſior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam ædepol viua me irridebit. nam mihi
Decretum eſt renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi ſubblandibitur,
Tum, cum mea illud nihilo pluris referet,
Quàm ſi ad ſepulcrum mortuo dicat iocum.
Sed antequam illa vnquam meis opulentiis
Ramenta fiat grauior, aut propenſior,
Mori mala me malim excruciatum inopia.
Profectò ſtabile eſt me patri aurum reddere. B
Eadem exorabo Chryſalo cauſſa mea
Pater ne noceat, neu quid ei ſuccenſeat
Mea cauſſa de auro, quòd eum ludificatus eſt.
Nam illi æquum eſt me conſulere, qui cauſſa mea
Mendacium dixit: nunc vos me ſequimini.

IMMITIOREM NVNC VTRVM, &c.] ſic edendũ curaui, libros veteres ſecutus, qui ſic habent, niſi quod in duobus, pro, *Immitiorem*, ſcriptum eſt mendoſè, *in vitio nunc*, &c. omnino *amiciorem*, quod eſt in libris vulgatis ferri non poteſt. fortaſſis autem nec, *immitiorem*, ſatis tutum aut ſincerum eſt, & legẽdum potius eſt, *Inimiciorem*. mihi quidem magis probatur, quàm *Immitiorem* ſed iudicet lector. ſententia autem hæc eſt, incertum mihi admodum eſt, vtrum horum duorum mihi immitiorem, id eſt, inclementiorem, atque acerbiorem fuiſſe credere debeam ſodalem meum, an Bacchidem. vterque enim ſe inhumanum, atque infidelem præbuit: cùm & Piſtoclerus ſibi conſuluit, ſuúmque negotium geſſit, mei nullam rationem duxit, meúmque mandatum neglexit: & Bacchis Piſtoclerum, me ſpreto, ac reiecto, in amicitiam ſuam recepit. Si *inimiciorem*, legamus, æquè facilis, & plana ſententia erit. C ILLVM EXOPT. POTIVS HABEAT, &c.] Bacchis Piſtoclerum mihi antepoſuit, *habeat*. optimum eſt, vt eum habeat: quando illum voluit, atque exoptauit. NÆ ILLA HERCLE CVM M. F. SVO, MEO.] ſic edidit Camerarius, & rectè. nam noſtri codices ſic quoque habent. Itaque non putaui mihi hanc ſcripturam reiiciendam, nam vulgati non habent vocem, *ſuo*. Exprimitur autem affectus amantis, qui cùm dixiſſet, cum malo fecit ſuo, qui ſermo eſt, malum alteri minantis: ſubiicit continuò, quaſi ſe ipſe reprehendens, meo: religioni vertens ſcilicet, amicæ malum minari. Simile igitur eſt, ac ſi dixiſſet, cùm malo fecit ſuo, immò meo. vel meo potius. vel meo volui dicere. NAM MIHI DIVINI NVMQVAM QVISQVAM CR.] iuriſiurandi cum execratione quadã, & deteſtatione coniuncti formula: quam & ſuprà vſurpauit, in Amphitr. ibi, *Nunquam ædepol tu mihi diuini quidquam creduis poſt hunc diem, Ni ego illi puteo*, &c. ad quem locum plura. creduat autem, id eſt, credat, ſeu crediderit. al. creduit. D NI EGO ILLAM EXEMPLIS PLVRIMIS PL. &c.] mirè exprimitur amantis perturbatio, & inconſtantia. Nam cùm ei minaretur, & eſſet dicturus, ni ego illam exemplis, ſeu modis plurimis miſeram habebo, vlciſcar, aut aliquid tale, ſubito, ſe ipſe reuocans ſubdidit, planéque amo. EGO FAXO, HAVD DICET NACT. Q. DER.] ego faciam, ne dicat ſe nactam eſſe hominem contemtum ignauum, & nullius animi, ſed ſtrenuum, & qui acceptam iniuriam referre conetur, & poſſit. Deridentur, & contemnuntur, qui acceptam iniuriam referre non conantur. contrà, viri fortes, & qui iniuriam referunt, magni fiunt, & haud temerè laceſſuntur. Sic infrà ead. fab. *faxò ſe haud dicat, nactam, quem derideat*. Ego faxo haud dicet, id eſt, fecero, ne dicat, non dicet. NAM IAM DOMVM IBO, ATQ. ALIQ.] iterum declaratur, & exprimitur amantis affectus, qui dicat, ſe patri pecuniam ſurrepturum, quam det Bacchidi, cui ſuprà proximè minatus eſt, ſe iniuriam relaturum. ADEÒ EGO ILLAM C. VT, &c.] In eum vſque locum illum adigam, ſeu redigã. vt mendicet meus pater. Dicturus erat, & verò ita orationem exorſus erat, vt hoc ſubiiceret, vt mendicet, nimirum Bacchis, ſed vt homo perturbatus, & amore æſtuans, vel religione quadam refrenatus, ac retractus, minas in Bacchidem intentatas, in patrem conuertit. SED SATIN' EGO ANIMVM M. SIN. G.?] ſed ſatiſne ſanus ſum? nunc videtur ſe colligere, & ad ſe redire. Labat tamen



A tamen etiam nunc aliquantulum. VERVM QVÀM ILLA VMQ. DE MEA PEC. RAM. F. PL. &c.] ordo, & ſententia eſt, verùm mendicum mendicando vincere malim, quàm vt illa Bacchis, fiat vnquam per meam pecuniam, ſeu ex mea pecunia, ramenta plumea propenſior, id eſt, grauior, ponderoſior. Ramentum, ſeu ramenta eſt, quod, ex auro, ſeu argento, ſeu quo alio metallo raditur, ac deteritur. Eſt autem hîc inſignis hyperbole. Nam cùm pluma nihil ſit leuius, quomodo aliquid ponderoſius fieri poteſt adiectione ramentæ plumeæ? Neque verò me fallit Noniũ legiſſe *plumbea*. verumtamen ſequor libros manuſcriptos, & Plautinum leporem. Et fieri poteſt, vt Nonius hoc loco corruptus ſit, vt eſt etiam alibi. Si quis tamen *plumbea* legi mallet, non magnopere pugnabo. vtitur eadem voce & infrà, eadem fab. ſed in neutro genere ibi, *quia patri omne cum ramento reddidi*. & in Ruden. iterum in fœminino. *Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior*. RENVMERARE] reddere. SVBLANDIBITVR] blanda verba loquetur. ſublandietur, ſubpalpabitur. ſuprà in Caſina. *Non matronarum officium eſt, ſed meretricum, viris alienis ſublandirier*. CVM MEA ILLVD NIHILO PL. REF. QVÀM SI AD SEP. &c.] qui ad ſepulcrum mortuo rem aliquam iocoſam narrat, nihil proficit, neque mortuum delectat, neque eius verba mortuum tangunt. nihilo plus profecturam Bacchidem dicit Mneſilochus, cùm illa ſibi inani ſubblandietur. Negátque futurum, vt pluris ſua B referat. hyperbole. MORI MALA ME MALIM EXCR. INOP.] ſecutus ſum Camerarij conjecturam in hoc verſu emendãdo. Nam & in libr. vulgatis, qui ſic habẽt. *Mori me malim miſera excruciatum inopia*: & in manuſcriptis, in quibus partim ſic ſcriptus eſt, mori me malim, excruciatũ, inopia: partim ſic, *mori me mauelim, exc.* &c. mendoſus eſt. STABILE EST] fixum eſt, certũ eſt, decretum, ac deliberatum eſt, ſtat ſententia. Sic Marcus Tull. de accuſatore conſtituendo contra Cæcilium. *At enim ſolidum id eſt, vt me Siculi maximè velint*, &c. EADEM] eadem opera: ſeu eadem ratione: ſeu eadem via. EXORABO] patrem. LVDIFICATVS EST] ludificauit. illuſit, ludos fecit, vt alibi loquitur. MENDACIVM DIXIT] immò quod grauius eſt, mentitus eſt.

## PISTOCLERVS.

REbus aliis anteuortar Bacchis, quæ mandas mihi,
Mneſilochum vt requiram, atque vt eum medicum ad te ducam ſimul.
C Nam illud animus meus miratur, ſi à me tetigit nuntius,
Quid remoratur? ibo, & viſam huc ad eum ſi fortè eſt domi.

REBVS ALIIS ANTEVORT.] rebus aliis omnib. anteponam mandata tua. ante res alias omneis tua mandata curabo, nempe vt Mneſilochũ tuum requiram, &c. NAM ILLVD ANIMVS MEVS MIRATVR, &c.] id eſt, nam illud miror, ſi nuntius à me ad eum miſſus, qui eum arceſſeret, ad eum peruenit, quid remoretur: ſeu quid moretur, animus meus miratur, poëtarum Epicorum more dictum, pro, ego apud me, & cum animo meo miror. SI À ME TETIGIT NVNTIVS:] ſi nuntius, quem ego miſi ad eum peruênit. VISAM HVC AD EVM, &c.] viſam domum ad eum, &c. viſere ad aliquem, genus loquendi bonis ſcriptoribus vſitatum: de quo plura in Comment. Lucret.

## MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

D

REddidi patri omne aurum. nunc nunc ego illam me velim
Conuenire, poſtquam inanis ſum, contemtricem meam.
Sed veniam mihi quàm grauate pater dedi de Chryſalo?
Verùm poſtremò impetraui, vt ne quid ei ſuccenſeat.
PI. Eſtne hic meus ſodalis? MN. éſtne hic hoſtis, quem aſpicio, meus?
PI. Certè is eſt. MN. is eſt. adibo contrà, & contollam gradum.
PI. Saluus ſis Mneſiloche. MN. ſalue. PI. ſaluus cùm peregrè aduenis,
Cœna detur. MN. non placet mihi cœna, quæ bilem mouet.
PI. Num quæ aduenienti ægritudo obiecta eſt? MN. atque acerrima,

PI. Vnde? MN. ab homine, quem mihi amicum eſſe arbitratus ſum antidhac. A

PI. Multi more iſto atque exemplo viuunt, quos cum cenſeas
Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimoniis,
Lingua factioſi, inertes opera, ſubleſta fide,
Nullus eſt, qui non inuideat rem ſecundam obtingere:
Alteri: ſibi ne inuideatur, ipſi ignaui rectè cauent.

MN. Ædepol næ tu illorum mores perquàm meditatè tenes.
Sed etiam vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt ſuo:
Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omneis habent.
Atque ij ſe cum fruſtrantur, fruſtrari alios ſtolidi exiſtimant.
Sicut eſt hic, quem eſſe amicum ratus ſum. atque ipſus ſum mihi. B
Ille quod in ſe fuit, accuratum habuit, quod poſſet mali,
Facere, & in me inconciliare copias omnis meas.

PI. Improbum iſtunc eſſe oportet hominem. MN. ego ita eſſe arbitror.

PI. Obſecro hercle loquere quis is eſt. MN. beneuolens viuit tibi.
Nam ni ita eſſet, tecum orarem, vt ei quod poſſes mali
Facere, faceres. PI. dic modò hominem qui ſit: ſi non fecero
Ei malę aliquo pacto, me eſſe dicito ignauiſſimum.

MN. Nequam homo eſt, verùm hercle amicus eſt tibi. PI. tanto magis
Dic quis eſt. nequam hominis ego paruipendo gratiam. C

MN. Video non poteſſe, quin tibi eius nomen eloquar.
Piſtoclere, perdidiſti me ſodalem funditus.

PI. Quid iſtuc eſt? MN. quid eſt? miſine ego ad te ex Epheſo epiſtolam
Super amica, vt mihi inuenires? PI. fateor factum, & repperi,

MN. Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibus cum haberes rem, niſi cum illa quam ego mandaſſem tibi?
Occiperes tu te amare, & me ires conſultum malè?

PI. Sanún' es? MN. rem repperi omnem ex tuo magiſtro. ne nega. D
Perdidiſti me. PI. etiamne vltrò tuis me proiectas probris?

MN. Quid amas Bacchidem? PI. duas ergo hic intus eccas Bacchides.

MN. Quid duæ? PI. atque ambas ſorores. MN. loqueris nunc nugas ſciens.

PI. Poſtremò ſi pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego tedin collum, atque intrò hinc auferam. MN. imò ibo, mane.

PI. Non maneo, neque tu me habebis falſo ſuſpectum. MN. ſequor,

NVNC,



A NVNC, NVNC EGO ILLAM ME VELIM C.] nunc, cùm ego ſum inanis, velim illam mecum cōgredi, & loqui, contemtricem meam, id eſt, quæ me contemnit. ſic dictum, contemtricem meam, pro contemtricem mei. vt, accuſator meus, pro accuſator mei: hoc eſt, qui me accuſat, ſeu accuſauit. Sic autem appellat ſuam Bacchidem Mneſilochus, quòd ſe re vera ab ea contemtum eſſe exiſtimaret: ſed errat, atq; hoc errore inductus, pecuniam omnem, quam penes ſe habebat, & ex qua quantam vellet, detrahere poterat, opera Chryſali patri reddiderat. ET CONTOLLAM GRADVM] & conferam gradū: id eſt, congrediar. Sic ſuprà in Aulul. in extr. *Contollam gradum*, & ſæpe alibi. SALVVS CVM PEREGRÈ ADV. COENA D.] quando ſaluus, peregrè aduenis, cœna tibi detur vt fieri ſolet, de hoc more, ſępe iam diximus, & eius moris plura iam exēpla ſuprà alibi collecta ſunt, niſi fallor in Epid. prin. ibi, *Venire ſaluom gaudeo.* TH. *quid ceterum?* EP. *quod adeò aſſolet, Cena tibi dabitur.* NON PL. CENA Q. B. M.] non placet cena ab eo, qui nō eſt amicus, & qui iniuſtè læſit, data. talis enim cena inſuauis, & moleſta eſt, & iram commouet. bilem mouere, prouerbium olet, pro, iracundiā, ſeu iram cōmouere. Horat. epiſt. 19. lib. 1. *O imitatores, ſeruum pecus: vt mihi ſæpe Bilem, ſæpe iocum veſtri mouere tumultus.* ferociter Piſtoclero reſpondet Mneſilochus iratus, quamuis immeritò & temerè iratus. NVM QVÆ, &c.] id eſt, num qua, ſeu num aliqua, &c. ATQ. ACERRIMA.] obiecta eſt, & illa quidem acerrima.
B ANTIDHAC] ante hac. CENSEAS] exiſtimes. REPERIVNTVR FALSI FALS.] reperiuntur, id eſt, deprehēduntur, falſi falſimoniis, id eſt, planè falſi: falſi ob falſimonias ſuas. falſimonia autem à falſo eſt dicta, vt ſanctimonia à ſancto, ægrimonia, ab ægro, & ſimil. LINGVA FACTIOSI] id eſt, lingua fortes, ſtrenui, ac potētes, quod valet, largè, & prolixè omnia promittentes. INERTES OPERA] re nihil eorū, quæ verbo oſtenderunt, ac promiſerūt, præſtantes. SVBLESTA FIDE,] id eſt, infirma fide. Feſtus, ſubleſta, inquit, infirma, tenuia. Plautus in Perſa. *Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior.* Nonius, ſubleſtū, eſt leue, friuolū. Plautus. *Nam vbi ad paupertatem acceſſit infamia.* NVLLVS EST, QVI NON INVID. REM S. OBT. ALT. &c.] horū duorum verſuum hæc ſententia eſt. Nullus eſt iſtorum, qui non obſtet alteri, quominus & ſecunda res obtingat, vel qui non doleat, rem ſecūdam à fortuna oblatā, aut virtute partam, alteri obtingere: ipſi propter ignauiam ſuam ita miſeri ſunt, vt nemo eis inuideat: vel ſic, ipſi ita ſe gerunt, vt nemo eis inuideat, quoniam ſunt miſerabiles potius, quàm inuidioſi. Aliis igitur inuident: eis nemo inuidet, quia ſunt egentes, inopes, & miſeri. Inuidia cadit in res ſecundas, ac florenteis: miſericordia in aduerſas, calamitoſas, atque afflictas. Ex quo Pindarus. εἰδ. α. Pith. cecinit, inuidia miſericordia eſſe meliorem. ἀλλ' ὅμως, inquit ille, κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. &
C Herodotus in Thalia, σὺ δὲ μαθὼν, inquit, ὅσῳ φθονέεσθαι κρέσσόν ἐστιν, ἢ οἰκτείρεσθαι, ἅμα τε ὁκοιόν τι ἐς τοὺς τοκῆας, καὶ ἐς τοὺς κρέσσονας, τεθυμῶσθαι, ἄπιθι ἐς τὰ οἰκία, id eſt, tu autem vbi didiceris quanto præſtet inuidioſum eſſe, quàm miſerabilē, & ſimul quale ſit parentibus, & melioribus ſuccenſere, abi domum. Sic iterum Plautus in Bacchid. *Qui inuident, ne vnquam eorū quiſquam inuideat prorſus commodis.* Idem in Trucul. *Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis. Nam inuidere alij bene eſſe, tibi malè eſſe, miſeria eſt. Qui inuidēt, egent. illi, quibus inuidetur, rem habent.* Sed hac de re plura in comment. Horat. ad illum locum Sat. 3. lib. 2. ſer. *Inuidiam placare paras virtute relicta.* PERQVÀM MEDITATÈ T.] perquàm accuratè, atque exactè noſti. INVENIVNT] conſequuntur. NVLLI AMICI SVNT, &c.] nulli, id eſt, nemini amici ſunt: ipſi omneis, &c. vel, *nulli*, accipe, vt ſit numeri multitudinis, recti caſus, hac ſentētia, nulli ſunt eis amici, ipſi omneis habent ſibi inimicos, ſed prior explicatio videtur eſſe probabilior. ATQVE II CVM SE FRVSTRANT, &c.] id eſt, atque ij eo ipſo tempore, quo tempore ſe fruſtrātur, & fallunt, ita ſtolidi ſunt, vt ſe alios fallere, & fruſtrari putent. non fallunt alios, vt exiſtimant, ſed ipſi ſe fallunt. QVEM ESSE AMICVM RATVS SVM, ATQVE IPSE. &c.] quem putaui mihi æquè amicum eſſe, atque ipſe ſum mihi. ſignificat obſcurè Piſtoclerum. ILLE
D QVOD IN SE FVIT, &c.] ille, inquam, quantum in ipſo fuit, accuratum habuit, id eſt, accuratum reddidit, accurauit, ſeu curam in id contulit, vt quidquid poſſet mihi mali facere, faceret. ET IN ME INCONCILIARE OMNEIS COP. M.] atque vt copias omneis meas à me auerteret, & in meipſum incitaret, vt copias omneis meas à me alienaret, & in me conuerteret. Feſtus, *Inconciliaſti, comparaſti, commendaſti, vel, vt antiqui. per dolum decepiſti.* Ego inconciliare, puto hîc valere, irritare, incitare in alterum, inimicum reddere, &, vt loquitur Horatius, inimicare. Et ita in Moſtell. *Ne inconciliare quid nos porrò poſtules.* BENEVOLENS VIVIT TIBI] beneuolus viuit tibi. ſignificat obſcurè eum ipſum eſſe Piſtoclerum. TECVM ORAREM] tecum agerem, te orarem. DIC MODÒ HOMIMEM. QVI SIT] dic modò, quis homo ſit. VIDEO NON POTESSE, QVIN, &c.] video me non poſſe aliter facere, quàm vt tibi eius nomen eloquar. video me non poſſe effugere, quin tibi eius nomen edam. MISÍNE EGO AD TE EX EPHESO, EPISTOLAM SVP. &c.] id eſt, nónne ego miſi ad te epiſtolam Epheſo de amica Bacchide, vt eam mihi inuenires? ſic loquuntur boni ſcriptores, Miſíne, fecíne, & ſimilia. pro nónne miſi, nónne feci? OCCIPERES TV TE AMARE, ET ME IRES CONSVLTVM MALÈ?] tu ipſe autem eam amare inciperes, & mihi malè conſuleres? id eſt, & mihi obeſſes, atque iniuriam faceres? Videtur autem legendum quamuis aliter edendum

ff

curarim, *& me ires conſultum malè?* non,vt habẽt lib. manuſcr.& vulg. *& me ires conſ. m.* Præterea A legendum,*Occiperes eam tute amare*,&c. alioqui verſus claudicabit. nam ceteri libri non habẽt *eam* quę vox vnius hîc ſyllabæ eſt,χαλὰ συνίζησιν. Quod ſi quis lectionẽ receptã tueri volet,*Occiperes tute amare*, admittendus erit hiatus in,*te amare*,vt,*te ama-* ſit anapæſtus,& infrà eodẽ verſu,pro *me*, aut *mi ires conſultũ malè*.legendum erit,*mihi ires conſultum malè*.vel iterum recipiendus hiatus in,*& me ires*.& *me* accipiendum pro *mihi*.vt teſte Feſto, loquebantur antiqui. ETIÁMNE VLTRO TVIS ME PROIECT. P.?]etiámne me,nulla laceſſitus à me iniuria tuis probris inſectaris,& cõculcas?quidam libri habẽt *prolectas*,fortaſſe rectius. vt prolectas, interpretemur,prouocas, laceſſis? hoc modo,etiámne me vltro,id eſt,prior,ὑπάρχων,non laceſſitus tuis cõtumeliis laceſſis, & prouocas? SI PERGIS PARVM MIHI F. ARB.]ſi pergis arbitrari parum mihi fidem eſſe habendam.Sic videtur hic verſus explicandus,vt ſubintelligatur habendam eſſe.Nonnulli legunt *fidei*,& ſic explicãt, Poſtremò ſi pergis mihi parum fidei arbitrarier,id eſt,adiudicare, & tanquã arbiter, tribuere. Alij ſic, poſtremò ſi pergis parum mi fidei eſſe arbitrarier.id eſt, poſtremò ſi pergis arbitrari me parũ fidũ eſſe.&c.TOLL. EGO TED IN C.]ego te collo tollã.

## PARASITVS, PVER.

PArasitus ego ſum nequam hominis atque improbi B
Militi',qui amicam ſecum auexit ex Samo.
Nunc me ire iuſſit ad eam,& percontarier,
Vtrùm aurum reddat,ánne eat ſecum ſimul.
Tu qui dudum puer cum illa vſque iſti ſimul,
Quæ harum ſunt ædes,pulta:adi actutum ad fores,
Recede hinc dierecte.vt pulſat propudium!
Comeſſe panem tris pedes latum potes,
Fores pultare neſcis.ecquis in ædibus eſt?
Heus ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit hoſtium?
Ecquis exit?

AMICAM]vnam ex Bacchidibus,quam amat Piſtoclerus:vnde nata Mneſilochi in eũ ſuſpicio. TV QVI DVDVM P.&c.]Sic legendũ cenſet Camerar.& rectè.nam libri vulg. ſic habent, *I tu puer,qui dudum cum illa vſq. iſti ſ.* quæ lectio ſuppoſita, & adulterina eſt. manuſcr. autẽ ſic,*Tu dudum puer cũ illa vſq.iuiſti ſimul*.planè mẽdoſè. QVÆ H. SVNT ÆDES, P.]ex his ædibus, eas,quæ ſunt Bacchidis,ædes pulſa.RECEDE HINC DIER.]retrocede ab hoc loco, dierecte.puerum iubet hinc recedere,quia lenius,& placidius foreis pulſauerat.Dierectũ appellat per contumeliam,id eſt,ſub dio erectum,& ſublimem expoſitũ,ac ſuſpenſum. VT PVLT. PROPVDIVM!]quàm remiſſè,& languidè pultat foreis puer impudicus,& propudioſus? Feſtus, propudium,inquit,quaſi porrò pudendum.quidam propudium dici putant,à quo pudor, & pudicitia procul abſint. COMESSE PAV. TR. P. L. P.] ſtrenuus es ad comedendum:panem comeſſe trium pedũ latitudine potes:foreis pulſare neſcis. hyperbole eſt.ſignificat puerũ edacem,molliter,& languidè foreis putare.Itaque accedit ipſe ad foreis, & eas validè pulſat. C

## PISTOCLERVS, PARASITVS.

D

QVid iſtuc?quæ iſtæc eſt pulſatio?
Quæ te mala crux agitat,ad iſtunc qui modum
Vireis tuas alieno extentes oſtio?
Fores penè effregiſti,quid nunc vis tibi?
PA. Adoleſcens ſalue. PI. ſalue.ſed quem quæritas?
PA. Bacchidem. PI. vtram ergo? PA. nihil ſcio,niſi Bacchidem.
Paucis me miſit miles ad eam Cleomachus,
Vel vt ducentos Philippos reddat aureos,
Vel vt hinc in Elatiam hodie eat ſecum ſimul.
PI. Non it:negato eſſe ituram.abi & renuntia.
Alium illa amat,non illum. duc te ab ædibus.

Nimis



A PA. Nimis iracundè. PI. at ſcin' quàm iracundus ſiem?
Næ tibi hercle haud longè eſt os ab infortunio,
Ita dentifrangibula hæc meis manibus geſtiunt.
PA. Cum ego huius verba interpretor,mihi cautio eſt,
Ne nucifrangibula excuſſit ex malis meis.
Tuo ego iſtæc igitur dicam illi periculo.
PI. Quid ais tu? PA. ego iſtuc illi dicam. PI. dic mihi
Quis tu es? PA. illius ſum integumentum corporis.
PI. Nequam eſſe oportet,cui tu integumentum improbum es.
PA. Sufflatus ille huc veniet. PI. diruptum velim.
PA. Num quid vis? PI. abeas celeriter,facto eſt opus.
B PA. Vale dentifrangibule. PI. & tu integumentum vale.
In eum num hæc res venit locum,vt quid conſilij
Dem meo ſodali ſuper amica,neſciam,
Qui iratus renumerauit omne aurum patri,
Neque nummus vllu'ſt qui reddatur militi.
Sed huc concedam. nam concrepuerunt fores.
Mneſilochus eccum mœſtus progreditur foras.

AD ISTVM QVI MODVM AL. V. T. Q. EXT. OST.]qui iſto modo vireis tuas expromas,& contendas, ſeu experiaris alieno oſtio?extentes ab extento,as.extento autem frequentatiuũ ab extendo.Alij volunt eſſe compoſitũ ex præpoſitione *ex*,& verbo *tento,as*,quod frequẽtatiuum eſt à verbo *teneo*.ego à verbo tẽdo,is,potius deriuari arbitror.Nõ me præterit tamen nõnullos legere *oſtẽtes*.ego nihil muto.ET IN ELAT.&c]Stephanus de vrbib.Ἐλάτεια,
C inquit, πόλις μεγίστη φωκίδος, ἀπὸ Ἐλάτου, ἔστι δὲ καὶ θετταλίας, &c.id eſt. Elatia, vrbs eſt maxima Phocidis ab Elato.Eſt autẽ & Theſſaliæ,&c. DVC TE AB ÆDIB.]aufer te ab ædib. Sic loquitur C.Aſinius Pollio epiſt.ad Cicer.lib.10.*Duxit ſe à Gadibus,& triduum tempeſtatibus retentus ad Calpen Kalendis Iun.traiecit ſe in regnum Bogudis*.& Terẽt.Hecyra. *vxor,vbi me ad filiã ire ſenſit, ſe duxit foras.* HAVD LONGÈ EST OS AB INF.]os,id eſt,facies.minatur ſe ei faciem, ſeu os pugnis percuſſurũ.denteíſq.labefactaturum,& confracturũ. ITA DENT. H.&c.]pugnos ſuos dentifrangibula appellat,quòd eis denteis frangat, ſi quem pugnis percutiat. hi pugni, inquit,quibus denteis frãgere,vel ſoleo,vel poſſum,geſtiunt tibi dẽteis cõminuere,& cõfringere. MIHI CAVTIO EST,NE NVCIFR. EXC.&c.]id eſt,mihi cauendũ eſt,ne hic mihi denteis ex ore excuſſerit, ſeu excutiat.locus Plautinus.Quemadmodum autem Piſtoclerus pugnos ſuos dentifrangibula nominauit,ita & paraſitus denteis nucifrangibula appellat,quòd his frangantur nuces *excuſſit*.hoc eſt,excuſſerit,vt apud eundem reconciliaſſo,oraſſo, & ſimilia, pro reconciliaro,orauero,& ſimilia.ILLIVS SVM INTEGVM. C.]ego ſum illius σωματοφύλαξ ſeu δορυφόρος,cuſtos & ſtipator corporis,ſatelles. NEQVAM ESSE OP. CVI TV,&c.]Ne-
D quam,hoc eſt,improbus ſit oportet is,cui tu es integumentũ improbũ.integumentũ enim debet ei,quod te igitur,conuenire,& conſentaneum eſſe:neque par eſt rei pretioſæ integumẽtum vile,& nullius pretij accommodare.ſecutus ſum autem libros vulgatos,& editionem Camerar. Nam noſtri libri manuſcr.aliquot in his Pithoeanus,& tres Clericani,& alij duo habẽt.*Nequam eſſe oportet ſcutum integumentũ improbum'ſt*. quomodo Turneb.in aliquo ſcriptum reperiſſe arbitror, quamuis id non ſcribat,ſed hoc tantũ,ſe ita emendare.ex quo apparet,eum coniectura ductum ſic reſtituiſſe,quod non eſt incredibile.Erat enim homo valde ingenioſus, & εὔστοχος. Is igitur lib.24.Aduerſ.cap.xj. ſcribit ſe ſic emẽdare.addit hanc rationem.Nam operimenta ſcutorũ, inquit,integumẽta,& tegmenta vocabantur.Deinde profert hęc verba ex lib.2.Cæſ.de bell.Gall. *temporis tanta fuit exiguitas,hoſtiumq́; tam paratus ad dimicandũ animus,vt non modò ad inſignia accõmodanda,ſed etiam ad galeas induendas,ſcutiſq.tegmenta detrahenda tempus defuerit*.Hæc ille,Ego lectionẽ receptam ferri poſſe puto,ſed ita vt antiquã magis probem.Neq.tamen celabo lectorem,hanc quoque,quã ſecuti ſumus,reperiri in nonnullis lib.manuſcr.Et credibile eſt,Camerar. qui ſic edidit, eam etiam in ſuis reperiſſe.alioqui non ita edidiſſet.Scripturæ autem antiquæ eadem ſententia eſt,ac receptæ.Vtraq. enim hoc ſignificatur,militem dominum eſſe nequam, qui vtatur tali miniſtro,hoc eſt,improbo. SVFFLATVS ILLE HVC VENIET]veniet ille huc iratus,iracundia turgidus. ſuprà in Caſina. *Neſcio quid ſe ſufflauit vxori ſuæ.* DIRVPTVM VELIM] facetum, & aptum reſponſum. Nam quæ ſufflantur, ſeu inflantur, interdum rumpuntur, ſeu dirumpuntur. Horatius Satyra 3.libr. 2. in extremis. *Cùm magis, atque ſe magis inflaret. non ſi*

ſſ ij

*te ruperis*, inquit, *par eris*. NVM QVID VIS?] ſermo abeũtis. DENTIFRANGIBVLE] qui dẽteis hominib. frãgis. IN EVM NVM H. V. R. L.] num, pro, nũc. vt him, pro, hinc. illim, pro, illinc. A

## MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

PEtulans, proteruo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modeſtia ſum, ſine bono iure atque honore,
Incredibilis, impóſque animi, inamabilis, illepidus viuo,
Maleuolente ingenio natus. poſtremò id mihi eſt, quod nolo
Ego eſſe aliis. credibile hoc eſt: nequior nemo eſt, neq. indignior,
Quoi dij benefaciant, neq. quẽ quiſquã homo aut amet, aut adeat.
Inimicos quàm amicos æquum eſt me habere malos quàm bonos
Par magis me iuuare. omnibus probris, quæ improbris viris
Digna ſunt, dignior eſt homo nullus: qui patri reddidi B
Omne aurũ amãs, quod fuit prę manib. Súmne ego homo miſer? *
Súmne ego nullius pretij? Perdidi me, atque óperam Chryſali.
PI. Cõſolãdus hic mihi eſt. ibo ad eũ. Mneſiloche quid fit? MN. perij.
PI. Dij melius faciant. MN. perij. PI. non taces inſipiens? MN. taceã?
PI. Sanus ſatis non es. MN. perij. multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eueniunt. Criminín' me habuiſſe fidem?
Immeritò tibi iratus fui. PI. eia bonum habe animum.
MN. Vnde habeam? mortuus pluris pretii'ſt quàm ego ſum. PI. militis
Paraſitus modò venerat, aurum petere: hinc eum ego meis
Dictis malis, his foribus atque hac repuli, reieci hominem.
MN. Quid mihi id prodeſt? quid faciam? nihil habeo miſer. ille quidem C
Hanc abducet ſcio. PI. ſi mihi ſit, non pollicear. MN. ſcio dares,
Noui. ſed niſi ames, non habeam tibi fidem tantam.
Nunc agitas ſat tute tuarum rerum egóne vt opem mihi
Ferre putẽ poſſe inopẽ te? PI. tace modò, deus reſpiciet nos aliquis.
MN. Nugæ. PI. mane. MN. quid eſt? PI. tuã copiã eccũ Chryſalũ video.

PETVLANS,] petulãtes, vt & petulci, dicti ſunt à petẽdo. PROTERVO,] proterui propriè dicuntur ſalaces, & libidinoſi, qui toto impetu ad voluptatẽ fruendã feruntur. quia ita tales ſunt celeres, acres, rapidi, & vehemẽtes. Horat. per tranſlationẽ ventos appellat proteruos, oda 26. lib. 1. *& proteruum Africum*, oda 16. Epodôn. INCOGITATO,] incõſiderato, ſed legẽdum fortaſſis eſt *incogitabili*, vt ſit verſus tetrameter, acatalectus. incogitabili autem, id eſt, cogitationis experte. actiuè. SINE M.] immoderatus, intemperans, ἄμετρος, ἄκοσμος. SINE BONO IVRE] ius bonũ, eſt æquum & bonũ: τὸ ἐπιεικές. INCREDIBILIS] id eſt, incredulus, quod valet, qui nemini credo: vel dic incredibilis, id eſt, qui à nemine credi debeo: cui nemo credere debet. indignus, cui quiſquã credat. IMPÓSQ. ANIMI] id eſt, impotẽs, & qui mihi imperare non poſſum: qui animo meo, id eſt, animi mei perturbationi moderari nequeo. INAMABIL.] odioſus, ſeu odio dignus, inſuauis, atque acerbus. MALEVOL. ING. N.] id eſt, maleuolo ingenio natus. Quidã legi volunt, *maleuolente Genio natus*: id eſt, irato genio natus. in his Simeo Boſius: vt Horat. dixit, *dijs iratis natus*. Sat. 3. lib. 2. & Sat. 7. eiuſdẽ lib. & Sat. 5. lib. 1. Ego quamuis nullius ingenioſi hominis coniecturam damnem, aut refellam, & ita eſſe impreſſum in libris vulg. ſciam, tamen nihil muto. Primùm quòd omnes manuſc. habeãt, *ingenio*, deinde quòd Plautus mihi videtur, ſi hanc ſententiã expromere voluiſſet, nõ fuiſſet ita loquuturus, *maleuolẽte genio natus*, *ſed irato, aut iniquo genio natus*. huc accedit, quod videtur potius hanc ſententiam exprimere voluiſſe, quàm verba ſignificant, ac declarant maleuolo, & improbo ingenio natus. Iam beneuolẽs & maleuolẽs vſurpari à Plauto, pro beneuolus & maleuolus, cõſtat. POSTREMÒ, ID MIHI EST, QVOD NOLO EGO ESSE AL.] Poſtremò talis ſum, qualeis alios eſſe nolo, iners, ignauus, infidus, maleuolus, inhumanus, &c. INIMICOS, QVÀM AMICOS, ÆQ. EST M. H.] ſubintellige, magis: vel ſume ἀπὸ κοινοῦ inferne. QVI PATRI REDDIDI OMNE, &c.] Sic hos verſus diſtinxi, vt ſint trochaïci. quod autem, *præ manibus*, & *amens*, edidi, non *præ manu*, & *amans*, in eo ſecutus ſum libros vulgatos, à quibus tamen non



A non diſcrepant nõnulli manuſcr. PRÆ MANIB.] vt verſus ſuis numeris conſtet, ſic legendũ, non, *præ manu*. quamquã ſic habent pleriq. manuſcr. SÚMNE EGO HOMO MISER?] id eſt, nónne ego ſum homo miſer? *an*, & *ne*, millies diximus, interrogando affirmationem ſignificare, ſeu reſponſionem aientẽ poſtulare. SÚMNE EGO NVLLIVS PRETII?] nónne ego ſum homo nullius pretij? Hoc autem dimidium verſus adſcriptum reperi ad oram libri N. Clerici. sítne τοῦ ποιητοῦ, quærere aliquis & dubitare poſſit, ego nihil affirmo. hoc tantum dico ſententiæ mirè conuenire, & præterea verſus imperfecti ſupplementum eſſe valde accommodatum. Fit enim iam verſus integer trochaïcus. CRIMININ' ME HAB. FIDEM?] æquúmne fuit, oportuítne, me criminationi Lydi aduerſus te habere fidem? itáne leuis, & credulus eſſe debui, vt Lydo, te criminanti, crediderim? VNDE HABEAM?] bonum animum. ſubintell. MORTVVS PLVRIS PRETII'ST, QVÀM EGO SVM] hyperbole. mortuus, id eſt, νεκρὸς, nullius pretij eſt. Itaque foras effertur, & vel terræ mandatur, vel comburitur. DICTIS MALIS] verbis non blandis, ſed minacibus, & aſperis. maledictis. SI MIHI SIT, NON POLLICEAR] ſiquid mihi ſit, non pollicear, neque exſpectem, dum roger, ſed vltro dem. SED NISI AMES, NON HAB. T. F. T.] id eſt, ſed niſi ames, vt ego amo, non credã tibi iſtuc, quod dicis, te, ſi habeas, mihi eſſe daturum. nunc autem, quia amas alteram Bacchidem, facilè
B credo tibi, te nihil habere, quod mihi dare poſſis: nam qui amant, ferè nudi ſunt, inanes, atque inopes, neque quidquam habent, quod alteri dent. quòd ſi quid habent, ſibi habẽt, non alteri. NVNC AGITAS SAT TVTE F. R.] id eſt, nũc tute tuarum rerum ſatagis. nunc res tuas procuras. nunc de tuis reb. laboras. EGÓNE VT OPEM MIHI F. P. &c.] fieríne poteſt, vt putem te, qui inops es, mihi opem ferre poſſe? egóne animum inducere poſſum, vt putem te inopem mihi opem ferre poſſe? DEVS RESPICIET N. AL.] al. ſuprà in Captiu. *Reſpice. ERG. fortuna, quod tibi nec faciet, nec facit, Hoc me iubes.* ad quem locum quæ de hoc verbo notata ſunt, legas licet. TVAM COPIAM ECC. CHRYS.] tuam copiam Chryſalũ, χαλὰ συώθεσιν, id eſt, Chryſalum, qui tibi rerum omnium, quibus eges, copiam ſuppeditat.

## CHRYSALVS ſeruus. MNESILOCHVS. PISTOCLERVS. adoleſcens.

HVnc hominem decet auro expendi, huic decet ſtatuam ſtatui ex auro.
C Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus ſpoliis ſum affectus.
Herum maiorem meũ, vt ego hodie luſi lepidè? vt ludificatus eſt?
Callidum ſenem callidis dolis compuli, & perpuli, mihi omnia vt crederet.
Nũc amãti hero, filio ſenis, quicum ego bibo, quicũ edo, & amo,
Regias copias, aureáſque obtuli, vt domo ſumeret, neu foris quæreret.
Non mihi iſti placent Parmenones, Syri, qui duas aut treis minas
Auferũt heris. nequius nihil eſt, quàm egẽs cõſilij ſeruus, niſi habet
Multipatens pectus, vbicumque vſus ſiet, pectore expromat ſuo.
D Nullus frugi eſſe poteſt homo, niſi qui & bene & malefacere tenet.
Improbis cũ improbus ſit, harpaget: furibus furetur quod queat.
Verſipellem frugi conuenit eſſe hominem, pectus cui ſapit.
Bonus ſit bonis, malus ſit malis. vtcunq; res ſit, ita animũ habeat.
Sed lubèt ſcire, quãtum aurum herus ſibi demſit, & quid ſuo reddidit patri.
Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre, decumam partem ei
Dedit, ſibi nouem abſtulit. ſed quem quæro optimè ecce obuiam
Mihi eſt. numqui nummi exciderunt here tibi, quod ſic terram
Obtuere? quid vos mœſtos tam triſtéſque eſſe conſpicor?
Non placet, nec eſt temerè etiam. quin mihi reſpondetis?
MN. Chryſale óccidi. CH. fortaſſis tu auri demſiſti parum.

MN. Qui, malùm, parum? immò verò nimio minus multo parum. A
CH. Quid igitur ſtulte? quoniam occaſio ad eam rem fuit,
Mea virtute parta, vt, quantum velles, tantum ſumeres,
Sic hoc digitulis duobus ſumebas primoribus?
An neſciebas, quam eiuſmodi homini raró tempus ſe daret?
MN. Erras. CH. at quidẽ tute errasti, cùm parum immerſiſti ampliter.
MN. Pol tu quàm nunc me accuſes magis, ſi magis rem noueris.
CH. Occidi. animus iam iſtoc dicto plus præſagitur mali.
MN. Perij. CH. quid ita? MN. quia patri omne cum ramẽto reddidi.
CH. Reddidiſti? MN. reddidi. CH. omnéne? MN. oppidò. CH. occiſi ſumus.
Quî in mentem venit tibi iſtuc facinus facere, tam malum? B
MN. Bacchidem, atque hunc ſuſpicabar propter crimen Chryſale,
Mi malè conſuluiſſe. ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. CH. quid, vbi reddebas aurum, dixiſti patri?
MN. Id aurum accepiſſe extemplò ab hoſpite Archidemide. CH. hem
Iſtoc dicto dediſti hodie in cruciatum Chryſalum:
Nam vbi me aſpiciet, ad carnificem rapiet continuò ſenex.
MN. Ego patrem exoraui. CH. nempe ergo hoc vt faceret, quod loquor?
MN. Imò tibi ne noceat, neu quid ob eam rem ſuccenſeat.
Atque ægrè impetraui. nunc hoc tibi curandum eſt Chryſale.
CH. Quid vis curem? MN. vt ad ſenem etiam alteram facias viam. C
Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Vt ſenem hodie doctum doctè fallas, aurúmque auferas.
CH. Vix videtur fieri poſſe. MN. perge, ac facilè hæc feceris.
CH. Quàm malum, facilè? quem mendacij prehẽdit manifeſtò modo.
Quem ſi orem, vt mihi nihil credat, id non auſit credere.
MN. Immò ſi audias, quæ dicta dixit me aduerſum tibi.
CH. Quid dixit? MN. ſi tu illum ſolem, ſibi ſolem eſſe dixeris,
Se illum lunam credere eſſe, & noctem qui nunc eſt dies.
CH. Emungam hercle hominẽ probè hodie, ne id nequidquã dixerit.
MN. Nunc quid nos vis facere? CH. enim nihil, niſi vt ametis impero. D
Cæterum quantumlibet me poſcitote aurum, ego dabo,
Quid mihi réfert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo?
Sed nunc quantulum vſu'ſt auri tibi Mneſiloche? dic mihi.
MN. Militi nummis ducentis iam vſus eſt pro Bacchide.
CH. Ego dabo. MN. tum nobis opus eſt ſumtu. CH. ah, placidè volo
Vnumquidque agamus: hoc vbi egero, tum iſtuc agam.
De ducentis nummis primùm intendam balliſtam in ſenem.
Ea balliſta ſi peruortam turrim, & propugnacula.
Recta porta inuadam extemplò in oppidum antiquum & vetus:
Si id capſo, geritote amicis veſtris aurum corbibus,
Si cui animus ſperat. PI. apud te eſt animus noſter Chryſale.





A CH. Nunc tu abi intrò Piſtoclere ad Bacchidem, atque effer citò.
PI. Quid? CH. ſtilum, ceram, & tabellas, & linum. PI. iam fa-xo hic erunt.
MN. Quid nunc es facturus? id mihi dice. CH. coctum eſt prandium.
Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MN. Sicut dicis. CH. Piſtoclero nulla amica eſt. MN. immò adeſt.
Alteram ille amat ſororem, ego alteram, ambas Bacchides.
CH. Quid tu loqueris? MN. hoc vt futuri ſumus. CH. vbi eſt biclinium
B Vobis ſtratum? MN. cur id exquiris? CH. res ita eſt, dici volo.
Neſcis quid ego acturus ſim, neque facinus quantum exordiar.
MN. Cedò manum, ac ſubſequere propius me ad fores. intrò inſpice.
CH. Euax, nimis bellus, atque vt eſſe maximè optabam, locus
PI. Quæ imperauiſti, imperatum bene bonis factum illicò eſt.
CH. Quid parauiſti? PI. quæ parare tu iuſſiſti omnia.
CH. Cape ſtilum properè, & tabellas tu has tibi. MN. quid poſtea?
CH. Quod iubebo, ſcribito iſtic. nam propterea te volo
Scribere, vt pater cognoſcat litteras, quando legat.
C Scribe. MN. quid ſcribam? CH. ſalutem tuo patri verbis tuis.
PI. Quid ſi potiùs morbum & mortem ſcribat? id erit rectius.
MN. Ne interturba. iam imperatum in cera ineſt. CH. dic quemadmodum?
MN. Mneſilochus ſalutem dicit ſuo patri. CH. adſcribe hoc citò.
Chryſalus mihi vſquequaque loquitur. nec rectè, pater,
Quia tibi aurum reddidi, & quia non te defraudauerim.
PI. Mane dum ſcribit. CH. celerem oportet eſſe amatoris manum
PI. Atque idem hercle eſt, ad perdundum magis, quàm ad ſcribendum citus.
D MN. Loquere, hoc ſcriptum eſt. CH. nunc pater mi, proin tu ab eo vt caueas tibi,
Sycophantias componit, aurum vt abs ted auferat,
Et profectò ſe ablaturum dixit. planè aſcribito.
MN. Dic modò. CH. atque id pollicetur ſe daturum aurum mihi,
Quod dem ſcortis, quódque in luſtris comedim, & congræcem pater.
Sed pater mi, ne tibi hodie verba det, quæſo caue.
MN. Loquere porrò. CH. aſcribe dum. MN. etiam loquere quid ſcribam modò.
CH. Sed pater, quod promiſiſti mihi, id quæſo vt memineris,
Ne illum verberes, verùm apud te vinctum aſſeruato domi.

Cedò tu ceram ac linum actutum.age obliga,obſigna citò. A
MN. Obſecro quid iſtis ad iſtunc vſu'ſt conſcriptis modum?
Vt tibi ne quid credat,atque vt vinctum te aſſeruet domi?
CH. Quia mihi ita lubet.potin' vt cures te,atque ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi,& meo periculo rem gero.
MN. Æquum dicis. CH. cedò tabellas. MN. accipe. CH. animum aduortite
Mneſiloche,& tu Piſtoclere,iam facite in biclinio
Cum amica ſua vterque accubitum eatis.ita negotium eſt.
Atque ibidem vbi nunc ſunt lecti ſtrati,potetis citò.
PI. Numquid aliud? CH. hoc, atque etiam vbi erit accubitum ſemel,
Ne quoquam exſurgatis,donec à me erit ſignum datum. B
PI. O imperatorem probum.iam bis bibiſſe oportuit.
MN. Fugiamus. CH. voſtrum curate efficium, ego officiam meum.

HVNC HOMINEM,&c.] Chryſalus,nondum cognito Mneſilocho,pecuniam omnem, quam,eius opera penes ſe habebat,patri ſeni renumeraſſe,gaudio triumphat,& de ſe multa glorioſè prædicat. AVRO EXPENDI] auro liberari. Alij,cum auro comparari.auro contrà ponderari. STATVAM STATVI EX AVRO.] ſtatuam auream poni. VT LVDIFICATVS EST?] παθήλικῶς Ludificatus eſt?id eſt,deluſus ac deceptus eſt?ET PERPVLI,] plus eſt *perpuli*,quàm compuli.VT DOMO SVMERET, NEV FORIS QVÆRERET,] vt domo promeret tantum auri,quantum vellet, neque cuiquam ſupplicare, & aliunde petere neceſſe haberet.ſuprà in Aſinaria.*Habeo,opinor,familiare tergum,ne quæram foris.* Idem in Mil. glor. *Nam ego quidem meos oculos habeo,nec rogo,vtendos foris.* Catull.ad Ianuam. *Ne quærendum aliunde foret neruoſius illud,*&c. NEQVIVS NIHIL EST,] inutilius,ſeu improbius nihil eſt, &c. MVLTIPATENS PECTVS] pectus amplum,& capax, & omni genere fallaciarum, ac dolorum referto. VBICVMQVE VSVS SIET,&c.] lego,vt,*vbicunque vſus ſiet*,&c.vel ſic vt,*quodcumque vſus ſiet*,&c.quod poſteriùs malim. TENET.]ſcit,callet. IMPROBIS CVM IMPROB. SIT:] cum improbis ſit improbus: HARPAGET:] rapiat: harpagare, verbum opinor, à Plauto nouatũ,ex Græco verbo ἁρπάζω vel ex nomine item Græco,ἅρπαξ γος:vel ex nomine Latinis vſitato & vſucapto,harpago,nis. VERSIPELLEM] verſutum,vafrum,ingenio multiplici,Protea, Polypum, πολύτροπον.propriè vſurpauit ſuprà in Amphitr. *Ita verſipellem ſe facit,quando lubet.* PECTVS CVI SAPIT.] cuius in pectore inſit ſapientia:qui ſapiat:qui cordatus ſit.Sic loquitur in Trin.*Haben' tu amicum,aut familiarem quempiam,cui pectus ſapiat?* VTCVNQVE RES SIT, ITA ANIMVM HABEAT] animum habeat fortunæ,& cũctis aptum, atque habilem.Polypi mentem obtineat. DEMSIT] detraxit, decerpſit. Demere, eſt de toto auferre:adimere,eſt totum auferre: vt alibi docuimus, quod iſti Ludimagiſtri tamen, & nonnulli magnos ſpiritus gerentes ludimagiſtris deteriores, neque inducere animum poſſunt, neque diſcere volunt.quamquam hoc leue eſt:alia autem innumerabilia maioris ponderis ſunt, quæ iſti,tanta eſt peruerſitas,ignorare,quàm ſe aliquid neſcire confiteri,malunt. SI FRVGI EST HERCVLEM FECIT EX P. DEC. P.&c.]herculi pars decima bonorum,& prædæ dabatur.Qua de re ſic Plutarch. Ρωμαϊκοῖς. Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ πολλοὶ τῶν πλουσίων ἐδεκάτευον τὰς οὐσίας;πότερον ὅτι κἀκεῖνος ἐν Ῥώμῃ τῶν Γηρυόνος βοῶν ἀπέθυσε τὴν δεκάτην;ἢ ὅτι Ῥωμαίους ἀπὸ Τυρρηνῶν δεκατευομένους ἀπήλλαξεν;ἢ ταῦτα μὲν οὐκ ἔχει τὴν ἱστορίαν ἀξιόπιστον, ὡς δὲ ἀδηφάγῳ τινὶ τῷ Ἡρακλεῖ, καὶ εὐθοίνῳ,δαψιλῶς,καὶ ἀφθόνως ἀπέθυον;ἢ μᾶλλον ὡς ἐπαχθῆ τοῖς πολίταις τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον κολούοντες,καὶ καθάπερ εὐεξίας ἐπ' ἄκρον εὐσωματούσης ἀφαιροῦντες, ᾤοντο μάλιστα τιμᾶσθαι τὸν Ἡρακλέα, καὶ χαίρειν ταῖς τοιαύταις ἀπορρήσεσι, al. ἀποκρίσεσι,καὶ συστολαῖς τῶν περιττῶν;id eſt,quamobrem Herculi multi ex diuitibus decimas ſuarum facultatum dabant? vtrum quod etiam ille Romæ Geryonis boum partem decimam immolauit?an quòd Romanos decimarum, quas Tyrrhenis ſoluebant, penſione liberauit? an hæc quidem non continẽt hiſtoriam fide dignam, Herculi autem, vt edaci cuidam, & opiparè epulari ſolito,opiparè & copioſè ſacrificabant?an potiùs, quòd diuitias immoderatas, vt ciuibus graueis,minuentes,& curtantes,& de conſtitutione corporis habitiore,atque ad ſummum faſtigium progreſſa dementes exiſtimabant ſe Herculem ſummo honore afficere, & eum putabant talibus abuſionibus (al. detractionibus) & contractionibus rerum ſuperuacanearum delectari.



A lectari. Et Diodorus Siculus lib.4. ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς ἀποδεξάμενος τὴν εὔνοιαν τῶν τὸ Παλάτιον οἰκούντων, προεῖπεν αὐτοῖς,ὅτι μετὰ τὴν ἑαυτοῦ μετάστασιν εἰς θεοὺς, τοῖς εὐξαμένοις ἐκδεκατεύειν Ἡρακλεῖ τὴν οὐσίαν,συμβήσεται τὸν βίον εὐδαιμονέστερον ἔχειν.ὃ καὶ συνέβη κατὰ τοὺς ὕστερον χρόνους διαμεῖναι μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων.πολλοὺς γὰρ Ῥωμαίων οὐ μόνον τῶν συμμέτρους οὐσίας κεκτημένων, ἀλλὰ καὶ τῶν μεγαλοπλούτων τινὰς, εὐξαμένους ἐκδεκατεύσειν Ἡρακλεῖ, καὶ μετὰ ταῦτα γενομένους εὐδαίμονας, ἐκδεκατεῦσαι τὰς οὐσίας ταλάντων τετρακισχιλίων. Λεύκολλος γὰρ ὁ καθ' αὑτὸν Ῥωμαίων σχεδόν τι πλουσιώτατος ὤν. &c.id eſt,Hercules igitur cùm acceptam habuiſſet eorum,qui in palatio habitabant,beneuolẽtiam,prędixit ei,fore,vt iis,qui poſtquàm in numerum deorum receptus eſſet,promitterent ſe decimam ſuorum bonorum partem Herculi ſacrificaturos,vita beatior obtingeret.quod & accidit poſterioribus temporibus,& vſque ad noſtram ætatem permanſit. Multos enim è Romanis non iis ſolùm, qui mediocreis facultates poſſident,ſed etiam nonnullis,qui valde diuites erant, cùm ſuorum bonorum Herculi decimam vouiſſent,& poſtea facti eſſent fortunati,ac beati,ſuorum bonorum quater mille talentorum decimas Herculi ſoluiſſe. Lucullus enim,qui ſuæ ætatis Romanorum ferè diuitiſſimus erat,&c.Plautus in Sticho.*Hercules decimam eſſe adauctam,tibi quam voui,gratulor.*Idem in Trucul. *Nam iam de hoc obſonio,de mina vna deminui Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculanam.*
B NVMQVI NVMMI EXCIDERVNT HERE TIBI,&c.] & qui mœrore aliquo affecti ſunt,& quibus nummi exciderunt è manibus, ij capite ſunt demiſſo, oculíſque in terram defixis.quoniam igitur Chryſalus Mneſilochum, herum ſuum minoré, videt mœſtum,triſtem, & capite demiſſo,ac deiecto,rogat eum,num qui nummi ei è manibus exciderint.Iocus Plautinus.vide ſuprà in Aſinaria.*At hercle ipſum adeò contuor:caſanti capite incedit.* ad quem locum hac de re plura. FORTASSIS TV AVRI DEMS. P.] fortaſſe tu auri parum de ea ſumma, quam attuliſti,Epheſo detraxiſti:& plus,quàm tibi expediebat, patri reddidiſti. QVI, MALÙM, PARÙM?] malùm,hoc loco aduerbium eſt, ſtomachantis.quo modo,inquit Piſtoclerus,parùm demſi?immò multo,& nimio minus, quàm parum. multo, nimio, ἐκ παραλλήλου, poſita ſunt.vel nimio plus eſt quàm multo.Horat.oda.33.lib.1.*Albi,ne doleas plus nimio memor Immitis Glyceræ.* MEA VIRTVTE PARTA]occaſio,quæ parta eſt mea virtute,id eſt,mea aſtutia,& meo conſilio. SIC HOC DIGITVLIS DVOB. SVM PRIMORIBVS?] Itáne hoc aurum,cuius tibi facta erat copia, parcè, & exiguè carpebas?Itáne paullum ſumebas? primoribus digitulis,id eſt,primis & ſummis paruis digitis.infrà in Pœnulo.*Tenetis rem.* ADV. *vix quidem hercle,ita pauxilla'ſt,digitulis primoribus.*Errat autẽ etiam nunc Chryſalus,qui putet Mneſilochum idcircò triſtem eſſe, quòd parum de auro detraxerit, cùm totum patri reddiderit.
C TEMPVS] καιρὸς,occaſio. EIVSMODI HOMINI] patri tuo,tam ad rem attento,parco,& arido. CÙM PARVM IMMERSISTI AMPLITER] cùm parum largiter manus in aurum immerſiſti,& aurum primoribus digitis duntaxat ſumſiſti. proinde ac ſi dicat, debuiſti manus tuas in aurum immergere,& ex eo,quantum tibi opus eſſet,largiter haurire,non exiguè, & ſummis primis digitulis carpere. Venit mihi hoc loco in mentem Alcmæonis illius, quem cùm Crœſus Delphis arceſſiſſet, eíque tantum auri donaſſet, quantum corpore ſemel efferre poſſet,propterea quòd Lydi,quos Delphos ad oraculum Apollinis miſerat,fuerãt ab eo comiter,& liberaliter accepti,atque adiuti:ille ad hanc donationem tale quoddam conſilium excogitauit.magnam tunicam indutus,& lato tunicæ ſinu demiſſo, & pedibus in cothurnos indutis omnium,quos reperire potuit,maximos,& ampliſſimos ad theſaurum ſe contulit, ad quem certi homines duces ei fuerunt. Cùm autem in aceruum fruſtorum, & micarum aurearum irruiſſet,primùm quidem tibiis aggeſſit auri,quantum auri cothurni capere potuerunt:deinde ſinum veſtis omnem auro impleuit, etiam capitis pilos ramentis aureis inſperſit, nonnulla in os quoque immiſit. Sic probè ornatus atque inſtructus è theſauro exiit, ægrè cothurnos tra-
D hens,& cuiuis potius quàm homini ſimilis,cuius & os auro obturatũm erat,& omnes corporis partes inſolitum tumorem præ ſe ferebant.qui à Crœſo viſus,mouit ei riſum,omníſque illo auro,quo oneratus erat,ab eo donatus eſt, multíſque aliis reb. eo non minoribus. Hæc Herodotus in Eratone non longè ab extremo, vt nos quidem Latinè conuertimus. Verba Græca petat ab autore,qui volet ab illo loco.Καὶ μιν Κροῖσος πυθόμενος τῶν Λυδῶν,τῶν ἐς τὰ χρηστήρια φοιτεόντων,ἑωυτὸν εὖ ποιεῖν.&c. QVÀM NVNC ME ACC. M.] quanto nunc me magis accuſares,ſi,&c.? OCCIDI. ANIMVS IAM ISTHOC D. PL. PRÆSAGITVR M.] perij, inquit Chryſalus,animus iam mihi ob iſtud dictum plus mali præſagit,id eſt,vt ita dicam,prædiuinat,auguratur,& præſentit.profert hunc verſum Nonius in verbo *præſagitur.* QVIA PATRI OMNE CVM RAM. REDD.]ſic ferè in Trucul.dixit,*cum puluiſculo.* ID FACINVS FACERE TAM. M.?] facinus facere, genus loquendi vſitatum bonis ſcriptoribus Latinis. conſulendus index. PROPTER CRIMEN,] propter criminationem Lydi.propter crimen ei à Lydo illatum. ME MALÈ CONSVLVISSE]mihi malè conſuluiſſe. *me*,pro.*mihi*, dicebant antiqui,inquit Feſtus. ID AVRVM ACCEP. EXTR. AB HOSP.] dixi me id aurum ab hoſpite continuò accepiſſe. Cuius contrarium dixerat Chryſalus, hoſpitem illum, depoſitum initio abiuraſſe:tantum iudicio coactum reddidiſſe:poſtremò auro inſidiatum eſſe: atque idcirco Mneſilochum filium id aurum, aut eius bonam partem apud Megabyzum, ſeu Mega-

bulum depoſuiſſe. DEDISTI HODIE IN CRVCIATVM CHRYSALVM.] dare A in cruciatum, vſitatum loquendi genus & Plauto, & M. Tullio. Sic M. Tull. pro Sexto Roſcio Amerino. *Qui vel ipſe ſeſe in cruciatum dari cuperet dum de patris morte quæreretur.* In his verbis autem, *cruciatum Chryſalum*, ineſt parechêſis, & paronomaſia. HOC VT FACERET Q. LOQ.] vt me ad carnificem raperet. ALTERAM FACIAS VIAM.] alteram viam aperias, ſeu munias. Virg. 2. Æneid. *Fit via vi: rumpunt aditus, primóſque trucidant.* CONGLVTINA] compone, & conſue dolos. QVEM MENDACII PREHENDIT MANIF. &c.] quàm, malum, facilè eſt ſenem fallere, *mihi*, ſubintell. quem ille in manifeſto mendacio deprehendit: vel dic, quem mendacij prehẽdit, id eſt, quem mendacij conuicit, ídque manifeſtò. NON AVSIT CRED.] οὐκ ἂν τολμῴη πιστεύειν. οὐκ ἂν τλαίη. οὐκ ἂν ὑπομένοι, &c. vereatur credere. ME ADVERSVM] me præſente, coram me. TIBI] abſenti. ILLVM SOLEM] illum δεικτικῶς. ſolem enim, cum hæc dicit, indicat. SE ILLVM, LVNAM ESSE CR. ET NOCT. Q. N. EST D.] ἀναλογία. ſententia autem hæc eſt: ita te mendacem, ac fallacem eſſe, & nihil veri dicere ſibi perſuaſit, vt, ſi dicas illum ſolem, qui nunc lucet, ſolem eſſe, credat illum eſſe Lunam, & ex proportione, ſeu analogia, diem, qui nunc eſt, eſſe noctem. Nam quæ proportio eſt ſolis ad Lunam, eadem proportio eſt diei ad noctem. EMVNGAM, &c.] tralatio eſt à naribus mucoſis, quæ emungendæ ſunt. ſuprà, in Epid. *Qui me emunxiſti mucidum, minimi pretij.* & infrà, hac B ead. fab. *Cano capite, atque alba barba, ſic miſerum me auro eſſe emunctum.* NE ID NEQVIDQVAM DIXERIT.] id eſt, ne id gratis, & ſine mercede, & fruſtrà dixerit. vel ſic, vt eius quod dixit, fructum, & mercedẽ ferat. vt ob id, quod dixit, plectatur. vt eius, quod dixit, pœnas luat. ENIM NIHIL, NISI VT AMETIS, IMP.] enimuerò nihil aliud impero, niſi vt amori operam detis. *enim*, initio orationis poſitum, rarum quidem, ſed tamen non inuſitatum. ſuprà in Aulul. *Enim mihi quidem æquum'ſt purpuram, atque aurum dari.* In Epidico. *Enim iſthæc captio eſt.* infrà in Mil. glor. *Enim ne nos perdiderimus vſpiam.* CETERVM,] ceteroqui. cetera. quod reliquum eſt, de reliquo. QVID MIHI REFERT CHRYSALO ESSE N. &c.] quid refert mihi eſſe nomen Chryſalo, ſeu Chryſali, niſi re & factis id doceo? proinde ac ſi dicat, non eſt ſatis, mihi nomen eſſe aureum, niſi re ſim aureus. Chryſalus ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ. hoc eſt. ab auro. vel ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, καὶ ἁλίσκειν. id eſt, ab auro, & capiendo. SED NVNC QVANTVLVM VSV'ST AVRI T.?] ſed nunc quantulum auri tibi opus eſt? ſed nunc quantulo auro tibi opus eſt? NVMMIS DVCENTIS] aureis. PLACIDÈ VOLO VNVMQ. AG.] volo vnumquidque leniter, & moderatè, ſenſim, & pedetentim, & ſine feſtinatione agamus. ſuprà, in Aſinaria. *Placidè ergo vnumquidque rogita, vt acquieſcam.* INTENDAM BALLIST. &c.] fallaciam inſtruam, C ac parabo, &c. machinam admouebo, ſeu comparabo aduerſus ſenem. allegoria eſt à re militari. ſic infrà in Pœnulo. *Cui iam infortunij balliſta intenta'ſt probè.* balliſta, militare tormentum, quo muri verberantur, & quatiuntur, à verbo βάλλω dictum. de quo legendus Vitruuius lib. x. cap. 16. & Vegetius lib. 4. cap. 22. EA BALLISTA SI PERVORT.] continuat allegoriam. peruortam autem, id eſt, percellam, deiiciam. CAPSO:] cepero. GERITOTE AMICIS N. AVR. C.] pollicetur auri magnam vim, & copiam. SI CVI ANIMVS SPERAT.] εἴ τινι ἐλπίζοι θυμός, id eſt, ſi quis ſperat. ſuprà ead. fab. *ſperat quidem animus. quò eueniat, diis in manu eſt.* STILVM, CERAM, ET TABELLAS ET LIN.] ſtilum, id eſt. γραφεῖον, quo ſcribebant in tabellis ceratis. Linum autem, quo tabellas exaratas obligabant. qua de re ſuprà. Diximus quidem nonnulla in Amphitr. ibi, *agedum: eam ſolue ciſtulam*, &c. ſed illis hæc addere libet, ex quibus magis intelligere liceat, veteres lino tabellas, & litteras, &c. quæ obſignabant, obligare conſueuiſſe. Lucianus in Timone. ἐπειδὰν τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῇ, καὶ τὸ λίνον ἐντμηθῇ, καὶ ἡ δέλτος ἀνοιχθῇ, καὶ ἀνακηρυχθῇ μου ὁ καινὸς δεσπότης, &c. id eſt, poſteaquàm autẽ ſignũ ablatum fuerit, & linum inciſum, & tabulæ apertæ, & declaratus meus nouus dominus, &c. Quintilianus libro duodecimo cap. 8. *Denique linum raptum, aut turbata cera, aut ſine agnitore ſigna* D *frequenter inuenies:* &c. Cicero Catilinar. 3. *Ac ne longum ſit, Quirites, tabellas proferri iuſſimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm oſtendimus Cethego: ſignum cognouit. nos linum incidimus.* &c. COCTVM EST PRANDIVM.] ite accubitum, omnia parata ſunt. BICLINIVM] locus, in quo ſtrati ſunt lecti duo. nomen ex voce Latina, & Græca factum. bis & κλίνη. quid ſi quis dicat legẽdum *diclinium*? ego tamen nihil muto. RES ITA EST.] ita negotium eſt. tale, quod paro, negotium eſt, vt me ſcire opus ſit. ea res, quam paro, poſtulat, vt dicatur. in Mil. glor. *tranſcurre curriculò ad nos, ita negotium eſt.* EVAX,] interiectio gaudentis. QVÆ IMPERAVISTI: IMPERATVM BENE BONIS F. ILL. EST.] mutat numerum. nam cùm illa ſuperiora, quæ imperauiſti, ſequi deberet, imperata bene bonis, facta illico ſunt: mutato numero, ſubiicit numerum ſingularem, *imperatum bene bonis, factum illico eſt.* facere imperatum autem, & facere imperata, vſitata loquendi genera ſunt bonis ſcriptoribus. ET TABELLAS TV HAS T.] & cape has tabellas tibi, tu Mneſiloche. IAM IMPERATVM IN CERA INEST.] iam ſcriptum à me eſt, quod me ſcribere in tabellis ceratis iuſſiſti. MIHI VSQVEQVAQ. LOQ. NEC RECTÈ.] mihi vſquequaque maledicit. ſuprà in Aſinaria. *Nec rectè quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum'ſt.* DEFRAVDAVERIM.] nonnulli libri veteres habent, *defrudauerim.* quod fortaſſe eſt rectius, quamquam alterum non damno. nam vtrumque eſt vſitatum, ſuprà



A ſuprà in Aſinaria. *Téne ego defrudem, cui ipſi nihil eſt in manu?* Terent. in Phor. *ſuum defrudans Genium*, &c. MANE, DVM SCRIBIT] noli tam properè dictare. plura enim vno tempore dictas, quàm vt manus ſcribentis conſequi poſſit. PROIN TV AB EO VT CAVEAS] proinde vide, vt tibi ab eo caueas. SYCOPHANTIAS COMP.] fallacias comparat. dolos conſuit, & conglutinat. ABS TED AVFERAT.] abs te auferat. PLANÈ ADSCRIBITO.] addito ad ea, quæ iam ſcripta ſunt, planè, id eſt, litteris planè ſcriptis, atque inciſis in cera. ATQVE ID POLL. SE DATVRVM AVR. M. Q. D. SC. &c.] & pollicetur ſe id aurum daturum mihi, quod ſcortis largiar. QVÓDQ. IN LVSTR. COMED.] & quod in fornicibus comedam. comedim, is, it. in coniunctiuo vſitatum bonis ſcriptoribus. Notat Nonius, & hunc verſum profert in verbo *comedim*. Notauimus in commentar. Horatian. ad illum locum oda. 3. epod. *Edit cicutis allium nocentius:* Et ad illum Sat. 8. lib. 2. *Quàm ſi cum lumbis quis edit.* Idem in Curcul. *Vt ego potiùs comedim, quàm ille.* ET CONGRÆCEM PATER] & Græcorum in morem potando, abſumam. Græci bibaces. M. Tullius lib. 1. accuſat. *Fit ſermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur. Hortatur hoſpes: poſcunt maioribus poculis.* ASCRIBE DVM.] *dum*, particula inſeparabilis, hoc loco. CEDÒ TV CERAM.] tu Piſtoclere da ceram, ac l. &c. OBLIGA.] lino. OBSIGNA CITÒ.] cera, & annulo. VSV'ST] opus eſt. VT TIBI NE

B QVID CREDAT, &c.] an eo opus eſt litteris ita ſcriptis, vt ne tibi quidquam credat, & vt te vinctum domi ſeruet? proinde ac ſi dicat, hæ litteræ ad hunc modum ſcriptæ, nullam ad aliam rem ſunt vtiles, niſi ad hanc, vt pater nihil tibi credat, & te vinctum domi cuſtodiat. POTIN' VT TE CVRES, ATQVE NE P. M.?] potéſne facere, vt te cures, me autem negligas, neque mihi parcas, aut conſulas? proinde ac ſi dicat, cura te modò, animo tuo obſequere, pota, ama, de me ne laborato: de me ſecurus eſto, neque mihi parcito, aut conſulito. MEA FIDVCIA OPVS COND. ET MEO P. R. G.] allegoria eſt, à redemtoribus ducta, qui datis ſponſoribus, & factis ſyngraphis, ſuo periculo opus aliquod faciendum conduxerunt. mea fiducia, id eſt, mea fide, & meo periculo. Fiduciam, inquit Boërius, accepiſſe dicitur, cuicumque fundus, aut ager, aut alia res aliqua ea lege emancipatur, & traditur, vt ei, qui emancipauit, aliquando remancipet, vt apud M. Tull. in orat. pro Flacco. *Pecuniam adoleſcentulo grandi fœnore, fiduciâ tamen accepta, occupauiſti. hanc fiduciam commiſſam tibi dicis: tenes hodie ac poſſides.* Auctor vocabularij Latinogręci, cuius mihi copiam olim fecit Cl. Puteanus iuriſconſultus, Fiducia, inquit, ὑποθήκη, hypotheca. Iam inter hypothecam, & pignus hoc intereſſe, quòd pignus, & pignoris poſſeſſio ad creditorem tranſit: hypotheca verò & hypothecæ poſſeſſio non tranſit, conſtat. præterea

C hypotheca ferè in re aliqua immobili conſiſtit: pignus in mobili, aut in vtraque. fiduciam igitur dicimus eſſe pignus aliquod rei immobilis, verbi gratia, prædium ea lege obligatum creditori, vt ſimul atque id, quod ei debetur, perſolutum fuerit, deſinat eſſe obligatum: quòd ſi id, quod ei debetur, ad diem dictam non perſoluatur, tum prædium fiat creditoris. quo poſito, hæc verba, *mea fiducia opus cõduxi*, ſic explico, meo periculo, & quaſi meis prædiis oppigneratis, atque obligatis rem tranſigendam, & conficiendam ſuſcepi. quam explicationem confirmat id, quod ſequitur, *meo periculo rem gero*: quæ eſt ſuperiorum verborum ἑρμηνεία, & ἐπεξήγησις. ITA NEGOTIVM'ST] negotium ita natum eſt, vt opus ſit, vos cum amicis veſtris in biclinio accubare. HOC] hoc tantum eſt, nihil aliud. DONEC À ME ERIT SIGNVM DATVM] donec ego ſignum dedero, vt exſurgatis. tralatio eſt à re militari, vt declarant ea, quæ deinceps ſequuntur. M. Tullius lib. 5. accuſationum, *& ſimul, vt ſe cæteri ſequerentur, ſignum dari iuſſit.* Virg. *Vtq; dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit.* Cæſar lib. 2. de bello Gall. *Et quia non longiùs hoſtes aberant, quàm quò telum adiici poſſet, prœlij committendi ſignum dedit.* O IMPERATOREM PROBVM] tale illud Cicero. lib. 7. epiſt. ad Treba. *Ego à Sex. Fadio Nicônis diſcipulo librum abſtuli,* Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum ſuauem.

D

## CHRYSALVS.

INſanùm magnum molior negotium,
Metuóque vt hodie poſſim emolirier.
Sed nunc truculento mihi, atque ſæuo vſus ſene eſt.
Nam non conducit nunc huic ſycophantiæ,
Senem eſſe tranquillum: qui vbi me adſpexerit.
Verſabo ego illunc hodie, ſi viuo probè.
Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum eſt cicer.
Adambulabo ad oſtium, vt, quando exeat,
Extemplò aduenienti tabellas dem in manum.

INSANVM MAGNVM MOLIOR NEGOT.]vel inſanum,magnum,diuiſim: & interpoſita diſtinctionis nota legendum,vt ſit nomen adiectiuum, & inſanum intelligamus audax,& ab inſano ſuſceptum:vel inſanùm magnum, coniunctè ſine vlla diſtinctione, vt ſit aduerbium,& interpretemur inſanùm magnum,pro valde magnum.quod magis probo.Sic enim Feſtus, inſanùm magnum, pro valde magnum,vſus eſt Plautus. quæ Feſti verba ſine dubio ad hunc Plauti locum referenda ſunt.vel ad alium,qui eſt in Moſtell.quem mox proferemus. Adiuuat hanc ſententiam etiã illud Varronis lib.6.de lingua Latina. *Apud Plautum ſi vnum epityrum edam apud illum, eſuriens inſanè bene,*&c.*Epityrum,inquit ille, vocabulum cibi, quo frequentius Sicilia, quàm Italia eſt vſa. Idem vehementer cùm vellet dicere,dixit inſanè,quòd inſani faciunt omnia vehementer.* Iterum Plautus infrà in Moſtellaria,*Inſanùm bonam.* METVÓQ. VT HODIE POSSIM EMOL.] & metuo ne hoc negotium tam magnum non poſſim etiam magno labore ſumto conficere. VSVS]opus. NAM NON CONDVCIT NVNC H. SYCOPH.] id eſt,nam non expedit,ſeu non eſt vtile.huic meæ fallaciæ,eum ſenem,quem fallere cogito, eſſe lenem ac trãquillum. QVI VBI ME ADSPEXERIT:] fortaſſe aliquid ſubintelligendum eſt, verbi gratia,me arripi,& vinciri iubeat,vt ſit ἔλλειψις: vel ἀποσιώπησις.licet etiam ita legere, & explicare,vt nihil ſubintelligatur:ſed referatur ad id,quod deinceps ſequitur,*verſabo*,&c. VERSABO EGO ILLVNC HODIE, SI V. PR.] tractabo ego illum meo arbitratu, vt coquus verſat piſceis in craticula,aut in ſartagine,ſuprà in Ciſtell.*Vt ego illum vorſarem?* videtur tractum à piſcibus,qui in ſartagine friguntur:vel ab aliis rebus,quæ friguntur.quòd ea,quæ deinceps ſequuntur,comprobant. TAM FRICTVM EGO ILL. &c.] ego eum ita verſabo,vt cicer à coquo in ſartagine verſari ſolet, dum frigitur: atque hoc pacto,reddam illum ſenem ita frictum, vt frictum cicer. vel reddam illum verſando frictum inſtar ciceris fricti. Porrò cicer frigi conſueuiſſe etiam Horatius indicat epiſt.ad Piſon. de Arte poëtica. *Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emtor,* &c.

(Margin letters: A, B)

## NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NImio illhæc res eſt magnæ diuidiæ mihi,
Subterfugiſſe ſic mihi hodie Chryſalum.
CH. Saluus ſum,iratus eſt ſenex.nunc eſt mihi C
Adeundi ad hominem tempus. NI. quis loquitur propè?
Atque hic quidem,opinor,Chryſalu'ſt. CH. acceſſero.
NI. Bone ſerue ſalue.quid fit?quàm mox nauigo
In Epheſum,vt aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces?per omneis deos adiuro,vt,ni meum
Gnatum tam amem,atque ei facta cupiam quæ is velit,
Vt tua iam virgis latera lacerentur probè,
Ferratúſque in piſtrino ætatem conteras.
Omnia reſciui ſcelera ex Mneſilocho tua.
CH. Men' criminatus eſt?optimè'ſt,ego ſum malus. D
Ego ſum ſacer,ſceleſtus,ſpecta rem modò.
Ego nec verbum faciam. NI. etiámne carnifex
Minitare? CH. noſces tu illum actutum qualis ſit.
Nunc haſce tabellas ferre me iuſſit tibi.
Orabat,vt quod iſtic eſſet ſcriptum,fieret.
NI. Cedò. CH. noſce ſignum. NI. noui,vbi ipſe eſt? CH. neſcio.
Nihil iam me oportet ſcire,oblitus ſum omnia.
Scio me eſſe ſeruum.neſcio etiam id quod ſcio.
Nunc ab traſenna hic turdus lumbricum petit,
Pendebit hodie pulcrè,ita intendi tenus
NI. Mane dum parumper,iam-iam ad te exeo Chryſale.





A CH. Vt verba mihi dat,vt neſcio quam rem gerat!
Seruos arceſſit intus,qui me vinciant.
Bene nauis agitatur,pulcrè hæc confertur ratis.
Sed conticiſcam.nam audio aperiri fores.

NIMIO ILLHÆC RES,&c.] id eſt, magnæ admodum res,illa mihi moleſtiæ eſt. vel ſic,magnum admodũ illa res mihi dolorem adfert.ſuprà in Caſina. *Nam quod tibi'ſt Ægrè, idem mihi eſt diuidiæ.* ad quem locum de hac voce plura. SVBTERFVGISSE SIC MIHI CHR.] Chryſalum ſic mihi eſſe elapſum è manibus. BONE SERVE] εἰρωνεία. QVÀM MOX NAVIGO,&c.] aliud loquitur,aliud ſentit.ſenex. ſcit enim nunc ſibi non eſſe neceſſe Epheſum nauigare,auri repetendi,ſeu recuperandi gratia:quod ei perſuaſerat Chryſalus, cùm mentiens diceret Mneſilochum eius filium totum aurum domum non attuliſſe. ADIVRO.] iuro,ſuprà in Ciſtellaria.*Séque eam peperiſſe ſanctè adiurabat mihi.* TAM AMEM,] quàm amo, ſubintellige. ATQVE EI FACTA CVPIAM Q. IS VELIT,] & niſi cupiam ei omnia euenire ex animi ſententia. VT TVA IAM VIRGIS,&c.] particula,*vt*, hîc iterata eſt,perſpicuitatis gratia,quia altera illa ſuperior nimis longè aberat. ſed videtur eſſe hoc locutionis genus inſolens, iuro,ſeu adiuro per omneis deos, ni meum, &c. vt tua latera virgis iam lacerentur probè. Videtur enim ſic potiùs loqui debuiſſe, iuro, ſeu adiuro per omneis deos, ni meum gnatum tam amem,&c. me facturum fuiſſe,vt tua iam virgis latera lacerentur probè. FERRATÚSQVE] & ferreis catenis vinctus. RESCIVI] quæ neſciebam. SCELERA] facinora impia.hyperbole. OPTIMÈ'ST EGO SVM MALVS,&c.] conceſſio ironica.SÁCER,]exſecrandus,aræ deſtinatus,deuotus, χαλδάρατος. EGO NEC VERBVM FACIAM] ego ne verbum quidem faciam. ego nihil loquar, ſed res ipſa loquetur. NOSCES TV ILLVM ACT. Q. S.] cognoſces tu,etiam me tacente, qualis ſit. CEDÒ] da tabellas,quas dicis. NOSCE SIGNVM.] ſic apud M.Tullium.Catil.3. *Primùm oſtendimus Cethego.ſignum cognouit.* NESCIO ETIAM ID, QVOD SCIO.] Sic Terent. Heautont. *Tu neſcis,quod ſcis,Dromo,ſi ſapies.*& in Eunucho.*Tu pol,ſi ſapis,quod ſcis,neſcis.* Prouerbij autem locum obtinet,neſcire quod ſcias,pro in pectore conditum ſeruare, neque vulgare,aut effutire. Alia ratione autem, & ſententia dicebant Academici noui, ſe, quod ſcirent, neſcire. ſignificabant enim,nihil ſciri poſſe, & quæ ſcirent,proinde eſſe habenda, ac ſi neſcirent. NVNC AB TRANSENNA HIC TVRD. LVMBR. P.]allegoria eſt,tracta à tendicula, qua turdi capiuntur:per quam ſignificat,iamiam ſenem ſine dubio litterarum lectione captum iri.Eſt autem tranſenna,funiculus extentus, & ex eo apta machinula, quæ adhibetur ad turdos capiendos: tenus verò,pertica, ſeu paxillus, ſeu laqueus,qui tenditur: Lumbricus autem, eſca, quam dum captant,& auidè petunt turdi,in laqueum incidunt,& tenentur. Seruius ad illud Virgilij libro 5.Æneid.*Et volucrem traiecto in fune columbam.* notat traiecto, extento. vnde tranſenna dicitur,extentus funis.Deinde profert hæc ex lib.2.hiſt.Salluſt.quæ à Nonio quoque proferuntur in voce *tranſenna.Tranſenna demiſſum victoriæ ſimulacrum,cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti imponebat.* Idẽ Plautus in Perſa.*Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis.* Idem in Rud. *O Gripe,Gripe,in ætate hominum plurimæ fiunt tranſennæ, vbi decipiuntur dolis.* Dicamus igitur tranſennam eſſe cancellos,ſeu cratem, qua paullùm ſuſpenſa,deinde vbi aues in aream hordeo,aut alia huius generis eſca adſperſam,quæ crati ſubeſt,eſca inuitatæ introiere, funiculo laxato properè demiſſa capiuntur.Quod autem Nonius,tranſennam,tradit eſſe non tranſitum, ſed feneſtram, & vt id probet,hæc M.Tullij verba ex lib.1.de Oratore profert. *Nunc pete à Craſſo, vt illam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtrictam vno in loco, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim adſpeximus, in lucem proferat,* &c. Indicauimus in notis Ciceronianis, hanc lectionem eſſe ſuſpectam. Sed eſto,eſſe integram,& ab omni macula,& mendo ſinceram. fieri enim poteſt,vt tranſenna,& feneſtræ genus ſignificet, & machinulam illam, ſuprà à nobis expoſitam, qua capiuntur turdi, quòd feneſtræ, & cancellorum ſpeciem, ac ſimilitudinem gerat. Poſtremò auctor vocabularij latinogræci,quod mihi olim vtendum dedit Claudius Puteanus, tranſennam interpretatur Græcè ὕσπληγγα,& φαλάγγιμα.eſt autẽ ὕσπληγξ. præterquam quòd carceres ſignificat, laqueus,quo aues,& nonnullæ quadrupedes animantes capiuntur. Profert autem hunc locum Nonius in voce *tenus.* ITA INTENDI TENVS] tenus,inquit Nonius, eſt laqueus à tendicula dictus.Deinceps profert hunc locum,vt diximus.Eſt etiam tenus,ſummum cornu in arcu, & inciſio,vbi neruus ſedet.Græci κορώνην vocant.Seruius ad illud Virg.Æneid.lib.vj. *Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta.* exiſtimat,tenus,ſeu tenũ, eſſe parteis arcus extremas.vnde hac tenus, quatenus,protenus.& profert hunc locũ,ex quo ſuſpicari licet,Seruium accipere hîc *tenus*,vt ſit numeri multitudinis,& ſignificet duo extrema arcus cornua,quib.funis,ſeu neruus adhæreſcit. MANEDVM PARVMPER.]Senex lectis filij litteris,domum ingreditur, vt ſeruos euocet, qui Chryſalum vinciant, quemadmodum erat in litteris ſcriptum. VT VERBA MIHI

(Margin letters: B, C, D)

DAT? VT NESC. Q. R. G.?]ironia.proinde ac ſi dicat,vt putat ſe mihi verba dare?vt exiſtimat me neſcire,cur domum introeat? INTVS,] domo. BENE NAVIS AGITATVR] bene geritur negotium:bene res procedit.Allegoria eſt. PVLCRÈ HÆC CONF. N.] manet in allegoria.nauis,inquit,bene confertur, id eſt,impellitur, ſeu appellitur, ad portum, ſcilicet. NAM AVDIO APER. F.]à ſene exeunte, qui ex ædibus exiturus erat, foreis verberabat,vt & qui præteribant,ſibi cauerent.qua de re ſuprà. A

## NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NI. Conſtringe tute illi Artamo actutum manus.
CH. Quid feci? NI. impinge pugnum ſi mutiuerit.
Quid hæ loquuntur litteræ? CH. quid me rogas?
Vt ab illo accepi,ad te obſignatas attuli. B
NI. Eò tu loquitatúſne es gnato meo malè
Per ſermonem,quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixiſti id aurum ablaturum tamen
Per ſycophantias? CH. egóne iſtuc dixi? NI. ita.
CH. Quis homo eſt,qui dicat me dixiſſe iſtuc? NI. tace.
Nullus homo dicit.hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attuliſti.hem hæ te vinciri iubent. CH. aha.
Bellerophontem iam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli,vt vincirer?ſine.
NI. Propterea hoc facio,vt ſuadeas gnato meo
Vt pergræcetur tecum,teruenefice. C
CH. O ſtulte,ſtulte,neſcis nunc venire te:
Atque in eo ipſo adſtas lapide,vbi præco prædicat.
NI. Reſponde.quis me vendit? CH. quem dij diligunt,
Adoleſcens moritur,dum valet,ſentit,ſapit.
Hunc ſi vllus deus amaret,plus annis decem,
Plus iam viginti,mortuum eſſe oportuit:
Qui terræ odium inambulat,& iam nihil ſapit,
Nec ſentit.tanti'ſt,quanti eſt fungus putidus.
NI. Tun' terræ me odium eſſe autumas?abducite hunc
Intrò,atque aſtringite ad columnam fortiter. D
Nunquam auferes hinc aurum. CH. atqui vltrò iam dabis.
NI. Dabo? CH. atque orabis me quidem vltrò vt auferam,
Cùm illum reſciſces criminatorem meum
Quanto in periculo,& quanta in pernicie fiet.
Tum libertatem Chryſalo largibere,
Ego adeò nunquam accipiam. NI. dic ſcelerum caput,
Dic quo in periculo eſt meus Mneſilochus filius?
CH. Sequere hac me:faxo iam ſcies. NI. quò gentium?
CH. Treis vnos paſſos. NI. vel decem. CL. agedum tu Artamo,
Forem hanc pauxillulum aperi placidè,ne crepa,
Sat eſt.accede huc tu,viden' conuiuium?





A NI. Video.exaduorſum Piſtoclerum & Bacchidem.
CH. Qui ſunt in lecto illo altero? NI. interij miſer.
CH. Nouiſtíne hominem? NI. noui. CH. dic ſodes mihi,
Bellán' videtur ſpecie mulier? NI. admodum.
CH. Quid illam,meretricémne cenſes eſſe? NI. quippini.
CH. Fruſtra es. NI. quis igitur obſecro eſt? CH. inueneris.
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

ILLI.] Chryſalo. ARTAMO,] ſerui nomen:qui eſt κωφὸν πρόσωπον. IMPINGE PVGNVM, SI MVT.] incute pugnum,ſi vel mu fecerit. ſic dixit,impingere fuſtem.Cœlius lib.8.epiſt.ad Ciceronem.*Quid ſi filius meus fuſtem mihi impingere volet?*LOQVVNTVR LITT.] B tralatio.Sic M.Tull.lib.4.Academ.princip.*Ego autem cùm Græcas litteras M.Catonem in ſenectute didiciſſe acceperim:Publij autem Africani hiſtoriæ loquantur, in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obiit, Panætium vnum omnino comitem fuiſſe.*Idem libro 1.de Legib.*Verumtamen dum Latinæ loquentur litteræ,quercus huic loco non deerit.*Idem pro domo ſua.*vt annales populi Romani,& monumenta vetuſtatis loquuntur*,&c. LOQVITATÚSNE ES GNATO MEO MALÈ,&c.] id eſt,nónne meo filio maledixiſti,&c.*Loquitatus*,frequentatiuum,ſæpè loquutus.ſuprà,*Chryſalus mihi vſquequaque loquitur nec rectè,pater.* BELLEROPHONTEM IAM TVVS ME F. F.] prouerbium eſt apud Græcos.βελλεροφόντης κατ' ἑαυτοῦ γράμματα, id eſt, Bellerophon contra ſe fert litteras, de eo,qui Italia nuntiat,ex quibus perniciem ſibi arceſſit,& comparat.Bellerophon cùm apud Prœtum, hoſpitem ſuum,falsò accuſatus eſſet, à Stenobœa eius vxore, quaſi eam ad ſtuprum pellexiſſet,atque inuitaſſet, litteras ab illo iuſſus eſt ferre ad Iobatam in perniciem, ac necem ſuam ſcriptas,totius rei ignarus,quas cùm ei reddidiſſet,ab eo quidem necatus non eſt,ſed primùm cum Solymis,deinde cum Chimæra pugnare iuſſus eſt,&c.narratur hæc hiſtoria ab Homero ἰλιάδ. ζ. hoc igitur Chryſalus dicit,ſe à Mneſilocho Bellerophontem eſſe factum, quòd litteras ab eo acceperit in perniciem ſuam ſcriptas ad eius patrem perferendas. DETVLI,] libri aliquot veteres habent,*tetuli.* SINE] minantis verbum.videndus index,ſi quis plura exem- C pla quæret. PROPTEREA HOC FACIO,&c.] te vinciri iubeo. PERGRÆCETVR] totos dies,& totas nocteis potet.aſſiduè græcetur.ſuprà,*quódque in luſtris comedim,& congræcẽ,patet pater.* TERVENEFICE,] legendum fortaſſe eſt,*triuenefice*,vt ſuprà in Aulul. *triuenefica.* NESCIS NVNC VENIRE TE.] neſcis nunc te vendi, falli, ac decipi. allegoria eſt. ATQVE IN EO IPSO ADSTAS LAP. VBI PRÆCO PR.] Idem dicit aliis verbis, atque in eo ipſo loco es,inquit,in quo fit auctio,& in quo præco res venaleis,& mancipia venalia prædicat.allegoria eſt,qua ſignificat eum viuum & videntem falli, ac decipi. M. Tullius in Piſonem. *Prætérque duos de lapide emtos tribunos pl.* Iullius Pollux libro 3.cap. περὶ τοῦ πωλεῖν, καὶ ὠνεῖσθαι, ὁ δὲ τόπος, πρατὴρ λίθος, καὶ πωλητήριον, καὶ ὡς Ἡρόδοτος, πρατήριον. id eſt, locus in quo mancipia & res venales venduntur,lapis prater,hoc eſt, lapis ad mancipia vendendá appoſitus, &c. Plutarchus in Solone ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν, &c. id eſt, cùm aſcendiſſet in præconis lapidem,in cantu, ſeu cantans recitauit elegiam, cuius principium eſt,&c. QVEM DII DILIGVNT.] εὐφημισμός. filius tuus te vendit,homo impius,& θεοῖς ἐχθρός,id eſt, diis inimicus.hoc ſenſit ſeruus. ſed vitauit mala nomina,more Romano. ADOLESCENS MORITVR, DVM VALET,&c.] adoleſcens viuus,videns, & prudens perit. D HVNC SI VLLVS DEVS AM.] hunc ſenem Nicobulum. De Nicobulo domino ſuo loquitur in tertia perſona, ad ſpectatores verſus,ſimulans ſe ab eo audiri nolle, cùm tamen id maximè velit.hunc ſenem, inquit,ante annos decem, ante viginti mortuum eſſe oportuit. præclarè actum eſſet cum hoc ſene,ſi ante decẽ, atque adeò ante viginti annos mortuus eſſet. QVI TERRÆ ODIVM INAM. ] terræ odium, quaſi terræ onus inambulat.alludere videtur ad illud ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Ne cui autem ſit mirum, quod per odium terræ, ἄχθος ἀρούρης, à Plauto ſignificari putem:*odium*,apud bonos ſcriptores,interdum valet idem,quòd moleſtia,tædium, quidquid denique oneri, & moleſtiæ eſt. TANTI'ST, QVANTI FVNGVS PVTIDVS] fungus putidus nihili eſt:ſignificat igitur Nicobulum planè nihil ſapere.quamuis autem ſic omnes libri habeant,*fungus putidus*, malim tamen legi *fungus putridus*. AVTVMAS?] dicis? ATQVI VLTRO IAM D.] vltrò,id eſt,non rogatus, ſeu non inuitatus, neque admonitus. CRIMINATOREM MEVM] Mneſilochum, qui me apud te criminatus eſt. QVANTO IN PERICVLO,&c.]cùm reſciſces illum criminatorem meum,quanto in periculo,& quanta pernicie fiet,id eſt,cùm reſciſces, quanto in periculo, & quanta in pernicie fiet criminator ille meus. LARGIBERE.] largieris. SCELERVM CAPVT] ſceleratiſſime, ſceleratorum princeps. TREIS VNOS PASSOS.] treis ſolos paſſus. FOREM HANC] hoc oſtium Bacchidum.forem,dixit in accuſandi caſu,numero ſingulari. PLACIDÈ,] leniter,

ἠρέμα. NE CREPA.] ne ſonitum ede. aliàs *ne crepet*. ſubintell. foris. INTERII MISER] miſerum ſe clamat, & interiiſſe dicit, quia filium ſuum videt cum altera Bacchide in altero lecto. NOVISTÍNE HOMINEM?] agnoſcis filium tuum? MERETRICÉMNE CENSES ESSE?] putáſne fœminam illam, quæ cum filio tuo in altero lecto recumbit, meretricem eſſe? QVIPPINI.] aduerbium aſſentiendi, & affirmandi, vt certè, ſanè, etiam in Aulul. *Quippini ego intus ſeruem, ánne quis ædeis auferat?* In Menæchm. *Itáne cenſes?* MED. *quippini.* FRVSTRA ES.] falleris. ſuprà in Amphitr. *Hi iam ambo ſeruus & hera fruſtra ſunt duo.* QVIS IGITVR OBS. EST?] quæ igitur, obſecro, eſt? INVENERIS] tu per te inuenies, ſi voles. vel facito, vt per te inuenias, ſi poſsis. inuenito ipſe, & aliunde ſcito. ex me enim nunquam ſcies. A

## CLEOMACHVS, NICOBVLVS, CHRYSALVS.

MEámne hic Mneſilochus Nicobuli filius B
Per vim vt retineat mulierem? quæ hæc factio eſt?
NI. Quis ille eſt? CH. per tempus hic venit miles mihi.
CL. Non me arbitratur militem, ſed mulierem,
Qui me meóſque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi vnquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, ſi conuenero,
Níue exheredem fecero vitæ ſuæ.
NI. Chryſale quis ille eſt, qui minitatur filio?
CH. Vir hic eſt illius mulieris, quacum accubat.
NI. Quid vir? CH. vir, inquam. NI. nupta eſt illán' obſecro,
CH. Scies haud multo pòſt. NI. oppidò interij miſer. C
CH. Quid? nunc ſceleſtus tibi videtur Chryſalus?
Age nunc, vincîto me, auſcultato filio.
Dixín' tibi illum inuenturum te, qualis ſit?
NI. Quid nunc ego faciam? CH. iube, ſis, me exſolui citò.
Nam niſi exſoluor, iam manifeſtò hominem opprimet.
CL. Nihil eſt lucri, quod me hodie facere mauelim,
Quàm illum cubantem cum illa opprimere, ambo vt necem.
CH. Audin' quæ loquitur? quin tu me exſolui iubes?
NI. Exſoluite iſtum. perij, pertimui miſer.
CL. Tum illam, quæ corpus publicat vulgò ſuum, D
Faxo, ſe haud dicat nactam, quem derideat.
CH. Paciſci cum illo paulula pecunia
Potes. NI. paciſcere ergo obſecro, quod tibi lubet,
Dum ne manifeſto hominem opprimat, néue enicet.
CL. Nunc niſi ducenti Philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exſorbebo oppido.
NI. Hem illoc paciſcere, ſi potes. perge obſecro,
Paciſcere quid vis. CH. ibo & faciam ſedulò.
Quid clamas? CL. vbi herus tuus eſt? CH. nuſquam, neſcio.
Vis tibi ducentos nummos iam promittier,

Vt ne



A Vt ne clamorem hic facias, neu conuicium?
CL. Nihil eſt, quod malim. CH. atque vt tibi mala multa ingeram?
CL. Tuo arbitratu. NI. vt ſubblanditur carnifex.
CH. Pater hic Mneſilochi eſt. ſequere, is promittet tibi.
Tu aurum rogato, cæterùm verbum ſat eſt.
NI. Quid fit? CH. ducentis Philippis rem pepigi. NI. vah ſalus
Mea ſeruauiſti me. quàm mox dico, dabo?
CH. Roga hunc tu, tu promitte huic. NI. promitto, roga.
CL. Ducentos nummos aureos Philippos probos
Dabin'? CH. dabuntur, inque, reſponde. NI. dabo.
CH. Quid nunc impure, numquid debetur tibi?
B Quid illi moleſtu's? quid illum morte territas?
Et ego te & ille mactamus infortunio.
Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi,
Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaueris,
Confoſſiorem ſoricina nænia.
Iam dudum hercle equidem ſentio, ſuſpicio
Quæ te ſolicitet, eum eſſe cum illa muliere.
CL. Immò eſt quoque. CH. ita me Iuppiter, Iuno, Ceres,
Minerua, Latona, Spes, Opes, Virtus, Venus,
Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Sumanus, Sol, Saturnus, diíque omnes ament.
C Vt ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque oſculatur, neque illud quod dici ſolet.
NI. Vt iurat? ſeruat me ille ſuis periuriis.
CL. Vbi nunc Mneſilochus ergo? CH. rus miſit pater.
Illa autem in arcem abiuit, ædem viſere
Mineruæ: nunc aperta eſt. i viſe. éſtne ibi?
CL. Abeo ad forum igitur. CH. vel hercle in malam crucem.
CL. Hodie exigam aurum hoc? CH. exige, ac ſuſpende te,
Ne ſupplicare cenſeas, homo nihili.
Ille eſt amotus. ſine me per te here, obſecro
D Deos immortalis, ire huc intrò ad filium.
NI. Quid eò introibis? CH. vt eum dictis plurimis
Caſtigem, cùm hæc ſic facta ad hunc faciat modum.
NI. Immò oro vt facias Chryſale, & ted obſecro.
Caue parſis in eum dicere. CH. etiam me mones?
Satin' eſt, ſi plura ex me audiet hodie mala.
Quàm audiuit vnquam Clinia ex Demetrio?
NI. Lippi illic oculi ſeruus eſt ſimillimus,
Si non eſt, nolis eſſe, neque deſideres:
Si eſt, abſtinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie fortè fortuna hîc foret,
Miles Mneſilochum cum vxore opprimeret ſua,

Atque obtruncaret mœchum manifeſtarium. A
Nunc quaſi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promiſi militi: quos non dabo
Temerè. & iam priuſquam filium conuenero,
Nunquam ædepol quicquam temerè credam Chryſalo.
Verùm libet etiam mihi has perlegere denuò,
Æquum eſt tabellis conſignatis credere.

MEámne vt hic Mnesilochvs] egóne patiar, vt hic Mneſilochus, &c. meam mulierem, id eſt, concubinam, ſeu vxorem, me inuito, retineat? Qvæ hæc factio est?] quæ hæc immoderata, & intoleranda potentia eſt? Per tempvs hic, &c.] opportunè hic venit miles mihi. Hæc loquitur Chryſalus ſummiſſa voce. Sed mvlierem.] ſed ignauum aliquem hominem. prouerbium, muliere ignauior. ex quo illa. *O verè Phrygiæ, (neque enim Phryges)* &c. & Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί, & Ἔῤῥε κακὴ γλήνη, & Græci ignauum, & timi- B dum in bello, γυναικίας appellant. Sic idem Plautus in Milite glor. *Non hercle hice homines me marem, ſed fœminam Vicini rentur eſſe ſerui militis.* Credvat] credat. Ni illvm exanimalem faxo,] ni illum exanimaro: exanimem fecero. Níve exheredem fecero vitæ s.] ni exheredem fecero vitæ ſuæ, id eſt, niſi eum vita priuaro. heres, teſte Feſto, pro domino ponebatur. exheredem facere igitur, eſt iure domini, ſeu vt ita dicam, dominio ſpoliare. Accvbat.] filius tuus. Nvpta'st illan'? obsecro.] illáne, obſecro, nupta eſt? Age nvnc, vincîto me, avsc.] conceſſio ironica. Dixin' tibi illvm inventvrvm te, q. s.?] dixíne tibi, te inuenturum, qualis filius tuus ſit? Ivbe, sis, me exsol. c.] iube, ſi vis, me citò exſolui. Manif. hom. oppr.] deprehendet in ipſo furto, id eſt, in adulterio. Ambo vt necem.] vt ambos necem, quod licet mulieris patri, iure ciuili, tali caſu, qualis hîc à milite optatur. Licet inquã, vtrumque, hoc eſt, adulterũ, & filiam in adulterio deprehẽſos, interficere. alteri parcere, altero necato non licet. viro non idem licet, ſed adulterum domi ſuæ deprehenſum occidere licet, non tamen quemlibet, vt virum aliquem honoratũ: ſed turpem, & infamem. Qvin tv me exsol. ivbes?] quamobrẽ tu non me exſolui iubes? Tvm illam. qvæ cor. pvblicat, &c.] vulgò publicat, C id eſt, vulgat. tum faxo, inquit, id eſt, fecero, vt illa, quæ corpus ſuũ omnibus de populo proſtituit, & vulgat, non dicat ſe natam eſſe virum ignauum, contemtum, & ludibrio dignum. deridemus ignauos, lentos, & qui iniuriam acceptam referre non poſſunt, aut non curant. ſic ſuprà eadem fabula. *Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.* Enicet.] enecet. Exsorbebo opp.] exſorbebo, vt Charybdis aliqua. tralatio eſt. ſic autem habent libri noſtri veteres: & ita edidit Camerarius. Nam vulgati habent *exorbabo*. mendoſè. Dvcentos nvmmos] aureos, Philippeos, ſeu Philippos, vt ſuprà non longè. Atqve vt tibi mala m. ing.] & eadem opera, vt multa maledicta in te congeram? Sic Terent. in Andria. *ingeram mala multa.* Tvo arbitratv.] vt lubet. Vt svbblanditvr carn.!] quo pacto blandè militem appellat Chryſalus! ironia eſt. nam non blanditur militi Chryſalus. Tv avrvm rogato.] tu ſtipulator. Ceterùm] alioqui, ceteroqui, cetera. Pepigi.] firmaui, tranſegi, pactus ſum. Vah, salvs mea, &c.] hîc mirè iterum ſuis dolis Nicobulum capit Chryſalus, quibus ille inductus, ac delinitus, eum, ſalutem ſuam appellat, à quo pecunia magna emungitur, & turpiſſimè ludificatur. Qvam mox dico, dabo?] ſignificat ſe primo quoque tempore promittere cupere, & ſibi moleſtum eſſe, diutiùs exſpectare, aut morari. quin iamiam, in- D quit, operam das, vt promittam? Dvcentos nvmmos avreos philip. dabin'?] ſtipulationis formula, quæ conſtabat ex interrogatione, & reſponſione. Dabvntvr, inqve, resp.] inque, reſponde, ἀσυνδέτως poſita, pro, inque, & reſponde, dabuntur. inque, in imperatiuo, id eſt, dic. Nvmqvid debetvr tibi?] proinde quaſi dicat, nihil tibi debetur, aut ſi quid debetur, ex ſtipulatu debetur. qua obligatione tibi optimè cautum eſt: & ea fretus, nummos tuo arbitratu, & cùm primùm voles, auferes. Molestv's?] moleſtus es? Mactamvs infortvnio.] augemus infortunio. quid ſit mactare infortunio, ſuprà diximus in Amphitr. ibi, *ſacrifico ego tibi.* Am. *Quî?* Mer. *quia enim te macto infortunio.* Si tibi est machæra, et nobis vervina. &c.] veruina, inquit Fulgentius, iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. deinde hunc locum profert. ſententia igitur hæc eſt, ſi tibi gladius eſt, quo nos cædas, nobis quoque eſt verutum, quo te confodiamus. Qvæ qvidem te faciam, si me irr. confoss. soric. næn.] qua quidem veruina te reddam confoſſiorem, &c. quid ſit nænia ſoricina, immò verò quid ſit hoc totum, confoſſiorem te faciam ſoricina nænia, quæritur à doctis. putabam olim ſatis planè à Donato eſſe explicatum in Eunucho ad illum locum. *Ego meo indicio miſer, quaſi ſorex, perij:* ad quem notat ille, proprium ſoricum eſt, vel ſtridere clarius, quàm mures, vel ſtrepere magis, cùm obrodunt friuola:



A friuola: ad quam vocem multi ſe intendentes, quamuis per tenebras noctis transfigant eos. Plautus, *Confoßiorem te faciam ſoricina nænia.* Hactenus Donatus. Sed hæc explicatio, quantumuis Donati ſit licet: nunc à me non probatur, & tum primùm deſita eſt probari, cùm illa legi apud Arnobium lib. 7. aduerſus Genteis. *Quæ ſunt nomina, & farciminum genera, hircino alia ſanguine comminutis, alia inculcata pulmonibus. Quid tuceta? quid neniæ? quid offæ? non vulgi, ſed quibus eſt nomen, appellatióque penitæ: ex quibus quod primum eſt, in exiguas aruina eſt miculas, & ilia minutim inſecta de more: quod in ſecundo ſitum eſt, inteſtini eſt porrectio*, ſeu vt legendum eſſe putat Petr. Daniël, Aurelianenſis, *proſectio, per quam proluuies editur, ſuccis perexſiccata vitalib.* &c. illa, inquam, cùm apud Arnobium legiſſem, & diligenter attendiſſem, cœpit mihi continuò Donati explicatio diſplicere, & in mẽtem venire ex verbis Arnobij, per ſoricinam næniam ſignificari inteſtinum ſoricis porrectum, & confoſſum, vel, vt mauult Petr. Daniël, inteſtinum ita fruſtillatim, & minutim conciſum, vt ſpeciem præbeat minutiſſimarum micularũ, ab iis rebus, quas mures, aut ſorices præroſerunt, defluentium, vt ſit hæc ſententia, ac decidentium: ego te ita comminutum reddam, vt ex tuo corpore nænia facta videatur: nænia autem, id eſt, edulij genus in minutiſſimas parteis proſecti, & conciſi. Denique ſignificat fortaſſis hoc idem Plautus, quod alia loquendi figura expreſſit in Mil. glor. *fartum ex te faciam.* Sic enim ibi Miles loquitur. *Nam ego hanc machæram* B *mihi conſolari volo, Ne lamentetur, néue animum deſpondeat, Quia ſe iampridem feriatam geſtitem, Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.* Eadem etiam ſententia eſt alio loquendi genere, alióque tropo expreſſa ſuprà in Curcul. *Iam ego te faciam vt hîc formicæ fruſtillatim differant.* Non me præterit, Turnebum libro Aduerſ. 24. cap. xj. ſcriptum reliquiſſe, ſoricinam næniam eſſe cantionem celebrem de confoſſo ſorice, qui dum quippiam rodit, & ſtridorem mittit, plerumque ſuo indicio perit, & confoditur. Neque rurſus negabo, me olim quibuſdam amicis meis, huius loci explicationem ex me quærentibus, reſpondiſſe, mihi videri, ex verbis Donati, ſignificari hoc loco per ſoricinam næniam, ſtridorem, & vocem ſoricum: confoſſam autem næniam à Plauto dici, quia ſtridor ille ſoricis cauſa ſit, cur ſorex facilè vel in tenebris confodi poſſit. ſed mihi nunc magis probatur poſtrema explicatio, ad quam excogitandam mihi aditum patefecit Arnobius, adiumento fuit Petr. Daniël Aurelianenſis, iuuenis ingenioſus, atque eruditus. Non placet mihi tamen Petr. Daniëlis ſententia, exiſtimantis, idem valere, cõfoſſiorem te faciã ſoricina nænia, quod, te concidam in fruſtilla minutiſſima. (nam confodere, longè aliud eſt, quàm cõcidere aut comminuere.) Sed placet mihi potiùs ſic explicare, vt verba ſonant, te magis confoſſum reddam, quàm inteſtinum ſoricinum, cùm ſorex in muſcipula deprehenſus certa machinatione C confoditur. Opes,] Ops, Rhea. Pollvces,] pollux, &c. Varro lib. 4. de lingua Latina. *Caſtoris nomen Græcum, & Pollucis à Græcis, in Latinis litteris nomen, quo eſt, inſcribitur, vt* πολυδεύκης, *Pollucis, non vt nunc, Pollux.* Svmanvs] Pluto. de Sumano ſatis multa diximus ſuprà in Curcul. ibi, *Libertus illius, quem omnes Sumanum vocant.* Neqve illvd, qvod dici solet] neque ſubigit. verbum turpe tacuit. In arcem abivit, ædem visere min.] ædes Mineruæ Athenis erat in arce, hoc eſt, in ἀκροπόλει. hæc fabula autem, vt palliata, quaſi Athenis recitatur, & agitur. Nvnc aperta'st.] ſubintell. foris. Ne svpplic. censeas, &c.] ne tu, homo cõtemtus, & nullius pretij, me tibi ſupplicare putes. Ille est amotvs.] ille eſt amandatus, ſeu potius remotus, & ſummotus. malim legi, emotus. Sine me per te, here, obs. &c.] ſermo implicatus: cuius hic ordo eſt. here, te per deos omneis immortaleis obſecro, ſino me huc intrò ire ad filium. Et ted obsecro] & te obſecro. Cave parsis in evm d.] ne parce in eum dicere. caue peperceris, &c. Satin' est, si plvra ex me avd. h. m. qvàm avdivit vmq. &c.] ſatíſne eſt tibi, ſi plura mala in filiam tuam ingeram, quàm Demetrius in Cliniam filium ingerere ſolebat? Puto hoc referendum eſſe ad aliquam aliam Plauti comœdiam, in qua Deme- D trius aliquis pater inducitur acriter Cliniam filium ſuum obiurgans, & multis maledictis inſequens, vel, quod mauult Simeo Boſius ad aliam aliquam poëtæ veteris alicuius, nobis ignoti, aut certè non nominati tragœdiam. Lippi illic ocvli servvs est sim.] ſeruus ille, (Chryſalus) inquit, lippi oculi ſimillimus eſt, quia, quemadmodũ, cùm lippus oculus, non eſt, ſeu cùm abeſt, & prorſus exſtinctus eſt, nemo eſt, qui eum deſideret, & facilè quis eo caret: cùm adeſt, nemo eſt, qui poſſit ſibi temperare, quin eum aſſiduè manu tangat, & tractet: ita, ſi Chryſalum ſeruum non haberem, non magnopere deſiderarem: cùm habeo, non mihi videor eo facilè carere poſſe. cogórque eius opera in rebus meis vti, eum denique in conſilium adhibere in rebus meis dubiis, turbidis, & neceſſariis. Nolis esse, neqve desideres: &c.] nolit quis talem oculum ſibi eſſe, & facilè eo carere poſſit: &c. ſecunda perſona, pro tertia infinita. Manifestarivm,] manifeſtò deprehenſum. ſuprà in Aulul. *Capio fuſtem: obtrunco gallum, furem manifeſtarium.* Emi fil.] redemi filium. Consignatis] obſignatis.

## CHRYSALVS, NICOBVLVS. A

ATRIDÆ duo fratres cluent feciſſe facinus maximum:
Cum Priami patriam Pergamum, diuina mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenûm numero nauium, decumo anno pòſt ſubegerunt.
Non Pelides tormento fuit, præut ego herum expugnabo meum.
Sine claſſe, ſinéque exercitu, & tanto numero militum,
Cæpi, expugnaui amanti herili filio aurum ab ſuo patre.
Nunc priuſquam huc ſenex venit, libet lamentari dum exeat:
O Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame, periſti ſenex,
Qui miſerè malè multabere quadringentis Philippis aureis. B
Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero,
Non ſunt tabellæ, ſed equus quem miſere Achiui ligneum.
Epius eſt Piſtoclerus, ab eo hæc ſumta. Mneſilochus Sinon eſt,
Relictus ille non in buſto Achilli, ſed in lecto accubat,
Bacchidem habet ſecum: ille olim habuit ignem, quoi ſignum daret,
Hunc ipſum exurit. ego ſum Vlyſſes, cuius cõſilio hæc geruntur,
Tum quæ hic ſunt ſcriptæ litteræ, hoc in equo inſunt milites.
Armati atque animati probè. ita res ſucceſſit, meliúſque adhuc,
Atque hic equus non in arcem, verùm in arcam, faciet impetum,
Exſcidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro ſenis. C
Noſtro ſeni huic ſtolido, ei profectò nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau'ſt, ego Agamemnon, idem Vlyſſes, Laërtius.
Mneſilochus eſt Alexander, qui erit exitium rei patriæ ſuæ,
Is Helenam abduxit, cui cauſſa nunc facio obſidium Ilio.
Nam illic eidem audiui Vlyſſem, vt ego ſum, fuiſſe & audacem, & malum.
In dolis ego deprenſus ſum. ille mendicans pœnè inuentus interiit,
Dum ibi exquirit fata illorum. aſſimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus ſum, ſed dolis m' exemi. item ſe ille ſeruauit dolis,
Ilio tria fuiſſe audiui fata, quæ illi forent exitio: D
Signum ex arce ſi periſſet, alterum etiam eſt Troïli mors,
Tertium cùm portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.
Paria item tria eis tribus ſunt fata noſtra, huic Ilio.
Nam dudum primò vt dixeram noſtro ſeni mendacium
Et de hoſpite, & de auro, & de lembo, ibi ſignum ex arce iam abſtuli.
Iam duo reſtabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Pòſt vbi tabellas ad ſenem detuli, ibi occidi Troilum.
Cum cenſuit Mneſilochum cum vxore eſſe dudum militis,
Ibi vix me exſolui. atque id periculum aſſimilo, Vlyſſem vt prædicant,

Cognitum



A Cognitum ab Helena eſſe, proditúmque Hecubæ. ſed vt olim ille ſe
Blanditiis exemit, & perſuaſit ſe vt amitteret,
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi ſenem.
Poſtea cum magnifico milite, vrbeis verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli: dein pugnam conſerui ſeni.
Ego eum adeò vno mendacio deuici, vno ictu extempulò
Cæpi ſpolia. is nunc ducentos nummos Philippos militi
Quos dare ſe promiſit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis vſus eſt, qui diſpenſentur
Ilio capto, vti ſit mulſum, qui triumphent milites.
B Sed Priamus hic multo illi præſtat, non quinquaginta modò,
Quadringentos filios habet. atque equidem omneis lectos ſine probo:
Eos ego hodie omneis contruncabo duobus ſolis ictibus.
Nunc Priamo noſtro ſi eſt quis emtor, coemtionalem ſenem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplò vbi oppidum expugnauero.
Sed Priamum adſtantem eccum ante portam video. adibo atque alloquar.
NI. Cuiánam vox propè me ſonat? CH. ô Nicobule. NI. quid fit? quid
C Quòd te miſi, ecquid egiſti? CH. rogas? congredere. NI. congredior.
CH. Optimus ſum orator. ad lacrumas coëgi hominem caſtigando,
Maléque dictis, quæ quidem quiui comminiſci. NI. quid ait? CH. verbum
Nullum fecit. lacrumans tacitus auſcultabat, quæ ego loquebar.
Tacitus conſcripſit tabellas: obſignatas mihi has dedit,
Tibi me iuſſit dare. ſed metuo, ne idem cantent quod priores.
Noſce ſignum. éſtne eius? NI. noui. libet perlegere has. CH. perlege.
D Nunc ſuperum limen ſcinditur. nunc adeſt exitium Ilio.
Turbat equus lepidè ligneus. NI. Chryſale ades, dum ego hac pellego.
CH. Quid tibi me adeſſe opus eſt? NI. volo vt quod iubeo facias.
Vt ſcias quæ hic ſcripta ſient. CH. nihil moror, neque ſcire volo.
NI. Tamen ades. CH. quid opus eſt? NI. taceas. quod iubeo, id facias. CH. adero.
NI. Euge litteras minutas. CH. qui quidem videat parum,
Verùm qui ſatis videat, grandes ſatis ſunt. NI. animum aduorte igitur.
CH. Nolo, inquam. NI. at volo, inquam. CH. quid opus eſt?

NI. at. enim id quod iubeo, facias. A
CH. Iuſtum eſt, tuus tibi ſeruus tuo arbitratu ſeruiat.
NI. Hoc age ſis iam nunc. CH. vbi lubet recita,aurium operam tibi dico,
NI. Ceræ quidem haud parſit, neque ſtilo. ſed quicquid eſt, perlegere certum eſt.
Pater ducentos Philippos,quæſo, Chryſalo
Da, ſi eſſe ſaluum vis me,aut vitalem tibi.
CH. Malum quidem hercle magnum,tibi dico. NI. quid eſt?
CH. Non prius ſalutem ſcripſit? NI. nuſquam ſentio.
CH. Non dabis,ſi ſapies.verùm ſi das maxumè,
Næ ille alium gerulum quærat, ſi ſapiet,ſibi. B
Nam ego non laturus ſum, ſi iubeas maxumè.
Sat ſic ſuſpectus ſum,cum careo noxia.
NI. Auſculta porrò,dum hoc,quod ſcriptum eſt,pellego.
CH. Inde à principio iam impudens epiſtola eſt.
NI. Pudet prodire me ad te in conſpectum, pater,
Tantum flagitium te ſcire audiui meum,
Quòd cum peregrini cubui vxore militis.
NI. Pol haud derides. nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
CH. Nihil eſt illorum, quin ego illi dixerim.
NI. Stultè feciſſe fateor. ſed quæſo pater, C
Ne me in ſtultitia, ſi deliqui, deſeras.
Ego animo cupido,atque oculis indomitis fui:
Perſuaſum eſt facere, cuius nunc me facti pudet.
Prius te cauiſſe ergo,quàm pudere, æquum fuit.
CH. Eadem iſtæc verba dudum illi dixi omnia.
NI. Quæſo vt ſat habeas id pater,quòd Chryſalus
Obiurgauit me plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis ſuis,
Vt te eij habere gratiam,æquum ſit,bonam.
CH. Eſtne iſtuc iſtic ſcriptum? NI. hem ſpecta,tum ſcies. D
CH. Vt qui deliquit, ſupplex eſt vltrò omnibus!
NI. Nunc ſi me fas eſt obſecrare abs te,pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obſecro.
CH. Ne vnum quidem hercle,ſi ſapis. NI. ſine, pellegam:
Ego iuſiurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri,ante veſperum,
Priuſquam à me abiret. nunc pater,ne peierem,
Cura: atque abduce me hinc ab hac quantum poteſt,
Quam propter tantum damni feci & flagitij.
Caue tibi ducenti nummi diuidiæ fuant.
Sexcenta tanta reddam, ſi viuo, tibi.

Vale,



A Vale,atque hæc cura.quid nunc cenſes Chryſale?
CH. Nihil ego tibi conſilij hodie quicquam dabo:
Neque ego haud committam,vt,ſi quid peccatum ſiet,
Feciſſe dicas de mea ſententia.
Verùm,vt ego opinor,ſi ego in iſto ſiem loco,
Dem potius aurum,quàm illum corrumpi ſinam.
Duæ conditiones ſunt:vtram tu accipias,vide:
Vel vt aurum perdas,vel vt amator peieret.
Ego neque te iubeo,neque veto,neque ſuadeo.
NI. Miſeret me illius. CH. Tuus eſt,non mirum facis.
Si plus perdundum ſit,periſſe ſuauius eſt,
B Quàm illud flagitium vulgò diſpaleſcere.
NI. Næ ille ædepol Epheſi multo mauellem foret,
Dum ſaluus eſſet,quàm reueniſſet domum.
Quid ego,iſtic quod perdundum'ſt,properem perdere?
Binos ducentos Philippos iam intus efferam:
Et militi quos dudum promiſi miſer,
Et iſtos.mane iſtic,iam exeo ad te Chryſale.
CH. Fit vaſta Troia,ſcindunt proceres Pergamum.
Sciui ego iamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol qui me eſſe dicat cruciatu malo
Dignum,næ ego cum illo pignus haud auſim dare,
C Tantas turbellas facio. ſed crepuit foris,
Effertur præda ex Troia,taceam nunc iam.
NI. Cape hoc aurum Chryſale. i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo,vt ſoluam militem.
CH. Non equidem accipiam. proin tu quæras qui ferat.
Nolo ego mihi credi. NI. cape verò, odioſè facis.
CH. Non equidem capiam. NI. at quæſo. CH. dico, vt res ſe habet.
NI. Morare. CH. nolo,inquam,aurum concredi mihi.
Vel da aliquem,qui me ſeruet. NI. ohe odioſè facis.
D CH. Cedo,ſi neceſſe eſt. NI. cura hoc,iam ego reuenero.
CH. Curatum eſt eſſe te ſenem miſerrimum.
Hoc eſt incepta efficere pulcrè, veluti nunc mihi
Euenit,vt ouans præda onuſtus incederem.
Salute noſtra,atque vrbe capta per dolum,
Domum reduco integrum omnem hinc exercitum.
Sed ſpectatores vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho.peruulgatum eſt, nihil moror.
Veruntamen accipientur mulſo milites.
Nunc hanc prædam omnem iam ad quæſtorem deferam.

ATRIDÆ DVO FR.] Agamẽnon & Menelaüs Atrei filij. CLVENT FECISSE, &c.] A dicuntur feciſſe facinus maximum. cluent, memorantur, audiunt, κλύουσι, nominantur. de hoc verbo plura in Commentar. Lucretia. PERGAMVM,] Troiam, Ilium. DIVINA MOENITVM MANV] Troiam Neptuni, & Apollinis manu munitam, & muro cinctam, ac ſæptam: vt canit Pindarus εἰδ. η. Et ita Euripides in Oreſte, qui Pergama, Apollinea vocat. Et Horat. oda. 3. lib. 3. *Ter ſi reſurgat murus aheneus Auctore,* al. *ductore Phœbo,* &c. Sed Homerus vult Neptunum ſolum operas ſuas Laomedonti locaſſe ad muros Troianos exſtruendos. Sic Neptunus. ἰλιάδ. φ. ἤτοι ἐγὼ Τρώεσσι πόλιν, καὶ τεῖχος ἔδειμα Εὐρύ τε, καὶ μάλα καλὸν, ἵν' ἄρρηκτος πόλις εἴη, &c. hac de re plura ſcripſimus ad odam 3. lib. 3. ibi, *Ex quo deſtituit deos Mercede pacta Laomedon,* &c. Iam mœnitum, poſitum, pro munitum, vt apud Lucret. mœnera, pro, munera. apud Marc. Tull. de Legib. cœra, pro, cura, œſus, pro, vſus, &c. infrà in Trinummo. Immœne eſt facinus, &c. id eſt, immune. MILENVM NVMERO NAVIVM, &c.] aliquanto plureis naueis fuiſſe narrat Homer. Sed Plautus hunc numerum ſumſit, vt plenum, & integrum, neque nimiùm ſubtiliter, aut exiliter rationem ſubduxit, ſed ἐν πλάτει rem definiuit. NON PELIDES TORMENTO FVIT, PRÆVT, &c.] ſententia aperta eſt, ſed verba ſunt obſcura. Hoc enim ſignificat. Non æquè Achilles tormento fuit mœnibus Troiæ euertendis, vt ego herum expugnabo meum. vel ſic, Achilles non fuit tormento Priami patriæ, præut ego herùm expu- B gnabo meum. ſed primum falſum eſt, Achillem Troiæ mœnia euertiſſe, & Troiam expugnaſſe: ex quo falſum eum fuiſſe tormento mœnibus Troianis. Deinde videtur deſiderari datiuus, vt ita legatur. Non Pelides ei tormento fuit, &c. id eſt, non Pelides Pergamo, ſeu Troiæ fuit pro tormento, ſeu loco tormenti, præut ego herum meum expugnabo. Cùm in hoc loco aliquandiu hæſiſſem: & apud Feſtum legiſſem, *Termentum pro eo, quod nunc dicitur detrimentum,* vtitur Plautus in Bacchid. neque hac comœdia tota, quæ tamen videtur integra diligenter, & attentè perlecta, vſquam hanc vocem, ac ne eius veſtigium quidem, aut tenue ſimulacrum reperiſſem, præterquam in hoc loco, & in voce *tormento,* quæ ſi mutetur o. primæ ſyllabæ in e, fiet termento. venit mihi continuò in mentem, Feſtum hîc legiſſe *termento,* & id, quod notat, ad hunc locum pertinere. quod cùm in meo libro memoriæ in poſterùm mihi refricandæ cauſa adſcripſiſſem, cognoui, Cęlium Secundũ Curionem antea hoc idem animaduertiſſe, & Guill. Cauterum nuper hoc idem in nouar. lection. lib. 3. cap. 8. retuliſſe. Quare quia illi anteuerterũt, & occuparunt id, quod fueram, vt à me excogitatum, & inuentum, mihi adſcripturus, id nos illis reddamus ſuum. Nunc ad huius loci explicationem redeamus. Si igitur Feſto credimus, hîc eſſe legendum *termento,* quod Cauterus aſſeuerat, & quod eſt fidentis, ſe auſurum deierare adſcri- C bit: ſic poterit hic locus explicari, Non Pelides detrimento fuit Pergamo, præut ego herum meum auro emungam, &c. vel ſic, Non Achilles plus detrimenti Troianis attulit, ex quo factum eſt, vt Troia facilè capi poſſet, præut ego ab hero maiore aurũ meis dolis & fallaciis auferam. ſiquis tamen lectionem vulgatam tueri volet, & putabit Feſtum lapſum eſſe, quòd non eſt ei nouum, vt nec aliis veteribus grammaticis, dicamus ſic explicari poſſe. Non Achilles ſuis fortibus factis, & præclaris facinoribus, quibus Troianos tanquam tormentum quoddam, verberauit, atque oppugnauit, ita ad Troiam capiendam adiuuit, vt ego, &c. vel ſic, Non Achilles ita Troianos cædibus, & cladibus illatis fregit, quibus Troia facilè à Neoptolemo, & cæteris Græcis capi potuit, vt ego, &c. Ego Feſtum ſequor, & Cœlio Secundo, Gulielmóque Cautero aſſentior, præſertim cùm eadem ferè ſententia ex his duabus ſcripturis exprimatur. Omnino videtur, quod ſuprà oſtendi, addendum, *ei,* & ita legendum, *Non Pelides ei termento fuit,* &c. ET TANTO NVMERO MIL.] & ſine tanto numero militum. &c. O TROIA, Ô PATRIA, &c.] talia ſunt illa ex Ennij Hecuba. *O Pater, ô Patria, ô Priami domus.* Et illa Virgiliana libr. 2. *O Patria, ô diuûm domus Ilium, & inclita bello Gloria Dardanidûm,* &c. Et fortaſſe hæc Plautina ex aliqua latina antiqua tragœdia ſumta D ſunt. NAM EGO HAS TABELLAS OBSIGNAT. CONSIGN. &c.] ordo, & ſententia eſt: nam hæ tabellæ, quas tabellas ego obſignatas, & conſignatas fero, non ſunt tabellæ, ſed equus ligneus, quem, &c. has tabellas, quas, &c. more ſuo dixit, quo antecedens, & relatiuum in eodem caſu ponere conſueuit. SED EQVVS, QVEM MIS.] ſed equus ligneus, quem Achiui miſere. equum ligneum ἵππον δούρειον, ſeu δουράτειον appellant Græci, quin & Latini interdum Græco nomine vtuntur, vt Lucret. lib. 1. *Nec clam durateus Troiaï pergama partu Inflammaſſet equus,* &c. equum Mineruæ appellat Horatius oda 6. lib. 4. Virgil. lib. 2. *Inſtar montis equum diuina Palladis arte, Ædificant,* &c. De hoc equo plura ad odam illam vj. lib. 4. in Commentar. Horat. Legendus de eodem & Q. Calaber. lib. 12. & Homerus ὀδυσσ. δ. & θ. EPÍVS EST PISTOCLERVS] Piſtoclerus eſt Epéus, ſeu Epius, hoc eſt, opifex, ſeu faber equi. Feſtus, Epeus, nomen fabri, qui equum durateum fecit. Varro lib. 6. de lingua Latina. Plautus. Epeum fumificum coquum, ab Epéo illo, qui dicitur ad Troiam feciſſe equum Troianum Argiuis, & aptè cibum curaſſe, ideo ait Epeum fumificum, qui legioni noſtræ habet coctum cibum. Commemorat eundem Euripides in Troadibus: Cuius verſus eo libentiùs referam, quòd equi durij aliam in eis rationem affert, quàm ceteri ferè omnes. ſic igitur ille ὁ γὰρ παρνάσιος Φωκεὺς Ἐπειὸς μηχαναῖσι Παλλάδος, Ἐγκύμον'



A Ἐγκύμον' ἵππον τευχέων ξυναρμόσας, Πύργων ἔπεμψεν ἐντὸς ὀλέθριον βάρος. Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κληθήσεται δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ. id eſt, Parnaſius enim Phocenſis Epéus arte Palladis equum armis grauidum aptè fabricatus, intra mœnia Troiana miſit, pernicioſum pondus. Ex quo à poſteris equus. Durius appellabitur, haſtilia, & iacula condita continens. SINON EST,] hic ſimulauerat ſe à Græcis eſſe relictum, & in Achillis buſto delituerat. De quo Euſtathius apud Homerum ὀδυσσ. δ. & Virgil. lib. 2. Æneidos, & Q. Calaber lib. 12. & 13. NON IN BVSTO ACHILLI, &c.] non in monumento Achillis, vt Sinon, &c. buſtum dictum à comburendo, quòd in eo comburebantur mortui. Virgilius, aliter lib. 2. *Eripui, fateor, leto me, & vincula rupi, Limoſoque lacu per noctem obſcurus in vlua Delitui, dum vela darent.* &c. ILLE OLIM HABVIT IGNEM, &c.] ille olim habuit ignem, quo ſignum daret. Sinon, inquit, habuit ignem, quo ſublato, Græcis ſignum daret. hac de re ſic Q. Calaber lib. 13. non longè à princip. Δὴ τότ' ἄρ' αἰθαλόεσσαν Σίνων ἀνὰ πυρσὸν ἄειρεν Δεικνὺς ἀργείοισι πυρὸς σέλας, id eſt, tunc igitur Sinon fuliginoſam facem ſuſtulit, oſtendens Argiuis ignis lumen. HVNC IPSVM EXVRIT.] ignis, hoc eſt, Bacchis, hunc ipſum Mneſilochum exurit, al. *Nunc ipſum exurit:* fortaſſe non malè, vt nunc & olim, inter ſe opponantur. Ego tamen nihil muto. quòd ſiquid ſit mutandum, malim legi hîc, *ipſum exurit,* &c. hoc eſt, hic ignis, B videlicet Bacchis, &c. vel, vt Camerarius mauult, *Hæc ipſum exurit.* hæc Bacchis, ſcilicet. EGO SVM VLYSSES, CVIVS CONSILIO HÆC GERVNTVR] Ex Homeri ὀδυσσ. lib. 4. & 8. & Q. Calabri lib. 12. licet intelligere commẽtum illud Græcorum, de equo Dureo, armatis principibus, referto, & quidquid ad id negotij pertinebat, conſilio Vlyſſis adminiſtratum, ac geſtum fuiſſe. Cum Vlyſſe igitur ſe Chryſalus comparat: & proximo verſu litteras, quæ ſunt in tabellis ſcriptæ, dicit eſſe milites armatos in equo incluſos. Nam ſuprà tabellas dixit eſſe equum dureum. ANIMATI PROBÈ.] bono animo præditi. MELIÙSQ. ADHVC.] & vſque ad hoc tempus res mihi, ſeu nobis meliùs ſucceſſit, quàm Græcis. Camerarius legit *meliuſculè adhuc.* quod magis probo. NON IN ARCEM, VERÙM IN ARCAM FACIET IMPETVM.] atque hic equus, inquit, non in arcem impetum faciet, vt equus Troianus, ſed in arcam heri mei maioris Nicobuli: per equum autem militibus grauidum, ſignificat, vt diximus, tabellas, & litteras in eis ſcriptas. arcem, arcam, paronomaſia. EXSCIDIVM] exſcidiũ, dictum ab exſcindendo, non, vt vulgus putat, ab excidendo. EXLECEBRA] exlecebra, id eſt, vis quædam eliciendi. Feſtus, elecebras; tradit eſſe dictas argentarias meretrices, ab eliciendo argento. NOMEN FACIO.] nomen indo, ſeu impono. MILES, C MENELAÜ'ST,] nam vt Menelaüs Helenam, quam rapuerat Alexander Paris, repetebat: ita hic miles Cleomachus Bacchidem ſuam repetit. LAËRTIVS.] Laërtius filius. MNESILOCHVS EST ALEX.] Mneſilochus eſt Paris, quia vt Paris fuit exitio Troiæ, patriæ ſuæ: ita Mneſilochus erit exitio rei patriæ. IS HELENAM ABDVXIT, &c.] Mneſilochus Bacchidem rapuit, ſeu abduxit. CVI CAVSA.] id eſt, cuius cauſa, &c. vel legendum *cuis cauſa,* vt placet Simeoni Boſio. *cuis* autem, id eſt, cuius. ex quo cuicuimodi, pro, cuiuſcuiuſmodi. malim tamen legi, *quoi,* pro, quoius. ILLIC EIDEM,] id eſt, illic ibidem. IN DOLIS EGO DEPRENSVS SVM] confert ſe cum Vlyſſe, & oſtendit quot & quibus rebus ſit ei ſimilis. ILLE MENDICANS PENÈ INVENTVS INTERIIT, DVM IBI EXQVIRIT, &c.] hæc narrantur ab Homero ὀδυσσ. δ. ſub perſona Helenæ ibi, Ἀλλ' οἷον τόδ' ἔρεξε, καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνὴρ, Δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθι πάσχετε πήματ' ἀχαιοί; Αὐτόν μιν πληγῇσι ἀεικελίῃσι δαμάσσας, Σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλὼν οἰκῆϊ ἐοικὼς, Ἀνδρῶν δυσμενέων κατέδυ πόλιν εὐρυάγυιαν, Ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκε Δέκτῃ, ὃς οὐδὲν τοῖος ἔην ἐπὶ νηυσὶν ἀχαιῶν, Τῷ ἴκελος; &c. id eſt, At quale hoc fecit, & auſus eſt durus homo in Ciuitate Troiana, in qua vos Græci mala per- D tuliſtis? Cùm ſe ipſum plagis indecoris malè mulcaſſet, pannis laceris humero circumdatis, ſeruo ſimilis in vrbem hoſtium ingreſſus eſt: Alij verò homini ſe celans aſſimulauit, mendico: qui nulla ex parte talis erat ad naueis Græcorum. Ei ſimilis vrbem Troiam introiuit. Troiani autem eum ignorarunt, &c. ASSIMILITER] ſimiliter, conſimiliter. SED DOLIS M' EXEMI,] ſed me dolis liberaui. ILIO TRIA FVISSE AVDIVI FATA, &c.] Seruius ad illud Virgil. libro 2. Æneidos. *fracti bello fatiſque repulſi Ductores Danaüm,* &c. notat, fatis, oraculis, ſecundum Plautum, tribus, vita ſcilicet Troili, Palladij conſeruatione, integro ſepulcro Laomedontis, quod in porta Scæa fuit, vt in Bacchidibus lectum eſt. SIGNVM EX ARCE SI PERISSET,] ſignum Palladis: Palladium, quod Vlyſſes & Diomedes corripuerunt. Virgil. lib. 2. Æneidos. *impius ex quo Tidides ſed enim ſcelerúmque inuentor Vlyſſes, Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo Palladium cæſis ſummæ cuſtodibus arcis, Corripuere ſacram effigiem,* &c. TROILI] Priami filij omnium natu minimi. PORTÆ SCÆÆ] Scæam portam commemorat Virgilius libro ſecundo & tertio. ſed numero multitudinis vtrobique: vt & Homerus. Dictæ autem ſunt Scææ, vel ab earum opifice, & fabro Scæo, vel quod ſpectarent ſolem occidentem: quæ pars cœli, ſiniſtra ſit. EIS TRIBVS] fatis Troianis. VT DIXERAM] cùm dixeram, &c. ſeu poſtquàm dixeram, &c. ET DE HOSPITE, ET DE AVRO, ET D. &c.]

Archidemide, eum inuitum ſcilicet aurum reddidiſſe. IBI SIGNVM EX ARCE, &c.] A
tum ſimile quiddam feci, atque Vlyſſes & Diomedes, qui Palladium ex arce ſuſtulerunt. vel ſic,
tum id, quod à me factum eſt, ſimile fuit Palladio ex arce ablato : ídque primum fatum fuit,
quo portendebatur noſtro ſeni auri expugnatio. NEC MAGIS CEP. OPP.] & nihilo magis
cœperam oppidum. quidam ſic diſtingunt, tum nec magis, id eſt, tum nihilomagis. *ego tum*,
coniungo potiùs cum particula *iam*, quæ antecedit. POST VBI TABELLAS, &c.] ſe-
cundum fatum ſenis capiendi. CÙM CENSVIT, &c.] cùm putauit Mneſilochum eſſe cum
vxore militis, tum me ægrè exſolui. ATQVE ID PERICVLVM ASSIMILO, VLYS-
SEM VT PRÆD. &c.] mirum loquendi genus, *Aſſimilo periculum, vt.* ſed eius hæc ratio eſt.
Latinè dicimus, *ſimile eſt vt.* at, *aſſimilo* valet, ſimile facio. quare aſſimilo id periculum vt Vlyſ-
ſem prædicant, &c. huic reſpondet, & æquale eſt, id periculum ſimile facio, vt Vlyſſem præ-
dicant, &c. COGNITVM AB HELENA ESSE, PRODITÚMQVE AB HECV-
BA.] ſequitur hîc Plautus Euripidem in Hecuba. nam nihil tale apud Homerum reperitur.
quin lib. 4. ὀδυσσ. Helena, quæ ſola Vlyſſem mendici veſtitu ornatum agnouit, iurat Vlyſſi ſe
non ante eum cuiquam indicaturam, quàm is ad naueis & tabernacula Græcorum ſaluus re-
uertiſſet, quod iuſiurandum ſeruauit Helena. alioqui periurio ſeſe contaminaſſet. ſic Homerus
Ἀμφὶ δὲ εἵματα ἕσσα, καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον, Μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα μετὰ Τρώεσσ᾽ ἀνα- B
φῆναι. Πρίν γε τὸν εἰς νῆάς τε θοὰς, κλισίας τ᾽ ἀφικέσθαι. At apud Euripidem ſic Hecuba
cum Vlyſſe loquitur. Οἶσθ᾽ ἡνίκ᾽ ἦλθες Ἰλίου κατάσκοπος, Δυσχλαινίαι τ᾽ ἄμορφος ὀμμά-
των τ᾽ ἄπο Φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν; Οδυ. Οἶδ᾽. οὐ γὰρ ἄκρας καρδίας
ἔψαυσέ μου. Εκά. Ἔγνω δέ σ᾽ Ἑλένη, καὶ μόνη κατεῖπέ μοι; Οδυ. Μεμνήμεθ᾽ εἰς κίνδυνον
ἐλθόντες μέγαν. Εκά. Ἥψω δὲ γονάτων τῶν ἐμῶν ταπεινὸς ὤν; Οδυ. Ὥστ᾽ ἐνθανεῖν γε σοῖς
πέπλοισι χεῖρ᾽ ἐμήν. Εκά. Ἔσωσα δῆτά σ᾽, ἐξέπεμψά τε χθονός. Οδυ. Ὥστ᾽ εἰσορᾶν με φέγγος
ἡλίου τόδε. Εκά. Τί δῆτ᾽ ἔλεξας δοῦλος ὢν ἐμὸς τότε; Οδυ. Πολλῶν λόγων εὑρήματ᾽, ὥστε
μὴ θανεῖν. &c. id eſt, Noſti, cùm veniſti Troiæ explorator, indecoro veſtitu, cultúque cor-
poris deformis, & ab oculis guttæ ſanguinis in genas, & barbam tuam defluebant? Vlyſſ.
Scio, non enim illa ſumma pectoris attigerunt, ſed ad imos cordis receſſus peruenerunt. Hec.
Te autem agnouit Helena, & mihi ſoli indicauit. Vlyſſ. Meminimus nos venire in ſummum
diſcrimen. Hec. Nónne tum mea genua humilis, & ſupplex tetigiſti? Vlyſſ. Memini, ita vt
mea manus in tua veſte immortua ſit. Hec. te igitur ſeruaui, & ex vrbe incolumem dimiſi.
Vlyſſ. Certè vt nunc mihi hanc lucem intueri liceat. Hec. Quid igitur dixiſti, cùm meus
tunc ſeruus eſſes? Vlyſſ. Multorum verborum inuenta, ne morerer. Licet etiam dicere Plau-
tum ab Ennio potius hoc ſumſiſſe, quem conſtat Hecubam tragœdiam ſcripſiſſe ad Euripidis C
exemplum, quemadmodum & Medeam, & nonnullas alias. SED VT OLIM ILLE SE
BLAND.] quod ex iis, quæ modò ex Euripide protulimus, intelligere licet. AMITTE-
RET] ſolutum & liberum, & ſaluum mitteret. EXPVLI.] exemi. CVM MAGNIFI-
CO MILITE] Cleomacho. VRBEIS VERBIS QVI INERMVS CAP.] qui
ſtrenuus eſt verbis potius, quàm manibus. qui plura de ſe loquitur & prædicat, quàm gerit.
DEIN PVGNAM CONSERVI S.] deindè cum ſene conflixi & pugnaui. CÆPI
SPOLIA.] ſenem à me deuictum ſpoliaui. VSVS EST,] opus eſt. QVI DISPEN-
SENTVR,] qui diſtribuantur militibus, ſeu potius, qui ratione & modo inſumantur. MVL-
SVM.] vinum ex melle confectum, ſeu potius melle conditum. QVI TRIVMPHENT
MILIT.] quo triumphent milites. mulſum dari ſolitum fuiſſe militibus in triumpho, conſtat
vel ex T. Liuio. Qua de re mox plura dicemus ibi, *verumtamen accipientur mulſo milites.* NON
QVINQVAGINTA MODÒ, &c.] Virgil. lib. 2. Æneidos. *Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta
nepotum.* &c. & paulò antè, *Vidi Hecubam centúmque nurus*, &c. Homerus, πεντήκοντ᾽ ἔσαν
θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο πλησίον ἀλλήλων δεδμημένοι. ἔνθα δὲ παῖδες Κοιμῶντο Πριάμοιο D
παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισι. Marcus Tullius libro primo Tuſculanarum quæſtionum. *Metellus
honoratus quattuor filiis. at quinquaginta Priamus: è quibus decem & ſeptem iuſta vxore nati.* Hic noſter
Priamus, hoc eſt, Nicobulus, inquit Chryſalus, non quinquaginta modò filios habet, vt Pria-
mus ille Troianus, ſed quadringentos. per filios, nummos Philippeos ſignificat. OMNEIS
LECTOS, S. PR.] omneis nummos electos, & ſine vitio, probos. lecti nummi dicuntur, de
ceteris electi, & eximij. Terentius Phormione. *accipe: en, lectum eſt conueniet numerus quantum
debui.* NVNC, PRIAMO NOSTRO SI EST QVIS EMTOR, COËMTIO-
NALEM SENEM] ſententia eſt hæc: nunc ſi quis emtor eſt Priami, id eſt, ſenis noſtri Ni-
cobuli, vendam ego eum, quippe quem habeo venalem, ſenem, inquam, planè vtilem ad
coëmtiones faciendas. Senem coëmtionalem dixit, ad commendationem ſenis, quaſi manci-
pij venalis, facetè & vrbanè. quod referendum eſt ad veterum Romanorum conſuetudi-
nem. Solebant enim apud illos in coëmtionibus faciendis ſenes adhiberi, vel quòd ſit eo-
rum maior auctoritas, vel quòd ſint ætate, & vſu callidiores, ac peritiores. quod declarant
illa verba Marci Curij ad Marcum Tullium libro ſeptimo epiſtolar. *Ergo fructus eſt tuus, man-
cipium, illius.: quod quidem ſi inter ſenes coëmtionaleis venale proſcripſerit, egerit non multum.* Eodem
pertinet illud eiuſdem in Oratione pro Murena. *Sacra interire illi noluerunt. horum ingenio ſenes
ad coëm-*



A *ad coëmtiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſá reperti ſunt.* SED PRIAMVM ADST.]
Nicobulum. QVOD TE MISI,] propter quod te miſi. ECQVID EGISTI?] numquid
egiſti? HOMINEM] filium tuum. MALÉQVE DICTIS,] & maledictis. ſuprà. *Satin' eſt, ſi
plura ex me audiet hodie mala, quàm audiuit vnquàm Clinia ex Demetrio?* TACITVS,] tacitus, ἐνερ-
γητικῶς. Horat. epiſt. 7. libri 1. *non ſanè credere Mena: Mirari ſecum tacitus. quid multa? benignè Re-
ſpondet.* M. Tull. proëmio actionis 1. in Verr. *Id enim conſilij mihi profectò taciti dabitis, quod ego-
met mihi neceſſariò capiendum intelligo.* NVNC SVPERVM LIMEN SCINDITVR] hoc
erat tertium Ilij fatum. ſuprà, *tertium, cùm portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.* Loquitur autem hæc
ſolus, & ſummiſſa voce Chryſalus. TVRBAT EQVVS LEP. LIGN.] equus ligneus,
inquit, lepidè Ilium, ſeu Troiæ mœnia, verberat, quatit, & euertit. PELLEGO] perlego.
EQVVS LEPIDÈ LIGN.] equus ligneus: equus durius. ſic ſuprà, *ſed equus, quem miſere
Achiui ligneum.* NIHIL MOROR] non curo ſcire. non laboro, vt ſciam. TAMEN
ADES] quamuis non cures, neque velis ſcire, tamen te adeſſe volo. *ades*, imperatiui modi,
temporis præſentis. QVI QVIDEM VIDEAT PARVM] minutæ ſunt litteræ ei, qui
videat parum, vt tibi homini ſeni. ſed ineſt hîc iocus ex ambiguo. Nam ſignificat Chryſalus
homini ſtolido, atque hebeti, & qui parum ſapiat has litteras eſſe minutas: ſed ſagaci, acuto,
B intelligenti & ſapienti, ſatis eſſe grandeis. HOC AGESIS IAM] hoc age, ſi vis,
iam nunc. id eſt, attende iam nunc. AVRIVM OPERAM TIBI DICO.] aurium ope-
ram, quæ quidem in audiendo duntaxat conſiſtit, tibi dedico. CERÆ QVIDEM HAVD
PARSIT] ceræ quidem non pepercit, neque ſtilo. ſignificat litteras eſſe longas. AVT VI-
TALEM] vitalem, id eſt μακρόβιον. diu victurum, longæ vitæ. Horat. Satyr. 1. lib. 2. *O puer, vt
ſis Vitalis metuo, & maiorum nequis amicus Frigore te feriat.* MALVM QVIDEM HERCLE
MAGN.] videtur magnum malum precari Mneſilocho, qui patri ſalutem non dixerit, priuſ-
quàm quæ vellet, in litteris ſcripſerit. ſed mera ſimulatio eſt. Deindè mox corrigit, & ſummiſ-
ſa voce, atque à Nicobulo ad ſpectatores auerſa, tibi dico, inquit. tibi, ſcilicet, O Nicobule,
non Mneſilocho. NON DABIS SI SAPIES,] hæc ſumma demùm fallacia ac ma-
licia eſt, cùm is, qui inſidias alteri comparat, beneuolentiam præ ſe fert, & officioſi hominis
orationem imitatur, & diſſuadet id facere, quod illum facere maximè cupit. ALIVM GE-
RVLVM, &c.] alium qui pecuniam ad ſe gerat, ſeu ferat. SAT SIC SVSPECTVS SVM,
CVM CAREO N.] ſatis ſuſpectus tibi ſum etiam ita fideliter tibi ſeruiens, & noxia carens.
DVM HOC, QVOD, &c.] tantiſper dum hoc, quod à filio ſcriptum eſt, ad extremum
C perlego. INDE À PRINCIPIO, &c.] vſque à principio, &c. vide vt ſeruus totus ex
dolis & fallaciis concretus & conflatus, dum ſe Mneſilocho aduerſari ſimulat, Nicobulum ca-
piat, & illaqueet. FLAGITIVM] turpe factum: erubeſcendum, & pudendum pecca-
tum. QVIN EGO ILLI DIXERIM.] quod non ego illi dixerim. ANIMO CV-
PIDO, ATQVE OCVLIS INDOM.] cupiditas eſt in animo, vocem rationis aſpernante.
ex cupiditate, flagitioſa facta naſcuntur: per oculos indomitos, hoc eſt, incontinenteis, & ad
modeſtiam non eruditos, tanquam per feneſtras, illecebra libidinis, aditu patefacto, ad ani-
mum cupidum permanat. Quocircà præclarè ita præcipiebat ſapiens ille, κράτει ὀφθαλμῶν,
γαστρὸς, αἰδοίων id eſt, contine oculos, ventrem, parteis corporis inhoneſtas. & benè Peri-
cles Sophoclem reprehendens, quod cum caſu formoſum puerum prætereuntem vidiſſet,
dixiſſet, *O puerum pulcrum, Pericles: At enim*, inquit, *prætorem, Sophocle, decet, non ſolùm manus, ſed
etiam oculos abſtinenteis habere.* Præterea Ariſtoteles lib. 8. de moribus ad Nicomachum ſcribit.
*plerúmque ex adſpectu amorem naſci.* Et Poëta ille, *oculi ſunt in amore duces*, inquit Plautus, in Milite
glorioſo. *namque hominem ſeruum ſuos Domitos habere oportet oculos, & manus, orationémque.* PER-
SVASVM'ST FACERE, CVIVS, &c.] perſuaſum eſt mihi, vt id facerem, cuius nunc me
D facti pudet. perſuaſit mihi cupiditas, ſiue intemperantia, vt id facerem, cuius nunc me pudet.
PRIVS TE CAVERE ERGO, QVÀM, &c.] hæc nunc ex perſona ſua loquitur Nico-
bulus, non in litteris, quas recitat, reperta. VT TE EII HABERE GR. &c.] *eij*,
rectè ſcriptum in libris veteribus duplici, ij, vt prior ſyllaba producatur. VT QVI DELI-
QVIT, SVPPLEX EST VLTRÒ OMNIBVS] id eſt, quàm hoc plerúmque fieri ſolet,
vt qui deliquit, ſupplex ſit, à nemine admonitus, aut accuſatus, omnibus? vltrò πρόφρων,
πρόθυμος, οὔπω κατηγορηθείς priuſquàm accuſetur. Ad eandem ferè ſententiam pertinet illud
M. Tullij in Miloniana. *Magna vis eſt conſcientiæ, Iudices, & magna in vtrámque partem: vt neque
timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.* OBSECRA-
RE ABS TE,] obſecrare te, erat vſitatiùs. NE VNVM QVIDEM SI SAPIS] en
tibi iterum ſeruus Mneſilocho aduerſans, & obſtans verbo: re quàmmaximè operam dans,
& opem ferens. VERBIS CONCÉPTIS.] Plautus ſuprà in Ciſtellaria. *At ille
conceptis iurauit verbis apud matrem meam.* ibidem in Aſinaria. *Vbi verbis conceptis ſciens libenter
periuraris.* ad quem verſum, quid ſit, *conceptis verbis iurare*, pluribus exemplis collectis do-
cuimus. NVNC PATER NE PEIEREM, CVRA,] quanta vis fuerit iu-
riſiurandi apud veteres illos Romanos declarant Marci Atilij Reguli, & Marci Pomponij
Tribuni plebis, & aliorum facta: de quibus Marcus Tullius libro de Officiis tertio. ad

quæ ille ſic ἐπιφωνηματικῶς. *Tantum temporibus illis iuſiurandum valebat*, inquit. Plautus infrà, in Milite glor. in extremis. *Iura te non nociturum eſſe homini. nunc de hac re nemini quod tu hodie hîc es verberatus*, &c. ad quem locum hac de re plura. QVANTVM POTE'ST] quàm primùm fieri poteſt, quàm citiſſimè fieri poteſt. QVÀM PROPTER] propter quam, ἀναστροφή. DIVIDIÆ FVANT] ægritudinem, ſeu moleſtiam afferant. aliàs diuidia, diſcordiam ſignificat: de quo nomine alibi plura. conſule indicem. *fuant* autem, hoc eſt, ſint. SEXCENTA TANTA, &c.] triplo plura reddam, &c. NEQVE EGO HAVD COMMITTAM, &c.] hîc duæ negationes magis negant, ſi recta, & emendata ſcriptura eſt. alioqui legendum. *Namque ego haud comm.* &c. FECISSE DICAS DE MEA SENT.] feciſſe te dicas, me ſuaſore, aut impulſore. De mea ſententia, de tua ſententia, de conſilij ſententia, vſitata bonis ſcriptoribus loquendi genera. SI EGO IN ISTO SIEM LOCO,] ſi iſtic ſim. Terent. Andr. *Tu ſi hîc ſis aliter ſentias.* VEL VT AVRVM PERDAS, VEL VT AMATOR PEIERET] leuius damnum eſt, aurum perdere, quàm ſinere filium ſuum peierare. hæc ſunt referenda ad mores temporum illorum, quibus, vt diximus, plurimùm valebat iuriſiurandi religio. Nam ætate Ciceronis, & poſteriore, vt & noſtra, (quod vtinam falſum ſit) multo pluris fuit aurum, quàm iuſiurandum. EGO NEQVE TE IVBEO, NEQVE VETO, &c.] ſubintellige, aurum filio tuo dare. Vide vt ſeruus callidè & diſſimulanter, & quaſi planè aliud agens, herum B maiorem impellat, vt ducentos alteros Philippos det filio. NON MIRVM FACIS.] non eſt mirum te illius miſereri, ſeu miſerere te illius, cùm tuus ſit, non alienus. SI PLVS PERDVNDVM SIT, &c.] ſi non ducenti tantum Philippi perdendi ſint, ſed etiam maior ſumma, trecenti & quadringenti: optabilius & iucundius tibi fuerit eam ſummam tibi perire, quàm poſteaquàm commiſeris, vt filius tuus peieret, periurium filij tui palàm fieri, & in vulgus emanare. vide quàm ſancta fuerit apud illos iuriſiurandi religio. Quod M. Tull. lib. 3. de Officiis, pluribus verbis oſtendit, vt diximus. VVLGÒ DISPALESCERE.] vulgò notum fieri, diuulgari, palàm fieri, innoteſcere. *Diſpaleſcere*, à verbo ſimplici *palo, as*, quod eſt, vagari, & errare: vel potiùs ab aduerbio *palàm*. QVID EGO ISTIC QVOD PERDVNDVM'ST PROP. PERDERE?] ſententia huius verſus hæc eſt, ſi hoc aurum in iſta re erat perdendum, mallem quàm ſeriùs perdere. quocirca mallē filium meum diutiùs Epheſi reſidere, & ſeriùs reuerti, ne quod mihi omninò perdendum erat, tam citò perderem. quid enim cauſæ eſt, cur properarem perdere, quod in iſta re perdendum eſt? INTVS.] domo. nam intus, quod & aliàs admonuimus, interdum motum de loco ſignificat. FIT VASTA TROIA:] vaſtatur Troia: hæc loquitur Chryſalus ſolus, ſene domum ingreſſo, vt quadringentos Philippos ex armario depromat. SCINDVNT PROCERES PERG.] Græciæ principes, qui C in equo ligneo erant incluſi, Troiam exſcindunt, id eſt, litteræ in tabellis ceratis ſcriptæ. FORE ME EXITIVM PERGAMO] fore me exitio Pergamo. ÆDEPOL QVI ME ESSE DICAT CRVCIATV M. &c.] ordo eſt, Ædepol, næ ego cum illo haud auſim pignus dare, qui me dicat eſſe malo cruciatu dignum. id eſt, non auſim cum eo, pignore dato, ſeu depoſito, certare. TANTAS TVRBELLAS FACIO.] epiphonema. Feſtus, *turbellas, apud Plautum*, inquit hunc locum ſpectans, vel alterum in Pſeudolo, *quo pacto, & quantas ſoleam turbellas dare. turbas ſignificat.* Ex quibus Feſti verbis intelligimus, nomen diminutum eſſe, hîc poſitum pro integro & primitiuo. EFFERTVR PRÆDA EX TR.] efferuntur nummi ex armario meis dolis expugnato. VT SOLVAM MILITEM] id eſt, vt abſoluam militem, & ne eum morer, quo minus proficiſcatur quò lubet. Quidam legunt, *vt ſoluam militi.* ego nihil muto. NON EQVIDEM ACCIP.] en rurſus ſeruus fallaciſſimus ſimulat id ſe nolle, quod maximè exoptat. MORARE] tu me moraris, aliò properantem. VEL DA ALIQVEM QVI ME SERVET.] id eſt. vel mihi cuſtodem aliquem appone, qui me obſeruet. CEDÒ SI NECESSE EST.] da igitur D quando capiendi neceſſitas mihi abs te nolenti imponitur. CVRATVM EST, ESSE TE S. M.] curatum eſt, vt tu ſis ſenex miſerrimus. Hæc dicuntur à Chryſalo, ſolo iam relicto, & ſene degreſſo. VT OVANS, &c.] penè triumphans. Ouantes, inquit Feſtus, id eſt, lætantes, ab eo clamore, quem faciunt milites, redeuntes ex pugna victores, geminata o, littera. SALVTE NOSTRA,] ſaluis nobis, manet in allegoria à re militari. NE MIREMINI, &c.] ne fortè miremini, me non triumphare, cùm redeam victor, ſaluo exercitu: & ob eam cauſam mihi triumphus debeatur. PERVOLGATVM'ST: NIHIL M.] triumphare nolo, quia peruulgatum eſt triumphare. NIHIL MOROR,] triumphum contemno. VERVMTAMEN ACCIP. MVLSO MILIT.] verumtamen, quamuis non triumphem, milites inuitabuntur mulſo. Mulſum dari conſueuiſſe militibus in triumphali pompa, vel ex T. Liuio cognoſcere licet, lib. Annal. 48. *Ad hunc prætorem Q. Terentium Culleonem adeò amicum Corneliæ familiæ, vt qui Romæ mortuum, elatúmque P. Scipionem, (eſt enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, ſicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum iſſe memoriæ prodiderint, & ad portam Capenam funus proſecutis, mulſum dediſſe, quod ab eo inter alios captiuos in Africa ex hoſtibus receptus eſſet*, &c. *Ceterùm ad hunc nimis æquum aut iniquum prætorem reus extemplò factus L. Scipio.* AD QVÆSTOREM DEFERAM.] hoc quoque ad antiquitatis, &



A tis, & moris Romani cognitionem pertinet. Nam præda ex hoſtibus facta, ad quæſtores vrbanos deferebatur, quod & ex M. Tull. epiſt. ad Caninium pro Quæſtore, lib. 2. epiſt. intelligere licet: in qua ita ſcribit. De præda mea præter quæſtores vrbanos, id eſt, Populū Romanum teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquā Loodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, vt & mihi, & populo cautum ſit ſine vecturæ periculo.

## PHILOXENVS.

QVàm magis in pectore meo foueo, quas meus filius turbas
turbet.
Quam ſe ad vitam, & quos ad amores præcipitem inſcitus capeſſat.
B Magis curæ eſt, magíſque afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Scio, ego fui illa ætate, & feci illa omnia, ſed more modeſto,
Nec placitant mores, quibus video volgò gnatis eſſe parentes.
Duxi, habui ſcortum, potaui, dedi, donaui & enim id raro.
Ego dare me ludum meo nato inſtitui, vt animo obſequium
Sumere poſſit, æquum eſſe puto. ſed nimis nolo deſidiæ
Ei dare ludum. nunc Mneſilochum, quod mandaui, viſo,
Ecquid eum ad virtutem, aut ad frugem opera ſua compulerit:
Sic vt eum ſi conuenit, ſcio feciſſe: eo eſt ingenio natus.

C QVÀM MAGIS IN PECTORE M. F.] quàm magis, tam magis, id eſt, quanto magis, tanto magis. ſic infrà, ſcena proxima. *Magis quàm id repeto, tam magis vror.* notauimus hoc loquendi genus in Comment. Lucretianis. quod autem hîc omittitur *tam*: id fieri ſolere, ibidem docuimus. Sententia autem huius loci hæc eſt, quantomagis in animo meo verſo, quas meus filius Piſtoclerus turbas excitet, & quàm ſe ad vitam, quóſque ad amores, (al. ad mores,) ſtultus conferat, tantò magis ſollicitor, magíſque timeo, ne is pereat, &c. nunc primùm autem prodit in ſcenam Philoxenus Piſtocleri pater, qui modò reſciuit filium ſuum ſcortari, & potare, & amare. Eſt autem σχῆμα κατὰ σιωπώμενον. IN PECTORE MEO FOVEO,] animo agito. TVRBAS TVRBET,] atticiſmus. ſic Homerus ἰλιάδ. υ. πόλις πεπόλισο. ET QVOS AD AMORES PRÆCIP. INS. CAP.] & quos ſe ad amores præcipitem agat, ſeu conferat inſcitus, id eſt, ſtultus, & inſipiens, &c. ſuprà in Aſinar. *Quàm magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.* Libri vulgati, quibuſcum congruunt nonnulli manuſcript. ſic habent, vt edidimus, *& quos ad mores.* Alij, *& quos ad amores*, quomodo edidit Camerar. fortaſſe non malè: ſed hanc ſcripturam vt damnaremus, animum inducere non potuimus. INSCI- D TVS.] ſtultus. Feſtus, *inſcitia*, inquit, id eſt, *ſtultitia.* SED MORE MODESTO,] ſed modeſtè. NEC PLACITANT MORES, QVIBVS VID. VOLGÒ, &c.] nec placent mihi mores patrum ferè omnium, qui ſe nimis duros ac ſæuos præbent in filios ſuos. vel ſic, nec mihi placent mores patrum hodiernorum ſeueriores, duriores, atque acerbiores. DVXI, HABVI SCORTVM, &c.] duxi, habui, ἀσυνδέτως poſita ſunt. duxi, inquit, & habui ſcortum. duxi autem, domum ſcilicet. habui ſcortum verò, valet, cum ſcorto rem habui. nam ἔχειν γυναῖκα, eſt, συνεῖναι vt habere Laïdem, ἔχειν Λαΐδα. Terent. Andria. *rogitabam. heus puer Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit?* ET ENIM ID RARÒ.] legendum fortaſſe eſt, *ſed enim id raro.* EGO DARE ME LVDVM, &c.] ego inſtitui dare, hoc eſt, concedere ludum filio meo. *inſtitui dare me ludum.* ſeu *inſtitui me dare ludum*, antiquè ductum, pro *inſtitui dare ludum.* De quo genere loquendi in Comment. Lucretian. Sic autem Horat. oda. 12. lib. 3. *Miſerarum eſt neque amori dare ludum Neque dulci mala vino lauere*, &c. Idem Plautus infrà proximè. *ſed nimis nolo deſidiæ Ei dare ludum.* VT ANIMO OBSEQVIVM SVMERE POSSIT.] vt animo ſuo obſequi poſſit, vel vt ſumere poſſit obſequium, quo animo ſuo obſequatur. SED NIMIS NOLO DESIDIÆ EI DARE LVDVM.] vel ſic explica. ſed nolo ego, ei deſidiæ filij mei nimis indulgêre & laxare habenas: vel, nolo filium meum Piſtoclerum ei deſidiæ ſupra modum dare ludum, id eſt, indulgere, ſeu operam

ludicram & amatoriam dare. Nolo filium meum in ea deſidia nimis diu occupatum eſſe, aut ſupra modum verſari. A QVOD MANDAVI,] quod ei mandaui; nempe vt filium meum ad virtutem, & ad bonam frugem cohortaretur, vt ſubiicit. hoc nuſquàm ſuprà dictum eſt. Itaque σχῆμα eſt κατὰ τὸ σιωπώμενον. ECQVID EVM AD VIRTVTEM, &c.] nunquid eum ad virtutem, id eſt, continentiam & temperantiam, aut ad frugem, id eſt, ad parſimoniam, induſtriam, diligentiam, hortatus ſit. SICVT EVM, SI CONVÊNIT, &c.] quemadmodum ſcio Mneſilochum feciſſe, ſi filium meum conuênit. EO EST INGENIO NATVS.] Mneſilochus.

## NICOBVLVS, PHILOXENVS.

QVicunque vbiq. ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè anteeo ſtultitia, & moribus indoctis,
Perij. pudet hoccine ætatis ludos bis factum eſſe indignè. B
Magis quàm id repeto, tam magis vror, quæ meus filius turbauit.
Perditus ſum atque etiam eradicatus ſum, omnibus exemplis
crucior.
Omnia me mala conſectantur, omnibus exitiis interij.
Chryſalus me hodie lacerauit, Chryſalus, me miſerum ſpoliauit:
Is me ſcelus vſque attondit dolis doctis indoctum, vt libitum eſt.
Ita miles memorat meretricem eſſe, quàm ille vxorem eſſe aiebat:
Omniáque, vt quicquid actum'ſt, memorauit. eam ſibi hunc annum conductam,
Reliquum id auri factum, quod ego ei ſtultiſſimus homo promiſiſſem. C
Hoc, hoc eſt, quod peraceſcit, hoc eſt demum quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari: immò ædepol ſic ludos factum
Cano capite, atque alba barba, ſic miſerum me auro eſſe emunctũ.
Perij, hoc ſeruum meum non nauci facere eſſe auſum? atque ego ſi alibi
Plus perdiderim, minus ægrè habeam, minúſque id mihi damno ducam.
Certò hic prope me mihi neſcio quis loqui viſus eſt. ſed quem video,
Hic quidem pater Mneſilochi eſt. NI. euge, ſocium ærumnæ, & mei mali video. D
Philoxene ſalue. PH. & tu, vnde agis? NI. vnde homo miſer, & infortunatus.
PH. At pol ego ibi ſum, eſſe vbi miſerum hominem decet, atque infortunatum.
NI. Igitur pari fortuna, ætate vt ſumus, vtimur. PH. ſic eſt. ſed tu,
Quid tibi'ſt? NI. pol mihi par, idem eſt, quod tibi. PH. nunquídnam ad filium
Hæc egritudo attinet? NI. admodum. PH. idem mihi morbus in pectore eſt.
NI. At mihi Chryſalus optimus homo. * * *

Perdidit



A * * Perdidit filium, me atque rem omnem
Meam. PH. quid tibi ex filiónam obſecro ægrè eſt? NI. ſcies, id, periit.
Cum tuo atque ambo æquè amicas habent. PH. qui ſcis? NI. vidi. PH. hei mihi, diſperij.
NI. Quid dubitamus pultare, atque huc euocare ambas foras?
PH. Haud moror. NI. heus Bacchis. iube ſis actutum aperiri fores,
Niſi mauoltis fores & poſtes comminui ſecuribus.

QVICVNQVE VBIQVE SVNT, &c.] nunc ſenex Nicobulus tota re à milite cognita, inducitur ſeipſe accuſans, miſerans & crucians. Quicunque vbi ſunt, autem, quomodo edidit Camerarius, ſi recta ſcriptura eſt, poſitum, pro, qui vbicunque ſunt, vt ſit anaſtrophe, vel B ſic explica, pro quicumque, vbicumque ſunt, vt iteretur *cumque*, ſed lego, quicumque vbique ſunt. quæ lectio videtur omni ex parte mendo vacare: cùm præſertim nonnullis in libris manuſcriptis reperiatur. Ne vulgata quidem magnopere reiicienda ſit, Quicumque vbi vbi ſunt, &c. ſi auctoritate veterum codicum nitatur. FVNGI,] fungus, inſipidus eſt ſuapte natura. Itaque à cocis multo pipere, & oleo, & vino, & ſale condiri ſolet. hinc fungi dicuntur, qui nihil ſapiunt. ſic ſuprà ead. fab. *Adeón' me fuiſſe fungum, vt qui illi crederem?* BARDI] bardi, quaſi βραδεῖς, id eſt, tardi, vt vult Feſtus. BLENNI,] Feſtus, blennos, ſtultos eſſe Plautus indicat, qui ait, ſtulti, ſtolidi, fatui, fũgi, bardi, blẽni, buccones. BVCCONES] buccones ſunt, qui buccas magnas & longas, vel amplas habent: cuiuſmodi homines, Phyſiognomones dicũt eſſe ſtolidos, leueis, & futileis πολέμων in Phyſiognomonico. παρειαὶ σαρκώδεις ῥᾳθυμίαν, καὶ οἰνοφλυγίαν τοῦ ἀνδρὸς κατηγοροῦσι. παρειαὶ μακραὶ φλύαρον καὶ ματαιολόγον δηλοῦσιν. id eſt, buccæ carnoſæ ſocordiam & ebrioſitatem hominis arguunt, ac declarant: buccæ longæ, nugatorem & vaniloquum ſignificant. Apuleius, *ſi cum hac vna Ruſi fallacia contendentur, macri prorſus, & buccones videbuntur*. HOCCINE ÆTATIS LVDOS BIS FACTVM, &c.] éſtne decorum me hac ætate bis ludibrio eſſe habitum, atque illuſum? ſic autem legendum, *ludos factum*, non vt vulgò, *ludum factum*. nam ludos facere, aliquem ſolet dicere Plautus, pro ludificare, vt infrà eadem ſcena, C non longè, *immò ædepol ſic ludos factum cano capite*. ſuprà in Aulul. *Quem ſenecta ætate ludos facias haud merito meo*. MAGIS QVAM ID REPETO TAM M. VR.] quàm magis id memoria repeto. tam magis angor, & crucior, quanto magis id recordor, tantò magis iracundia & dolore ardeo. VROR] crucior. In Pœnulo. *id nunc his cerebrum vritur*. Horat. epiſtol. 2. libro 2. *Vrit enim fulgore ſuo qui prægrauat arteis, infra ſe poſitas*. QVÆ MEVS FILIVS TVRBAVIT.] vel enuntiatiuè, vel interrogatiuè, legere licet. enuntiatiuè, quæ meus fil. turb. id eſt, quas quidem turbas filius meus fecit. interrogatiuè, ſic, quæ meus filius turbauit? id eſt, quas meus filius turbas fecit? ERADICATVS SVM] tralatio ab arboribus, quæ radicitùs euulſæ intereunt, neque vnquam poſtea reuiuiſcũt. Sic in Aulul. *Suam re periſſe, ſeque eradicarier*. OMNIBVS EXEMPLIS] omnibus modis. IS ME SCELVS, &c.] is me ſceleſtus, &c. ATTONDIT] deluſit, ludificauit, vel mulcauit, ſpoliauit, nudauit, attriuit, & auro emunxit. tralatio eſt. ſic in Captiuis. *Sed vtrùm ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem neſcio*. Idem ſuprà eadem fab. *Itaque tondebo auro vſque ad viuam cutem*. putabam etiam ſic explicari poſſe, ignominia & dedecore affecit, dedecorauit: vt ad antiquorum Græcorum conſuetudinem referatur, qui non tondebantur: atque idcircò dicuntur ab Homero, καρηκομόωντες. Ex quo illud. D Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν. quod ſic vertit Cicero. *Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum*. Sed nunc hanc explicationem minus probo. Idem in Epidico paullò aliter. *Ne vlmos paraſitos faciat, quæ vſque attondeant*. ITA MILES MEMORAT MERETR.] σχῆμα κατὰ τὸ σιωπώμενον. nihil enim horum in ſcena dictum eſt: ſed ſpectator ex iis, quæ nunc dicuntur, intelligit intus eſſe dicta. DOLIS DOCTIS INDOCTVM] antitheſis. VT QVIDQVID ACTVM'ST.] id eſt, vt quidque actum eſt. *quidquid*, pro, quidque notauimus in commentar. Lucretianis, & in notis Ciceronianis. MEMORAVIT] dixit. RELIQVVM ID AVRI F. QVOD EI PR.] dixit mihi miles id auri, quod ei ſtipulanti promiſiſſem, reliquum eſſe factum, id eſt, reliquum eſſe quod ei debeatur, & quod ei renumerandũ ſit, ſi Bacchis domũ reuehi velit, nolítq. amplius ei operas dare. HOC, HOC EST, QVOD PERACESCIT.] hoc, hoc eſt, epanalepſis ad maiorem vim doloris exprimendam, quod peraceſcit, id eſt, quod peracerbum, & permoleſtum eſt. tralatio eſt. ſuprà in Aulul. *Ita mihi pectus peracuit*. HOC ÆTATIS] hac ætate. LVDOS FACTVM.] me ludificatum, & pro ludis habitum. CANO CAPITE, ATQ. ALBA BARBA] amplificatio rei ab ætate, turpius eſt enim ſeni decipi, quàm adoleſcenti. SERVVM MEVM NON NAVCI.] ſeruum meum, contemtiſſimum, qui ne nauci quidem eſt. Quid ſit *nauci*, multis verbis docet Feſtus, quæ longum ſit referre, ſed ſumma hæc eſt, nau-

cum,ſeu nauci alios tradere,eſſe id,quod ineſt in oleæ nuce:alios, omniũ rerum putamen:alios, A
fabæ granum,quod hæreat in fabæ hilo:alios,nucis iuglandis medium diſſæpimentum. Deinde profert hæc ex Plauto in Paraſito pigro,*Ambo magna laude elauti,poſtremò ambo ſumus non nauci.* Idem in Moſtell.*Quod id eſſe dicam verbum nauci neſcio.*& in Trucul.*Amas hominem non nauci.*Et Ennius,*illic eſt nugator nihili,nõ nauci homo.*Cariſius.*nauci* pro nihili.Eſt autẽ fabæ granũ.quũ ſe aperit. Non eſt autẽ ita coniunctè legendũ,*non nauci facere*,&c.ſed diuiſim & ſeparatim hoc modo, hoc ſeruũ meum,hominẽ non nauci,facere eſſe auſum.Idem in Moſtell. *Qui homo timidus erit in rebus dubiis,nauci non erit.* ATQ. EGO SI ALIBI PLVS P.&c.] ſententia eſt hæc, atque ego ſi in alia re plus auri perdiderim, æquiore animo feram , minúſque id mihi damnoſum eſſe putem.nunc autem,cùm in flagitiis filij tantam auri iacturam fecerim, & à ſeruo meo ludificatus, atque illuſus ſim,ferre non poſſum. SOCIVM ÆRVMNÆ, &c.] ſocium ærumnæ appellat Nicobulus Philoxenum,quia filius quoque eius Piſtoclerus luſtris corrumpitur, & alterã Bacchidem amat.quid ſit ærumna,ſuprà dictum eſt. VNDE AGIS?] ſubintell.*te.*IGITVR PARI FORTVNA, ÆTATE VT SVMVS, VTIMVR] ergo,inquit, vt ſumus ætate pares,atque æquales,ita parem fortunam experimur. SED TV QVID TIBI'S T?] vel, *tu*,ſuperuacaneũ eſt,& nihil habet,quò referatur,vt ſit ἀνακόλουθον: vel ſubintelligendũ eſt, *dic*, aut aliquod aliud verbum ſimile. PAR, IDEM EST QVOD TIBI.]. par, atque adeò idem B
eſt,quod tibi par mihi eſt,immò verò idem,quod tibi.NVMQVIDNAM AD FIL. HÆC AEGR. ATT.] nunquid hæc ægritudo,de qua mecum loqueris,propter filium tuum tibi accidit? IDEM MIHI MORBVS IN P.] eadem mihi ægritudo in animo eſt. AT MIHI CHRYSALVS, OPTIMVS HOMO,&c.] nihil hîc quod quidem ad ſententiam attineat, deeſt.ſed ad verſus integritatem:deeſt fortaſſe aliquid. optimus homo,quamquàm rariùs à probatis linguæ Latinæ auctoribus vſurpatur,quàm optimus vir,vſurpatur interdum tamen verò à Mar.Tull.Cicerone non ſemel,vt & bonus homo.exempli cauſa lib.1.epiſt. ad Attic. epiſt. 2. *Coßinius hic,cui dedi litteras,valdè mihi bonus homo,& non leuis, & amans tui viſus eſt.* Idem lib. 1. ad eundem epiſt.15.*Nam ſi ita ſtatueris,& irritabileis animos eſſe optimorum ſæpe virorum, & eoſdem placabileis*,&c.Plautus infrà in Moſtellaria. *Hominem optimum teneo.*Idem ſuprà in Captiuis.*Me hîc valere, & ſeruitutem ſeruire huic homini optimo:* & item aliis locis quàmplurimis. ID: PERIIT.] id mihi ægrè eſt:periit filius meus:id ipſum mihi ægrè eſt,filium meum periiſſe. CVM TVO, ATQVE AMBO AEQVÈ AM. HAB.]cum tuo amicam habet : atque adeò ambo æquè amicas habent.quidam delent diſtinctionis notam poſt verbum *periit*, & ſic legunt,*periit cum tuo:atque ambo*,&c.& ita explicant, id mihi ægrè eſt:periit filius cum tuo : atque ambo,&c. ſed malim C
hoc quod ſequitur,*atque ambo æquè amicas habent*,accipi, tanquam correctionem ſuperiorum verborum,*cum tuo.*Nam cùm dicturus videretur,*cum tuo amicam habet*:quod ſi dixiſſet, potuiſſet hoc ſic intelligi,Mneſilochum communem cum Piſtoclero amicam habere.Idcircò cùm ita cœpiſſet,*cum hoc*:continuò orationem correxit,& ſubiunxit,*atque ambo*,&c. HAVD MOROR]non moror te,quominus euoces. IVBE SIS] iube ſi vis. ET POSTEIS.] poſteis ex quibus conſtant fores:vel poſteis accipe,limen ſuperum,& inferum:vel poſteis qui ſunt à dextra,& læua.Virg.Æneid.2.*Hærent parietibus ſcalæ,poſteiſque ſub ipſos Nituntur gradibus.*

## BACCHIDES II. ſorores. NICOBVLVS, PHILOXENVS, ſenes.

QVis ſonitu ac tumultu tanto nomine nominat
Me,atque pultat ædeis? NI. ego atque hic. BA. quid hoc eſt D
Negotij?nam amabo quis has huc oueis adegit?
NI. Ouis nos vocant peſſumæ. SO. paſtor harum
Dormit,cùm hæ eunt ſic à pecu palitantes.
BA. At pol nitent,haud ſordidæ videntur ambæ.
SO. At tonſæ hæ quidem ambæ vſque ſunt. PH. vt videntur
Deridere nos? NI. ſine,ſuo vſque arbitratu.
BA. Rerin' ter in anno tu has tonſitari? SO. pol hodie
Altera iam bis detonſa certò eſt. BA. vetulæ
Sunt,thymiama. SO. at bonas fuiſſe credo.

Viden'



A SO. Viden' limulis obſecro vt intuentur?
BA. Ecaſtor ſine omni arbitror malitia eſſe.
PH. Meritò hoc nobis fit,qui quidem huc venerimus.
BA. Cogantur quidem intrò. SO. haud ſcio quid eo opus ſit;
Quæ nec lactem,nec lanam vllam habent.ſic ſine aſtent.
Exſoluêre,quanti fuere.omnis fructus
Iam illis decidit.non vides vt palantes
Solæ liberè graſſentur? quin ætate credo eſſe mutas:
Ne balant quidem,cùm à pecu cætero abſunt. SO. ſtultæ atque haud malæ videntur.
BA. Reuortamur intrò ſoror. NI. illico ambæ manete. hæ oues volunt vos. B
BA. Prodigium hoc quidem eſt.humana nos voce appellant oues.
PH. Hæ oues vobis malam rem magnam,quam debent,dabunt.
BA. Si quam debes,te condono,tibi habe,nunquam abs te petam.
Sed quid eſt quapropter nobis vos malum minitamini?
PH. Quia noſtros agnos concluſos iſtic eſſe aiunt duos.
NI. Et præter eos agnos,meus eſt iſtic clam mordax canis:
Qui niſi nobis producuntur,iámque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus,iam in vos incurſabimus.
BA. Soror,eſt quod te volo ſecretò. SO. ehò amabo. NI. quò illæ abeunt? BA. ſenem illum
C Tibi dedo vlteriorem,lepidè vt lenitum reddas,ego ad hunc
Iratum aggrediar. poſſumus nos hos intrò inlicere huc? SO. meum
Penſum ego lepidè accurabo, quanquam odioſum eſt mortem amplexari.
BA. Facito vt facias. SO. taceas,tu tuum facito,ego quod dixi,haud mutabo.
NI. Quid illæc illic in conſilio duæ ſecretò conſultant?
PH. Quid ais tu homo? NI. quid me vis? PH. pudet dicere me tibi quiddam.
D NI. Quid eſt quod pudeat? PH. ſed amico homini tibi quod volo, credere certum'ſt:
Nihili ſum. NI. iſtuc iampridem ſcio.ſed quid nihili ſis, memora.
PH. Tactus ſum vehementer viſco, cor ſtimulo foditur. NI. pol tibi
Multo æquius eſt coxendicem.
Sed quid iſtuc eſt?etſi iam ego ipſe quid ſit,propè ſcire puto me,
Verùm audire etiam ex te ſtudeo. PH. viden hanc? NI. video. PH. haud mala'ſt mulier.
NI. Pol verò iſta mala,& tu nihili. PH. quid multa?ego amo. NI. an amas? PH. necas.

NI. Tu homo putidus amator iſtac fieri ætate audes? PH. qui non? A
NI. Quia flagitium'ſt. PH. quid opus verbis eſt? meo filio non
ſum iratus,
Neque te tuo eſt æquum eſſe iratum. ſi amant, ſapienter faciunt.
BA. Sequere hàc. NI. eunt. eccas tandem probri perlecebræ & per-
ſuaſtrices.
Quid? nunc etiam redditis nobis filios & ſeruum? an ego
Experior tecum vim maiorem? PH. abin hinc?
Non homo tu quidem es, qui iſtoc pacto tam lepidam illepidè
appelles.
BA. Senex optime, quantum'ſt in terra, ſine hoc exorare abs te,
Vt iſtuc delictum deſiſtas tantopere ire oppugnatum. B
NI. Niſi abeas, quanquam tu bella es, malum tibi magnum dabo iam.
BA. patiar,
Non metuo ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. vt blandilo-
qua eſt?
Hei mihi metuo. SO. hic magis tranquillu'ſt.
I hàc mecum intrò: atque ibi, ſi quid vis, filium concaſtigato.
NI. Abin' à me ſcelus. BA. ſine mea pietas exorem. NI. exores
tu me?
BA. Ego quidem ab hoc certè exorabo. PH. immò ego te oro, vt me
intrò abducas.
SO. Lepidum te. PH. at ſcin, quo pacto me ad te intrò abducas? BA. C
mecum vt ſis.
PH. Omnia, quæ cupio, commemoras. NI. vidi ego nequam
Homines, verùm te neminem deteriorem. PH. ita ſum.
BA. I hàc mecum intrò, vbi ſit tibi lepidè victibus, vino atque vn-
guentis.
NI. Satis ſatis iam voſtri'ſt côuiuij, me nihil pœnitet, vt ſim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me & Chryſalus circumduxerunt,
Quem quidem ego, vt non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.
BA. Quid tandem, ſi dimidium auri redditur? iſne tu hàc mecum
Intrò, atque vt eis delicta ignoſcas? PH. faciet. D
NI. Minimè. nolo, nihil moror. ſine ſic. malo illos vlciſci ambo.
PH. Etiam tu homo nihili, quod dij dant boni, caues culpa tua amiſſis?
Dimidium auri datur, accipias: potéſque, & ſcortum accumbas:
NI. Egón', vbi filius corrumpatur meus, ibi potem? PH. potan-
dum eſt.
NI. Age iam id, vtut eſt, & ſi eſt dedecorum, patiar facere. inducam
Animum. egón', cùm hæc cum illo accumbet, inſpectem? BA.
immò equidem pol tecum
Accumbam, te amabo, & te amplexabor. NI. caput prurit:
perij.





A Vix negito. BA. non tibi venit in mentem, amabo, ſi dum
viuas,
Tibi bene facias, iam pol id quidem eſſe haud perlonginquum:
Neque ſi hoc hodie amiſeris, pòſt in morte id euenturum eſſe vn-
quam?
NI. Quid ago? PH. quid agas? rogitas etiam? NI. libet, & metuo.
BA. quid metuis?
NI. Ne obnoxius filio ſim, & ſeruo. BA. mel meum, amabo. iſtæc
fiunt.
Tuus eſt. vnde illum cenſes ſumere, niſi quod tu te illi dederis?
Hanc veniam illis ſine te exorem. NI. vt terebrat? ſatin' offir-
B matum
Quod mihi erat, id me exorat? tua ſum opera, & propter te im-
probior.
BA. Nuſquam tu me à te auelles, ſatin' ego iſtuc habeo offirmatum?
NI. Quod ſemel dixi, haud mutabo. BA. it dies, ite intrò accu-
bitum.
Filij vos exſpectant intus. NI. quàm quidem actutum emo-
rimur?
BA. Veſper hîc eſt, ſequimini. PH. ducite nos quò lubet, tanquam
quidem addictos.
BA. Lepidè ipſi hi ſunt capti, ſuis qui filiis fecere inſidias. ite.

C

NOMINE NOMINAT ME] nominatim me appellat. Sic Virgil. libro 4. *& nomine Dido ſæpe vocaturum.* ATQVE PVLTAT ÆDEIS?] & pulſat ædeis? QVIS HAS HVC OVEIS ADEGIT?] quis has oueis huc compulit? oueis appellat ſenes duos, Nicobulum & Philoxenum, propter canitiem, vel potiùs propter fatuitatem & ſtultitiam. eſt enim hoc animal ſtolidiſſimum. Etiam Græci ſtolidos & fatuos πρόβατα vocant. A PECV PALITANTES.] à pecu, id eſt, à grege, à pecore. palitantes, id eſt, errantes, crebrò palantes. *palito, as*, ſeu palitor, ris. frequentatiuum verbum, à palo, as, ſeu palor, ris: vt muſſito, as, à muſſo, as, cantito, as, à canto, pipito, à pipo: quod à Catullo vſurpatum eſt in carmine de paſſere Leſb. *Ad ſolam dominam vſque pipitabat*. quamquam legitur quoque *vſque pipulabat*. Quamquam Cariſius lib. 1. inſtitutionum gramm. hunc locum proferens in voce *pecu*, videtur legiſſe *balitantes*. quæ lectio ſi recta eſt, balitantes à verbo balito, as, erit frequentatiuum à verbo balo, as. ego palitantes, retineo. NITENT:] nitida cute ſunt, non ſcabra neque horrida. TONSAE.] ambiguum. nam ſignificat hos ſenes, à filiis & ſeruis compilatos & auro emunctos eſſe. SINE SVO VSQVE AR-
D BITR.] ſine, derideant nos, vt eis lubebit. RERIN', &c.] reríſne, id eſt, arbitraríſne, &c. TER IN ANNO] Sic M. Tull. pro Roſcio Amerino. *Vnde vix ter in anno audire nuntium poſſunt.* TONSITARI] argento emungi? ambiguè dictum. ALTERA IAM BIS DETONSA, &c.] ſignificat Nicobulum alterum ſenem, Mneſilochi patrem à Chryſalo ſeruo bis deluſum, & auro emunctum eſſe. VETVLAE SVNT, THYMIAMA] vix latum vnguem à vetere ſcriptura diſceſſi. Nam ex thymiamæ, quæ ſcriptura in codicibus manuſcriptis reperitur omnibus, excepto vno atque altero, qui habent *Chimiamæ*, ego thymiama feci. Eſt autem thymiama ſuffimentum, & odor incenſus ex aliquo aromate, aut re aliqua grati odoris. quæ incenduntur autem, arida ſint, neceſſe eſt. hos ſenes igitur ſignificat eſſe ita macros atque aridos, vt thymiamatis vſum præbere, ſi incendantur, poſſint. Libri vulgati habent *thymianæ*: quod quid ſibi velit, arbitror hominem ſcire neminem. Adrian. Turneb. tamen lib. aduerſar. 24. cap. xj. ſcribit thymianas oueis dici videri à thymo. Nam in Narbonenſi Gallia, inquit ille, lapidei campi thymo abundabant, eóque infinita pecudum millia conueniebant. thymianæ, tamen hîc malæ erunt, credo, propter longinquitatem viæ macreſcêres. Thymiamæ ſe in veteribus libris reperiſſe ſcribit Ioachimus Camerarius vtriuſque linguæ hodie princeps: quæ vox quid ſignificet, conſulendum Apollinis oraculum, niſi, thymum amâtes explices. ac vidi qui thymiama defenderent, vt rei diuinæ aptas, quales à parcioribus emebantur viliores ac macriores, &c. Hæc igitur ille.

Ego autem in iis ſum,qui thymiama tueor ac defendo:atque equidem,ſi bene memini,hac ipſe A
de re cum eo,aliquanto antè quàm è vita exceſſiſſet,locutus ſum, dixíque *thymiama*, defendi
poſſe,ſine graui veteris ſcripturæ iniuria.quod ille mihi aſſentiebatur, vt ſcriptum reliquit. ſed
quod item teſtatum reliquit, *thymianæ* magis probauit,à quo diſſentio. AT BONAS FVIS-
SE CR.]at pingueis fuiſſe credo. LIMVLIS] limulis oculis,vel minus quàm limis,vel valde
limis.Limus oculus autem,id eſt,obliquus,tranſuerſus.Terent.Eun. *Ego limis adſpecto ſic per flabel-
lum clanculum.*ad quem locum legendus Donatus. SINE OMNI MALITIA ESSE] mi-
nimè malos eſſe εὐεξαπατήτους, ad decipiendum facileis. COGANTVR QVIDEM IN-
TRÒ] cogantur,id eſt,compellantur. intrò cogantur,dixit, quaſi loquens de ouibus. Virgil.in
Palæmone. *Tityre coge pecus.* Idem in Melibæo. *Compulerántque greges Corydon & Thyrſis in vnum.*
HAVD SCIO, QVID EO OP. S. QVAE NEC LACTEM,&c.]non video quamob-
rem has oueis expediat intrò cogi, quippe quæ nec lac,nec lanam habeant. Lac non habent,
quia ſunt vetulæ,& ſenio confectæ:Lanam,quia ſunt probè attonſæ. hæc lactis,is, dixerunt ve-
teres,vt ex hoc loco apparet,& hoc lacte,is,& lac,lactis. Quidam tamen hîc nec *lacte*, legi vo-
lunt.nam *lactem* nuſquam alibi reperiri,niſi fortè apud Apuleium libro 8.*Sinu ſtipes recepere patu-
lo: necnon & vini cadum,& lactem,& caſeos,& farris,& ſiliginis aliquid.* Idem eodem lib. *nequo caſu,
Deæ peregrinæ ſtomachus,vt quorundam hominum lactem,ſic illa ſanguinem conſpiceret aſininum.* Idem eo- B
dem lib.*lacte* poſuit in neutro,ibi,*eum rogauit vnus è noſtris,haberétne lacte vel adhuc liquidũ, vel in ca-
ſeum recentem inchoatum.*Sic Plautus in Menæchmis.*Neque aqua aquæ,neque lacte eſt lacti,crede mihi vſ-
quam ſimilius,Quàm hic tui'ſt.* Idem in Milite glor.*Tam ſimilem quàm lacte lacti'ſt.*Cariſius lib.1.inſti-
tutionum grammatic. nullum alium rectum caſum huius vocis agnoſcere videtur, quàm *lac*,
aut *lacte*.profértque auctoritatem Catonis: *Et in Italia atras capras lacte album habere.* quare exiſti-
marim hîc ſcribendum,& legendum *lacte.* EXSOLVÊRE QVANTI F.]exſoluêre pretium,
quanti emtæ ſunt,id eſt,tantum lactis, & lanæ, poſtquàm emtæ ſunt, eis detractum eſt, vt pre-
tium,quo emtæ ſunt, exſarcierint: nihílque amplius eis detrahi poteſt. VT PALANTES.]
quo pacto errantes. GRASSENTVR.]graſſari propriè eſt,incedere,ambulare.Afran.*conſimili
graſſantur via.*Salluſtius Iugurt.princ.*Qui vbi ad gloriam virtutis via graſſatur, abundè pollens, potênſque
& clarus eſt.* MVTAS] quia non balant,vt ſtatim ſubiicit. Virgil.libro 9.Æneid.*Molle pecus mu-
túmque metu.*Idem 12.*ſtat pecus omne metu mutum.* ATQVE HAVD MALAE] & minimè ma-
læ:hoc eſt,nõ malitioſæ:χαθ' ἐλάττωσιν,ſignificat eſſe ſtultas,vt iam dixit.Alij ſic,haud malę,id
eſt,non deformes ILLICÒ AMBAE M.] iamiam ambæ conſiſtite, neque domum iegre-
dimini. MALAM REM MAGNAM Q. D. D.] ſic infrà.*niſi abeas, quamquam tu bella es,ma-
lum tibi magnum dabo iam.*Idem in Caſina. *dabo μέγα κακὸν, vt opinor, niſi reſiſtis.* atque ita intelli- C
gendum eſt illud epigramma,quod eſt in Priapeiis,*quod mouear non eſt,quia ſi furaberis ipſe Grandia
mâla,tibi macra brachia dabo.*id eſt,mâla,priore ſyllaba producta,grandia dabo tibi breuia, id eſt,
priore ſyllaba breui, hoc eſt, dabo tibi non grandia mâla, priore ſyllaba longa, ſed grandia
mala,priore ſyllaba breui.vel ſic,mala grandia,quæ ſunt macra,id eſt,longua in priore ſyllaba,
dabo tibi brachia,hoc eſt,breuia.paucis verbis hoc dicit, grandia mala (prior ſyllaba breui) ti-
bi dabo.ſed,ne quid diſſimulem,id epigramma ita primus omnium & emendauit, & explica-
uit Petrus Victorius lib.xj.Varro.cap.17. Nam vulgò ſic legebatur, grandia mâla tibi brachica
mala dabo.TE CONDONO.] tibi remitto:tibi gratiam facio:NOSTROS AGNOS] no-
ſtros filios.in allegoria manet. MORDAX CANIS.] Chryſalus, qui non ſolùm latrare, ſed
etiam mordere conſueuit. ARIETES TRVCES ER.]petemus vos cornibus,vt arietes: &
vt mox ſubiicit,in vos incurſabimus.ſuprà in Aſin. princ. *vbi viuos homines mortui incurſant boues.*
SECRETÒ.] χωρὶς.ſeorſum ab his ſenibus.hinc ſecretum petere. TIBI DEDO VLTE-
RIOREM] trado tibi in poteſtatem ſenem remotiorem, nempe Philoxenum. Sed Priſcianus
libro 3.hunc locum proferens,legit *veteriorem,* & lib. 6. vbi profert hæc verba Catonis ex libro D
1.Origin.*Antemna veterior eſt quàm Roma.* LEPIDÈ VT LENITVM REDD.]vt ſæuum &
iratum lenias,& placatum reddas. INLICERE] illecebris,& blanditiis noſtris attrahere?
MEVM PENSVM,&c.] meum munus belle adminiſtrabo.tralatio eſt à lanificio. MOR-
TEM AMPLEXARI]mortem,id eſt,ſenem capularem,& Acheru nticum,& decrepitum. ſe-
nem exſanguem,& frigidum,& mortuo,quàm viuo ſimiliorem. Sic lepidè & facetè Stratoni-
cus ille locum inſalubrem notans & vellicans, & homines valdè pallidos, mortuos appellans,
inuerſa ſententia, dicebat tam ſalubrem eſſe, vt etiam mortui in eo ambularẽt:cùm ſignificaret
ex hominum eius loci pallore, & lurido colore eam regionem eſſe inſalubrem, & morbidam.
FACITO VT FACIAS.]Philoxenum lenito. EGO QVOD DIXI, HAVD MVTA-
BO.] ego ab eo quod dixi,non deſciſcam,ſeu deſiſtam.non mutabo ſententiam,aut conſilium.
Terent.Andr.*haud muto factum.* PVDET DICERE ME TIBI QVID D.] Philoxenus hîc
incipit amare vnam ex Bacchidibus. CREDERE] committere: aperire conſilium recondi-
tum,occultum atque arcanum. CERTVM'ST] deliberatum eſt. NIHILI SVM] nequam
ſum,quia ſenex amore captus ſum. SED QVID NIHILI SIS, MEM.] ſed dic quamob-
rem nequam & nullius pretij ſis. TACTVS SVM VEHEMENTER VISCO.] valdè
amore captus ſum.tranſlatũ ab auibus,quæ viſco contactæ,capiuntur.COR STIMVLO F.]
animus



A animus amore,tanquam ſtimulo pungitur, & ſauciatur. POL TIBI MVLTÒ ÆQVIVS
COXEND.] pol multò æquius eſt tibi coxam ſtimulo fodi, vt equo tardiùs eunti, aut vt aſino
pigro.debet tibi coxendix potiùs ſtimulo fodi, quàm cor, aut animus. HAVD MALA'ST
MVLIER] haud deformis,neq. inuenuſta eſt mulier. POL VERÒ ISTA MALA] mala,
quia improba & impudica.ambiguũ nomen,*mala.*QVID MVLTA?] quid multa tibi dicam?
NECAS]necas me,cùm toties rem eamdẽ à me iterari poſtulas. HOMO PVTIDVS.]homo
fœtidus,& qui ætate putorem contraxiſti.Nonnulli libri habent,putridus. AVDES?] τολμᾷς
ἀποτολμᾷς non dubitas?non vereris? QVIA FLAGITIVM'ST] quia turpe factũ eſt ſenem
amare flagitium,facinus rubore ſuffundens,& dedecus importans. SI AMANT, SAPIEN-
TER F.]ſic in Menæchm.*At enim ille hinc amat meretricem ex proximo.* SEN.*ſanè ſapit.*Horat.oda.
7.lib.1.*Sic tu ſapiens finire memento Triſtitiam,vitæq; laborem Molli,Plance,mero.*Idem oda.xj. eiuſdem li-
bri.*Sapias:vina liques, & ſpatio breui Spem longam reſeces.* PROBRI PERLECEBRAE, ET
PERSVA.]probri perlecebræ,id eſt, quæ ad probrum ſuis blanditiis pelliciunt: & perſuaſtri-
ces,quæ probrum perſuadent.ſuprà in Aſin.*Te perdam ego & filiam, Perlecebræ pernicies adoleſcentum,
exitium.*à ſupino *perſuaſu*,fecit verbale fœmininum *perſuaſtrix* interpoſito.t. Fortunatianus Rhe-
B tor.lib.3.appellat,hoc δυσπρόσφορον, dyſprophoron, inquit, vt ſi quis dicat *perſuaſtrices,præſtia-
trices,atque inductrices,tigres.*talia ſunt illa, tonſtrix, aſſeſtrix, &c. VIM MAIOREM?] vim, cui
pares eſſe non poſſitis?vim quam ferre non poſſitis? vim maiorem commemorant etiam iuriſ-
conſulti,cui opponitur vis feſtucaria. NON HOMO TV QVIDEM ES,&c.] non tu qui-
dem homo es,ſed fera,aut ſaxum,qui,&c. SENEX OPTIME QVANTVM'ST IN T.] ſe-
nex,quos terra gerit, optime, vel optime omnium hominum, quantum eſt hominum in terra.
ſic ferè Horatius loquitur oda.5.Epod.*At ô,deorum quidquid in cœlo regit Terras, & humanum genus.*
Idem Sat. 6.lib. 1. *Non quia Mæcenas, Lydorum quidquid Etruſcos Incoluit fineis,nemo generoſior eſt te.* &c.
Terent.Heaut.*Vt te omnes equidem dij,deæq;,quantum'ſt Syre,Cum iſthoc inuento,cúmque incœpto perduint.*
Catull.ad Verann.*O quantum eſt hominum beatiorum,*&c.Plautus in Capt. *oh mihi Quantum'ſt homi-
num optimorum,optime.*Idem in Rud.*Exi è fano natum quantum'ſt hominum ſacrilegiſſime.*EXORARE
ABS TE.]impetrare abs te. DELICTVM.]filij tui. TANTOPERE IRE OPPVGNA-
TVM. ] tantopere oppugnare.Terent.Andr.*Cur te is perditum?* NON METVO, NE QVID
MIHI DOL. QVOD F.]non metuo ne qua mihi corporis pars doleat,quã tu percutias: quia
vel nullã mihi corporis partẽ feries:vel ſi feries,ęquo animo feram:vel eam mihi corporis partẽ
feries, quæ virileis impetus non reformidat, & ea parte tui corporis feries, quæ nulli vnquam
C fœminæ exitio fuit.HIC MAGIS TRANQVILLVM'ST,] hic, Philoxenus, lenior & faci-
lior eſt.minus ſæuus eſt,minus iracundus, aut truculentus eſt. CONCASTIGATO.] caſtiga-
to.ABIN' À ME SCELVS?] abíſne à me ſceleſta?VIDI EGO NEQVAM HOMINES,
&c.]vidi ego alios improbos,& nullius pretij homines:ſed te deteriorem, ſeu nequiorem non
vidi. ITA SVM.]talis ſum.Terent.Phorm.*Sic ſum.ſi placeo,vtere.* Idem ibid. princip.*ſic eſt inge-
nium.*Idem in Andr.*ſic vita erat.*Cicero pro Roſc.Amer.*ſic vita hominum eſt.*enallage. aduerbium
pro nomine adiectiuo. VT SIT TIBI LEPIDÈ VID.&c.] vt lepidè accipiaris, epu-
lis,vino & vnguentis. SATIS, SATIS IAM VOSTRI'ST,&c.]conuiuium veſtrum non
moror.conuiuium veſtrum non deſidero. ME NIHIL POEN. VT SIM ACC.] ironia
eſt.hoc enim ſignificat,non video mihi malè à vobis acceptus.non queror de vobis,me à vobis
parùm lautè eſſe acceptum.*me nihil pœnitet*,hîc valet,non queror, non parùm mihi videtur. hæc
autem verborum ſententia eſt,ſi verba,& id quod verbis ſignificatur,ſpectes.ſed,ſi ſenſum eius
qui loquitur,inſpicias,& conſideres,hæc ſatis me expilaſtis, dum filium meũ, amore irretitum,
teneris:ſatis me vos,& filius,& ſeruus meus,magnificè decepiſtis, circumueniſtis, & ſpoliaſtis.
CIRCVMDVXERVNT] circumuenerunt:emunxerunt. QVEM QVIDEM EGO VT
D NON EXCR. ALTERVM T. AVRI N. M.] id eſt,quem vt non excruciem,ſi quis mihi
alterum tantum auri,quantum perdidi,donet, accipere nolim. alterum tantum auri, quantum
amiſi,lucrifacere,aut mercedis,pretiíue nomine accipere nolim,vt Chryſalum non excruciem.
altero tanto auro,quantum amiſi,conduci non poſſum,vt Chryſalum non excruciem.non me-
ream,id eſt,non accipiam in mercedem, ſeu, mercedis loco, ſeu pro mercede. ſi quis mihi hanc
mercedem offerat,tantum auri,quantum amiſi,& prætereà alterum tantum ne Chryſalum ex-
cruciem,ego eam mercedem accipere nolim,Notauimus hoc loquendi genus in commentar.
Horat.ad epiſt.18.lib.1.ibi.*prætium ætas altera ſordet.* ISNE TV HAC M.]id eſt,continuóne per
hoc oſtium mecum domum intrabis?præſens tempus,pro futuro. *íſne tu*, pro ibíſne tu. ATQ.
VT EIS DELICTA IGNOSCAS.]vel,*atque*,hîc valet *ſtatim*,vt & alibi:vel accipiendũ pro
*etiam*,hoc modo,hâc íſne hâc mecum intrò, etiam vt eis delicta ignoſcas?quaſi dicat,ergo mul-
to magis,vt benè,& lepidè accipiaris, vel aliquid tale ſubintelligendum eſt, vt tibi facias bene,
antè,*atque vt eis delicta*,hoc modo,íſne mecum intrò,primùm vt tibi facias benè,deinde, vt filio,
& ſeruo tuo delicta ignoſcas? MINIMÈ.] minimè eo. NIHIL MOROR.] ne ſi alterũ tan-
tum quidem auri mihi reddatur,quantum amiſi,introire,& illis ignoſcere velim.SINE SIC.]
ſic αὔτως, vel οὕτως δεικτικῶς.geſtu enim eſt adiuuandum,cùm ab actore pronuntiatur, vt illa,
*Tantillum puerum,huius non faciam*,& ſimilia.notat Donatus ad illud Terent.in Andr.*Mirabar hoc,ſi*

*ſic abiret.* Ambo.]ambo,pro ambos.antiquè,vt ſæpè alibi.Etiam tv homo nihili A
qvod dii dant boni, caves cvlpa t. a.?]ſic legendum,non vt vulgò,*cauè*,
& amiſſis.cum interpunctione vnica enuntiationem ſignificante.ſententia autem hęc eſt,etiam
tu homo nullius pretij non caues, ne, quod dij tibi dant boni,culpa tua amiſeris?Qvod dii
dant boni,] dij ab Homero,δώτηρες ἐάων.id eſt, largitores bonorum , dicuntur non ſe-
mel. Amissis.]amiſeris. Potésqve,]& potes,à verbo poto,as.Et scortvm ac-
cvmbas.]& ſcorto accumbas.vel ad ſcortum,id eſt,prope ſcortum cubes. veteres enim non
repetebant præpoſitiones,ſi iam verbis erant additæ: vt *adigere arbitrum* , dicebant , non, adi-
gere ad arbitrum. Vtvt est,] qualecumque eſt. Etsi est dedécorvm,]
dedécorum,ſyllaba,quæ antecedit vltimam,breui,hoc eſt,cum dedécore cōiunctum.vtitur eo-
dem nomine & Cornelius Tacitus. Patiar facere.] patiar me facere,patienter,& æ-
quo animo faciam. Indvcam animvm.]inducam animum facere,ſeu potiùs vt faciam.
à me impetrabo,vt faciam.mihi perſuadebo,vt potem,& accumbam ſcorto. Egón', cùm
hæc cvm illo acc.&c.] egóne poſſim inſpectare, cùm Bacchis cum filio meo cuba-
bit?proinde ac ſi dicat,non potero.potero quidem animum inducere, vt potem, & ſcorto ac-
cubem : ſed vt filium inſpectem ſcorto accubantem, non potero.vel dic, ſenem, poſteaquàm
dixit,ſe animum inducturum,vt potet,&c.ſe ipſum reprehendere,propter rei turpitudinē,cùm B
cogitat,fore,vt potans,& cubans cum ſcorto,eadem opera,eodémque tempore filium quoque
vnà potantem,& cubantem inſpectet,& viciſſim ab illo inſpectetur. vel dic, (quod magis pro-
bo)ſenem iam corruptum,tacitè ſignificare,ſe nolle idcircò ingredi,aut ſe minus libenter ingre-
di,quod videat ſe ſpectatorem fore tantum,non etiam actorem. velle ſe autem non inſpectare
filium cum Bacchide cubantem,& oſculantem,ſed ipſum cum Bacchide cubare,& eam ample-
xari. Capvt prvrit: perii.]vel ſignificat,ſe libidine prurire,& voluptatis illecebra
titillari:vel potiùs,ſe ad flagitium aggredi,cum capitis periculo cōiunctum:&,quod ſi reſciſcat
vxor,ſua ſalus & vita in diſcrimen ventura ſit.ſic ſeruus Sceledrus in Milite Glorioſo,ſuo tergo
timens,*Timeo quid rerum geſſerim hic:ita dorſus totus prurit.* Vix negito]*negito*,frequentatiuum,
à verbo nego,as. Non tibi venit in mentem,&c.]ſententia Epicuro digna.ſi-
gnificat enim idem quod Sardanapalus ſepulcro ſuo incidi iuſſit , dum per Parcas licet, eden-
dum,bibendum,ludendum:poſt mortem enim nullam eſſe voluptatem.Sic Lucretius lib.3.*Hoc*
*etiam faciunt,vbi diſcubuere tenéntque Pocula ſæpe homines,& inumbra ora coronis,Ex animo vt dicant, breuis*
*eſt hic fructus homillis.Iam fuerit,neque poſt vnquam reuocare licebit.*& Horat.epiſt.2.lib.2.*At potiùs puer*
*vt feſtis quinquatribus olim,Exiguo,gratóque fruaris tempore raptim.* Si, dvm vivas, tibi be-
ne f.]ſi tantiſper,dum vita, & lucis vſura fruare,te molliter, & iucundè accipias,tuóque ani- C
mo obſequaris,& morem geras. Esse havd perlonginqvvm] non eſſe admo-
dum diuturnum,quia hæc vita ſcilicet breuis eſt,& anni noſtri fugaces.Neq. si hoc ho-
die amiseris, pòst in morte id event. e. v.?] id eſt,neque, ſi hodie, id
eſt,dum tu viuis,& dum tibi poteſtas datur:(nam dies craſtinus longè abeſt à nobis , neque eſt
in cuiuſquam poteſtate)amiſeris fructum voluptatis,eum vnquam poſtea,te mortuo,tibi euen-
turum?in morte,id eſt,te mortuo.nonnulli hæc non intelligentes , legi volunt , *neque ſi hoc hodie*
*amiſeris,poſt mortem id euenturum eſſe vnquam.* quam coniecturam , quamuis non damnem, tamen
receptam tueor. Qvid ago?] dubitantis,& conſultantis ſermo.M.Tullius in Quinctiana.
*Quinctius ad vadimonium , non venit.quid ago?Si me hercule hæc duo verba feciſſes, quid ago ? reſpiraſſet cupi-*
*ditas,atque auaritia paullulum.* Libet, et metvo.] talis deſcribitur ab Ariſtotele inconti-
nens lib.7.de Moribus,in quo pugnat cum libidine ratio. talis eſt ille adulter apud Horatium
Sat.vlt.lib.2.*Metuens induceres,atque Altercante libidinibus tremis oſſa pauore.* talis denique Verr.apud
M.Tull.lib.2.accuſat.Itaque æſtuabat dubitatione:verſabat ſe in vtramque partem,non ſolùm
mente,verumetiam corpore , vt omnes qui aderant , intelligere poſſent, in animo eius metum D
cum cupiditate pugnare. Ne obnoxivs filio sim, et s.] ne filius,& ſeruus ha-
beāt me in ſua poteſtate:ne ſub filij & ſerui imperio,ac ditione ſim: ne filius & ſeruus iam miſſi
ſint domini.quod fiet,ſi idem peccaro, quod in eis reprehendo , & ſi meorum flagitiorum ſint
conſcij,participes ac ſocij.Quod M.Tull.plurib.verbis oſtendit in oratione pro M.Cœlio.*Quis*
*enim hoc nō videt,iudices,aut quis ignorat in eiuſmodi domo,in qua materfamilias meretricio more viuat: in qua*
*nihil geratur,quod foras proferendum ſit:in qua luſtra,libidines,luxuries,omnia denique inaudita vitia,atq.fla-*
*gitia verſentur:hîc ſeruos non eſſe ſeruos?quibus omnia committantur,per quos gerantur,qui verſentur ij, idem in*
*voluptatibus:quibus occulta credantur,ad quos aliquantum etiam ex quotidianis ſumtibus ac luxuria redundet?*
Ex quib. Ciceronis verbis intelligere licet id,quod hîc breuiùs dicitur, eos dominos qui ſeruis
ſuis,& cæteris,in quos habent imperium ac poteſtatem,conſciis, flagitia, aut ſcelera aliqua ad-
mittunt,eadem opera ius ſuum illis imperandi amittere,& iis obnoxios fieri , adeò vt eos me-
tuant potiùs,quàm ab iis metuantur,neque ſi quid illi grauius peccent,de iis pœnas ſumere au-
deant. Mel mevm,]mea iucunditas:mea voluptas. Isthæc fivnt]iſthæc ſunt vſita-
ta:iſthæc ſunt humana.Sic Terentius in Heautontin.*Vulgò id faciunt.* Vt terebrat?] vt
me quaſi terebrando cogit? quo pacto mihi animum blandis ſuis dictis perfodit , & perforat?
tralatio eſt.ſic in Perſa,*Nunquā hercle iſtuc exterebrabis tu,vt ſis peior,quàm ego ſiem.*Satin', offir-
matvm



A matvm qvod mihi erat,&c.] nónne planè, quod mihi erat fixum , & ſtabile, id
ne faciam, me exorat? Et propter te,] id eſt, tua culpa. Satin' ego habeo
ist. off.]nónne ego habeo iſtuc fixum,atque immotū?Qvod semel dixi, havd
mvtabo,] Quod ſemel dixi,non reuocabo,neque me pœnitebit eſſe dictum. τὸ ἐμοὶ ἅπαξ
εἰρημένον,οὐκ ἔστι παλινάγγελον, vt dicam ὁμηρικῶς) οὐδ᾽ ἀπατηλόν. ſic ſuprà non longè. *ego,*
*quod dixi, haud mutabo.* Horatius in carmine ſæcul. *Vóſque veraces ceciniſſe Parcæ Quod ſemel dictum*
*eſt,ſtabiliſque rerum Terminus ſeruat:bona iam peractis Iungite fata.* It dies] Catull.in Epithalamio
Iuliæ, & Manlij. *ſed abit dies.Perge,ne remorare.* Qvàm qvidem actvtvm emori-
mvr?] deſcribitur incontinentis ingenium,qui vult,& non vult. Optat enim hîc ſenex emori
potiùs,quàm vt teſtibus filio ac ſeruo ſcortetur,ac potet,qui tamen modò exoratus eſt ab alte-
ra ex Bacchidib.vt ſibi bene faciat.quidam legi volunt,*quin quidem actutum emorimur?*id eſt, cur
non continuò emorimur?ſed nihil mutare auſim, libris inuitis, cùm præſertim ex ſcriptura re-
cepta eadem ferè ſententia eliciatur , atque ex illa. Nam hæc verba *quàm quidem continuò emo-*
*rimur* ? nihil aliud mihi ſignificare videntur,quàm quod dixi,ſatius eſt nos cōtinuò emori,quàm
talia flagitia admittere filiis & ſeruis noſtris arbitris. Vesper hîc est: seqvim.]do-
mi noſtræ veſper eſt.ſequimini,vt nuptiæ fiant.Veſperi ſponſa domum viri ducebatur : & ve-
B ſperi canebatur Hymenæus.Catull.in carm.nupt.*Veſper adeſt,iuuenes,conſurgite: veſper Olympo Exſpe-*
*ctata diu vix tandem lumina tollit.Surgere iam tempus.iam pingueis linquere menſas.Iam veniet virgo:iam di-*
*cetur hymenæus*,&c.Virgil.Pharmacent.*Mopſe nouas incide faceis:tibi ducitur vxor, Sparge marite nuces:ti-*
*bi deſerit veſperus Oetam.* Tanqvam qvidem addictos.] additi dicebantur,qui cùm
æs alienum diſſoluere non poſſent,à prætore damnati,& creditoribus dediti , ſeu addicti erant
ea lege,vt eis ſeruirent,& operas darent:donec eis ſatisfeciſſent.Itaque licebat creditoribus de-
bitores ſibi addictos in vincula coniicere, quò liberet ducere, verberare, fame necare denique,
maximè ante legem xij.tabul.Non ſolùm autem prætor in tribunali addicebat, ſed etiam præ-
co in auctione.ſuprà in Capt.*Quaſi fundum vendens,meis me addicam legibus.* M.Tull.pro C.Rabi-
rio Poſthumo in extr. *Ecquis eſt ex tanto populo , qui bona C.Rabirij Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici*
*velit?*

## GREX.

C Hi ſenes niſi fuiſſent nihil iam inde ab adoleſcentia,
Non hodie hic tantum flagitium facerent canis capitibus:
Neque adeò hæc faceremus,ni antehac vidiſſemus fieri,
Vt apud lenones riuales filiis fierent patres.
Spectatores,vos valere volumus,& clarè applaudere.

Nisi fvissent nihil]niſi fuiſſent nequā,& nullius pretij,&c. nihil, οὐδέν, οὐτιδανοί.
ſed legendum fortaſſe eſt,nihili: Canis capitibvs.] ſuprà *cano capite,atque alba bar-*
*ba.*Tibull.Elegia.1.*Dicere nec cano delicias capite.* Apvd lenones] apud lenones habitabant
Bacchides,& ſimiles meretrices.Rivales filiis fierent patres.] nefarium &
tætrum,patrem & filium cum eadem fœmina rem habere,quod eſt,eſſe riualeis.Tale ferè eſt il-
D lud in Cluentiana,*Vxor generi,nouerca filij,filiæ pellex.*& illud Tragicum.*Iocaſta eiuſdem Vxor & mater.*

FINIS BACCHIDVM.

xx ij

A

# MOSTELLARIA.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| TRANIO ſeruus. | DELPHIVM meretrix. |
| GRVMIO ſeruus. | THEVROPIDES ſenex. B |
| PHILOLACHES ad. | SIMO ſenex. |
| PHILEMATIVM mer. | DANISTA. |
| SCAPHIA ancilla. | PHANISCVS aduorſitor. |
| CALLIDAMATES adol. | SERVVS alius. |
| | PVER. |

## ARGVMENTVM.

MANV miſit emtos ſuos amores Philolaches,
Omnémque abſente rem ſuo abſumit patre. C
Senem, vt reuenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monſtra ait videri in ædibus,
Et inde primùm emigratum eſſe. interuenit
Lucripeta fœnus fœnerator poſtulans.
Ludúſque rurſum fit ſenex. nam mutuum
Acceptum dicit pignus emtis ædibus,
Requirit quæ ſunt. ait vicini proxumi.
Inſpectat illas. pòſt ſe deriſum dolet,
Ab ſui ſodale gnati exoratur tamen.

SVOS AMORES,] ſuas delicias, τὰ αὐτοῦ παιδικά, ſuam amicam, Philematium. D PHILOLACHES.] adoleſcens, Theuropidæ filius, aberat autem tum Theuropides, cùm Philolaches amicam ſuam emtam manumiſit. REM] familiarem. SVO ABS. P.] ſuo patre, Theuropide. SENEM] Theuropidem. TRANIO] ſeruus. TERRIFICA MONSTRA] terribilia monſtra. hinc fabula Moſtellaria dicta, quaſi monſtellaria. LVCRIPETA] lucrum petens, lucri ſtudio deditus. FOENERATOR] daniſta, qui non nominatur. LVDÚSQVE RVRSVS FIT SENEX] & rurſum ſenex ludificatur. fit ludus, ſeu, fit ludi: hoc eſt, illuditur. MVTVVM ACCEPTVM, DICIT. S.] pecuniam mutuò acceptam dicit ſeruus Tranio, vt eſſet pretium emtarum ædium. REQVIRIT QVÆ SVNT] ſenex, quæ ſunt eæ ædes. AIT VICINI PROXVMI] pecunia illa ait emtas eſſe ædeis proximi vicini, Simonis. INSPECTAT ILLAS.] Theuropides ædeis vicini proximi inſpectat, putans eas à filio eſſe emtas. AB SVO SODALE GNATI.] à callida mente. EXORATVR.] ne quid grauius in filium, & Tranionem iratus ſtatuat, placatur, lenitur.

ACTVS



A

# ACTVS PRIMVS.

## GRVMIO, TRANIO, ſerui duo.

GR. EXI è culina ſis foras maſtigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere herilis pernicies ex ædibus,
Ego pol te ruri, ſi viuam, vlciſcar probè,
Exi, inquam, nidor è culina, quid lates?
B TR. Quid tibi, malùm, hic ante ædes clamatio eſt?
An ruri cenſes te eſſe? abſcede ab ędibus.
Abi rus. abi directè, abſcede ab ianua.
En hoccine volebas? GR. perij, cur me verberas?
TR. Quia tu vis. GR. patiar. ſine modò adueniat ſenex.
Sine modò venire ſaluom, quem abſentem comes.
TR. Nec veriſimile loquere, nec verum, frutex,
Comeſſe quenquam vt quiſquam abſentem poſſiet.
GR. Tu vrbanus verò ſcurra, deliciæ populi,
Rus mihi tu obiectas? ſanè credo Tranio
C Quòd te in piſtrinum ſcis actutum tradier.
Cis hercle paucas tempeſtates Tranio,
Augebis ruri numerò, genus ferratile.
Nunc dum tibi lubet, licétque, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium, adoleſcentem optimum,
Dies noctéſque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter.
Hæccine mandauit tibi cùm peregrè hinc iit ſenex?
Hoccine modo hic rem curatam offendet ſuam?
D Hoccine boni eſſe officium ſerui exiſtimas,
Vt heri ſui corrumpat & rem & filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis ſtudet.
Quo nemo adæquè iuuentute ex omni Attica
Antehac eſt habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam poſſidet,
Virtute id factum tua & magiſterio tuo.
TR. Quid tibi malùm, me, aut quid ego agam, curatio'ſt?
An ruri, quæſo, non ſunt, quos cures, boues?
Lubet potare, amare, ſcorta ducere,
Mei tergi facio hoc, non tui fiducia.
GR. Quàm confidenter loquitur? væ. TR. at te Iuppiter,

Diſque omnes perdant. oboluiſti allium. A
Germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canis, capra, commiſtæ. GR. quid tu vis fieri?
Non omnes poſſunt olere vnguenta exotica.
Si tu oles: neque ſuperior, quàm herus, accumbere,
Neque tam facetis, quàm tu viuis, victibus:
Tu tibi iſtos habeas turtures, piſceis, aueis:
Sine me alliatum fungi, fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miſer: patiunda ſunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum,
TR. Quaſi inuidere mihi hoc videre Grumio:
Quia mihi bene eſt, & tibi malè eſt. digniſſimum eſt. B
Decet me amare, & te bubulcitarier:
Me victitare pulcrè, te miſeris modis.
GR. O carnificinum cribrum, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reueniat ſenex.
TR. Qui ſcis an tibi iſtuc prius eueniat, quàm mihi?
GR. Quia nunquam merui, tu meruiſti & nunc meres.
TR. Orationis operam compendi face,
Niſi te mala re magna mactari cupis.
GR. Eruom daturin' eſtis, bubus quod feram?
Date æs, ſi non eſtis, agite porrò, pergite. C
Quomodo occepiſtis, bibite, pergræcamini,
Eſte, effercite vos, ſaginam cædite.
TR. Tace atque rus abi, ego ire in Piræeum volo,
In veſperum parare piſcatum mihi.
Eruom tibi aliquis cras faxo ad villam afferat.
Quid eſt? quid tu me nunc obtuere furcifer?
GR. Pol tibi iſtuc credo nomen actutum fore.
TR. Dum interea ſic ſit, iſtuc actutum ſino.
GR. Ita'ſt. ſed vnum hoc ſcito, nimio celerius
Venire quod moleſtum eſt, quàm id quod cupidè petas. D
TR. Moleſtúſne ſis. nunc iam i rus, téque amoue.
Ne tu erres, præterhac mihi non facies moram.
GR. Satin' abiit, neque quod dixi flocci æſtumat?
Proh di immortales, obſecro voſtram fidem,
Facite, huc vt redeat noſter quàm primùm ſenex,
Triennium qui iam hinc abeſt, priuſquàm omnia
Periêre, & ædes, & ager: qui niſi huc redit,
Paucorum menſium ſunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo. nam herilem filium
Video corruptum hic ex adoleſcente optumo.





A EXI è cvlina,] loquitur Grumio, ſeruus ruſticus, ſeu villaticus qui rure in vrbem venerat eruum petitum, quod bobus daret. Sis,] ſi vis. Mastigia] flagrio: verbero. μαστιγίοις vox Græca, à verbo Græco μαστίζειν, quod eſt μαστίγουν: flagellis cædere. Qvi mihi inter patinas exhibet argentvm] qui ad numerum patinas tractas, & moues: qui ita numeroſè patinas tractas, vt ſonum quendam argutum referant: quod ſolent coci etiam hodie facere. vel ſic, qui inter patinas argutias loqueris, & argutis ac facetis ſermonibus vteris. Nonius, *argutias* videtur hîc accipere, pro ſermonibus malitioſis, & audacibus, hunc locum proferens in voce *argutum*. Exi, inqvam, nidor, è cvlina.] vel Tranionem, nidorem vocat, quia aſſiduè in culina verſabatur, vt nidor, aut quia nimiopere obſoniorum nidore delectabatur: vel nidorem ipſum alloquitur, tamquam rem animatam, & rationis participem, eúmque nidorem è culina exire iubet: quod proinde eſt, vt ſi iubeat Tranionem deſinere obſonia emere, & coquere: quibus res herilis conſumitur. ego priorem explicationem mâlo. Qvid tibi malùm hîc, &c.] id eſt, quamobrem, malùm, hîc ante ædeis clamas? vel, quid eſt, malùm, quamobrem hîc ante ædeis clames? *malùm*, hîc interiectio eſt ſtomachantis, ſeu indignantis. Abi dierectè,] *dierectè*, ſi aduerbium eſt, ſic interpretabor, abi in morem hominis in crucem acti, B & ſub dio erecti. ſi nomen vocatiui caſus, ſic, abi homo ſcelerate, & cruce digne, ſeu, in crucem agende, ſeu, in crucem acte. De voce, *dierectus*, alibi dictum eſt pluribus verbis. En, hoccine volebas?] ſermo verberantis. Sine modò advenire senem] ſine modò, & ſine, ſimpliciter, verbum minantis. Qvem absentem comes.] cuius abſentis bona abſumis. *comes*, ſecundæ perſonæ à verbo, *comedo*, hoc eſt, comedis, profert hunc verſum Nonius in *comeſt*. apud quem mendoſè legitur *comeſt*. Frvtex,] fruticem appellat, ſeruum à villa, contumeliæ cauſa, quaſi ruſticum. Tv vrbanvs verò scvrra, &c.] ego ſum ruſticus: tu verò homo es facetus, & politus. ſcurræ olim dicebantur honeſtè, vrbani, faceti, comes elegantes & politi. conſule indicem. Deliciæ popvli.] homo, quo maximè populo delectatur: homo populo iucundiſſimus. Sanè, credo, Tranio, qvòd, &c.] ſanè Tranio, vt credo, tu mihi idcirco rus obiectas, quòd te in piſtrinum ſcis mox traditum iri. Cis hercle pavcas temp. Tranio] paucis hercle diebus. hercle intra paucos dies. hercle breui tempore. Avgebis rvri nvmero genvs ferratile] augebis citò ruri ſeruorum qui compedibus ferreis vincti ſunt, genus. legendum autem, quemadmodum edidimus, *numerò*, non vt habent libri vulgati, *numerum*. *numerò* C autem, hoc eſt, citò. ſcilicet cùm ſenex venerit. De hac voce ſuprà in Caſina, ibi, *Numerò dicis. ſed hoc quidquid eſt, loquere, in pauca refer*. & in Amphitr. *ibi numerò mihi in mentem fuit*. Pergræcamini] græco more, hoc eſt, maioribus poculis potate. ſuprà in Bacchidib. *Propterea hoc facio, vt ſuadeas gnato meo, Vt pergræcetur tecum*. Obsonate pollvcibiliter] obſonia emite ſumtuoſa. pollucibiliter, hoc eſt, opiparè, nitidè, ſumtuoſè, & magnificè, à verbo, *pollucere*, quo vtebantur veteres maximè in potulentis, & eſtulentis: quæ alicui Deo conſecrabantur, & offerebantur. ex quo polluctum dicebant, quod erat conſecratum. quæ à doctiſſimo viro Ioachimo Camerario ſunt annotata. quamquam *pollucere*, maximè locum habet in ſacrificiis, quæ Herculi fiebant. Næuius in Colace. *Qui decumas parteis quantum ſui & alieni fuit Polluxit tibi, & publicauit epulum, & Herculis decimas*. ſed de hoc verbo infrà plura. Cvratam] procuratam, geſtam, cui res aliqua mandata eſt, is diligenter eam curare & conficere debet. neque ſatis eſt in mandato diligentiam adhibere, ſed etiam fides adhibenda eſt. At hîc dicitur ſenex peregrè proficiſcens, rem familiarem Tranioni mandaſſe. Offendet] reperiet, καταλήψῃ. His factis,] luſtris & ganeis, & ſcortis. Qvo nemo adæqvè, &c.] aduerbium, *adæquè*, iunxit cum ablatiuo: vel dicendum, *quo* cohærere cum comparatiuo *magis*. D ſuprà in Caſina. *Numquam ecaſtor vllo die riſi adæquè*. in Ciſtell. *Neque munda adæquè es, vt ſoles?* Videtur igitur ſic explicandus hic locus. Quo nemo ex omni iuuentute Attica antehàc eſt habitus adæquè, & magis parcus, nec magis continens. In aliam partem, &c.] in contrariam partem: nempe in profuſionem, & incontinentiam. Palmam possidet] victor eſt, principatum & principem locum obtinet. ceteros omneis vincit. Virtvte] vel virtute, accipe εἰρωνικῶς, vel virtute, interpretare induſtria, opera, & ope tua, ſtudio ac beneficio tuo, vt alibi *virtute deûm*, &c. conſule indicem. Qvid tibi malùm, mea, &c.] Quamobrem tu me aut quid agam, curas? curatio, verbale nomen, regit hîc caſum ſui verbi. idque Plauto eſt vſitatiſſimum. Sic autem hunc locum reſtituit Muretus lib. 5. variarũ lectionum cap. 9. cùm antea in omnibus libris vulgò legeretur, *Quid tibi malùm mea, vt quid ag.* &c. planè mendoſè. Idem in Caſina. *Quid tibi iſtunc tactio'ſt?* Scorta dvcere.] vſitatè dictum. ſic ſuprà in Bacchid, *duxi, habui ſcortum, potaui, dedi, donaui*, &c. Mei tergi facio hoc, non tvi fidvcia] fiducia, id eſt, periculo. proinde ac ſi dicat. ſi quid hîc culpæ contractum erit, meum tergum periculum ſubibit, non tuum: meo tergo pœnas dabo, non tuo. ſic ſuprà in Bacchid. *Mea fiducia opus conduxi, & meo periculo rem gero*. ad quem locum, nos de fiducia plura. licet tamen ſimpliciter etiam hoc modo explicare, meo tergo fretus, non tuo, hoc facio. quaſi dicat: habeo tergum domi validum, durum, & perferens plagarum: non quæro foris,

neque tibi,neque cuiquam alij ſupplico. AT TE IVPITER, DIÍQVE OMNES PERDANT,&c.] vel Dij legendum eſt δισυλλάβως, vel legendum perduint. A OBOLVISTI ALLIVM.]anima tua eſt fœtida, & olet allium:quo cibo veſci ſoles. GERMANA ILLVVIES.] homo illotiſſime, ſqualidiſſime, atque immundiſſime. vera nec ſimulata illuuies. ipſa illuuies. homo,qui quantus, quantus es, illotus, & immundus es. HIRCVS,] hircus animal olidum,& tætri odoris. & hircus, odor tæter alarum. Horat.oda.12. *Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis.* ad quem locum de hirco plura. HARA SVIS] homo,hara ſuis fœtidior. hara,ſtabulum, in quo paſcuntur, & pernoctant ſues. M.Tullius in Oratione in Piſonem. *Epicure noſter, ex hara producte, non ex ſchola.* CANIS, CAPRA, COMMISTÆ]homo fœtidior cane cum mare commiſta,& capra cum capro commiſta. Canis enim hîc,fœminini generis eſt,vt infrà eadem fab. ibi. TH. *vbi canis eſt?* TR. *abi dierecta. abin' hinc in malam crucem? At etiam reſtas? abi iſtinc.* SI. *nihil pericli eſt: age. Tam placida'ſt, quàm eſt aqua.* Sic autem legendum canis, capra, commiſtæ: non, *Canem, capram, commiſtam,* vt habent libri vulgati: neque. *Canem capra commiſta,* vt edidit Camerarius, quarum lectionum,præterquam, quod ſunt ἀσύντακτοι, & inexplicabiles, neutram lex carminis ferre poteſt. licet tamen etiam legere, *Canes, capra, commiſtæ.* nam veteres dixiſſe *canes* in recto caſu, numeri ſingularis tradit Varro lib.6.de lingua Lat. ídque docet teſtimonio Ennij: qui dixit, *fæta canes.* Canis fœminæ autem, & capræ odorem poſt recentem B maris commiſtionem, eſſe grauiſſimum, & tæterrimum conſtat. O'LERE] ólere legendum penultima ſyllaba breui,à verbo *olo, is.* quo vſos eſſe veteres teſtatur Nonius, & profert auctoritatem Afranij,& Pomponij. Afranius. Fratr. *nõ poteſt, Quin illa tacta, longéque, & multis olat.* Pompon. in Aleonib. *Alea ludam. ſanè meæ malè olunt manus.* Sic & noſter Plautus iterum in Pœnulo. *Quæ tibi olant ſtabulum,* &c. Idem docent Diomedes lib.1.& Priſcianus lib.8.& 9. VNGVENTA EXOTICA.] vnguenta peregrina, vel aduentitia,vt Nonius interpretatur, hunc verſum: proferens in voce exoticum. quamquam idem alibi, exoticum interpretatur peregrinum, vbi profert hoc ex Epidico, Baſilicum, aut exoticum. Plinius lib.13.cap.3. *Certum eſt, Antiocho rege, Aſiáque deuictis, vrbis anno quingenteſimo, ſexageſimo quinto, P.Licinium Craßum, L.Iulium Cæſarem, cenſores, edixiſſe, ne quis venderet vnguenta exotica: ſic enim appellauêre. At hercule iam quidem etiam in potus addunt: tantíque amaritudo eſt, vt odore prodigo fruantur ex vtraque parte corporis.* SI TV OLES] legendum fortaſſis eſt, *ſi tu olis.* NEQVE SVPERIOR, QVÀM HERVS ACCVMBERE.] loquendi conſuetudo poſtulabat, vt ita diceret, *neque ſuperiores, quàm herus, accumb.* ſed mutauit numerum& formam loquendi inſtitutam. *neque ſuperior,* &c. hoc eſt, neque quiuis poteſt ſuperior, quàm herus,accumbere:quod tibi contigit, ſcilicet: vel, quod tu facis. NEQVE C TAM FACETIS, QVÀM TV VIVIS, V.]neque poteſt quiuis tam facetis,id eſt,tam elegantibus,& lautis victibus viuere,quàm tu viuis. tralatio eſt à ſermone ad victum. SINE ME ALLIATVM FVNGI, FORT. M.]ſine me, inquit, patienter comeſſe panem allio contactum, & perunctum, χαλασύνθεσιν, fortunas meas. ſine me fortunis meis, quæ in pane alliato poſitæ ſunt, contentũ eſſe. *fungi* cum accuſandi caſu coniungebant veteres:apud quos idẽ valet quod patior. Lucret.lib.3.Et mala multa animus contagi fungitur eius. Idem eodẽ lib. *Et manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum.* Idem lib.1. *At facere, & fungi, niſi corpus, nulla poteſt res.* Plautus in Trinummo. Sequere hàc me,gnata, vt munus fungaris tuum. Idem. Nam paraſitus octo hominum munia facilè fungitur. & Lucilius lib.1.Satyr. *Munu' tamen fungi, & muros ſeruare poteſſent. alliatum,*panis allio contactus,ſeu perlitus,& perunctus: vel cibus allio condîtus. MEVM BONVM ME, TE TVVM MANEAT MALVM] verba ſunt etiam hæc Grumionis:non Tranionis,vt acutè vidit,Muretus, ídque docet libro 5.var.lect.cap.9. ſententia autem hæc eſt. me meæ fortunæ non pœnitet,& mea ſorte cõtentus ſum, quamuis tu tibi videaris valde fortunatus,ego autem contrà tibi videar valde miſer. hoc tantum à diis precor, & opto, vt bonum, quod mihi debetur,mihi eueniat:tibi malum,quod tibi debetur,contingat,& tuorum flagitiorum, D ac peccatorum pœnas luas. Sic ferè Muretus explicat eo, quem commemoraui, loco. VIDERE,] vidêris. DIGNISSIMVM EST.] digniſſimus ego ſum, cui bene ſit: ego cui malè ſit. vel, digniſſimum eſt,mihi bene eſſe, tibi malè. BVBVLCITARIER] bouum cuſtodem eſſe. boues paſcere,& curare:bubulci munere fungi. O CARNIFICINVM CRIBRVM] ſignificat eius corium ita laceratum & foratum iri virgis, loris, & flagris, vbi ſenex redierit, vt cribri ſpeciem gerere videatur. carnificinum autem dixit, fortaſſe quia carnificum cribra, veriſimile eſt, eſſe rubra,& cruenta: vel quia eius corium à lorariis, tamquam carnificibus, lacerabitur: atque hoc pacto, cribri carnificini ſpeciem præbebit. FORABVNT.] perforabunt, pertundent, hoc eſt,ita cædent ſerui lorarij,vt pellem eius foraminibus compleant:vel ſtimulis re vera fodient ac perforabunt. PATIBVLATVM]furciferum, furcam ferentem. ſerui enim in aliquo malo facinore deprehenſi, verberabantur per viciniam furcam ferentes,vt alibi diximus,ex Plutarcho. ſic infrà in Menæchm. *Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furca ſcio.* ORATIONIS OPERAM COMPENDI FACE.]id eſt,lucrare operam quam in oratione longa poneres:fac finem loquendi. orationem in pauca confer. deſine plura loqui. ſuprà in Aſinaria, *verbis velitationem fieri compendi volo.* NISI TE MALA RE MAGNA MACTARI C.] niſi tibi vis à me malam rem magnam dari: niſi te vis augeri magno malo. ſuprà in Amphitr.

*quia*



A *quia enim te macto infortunio.* ERVOM DATVRIN' ESTIS, BVBVS QVOD FERAM.] daturíne eſtis eruum,quod bobus feram? eruum, ὄροβος, hordei genus,quod bobus datur. Virg. in Polione. *Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in eruo?* Horat. Sat.6.lib.2. *Me ſilua, cauúſq. Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur eruo.* DATE ÆS, SI NON ESTIS.] date nummos vnde bobus pabulum & eruum emam, ſi non eſtis eruum daturi. AGITE PORRÒ, PERGITE, &c.] conceſſio ironica,& ſubamara. ESTE,]*eſte,* imperatiui modi,præſentis temporis,numeri multitudinis, à ſingulari, *es.* EFFERCITE VOS] explere, & ſaturate & diſtendite vos epulis. SAGINAM CÆDITE.] cibos & dapes parate,quibus ſaginemini,tamquam boues & pecudes: tranſlatum à boum & pecudũ ſagina. frondib. enim cæſis & ſtrictis ſaginabantur. Horat. epiſt.14.lib.1. *& vrges Iampridem non tacta ligonibus arua, bouémq́; Deiunctum curas, & ſtrictis frondibus exples.* Quidam amicus meus,idémque doctus,ſic explicat, cibos dentibus concidite, conficite, & comminuite: quibus corpus ſaginetis,& qui in ſaginam vertantur. à quo diſſentio. Nonnulli ſic, ſaginam cædite,id eſt, ſaginam date bobus. *vt cedite,* ſit numeri multitudinis à verbo imperatiui modi, numeri ſingularis *cedò*: quod valet *da* & *dic.* Nam cedite, pro dicite, vſurpatum eſſe à veteribus teſtatur Phocus, vetus grammaticus, ſic enim ille, capite de quarta coniungatione. B *Cedo etiam numeri pluralis lectum eſt apud Plautum. Cedite mihi, pro, dicite.* Quod ſi *cedite* pro dicite, vſitatum eſt veteribus, cur non & pro date? *Cette* quidem dixit idem Plautus in Mercat. *cette dextras nunc iam.* Atque hæc explicatio,ſi cui placebit, *cedite* legendum erit ſine diphthongo. IN PIRÆEVM,] Piræeum legendum τρισυλλάβως, per ſinizeſin. Nam ſcribendum Piræeum,non vt vulgò,Piræũ. Sic enim Græci Πειραιεὺς,in accuſatione, Πειραιέα Πειραιᾶ. Portus erat Athenienſium. IN VESPERVM] in cenam, quæ fit veſperi. PISCATVM] piſceis. FVRCIFER?] ſuprà in Caſina. *Taceo. deos quæſo, tu vt quidam hodie canem, & furcam feras.* ISTVC NOMEN] nomen furciferi: quia furcam ferens ſimulatque ſenex redierit, verberaberis,& ſtimulis fodieris. DVM INTEREA SIC SIT, &c.] ſic accipiendum δεικτικῶς, & actoris geſtu adiuuandum: hac ſentẽtia. Dum interea bene ſit nobis,& opiparè,beatéque viuamus, quemadmodum nunc viuimus: quid mihi actutum eueniat, non admodum laboro. Sic autem legendum eſt,non vt vulgò, *Dum intereàs, ſic ſit,* &c. atque ita reſtituit hunc locum, M. Antonius Muretus lib.5. var.lect.cap.9. SED VNVM HOC SCITO, NIMIÒ CELERIVS VENIRE, &c.] Præclara & vera,vt ſunt humana, ſententia. Rarò enim admodum,& ſpiſſè, quæ optamus,eueniunt: etiam ſi operæ noſtræ,vt ea nobis contingant,non parcamus. Contrà, quæ minimè volumus, ea ſine opera noſtra, atque adeò nobis diligentiſſimè & accuratiſſimè præ- C cauentibus plerumque eueniunt. Itaque probabiliter quæritur illa apud Virgilium libro quinto. *Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur æſtas: Cùm freta, cùm terras omneis tot inhoſpita ſaxa Syderáque emenſæ ferimur dum per mare magnum Italiam ſequimur fugientem.* Et Sophocles in Antigona βλάβας, id eſt, damna, appellat ποδώκεις: hoc eſt, celeribus pedibus euntia. Sic Sophocles. συντέμνουσι γὰρ θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι. id eſt, damna enim à diis illata celeritate pedum valentia, citò & via compendiaria ad imprudenteis & dementeis homines perueniunt,vt eos comminuant. Sic & Democritus. Dicebat enim ille, bona vix quærentib, euenire,mala verò etiam,non quærentibus vltrò contingere. Δημόκριτος ἔλεγε διζημένοισι τ' ἀγαθὰ μόλις παραγίνεσθαι, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισι. NE TV ERRES, PRÆTERHAC, MIHI NON FACIES M.] vt ne te fruſtreris,præterea non facies mihi poſthac moram,vel ſic,ne fortè te fruſtreris,tu nunquam me poſthac remorabere. *præterhac.* id eſt,præterea,præter hanc moram. Quidam legi volunt,præter hanc. ſubintell. moram. Et verò ita in nonnullis editionibus impreſſum eſt. ſed libri veteres reclamant:quos ego ſequor. SATIN' ABIIT, NEQ. QVOD DIXI FLOCCI AESTVMAT?] Nónne planè abiit, & quod dixi ne flocci quidem æſtimat? proinde ac ſi dicat,prorſus abiit, & quod dixi, nihili æſti- D mat. PRIVSQVÀM OMNIA PERIERE,&c.]coniunge hæc cum verbo, *redeat* hoc modo:redeat noſter ſenex priuſquàm omnia periere, &c. PAVCORVM MENSIVM SVNT, &c.] vel in voce *menſium* fit συνίζησις, vt ſit duarum ſyllabarum: vel legendum *menſum*: quo generandi caſu,vſus eſt & M.Tullius in lib.2.accuſat. ibi. *in quibus erat ratio ſcripta menſum complurium rerum exportatarũ iſtius nomine ſine portorio.* paucorum menſium reliquiæ autem,id eſt, ex multis bonis pauca reliqua,& ex quibus paucorum menſium ſumtus ſuppetere poterit. CORRVPTVM EX ADOLESCENTE OPTIMO] deprauatum & malum factum ex adoleſcente optimo.

## PHILOLACHES adoleſcens.

RECordatus multùm & diu cogitaui,
Argumentáque in pectus multa inſtitui
Ego, atque in meo corde, ſi eſt quod mihi cor,

Eam rem volutaui, & diu diſputaui, A
Hominem quoius rei, quando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer, ſimulacrúmque habere.
Id repperi iam exemplum.
Nouarum ædium eſſe arbitror, ſimilem ego hominem,
Quando hîc natus eſt. ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur veriſimile vobis.
At ego id faciam eſſe ita, vt credatis.
Profectò ita eſſe, vt prædico, vero vincam.
Atque hoc voſmetipſi, ſcio,
Perinde, vti nunc ego eſſe autumo, quando
Dicta audietis mea, haud aliter dicetis. B
Auſcultate, argumenta dum dico ad hanc rem.
Simul gnarureis vos volo eſſe hanc rem mecum.
Ædes cùm extemplò ſunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè, examuſſim,
Laudant fabrum, atque ædeis probant. ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt. ſibi quiſque ſimile,
Suo vſque ſumtu, operæ ne parcunt ſuæ.
Atque vbi illò immigrat nequam homo indiligénſque
Cum pigra familia, immundus, inſtrenus:
Hîc iam ædibus vitium additur,
Bonæ cùm curantur malè. C
Atque illud ſæpè fit, tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbricéſque. ibi
Dominus indiligens reddere alias neuolt,
Venit imber. lauit parietes, perpluunt
Tigna. putrefacit aër operam fabri.
Nequior iam factus eſt vſus ædium:
Atque haud fabri culpa. ſed magna pars hominum
Moram hanc induxerunt. ſi quid nummo ſarciri poteſt,
Vſque dum mantant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt. ædificantur ædes totæ denuò, D
Hæc argumenta ego ædificiis dixi. nunc etiam volo
Dicere, vt homines ædium eſſe ſimiles arbitremini,
Primùm dum parentes, fabri liberûm ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulò in firmitatem,
Vt & in vſum boni, & in ſpeciem populo
Sint: ſibíque, aut materiæ ne parcunt,
Nec ſumtus ibi ſumtui eſſe ducunt.
Expoliunt, docent litteras, iura & leges,
Sumtu ſuo & labore nituntur, vt
Alij ſibi eſſe illorum ſimileis expetant.

Ad



A Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt.
Tum aliquem cognatum ſuum,
Eatenus abeunt à fabris.
Vnum vbi emeritum'ſt ſtipendium igitur, tum
Specimen cernitur, quò eueniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi vſque & probus fui, in fabrorum poteſtate
dum fui
Poſteaquàm immigraui in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppidò.
Venit ignauia, ea mihi tempeſtas fuit:
Ea mihi aduentu ſuo grandinem, imbrémque attulit.
B Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbauit, detexítque me illicò.
Poſt illa me obtegere neglegens fui,
Continuò pro imbre amor aduênit in cor meum.
Is vſque in pectus permanauit, permadefecit
Cor meum. nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decúſque deſeruerunt: ego ſum in vſu
Factus nimio nequior. atque ædepol ita
Hæc tigna humidè putrent. non videor mihi
Sarcire poſſe ædeis meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
C Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.
Cor dolet, quom ſcio, nunc vt ſum, atque vt fui,
Quo neque induſtrior de iuuentute erat,
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo. victitabam volupe
Parſimonia & duricia. diſciplinæ aliis eram.
Optumi quique expetebant eam doctrinam ſibi.
Nunc póſtque nihili ſum, id verò meopte ingenio repperi.

IN PECTVS] *in pectus* dictum, pro, in pectore, niſi fortè ita legendum eſt. Verumtamen, cùm ita habeant omnes libri, & vulgati & manuſcripti, & conſtet veteres ita eſſe interdum D locutos, eſſe in vadimonium, eſſe in poſſeſſionem, & ſimilia, quæ notat Gellius, nihil mutandum exiſtimarim. SI EST QVOD MIHI COR] ſi quod eſt mihi cor. correctio. proinde ac ſi dicat, non habeo cor, qui ita corruptus ſim. excors, & amens ſum. Auſonius, *ſi cor haberet.* SIMVLACRÚMQVE HABERE.] & cuius rei ſimulacrum, ſeu imaginem, & ſpeciem habere arbitrarer. ATQVE HOC HAVD VIDETVR VERISIMILE] atque, pro, atqui. *atqui*, inquit, fortaſſe non videtur veriſimile vobis, ſed abſurdum, hominem, vt natus eſt, ſimilem eſſe nouarum ædium. AT EGO ID FACIAM, &c.] at ego faciam vt id ita eſſe vobis perſuadeatis. VERO VINCAM] veris argumentis vincam. Terent. *veris vincor*. Iterum Plautus Mil. glor. *vt eum qui hîc ſe vidit, verò vincat, vt ne viderit.* PERINDE, VTI, &c.] ita vt nunc eſſe dico. AVTVMO,] dico. HAVD ALITER.] perinde, haud aliter, vnum ſunt. SIMVL GNARVREIS VOS VOLO ESSE, &c.] id eſt, ſimul vos mecum volo huius rei eſſe gnaros. *gnaruris* antiqua vox, quæ valet idem, quod *gnarus*. vtitur eadem voce & in argumento Pœnuli, ibi, *Ad argumentum nunc viciſſatim volo Remigrare, vt æquè mecum ſit gnarures.* dixit autem *gnarureis eſſe hanc rem*, pro, *cognoſcere hanc rem*. In vocabulario quidem Cl. Puteani Latino-Græco ſcriptum reperi gnarures, γινώσκοντες, & ignarures, ἀγνοοῦντες. CÙM EXTEMPLO SVNT PARATÆ, &c.] id eſt, ſtatim vt ſunt paratæ, &c. ἐπεὶ τάχιστα οἶκος παρεσκεύασται, &c. EXAMVSSIM,] adamuſſim, examinatè, ad regulam. amuſſis eſt fabrorum re-

gula, quam architecti cùm opus probant, rubrica illinunt. Plautus ſuprà in Amphitr. *Si vera hæc loquitur, examuſsim eſt optima.* A Hæc ferè ex Nonio, & Cariſio lib. 2. inſtit. Gramm. Feſtus verò, *examuſsim*, inquit, id eſt, regulariter, tractum à regula, ad quam aliquid exæquatur, quæ *amuſsis* dicitur. Alij volunt, *amuſsim*, eſſe æquamentum læuigatum, & tabulam quandam, qua vtuntur fabri ad ſaxa coagmentanda, ſeu coæquanda. Alij ferramentum, quo fabri ferrarij in poliendo vtuntur. LAVDANT FABRVM, &c.] qui ædeis vident ita paratas, atque expolitas, & ad amuſſim factas, laudant fabrum, atque ædeis probant. EXEMPLVM] quod ſequatur, in ædibus ſibi ædificandis. SIBI QVISQVE SIMILE.] expetit, ſeu expetunt, repetendum ἀπὸ κοινοῦ. nonnulli addunt verbum, *ſumit*, ſiue ſumunt. SVO VSQVE SVMTV:] hæc ſunt referenda ad ſuperiora, hoc modo. ſibi quiſque ſimile ex ædibus illis tam probè factis, expetit, ſeu ſumit. *ſimile*, autem interpretor ſimilitudinem, formam iis ædibus aſſimilatam, & ex iis expreſſam. SIMVLACRVM OPERÆ NE PARCVNT SVÆ.] ne, pro, non. antiquè. Quidam tamen legunt *operæ nec parcunt ſuæ.* Ego nihil auſim mutare. ILLÒ.] in illas ædeis. IMMVNDVS,] contrà *mundi habitatores.* apud M. Tullium lib. 2. epiſt. ad Q. Frat. ibi. *ſed vt ſpero paucis menſibus poſt calendas Quinct. in tuam domum commigrabis. tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt.* INSTRENVVS.] ignauus, ſeu negligens, miniméque induſtrius. TEGVLAS,] in Rudente, *Ita omneis de tecto deturbauit tegulas.* VITIVM ADDITVR,] M. Tull. in B Topic. *ſi ædes eæ corruerunt, vitiúmue fecerunt.* BONÆ CÙM CVRANTVR M.] cùm ædes, quæ bonæ ſunt, malè procurantur à domino, aut habitatore, ſeu inquilino. SÆPÈ FIT.] ſæpè euenit. TEMPESTAS] ventus vehemens, denſus, imber, turbo, grando, & ſimilia. IMBRICÉSQVE.] tegulas incuruas & excauatas ad aquam excipiendam, vt per eas defluat. REDDERE ALIAS NEVOLT.] reficere non vult. *neuolt* tertia perſona verbi *nolo*: vt neuis, ſecunda. ſic enim inflectebant, nolo, neuis, neuolt. Nonius, neuult, ſeu neuolt, pro non vult, Titin. Setina. *Ipſus quidem hercle ducere ſanè neuolt.* Plaut. Trin. *Filiam meam tibi deſponſatam eſſe audio, niſi tu neuis.* profert autem hunc locũ Nonius in verbo *reddere*, vbi reddere, interpretatur *reponere.* LAVIT PARIETES.] madefacit parietes, demanat in parietes. lauit, tertiæ perſonæ, à verbo lauo, is, it. tertiæ coniugationis. Horatius. oda. 12. lib. 3. *Neque dulci mala vino lauere.* PERPLVVNT TIGNA.] tigna aquam pluuiam recipiunt: tigna aqua pluuia madefacta, & putrefacta rimoſa, & cauernoſa, hàc atque illàc perfluunt. NEQVIOR.] deterior, inutilior, peior. ATQVE HAVD FABRI C.] neque verò fabri culpa, vſus ædiũm inutilior, ac deterior factus eſt, ſed habitatoris, aut domini, qui eas malè curauit, neque maturè refecit. SED MAGNA PARS HOMINVM MORAM HANC INDVXERVNT, &c.] id eſt, ſed plerique homines hãc cunctationem induxerunt, & moras nectunt, & tempus ædium reficien- C darum proferunt. Putant quidam hîc legendum, *morem hunc induxerunt*: idémque mihi quoque aliquando viſum eſt: ſed nunc ſcripturam receptam tueor. quamquam illam alteram non damno. SARCIRI] refici, reparari, in integrum reſtitui, ex quo *ſarta, tecta.* VSQVE DVM MANTANT,] vſque eò moras protrahunt: vſque eò manent. NEQVE ID FACIVNT,] neque ædeis ſarciunt. DONICVM,] donec, &c. millies vſurpatum eſt à veteribus, Plauto, Lucretio, Varrone, ceteris. De quo in Commentariis Lucret. lib. 2. ibi, *Donicum ad extremum creſcendi perfica finem, Omnia perduxit rerum natura creatrix.* DENVÒ,] de integro. HÆC ARGVMENTA EGO ÆDIF. DESCRIPSI] his ego argumentis, & notis, ædificia deſcripſi. VT HOMINES AEDIVM SIM.] quo pacto homines ædium ſimileis eſſe exiſtimare poſſitis. PRIMÙM DVM] *dum* particula eſt hoc loco inſeparabilis, videtúrque idem ſignificare, quod igitur, & adiicitur extremis nominum, aut verborum ſyllabis. alij dicunt παρέλκειν, & nihil ſignificare, ſed ornatus cauſa apponi. SVBSTRVVNT] id eſt, ſubter ſtruunt. Ita Agrætius. hinc inſanas Clodij ſubſtructiones dixit Cicero in Miloniana. EXTOLLVNT,] ἀνεγείρουσιν, attollunt, tamquam ædificium, & in altum educunt. ſed hoc ſignificat liberos alunt, D educant, ſeu educunt, tollunt. PARANT SEDVLÒ IN FIRMITATEM.] parant ſedulò fundamentum, vt ſit ſtabile, & firmum. id eſt, liberos ſuos in tenera ætate erudiunt atque inſtituunt, vt hac puerili inſtitutione & doctrina ſubnixi, & vnà cum ætate doctiores & meliores euadentes, ciues Reip. vtiles, & ornamento ciuitati eſſe poſſint. Legendum eſt autem, *in firmitatem*, duabus vocibus: quod & Adrianus Turneb. vidit: non, coniunctè, *infirmitatem.* VT ET IN VSVM, BONI: ET IN SP. POPVLO SINT, &c.] id eſt, vt ſint boni ciues, in vſum, hoc eſt, vt ſint ciues reip. verè vtiles, & vt ſint in ſpeciem boni, hoc eſt, vt ſint extrinſecus, ſeu extrorſum ornamento patriæ. SIBÍQVE AVT MATERIAE NE PARCVNT.] & patris tamquam fabri, neque ſibi, neque materiæ parcunt: hoc eſt, neque ſuo labori, neque pecuniæ ſuæ parcunt, vt filij ſui, boni viri, & boni ciues, & honorati euadant. *ne*, pro, non, poſitum, vt ſuprà. ab iis autem diſſentio, qui ſic legi volunt *haud materiæ ne parcunt*. vt ſint duæ negationes, inquiunt, quæ magis negent: & vt, *ſibíque*, pertineat ad ſuperiora. hoc modo, *& vt in ſpeciem populo ſint, ſibíque.* Ego neque quidquam mutandum cenſeo, & ſuperiorem huius loci explicationem probo. NEC SVMTVS IBI SVMTVI ESSE DVCVNT] videtur eſſe ἀξύμωρον: quale eſt illud, cùm tacent, clamant, nec putant ſe facere ſumtum, cùm ſumtum faciunt, in eruditionem atque inſtitutionem filij. EXPOLIVNT.] erudiunt.



A diunt. NITVNTVR,] elaborant, enituntur. VT ALII SIBI ESSE ILLORVM SIM, &c.] vt alij patres exoptent ſibi eſſe filios illorum, qui ita eruditi ſunt, ſimileis. ITANT,] itant, filij, ſic inſtituti, atque eruditi. ADMINICVLVM EIS DANVNT, &c.] tum dant eis adminiculum, nempe cognatum aliquem. adminiculum, id eſt, adiutorem; & ſocium aliquem quo nitatur, ſubleuetur, ac fulciatur. tranſlatio eſt à vitibus, quæ, vt ait Marcus Tullius lib. 2. de natura Deorum, adminicula clauiculos, tamquam clauiculis apprehendunt. Idem in Lælio. *Natura ſolitarium nihil amat, ſempérque ad aliquid tamquam adminiculum adnititur.* Sic apud Homerum Achilli iuueni, ad bellum Troianum profecto, cuſtos, comes atque adiutor datus eſt Phænix à Peleo: apud Virgilium Iulo Periphanta, Epyti filius. Sic Virgil. lib. 5. Æneidos. *Cuſtodem ad ſeſe, comitémque impubis Iuli, Epytiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem.* EATENVS ABEVNT À FABRIS.] vſque ad eum locum abeunt à patribus. VNVM VBI EMERITVM'ST STIP.] vbi tempus vnius, & primæ militiæ finitum ac tranſactum eſt, &c. vel ſic, vbi primi ſtipendij merendi finis factus eſt, &c. TVM SPECIMEN CERNITVR, QVÒ, &c.] tum ſpecimen ſpectatur, quò euadat ædificatio: tum cernitur & cognoſcitur, quis ſit ædificationis euentus. Sic ferè ſuprà locutus eſt in Bacchide. *Nunc Mneſiloche, ſpecimen ſpecitur: nunc certamen cernitur.* NAM EGO AD ID FRVGI VSQVE ET PR. F.] B Ordo eſt, nam ego ad id vſque, id eſt, vſque ad eam militiam emeritam frugi & probus fui, tantiſper dum in poteſtate fabrorum, id eſt, patris, & pædagogi, ſeu cuſtodis, ac magiſtri, fui. POSTEAQVAM IMMIGRAVI IN INGENIVM MEVM.] id eſt, poſteaquam ex magiſterio pædagogi exceſſi, & meo arbitratu, meóque modo viuere incepi. PERDIDI OPERAM FABR.] patris & magiſtrorum operam, quam in me inſtituendo atque erudiendo conſumſerunt, perdidi: & factus ſum nequam & improbus. EA MIHI TEMPESTAS F.] ἀναλογία, quod eſt tempeſtas, ædificio, quantumuis probè facto. Hoc eſt, ignauia adoleſcenti, quantumuis bene inſtituto. EA MIHI ADVENTV SVO, &c.] ignauia aduentu ſuo fuit mihi inſtar grandinis, & imbris, vel ignauia aduenìens, vnà ſecum grandinem & imbrem attulit. HÆC VERECVND. MIHI, ET VIRT. MOD.] verecundiam, quæ maximè continet adoleſcenteis in officio, & à flagitio reuocat: virtutis modum, id eſt, virtutem, quæ inſtar modi, & menſuræ eſt, quæque ipſa, modus & mediocritas eſt, vel modeſtiam, quam Græci κοσμιότητα vocant, & σωφροσύνην, id eſt, temperantiam. DETVRBAVIT.] deiecit, deorſum egit, decuſſit. DETEXÍTQ. ME ILLICÒ] id eſt, me imbri & pluuiæ peruium reddidit: me apperuit, ac nudauit: mei pectoris denique imbrices & tegulas confregit. C POSTILLA ME OBTIGERE NEGL. F.] poſt illa, id eſt, poſtea, neglexi me obtegere, aduerſus tempeſtatem ſcilicet, hoc eſt, ignauiam: ſeu potius aduerſus imbrem, & grandinem, hoc eſt, aduerſus amorem. Sic autem edendum curaui libros veteres ſecutus, qui habẽt, partim *poſtillam obtigere neglegens fui*, &c. partim *poſtillam obtexere negl. f.* partim *poſt illam obtigere*, &c. Ex *poſt illam obtegere*, feci, *poſt illa me obtegere.* prouocabulum *eam* deleui, quia non reperitur in libris manuſcriptis. obtexere, quod etiam in nonnullis editionibus vulgatis compâret, reieci. Non diſſimulabo eruditum quendam virum, amicum meum cenſere legendum, *poſt illa abiicere eam neglegens fui.* & ſic explicare, poſtea, ignauiam ex animo, ſeu ex corde meo abiicere neglexi. Ego non ſum auſus tam longè ab antiqua ſcriptura recedere. NVNC SIMVL RES, F. F. &c.] res, hoc eſt, bona fortunæ, facultates rei familiaris, &c. me deſeruerunt, hoc eſt, me defecerunt, ſeu, me dereliquerunt. Sic Lucret. lib. 4. *Labitur interea res, & vadimonia fiunt: Languent officia, atque ægrota fama vacillans. Vnguenta, & pulcra in pedibus Sicyonia rident.* M. Tullius Catil. 2. patrimonia ſua profuderunt: fortunas ſuas abligurrierunt: res eos iampridem, fides deficere nuper cœpit. Horat. Sat. 2. lib. 1. *Nil fuerit mi*, inquit, *cum vxoribus vnquam alienis.* Verùm eſt, cum nimis, eſt cum meretricibus, vnde, fama malum grauius, quàm res trahit. IN V'SV] lego *in vſum.* NIMIO NEQVIOR] D multis partibus nequior. Sic ſæpè loquitur Plautus, & item alij boni ſcriptores. Horat. oda. 33. lib. 1. *Albi, ne doleas plus nimio memor Immitis Glyceræ*, &c. HVMIDÈ PVTRENT] ſic legendum, non vt habent omnes libri vulgati *humidè putent.* SARCIRE] reficere. QVIN TOTÆ PERPETVÆ RVANT] vt non totæ, vniuerſæ, & ab vno extremo ad alterum, διηνεκεῖς, vel ἀθρόως, corruant. perpetuæ, id eſt, non particulatim neque membratim, neque paullatim: ſed vniuerſæ, coniunctim, & vno tempore, & ſemel. Virgilius Æneidos lib. 8. *Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.* CÙM SCIO, NVNC VT SVM, ATQ. VT F.] cùm ſcio, qualis ſim, præut fui, vel, cùm ſcio, qualis ſim, præ illo, qui fui. INDVSTRIOR] magis induſtrius, φιλοπονώτερος, vtitur eodem comparatiuo. Et Cato in Orat. ne quis iterum conſul fiat. vt teſtatur Priſcian. lib. 3. *Imperator laudem capit: exercitum meliorem, & induſtriorem facit.* & C. Gracchus contra Æmilium Tuberonem, *Vtrum inimicorum meorum factio, an magis ſolitudo patriæ te impulit, vt in me induſtrior ſis, quàm in te.* ARTE GYMNASTICA, DISCO, HASTIS, PILA, &c.] de his ludis, & exercitationibus: ſuprà in Bacch. ibi, *Ibi curſu luctando, haſta, diſco, pugilatu, pilla*, &c. VICTITABAM VOLVPE PARSIMONIA, ET DVR.] victitabam parcè, ac duriter, & tamen iucundè. parſimonia & duritia victus erant mihi voluptati. duritia ſeu durities, victus mollitiei opponitur, apud Latinos, vt apud Græcos ἡ καρτερία, τῇ τρυφῇ. & duri homines, quos καρτερικοὺς appellant Græci, (quales erant priſci illi Lacedæmonij, ex quo

dicti ſunt patientes, & Lacedæmon patiens ab Horatio,) intelliguntur ij, qui in victu, & cultu, omnem voluptatem, luxuriam, & mollitiem reſpuunt. Horat. epiſt. 7. epiſt. lib. 1. *Durus, ait, Vultei nimis, attentúſque videris.* DISCIPLINAE ALIIS ERAM.] documento aliis eram, alij ex me diſcebant rectè viuendi rationem. EAM DOCTRINAM] qua inſtitutus eram. NVNC PÓSTQVE NIHILI SVM] nunc, & in poſterum mihi ſum. ID VERÒ MEOPTE INGENIO REPP.] non ſum verò talis factus, alicuius culpa: non indulgentia patris, aut negligentia magiſtri: ſed meo ipſius ingenio. Sic M. Tullius lib. 10. epiſt. ad Attic. ſcribit, Q. filium non ſua, aut patris culpa eſſe improbum, ſed ſuopte ingenio, & ſuapte natura. Sic M. Tull. epiſt. 4. lib. commemorato. ſed nulla noſtra culpa eſt, natura metuenda eſt. Hæc Curionem, hæc Hortenſij filium, non patrum culpa corrupit. Idem cod. lib. epiſt. cuius initiũ eſt, *Obſignata iam epiſtola*, apertiùs his verbis declarat. De fratre ſatis, de eius filio, indulſit illi quidem ſuus pater ſemper: ſed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem ſuorum. ferocem fortaſſe, & arrogantem, & infeſtum facit. Itaque habet hæc quoque quæ naſcuntur ex indulgentia: ſed ea ſunt tolerabilia. quid enim dicam de hac iuuentute? ea verò, quæ mihi quidem, qui illum amo, ſunt his ipſis malis, in quibus ſumus, miſeriora, non ſunt ab obſequio noſtro. Nam ſuas radices habent, quas tamen euellerem profectò ſi liceret. A

B

## PHILEMATIVM mulier, SCAPHA ancilla, PHILOLACHES adoleſcens.

PHI. IAmpridem æcaſtor frigida non láui magis lubenter,
Nec vnde me melius mea Scapha rear eſſe defæcatam.
SCA. Euentus rebus omnibus, velut horno meſſis magna
Fuit. PHI. quid ea meſſis attinet ad meam lauationem?
SCA. Nihilo plus, quàm lauatio tua ad meſſim. PHILO. O Venus venuſta.
Hæc illa eſt tempeſtas mea, mihi quæ modeſtiam omnem C
Detexit. tectus qua fui: quam mihi amor & Cupido
In pectus perpluit meũ, neque iam m' vnquam obtigere poſſum.
Madent in corde parietes. periere hæc oppidò ædes.
PHI. Contempla amabo mea Scapha, ſatin' hæc me veſtis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
SCA. Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tute es?
Non veſtem amatores mulieris amant, ſed veſtis fartum
PHILO. Ita me di ament, vt lepida Scapha ſapit ſceleſta multum,
Vt lepidè res omnes tenet, ſententiáſque amantum!
PHI. Quid nunc? SCA. quid eſt? PHILO. Quin me aſpice & contempla, vt hæc me deceat. D
SCA. Virtute formæ id éuenit, te vt deceat, quicquid habeas.
PHILO. Ergo hoc ob verbum te Scapha donabo ego profectò hodie aliqui:
Neque patiar te gratis hanc laudaſſe, quæ placet mihi.
PHI. Nolo ego te aſſentari mihi. SCA. nimis tu quidem ſtulta es mulier.
Ehò mauis vituperari falſò, quàm verò extolli?
PHI. Equidem, vel falſò tamen laudari multo malo,
Quàm verò culpari, aut alios meam ſpeciem irridere.





A PHI. Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendacem ódi.
SCA. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, vt venuſta es.
PHILO. Quid ais ſceleſta? quomodo adiuraſti, ita ego iſtam amarem?
Quid? ita hæc me, cur non additum eſt? infecta dona facio.
Periiſti, quod iam promiſeram tibi dono, perdidiſti.
SCA. Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam,
Non ſtultam ſtultè facere. PHILO. quin mone quæſo, ſi quid erro.
SCA. Æcaſtor erras. quæ quidem illum exſpectes vnum, atque illi
B Morem præcipuè ſic geras, atque alios aſperneris.
Matronæ, non meretricum'ſt, vnum inſeruire amantem.
PHILO. Prò Iuppiter. nam quod malum verſatur meæ domi illud?
Dij deæque omnes me peſſumis exemplis interficiant,
Niſi ego illam anum interfecero ſiti, faméque atque algu.
PHI. Nolo ego mihi malè te Scapha præcipere. SCA. ſtulta es planè, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum, & beneuolentem.
Moneo ego te, te deſeret ille ætate & ſatietate.
PHI. Non ſpero. SCA. inſperata accidunt magis ſæpè, quàm quæ ſperes.
C Poſtremò ſi dictis nequis perduci, vt vera hæc credas,
Mea dicta ex factis noſce. rem vide, quæ ſim, & quæ fui antè.
Nihilo ego, quàm nunc tu, amata ſum, atque vni modò geſſi morem,
Qui pol me, vbi hoc caput colorem immutauit,
Reliquit, deſeruítque me. tibi idem futurum credo.
PHILO. Vix comprimor, quin inuolem illi in oculos ſtimulatrici.
PHI. Solam illi me ſoli cenſeo eſſe oportere obſequentem,
Solam ille me ſoli ſibi ſuo quom liberauit.
PHILO. Proh di immortales, mulierem lepidam, & pudico ingenio.
D Bene hercle factum, & gaudeo mihi nihil eſſe huius cauſſa.
SCA. Inſcita æcaſtor tu quidem es. PHI. quapropter? SCA. quæ iſtuc cures,
Vt te ille amet. PHI. cur obſecro non curem? SCA. libera es iam,
Tu iam quod quærebas, habes. ille te niſi amabit vltrò,
Id, pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
PHILO. Perij hercle, ni ego illam peſſumis exemplis enicaſſo.
Illa hanc corrumpit mulierem maleſuada vitij lena,
PHILO. Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, vt meritu'ſt de me,
Scapha id tu mihi ne ſuadeas, vt illum minoris pendam.
SCA. At hoc vnum facito cogites, ſi illum inſeruibis ſolum,

Dum tibi nunc hæc ætatula eſt, in ſenecta malè querêre. A
PHILO. In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem ſceleſtam ſtimulatricem.
PHI. Eundem animum oportet nunc mihi eſſe gratum, vt impetraui,
Atque olim, priuſquam id extudi, quom illi ſubblandiebar.
PHILO. Dij me faciant quod volunt, ni ob iſtam orationem
Te liberaſſo denuò, & niſi Scapham enicaſſo.
SCA. Si tibi ſat acceptum eſt, fore amicum tibi ſempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita,
Soli gerundum cenſeo morem, & capiundas crineis.
PHI. Vt fama eſt homini, exinde ſolet pecuniam inuenire.
Ego ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues. B
PHILO. Siquidem hercle vendundum eſt, pater venibit multo potius,
Quàm te, me viuo, vnquam ſinam aut egere, aut mendicare.
SCA. Quid illis futurum eſt ceteris, qui amant te? PH. magis amabunt
Quom videbunt gratiam benemerenti referri.
PHILO. Vtinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur,
Vt exheredem meis bonis me faciam, atque hæc ſit heres.
SCA. Iam iſta quidem abſumta res erit. diéſque noctéiſque eſtur,
Bibitur, neque quiſquam parſimoniam adhibet. ſagina plane'ſt.
PHILO. In te hercle certum'ſt, principium, vt ſim parcus, experiri.
Nam neque edes quicquam, neque bibes apud me hiſce diebus. C
PHI. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit.
Nec rectè ſi illi dixeris, iam æcaſtor vapulabis.
PHILO. Ædepol ſi ſummo ego Ioui illoc argento ſacruficaſſem,
Pro illius capite quod dedi, nunquam æquè id bene collocaſſem,
Vt videas illam medullitus m' amare. oh probus homo ſum,
Qui pro me cauſſam diceret, patronum liberaui.
SCA. Video te nihili pendere, præ Philolachete, omneis homines.
Nunc ne eius cauſſa vapulem, tibi potius aſſentibor,
Si acceptum ſat habes, tibi fore illum amicum ſempiternum.
PHI. Cedò mihi ſpeculum, & cum ornamentis arculam actutum, Scapha, D
Ornata vt ſim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
SCA. Mulier quæ ſe, ſuámque ætatem ſpernit, ſpeculo ei vſus eſt.
Quid opu'ſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculũ es maximum?
PHILO. Ob iſtuc verbum, ne nequicquam Scapha tam lepidè dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi. Philematium mea.
PHI. Suo quidque loco, vide capillum ſatis compoſitum'ſt commodè.
SCA. Vbi tu commoda es, capillum commodum eſſe credito.
PHILO. Vah, quid illa pote peius quicquam muliere memorarier?





A Nunc aſſentatrix ſceleſta eſt, dudum aduerſatrix erat.
PHI. Cedò ceruſſam. SC. quid ceruſſa opus eſt? PHI. namqui malas oblinam.
SCA. Vna opera ebur atramento candefacere poſtules.
PHILO. Lepidè dictum de atramento atque ebore. euge plaudo Scaphæ.
PHI. Tum tu igitur cedò purpuriſſum. SCA. non do. ſcita es tu quidem,
Noua pictura interpolare vis opus lepidiſſimum.
Non iſtanc ætatem oportet pigmentum vllum attingere,
Neque ceruſſam, neque melinum, neque vllam aliam offuciam.
B Cape igitur ſpeculum. PHILO. Hei mihi miſero, ſauium ſpeculo dedit.
Nimis velim lapidem, qui ego illi ſpeculo diminuam caput.
SCA. Linteum cape, atque exterge tibi manus. PHILO. quid ita obſecro?
SCA. Vt ſpeculum tenuiſti, metuo ne oleant argentum manus.
Ne vſquam argentum te accepiſſe ſuſpicetur Philolaches.
PHILO. Non videor vidiſſe lænam callidiorem vllam alteram.
Vt lepidè atque aſtutè in mentem venit de ſpeculo malæ.
PHI. Etiámne vnguentis vnguendam cenſes? SCA. minimè feceris.
PHI. Quapropter? SCA. quia æcaſtor mulier rectè olet, vbi nihil olet.
C Nam iſtæc veteres quæ ſe vnguentis vnctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Vbi ſeſe ſudor cum vnguentis conſociauit, ilico
Itidem olent, quaſi quom vnà multa iura confundit coquos.
Quid oleant neſcias, niſi id vnum, vt malè olere intelligas.
PHILO. Vt perdoctè cuncta callet! nihil hac docta doctius.
Verum illud eſt, maximáque pars voſtrorum intelligit,
Quibus anus domi vxores ſunt, quæ vos dote meruerunt.
PHI. Agedum contempla aurum & pallam, ſatin' hæc me deceat Scapha?
D SCA. Non me curare iſtuc oportet. PHI. quem obſecro igitur? SCA. eloquar.
Philolachem, is ne quid emat, niſi quod tibi placere cenſeat.
Nam amator meretricis mores ſibi emit auro & purpura.
Quid opus eſt, quod ſuum eſſe nolit, ei vltrò oſtentarier?
Purpura ætas occultanda'ſt: auro turpe mulieris.
Pulcra mulier nuda erit, quàm purpurata, pulcrior.
Poſtea nequicquam exornata'ſt bene, ſi morata eſt malè.
Pulcrum ornatum, turpes mores peius cœno collinunt.
Nam ſi pulcra eſt, nimis ornata eſt. PHILO. nimis diu abſtineo manum.

Quid hîc vos duæ agitis? PHI. tibi me exorno vt placeam. A
PHILO. ornata es ſatis.
Abi hinc tu intrò, atque ornamenta hæc aufer. ſed voluptas mea,
Mea Philematium potare tecum collubitum eſt mihi.
PHI. Lubet & ædepol mihi tecũ.nam quod tibi lubet,idem mihi lubet,
Mea voluptas. PHILO. Hem iſtuc verbum vile'ſt viginti minis.
Cedò, amabo, decumbe. næ emtum tibi dare hoc verbum volo.
Etiam nunc decem minæ apud te ſunt,vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi. PHI. cur exprobras?
PHILO. Egóne id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quicquam argenti locaui iam diu vſquam æquè bene? B
PHI. Certè ego, quod te amo, operam nuſquam melius potui ponere.
PHILO. Bene igitur ratio accepti atque expenſi inter nos cónuenit.
Tu me amas,ego te amo, meritò id fieri vterque exiſtimat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono.
PHI. Age,accumbe igitur,cedò aquam manibus puer.appone hîc menſulam.
PHILO. Qui inuident, ne vnquam eorum quiſquam inuideat prorſus commodis.
PHI. Vide,tali vbi ſint, vbi vnguenta. PHILO. quid opus eſt? cum ſtacta accubo.
Sed éſtne hic meus ſodalis, qui huc incedit cum amica ſua? C
Is eſt. eſt Callidamates,cum amica incedit. euge, oculus meus,
Conueniunt maniplares. eccos prædam participes petunt.

FRIGIDA.] frigida dixit, nam etiam aqua calida lauabant. DEFOECATAM] abſterſam,& omni ſordium ſqualore, illuuie,atque immunditie purgatam,liquidam, & ſerenam, & nitidam factam: ſuprà in Aulularia, principio ſcenæ ſecundæ, *Defæcato animo.* dixit tranſlatè. EVENTVS, REBVS OMNIBVS VELVT HORNO.] euentus reſpondet rebus noſtris omnibus,& ſecundus fuit,vt meſſis magna frugibus huius anni,vel annonæ huius anni. Horno,accipio vt ſit dandi caſus, hornum vocat vnius, & proximi ſuperioris anni fruges, ſeu frugum anni ſuperioris prouentum atque annonam. Alij volunt eſſe aduerbium. Horat. oda, 23. lib.3. *Si ture placaris, & horna Fruge Lareis, auidáque porca.* Idem epod. oda. 2. *Et horna dulci vina promens dolio Dapes inemtas apparat.* Poteſt fortaſſis etiam ſic explicari hic locus, qualis eſt meſſis magna vnius anni frugibus,& annonę,talis eſt euentus rebus omnibus.Ego tamen priorem explicationem magis probo. ſignificat enim Philematium ſuæ lauationis euentum ſecundum fuiſſe,& ſe lauiſſe ex animi ſententia. O VENVS VENVSTA,] ex eodem genere illa ſunt, nitoribus nitidis, amœnitas amœna, &c. quæ alibi notauimus. HAEC ILLA EST TEMPESTAS.] Philematium ſignificat. ſuperiore ſcena. *Hæc verecundiam mihi, & virtutis modum Deturbauit, detexitque me illicò.* TECTVS QVA FVI,] qua modeſtia tectus fui, manet in allegoria. QVAM MIHI AMOR, ET CVPIDO.] quam tempeſtatem mihi amor, ſeu Cupido,tamquam imbrem ac pluuiam in pectus meum penitus demittunt. *perpluunt*, hîc ἐνεργητικῶς poſitum eſt. ſuprà non item. *perpluunt tigna.* NEQVE IAM M' VNQVAM OBTIGERE POSSVM.] Neque iam me aduerſus tempeſtatem illam tegere in poſterum poſſum. PERIERE HAEC OPPIDÒ AEDES.] periere hæ admodum ædes, hoc eſt, ego perij. eſt enim allegoria continua,vt diximus. CONTEMPLA,] contemplare. MEO OCELLO, MEO PATRONO,] meo patrono, qui me emit, & emtam manumiſit. infrà. *Daniſta adeſt, qui dedit argentum fænori, Qui amica eſt emta.* & hac eadem ſcena, infrà. *Solam ille me ſoli ſibi ſuo cùm liberauit.* meo ocello: qui mihi ocelli inſtar eſt,qui mihi carus eſt, vt oculus. QVIN TV TE EXORNAS MORIBVS LEPIDIS,&c.] quamobrem



A quamobrem te non décoras pulcris & honeſtis moribus,quando tu pulcra & formoſa es? SED VESTIS FARTVM.] fartum à farciendo dictum, vt & farci mei, & fartores, fartum autem fartores aliqua re exteriore ſæpire ſolent. Ita per veſtis fartum, corpus quod veſte amicitur, ac tegitur,ſignificat. VIRTVTE FORMÆ,&c.] id eſt,præſtantia, & vis formæ. Sic apud Terent.Phorm. *Virgo pulcra, & quo magis diceres, Nihil erat adiumenti ad pulcritudinem. Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida, Lacrumæ, veſtitus turpis: vt, ni vis boni In ipſa ineſſet forma, hæc formam exſtinguerēt.* ERGO OB HOC VERB.&c.] Hæc loquitur Philolaches non audiente Scapha, audientibus ſpectatoribus tantùm: vidétque & audit Philolaches Philematium, & Scapham colloquenteis, ipſe autem neque videtur ab illis,neque auditur,in occulto aliquo loco, ſcilicet deliteſcens. ALIQVI.] re aliqua. QVÀM VERO EXTOLLI?] quàm veris laudibus efferri, atque ornari? quàm verè laudari? EQVIDEM VEL FALSÒ TAMEN LAVD.&c.] ſententia hæc eſt, tantum abeſt,vt malim vituperari falsò,quàm verè extolli,vt multo malim falsò laudari, quàm verè vituperari.vel ſic & fortaſſe planiùs,non ſolùm,non mâlo vituperari falsò,quàm veris laudibus ornari: ſed etiam mâlo falſis laudibus ornari, quàm verè culpari. vel ſic, æquè planè non ſolùm mâlo veris laudibus ornari,quàm falſis criminibus & maledictis culpari; ſed etiam mâlo vel falſis laudibus ornari, quàm veris criminibus accuſari. Sunt autem verba Scaphæ ancillæ,
B non Philematij. EGO VERVM AMO: VERVM V. M. D.] hæc ſunt conſentanea cum iis,quæ ſuprà dixit. *Nolo ego te mihi aſſentari.* Nam qui verũ amat, aſſentationē oderit, neceſſe eſt: &,qui aſſentatores & aſſentationem amat, mendacio delectetur, neceſſe eſt. ITA TV ME AMES,&c.] hæc affirmandi aliquid,& iurandi formula eſt,per precationem. QVO MODO ADIVRASTI?] quo modo iuraſti? QVID? ITA HÆC ME, CVR NON ADDITVM EST?] cur non ita dixiſti? Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet,ita tu eum ames, vt venúſta es. INFECTA DONA FACIO.] quæ tibi donaram, aut me donaturum promiſeram, indonata eſſe volo,quæ donaram, repeto. QVOD IAM PROMISERAM TIBI DONO, PERDIDISTI.] quod me tibi donaturum promiſeram,amiſiſti: quia non donabo. Dono,ſeptimi caſus,à recto,donum. Etiam hæc loquitur Philolaches, vt audiatur à ſpectatoribus tantùm,non etiam à Philematio,neque à Scapha. CATAM,] ſollertem,& acutam, & prudentem.Ennius,catus,Æliu' Sextus.Horat.epiſtol. 2. libro 2. *Poſthæc ille catus, quantumuis ruſticus*,&c. ILLVM EXSPECTES VNVM,] ab illo vno pendeas: in illo vno ſpem tuam omnem colloces. ATQ. ALIOS ASP.] atque alios ſpernas ac reiicias. Nonnulli libri habent, *Atque alios exſperneris.* MATRONÆ NON MERETRICVM'ST VNVM INSER. AM.] vni
C ſeruire amanti,& morem gerere,eſt matronæ,non meretricum.Horat.epiſt.xviij. *Vt matrona meretrici diſpar erit, æquè Diſcolor infido ſcurræ diſtabit amicus.* Terent.Heauton. *Nam expedit bonas eſſe vobis: nos, quibuſcum eſt res, non ſinunt. Quippe forma impulſi noſtra, nos amatores colunt. Hæc vbi immutata eſt, illi ſuum animum aliò conferūt. Niſi proſpectum interea aliquid nobis eſt, deſertæ viuimus. Vobis cum vno ſimul vbi ætatem agere decretum eſt viro, Cuius mos maximè eſt conſimilis veſtrûm: hi ſe ad vos applicant.* Antiquè autem dictum eſt, vnum inſeruire amantem, pro, *vni inſeruire amanti*, ſeu potiùs, pro, *in vnum ſeruire amantem.* ſic infrà non longè *ſi illum inſeruibis ſolum.* NAM QVOD MALVM VERSATVR] id eſt, quódnam illud malum meæ domi verſatur? PESSVMIS EXEMPLIS INTERFICIANT,&c.] ſuprà in Capt. *Quando ego te exemplis excruciauero peſſimis*,&c. Idem infrà eadem ſcena. *Perij hercle ni ego illam peſſumis exemplis enecaſſo.* ATQ. ALGV.] & frigore. Algus,us,dixerunt veteres,pro, algor,ris: idque notant grammatici. ſic Lucret.libro 3. *Sollicitæ volitant morbis, algúque, faméque.* Iterum Plautus, Rudente. *Tu vel ſuda, vel peri algu.* PRÆCIPERE.] præmonſtrare ὑποδείξαι docere. ÆTERNVM.] Horat.oda xiij.lib.1. *Non, ſi me ſatis audias, Speres perpetuum, dulcia barbarè Lædentem oſcula*,&c. ÆTATE, ET SATIETATE.] ætate cuius? an Philematij? an Philolachetis? quæri enim poteſt,vtrum dicat Scapha, Philolachetem deſerturũ Philematium,
D cùm ipſe maior natu factus fuerit,an cùm Philematium anus facta ſit. INSPERATA ACCIDVNT MAGIS SÆPÈ, QVÀM Q. SP.] ſic ferè ſuprà. *ſed vnum hoc ſcito, nimio celerius venire quod moleſtum eſt, quàm id quod cupidè petas.* EX FACTIS.] ἐκ πραγμάτων. QVAE SIM] anus. ET QVAE FVI ANTÈ.] puella. NIHILO EGO.] ſubintellig. minus. GESSI MOREM.] obſecuta ſum. QVI POL ME VBI HOC CAPVT COL. IMM.] vbi hoc caput canum factum eſt: vbi hoc caput incanuit. RELIQVIT, DESERVITQ. ME.] Terent.Heauton. *Quippe forma impulſi noſtra nos amatores colunt. Hæc vbi immutata eſt: illi ſuum animum aliò conferunt. Niſi proſpectum interea aliquid nobis eſt, deſertæ viuimus.* Sed animaduertendum hîc, *me*, eſſe iteratum: nam ſuprà poſitum eſt ibi, *qui pol me*,&c. INVOLEM ILLI IN OCVLOS,&c.] inuadam & irruam illi in oculos. STIMVLATRICI.] quæ Philematium ſtimulat,vt ſe multis proſtituat. OBSEQVENTEM.] morigeram. SVO.] de ſuo: ſuo ſumtu. MIHI NIHIL ESSE,] me eſſe inanem,nudum, atque egentem. INSCITA.] ſtulta. QVOD QVAERÉBAS,] libertatem. VLTRÒ,] à te non prouocatus,amans,& expetens te, à te non amatus, neque expetitus. PRO CAPITE TVO.] pro libertate. PESSVMIS EXEMPLIS,] modis peſſimis. ENICASSO.] enecauero. MALESVADA VITII LENA,] lena, quæ Philematio vitium malè ſuadet. Virgil.lib.vj.Æneid. *Et metus & maleſuada fames, & turpis egeſtas.* SI ILLVM INSERVIBIS SOLVM,] ſi illi ſoli inſeruies: ſic ſuprà eadē ſcena. ÆTATVLA,]

adoleſcentia,ætas ferox.ſuprà in Ciſtell.*Sempérque iſtam quam nunc habes,ætatulam obtinebis*.IN SE- A
NECTA MALÈ QVERÊRE,]anus facta,fruſtrà conquereris:fruſtrà te pœnitebit,cùm ti-
bi.ſenectus obrepſerit. IN ANGINAM EGO NVNC ME V. V.] angina, morbus eſt,
quam *συνάγχην*, ſeu *κυνάγχην*,Græci vocant.Morbus eſt acutus & peſtifer in faucibus con-
ſiſtens:de quo Cornelius Celſus lib.4.cap.4.Velim,inquit, me ex Philolache anginam fieri, &
in faucibus illius veneficæ inſidêre. EVMDEM ANIMVM OPORTET NVNC,&c.]op-
ponuntur hæc à Philematio illis,quæ ſuadebat anus, *libera es iam.Tu iam quod quærebas habes, vt ei
ſpiritum intercludam.* VT IMPETRAVI,] cùm impetraui,vel poſtquàm impetraui. EXTV-
LI,] multis blandimentis,& precibus abſtuli,& extorſi.Virgil.Georg. 1. *Vt varias vſus meditando
extunderet arteis.*DII ME FACIANT QVOD VOL.]me,de me. TE LIBERASSO. D.]
te liberaro de integro. ENICASSO,]enecauero. SI TIBI SAT ACCEPTVM EST,
FORE AMIC. T. S.] ſi tu ita certum eſſe putas Philolachem fore tibi amicum,ſempiter-
num,vt ſi tibi fideiuſſoribus,& ſponſoribus datis cautum eſſet,&c.vel ſic, ſi tu ita confidis Phi-
lolachem tibi amicum fore perpetuum , vt ſi vades, & ſponſores ab eo accepiſſes,.&c. vel ſic, ſi
tu ita confidis Philolachem tibi ſempiternum amicum futurum,vt ſi tibi ſatis, dediſſet ita fore,
&c. PROPRIVM,]id eſt,perpetuúm,& ſtabilem:Nam quæ alicuius propria ſunt, iure ciuili
ſtabilia & perpetua ſunt, & tranſeunt ad heredes.at commodata aut mutuò data, aut quibus B
quis vtitur,fruitur tantum:non item.huc referendum eſt illud quod ſcriptum à Lucretio eſt li-
bro 3.*Vitáque mancipio nulli datur omnibus vſu*.Sed de hac huius ſignificatione alibi ſuprà.ET CA-
PIVNDAS CRINEIS,] ei ſoli cenſeo capiendas crineis,id eſt,cenſeo te ei ſoli blandiri opor-
tere.capere crineis alicui,eſt ei blandiri,ſeu potiùs eum molliter & leniter crinibus prehendere
oſculandi gratia. ſolebant enim puellæ amatoribus ſuis, quibus ſuam in eos liberalitatem, ac
beneuolentiam declarare volebant,crineis & interdum auriculas prendere, atque ita oſculari:
quæ ab Adrian.Turnebo in libris Aduerſario.notata ſunt.Legendum autem eſſe *capiundas* non
capiundos,& libri veteres,qui ſic habent,peruincunt:Et Nonius,qui in voce *crines*, hunc locum
profert,docens *crines*, vſurpatum eſſe à veteribus in maſculino & fœminino genere. VT FA-
MA EST HOM. EXINDE SOLET PEC. INVEN.]qualis eſt hominum de aliquo exi-
ſtimatio,talis ei apud illos fides eſt.ſi bene de eo exiſtimant:pecuniam ei credunt:ſin malè, non
credunt. vt fama eſt hominis, ita ſolet pecuniam inuenire. ſi bona eſt,pecuniam facilè reperit,
neque vnquam eget:ſin mala,non facilè reperit,neque quiſquam eum re iuuat.SERVASSO,]
ſeruauero. SIQVIDEM HERCLE VEND. EST, PATER VEND. P.]id eſt,ſiquid mi-
hi vendendum eſt,ne egeas,patrem vendam potiùs,quàm te egere,aut mendicare, me viuo, ſi-
nam. QVID ILLIS FVT. &c.]Quid de illis,&c. QVOM VIDEBVNT GRATIAM C
BENEVOL. REF.] magis me amabunt,inquit,cùm videbunt me gratum eſſe in beneuolum.
Secutus ſum autem Camerarij coniecturam,qui ex obſcuris antiquæ ſcripturæ veſtigiis *beneme-
renti*,quæ vox deſiderabatur,repoſuit. VT EXHEREDEM MEIS BONIS ME F.]vt ex-
heredẽ meorum bonorum me faciam,& Philematium ſit heres.ſuprà in Bacchid.*Niue exheredem
fecero vitæ ſuæ.*DIÉSQ. NOCT. ESTVR,]*eſtur*,imperſonale paſſiuũ à verbo edo,es,eſt.SAGI-
NA PLANE'ST.]planè videbimini hîc inſtar altilium,hoc vnum agere,atque huic vni rei ſtu-
dere, vt ſaginemini:ita nullus ſit edendi & bibendi modus.ſagina,cibi vis, & copia : aut cibi ad
ſaginandum comparati. IN TE HERCLE CERTVM'ST PRINCIPIVM, VT P. S.
EXP.] deliberatum mihi hercle eſt,principiò in te experiri quàm parcus ſim. parſimoniæ meæ
periculum in te facere,& ſpecimen dare mihi decretum eſt.ſignificat, ſe parſimoniam in victu
ei prebendo adhibiturum,quoniam queritur nimis ſumtuosè viui , & nimis magnos ſumtus in
victum fieri.Immò verò diſertè minatur ſe nihil ei in victum præbiturum. principium autem,
id eſt,principiò,niſi fortè *principiò*, legendum eſt. NEC RECTÈ SI ILLI DIXERIS,]
id eſt,ſi illi malè dixeris,&c.ſic ſuprà non ſemel. conſule indicem. ÆDEPOL SI SVMMO D
EGO IOVI ILLO ARGENTO,&c.] ædepol,ſi ego ſupremo Ioui illo argento, quod pro
illius libertate dedi, ſacrificaſſem , non æquè benè id poſuiſſem , atque poſui , cùm eam emi,&
manumiſi. VT VIDEAS ILLAM MEDVLLITVS M' AMARE?]id eſt,quàm facilè eſt
videre me ab illa medullitus amari! quàm facilè quis videre poſſit me illi ex animo, & penitus
carum eſſe!*Medullitus*,hoc eſt,penitus,vſque à medulla, vel, vt Nonius, à medullis : qui profert
hæc ex Trucul.*Oſtendit ſeſe iam mihi medullitus inſidelem nunquam,dum viuam,fore.* & ex Ennij Satyr.
libro 3.*Enni poëta ſalue,qui mortalibus Verſus propinas flammeos medullitus.* O II,] lætitiam ſignificans,
interiectio. PROBVS HOMO SVM.] frugi homo ſum. QVI PRO ME CAVSAS
DICERET, PATRO. LIB.] liberaui Philematium, vt eſſet mihi tanquam patronus, qui
pro me cauſam diceret. Secutus autem ſum libros vulgatos, quibuſcum conſentiunt noſtri
veteres.Nam Camerarius ſic edidit. *Quæ pro me cauſam diceret,patronum liberaui.* quam ſcripturam
minus probo:quamuis ſic explicari poſſit.liberaui patronum,hoc eſt, liberaui Philematium,vt
eſſet mihi patronus, quæ Philematium pro me cauſam diceret. Ego ſic malim legi. *Quæ pro me
cauſam diceret,patronũ liberaui.*Quæ ſcriptura,plana eſſet,neque egeret explicatione. VIDEO TE
NIHILI PĔNDERE, PRÆ PHILOLACHETE,&c.] video te ceteros omneis homines
nihili facere,ſeu nihili æſtimare præ Philolachete.*Nihili pĕndere*,tranſlatè dictũ.eſt enim tractum
ab



A ab ære,auro,& argento,& ſimil.quæ olim pendebantur ante nummi vſum repertum. ſic ſuprà
eadem ſcena. *vt illum minoris pendam.* TIBI POTIÙS ASSENTIBOR.] tibi potiùs aſſen-
tiar.ſic autem legẽdum, non vt habent omnes editiones, *aſſentabor*. Nam primùm Philematium
dixit nolle ſe Scapham ſibi aſſentari.ſuprà hac eadem ſcena,ibi, *Nolo ego te aſſentari mihi.* Deinde
quamuis aſſentari,& aſſentiri,ſint ſimilia,& propinqua,differunt tamen inter ſe. alterum enim
ſine reprehenſione fieri poteſt:aſſentiri dico:quia aſſentimur alteri etiam vera dicenti:nihílque
prohibet,quo minus qui aſſentitur,vera dicat:alterum non poteſt: quia qui aſſentatur ſemper
falſa pro veris ſequitur,& approbat,& ſemper mentitur,& mendax eſt.Sic igitur hoc loco Sca-
pha dicit ſe Philematio aſſenſuram,hoc eſt,eius orationem & ſententiam de Philolachete vno
amando probaturam:aſſentaturam non dicit. Quod autem diximus, nihil prohibere, quomi-
nus,is qui alteri aſſentitur, vera dicat, ſic intelligendum eſt, qui vera aſſentitur, vera dicit: qui
falſa,falſa loquitur.qui omnia aſſentitur,ſiue ſint vera, ſiue falſa, is aſſentator eſt, & aſſentatoris
eſt,omnia alteri aſſentiri. Quod ait ſe facere ſolere Gnatho ille Terentianus in Eunucho his
verbis:*Negat quis?nego.ait?aio.Poſtremò imperaui egomet mihi Omnia aſſentiri.* ſic infrà in Menæchm.le-
gendum.*Bene res geritur:aſſentibor quidquid dicet, mulieri:* & ita edendum curauimus : non vt vulgò
B *aſſentabor*,&c.SI ACCEPTVM SAT HABES,&c.]ſi tibi prædibus,& prædiis ſatis cautum
eſſe exiſtimas, hoc eſt,ſi confidis, illum tibi amicum fore perpetuum,ſi non dubitas,quin ille
tibi ſempiternus amicus ſit futurus. ſi non minus cõfidis illum tibi amicum ſempiternum fore,
quàm ſi tibi datis ſponſoribus promiſiſſet:ſic ſuprà loquitur eadem ſcena, *ſi tibi ſat acceptum eſt,*
&c. MVLIER QVÆ SE, SVÁMQ. ÆTATEM.] ei mulieri,quæ ſe, ſuámque ætatẽ ſper-
nit,id eſt,quæ deformis, & vetula eſt, ſpeculo opus eſt ei mulieri , quæ de ſe ſuáque ætate malè
exiſtimat:quæue ſibi,ſuæque ætati diffidit,hoc eſt,quæ ſe deformem , & vetulam ſcit eſſe, ſpe-
culo opus eſt. quia ſpeculum reddit eorum, qui eo vtuntur , imagines, meliores, & gratiores,
dum ſpeculo adhibito,oris & formæ vitia corrigunt. Dixit autem,*mulier quæ*,more ſuo,pro *mu-
lieri,quæ*; vel pro , *quæ mulier* , vt relatiuum, & antecedens inter ſe conueniant caſu. QVID
OPV'ST SPECVLO TIBI QVÆ TVTE,&c.] quid tibi & puellæ , & formoſæ, ſpeculo
opus eſt,cuius nitor, & ſplendor, vſum ſpeculi præbere , & ſpeculo ſpeculi maximi inſtar eſſe
poteſt? OB ISTVC VERBVM, NE NÉQVICQ.&c. ] verba ſunt Philolachetis, & hîc
Philolachetis nomen præſcribi debet.Ob iſtuc dictum,inquit, Philolaches , ne tu Scapha fru-
ſtrà & gratis tam lepidè , ſcitéque dixeris , aliquid peculi, tibi dabo. peculium ſeruis & ancillis
dominos dare eſſe ſolitos,& ab aliis dari potuiſſe,conſtat. Sic autem,vt edidimus, habent libri
C noſtri veteres,& ita edidit Camerarius.Nam vulgati ſic habent.*Ob iſtuc verbum ne nequicquã*,&c.
*dabo aliquid hodie.*Deinde,præſcripto Scaphæ nomine,*pertuli Philematium mea*.quorum verborum
hanc ſententiam eſſe volunt,pertuli tibi ſpeculum,Philematium mea.ſed hæc ſcriptura perſpi-
cuè corrupta eſt.quare teneamus antiquam.Iam hæc verba,*Philematium mea*, ſunt etiam Philo-
lacheris:& ſeparatim pronuntianda ſunt, quaſi Philolaches præ deſiderio & cupiditate Phile-
matium inclamet,atque appellet. SVO QVIDQVE LOCO VIDE CAPIL. SATIS
COMPOSITVM'ST COMM.] ſic ferè Nonius,qui hunc verſum profert in voce *capillus*,do-
cens,veteres protuliſſe etiam in neutro genere. quamquam non profert integrum , ſed ab hoc
loco, vide capillum ſatin' compoſitum ſit commodè. Nos in eo Nonium ſecuti ſumus,quod
*vide* , non *viden'* : *capillum. capillum*,non *capillus* , edidimus, in hoc veteres ſecuti ſumus , quod
*compoſitum'ſt*,non vt eſt,apud Nonium,*compoſitum ſit.* & *ſatis*,non,*ſatin'*,edendum curauimus:quo-
niam ſi,*compoſitum ſit*, legatur , verſus conſtare ſuis numeris non poſſit , & vna ſyllaba modum
ſuperet.ſententia autem hæc eſt,vide,an capillum ſuo quodque loco ſatis commodè compoſi-
tum ſit. *quodque* autem legi malim , quàm *quidque.* POTE P.] ſubintellige, eſt. *pote* autem,
hoc eſt,Δυνατόν,fas,& quod barbarè vulgus dicit,*poßibile.* ASSENTATRIX SCEL.] aſſen-
D tatricem appellat accuſatoriè,quia nimis putidè ei blandiendo placere ſtudeat. CEDÓ CE-
RVSSAM]ceruſſam ψιμμύθιον vocant Græci.fucus eſt,quò mulieres faciem candefaciunt. De
quo ſic Plin. lib.35.cap.6.*Eſt & colos tertius è candidis ceruſſæ : cuius rationem in plumbi metallis diximus.*
NAM QVI MALAS OBLIN.] nam opus eſt ceruſſa , qua malas candefaciam. VNA
OPERA EBVR ATRA.] ſi malas tibi ceruſſa candefacere vis,vna, eadémque opera debeas
ebur atramento candefacere velle. quod ſi abſurdè & ſtultè factura ſis, illud quoque alterum
ineptè atque inſcitè facias. Malæ enim tuæ ceruſſa ipſa ſunt candidiores, neque ceruſſa quid-
quam amplius earum candori afferre, aut addere queat , ſed eas minus candidas faciat potiùs,
quemadmodum ſiquis atramento ebur ſuapte natura candidum candefacere conetur , ridicu-
lè faciat,& eius candorem corrumpat.ſic ferè Horat.Sat.3.lib.1.ſermonum. *At nos virtutes ipſas
inuertimus,atque Sincerum cupimus vas incruſtare,*&c. PVRPVRISSVM.] cretam argentariã pur-
pura tinctam,quo olim vtebantur,& hodie vtuntur pictores. De quo Plin. lib. ſuprà proximè
commemorato,& cap.eodem. SCITA ES TV QVIDEM,] ironia. INTERPOLARE
OPVS LEPIDVM.]renouare & reconcinnare opus pulcherrimum, & integerrimum. inter-
polantur vetera:noua,interpolationem non requirunt.Interpolare,inquit, Nonius, eſt nouam
formam è vetula fingere.M.Tullius accuſationis lib.1.*Tollendo,quod eſſet, & ſemper aliquid demendo,
mutando,interpolando.* Sic autem legendum apud Ciceronem , non eò ſolùm quod ita profert

A Nonius, ſed etiam quia ita ſcriptum eſt in libris veteribus: qui non habent hæc verba, *curando, ne litura appareat*, quæ vulgati habent, *intermutando, & interpolando*. NON ISTANC AETATEM OP. &c.] Emphibolia, ſed hoc ſentit Scapha, iſtam ætatem nullum pigmentum debet attingere, neque ceruſſa, &c. NEQ. MELINVM] Melinum auri pigmentum, color candidus, à Melo inſula: de quo Plinius loco ſuprà commemorato. NEQ. VLLAM ALIAM OFF.] neque vllum alium fucum. ſuprà in Capt. *Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſubleuere offuciis.* NIMIS VELIM LAPIDEM, QVI EGO ILLI SP.] valde ego mihi lapidē optem, quo illi ſpeculo comminuam caput, id eſt, quo totum ſpeculum conteram, & confringuam. LINTEVM CAPE,] mantile lineum ad manus abſtergendas. χειρόμακτρον. VT SPECVLVM TENVISTI,] cùm ſpeculum tenuiſti, vel, quomodo ſpeculum tenuiſti argēteum, ſcilicet. NE OLEANT ARGENTVM MANVS.] ne manus oleant argentum. id eſt, ne odorem argenti, ex argentei ſpeculi contactu, contractum reddant. ſpecula olim etiam argentea fiebant, vt & hodie Plinius lib. 33. cap. 9. *Prælata ſunt argentea. primus fecit Praxiteles, Magni Pompeij ætate.* Vlpianus iuriſconſultus lib. 34. Digeſt. tit. de auro, argento, mundo, &c. legatis. *Sed nec candelabra, nec lucernæ argenteæ, vel ſigilla, quæ in domo repoſita ſunt, vel imagines argenteæ, argenti appellatione continebuntur: Nec ſpeculum parieti affixum, vel etiam quod mulier mundi cauſa habuit, ſi modò non in argēti numero habita ſunt.* B QVIA AECASTOR MVLIER RECTÈ OLET, &c.] Sic M. Tullius lib. 2. epiſt. ad Attic. epiſt. 1. *Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incomta viſa ſunt: ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant: & vt mulieres, ideò benè olere, quòd nihil olebant, videbantur.* NAM ISTHÆC VETERES,] iſthæc, pro iſtæ, antiquè. *veteres* autē, id eſt, vetulæ. INTERPOLES,] id eſt, interpolatæ, hoc eſt, ex vetulis, fuco, ceruſſa, & vnguentis, quaſi nouæ, & puellæ factæ: vel quæ ſe medicamentis, & pigmentis, & vnguentis interpolant, hoc eſt, nouas ex veteribus faciunt. *interpoles*, numeri multitudinis recti caſus, à ſingulari *interpolis*. EDENTVLAE,] dentibus carētes, propter ſenectutem. ſuprà in Caſina, *propter operam illius hirqui improbi atque edentuli*, &c. In Pœnulo. *vinum edentulum* dixit tranſlatè. νωδοὺς appellant Græci: quos edentulos, Latini. VITIA CORPORIS.] vt rugas, & cutis aſperitatem, & ſqualorem, & ſimilia. OCCVLVNT,] tegunt, occultant, κρύπτουσι. CVM VNGVENTIS CONSOC.] cum vnguētis confudit, & commiſcuit, &c. Sic ferè Horat. oda. 12. epod. *Quis ſudor vietis, & quàm malus vndique membris Creſcit odor, cum pene ſoluto, Indomitam properas rabiem ſedare*, &c. Huius rei cauſam explicat Alexander Aphrodiſ. in Problem. NISI ID VNVM VT MALÈ OLERE INTELL.] niſi id vnum vt eas malè olere intelligas. MAXIMÁQ. PARS VOSTRORVM INTELL. &c.] & maxima pars veſtrûm intelligit, ſpectatores alloquitur. C QVAE VOS DOTE MERVERVNT.] quas vos domum duxiſtis, quia erant locupletes, & bene dotatæ, quæ dote conſecutæ ſunt, vt vobis nuberent: quæ vos dote emerunt. CONTEMPLA.] contemplare. PALLAM,] veſtem muliebrem ſuperiorem & exteriorem. Horat. Sat. 2. lib. 1. *Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla:* &c. Plautus in Menæchm. *Hanc modo vxori intus pallam ſurripui: ad ſcortum fero.* NON ME CVRARE ISTVC OPORTET.] non eſt meum curare, ſatíſne te veſtis aliqua deceat: ſed Philolachetis, ne quid tibi emat, niſi quod te deceat, & quod tibi placere putet. IS NE QVID EMAT, NISI, &c.] ne quid is emat, &c. NAM AMATOR MERETRICIS MORES, &c.] Horum duorum verſuum arguta & acuta ſententia eſt. Hoc enim ſentit anus. Cùm amator meretricis mores ſibi emat auro, & purpura: omnis emtor autem pretium à ſe alienet, & in venditorem transferat, vt contrà à venditore mancipio accipiat rem, qua eget, neque velit pretium ſibi ab illo reddi, & rem eſſe inemtam: non eſt quod amatori tuo Philolacheti, purpuram & aurum, quæ ab illo accepiſti, & quibus te emit, vt tu te totam in ſe transferres, & vt tota ſua eſſes, non eſt, inquam, quod illa ei vltro oſtentes. tuis enim moribus, & tua forma contentus eſt, neque purpuram tuam, aut aurum expetit. PVRPVRA AETAS OCCVLTANDA'ST:] ætas mala ſcilicet, hoc eſt, ſenecta, purpura tegenda, & occultanda eſt. veſtis D enim interdum tegit vitia corporis. AVRO TVRPE MVLIERIS.] turpe mulieris, id eſt, turpitudo, ſeu deformitas mulieris, auro occultandum eſt, auro occultanda eſt. repetendum ἀπὸ κοινοῦ. Sic autem eſſe legendum, vt edendum curaui, ratio & veritas, & conſecutio ipſa peruincunt. vult enim oſtendere hæc anus aurum & purpuram puellæ formoſæ eſſe ſuperuacanea, neque magnopere eſſe adhibēda. primùm enim purpurea veſtis malæ ætatis vitia tegere: deinde aurum, deformitatem mulieris occultare debet. Sed mulier, quæ formoſa, & ætate integra eſt, nuda pulcrior eſt, quàm purpura ornata, ſuis enim bonis poller, neque alienis & externis adiumentis eget. Et mulier bene morata, aurum quo ornetur, non admodum deſiderat. Nam ſatis eam ornant boni mores. QVÀM PVRPVRATA.] quàm purpura ornata: Cū his congruit illud Menandri, γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσία. id eſt, mulieri ornamento ſunt mores, & non aurum. Et illud eiuſdem Ῥύπος γυναικὶ πέφυκεν ἠργυρωμένη, id eſt, ſordes mulieri argento ornatæ, cōtrahuntur natura. POSTEÀ NEQVICQVAM EXORNATA'ST BENE, &c.] præterea, inquit, fruſtrà bene exornata eſt mulier, ſi malè morata eſt. COLLINVNT.] inquinant, contaminãt. Horat. oda. 15. lib. 1. *tamen, heu, ſerus adulteros, Crineis puluere collines.* NIMIS DIV ABSTINEO MANVM] nimis diu me continui, mihíque temperaui, ne eas adirem. tempus eſt ad eas accedendi. lubet nunc iis adire manum. abſtinere manum, hîc opponitur illi, quod ſuprà



A ſuprà explicauimus, adire manum, in Aulularia, ibi. *Ita illis impuris omnibus adij manum.* HEM ISTVC VERBVM VILE'ST VIGINTI MINIS,] iſtuc verbum vili ematur, ſi viginti minis ematur. Iſtuc verbum ſi quis emat viginti minis, non carè emerit, quia longè pluris eſt, quàm viginti minæ. & ſi iuſto pretio ematur, longè pluris emi debeat, quàm viginti minis. NÆ EMTVM TIBI DARE HOC V. V.] næ ego tibi iſtud verbum emtum reddere volo: hoc eſt, nolo mihi iſtud gratis dixeris, ſed eius pretium tibi perſoluere volo: nolo verbum, quod locuta es, mihi eſſe gratuitum, ſed emtum, eiúſque accipias faxo. ETIAM NVNC DECEM MINAE APVD TE S.] triginta minis Philematium emerat Philolaches, emtámque continuò liberarat. hoc igitur dicit, viginti minæ tibi pro iſto verbo debentur. demantur viginti minæ de triginta, quas ego pro tuo capite dedi: reſtant decem tantum. ita decem minis te emi dumtaxat. quod ſi pretium quo te emi, exigere abs te vellem, decem minas tantum repetere iure poſſem, non triginta, quia tibi viginti pro iſto verbo debentur. VEL RATIONEM PVTA.] quòd ſi mihi non credis, ſubduc rationem, & rem ad calculos voca. profectò enim ſi de triginta minis, quas pro tuo capite dedi, viginti detrahantur, quas ego tibi debeó pro iſto verbo, quod locuta es, *voluptas mea*, decem minæ ſolæ apud te reſtant, quas mihi debeas. TRIGIN- B TA MINAS PRO CAPITE TVO DEDI,] triginta minas pro te dedi, de quibus ſi detrahuntur viginti, quas me tibi pro iſto verbo debere profiteor, decem ſolæ ſunt apud te reliquæ. CVR EXPROBRAS?] cur mihi beneficium, erga me tuum commemoras, vt me rubore ſuffundas? EGÓNE ID EXPROBRO QVI MIHIMET, &c.] hoc eſt, ego enim animum inducam id tibi exprobrare, quod mihi ipſi cupio probro dari, & maledicti loco obiici? te ſcilicet eſſe à me emtam ac liberatam. NEC QVIDQVAM ARGENTI, &c.] & qui nullum argentum, ſeu nullam pecuniam iampridem tam bene vlla in re collocaui, quàm in te emenda? BENE IGITVR RATIO ACCEPTI, &c.] id eſt, accepta igitur, & expenſa, paria ſunt. ſi ego tantum abs te accepi, quantum pro te expendi: hoc eſt, ſi tu me amando, facis, vt pecuniam in te emenda bene collocarim, accepti, & expenſi ratio inter nos conuenit. HÆC QVI GAVDENT, GAVDEANT, &c.] qui his noſtris bonis, & hoc noſtro amore mutuo lætantur, opto, vt ij perpetuo ſuo bono lætētur, & perpetuo ſint beati. Sequitur non longè verſus, qui huic ex contrario reſpondet, *Qui inuident*, &c. CEDÒ AQVAM MANIB. P.] da puer aquam manibus lauandis. APPONE HÎC MENSVLAM.] menſæ apud veteres illos, & apponebantur potaturis, & remouebãtur compotatione finita. qua de re ſuprà. Demoſthen. κατὰ νεαίρας· καὶ οἱ διάκονοι οἱ χαβρίου τράπεζαν παραθέμενοι. id eſt, & Chabriæ miniſtri, men- C ſa appoſita. QVI INVIDENT, NE VMQ.] id eſt, qui nobis hæc bona inuident, ij ſint infelices, & miſeri. Nam infelicibus nemo inuidet: ſed contrà eorum miſerentur, niſi fortè ſint miſeria digni. hac etiam de re diximus ſuprà alibi plura, opinor, in Bacchid. ad illum locum. *ſibi ne inuideatur, ipſi ignaui rectè cauent.* TALI VBI SINT,] tali luſorij aſtragali. de talis, ſat multa ſuprà in Curcul. ibi, *iacit voltorios quatuor.* Conſule indicem. QVID OPVS EST?] quid opus eſt vnguentis? CVM STACTA ACC.] ſtacte, ſeu ſtacta, vnguentum ex myrrha, ſeu liquor myrrhæ. Lucret. lib. 2. *Sicut amaracini blandum ſtactæq; liquorem, Et nardi florem*, &c. ad quem notauimus ex Theophr. περὶ ὀσμῶν, ἐκ κινναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ σμικρὸν στάζειν. id eſt, ex cinamomo, & ſmyrna contuſa, ſeu dum cōtunditur, oleum manat. ſtacte autem appellatur, quia paullatim & guttatim fluit. OCVLVS MEVS.] qui mihi inſtar oculi eſt: qui mihi cariſſimus eſt. MANIPLARES.] manipulares, eiuſdem manipuli milites: commilitones. tralatio à re militari, ſeu caſtrenſi. Quid ſit manipulus autem in re militari, dictum eſt ſuprà. conſule indicem.

D

## CALLIDAMATES, SCAPHA, DELPHIVM, PHILOLACHES, PHILEMATIVM.

CAL. ADuorſum venire mihi ad Philolachem
Volo tempori, audi. hem, tibi imperatum eſt,
Nam illic vbi fui, inde effugi foras.
Ita me ibi malè conuiuij, ſermoníſque
Pertæſum eſt. nunc comiſſatum ibo ad Philolachem,
Vbi nos hilari ingenio & lepidè accipiet.
Ecquid tibi videor mammam adire? DE. ſemper
Iſtoc modo moratus viuere debebas.
CA. Víſne ego te, ac tute me amplectare?

DE. Si tibi cordi eſt facere,licet. CA. lepida es, A
Duce me amabo. DE. caue ne cadas,aſta.
CA. Oh occellus es meus, tuus ſum alumnus, mel meum.
DE. Caue modò ne prius in via accumbas,
Quàm illic, vbi lectus eſt ſtratus, coimus.
CA. Sine cadere me. DE. ſino,ſed & hoc quod mihi in manu'ſt.
Si cades,non cades quin cadam tecum.
Iacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.
Madet homo. CA. tun meam vis mammam adire?
DE. Cedò manum.nolo equidem te affligi.
CA. Hem tene,age i ſimul.quòd ego eam,an ſcis?
DE. Scio,in mentem venit modò. CA. nempe domum eo B
Comiſſatum. DE. immò iſtuc quidem iam memini.
PHILO. Num non vis obuiam me hiſce ire,anime mi?
Illi ego ex omnibus optimè volo:iam
Reuortar. PHI. diu eſt iam id mihi. CA. ecquis hic eſt?
PHILO. Adeſt. CA. eu Philolaches,ſalue amiciſſime
Mihi hominum omnium. PHILO. dij te ament,accuba
Callidamates. vnde agis te? CA. vnde homo ebrius.
PHILO. Probè,quin amabo accubas Delphium mea.
CA. Date illi quod bibat,dormiam ego iam.
PHILO. Num mirum hic,aut nouom quippiam facit?quid ego
Hoc faciam poſtea mea? DE. ſic ſine eum quieſcere. PHILO. C
age tu
Interim da ab Delphic citò cantharum circum.

ADVORSVM VENIRE MIHI AD PHIL.] puerum alloquitur.ſententia autē hæc eſt.volo te,puer,mihi tempori aduerſum venire ad Philolachem,id eſt,domum Philolachis, quò nunc comiſſatum eo. venire aduerſum autem mihi, à Philolache, ad quem nunc eo, ſcilicet redeunti,ne redeam in comitatus. hinc dicuntur pueri aduorſitores, qui eunt heris ſuis aduerſum,id eſt,obuiam,ne veniant incomitati. Infrà Phaniſcus puer aduorſitor introducitur. Sed legendum arbitror,*Te aduorſum venire*,&c.alioqui ſubintelligendum prouocabulū,*te.* quod duriuſculum eſt.infrà in Menæchm.*Tum facito, ante ſolem occaſum vt venias aduorſum mihi.* HEM, TIBI IMPERATVM EST.] hem,tibi dico:fac memineris. NAM ILLIC, VBI FVI, INDE,&c.] illic,παρέλκει.poſitum autem eadem ratione eſt,qua antecedens ponitur ante relatiuum in eodem caſu.vt,*Vrbem quam ſtatuo,veſtra eſt.*Et,*Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas fecit?*quod loquendi genus Plauto vſitatiſſimum eſt, vt admonuimus non ſemel. Quod autem D quidam legi volunt,illinc falluntur. ITA ME IBI MALÈ CONVIVII,&c.] epiphonêma,quod cauſam continet,quare inde,vbi erat,effugerit.*pertæſum eſt* autē, perfectum à verbo imperſonali præſenti, *tædet.*Virgil.lib.4.Æneid.*Si non pertæſum thalami, tædæq; fuiſſet*, &c. Cicero, lib.1.epiſtol.ad Q. Fr.*Pertæſum eſt enim leuitatis*,&c. NVNC COMISSATVM IBO AD PHILOL.]quid ſit comiſſari,dixi equidem in commentariis Horatian. ſed quid vetat, quominus etiam in his,commonendi lectoris cauſa,pauca breuiter inde huc transferamus? Eſt igitur comiſſari,quod Græci κωμάζειν dicunt.κωμάζειν autem,eſt conuiuium inire meretricium, & impudicum.cum ſcortis & meretricibus compotare, laſciuire & ſaltare: nocturnas compotationes cum mulieribus impudicis agitare.hinc comiſſatio,conuiuium meretricium,proteruum & laſciuum:compotatio nocturna, petulans & libidinoſa, cum ſcortis & mulieribus impudicis.Horat.oda.1.lib.4.*Tempeſtiuius in domo Pauli purpureis ales oloribus Comiſſabere Maximi.*Sic enim reſtituimus, & edendum curauimus omnium primi, cùm anteà legeretur *comeſſabere*:Itémque fecimus apud M.Tull.Et nunc apud Plautum.Nam Camerarius edidit,vt habēt alij libri vulg. *comeſſatum.*Et verò ita legēdum apud Terent.in Eunuch.& in Adelph. *Comiſſatum & comiſſatorem.* Quòd autem quidam ſcribūt *commiſſatum,& commiſſatorem* cum duplicato m.m.falluntur,quamuis ita ſcriptum ſit in libris veteribus.Nam ratio & veritas reclamant.&,o,in comiſſari,longum eſt



A eſt natura,ſine appoſitione alterius conſonantis. HILARI INGENIO.]quidam legi volunt *hilari genio.* ego nihil muto. & hilari ingenio,interpretor,verè hilariter, & hilaritate non ſimulata. eſt enim aliqua ſimulata hilaritas,& ab arte nata:eſt aliqua vera,& naturalis, & ab ingenio profecta. ECQVID TIBI VIDEOR MAMMAM ADIRE?] id eſt, nónne ego tibi videor tamquam paruulus puer,adire matrē mammæ ſugendæ & pappandi gratia?Hæc loquitur Callidamates ebrius,& vix in veſtigiis rectus inſiſtens.Nonnulli exiſtimant,Callidamatem hîc Delphium oſculari, & manum ad eius papillas admouere. veteres quidē mammam dixiſſe matrem, conſtat. SEMPER ISTHOC MODO,&c.]ſignificat Delphium ſibi probari, & placere quæ facit Callidamates. SI TIBI CORDI EST, F. L.] ſi tibi libet,licet. CAVE NE CADAS,&c.]titubantem & vacillantem Callidamatem,ebriorū more,monet Delphium, caueat,ne cadat. NE PRIVS IN VIA ACCVMBAS,&c.] ſignificat Delphium periculum eſſe,ne Callidamates cadat in via,& ita priùs accumbat, quàm eò veniant, vbi compotandi cauſa,accumbendum eſt,nempe Philolachetis domum. COÏMVS.] vnà ſumus: congredimur.*coïre* hîc non eſt verbum turpe,neque obſcœnum,ſed honeſtum,pro vnà congredi,vel vnà ire.Terent.in Eunucho.*Heri aliquot adoleſcentuli coijmus in Piræeo.*SINO: SED ET HOC, QVOD MIHI IN MANV EST.]fortaſſe hîc Delphium manu tenebat florem purpureū,puellis gra- B tiſſimum & iucundiſſimum,Callidamatis columelam,& vt ſimpliciùs, & planiùs, & Romano more loquar,mentulam.Alij contrà volunt,Delphium ipſam ſua ſibi manu tenere rimulam,aut vaginulam ſuam,hoc eſt,partem illam corporis muliebris, quæ honeſtè appellari non poteſt. SI CADES, NON CADES,&c.]ſi cades,cadam vnà tecū.IACENTEIS TOLLET,&c.] tollet,id eſt,attollet,ſeu extollet.Horat.epiſt.ad Scæuam.lib.1.*Credite,non ludo, crudeles, tollite claudum.*Idem epiſt.ad Piſon.*Si veluti merulis intentus,decidit auceps In puteum, foueámue licet ſuccurrite longum Clamet io,ciues,non ſit qui tollere curet.* MADET HOMO.] madet,id eſt,potus eſt, vuidus eſt: contrà ſiccus eſt.TVN' MEAM VIS MAMMAM ADIRE?]tu ne vis vnà mecúm meā matrem adire,vt vnà pappemus?Quidam legi volunt,*tun' mea,vis mammam adire?* ego ſequor libros veteres,cùm præſertim huius ſcripturæ ratio conſtet. Loquitur enim Philolaches ebrius, tamquam puer aliquis bimulus,matrem adiens. NOLO EQVIDEM TE AFFL.]nolo equidem te ad terram grauiùs cadere,& te ex eo caſu lædi.hoc eſt,enim affligi:vt docuimus in commentariis Horat. I SIMVL.] veni ſimul. QVÒ DEGO EAM, AN SCIS?]ſcin' tu quò ego eam?*quò dego*,pro *quò ego.*d.interpoſitum eſt. IN MENTEM VENIT M.] modò cogitam. NVM NON VIS,&c.] nunquid non vis, ô mea Philematium,me obuiam procedere C Philolacheti,& Delphio? DIV EST IAM ID M.]id iam,quod dicis,eſt mihi tamquam diu.vel id breue tempus,eſt mihi longum. ECQVIS HÎC EST?]num aliquis hîc eſt?hæc loquitur Callidamates,tamquā alicuius hominis venientis,aut præſentis ſtrepitū ſentiens,aut vocem audiens,ſed eū non cernens,quia ſit ebrius,& ſemiſomnis. ADEST.]adeſt aliquis.Nempe adſum ego. EV PHILOLACHES,]euge Philolaches. VNDE AGIS TE?]vnde affers te? vnde is? DORMIAM EGO IAM.]rectè.nam homo ebriacus ſomno ſanari ſolet, vt ait idē in Aulularia in fragmentis. NVM MIRVM HIC,&c.] proinde quaſi dicat, ſolens hoc facit:nihil mirum,aut nouū facit. QVID EGO HOC FACIAM POSTEA M.]ô mea Delphium,quid ego hoc homine,Callidamate,qui ſic ebrius eſt,faciā? SIC SINE EVM Q.] ſic δεικτικῶς vt ſæpè aliàs. DA]tu puer,aut tu Scapha,quod bibamus. AB DELPHIO.]initio facto à Delphio. CIRCVM]ſolebat dominus in cōuiuiis remiſſioribus,& hilarioribus iubere poculum ab vno ex cōuiuis, initio facto, in orbem per alios circumferri:ex quo συμπεριφοραὶ dictæ ſunt à Græcis tales poculi circumlationes:& περισοβεῖν dicunt iidem Græci, in orbem bibere,vt docet Athenæus lib.xj.& refert Budæus in commentar.linguæ Græcæ.Notat & Turnebus Aduerſ.lib.19.cap.13.

D

## TRANIO, PHILOLACHES, CALLIDAMATES, DELPHIVM. PHILEMATIVM. puer.

TR. IVpiter ſupremus ſummis opibus,atque induſtriis
Me periſſe,& Philolachetem cupit herilem filium.
Occidit ſpes noſtra. nuſquam ſtabulum eſt confidentiæ.
Nec ſalus nobis ſaluti iam eſſe,ſi cupiat,poteſt,
Ita mali mœroris montem maximum ad portum modò
Conſpicatus ſum,herus aduenit peregrè.periit Tranio.
Ecquis homo eſt,qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie ſeſe excruciari meam vicem poſſit pati?
Vbi ſunt iſti plagipatidæ,ferritribaces viri,

Iſti,qui haſtis trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub ſalas? A
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent?
Ego dabo ei talentum,primus qui in crucem excucurrerit.
Sed ea lege,vt affigantur bis pedes,bis brachia.
Vbi id erit factum,à me argentum petito præſentarium.
Sed ego ſumne infelix,qui non curro curriculò domum?
PHILO. Adeſt obſonium.eccum Tranionem,à portu redit.
TR. Philolaches. PHILO. quid eſt? TR. ego & tu. PHILO. quid & ego & tu. TR. periimus.
PHILO. Quid ita? TR. pater adeſt. PHILO. quid ego ex te audio? TR. abſumti ſumus.
Pater,inquã,tuus venit. PHILO.vbi eſt is,obſecro te? TR. adeſt. B
PHILO.Quis id ait?quis vidit?TR.egomet,inquã,vidi.PHILO.vę mihi
Quid ego ago? TR. quid tu,malùm,me rogitas,quid agas?accubas.
PHILO. Tun' vidiſti? TR. egomet,inquam. PHILO. certè? TR. certè,inquam. PHILO. óccidi.
Si tu vera memoras. TR. quid mihi ſit boni,ſi mentiar?
PHILO. Quid ego nunc faciam? TR. iube hæc hinc omnia amolirier.
Quis iſtic dormit? PHILO. Callidamates. TR. ſuſcita iſtum Delphium.
DE. Callidamates,Callidamates vigila. CA. vigilo,cedò vt bibam.
DE. Vigila,pater aduenit peregrè Philolachæ. CA. valeat pater. C
PHILO. Valet ille quidẽ,atque ego diſperij. CA. diſperiſti?quî pote'ſt?
PHILO. Quæſo ædepol exſurge,pater aduenit. CA. tuus venit pater?
Iube abire rurſum.quid illi reditio huc etiam fuit?
PHILO. Quid ego agam?pater iam hic me offendet miſerum adueniẽs ebrium,
Ædeis plenas conuiuarum,& mulierum.miſerum eſt opus
Igitur,demum fodere puteum,vbi ſitis fauceis tenet.
Sicut ego aduentu patris nunc quæro,quid faciam miſer.
TR. Ecce autem hic depoſiuit caput,& dormit,ſuſcita.
PHILO.Etiã vigilas?pater,inquã,aderit iam hic meus.CA.ain tu,pater? D
Cedò ſoleas mihi, vt arma capiam, iam pol ego occídam patrem.
PHILO. Perdis rẽ.tace,amabo abripite hunc intrò actutũ inter manus.
CA. Iam hercle ego vos pro matula habebo, niſi mihi matulam datis.
PHILO. Perij. TR. habe bonum animum, ego iſtum lepidè medicabor metum.
PHILO. Nullus ſum. TR. taceas:ego,quî iſtæc ſedem,meditabor tibi,
Satin' habes,ſi aduenientem ego ita patrem faciam tuum,
Non modò ne introeat,verùm etiam vt fugiat longè ab ædibus?
Vos modò hinc abite intrò,atque hæc hinc properè amolimini.
PHILO. Vbi ego ero? TR.vbi maximè eſſe vis,cũ hac:tu cum iſtac eris.
DE. Quid eſt igitur?abeamus hinc nos? TR.non hoc lõgè Delphium.

Namque



A Namque intus potate,haud tantillo hac quidem cauſſa minus.
PHILO. Hei mihi,quàm iſtæc blanda dicta,quò eueniant,madeo metu?
TR. Potin' animo vt ſies quieto, & facias quod iubeo? PHILO. pote'ſt.
TR. Omnium primùm Philematium intrò abi,& tu Delphium.
DE. Morigeræ tibi erimus ambæ. TR. ita ille faxit Iupiter.
Animum aduortito nunc tu iam,quæ volo accurarier.
Omnium primùm dum,ædes iam fac occluſæ ſient.
Intus caue mutire quenquam ſiueris. PHILO. curabitur.
TR. Tamquam ſi intus natus nemo in ædibus habitet. PHILO. licet.
TR. Neu quiſquam reſponſet,quando haſce ædeis pultabit ſenex.
B PHILO. Nunquid aliud? TR. clauim mihi harunce ædiũ Laconicam
Iam iube efferri intus.haſce ego ædeis occludam hinc foris.
PHILO. In tuam cuſtodiam me,& meas ſpes trado Tranio.
TR. Pluma haud intereſt,patronus,an cliens propior fiet,
Homini,cui nulla in pectore eſt audacia.
Nam cuiuis homini,vel optumo,vel peſſumo,
Quamuis deſubitò facilè eſt facere nequiter:
Clauim cedò,atque abi intrò,atque occlude oſtium.
Verùm id videndum'ſt,id viri docti eſt opus,
Quæ deſignata ſint,& facta nequitia,
Ne quid patiatur,quamobrem pigeat viuere.
C Tranquillè cuncta,& vt proueniant ſine malo,
Sicut ego efficiam,quæ facta hic turbauimus,
Profectò vt liqueant omnia & tranquilla ſint,
Neque quicquam nobis pariant ex ſe incommodi.
Sed quid tute egrederis?perij.iam iam optumè
Præceptis paruiſti. PV. herus iuſſit maxumo
Opere orare,vt patrem aliquo abſterreres modo,
Ne introiret ædeis. TR. quin etiam illi hoc dicito,
Facturum me,vt ne etiam adſpicere ædeis audeat,
Capite obuoluto vt fugiat cum ſummo metu.
D Clauim cedò,atque abi hinc intrò,atque occlude oſtium.
Et ego hinc occludam.iube venire nunc iam.
Ludos ego hodie viuo præſenti hic ſeni
Faciam,quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam à foribus huc.hinc ſpeculabor procul,
Vnde aduenienti ſarcinam imponam ſeni.

IVPITER SVPREMVS,&c.]Tranio ſeruus,Theuripidis ſenis reditu cognito, fortunã ſuã & filij herilis queritur,miſeratur,ac deplorat.OCCIDIT SPES NOSTRA.]ab omne ſpe derelicti ſumus.ſpes omnis noſtra interiit.Sic loquitur Horat.oda.4.lib.4.*óccidit, óccidit ſpes omnis,& fortuna noſtri Nominis,Haſdrubale interemto.*STABVLVM.]ſtatio.perfugium : locus in quo confidentia conſiſtere queat.tralatio eſt.NEC SALVS NOBIS SALVTI,&c.]hyperbole. ſic Terent.Adelph.*Ipſa ſi cupiat ſalus Seruare prorſus non poteſt,hanc familiam.*Sic iterum Plautus ſuprà in Capt.*Neque iam ſeruare ſalus,ſi volt,me poteſt.*M.Tull.lib.3.accuſat.*Ecquod iudicium tam Romæ tam diſſolutum,tam perditum,tam nummarium fore putaſti,quo ex iudicio te vlla ſalus ſeruare poſſet:cùm,*&c. ITA

MALI MOERORIS MONTEM MAXIM.]mœroris montem.tralatio. ſic ſuprà in Epid. *itaq. irruunt in te mõtes mali.* Iam *mali mœroris*, videtur tale eſſe, qualia illa λευκόιο γάλακῖος, mel flauum, albi dentes,& ſimilia. A QVI HODIE SESE EXCRVCIARI MEAM V. P. P.?] qui, accepta aliquanta pecunia, poſſit ferre ſe. pro me excruciari? meã vicem, id eſt, mea vice. Sic Cicero lib. I. epiſt. ad Lentul. *Noſtram vicem vltus eſt ipſe ſeſe.* PLAGIPATIDÆ,] qui plagas pati didicerunt,& conſueuerunt. vel paraſitos ſignificat, qui & ridiculi ſunt, & plagas ſæpè perferunt, vt apud Terent. in Eunuch. *At ego infœlix, neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum.* vel ſeruos nequam, maſtigias, furciferos, & verberones. vox ficta eſt à Plauto ad exemplũ nominum Græcorum patronimicorum. FERRITRIBACES VIRI.]perſpicuè hac voce ſignificãtur ſerui, qui ferro teruntur, vel qui ferrum terunt: hoc eſt, qui plerumque in compedibus & vinculis ferreis verſantur. vox facta eſt ex voce Latina, ferrum, & verbo Græco τρίϐω. ISTI QVI HASTIS TRIVM NVMM. C.] milites ſignificat, qui parua mercede pacta & accepta, periculum capitis adeunt, dum caſtella, aut oppida munita ex turribus oppugnant. Falæ, inquit, dictæ ab altitudine, à falado, ſeu falando, quod apud Etruſcos cælum ſignificat, à falis autem falaricam, quod eſt genus teli miſſile, quo vtebantur ex turribus illis dimicantes, eſſe nominatã: idem docet. Nonius, *Falæ*, inquit, *turres ſunt ligneæ.* Ennius lib. 15. *Malos defendunt, fiunt tabulata, falæq;.* Iterum Nonius, *falarica*, inquit, *telum maximum.* Virgil. Æneid. 9. *Sed magnum ſtridens contorta falarica venit Fulminis arta modo.* Ennius. *Quæq; venit valido contorta falarica miſſu.* B dictum hoc genus teli à falis, id eſt, turribus ligneis. vox *haſtis* autem, in hoc verſu mihi ſuſpecta eſt, eâmque delẽdam cenſeo. Nam & ſententiam corrumpit, & ſi deleatur, verſus ſuis numeris conſtabit. Natam autem eſſe puto ex verſu ſequente, in quo rectè, & ſuo loco ponitur. VBI ALIQVI QVINDENIS HASTIS CORPVS TRANSFIGI SOL.?]vbi, id eſt, in quibus falis, inquit, ſolent aliqui milites transfigi corpus, hoc eſt, aliquibus ſolet trãsfigi corpus quindenis haſtis. transfigi corpus ſolent, dictum eſt Græcorũ more, τὸ σῶμα, κατὰ τὸ σῶμα. PRIMVS QVI IN CRVCEM EXCVCVRR.] qui primus pro me, ſeu in meum locum excucurrerit in crucem, in quam ſcilicet me ſenex acturus eſt, peregrè reuerſus, vbi reſciuerit vitam noſtram anteactam, & ſumtus profuſos, & rei familiaris iacturas ac detrimenta. SED EA LEGE VT AFFIG. B. BR.] ſed ea lege huic meo vicario talentum dabo, ſi pedes eius & brachia bis cruci affigantur, ne ſcilicet, poſſit vnquam promiſſam mercedem à me petere. Dicũtur hæc facetè & iocoſè à Tranione, quaſi pœnæ quidem ſibi imminentis vicarium habere velit, ſed mercedem pactam, ac promiſſam perſoluere ei vicario nolit. PRÆSENTARIVM.]præſens. infrà eadem fabula. *ſi hercle nunc ferat, Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria, Nunquam accipiam.* CVRRO CVRRICVLO DOMVM?] curriculò, aduerbium eſt hoc loco. Sic Terent. Heaut. *curriculo percurre.* Iterum C Plautus in Perſa. *vola curriculo.* ADEST OBSONIVM.] affertur nobis obſonium à Tranione. Hoc ita eſſe putat Philolaches, ſed vehementer errat. ABSVMTI SVMVS.] interiimus. Virg. lib. I. Æneid. *ſin abſumta ſalus*, &c. Idem lib. 7. *Abſumtæ in Teucros vires cælique mariſque.* QVIS ID AIT?] quis ait veniſſe patrem? QVID EGO AGO?] ſic legendum, non, vt habent omnes libri vulgati, & nonnulli manuſcripti. *Quid ego agam?* QVID TV MALÙM, ME ROGIT. &c.] ſic legendum non vt vulgò, nunquid tu malum, &c. ſententia plana eſt, quid tu, malum, me crebrò rogas, quid agas? tu accubas. proinde ac ſi dicat, tu ſcis ipſe te accumbere, non debes igitur me rogare, quid agas. QVID MIHI SIT BONI, SI MENTIAR?] quid mihi boni hinc redeat, ſi mentiar. quid mihi proſit mentiri? AMOLIRIER.]amoliri, id eſt, amoueri: auferri παθητικῶς accipiendum eſt. SVSCITA ISTVM.] excita iſtum è ſomno. CEDÒ VT BIBAM.] da vt bibam. QVI POTE'ST?] quî fieri poteſt? qui fas eſt? pote δυνατόν. IVBE ABIRE RVRSVM,] iube eum peregrè reuerti. QVID ILLI REDITIO HVC ETIAM FVIT?] quamobrem ille huc rediit, quid erat cauſæ, cur huc rediret? OFFENDET.] καταλήψη. MISERVM EST OPVS IGITVR, DEMVM FODERE PVTEVM, VBI SITIS. F. T.] prouerbium olet. ſignificat autem, miſerum eſſe tum demùm, rem neceſſariam prouidere, aut parare, cùm neceſſitas vrget, & tempus parandi non datur: Tractum ab iis, qui tum demùm, cùm ſitis vrit, & torret fauceis, puteum fodere incipiunt. D FAVCEIS TENET,] fauceis occupauit. DEPOSIVIT CAPVT.] demiſit caput, vt ſomnolentus, & vino grauis. Sic in Curculione. *Caput deponit, condormiſcit. ego ei ſubduco annulum.* Paulò aliter vſurpauit hoc verbum in Aulul. *vt me deponat vino, eam affectat viam.* Porrò *depoſiuit*, antiquum, pro, depoſuit. CEDÒ SOLEAS. M.] da mihi ſoleas. qui accubituri erãt, calceos, aut ſoccos ponebant: & pedibus incalceatis, tantiſper dum cœnabant, manebant. ſi inter cenandum ſubitò ſurgendum eſſet, ſoleas ſumebant. vtebantur enim ſoleis epulantes, cùm in media cena ſurgendum erat: & egri, & molles, & mulieres puerperæ. Horat. Sat. vltima lib. 2. *Et ſoleas poſcit.* ad quem locum hac de re plura. adde illud M. Tull. ex lib. 5. accuſat. *ſtetit ſoleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicáque talari, muliercula nixus in littore.* VT ARMA CAPIANT.] oratio hominis ebrij, & ita mente capti. PERDIS REM.] negotium quod nunc agitur, corrumpis. rationem & facultatem totius huius apparatus amoliendi nobis eripis. INTER MANVS.] M. Tull. lib. 5. accuſationum. *Itaque erant exitus eiuſmodi, vt alius inter manus, è conuiuio, tanquam è prælio auferretur: alius tanquã occiſus relinqueretur: plerique fuſi ſine mente, ac ſine vllo ſenſu iacerent.* fortaſſis hîc *inter manus*,





A idem valet, quod, *per manus.* Sic enim interpretatur Seruius illud apud Virgil. libro 2. Æneidos. *Nanque manus inter, mœſtorúmque ora parentum*, &c. Et illud lib. 7. *Arma inter nubem cæli regione ſerena.* &c. IAM HERCLE EGO VOS PRO MATVLA HABEBO, &c.] iam hercle ego vos commeiam, niſi, &c. vos mihi pro matula eritis, niſi, &c. MEDICABOR]leuabo, minuam, leniam. tralatio eſt. EGO QVI ISTHÆC SEDEM, MEDITAB. TIBI.] ego tibi meditabo, quo pacto iſta tibi componam, tranquillem, & in tuto collocem. FACIAM TVVM.] reddam tuum, tibi conciliem: tuis partibus adiungam. CVM HAC.] cum Philematio. TV CVM ISTHAC ERIS.] tu Callidamates eris cum Delphio. NON HOC LONGÈ.] non tantillùm longè abire debeatis. hoc δεικτικῶς poſitum, & cum aliquo geſtu, & re aliqua minima demonſtrata pronuntiandum. Et fortaſſe actor hoc pronuntians, vel vnguem extremum, vel pilum, vel aliquid ſimile oſtendebat. ſic & infrà non longè, *tantillo*, etiam δεικτικῶς, poſitum eſt. NAMQ. INTVS POTATE, HAVD TANTILLO QVIDEM MINVS] namque licet vobis potare haud tantillo minùs, id eſt, nihilominus, hac quidem cauſa, propter hanc quidem cauſam: id eſt, propter patris aduentum. tantillo, δεικτικῶς poſitum, vt diximus. HEI MIHI, QVÀM ISTHÆC BLANDA DICTA, QVÒ EVEN. MAD. M.] hei mihi, quàm valde metuo, quò tua blanda dicta euadant? madeo metu. id eſt, perfuſus ſum metu: ple- B nus ſum metus: pertimeſco. tralatio eſt. Sic Lucretius dixit, *arte madere*, libro 4. de Nat. rerum. *Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur, Nocturno facere vt poßint in tempore ludos?* Sic idem libro 2. dixit, *Perfuſa coloribus omnigenis corpora.* & libro 4. *omnia perfuſa lepôre.* POTIN', ANIMO VT SIES QVIETO, &c.] potéſne facere, ſeu potéſtne fieri, vt animo ſis tranquillo, & ſecuro, & facias quod te facere iubeo? hoc eſt, vt cum Philematio accumbas & potes? POTE'ST] fas eſt, fieri poteſt δυνατόν ἐστί. MORIGERAE TIBI ERIMVS AMBÆ.] ambiguum. nam vel hoc ſignificat, ambæ tibi in eo parebimus, vt intrò eamus. vel hoc, ambæ tibi morem geremus, ad libidinem tuam explendam. Nam plerumque, morem gerere, locum habet in re turpi. Sueto. in Tiberio. *Quare Parrhaſij quoq. tabulam, in qua Meleagro Atalãta ore morigeratur, legatam ſibi ſub ea conditione, vt ſi argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet, non modo prætulit, ſed & in cubiculo dedicauit.* Eodem referendum eſt, hoc Terentianum in Adelph. *Adoleſcenti morem geſtum oportuit.* SAN. *Quî potui meliùs, qui hodie vſque os præbui.* ITA ILLE FAXIT IVPITER.] faxit Iupiter ille, qui in cælo habitat, vt vos ambæ mihi morem geratis, hoc eſt, vt ex corpore veſtro, & ex iſto ætatis flore voluptatem capere volenti, obſequamini, & gratificemini. Ille Iupiter autem emphaticῶs dictum, & geſtu adiuuandum, nempe oculis in cælum ſublatis, aut etiam digito C cælum verſus intento, ac porrecto. ſic ſuprà in Curcul. principio. *Nec me ille ſinat Iupiter*, id eſt, ille Iupiter deorum omnium ſupremus & maximus, & potentiſſimus: Iupiter deorum atque hominum Rex. OMNIVM PRIMVM DVM.] *dum*, in hanc ſignificationem, particula inſeparabilis. MVTIRE.] mu facere, muſſare, hiſcere. hyperbole. TAMQVÀM SI INTVS NATVS NEMO, &c.] tamquam ſi nemo in ædibus habitet, nemo natus, nemo mortalis. ſic ſæpe Plautus ſuprà in Caſina. *De Caſina certum'ſt concedere homini nato nemini.* Sic infrà, ſcena proxima. *Natus nemo in ædibus ſeruat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.* RESPONSET,] reſpõdeat. nam reſponſare, aliàs aliud, quàm reſpondere ſignificat, vt apud Horat. epiſt. I. lib. I. *An qui fortunæ te reſponſare ſuperbæ, Liberum & erectum præſens hortatur & optat?* CLAVIM MIHI HARVMCE ÆDIVM LACONICAM, &c.] claues laconicæ aliis erant, vt ita dicam, malitioſiores, & doloſiores: de quib. Stephanus, & Euſtatius in ſecundum librum Iliados. Sic Stephanus. ἔστι καὶ εἶδος κλειδὸς Λακωνικῆς. Euſtatius. Ἔστι δὲ καὶ κλεὶς Λακωνικὴ καινοτέρα τις. id eſt, eſt autem & clauis Laconica, noua quædam. Quæ Camerarius indicauit: ſed nihilo plus ex his, quid ſit clauis Laconica, intelligimus. Quare id nos ex Suida doceamus. Sic igitur ille. Λακωνικαὶ κλεῖδες. ὁ αὐτὸς Ἀριστοφάνης τριβόλοι δὲ εἰσιν. αὗται. deinde profert hos Ariſtophanis ver- D ſus ex Comedia quæ inſcribitur, θεσμοφοριάζουσαι, οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία Αὐτοὶ φοροῦσι κρυπτά, κακοηθέστατα, Λακωνίκ' ἄττα, τρεῖς ἔχοντα γομφίους. Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ' ὑποῖξαι τὴν θύραν, Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου. Νῦν δ' οὗτος αὐτοὺς ὡ κότριψ Εὐριπίδης Ἐδίδαξε θριπήδεστ' ἔχειν σφραγίδια Ἐξαψαμένους, &c. id eſt, viri enim iam clauiculas ipſi gerunt, occulta malitioſiſſima Laconica quædam, quæ treis habent denteis. Antea quidem licebat ſaltem oſtium aperire, annulum, quo erat obſignatum, trioboli æſtimantibus. Nunc verò, &c. ſubiungit mox ex Menandro, Λακωνικὴ κλείς ἐστιν, ὡς ἔοικε, μοι περιοιστέα, φησίν, ὅτι ἡ θύρα ἔξωθεν περικλείεται μοχλοῦ περιτεθέντος, ἤ τινος τοιούτου, ὥστε τοῖς ἔνδον μὴ εἶναι ἀνοῖξαι, id eſt, clauis Laconica, vt appâret, mihi circumferenda eſt, inquit. quoniam oſtium foris clauditur, vecte circumpoſito, aut aliqua re tali, ita vt non liceat iis qui ſunt intus, aperire. hæc Suidæ verba, qualis eſſet clauis Laconica, opinor, declarant. EFFERRI INTVS.] efferri domo. *intus*, ſignificat motum de loco. HASCE EGO ÆDEIS OCCLVDAM HINC FORIS.] vel ex his Plauti verbis intelligere licet, quod iam ex Suida oſtendimus, clauem Laconicam, hunc vſum præbuiſſe, vt qui eam haberet, ædeis foris occludere, & obſerare poſſet. PLVMA HAVD INTEREST, PATRONVS, AN. &c.] id eſt, nihil, aut parum admodum, intereſt, vtrùm quis ſit patronus, an cliens, quod ad illum hominem attinet, in cuius animo nulla ineſt audacia. pluma haud intereſt, hyperbole eſt, & prouerbiũ olet. AN CLIENS PROPIOR SIET.] malim

legi, *an cliens potiùs ſiet.* præterea nonnulli libri habent *fuat*, pro *ſiet.* NAM CVIVIS HOMINI VEL OPTIMO VEL PESSVMO.] cuiuis homini facile eſt vitiũ: & facile eſt peccare: ſed virtus difficilis eſt, & rectè facere, magnum opus eſt. M. Tull. lib. 7. epiſt. ad Attic. *Quàm non eſt facilis virtus? quàm verò difficilis eius diuturna ſimulatio?* Virgil. lib. 6. Æneid. *Facilis deſcenſus Auerni: Nocteis atque dies patet atri ianua Ditis: Sed reuocare gradũ, ſuperáſque euadere ad auras, Hoc opus, hic labor eſt.* Heſiodus. Τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι Ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, &c. Sed quod ait hic Tranio. homini etiam optimo facilè eſſe facere nequiter, id eſt, improbè, negat Ariſtoteles viro bono facilè eſſe peccare. immò cùm vir bonus eſſe nemo poſſit ſine virtute: virtus autem ſit habitus, quo ad res & actiones honeſtas apti, atque expediti ſumus, pugnam hæc duo inter ſe, aliquem eſſe virum bonum, & facere nequiter. QVAMVIS DESVBITÒ,] quantumuis ſubitò, & ſine longi temporis conſultatione, & ſine præparatione: αὐτοσχεδὸν, ſeu αὐτοσχεδιασί. FACERE NEQVITER.] facere improbè. CLAVIM CEDÒ, ATQ. ABI INTRÒ, &c.] hæc dicuntur, per interpoſitionem, ſeu κατὰ παρένθεσιν. Nam verſus qui deinceps ſequitur, ne cum ſuperiore cohæret. Alloquitur autem puerum Tranio, eúmque ſibi clauem dare iubet. Iteratur autem hic verſus infrà non longè, ex quo videri poſſit hinc delendus. VERÙM ID VIDENDVM'STI ID VIRI D. EST OP.] verum id conſiderandũ & animaduertendũ eſt: id viri eruditi eſt opus, facere, vt ea, quæ deſignata atq. admiſſa ſunt, nequiter atq. improbè, ſeu per nequitiã, tranquillè, & ſine incõmodo aut detrimento proueniant, ne quid patiatur, quamobrem, ſeu propter quod pigeat eum viuere, ſeu vita ſit ei iniucũda, atq. acerba. QVÆ DESIGNATA SINT.] deſignare, inquit Nonius, eſt cum nota, & ignominia aliquid facere. Deinde profert illud Terent. ex Adelph. *illa quæ antè facta ſunt, omitto. modò quid deſignauit?* ad quem locum Donatus, *deſignare*, inquit, *eſt rem nouam facere in vtramque partem, & bonam & malam.* &c. Sic igitur hũc locum explicare licet, quæ deſignata ſint, hoc eſt, quæ nouo more, & nouo exemplo facta ſint. ET FACTA NEQVITIA.] & quæ facta per nequitiam, hoc eſt, nequiter atque improbè. NEQVID PATIANTVR, QVAMOBREM P. V. TRANQ. CVNCTA, &c.] ſententia nunc eſt ſatis plana: ſed ordo verborum eſt aliquantum perturbatus, aut certè implicatus: vnde naſcitur nonnulla obſcuritas. adde quod verbum *patiantur*, (ſic enim legitur in omnibus libris) ſententiam reddebat ſubobſcuram. Quamuis igitur ſuprà non longè, quæ ſit huius loci ſententia, oſtenderimus: non pigebit me tamen denuò planiùs & faciliùs eum explicare. Verum id videndum'ſt, hoc eſt, prouidendum eſt, id viri càllidi, & ſollertis, & intelligentis eſt opus, facere, vt quæ deſignata ſint, & facta nequiter, ea cuncta tranquillè, & ſine malo eueniãt, ſeu procedant, & progrediantur: ne quid patiatur, hoc eſt, ne quid ei accidat, propter quod vita ſit ei inſuauis atque acerba. TRANQVILLÈ CVNCTA, ET VT PROVENIANT. &c.] hic verſus coniungendus eſt, vt dixi, cum illo vlteriore qui ſuperiorem antecedit, *quæ deſignata ſint*, &c. hoc modo, vt quæ deſignata, & facta ſint per nequitiam, cuncta trãquillè, & ſine malo proueniant. Nunc ſumendus eſt verſus ſuperior. Ne quid patiatur, propter quod viuere tædeat, aut pœniteat, aut pigeat. SICVT EGO EFFICIAM, &c.] quemadmodum ego efficiam, vt facta quæ hìc turbauimus, hoc eſt, miſcuimus, & turbida, ac turbulenta reddidimus, ea planè, & ſine dubio liquida & tranquilla ſint. Legendum autem, *turbauimus*, vt edidimus, non vt habent omnes libri vulgati, *turbabimus*. SED QVID TVTE EGREDERIS? &c.] puerum alloquitur, qui cùm iuſſus eſt, ſuprà introire, & oſtium occludere, egreſſus erat tamen, vt quædam Tranioni, Philolachetis verbis, diceret. CAPITE OBVOLVTO, VT FVGIAT, &c.] capite obuoluto, capite operto ἐγκαλυψάμενος. caput operiebant, & operiunt, in rebus turpibus deprehenſi, & ſummo pudore affecti, & in rebus deſperatis, & vitam proiicere parantes, vt apud Horat. Sat. 3. lib. 2. *Nam, malè re geſta, cùm vellẽ mittere operto. Me capite in flumen*, &c. Tit. Liu. lib. 1. Annal. *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infœlici ſuſpendito.* Et Socrates apud Plat. in Phædro, de amore verba facturus, caput operit. Plautus infrà ſcena proxima, *Fuge, atque operi caput.* ET EGO HINC OCCLVDAM.] hinc, hoc eſt, foris, ne, qui ſunt intus, exire ſi velint, poſſint. cui rei vſui eſt clauis Laconica, vt diximus. LVDOS EGO HODIE VIVO PRÆS. H. S. F. QVOD CR. MORT. &c.] perſonis claris mortuis, ludi funebres fieri ſolebant Romæ. Hoc igitur dicit Tranio, ſe Theuropidi ſeni ludos facturum viuo: quod non ſit futurum mortuo: quia Theuropides non eſt vir aliquis clarus, neque illuſtris: cuiuſmodi perſonæ ſunt tragicæ: ſed homo priuatus, & mercator: cuiuſmodi perſonæ ſunt comicæ. Tale eſt illud in Amphitr. *Viuo fit, quod nunquam mortuo quiſquã faciet mihi.* VIVO PRÆSENTI] prouerbium olet. Lucret. lib. 3. *Mortua cui vita'ſt propè iam viuo atque videnti.* Ad quem locum plura. SPECVLABOR PROCVL.] tamquam è ſpecula proſpiciam. SARCINAM IMP. S.] ſarcinæ imponuntur iumentis. ſignificat igitur fortaſſe ſe Theuropidem ſenem pro beſtia habiturum, eíque tamquam aſino, onus impoſiturum. vel dicamus potiùs ſic eſſe hoc intelligendum, (non enim ſarcinæ, ſed onera iumentis imponuntur) vnde aduenientem ſenem, graui cura, ac moleſtia afficiam: vel vnde aduenientem ſenem pulcrè inſtructum atque ornatum, hoc eſt, moleſtia affectum, hunc amoliar atque abſterream: vt ſit allegoria ab iis, qui ſarcinis onerantur grauioribus. Quin redeo ad illud, quod initiò poſui de iumentis, quibus onera imponuntur: ſi quis fortè probabit



probabit magis. cum quo congruit quod eſt infrà eadem fabula, ibi. *Vehit hic clitellas. vehit hic alter ſenex. Nouitium mihi quæſtum inſtitui non malum. Nam muliones mulos clitellarios Habent: ego homines habeo clitellarios.* Pertinet eodem fortaſſis & illud quod eſt in Milite Glorioſ. *Vos modò curate. ego illum probè iam oneratum huc accibo.*

## THEVROPIDES ſenex. TRANIO ſeruus.

HAbeo, Neptune magnam gratiam tibi,
Quom me amiſiſti vix à te viuom modò.
Verùm ſi poſthac me pedem latum modò,
Scies impoſuiſſe in vndam, haud cauſſa'ſt, illico
Quod nunc voluiſti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te à me, nunc iam poſt hunc diem
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
TR. Ædepol Neptune peccauiſti largiter,
Qui occaſionem hanc amiſiſti tam bonam.
TH. Triennio pòſt Ægypto aduenio domum,
Credo exſpectatus veniam familiaribus.
TR. Nimio ædepol ille potuit exſpectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuum.
TH. Sed quid hoc? occluſa ianua'ſt interdius?
Pultabo. heus ecquis iſtas aperit mihi foreis?
TR. Quis homo eſt, qui noſtras ædeis acceſſit propè?
TH. Meus ſeruos hic quidem eſt Tranio. TR. ô Theuropides.
Here ſalue, ſaluum te aduenisse gaudeo.
Vſque ne valuiſti. TH. vſque, vt vides. TR. factum optimè.
TH. Quid vos inſanine eſtis? TR. quidum? TH. ſic quia
Foris ambulatis. natus nemo in ædibus
Seruat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.
Pultando pedibus penè confregi aſſulas.
TR. Eho an tu tetigiſti has ædeis? TH. cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, penè confregi fores.
TR. Tetigiſtin? TH. tetigi, inquam, & pultaui. TR., vah. TH. quid eſt?
TR. Malè hercle factum. TH. quid eſt negotij? TR. non poteſt
Dici, quàm indignum facinus feciſti, & malum.
TH. Quid iam? TR. fuge obſecro atque abſcede ab ædibus.
Fuge huc, fuge ad me propius, tetigiſtin' foreis?
TH. Quomodo pultare potui, ſi non tangerem?
TR. Occidiſti hercle. TH. quem mortalem? TR. omneis tuos.
TH. Di te, deæque omnes perduint cum iſto omine.
TR. Metuo, te atque iſtos expiare vt poſſies.
TH. Quamobrem? aut quam ſubitò rem mihi apportas nouam?
TR. Eheus, iube illos illinc amabo abſcedere.
TH. Abſcedite. TR. ædéſne attigatis, tangite
Vos quoque terram. TH. obſecro hercle quin eloquere iam.

TR. Quia ſeptem menſes, ſunt, cùm in haſce ædeis pedem A
Nemo intrò tetulit, ſemel vt emigrauimus.
TH. Eloquere quid ita? TR. circumſpice dum,nunquis eſt
Sermonem noſtrum qui aucupet? TH. tutum probè eſt.
TR. Circumſpice etiam. TH. nemo eſt,loquere nunc iam.
TR. Capitalis cædes facta'ſt. TH. non intelligo.
TR. Scelus, inquam, factum'ſt iamdiu antiquom & vetus.
Antiquom id adeò nos nunc factum inuenimus,
TH. Quid iſtuc eſt ſceleſte? aut quis id fecit?cedò
TR. Hoſpes necauit hoſpitem captum manu,
Iſte,vt ego opinor, qui has tibi ædeis vendidit.
TH. Necauit? TR. aurúmque ipſi ademit hoſpiti, B
Eúmque hic defodit hoſpitem ibidem in ædibus.
TH. Quapropter id vos factum ſuſpicamini?
TR. Ego dicam,auſculta. vt foris cenauerat
Tuus gnatus,poſtquàm redit à cena domum,
Abîmus omnes cubitum,condormiuimus,
Lucernam fortè oblîtus fueram exſtinguere.
Atque ille exclamat derepentè maximum.
TH. Quis homo? an gnatus meus? TR. ſt, tace. auſculta modò,
Ait veniſſe illum in ſomnis ad ſe mortuum.
TH. Nempe ergo in ſomnis? TR. ita. ſed auſculta modò
Ait illum hoc pacto ſibi dixiſſe mortuum. C
TH. In ſomnis? TR. mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret.
Interdum ineptè ſtultus es.
TH. Taceo. TR. ſed ecce quæ ille inquit:
Ego tranſmarinus hoſpes ſum Diapontius,
Hic habito, hæc mihi dedita eſt habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmaturè vita careo. per fidem
Deceptus ſum. hoſpes hic me necauit, íſque me
Defodit inſepultum,clàm ibidem in hiſce ædibus, D
Sceleſtus auri cauſſa. nunc tu hinc emigra:
Sceleſtæ hæ ſunt ædes,impia eſt habitatio.
Quæ hîc monſtra fiunt, anno vix poſſim eloqui.
Secede. TH. Quid obſecro factu'ſt? TR. concrepuit foris,
Híccine percuſſit? TH. guttam haud habeo ſanguinis,
Viuom me arceſſunt ad Acheruntem mortui.
TR. Perij. illiſce hodie, hanc conturbabunt fabulam.
Nimis quàm formido, ne manifeſtò hic me opprimat.
TH. Quid tute tecum loquere? TR. abſcede ab ianua.
Euge obſecro hercle? TH. quo fugiam? etiam tu fugis?
TR. Nihil ego formido pax mihi eſt cum mortuis.

Heu



A TH. Heu Tranio. TR. non me appellabis, ſi ſapis.
Nihil ego commerui,neque iſtas percuſſi foreis.
TH. Quæſo quid ægre'ſt? quæ res te agitat Tranio?
Qui cum iſtæc loquere? TR. an quæſo tu appellaueras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi
Expoſtulare, quia percuſſiſſes foreis.
Sed tu etiámne aſtas,nec, quod dico,obtemperas?
TH. Quid faciam? TR. caue reſpexis. fuge atque operi caput.
TH. Cur non fugis tu? TR. pax mihi eſt cum mortuis.
TH. Scio. quid modò igitur cur tantopere extimueras?
TR. Nihil me curaſſis,inquam, ego mihi prouidero.
B Tu, vt occepiſti, tantum quantum quis,fugies,
Atque Herculem inuocabis. TH. Hercules te inuoco.
TR. Et ego, tibi hodie vt det,ſenex,magnum malum.
Proh di immortales,obſecro voſtram fidem,
Quid ego hodie negotij confeci,malùm?

AMISISTI.] miſſum feciſti. SI POST HAC ME PEDEM LATVM M.] pedis latitudinem modò.hyperbole. Sic M.Tullius pro Deiotaro. *Negat vnquam ſe à te in Deiotari tetrarchia pedem diſceßiſſe.* Idem epiſt.ad Attic. lib.13. epiſt.16. *Nos cùm flumina & ſolitudines ſequeremur, quò facilius ſuſtentare nos poſſemus, pedem è villa adhuc egreßi non ſumus.* Iterum Plautus ſuprà in Aulul. *Iſtîc adeſto. ſi hercle tu ex iſtoc loco digitum tranſuerſum, aut vnguem latum exceſſeris*, &c. ſententia autem hæc eſt: ſi poſthac Neptune, ſcies me non corpus, ſed pedem latum modò. pedem, non quàm longus eſt, ſed quàm latus eſt modò, in vndam maris impoſuiſſe. Non eſt tibi cauſa, ſeu
C cauſam non dico, quamobrem mihi non facias, quod facere voluiſti, non me fluctibus mergas, atque obruas. NVNC IAM POST HVNC DIEM QVOD CRED. T. F.] id eſt, numquam tibi poſt hunc diem tibi quidquam committam, quia infidus es ſcilicet. PECCAVISTI LARGITER.] magnopere peccaſti. TRIENNIO PÒST. &c.] triennio poſtquàm diſceſſi domo. EXSPECTATVS] optatus. OCCLVSA IANVA'ST INTERDIVS.] obſerata ianua eſt interdiu. Claudebantur quidem olim fores interdiu: ſed claui non claudebantur, hoc eſt, non occludebantur, vel claudebantur quidem interdiu claui, & obſerabantur, intus: ſed non foris. Nam ſuprà Tranio oſtium clauſit foris, claui laconica: quod fiebat tum,cùm ædes erant vacuæ, aut cùm paterfamiliâs,eos qui domi erãt,nolebat domo egredi poſſe. Hoc igitur eſſe factum miratur Theuropides. INTERDIVS?] interdiu? QVÎDVM?] quamobrem igitur iſtuc rogas? Terent. in Eunucho. *Nunquidnam hîc, quod nolis vides?* P. *te.* GN. *credo. at nunquid aliud?* P. *quidum?* G. *quia triſtis es.* ſuprà diximus particulam *dum* hoc loco eſſe inſeparabilem. NATVS NEMO.] mortalis nemo, ſic ſuprà. *tamquam ſi intus natus nemo in ædibus habitet.* SERVAT,] cuſtodit. cuſtos relictus eſt. NEQVE QVI RECLVDAT,] neque
D qui aperiat oſtium. ASSVLAS] paruos aſſeres, ex quibus fores conſtant, vnde *aſſulatim* aduerbium, quo ſuprà vſus eſt in Capt. *Priuſquam pultando aſſulatim foribus exitium dabo.* MALE HERCLE FACTVM] profectò non oportuit ædeis tangi. QVID IAM?] quamobrem tandem indignum, & malum facinus à me factum eſt, quod has foreis tetigi? OCCIDISTI] perdidiſti: oratio imperfecta, nam deeſt nomen accuſandi caſus, vt licet ex interrogatione ſenis intelligere. PERDVINT.] perdant. ſic autem legendum non *perduaxint*, vt habent libri omnes impreſſi. quod indicauit Adrianus Turnebus Aduerſario lib.16.cap.10. CVM ISTO OMINE] cum iſto malo omine: id eſt, cum iſta oratione, qua meis omnibus exitium & interitum ominaris. METVO, TE, ATQ. ISTOS EXP. VT P.] id eſt, metuo ne te, & tuos impietate purgare non poſſis. expiare, & impiare, opponuntur inter ſe. Plautus in Pœnul. *Impias here, te oratorem verberas.* Horat. oda.5. Epod. *Diris agam vos: dira deteſtatio, nulla expiatur victima.* ILLOS] conſeruos meos, quos tecum duxiſti, & reduxiſti. NE ATTIGATIS] ne attingatis. *attigatis* à verbo compoſito *attigo*, cuius ſimplex *tago*: quo vſi ſunt veteres, pro *tango*. De quo alibi plura. TANGITE VOS QVOQ. TERRAM] genus venerationis, & precationis, *terram tangere.* Macrobius. *cùm Tellurem dicit, manibus terram tangit.* Varro lib.1. de re ruſtica. *Hoc ter nouies cantare iubet, terram tangere, deſpuere, ieiunum cantare.* Quæ à Turnebo notata ſunt, lib. Aduerſ. ſuprà proximè commemorato. Neque locus tamen indicatus: quod eſt illi vſitatum: ſed admonendus eſt lector, quod Turnebus præteriit hunc venerandi ritum vſurpari non cõſueuiſſe,

niſi in iis rebus, quæ ad deos inferos, & ad mortuos pertinent, vt licet ex Macrobij verbis in- A
telligere: & verò Plautus quoque hoc loco indicat. Nam propterea Tranio terram tangi iubet,
quia hoſpes ab hoſpite necatus, atque in ædibus defoſſus eſt. vt quidem commentus ille eſt, &
vt ſimulat. QVIA SEPTEM MENSES SVNT, CÙM IN HASCE ÆDEIS PE-
DEM N. &c.] pedem tetulit, id eſt, pedem intulit. iam hoc loquendi genus elegans, & bonis
ſcriptoribus Latinis vſitatiſſimum eſt. *Septem menſes ſunt, cùm*, &c. pro, ſeptem menſes tranſacti
ſunt, à quo tempore nemo in has ædeis, &c. SEMEL VT EMIGRA] poſtquam ſemel ex
iis emigrauimus. CIRCVMSPICE DVM. NVMQVIS EST SERM. N. Q. AVC.]
circumſpice igitur. *dum*, particula inſeparabilis, quę verbo circumſpici, annecti debet. Iubet au-
tem Tranio herum ſuum maiorem circumſpicere, & videre, numquis ſit eorum, quæ loquun-
tur, arbiter, quaſi aliquid arcanum, & reconditum, & non vulgandum dicturus. SERMO-
NEM NOSTRVM AVCVPET?] qui ſermones noſtros aucupetur? qui, quæ loquimur, exci-
pere, hoc eſt, exaudire poſſit & velit. tralatio eſt. aucupo, as, autem dixerunt veteres, & aucupor,
ris. Iterum Plautus in Trucul. *lepidè æcaſtor aucupaui, & mea ſententia.* plura exempla legere li-
cet apud Nonium in verbo *aucupaui*, ſeu *aucupo.* TVTVM PROBÈ EST.] nulli ſunt
arbitri, qui ſermonem noſtrum aucupari poſſint. tutum eſt, & ſine periculo, licet quiduis dice-
re. ſoli ſumus. CAPITALIS CÆDES FACTA'ST] ſcelerata, impia & extremo ſuppli- B
cio digna cædes admiſſa eſt. SCELVS, INQVAM, &c.] vel ex hoc loco intelligere licet,
quod iſtis ludimagiſtris, linguæ Latinæ, & omnium bonarum artium imperitis perſuaderi non
poteſt, ſcelus ſignificare facinus aliquod, quod inquinat, & impurum reddit: qualis eſt cædes:
nam qui cædem commiſerunt, maximè ciuis aut hoſpitis, impuras manus habent, ipſiq́; impuri
ſunt. Præterea omnis impietas, omnéque factum impium, ſcelus eſt: vt contemnere diuos, ſeu
deum potiùs, prodere patriam, non alere, aut non colere parenteis & propinquos, eóſque qui
parentum loco nobis eſſe debent, vt homines de nobis bene meritos, ſcelus eſt: & qui talia fe-
cerunt, ſcelerati, ſceleſti, ſceleroſi à Latinis appellantur. ANTIQVOM ID ADEÒ NOS
NVNC FACTVM INVEN.] hoc facinus antiquum quidem eſt, ſed nos nunc factum co-
gnouimus, & comperimus. SCELESTE] ſceleſtum appellat Tranionem ſenex impropriè
ὑπερβολικῶς. HOSPES NECAVIT HOSPITEM.] cædes hoſpitis, cædi parentis pro-
xima. Horat. oda. 13. lib. 2. *Illum & parentis crediderim ſui, Fregiſſe ceruicem, & penetralia Sparſiſſe no-
cturno cruore Hoſpitis.* &c. Virgilius lib. 3. Æneid. *fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro Vi
potitur.* M. Tull. pro Deiotaro. *Vt enim omittam, cuius tanti ſceleris fuerit in conſpectu Deorum penatium
necare hoſpitem,* &c. CAPTVM MANV.] manu prehenſum. ATQVE ILLE EXCLAMAT,
&c.] id eſt, continuò gnatus tuus maxima voce derepentè exclamat. *atque* hîc valet continuò, C
ſtatim: de quo alibi. *exclamat maximum* autem, Poëtarum & Græcorum more dictum. ſic Horat.
epiſt. ad Piſonem: *licet ſuccurrite longum Clamet ïo ciues.* ST, TACE] *ſt.* particula eſt, ſilentium
indicens, ſuprà in Curcul. *St, tace, tace. P. taceo hercle: quid eſt?* Idem in Caſina. *St, tace, atque abi. neque
paro, neque hodie coquetur.* Idem in Epid. *St, tacete. habete animum bonum: liquido exeo foras Auſpicio.* IN
SOMNIS, &c.] id eſt, ὄναρ, ſeu κατ' ὄναρ. dum dormit ipſe: dormientem per ſomnos. hoc
enim ſignificat in ſomnis. quamuis autem non omnes qui dormiunt, ſomnient: omnes tamen
qui ſomniant (de iis loquor, qui propriè ſomniare dicuntur, non de iis quos per tranſlationem
ſermonis Latini dicunt ſomniare etiam vigilãteis) omnes igitur, qui verè & propriè ſomniant,
dormiunt, hinc fit, vt apud Latinos in ſomnis idem valeat, quod apud Græcos κατ' ὄναρ. Virg.
lib. 1. Æneid. *Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago Coniugis, ora modis attollens pallida miris.* Idem
lib. 2. *In ſomnis ecce ante oculos mæſtiſſimus Hector Viſus adeſſe mihi, largóſque effundere fletus.* Idem lib. 3.
*Viſi ante oculos adſtare iacentis In ſomnis multo manifeſti lumine quà ſe Plena per inſertas fundebat luna fene-
ſtras.* Idem lib. 4. *Me patris Anchiſæ quoties humentibus vmbris Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſur-
gunt, Admonet in ſomnis, & turbida terret imago.* Vbi notat Seruius, *inſomnis*, pro *inſomniis* more ſuo, D
ſed errat Seruius. Idem ibidem, *agit ipſe furentem, In ſomnis ferus Æneas,* &c. Vbi notat idem iterum
errans, inſomnis, pro, inſomniis, id eſt, vigiliis: & declinatur inſomnia, æ. Errant, & qui eum ſe-
quuntur. in iis Turnebus lib. Aduerſariorum cap. 26. quamquam non dicit ille ſe probare, ne
quis dicat me id in eum conferre, quod non ſcripſit. Idem Virgil. lib. eodem. *Huic ſe forma dei
vultu redeuntis eodem Obtulit in ſomnis.* Idem lib. 12. *Ac velut in ſomnis oculos vbi languida preßit Nocte
quies,* &c. Terent. Andr. *Quo æquior ſum Pamphilo, Si ſe illam in ſomnis quàm illum amplecti maluit.* Vbi
notat Donatus, *in ſomnis*, id eſt, *per noctem.* M. Tullius lib. 1. de Diuinatione, *concubia nocte viſum
eſſe in ſomnis ei, qui erat in hoſpitio illum alterũ orare, vt ſubueniret, quod ſibi à caupone interitus pararetur.* &c.
Idem paucis verſibus pòſt, *in quiete vidiſſe*, dicit, pro, *in ſomnis vidiſſe.* ibi, *Sæpè tibi meum narraui, ſæ-
pè ex te ſomnium audiui tuum, me, cùm Aſiæ prouinciæ præeſſem, vidiſſe in quiete, cùm tu equo aduectus ad
quandam magni fluminis ripam, prouectus ſubitò, atque delapſus in flumen, nuſquam apparuiſſes, me contre-
muiſſe timore perterritum,* &c. Idem lib. 2. *Párere quædam matrona cupiens, dubitans, eſſétne prægnans, viſa
eſt in quiete obſignatam habere naturam,* &c. Idem eodem libro. *Ad interpretem retulit, aquilam ſe in
ſomnis viſam eſſe factum.* Iterum lib. 1. ex Troadib. Eurip. *Quia mater grauida párere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba.* &c. Plautus in Amphitr. *Ibi fortè ſi vidiſſes quendam in ſomnis Soſiam.* SOS.
*Non ſoleo ego ſomniculosè heri imperia perſequi. Vigilans vidi: vigilans nunc te video.* &c. En tibi, videre
aliquid



A aliquid in ſomnis, & videre vigilantẽ, inter ſe opponuntur. Idem ibid. AMPH. *Tu me heri, heri hîc
vidiſti?* ALC. *Ego, inquam; ſi vis me decies dicere.* AMPH. *In ſomnis fortaſſe.* ALC. *Immò vigilans vigi-
lantem.* Hæc tot exempla collegimus, vt cuius ex eis intelligere liceat, eos falli, qui ſcribendum
putant *in ſomniis*, aut *inſomniis* poſitum putant vna voce pro *inſomniis* ab inſomnia, æ, in quibus
eſt Seruius. MIRVM QVIN VIGILANTI DICERET QVI ABHINC SEX.]
ironia eſt, *mirum quin* autem valet, *mirum quod non*, ſeu *mirum quarè non*. ſuprà in Amphitr. *Mirum
quin te aduerſus dicat.* id eſt, mirum Soſiam aduerſus te non dicere. ſeu mirum, quòd Soſia aduer-
ſus te non dicat. Ad quem locum de hac locutione plura. Huius igitur loci hæc ſententia eſt:
mirum quòd non mortuus ille diceret vigilanti, Qui mortuus, abhinc ſexaginta annis occiſus
foret. proinde ac ſi dicat, quî fieri potuit, vt qui abhinc annis ſexaginta necatus fuit, diceret ali-
quid filio tuo vigilãti, & videnti? Nam qui loquitur cũ vigilante & vidente, is viuus ſit, neceſſe
eſt. At mortuũ eſſe, & viuere, pugnant inter ſe. VIGILANTI] ὕπαρ. DIAPONTIVS.] nomen
fictum: & Græcum Διαπόντιος autem idem valet quod Latina vox, tranſmarinus. DEDITA.]
in poteſtatem tradita. ACHERVNTEM.] in ſedem, ſeu locum inferorum, videtur eſſe ad-
uerbij loco poſitum. ORCVS] Pluto. vnde ſit dictus orcus, alibi à nobis dictum eſt. PRÆ-
MATVRÈ VITA CAREO] ante diem mortuus ſum: morte non naturali exſtinctus ſum.
B PER FIDEM DECEPTVS SVM.] dum hoſpiti fidem habeo, deceptus ſum, dum me
hoſpiti credo, in fraudem incidi. vel dic, per eius fidem, malam ſcilicet: vt loquitur M. Tullius
in orat. pro Sext. Roſcio Amer. *Ad cuius igitur fidem confugiet, cùm per eius fidem læditur, cui ſe com-
miſerit?* INSEPVLTVM,] humatum quidem; & in terram defoſſum, ſed honore ſepulturæ
carentem, & non rite, hoc eſt, non iniecto ter puluere ſepultum. SCELESTÆ HÆ SVNT
ÆDES.] impuræ hæ ſunt ædes, quia reſperſæ hoſpitis ſanguinis. Virg. lib. 3. Æneid. *Omnibus idem
animus ſcelerata excedere terra Linquere Pollutum hoſpitium.* Eod. lib. *Parce pias ſcelerare manus.* CON-
CREPVIT FORIS] fortaſſe qui intus erant, contrà quàm eis imperatum à Tranione fuerat,
ſtrepitum, aut ſonitum aliquem ediderant. eum ſtrepitum; vt occultet Tranio, lemuribus, &
monſtris illis, quæ commentus eſt, attribuit. HICINE PERCVSSIT?] ſcit Tranio nemi-
nem ex iis, qui foris ſunt, foreis percuſſiſſe: ſed hoc quærit, vt Theuropidem terreat, quaſi le-
mures percuſſerint, & eadem opera, vt eorum, qui ſunt intus, ſtrepitũ tegat, & occultet. GVT-
TAM HAVD HABEO SANGVINIS] exſanguis ſum metu. AD ACHERVNTEM.]
ad inferos. PERII. ILLICE HODIE HANC CONT. FAB.] hæc ſecum loquitur Tra-
nio, moleſtè ferens Philolachem, & ceteros, qui ſunt vnà clamare, & ſtrepere, metuénſque ne to-
C ta fallacia aperiatur, & patefiat: quod ſi fiat, tota fabula conturbetur: quæ à monſtris & lemuri-
bus Moſtellaria dicitur. NIMIS QVÀM FORM. NE M. H. ME OPPR.] valde me-
tuo, ne me Theuropides in manifeſto mendacio deprehendat. Sic loquitur in Menæclim. *Quin
tu taces? Manifeſtò faxo iam opprimes.* ETIAM TV FVGIS?] id eſt, quin tu etiam fugis? ánnon
tu etiam fugis? PAX MIHI EST CVM MORTVIS.] non læſi mortuos, quare nullas
mecum inimicitias gerunt mortui. NON ME APPELL. SI S.] ſimulat Tranio ſe audire
vocem mortui, & ſe appellari à mortuo, quaſi ab ipſo aliquid commiſſum ſit, propter quod ab
illo compelletur, atque accuſetur. NIHIL EGO COMMERVI, &c.] quaſi dicat, noli me
appellare, neque accuſare, tu qui mortuus es inſepultus, quaſi has foreis percuſſerim. Nam ego
nihil cõmerui, id eſt, nullam culpam admiſi, neque has foreis attigi: ſed hunc ſenem accuſa, qui
foreis pulſauit. Hæc autem omnia eò pertinent, vt ſenex territus abſcedat ab ædibus. QVÆSO
QVID ÆGRÈ'ST?] quæſo quid tibi ægrè eſt? quid eſt, quod ægrè fers? EXPOSTVL.] queri.
CAVE RESPEXIS] caue reſpexeris. ne retrò adſpexeris. FVGE ATQ. OP. CAP.] fu-
ge operto capite φεῦγε ἐγκαλυψάμενος. in rebus dubiis & deſperatis caput operiebant. ſuprà
ſcena ſuperiore: *quin etiam illi hoc dicito, Facturum me, vt ne etiã adſpicere ædeis audeat.* ad quẽ locũ hac
D de re plura. NIHIL ME CVRASSIS, INQVAM, &c.] nihil me curaueris, inquam, ego
mihi conſuluero, tu tibi conſule. QVANTVM QVIS] quantum potes. ATQVE HERCV-
LEM INVOCABIS] Herculem vt, ἀλεξίκακον, id eſt, malorum depulſorem, inuocabis. ET
EGO, &c.] & ego Herculem inuoco, &c. TIBI HODIE VT DET, SENEX, MAGN.
MALVM.] hæc dicit Tranio oratione ad ſpectatores verſa. ego quoque ſenex Herculem inuo-
co, vt tibi det magnum malum. QVID EGO HODIE NEGOT. CONFECI? MA-
LÙM.] malùm, hîc interiectio eſt.

## DANISTA, THEVROP. ſenex, TRANIO ſeruus.

SCeleſtiorem ego annum argento fœnori,
Nunquam vllum vidi, quàm hic mihi annus obtigit,
A mane ad noctem vſque in foro dego diem,
Locare argenti nemini nummum queo.
TR. Nunc pol ego perij planè in perpetuum modum.

Daniſta adeſt,qui dedit argentum fœnori, A
Qui amica eſt emta,quoque opus in ſumtus fuit.
Manifeſta res eſt,niſi quid occurro prius,
Ne hoc nunc ſenex reſciſcat. ibo huic obuiam.
Sed quidnam hic ſeſe tam citò recipit domum?
Metuo ne de hac re quippiam hic inaudiuerit.
Accedam atque appellabo. heu,quàm timeo miſer.
Nihil eſt miſerius,quàm animus hominis conſcius,
Sicut me habet.verùm vtut res ſeſe habet,
Pergam turbare porrò. ita hæc res poſtulat.
Vnde is? TH. conuêni illum, vnde haſce ædeis emeram.
TR. Nunquid dixiſti de illo quod dixi tibi? B
TH. Dixi hercle verò,atque omnia. TR. væ miſero mihi,
Etiam fatetur de hoſpite? TH. immò pernegat.
TR. Cape hercle te obſecro, cum eo vnà iudicem.
Sed eum videto vt cupias,qui credat mihi.
Tam facilè vinces, quàm pirum volpes comeſt.
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.
TH. Quid tute tecum? TR. nihil enim. ſed dic mihi,
Dixtin quæſo? TH. dixi, inquam, atque ordine omnia.
TR. Etiam fatetur de hoſpite? TH. immò pernegat.
TR. Negat? TH. negat,inquam. TR. perij oppidò,cùm cogito.
Non confitetur? TH. dicam, ſi confeſſus ſit. C
Quid nunc faciendum cenſes? TR. egon'. quid cenſeam?
Cape,obſecro,hercle te, cum eo vnà iudicem.
Sed eum videto,vt capias,qui credat mihi.
Tam facilè vinces,quàm pirum volpes comeſt.
Miſericordias tandem habere hominem oportet
Illi bucidæ erunt multo potiùs quàm ego ſim reſtio
Mane tu,atque aſſiſte illico
DA. Sed Philolachetis eccum ſeruum Tranium,
Qui mihi neque fænus, neque ſortem argenti danunt.
TH. Quò tu te agis? TR. nec quoquam abeo.næ ego ſum miſer, D
Sceleſtus,natus diis inimicis omnibus.
Iam illo præſente adibit. næ ego homo ſum miſer.
Ita & hinc & illinc exhibent negotium,
Sed aucupabo adire. DA. hic ad me it,ſaluus ſum.
Spes eſt de argento. TR. hilarus eſt fruſtra iſtic homo.
Saluere iubeo te mi Saturides bene.
DA. Salue & tu. quid de argento? TR. abi ſis belua.
Continuò adueniens pilum inieciſti mihi.
DA. Hic homo eſt inanis. TR. hic homo eſt certè hariolus.
DA. Quin tu iſtas mittis tricas? TR. nunquam potuiſti mihi
Magis opportunus aduenire quàm aduenis.

Quid



A DA. Quid eſt? TR. concede huc. DA. quin mihi argentum redditur?
TR. Scio te bona eſſe voce,ne clama nimis.
DA. Ego hercle verò clamo. TR. ah, gere morem mihi.
DA. Quid tibi ego morem vis geram? TR. abi quæſo hinc domum.
DA. Abeam? TR. redito huc circiter meridie.
DA. Reddetúrne igitur fœnus? TR. reddetur,nunc abi.
DA. Quid ego huc recurſem,aut operam ſumam,aut conteram?
Quid ſi hîc manebo potius ad meridiem?
TR. Imò abi domum,verum hercle dico.abi modò.
DA. Quin vos mihi fœnus date. quid nugamini?
B TR. Eu,hercle næ tu. abi modò,auſculta mihi.
DA. Iam hercle ego illunc nominabo hîc. TR. euge,ſtrenue,
Beatus verò es nunc cùm clamas. DA. meum peto.
Multos me hoc pacto iam dies fruſtramini.
Moleſtus ſi ſum, reddite argentum, abiero.
TR. Reſponſiones omnes hoc verbo eripit.
Sortem accipe. DA. immò fœnus,id primùm volo.
TR. Quid? tu te hominem,hominum omnium tæterrime,
Veniſti huc externatum?agas quod in manu eſt,
Non dat,non debet. DA. non debet? TR. nec erit quidem.
Ferre hoc potes,an mauis vt aliquò abeat foras?
C Vrbem exſul linquat factus hic cauſſa tui?
Cui ſortem vix dare licebit. DA. quin non peto.
TH. Eia maſtigia ad me redi. TR. iam iſtic ero.
Moleſtus ne ſis,nemo dat,age quod lubet,
Tu ſolus credo fœnore argentum datas.
DA. Cedò fœnus. redde fœnus. fœnus reddite,
Daturin' eſtis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. TR. fœnus illic,fœnus hîc.
Neſcit quidem niſi fœnus fabularier,
Veterator. neque ego tætriorem beluam
D Vidiſſe me vnquam quenquam, quàm te,cenſeo.
DA. Non ædepol nunc me tu tuis verbis territas.
Calidum hoc eſt,& ſi procul abeſt,vrit malè.
TH. Quod illud eſt fœnus obſecro,quod illic petit?
TR. Pater eccum áduenit peregrè non multo prius
Illius. is tibi & fœnus,& ſortem dabit.
Ne inconciliare quid nos porrò poſtules.
Vide num moratur? DA. quin feram ſi quid datur.
TH. Quid ais tu? TR. quid vis? TH. quis illic eſt?quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic,& præſenti tibi facit conuicium?
Quid illi debetur? TR. obſecro hercle te,iube

aaa

Obiici argentum huic ob os impuræ beluæ. A
TH. Iubeam? TR. iube homini argento os verberarier.
DA. Perfacilè ego ictus perpetior argenteos.
TH. Quod illud argentum eſt? TR. huic debet Philolaches
Paulùm. TH. quantillum? TR. quaſi quadraginta minas.
DA. Ne ſanè id multum cenſeas, paulum id quidem eſt.
TR. Audin? videturne obſecro hercle idoneus,
Daniſta qui ſit? genus quod improbiſſimum'ſt.
TH. Non ego iſtuc curo, quis iſte ſit, vnde ſit:
Illud volo mihi dici, id me ſcire expeto.
Adeò etiam argenti fœnus creditum audio.
TR. Quattuor quadraginta illi debentur minæ. B
Dic te daturum, vt abeat. TH. egon' dicam dare?
TR. Dic. TH. egóne? TR. tu ipſus, dic modò, auſculta mihi.
Promitte: age, inquam, ego iubeo. TH. reſponde mihi.
Quid eo eſt argento factum? TR. ſaluum eſt. TH. ſoluite
Voſmet igitur, ſi ſaluum eſt. TR. ædeis filius
Tuus emit. TH. ædeis? TR. ædeis. TH. euge, Philolaches
Patriſſat, iam homo in mercatura vortitur.
Ain tu? ædeis? TR. ædis, inquam: ſed ſcin' cuiuſmodi?
TH. Qui ſcire poſſim? TR. vah. TH. quid eſt? TR. ne me roga.
TH. Nam quid ita? TR. ſpeculo claras, clarorem merum. C
TH. Bene herclè factum. quid? eas quanti deſtinat?
TR. Talentis magnis totidem, quot ego & tu ſumus.
Sed arraboni has dedit quadraginta minas.
Hinc ſumſit quas ei dedimus, ſatin' intelligis?
Nam poſtquàm hæcce ædes ita erant vt dixi tibi,
Continuò eſt alias ædis mercatus ſibi.
TH. Bene hercle factum. DA. heus iam appetit meridies.
TR. Abſolue hunc, quæſo, vomitum, ne hic nos enecet.
Quattuor quadraginta illi debentur minæ,
Et ſors & fœnus. DA. tantum eſt, nihilo plus peto. D
TR. Velim quidem hercle, vt vno nummo plus petas.
TH. Adoleſcens mecum rem habe. DA. nempe abs te petam.
TH. Petito cras. DA. abeo. ſat habeo, ſi cras fero.
TR. Malum quod iſti dij, deæque omnes duint.
Ita mea conſilia perturbat peniſſimè.
Nullum ædepol hodie genus eſt hominum tætrius,
Nec minus bono cum iure, quàm Daniſticum.
TH. Qua in regione iſtas ædeis emit filius?
TR. Ecce autem perij. TH. dicíſne hoc quod te rogo?
TR. Dicam, ſed nomen hominis quæro quod ſiet.
TH. Age comminiſcere ergo. TR. quid ego nunc agam?





A Niſi vt in vicinum hunc proximum mendacium?
Eas emiſſe ædis huius dicam filium?
Calidum hercle audiui eſſe optimum mendacium,
Quicquid dei dicunt, id rectum eſt dicere.
TH. Quid igitur. iam commentu's? TR. dij iſtum perduint,
Imò iſtunc potius, de vicino hoc proximo
Tuus emit ædis filius. TH. bonan' fide?
TR. Siquidem es argentum redditurus, tum bona.
Si redditurus non es, non emit bona.
TH. Non in loco emit perbono has. TR. immò optimo.
TH. Cupio hercle inſpicere has ædis. pulta dum fores,
B Atque euocato aliquem intus ad te Tranio.
TR. Ecce autem nunc quid ego dicam neſcio.
Iterum iam ad idem ſaxum me fluctus ferunt.
Quid nunc? non hercle quid nunc faciam, reperio:
Manifeſtò teneor. TH. euoca dum aliquem foràs,
Qui circunducat. TR. heus tu. at hic ſunt mulieres.
Videndum eſt primùm, vtrùm eæ velint, an non velint.
TH. Bonum æquomque oras, percontare & roga.
Ego hic tantiſper dum exis, te opperiar foris.
TR. Dij te, deæque omnes funditus perdant ſenex,
Ita mea conſilia vndique oppugnas mala.
C Euge optimè. eccum dominus ædium foràs,
Simo progreditur ipſus. huc conceſſero,
Dum mihi ſenatum conſilij in cor conuoco.
Igitur tum accedam hunc, quando quid agam inuenero.

SCELESTIOREM] hyperbole, vituperatoris, & accuſatoris propria. voluit enim dicere ſimpliciter, magis aduerſum, ſeu magis incommodum. ARGENTO FOENORI, &c.] ſubintelligendum, *locando*, hoc modo, ſceleſtiorẽ ego annum argẽto fœnori locando numquam vidi, quàm hunc. DEGO DIEM] tranſigo, & traduco diem. LOCARE] locare fœnori: collocare. M. Tull. lib. 2. de Officiis. *Sed vt pecuniæ non quærendæ ſolùm ratio eſt, verumetiam collocandæ, quæ perpetuos ſumtus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed etiã liberaleis: ſic & gloriæ*, &c. DANISTA ADEST] Daniſta, hoc eſt, fœnerator. Hic fœnerator, dum ad Philolachem venit, vt pecuniã quam ei fœnori dedit, repetat, aut fœnus exigat, caſu Tranioni eius ſeruo ſit obuiam. hinc turba oritur, metúſque Tranioni iniicitur, ne tota fallacia pateſiat. augetur metus celeriore, quàm ſperarat, Tranio Theuropidis reditu: qui è veſtigio domus venditorem adierat, & cùm eo egerat, vt pretium redderet, & domus eſſe inemta, propter eam cauſam, quam ſeruus confinxerat: quod cùm ille pernegaſſet, domum illicò rediit Theuropides. QVI AMICA EST EMTA.] quo argento Philematium emta eſt. MANIFESTA RES EST. &c.] deprehẽdor & opprimor in maniſto facinore, niſi prouideo, vel niſi anteuerto, vel niſi præoccupo, vel niſi priùs obuiam eo. SED QVÍDNAM HIC SESE TAM CITÒ, &c.] ſed quidnã cauſæ eſſe dicam, quamobrem ſenex tam citò domum redeat? INAVDIVERIT.] audiuerit. ſuprà in Aulul. *Credo ego iam illum inaudiiſſe mihi eſſe theſaurum domi.* NIHIL EST MISERIVS, QVAM AMM. H. C.] Sic M. Tullius, pro Milone. *Magna vis eſt conſciẽtiæ, iudices, & magna in vtramque partem: vt neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.* Idem pro Sext. Roſc. Amer. *Sua quemq. fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus, amentiáque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæq́ furiæ.* &c. Eadem iterantur in Oratio. pro P. Sext. Sic Ouid. li. 1. Faſt. *Cõſcia mens, vt cuiq. ſua eſt, ita cõcipit intra Pectora pro facto ſpémq. metumq́ ſuo.* SICVT ME H.] ſicut me habet animus malè cõſcius. PERGAM T. P.] pergã turbas excitare porrotenus. Hoc à Poëta probabiliter ſcriptũ eſt. Nam qui ſibi malè conſcij ſunt, & qui culpam commeruerunt, turbare ſtudent, & res nouas quærunt, & belli cupidiores ſunt, quàm pacis, atq;

otij. Quam ſententiam planiùs & pluribus verbis expreſſit infrà eadem fab.ibi. *Facio idem quod plurimi alij, quibus res timida aùt turbida'ſt, Pergunt turbare vſque, vt ne quid poßit cõquieſcere.* A Exemplo erit Pericles, qui cùm pecuniam publicam tractaſſet, eámque inſumſiſſet & conieciſſet in propylæa illa præclara, & nominatiſſima, neque ſatis commodè ſe tãtarum impenſarum rationem referre poſſe videret: quo pacto rationem non referret potiùs, quàm quomodo referret, ſibi videndum eſſe exiſtimauit: atque ita bellum graue, magnum, & difficile excitauit. quod & noſtra ætate à quibuſdam ob eamdem cauſam, & eodem conſilio factum eſſe notiſſimum eſt. Iam *turbare*, hîc abſolutè poſitum eſt, pro; turbas facere atque excitare. Sic Cælius ad Ciceroné. *M. Seruilius, pòſt quàm vt cœperat, in rebus omnibus turbarat,* &c. NVNQVID DIXISTI DE ILLO, &c.] hanc domum eſſe ſceleratam, & in ea cædem capitalem eſſe factam. VÆ MISERO MIHI] hæc loquitur Tranio ad ſpectatores verſus, & à ſene auerſus, conſilij inops, & quò ſe vertat, neſciẽs. IVDICEM] arbitrum. Terent. Heaut. *Me cepere arbitrum.* SED EVM VID. VT CAPIAS, QVI CR. M.] vel apertè ludit ſenẽ Tranio ſeruus, vel hæc ſummiſſa voce loquitur, ad ſpectatores verſus. TAM FACILÈ VINCES Q. P. VVLP. C.] *minimo negotio vinces.* Facillimè enim vulpes pirum comeſt. Dicũt tamen quidam eſſe contrariã ſententiã: & ſignificare ſeruum ægrè, & non facilè victurũ ſenem; quod vulpes gallinas & ſimileis aueis altileis faciliùs comeſſe ſoleat, quàm pira. Iteratur hic verſus cum duobus ſuperioribus infrà non longè. B METVO NE TECHNÆ MEÆ, &c.] hæc loquitur Tranio ſummiſſa voce ad ſpectatores verſus. *technæ* autem, id eſt, fallaciæ, aſtutiæ, doli. ſic ſuprà in Captiuis. *Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus ſum miſer huius ſceleſti technis.* &c. QVID TVTE TECVM] quid tu ipſe tecum loqueris? ſic Terent. in Heaut. *ſed reprimam me. nam in metu eſſe hunc illi eſt vtile.* CLIN. *quid tute tecum?* DICAM SI CONFESSVS SIT] dicerem, ſi confeſſus eſſet. DANVNT.] dant. QVÒ TVTE AGIS?] quò tu te confers? quò abis? ſic Terent. Andr. *quid tu? quò hinc te agis?* Sic Græci, ποῖ σε κομίζεις; Sophocl. in Antig. Σὺ μὲν κομίζοις ἂν σαυτὸν ᾗ θέλεις, Ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον. NÆ EGO SVM MISER,] hæc, & quæ deinceps ſequuntur, loquitur ſecum Tranio, vſque ad ea quæ loquitur Daniſta. NATVS DIIS INIMICIS OMNIB.] Horat. Satyr. 5. lib. 1. *dehinc Gnatia Lymphis, Iratis exſtructa dedit ludóſque, iocóſque.* & Sat. 3. lib. 2. *Iratis natus paries diis atque poëtis.* Terent. Andr. *neſcio Niſi mihi deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui auſcultauerim.* IAM ILLO PRAESENTE A.] hic fœnerator iam me adibit ſene præſente, & pecuniam poſcet. OCCVPABO] anteuertam. MI SATVRIDES] ſecutus ſum Camerarij coniecturam. Nam libri omnes habent *ſaturites. Saturides* patronimicum, Satyri filius. ABI, SIS, BELLVA] abi, ſi vis, bellua. PILVM INIECISTI M.] iaculum intorſiſti mihi. ſic ſuprà in Epid. dixit, *tragulam in te inijcere adornat.* HIC HOMO EST INANIS] C hæc ſecum loquitur Daniſta, ita tamen vt exaudiat Tranio. EST HARIOLVS] rectè diuinat: rectè auguratur, cùm dicit me inanem eſſe. QVIN TV ISTAS MITTIS TRICAS?] quin tu iſtas moras miſſas facis? quin tu iſta, quæ ſolutionem morantur, & impediunt, omittis? tricæ dictæ, quaſi tericæ, inquit, Nonius: quod pullos gallinaceos impediunt, atque involuant pili pedibus implicati. Plautus Curcul. *Quod argentum tu mihi, quas tricas narras?* Idem in Epid. *aliqua ope exſoluar, extricabor aliqua.* CONCEDE HVC] tranſi huc. veni huc. SCIO TE BONA ESSE VOCE] ſcio te voce valere, οἶδα ὅτι βοὴν ἀγαθὸς εἶ. CIRCITER MERIDIE] *circiter* hoc loco, aduerbium eſt, alioqui dixiſſet *circiter meridiem.* REDDETÚRNE IGITVR FOENVS?] & hîc, & infrà eodem verſu *redetur* ſcriptum eſt cum vno d. in noſtris libris manuſcriptis, quomodo in ſuis ſcriptum eſſe notat Camerarius. Ego tamen *reddetur,* vtrobique edendum curaui cum duobus dd. AVT OPERAM S.] aut operam inſumã, ſiue ſuſcipiã, &c. QVIN VOS MIHI FOENVS D.] immo potiùs vos mihi fœnus date. hîc dicit fœnus date: ſuprà, *fœnus reddetur.* HERCLE NAE TV.] oratio conciſa, & perplexa, vt hominis perturbati, & metuentis, & æſtuantis. oratio autem integra fuiſſet, ſi addidiſſet *moleſtus es,* aut aliquid aliud tale. BEATVS VERÒ ES NVNC CÙM CL.] D præclarum quiddam, & laude dignum facere videris, nũc, cùm vociferaris, & clamorem tollis. ironia eſt. MEVM PETO] peto quod mihi debetur, nam quod nobis debetur, noſtrum quodammodo eſt, alioqui quod mutuo aut fœnori dedimus, propriè noſtrum non eſt. Nam deſiit eſſe noſtrum, & eius cui mutuauimus, & fœnerati ſumus, ſeu fœnerauimus, factum eſt. FRVSTRAMINI] luditis: verbis inanibus paſcitis. RESPONSIONES OMN. H. V. ER.] verba ſunt Tranionis, quæ cum ironia, & riſu pronuntiãda ſunt, hac ſententia. hic Daniſta, ſpectatores, reſponſiones omneis mihi hac oratione eripit, cùm dicit, reddite argẽtum, abiero. vel dic, hoc verbo propriè, *abiero.* SORTEM ACCIPE] τὸ κεφάλαιον. Caput, pecuniam principalem, quæ fœnus parit. Horat. Sat. 2. lib. 7. *Quinas hic capiti mercedes exſecat.* QVID? TV TE HOMINEM HOMINVM OMNIVM TAETERRIME VENISTI HVC EXTENTATVM?] quid? tu homo omnium hominũ ſpurciſſime, & impuriſſime veniſti huc, vt te, & vireis tuas, & latera tua, & vocem tuam extentares, id eſt, expromeres, experireris, cõtenderes, atq. oſtentares? ſic autem habent lib. noſtri veteres omnes ad vnum, & probatur mihi hæc ſcriptura. Eſt autem *extentatũ* à verbo frequẽtatiuo indicatiui modi. *extento, as,* quod valet, valdè, & ſæpè extẽdo. quo & ſuprà in Bacchid. vtitur. *Quæ te mala crux agitat, ad iſtunc qui modum alieno vireis tuas extentes brachio?* libri vulgati tamen fortaſſe non malè, habent *oſtentatum.* ſed eam vocem puto eſſe hoc loco ſuppoſitam,



A poſitam, miniméque germanam Plautinam. Ne hoc quidem diſſimulabo, Camerarium edidiſſe, *exſternatum,* quod ſi quis probabit, hunc locum ſic explicabo. Túne huc veniſti, vt te clamando mente alienares? vel ſic, túne huc veniſti, vt inſanè clamando, mente alienata videreris? Nonius, *exſternauit,* inquit, vt conſternauit, id eſt, dementem fecit. Catullus. *Ah miſera, aßiduis quàm luctibus exſternauit. Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.* præterea video etiam nonnullos admonuiſſe in ſuis libris manuſcriptis ita ſcriptum eſſe. *Veniſti huc exenteratum.* &c. quid ſit autem *exenterare,* ſuprà dictum eſt, in Epid. ibi. *acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem Marſupium.* Poſtremò ſic arbitror legendum. *Quid? tu te hominem hominum omnium tæterrimum Veniſti,* &c. Alioqui ſic erit legendum. *Quid? tu te homo omnium tæterrime,* &c. quod ſi probabitur, *quid,* erit duarum ſyllabarum: in prouocabulo *te* autem, e. non elidetur, ſed fiet hiatus. Porrò in *omnium,* fiet συνίζησις vt ſit duarum ſyllabarũ. AGAS QVOD IN MANV'ST.] agas quod in poteſtate tua eſt. agas quod penes te eſt. NON DAT.] non dat tibi argentum Philolaches, hoc eſt, non dabit. vel dic propriè, non dat nunc, ſed aliàs dabit. NEC ERIT QVIDEM] lego *ne curat quidem,* parua immutatione facta, ſcilicet verſa e vocali in, u. Quidam amicus meus ſic mauult emendari, *ne quærit quidem.* FERRE HOC POTES, &c.] potes eſſe contentus ſorte, an mauis, &c. vel ſic: potes æquo animo accipere ſortem, an mauis, &c. vel ſic, potes æquo animo ferre B ſortem, an mauis, &c. CAVSA TVI?] cauſa tua? EIA MAST. AD ME RED.] reuocat Tranionem ſenex nimiùm diu cum Daniſta altercantem. IAM ISTIC ERO] verba ſunt Tranionis ſeni reſpondentis, ſe iam adfuturum. DATAS.] *datas,* ſecundæ perſonæ, à verbo frequentatiuo dato, as, at, quod valet, crebrò do. FOENVS ILLÎC FOENVS HÎC] fœnus vbique auditur. fœnus in illo loco, fœnus in hoc auditur, nulla vſquam vox niſi fœnus auditur. FABVLARIER] loqui. CALIDVM HOC EST: ET SI PR. &c.] allegoria eſt. quæ ſunt valdè calida, etiam longè diſtantia, vrunt tamen. ita, quæ moleſta ſunt auditu, etiam è longinquo loco offendũt. ſignificat Daniſta orationem ſuam de fœnore moleſtam eſſe Tranioni: & quamuis diſcedat ille, ſe nihilominus fœnus, ſublato clamore, flagitaturum, & proinde hoc pacto ei moleſtum futurum. NE INCONCILIARE QVID NOS P. P.] ne pergas nos porrò tibi inimicos reddere, atque in te irritare. *inconciliaſti,* inquit Feſtus, *comparaſti, commendaſti,* vel, vt antiqui, *per dolum decepiſti.* ſuprà in Bacchid. *Ille quod in ſe fuit, accuratum habuit, quod poſſet mali facere, & in me incõciliare copias omneis meas.* VIDE NVM MORATVR?] vide, num te ſenex moratur, quin tibi fœnus numeret? numquid tibi ſenex in mora eſt, quin tibi quod debetur, ſoluat? QVIN FERAM SI QVID DATVR] atquin ego accipiam, ſi quid mihi datur: vel ſic. Im- C mò, ne me iocari putes, ego accipiam, ſi quid mihi datur. QVIS ILLÎC EST?] quis ille eſt? IVBE OBIICI ARGENTVM HVIC OB OS IMP. B.] iube huic daniſtæ in os, ſeu contra os argentum impingi, ſeu intorqueri, ſeu incuti. Virg. Æn. 6. *Melle ſoporatum, & medicatis frugib. offam Obiicit.* IVBE HOM. ARG. OS VERBERARI.] idem dicit quod ſuprà proximè, ſed aliis verbis. PERFACILÈ EGO ICTVS P. ARG.] ictus argenteos, vrbanè dictum à Lenone, quia dixerat Tranio, *iube homini argento os verberarier.* AVDIN'? VIDETÚRNE, OBSECRO HERCLE IDONEVS. &c.] ironia eſt ſubamara: qua deridet Tranio ſeruus daniſtam. Nam cùm ſignificare videatur, eum eſſe indignum, qui ſit fœnerator, quaſi vir ſit melior, quàm vt hanc artem factitet, planè aliud & ſentit, & vult intelligi. GENVS QVOD IMP.'ST] quod hominum genus improbiſſimum eſt. ILLVD VOLO MIHI DICI] illud volo mihi à te dici, quod id argentum ſit, quod ei debeatur. ADEÒ ETIAM ARG. F. C. A.] quin etiam argenti fænus Daniſtæ deberi audio. QVATTVOR QVADRAG. &c.] quattuor, pro fænore: quadraginta, pro ſorte. PHILOLACHES PATRISSAT.] Philolaches patrẽ imitatur. Sic Terent. Adelph. *Laudo Cteſipho: patriſſas. abi. virum te iudico.* IAM HOMO IN MERC. VORTITVR] in mercatura verſatur. Nonnulli libri habent, *iam homo animum ad mercatum ad-* D *uortitur.* fortaſſe non malè, pro, *animum ad mercatum aduertit.* SPECVLO CLARAS ET CLAROREM M.] ædeis ita claras, vt cum ſpeculo cõparari poſſint: vel, vt loco ſpeculi eſſe poſſint: vel, vt ſpeculum ex iis confici poſſit: ædeis ad ſpeculum claras, id eſt, etiam ſi cum ſpeculi ſplendore, & leuore conferantur, ſatis claras. clarorem merum: id eſt, ædeis ipſo clarore clariores: vel certè æquè claras, vt eſt ipſe claror clarus. hyperbole eſt. BENE HERCLE FACTVM] ſermo probãtis ac laudantis. QVANTI DESTINAT?] quãti emit? tempus præſens pro præterito. TALENTIS MAGNIS TOTIDEM Q. &c.] id eſt, talentis magnis duobus. quantum autem valeat talentum magnũ, ex ipſo Plauto cognoſcere licet. infrà enim Theuropides ſenex ex Tranionis verbis, qui dixit eas ædeis duobus talentis magnis à Simone quodam emtas eſſe, & quadraginta minas arraboni datas, colligit octoginta minas Simoni deberi. Quod ſi octoginta minæ, præter illas quadraginta, quæ arraboni datæ ſunt, venditori debentur: ergo duo talenta magna, valent centum & viginti minas. quod ſi verum eſt, vt eſt: ergo talentum magnum valet minas ſexaginta. Atq. hoc notat Seruius ad illud Virg. Æn. 5. *auri, argentiq. talenta.* SED ARRAB. HAS DEDIT Q. M.] arrabo, pretij particula eſt, quæ venditori datur ad firmandã emtionẽ, quaſi pignoris loco. Donat. ad illud Terẽt. in Heaut. *Ea relicta huic arraboni eſt, pro illo argẽto.* Notat: arrhabo, dicitur merces, ſeu corollariũ, & eſt quod prius datur, vt reliquũ reddatur. Aul. Gel. lib. 17. c. 2. *Cùm tantus,* inquit, *arrhabo penes Samnites, Pop. Rom. eſſet: arrabonem dixit* ID. c. *obſides: & id maluit,*

*quàm pignus dicere, quoniam vis huius vocabuli in ea ſententia, grauior, acriórque eſt. Sed nunc arrabo in ſordidis verbis haberi cœptus. ac multo rectius videtur arra. quamquam arram quoque veteres ſæpè dixerunt.* A HINC SVMSIT, &c.] ab hoc Daniſta ſumſit eas quadraginta minas, quas Simoni daremus. NAM POSTEAQVÀM HÆCE ÆDES, &c.] nam quia hæ ædes erant tales, qualeis dixi tibi, &c. poſteaquàm ἐπειδὴ hæcce, hæce ædes, quas tu emiſti. CONTIN. EST AL. ÆD. M. S.] centum viginti minis. APPETIT MERIDIES.] appropinquat meridies. ſic ſuprà in Aulul. principio *propinqua partitudo cui appetit.* ad quem locum plura. Verba autem ſunt Daniſtæ quem Tranio iuſſerat circiter meridie reuerti, vt ſcilicet eum hoc pacto ablegaret, atque vt eo defungeretur. Nam Romani meridie, & poſt meridiem apud magiſtratus nihil agebant, neque paſciſcebantur, neque ſoluebant creditori. quod tamen non eſt vſquequaq. verum. Nam diebus faſtis, prætor vrbanus ius dicebat vſque à mane ad veſperum. ABSOLVE HVNC QVÆSO VOM.] expedi hunc quæſo, fœneratorem hominem impurum. Lucil. in Satyr. *In numero quorum nunc primus' Trebellius' multum Lucius' marcebat febris, ſenium, vomitus, pus.* VELIM QVIDEM HERCLE, VT VNO NVMMO PL. P.] hoc eò dicit, quod qui plus petebat, cauſa cadebat. plus autem petitur, quattuor modis. re, tempore, loco, cauſa. Re, vt ſi cùm mihi centum aurei debeantur tantum, centum & viginti petam. Tempore, vt ſi quod mihi nonis Ianuariis debeatur, calendis Ianuariis petam. aut ſi quod mihi ſub conditione debeatur, B antè quàm conditio extiterit, petam. Loco, vt ſi quod mihi Epheſi debeatur, Romæ petam. Cauſa, vt ſi cùm mihi ſtichus, aut decem aurei debeantur, ſtichum ſimpliciter, aut decem aureos item ſimpliciter petam: quoniam ita petendo, cum debitore malè ago, cuius eſt eligendi optio, vtrùm det ſtichum, an decem aureos. Huc pertinent illa, quæ refert M. Tullius lib. 2. de Oratore ad Q. Fratr. De hypſeo & Cn. Octauio: quorum alter lege agend. plus petebat, quàm pupillo, quem defendebat, debebatur: & ita cauſa cadebat. alter actionem excludens, ne aduerſarius cauſa caderet, recuſabat. Idẽ pro Roſc. comœdo. *Hîc tu ſi amplius HS. nummo petiſti, quàm tibi debitum eſt, cauſam perdidiſti: propterea quod aliud eſt iudicium, aliud arbitrium.* ADOLESCENS MECVM REM H.] his verbis ſe Theuropides debitorem conſtituit, cùm Daniſtam iubet ſecum rem habere, hoc eſt, cùm promittit nudo pacto, & ſine ſtipulatione ſe pro filio pecuniam ſoluturũ. ex qua conſtitutione oritur actio de conſtituta pecunia. MALVM QVOD ISTI DII DEÆQ.] genus imprecationis. hæc autẽ ſecum loquitur ſeruus Tranio. DVINT] dederint: dent. POENISSIMÈ] ſuperlatiuum ab aduerbio pœnè. Notat Priſcian. lib. 3. vbi hũc verſum profert. *Ita mea conſilia peruertit pœniſſimè.* Et præterea lib. 15. Animaduertendũ autem eſt vtrobique apud Grammaticum illum ſcriptum, ſeu impreſſum eſſe, *peruertit*, cùm in omnibus exemplarib. & editionib. plautinis, legatur, *perturbat.* C TAETRIVS] impurius, fœdius, ſpurcius. Horat. Sat. 3. lib. 1. *Nam fuit ante Helenam cunnus tæterrima belli Cauſa, ſed ignotis perierunt mortibus illi.* NEC MINVS BONO CVM I.] nec ab æquo, & bono alicuius ius bonũ, eſt æquũ. bonum, id eſt, ius vtilius, ius moderatum. contrà, ius ſummum, ſumma iniuria. Sic Ariſt. lib. 5. de Morib. τὸ ἐπιεικὲς, τὸ δικαίου βέλτιον. ECCE AVTEM P.] alia rurſus conſilij inopia. hîc cõflictatur Tranio, à quo dicat ædeis emtas eſſe, neſciẽs. idcirco ſecum loquens ſe periiſſe dicit. NISI, VT IN VICINVM HVNC PROX. M.] ſubintell. conferam? conuertam? hac ſententia, niſi vt dicam Philolachem ædeis has proximas, quæ ſunt vicini Simonis emiſſe? vt poſtea ipſe Tranio interpretatur. CALIDVM HERC. AVDIVI, &c.] calidum, id eſt, ſubitum, & ſubitò inuentum θερμὸν, vt conſilium calidum, quod non eſt cogitatum, neq. meditatum, ſed quod ex tempore venit in mentem θερμὸν, ſimiliter Græci appellãt. ex quo θερμόσοφοι, qui calidis conſiliis in rebus agendis vtuntur. vel, qui in rebus gerendis neque multam cogitationem adhibẽt, neque multo conſilio vtuntur Terent. Eunuch. *Vide ne nimium calidum hoc ſit modo.* QVIDQVID DEI DICVNT ID R. 'ST. D.] id eſt, quidquid ſubitò venit in mentem: ſeu quidquid Dij monent, & ſuggerunt, id oportet dicere. Videtur enim quidquid nobis ſubitò, & D impræmeditatum venit in mentem, quaſi diuinitùs ſuggeſtum, non noſtro cõſilio euigilatum, aut à nobis excogitatũ. Quidã hunc verſum ſic explicant. Quidquid Mercurius monet, id rectũ eſt dicere. Mercurius enim, inuentionum, furtorum, mendaciorum, mercaturæ, & ſimilium, eſt Deus & Pater & adiutor. Preterea non celabo lectorẽ, pro *id rectum'ſt*, ſcriptũ eſſe in nonnull. lib. *decretum'ſt.* IAM COMMENTV'S?] iámne commentus es? iámne cõfinxiſti? imprudens ſuſpicatur id quod eſt, ſenex, nempe Tranionem mendaciũ dicere, atq. adeò mẽtiri. DII ISTVM PERDVINT] dij fœneratorem iſtum perdant, ſeu perdiderint, qui mihi mentem perturbauit, quo factum eſt, vt mihi nomen vẽditoris ædiũ è memoria exciderit. Hæc loquitur Tranio clara voce, vt ſenex quoque audiat. IMMÒ ISTVNC POTIÙS.] Immo iſtunc ſenem potiùs. hæc loquitur ſummiſſa voce, aut certè à ſene auerſa, & ad ſpectatores conuerſa. SIQVIDEM ES ARGENT. R. &c.] Iocus eſt ex ambiguo: quod ineſt in his verbis, *bonan' fide?* quæ ſenex aliter dixit, aliter ſeruus accepit. Nam ſenex quærebat ex ſeruo, bonáne fide loqueretur, hoc eſt, ſerióne, & verè id diceret, emtas ædeis eſſe à filio. ſeruus autem in aliam ſententiam accepit, aut certè ſe accipere ſimulauit, quaſi quærat ille, bonáne fide ædes emtæ ſint. hoc eſt, vtrùm dolus malus in ædibus vendendis adhibitus ſit, an bona fides. Itaque ſic reſpondet, ſi argentum venditori promiſſum, ac pactum redditurus es: bona fide ædeis emit filius: ſin minus, bona fide non emit.



A emit. PVLTA DVM FOREIS:] pulſa igitur foreis. ECCE AVTEM] ecce autem ad eundem ſcopulum referor. ecce autem ad idem malum, ſeu periculum reuoluor. ITERVM IAM AD IDEM SAXVM ME FLVCTVS FERVNT] allegoria eſt, à mari, ſeu à nauigatione incommoda, atque aduerſa, qua hoc ſignificat, iterum me ad idem periculum, ſeu incommodum Theuropidis verba ferunt. MANIFESTÒ TENEOR.] in furto, ac mendacio manifeſto deprehenſus ſum, neque elabi, aut effugere poſſum. QVI CIRCVMDVCAT,] qui me circum ædeis ducat. ORAS.] dicis. PROGREDITVR IPSVS] progreditur ipſe. DVM MIHI SENATVM CONSILII, &c.] dum apud me conſulto. dum in animo meo conſilium ineo. allegoria eſt à ſenatu, cuius eſt conſultare de Repub. & rebus ad ſummam rempublicam pertinentibus. ſic ſuprà in Epid. *ite intrò, ego de re argentaria Iam ſenatum conuocabo in corde conſiliarium.* HVNC.] Simonem. QVANDO QVID AGAM INVEN.] cùm quid dicam, ſeu quid agam, excogitaro.

## SIMO, THEVROPIDES ſenes. TRANIO ſeruus.

B MElius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando eſca vna bene meruerit magis,
Prandium mihi vxor perbonum dedit.
Nunc dormitum me iubet ire minimè.
Non mihi fore viſum illico fuit
Melius, quàm prandium, quom ſolum dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
Non bonus ſomnus eſt de prandio. apage
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi vxor, nunc ſcio, domi.
TR. Res parata eſt mala in veſperum huic ſeni.
Nam & cenandum & cubandum'ſt intus malè.
C SI. Quo magis cogito ego cum meo animo,
Si quis dotatam vxorem domi ſuæ habet,
Neminem ſollicitat ſopor:
Ire dormitum odio eſt: nunc verò mihi
Exſequi certa res eſt hoc, vt abeam
Potius hinc ad forum, quàm domi cubem,
Atque pol neſcio, vt moribus ſient
Voſtræ. hoc ſat ſcio, quàm mea me habeat malè:
Peiúſque poſthac fore, quàm fuerit mihi.
TR. Si abitus tuus tibi ſenex fecerit malè,
D Nihil erit quòd deorum vllum accuſites.
Te ipſe iure optimo meritò incuſes licet.
Sed tempus nunc eſt ſenem hunc alloqui mihi.
Hoc habet: repperi, qui ſenem ducerem.
Quo dolo à me dolorem procul pellerem,
Accedam. dij te ament plurimum Simo.
SI. Saluos ſis Tranio. TR. vt vales? SI. non malè.
Quid agis? TR. hominem optumum teneo. SI. amicè facis,
Cùm me laudas. TR. decet certè. SI. certè hercle. at ego te
Haud bonum teneo ſeruum. TR. quid ita verò Simo?
SI. Eia maſtigia. à meridie amiſti: ſerò.
SI. Quid nunc? quàm mox? TR. quid eſt? SI. quod ſolet fieri.

TR. Dic igitur quod ſolet fieri,quid id eſt?
SI. Quid facitis vos?ſed vt verum Tranio loquar,
Sic decet,vt homines ſunt,ita morem geras.
Vita quàm ſit breuis,ſimul cogita.
TR. Quid?ehem vix tandem
Percepi ſuper his rebus noſtris te loqui.
SI. Muſicè hercle agitis ætatem,ita vt vos decet.
Vino & victu,piſcatu probo,electili,
Vitam colitis. TR. immò ita ea quidem antehàc erat.
Nunc nobis omnia hæc exciderunt Simo.
SI. Qui dum? TR. ita oppidò occidimus omnes Simo.
SI. Non taces?proſperè vobis cuncta vſque adhuc. B
Proceſſerunt? TR. ita,vt dicis,facta haud nego.
Nos profectò probè vt voluimus viximus.
Sed Simo,ita nunc ventus nauem noſtram ſubitò
Deſeruit. SI. quid eſt?quomodo,peſſime,potuit?
Quæ'ne ſubducta erat tutò in terra antehac?
TR. Hei. SI. quid eſt? TR. me miſerum, óccidi. SI. qui?
TR. quia.
Venit nauis,noſtræ naui quæ frangat ratem.
SI. Velim vt velles Tranio.ſed quid eſt negotij?
TR. Eloquar,herus peregrè venit. SI. nunc tibi
Chorda tenditur:inde in ferri cernuum, C
Poſtea in crucem rectà. TR. nunc te ego per genua
Obſecro,ne indicium hero facias meo. SI. è me,
Nequid metuas,nihil ſciet. TR. patrone ſalue.
SI. Nihil moror mihi iſtiuſmodi clienteis.
TR. Nunc hoc quod ad te veſter me miſit ſenex.
SI. Hoc mihi reſponde primùm,quod ego te rogo,
An de iſtis rebus veſter quid ſenſit ſenex?
TR. Nihil quicquam. SI. nunquid increpauit filium?
TR. Tam liquidus eſt,quàm liquida eſſe tempeſtas ſolet.
Nunc te hoc orare iuſſit opere maximo,
Vt ſibi liceret inſpicere has ædis tuas. D
SI. Non ſunt venales. TR. ſcio equidem iſtuc,ſed ſenex
Gynæcéum ædificare volt hic in ſuis,
Et balneas & ambulacrum & porticum.
SI. Quid ille conſomniauit? TR. ego dicam tibi:
Dare volt vxorem filio quantum poteſt,
Ad eam rem facere volt gynæcéum nouum.
Nam ſibi laudaſſe haſce ait architectonem
Neſcio quem,eſſe ædificatas has ſanè bene,
Nunc hinc exemplum capere vult,niſi tu neuis.
Nam ille eò magnopere ex te ſibi exemplum petit,

Quia



A Quia hic audiuit eſſe æſtatem perbonam,
Sub dio coli haſce ædeis ſolere perpetuum diem.
SI. Immò ædepol verò,cùm vſquequaque eſt vmbra,tamen
Sol ſemper hic eſt,vſque à mani ad veſperum.
Quaſi flagitator aſtans vſque ad oſtium.
Nec mihi vmbra vſquam eſt,niſi ſi in puteò quæpiam eſt,
TR. Quid?Sarſinatis ecqua'ſt,ſi vmbram non habes?
SI. Moleſtus ne ſis,hæc ſunt,ſicut prædico.
TR. Attamen inſpicere volt. SI. inſpiciat,ſi lubet.
Si quid erit quod illi placeat,de exemplo meo
Ipſe ædificato. TR. Eón' voco huc hominem? SI. vocá.
B TR. Alexandrum magnum,atque Agathoclem aiunt maximas
Duo res geſſiſſe.quid mihi fiet tertio?
Qui ſolus facio facinora immortalia.
Vehit hic clitellas,vehit hic autem alter ſenex.
Nouitium mihi quæſtum inſtitui non malum.
Nam muliones mulos clitellarios
Habent,ego homines habeo clitellarios.
Magni ſunt oneris:quicquid imponas,vehunt.
Nunc hunc haud ſcio an colloquar:congrediar.
Heus Theuropides. TH. quis nominat me?
TR. Hero ſeruus multum ſuo fidelis.
C Quò me miſeras,affero omne impetratum.
TH. Quid illic obſecro tam diu reſtitiſti?
TR. Seni nòn otium erat:id ſum opperitus.
TH. Antiquum hoc obtines tuum,tardus vt ſis.
TR. Heus tu,ſi voles verbum hoc cogitare,
Simul flare,ſorberéque haud facilè
Eſt:ego hic eſſe,& illic ſimul,haud potui.
TH. Quid nunc? TR. viſe,ſpecta tuo arbitratu.
TH. Age duc me. TR. num moror? TH. ſubſequar.
Senex ipſe te ante oſtium eccum opperitur,
D Sed mæſtus eſt ſeſe haſce vendidiſſe.
TH. Quid tandem? TR. orat vt ſuadeam Philolacheti,
Vt iſtas remittat ſibi. TH. haud opinor.
Sibi quiſque ruri metit.ſi malè emtæ
Eſſent,nobis has haud redhibere liceret.
Lucri quicquid eſt,id domum trahere oportet.
Miſericordias iam habere haud hominem oportet,
TR. Morare hercle,cùm verba facis,ſubſequere.
TH. Do tibi ego operam. TR. ſenex illic eſt. hem adduxi tibi hominem.
SI. Saluum te aduenisſe peregrè gaudeo Theuropides.
TH. Dij te ament. SI. inſpicere hic ædeis te has velle aiebat mihi.

TH. Niſi tibi incommodum eſt. SI. Immò commodum, i intrò at- A
que inſpice.
TH. At enim mulieres. SI. caue, tu vllam flocci facias mulierem,
Qualibet perambula ædeis oppido, tanquam tuas.
TH. Tanquam? TR. ah caue tu illi obiectes nunc in ægritudine,
Te has emiſſe. non tu vides hunc, vultu vt triſti eſt ſenex?
TH. Video. TR. ergo irridere, neu videare, geſtire admodum,
Noli facere mentionem te has emiſſe. TH. intelligo.
Et bene monitum duco, atque te exiſtimo humano ingenio.
Quid nunc? SI. quin tu is intrò, atque otioſè perſpectas, vt
lubet.
TH. Bene benignéque arbitror te facere. SI. factum ædepol volo. B
Vin' qui perducèt. TH. apage iſtum perductorem. non placet.
SI. Quid? quid eſt? TH. errabo potius, quàm perducèt quiſpiam.
TR. Viden' veſtibulum ante ædeis, hoc & ambulacrum, quoiuſmodi?
TH. Luculentum, ædepol profectò. TR. age ſpecta, poſtes cu-
iuſmodi:
Qua ſint firmitate facti, & quanta craſſitudine.
TH. Non videor vidiſſe poſteis pulcriores pol mihi.
SI. Eo pretio emti fuerant olim. TR. audin' fuerant dicere?
Vix videtur continere lacrymas. TH. quanti hos emeras?
SI. Treis minas pro iſtis duobus, præter vecturam, dedi.
TH. Hercle quin multum improbiores ſunt, quàm à primo credidi. C
TR. Quapropter? TH. quia ædepol ambo ab infimo tarmes ſecat.
TR. Intempeſtiuos exciſos credo. id eis vitium nocet.
Atque etiam nunc ſatis boni ſunt, ſi ſint inducti pice:
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? TH. video. TR. ſpecta quàm
arctè dormiunt.
TH. Dormiunt? TR. illud quidem, vt conniuent, volui dicere.
TH. Satin' habes? vt quicque magis contemplor, tanto magis placet.
TR. Viden' pictum, vbi ludificatur cornix vna, volturios duo?
Cornix aſtat, ea volturios duo viciſſim vellicat. D
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem vt conſpicere poſſies.
Iam vides? TH. profectò nullam equidem illic cornicem
intuor.
TR. At tu iſtò ad nos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conſpicari, ſi volturios fortè poſſis contui.
TH. Omnino, vt te abſoluam, nullam pictam conſpicio hic auem.
TR. Age iam mitto, ignoſco, ætate non quis obtuerier.
TH. Hæc, quæ poſſum, ea mihi profectò cuncta vehementer placent.
SI. Latius demum eſt operæ pretium iuiſſe. TH. rectè ædepol
mones.
SI. Ehò iſtum puer circumduce haſce ædis, & conclauia.

Nam



A Nam egomet ductarem. niſi mihi eſſet ad forum negotium.
TH. Apage iſtum à me perductorem. nihil moror ductarier.
SI. Quid? quid eſt? TH. errabo potius, quàm perducèt quiſpiam.
SI. Ædis dico. TH. ergo intrò eo ſine perductore. SI. i, licet.
TH. Ibo intrò igitur. TR. mane ſis, videam, ne canis. TH. age-
dum vide.
TR. Eſt. TH. vbi canis eſt? TR. abi directa, abin' hinc in malam
crucem.
At etiam reſtas? abi iſtinc. SI. nihil pericli eſt, age.
Tam placida eſt, quàm eſt aqua. viſe. ire intrò audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. TH. feciſti commodè, bene ambula.
B Tranio age canem hinc, à foribus abducas face.
Et ſi non metuenda eſt. TR. quin tu illam aſpice, vt placidè
accubat?
Niſi moleſtum vis videri te, atque ignauum. TH. iam vt
lubet.
Sequere hàc igitur. TR. equidem haud vſquam à pedibus ab-
ſcedam tuis.

MELIVS ANNO HOC MIHI N. F. D.] melius hoc anno acceptus non fui domi. vel ſic, melius hoc anno non fui curatus domi. vel ſic, melius hoc anno non vixi domi. Horat. ſat. 3. lib. 2. *bene erat non piſcibus vrbe petitis, ſed pullo, atque hædo*, &c. Ad quem locum de hoc genere loquendi plura. Idem Plautus in Menæchm. *ſi ſapiam, hinc abeam, vbi mihi bene ſit*. NEC
C QVANDO ESCA VNA BENE M. M.] nec fuit quando vna eſca magis bene meruerit, ſubintellig. de me. hoc eſt, nec vnquam vna eſca mihi magis profuit, quàm hodie. *fuit quando*, Græcorum more dictum eſt, pro, *aliquando*, ſic enim illi ἔστιν ὅτε, pro ἐνίοτε dicunt. præterea *bene de me meruit*. tranſlatè dictum, pro *mihi profuit*. NON MIHI FORE VISVM ILLICO F. &c.] hunc verſum, cum duobus qui deinceps ſequuntur, nonnulli deleuerant, fortaſſe quia videntur ſententiam continere aliquanto obſcœniorem. Eos tamen Camerarius in ſuis libris veteribus repertos retinuit, quod & nos fecimus: ſed pro, *forte*, edidimus, *fore*: quod perſpicuè rectum eſt. *fortè* autem deprauatum. ſententia enim hæc eſt. Viſum mihi illico fuit, cùm me iubebat vxor ire dormitum, non fore mihi meliùs, quàm fuit, quum ſolum prandium dedit. Licet & ſic explicare, iubet me pranſum vxor ire dormitum, ſed non placet: & venit mihi ſtatim in mentem, ſomnum à prandio, ſeu de prandio, non plus mihi profuturum, neque mihi iucundiorem futurum, quàm mihi profuit, & iucundum fuit ſolum prandium. ME EDIDI FORAS] me eduxi foras. prodij foras. TOTA TVRGET MIHI, &c.] tota mihi nunc irata eſt vxor domi, ſcio. NAM ET CENANDVM ET CVBANDVM'ST INT. M.] cenandum & cubandum eſt intus huic ſeni malè, quia ſcilicet, irata vxor, cenam non parabit, & totam noctem
D rixabitur & litigabit cum viro. QVO MAGIS COGITO, &c.] Simeo Boſius legendũ cẽſet, *quo magis, magiſque cogito*, &c. SI QVIS DOTATAM VXOREM D. S. H.] vxor dotata ferox, ſuperba & imperioſa eſt, & regere virum poſtulat. Itaque nemo in ea domo, in qua mulier dotata habitat, dormire poteſt, aut dormiturit. NEMINEM SOLLICITAT SOPOR:] neminem vrget ſomnus. nemo ſomno vrgetur: nemo dormiturit: omnes domi vigilant, velint, nolint. In dotatas vxores, ſiquis dicere velit, difertus eſſe poſſit. ſuprà in Aulular. *Nulla ergo dicat, equidẽ dotem ad te attuli Maiorem multo, quàm tibi erat pecunia*, &c. Idem in Aſinaria. *Argẽtum accepi: dote imperium vendidi*. ad quem locum hac de re plura. Simeo Boſius hunc verſum ſic explet, coniectura an ex libri alicuius auctoritate, neſcio. *at ſapor*. vt totus ſic legatur. *Neminem ſollicitat ſopor, at ſapor*. ſententia autem plana eſt. hoc enim ſignificat, qua in domo eſt dotata vxor, in ea neminem ſomnum capere poſſe, omneis eſurire. NVNC VERÒ MIHI EXSEQVI CERTA RES EST HOC, &c.] hoc eſt, nunc verò deliberatum & certum eſt mihi hoc perficere, & perſequi, vt hinc abeam in forum potiùs quàm, &c. ATQ. POL NESCIO, VT MORIBVS S. V.] & verò haud ſcio qualibus moribus ſint vxores veſtræ. vt moribus ſient, pro quibus, ſeu qualibus moribus ſient, notauimus ſuprà hoc loquendi genus. hæc autem loquitur Simo, converſa ad ſpectatores oratione. ME HABEAT MALÈ.] me cruciet. PEIUSQVE POSTHAC FORE, Q. F. M.] & ſcio etiam peius mihi poſthac fore, quàm anteà fuerit, multa & grauia

mala mihi antea dedit vxor:ſed grauiora & plura poſthac eam daturam ſcio. SI ABITVS A
TVVS TIBI SENEX F. M.&c.]hæc quoque loquitur Tranio auerſa à Simone oratione,
ne exaudire poſſit,& voce ad ſpectatores effuſa.NIHIL ERIT QVÒD DEORVM VLL.
&c.]quia tua voluntate domo abis,non modò ab vxore non eiectus, ſed ab eo in cubiculum
vocatus,ac blandè inuitatus. TE IPSE IVRE OPTIMO MER. INC. L.] licet te ipſe
meritò accuſes,quia tua culpa malum tibi contraxeris,& vt Plautus ipſe loquitur,*quia tuo iumen-
to tibi malum arceſſieris.* HOC HABET.]ſignificat ſe reperiſſe fallaciam, qua Theuropidem ſe-
nem ductet:tralatio autem eſt à re militari,aut à gladiatoribus. hoc habet ſenex Theuropides,
inquit Tranio, id eſt, hoc telo à me ſauciatus eſt.hac tragula à me percuſſus eſt. ſic Terent. in
Andria.*Egomet continuò mecum:certè captus eſt.Habet.habet*,inquit,Donatus, *id eſt, vulneratus eſt. habet
enim,qui percuſſus eſt: & propriè de gladiatoribus dicitur,quia prius alij vident, quàm ipſi ſentiant ſe percuſſos.*
Ibidē *habet.hoc dicitur de eo,qui lætaliter vulneratus eſt.* Virgil.lib.12.Æneid.*Hoc habet,hæc melior magnis
data victima diuis.* REPPERI, QVI SENEM DVCEREM.] ἑρμηνεία, quà interpretatur,
quod dixerat obſcuriùs.reperi,inquit,quo ſenem Theuropidem ducerem,ſeu inducerē. QVO
DOLO À ME DOLOREM,&c.]reperi,inquam,dolum,quo dolo dolorem à me pellerem.
*dolo dolorem* παρήχησις,ſeu παρονομασία. SALVOS SIS, TRA.]ſaluus ſis,Tranio. HOMI-
NEM OPTIMVM TEN.] hic Simnis manum prehendit Tranio. *hominem optimum* autem, B
pro,virum optimum,Plauto vſitatum.ſuprà in Capt.*Me hîc valere, & ſeruitutem ſeruire huic homini
optimo.* HAVD BONVM TENEO SERVVM.]hoc eò dicit Simo,quòd Tranio Philola-
chem corrumpi ſinat. EIA MASTIGIA. À MERIDIE AMISTI: SERÒ.]ſcripturam
noſtrorum veterum codicum repræſentauimus: quam alij corruperunt, alij neglexerunt, ac
prætermiſerunt.quorum neutrum probare potuimus.ſententiam autē horum verborum hanc
eſſe puto.Eia maſtigia.eia verbero,ſeu homo flagris & verberibus digne.ſcorta domo dimiſiſti
poſt meridiem,& ſub veſperum.proinde ac ſi dicat,peruerſè & inſcitè, eo enim tempore dimi-
ſiſti,quo tempore maximè retinere debuiſti.Nam tales merces poſt meridiem maximè, & ſub
veſperum,& verè noctu ſunt vſui.vel *ſerò amiſti*,quia debuiſti citiùs amittere,ante meridiem ſci-
licet,vel debuiſti iampridem amittere, non hodierno demum die. Putabat autem Simo ſcorta
eſſe dimiſſa,quod fores erant interdiu obſeratæ.*eia* autem,hîc interiectio eſt.εἰρονευομένως inter-
dum hortantis, interdum blandientis, interdum corrigentis, & placantis. vt apud Terent. *Eia
haud ſic decet.* vbi Donatus.*amiſti* autē pro,amiſiſti,poſitum. QVID NVNC? QVÀM MOX?]
quid nunc agitis? quàm mox ſcorta domum reuocabitis? vel quàm mox veſtros riſus, & iocos
veſtra conuiuia,veſtras compotationes,& amationes repetetis? QVID EST?] quid tibi vis?
quorſum iſta? quæ ſunt iſta quæ quæris? QVOD SOLET FIERI.] quæro id quod ſolet C
fieri,quod nunc intermiſiſtis,quàm mox repetituri ſitis. DIC IGITVR, QVOD SOLET
FIERI Q. ID EST?]vel non intelligit Tranio,quid dicat ſenex, vel ſe intelligere diſſimu-
lat. SED VT VERVM TRANIO LOQ. SIC D.]cùm videretur Simo,aut cùm eſſet
Tranionem moniturus,atque adeò obiurgaturus, quòd talem vitam colerent,ipſe, & Philola-
ches:reprimit ſe,& eorum conſilium,factúmque diſſimulanter laudat,quod hilariter,& molli-
ter,& iucundè viuant,primùm quando Philolacheti ſit mos gerēdus: deinde quando hæc vita
ſit breuis. VT HOMINES SVNT, ITA MOREM GERAS.]quales homines ſunt,qui-
bus ſeruimus,ſeu quorum ſub poteſtate ſumus, tales eſſe debemus, & ita eis morem gerere de-
bemus.hoc igitur ſignificat Simo. Philolaches adoleſcens eſt corruptus,libidinoſus, intempe-
rans & voluptarius. ſapienter igitur facis Tranio,qui ei morem geras, neque aduerſeris. Nam
quid ſtultius,quàm contra ſtimulū calces? VITA QVÀM SIT BREVIS, SIMVL COG.]
ſimul,Tranio,inquit Simo,cogita quàm ſit breuis hæc vita. itaque dum licet, & ſororum dum
fila trium patiuntur atra, vt ait Horat.edendum,bibēdum,ludendum, Nam hoc erit haud per-
longinquū.breuis eſt hic fructus homillis, inquit Lucret.*Iam fuerit,neque pòſt vnquam reuocare lice-* D
*bit.* hęc eſt Simonis ſententia,diſſimulāter,& vrbanè vitam Philolachetis,& Tranionis mollem
ac diſſolutam approbantis,& commodè loquentis potiùs, quàm vtiliter aduerſantis. Tale eſt
illud Horat.ſat.2.lib.2.*Viue memor, quàm ſis vitæ breuis.* VIX TANDEM PERC. SVPER
HIS. R. N. T. L.]vix tandem intellexi te de his noſtris compotationibus,& conuiuiis & ama-
tionibus loqui. MVSICÈ HERCLE AGITIS AETATEM, &c.] concinnè & lepidè
mehercule,ætatem agitis.tralatio eſt.licet etiam muſicè accipere propriè,vt referatur ad fidici-
nas,& tibicinas,quæ fidibus,& tibiis apud Philolachetem canebant. Sed mâlo tranſlatè accipi,
quamquam ſi quis illo modo malet,non ſum pugnaturus. PISCATV PROBO ELECTI-
LI]piſcibus probis & electis,hoc eſt,caris & ſumtuoſis.Piſcis, obſonium veteribus opiparum,
carum & pretioſum. EXCIDERVNT.] amiſſa ſunt:effluxerunt. ITA VT DICIS FA-
CTA HAVD N.] non nego ita eſſe factum,vt dicis. SED SIMO, ITA NVNC VEN-
TVS NAVEM NOSTRAM,&c.]antea ſecundo vento nauis noſtra ferebatur, & paſſis ve-
lis nauigabamus.nunc ita vētus nauem noſtram ſubitò deſeruit,id eſt,nunc ita fortuna vultum
mutauit,& nobis fauere deſiit,ita nunc fortunati eſſe deſiimus,ſubintelligendum,vt vides, vel
aliquid aliud tale.Allegoria eſt à nauigatione,quæ tantiſper dum ventus à puppi nauem impel-
lit,ſecunda & proſpera eſt: vbi reflauit,aut deſeruit,non item. QVOMODO, PESSIMÈ P.?]
quomodo,



A quomodo,improbiſſime Tranio potuit ventus nauem veſtram deſerere? QVÆ'NE SVB-
DVCTA ERAT TVTO IN T. ANT.?] eámne nauem ventus deſerere potuit,quæ iam
antea tuto in terra ſubducta erat? proinde ac ſi dicat, non veriſimilia dicis, neque conſentanea
loqueris.Nam eas naueis ventus deſerere poteſt, quæ in alto feruntur, & eæ naues non facilè
poſſunt in portum peruenire,niſi κατὰ δεύτερον πλοῦν,vt aiunt,remis adiuuentur.ſed eas quæ
iam in portu ſunt,aut quæ ſubductæ ſunt, ventus deſtituere non poteſt: aut ſi deſtituit, id ſine
vllo periculo,aut damno fit.ſecutus ſum libros vulgatos,Venetos,Florentinos,Pariſiēſes,Lug-
dunenſes & ceteros.Nam plerique manuſcripti habent,*Quæ nec.* quam ſcripturam vt probarem,
inducere animum non potui.Videtur enim mihi quidē & inepta, & inexplicabilis. Hæc autem
vulgata,& recepta, commodiſſima, & planiſſima. *Quæ'ne ſubducta erat,* &c.id eſt, eámne nauem
dicis à vento deſertam eſſe, quæ iam antehac in terra tuto ſubducta erat? non eſt veriſimile.ſub-
duci nauis dicitur,cùm ex alto in portum, & in terram appellitur, atque admouetur: Contrà
deduci,cùm ex portu in altum prouehitur,& promouetur. Virgil.lib.1.Æneid. *Quaſſatam ventis
liceat ſubducere claſſem.* Idem ibid.*Vrbem quam ſtatuo,veſtra eſt,ſubducite naueis.* Idem lib.3. *Iámque ferè
ſicco ſubductæ litore puppes.* &c. deductarum nauiū exempla ſunt apud eumdem,lib. proximè com-
memorato. *Deducunt ſocij naueis, & litora complent,Prouehimur portu,terræq; vrbéſque recedunt.* Et lib. 4.
B *Tum verò Teucri incumbunt, & litore celſas,Deducunt toto naueis:natat vncta carina.* VENIT NAVIS,
NOSTRÆ N. Q. FR. R.] allegoria alia eſt à nauigatione. ſignificat autem veniſſe herum
Theuropidem,qui priorem vitæ curſum interrupit, & conturbauit. VELIM VT VELLES
TR.]velim tibi res procedere ex animi tui ſententia: velim, quæ tu optares. NVNC TIBI
CHORDA TENDITVR]id eſt,nunc tibi periculum intenditur, nunc tibi arcus intenditur.
tranſlatio à ſagittariis,aut aliis iaculatoribus,qui telum miſſuri,chordā intendunt. ab iis autem
diſſentio,qui volunt eſſe tranſlatum,aut tractum à venatoribus,aut ab aucupibus,qui feris,aut
auibus plagas,& retia,& laqueos tendunt, vt apud Terent. Phorm. *quia non rete accipitri tenditur,
neque miluio.* tendimus enim feris,& auibus retia, vt eas capiamus: intendimus arcum inimicis,
aut hoſtibus,vt eos interimamus.Significat autem Simo non fallaciam in Tranionem ſtrui: aut
parari: ſed periculum Tranioni imminere.Verumtamen iudicent eruditi. INDE IN FERRI
CERNVVM:]id eſt,indè rectà ibis in compedes ferreas: inde in compedes ferreas coniicieris.
*cernuus*,inquit Feſtus,*calceamenti genus*.Sic autem reſtituendum eſſe conieci ex antiquæ ſcripturæ
veſtigiis,*ferriternuum* ſignificatur enim idem,quod ſuprà eadem fab.princip. *Augebis ruri numero
genus ferratile.* Neque autem neſcius ſum,cernuum eſſe potiùs nomen adiectiuum, & ſignificare
C cum,qui pronus eſt,aut qui in faciem cadit. vt apud Lucilium. *Cernuus extemplo plantas conuertit ho-
neſtas.* Et apud Virgil.lib.10.Æneid.*Eiectóque incumbit cernuus armo.* Nam non continuò,ſi cernuus,
a,um,pronum ſignificat,neceſſariò efficitur,cernuum ſubſtantiuum,non fuiſſe vſurpatum à ve-
teribus pro calceo,vt teſtantur Feſtus & Iſiodorus. Monet me tamen, ne quid diſſimulem,Lu-
cilij verſus,*cernuus extemplo plantas*,&c. qui vt ſuſpicatur vir doctiſſimus Ioſeph. Scaliger potuit
induxiſſe Feſtum & Iſiodorum,cùm perſpicuè apud Lucilium,cernuus ſignificet pronus,& de-
miſſo capite. POSTEA IN CRVCEM RECTÀ.] poſtea in crucem rectà agêris. Climax.
NVNC TE EGO PER GENVA,&c.]ſupplices,eorum quibus ſupplicabant,genua tan-
gere,& per res cariſſimas,vt per liberos,per oculos, per genua, per fortunas, &c. orare conſue-
uiſſe conſtat,& nos alibi notauimus. NE INDICIVM HERO. F. M.]ne indices hero meo
maiori. PATRONE SALVE.]ſic eos quorum patrocinio vſuri erant, ſalutabant. ſic & qui
manumiſſi erant,eos à quibus fuerant manumiſſi. NIHIL MOROR MIHI ISTIVS MO-
DI CLIENTEIS.]id eſt,valeant tales clienteis,vel nolo mihi taleis clienteis. NVNC HOC,
QVOD AD TE, &c.]nunc hoc te ſcire volo,vel nunc hoc audi, propter quod me miſit ad te
ſenex Theuropides,meus herus. Oratio autem imperfecta eſt,quòd Tranionem Simo interpel-
D lauit,neque quod cœperat,abſoluere paſſus eſt. AN DE ISTIS REBVS VEST. Q. S.
S.] an aliquid de iſtis rebus veſter cognouit ſenex? ſic autem legendum,non vt vulgò,*iam de iſtis
rebus*,&c.licet etiam legere.*Num de iſtis rebus*,&c. TAM LIQVIDVS EST,&c.]tam lenis,&
tranquillus eſt,quàm tempeſtas liquida,liquida eſſe ſolet.Liquidum turbido, & turbato oppo-
nitur.Irati autem turbidi,& turbati ſunt,ſuprà *liquidò exeo foras Auſpicio.* Virgil.Æneid. 7.*Stridore
ingenti liquidum trans æthera vectæ.* NON SVNT VENALES.] ædeis venaleis licebat olim,vt
& hodie,cuiuis emere ſe velle dicenti,inſpicere. GYNÆCÉVM.]locum,ſeu partem domus,in
qua mulieres ſeorſum à viris habitant,vox Græca eſt.Terent.in Phormione. *Vbi in Gynæcēum ire
occipio,puer ad me accurrit Mida.* Idem valet & γυναικωνῖτις,qua voce vtitur Æmilius Probus, ſeu
Cornelius Nepos in proœmio.ad quem locum nos de hac voce plura in commentariis noſtris.
AMBVLACRVM,]ambulationē appellant M.Tull.& Vitruuius. Locus eſt mediocriter lon-
gus,& proportione latus,ſiue hypæthrus,ſiue tectus ad ambulandum comparatus. QVID IL-
LE CONSOMNIAVIT?]id eſt,quid ille tam ſtultè cogitauit? τί ἐκεῖνος ὠνειροπόλησε, vnde
hoc ei tam ſtultè venit in mentem? hunc locum ita edidit Camerarius, & ego cum ita ſcriptum
reperi,non ſolùm in noſtris libris manuſcriptis, verùm etiam in omnibus vulgatis. & tamen
Adrianus Turneb.Aduerſa.lib.16.cap.10.ſcribit his verbis,*Quid ille conſomniauit?* haud paulò ma-
lim,quàm,*Quid ille conſummauit.* vt ſit, quid ille cogitauit? quid ſomniauit? Ex quibus verbis ap-

A paret, eum in aliquibus libris ſcriptum, aut impreſſum reperiſſe *conſummauit*. quod ego nuſquam reperi. Ita vir ille doctiſſimus, mortem propinquam præſentiens, libros Aduerſariorum abortiuit veriùs, quàm peperit: & complureis veterum ſcriptorum locos ſe emendare putauit, qui neque eius, neque cuiuſquam emendatione egebant, vel quòd ab aliis iampridem fuerant emendati, vel quòd in fidelioribus, & recentioribus editionibus, quas non viderat, & quibus vſus non erat, à typographis ipſis eſſent reſtituti. QVANTVM POTEST.] quàm citiſſimè fieri poteſt, quàm primùm, legendum fortaſſis eſt, *quantum pote'ſt*. ARCHITECTONEM.] architectum. ſuprà in prologo Amphitrionis. *queis benefactis meus pater, Deûm regnator, architecton omnibus*. Idem in Pœnulo. *Me quoque dolis iam ſuperat Architectonem*. Varro apud Nonium. *Harum ædium ſumma atria confutabant Architectones*. NISI TV NEVIS.] niſi tu non vis. EX TE] ex tuis ædibus. NVNC HINC EXEMPLVM CAPERE VOLT.] ſuprà eadem fabula, *ſibi quiſque inde exemplum expetunt*. PERBONAM.] peramœnam, & valde temperatam. SVB DIO COLI HASCE ÆDEIS, &c.] audiuit has ædeis totum diem coli ſine tecto, ita ſunt à ſolis calore tutæ, & ita vſquequaque in eis vmbra eſt, ita ſoli non ſunt expoſitæ. Audiuit has ædeis totum diem apertas coli, neque tamen habitatoribus ſolem in eis eſſe moleſtum. IMMÒ ÆDEPOL VERO, &c.] negat Simo eſſe verum, quod dicit Theuropidem Tranio de his ædibus audiuiſſe, eas in æſtate ſo-

B li non patêre. immò contrarium eſſe verum, ſolem à tempore matutino, vſque ad veſpertinum, quaſi creditorem moleſtum ad oſtium adſtare. CÙM VSQVEQVAQVE EST VMBRA.] cùm in omnibus locis eſt vmbra. VSQVE À MANE AD VESPER.] vſque à tempore matutino, ad veſpertinum. QVASI FLAGITATOR.] quaſi creditor moleſtus, qui nunquam diſcedit ab oſtio pecuniam creditam repetens. NEC MIHI VMBRA VSQVAM EST, &c.] ambigua vox *vmbra*, vnde ioci ex ambiguo occaſionem arripuit. quem iocum mox explicabimus. NISI SI IN PVTEO, &c.] correctio per ironiam. QVID? SARCINATIS ECQVA'ST, SI VMBRA, &c.] iocus ex ambigua voce, *vmbra*. Nam vmbra duo ſignificat, & aërem lumine caſſum, vt ait Lucretius libro quarto, & mulierem ex Vmbria, ſeu in Vmbria natam. Quoniam igitur Simo negarat ſibi vlla in parte domus vmbram eſſe, niſi fortè in puteo: per vmbram, aërem intelligens lumine vacuum: Tranio hoc vocabulum in alteram ſignificationem & ſententiam accipiens, quaſi negaſſet Simo, ſibi vllam domi mulierem in Vmbria natam eſſe: quærit ex eo, ſi vmbram non habet, num aliquam mulierem Sarſinatem habeat. Sarcinates autem in Vmbria collocat Plinius libro 3. cap. 14. DE EXEMPLO MEO.] ex ædibus meis, quæ ſint ei exemplo. EÓN' VOCO HVC HO-

C MINEM?] Eóne, id eſt, ob ídne, vt, inſpiciat ſcilicet, voco huc herum meum Theuropidem? alij ſic. Eón'? voco huc hominem? eóne, id eſt, redeóne ad herum meum? voco huc hominem. ATQVE AGATHOCLEM.] Agathocles Rex Siciliæ. de quo Diodorus Siculus. libro 20. ex humili fortuna, & obſcuro loco, quippe figuli filius, ad regni faſtigium euectus, res magnas, & memorabileis geſſit, & in Sicilia, & in Aphrica, multáſque victorias conſecutus eſt. non negabat autem ſe figulum fuiſſe: quin gloriabatur, cùm diceret ſe ab infimo, & contemtiſſimo loco ad ſummum perueniſſe, & cùm vrbem quandam non obſcuram quondam circumſederet, eiúſque vrbis ciues è muris clamarent, figule, figule, quando militibus ſtipendium perſolues? reſpondit, cùm hanc cepero. hæc Diodorus libro illo x. & complura alia de Agathocle, ſiquis plura ſcire volet. DVO.] duos. FACINORA IMMORTALIA] facta immortali laude digna: facinora perpetuò memoranda, ac prædicanda. VEHIT HIC CLITELLAS: &c.] hic Simo vehit clitellas, tamquam mulus, cui clitellæ imponi ſolent. ſed cur non dixit *gerit*? potuit dicere: nec tamen hoc non potuit. mulus enim, equus, camelus, bos, vehicula ſunt: quare vt vehicula, vehunt: vt iumenta autem, quibus onera imponuntur, gerunt. huc fortaſſe referendum illud eſt, quod & ſuprà, *hinc ſpeculabor procul, Vnde aduenienti ſarcinam imponam ſeni*. ALTER.]

D ſenex Theuropides. EGO HOMINES HABEO CLITELLARIOS.] his Plautinis clitellariis hominibus non admodum diſſimiles erant muli Mariani, id eſt, milites à Mario inſtituti, qui in caſtris furca humeris impoſita, & tabula interpoſita, onera gerebãt: de quibus Plutarch. in Mario. MAGNI SVNT ONERIS.] id eſt, magno oneri ferendo ſunt idonei. NVNC HVNC HAVD SCIO, AN COLLOQVAR:] id eſt, nũc cum hoc me collocuturum puto. verbum *colloquor* cum accuſandi caſu iunxit. *haud ſcio* autem apud bonos ſcriptores ait, ſeu ponit. vt hîc, & item apud M. Tullium exempli cauſa. In Lælio. *Qua quidem* (amicitia) *haud ſcio, an, excepta ſapientia, nihil melius ſit homini à diis immortalibus datum*, id eſt, nihil puto melius à diis immortalibus amicitia eſſe homini datum. Idem libro 3. de Natura Deorum. ſic. *haud ſcio, an melius fuerit humano generi motum iſtum celerem cogitationis, acumen, ſollertiam, quam rationem vocamus, quoniam*, &c. *non dari omnino, quàm tam munificè, & tam largè dari*. ID SVM OPPERITVS.] id exſpectaui. ANTIQVVM HOC OBTINES TVVM, &c.] antiquum tuum morem retines, vt ſis longus, ac tardus. Terent. Adria. *pol Crito antiquum obtines*. SIMVL FLARE SORBERÉQVE, &c.] prouerbium, quod habet locum in rebus, quæ ſimul ab eodem, eodem tempore fieri nõ poſſunt. qui flat enim, ſpiritum ex ore emittit. qui ſorbet, attrahit. SED MOESTVS EST, &c.] ſed triſtis eſt, quod has ædeis vendiderit. REMITTAT SIBI.]

ſibi



A ſibi condonet, venditione diſſoluta, ac reſciſſa. SIBI QVISQVE RVRI METIT] prouerbium eſt ruſticum, & à re ruſtica natum, quo ſignificatur, ſibi quemque conſulere: ſuis quemque rationibus ſtudere, atque operam dare. Tale eſt illud quod refert Theocrit. Scholiaſtes, & Simeo Boſius notarat, Δρυὸς παρέσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται, id eſt, præſente quercu quilibet lignum capit. SI MALÈ EMTÆ ESSENT, &c.] ſi nimis carè emtæ eſſent, nobis has remittere, aut reddere non liceret. REDHIBERE.] eſtxat titulus in pandectis iuris ciuilis, de ædilitio ædicto, & redhibitione, &c. vbi Iuriſconſultus Vlpianus libro I. ad Ædictum ædil. Curul. docet, redhibere, eſſe facere, vt rurſus habeat venditor, quod habuerat: & quia id reddendo fiebat, idcircò redhibitio eſt appellata, quaſi redhabitio. al. quaſi redditio. Feſtus, Redhibitum id propriè dicitur, inquit, quod improbatum, & redditum eſt ei, qui dedit, idémque rurſus coactus eſt habere, quod antè habuit. MISERICORD. IAM HABERE HAVD HO. OPT.] non iam oportet hominem alterius miſereri, ſed ſibi potiùs conſulere. SENEX ILLIC EST.] ſenex ille eſt, vel ſenex in illo loco eſt, ſed ſuperiore modo explicari magis placet. ſenex autẽ, Simo ſcilicet. Nam Tranio vſque ad hunc locũ cum Theuropide loquitur, deinceps autem cum Simone, ibi adduxi tibi hominem, nempe Theuropidem. MORARE HERCLE, &c.] moraris hercle, cùm loqueris. *Morare* poſuit abſolutè. AT ENIM MVLIERES.]

B ecclipſis, ſeu ellipſis. ſubintelligendum enim aliquid eſt, vt ſit integra, & plena oratio. At enim mulieres domi ſunt, quæ moleſtè ferẽt præſentiam meã. vel, at enim mulieres ægrè ferent. vel, at enim meo aditu prohibebunt. CAVE TV VLLAM FLOCCI FACIAS MVLIEREM] noli vllam mulierem vel flocci facere, ne flocci quidem vllam mulierẽ facito. hyperbole eſt. QVALIBET PERAMBVLA ÆDEIS, &c.] per quamlibet partẽ ædeis perluſtra, & peragra, & permetire. TAMQVAM.] ſenex Theuropides non probat, neque agnoſcit. neque concoquit hoc vocabulum *tamquam*, quod eſt aduerbium ſimilitudinis. Nam cùm ei perſuaſum ſit, ædeis Simonis à filio ſuo Philolachete eſſe emtas, tamquam autem ſimilitudinẽ, non veritatem ſignificet: meritò hoc *tamquam* adiectum ei ſcrupulum iniicit. OBIECTES.] obiicias. NON TV VIDES HVNC, VVLTV VT TRIST. EST, &c.] non tu vides, vt hic ſenex vultu triſti ſit? ERGO IRRIDERE, NEV VIDEARE GESTV ADM. &c.] ergo vt ne eum irridere, néue admodum lætari videare, noli facere mentionem te has ædeis emiſſe. Licet etiã ſic explicare, Ergo noli committere, vt videare eum irridere, aut vt videare admodum lætari: deinde, Noli facere. vtrocumque modo autem explices, *neu*, bis ſumendũ eſt, hoc modo, neu irridere, néue admodum geſtire videare. geſtire lætitia ſcilicet. BENE, BENIGNÉQ. &c.] bene, & libe-

C raliter te facere arbitror. POSTES CVIVSMODI] poſtes, qui ſunt in oſtio, ab vtraq. parte, ſuprà in Bacchid. *Niſi mauoltis foreis & poſteis cõminui ſecuribus*. EO PRETIO EMTI FVER. OLIM] tali, ſeu potiùs tanto pretio emti fuerant olim, vt pulcherrimi eſſe debeant. PRÆTER VECT.] præter id, quod pro vectura dedi, præter mercedẽ vecturæ. QVIN MVLTVM IMPROB. &c.] quin multò peiores ſunt, quàm ab initio credidi. malim legi *multò improbiores ſunt*, &c. & ita vſitatè loqui ſcriptores Romani ſolent. AMBO.] ambos. TARMES.] Feſtus, tármes, inquit, vermiculus carnem exedens. ſed hîc pro vermiculo accipiendum eſt, lignum exedente, quem teredinem vocant. INTEMPEST. EXCISOS CR.] intempeſtiuè exciſos credo, non idoneo tẽpore exciſos. alieno tempore. ἀωρεῖ: verbi gratia, luna plena exciſi ſunt, cùm luna decreſcente excidi debuerint. Plin. lib. 16. cap. 39. *Robur verè cæſum teredinem ſentit: bruma autem neque viatur, neque pandatur: aliàs obnoxium etiam vt torqueat ſeſe, finditque quod in ſubere tempeſtiuè quoque cæſo euenit, Infinitum refert & lunaris ratio: nec niſi à viceſima in triceſimam cædi volunt*. Cetera legito, quæ ad hanc rem pertinent, ſi tibi commodum eſt, mihi ſatis eſt locum indicaſſe. Idem lib. 18. cap. 32. *Omnia, quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentiùs decreſcente luna, quàm creſcente, Fiunt*. INDVCTI PICE.] illiti pice. obducti pice. PVLTIFAGVS.] Latinus, ſeu

D Romani. Nam Itali olim pulte victitabant: Græci contrà, polenta. & Græcis ita puls erat ignota, vt polenta Romanis. In prologo Pœnuli, *Latinè Plauti Pœnulus pultiphagonides*. BARBARVS] Romanus, ſeu Latinus. Nam Græci ceteras omneis genteis barbaras habebant, atque appellabant. Hæ autem comœdiæ, palliatæ ſunt, quamuis ſermo ſit Latinus: palliatæ enim dicuntur, ex perſonis, quæ ſunt palliatæ. VIDEN' COAGMENTA IN FORIBVS?] *coagmenta*, inquit Nonius, *dictæ ſunt coniunctiones arctæ, & compares, à cogendo, id eſt, ſtringendo, vnde coagulum dicitur. hinc coagmentare*. M. Tullius in Catone Maiore. *Viuendi eſt finis optimus, cùm integra mente, certiſque ſenſibus opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentauit, natura diſſoluit*. QVÀM ARCTÈ DORMIVNT?] dormiunt arctè coagmenta, pro aptiſſimè, & arctiſſimè inter ſe cohærent, duriùs tranſlatum, & longiùs petitum. Itaque ſtatim corrigitur. ſed dictum eſt à ſeruo: & Plautus ex tranſlatione duriore, riſum quæſiuit. ILLVD QVIDEM, VT CONNIVENT, VOLVI DICERE] volui equidem illud dicere, vt conniuent. ὡς συμμύουσι. vt arctè cohærent. tralatio eſt, ab oculis conniuentibus, Mollis iam, & verecunda. conniuere, autem dicuntur oculi, cùm palpebræ vtrinque oculos claudunt, ac tegunt. M. Tull. vſurpare ſolet hoc verbum pro diſſimulare. vt pro M. Cœlio. *prò dij immortales! Cur interdum in hominum ſceleribus maximis aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis?* Idem pro Mil.

bbb. ij

*quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certè ſperaſſet ſe poſſe rempub. in illis ſuis cogitatis furoribus eludere.* A VIDEN PICTVM, VBI LVDIF. CORN. VNA, &c.] vidéſne argumentum huiuſmodi pictum, in quo ludificatur, &c. hoc à Tranione riſus mouẽdi cauſa confingitur. Nam nuſquam in ædibus Simonis quidquam tale pictum erat. ſed ſignificat ſeruus duos ſenes Theuropidem, & Simonem, qui ſibi videntur valde callidi, ab vno ſeruulo ludificari, ſe per corniculam, duos ſenes per duos vulturios intelligi volens. VOLTVRIOS DVO?] volturios duos, & item infrà proximo verſu, *voltúrios duo viciſſim vellicat.* INTVOR.] cerno. AT TV ISTO AD VOS, &c.] at tu in iſtam partem, vbi vos eſtis, vide. *ad vos* autem legendum, non vt vulgò *ad nos.* facetè iubet Tranio ſenem in eam partem oculos flectere, vbi ambo ſunt, quaſi ibi ſint duo vulturij picti, cùm tamen alij nulli vulturij ſint præter ſenes ipſos, quos Tranio per vulturios ſignificat. Magnos autẽ hoc loco ſpectatorib. excitatos riſus eſſe credibile eſt, quippe quibus Tranionis ſenſus, ac iocus perſpectus eſſet, & cognitus: Cùm ſenibus eſſet incognitus, atque obſcurus. CONTVI] conſpicere, contueri. OMNINO] ὅλως εἰπεῖν συνελόντι εἰπεῖν vno verbo. VT TE ABSOLVAM.] vt te expediam, ne te longis ambagibus morer. LATIÙS DEMVM EST OP. PR. I.] operæ demum pretium eſt, latiùs iuiſſe, tum denique operam non inanem ſumes, ſi latiùs ibis, vt domum inſpicias. tum demum operam tuam bene collocabis, ſi latiùs ibis, vt domum perſpectes. CIRCVMDVCE HASCE ÆDEIS, &c.] duc B circum has ædeis, & continua. APAGE ISTVM À ME PERDVCTOREM] ſunt, qui vocem *perductorem* ambiguam eſſe putant, quòd interdum ſignificet eum, qui ſcortum, aut matronam impudicam ſtupri cauſa ad aliquem perducat. cuiuſmodi homines προαγωγεῖς à Græcis appellantur, id eſt, productores. Ego ambiguum puto eſſe in verbo *ductarier*, vt iam dicam: neque tamen etiam in voce *perductor*, ineſſe negauerim. NIHIL MOROR DVCTARIER] facilè ædeis inſpiciam ſine ductore. non curo, aut quæro ductari. non laboro, vt ducter. Ineſt autem ambiguum in voce *ductarier*. nam ductari ſcorta dicuntur. Itaque Simo ſuſpicans Theuropidem in eam ſententiam id verbi accepiſſe, quærit ſollicitè, *quid, quid eſt?* hoc eſt, quid me ſentire exiſtimas, cùm puerum iubeo tibi perductorem aſsiduum præſtò eſſe? aut cùm iubeo te ab eo ductari, ſeu perductari? ERRABO POTIÙS, QVÀM PERDVCTET QVISPIAM.] totus hic locus ambiguis nominibus inuolutus eſt, vt ex eo, quod, quaſi corrigens ſubiicit Simo cognoſcere licet. ÆDEIS DICO.] non eò tibi perductorem præſtò eſſe volo, vt te tamquam ſcortum ductet, aut perductet, ſed vt per ædeis, & circum ædeis ducat. MANE SIS:] mane ſi vis. VIDEAM, NE CANIS.] ellipſis. videam, ne fortè canis aliquà mordax ſit in introitu domus. Apud veteres, vt & ferè apud nos, ſolebat in veſtibulo domus iacere, aut ſtare canis cuſtos. hoc eſt, mordax, qui ſæuiret in ignotos, notis parceret. C Atque, vt ſibi cauerent, qui domum ignoti ingredi vellent, inſcriptum erat in ianua, ſeu in pariete, longis litteris CAVE CANEM. quin non ſolum viuus & verus canis accubare, ſeu adſtare ſolebat; ſed etiam ianuæ appingi, cum illa inſcriptione, quam dixi, CAVE CANEM. Varro Eumenidibus apud Nonium in voce, præbitio. *Quod eo die mea erat præbitio, in ianua* CAVE CANEM *inſcribi iubeo.* Petronius Arbiter. *Non longè ab oſtiarij cella Canis ingens, cathena vinctus, in pariete erat pictus, ſupérque quadrata littera ſcriptum* CAVE CANEM. ABI DIERECTA.] abi canis digna, quæ ſub dio erecta, cruci ſuffigaris. ſermo malè precantis. ſuprà in Caſina, principio: *Abi dierectus tuam in prouinciam.* TAM PLACIDA EST, QVÀM EST AQVA.] aqua per ſe mollis & placida eſt. mare, natura ſua, tranquillum, & æquabile, ſeu æquale eſt. hinc æquor appellatur, & aqua dicta eſt, quaſi æqua. ſed vbi venti id agitare cœperunt, tum turgeſcit triſtibus iris, vt ait ille Virgil. in Alex. *nuper me in litore vidi, Cùm placidum ventis ſtaret mare.* Idem lib. 8. Æneid. *Virideíſque ſecant placido æquore ſiluas.* Idem lib. 10. *Tum Zephyri poſuêre: premit placida æquora pontus.* AGE CANEM HINC] abige canem hinc.

D

## TRANIO ſeruus. THEVROPIDES ſenex.

QVid tibi viſum'ſt hoc mercimonij? TH. totus gaudeo.

TR. Num nimio emtæ tibi videntur? TH. nunquam ædepol me ſcio

Vidiſſe vnquam abiectas ædeis, niſi modò haſce. TR. ecquid placent?

TH. Ecquid placeant me rogas? immò verò perplacent.





A TR. Cuiuſmodi gynæcéum? quid porticum? TH. inſanùm bonam.

Non equidem vllam in publico eſſe maiorem hac exiſtimo.

TR. Quin ego ipſe & Philolaches in publico omnes porticus

Sumus commenſi. TH. quid igitur? TR. longè omnium longiſſima eſt.

TH. Dij immortales, mercimonij lepidi. ſi hercle nunc ferat

Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria,

Nunquam accipiam. TR. ſi here te accipere cupias, nunquam ſinam.

TH. Bene res noſtra collocata'ſt iſthoc mercimonio.

TR. Me ſuaſore atque impulſore id factum audacter dicito,

B Qui ſubegi fœnore argentum ab Daniſta vt ſumeret,

Quod iſti dedimus arraboni. TH. ſeruauiſti omnem ratem,

Nempe octoginta debentur huic minæ? TR. haud nummo amplius.

TH. Hodie accipiat. TR. ita enim. verùm, ne qua cauſſa ſubſiet,

Vel mihi denumerato. ego illi porrò denumerauero.

TH. At enim nequid captioni mihi ſit, ſi dederim tibi.

TR. Egóne te ioculo modò auſim dicto aut facto fallere?

TH. Egón' abs te auſim non cauere nequid committam tibi?

TR. Qui tibi nunquam, quicquam, poſtquam tuus ſum, verborũ dedi.

C TH. Ego enim caui rectè. TR. eam mihi debes gratiam atque animo meo.

TH. Sat ſapio, ſi abs te modo vno caueo. TR. tecum ſentio.

TH. Nunc abi, i rus, dic me aduenisse filio. TR. faciam vt voles.

TH. Curriculò abi. iube in vrbem veniat iam ſimul tecum. TR. licet.

Nunc ego me illà per poſticum ad congerrones conferam.

Dicam vt hîc res ſint quietæ, atque vt hunc hinc amouerim.

QVID TIBI VISVM'ST HOC MERC.] qualis tibi viſa eſt hæc merx? NVNQVAM ÆDEPOL ME SCIO VIDISSE ABIECTAS, &c.] ſcio ædepol me nunquam, vidiſſe ædeis tam vili pretio emtas, quàm hæ ſunt ædes. hæ ædes non vẽditæ, ſed abiectæ, & pro nihilo traditæ, ac relictæ ſunt. Sic autem legendum, vt edidimus, *abiectas*, non vt habent omnes D libri, *ablectas*. quod iampridem vidi. ſed occupauit Adrian. Turneb. lib. Aduerſar. 16. cap. 10. ECQVID PLACENT?] numquid placent? INSANÙM BONAM.] hoc eſt valde bonam, ſubintell. eſſe dico. Varro lib. 6. de lingua Latina. Plautus cùm vehementer vellet dicere, dicit inſanè, quòd inſani omnia faciunt vehementiùs. Notauimus ſuprà in Bacchid. ibi. *Inſanum magnum mollior negotium.* Idem infrà in Milite Glor. *& ego me illi mancupio dabo, Ni vnum epityrum apud illum eſuriens inſanè edam.* DII IMMORTALES MERCIMONII LEP.] Græcorum more locutus eſt, qui in his generibus ſubintelligũt, ἕνεκα, vel potiùs ὦ vt apud Platonem lib. 6. de Rep. Ἄπολλον, δαιμονίας ὑπερβολῆς. Tale eſt illud quod notarat Simeo Boſius ὦ Ζεῦ, τῆς ἄλης. eodẽ referendum eſt illud Virgil. Æneid. libro xj. *Iuſtitiáne prius mirer belline laborum?* FERAT.] afferat. PRÆSENTARIA] pręſentia, &c. in Pœnulo. *Quia aurum poſcunt præſentarium.* BENE RES NOSTRA COLLOC.'ST ISTHOC M.] pecunia noſtra bene collocata eſt in iſta merce: hoc eſt, in iſta domo, quam emit filius. SVBEGI.] impuli. SERVAVISTI OMNEM R.] allegoria eſt, ſignificat ſenex Tranionem omnem rem familiarem ſeruaſſe. NEMPE OCTO. DEBENT. H. M.] ex hoc loco, vt ſuprà diximus, intelligere licet, talentum magnum valere minas lx. Nam cùm duobus talentis magnis emtam eſſe domum dixerit ſuprà, & xl. minæ datæ ſint arraboni: ſi octoginta debentur, centum viginti minæ conſiciuntur, quanti domus emta eſt. ergo duo talenta magna, & centum viginti minæ tantumdem valent.

ergo talentum magnum valet ſexaginta minas. VERÙM, NE QVA CAVSA SVBSIET, &c.] verùm,ne quà controuerſia ſubſit,etiam mihi numerato,&c. AT ENIM NEQVID CAPTIONI,&c.] at enim cauendum mihi eſt, ne quid mihi ſit detrimento, & fraudi,ſi tibi denumerauerim.vel ſic,at enim vereor,ne quo damno afficiar, ſeu ne quid fallar, ac decipiar abs te,ſi tibi has octoginta minas dederim. EGÓNE TE IOCVLO MODO AVSIM DICTO, &c.] egóne te vel leuiſſimè iocando auſim te verbo,aut facto fallere?proinde ac ſi dicat,ne ioco quidem te fallere auſim,aut dicto,aut facto:multo minus ſeriò. EGÓNE ABS TE AVSIM NON c.&c.] Plautus,vt & Terent. & ceteri Comici faciunt illi quidem ſenes,deliros & credulos,& ſtultos:ſed ita tamen,vt habeant aliquod ſimulacrum prudentiæ,& vt videantur ſibi cauere,ne fallantur: & poſteaquàm omnem operam, ne capiantur, dederunt,tamdem illudantur & decipiantur à ſeruis callidis. Sic igitur hic ſenex. Egóne abs te auſim,inquit,non cauere,&c.id eſt, egóne auſim tibi negligenter, & incautè quidquam committere?Egóne vſque adeò imprudens, & inconſideratus ſim, vt mihi abs te non caueam, ne quid tibi credam?proinde ac ſi dicat, non auſim eſſe tam incautus, vt tibi quidquam committam.vel non auſim tibi quidquam committere,ſine magna cautione. QVI TIBI NVNQVAM QVIDQVAM,&c.] mihi dubites quidquam committere, qui te nunquam fefelli? TECVM SENTIO.] hæc loquitur Tranio, voce ad ſpectatores effuſa,& à Theuropide auerſa.tecum ſentio,inquit,id eſt,tibi aſſentior. CVRRICVLÒ ABI.] abi citò, abi properè, & celeriter.ſic ſuprà eadem fabula.*Sed ego ſúmne infœlix,qui non curro curriculò domum?* ILLÀ PER POSTICVM,&c.] illà,hoc eſt,per poſticum.ſic loqui ſolet Plautus. ponit primo loco nomen generis:deinde ſpeciem.*illà*,per illam partem domus:hoc generale eſt.per poſticum, id eſt, per oſtium domus poſterius. hoc eſt, ſpeciale. poſticum pſeudothyrum appellant Græci. Horat. epiſtol. ad Torquat.libro 1. *Atria ſeruantem poſtico falle clientem.* AD CONGERRONES.] ad gerrarum & nugarum ſocios: ad eos, quibuſcum nugari, & iocari, ludere, & potare ſoleo. DICAM, VT HÎC RES SINT QVIETÆ,] dicam illis,quomodo hîc res ſint tranquillæ, nihílque ſit periculi.

## PHANISCVS aduorſ.

SErui,qui cùm culpa carent,tamen malum
Metuunt,hi ſolent eſſe heris vtibiles.
Nam illi,qui nihil metuunt: poſtquàm ſunt malum
Meriti,ſtulta ſibi expetunt conſilia.
Exercent ſeſe ad curſuram,fugiunt.ſed
Hi ſi reprehenſi ſunt,faciunt à malo,
Peculio quod nequeunt facere ſuo,
Augent ex pauxillo,theſaurum inde parant.
Mihi in pectore conſilij quod eſt,
Lubet cauere malam rem prius,
Quàm vt meum tergum exſinceratum fiat,
Vt adhuc fuit,mihi corium eſſe oportet
Syncerum,atque vti vetem verberari.
Si huic imperabo,probè tectum habebo:
Malum cùm impluit ceteris,non impluat mihi.
Nam vt ſerui volunt eſſe herum,ita ſolet eſſe.
Bonis boni ſunt:improbi,qui malus fuit.
Nam nunc domi noſtræ tot peſſimi viuunt,
Peculi ſui prodigi,plagigeruli,vbi aduorſum vt
Eant, vocantur hero,non eo:moleſtus ne ſis.
Scio quò properas,geſtis aliquò iam hercle,
Ire vis mula foràs paſtum.bene merens
Hoc pretium inde abſtuli,ita abij foràs.ſolus

Nunc



Nunc eo aduorſum hero ex plurimis ſeruis.
Hoc die craſtini,cùm herus reſciuerit,
Manè caſtigabit eos bubulis exuuiis.
Poſtremò minoris pendo tergum illorum,quàm meum.

SERVI, QVI CVM CVLPA C.] Inducitur hîc loquens Phaniſcus Callidamatis ſeruulus,& aduorſitor. Eſt autem aduorſitor,is ſeruus,qui aduorſum ire iuſſus eſt, aut debet, aut ſolet hero ſuo:vt hic Phaniſcus ſuprà iuſſus eſt à Callidamate venire ſibi ad Philolachẽ aduorſum,ſeu obuiam,ibi,principio ſcænæ. *Aduorſum venire mihi ad Philolachem Volo tempori.* &c. Sententia autem eadem iteratur in Menæchm. ibi. *Serui,qui culpa carent, & metuunt, ij ſolent eſſe heris vtibiles.* Porrò nos hîc libros vulgatos,& noſtros manuſcriptos,à vulgatis non diſcrepanteis,ſecuti ſumus,qui habent, *Serui,qui culpa carent,*&c. Nam Camerarius edidit, *carint.* Quod ſi probabimus,*carint*,antiquè poſitum,intelligemus pro,*careant* VTIBILES] vtiles, ad vtendum apti atque habiles,ad vſum dominorum accommodati,atque idonei. EXERCENT SESE AD CVRSVRAM,] fugam ornant:vel ad fugam ſe parant:fugam meditantur. HI SI REPREHENSI SVNT, FACIVNT À M. PECVL. Q. NEQVEVNT,&c.] hi ſerui, ſi poſteaquam à dominis fugerunt,reprehenſi & recepti ſunt,faciunt ex malo,id eſt,per facta ſua improba, quod ex peculio ſuo facere non poſſunt. quídnam illud eſt? inde verbera ſibi quærunt, & comparant,theſaurum ſibi plagarum ex ſuis peccatis reperiũt. quod ex peculio ſuo facere non poſſunt, vel quod non habent peculiũ,vel quia ſi habent,ſibi non quærunt,ſed dominis:ſeruus enim quidquid quærit,domino quærit. THESAVRVM] verberum,ſcilicet,atque plagarum. MIHI IN PECTORE CONS. QVOD EST LVBET C. &c.] huius verſus & duorum qui deinceps ſequuntur,hæc ſententia eſt,quidquid mihi in pectore cõſilij eſt,ſubintellige, huc confero,& in hoc conſumo:lubet mihi vitare,ſeu cauere malum potiùs, quàm committere, vt meum tergum virgis & flagris cruentum,ac varium fiat. Licet etiam, ſic explicare, vt hunc primum verſum,interrogando pronuntiemus. Quódnam, ſeu quídnam cõſilij mihi in animo eſt? hoc,ſcilicet,lubet cauere malum &c. EXSINCERATVM] hoc eſt, impuratum, cruentum, ſeu cruentatum. SINCERVM] purum,incruentum. ATQVE VTI VETEM VERB.]
C idem dicit & planiùs.itaque ἑρμηνεία eſt. SI HVIC IMPERABO,] ſi meo tergo imperabo,hoc eſt,ſi vetabo tergum meum verberari,quod aſſequar faciendo officium meum, & diligenter ac fideliter ſeruiendo:probè tectum,& tutum à verberibus habebo. MALVM CÙM IMPLVIT CET.] cùm ceteri ſerui verberantur,& virgis cædũtur,ne cædar ego. Cùm,ceteris ſeruis verbera inſtar imbris,aut pluuiæ incidunt,mihi ne incidant.allegoria eſt. NAM VT SERVI VOL. ESSE H.] nam qualem ſerui herum eſſe volunt,talis eſt,ſi officio funguntur ſuo.herus eſt æquus,tranquillus,& lenis. ſin ſecus,herus eſt ſæuus,aſper & infeſtus. *vt* pro *qualem.* notauimus alibi ſuprà. Sic infrà in Pſeudolo. *Mane, mane, iam vt voles me eſſe, ita ero.* BONIS BONI SVNT, IMPROBI Q. M. F.] bonis ſeruis boni ſunt heri: ei ſeruo,improbi, & mali ſunt,qui malus fuit. Mutauit numerum,ídque dupliciter. Debuerat enim dicere, ſi vtrobique numerum ſeruare vellet,bonis bonus eſt:improbus eis, qui mali fuerunt. Sic ſæpè & alij ſcriptores tum Græci,tum Latini. Exempla ſunt in mundo,ſed vnũ mihi nũc occurrit, quod eſt apud Sophocl. in Antig. Ὅςις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,Ἢ γλῶσσαν,ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν, Οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί. id eſt. Nam quiſquis aut ſolum ſapere ſe exiſtimat,aut ſe valere lingua, aut animo præ omnibus, Hi vt ſunt retecti, mente caſſi cogniti.
D IMPROBI, QVI MALVS FVIT,] improbi,ei ſeruo,qui malus fuit. PECVLI SVI PRODIGI] peculij ſui,id eſt,tergi ſui,quod eis peculij loco eſt,prodigi:qui non parcunt tergo ſuo,id eſt,qui non ſeruant tergum ſuum à loris & virgis ſartum ac tectum, Nempe cùm officij ſui ſunt immemores.ſic dictum autem,peculij ſui prodigi, vt dixit Salluſtius, *alieni appetens, ſui profuſus.* Horat.oda.12.lib.1.*animæq; magnæ Prodigum paullum,ſuperante Pœno.* & epiſt.ad Piſonẽ *Vtilium tardus prouiſor,prodigus æris.* Licet tamen interpretari ſimpliciter, & propriè, peculij ſui prodigi,qui peculium ſuum prodigunt,& profundunt, inſumentes ſcilicet, in luſtra, & comporationes. PLAGIGERVLI] ad plagas gerendas,& ſufferendas natura facti. Plagipatidæ, vt ſuprà locutus eſt. VBI ADVORSVM VT EANT V. H.] oratio eſt implicata, atque implexa:ſed ſic expeditur.vbi vocantur,vt hero aduorſum eant. NON EO] hæc quæ ſequuntur, reſpondẽt,*non eo*,&c. SCIO QVÒ PROPERAS] hæc & ſuperiora proxima,verba ſunt eorũ ſeruorum,qui vocati,vt hero aduorſum eant,malunt domi deſidere,aut potare,aut ludere, aut dormire,& ſeruum frugi,ipſos ſui officij commonentem irrident,& dictis amaris inſequuntur. GESTIS ALIQVO IAM H.] iam profectò aliquò ire cupis. IRE VIS MVLA FORAS PASTVM] ſermo aculeatus,& amarus, κατ᾽ ἀλληγορίαν. ire vis, inquit, foras in aliquam popinam,aut in thermopolium, vt ibi te cibo & potu refercias, vt mulæ interdum ſolent retinaculis, & vinculis fractis, foras paſtum ire. Horat. Satyr. 5. lib. 1. *tandem feſſus dormire viator; In-*

*cipit, ac missæ pastum retinacula mulæ, Nauta piger saxo religat,* &c. BENE MERENS HOC PRETIVM INDE ABST.]hæc nunc ſunt ſerui frugi & vtibilis verba:quorum hæc ſententia eſt. Dum bene mereo,id eſt,dum benefacio,ſeu ex benemeritis, & benefactis meis hãc mercedem, & hoc premium retuli,dicteria ſcilicet mordacia,& amara.hoc pretium,id eſt,hanc mercedem. ſic Horat.epiſt ad Quinctium lib.1.*Nec furtum feci,nec fugi, ſi mihi dicat Seruus:habes pretium:loris non vreris,aio.* DIE CRASTINI]id eſt,die craſtino.Notat Nonius in voce *proximi*.his verbis *proximi,id eſt,proximo.Cato contra Furium , die proximi. hoc dicit.ſed ea declinatione à veteribus, & craſtini, & priſtini,& præfiſcini eſt dictum.*Aul.Gellius lib.10.cap.24.vbi hoc loquendi genus,à veteribus vſitatum fuiſſe docet,die noni, die quinti, die priſtini,die perendini , &c. ait illas voces & ſimileis, eſſe aduerbia copulatè poſita,ſeu compoſita: addit idem vtroque modo veteres illos dicere ſolitos, die craſtini,&,die craſtine,die quinti,&, die quinte, &c. legendus eadem de re & Macrobius lib.1.Saturn.cap.4.quamquam quæ Macrobius ſcripſit,omnia ab Aulo Gellio ſumta ſunt. BVBVLIS EXVVIIS]loris,ſeu pellibus bubulis : quæ ſunt exuuia , & ſpolia bubula. POSTREMO MINORIS PENDO TERG. ILL. Q. MIHI] id eſt , mâlo illorum tergum loris cædi quàm meum. Idcircò eo hero meo aduorſum , ne ſi ſecus faciam , tergum mihi fiat exſinceratum.

A

B

PHANISCVS aduorſitor. SERVVS alius, THEVROPIDES ſenex.

PH. ILLI bucædæ erunt multo potius,quàm ego
Sim reſtio. SE. mane tu, atque aſſiſte illico.
Etiam reſpice. PH. mihi moleſtus ne ſis.
SE. Vide vt faſtidit ſimia.
PH. Mihi ſum,libet eſſe. quid id curas?
SE. Manéſne illico impure paraſite?
PH. Quî paraſitus ſum? SE. ego enim
Dicam. cibo perduci poteris quóuis.
Ferocem facit.quia te herus tam amat. PH. vah.
Oculi dolent. SE. cur? PH. quia fumus moleſtus.
SE. Tace ſis faber,qui cudere ſoles plumbeos
Nummos. PH. non potes tu cogere me,vt tibi
Maledicam. nouit herus me:ſi ſobrius ſis,
Malè non dicas. SE. tibi obtemperem,cùm tu mihi
Nequeas? PH. at tu mecum,peſſime, i aduerſus.
SE. Quæſo hercle Phaniſce,abſtine iam ſermonem
De iſtis rebus. PH. faciam,& pultabo fores.
Heus ecquis hic eſt,maximam qui his iniuriam
Foribus defendat? ecquis huc exit,atque aperit?
Nemo hinc quidem exit. vt eſſe addecet
Nequam homines,ita ſunt:ſed eo magis cauto eſt
Opus,ne huc exeat,qui malè me mulcet.
Hic quidem neque conuiuarum ſonitus,itidem vt antehac fuit:
Neque tibicinam cantantem, neque alium quemquam audio.
TH. Quæ illæc res eſt?quid illi homines quærunt apud ædeis meas?
Quid volunt?quid intrò ſpectant? PH. pergam pultare oſtium.
Heus reclude:heus Tranio, etiam aperis? TH. quæ hæc eſt fabula?
PH. Etiámne aperis? Callidamati noſtro aduorſum venimus.

C

D

Heus



A TH. Heus vos pueri quid iſtic agitis? quid iſtas ædeis frangitis?
PH. Herus hîc noſter potat. TH. herus hîc veſter potat? PH. ita loquor.
TH. Puer nimiùm es delicatus. PH. ei aduorſum venimus.
TH. Cui homini? PH. hero noſtro. quæſo quoties dicendum eſt tibi?
TH. Puer,hîc nemo habitat.nam te eſſe arbitror puerum probum.
PH. Non hic Philolaches adoleſcens habitat hiſce in ædibus?
SE. Senex hic cerebroſus eſt certè. PH. erras peruerſè,pater,
Nam niſi hinc emigrauit,aut heri,certò ſcio.
Hîc habitare. TH. quin ſex menſes iam hic nemo habitat. SE. ſomnias.
B TH. Egóne? SE. tu. TH. tu ne moleſtus, ſine me cum puero loqui.
PH. Nemo habitat?hem. TH. ita profectò. PH. nam heri & nudius tertius
Quartus,quintus,ſextúſque,poſtquam hinc peregrè eius pater
Abiuit,nunquam hîc triduum vnum deſitum eſt eſſi & bibi.
TH. Quid ais? PH. triduum vnum eſt,haud intermiſſum eſſi & bibi,
Scorta duci,pergræcari, fidicinas,tibicinas
Ducere. TH. quis iſtæc faciebat? PH. Philolaches. TH. qui Philolaches?
PH. Cui patrem Theuropidem eſſe opinor. TH. hei mihi óccidi,
Si hæc hic vera memorat.pergam porrò percontarier.
C Ain tu iſtîc potare ſolitum Philolachem iſtum,quiſquis eſt,
Cum hero veſtro? PH. hîc inquam. TH. puere,præter ſpeciem ſtultus es.
Vide ſis ne fortè ad merendam quopiam deuorteris,
Atque ibi meliuſculè,quàm ſat fuerit,biberis. PH. quid eſt?
TH. Ita dico,ne ad alias ædeis perperam deueneris.
PH. Scio quà me ire oportet:& quò venerim,noui loqui.
Philolaches hîc habitat,cuius eſt pater Theuropides.
Qui poſtquam pater ad mercatum abiit hinc,tibicinam
Liberauit. TH. Philolaches ergo? PH. ita Philematium quidem.
D TH. Quanti? SE. triginta talentis. PH. μὰ τὸν ἀπόλλω,ſed minis
TH. Ain' minis triginta amicam deſtinatum Philolachem?
PH. Aio. TH. atque eam manu emiſiſſe. PH. aio. TH. & poſtquam eius hinc pater
Sit profectus peregrè,perpotaſſe iſtic aſſiduò
Tuo cum domino? PH. aio. TH. quid,is ædeis emit hic proximas?
PH. Non aio. TH. quadraginta etiam dedit huic,quæ eſſent pignori?
PH. Neque illud aio. TH. hei perdis. PH. immò ſuum patrem ille perdidit.
TH. Vera cantas,vana vellem. PH. patris amicus videlicet.

TH. Heu ædepol patrem eum miſerum prædicas. PH. nihil hoc qui-dem eſt. A

Triginta minæ, præquàm alios dapſileis ſumtus facit.
Perdidit patrem, vnus iſtic ſeruus eſt ſaceſrimus.
Tranio, is vel Herculi conterere quæſtum poſſiet.
Ædepol eius me patris miſeret, qui cum iſtæc ſciet
Facta, ita amburet miſero ei corculum carbunculus.

TH. Siquidem iſta vera ſunt. PH. quid merear quamobrem mentiar?

PH. Heus vos ecquis haſce aperit? TH. quid iſtas pultas vbi nemo intus eſt?

PH. Aliò credo comiſſatum abiiſſe, abeamus nunc iam. B

TH. Puere, iámne abis? libertas penula eſt tergo tuo.

PH. Mihi niſi herum metuam & curem, nihil eſt qui tergum tegam.

ILLI BVCÆDÆ ERVNT MVLTO P. &c.] hæc cohærent cum ſuperioribus, & ſunt eiuſdem Phaniſci verba, ſed alia ſcæna eſt, quia alia præterea perſona in ſcænam prodit. ſententia autem horum verborum hæc eſt, Illi qui mecum hero aduerſum ire noluerũt, coriis bubulis cædentur potiùs, quàm committam, vt mihi ad reſtim res redeat, & vt ego ad ſuſpendium adigar, vt ego me ſuſpendam, & mihi laqueo gulam obſtringam. *bucædæ*, vox eſt compoſita ex boue, & cædo, is: itaque ita ſcribenda eſt bucædæ, cum diphthongo in ſecũda ſyllaba: aut certè bucidæ, cum i, quod quidam malunt: quemadmodum dicunt Latini, tyrannicida, & paricida, & ſimilia. Reſtio, vox eſt à nomine *reſtis* facta. reſtis eſt autem funis eſt, & laqueus. *bucædæ* autem hoc loco, non qui boues cædunt, ſed qui à bobus cæduntur, hoc eſt, qui coriis & loris bubulis verberantur. Terent. Phormio. *ad reſtim mihi quidem res rediit planiſſimè.* Iuuenalis. *Ferre potes dominam, fuluis tot reſtibus, vllam?* MANE TV, ATQVE ASS.] hæc dum loquitur Phaniſcus, ſeruus alius, eius conſeruus, prodit in ſcenam, & vnà cum Phaniſco, mutata ſententia, hero aduerſum ire cogitat. RESPICE] retrò adſpice. VIDE VT FASTIDIT SIMIA.] faſtidit, abſolutè faſtidioſus eſt. ſimia homo ſimiæ ſimilis: homo deformis, vt ſimia. Ennius. *Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis?* QVI PARASITVS SVM] quamobrem, aut qua ratione paraſitus ſum? CIBO PERDVCI POT. QVÓVIS.] quóuis, id eſt, in quemuis locum, pertrahi & perpelli poteris cibo. ergo paraſitus es. tale eſt illud Terẽt. in Eunuch. *E flamma te petere cibum poſſe arbitror.* FEROCEM FACIT, QVIA TE HERVS T. A.] hoc ipſum, quod herus te tam valdè amat, te ferocem, hoc eſt, ſuperbum, & elatum facit. eò ferox, & elatus es, quod te herus tantopere amat. Sic autem legendum, vt edidi, *ferocem facit*, non, vt vulgò *ferocem facis*, &c. Nam præterquàm quod noſtri codices lectionem vulgatam refellunt, etiam ratio redarguit. Nam cùm dico, facio me talem, aut talem, hoc ſignifico, me non eſſe talem, ſed ſimulare me eſſe talem: vt ſuprà in Aſinar. *Extemplo facio facetum me, & magnificũ virum.* & in Epidico. *Ego illic, me autem ſic aſſimulabam, quaſi ſtolidum, cùm bardum me faciebam.* & infrà in Mil. glor. *magnum me faciam Nunc, quoniam illhæc me collaudat.* & apud M. Tullium in Oratione pro Flacco. *cùm verbis ſe locupletem faceret, haberet nihil, præter illam impudentiã, quam videtis.* Cùm autem dico, facio te talem, hoc ſignifico, facio te quod non eras, vel facio, vt ſis quod non eras. vt apud M. Tullium. lib. 4. epiſt. ad famil. *Omnia ſunt miſera in bellis ciuilibus: quæ maiores noſtri, ne ſemel quidem noſtra ætas, ſæpè iam ſenſit: ſed miſerius nihil quàm ipſa victoria: quæ etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos, ferociores, impotentioréſque reddit*, &c. Sic igitur, hic non ſignificat hoc ſeruus aduorſitor non nominatus, tu ſimulas te eſſe ferocem, neque tu te reddis ferocem: ſed amor domini erga te, reddit te ferocem, & facit, vt ſis ferox: vt dicere ſolemus, pecunia facit feroces & contumelioſos: paupertas facit ridiculos, & contemtos. OCVLI DOLENT] non libenter me ab hero amari vides mihi, quod me herus amat, inuides. Oculi nobis dolere dicuntur, cùm aliquid fieri videmus, quod nobis iniucundum, ac moleſtum eſt, aut cùm aliquid alicui inuidemus. Terent. in Phorm. in extr. *Vin' primùm hodie facere, quod ego gaudeam, Nauſiſtrata, & quòd tuo viro oculi doleant?* Cœlius lib. 8. epiſt. ad Ciceronem. *Nunquam tibi oculi doluiſſent, ſi in repulſa Domitij vultum vidiſſes.* Idem pro M. Cœlio. *Exſiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimùm cæcus ille. minimum enim dolorem capiet, qui illam non videbit.* Non admodum ab hoc loco diſcrepat Terentianus ille in Eunucho, quantum ad ſententiam quidem attinet. *Numquid hìc quod nolis, vides?* P. *te.* GN. *Credo. at numquid aliud?* P. *Quidum?* GN. *quia triſtis es.* QVIA FVMVS MOLESTVS] iocus παρὰ προσδοκίαν. aliam enim reſpon-

C

D



A reſponſionem exſpectabat conſeruus Phaniſci, quàm eam, quam Phaniſcus ſubiecit, nempe idcirco oculos illi dolere, quòd Phaniſcus hero ſuo in deliciis eſſet. Phaniſcus autem præter eius exſpectationẽ reſpõdit, quia fumus moleſtus. & tamen cùm aliud, quàm quod ille exſpectabat, reſponderit, cauſam attulit probabilem, & affinẽ ei, quã ille exſpectabat, quamobrẽ oculi ei doleant: quia, inquit, fumus moleſtus eſt. fumus enim oculis moleſtus eſt, propter acrem, & mordacem eius qualitatem, qua oculi compuncti, atque offenſi, lacrymas mittere coguntur, ex quo lacrymoſus ab Horatio appellatur in Satyr. 5. lib. 1. *niſi nos vicina Triuici Villa recepiſſet lacrymoſo non ſine fumo.* Plautus ſuprà in Aſinaria. *ſed num fumus eſt hæc mulier, quam amplexare?* ARG. *quidum?* LIB. *quia oculi ſunt tibi lacrymantes, ego rogaui.* Virgil. Moreto. *Sæpe manu ſumma lacrymantia lumina terget, Immeritóque furens dicit conuicia fumo.* TACE SIS FABER, QVI CVDERE, &c.] tace ſi vis homo mendax, qui falſa confingere, & verba dare ſoles: vel ſic potiùs, tace ſi vis, homo fallax & ſubdole, qui tuis artibus, & dolis opinionẽ hero tuo attuliſti, te eſſe frugi ſeruũ, & fidelem, cùm ſis improbus & infidelis: tace homo, qui ſimulatis officiis, & ſpecioſis dictis ac factis hero perſuaſiſti, te eſſe frugi ſeruum & vtibilem, & fidelem, cùm planè alius ſis. tace ſi vis homo, qui herum tuum fallis ac decipis, ſerui fidelis, & frugi ſpeciem præbens, cùm re vera ſis B infidelis, & nequam. allegoria eſt ab iis tracta, qui nummos improbos cudũt. Iam verò nummi plumbei inutiles ſunt, atque improbi: ſuprà in Caſina, *Cui homini hodie peculi nummus non eſt, niſi plumbeus.* Idem infrà in Trinumm. *Cui ſi capitis res ſiet, nummum numquam credam plumbeum.* SI SOBRIVS SIS, MALÈ N. D.] ſi ſanæ mentis ſis, mihi non maledicas, vel propriè, niſi vinolentus, & ebrius ſis, mihi non maledicas. vinum quod ſuprà modum bibiſti, te petulantem, & & contumelioſum, & ad maledicendum expeditum, ac procacem reddit. TIBI TEMPEREM, CÙM TV M. NEQVE] tibi parcam, cùm tu mihi parcere non poſſis? abſtineam me à maledictis in te, cùm tu te abſtinere nequeas, quin mihi maledicas? Sic autem legendum, non vt vulgò *tibi obtemperem*, &c. ſic loquitur Horat. oda. 24. li. 3. *Illic matre carentib. Priuignis mulier temperat innocẽs.* id eſt, illic apud Scythas videlicet nouerca, præbens ſe innocentem, abſtinet manus ſuas à priuignis, neq; eos veneno interimit, vt alibi fieri ſolet. mendũ ſimile iampridẽ è Cæſaris cõment. de bello ciuili li. j. ſuſtuli, quod eſt ibi. *Neque ſibi homines feros, ac barbaros obtemperaturos exiſtimabat, quin cùm omnem Galliam occupaſſent, vt antè Cimbri, Teutoníque feciſſent, in prouinciam exirent.* admonui enim legendum *temperaturos.* AT TV MECVM PESSIMÈ, I ADVERSVS.] at tu peſſimè, veni mecum hero obuiam. ECQVIS HÎC EST MAXIMAM, &c.] numquis hîc eſt, qui maximã iniuriam à foribus propulſet? id eſt, qui foreis aperiat, ne à me grauius pul- C ſentur, & calcibus effringantur. VT ESSE ADDECET NEQVAM HOMO ITA S.] qualeis eſſe improbos homines, tales ſunt. SED EO MAGIS CAVTO'ST OPVS, NE II. EXEAT Q. M. ME MVLCET] ſed tantomagis, nempe quia ſunt nequam homines, mihi cauendum eſt, ne aliquis exeat, qui me fœdum in morem verberet, quòd foreis nimis grauiter pultauerim. Sic autem legendum eſt, non vt habent omnes, quæ exſtant hodie, Plautinæ editiones, *Malè me multet.* Et verò vbique apud ſcriptores Latinos, vbi legitur, malè multare, & malè multatus, ſeu malè multare, & malè multatus, legẽdum malè mulcare, & malè mulcatus. Exempla aliquot colligam, quorum ſit hoc primum, ex Ciceronis Bruto, ſeu lib. de claris oratoribus. *Addebat etiam, id, quod ad rem pertinere putabat, ſcriptores illos malè mulcatos exiſſe cum Galba.* vulgò legebatur, *malè multatos.* Idem Accuſat. lib. 4. *Qui primò cùm obſiſtere, ac defendere conarentur, malè mulcati clauis, ac fuſtibus repelluntur.* vulgò legebatur, *malè multati.* Terent. in Eunuch. THR. *Virginem eripiam.* GN. *probè.* THR. *malè mulcabo ipſam.* vbi libri vulgati omnes habent *malè multabo ipſam*, præter editionẽ Florentinã, quæ nuper ex emendatione Faërni in lucem prodiit. Idem Adelph. *ipſum dominum atque omnem familiam mulcauit vſque ad mortem.* ad quem locum Donatus, mulcauit, inquit, id eſt, lacerauit, mutilauit, molliuit, diſſoluit. Vnde Mulciber. Quin apud Virgil. lib. xj. D Æneid. vbi vulgò legitur, *Multatam morte Camillam.* Erricus Memmius vir clariſs. mihi oſtendit olim exemplar Virgilij per antiquum, manuſcriptum, in quo dilucidè, & planè ſcriptũ erat, *mulcatam morte Camillam*, ad quem locum Seruius, mulcatã, inquit, id eſt, debilitatam. Idem Memmius in exemplari Suetonij item manuſcripto antiquiſſimo, oſtendit mihi locum illum, qui eſt in Iulio Cæſare ita ſcriptum, Vettium pignorib. captis, & direpta ſupellectile, malè mulcatum, ac pro Roſtris in concione penè diſcerptum, coniecit in carcerem. vbi libri omnes vulgati habent vſque adhuc partim *malè multatum*, partim *malè mulctatum.* Iam apud Apuleium lib. 8. perſpicuè, & ſine vlla varietate, in omnibus libris impreſſis, quos quidem viderim, ita legitur, *arrepto flagro*, &c. *indidem ſeſe multimodis commulcat ictibus, mirè cõtra plagarũ dolores præſumtione munitus.* Plaut. infrà in Mil. glor. *Diſperiſtis, ni vſque ad mortem malè mulcaſſitis.* & in Trinumm. *properas, annon properas abire actutum ab his regionibus dormitator. priuſquam ego hîc te iubeo mulcari malè?* & in Trucul. *Nam mihi diuidia'ſt tonſtricem meam ſic mulcatam malè.* Licet mihi multa alia proferre, ſed hæc ſatis ſunt. cùm præſertim in commẽt. in Cornelium Nepotem nonnulla alia collegerim. Non diſſimulabo tamen viros quoſdam doctos, in his Petrum Victorium, hoc idem de hoc verbo iam antea linguæ Latinæ ſtudioſos admonuiſſe. PVLTARE.] pulſare. HEVS RECLVDE.] Heus aperi. HERVS HIC N. P.] herus noſter Callidamas hîc potat. NIMIÙM ES DELICATVS] nimiùm mollis, & tener es. PROBVM] pudicum ſeu frugi. CEREBROSVS

EST,&c.] certè mente parum ſanus eſt:inſanus eſt.Horat.Sat.5.lib.1. *Donec cerebroſus proſilit vnus,* A &c. ERRAS PERVERSÈ, PATER] ô pater,fugit te ratio,perperam. NAM NISI HINC EMIGR.] hinc incipiunt Tranionis fallaciæ patêre. QVIN SEX MENSES,&c.] hoc erat ſeni à Tranione perſuaſum. SOMNIAS]vigilans ſtertis:erras. TV NE MOLESTVS]ſubintellige ſis. CVM PVERO L.]cum Phaniſco loqui.NVMQVAM HIC TR. VN. DES. ESSI ET BIBI]ſic legendum,vt edidimus,*eſsi & bibi*,non vt vulgò *eſſe & bibi*. Debet enim ab indicatiuo paſſiuo imperſonali *eſtur*, infinitiuus naſci, *eſsi*, vt ab indicatiuo paſſiuo imperſonali,curritur,infinitiuus proficiſcitur,curri:à,ſtatur,ſtari:à ridetur,rideri, & ſimilia. SCORTA DVCI,] vſitatè dictum,vt & ductari,& verò hoc magis,quàm illud. PERGRÆCARI]infinitiuus paſſiuus;imperſonalis.pergræcari autem,id eſt,Græcorum in morem potare. de hoc ſuprà, vide indicem. FIDICINAS, TIBICINAS DVCIER.] repete ἀπὸ κοινοῦ, haud intermiſſum eſt.legendum autem, *ducier*,vt edidimus, non vt habent libri vulgati *ducere*. HEI MIHI OCCIDI]nunc tādem Theuropides intelligit,ſibi à Tranione data eſſe verba. ISTIC] in iſta domo. ſic autem legendum, non *iſtac*. QVISQVIS EST] cuiuſcumque filius ſit. PVERE,PRÆTER SPECIEM STVLTVS ES] O puer,formoſus quidem es, ſed iſti formæ mens non reſpondet, quia ſtultus es: præterquàm quòd forma tua dignum eſt, ſtultus es. O puer,talis tibi mens eſſe debebat,qualis forma eſt: nunc autem formoſus quidem B es,ſed præterquàm iſtam formam decet,ſtultus es.O puer,non decet iſtam ſanè formam ſtultitia, verumtamen ſtultus es.ô puer,alienū à forma tua eſt,ſtultū eſſe.VIDE SIS, NE,&c.]vide ſi vis, ne fortè in aliquam popinam poſt meridiem ad merendam deuorteris, & ibi plus æquo biberis.Merenda cibus,& potus pomeridianus. NOVI LOQVI] ſcio loqui: vel ſignificat,ſe non eſſe νήπιον, hoc eſt,infantem,fandi,& cogitandi neſcium,inſipientem denique: vel ſe plus æquo non bibiſſe,quia nimius,& immoderatus vini potus nō ſolùm pedes, ſed etiam linguam impedit,ac debilitat.Ego illud prius mâlo. QVI, POSTQVAM P.] Qui, Philolaches, &c. AD MERCATVM ABIIT.]non celabo lectorem me vocem,*mercatum*, in multis exemplaribus manuſcriptis & Plautinis, & Ciceronianis, & aliis reperiſſe ſcriptam cum littera k. in ſecunda ſyllaba pro c. hoc modo,*merkatus,& merkatum*. TIBICINAM LIB.] Philematium manumiſit. hic puer omnia ſeni,quæ erant occulta,aperit,& quæ accuratè celata,indicat. μὰ τὸν ἀπόλλω, SED MINIS] non per Apollinem, triginta talentis,ſed triginta minis. AIN' MINIS TRIGINTA AMICAM DESTINATVM PHILOLACHEM?]ais ne triginta minis amicam deſtinaſſe,hoc eſt,emiſſe Philolachem?*deſtinatum* ſubintellige *eſſe*, vt ſit à verbo deponenti,deſtinor,aris. ASSIDVÒ]aſſiduè. DEDIT HVIC, QVÆ ESSENT PIGNORI?]dedit huic vicino Simoni,quæ eſſent arraboni? IMMÒ SVVM PATREM ILLE C PERDIDIT]quia rem patris conſumpſit,& vt loquitur Horat.*oblimauit*. VERA CANTAS: VANA VELLEM.]vera dicis: vellem falſa eſſent. vana oppoſuit veris. PATRIS AMICVS VIDELICET]videlicet patris Philolachis amicus es,idcirco eius vicem doles. NIHIL HOC QVIDEM EST, TRIGINTA MINAE, PRAEQVÀM ALIOS D.&c.] hoc nihil eſt, triginta minæ, præ aliis ſumtibus profuſis,quos facit,triginta minæ nihil ſunt,præ aliis ſumtib. largis & magnis, quos quotidie facit.Sic autem legendum,vt edidimus, *præquàm alios*, &c. non vt habent omnes libri vulgari *præterquam alios*,&c. quæ lectio nullo modo ferri poteſt. *præquàm* autem quid valeat, docebunt exempla:ex quibus appâret, idem ferè valere quod *præut*,ſuprà in Aulul.*Sed hoc etiam pulchrum'ſt, præquàm vbi ſumtus petunt*.Idem infrà eadem fabula. *Iam minoris omnia facio præquàm quibus modis me ludificatus eſt*. ſuprà in Amphitr. *Satin' parua'ſt res voluptatum in vita,atque in ætate agunda, præquàm quòd moleſtum'ſt?* Idem ferè valet præut.Iterum in Aulularia, *parum etiam,præut futurum'ſt,predicas*. Licet etiam legere *præquos alios*,&c.ſine vitio & damno verſus: dummodo in *dapſileis*, ſ, liqueſcat, aut exteratur. quod ſi quis probabit,ſic erit explicandū,præ aliis ſumtibus dapſilibus,quos alios ſumtus dapſileis facit.dapſilis autem vox Græca eſt, & valet ferè idem, quod copioſus,largus,& affluens: & δαψίλεια,copiam,affluentiam,& abundan- D tiam ſignificat. SACERRIMVS]valde exſecrandus,& deteſtandus.Virgil.Æneid.lib.3. *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* Horat.Sat.3.lib.1. *vter ædilis fuerit, vel Veſtrûm prætor, is inteſtabilis,& ſacer eſto*. IS VEL HERCVLI CONTERE QVAESTVM POSSIT] hyperbole,is,quem dico,Tranio,inquit,ita profuſus,& ſumtuoſus eſt, vt vel Herculem ad mendicitatem redigere queat. is vel Herculis diuitias,aut quas ex victoriis ſuis, & ſpoliis hoſtium opimis peperit,aut quas ex decimis,quæ ei dantur,parauit,conſumere,atq. exhaurire poteſt. ITA MISERO EI CORC. AMB. CARB.] ita is mærore comburetur, hoc eſt, conficietur,& contabeſcet, ita eius animulum grauis mæror cruciabit,atque abſumet. allegoria eſt. QVID MEREAR, QVAMOBREM MENTIAR?] quid mercedis feram ob mendacium? quod mihi pretium mendacij detur? quam mercedem mendacij referam? quid mihi proſit mentiri? quid aſſequar mentiendo? quid mihi commodi ex mendacio redeat?vel ſic,cuius emolumenti, cuiúſve mercedis ſpes mihi oſtendi,aut proponi queat,propter quam mercedem mentiar?nihil eſt mihi tanti,vel nullum mihi tantum emolumentum quæri poteſt, propter quod mentiri velim. QVID ISTAS PVLTAS, VBI NEMO NATVS EST?]quid iſtas foreis pulſas,vbi nemo mortalis eſt?Nemo natus,vſitatè & ſuo more dixit,ſuprà in Caſina.*De Caſina certum'ſt con-*

*cedere*



A *cedere homini nato nemini*. ALIÒ CREDO COMISSATVM IVISSE.] credo Callidamatem herum noſtrum,& Philolachem iuiſſe in alias ædeis cum ſcortis ſuis compotatum, & congræcatum. Comiſſari, eſt cum ſcortis & puellis, ſeu pueris impudicis laſciuire, compotare, & græcari: & comiſſatio, conuiuium hominum intemperantium, & mulierum impudicarum. LIBERTAS PAENVLA'ST TERGO TVO.] iocus ſenis Theuropidis in Phaniſcum puerum,quo ſignificat eum, pænulam non habere,qua tergum tegat. libertas, inquit ſenex, pœnula eſt, O puer tergo tuo. hoc eſt, Libertas tergo tuo pænulæ loco eſt. Et cùm liber non ſis, ſed ſeruus, pænula cares, qua tergum tuum tegas. MIHI, NISI HERVM METVAM, ET CVREM, &c.]reſpondet puer acutiſſimè, & facetiſſimè, ſibi metum domini, & curam officij eſſe loco pænulæ, qua tergum tegat:ſignificans ſibi tectum & tutum à verberibus eſſe tergum, non pænula,ſed domini metu,& cura.

## THEVROPIDES, SIMO, SENES duo.

B

PErij hercle. quid opus eſt verbis? vt verba audio.
Non equidem in Ægyptum hinc modò vectus fui,
Sed etiam in terras ſolas, oráſque vltimas
Sum circumuectus,ita vbi nunc ſim neſcio.
Verùm iam ſcibo.nam eccum vnde ædeis filius
Meus emit.quid ais tu? SI. à foro incedo domum.
TH. Numquid proceſſit ad forum tibi hodie noui?
SI. Etiam. TH. quid tandem? SI. vidi efferri mortuum. TH. hem,
Nouum. SI. vnum vidi mortuum efferri foràs,
Modò eum vixiſſe aiebant. TH. væ capiti tuo.
C SI. Quid tu otioſus res nouas requiritas?
TH. Quia hodie aduêni peregrè. SI. promiſi foras,
Ad cenam ne me te vocare cenſeas.
TH. Haud poſtulo ædepol. SI. verùm cras,niſi quis prius
Vocauerit me,vel apud te cenauero.
TH. Ne iſtuc quidem ædepol poſtulo. niſi quid magis
Es occupatus,operam mihi da. SI. maximè.
TH. Minas quadraginta accepiſti, quas ſciam,
A Philolachete. SI. numquam nummum quod ſciam.
TH. Quid? à Tranione ſeruo meo? SI. multo id minus.
TH. Quas ille arraboni tibi dedit. SI. quid ſomnias?
D TH. Egóne? at quidem tu,qui iſtoc te ſperas modo
Poteſſe diſſimulando infectum hoc reddere.
SI. Quid autem? TH. quod me abſente tecum hic filius
Negotij geſſit. SI. mecum,vt ille hic geſſerit,
Dum tu hinc abes negotij? quídnam? aut quo die?
TH. Minas tibi octoginta argenti debeo.
SI Non mihi quidem hercle. verùm ſi debes,cedò.
Fides ſeruanda eſt, ne ire infitias poſtules.
TH. Profectò non negabo debere,& dabo.
Tu caue quadraginta accepiſſe hinc ne neges.
SI. Quæſo ædepol huc me ſpecta,& reſponde mihi.
Te velle vxorem aiebat tuo nato dare,

Ideo ædificare hîc velle aiebat in tuis. A
TH. Hic ædificare volui? SI. ſic dixit mihi.
TH. Hei mihi,diſperij,vocis non habeo ſatis.
Vicini,interij,perij. SI. numquid Tranio
Turbauit? TH. immò exturbauit omnia,
Te ludificatus eſt,& me,hodie indignis modis.
Quid tu ais? SI. hæc res ſic eſt,vt narro tibi.
TH. Ludificatus eſt me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obſecro,vt me bene iuues,operámque des.
SI. Quid vis? TH. i mecum hàc obſecro te,vnà ſimul.
SI. Fiat. TH. ſeruorúmque operam & lora mihi cedò.
SI. Sume. TH. eadem ego opera hæc tibi narrauero, B
Queis me exemplis hodie ille ludificatus eſt.

IN TERRAS SOLAS,] in ſolitudines,in terras deſertas,&c. Terent.Phorm. *Nónne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier In ſolas terras?* Virgil.xj.Æneid. *Paſtorum, & ſolis exegit montibus æuum.* Idem in Gallo. *Pinifer illum etiam ſola ſub rupe iacentem. Mænalus, & gelidi fleuerunt ſaxa Lycei.* Et Catul. de Thetidis & Petri nupt. *Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena.* Lucret. lib.4. *quo pacto per loca ſola, Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant.* Plautus Aulularia. *Nunc hoc vbi abſtrudam,cogito ſolum locum.* Idem in Rud. *Aut,cùm excepi,qui non alicubi in ſolo abſtruſi loco?* IAM SCIBO.] iam ſciam. ſic Horat.dixit mollibit,pro molliet,oda 23.lib.3. *Non ſumtuoſa blandior hoſtia Mollibit auerſos penateis farre pio,*&c. NAM ECCVM, VNDE ÆDEIS FILIVS MEVS EMIT.] eccum eum, à quo filius meus ædeis emiſſe dicitur. vnde,id eſt à quo. Sic Terent. Eunuch. *E prædonibus,vnde emerat, ſe audiſſe,abreptam è Sunio.* Idem Adelph. *Tot res repente circumuallant,vnde emergi non poteſt.* vnde,id eſt,quibus è rebus. Virg.lib.1.Æneid.principio. *Inferrétque deos Latio, genus vnde Latinum.*&c. VIDI EFFERRI MORTVVM] efferre & efferri mortuum,vſitatè dictum pro exportare, C & exportari domo foras,& in rogum,ſeu buſtum inferre,atque inferri. Horat.Sat.5.lib.2. *Anus improba Thebis Ex teſtamento ſic eſt elata.* Terent.Andr. *effertur imus.* iam pompa funebris per forum traducebatur. M.Tullius lib.2.de Orat.ad Q. Fr. *Quis eſt igitur,qui non fateatur,hoc lepôre,atque his facetiis non minus refutatum eſſe Brutum, quàm illis tragœdiis quas egit idem, cùm caſu in eadem cauſa funere efferretur anus Iunia?* &c. Intelligendus autem Simo hoc reſpōdiſſe dedita opera,& non ſine ſtomacho,quaſi hominis inertis,& otioſi ſit,quærere ab aliquo,ecquid noui audiuerit,aut viderit. VNVM VIDI MORTVVM, &c.] Idem iterat Simo Theuropidem amarè irridens. VÆ CAPITI TVO] id eſt,væ tibi. ſentit Theuropides ſe derideri à Simone: idcirco ei malè precatur. Quid enim minùs nouum, quàm hominem natum,modò viuum mori, & mortuum efferri? QVID TV OTIOSVS C. N. REQ.?] ſignificat otioſorum hominum eſſe, rerum nouarum audiendarum cupidum eſſe. QVIA HODIE ADVENI PEREGRÈ] eò quærebam ex te,inquit Theuropides,ecquid noui tibi, in foro hodie proceſſiſſet, quod hodie peregrè adueni. qui peregrè veniunt autem, videntur in ſua ciuitate eſſe hoſpites, niſi aliquid noui diſcant. PROMISI FORAS.] ex hac Simonis reſponſione intelligit ſpectator, ſeu auditor, eum Theuropidis verba aliorſum accepiſſe, quàm quorſum is dixerat. Nam ea gratia ſe D peregrè aduenìſſe dixit Theuropides, ne ſibi Simo vitio verteret, quòd curioſior videretur in eo, quod ecquid ille noui ſciret,ex eo quæſiſſet. At Simo ſic accepit,quaſi Theuropides eo conſilio ſe peregrè aduenire dixiſſet, vt ſibi ab illo cena daretur? Solebant enim iis,qui peregrè veniebant,cenam dare: vt alibi diximus. Hoc igitur exiſtimans aut ſuſpicans Simo,antè occurrit, & occupat,& pręcidit Theuropidi ſpem omnem cenandi apud ſe,cùm dicit ſe promiſiſſe foras: id eſt,promiſiſſe alicui, à quo fuerat ipſe ad cenam vocatus: atque ita ſe non cenare domi. AD CENAM NE ME TE VOC. C.] id eſt,ne putes fore,vt te ad cenam vocem,vel ne poſtules te à me ad cenam vocari. HAVD POSTVLO ÆDEPOL.] vt me ad cenam voces. QVAS SCIAM,] ſi modo eas accepiſti,quas te accepiſſe ſciam. NVMQVAM NVMMVM, Q. SC.] numquam nummum accepi,quod equidem ſciam. QVID? À TRANIONE S. M?] quid? ſi eas quadraginta minas à filio meo non accepiſti,ne à Tranione quidem,ſeruo meo, accepiſti? QVAS ILLE ARRAB. T. D.?] eas minas quadraginta dico,quas arraboni tibi dedit. quo modo ſi explicabimus,legenda hæc erunt ſine interrogatione. ſed videtur potius ſic explicanda,eas ne te quadraginta minas accepiſſe negas,quas filius,aut ſeruus meus arraboni tibi dedit? & ita erit adſcribenda interrogationis nota,ad verbum *dedit.* EGÓNE? AT QVIDEM TV &c.] egóne ſomnio? at tu potius ſomnias, &c. QVI ISTOC TE SPERAS MODÒ

PÓTESSE



A POTESSE DISS. &c.] qui ſperas te poſſe iſto modo diſſimulando, hoc reddere infectum, quod tecum filius meus contraxit. reddere infectum poſuit,pro reſcindere,& infirmare, & irritum facere: alioqui quod factum eſt,infectum reddere,ne dij quidem poſſunt, vt dicebat Agathocles. QVID AVTEM?] quid eſt,quod me infectum reddere diſſimulando poſſe ſpero? QVOD ME ABSENTE TECVM HIC FILIVS NEGOT. GESSIT,] id negotij dico, quod filius meus tecum,me abſente,geſſit,cùm domum tuam abs te, cētum viginti minis emit. MECVM, VT ILLE HIC GESSERIT, DVM TV HINC ABES, NEGOTII] Túne hoc factum eſſe dicis,vt ille,dum tu hinc abes,aliquid mecum negotij hîc geſſerit? proinde ac ſi dicat,numquam eſt factum. CEDÒ] da. NE IRE INFITIAS POSTVLES] ne æquum ſenſeas te infitiari. PROFECTÒ NON NEGABO D.] ſubintellige *me.* TV CAVE QVADR. ACC. NE NEG.] tu caue ne neges te quadraginta accepiſſe. Legendum fortaſſe eſt. *tu caue quadraginta accepiſſe te neges.* HVC] ad hunc locum propiùs accedens. VOCIS NON HABEO SATIS] ἀφασία με ἔχει. metus,ira,perturbatio denique mihi vocem intercludunt. vox me deficit præ metu,& ægritudine,& ira. Hic locus me admonet, vt oſtēdam Demoſthenis locū in Orat. κατὰ Μειδίου,quem locum Petr. Victorius lib.1.var.lect.cap.5. profert, vt probet,malorum magnitudinem vocem eripere hominibus calamitoſis, & iniuria affectis, B pessimè ab illo viro eſſe acceptum, atque intellectum, neque quidquam ad id quod tractat illo capite,pertinere. Demoſthenis verba ſunt hæc, Κάλει δή μοι καὶ τὸν στράτωνα αὐτὸν, τὸν τὰ τοιαῦτα πεπονθότα. ἑστάναι γὰρ ἐξέσται δήπουθεν αὐτῷ. οὗτος ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, πένης μὲν ἴσως ἐστὶν, οὐ πονηρὸς δέ γε. οὗτος μέν τοι πολίτης ὢν, ἐστρατευμένος ἁπάσας τὰς ἐν ἡλικίᾳ στρατείας, καὶ δεινὸν οὐδὲν εἰργασμένος, ἕστηκε νυνὶ σιωπῇ, οὐ μόνον τῶν ἄλλων ἀγαθῶν τῶν κοινῶν ἀπεστερημένος, ἀλλὰ καὶ τοῦ φθέγξασθαι καὶ ὀδύρασθαι. καὶ οὐδ' εἰ δίκαια, ἢ ἄδικα πέπονθεν, οὐδὲ ταῦτ' ἔξεστιν αὐτῷ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν. id eſt, cita mihi igitur,& Stratonem ipſum, qui talia à Midia perpeſſus eſt. Licebit enim ſcilicet ei ſaltem ſtetiſſe. Hic igitur, cùm ciuis ſit, cùm militias omneis, quas per ætatem obire potuit,obierit,cùm nihil vmquam atrocius,aut quod grauiter ferendum ſit,commiſerit,nunc ſtat mutus,ac tacitus non ſolùm bonis aliis communibus,verum etiam loquendi, & ſuarum fortunarum deplorandarum poteſtate priuatus: eíque ne hæc quidē mala, atque incommoda,quibus à Midia affectus eſt, apud vos exponere licet: vt intelligere poſſitis,iure an iniuria ei acciderint. Hunç igitur Demoſt.locum Petr. Vict. ita accepit,quaſi Strato metu Midiæ perterritus in iudicio verba facere,& iniurias à Midia acceptas iudicibus exponere non audeat,cùm Stratonis ſilentium non à metu,ſed à lege natum ſit,hoc eſt,cùm Stratonem,non Midiæ metus,ſed lex quæ ab arbitro damnatum,& infamia notatū,verba facere in iudicio vetat. C Stratonem tacitum, & elinguem in iudicio ſtare cogat. Fuerat enim hic Strato arbitri ſententia damnatus,& potentiæ Midiæ condonatus,cùm eum Midias homo potens & factioſus, ab arbitro condemnandum curauiſſet. Hoc tam fœdum erratum non potui, occaſione oblata, ſilentio prætermittere, non reprehendendi ſtudio impulſus, ſed de hominibus litterarum ſtudioſis cupiditate incenſus,& veritus, ne quis Petri Victorij auctoritatem ſecutus,verba illa Demoſthenis,aliter quàm oportet,interpretetur,atq. ita in errorem ac fraudem impellatur. Quod iam olim anno à partu Virginis, CIↃ IↃ LXVI. cùm orationem illam hîc Lutetiæ è ſuperiore loco,& cathedra Regia trecentis auditoribus explicarem, memini me pluribus verbis demonſtrare. TVRBAVIT?] numquas turbas fecit? numquas turbas excitauit? & infrà eadem ſcæna. *Pergunt turbare vſque,* &c. IMMÒ EXTVRB. OMNIA] immò euertit omnia. ἐπανόρθωσις. SERVORÚMQ. OPERAM] qua vtar ad Tranionem loris cædendum. ET LORA] quibus Tranionem verberandum curem. QVEIS ME EXEMPLIS, &c.] quibus me exemplis, ac modis,me ille hodie ludificauit.

D

## TRANIO ſeruus. THEVRO. ſenex.

QVi homo timidus erit in rebus dubiis,nauci non erit.
Atque equidem quid id eſſe dicam verbum nauci,neſcio.
Nam herus me poſtquam rus miſit,vt filium ſuum arceſſerem,
Abij illà per angiportum,ad hortum noſtrum clanculum.
Oſtium quod in angiportu eſt horti patefeci fores,
Eáque eduxi omnem legionem,& mareis & fœminas,
Poſtquam ex obſidione in tutum eduxi maniplareis meos,
Capio conſilium,vt ſenatum congerronum conuocem.
Quem cùm conuocaui,atque illi me è ſenatu ſegregant.
Vbi ego video rem vorti in meo foro,quantum poteſt

Facio idem, quod plurimi alij. quibus res timida aut turbida'ſt. A
Pergunt turbare vſque, vt nequid poſſit conquieſcere.
Nam ſcio equidem nullo pacto iam eſſe poſſe clam ſenem.
Sed quid hoc eſt, quòd foris concrepuit proxima vicinia?
Herus meus hic quidem eſt. guſtare ego eius ſermonem volo.
TH. Illico intra limen aſtate illic, vt cùm extemplò vocem,
Continuò exſiliatis. manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædeis præſtolabor, ludificatorem meum.
Cuius ego hîc ludificabo corium, ſi viuo, probè.
TR. Res palam eſt. nunc te videre melius eſt, quid agas Tranio.
TH. Doctè atque aſtutè mihi captandu'ſt cum illo, vbi huc aduenerit.
Non ego illi extemplò meum oſtendam ſenſum, mittam lineam. B
Diſſimulabo me horum quicquã ſcire. TR. ô mortalem malum.
Alter hoc Athenis nemo doctior dici poteſt.
Verba dare illi, non magis hodie quiſquam, quàm lapidi, poteſt.
Aggrediar hominem, appellabo. TH. nunc ego ille huc veniat velim.
TR. Siquidem pol me quæris, adſum præſens præſenti tibi.
TH. Euge Tranio quid agitur? TR. veniunt rure ruſtici.
Philolaches iam hic aderit. TH. ædepol mihi opportunè aduenit.
Noſtrum ego hunc vicinũ opinor eſſe hominẽ audacẽ & malum.
TR. Quidum? TH. qui negat nouiſſe vos. TR. negat? TH. nec vos ſibi C
Nummum vmquam argenti dediſſe. TR. abi, ludis me, credo. haud negat.
TH. Quid iam? TR. ſcio iocaris nũc tu. nam ille quidem haud negat.
TH. Immò ædepol negat profectò, neque ſe has ædeis Philolachi
Vendidiſſe. TR. ehò, an negauit ſibi datum argentum, obſecro?
TH. Quin iuſiurandum pollicitus eſt dare, ſi vellem, mihi,
Neque ſe haſce ædeis vendidiſſe, neque ſibi eſſe argentum datum.
Dixi ego iſtuc idem illi. TR. quid ait? TH. ſeruos pollicitus eſt dare
Suos mihi omneis quæſtioni. TR. nugas. numquam ædepol dabit. D
TH. Dat profectò. TR. quin & illũ in ius iube ire. TH. iam mane.
Experiar, vt opinor, certum'ſt. TR. mihi huc hominem cedò.
TH. Quid ſi igitur ego arceſſam homines? TR. factum iam eſſe oportuit.
Vel iube ædeis mancipio poſcere. TH. immò hoc primum volo,
Quæſtioni accipere ſeruos. TR. faciundum ædepol cenſeo.
Ego interim hanc aram occupabo. TH. quid ita? TR. nullam rem ſapis.
Ne enim illi huc confugere poſſint quæſtioni quos dabit,
Hîc ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.

Surge.



A TH. Surge. TR. minimè. TH. ne occupaſſis, obſecro, aram. TR. cur? TH. ſcies.
Quia id enim maximè volo, vt illi iſtoc confugiant, ſine.
Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo faciliùs.
TR. Quod agis, id agas, quid tu porrò vis ſerere negotium?
Neſcis tu quàm meticuloſa res ſit ire ad iudicem.
TH. Surge dum huc. eſt conſulere igitur quiddam, quod tecum volo.
TR. Sic tamen hinc conſilium dedero. nimio plus ſapio ſedens.
Tum conſilia firmiora ſunt de diuinis locis.
TH. Surge, ne nugare, adſpice dũ contra me. TR. adſpexi. TH. vides?
TR. Video. huc ſi quis intercedat tertius, pereat fame.
B TH. Quidum? TR. quia nihil quæſti ſiet, mali hercle ambo ſumus.
TH. Perij. TR. quid tibi eſt? TH. dediſti verba. TR. qui tandem? TH. probè
Me emunxti. TR. vide ſis ſatin' rectè? num mucci fluunt?
TH. Imò etiam cerebrum quoque omnem è capite munxiſti meum.
Nam omnia malefacta veſtra repperi radicitus.
Non radicitus quidem hercle, verumetiam eradicitus.
Numquam ædepol hodie inultus deſtiṅauerit tibi.
Iam iubebo ignem & ſarmenta, carnifex, circumdari.
TR. Ne faxis ſis, nam elixus eſſe, quàm aſſus ſoleo ſuauior.
C TH. Exempla ædepol faciam ego in te. TR. quia placeo, exemplum expetis.
TH. Loquere, cuiuſmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?
TR. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
TH. Aliud te rogo. TR. aliud ego nunc tibi reſpondeo.
Sed eccum tui gnati ſodalem video huc incedere
Callidamatem: illo præſente mecum agito, ſi quid voles.

QVI HOMO TIMIDVS ERIT, &c.] animi magnitudo maximè elucet, in rebus aduerſis: in rebus ſecundis latet. Sic Horat. de conuiuatore, Satyra vlt. lib. 2. *Sed conuiuatoris, vti ducis, ingenium res Aduerſæ nudare ſolent: celare ſecundæ.* IN REBVS DVBIIS,] in periculis: in rebus difficilibus, & aduorſis. Horatius Sat. 2. lib. 2. *Vtérne ad caſus dubios fidet ſibi certius: hic qui Pluribus aſſuerit mentem, corpúſque ſuperbum, An qui,* &c. ſuprà in Capt. *Neque med vnquam deſeruiſſe te, neque factis, neque fide, Rebus in dubiis, egenis.* D NAVCI NON ERIT] nihili erit. ne nauci quidem erit. hyperbole. De voce, *nauci*, plura ad illud in Bacchid. *hoc ſeruum meum, non nauci, facere eſſe auſum?* ILLA PER ANGIPORTVM] per illam partem, ſeu per illum locum, per angiportum. ſic ſolet Plautus. genus ponit primò, deinde ſpeciem, ſeu partem. PER ANGIPORTVM] angiportus, inquit Feſtus, iter compendiarium in oppido. eò quòd ſit anguſtus portus; id eſt, aditus in portum. OSTIVM, QVOD IN ANGIPORTV EST HORTI, PATEFECI FORES] Ordo verborum huius verſus, aliquanto difficilior eſt. patefeci foreis oſtij, quod hoſtium eſt in angiportu horti. Camerarius hac difficultate commotus legendum ſuſpicatur, *foris* aduerbialiter. Ego, ſi quid ſit mutandum, malim legi, *oſtij quod in angiportu eſt, horti patefeci foreis*. verumtamen nihil temerè mutãdum arbitror: neque tamen Camerarij coniecturam damno. EA Q. EDVXI OMNEM L.] & ea parte, hoc eſt, per id oſtium omneis noſtros comiſſatores eduxi. legionem appellat, cœtum illum marium & fœminarum, qui erant in ædibus Theuropidis. ſermonis tranſlatione vſus, ducta à re militari. POSTQVAM EX OBSIDIONE EDVXI, &c.] manet in eadem ſermonis tranſlatione, quæ nunc ſit allegoria, hoc eſt, perpetua tranſlatio, ſeu metaphora. per quam hoc ſignificat, poſtquam Philolachem, Callidamatem, & mulieres ex ædibus, in quibus illi quodammodo obſeſſi erant, à ſene domum peregrè reuerſo, in tutum eduxerit, ſe conſtituiſſe cum ſuis congerronibus:

de re ſua conſultare: aut ad ſuos congerrones de re ſua referre. MANIPLAREIS MEOS,] A
manipulareis meos: milites meos. manipulares, milites ſunt eiuſdem manipuli. CAPIO CON-
SILIVM, VT S. C.] προαιροῦμαι σύγκλητον βουλὴν τῶν συμφλυάρων συγκαλεῖν, conſtituo
congerrones meos vnum in locum conuocare, & cum eis de re mea conſultare. SENATVM
CONGERRONVM,] ſenatum ſeruorum, quibuſcum nugari ſoleo. ſenatum congerronum
conuocem autem. allegoria eſt à ſenatu, & conſilio publico ciuitatum ducta. ſic ſuprà in Aulul.
*Quid tute ſolus de ſenatu ſeuocas?* in Epid. *Iam ſenatum conuocabo in corde conſiliarium.* ATQVE ILLI
ME È SEN. S.] id eſt, cõtinuò me è ſuo cœtu ſedere iubent, vt me abſente, de re mea liberiùs
conſultent. *atque*, pro continuò, ſeu ſtatim, vſitatum eſſe Plauto, & nonnullis alijs ſuprà oſten-
dimus, ibi, *Quò imus vnà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.* Virgil. Georg. I. *Atque illum in præceps
prono rapit alueus amni.* Legendus & Aulus Gellius lib. 10. cap. 29. VBI EGO VIDEO REM
VORTI IN MEO FORO] cùm ego video rem, id eſt, litem, in meo foro verti, hoc eſt, in
meo foro verſari, & agi, ita vt non poſſim recuſare, quominus iudicium accipiam & patiar:
tum, quantum fieri poteſt, facio idem, quod, &c. vel ſic, cùm ego video, rem meam agi, mé-
que in diſcrimen adductum eſſe, ita vt effugere non poſſim, tum, &c. hoc eò referendum eſt,
quòd iure ciuili, extra ſuum forum nemo iudicium accipere cogitur: contrà in ſuo quiſque
foro iudicium accipere ſine exceptione debet, niſi aliqua alia exceptione agentis actionem re- B
pellere queat. Et actor rei forum, non reus actoris ſequi debet. Itaque ſic reſcripſerunt Impera-
tores Diocletian. & Maximianus Alexandro. *Iuris ordinem conuerti poſtulas, vt non actor rei forum,
ſed reus actoris, ſequatur: Nam vbi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc poſtea tran-
ſtulerit, ibi tantum conueniri oportet.* Quod reſcriptum exſtat lib. 3. codic. Iuſtinian. titul. 12. cap. 2.
tota autem hæc quæſtio tractatur, & deciditur lib. 5. Digeſt. titul. de iudiciis. *Vbi quis agere, vel con-
ueniri debeat.* Marcus Tullius Accuſat. lib. 3. *Sed etiam contra omnia iura Siculorum, quæ habent à ſena-
tu, Populóque Romano ne extra ſuum forum vadimonium promittere cogantur.* Idem ibidem. *Negotiatores
ſibi putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum eiurare, vbi negotientur. Prætor prouinciam ſuam totam ſibi ini-
quam eiurat.* Eodem pertinent quę tractantur à Rhetoribus, cùm de conſtitura tranſlatione præ-
cipiunt. M. Tull. lib. I. de Inuentione. *At cum cauſa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem
non oportet, aut non apud quos,* &c. tranſlatiua conſtitutio dicitur. FACIO IDEM, QVOD PLV-
RIMI ALII, QVIBVS RES TIMIDA AVT TVRBIDA'ST, PERG. TVRBA-
RE, &c.] Nos de hac re diximus quidem nonnulla ſuprà eadem fabula. ibi, *Verum vtut res ſe ha-
bet, pergam turbare porrò, ita hæc res poſtulat.* Sed nihil vetat, quominus illis addamus hæc ex Sallu-
ſtio de coniurat. Catilinæ. *Neque ſolùm illis aliena mens erat, qui conſcij coniurationis erant: ſed omnino
cuncta plebs nouarum rerum ſtudio Catilinæ incœpta probabat. id adeò ſuo more facere videbatur. Nàm ſemper* C
*in Ciuitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant, odio ſuarum
rerum mutari omnia ſtudent: turba, atque ſeditionibus ſine cura aluntur: quoniam egeſtas facilè habetur ſine
damno,* &c. contrà eodem libro paucis paginis antè, Catilina purgans ſe in ſenatu, *vt erat*, inquit
Salluſtius, *paratus ad diſsimulandum, demiſſo vultu, voce ſupplici, poſtulare à patribus cœpit, ne quid de ſe te-
merè crederent: ea ſe familia ortum, ita ab adoleſcentia vitam inſtituiſſe, vt omnia bona in ſpe haberet: ne
exiſtimarent, ſibi, patritio homini, cuius ipſius, atque maiorum, plurima beneficia in plebem Romanam eſſent, per-
dita rep. opus eſſe, cùm eam ſeruaret M. Tull. inquilinus ciuis vrbis Romæ.* Verba illa Catilinæ perpen-
do, & pondero, *ea familia ortus ſum, ita ab adoleſcentia vitam inſtitui, vt omnia bona in ſpe habeam*, &c.
qui illuſtri familia orti ſunt, & rectè ab adoleſcentia vitam ſuam inſtituerunt omnia ſua habent
poſita in bona ſpe, hoc eſt, Rempubl. ſtare, & ſaluam eſſe cupiunt. Repub. ſalua & ſtante, ſe-
cum bene actum iri ſperant. Contrà, qui humili loco orti ſunt, aut qui turpiter & flagitioſè vi-
xerunt, ſuntque re familiari implicata, & malè conſtituta, qui denique ſibi timent, & malè con-
ſcij ſunt, ij res nouas quærunt, & Rempubl. interire cupiunt, & Repùbl. euerſa, & perdita, ſibi
melius conſultum iri confidunt, quàm ſtante & ſalua. idcirco turbare ſolent. ESSE POSSE D
CLAM SENEM] eſſe poſſe clam ſene: obſcura, & occulta eſſe poſſe ſeni. GVSTARE
EGO EIVS SERMONEM VOLO] ſubauſcultare eius ſermonem volo. tralatio eſt à ſen-
ſu guſtandi, ad ſenſum audiendi. ſuprà in Aulul. *Nimium libenter edi ſermonem tuum.* VT CVM
EXTEMPLO VOCEM, &c.] vt, cùm primùm vos vocem, cõtinuò, properè exeatis. cùm ex-
templo. id eſt, ἐπεὶ τάχιστα, vbi primùm, cùm primùm. MANICAS CELERITER C.]
manicæ, manuum vincula. ſuprà in Capt. *Iniicite hinc actutum manicas maſtigiæ.* PRÆSTOLA-
BOR,] exſpectabo, operiar. CVIVS EGO HIC LVDIFIC. CORIVM] cuius ego corium
loris, & flagris variabo probè. RES PALAM EST] res patefacta eſt. rem comperit ſenex.
NVNC TE VIDERE MELIVS EST, QVID, &c.] ſe ipſe alloquitur Tranio in ſecunda
perſona. MIHI CAPTANDV'ST CVM ILLO, VBI H. ADVEN.] captandus
eſt mihi Tranio cum Simone adiutore meo, poſtquàm huc aduenerit. NON EGO ILLI
EXTEMPLO MEVM OSTENDAM SENSVM] non ego illi ſtatim ſenten-
tiam meam aperiam. non ego illi ſtatim, quid ſentiam, aut quid animi habeam, oſtendam.
MITTAM LINEAM] Tranionem captabo, vt piſcem, miſſa linea. tractum à piſcatoribus,
qui hamo, & eſca hamo affixa, atque appenſa, piſceis captant. Eſt autem linea hoc loco, linum,
cuius extremo hamus annexus eſt: quam piſcatores in fluuium mittunt. Seneca, *ſentit tremulos li-*
*nea*



A *nea piſceis.* Alij ineptè volunt ductum eſſe à pictoribus, qui lineas ducunt. non placet, neque ferri
poteſt. O MORTALEM MALVM.] O hominum malitioſum. κακοήθη, πανοῦργον. DO-
CTIOR.] callidior. aſtutior. σοφώτερος δεινότερος. VERBA DARE ILLI NON MAGIS
HODIE QVISQVAM QVÀM LAPIDI,] etiam in re dubia herum irridet Tranio. ſigni-
ficat autem herum ſuum eſſe ſtolidum, & facilè eſſe ei verba dare. Terent. Heautont. *Quod res de-
dere, vbi poſſem perſentiſcere, niſi eſſem lapis?* VENIVNT RVRE RVSTICI.] ſuprà Tranio dixe-
rat Theuropidi Philolachem eſſe ruri, & idcircò iuſſus erat, rus ire, vt eum arceſſeret, ibi, *Nunc
abi: i rus. dic me aduenisſe filio,* &c. QVID VM?] quamobrem malum, & audacem eſſe dicis? NE-
QVE SE HAS ÆDEIS, &c.] neque fatetur ſe has ædeis Philolaches vendidiſſe. vel, & ne-
gat ſe has ædeis Philolaches non vẽdidiſſe. vt intelligamus duabus negationibus more Græco-
rum vſum eſſe pro vna. QVIN IVSIVRANDVM POLLICITVS EST DARE SI
VELLEM M.] quin etiam pollicitus eſt, ſe mihi iuſiurandum daturum, ſi vellem, neque ſe has
ædeis vendidiſſe, &c. DIXI EGO ISTVC IDÈM ILLI.] me iuſiurandum ei datu-
rum, filium emiſſe, & argentum dediſſe. QVÆSTIONI.] in quæſtionem: vt de iis quæratur
per tormenta. poſſe autem torqueri ſeruos in re pecuniaria. Marcianus iuriſconſultus teſtatur
B Diuum Pium reſcripſiſſe. Marciani verba adſcribam, quæ exſtant lib. 48. Digeſt. titulo de quæ-
ſtionibus. *Diuus Pius reſcripſit, poſſe de ſeruis haberi quæſtionem in pecuniaria cauſa, ſi aliter veritas inueniri
non pòßit, quod & aliis reſcriptis cauetur. ſed hoc ita eſt, vt non facilè in re pecuniaria habeatur quæſtio. ſed ſi ali-
ter veritas inueniri non poßit, niſi per tormenta, licet habere quæſtionem,* &c. NVGAS] nugas loquitur,
vel nugas dabit, non ſeruos in quæſtionem. IN IVS IVBE IRE.] in ius iube ire. EXPE-
RIAR, VT OPINOR.] experiar ius. MIHI HVC HOMINEM CEDÒ.] Simonem
mihi produc, atque exhibe. VEL IVBE ÆDEIS MANCIPIO POSCERE] iube filium
tuum ædeis Simonem poſcere mãcipio. iube filium tuum à Simone petere, vt ædeis, quas ipſe
ab illo emit, ſibi det mancipio: hoc eſt, vt ædium dominium in ſe transferat, ſeu vt ſe faciat do-
minum, &, vt ita dicam, proprietarium. SERVOS.] Simonis. EGO INTERIM HANC
ARAM OCCVPABO.] ſerui ſibi malè conſcij, & pœnam ſuorum malefactorum, ac pecca-
torum metuentes, deprecatorem parabant, & aram aliquam, à qua nefas erat eos auellere, occu-
pabant. Terent. Heautont. *Nemo accuſat, Sire, te. nec tu aram tibi, neque precatorem parabis.* Aras autem
apud veteres fuiſſe ſanctas, hoc eſt inuiolatas, id quoque argumento eſt quod M. Tull. in Orat.
pro Cornelio Balbo oſtendere volens, Gaditanos, fœdus, quod L. Marcius quidam primi pili
centurio cum eis fecerat ſemper inuiolatè, piéque ſeruaſſe, hoc prouerbio vtitur *Ara ſanctior.*
C Sic Cicero, *qui & veterem illam ſpeciẽ fœderis Marciani, ſemper omni ſanctiorem ara duxerũt,* &c. Sic enim
legendũ, & ita in noſtri Ciceronis editione ſecunda excudendum curauimus, antea enim lege-
batur, *ſemper omni ſanctiorem Marte,* &c. planè ineptè. NVLLAM REM SAPIS.] nihil ſapis.
NE ENIM ILLI HVC CONFVGERE POSSVNT.] ego enim idcircò, & ea gratia,
hanc aram occupo, ne ſerui Simonis huc confugere poſſint: & ita intereat tibi quæſtio, quam
de illis habiturus eras. HÎC EGO TIBI PRÆSIDEBO.] in hac ara tibi ero, quaſi in
præſidio collocatus. NE INTERBITAT QVÆSTIO.] ne intereat quæſtio. beto, is, ere,
id eſt, eo, antiquum verbum: de quo alibi ſuprà, conſule indicem. NE OCCVPASSIS OB-
SECRO.] ne occupaueris quæſo aram. ILLI.] Simonis ſerui. QVID TV PORRÒ VIS
SERERE NEGOTIVM?] quid tu porrò vis tibi negotium faceſſere, & moleſtiam exhibere?
ſerere negotium, tranſlatè dictum: vt ſerere liteis, diſcordias, certamina, bella, apud bonos ſcri-
ptores. QVÀM METICVLOSA RES SIT IRE AD IVDICEM.] quàm ſollicita,
& timoris plena res ſit. &c. Litium enim, vt & præliorum, exitus incerti ſunt. Multo autem pe-
riculoſiora ſunt rerum capitalium iudicia. Quare non malè Alcibiades, qui ad cauſam dicen-
dam ab Athenienſibus è Sicilia naui Salaminia, quæ paralus dicebatur, ad eum miſſa reuoca-
D tus: ſe occultauit, neque in nauem illam conſcendere voluit, cùm diceret, ſtulti hominis eſſe,
cùm accuſatus ſit, committere ſe hominum iudicio, & abſolutionis rationem quærere, cui li-
ceat fugere. Deinde cùm quidam ex eo quæſiuiſſet, an patriæ non crederet, reſpondit, ne matri
quidem, ne fortè illa imprudens, tabellam nigram pro candida ferat. SVRGE DVM HVC.]
ſurge igitur, & huc ad me veni. EST CONSVLERE IGITVR, QVIDDAM QVOD
TECVM VOLO.] eſt igitur quiddam, de quo tecum conſultare volo. vel eſt quiddam, quod
te conſulere volo. SIC TAMEN HINC, &c.] ſic δεικτικῶς. hoc eſt, hoc modo in ara ſedens,
ex ara conſilium tibi dedero. NIMIO PLVS SAPIO SEDENS.] Romanus ſedendo
vincit, inquit ille, & ſedendo prudentiores efficimur. puto autem hîc ſubeſſe iocum ex ambi-
guo. Nam & qui aram occuparant, quíque ad aras deos venerabantur, & precabantur, ſedebãt,
& qui de re aliqua conſultabant, ſedebant. TVM CONSILIA FIRMIORA SVNT DE
DIVINIS LOCIS.] præterea, inquit, conſilia è diuinis locis profecta, ſtabiliora, & meliora
ſunt. Itaque apud Romanos plerumque ſenatus in templis deorum immortalium habebatur,
vt in æde Cõcordiæ, in templo Iouis Capitolini, in templo Honoris, in templo Pacis, &c. Tum
Reges in templis ſedentes, ſuis ciuibus iura dabant. & item in templis legatos ad ſe miſſos ad ſe
vocabant, atque audiebant. Virgil. lib. 7. Æneid. de Latino rege. *Tali intus templo Diuûm, patriâque
Latinus, Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocauit.* Idem lib. I. de Didone. *Tum foribus diuæ media teſtudine*

*templi,Sæpta armis ſolióque altè ſubnixa reſedit.* ADSPICE DVM CONTRA ME.] adſpice me igitur rectis oculis. HVC SI QVIS INTERCEDAT TERTIVS.] huc ſiquis interueniat tertius,nempe inter me & te,pereat fame. QVIDVM?] qua ratione tandem? qua ratione igitur? QVIA NIHIL QVÆSTI SIET, MALI HERCLE AMBO SVMVS.] quia tertio illi,qui ad nos accedat,nihil quæſtus ſit: quia tertius ille, qui interceſſerit, nullum quæſtum fecerit,nobis ambobus ei obſtãtibus.itaque fame pereat.ſequitur αἰπολογία αἰγιολογίας.ambo mali ſumus,& aſtuti.ambo aſtutiarum, & fallaciarum artifices probi: quòd ſiquis tertius ex fallaciis,& aſtutiis,quæſtum facere,aut nobiſcum fallaciis certare velit, nobis eumdem quæſtum,eamdémque artem factitantibus,procul dubio frigeat ille; faméque pereat,neque ex hac arte quæſtum ſermone dignum facere poſſit.iocus. ME EMVNXTI.]me argento emunxiſti,tralatio eſt,conſulendus index. VIDE SIS SATIN' RECTÈ?&c.] ſeruus Theuropidis verbum tranſlatè à ſene poſitum,hic vrbanè, quaſi ille propriè pro nareis mihi purgaſti,& muccum è naſo fluentem abſterſiſti, poſuerit, accipit.ita iocus eſt ex ambiguo, hoc modo:dicis te à me eſſe emunctum,vide,obſecro te,an non ſatis rectè te emunxerim.num mucci fluunt?inquit,id eſt,num ſordes tibi ex naribus manant?proinde quaſi dicat, non. IMMÒ ETIAM CEREBRVM QVOQVE OMNEM,&c.]immò non muccos tantum è naribus fluenteis,ſed etiam cerebrum quoque omne è capite,&c. Correctio eſt, antiquè cerebrum in B maſculino genere vſurpauit. RADICÎTVS.]vſque à radicibus.prorſus,funditus,à fundo,vel vſque ad radices. NON RADICITVS QVIDEM HERCLE,&c.]correctio non vſque ad radices tantùm,verùm etiam vſque à radicibus euulſis. NVNQVAM ÆDEPOL HODIE INVLTVS DESTINAVERIM T.]ſecutus ſum libros omneis vulgatos,qui habent, *deſtinauerim tibi.*Nam manuſcripti noſtri meo iudicio corrupti ſunt.in quibus ſcriptum eſt, partim *deſtinant*,partim *deſtinauit*,ego igitur,*deſtinauerim*,probaui,dum aliquid melius afferatur,*deſtinauerim* autem hoc loco accipio.non vt ſæpè aliàs apud hũc poëtã,pro emerim: ſed pro,cõſtitutum in animo habuerim,ſeu potius,pro aſſignarim in animo meo, vt ita dicam determinarim, ac definierim,vt apud Virgil.libro 2.Æneid.*Compoſitò rũpit vocẽ,& me deſtinat aræ.* Horat.oda.7. lib.2.*nec Parce cadis tibi deſtinatis.*ad quem locum legenda,ſi cui commodum eſt, quæ de hoc verbo annotauimus.admonendus autem eſt lector in voce *numquam*, non fieri ſynæreſim, neque m.exteri,alioqui verſus menſura non conſtaret, his præpoſitis,venio ad huius verſus explicationem.hoc igitur ſignificat ſenex Theuropides numquam profectò hodie tibi inultus verbera,& ſupplicium apud me,ſeu in animo meo promiſerim, ac deſponderim. IAM IVBEBO IGNEM, ET SARMENTA.] quemadmodum nefas erat,eos, qui ad aram confugerant, vi C extrahere:ita licebat eis ignem admouere,& hoc pacto vim afferre, ac neceſſitatem imponere, qua ſubacti,ab ara diſcederent.quo facto non tam illi ab hominibus,qui ignem illis admouebant,violati,aut ex ara extracti,quàm vel ſua voluntate,vel incendij metu aram reliquiſſe videbantur. Cuius moris hîc exemplum poſitum eſt.Simile eſt illud in Rudente *Volcanum. is Veneris eſt aduerſarius.*ſed hac de re plura dicerem,niſi nos anteuertiſſet Adrianus Turnebus lib. Aduerſ. 9.cap.12. CIRCVMDARI] aræ,in qua ſedes. NE FAXIS SIS.] ne feceris ſi vis.ne feceris, ſodes,ne feceris quæſo. NAM ELIX. ESSE, QVÀM ASSVS,&c.] alludit ad piſceis,quorũ alij elixi:alij aſſi,ſunt ſuauiores. Horat.ſat.4.li.2.*Nec ſatis eſt cara piſceis auerrere menſa, Ignarũ,quibus eſt ius aptius,& quibus aſſis Languidus in cubitum iam ſe conuiua reponet.* Plautus in Aſinaria.*Is habet ſuccum,is ſuauitatem:eum quouis pacto condias:Vel patinariũ,vel elixum, verſes quo pacto lubet.* Licet & ex Apicij libro 9.piſceis alios apponi aſſatos, alios elixos,alios fartileis. EXEMPLA ÆDEPOL FACIAM EGO IN TE.]hoc eſt,ſumam de te pœnas,quæ ſint aliis documento, ne delinquant.Terent.in Eunuch.*Tu iam pendebis,qui ſtultum adoleſcẽtulum nobilitas Flagitiis,& eumdem indicas,vterque in te exempla edent.* ſed videtur hîc legendum,vel ſic.*Exemplo ædepol faciam ego te*, vt ſubintelligamus *aliis*,& ita explicemus,faciam,vt aliis exemplo ſis.vel ſic,*Exempla ædepol faciam ego te*, D id eſt,faciam,vt tu ſupplicio à me affectus, ſis aliis multorum exemplorum inſtar, ne delinquere velint,néue audeant. QVIA PLACEO, EXEMPLVM EXPETIS.] ſeruus iocatur etiam in ſummo diſcrimine,& in rebus aduerſis. iocus autem eſt in voce *exemplum.* quod etiam in re bona locum habet, dicimur enim virorum bonorum exemplum ſequi. M.Tullius lib.1.de Oratore.*Nàm cùm eſſet ille vir exemplum,vt ſitis,innocentiæ:cúmque illo nemo eſſet integrior in ciuitate,neque ſanctior*,&c.Eſt igitur iocus ex ambiguo hoc modo,dicis,inquit Tranio,te facturum, vt ſim aliis exemplo.nimirum,quia ſeruus frugi ſum,& vtilis,& quia placeo, exemplum expetis. Exempla igitur edi ſolent in improbos,& exempla petimus à viris bonis, quæ ſequamur. in hoc eſt iocus.ſic autem ſuprà locutus eſt eadem fabula,ibi:*Laudant fabrum: atque ædeis probant.ſibi quiſque Inde exemplum expetunt.*

CALLIDAMATES adoleſcens. THEVROPIDES ſenex. TRANIO ſeruus.

VBI ſomnum ſepeliui omnem,atque edormiui crapulam,
Philolaches veniſſe mihi ſuum narrauit peregrè huc patrem,

Quoque



A Quoque modo hominem aduenientem ſeruus ludificatus ſiet.
Ait ſeſe metuere in conſpectum illius procedere.
Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus,
Qui à patre eius conciliarem pacem:atque eccum optimè,
Iubeo te ſaluere,& ſaluos cùm aduenis Theuropides
Peregrè,gaudeo.hic apud nos hodie cenes,te rogo.
TH. Callidamate dei te ament.de cena facio gratiam.
CA. Quin venis? TR. promitte.ego ibo pro te,ſi tibi non libet.
TH. Verbero,etiam irrides? TR. quián' me pro te ire ad cenam autumo?
TH. Non enim ibis.ego ferare faxo vt meruiſti,in crucem.
B CA. Age mitte iſta,& ito ad me ad cenam. TR. dic venturum, quid taces?
CA. Sed tu quid iſtuc confugiſti in aram inſcitiſſimus?
TR. Adueniens perterruit me.loquere nunc quid fecerim.
Nunc vtriuſque diſceptator eccum adeſt,age diſputa.
TH. Filium corrupiſſe aio te meum. TR. auſculta modò.
Fateor peccauiſſe,amicam liberaſſe,abſente te
Fœnori argentum ſumſiſſe,id eſſe abſumtum prædico.
Nunquid aliud fecit,niſi quod faciunt ſummis gnati generibus?
TH. Hercle mihi tecum cauendum eſt.nimis quàm es orator catus,
CA. Sine me dum iſtuc iudicare,ſurge,ego iſtic aſſedero.
C TH. Maximè,accipito hanc ad te litem. TR. enim iſtic captio'ſt.
Fac egóne metuam igitur,& vt tu meam timeas vicem.
TH. Iam minoris omnia facio, præquàm quibus modis
Me ludificatus eſt. TR. bene hercle factum,& factum gaudeo.
Sapere iſtac ætate oportet,qui ſunt capite candido.
TH. Quid ego nunc faciam,ſi amicus Demipho,aut Philonides?
TR. Dicito iis,quo pacto ſeruus tuus te ludificauerit,
Optimas fruſtrationes dederis in comœdiis.
CA. Tace parumper.ſine me viciſſim loqui. auſculta. TH. licet.
CA. Omnium primùm ſodalem me eſſe ſcis gnato tuo.
D Is adiit me.nam illum prodire pudet in conſpectum tuum,
Propterea,quæ fecit,quia te ſcire ſcit.nunc te obſecro,
Stultitiæ,adoleſcentiæque eius ignoſcas:tuus eſt,
Scis ſolere illanc ætatem taleis ludos ludere.
Quicquid fecit,nobiſcum vnà fecit.nos deliquimus.
Fænus,ſortem,ſumtúmque omnem,quanti amica eſt,omnia
Nos dabimus,nos conferemus,noſtro ſumtu,non tuo.
TH. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis,
Quàm tu.neque illi ſum iratus,neque quicquam ſuccenſeo.
Immò me præſente amato,bibito,facito quod lubet:
Si hoc pudet,feciſſe ſumtum,ſupplicij habeo ſatis.
TR. Diſpudet dari iſtam veniam. quid me fiet nunc iam?

TH. Verberibus cædere,lutum,pendens. TR. tametſi me pudet. A
TH. Interimam hercle ego, ſi viuo. CA. fac iſtam cunctam gratiam,
Tranioni remitte,quæſo,hanc noxiam cauſa mea.
TH. Aliud quiduis impetrari à me,facilius perferam,
Quàm vt non ego iſtum pro ſuis factis peſſimis peſſum premam.
CA. Mitte,quæſo,iſtunc. TH. hem,viden' vt reſtat furcifer?
CA. Tranio quieſce,ſi ſapis. TH. tu quieſce hanc rem modò
Petere:ego illum verberibus,vt ſit quietus,ſubegero.
CA. Nihil opus eſt profectò:age iam,ſine modò te exorarier,
TH. Nolo ores. CA. quæſo hercle. TH. nolo,inquam,ores. CA. ne quicquam neuis. B
Hanc modò vnam noxiam.vnam quæſo,fac cauſſa mea.
TR. Quid grauaris?quaſi non cras iam commeream aliam noxiam,
Ibi vtrunque,& hoc & illud,poteris vlciſci probè?
CA. Sine te exorem. TH. age abi,abi impunè. hem huic habeto gratiam.
Spectatores fabula hæc eſt acta,vos plauſum date.

VBI SOMNVM SEPELIVI OMNEM.] hoc eſt, poſteaquam ſomnum omnem ex oculis depuli,atque excuſſi.poſteaquam omnem ſomnũ,quo ſepultus eram,viciſſim ſepeliui.trãſlatio eſt à ſepultis,qui iam nulli ſunt.ſomnus igitur ſepultus , nullus eſt, & qui omnem ſomnum ſepeliuit,nullo iam ſomno vrgetur,& ſomnum è ſuis oculis fugauit,atque adeò deleuit. ATQVE EDORMIVI CRAPVLAM] & dormiendo, ſiue longo ſomno crapulam heſternam confeci,& concoxi.Sic Terent.in Adelph.*interea in angulum aliquò abeam,atq. edormiſcam hoc villi*.M.Tull.Philip.2.*edormi crapulam,inquam,& exhala*.Plaut.in Rud. *Quin abeo hinc in Veneris fanum,vt edormiſcam hanc crapulam*.Idem in Amphitr.edormiſcere vſurpauit,pro dormiendo abſoluere,atque explere,ibi,*paulliſper mane, Dum edormiſcat vnum ſomnum*.Dicta autem crapula eſt παρὰ τὸ κάρα πάλλειν,hoc eſt, caput mouere ſeu agitare. Eſt enim vox Græca κραιπάλη, quæ ſignificat,ex multo vini potu,capitis & cerebri motũ,atque agitationem : quæ ſomno cõquieſcit,ac ſedatur. PHILOLACHES VENISSE MIHI SVVM NARRAVIT,&c.] C ſermo implicatus,qui ſic explicandus eſt, Philolaches narrauit mihi patrem ſuum huc veniſſe peregrè. QVOQVE MODO HOMINEM ADVENIENTEM] & narrauit præterea mihi,quo pacto Tranio illum aduenientem ludificauerit. PROCEDERE] prodire. DE SODALITATE]ex omnibus ſodalibus. QVI à PATRE EIVS CONCILIAREM PACEM.]qui patrem ei iratum placarem,& alienatum recõciliarem.Dixit & M.Tull.pacem conciliare Philip.12. ibi, *Mea tamen perſona ad iſtam pacem conciliandam minimè fuit deligenda*. & Terent. Heautont.ibi,*exeo ergo,vt pacem conciliem.optimè ipſos video*. ET SALVOS CùM ADVENIS, &c.] & cùm ſaluus peregrè aduenis,gaudeo. HîC APVD NOS HODIE COENES TE ROGO.] hæc cena viatica,quæ dabatur,& peregrè proficiſcentibus,& peregrè redeuntibus.ſuprà in Bacchid.*Ego ſorori meæ cenam hodie dare volo viaticam*. DEI TE AMENT]dij te ament.ſermo bene precantis,& gratias agentis. DE CENA. FACIO GRATIAM]quod ad cenam attinet,ego iſtuc remitto,& condono tibi.In Caſin.*De iſthac Caſina,huic noſtro villico gratiam facius*. ad quem locum de hoc loquendi genere plura. QVIAN' ME PRO TE IRE AD CENAM IRE AVTVMO?] an te idcircò à me derideri dicis,quia me ad cenam pro te iturum prædico? NON ENIM IBIS,&c.] enimuero pedibus tuis non ibis, ſed ſublimis ferêre à lorariis,& fereris non ad cenam,ſed in crucem. ET ITO AD ME AD CENAM.] & venito ad me cenatũ.INSCITISSIMVS.]inſcitiſſimè,id eſt,ſtultiſſimè?LOQVERE NVNC, &c.]tu Theuropides,dic quid fecerim. DISCEPTATOR.]iudex,arbiter. FATEOR PECCAVISSE.]filium tuum fateor peccauiſſe. NVNQVID ALIVD FECIT, NISI QVOD FACIVNT SVMMIS GNATI.] defenſio peccatorum,& criminum communis. *Volgò id faciunt*. Terent.in Heautont.& illa,*at iam antè alij fecerunt idem*. Plautus in Epid. ad quem locum nonnulla annotauimus,quæ lectorẽ fortaſſe legere iuuabit. SVMMIS GNATI GENERIB.]ſummis nati generibus. HERCLE MIHI TECVM CAVENDVM'ST] mihi cauendum eſt,tecum agenti,aut certanti , aut rem aliquam contrahenti,& negotium aliquod gerenti.



A gerenti.Sunt autẽ Theuropidis verba ad Tranionem ſeruum. NIMIS QVàM ES ORATOR CATVS.]orator valde acutus es.Admonent quidam ſe ſcriptum vidiſſe in codicib.manuſcriptis vetuſtiſſ.*nimis clues orator catus*,quam ſcripturam verſus ferre non poteſt , niſi *clues* fiat vnius ſyllabæ. ISTIC.] in ara. MAXIMè ACCIPITO HANC AD TE LITEM.] placet mihi admodũ,quod dicis,tu Callidamate,huius litis diiudicandæ, & diſceptandæ onus tibi imponi pátere. vel ſic,hanc litem tu ſolus diiudica. vel ſic,huius litis diiudicandæ parteis ſuſcipe. ENIM ISTIC CAPTIO'ST]enimuerò iſta in re deterior mea ſit conditio. enimuerò iſta in re detrimento afficior.hîc enim initio orationis ponitur,quod non eſt Plauto inuſitatum : ne Ciceroni quidem. FAC EGO NE METVAM IGITVR ET TV MEAM TIMEAS VICEM.]Tu igitur Callidamate fac ne metuam, & fac timeas pro me. meam vicem,id eſt,mea vice. IAM MINORIS OMNIA FACIO PRÆQVàM,&c.] non tanti facio damnum,quo auctus ſum,quàm dedecus , quo affectus ſum, quia me ſeruus nequiſſimus ludificatus eſt. PRÆQVAM QVIB. MODIS.] præ eo,quòd me talibus modis ludificatus eſt.BENE HERCLE FACTVM.]ſermo approbantis,& ex aliquo facto lætantis.CAPITE CANDIDO.] capite cano. SI AMICVS DEMIPHO AVT PHILONIDES?] ſubintellige,intelligant,me ita à ſeruo eſſe illuſum, ac ludificatum. Oſtendit Ariſtot. in Rhet.nolle
B nos ſciri ab iis,quos de nobis bene exiſtimare volumus,& quibus probati eſſe cupimus.Nos aliqua in re turpiter lapſos eſſe,aut aliquod dedecus admiſiſſe. IN COMEDIIS] hinc comici ſenes. conſule indicem. NAM ILLVM PRODIRE PVDET IN CONSPECTVM TVVM.]tales inducuntur à Poëtis comicis adoleſcentes,qui aliquid flagitij fecerunt. Terent. Heautont.*Non volt te ſcire ſe rediiſſe etiam: & tuum Cõſpectum fugitat propter peccatum*.Idem in Phorm. ANT.*ipſus eſt,non poſſum adeſſe*. G.*ab.quid agis?quò abis Antipho?mane,Mane,inquam*. ANT.*egomet me noui,& peccatum meum*. SCIS SOLERE ILLHANC ÆTATEM TALEIS LVDOS LVDERE.]ſic edendum curaui,reiecta vulgata ſcriptura,*Scis ſolere illhanc ætatem tali ludo ludere*. Nam primùm hæc inepta eſt,& inuſitata bonis ſcriptoribus.Deinde ea,quam reſtitui,elegans eſt , & vſitata.poſtremò,noſtri codices eam adiuuant,in quib.ſcriptum eſt,*talis ludo*,ita tamen,vt facilè appareret,*in ludo*.s.eſſe mala aliqua manu extritũ:&in,*talis*,idem eſſe tentatũ,ſed non perfectum. *talis* autem accipiendum in accuſandi caſu,numero multitudinis. Porrò ſic Terent. loquitur in Eunuch.ibi.*Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat,Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi*.Horat.lib.3.odarum oda.29.*Fortuna ſæuo læta negotio, & Ludum inſolentem ludere pertinax*. NON POTVIT VENIRE ORATOR MAGIS AD ME IMPETRA-
C BILIS]magis impetrabilis,hoc eſt,magis idoneus ad impetrandum:aptior ad perſuadendum πιθανώτερος.ſuprà in Epid.Diem impetrabilẽ dixit,quo facilè quiduis impetraret.ibi, *mihi hunc diem dediſtis,luculentum, vt facilem atque impetrabilem*.Sic Terent.cauſam vincibilem dixit, quæ vincere poteſt,*Iuſtam illam cauſam facilem,vincibilem,optimam*.Sic ſæpè nomina in bilis , à Plauto ἐνεργητικῶς vſurpãtur,vt cùm alibi admonuimus.Tum in Ciſtell.ibi,*vt illhæc hodie,quot modis ſibi moderatrix fuit,atque immemorabilis?*Conſule indicem. SVPPLICII HABEO SATIS]ſatis graueis de eo pœnas mihi ſumſiſſe videor. DISPVDET DARI ISTAM V.]valde pudet iſtã veniam Philolacheti dari. Sic autem à Camerario emendatus hic locus eſt, quem ſequimur. QVID ME FIET NVNC IAM?]quid de me fiet nunc iam?*iam* hîc diſyllabum eſt.VERBERIB. CÆDERE LVTVM PENDENS.]ordo eſt,tu lutũ,hoc eſt,homo lutulente,verberibus cædere pendens.ſerui pendentes verberabantur,vt alibi docuimus,& exemplis aliquot collectis indicauimus.Sic apud Terent.in Phorm.*tu iam liteis audies:ego plectar pendens*.lutum,pro homine lutulẽto,& ſpurco:vt ſcelus,pro ſceleſto:peſtis pro peſtilẽti,&c.ſic Catull. In Alcmen. *Non aſſis facis,ô lutum,lupanar*. TAMETSI, ME PVDET?]verba Tranionis.Tametſi, me mei peccati pudet,verberabor pendens?proinde quaſi dicat,quia me mei peccati pudet,ac pœnitet,
D mihi debes ignoſcere. FAC ISTAM CVNCTAM GRATIAM] fac iſtam gratiam integram,& plenam.hoc eſt,ignoſce ſeruo quoque tuo,non ſolùm filio. PESSVM PREMAM.] peſſum dabo,in imum fundum deprimam.vide alibi quid ſit peſſum ire,& peſſum dare,niſi fallor,in Aulul.ibi,*ne peſſum abeat tamquam catapirates maris*.MITTE QVÆSO,&c.]hic verſus claudicat. HEM VIDEN', VT RESTAT FVRCIFER]vidéſne,vt furcifer iſte reſtat,hoc eſt, remanet,& reſidet in ara?ſed videtur legendum,*Hem,ſe viden' vt iactat furcifer?* TV QVIESCE HANC REM MODò,&c.]tu modò Callidamate,inquit Theuropides,fac finem iſtius rei petendæ.hoc eſt,deſine pro Tranione deprecari. NEQVICQVAM NEVIS.] fruſtrà non vis *neuis*,ſecunda perſona verbi *nolo*.HANC MODò VNAM NOXIAM: VNAM QVÆSO.] ſubintellige ignoſce,aut condona Tranioni,ſi vnquam poſthàc tale aliquid peccarit,occidito. ſic ſuprà. FAC CAVSA MEA.]fac quod abs te peto,cauſa mea. QVID GRAVARIS? QVASI NON CRAS,&c.]quid grauaris hanc culpam mihi remittere, ſeu condonare ? profectò grauari non debes.nam ſi idcircò mihi ignoſcere non vis,quod hoc pacto,tibi de me pœnas ſumere integrum non erit.exiſtimare debes, me cras aliam noxiam commeriturum, ita tibi & hoc peccatum vetus,& illud recens animaduertere,atque vlciſci licebit.

A

# MENÆCHMI.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| PENICVLVS | paraſitus. |
| MENÆCHMVS | ſurreptus. |
| EROTIVM | meretrix. |
| CYLINDRVS | coquus. |
| MENÆCHMVS | ſoſicles. |
| MESSENIO | ſeruos. |
| MVLIER | vxor. |
| ALIVS SERVOS. | |
| ANCILLA | SENEX. |
| MEDICVS | LORARII. |

B

## ARGVMENTVM.

C

Mercator Siculus, cui erant gemini filij,
Ex illis ſurrepto altero mortem oppetit,
Nomen ſurreptitij indit illi qui domi eſt,
Auos paternus, facit Menæchmum Soſiclem.
Et is germanum, poſtquam adoleuit, quæritat
Circum omneis oras. poſt Epidamnum deuenit:
Hic fuerat auctus ille ſurreptitius.
Menæchmum ciuem credunt omnes aduenam.
Eúmque appellant, meretrix, vxor & ſocer,
Ij ſe cognoſcunt fratres poſtremò inuicem. D

MERCATOR SICVLVS,] Moſchus nomine. GEMINI FILII] Soſicles, & Menæchmis. EX ILLIS SVRREPTO ALTERO.] altero ex illis geminis ei ſurrepto, videlicet Menæchmo. NOMEN SVRREPTITII INDIT ILLI QVI DOMI EST AVOS PATERNVS.] auus paternus mortuo filio ſuo. geminorũ patre, imponit nomen Menæchmi, qui ſurreptus erat, illi, qui domi eſt, videlicet Soſicli: & ita Soſiclem, Menæchmum nominat, qui & ipſe Menæchmus eodem nomine vocabatur. FACIT MENÆCHMVM SOSICLEM.] Soſiclem facit Menęchmum. ET IS GERMANVM POSTQVAM ADOLEVIT QVAERITAT.] & is Soſicles, nomine mutato, Menæchmus factus, germanum, hoc eſt, fratrẽ ex vtraque parente diligenter quærit circum regiones omneis orbis terrarũ. EPIDAMNVM DEVENIT] Dyrrachium venit. Sed Steph. de vrbibus docet duas Epidamnos eſſe, vnã in Illyrico, alterã in ſinu Ionio. Sic ille, Ἐπίδαμνος, πόλις ἰλλυρίδος ἐπὶ χερρονήσου τῆς καλουμένης Δυρραχίου. Ἔστι δ' ἑτέρα ἐν τῷ ἰονίῳ κόλπῳ. HIC FVERAT AVCTVS, &c.] hîc, Epidamni, adoleuerat, ſeu creuerat ſurreptitius ille Menæchmus



A Menæchmus, atque adeò ciuitate donatus erat. MENAECHMVM CIVEM CREDVNT OMNEIS ADVENAM] omnes credunt Menæchmum aduenam, qui fratrem circum omneis terras quæritabat, eſſe ciu. m Menæchmum. EÚMQVE APPELLANT MERETRIX ET VXOR.] eúmque, qui erat aduena, pro Menæchmo ciue, alloquuntur & accipiunt. meretrix, vxor, & ſocer Menæchmi ciuis. II SE COGNOSCVNT FRATRES POSTREMÒ INVICEM] poſtremò ij Menæchmi cognoſcunt inter ſe, fratres ſe eſſe.

## PROLOGVS.

Salvtem primùm iam à principio propitiam,
Mihi atque vobis ſpectatores nuntio.
B Apporto vobis Plautum lingua, non manu.
Quæſo vt benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite, atque animum aduortite.
Quàm potero in verba conferam pauciſſima.
Atque hoc poëtæ faciunt in comœdiis,
Omneis res geſtas eſſe Athenis autumant,
Quo vobis illud Græcum videatur magis.
Ego nuſquam dicam, niſi vbi factum dicitur.
C Atque adeò hoc argumentum Græciſſat tamen.
Verùm non Atticiſſat, at Siceliſſitat.
Huic argumento antelogium quoddam hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demenſum dabo,
Non modio, neque trimodio, verùm ipſo horreo.
Tanta ad narrandum argumentum eſt benignitas.
Mercator quidam fuit Syracuſis ſenex,
Ei ſunt nati filij duo gemini,
Ita forma ſimili pueri, vti mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat:
D Non adeò mater ipſa, quæ illos pepererat.
Vt quidem ille mihi dixit, qui pueros viderat.
Ego illos non vidi, nequis me cenſeat.
Poſtquam iam pueri ſeptuennes ſunt, pater
Onerauit nauem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in nauem pater,
Tarentum auexit ſecum ad mercatum ſimul.
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi forte erant, quom illuc venit.
Mortales multi, vt ad ludos, conuenerant.
Puer inter homines aberrauit à patre.
Epidamnienſis quidam ibi mercator fuit,
Is puerum tollit, auehítque Epidamnium.

A Pater eius autem,poſtquam puerum perdidit,
Animum deſpondit.eáque is ægritudine,
Paucis diebus poſt,Tarenti emortuu'ſt.
Poſtquam Syracuſas de re ea nuntius redit
Ad auom puerorum,puerum ſubductum alterum,
Patrémque pueri Tarenti eſſe emortuum,
Immutat nomen auos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit,qui ſubreptus eſt,alterum.
Illius nomen indit illi qui domi eſt,
Menæchmo,idem quod alteri nomen fuit,
Et ipſus eodem auos eſt vocatus nomine:
B Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis iam nunc prædico prius,
Idem eſt ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum eſt mihi,
Vt hanc rem vobis examuſſim diſputem.
Si quis quid veſtrûm Epidamni curari ſibi
Velit,is audacter imperato & dicito:
Sed ita,vt det vnde curari id poſſit ſibi.
Nam niſi qui argentum dederit,nugas egerit.
Qui dederit,magis maiores nugas egerit.
C Verùm illuc redeo, vndè abij,atque vno aſto in loco.
Epidamnienſis ille,quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui ſurripuit alterum,
Ei liberorum,niſi diuitiæ,nihil erat.
Adoptat illum puerum ſurreptitium
Sibi filium,eíque vxorem dotatam dedit.
Eúmque heredem fecit,qua ipſe obiit die.
Nam rus vt ibat,fortè vt multum pluuerat.
Ingreſſus fluuium rapidum ab vrbe haud longulè,
Rapidus raptori pueri ſubduxit pedes,
D Abſtraxítque hominem in maxumam malam crucem,
Illi tum diuitiæ euenere maxumæ.
Is illic habitat geminus ſurreptitius.
Nunc ille geminus qui Syracuſis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum ſeruo ſuo,
Hunc quæritatum geminum germanum ſuum.
Hæc vrbs Epidamnus eſt,dum hæc agitur fabula.
Quando alia agetur,aliud fiet oppidum:
Sicut familiæ quoque ſolent mutarier.
Modò enim idem fit leno,modò adoleſcens,modò ſenex,
Pauper,mendicus,rex,paraſitus,hariolus.

APPORTO



A APPORTO VOBIS PLAVTVM LINGVA, NON MANV.]apporto vobis comœdiam Plautinam, eámque vobis recitaturi, atque acturi ſumus. QVÀM POTERO IN VERBA CONFERAM PAVCISSIMA.] ordo eſt,conferã in verba quàm pauciſſima. ATQVE HOC POËTÆ FACIVNT IN COMOEDIIS,]quaſi verò hæ perſonæ non ſint comicæ,neque nunc recitetur comœdia,ſed vera aliqua hiſtoria, aut res geſta narretur. IN COMOEDIIS.] palliatis. AVTVMANT]dicunt. GRÆCISSAT] Græcum ſermonem imitatur. VERÙM NON ATTICISSAT, AT SICELISSITAT.] verum ſermonẽ Atticum non æmulatur,ſed Siculum,ſeu Sicilienſem.Erant autem tum Siculi bilingues,hoc eſt,vtebantur ſermone Græco,non puro,ſed Latinitate mixto, propter Italiæ vicinitatẽ,& Romanum imperium tam propinquũ. Quin trilingueis appellat Apuleius libro xj.quod Græcè,Latinè, Siculè loquebantur. Notantur etiam & improbantur Siculi logi in Perſa,ibi,*Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi:Atque Attici omnes.nullum Siculum acceperis*. Porrò autem hunc locum ſic emendandum eſſe docuit M. Antonius Muretus libro tertio variarum lectio. cap. 13. qui tamen Camerarium immeritò accuſat, quaſi hunc locum corruperit.is enim nullum nouum mendum addidit,ſed vetus duntaxat non
B ſuſtulit.Profert hunc locum Pompeius Feſtus in verbo *Atticiſſat*,quod interpretatur,Atticè loquitur:*Siceliſsitat* autem,Siculè loquitur.Iam *Siceliſsitat* edendum curaui,paullò aliter quàm Muretus legendum putat,qui *Siciliſsitat*,vt vulgus legit.quod ferri non poteſt. Dicunt enim Græci σικελίζειν:hinc Siceliſſare:& frequentatiuum,Siceliſſitare. HVIC ARGVMENTO ANTELOGIVM QVODDAM HOC FVIT]etiam hunc verſum ſic,vt edidimus,emendauit Muretus,eo,quem modò commemoraui, variarum lectio. lib. qui in libris quidem vulgatis non reperitur:in manuſcriptis verò deprauatus eſt.*Antelogium* autem,vox eſt ex Latina & Græca compoſita. ſignificátque id omne quod ante orationem legitimam prooemij cauſa dicitur. NVNC ARGVMENTVM VOBIS DEMENSVM DABO,&c.] id eſt,nunc vobis argumentum explicabo non parcè,neque reſtrictè, neque paucis verbis, ſed copioſè & liberaliter,& multis verbis. DEMENSVM DABO.] demetiar,ſeu dimetiar. tralatio eſt à cibariis, quæ ſeruis dabantur.Dabantur autem ſeruis ſingulis quaterni modij in ſingulos menſes: ídque,demenſum,ſeu dimenſum dicebatur.Terent.Phormio. *Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo, Suum defrudans Genium,compar ſit miſer*.Eſt autem *demenſum* παθητικῶς accipiendum. NON MODIO NEQVE TRIMODIO,&c.] argumentum,inquit, vobis dimetiar, non modio, neque trium modiorum menſura, ſed ex ipſo horreo. ſignificat ſe copioſum, atque vberem fu-
C turum,in huius fabulæ argumento narrãdo,atque explicando. Manet autem in tralatione ſermonis,quæ tracta eſt à conſuetudine & ratione metiendi frumenti, & frugum ſimil. Sic M. Tullius libro 6. epiſt. ad Attic.*Sic illa iam habent,pleno modio, verborum honorem, inuitationem crebram.* TANTA AD NARRANDVM ARGVMENTVM EST BENIGNITAS.]epiphonema.tanta eſt,inquit,mihi ad argumentum vobis exponendum liberalitas,& largitas.VTI MATER SVA NON INTERNOSSE POSSET.]vt eos mater ſua non poſſet internoſcere. *Mater ſua*,bona reciprocatio eſt,ſubintelligitur enim, *eos*, vt indicauimus. QVÆ MAMMAM DABAT.] nutrix quæ etiam interdum,mater appellatur. Virgilius lib.8. Æneid.*Ludere pendenteis pueros,& lambere matrem Impauidos*.Notat Nonius,& hunc locum profert.huc pertinet illud Homeri ἰλιάδ.χ.non admodum lõgè ab extremo Μήτηρ θ' ἥ μιν ἔτικτε δυσάμμορος, ἠδ' ἐγὼ αὐτός. NE QVIS ME CENSEAT] ne quis putet illos vidiſſe. ONERAVIT NAVEM MAGNAM M.]hinc nauis oneraria dicta,quam Græci φορτηγὸν,& ὁλκάδα nominant. IMPONIT ALTERVM GEMINVM IN NAVEM PATER.]imponit in nauẽ Soſiclem. Imponit in nauem,propriè,& vſitatè dictum.ἐμβιβάζειν εἰς τὴν ναῦν,dicunt Græci. ILLVM RELIQVIT ALTERVM,&c.]Soſiclem. VT AD LVDOS,] vt ſolent multi homines ad
D ludos conuenire. EPIDAMNIENSIS QVIDAM.]quidam mercator Epidamni,ſeu Epidamnij natus,qui non nominatur.Epidamnum Romani Dyrrachium,mutato nomine appellarunt,mala nomina vitãtes.ANIMVM DESP.] viuere velle deſiit:ſe & ſua omnia deſperauit, viuendi ſpem,& voluntatẽ abiecit.Idem in Milite.*Ne lamentetur,néue animum deſpondeat*.ibid. *Nam niſi tu illi fers ſuppetias,iam illa animum deſpondebit*.AD AVOM PVERORVM]paternum.PVERVM SVBDVCTVM AL.]ſubreptum eſſe puerũ alterũ Menæchmum. Libri noſtri veteres habẽt,*ſubruptum*.ex quo nõnulli faciunt.*ſubreptum*. HVIC GEMINO AL.]Soſicli. INDIT ILLI.]imponit illi,qui domi eſt,Soſicli;nomen illius,qui ſubreptus eſt Menæchmi.ALTERI.] ſubrepto Menæchmo.ET IPSVS EODEM AVOS,&c.]& auus ipſe paternus ſcilicet,eodẽ nomine dictus eſt,Menęchmus.QVIA ILLVM CLAMORE VIDI FLAGITARIER.] à quibus flagitari? à vobis.in pronomine *illum*,alterum l. exteritur, vt prior ſyllaba corripiatur. PRÆDICO PRIVS.] vel prædico,as: vel prædico, is,quod mâlo,neque me monet pleonaſmus. NVNC IN EPIDAMNVM PEDIBVS,&c.]*pedibus*,ambiguum. Nam & pedes ſunt, quibus ambulamus, itérque facimus, & pedes ſunt,quibus conſtat verſus, & carmen. quomodo hîc accipit. EXAMVSSIM.]examinatè ad regulam,accuratè, exactè. ſuprà in Amphitrione.*Si vera hæc loquitur,examuſsim eſt optima*.Conſule Nonium.SED ITA, VT DET, VNDE CVRARI,&c.] ſed ita vt ſumtum ſuppeditet: vel vt ſuppeditet pecuniam, vnde

ſumtus fiat. NVGAS EGERIT.]ſuprà in Aulularia.*ah,nugas agis.Certè habes.* MAGIS MAIORES NVGAS EGERIT.]magis & maiores nugas egerit.vel magis maiores, vt ſit pleonaſmus.ſed cur maiores nugas egerit? quia mihi tam ſtultè pecuniam dederit, nullum negotium eius curaturo.ſtultior fuerit, qui mihi pecuniam dederit, neque in rem eius verſuro: neque negotium vllum eius geſturo. VERVM ILLVC REDEO, VNDE ABII.] Sic Horat.ſat. 1. lib. 1.*Illuc, vnde abij,redeo.nemon' vt auarus,Se probet?* EPIDAMNIENSIS ILLE, QVEM DVDVM DIXERAM] vel legendum,*quem antè dixeram*: vel in prouocabulo *ille*, l. exteritur. alioqui vna ſyllaba verſus, longior erit. *dudum* autem, pro antea, non eſt inuſitatum.ſic infrà eadem fab.*Nummum illum quem mihi dudum pollicitu's dare, Iubeas,ſi ſapias,porculum afferri tibi.*Sed animaduertat lector,hunc rectum caſum. *Epidamnienſis ille*, non habere verbum poſt ſe,quo referatur,quóue pertineat,ſed hoc eſt Plautinum, & Comicum. hæc enim negligentia imitatur ſermonem quotidianum,quo maximè comœdia vtitur: licet tamen dicere,referri poſſe ad verbum,*adoptat.* quod ſequitur quarto abhinc verſu. & verſum,*Ei liberorum*,&c.legendũ κατὰ παρένθεσιν.EI LIBERORVM NISI DIVITIÆ, NIHIL ERAT] ei nihil erat liberorum,hoc eſt,nulli erant liberi, niſi diuitiæ. videtur inſolenter dictum, nihil erat liberorum,niſi diuitiæ.Nam particula *niſi*,non niſi ſimilia,& eiuſdem generis excipere, ſeu excludere debet:vt nullos habet nummos,niſi aureos:nullos poëtas amat,niſi Homerum. nullum ſeruum,niſi Dauum,fidelẽ putat,&c.At liberi,& diuitiæ ſunt diſſimilia, & diuerſa genere. Verumtamen ſic & alios ſcriptores locutos eſſe reperiemus.NAM RVS VT IBAT.]nã cùm rus ibat.FORTE VT MVLTVM PLVVERAT.]poſtquã fortè multùm pluerat. u. in *pluuerat* geminatũ eſt,vt produceretur prima ſyllaba.Sic apud Lucret.*Fuuat* poſitũ pro *fuat*,u,duplicato,lib.1.ibi,*Inter corpora quod fuuat*,&c.HAVD LONGVLè.] legendũ arbitror,haud *longiter*, quo aduerbio vſus eſt Lucretius.non ſemel.exempli cauſa lib.3.*Non,vt opinor,ea ab leto iam longiter errat*.ad quem locum licet legere,quæ à nobis ſunt annotata.RAPIDVS RAPTORI PVERI SVBDVXIT PEDES] fluuius rapidus,& imbribus auctus, ſubduxit, hoc eſt, ſummouit,vel ſuffuratus eſt,pedes raptori pueri,mercatori illi,qui puerum Menæchmum ſubripuerat. ABSTRAXÍTQVE HOMINEM IN MAXIMAM MALAM CRVCEM.] & hominem abſtulit in malum cruciatum & malam,atque infelicem mortem.ILLI TVM DIVITIAE.] illi Menæchmo,ſubreptitio. HABET.] domicilium ſuum collocatum habet. CVM SERVO SVO.]Meſſenione. GEMINVM GERMANVM SCIL.] fratrem germanum, hoc eſt,ex iiſdem parentibus natum. & geminum, hoc eſt, vno eodémque partu editum. SICVT FAMILIAE QVOQVE SOLENT MVTARIER] per adoptiones. MODÒ ENIM IDEM FIT LENO,&c.] modo enim idem comœdus fit leno, modò adoleſcens, &c,hoc eſt,modò idem actor lenonis parteis agit,modò adoleſcentis,modò ſenis,&c.

## PENICVLVS paraſitus.

IVuentus nomen fecit Peniculo mihi:
Ideo quia menſam,quando edo,detergeo.
Homines captiuos qui cathenis vinciunt,
Et qui fugitiuis ſeruis indunt compedes,
Nimis ſtultè faciunt,mea quidem ſententia.
Nanque homini miſero,ſi ad malum accidit malum,
Maior libido eſt fugere, & facere nequiter.
Nam ſe ex cathenis eximunt aliquo modo,
Tum compediti ianuam lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clauum.nugæ ſunt eæ.
Quem tu aſſeruare rectè,ne aufugiat,voles,
Eſca atque potione vinciri decet.
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi quod edit,& quod potet,præbeas,
Suo arbitratu & affatim quotidie,
Nunquam ædepol fugiet,tametſi capital fecerit.
Facilè aſſeruabis,dum eo vinclo vincies.





Ita iſthæc nimis lenta vincla ſunt eſcaria.
Quàm magis intendas,tanto adſtringunt arctius.
Nam ego ad Menæchmum nunc eo,quoi iam diu
Sum iudicatus.vltro eo vt me vinciat.
Nam illic homo homines non alit,verùm educat,
Recreátque. nullus melius medicinam facit.
Ita eſt adoleſcens ipſus eſcæ maxumæ.
Cereal eis cœnas dat,ita menſas exſtruit.
Tantas ſtruices concinnat patinarias.
Standum'ſt in lecto,ſi quid de ſummo petas.
Sed mihi interuallum iam hos dies multos fuit.
Domi domitus fui vſque cum caris meis.
Nam neque edo,neque emo,niſi quod eſt cariſſimum.
Id quoque:iam cari,qui inſtruuntur,deſerunt.
Nunc ad eum inuiſo.ſed aperitur oſtium.
Menæchmum eccum ipſum video,progreditur foràs.

IVVENTVS NOMEN FECIT PENICVLO] id eſt,nomen indidit,ſeu impoſuit Peniculo mihi.ſic loquitur & Virgil.lib.1.Georg.*Nauita tũ ſtellis numeros,& nomina fecit.*Plautus in extr.ſcena.*Quomodo igitur pòſt Menæchmo nomen eſt factũ tibi?* PENICVLO]peniculi,inquit Feſtus, ſpongiæ lõgæ propter ſimilitudinẽ caudarũ appellatæ. penes,vocantur caudæ.Terent.Eunuch. *Quid ignaue?peniculon' pugnare,qui iſtum huc portes,cogitas?S.Egóne?imperatoris virtutẽ noueram,& vim militum,Sine ſanguine hoc fieri non poſſe quî abſtergerẽ vulnera.*IDEO QVIA MENSAM QVANDO EDO, DETERGEO.]detergeo menſam tamquam peniculus.peniculo enim, hoc eſt, caudis pluribus coniunctis detergebantur menſæ.Dicuntur paraſiti etiam attondêre menſas.Itaq. ſuprà ſeruus Epidicus riſum auditorũ captans,dicit ſe vereri,ne ſi ſenex reſciuerit fallaciam ſuam, vlmos faciat paraſitos,quæ vſque attondeant. CATENIS] catenæ erant ferreæ. INDVVNT COMP.]iniiciũt catenas & vincula pedũ.Sic loquitur in Capt. *His indito catenas ſingularias.*Compedes autem erant ligneæ. SI AD MALVM ACCIDIT MALVM.]malim legi.*ſi ad malum accedit malum.* FACERE NEQVITER,]facere improbè. SE EX CATENIS EXIMVNT ALIQVO M.] ſe ex catenis eripiunt, & eximunt. TVM COMPEDITI IAN. LIMA PROT.]tum compedibus vincti,clauſtrum compedum lima deterunt, vt pedibus liberis,& ſolutis aufugiãt.vel propriè accipe ianuam domus,qua clauſi continentur: profert hũc locum Nonius in voce *lima*. CLAVVM.]clauum vel ianuæ,vel feræ. NVGÆ SVNT EÆ.] ſecutus ſum libros veteres.Nam vulgati habẽt *nugæ ſunt meræ*.APVD MENSAM PLENAM HOM. ROST. DELIGES.]fac ei homini,quem tu aſſeruare rectè voles, roſtrũ apud mẽſam dapibus refertã deliges.*Roſtrum* trãſlatè poſitũ pro ore.ducta trãſlatio eſt ab auibus.quamquam roſtrum non auium ſolùm dicitur,ſed etiam piſcium, & quadrupedum, vt ceruorum, canum, ſuum,caprarum,delphinorum,teſtudinum,piſcium,draconum.Profert hunc locum Nonius in voce *roſtrum*.*Deliges* autẽ à verbo deligo,as.Porrò in præpoſitione *apud* autẽ d.exteritur.QVOD EDIT.]id eſt,quod edat,&c,edim,is,it.coniunctiui modi quo vtitur & Horat.oda.3. epod. *Parentis olim ſi quis impia manu Senile guttur fregerit:edit cicutis allium nocẽtius*,&c. ad quem locum plura. Idem Plaut.ſuprà in Capt.*Miſer homo eſt,qui ipſe ſibi quod edit,quærit,& id ægrè inuenit.* TAMETSI CAPITAL FECERIT.]capitale facinus.profert hunc verſum Nonius,& capital interpretatur,capitis periculum,non placet.debuit potiùs ſic,facinus,ex quo capitis periculum impendet. Melius Feſtus,*capital*,inquit,*facinus, quod capitis pœna luitur.* ITA ISTHÆC NIMIS LENTA, &c.] epiphonema,lenta autem,hoc eſt,mollia,flexibilia, ſeu flexuoſa,ad vinciendum apta, & quæ non facilè frangi poſſunt. σιγαλόεντα, niſi fallor,vocat Homerus. Simeo Boſius putat, lẽta eſſe,quæ Græci dicũt ὑγρά, & rectè.Sic enim Xenophon περὶ ἱππικῆς ὑγρὰ δὲ οὖσα ἡ κνήμη,εἴ τι καὶ προσπταίοι αὐτῇ,ὑπείκοι ἄν.id eſt,tibia autẽ cum lenta ſit,ſi quid in eam incidat,cedere queat.Et Theocritus, εἶδ' ὑγρὸν κέρας.Nonius Marcellus hunc locum profert,& vult *lenta* hîc tantumdem valere,quantum tenacia.vt & apud Virgil.lib.Georg.4.*Et viſco, & frigiæ ſeruunt pice lentius Idæ.*Ego malim interpretari,vt initio dixi,flexibilia.Sic Horat.oda. 15. epod. *Artiùs, atq.hedera procera adſtringitur ilex,Lentis adhærẽs brachiis.*Sic Sophocles de Hæmone moribũdo,brachia puellæ Antigonæ mortuæ implicãte ἐν δ' ὑγρὸν ἀγκῶν' ἐς ἔμφρων παρθένῳ προσπτύσσεται.QVÀM MAGIS INTENDAS TANTO ADSTRINGVNT ARCTI]declarat,quid

ſignificet per *lenta*, hæc vincla eſcoria, inquit, talia ſunt, vt quanto magis intendas, tanto arctius, A ſeu artius adſtringas, quod non eſt peræquè in omnibus vinculis: nam quædam ſunt, quæ ſi aliquantò validius intẽdas, frangas. lenta vincula, quantum voles, intendas licet, nunquam frãges, ſed rem vinctã tanto arctius adſtringes. Iam *quàm magis, tam magis*, ſeu *tanto magis*, cùm in his commentariis alibi notauimus, tum in Lucret. lib. 1. ibi, *Et quàm quæque magis cohibet res intus inane, Tam magis*, &c. QVOI IAM DIV SVM IVDICATVS.] cui iamdiu ſum damnatus. iudicati autem, donec rem iudicatam feciſſent, vincti & addicti erant ei, qui vicerat. eò pertinet id, quod deinceps ſequitur, vltrò eo vt me vinciat, quod ambiguè dictum, vel vinciat, vt iudicatum: vel vinciat cibo, vt paraſitum. VLTRÒ EO.] vltro, id eſt, non vocatus ἄκλητος, αὐτοκέλευστος, αὐτόβουλος, αὐτόκλητος, αὐτόματος. vt apud Homerũ ἰλ. β. Menelaus vltrò it ad Agamemnonẽ ſacrificium, atque epulas apparantem, cùm ceteros principes vocauiſſet, ſic Homerus. Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος. quẽ verſum notat Plato in Sympoſio, non longè à principio. NAM ILLIC HOMO HOM. NON ALIT VERVM EDVCAT.] id eſt, nam ille homo homines non alit, id eſt, non quouis cibo, neque pauco, aut tanto, quantus ſatis eſt, homines alit, ſed lautis, & opiparis, & copioſis, & ſuperuacaneis ſaturat. Nonius *alere*, inquit, *eſt victu temporali ſuſtentare: educare verò, ad ſatietatem perpetuam educere*. deinde hunc locum, quaſi teſtem producit. RECREÁTQVE] & homines eſurienteis, & inedia languidos reficit, ac recreat. NVLLVS MELIVS MEDICINAM FACIT] nullus melius medetur eſurientibus, ſic ſuprà B loquitur in Curcul. ibi, *Viden' vt anus tremula medicinam facit?* & in Ciſtell. *confidam fore Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam poteſt*. ITA EST ADOLESCENS IPSVS, &c.] Epiphonema. ita ipſe adoleſcens non eſt eſcarum apparator, aut largitor, aut miniſtrator, ſed eſcæ ipſæ. CEREALEIS CENAS DAT.] præbet cenas cerealeis, id eſt, opiparas, & multis ferculis refertas. Nam Cerealibus ſolebãt Romani genio indulgere, & opiparè epulari. quod vel ex Virgilio intelligere licet lib. 1. Georg. ibi. *In primis venerare deos, atque annua magnæ, Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis*. quod indicauit & Adrianus Turneb. lib. Aduerſ. 18. cap. 14. Erant autem Cerealia die decimoquarto Cal. Maias. ITA MENSAS EXSTRVIT.] ita menſas implet, & quaſi exaggerat dapibus, & patinis. ita menſas crebris, & denſis patinis onerat. epiphonema. TANTAS STRVICES CONCINNAT PATIN.] alterum epiphonema. tàntas, inquit, ſtructuras efficit patinarum. Feſtus, ſtruices, inquit, antiqui dicebãt, omniũ rerum exſtructiones. Deinde hunc lòcum profert. STANDVM'ST IN LECTO, SI QVID, &c.] hyperbole. ita ſunt in altum, inquit, exſtructæ, & addenſatæ patinæ, atque epulæ, vt ſi quid velis de ſummo petere, non poſſis accumbens manum admouere, ſed neceſſe habeas ſtare. SED MIHI INTERVALLVM IAM HOS DIES MVLTOS FVIT.] id eſt, ſed multi iam dies abierunt, C poſtquàm apud eum non prandi, aut cenaui. DOMI DOMITVS VSQVE FVI CVM C. MEIS.] id eſt, ego perpetuò domi concluſus fractus, & mollitus fui tamquam fera. cum caris meis, id eſt, cum liberis meis, qui ſunt nobis cariſſimi. Nam appellatione carorum, interdum liberi intelliguntur, more Græcorum, qui liberos φίλτατα appellant. Cari etiam amici dicuntur. & cara ſunt, quæ magno pretio conſtãt. Itaque cum caris meis primo adſpectu, hoc eſt, cum amicis meis. ſed ſignificat paraſitus, ſe cum cibis lautis, ſumtuoſis, & opiparis, qui ſunt paraſito cari, & qui carè emuntur, dies aliquot fuiſſe domi domitum, cùm videatur tamen ſentire, ſe cum liberis, aut amicis ſuis domi vſque conſediſſe, ac manſiſſe. quod & Adrianus Turnebus lib. ſuprà commemorato indicat. Iam quod ad illa verba *domi domitus*, attinet, vt quiuis intelligat hoc totum à feris eſſe tractum, ſimúlque vt hæc ſyllabarum comploſio in Plauto minus dura videatur eadem comploſione, & iiſdem vocibus ita poſitis vſus eſt, politiſſimus idémque grauiſſimus Poëta Lucretius, lib. 5. de apris loquens, ad belli munera domitis & eruditis. *Si quos ante domi domitos ſatis eſſe putabant, Efferuiſcere cernebant in rebus agendis, Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu*. NAM NEQVE EDO, NEQVE EMO, &c.] hic verſus declarat ambiguum ſuperius po- D ſitum in vocabulo *caris*. Proinde quaſi ita dicat, cara, ſeu caros ãppello, cibos dapſileis, opiparos, & ſumtuoſos. Nam nihil edo, neque emo, niſi quod eſt cariſſimum. ID QVOQVE IAM CARI, QVI INSTRVVNTVR DESERVNT.] alius iocus, cuius hæc ſententia eſt. Id quoque accedit. cibi cari, & dapſiles, qui inſtruuntur in menſa, tamquam milites in acie, deſertores ordinis eſſe, & locum ſuum relinquere incipiunt: quod Græci dicunt λείπειν τάξιν allegoria eſt lepidiſſima, & venuſtiſſima, & Plauto digna, à re militari.

## MENÆCHMVS ſurreptus, PENICVLVS paraſitus.

ME. NI mala, ni ſtulta ſis, ni indomita, impóſque animi,
Quod viro eſſe odio videas, tute tibi odio habeas.

Præter



A Præter hæc ſi mihi tale poſt huncce diem
Faxis, faxo foris vidua viſas patrem.
Nam quoties ire volo, me retines, reuocas,
Rogitas quò ego eam, quam rem agam, quid negotij geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi, ita omnem mihi
Rem neceſſe loqui eſt, quicquid egi atque ago.
Nimiùm ego te habui delicatam.
Nunc adeò vt facturus, dicam: ego quando tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, veſtem, purpuram bene præbeo, nec quicquam eges,
B Malo cauebis ſi ſapis: virum obſeruare deſines,
Atque adeò ne me necquicquam ſerues, ob eam induſtriam
Hodie ducam ſcortum ad cenam, atque aliquò condicam foras.
PE. Illic homo ſe vxori ſimulat malè loqui, loquitur mihi.
Nam ſi foris cenat, profectò me, haud vxorem, vlciſcitur.
ME. Euax, iurgio hercle tandem vxorem abegi ab ianua.
Vbi amatores ſunt mariti? dona quid ceſſant mihi
Conferre omnes congratulantes, quia pugnaui fortiter?
Hanc modò vxori intus pallam ſurripui. ad ſcortum fero,
Sic hoc decet, dari facetè verba cuſtodi catæ.
C Hoc facinus pulcrum eſt, hoc probum eſt, hoc lepidum, hoc factum eſt fabrè.
Meo malo à mala abſtuli, hoc ad damnum deferetur hinc,
Auerti prædam ab hoſtibus, noſtrûm ſalute ſocium.
PE. Heus adoleſcens, ecqua in iſtac pars ineſt præda mihi?
ME. Perij, in inſidias deuéni. PE. immò in præſidium ne time.
ME. Quis homo eſt? PE. ego ſum. ME. ô mea commoditas, ô mea oportunitas.
Salue. PE. ſalue. ME. quid ais? PE. teneo dextera Genium meum.
ME. Non potuiſti magis per tempus mihi aduenire, quàm aduenis.
D PE. Ita ego ſoleo, commoditatis omneis articulos ſcio.
ME. Vin tu facinus luculentum inſpicere? PE. quis id coxit coquus.
Iam ſcibo ſi quid titubatum eſt, vbi reliquias videro.
ME. Dic mihi, numquid tu vidiſti tabulam pictam in pariete,
Vbi aquila Catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum?
PE. Sæpe. ſed quid iſtæ picturæ ad me attinent? ME. age, me adſpice.
Ecquid aſſimulo ſimiliter? PE. quis iſtic eſt ornatus tuus?
ME. Dic hominem lepidiſſ. eſſe me. PE. vbínam eſuri ſumus?
ME. Dic modò quod ego te iubeo. PE. Dico homo lepidiſſime.
ME. Ecquid audes de tuo iſtuc addere? PE. atque hilariſſime.
ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia

Litigium eſt tibi cum vxore. ME. hoc mihi abs te caueo cautiùs, A
Clam vxorem vbi ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.

PE. Age ſanè igitur,quando æquum oras:quàm mox incedo rogum?
Dies quidem iam ad vmbilicum eſt dimidiatus mortuus.

ME. Te morare, mihi qom obloquere. PE. oculum perſolum effodito
Mihi Menæchme,ſi vllum verbum faxo,niſi quod iuſſeris.

ME. Concede huc à foribus. PE. fiat. ME. etiam concede huc. PE. licet.

ME. Etiam nunc concede audacter ab leonino cauo.

PE. Heu ædepol,næ tu,vt ego opinor,eſſes agitator probus. B

ME. Quîdum? PE. ne te vxor ſequatur,reſpectas identidem

ME. Sed quid ais? PE. egóne? id enim quod tu vis, id aio, atque nego.

ME. Ecquid tu de odore poſſis, ſi quid fortè olfeceris,
Facere coniecturam? captum ſit collegium augurum.
Agedum odorare hanc, quam ego habeo pallam, quid olet? abſtines?

PE. Summum me olfactare oportet veſtimentum muliebre,
Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili.

ME. Olfacta igitur hinc Penicule lepide, vt faſtidis? PE. decet

ME. Quid igitur? quid olet, reſponde. PE. furtum, ſcortum, prandium, C

ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi,tibi,atque illi iubebo iam apparari prandium.
Inde vſque ad diurnam ſtellam matutinam potabimus.

PE. Expeditè fabulatu's, iam fores ferio. ME. feri.
Vel mane etiam mille paſsûm commoratus cantharum.
Placidè pulta. PE. metuis credo,ne fores Samiæ ſient.

ME. Mane,mane obſecro. hercle ab ſe ecca exit. PE. ô! ſolem vides,
Satin' vt occæcatu'ſt præ huius corporis candoribus?

D NI MALA, NI STVLTA SIS,&c.]Donatus in Eunuch.ad illud,*Quid ni?* vult,ni,hoc loco poſitum eſſe pro,*ne*. cui quamuis difficile ſit non aſſentiri, tãto auctori, non aſſentior tamen.Nam primùm & optimè currit oratio,& aptiſſimè quadrat ſententia;ſi ita explicetur hic locus,Niſi mala fœmina,niſi ſtulta ſis, niſi indomita, impóſque animi:id, quod viro tuo odio eſſe videas,tute tibi odio habeas. deinde, ne,cùm vetat, vſitatiùs cùm imperatiuo iungitur: vt ibi, *ne nega*. quamquam interdum etiam cum coniunctiuo:ſed rariùs:&,ſi quando fit,ſubintelligitur quæſo,aut vide,aut aliquod verbum tale. Iudicent igitur de huius loci ſententia doctiores.Sunt autem Menæchmi ſurrepti verba ad vxorem. PRÆTER HÆC SI MIHI TALE POST,&c.] id eſt,ſi mihi præterea poſt hunc diem tale quippiam feceris,fecero,vt domo eiecta,vidua viſas patrem. VIDVA VISAS PATREM.]. vidua etiam dicitur ea mulier, cum qua vir fecit diuortium,ſeu diſcidium:non ſolùm ea,cuius vir mortuus eſt.Omnino enim vidua ea eſt,quæ poſteaquàm nupſit,viro caret.PORTITOR. DOMVM D.]non vxor domum duxiſſe videor,ſed portitorem. hoc eò dicit Menæchmus,quòd hæc mulier virum egredientem domo,& redeuntem ita curioſè obſeruet,& excutiat,quod facere ſolent portitores,vt portoria exigant. Virg.li.6.Æn. *Portitor has horrendus aquas,& flumina ſeruat Terribili ſqualore Charon.* M.Tull. de lege Agraria ad Quirites.*Sin eſt iniquum,Quirites,ſi turpe,ſi intolerandum,hos decemuiros, portitores*



A *portitores omnibus omnium pecuniis cõſtitui: qui non modò reges, atque exterarũ nationũ homines excutiãt,&c. Sunt autem portitores*,inquit Nonius, *telonarij,qui portum obſidentes omnia ſcrutãtur,vt ex iis vectigal accipiãt.*M.Tull.lib.4.de Rep.*Nolo enim eundem populum,imperatorem,& portitorem eſſe terrarum. optimum autem & in priuatis familiis, & in Republ.vectigal eſſe duco parſimoniam*. deinde profert hunc locum Plauti. NIMIÙM EGO TE HABVI DELICATAM]nimiùm ego te molliter,& delicatè tractaui. nimiùm ego tibi indulſi. nimiùm me lenem, facilem, remiſſum, & mollem in te præbui. *Delicata dicebant diis conſecrata*, inquit Feſtus: *quæ nunc dedicata.Vnde adhuc manet delicatus, quaſi luſui dicatus.* NVNC ADEÒ VT FACTVRVS DICAM.]id eſt,nũc porrò, quomodo ſim facturus,dicam. BENE PRÆBEO:] liberaliter,& largè ſufficio,ac ſuppedito: ἀφειδῶς πορίζω καὶ παρέχω.MALO CAVEBIS, SI S.]ſermo minantis.ſic infrà ead.fab.*Dictũ faceſſat doctum:& diſcaueas malo*.ſic ſuprà in Bacch.*Omitte Lyde:ac caue malo*.Vtrumq.autẽ vſitatũ eſt, *& caue malo,& caue malum*.In Moſtell.*Lubet cauere malã rem priùs,quàm vt meũ tergum exſinceratũ fiat*. auctor Priapeior.*Quare qui ſapiet,malum cauebit,cùm tãtum hic ſiet mentularum*.VIRVM OBSERVARE DESINES.] deſines virum curioſè, & ſuſpicioſè circumſpicere, vel inſidioſè captare. ſic in Aulular.*Oculos ego iſtos,improba,effodiam tibi,Ne me obſeruare poßis,quid rerum geram*.Virgil.lib.
B Georgic.3.*quos durus arator,Obſeruans nido implumeis detraxit*. Terẽt.Andr. *Perterrefacias Dauum:obſerues filium,quid agat*. Idem ibidem. *Herus me, relictis rebus iuſsit Pamphilum Hodie obſeruare, vt quid ageret de nuptiis,Scirem*.Plautus in Amph.*Obſeruabo,quam rem agat*. NE ME NEQVIDQVAM SERVES:]ne me fruſtrà & ſine mercede,ac pretio obſerues:vt tuæ obſeruationis pretium feras: ne inanem operã in me obſeruãdo ſumſeris,ſiue ſumas.OB EAM INDVSTR.] propter id ſtudium,quod adhibuiſti,&adhibes in me obſeruãdo,&c.induſtria,inquit auctor vocabularij Latino-Græci,cuius mihi copiam fecit Cl.Putean.hoc eſt, σπουδή. HODIE DVCAM SC. AD SC.] ducere ſcortum,dicunt Latini, vt ducere vxorem: ſed non vna ratione. Ducit enim vir vxorem domum,vt perpetuò habeat: ducit ſcortum, ad aliquod tempus, & ducit non domum,ſed quò lubet. ATQVE ALIQVÒ CONDICAM F.] denuntiabo alicui amico, me apud eum cenaturum,vel denuntiabo alicui ſcorto.*Condicere*, inquit Feſtus, *eſt dicendo denuntiare*.Iuriſcõſulti præterea docent in Digeſtis,cõdicere,eſſe denunciare priſca lingua.Hinc tituli, *De condictione cauſa dati,cauſa non ſecuta. De condictione ob turpẽ cauſam.De cõdictione indebiti.De condictione ſine cauſa. De condictione furtiua*,&c.PROFEC. ME HAVD VXOR. VLCISC]nam ita fiet, vt mihi ipſi domi cenandũ ſit. EVAX]interiectio lætitiam declarans,ſuprà in Bacchid.*Euax, adſperſiſti aquam*. IVRGIO HERCLE TAND.&c.] iurgium leuius eſt,quàm lis,inquit No-
C nius, ídque docet auctoritate Ciceronis lib.4. de rep. *Admiror non rerum ſolùm, ſed verborum elegantiam.Si iurgant,inquit, beneuolorum cõcertatio,non lis inimicorum,iurgium dicitur*.ibid.infrà,*iurgare igitur lex putat inter ſe vicinos,non litigare*.VBI AMAT. SVNT M.?]mariti,qui alias mulieres amãt, & qui amorib.ſunt dediti.amator amat ex habitu:amans ex perturbatione.amicus amat animũ, amator corpus.Terent.Andr.*Summum bonum eſſe heræ putabam hunc Pamphilum: Amicũ amatorem,virum,in quouis loco paratum*. PALLAM]veſtem ſuperiorem,quam ſumebant matronæ,prodituræ in publicum.*palla*,inquit Nonius,*eſt honeſtæ mulieris veſtimentum*. DARI FACETÈ VERBA CVSTODI CATAE.]dari verba cuſtodi callidæ, & ſagaci. ſic autem legendum,vt edidi, non *catè* aduerbialiter ſine diphthongo. FABRÈ] affabrè. tranſlatio eſt ab operibus fabrilibus. MEO MALO À MALA ABSTVLI]horum verborum ſententia hæc videtur eſſe, & verò eam nonnulli probant.meo ſumtu, ac damno hanc pallam ab vxore mea mala abſtuli: meo damno autem, quia meo ſumtu parata eſt, & quia quæ vxoris meæ ſunt, mea ſunt, & noſtro damno res noſtras ſcortis damus.Quidam ſubtiliùs,& acutiùs ſic,pallam abſtuli ab vxore mea mala,meo malo,id eſt,vt eam donem ſcorto,quod eſt mihi malo,ſeu malum,quę mulier eſt rei meæ familiaris calamitas. HOC AD DAMNVM DEFERETVR HINC.]hæc palla hinc
D ad ſcortum damnoſum deferetur. quidam ſic, ad hoc damnum accedet, quod hinc aliò deferetur. non placet. meam explicationem confirmat id,quod ſequitur, non longè admodum in eadem ſcena. *Nunc ad amicam deferetur, hanc meretricem Erotium*. AVERTI PRÆDAM AB HOSTIBVS, &c.] allegoria à re militari. ab hoſtibus autem,id eſt,à mala vxore.Itaque in Mil. glor.mala vxor & inimicus in eodem gradu ponuntur,ibi.*Nam in mala vxore,& inimico ſi quid ſumas, ſumtus eſt.In bono hoſpite,atque amico ſi quid ſumas, quæſtus eſt*. NOSTRÛM SALVTES.] noſtrorum ſociorum ſalute. id eſt,noſtris ſociis ſaluis. ECQVA,&c.]nunqua pars mihi eſt in iſta præda?TENEO DEXTERA GENIVM MEVM]prehendebant dexterã in ſalutationibus,ſuprà in Moſtell.*hominem optimum teneo*. teneo genium meum autem,id eſt,hominem,qui mihi inſtar genij eſt,ſeu quem tamquam genium meum colere,& venerari debeo:eum, qui me alit,& in vita retinet,& quodammodo genuit.Genium,vt vult Apuleius in lib.de deo Socratis, appellant Latini,quem Græci δαίμονα: qui cum homine gignitur,quamuis ſit immortalis, inquit ille,eſt enim cuiuſque animus,genius.Sed alij Genium volunt eſſe, qui vim obtinet rerum omnium genendarum, id eſt gignendarum, vt tradit Feſtus. Sed de Genio alibi plura. ſuprà in Curcul. *Ecquis eſt, qui mihi commonſtret Phædromum,Genium meum?* MAGIS PER TEMPVS] magis commodè,magis opportunè. in Caſina. *Non pol per tempus iter incœpi*. COMMODITATIS OMNEIS ARTICVLOS SCIO]omneis minimas particulas opportunitatis teneo.

omnia momenta commoditatis mihi nota ſunt. FACINVS LVCVLENTVM] facinus A clarum,& prædicabile,ſeu memorabile. QVIS ID COXIT COQVVS] vide, vt Plautus ſuas cuiuſque perſonæ parteis accuratè tuetur,& vt ſuum cuiuſque decorum ſeruet. quid tam decet paraſitum edacem,quàm animum vſque habere in patinis,& meras epulas, meráque obſonia crepare,& quidquid ab altero de aliqua re dicatur, de dapibus & epulis, & obſoniis dici exiſtimare? verè illud dictum eſt,canis prædam ſomniat:& item illud, aſinus carduos in ſomnis videt. Ita igitur hoc loco paraſitus Peniculus, cùm Menæchmus, ſurreptus ſe facinus luculentum ei oſtendere velle ſignificaret,pallámque ab vxore ablatam intelligeret:ille facinus luculentum,obſonium aliquod ex animi ſui ſententia, & ex perſonæ decoro interpretans, quærit, quis id coquus coxerit,quærit. IAM SCIBO,&c.] Iam ſciam,ſi quid peccatum eſt,poſtquam reliq. vid. SIQVID TITVBATVM EST,] id eſt, ſi quid peccatum eſt: tralatio. ſic Horat. epiſt.ad Vinnium Aſell.lib.1. *Vade,vale,caue ne titubes,mandataq; frangas.* M. Tull. Diuinatione de accuſ.conſtit.in extr. *ſi tantulùm offenſum,titubatúmque ſit,vt ea,quæ ſingillatim,ac diu collecta ſunt, vno tempore vniuerſa perdamus.* ſignificat autem ſe bonum, atque vſu peritum eſſe obſoniorum coquendorum artificem. VBI AQVILA CATAMITVM RAPERET:] vbi aquila Ganymedem raperet:&c.Feſtus.Alcedo,dicebatur ab antiquis pro Alcyone,vt pro Ganymede, Catamitus:pro Nilo,Melo. *Catamitum pro Ganymede dixerunt veteres:qui fuit Iouis concubinus.* hactenus B Feſtus.M.Tullius pro impudico poſuit Philipp.2. *Ergo, vt te catamitum, nec opinatò cùm oſtendiſſes, præter ſpem mulier adſpiceret,idcirco vrbem terrore nocturno,Italiam multorum dierum metu perturbaſti?* Fuit autem Ganymedes,Priami filius:quem volunt poëtæ à Ioue ſub aquilæ ſpecie in monte Ida raptum eſſe. AVT VBI VENVS ADONEVM?] aut vbi Venus Adoneum, hoc eſt Adónim rapit?nam repetendum verbum *rapit*, è ſuperiore. Adonin alij fuiſſe volunt Phœnicis, & Alpheſibœæ filium:alij Cynaræ Cypriorum regis,& Myrrhæ.Eum amauit Venus, &, dum venatur,ab apro interfectum,miſerabiliter defleuit. exſtat in eum carmen funebre, à Theocrito conſcriptum,vt miſerabiliſſimum,ita politiſſimum.cuius hoc principium eſt, Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν, ἀπώλεο καλὸς Ἄδωνις. Cõmemorat Virgil.in Gallo. *Et formoſus oueis ad flumina pauit Adonis.* AD ME ATT.] ad me,paraſitum:qui ventrem cibis dapſilibus, & caris ſaturare, atque explere,non oculos picturis paſcere & cupio,& ſoleo. ECQVID ASSIMVLO SIMILITER?] id eſt,nónne aliqua ex parte Ganymedem,& Adonim forma, aut ornatu refero? nónne Ganymedem,& Adonim ſpecie,aut cultu corporis imitor? aſſimulare,ſeu aſſimilare,eſt,aſſimilem ſe alicui facere,ſimilitudinem alicuius aſſumere.vt,cùm dicimus, ſimulare bonum virum, ſimulare verum amicum.hoc autem idcirco quærit,quod pallam vxoris induerat. Ganymedes autem & Adonis pueri molles,& impudici,& mulierum ſimiles erant. VBÍNAM ESVRI C SVMVS?] redit paraſitus ad id, quod magis eum ſollicitat, quódque magis ad eum attinet. ECQVID AVDES DE TVO ISTVC A.?] numquid abs te imperrare potes,vt de tuo ad id, quod dixiſti,aliquid addas?Sic loquitur & M. Tull.lib. 4. epiſt. ad Ser.Sulpicium. *Nam quod exemplo ſit, id etiam iure fieri putãt, & aliquid,atque adeò multa addunt, & afferunt de ſuo.* NISI SCIO, QVA GR. LITIG. EST TIBI,&c.] niſi ex te cognoſco,quam ob cauſam lis tibi ſit cum vxore. HOC MIHI ABS TE CAVEO CAVTIÙS,&c,] hoc abs te magis ſtudeo ſcire,& exploratum habere,&c. vel ſic,de hoc magis abs te certior fieri volo, &c. cauere ſibi ab aliquo, præter vulgatam ſignificationem,eſt curare vt prædibus & prædiis ab aliquo acceptis, ſibi ſit cautum,ne ab illo fraudari,aut deſtitui,ac decipi poſſit. Itaque tranſlato ſermone dixit, mihi abs te caueo,pro certior abs te fieri volo,vel certò ſcire abs te cupio. Iam,caueo cautiùs,& caueo cautè,ex eo genere ſunt,ex quo illa,quæ alibi notauimus, meminiſſe memoriter, properè properare, & ſimilia: in quibus aduerbium eiuſdem originis eſt,atque verbum, cui adiungitur. CLAM VXOREM VBI SEPVLCR. HAB.] vbi ſepulcrum habeamus clam vxore,in quo ſepulcro hunc diem,tamquam mortuum,comburamus..allegoria eſt,à conſuetudine D Romanorum,& Græcorum,in ſepeliendis mortuis:quos in rogum imponere, & comburere ſolebant.cuius moris rationem oſtendimus in Commentariis Lucretianis. ſententia autem huius allegoriæ,hæc eſt,vbi locum habeamus clam vxore,quo in loco hunc diem iam quaſi moribundum,& in occaſum præcipitantem,conſumamus,atque adeò abſumamus, iucundè ſcilicet,& hilariter viuendo,epulando,& compotando.Sic ferè dixit Horatius, condere diem, oda 5.lib.4.ibi. *Condit quiſque diem collibus in ſuis.* QVANDO ÆQVVM ORAS:] quoniã æquum dicis. QVÀM MOX INCENDO ROGVM?] manet in allegoria?quàm citò,inquit, incendo rogum, vt hunc diem comburamus? id eſt,quàm citò obſonium coquo, vt bene nobis faciamus? opiparéque epulemur? DIES QVIDEM IAM AD VMBIL.&c.] id eſt, iam meridies eſt. iam huius diei lux ad meridiem peruênit: inclinatus iam in pomeridianum tempus eſt dies: atque ita hic dies quaſi dimidiatus mortuus eſt.comburendus igitur. Sic Horatius oda 28.li.3. *Inclinare meridiẽ Sentis: ac,veluti ſtet volucris dies,Parcis deripere horreo Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.* *Ad vmbilicum* autem,hoc eſt ad mediam partẽ. vmbilicus enim medius locus, & media pars animalis eſt.Significat,diem ad meridiem perueniſſe. Sic M. Tullius lib.4. accuſ. de Ennenſium nemore, *qui locus*,inquit,*quòd in media eſt inſula ſitus,vmbilicus Siciliæ nominatur.* Profert autem hunc verſum A.Gellius.lib.3.cap.14.vbi docet,quid interſit inter, *dimidium*, & *dimidiatum*,



A *diatum*:ſic ille, in Menæchmis autem, dimidiatũ diem, non dimidium dixit Plautus in hoc verſu. *dies quidem iam ad vmbilicum*,&c. TE MORARE MIHI CÙM OBL.] tibi ipſe in mora es,cùm mihi loquendo obſtrepis. PERSOLVM EFFVNDITO OCVL. M.&c.] mihi, Menæchme,oculum vnicum,& ita cariſſimum effodito,ſi vllum verbum fecero, niſi quod iuſſeris.ſignificat ſe eſſe luſcum.nam qui perſolum,id eſt,planè,& omninò,ſolum oculum habet, is luſcus eſt. Alij perſolum,interpretantur integrum,à quibus diſſentio,ſuprà in Curcul. *Ebriolæ, perſolæ nugæ*, vbi,*perſolæ nugæ.* diximus idem valere,quod meræ nugæ. CONCEDE HVC À F.] accede huc ad me longiùs à foribus. AB LEONINO CAVO.] à ſpelunca leonina,vbi commoratur vxor,quæ eſt mihi inſtar leænæ,quæ in me ſæuit,vt leæna. *Cauus, ui*, locus ſub terra cõcauus,vt cauus murium. Horat.ſat.vlt.lib.2.in extr. *me ſilua,cauúſque,Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur eruo.* AGITATOR PROB.] agitator æquorum. Lucilius. *Suſtineat curſum, vt bonu' ſæpe agitator, equóſque.* quem verſum profert M.Tullius lib.13.epiſt.ad Attic.epiſt.20.cuius initiũ eſt, *A Cæſare litteræ.* Idem lib.4.Academic. *Ego enim, vt agitator callidus, priùs quàm ad finem veniam, equos ſuſtinebo.* QVIDVM?] quo pacto tandem me agitatorem probum eſſe dicis? NE TE VXOR SEQVATVR, RESPECTAS IDENTIDEM] iocus in verbo *reſpectare* poſitus. Agitator probus in ludis Circenſibus, identidem reſpicit eos,qui ponè currunt. Menæchmus Soſicles identidem B reſpiciebat,ſeu reſpectabat,timens,ne ab vxore conſpiceretur,pallam vxoris indutus.reſpectare autem,eſt crebrò retrò adſpicere:crebrò ceruices,& oculos retorquere. SED QVID AIS?] ſermo aliquid noui quæſituri,ſeu nouum aliquem ſermonem inſtituentis. ID ENIM QVOD TV VIS, ID AIO,&c.] tale eſt illud Gnathonis apud Terent. in Eunucho. *Negat quis? nego. ait? aio.* ECQVID TV DE ODORE POSSIS,&c.] id eſt, numquid tu poſſis, ſi quam rem fortè olfeceris,quæ res ea ſit ex odore cõiecturam facere? verbi gratia,ex odore vini, coniicimus eſſe vinum:ex odore piſcium,piſceis.ex odore roſæ,roſam, &c. CAPTVM SIT COLLEG. AVG.] ridiculè vult collegium augurũ ad coniecturam de palla, quam vxori ſurripuit,vſu adhiberi:quaſi verò de auium occentu,aut volatu,aut tripudio ſoliſtimo agatur, ex quibus tribus augures captare augurium conſueuerant. *captum ſit collegium augurum* autem,id eſt, adhibitum,& aduocatum ſit collegium augurum. ABSTINES?] ſubintellige manum, vel abſtines ſummam partem pallæ tangere,vel abſtines totam partem ad te transferre? volebat Peniculus ſummam pallæ partem,non infimam,quam obtulerat Menæchmus,odorari: vel totam pallam ad ſe trahebat,non vt olfaceret,ſed vt ſuam faceret,& ſibi haberet. vetat hoc Menæchmus:& increpans,abſtines? inquit.id eſt omittis veſtem? quæ tantumdem valent, quantum,abſtine C manum,& omitte veſtem. NAM EX ISTOC LOCO NASVM SP. ODORE ILL.] Nam ex loco infimo,quem mihi porrigis olfaciendum, naſus contrahitur, læditur, inquinatur odore tætro,& fœtido,qui nullis aquis elui poteſt.profert hunc locum Nonius in voce *ſpurcum.* docens *ſpurcum* idem valere interdum,quod fœtidum. *naſum* protuliſſe veteres etiam in neutro genere teſtatur Nonius.ſic ſuprà in Amphitr. *Sura, pes, ſtatura,tonſus,oculi,naſum,dens,labra.* odore illutibili autem, odore illuto, hoc eſt, qui elui,ſeu lauando abſtergi non poteſt. OLFACTA IGITVR,&c.] olface igitur crebrò ex hoc loco,&c. VT FASTIDIS?] quàm faſtidis? ſeu, quo pacto faſtidis? vt faſtidioſus es? INDE VSQ. AD DIVRNAM STELL. M. P.] ab illo tempore vſque matutinum tempus,ſeu vſq.ad primam lucem potabimus. per ſtellam diurnam,luciferum ſignificat:qui manè ſolem antecedit,& dicitur à Græcis φωσφόρος: veſperi ſequitur,& dicitur à Græcis ἕσπερος,à Latinis, veſperus. Horat.li.2.oda.9. *nec tibi veſpero Surgente decedunt amores,Nec rapidum fugiente ſolem.* Cum hoc loco congruit illud eiuſdem. *Sume Mæcenas cyathos amici Soſpitis centum, & vigiles lucernas Perfer in lucem.* & illud epiſt.ad Torquatum. *cras nato Cæſare feſtus Dat veniam,ſomnúmq. dies. impune licebit Æſtiuam ſermone benigno tendere noctem.* EXPEDITÈ FABVLATV'S] planè fabulatus es. VEL MANE ETIAM, MILLE P. C. C.] vel exſpecta etiam D cantharũ vini,quem afferri iuſſi,moratus mille paſſuum,id eſt mille paſſus. *mille paſſum*, poſitum pro,mille paſſuum. quod & Adr.Turneb.lib.Aduerſ.18.cap.14.indicauit. *mille paſſuum* autem.ſic dictũ,vt *mille ouium.* ab Horat.& mille nummûm, à M.Tull. & mille Philippûm Plauto noſtro, & ſimilia ab iiſdem & aliis.de quibus nos in Comment.Horat. PLACIDÈ PVLTA] leniter pulſa. ἠρέμα πάιε, ἢ κρέκειν θύραν. METVIS, CREDO, NE FORES, SAM. S.] metuis, credo,ne fores ſint fictiles,& ita fragiles,vt vaſa Samia.ſuprà in Bacchid. *Vide,quæſo,ne quis tractet illam indiligens.Scis tu,vt confringi vas citò Samium ſolet.* Idem in Capt. *Ad rem diuinam, quibus eſt opus, Samiis vaſis vtitur,Ne ipſe Genius ſurripiat.* *Samium*, inquit Nonius. *eſt teſteum.* Lucil. *Et non,pauper vti, Samio,curtóque catino.* M.Tull.lib.6.de Rep. *Exſtat oratio Lælij, quam omnes habemus in manibus, quàm ſympina pontificum,diis immortalibus grata ſint,Samiæq;,vt is ſcribit,capedines.* MANE, MANE, OBSECRO,&c.] legẽdũ videtur,mane,mane,obſecro te,hercle &c.propter verſum AB SE] domo ſua. O SOLEM VIDES SATIN' VT OCCÆCATV'ST, PRÆ H. C. C.] Satíſne vides, vt ſol occæcatus, id eſt obſcuratus,& præſtinctus eſt corporis Erotij candoribus oppoſitis,ſeu compoſitis,& comparatis? vel ſic.ſatíſne vides,ſolem, huius Erotij candoribus oppoſitis,ſeu ex aduerſo poſitis,& compoſitis,obſcuratum eſſe?

EROTIVM mulier, PENICVLVS paraſitus, MENÆCHMVS ſurreptus. A

ER. Anime mi Menæchme ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.

PE. Idem iſtuc aliis adſcriptiuis ad legionem fieri ſolet.

ME. Ego iſtic mihi hodie apparari iuſſi apud te proilium,
Hodie vt fieret. in eo vterque proilio potabimus.
Vter ibi melior bellator erit inuentus cantharo,
Tua eſt legio, adiudicato cum vtro iſtanc noctem ſies.
Vt ego vxorem, mea voluptas, vbi te adſpicio, odi malè?

ER. Interim nequis quin eius aliquid indutus ſies. B
Quid hoc eſt? ME. induuiæ tuæ, atque vxoris exuuiæ, roſa.

ER. Superas facilè vt ſuperior ſis mihi, quàm quiſquam qui impetrant.

PE. Meretrix tantiſper blanditur, dum illud quod rapiat, videt.
Nam, ſi amabas, iam oportebat naſum abreptum mordicus.

ME. Suſtine hoc, Penicule. exuuias facere, quas voui, volo.

PE. Cedò. ME. ſed obſecro hercle, ſalta ſic cum palla poſtea.

PE. Ego ſaltabo? ME. ſanus hercle non es. PE. egóne, an tu magis?

ME. Si non ſaltas, exue igitur. nimio ego hanc periculo
Surripui hodie. meo quidem animo, ab Hippolyta ſuccingulum C
Hercules haud æquè magno vmquam abſtulit periculo.
Cape tibi hanc quando vna viuis meis morigera moribus.

PE. Hoc animo decet animatos eſſe, amatores probos,
Qui quidem ad mendicitatem ſe properent detrudere.

ME. Quattuor minis ego emi iſtanc anno vxori meæ.

PE. Quattuor minæ periere planè, vt ratio redditur.

ME. Scin quid volo ego te accurare? ER. ſcio. curabo quæ voles.

ME. Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier.
Atque aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier,
Glandionicam ſuillam, laridum, peronidem, aut D
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum,
Madida quæ mihi appoſita in menſa, miluinam ſuggerant.
Atque actutum. ER. licet ecaſtor. ME. nos prodimus ad forum.
Iam nos hic erimus: dum coquitur, interim potabimus.

ER. Quando vis, veni, parata res erit. ME. propera modò.
Sequere tu me. PE. ego hercle verò, & te ſeruabo, & te ſequar.
Neque hodie vt te perdam, mereâm deûm diuitias mihi.

ER. Euocate intus Cylindrum mihi coquum actutum foras.

EXTRA



A EXTRA NVMERVM ES MIHI.] extra ordinem es mihi. non es mihi in numero eorum, qui mihi cari ſint. nullo mihi numero es. ALIIS ADSCRIPTIVIS, &c.] adſcriptiui, ſeu adſcriptitij milites, ſunt qui extra ordinem, & extra numerum militiæ adſcripti ſunt. hoc igitur dicit Peniculus facetè, quòd me extra numerũ eſſe dicis, idem iſtuc adſcriptitiis militibus ad legionem fieri ſolet. nam legioni adſcripti ſunt extra numerum, atque extra ordinem. PROILIVM] proilium vrbanè dixit, prandium ſignificans, manens in tranſlatione ſuperiore, quæ ducitur à re militari, *proilium* autem edendum curauimus, pro, *prælium* antiquè, & item ſequenti verſu, *proilio*, pro, *prælio*. libros veteres ſecutus. quod Marc. Ant. Muretus iampridem indicauit lib. var. lect. 6. cap. 4. ſic dicebant olim coitum, quem nunc cœtum. VTERQ.] ego, & Penicillus. VTER IBI MELIOR BELL. &c.] vter in eo prandio, ſeu in eo ſympoſio, & cõuiuio meliùs bibet, vel fortior, & melior potor erit. Sic M. Tull. in orat. pro Flacco. *Magnũ erat ei certamen cum Græcis propoſitum, magna contentio: qui tamen, vt opinor, iacent victi. Nam iſte vnus totam Aſiam magnitudine poculorum, bibendóque ſuperauit.* TVA EST LEGIO] tu es imperatrix. tu militũ, & totius exercitus domina es, atq; arbitra. penes te noſtri poteſtas eſt. VT EGO VXOREM, MEA VOLVPTAS, &c.] ſic in Aſinaria ſenex ille animam Philenij meretricis, dicit eſſe ſuauiorem, quàm vxoris ſuæ. INTERIM NEQVIS, QVIN EIVS ALIQ. INDSIES.] B interim tu, qui dicis te vxorem tuam malè odiſſe, tibi temperare non põtes; quin aliquod eius veſtimentum geras. QVID HOC EST?] quid hoc eſt, quod teneo, quod tu indutus es? INDVVIÆ TVÆ, ATQVE VXORIS EXVVIÆ, ROSA.] induuium, & exuuium, inter ſe opponuntur. ſed induuium, magis locum habet in arborum cortice, quo indutæ ſunt. in numero multitudinis, induuiæ, & exuuiæ. Virgilius Æneidos 4. *Dulces exuuiæ dum fata deúſque ſinebant.* O, quæ mihi roſæ inſtar es! ô, quæ roſæ odorem afflas! SVPERAS FACILÈ, VT SVPERIOR SIS MIHI, QVÀM QVISQVAM, &c.] facilè à me obtines, vt te pluris faciam, quàm quemquam eorum, qui à me impetrant, vt mecum dormiant, ſeu qui à me impetrant mei corporis vſum, & copiam. QVÀM QVISQVAM, &c.] ſubintell. eorum. MERETRIX TANTISPER BLANDITVR, DVM ILLVD, &c.] ex quo meretrices, rapaces dicuntur. NAM, SI AMABAS, IAM OPORTEBAT NASVM ABREPTVM MORDICVS, &c.] hunc locum profert Nonius, in voce *mordicus*. ſententia autem hæc eſt. nam ſi Menæchmum ex animo, & non ſimulatè amabas Erotium: oportebat te ei naſum mordicus auelliſſe. Hoc eò dicit, quòd cùm Erotium tam ſæpe Menæchmum oſcularetur, neque tamen vlla oſculorũ nota, vllúmue veſtigium, Menæchmi labris, impreſſum C eſſet, oſculari ex animo non videatur. ſic M. Tull. dixit lib. 3. epiſt. ad Q. Fr. epiſt. 4. *auriculam fortaſſe mordicus abſtuliſſet.* EXVVIAS FACERE, QVAS VOVI, VOLO.] exuere pallam, & in Erotium transferre, vt deſtinaui, ac promiſi, volo. CEDÒ] da, vt ſuſtineam. SED OBSECRO HERCLE, SALTA SIC CVM P. P.] qui ſaltabant in ſcena, qui cantabant, aut citharam pulſabant, palla ornati erant. Idcirco hîc Menæchmus periculum orat, vt, quãdo palla ornatus eſt, ſaltet. Horat. epiſt. ad Piſones. *Poſt hæc perſonæ, pallæq; repertor honeſtæ Æſchylus.* & Cornificius ad C. Herenn. lib. 4. *vti citharædus cùm prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus*, &c. quæ ab Andr. Turnebo animaduerſa, & notata ſunt lib. Aduerſ. 20. cap. 27. EGÓNE, AN TV MAGIS?] egóne non ſum ſanus, an tu potiùs? NIMIO EGO HANC PERICVLO SVRRIPVI] valde magno hanc pallam cum periculo hodie ſurripui. MEO QVIDEM ANIMO AB H. SVCCING. HERCVLES HAVD, &c.] mea quidem ſententia Hercules non æquè vmquam magno cum periculo ab Hippolyta Amazonum regina balteum abſtulit, vt ego hanc pallam vxori meæ ſurripui. profert hũc locum Feſtus in voce *ſuccingulum*, quam interpretatur balteum: ſed locus lacer, & mutilus eſt. ſic autẽ legendũ, vt edidimus, *Hercules haud æquè*, &c. non vt habẽt ferè omnes libri. *Haud Hercles æquè*, &c. qua ſcriptura claudicat verſus, vna ſyllaba breuior. noſtri D quidã libri habẽt, *Haud Hercules*, non, vt alij, *Haud Hercles*, &c. De Hippolyta, & eius cingulo quod Hercules afferre iuſſus erat, ſic Diodorus Siculus li. 4. Ἡρακλῆς δὲ λαβὼν πρόσταγμα τὸν Ἱππολύτης τῆς ἀμαζόνος ἐνεγκεῖν ζωστῆρα, τὴν ἐπὶ τὰς ἀμαζόνας στρατείαν ἐποιήσατο. &c. id eſt, Hercules igitur Hippolytæ Amazonis balteũ iuſſus afferre, exercitum in Amazonas cõparauit. MEIS MORIGERA M.] meis morem gerens morib. hoc in primis habere debet mulier, quæ vult placere viro, ingenium, & animum morigerum. nam, vt cetera deſint, vt ſit deformis, atque adeò impudica, modò diſſimulãter, & obſcurè, & cum aliquo pudore: ſi hoc adſit, virũm ſibi facilè conciliabit. contrà, vt cetera omnia ei ſuppetãt, forma, genus, pudicitia: ſi non ſit morigera, virũ à ſe alienabit. hoc ita eſſe, documẽto eſt vita quotidiana. Sic Terẽt. Hecyr. *Hæc, ita vti liberali eſſe ingenio decet; Pudens, modeſta: incommoda, atque iniurias Viri omneis ferre, & tegere contumelias.* Idem. actus 3. ſcena 1. *Tum vxori obnoxius ſum: ita olim ſuo me ingenio pertulit: Tot meas iniurias, quæ numquam vllo patefecit loco.* Lucret. lib. 4. in extr. *Nam facit ipſa ſuis interdũ fœmina factis, Morigeriſq. modis, & mundo corpori' cultu, Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.* HOC ANI. D. A. &c.] largos eſſe, & munificos, atq. adeò profuſos in ſuas puellas. ANNO] anno ſuperiore, vel anno antè, anno ſeu annum abhinc. VT RATIO REDD.] ex rationibus, quas reddis: ex iis, quæ dicis de quattuor minis. ATQ. ALIQVID SCITAM. &c.] id eſt, atque aliquid eduliũ, ſeu obſoniorum lautorum, ſcitorum, atque elegantium parari: cibos aliquos ſcitos, & eleganteis emi. Sic autẽ reſtituit

ccc

Adr. Turneb. Aduerſ.lib.18.cap.14.cùm libri quidam vulgati haberent *aliquid ſit omentorum:* manuſcr. verò, *aliquid ſitamentorum.* vſurpat hanc vocem Apuleius lib.10. de Aſino aur. ibi, *Multas numero parteis in cællulam ſuam mei ſolebant reportare domini: ille porcorum, pullorum, piſcium, & eiuſcemodi pulmentorum largiſſimas reliquias: hic panes, cruſtula, iunculos, hamos, lacertulos, plura ſcitamenta mellita.* Et Macrob. lib.7. Saturn. cap.14. princip. *Et quia ceteris expeditus mihi te paulliſper indulges, modò autē vobis de aqua ſermo fuit, quæro, cur in aqua ſimulacra maiora veris videantur: quod genus apud popinatores pleraque ſcitamentarum cernimus propoſita, ampliora ſpecie, quàm corpore.* vſus eſt eadem voce & Gellius, ſed tranſlatè, pro eloquendi veneribus, & leporibus. OBSONARIER] obſonari, emi. ſed obſonare, propriè valet, obſonium emere, ſeu parare. GLANDIONICAM SVILLAM] carnem ſuillam ex glandiis. Sunt autem glandia, ſeu glandulæ, partes in ſue calloſæ, duritie, & figura glandis: quæ ex gutture, & ceruice detrahuntur. Columella lib.8.cap.9. loquens de ſuibus. *amplæ, & glanduloſæ ceruicis, roſtris breuibus, & reſupinis.* PERONIDEM,] quod genus obſonij ſit *peronis*, quæro. libri vulgati habent, *pernam itidem*, planiùs illud quidem: ſed hîc corruptos eſſe puto: à quib. manuſcripti noſtri non diſcrepant. Camerarius *peronidem* edidit, ſuos, opinor, codices ſecutus: neque tamen docet, quid hæc vox ſignificet. Ego putabam legendum, *pernam, pedem, aut*, &c. vt ſubintell. nomen adiect. *porcinum*, in voce *pedem*. quod facilè ἀπὸ κοινοῦ repetitur. SINCIPVT,] ſubintell. porcinum: hoc eſt, partem capitis porcini anteriorem. AVT POLIMENTA PORCINA] Feſtus, polimenta, inquit, teſticulos porcorum dicebant, cùm eos caſtrabant, à politione ſegetum, aut veſtimentorum, quòd ſimiliter, atque illa, curentur. MADIDA QVÆ MIHI APP. IN MENSA, MILVIN. SVGG.] quæ mihi in menſa appoſita, iurulenta, famem auidiſſimam, qualis eſt miluij, ſubminiſtrent, ſeu præbeāt. Sic autem edidi, nam libri omnes vulgati, *appoſita menſam miluinam*, &c. manuſcr. verò habent, *appoſita in menſam*, &c. vtrique mendoſè. Adrianus Turnebus, madida, interpretatur cocta, lib. Aduerſar.18.cap.15. probabiliter, & eruditè. in voce *miluinam* autem, appetentiam, aut famem, aut auiditatem ſubintelligimus. Miluium autem ſeu miluüm, ſeu miluum, conſtat auem eſſe auidiſſimam, & voraciſſimam, & eſurientiſſimam natura. NEQVE HODIE VT TE PERDAM, MEREAM D. D. M.] id eſt, neque ſi mihi hodie dentur deorum diuitiæ, mercedis nomine, vt ego te deſeram, ac perdam, accipere velim. ſi quis mihi dicat deus: en tibi, Penicule, deorum diuitias in manus do, hac lege, vt hodie Menæchmum deſeras, ac perdas, accipere nolim. neque te hodie perdere velim, ſi mihi deorum diuitiæ in mercedem, & pretium, vt te perdam, dentur. Notauimus hoc loquendi genus alibi, non ſemel. EVOCATE INTVS CYL.] euocate domo.

C

## EROTIVM meretrix. CYLINDRVS coquus,

ER. Sportulam cape atque argentum, treis eccos nummos habes.
CY. Habeo. ER. abi atque obſoniū affer. tribus vide quod ſit ſatis.
Nequedefiat, neque ſuperſit. CY. cuiuſmodi hi homines erunt?
ER. Ego & Menæchmus, & paraſitus eius. CY. iam iſti ſunt decem,
Nam paraſitus octo hominum munus facilè fungitur.
ER. Elocuta ſum conuiuas ceterùm cura. CY. licet.
Cocta ſunt, iube ire accubitū. ER. redi citò. CY. iam ego hic ero.

D

SPORTVLAM CAPE, &c.] Sportæ, inquit Nonius, dictæ ſunt vel à ſparto, vnde fiebant, vel ab aſportando. Sunt autem ſportæ, obſoniorum vaſa, & receptacula: quamuis Aſconius in Actionis primæ princip. paullo aliter: niſi fortè ibi corruptus eſt. Varro de vita populi R. neque enim obſonium in tota cena coëmtum, ex variis rebus cùm coniectum in vnam ſportam perſpicitur, &c. ex Nonio. TREIS ECCOS NVMMOS HABES.] nummos aureos intellige, non ſeſtertios, nummus aureus autem valebat duos coronatos aureos noſtros, & aliquāto plus. TRIBVS VIDE QVOD SIT SATIS.] vide, id eſt, prouide, & eme tantum, quantum ſit ſatis tribus. Sic autem edendum curaui, *tribus vide quod ſit ſatis*. nam alij libri habent, *tribus vide quid ſit ſatis*. quam ſcripturam minus probo. Fortaſſis etiam hoc modo legi poteſt, *tribus vide qui ſit ſatis*. id eſt, vide vt ſit ſatis tribus. NAM PARASITVS OCTO HOM. MVNVS FACILÈ FVNGITVR.] nam paraſitus eſt, & bibit, quantum homines octo. verbum *fungitur*, iunxit cum accuſandi caſu, & ſuo, & aliorum quoque nonnullorum more. Nonius hunc locum profert, & ait accuſatiuum pro ablatiuo eſſe poſitum. CONVIVAS CETERÙM CVRA.] id eſt, ceteroqui conuiuas cura. ceterùm, τἄλλα, cetera, alioqui, ceteroqui. COCTA SVNT,] ſignificat, ſe ſummam diligentiam in coquendis obſoniis adhibiturum.

Nulla'ſt



A

## MENÆCHMVS Soſicles. MESSENIO ſeruus.

ME. Nulla'ſt voluptas nauitis Meſſenio
Maior, meo animo, quàm quando ex alto procul
Terram conſpiciunt. MES. maior, non dicam dolo,
Quàm ſi adueniens, terram videas, quæ fuerit tua.
Sed quæſo quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quaſi mare, omneis circuimus inſulas?
ME. Fratrem quæſitum geminum germanum meum.
B MES. Nam quid modi futurum eſt illum quærere?
Hic annus ſextus, poſtquam rei huic operam damus.
Iſtros, Hiſpanos, Maſſylienſeis, Illurios,
Mare ſuperum omne, Græciámque exoticam,
Oráſque Italicas omneis. quà egreditur mare,
Sumus circumuecti. ſi acum credo quæreres,
Acum inueniſſes, ſi appareret: tamdiu
Hominem inter viuos quæritamus mortuum:
Nam inueniſſemus iam diu, ſi viueret.
ME. Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui ſeſe dicat ſcire, eum eſſe mortuum.
C Operam præterea numquam ſumam quærere.
Verùm aliter viuus numquam deſiſtam exſequi.
Ego illum ſcio, quàm cordi carus ſit meo,
MES. In ſcirpo nodum quæris. quin nos hinc domum
Redimus? niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.
ME. Dictum faceſſat doctum, & diſcaueas malo,
Moleſtus ne ſis, non tuo hoc fiet modo. MES. hem.
Illoc enim verbo eſſe me ſeruom ſcio.
Non potuit paucis plura planè proloqui.
Verùm nequeo me continere, quin loquar.
D Audi Menæchme, quum inſpicio marſupium.
Viaticati hercle admodum æſtiuè ſumus.
Næ tu hercle opinor niſi domum reuorteris,
Vbi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nam ita eſt hæc hominum natio hîc Epidamnia.
Voluptarij atque potatores maxumi:
Tum Sycophantæ & palpatores plurimi
In vrbe hac habitant, tum meretrices mulieres,
Nuſquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic vrbi nomen Epidamno inditum eſt:
Quia nemo fermè huc ſine damno deuortitur.
ME. Ego iſtuc cauebo. cedò dum mihi huc marſupium.

MES. Quid eo vis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis. A
Tu magnus amator mulierum es Meſſenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id vtrumque, argentum quando habebo, cauero.
Ne tu delinquas, néve ego iraſcar tibi.
MES. Cape atque ſerua, me lubente feceris.

NVLLA'ST VOLVPTAS NAVITIS MESSENIO, &c.] *terram videre, ſeu conſpicere*, prouerbium olet. M. Tullius. in Catone Maiore. *Quæ mihi quidem tam iucunda eſt, vt quo propius ad mortem accedam, quaſi terram videre videar, aliquandóque in portum ex longua nauigatione eſſe venturus.* Idem pro Murena in principio. *Quod ſi è portu ſoluentibus, ij, qui iam in portum ex alto inuehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum:* &c. *quo tandem me animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas Reipub. tempeſtates eſſe* B *ſubeundas?* Huc referendum eſt illud Diogenis Cynici, qui cùm audiſſet quendam recitatorem moleſtum, & longum, ille autem toto libro recitato auditoribus oſtendiſſet cartam extremam non exaratam & litteris carentem, bono animo eſtote viri, inquit, terram video. Græca verba ſi quis fortè requiret hæc ſunt, Μακράτινος ἀναγινώσκοντος, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βιβλίου, ἄγραφον παραδείξαντος, Θαρρεῖτε, ἔφη, ἄνδρες γῆν ὁρῶ. NON DICAM DOLO] dicam ex animi ſententia: dicam, vt ſentio. QVÀM SI ADVENIENS, TERRAM VIDEAS, QVÆ FVERIT TVA] quàm ſi in patriam ex alto aduenięns, terram videas, quæ deſierit eſſe tua, ſeu quæ non ſit amplius tua. Nam quod fuit, non eſt, vt alibi diximus. Hoc igitur dicit ſeruus Meſſenio hero aſſentiens multo iucundiſſimum eſſe poſt longam iactationem ex alto terram intueri: & quidem multo iucundius, quàm aduenię̃tem, terram eam videre, quæ olim tua fuerit, nunc deſierit eſſe tua. Notat decoctores, qui bona ſua obligurriũt, & patrimonia ſua ſcortis, ac lenonib. largiuntur. AN QVASI MARE OMNEIS CIRC. INSVLAS] ánne idcirco nos ad hunc modum, & tamdiu peregrinamur, vt tamquam mare, omneis inſulas circumeamus? *quaſi mare*, eſt recti caſus. eſt enim hic ordo, & hæc ſentẽtia: an nos quaſi mare, hoc eſt, quaſi mare eſſemus, vel ad exemplum maris, omneis inſulas circuimus? Nam mare circuit omneis inſulas: & inſula ea eſt, quæ omni ex parte à mari cingitur, & circuitur. GEMINVM GERMANVM] geminum, C vno partu editum. germanum γνήσιον, ex iiſdem parentibus natum. NAM QVID MODI FVTVRVM EST ILLVM QVÆRERE?] at quídnam modi, ſeu quíſnam modus nobis futurus eſt illum quærendi? Quem modum conſtituemus huic quærendi labori, atque operæ? quando quærere deſinemus? Namquid, pro quídnam. κατ' ἀναστροφήν, de quo ſuprà. conſule indicem. REI HVIC] huic quæſtioni. ISTROS.] Iſtri, id eſt, Danubij, vt quidam volunt, accolas. ſed Iſter in Scythia Europæa, Danubius in Sarmatia, & Germania fluit. Deinde aliquãdo tandem Iſter fit, vt vult Mela. MARE SVPERVM OMNE] mare omne Adriaticum. GRÆCIÁMQ. EXOTICAM] id eſt, Græciam longinquam, & externam, eam ſignificat Italiæ partem, quæ magna Græcia dicebatur. SVMVS CIRCVMVECTI] ordo eſt, & ſumus circumuecti oras Italicas omneis, &c. id eſt, circum oras omneis vecti ſumus, &c. SI ACVM CREDO, QVAER. ACVM, &c.] prouerbiũ ex hyperbole, ſeu ſuperlatione, quo ſignificamus ſummam in re aliqua quærenda diligentiam eſſe adhibitam. TAMDIV HOMIN. INTER VIVOS QVAERITAMVS M.] quod eſt, inanem operam ſumere. Nam mortui ſunt apud inferos, hoc eſt, ſepulti, & humati ſunt, & iacent in tenebris, inquit Catullus, (de corporibus lo- D quor, non de animis) ſub terra igitur quærendi ſunt, non inter viuos, qui ſuper terram ſunt, & ſpiritum è cælo ducunt, & lucis vſura fruuntur. ERGO ISTVC QVAERO CERTVM QVI F. M.] ordo eſt. ergo quæro, qui mihi iſtuc faciat certum: hoc eſt, quæro igitur, qui me certò doceat, fratrem meum eſſe mortuũ. QVI SESE DICAT SCIRE, &c.] ἐπεξήγησις. OPERAM PRAET. NVMQVAM, &c.] id eſt, cùm ego certò cognouero eſſe eum mortuum, ſeu cùm aliquem inuenero, qui mihi dicat ſe certò ſcire fratrem meum eſſe mortuum: numquam præterea, id eſt, numquam ampliùs, operam in quærendo conſumam. VERÙM ALITER, &c.] verùm niſi aliquem inuenero, qui mihi liquidò confirmet, fratrem meum eſſe mortuum: quamdiu viuam, numquã id quod inſtitui, deſinam exſequi. EGO ILLVM SCIO, QVAM CORDI C. S. M.] loquendi genus comicum, & à Græcis ſumtum. ſententia autem eſt. Ego ſcio, quàm valde ille animo meo ſit carus, id eſt, quàm vehementer illum amem ex animo. IN SCIRPO NODVM QVAERIS.] quæris quod numquam inuenies, prouerbium eſt. Feſtus, ſcirpus, inquit, eſt id, quod in paluſtribus locis naſcitur, leue, & procerum, vnde tegetes fiunt. inde natum prouerbium eſt in eas res, quæ nullius impedimẽti ſunt, in ſcirpo nodum quærere. Ennius. *Quærunt in ſcirpo ſoliti quod dicere nidum.* Et Plautus in Aulularia. *quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis.* Hactenus Feſtus. Ego ad hæc Feſti verba. *in eas res,*



A *res, quæ nullius impedimenti ſunt, libenter addiderim, & in eas, quæ numquam reperiri poſſunt. ſcirpus enim nodis caret.* vtitur & Terentius hoc prouerbio in Andr. ibi. *Dignus es Cum tua religione odio. nodum in ſcirpo quæris.* ad quem locum iuuabit legere, quæ notat Donatus. NISI SI HISTORIAM SCRIPTVRI SVMVS.] ironia eſt. hoc enim ſentit domum redire, & peregrinandi finem facere, debemus, niſi fortè hiſtoriam ſcripturi ſumus, atque idcirco nobis diutiùs peregrinandum eſſe exiſtimamus, vt omnibus terrarum finibus peragratis, maribúſque obitis, libros geographicos de ſitu orbis, & hiſtoriam de hominum moribus conſcribere poſſimus. vel ſic, profectò domum iam repetere debemus. niſi fortè idcirco tamdiu peregrinamur, & eo cõſilio, atq; animo tot terrarũ oras perambulamus, tótq; maria circuimus, ac circumuehimur, vt hiſtoriam conſcribamus. DICTVM FACESSAS DOCTVM] noli mihi loqui verba arguta, & ſentẽtioſa. noli mihi argutari, & ſententias fundere. miſſa fiant verba docta, hoc eſt, è doctrina petita, & doctrinam olentia. ET DISCAVEAS MALO.] ſermo minantis. vide, vt longè tibi caueas à malo. Vide quantum potes, vt vites malum, proinde quaſi ita dicat: ſi pergis mihi obſtrepere, & verbis iſtis doctis, atque argutis aduerſari, non procul aberit abs te infortunium, & malum. NON TVO HOC FIET MODO] non tuo hoc fiet arbitratu. Sic Terent. Andr. *Sine nunc meo me viuere interea modo.* ILLOC ENIM VER- B BO, &c.] liberi enim hominis eſt, ſuo arbitratu, modo ſine alterius contumelia loqui. At ſeruus non quod vult, neque quamdiu, aut quomodo, ſed quod herus vult, & quamdiu, & quomodo ille vult: præfinitò denique loquitur. Itaque in democratiis, ſiue in ciuitatibus liberis, maximè locum habent ἰσηγορία & παῤῥησία hoc eſt, æqualis dicendi poteſtas, & orationis libertas. VIATICATI HERCLE ADM. ÆSTIVÈ SVMVS] id eſt, viatico admodum tenui, & anguſto inſtructi ſumus. tractum hoc videtur eſſe à re caſtrenſi, & militari. nam milites hibernis temporibus, & hibernis caſtris commeatum, victúmque largiorem, & cibaria copioſiora prouidere ſolebant, quàm æſtiuis. Licet etiam dicere, à viatoribus eſſe ductum, qui cùm ſe paucioribus diebus eò, quò volunt æſtate peruenturos eſſe, ſciant, quàm hyeme: & frugibus ac fructibus ęſtiuis ſe inter eundem facilè tolerare poſſint, quod item hieme, terra ſqualente, atque horrente nequeant: tempore æſtiuo, viaticum ſibi parant anguſtius, & leuius. Vtramque harum explicationum ſequitur Adr. Turneb. Aduerſ. lib. 18. cap. 15. Putabam etiam hoc tertio modo hunc locum explicari poſſe, ita tamen vt eadem ſententia maneat: Plautum æſtiuè viaticos dixiſſe, tenuiter, & anguſtè, & parcè viaticatos, ſermone tranſlato, ab iis, qui veſtiti ſunt ad eos, qui viaticati ſunt. Dicere enim ſolemus aliquem æſtiuè veſtitum, nempe eum, qui leuiter, & expeditè C veſtitus eſt. Nam æſtiuo tempore veſtitu leuiore, & pauciore opus eſt, quàm brumali. Sic igitur æſtiuè viaticatos dixit Plautus, non copioſo admodũ, neque magno viatico inſtructos. quæ poſtrema explicatio mihi videtur facilior, ac planior, & minus longè petita, quàm duæ ſuperiores. quamquam neque illas damno, aut improbo, neque hanc, reiectis illis, vnicè amplector. Iudicet igitur lector. GEMINVM DVM QVÆRIS GEMES] paronomaſia, ſeu parechesis. *gemes* autem, hoc eſt, οἰμώξεις, plorabis, flebis, tuam vicem dolebis, te miſerum dices. VOLVPTARII ET POT. MAX.] ſubintell. *ſunt*. PALPATORES] aſſentatores, ſuprà in Amph. *Obſeruatote, quàm blandè mulieri palpabitur.* NVSQVAM PERH. BLAND. GENT.] ordo eſt, nuſquam gentium blandiores perhibentur. PROPTEREA HVIC VRBI N. EPIDAMNO IND. EST, &c.] non eſt hoc quidem verum, cùm ſit nomen Græcum: ſed tamen Romani idcirco huic vrbi nomen immutarunt, quòd eis malum nomen viſum eſt, & Dyrrachium nominarunt, nomina obſcæna vitantes, atque horrentes. Mela lib. 2. *Vrbium prima eſt Oricum: ſecunda Dyrrachium. Epidamnos antè erat. Romani nomen mutauêre, quia velut in damnum ituris, omen id viſum eſt.* Plinius lib. 3. cap. 23. *In ora verò Denda, ciuium Romanorum Epidamnum colonia, propter inauſpicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellata.* Plautus infrà, tribus pòſt verſibus. *ne mihi damnum in Epidam-* D *no duis.* CEDÒ DVM MIHI, &c.] da mihi igitur huc marſup. *dum* particula inſeparabilis, quæ cohæret cum verbo, *cedò*. QVID EÒ VIS?] ſubintell. *facere?* TV MAGNVS AMATOR MVL.] ſic Terent. Eun. *At pol ego amatores audieram eſſe mulierum maximos.* ANIMI PERDITI] animi impotentis, hoc eſt, qui ſibi moderari, & temperare non poteſt. ID VTRVMQ. ARGENTVM Q. H. CAVERO] id vtrumque videlicet, ne tu ſcorteris, ſiue, ne tu delinquas, vt ſtatim ſubiicit. Nam ſine nummis ſcortari non poteris, alterum ne ego tibi iraſcar: quia, ſi non delinques, ſcortando, & nummos meos inſumendo, præciſa erit mihi omnis iraſcendi occaſio.

## CYLINDRVS, MENÆCHMVS Soſicles, MESSENIO.

BEne obſonaui, atque ex mea ſententia,
Bonum anteponam prandium pranſoribus.

Sed eccum Menæchmum videon' à tergo meo? A
Prius iam conuiuæ ambulant ante oſtium,
Quàm ego obſonatu redeo. adibo atque alloquar.
Menæchme ſalue. ME. di te ament. ſcis quis ego ſum?
CY. Non hercle verò. vbi conuiuæ ceteri?
ME. Quos tu conuiuas quæris? CY. paraſitum tuum.
ME. Meum paraſitum? cerè hic inſanus eſt homo.
MES. Dixin' tibi eſſe hic ſycophantas plurimos?
ME. Quem tu paraſitum quæris adoleſcens meum?
CY. Peniculum. MES. eccum hunc in vidulo ſaluum fero.
CY. Menæchme, numerò huc aduenis ad prandium.
Nunc obſonatu redeo. ME. reſponde mihi B
Adoleſcens, quibus hîc pretiis veneunt porci
Sacres, ſinceri, numos hos à me accipe.
Iube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem inſanum eſſe te certò ſcio.
Qui mihi moleſtu's homini ignoto, quiſquis es.
CY. Cylindrus ego ſum. non noſti nomen meum?
ME. Seu tu Cylindrus, ſeu Coliendrus, perieris.
Ego te non noui, neque nouiſſe adeò volo.
CY. Eſt tibi Menæchmo nomen, tantum, quod ſciam.
ME. Prò ſano loqueris, cùm me appellas nomine.
Sed vbi nouiſti tu me? CY. vbi ego te nouerim? C
Qui amicam habeas, heram meam, hanc Erotium.
ME. Neque hercle habeo, neque te, quis ſis homo, ſcio.
CY. Non ſcis quis ego ſim, qui tibi ſæpiſſimè
Cyathiſſo apud nos, quando potas? MES. hei mihi,
Cùm nihil eſt, illi qui homini diminuam caput.
ME. Tun' cyathiſſare mihi ſoles, qui ante hunc diem
Epidamnum numquam vidi, neque veni? CY. negas?
ME. Nego hercle verò. CY. non tu in illiſce ædibus
Habitas? ME. dij illos homines, qui illic habitant, perduint
CY. Inſanit hic quidem, qui ipſe maledicit ſibi. D
Audin' Menæchme? ME. quid vis? CY. ſi me conſulas,
Nummum illum, quem mihi dudum pollicitu's dare,
Iubeas, ſi ſapias, porculum afferri tibi.
Nam tu quidem hercle, certò non ſanu's ſatis
Menæchme, qui nunc ipſus maledicas tibi.
MES. Heu hercle hominem moleſtum & odioſum mihi.
CY. Solet iocari ſæpè mecum illo modo.
Quantumuis ridiculus eſt, vbi vxor non adeſt.
ME. Quid ais tu? CY. quid vis, inquam? ſatin' hoc quod vides,
Tribus vobis obſonatum'ſt? an obſono amplius
Tibi & paraſito & mulieri? ME. quas tu mulieres,





A Quos tu paraſitos loquere? MES. quod te vrget ſcelus?
Qui huic ſis moleſtus? CY. quid tibi mecum eſt rei?
Ego te non noui: cum hoc, quem noui, fabulor.
ME. Non ædepol tute homo ſanus es, certò ſcio.
CY. Iam ergo hæc madebunt faxo, nihil morabitur.
Proin tu ne quò abeas longiùs ab ædibus.
Nunquid vis? ME. vt eas maxumam in malam crucem.
CY. Ire hercle melius eſt te intrò, atque accumbere,
Dum ego hæc appono ad Vulcani violentiam.
Ibo intrò, & dicam te hîc adſtare Erotio,
Vt te hinc abducat, potius quàm hîc adſtes foris.
B ME. Iámne ille abiuit? ædepol haud mendacia
Tua verba. MES. exterior hoſce obſeruato modò:
Nam iſtic meretricem credo habitare mulierem,
Vt quidem ille inſanus dixit, qui hinc abiit modò.
ME. Sed miror quî ille nouerit nomen meum.
MES. Minimè hercle mirum. morem hunc meretrices habent,
Ad portum mittunt ſeruolos, ancillulas:
Si qua peregrina nauis in portum áduenit,
Rogant cuiatis ſit, quid ei nomen ſiet.
Pòſt illæ extemplò ſe applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
C Nunc in iſtoc portu ſtat nauis prædatoria,
Abs qua cauendum nobis ſanè cenſeo.
ME. Mones quidem hercle rectè. MES. tum demum ſciam
Rectè monuiſſe, ſi tu rectè caueris.
Tacedum parumper. nam concrepuit oſtium,
Videamus qui hinc egreditur: hoc ponam interim,
Aſſeruatote hoc ſultis nauales pedes.

BENÈ OBSONAVI, ATQ. EX M. S.] bona, & opipara obſonia paraui, atque ex mea ſententia. BONVM ANTEP. PR. PRANS.] ſic loquitur in Curcul. *Quid antepones Veneri pro ientaculo?* anteponam pranſoribus, id eſt, ponam ante pranſores. apponam pranſoribus.
D Creber eſt apud Homerum hic verſus. Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοιμα, προκείμενα χεῖρας ἴαλλον. hoc eſt, illi autem cibis paratis, ante ſe poſitis, manus admouebant. SED ECCVM MENÆCHM. VIDEÓN' À TERGO MEO?] Sed videóne Menæchmum à tergo meo? Hîc ſunt erroris initia. Et coquus quidem, primus errat, qui Menæchmum aduenam, qui Soſicles nominatur, Menæchmum ſurreptitium, ciuem Epidamnium, cuius paraſitus eſt Peniculus, eſſe putat. QVÀM EGO OBSONATV RED.] quàm ego ab emendo obſonio redeo. ECCVM HVNC IN VID. SALVVM F.] iocus ex ambiguo. Nam Cylindrus quærit vbi ſit Peniculus paraſitus, & per Peniculum, paraſitum Menæchmi ſurreptitij ſignificat. Meſſenio, paruum penem, ſeu caudam ſalacem intelligit: quam ſe ſaluam in vidulo, hoc eſt, in ſacculo, & ſubligaculo ferre dicit. ſuprà in Epid. *vbi is ergo eſt? niſi ſi in vidulo, Aut ſi in mellina attuliſti.* NVMERÒ HVC ADVENIS, &c.] numerò, id eſt, nimis citò: quia ſcilicet nunc primùm obſonatu redeo. Sic autem legendum: & ita habent noſtri libri veteres, neque aliter edidit Camerarius. Nam quòd Alciatus lib. 10. Parergωn iuris, cap. 14. hunc locum, in libris vulgatis corruptum, ex ingenio emendat, & legit, *nunc obſonator adeò reſponde mihi.* fallitur, & longè aberrat à ſcopo. QVIBVS HÎC PRETIIS VENEVNT PORCI SACRES, SINCERI. &c.] porci ſacri, ſiue, vt veteres loquebantur, ſacres, & ſinceri, immolabantur ab iis, qui piaculum aliquod admiſerant, aut qui inſani exſtiterant. ſignificat igitur Menæchmus Soſicl. coquum eſſe inſanum. Hunc locum

autem declarat Varro lib.2.de re Ruſtica cap.1.Ferè ad quattuor menſes à mamma non diiun- A
guntur agni,hædi tres,porci duo:è queis,quoniam puri ſunt ad ſacrificium,vt immoletur,olim
appellati ſacres:quos appellat Plautus,cùm ait,quanti ſunt porci ſacres?Idem eodem lib.cap.4.
apertiùs,& planiùs.Cùm porci depulſi ſunt à mamma, à quibuſdam delici appellantur: neque
iam lactantes dicuntur:qui à partu decimo die habetur. puri ab eo appellantur,ab antiquis ſa-
cres,quòd tum ad ſacrificium idonei dicuntur primùm. Itaque apud Plautum in Menæchmis,
eum,inſanum,quem putat,vt pietur in oppido Epidamno interrogat.Quanti hîc ſunt porci ſa-
cres?Feſtus quoque hūc locum explicarat, atque illuſtrarat in voce,*ſacrem*.ſed Feſtus ipſe ita eo
loco lacer,& mutilus eſt,vt alieno lumine,vnde illuſtretur,egeat. Laribus autem immolabātur
hi porci ſacres,non ſolùm ab inſanis,verumetiam ab iis, quibus aucta erat liberorum prole fa-
milia.Iterum Plautus in Rud.*vt rem diuinam faciam,cùm intrò aduenero,Laribus familiaribus,cùm auxe-
rūt noſtrā familiam.Sunt domi agni,& porci ſacres.*Euſtathius in notis ad librum ἰλιαδ.τ.ſcribit, por-
cum, ab antiquis exiſtimatum eſſe ad expiationes idoneum:teſtémque producit Æſchylum,in
his, Πρὶν ἂν παλασμοῖς αἵματος χοιροκτόνου Αὐτός σε ξενίου Ζεὺς καλασάξας χεροῖν. huc per-
tinet illud Horatianum ſat.3.libro ſermonum 2. *Non eſt periurus,neque ſordidus. immolet æquis, Hîc
porcum Laribus.*Ad quem locum notauimus,Larum matrem,Maniam, ſeu Manam eſſe nomina-
tam:& Lares,Grunduleis appellatos.ex quo factum eſſe,vt & inſani Lares ſibi propitios redde- B
re ſtuderent,& porcos iis diis immolarent,vt eſſet diis digna victima. NVMMOS HOS À
ME ACCIPE.] nonnulli alij libri habent,*nummum vnum en à me accipe.* quæ lectio mihi magis
placet:eámque cōfirmat,quod ſequitur non longè admodum,*ſi me conſulas,Nummum illum, quem
mihi dudum pollicitu's dare, Iubeas,ſi ſapias,porculum afferri tibi.* QVI MIHI MOLESTV'S,&c.]
qui mihi moleſtus es,homini ignoto. HOMINI IGNOTO,] ignoto, hoc eſt, te ignoranti:
qui te non noui.videtur enim vox,ignoto,hîc accipienda ἐνεργητικῶς,vt in epiſt.ad L.Luceium,
Q. Fil.libro 5.*Atque illi artifices,corporis ſimulacra ignotis nota faciebant*:&c. SEV TV CYLIN-
DRVS, SEV COLIENDRVS,&c.] Iocus ex paronomaſia. quæ aliquanto remotior ſit, ſi
legatur,vt vulgò,*Seu tu Cylindrus,ſeu Coriandrus*, &c. vtrumque autem pro re eadem dici, *Corian-
drum*,& *Coliendrum*,conſtat. VBI EGO TE NOVERIM? QVI AMICAM,&c.] malim
ſic legi,& interpungi,*vbi ego te nouerim,Qui amicam habeas heram meam hanc Erotium?* hac ſententia,
rogáſne,vbi ego te nouerim,qui amicam habeas heram meam hanc Erotium?CYATHISSO]
cyathum vini plenum miniſtro: κυάθω οἰνοχοῶ, κυαθίζω. HEI MIHI, CÙM NIHIL
EST, ILLI QVI H. D. C.] hei mihi,quia nihil mihi eſt,quo illi homini comminuam ca-
put. PERDVINT.]perdiderint. NVMMVM ILLVM QVEM MIHI D. POLL. D.
IVBEAS, SI SAP.]id eſt,ſi ſapias,illo nummo,quem nummum illum mihi dudum pollici- C
tus es dare,porculum afferri tibi. CERTÒ NON SANV'S SATIS,] certè non ſatis ſanus
es. QVAMTVMVIS RIDICVLVS EST,&c.] quamtumuis ridiculus eſt,cùm vxor non
adeſt.*ridiculus* autem interdum valet,facetus,vrbanus,qui dictis ſalſis, & venuſtis mouere riſum
ſolet,& ita hoc loco accipiendum eſt. Aliàs *ridiculus*,eſt riſu dignus. Hinc illud Catonis in Cic.
*quem ridiculum habemus conſulem?*SATIN' HOC, QVOD VIDES, TRIB. VOBIS OBSO-
NATVM'ST?] ſatíſne tribus vobis hoc obſoniū,quod vides,emtū eſt.vel ſic,hoc obſoniū quod
vides,& quod à me emtum eſt,ſatíſne eſt vobis tribus? AN OBSONO AMPL.&c.] an emo,
hoc eſt,an emam tibi,& paraſito,& mulieri obſonium amplius?QVAS TV MVLIERES,
QVOS TV PAR.&c.] vide, vt quas res coquus numero ſingulari appellarat,Menæchmus
numero multitudinis iteret.ſic faciunt,qui quod ab alio dictū eſt, improbant, ac reprehendūt.
Sic apud Terent.in Adelph. *cupio. verùm hoc mihi in mora'ſt,Tibicina,& Hymenæum qui cantent.*D.*cho:
Vin' tu huic ſeni auſcultare?* ASCH. *quid?* D. *miſſa hæc face,Hymenæum,turbas,lampadas, tibicinas.*ſic no-
ſter Plautus in Curcul. *quas tu tabulas,Quos tu mihi Luſcos libertos, quos Summanos ſomnias?* QVOD
TE VRGET SCELVS?]quod te ſcelus agitat?quæ te intemperiæ vexant? Horat. ſat.3.lib.1. D
*optimus ille eſt,Qui minimis vrgetur.*& ſat.3.lib.2.*pudor*,inquit,*te malus vrget,Inſanos qui inter vereare in-
ſanus haberi.*MADEBVNT, FAXO?]fecero,vt cocta ſint.vel,fecero,vt in iure natent,vt iuru-
lenta ſint.illud alterum magis placet,quàm hoc. NIHIL MORABITVR.] nulla res vos
morabitur,hoc eſt remorabitur,quo minùs mox accumbatis, & prandeatis. vel *morabitur* acci-
piendum imperſonaliter paſſiuè.vt ſubintelligatur,*à me.*hoc eſt,nihil morabor.non ero longus,
aut tardus,in me mora non erit vlla. DVM EGO HÆC APPONO AD VVLCANI
VIOLENTIAM.]id eſt,dum ego hæc igni admoueo. ET DICAM TE HÎC ADSTA-
RE ER.]ordo eſt,& dicam Erotio,te hîc adſtare. EXTERIOR HOSCE OBSERVATO
MODÒ.]facito modo,vt extra illas ædeis,vbi hi habitant,hoſce obſerues. ſic autem legendum
eſt,non,vt habent libri vulgati,exterior eſſe obſeruato modò. CVIATIS SIT:] vnde ſit:
quâ in vrbe,quóue in loco natus ſit.Cuius,& cuiatis,inquit Nonius, hanc habent differentiam.
*Cuius*,ad perſonam refertur hominis:*cuiatis*,vnde ſignificant.Acc.in Telepho. *Qui neque cuiatis eſ-
ſet,vnquam potuimus,multum rogitantes,ſcire.* Hactenus Nonius. Adde Ennij hæc Enniana. *Hoſtem
qui feriet,mihi erit Carthaginiēſis,Quiſquis erit,Cuiatis ſiet.* QVID EI NOMEN SIET.]aliàs,quod
ei nomen ſiet.quod magis probo. AGGLVTINANT.]tralatio,ſic ſuprà in Ciſtell. *Nam hercle
iam ad me agglutinandam totam decretum'ſt dare.* SI PELLEXERVNT.] ſi ſuis illecebris perdu-
xerunt.



A xerunt. PERDITVM AMITTVNT DOMVM.]non dixit,admittunt,id eſt, recipiunt do-
mum,ſed admittunt,id eſt, è manu mittunt, vel manu dimittunt domum, quaſi in viuarium.
Horat.epiſt.1. lib. 1. *Excipiántque ſenes, quos in viuaria mittant.* NVNC IN ISTO PORTV
STAT NAVIS PRÆDATORIA]allegoria eſt:per nauim prædatoriam meretricem Ero-
tium ſignificat:per portum,domum eius ſignificat.ſic infrà. *Ducit lembum dierectum nauis prædato-
ria.* TVM DEMVM SCIAM RECTÈ MONVISSE.]ſubintellige,me,hoc modo.tum
demum ſciam me rectè monuiſſe,&c.non ad didit autem prouocabulum *me*.ex Græcorum con-
ſuetudine,qui ita loquūtur, οἶδα ποιήσας.id eſt,ſcio feciſſe,pro ſcio me feciſſe: & ἔφη ποιήσειν.
id eſt,dixit facturus eſſe,pro dixit ſe facturum eſſe,&c.in quibus locutionibus & ſimilibus,non
eſt tranſitus à perſona ad aliam perſonam:vt cùm dico,ſcio te venturum eſſe,&c.TACE DVM
PARVMPER.] *dum* particula inſeparabilis. CONCREPVIT OSTIVM.] ab aliquo,qui
exiturus eſt,oſtij ſonitus,ſiue crepitus editus eſt. VIDEAMVS, QVI HINC EGREDI-
TVR.]videamus,quis ex his ædibus egrediatur. HOC PONAM INTERIM]interea hanc
ſarcinam deponam.interea me hac ſarcina leuabo. SVLTIS] ſi vultis. NAVALES PE-
DES.]id eſt,ſerui remiges,alij,per nauales pedes,nautas ſignificari volunt,alij,pueros, qui vſ-
que in naui herum ſecuti ſunt. *Remi*, inquit Nonius, *nauales pedes.* ſicut plerumque *remi* dicun-
B tur *remiges*.Virgil.lib.5 Æneid.*quam deinde Cloantus Conſequitur, melior remis.* Puto autem, vt dicam
ἐν παρόδῳ,legendum apud Nonium *Remiges,nauales pedes*,&c.

## EROTIVM, CYLINDRVS, MENÆCHMVS Soſicles. MESSENIO.

SIne foreis ſic. abi,nolo operiri.
Intus para,cura,vide quod opus eſt vt
Fiat,ſternite lectos, incendite odores:
Munditia,illecebra animo eſt amantum.
C Amanti amœnitas,malo eſt,nobis lucro.
Sed vbi ille eſt,quem coquus ante ædeis eſſe ait?
Atque eccum video,qui mihi eſt vſui,&
Plurimum prodeſt?item huic vltrò fit,vt
Meret,potiſſimùm noſtræ domi vt ſit.
Nunc eum adibo,alloquar vltrò.
Animule mi,mihi mira videntur,
Hîc te ſtare foris,fores cui pateant
Magis quàm domus tua,domus cùm hæc tua ſit.
Omne paratum'ſt,
Vt iuſſiſti atque vt voluiſti:neque tibi eſt
D Vlla mora intus.prandium vt iuſſiſti, hîc
Curatum eſt.vbi lubet,ire licet accubitum.
ME. Qui cum hæc mulier loquitur? ER. equidem tecum. ME. quid mecum tibi
Fuit vnquam,aut nunc eſt negotij? ER. quia pol te vnum ex omnibus
Venus voluit me magnificare,atque id haud immerito tuo.
Nam ecaſtor ſolus benefactis tuis me florentem facis.
ME. Certò hæc mulier aut inſana,aut ebria eſt,Meſſenio,
Hominem quæ ignotum compellet me tam familiariter.
MES. Dixin' ego iſtæc hic ſolere fieri?folia nunc cadunt
Præ vt,ſi triduum hoc hîc erimus,tum arbores in te cadent,

Nam ita ſunt hîc meretrices omnes illecebræ argentariæ. A
Sed ſine me dum hanc compellare. heus mulier. tibi dico. ER. quid eſt?
MES. Vbi tu hunc hominem nouiſti? ER. ibidem, vbi hic me iam diu:
In Epidamno. MES. in Epidamno, qui huc in hanc vrbem pedem,
Niſi hodie, nunquam intrò tetulit? ER. eia delicias facis
Mi Menæchme. quin amabo, is intrò? hic tibi erit rectius.
ME. Hæc quidem ædepol rectè appellat meo me mulier nomine.
Nimis miror quid hoc ſit negotij. MES. oboluit marſupium
Huic iſtuc, quod habes. ME. atque ædepol tu me monuiſti probè. B
Accipe, iam hoc ſcibo vtrum hæc me mage amet, an marſupium.
ER. Eamus intrò vt prandeamus. ME. bene vocas, tamen gratia'ſt.
ER. Cur igitur tibi me iuſſiſti coquere dudum prandium?
ME. Egóne te iuſſi coquere? ER. certò tibi & paraſito tuo.
ME. Cui, malùm, paraſito? certè hæc mulier non ſana eſt ſatis.
ER. Peniculo. ME. quis iſte eſt Peniculus? qui extergentur baxeæ?
ER. Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detuliſti, quam ab vxore tua ſurripuiſti. ME. quid eſt?
Tibi pallam dedi, quam vxori meæ ſurripui? ſanan' es?
Certè hæc mulier canterino ritu hic adſtans ſomniat. C
ER. Quî lubet ludibrio habere me, atque ire inficias mihi
Facta quæ ſunt? ME. dic quid eſt id, quod negem quod fecerim?
ER. Pallam te hodie mihi dediſſe vxoris. ME. ſed iam nunc nego.
Ego quidem neque vnquam vxorem habui, neque habeo: neque huc
Vmquam, poſtquam natus ſum, intra portam penetraui pedem.
Prandi in naui, inde huc egreſſus ſum, te conueni, æcere.
ER. Perij miſera, quam tu nunc mihi nauem narras? ME. ligneam,
Sæpè tritam, ſæpè fixam, ſæpè excuſſam malleo.
Quaſi ſupellex pellionis palus palo proximus'ſt. D
ER. Iamiam amabo deſine ludos facere, atque i hac mecum ſimul.
ME. Num quem mulier alium hominem, non me, fortè quæritas?
ER. Non ego te noui Menæchmum Moſcho prognatum patre?
Qui Syracuſis perhibêre natus eſſe in Sicilia,
Vbi rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pythia,
Tertium Olympia, qui in morte regnum Hieroni tradidit.
Nunc Hiero eſt. ME. haud falſò mulier prædicas. MES. proh Iuppiter.
Nunc iſtæc mulier illinc vênit, quæ te nouit tam catè.
ME. Hercle, opinor, pernegari non poteſt. MES. ne feceris,

Periſti,



A Periſti, ſi intraſſis intra limen. ME. quin tace modò,
Bene res geritur: aſſentibor, quicquid dicet, mulieri,
Si poſſim hoſpitium nanciſci. iam dudum mulier tibi
Non imprudens aduerſabar. hunc metuebam, ne meæ
Vxori renuntiaret de palla, & de prandio,
Nunc quando vis, eamus intrò. ER. etiam paraſitum manes?
ME. Neque ego illum maneo, neque flocci facio: neque ſi venerit,
Eum volo intromitti. ER. ecaſtor haud inuita fecero.
Sed ſcin' quid te, amabo, vt facias, impero? ME. quid vis modò?
ER. Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrygionem vt deferas,
B Vt reconcinnetur, atque vt opera addantur, quæ volo.
ME. Hercle, quin tu rectè dicis, eadem ignorabitur,
Ne vxor cognoſcat te habere, ſi in via conſpexerit.
ER. Ergo mox auferto tecum, quando abibis. ME. maximè.
ER. Eamus intrò. ME. iam ſequar te. hunc volo etiam colloqui.
Ehò Meſſenio accede huc. MES. quid negotij eſt? ME. ſcire vis?
MES. Quid ergo opu'ſt? ME. opus eſt. MES. ſcio, vt mendices. ME. tanto nequior es.
Habeo prædam, tantum incepi operis. tu quantum potes,
Abduc iſtos in tabernam actutum deuerſoriam.
C Tum facito, ante ſolem occaſum, vt venias aduorſum mihi.
MES. Non tu iſtas meretrices nouiſti here. ME. tace, inquam, nunc iam.
Mihi dolebit, non tibi, ſi quid ego ſtultè fecero.
Mulier hæc ſtulta atque inſcita eſt, quantum perſpexi modò,
Eſt hic præda nobis. MES. perij. ME. iámne abis? MES. periit probè,
Ducit lembum dierectum nauis prædatoria.
Sed ego inſcitus, qui me hero meo poſtulem moderarier.
Dicto me emit audientem, haud imperatorem ſibi.
D Sequimini, vt quod imperatum eſt, veniam aduorſum tempori.

SINE FOREIS SIC.] verba Erotij ad Cylindrum coquum, qui ingreſſus domum, oſtium claudere volebat, quod eum vetat facere Erotium egrediens, vt Menæchmum Soſiclem, quem putat eſſe Menæchmum ciuem, amatorem ſuum, & quem coquus errans, & forma deceptus, dixerat ei foris eſſe, aduenientem comiter excipiat, & blandè domum vocet. NOLO OPERIRI.] nolo oſtium operiri, id eſt, claudi. STERNITE LECTOS, &c,] nunc alloquitur ancillas. INCENDITE ODORES:] incendere odores, eſt, rebus ſuauem odorem mittentibus incenſis, odores gratos excitare. Sic M. Tull. lib. 5. Tuſcul. *faſciculum ad nareis admouebis? incendes odores? ſertis redimibis, & roſa?* MVNDITIA ILLECEBRA ANIMO EST AMANTIVM.] amantium animus, munditia puellarum, tamquam illecebra quadam capitur. Sic Lucret. lib. 4. *Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis, Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu. Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.* AMANTI AMOENITAS, MALO EST, NOBIS LVCRO.] loci amœnitas, ſeu locus amœnus, amanti, malo eſt, id eſt, amantem allicit, & inducit, vt velit in domo meretricia verſari, quod ei damnoſum, & pernicioſum eſt: nobis lucro, quia ex eo, quod amantes nos colunt, & ædeis noſtras frequentant, rem noſtram bene gerimus, &

lucrum facimus. *Amœna loca dicta ſunt*, inquit Feſtus, *quæ ad ſe amanda alliciant, id eſt, attrahant*. QVI MIHI EST VSVI.] qui mihi vtilis eſt. ITEM HVIC VLTRÒ FIT, VT M. &c.] id eſt, ita fit huic Menæchmo, vltrò, id eſt, non roganti, neque petenti, vt meret, hoc eſt, vt meretur, ſeu vt dignus eſt, nempe vt potiſſimùm, hoc eſt, ante alios omneis domi noſtræ ſit. Profert hunc locum Nonius docens *meret*, poſitum eſſe pro *meretur*. ſic infrà ead. fab. *Adibo, atque hominem accipiam dictis, quibus meret.* ALLOQVAR VLTRÒ.] alloquar eum prior, & ab eo non appellata, neque prouocata, hoc enim ſignificat vltrò. OMNE PARATVM'ST] quidam libri habent, *omne paratum'ſt prandium.* MIHI MIRA VIDENTVR, &c.] mihi mirum videtur, &c. VBI LIBET, IRE LICET ACCVBITVM.] id eſt, cùm libet, accubitum ire licet. In *libet, licet*, ineſt nonnulla parechesis, ſeu potiùs paronomaſia: qualem quæ fuit & illa generis imperatorij mulier: cui cùm dixiſſet propinquus eius, imperator, ſi liceret, liberet: ſi libet, licet, inquit illa. MAGNIFICARE.] magnifacere. HAVD IMMERITO TVO.] id eſt, merito tuo ἐλάττωσις, ſeu λιτότης. ME FLORENTEM FACIS.] me fortunatam & beatam facis: ſic dicunt Græci, θάλλειν, & αἴθειν, pro εὐτυχεῖν, καὶ εὖ πράττειν. DIXIN' EGO, &c.] dixíne ego, &c. id eſt, nónne dixi ego, iſta hîc fieri ſolere? FOLIA NVNC CADVNT, PRÆ VT, SI, &c.] allegoria eſt, ſignificat, ſi comparentur hæc, quæ nunc fiunt, quòd mulier cum ignoto tam familiariter loquatur, cum iis, quæ intra triduum futura ſunt: proinde hoc eſſe, ac ſi folia cadentia cum arboribus ipſis cadentibus conferantur: mirum tibi videtur, inquit, mulierem tibi ignotam te, hominem ignotum tam familiariter appellare, atque alloqui. verùm ſi hoc triduum hîc erimus, folia nunc in te cecidiſſe dices, præ iis, quæ tunc videris, & tunc arbores ipſæ in te corruere tibi videbuntur. ILLECEBRÆ ARGENTARIÆ.] quæ illiciunt amanteis, vt argentum, ab iis eliciant. vel quæ argentum amantium ad ſe illiciant ἴυγγες ἀργυρίου argenti illices. SED SINE ME DVM HANC COMPELLARE.] ſine me dum, id eſt, ſine dum me, &c. tmeſis. IN EPIDAMNO, QVI HVC IN HANC VRBEM PED. NISI HODIE NVNQ. INTRÒ T.?] in Epidamno te eum vidiſſe, aut nouiſſe dicis, qui nunquam niſi hodie in hanc vrbem ingreſſus eſt? intrò tetulit, hoc eſt, intrò tulit, ſeu intulit. *tetulit* antiquum, pro *tulit.* EIA DELICIAS FACIS.] eia, perge tuo arbitratu, mi Menæchme, te delicatè iocari video. delicias facis, τρυφᾷς. HÎC TIBI ERIT RECTIVS.] hîc, domi noſtræ, tibi erit melius, quàm foris. OBOLVIT MARSVPIVM HVIC ISTVC, QVÒD HABES] hæc mulier marſupium iſtud, quòd tu habes, odorata eſt. huic mulieri marſupij tui odor ad nareis peruênit. Marſupium tuum huius mulieris naribus odorē obiecit. ſuprà in Amphit. *hei numnam ego obolui?* BENE VOCAS, TAMEN GRATIA'ST.] benignam te, & liberalem in eo te præbes, quòd me ad prandium vocas. verumtamen gratia eſt, id eſt, verumtamen habeo gratiam, quod eſt, gratiam tibi tui prandij facio. prandio tuo non vtor. honeſta eſt recuſatio, ſeu reiectio. vt illa apud Ariſtophanem κάλλιστα, ἐπαινῶ, id eſt, pulcherrimè, ſeu rectiſſimè: laudo, & illa apud Horatium epiſt. 7. lib. 1. *at tu quantumuis tolle. benignè.* Nam ibi viator, qui ita reſpondet *benignè*, pudēter, & honeſtè Calabri hoſpitis munera aſpernatur, & reiicit: proindè ac ſi ita diceret: liberalem tu quidem te erga me præbes. ſed liberalitate tua non vtor, tibíque ago gratias. Sic enim locum illum explicauimus in comment. noſtris Horatian. infrà in Mercatore, *cena dabitur, Bene vocas, benignè dicas: Cras apud te, nunc domi. Sic decet, ſic fieri oportet.* CVI, MALÙM, PARASITO?] *malùm* interiectio ſtomachantis, & indignantis. QVI ISTE EST PENICVLVS, QVI EXTERGENTVR BAXEÆ] quis eſt iſte Peniculus? an quo baxeæ extergētur? baxeæ, calceamenti genus, quo ſacerdotes, & Philoſophi vtebantur. vt ex Apuleio intelligere licet lib. 2. de Aſino aureo, ibi. *Hæc cùm dicto, iuuenem quemdam lintheis amiculis intectū, pedéſque palmeis baxeis indutum, & aduſque deraſo capite, producit in medium.* Idem lib. xj. *Nec ille deerat, qui magiſtratum faſcibus, purpuráque luderet: Nec qui pallio, baculóque, & baxeis, & hircino barbitio Philoſophum fingeret.* Idem libro 1. Floridorum. *fateórque me ſellularias quidem arteis minus callere: veſtem de texterna emere, baxeas iſtas de ſuterna præſtinare.* Eſt autem iocus ex ambiguo, in nomine *Peniculus*. nam Peniculi dicuntur ſpongiæ, quibus menſæ, ſubſellia, calcei, crepidæ, &c. extergentur. Feſtus, penem, inquit, caudam vocabant: vnde & offam porcinam cum cauda, offam penitam dicebant. hinc Peniculos dicimus, quibus calciamenta tergentur, qui ex caudarum extremitate fiunt. Penis denique à pendendo vocatus eſt. CERTÈ HÆC MVLIER CANTERINO RITV HÎC ADSTANS SOMNIAT.] dicuntur nonnulli dormiētes non ſolùm ſtare, ſed etiam ambulare, loqui, diſputare, cantare, rixari, iurgare. Alij etiam pugnas edunt, & tumultuantur, & clamorem horribilem tollunt in ſomniis. quin beſtiæ quoque nōnullæ eadem faciunt in quiete, quæ vigilantes: exempli cauſa: canes venantur, equi currunt, & de palma certant. quod pulcherrimis verſibus perſequitur Lucret. lib. 4. *Et quoi quiſque fere ſtudio deuinctus adhæret, Aut quibus in rebus multùm ſumus antè morati, Atque in qua ratione fuit contenta magis mens: In ſomnis eadem plerumque videmur obire: Cauſidici cauſas agere, & componere leges: Endoperatores pugnare, ac prælia obire: Nautæ contractū cum ventis cernere bellum:* &c. ſequitur aliquot pòſt verſibus. *Quippe videbis equos forteis, cùm membra iacebunt, In ſomnis ſudare tamen, ſpiraréque ſæpè, Et quaſi de palmis ſummas contendere vireis: Venantúmque canes in molli ſæpè quiete Iactant crura tamen ſubitò, vocéſque repente Mittunt, & crebras, redducunt naribus auras, Vt veſtigia ſi teneant inuenta ferarum: Expergefactíque ſequuntur inania ſæpè Ceruorum ſimulacra, fugæ quaſi dedita cernant,*

*Donec*



*Donec diſcuſſis redeant erroribus ad ſe.* Plinius lib. 10. cap. vlt. *Præter hominem ſomniare equos, canes, boues, pecora, capras, palàm eſt.* Non eſt dubium autem, quin equi etiam ſtantes dormiant, & ſomnient. Porrò canterij, equi ſunt caſtrati. Itaque & canterios ſtanteis ſomniare, & canteriorū ſomnia, placidiora, & tranquilliora eſſe, quàm equorum probabile eſt. Quin conſtat canterios, magis, quàm equos ſtanteis dormire, ac ſomniare. Ineſt autem ambiguum in verbo *ſomniare*. Nam ſomniare duo ſignificat, & ſomnia inter dormiēdum, ſeu in quiete cernere, & nugari, blaterare, inepta, atque abſurda loqui. Hoc igitur dicit Menæchmus Soſicles, hanc mulierem, leuem quamdam inſaniam inſanire, vt nonnulli dormientes res placidas, & tranquillas ſomniant, & inter dormiendum ſtant, aut placidè ambulant, ita vt vigilare videantur. Sic Lucret. lib. 3. *Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas?* Plautus in Amphit. *quæne vigilans ſomniat?* Nonnulla his ſimilia ſcripſit Adrian. Turneb. Aduerſ. lib. 18. cap. 15. ATQ. IRE INFITIAS MIHI] atque infitiari mihi. PENETRAVI PEDEM] penitus intuli pedem. *penetraui* poſuit ἐνεργητικῶς nouè. Nonnulli hac nouitate offenſi, legunt *intra portam penetraui pede.* ſed errant. nam ſic loquitur infrà ead. fab. ibi. *Si ego intra ædeis huius vnquam vbi habitat, penetraui pedem*, &c. PRANDI IN NAVI:] *prandi* præteritum à verbo prandeo. ſic infrà eadem fab. *prandi, potaui, ſcortum accubui.* ÆCERE] id eſt, per ædem Cereris. *æcere*, iuſiurandū eſt, inquit Feſtus. alij *eccere* volunt ſignificare ecce, ſeu potiùs, ecce rem. SÆPÈ EXCVSSAM MALLEO.] ſæpè malleo dum trita, & lacera reficitur, extra concuſſam, ſeu exagitatam. QVASI SVPELLEX PELLIONIS PALVS PALO PROXIMV'ST] in hac naui, quaſi ſupellex pellionis, hoc eſt, eius qui pelleis componit, polit, & concinnat, palus palo eſt proximus: quemadmodū in officina pellionis crebri, & multi ſunt pali lignei ad diſtendendas pelleis, & ſiccandas: ita in naui multi ſunt: & palus palo proximus eſt. hæc ſunt vrbanè dicta, riſus mouendi cauſa. DESINE LVDOS FACERE] deſine ludere, & iocari, &c. παῦε παίζων. PERHIBERE] perhiberis, diceris. ATQ. I HAC MECVM SIMVL] & veni per oſtium mecum ſimul in ædeis. VBI REX AGATHOCLES REGNATOR FVIT.] ſuprà in Moſtell. *Alexādrum magnum, atque Agathoclem aiunt maximas duo res geſſiſſe*, &c. Ad quem locum de Agathocle nonnulla. REGNATOR FVIT] Rex fuit. Virgil. lib. 2. Æneid. *Tot quondam populis, terriſque ſuperbum Regnatorem Aſiæ.* Idem lib. 8. *Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum.* ET ITERVM PYTHIA] ſubintellige, vicit. ſignificat Agathoclem bis Pythiorum victorem fuiſſe. Sic autem hunc locum reſtituit Hermolaus Barbarus: & ſic legitur in exemplis Venetis, Florētinis, Pariſienſ. Lugdunen. ceteris vulgatis omnibus. TERTIVM OLYMPIA.] tertium vicit Olympia. hoc eſt, ter fuit Olympionices, ſeu Olympiorū victor. QVI IN MORTE REGNVM HIERON TRADIDIT] atqui narrat Diodorus Siculus lib. ſuprà commemorato Agathoclis filios duos cùm ipſe in Africa ſaluti ſuæ fuga conſuluiſſet, & ab eius exercitu fuiſſe interfectos: quorum alteri natu minori nomen erat Heraclidi: alteri natu maiori Archagatho. NVNC HIERO EST.] ſubintellige, regnator. ſed hoc videtur falſum, & ἀνιστόρητον. TAM CATÈ.] tam callidè: tam doctè. PERNEGARI NON POTEST.] ad extremum negari non poteſt: ad extremum cedēdum eſt: tandem, quò vocat, eundum. SI INTRASSIS INTRA LIMEN] ſi intraueris, &c. ASSENTIBOR QVIDQVID DICET MVL.] id eſt, aſſentiar mulieri, quidquid dicet, nulla in re quā mihi dicet, mulieri aduerſabor. ſic autem legendum, non vt vulgò *aſſentabor*. Sic apud Terent. in Eunuch. ibi. *Poſtremò imperaui egomet mihi omnia aſſentari*: legendum *aſſentiri*, id eſt, omnia altero dicente, approbare. Atque hanc huius loci emendationem, id, quod ſequitur non longè, comprobat. *iamdudum mulier, tibi non imprudens aduerſabar.* Nā aduerſari alteri loquēti, & aſſentiri, ferè inter ſe opponūtur. Sic ſuprà in Moſtell. legēdum. *Nunc ne eius cauſa vapulem, tibi potiùs aſſentibor*: non vt habēt libri vulg. *tibi potiùs aſſentabor.* & in Mili. Glor. *Et aſſentiēdum'ſt quidquid hic mentibitur.* Aſſentibor autē, pro aſſentiar, veteribus eſt vſitatum, qualia ſunt illa, largibor, demolibor, ſcibo, & ſcibitur, aperibitur, ſubblandibitur, &c. pro largiar, demoliar, ſciam, & ſcietur, aperietur, ſubblandietur, &c. ſic infrà eadē fabula, ſcenia. *Potin', vt quieſcas*, &c. *Cœpi aſſentiri mulier quidquid dixerat.* Sic enim legendū eſt etiam ibi, non vt vulgò *aſſentari*. MANES?] exſpectas? NEQ. FLOCCI FACIO] ac ne flocci facio quidem. hyperbole eſt. AD PHRYGIONEM VT DEFERAS.] Phrygia veſtis picta eſt, inquit Nonius, eius artifices Phrygiones appellantur. Plinius lib. 8. *Acu pingere Idæi Phryges inuenerunt, vnde Phrygiones appellati ſunt, qui acu pingunt ſcilicet.* Iterum Plaut. eadem fab. *pallam ad Phrygionem fert, confecto prandio, vinóque epoto*, &c. EADEM IGNORABITVR] eadem opera, ſeu eadem ratione palla reconcinnata, & operibus additur, immutabitur, & ita ignorabitur ab vxore, neque cognoſcetur. HVNC VOLO ETIAM COLLOQVI] verbum *colloqui* iunxit cum accuſandi caſu, non inſolens. SCIRE VIS?] proinde ac ſi dicat, ſi ſcire vis, quid negotij ſit, accede huc, & ſcies: vel ſic, ſcire vis? id eſt, quæris? Nam qui quærit, ſcire vult. QVID ERGO OPV'ST] ſubintellig. me iſtuc ad te accedere? VT MENDICES.] hoc dicit, propterea quòd ingreditur in ædeis meretricias, ex quibus credibile eſt, eum inanem egreſſurum, & ita mendicare neceſſe habiturum. TANTO NEQVIOR ES] ſi patieris me mendicare, neque aliquid excogitabis, vnde nobis ſuppetant res ad victū neceſſariæ. ABDVC ISTOS, &c.] iſtos naualeis pedes. TVM FACITO, ANTE SOLEM OCCASVM, &c.] ante ſolem occaſum, id eſt, vt nunc loquimur, ante ſolis occaſum. Nam ſol occaſus, & ſolem occaſum, dicebāt antiqui.

fff

Lex xij.tabul. REM VBI PAGVNT, ORATO: NI PAGVNT. *ante meridiem cauſam conicito. pòſt meridiem præſenti litem addicito, cùm perorant ambo præſentes. Sol occaſus diei ſuprema tempeſtas eſto.* Varro libro ſexto de lingua Latina. Itaque in duodecim tabulis: *Sol occaſus diei ſuprema tempeſtas eſto.* Sic A. Gell. libro 17. cap. 2. Plautus infrà eadem fabula. *Nam abſque te eſſet hodie numquam ad ſolem occaſum viuerem.* Legendum autem eſſe hîc apud Plautum ita, vt edidimus, *ante ſolem occaſum*, non vt vulgò, *ante ſolis occaſum*, præter rationem, & librorum veterum auctoritatem, etiã lex carminis vincit. nam ſi legatur *ante ſolis occaſum* verſus claudicabit, vna ſyllaba breuior. VT VENIAS ADVORSVM MIHI.] vt mihi obuiam venias, ſuprà in Moſtell. *te aduorſum venire mihi volo ad Philolachem.* ATQVE INSCITA EST.] atque inſipiens, & ſtolida eſt. *inſcitia*, inquit Feſtus, *ſtultitia.* PERII.] ſic legendum, non vt vulgò, *peri.* dicit enim ſe periiſſe Meſſenio, quia herum videt introire in ædeis meretricias, & hero ad mendicitatem redacto, ſibi quoque mendicare neceſſe fore. Præterea ſi *peri* legetur, claudicabit verſus. DVCIT LEMBVM DIERECTVM NAVIS PRÆDATORIA.] allegoria eſt, qua hoc ſignificatur: ducit herum meum Menæchmum captum, & quaſi ſub dio erectum, & cruci ſuffixum, mulier meretrix. lembus, nauicula eſt breuis, & leuis. SED EGO INSCITVS, &c.] ſed ego inſipiens, ac ſtultus, &c. QVI ME HERO MEO POSTVLEM MODERARIER] Sic reliquam huius verſus partem edendam curaui. Nam neque hæc lectio, quomodo edidit Camerarius, *qui pro me hero poſtulem.* neque hæc, vt habent alij libri vulgati, *qui hero me poſtulem*, &c. ferri poſſunt. DICTO ME EMIT AVDIENTEM, &c.] emit me ſibi obedientem, & obtemperantem, non imperantem, id eſt, emit me, ſibi vt parérem, non vt imperarem. VENIAM ADVORSVM TEMPORI] veniam aduorſum ſibi. ſubintell.

## PENICVLVS paraſitus.

PLus annis triginta natus ſum, quando interea loci  
Nunquam quicquam facinus feci peius, neque ſceleſtius,  
Quàm hodie, quando in contionem mediam me immerſi, miſer,  
Vbi ego dum hæreo, Menæchmus ſe ſubterduxit mihi.  
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere,  
Qui illum dij omnes perduint, qui primus commentus eſt  
Contionem, hac réque homines occupatos occupat.  
Non ad eam rem otioſos homines decuit deligi?  
Qui niſi aſſint, quom citantur, cenſus capiant illico.  
Affatim eſt hominum in dies, qui ſingulas eſcas edunt,  
Quibus negotij nihil eſt, qui eſum neque vocantur, neque vocant.  
Eos oportet contioni dare operam, atque comitiis.  
Si id ita eſſet, non ego hodie perdidiſſem prandium,  
Quoi tam credo datum voluiſſe, quàm me video viuere.  
Ibo etiam num, reliquiarum ſpes animum oblectat meum.  
Sed quid ego video Menæchmum? cum corona exit foràs.  
Sublatum eſt conuiuium, ædepol venio aduorſum tempori.

PLVS ANNIS TRIGINTA NAT.] legendum fortaſſe eſt, *plus annos triginta natus ſum*, &c. Nam ſic potiùs loquuntur antiqui ſcriptores, Terentiùs. Adelph. *Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.* ME IMMERSI, MISER.] me penitus conieci, tralatio eſt. ſic infrà *immerſit aliquò ſeſe, credò, in ganeum.* MENÆCHMVS SE SVBTERDVXIT MIHI.] Menæchmus ſe ſubduxit, id eſt, clam abſtulit, mihi. QVI ILLVM DII OMNES PERDIVNT.] id eſt, vtinam dij omnes illum perdiderint, &c. Notauimus hoc loquendi genus, & explicauimus ſuprà in Caſin. *qui illum dij omnes deæq; perdant.* NON AD EAM REM OTIOSOS HOM. &c.] otioſos, id eſt, non alibi occupatos, qui nihil aliud habent, quod agant. Quin Ariſtotel. lib. 4 Politic. oſtendit vel eos, qui contionum ſunt participes, locupleteis eſſe oportere, vt otiati poſſint: vel ſi pauperes in contione locũ habeant, mercedem eis tribui ſolere. *ad eam rem*, id eſt, ad contionem. CENSVS CAPIANT.] magiſtratus, cenſibus captis, eos, qui vocati ad contionem non venerint, multent. Hoc non temerè à Plauto dictum. Nam quemadmodum



modum Senatores, qui in ſenatum non venerant, pignoribus captis multabantur: ita in eum ciuem, qui in concionem non venerat, multa erat conſtituta. AFFATIM EST HOMINVM IN DIES, &c.] magna multitudo eſt hominum, &c. multi ſunt homines qui, &c. QVI SINGVLAS ESCAS ED.] qui domi prandent, & cenant ſoli, vel potiùs qui vno cibo veſcuntur, non varias, & varij generis dapes ſibi apponi iubent. QVI ESVM NEQ. VOCANTVR, NEQ. VOCANT] qui neque à quoquam ad cenã vocãtur, neque quemquam vocant. QVOI TAM CREDO DATVM VOLVISSE, &c.] cui tam credo Menæchmum voluiſſe prandium datum eſſe, quàm me video viuere, id eſt, tam exploratum habeo Menæchmum voluiſſe mihi prandium dare, quàm me video viuere. IBO ETIAM NVM.] ibo etiam nunc, quamuis credibile ſit prandium eſſe confectum, & conſumtum, ad Menæchmum, & Erotium. RELIQVIARVM SPES] reliquiarum prandij ſcilicet. M. Tull. epiſtol. ad Trebonium libro 10. epiſt. *quàm vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Mart. inuitaſſes: reliquiarum nihil haberemus.* CVM CORONA EXIT FORAS] poti, & potantes coronas in capite geſtabant. notauimus ſuprà in Amphitr. ibi. *Capiam coronam mi in caput, Aſſimulabo med eſſe ebrium.* Eadem de re diximus & in commentariis Lucretia. & in Horat. Lucret. lib. 3. *Hoc etiam faciunt, vbi diſcubuere, tenéntque Pocula ſæpè homines, & inumbrant ora coronis*, &c. Horat. ſat. 3. libro 2. *potus vt ille, Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas.* SVBLATVM EST CONVIVIVM.] confectum, conſumtum, ſiue abſumtum eſt conuiuium. VENIO ADVORSVM TEMPORI.] venio obuiam per tempus, ſeu ad tempus.

## MENÆCHMVS Soſicles. PENICVLVS.

ME. POtin' vt quieſcas, ſi ego tibi hanc hodie probè,  
Lepidéque concinnatam referam tempori?  
Non faxo eſſe eam dices, ita ignorabitur.  
PE. Pallam ad Phrygionem fert, confecto prandio,  
Vinóque epoto, paraſito excluſo foràs  
Non hercle is ſum, qui ſum, niſi hanc iniuriam,  
Méque vltus pulcrè fuero. obſeruabo, quid agat,  
Hominem. pòſt deinde adibo ego hunc, atque alloquar.  
ME. Proh dij immortales, cui homini vnquam vno die  
Boni dediſtis plus, qui minus ſperauerit?  
Prandi, potaui, ſcortum accubui, abſtuli  
Hanc, cuius heres nunquam erit poſt hunc diem,  
PE. Nequeo quæ loquitur, exaudire clanculum,  
Satur nunc loquitur de me, & de parti mea.  
ME. Ait hanc dediſſe me ſibi, atque eam meæ  
Vxori ſurripuiſſe. quoniam ſentio  
Errare, extemplò, quaſi res cum ea eſſet mihi,  
Cœpi aſſentiri, mulier quicquid dixerat,  
Idem ego dicebam. quid multis verbis opu'ſt?  
Minore nuſquam bene fui diſpendio.  
PE. Adibo ad hominem: nam turbare geſtio.  
ME. Quis hic eſt, qui aduerſum fit mihi? PE. quid ais homo  
Leuior quàm pluma, peſſime & nequiſſime,  
Flagitium hominis, ſubdole, ac minimi pretij?  
Quid de te merui, qua me cauſſa perderes?  
Vt ſurripuiſti te mihi dudum de foro  
Feciſti funus abſenti me prandio.  
Cur auſu's facere, cui ego æquè ac heres, hæream?

ME. Adoleſcens quæſo,quid tibi mecum eſt rei, A
Qui mihi maledicas homini hîc ignoto inſciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Poſtea? PE. eam quidem ædepol te dediſſe intelligo.
ME. Reſponde adoleſcens quæſo,quod tibi nomen eſt?
PE. Etiam derides,quaſi nomen non noueris?
ME. Non ædepol ego te,quod ſciam,vnquam ante hunc diem
Vidi,neque noui.verùm certò quiſquis es,
Æquum ſi facias,mihi odioſus ne ſies.
PE. Non me nouiſti? ME. non negem,ſi nouerim.
PE. Menæchme,vigila. ME. vigilo hercle quidem quod ſciam.
PE. Tuum paraſitum non nouiſti? ME. non tibi B
Sanum'ſt adoleſcens ſinciput,vt intelligo.
PE. Reſponde,ſurripuiſtin' vxori tuæ
Pallam iſtanc hodie,eámque dediſti Erotio?
ME. Neque hercle ego vxorem habeo,neque ego Erotio
Dedi,nec pallam ſurripui. PE. ſatin' ſanus es?
Occiſa'ſt hæc res.non ego te indutum foras
Exire vidi palla? ME. væ capiti tuo:
Omneis cinædos eſſe cenſes,tu quia es.
Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?
PE. Ego hercle verò. ME. non tu abis quò dignus es,
Aut te piari iubes homo inſaniſſime? C
PE. Nunquam ædepol me quiſquam exorabit,quin tuæ
Vxori rem omnem iam,vti ſit geſta,eloquar,
Omnes in te iſthæc recident contumeliæ.
Faxo haud inultum prandium comederis.
ME. Quid hoc negotij eſt?ſatin vt quemquem conſpicor,
Ita me ludificant?ſed concrepuit oſtium.

POTIN' VT QVIESC. SI EGO TIBI HANC H.&c.] Menęchmus aduena bene curatus,benéq. acceptus, commiſſa ſibi ab Erotio palla, quaſi Menæchmus ſit ſurriptitius, & ciuis Epidamnius factus,exit domo, & pollicetur Erotio ſe eam tempori,lepidè cõcinnatam relaturum.ſententia autem horum verborum hæc eſt,potéſne quieſçere ſi ego tibi hanc pallam hodie tempori referam bene concinnatã? D PALLAM AD PHRYGIONEM FERT CONFECTO P.]hunc verſum profert Nonius in voce *Phrygia veſtis.* PARASITO EXCLVSO FORAS]lego,*paraſito excluſo foris.excludo* enim verbum eſt,quietem ſignificans. Nam is excludi intelligitur,cui ingredi volenti,oſtium non aperitur.contrà is eiicitur,qui poſteaquàm domum intromiſſus,ac receptus eſt,domo extruditur.itaq. hîc foras extruditur, ſeu eiicitur:ille foris excluditur.Terent.Eunucho.*excluſit,reuocat,redeam?non ſi me obſecret?*Nam quæritur mox Phædria apud eumdẽ poëtã, Thaïdis foreis non ſemper ſibi patêre,quod valet,ſe ſæpè excludi.Neque me mouet Nonius,qui *excludere* poſitũ ſcribit pro *eiicere*,falsũ eſt.NON HERCLE IS SVM, QVI SVM,&c.] genus eſt iuriſiurãdi,ſeu potiùs cõminationis.Tale eſt illud Vlyſſis apud Homerum ἰλ. β. Μηκέτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη, Μηδ' ἔτι Τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλημένος εἴην, Εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,&c.id eſt,ne Vlyſſi amplius poſteà caput humeris ſuper iuncta ſint,Neq. amplius Thelemachi pater vocatus ſum,niſi te arreptũ primùm ſpoliauero,deinde,&c.Itaq. videtur hîc legendũ,*Non hercle is ſim,qui ſum*,&c.Verùmtamen nihil muto.dixiſſet enim in modo cõiunctiuo.*Ne hercle is ſim,qui ſum*,&c. nunc autem ita dicit in tempore præſenti,indicatiuo modo.*Non hercle is ſum,qui ſum*,&c.id eſt,non recuſo hercle,quin alius dicar,atque habear,quàm qui ſum,&c.Non ſum hercle Peniculus,hoc eſt,vir ſtrenuus, & iniuriarum



A riarum perſequens,vel paraſitus egregius,& excellens,niſi hanc iniuriam,&c.Tota autem huius ſermonis vis ex eo pendet,quòd omnes homines, niſi ſint quauis muliere ignauiores, volũt retinere gloriam,& exiſtimationem ſuam aliqua virtute partam.Sic Theſeus apud Euripidẽ,Hippolytum apud ſe falsò à nouerca accuſatum,ex agro Attico exterminans & grauiſſimas ſe de eo pœnas ſumturũ minans addit,niſi ita faciat,non credituros homines ſe Sinnim interfeciſſe,ſed inaneis,& falſas voces glorioſè iactare,neq. rupeis Scironidas teſtaturas me improbis infeſtum eſſe,& grauẽ.Sic Euripides in Hip.coron. Εἰ γὰρ παθών γε σοῦ τάδ' ἡσσηθήσομαι, Οὐ μαρτυρήσει μ' Ἴσθμιος Σίννις ποτὲ Κτανεῖν ἑαυτὸν, ἀλλὰ κομπάζειν μάτην: Οὐδ' αἱ θαλάσσης σύννομοι Σκειρωνίδες Φήσουσι πέτραι τοῖς κακοῖς μ' εἶναι βαρύν.Tale eſt illud M.Tull.in epiſt.ad Q. Metell.Celerẽ lib.5.epiſt.*Huius ego temeritati,ſi virtute,atq.animo non reſtitiſſem,quis eſſet,qui me in cõſulatu non caſu potiùs exiſtimaret,quàm conſilio fortem fuiſſe?*QVI MINVS SP.?]minùs ſperãti,magis inſperanti,ſeu præter ſpem? PRANDI, POTAVI, SCOR. A.] profert hũc verſum Priſc. lib.9. SCORTVM ACCVBVI.]ſic loquitur ſuprà in Bacch.in extr.*Dimidiũ auri datur:accipias: potéſque, & ſcortum accumbas.* CVIVS HERES NVNQVAM ERIT POST HVNC D.] cuius pallæ Erotium nunquam poſthac erit domina,ſeu numquam poſſeſſionem,& proprietatem habebit.Feſtus,*heres*,inquit, *apud antiquos pro domino ponebatur.* Itaque idem Plautus ſuprà in
B Bacch.exheredem poſuit,pro eo qui deſiit eſſe dominus & poſſeſſor, ibi. *Nam neque Bellona mihi, neque Mars creduat Ni illum exanimalem faxo,ſi conuenero, Niue exheredem fecero vitæ ſuæ.* Idem in Moſtell.*vtinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur, Vt ego exheredem meis bonis me faciam , atque hæc ſit hæres.* NEQVEO, QVÆ LOQVITVR, EXAVDIRE CLANCV.] exaudire,eſt procul audire,ita,vt,quæ quis loquitur,intelligas. ET DE PARTI MEA.]& de parte mea,de mea prandij portione. περὶ τῆς ἐμῆς τοῦ ἀρίστου μοίρας. QVASI RES CVM EA ESSET MIHI.]quaſi cum ea aliquando conſueſſem. COEPI ASSENTIRI, MVLIER QVIDQVID DIXERAT.]cœpi approbare,quidquid mulier dixerat.ſic etiam hîc legẽdum, vt edidimus,non vt habent libri vulgati.*Cœpi aſſentari.* MINORE NVSQVAM BENÈ FVI DISP.]nuſquam benè acceptus,& lepidè curatus fui minore ſumtu, quàm apud hanc meretricem.bene fui,id eſt,iucundè vixi:opiparè & lepidè acceptus fui.Notauimus hoc loquẽdi genus in commentar.Horat. NAM TVRBARE GESTIO] nam turbas excitare valde cupio. ſuprà in Moſtell.*Pergunt turbare vſque,vt ne quid poßit conquieſcere.* LEVIOR QVÀM PLVMA.] hyperbole prouerbialis.Idem in Pœnulo.*Verùm ita ſunt iſti noſtri diuites ſiquid bene facias,leuior pluma'ſt gratia,ſi quid peccatum eſt,plumbeas iras gerunt.*M.Tull.lib.8.epiſt.ad Attic.epiſt.23.*Nec me conſu-*
C *les mouent,qui ipſi pluma aut folio faciliùs mouentur.* Profert hunc locum Diomedes libro 1.vbi docet comparatiuum interdum nominatiuo iungi. FLAGITIVM HOMINIS.]homo flagitioſe, homo turpis,& dedecoris plene.VT SVRRIPVISTI TE MIHI DVDVM DE FORO FECISTI,&c.]ſic legendũ ſine interrogationis nota.pòſt,*de foro*,hac ſententia,poſteaquã te mihi dudum ſurripuiſti de foro,feciſti funus prandio,me abſente.Nonnulli legendũ putant. *Cur ſurripuiſti te mihi dudum de foro?Feciſti*,&c.FECISTI FVNVS, ABSENTI ME, PRANDIO.]ſepeliuiſti,me abſente,prandiũ,hoc eſt,confeciſti,& conſumſiſti.allegoria, ſeu metaphora eſt.facere funus, eſt mortuo homini iuſta perſoluere:mortuum comburere,& ſepelire.ſic M. Tull.dixit in oratione pro lege Manilia,*bellum ſepultum*,ibi,*quod bellum exſpectatione Pompeij attenuatum, atque imminutum eſt,aduentu ſublatum,ac ſepultum.* ſic ſepultam patriam in Catilin. 3. ibi. *Videor enim mihi hanc vrbem videre,lucem orbis terrarum,atque arcem omnium gentium,ſubitò vno incendio concidentem:cerno animo ſepultam patriam*,&c. CVI EGO ÆQVÈ ATQVE HERES HÆREAM?] paronomaſia.videtur autem ſignificare Plautus heredem,ab hærendo eſſe dictum,cùm potiùs, vt ſuprà diximus ex Feſto,videatur ab hero appellatus , quod heres, ſit tamquam herus, & dominus:quamuis in voce *heres*, prior ſyllaba producatur: in *herus* , corripiatur. Iam heres proxi-
D mus eſt teſtatori,& proximè ei adhæret.Mortuus enim,vt loquũtur noſtri pragmatici, & cauſidici,viuum apiſcitur,& apprehendit:quod dicimus noſtro patrio ſermone , *Le mort ſaiſit le vif.* quamuis autem heres non ſit quiſquam propriè,niſi poſt aditam hereditatem: inter aditionem hereditatis autem,& mortem teſtatoris aliquãtum temporis interuallum ſæpè intercedat , modò breuius,modò longius,tamen ſimul atque heres hereditatem creuit, ſeu adiit , retrotrahitur hereditatis aditio , & intelligitur ille vniuerſorum bonorum teſtatoris dominus , & poſſeſſor fuiſſe continuò à morte teſtatoris.ſignificat igitur paraſitus ſe Menæchmo regi ſuo, & proximè,& tenaciſſimè adhærere,cùm dicit,ſe ei æquè atque heredem hærere.Sed videtur legẽdum. *Cur auſu's facere quoi æquè,atque heres hæream?* deleto prouocabulo *ego*. alioqui verſus erit vna ſyllaba productior,quàm ſatis ſit. AN TIBI MALAM REM VIS PRO MALEDICTIS DARI?] malum dare,& malam rem dare,idem valent,& vtrumq.Plauto vſitatiſſimum eſt. QVID TIBI NOMEN EST?]alij libri habent, *quod tibi nomen eſt?* quos ſequor. VERÙM CERTÒ QVISQVIS ES,&c.] al. *verùm certè quiſq.* ODIOSVS NE SIES.] quæſo moleſtus ne ſies,vide ne moleſtus ſis. NON NEGEM SI NOVERIM.] non negarem,ſi te nouiſſem. MENAECHME VIGILA.] proinde ac ſi dicat , Menæchme,tu dormitas,aut tu ſomnias, hoc eſt, tu deſipis, & deliras,tu non es tuæ mentis cõpos. ſomniat autem propriè nemo,niſi dormiens.ſomniare autẽ per tranſlationẽ dicuntur etiam ij, qui loquuntur

abſurdæ,inepta,& delira. NON TIBI SANVM'ST ADOLESCENS SINCIPVT, &c.] non es ſanæ mentis.ſinciput,pars eſt capitis anterior, vt occiput,poſterior. OCCISA'ST HAEC RES.] id eſt,periit hoc negotium,ſic ſuprà in Capt. *Occiſa'ſt hæc res,niſi reperio atrocem mihi aliquam ſtultitiam.* Profert autem hunc locum Nonius in verbis *interfici,& occidi.* NON EGO TE INDVTVM FORAS EXIRE VIDI PALLA?] fortaſſe legendum *pallam*, vt tertio abhinc verſu loquitur. *Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?* OMNEIS CINAEDOS ESSE CENSES,&c.] omneis putas cinædos,id eſt,molles,& impudicos eſſe, quia tu es. Alij, omneis putas eſſe ſaltatores,quia tu es. Notauimus ſuprà eadem fabula, ſaltatores & cantores prodire in ſcenam ſolitos eſſe pallam indutos,ibi, *ſed obſecro hercle,ſalta ſic cum palla poſtea.* Idem in Aulul. *Ita fuſtibus ſum mollior miſer,magis,quàm vllus cinædus.* Ego malim hîc cinædum accipi,pro molli & impudico, hoc eſt,cõcubino,cóque,qui muliebria patitur,quem ſuprà eadem fabula,Catamitum appellat.quamquam Catamitum Latini nominarũt,quem Græci Ganymedem,vt ſuprà eadem fab.diximus. AVT TE PIARI IVBES, HOMO INSANISSIME.] repete negationẽ hoc modo,aut non te piari iubes,&c.ceſſas te piandum,hoc eſt,ab iſta inſania purgandum prębere.ſuprà eadem fab. *Iube te piari de mea pecunia.* ISTHAEC.] id eſt,iſtæ. RECIDENT CONTVMELIAE.] redundabunt,reſilient,&c. VT QVEMQVEM] id eſt,vt quemque,ſic apud Ciceronem,& Lucretium,quidquid,pro quidque poſitum eſſe notauimus non ſemel in commentar.Lucret.& annotation.Ciceronianis.

## ANCILLA. MENÆCHMVS Soſicles.

AN. MEnæchme,amare ait te multum Erotium,
Vt hoc nunc vna opera ad aurificem deferas,
Atque huic vt addas auri tu pondo vnciam,
Iubeáſque nouum ſpinter reconcinnarier.
ME. Et iſtud,& aliud,ſi quid curari volet,
Me curaturum dicito,quicquid volet.
AN. Scin' hoc quod ſit ſpinter? ME. neſcio,niſi aureum.
AN. Hoc eſt,quod olim clanculum ex armario
Te ſurripuiſſe aiebas vxori tuæ.
ME. Nunquam hercle factum eſt. AN. an non meminiſti obſecro?
Redde igitur ſpinter,ſi non meminiſti. ME. mane,
Immò equidem memini:nempe hoc eſt,quod illi dedi.
AN. Iſtuc. ME. vbi illæ armillæ ſunt,quas vnà dedi?
AN. Nunquam dediſti. ME. nam pol hoc vnà dedi.
AN. Dicam curaſſere? ME. dicito,accurabitur,
Hæc palla & ſpinter faxo referantur ſimul.
AN. Amabo mi Menæchme,inaureis da mihi
Faciundas pondo duûm numûm,ſtalagmia,
Vt te libenter videam,cùm ad nos veneris.
ME. Fiat,cedò aurum,ego manupretium dabo.
AN. Da ſodes abs te,pòſt ego reddidero tibi.
ME. Immò cedò abs te. AN. ego pòſt tibi reddam duplex.
ME. Non habeo. AN. at tu quando habebis,tum dato.
Nunquid me vis? ME. hæc me curaturum dicito,
Vt, quantum poſſint,quámque liceat,veneant.
Iámne abiit intrò?abiuit,operuit fores.
Dij me quidem omnes adiuuant,augent,amant.
Sed quid ego ceſſo,dum datur mihi occaſio.

Tempúſque



Tempúſque, abire ab his locis lenoniis?
Propera Menæchme,fer pedem,confer gradum.
Demam coronam,atque abiiciam ad læuam manum,
Vt,qui ſequantur,hàc me abiiſſe cenſeant.
Ibo & conueniam ſeruum,ſi potero,meum.
Vt hæc,quæ bona dij mihi dant,ex me ſciat.

AMARE AIT TE MVLTÙM EROTIVM, &c.] id eſt, orare ait te multùm, &c. *amare*, pro, amanter orare. Mittitur ancilla ab Erotio ad Menæchmum Soſiclem modò domo egreſſum,quem illa errans,& decepta formæ,ac totius corporis figuræ ſimilitudine, putat eſſe Menæchmum ſurreptum, vt ſpinter aureum curet vna cum palla reconcinnandum. ATQ. HVIC VT ADDAS AVRI TV PONDO VNCIAM.] & vt huic ſpinteri vnam libræ auri vnciam,id eſt,duodecimam partem. IVBEÁSQ. NOVVM SPINTER REC.] profert hunc verſum Priſcianus lib.5.vbi docet ſpinter eſſe id,quod ἀκροχείριον appellant Græci, hoc eſt, aut fibulam in humeris, aut armillam.Profert & Feſtus eumdem verſum ſimúlque quid eſſet ſpinter docebat,ſed ita nunc lacer, & mutilus eſt,vt vix quinque voces integrę manſerint,eǽque nihil inter ſe cohærentes.Paullus autem ita ſupplet. Spinter, armillæ genus, quo mulieres vtebantur brachio ſummo ſiniſtro. EX ARMARIO,&c.] quid ſit armarium,ſuprà alibi diximus. DICAM CVRASSERE?] dicámne te curaturum?ſic autem legendum eſt,vt edendum curauimus,non vt vulgò *curare*.ſic dictum autem curaſſere,vt impetraſſere,expugnaſſere, & ſimilia. INAVREIS DA MIHI F.] da aurifici inaureis duorum nummorum aureorum pondo,mihi faciundas. inaures,aurium ſunt ornamẽta, quæ ex auribus perforatis pendent,Græci ἐνώτια appellant. STALAGMIA] *ſtalagmium*,inquit Feſtus, *genus inaurium videtur ſignificare.* Cæcilius in Carin. *Tum ex aure,eius ſtalagmiũ domi habeo.* Itaque accipiendum,& legendũ per appoſitionem,inaureis,ſtalagmia.vt intelligamus inaureis,latiùs patêre,quàm ſtalagmia, & illud eſſe genus,hanc eſſe ſpeciem,ſiue partem.Nonnulli tamen legi volunt *in aureis*,duabus vocibus, & *faciunda*, pro, *faciundas*, vt ſit, da faciunda mihi ſtalagmia in aureis, &c. Ne hoc quidem præteribo quoſdam hîc legere *Spathalia*, quæ volunt eſſe ornamenta quædam muliebria, dicta à Spathale Nympha, vel à verbo Græco σπαθᾶν, quod valet deliciari & delicias facere, & luxuriæ diffluere. Ego *ſtalagmia* retineo. VT TE LIBENTER VIDEAM, CÙM AD NOS VENERIS.] amantur enim benefici, liberales, & munifici: officioſè ſalutantur, & libenter videntur,& continuò introducuntur.Itaque qui ad dominos,aut dominas affectant viam,ſeruos,& ancillas munerantur,& donis onerãt. Terent.Heaut. *Nam diſciplina eſt eiſdem,munerarier ancillas,ad dominas qui affectant viam.* Cicero lib.3. accuſ. *Hunc veſtri ianitores, hunc cubicularij, hunc liberti veſtri,hunc ſerui,ancillæq́; amant:hic cùm venit,extra ordinem vocatur:hic ſolus introducitur:ceteri ſæpe frugaliſsimi homines excluduntur.* CEDÒ AVRVM EGO MANVPR. D.] da aurum, ego dabo mercedem operæ.manupretiũ,eſt id,quod datur artifici,ſeu opifici pro opera, quam poſuit in opere aliquo efficiendo, cùm materiam,ex qua opus conſtat,putà,candelabrum, aut annulus,acceperit,non ipſe de ſuo præbuerit. NVMQVID ME VIS?] ſermo abeuntis. HÆC ME CVRAT. DICITO, VT QVANTVM POSSINT,&c.] locus obſcurus,& videtur ex ambiguo ſermone obſcuritas eſſe nata. Nam cùm Menæchmus videri velit ancillæ dicere ſe curaturum,vt fiant,quæ mandauit Erotium,auerſa ab ancilla diſcedente ad ſpectatores oratione, dicit ſe curaturum, vt primo quoque tempore palla, & ſpinter veneant, non autem vt reconcinnantur.Dicito,inquit,Erotio,me hæc curaturum: deinde voce ad ſpectatores conuerſa, vt hæc quàm citiſſimè,& quantùm liceat,vendantur.Si dixiſſet, *quanti poſsint*, alia eſſet ſentẽtia: quomodo fortaſſe legendum eſt:aliis placet, *quantum poſsim*:aliis, *quantum poſsit.* Ego, *quanti poſsint*, magis probarim,vt ſubintelligamus venire,id eſt,vendi, *quãtum pote ſit.* multo magis,id eſt,quoad eius fieri poſſit. *quantum poſsim* tamen non damno. vt ſic explicemus, quàm citiſſimè poſſim. AVGENT.] augent bonis,locupletant. FER PEDEM] confer pedem,ſeu moue pedem.Virg. Georg.1. *Ferte ſimul Fauníque pedem, Dryadéſque puellæ.* Hora.oda 12. lib.2. *Quem nec dedecuit ferre pedem choris, Nec certare ioco*,&c. DEMAM CORONAM] detraham coronam capiti,ſeu de capite. Virgil.in Sileno. *Serta procul tantum capiti delapſa iacebant.* CENSEANT.] putent.

## MVLIER, vxor. PENICVLVS paraſitus.

MV. EGóne hîc me patiar eſſe in matrimonio,
Vbi vir compilet clanculum quicquid domi eſt,
Atque id ad amicam deferat? PE. quin tu taces?

Manifeſtò faxo iam opprimes.ſequere hàc modò. A
Pallam ad phrygionem cum corona hinc ebrius
Ferebat,hodie tibi quam ſurripuit domo.
Sed eccam,quam coronam habuit. num mentior?
Hem hàc abiit,ſi vis perſequi veſtigiis.
Atque ædepol eccum ipſum optimè reuortitur,
Sed pallam non fert. MV. quid ego nunc cum illoc agam?
PE. Idem quod ſemper,malè habeas. MV. ſic cenſeo.
PE. Huc concedamus.ex inſidiis aucupa.

EGÓNE HÎC ME PATIAR, &c.] egóne patiar me eſſe hîc, in matrimonio, in quo vir furetur,quidquid domi eſt,& ad ſcortum deferat? COMPILET,]furetur.Horat.Satyr.1. lib.1.*Iam ſatis eſt:ne me Criſpini ſcrinia Lippi Compilaſſe putes,verbum nō amplius addam.*AD AMICAM] B ad mulierem impudicam,& meretricem,quam amat.Horat.epiſt.1.lib.1. *Vt nox longa,quibus mentitur amica*,&c.Idem Sat.5. lib.1. *abſentem cantat amicam Multa prolutus vappa nauta, atque viator, Certatim.*Plautus Pſeud. *Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?* ἑταίραν appellant Græci. MANIFESTÒ FAXO IAM OPPRIMES] fecero, vt eum manifeſtò deprehendas.ſuprà in Moſtell. *Nimis quàm formido, ne manifeſtò me opprimat.* HEM HÀC ABIIT] per læuam partem. nam ad læuam manum coronam abiecerat Menæchmus Soſicles : ſed alia via aufugerat. Menæchmus autē ſurreptus,qui pallam vxori ſurripuerat,ea via rediens, qua putabatur fugiſſe Menæchmus Soſicles,incidit haud commodè in vxorem,& Peniculum. ECCVM IPSVM] hic erat Menæchmus ſurreptus, vt diximus. MALÈ HABEAS] malè eum habeas : moleſta ei ſis. AVCVPA]aucupare.capta.excipe.tralatio eſt.Alij legunt,*occupa*.Ego *aucupa* probo.

## MENÆCHMVS ſurreptus, MVLIER vxor. PENICVLVS paraſitus.

ME. VT hoc vtimur maxumè more moro, C
Moleſtóque multum,atque vti quique ſunt
Optumi,maxumi,morem habent hunc!
Clienteis ſibi omneis volunt eſſe multos:
Boníne an mali ſint,id haud quæritant.
Res magis quæritur,quàm clientium
Fides cuiuſmodi clueat.
Si eſt pauper atque haud malus,nequam habetur:
Sin diues malus eſt,is cliens frugi habetur.
Qui neque leges,neque æquum bonum vſquam D
Colunt:ſollicitos patronos habent:
Datum denegant,quod datum'ſt. litium
Pleni,rapaces,viri fraudulenti:
Qui aut fænore,aut periuriis habent rem
Partam:mens eſt in querelis.
Iuris vbi dicitur dies,ſimul
Patronis dicitur:quippe qui pro illis
Loquantur,malè quæ fecerint,ſeu ad
Populum,ſeu in iure,ſeu ad iudicem res eſt.
Sicut me hodie nimis ſollicitum cliens
Quidam habuit,neque quod volui agere quicquam

Licitum



A Licitum eſt. ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud ædileis pro eius factis plurimis
Peſſimíſque dixi cauſſam.conditiones
Tetuli,tortas,confragoſas,aut plus,
Aut minus,quàm opus erat multo dixeram
Controuerſiam,vt ſponſio fieret
Quid ille? quid? prædem dedit,nec magis
Manifeſto ego hominem vmquam vllum teneri vidi.
Omnibus malefactis,teſtes tres aderant acerrumi.
Di illum omnes perdant,ita mihi hunc hodie corrupit diem:
Méque adeò,qui hodie forum vmquam oculis inſpexi meis.
B Diem corrupi optimum,iuſſi apparari prandium:
Amica exſpectat me,ſcio.vbi primùm eſt licitum,illico
Properaui abire de foro. irata eſt,credo,nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie vxori abſtuli, atque huic
Detuli Erotio. PE. quid ais? MV. viro me malo malè
Nuptam. PE. Satin' audis, quæ illic loquitur? MV. ſatis. ME. ſi ſapiam,
Hinc intrò abeam,vbi mihi bene ſit. MV. mane. malè potius erit.
Næ illam mecaſtor fœneratò abſtuliſti. ſic datur.
Clanculum iſtæc flagitia facere cenſebas poteſſe te?
C ME. Quid illuc eſt,vxor,negotij? MV. men' rogas? ME. vin' hunc rogem?
PE. Aufer hinc palpationes.perge tu. ME. quid tu mihi
Triſtis es? MV. te ſcire oportet. PE. ſcit,ſed diſſimulat malus.
ME. Quid negotij eſt? MV. pallam. ME. pallam, quid? MV. pallam. quid paues?
ME. Nihil equidem paueo,niſi vnum.palla pallorem incutit.
PE. At tu ne clam me comeſſes prandium. perge in virum.
ME. Non taces? PE. non hercle verò taceo:nutat ne loquar.
ME. Non hercle ego quidem vſquam quicquam nuto, neque nicto tibi.
D MV. Næ ego mecaſtor mulier miſera. ME. quid tu miſera es? mihi expedi.
PE. Nihil hoc confidentius,qui,quæ vides,ea pernegat.
ME. Per Iouem, deóſque omneis adiuro vxor, ſatin' hoc eſt tibi.
Me iſti non nutaſſe. PE. credit iam tibi de iſtis,illuc redi.
ME. Quò ego redeam? PE. equidem ad Phrygionem,cenſeo.& pallam refer.
ME. Quæ iſtæc palla eſt? MV. taceo iam, quando hic rem non meminit ſuam.
ME. Numquis ſeruorum deliquit? num ancillæ aut ſeruæ tibi
Reſponſant? eloquere. impunè non erit. MV. nugas agis.

ME. Triſtis admodum es, non mihi iſtuc ſatis placet. MV. nugas agis. A
ME. Ceterum familiarium alicui irata es? MV. nugas agis,
ME. Num mihi es irata ſaltem? MV. nunc tu non nugas agis.
ME. Non edepol deliqui quicquam. MV. hem rurſum nugas agis.
ME. Dic mea vxor, quid tibi nunc ægrè eſt? PE. bellus blanditur tibi
ME. Potin' vt mihi moleſtus ne ſis? non te appello. MV. aufer manum.
PE. Sic datur. properato abſente me comeſſe prandium.
Poſt ante ædeis cum corona me derideto ebrius.
ME. Neque ædepol, ego prandi, neque hodie huc intrò tetuli pedem.
PE. Tun' negas? ME. nego hercle verò. PE. nihil hoc homine audacius. B
Non ego te modò hic ante ædeis cum corona florea
Vidi adſtare, cùm negabas mihi eſſe ſanum ſinciput?
Et negabas me nouiſſe? peregrinum aiebas eſſe te?
ME. Quin vt dudum diuorti abs te, redeo nunc demum domum.
PE. Noui ego te, non mihi cenſebas eſſe, qui te vlciſcerer.
Omnia hercle vxori dixi. ME. quid dixiſti? PE. neſcio.
Eam ipſus roga. ME. quid hoc eſt vxor? quidnam hic narrauit tibi?
Quid id eſt? quid taces? quin dicis quid ſit? MV. quaſi tu neſcias.
Palla mihi eſt domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi? C
MV. Me rogas? ME. pol haud rogem te, ſi ſciam. PE. ô hominem malum,
Vt diſſimulat! non potes celare: rem noui probè,
Omnia hercle ego edictaui. ME. quid id eſt? MV. quando nihil pudet
Neque vis tua voluntate ipſe profiteri, audi atque ades.
Et quid triſtis ſim, & quid hic mihi dixerit, faxo ſcias,
Palla eſt mihi domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta'ſt tibi?
PE. Viden' vt ſceleſtus captat? huic ſurrepta eſt, non tibi.
Nam profectò tibi ſurrepta ſi eſſet, ſalua nunc foret.
ME. Nihil mihi tecum eſt. ſed quid tu ais? MV. palla, inquam, periit domo. D
ME. Quis eam ſurripuit? MV. pol iſtuc ille ſcit, qui illam abſtulit.
ME. Quis hic homo eſt? MV. Menæchmus quidam. ME. ædepol factum nequiter.
Quis is Menæchmus eſt? MV. tu iſtic, inquam. ME. egóne? MV. tu. ME. quis arguit?
MV. Egomet. PE. & ego: atque huic amicæ detuliſti Erotio.
ME. Egòn' dedi? PE. tu, tu iſtic, inquam. vin' afferri noctuam,
Quæ, tu, tu, vſque dicat tibi? nam nos iam nos defeſſi ſumus.
ME. Per Iouem deóſque omneis adiuro, vxor, ſatin' hoc eſt tibi?

Non



A Non dediſſe. PE. immò hercle verò nos non falſum dicere.
ME. Sed ego illam non condonaui, ſed ſic vtendam dedi.
MV. Equidem æcaſtor tuam nec chlamidem do foras, nec pallium
Cuiquam vtẽdum. mulierem æquum eſt veſtimentum muliebre
Dare foras, virum virile. quin refers pallam domum?
ME. Ego faxo referetur. MV. è re tua, vt opinor, feceris.
Nam domum numquam introibis, niſi feres pallam ſimul.
ME. Ego domum? PE. quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?
MV. Opera reddetur, quando quid tibi erit ſurreptum domo.
B PE. Id quidem ædepol numquam erit. nam nihil eſt, quod perdam, domi.
Cum viro, cum vxore, dij vos perdant. properabo ad forum:
Namque ex hac familia me planè excidiſſe intelligo.
ME. Malè mihi vxor ſeſe feciſſe cenſet, quom excludit foràs.
Quaſi non habeam, quò intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi diſpliceo, patiundum: at placuero huic Erotio.
Quæ me non excludet à ſe, ſed apud ſe occludet domi.
Nunc ibo, orabo, vt mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. heus ecquid hîc eſt ianitor?
Aperite, atque Erotium aliquis euocate ante oſtium.

C

VT HOC VTIMVR MAXVMÈ MORE MORO, MOLESTÓQ. MVLTÙM,] legendum cum admirationis nota. maximè moro, autem, id eſt, maximè ſtulto. Sic autem edendum libris omnibus inuitis, veritate hanc lectionem poſtulante, ratione flagitante. Neque eſt quod quemquam vox Græca offendat, quaſi non Plautina. Nam primùm qui Plautũ vel primoribus digitis attigit, ſcit eum Græcis vocibus libenter, & licenter vti. Deinde hæc ipſa vox non ſemel ab eodem alibi vſurpata eſt in Milite glor. *Ego ſtulta, atque mora multùm.* ibidem. *morus es. Nam in mala vxore, atque inimico ſi quid ſumas, ſumtus eſt.* &c. in Trinum. *Atque is mores hominum moros, & moroſos efficit.* idem in Sticho. *More hoc ſit, atque ſtultè, mea ſententia.* Nam hîc *morè*, aduerbium eſt Latinum factum à Græco, μωρῶς, non nomen ſeptimi caſus, à recto, *mos.* Iam ex his Menæchmi ſurreptitij verbis intelligũt ſpectatores, quæ res eum tandiu morata ſit, propter quã ad prãdium, quod ab Erótio apparari iuſſerat, tẽpori non venerit. Ordo autem verborũ, hic eſt. vt, hoc eſt, quî, ſeu quo pacto, ſeu quàm, maximè moro more, hoc eſt, maximè ſtulto more, multúmque moleſto vtimur, &, vt quique ſunt optimi, & maximi, hunc morẽ habent clienteis, &c. RES MAGIS QVÆRITVR, QVÀM CLIENT. F. &c.] ordo, & ſententia eſt, magis quæritur, cuiuſmodi, id eſt, qualis res clientium, quàm, qualis fides, clueat, hoc eſt, dicatur, feratur, nominetur, habeatur, audiatur: vel, dic, hoc loco, *clueat* valere, *ſit.* quæritur, inquit, magis, clientes ſintne diuites, quàm, ſintne viri boni. CLVEAT.] ſuprà in Epid. *iam ego me conuertam in hirundinem, Atque eorum exſugebo ſanguinem, ſenati, qui columen cluent.* ATQVE HAVD MALVS:] & non malus homo: hoc eſt, bonus vir: λιτότης. QVI NEQ. LEGES, NEQ. &c.] mutat numerum. nam cùm antecedat numerus ſingularis, Sin diues malus eſt, is cliens fr. habetur: ſubiungit, Qui, ſcilicet, clientes diuites, & mali, neque leges, neque æquum bonum colunt: &c. Sic autem hunc locum explico, non vt alij, qui volunt, hîc eſſe principium nouæ ſentẽtiæ, nouæq; orationis, hoc modo: Ii, qui neque leges, neque æquum bonum colunt, ſollicitos patronos habent, &c. Non debet autem quemquam mouere hæc numeri mutatio. Eſt enim ſcriptoribus, & Græcis, & Latinis vſitata. Occurrit nunc mihi exemplum vnum ex Sophocle in Antig. Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ, Ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν, Οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί. id eſt, Quiſquis enim ipſe ſolus aut ſapere ſibi videtur, aut linguã, aut animũ habere, quem nemo alius habeat: Hi explicati, & euoluti, nequã reperti ſunt. ÆQVVM BONVM] τὸ ἐπιεικές. SOLLICITOS PATRONOS HABENT] id eſt, ſollicitos reddunt, & ſollicitant ſuos patronos. ſic loquitur infrà non longè. *Sicut me hodie nimis ſollicitum cliens Quidam habuit, &c.* Eadem ratione dicunt, *miſerum habere.* ſuprà in Caſin. *quot te modis, ſi viuo, habebo in*

D

*nuptiis miſerum meis?* DATVM DENEGANT, QVOD DATVM'ST.]quod acceperunt, abne- A
gant.negant ſibi datum eſſe,quod eis datum eſt,ſiue mutuò,ſiue commodatò.LITIVM PLE-
NI.]litigioſi. MENS EST IN QVERELIS.]mens eorum eſt in querelis. nihil aliud co-
gitant,quàm querelas. infrà. *nam animus in naui'ſt meus*. Terent. Eunucho. *Iam dudum eſt animus in*
*patinis*. Plautus Aulul.*nam egomet ſum hîc:animus domi'ſt*. ad quem locum,hac de re plura. IVRIS
VBI DICITVR DIES,&c.]cùm illis cauſæ dicēdæ dicitur dies,&c.dicere diem,millies apud
Ciceronem reperietur.Sed videtur hîc legendū, *Illis vbi dicitur dies,Patronis dicitur*. cuius lectionis
ſententia eſt facilis,atque aperta.vbi,inquit,clientibus illis,qui tales ſunt,quales paullò antè de-
ſcripti ſunt,dies dicitur:eodem tempore & patronis dicitur. proinde ac ſi dicat, quando talibus
clientibus lis intenditur, ſeu quando tales clientes in iudicium vocantur, tum patroni quoque
vocantur,& rei citantur.rationem deinceps ſubiicit.Quòd ſi quis lectionem receptam retinen-
dam contendat,iuris diem intelligemus à Plauto dici diem , quo ius dicitur à Prætore : quales
ſunt dies faſti. QVIPPE QVI PRO ILLIS LOQ. &c.]quippe qui defendant illos , in
iis,quæ illi malefecerint,hoc eſt,in malefactis,ſeu maleficiis. vel ſic, quippe qui defendant illa,
quæ clientes malefecerint. SEV AD POPVLVM] in cauſa publica. SEV IN
IVRE,]ſeu apud Prætorem,vrbanum ſcilicet:Cuius eſt ius dicere,iudices dare, bonorum poſ-
ſeſſionem addicere,vel apud prætorem,id eſt,iudicem quæſtionis,ſeu quæſitorem.vt intelliga- B
mus etiam hîc cauſam eſſe publicam. nam ſi apud prætorem vrbanum , cauſa dicitur, cauſa eſt
priuata. SEV APVD IVDICEM RES EST] apud iudicem vel à Prætore
datum,vt ſunt recuperatores : vel à litigatoribus captum,vt arbitrum. SOLLICITVM
CLIENS QVIDAM HABVIT]quidam cliens ſollicitum reddidit. NEQVE QVOD
VOLVI AG. QVIDQVAM LIC.]neque quidquam,quod volui agere,licitum eſt.non li-
cuit mihi vlla ex parte,ſeu vllo modo ad prandium venire,quòd mihi apparari iuſſeram. ITA
ME ATTINVIT.] ita me ſibi adfixum tenuit:vel ita me in ſuo negotio occupatum retinuit.
ITA ME DETINVIT]ita me ab eo,quod acturus eram,auocatum tenuit. APVD ÆDI-
LEIS]ædileis maiores intellige,qui ſunt ſenatorij ordinis,& habent ſellam curulem : à quibus
proficiſcitur ædilitium edictum:non ædileis minores,qui præſunt annonæ,& rebus venalibus:
quos ἀγορανόμȣς appellant Græci. CONDITIONES TETVLI TORTAS, CONFR.]
conditiones tuli aduerſario iniquas,implicatas,inuolutas,aſperas,difficiles,nodoſas,ambiguas,
& ancipiteis.tortum eſt,quod non eſt rectum:vel tortum eſt,quod non eſt voluntarium,& na-
turale,ſed violentum,& neceſſarium. vel tortum eſt, quod eſt nodoſum, implicatum, impedi-
tum,difficile,atque obſcurum. ex quo apud Terent. in Phorm. *legum contortor*. id eſt , qui leges
non ex æquo & bono,neque verè,& rectè,ſed per malitiam,& calumniam,& falſò, & peruerſè C
interpretatur. Confragoſum eſt,quod eſt contrarium plano continuato,& explicato: quod eſt
ſaxis,& ſalebris impeditum,aſperum atque abruptum, quod denique eſt perplexum. T. Liuius
lib.28.Annal.*confragoſa loca,& obſita virgultis tenebant colleis*.Plautus ſuprà in Ciſtellaria.*Sed ego illud*
*quæro confragoſum*,&c. AVT PLÙS, AVT MINÙS Q. OPVS E. M.] quidam coniun-
gunt hæc cum ſuperioribus,hoc modo, Cōditiones aduerſario tuli, aut plùs,aut minùs multo,
quàm opus erat,tortas,confragoſas : quod item faciebā. ſed putant alij ,cum iis potiùs,quæ ſe-
quuntur,coniungi debere,hoc modo:multo aut plùs, aut minùs,quàm opus erat,dixi,vt ſpōſio
fieret in controuerſiam , id eſt , vt cliens meus ſponderet aduerſario , datis fideiuſſoribus, ſeu
prædibus,ſe id, quod aduerſarius petat,& iudicio perſequatur,ei perſoluturum:vel ſic,vt ſpon-
ſio fieret certæ partis eius pecuniæ,quæ in iudicium deducta eſſet.Cicero pro Roſcio Comœd.
*Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem:in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt*. ſequitur
aliquot verſibus pòſt. *Pecunia petita eſt certa. cum tertia parte ſponſio facta eſt*. Omninò locus eſt val-
de obſcurus ac difficilis,& fortaſſe corruptus.Itaque legendum putabam,pro, *dixeram controuer-*
*ſiam*,&c. *dixi,in controuerſiam,vt ſponſio fieret*. hac ſententia,dixi iudicibus,ſeu aduerſario, vt ſpon- D
ſio fieret in controuerſiam,id eſt, vt ſponſione de controuerſia, & lite tranſigeretur. QVID
ILLE?] cliens meus, pro quo dicebam. PRÆDEM DEDIT] ſatis dedit aduerſario : hoc
eſt, promiſit aduerſario, datis prædibus, ſe ei ſatisfacturum. Prædes ſunt, qui alicui ſe pro alte-
ro obligant. Conſule Feſtum. TENERI.] ἐλέγχεσθαι, conuinci, coargui ἐνέχεσθαι. OM-
NIB. MALEF. TESTES TRES ADER. ACERR.] ad omnia malefacta,quæ ei obiicie-
bantur,id eſt,ad omnia crimina,tres erant teſtes acerrimi. id eſt, infeſtiſſimi , qui eum coargue-
bant ſcilicet. ITA MIHI HVNC CORRVPIT D.] ita mihi hunc diem perdidit, quem
decreueram,& conſtitueram in compotatione,& deliciis conſumere .Sic ſuprà dixit,diem lace-
rare,in Aſinar. ibi. *Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem*. DETVLI EROTIO.]de-
tuli ad Erotium. QVID AIS?] quid ais,cùm hæc audis,quæ vir tuus loquitur? VBI MI-
HI BENE SIT,] vbi bene accipiar, vbi iucundè viuam. NÆ ILLAM MECASTOR
FÆNERATO ABST. &c.] id eſt,ne tu illam,ita me Caſtor iuuet,magna tua mercede, id eſt,
magno tuo malo,abſtuliſti.tralatio eſt ab iis,qui pecuniam grandi fænore accipiunt mutuam,
proinde quaſi dicat. pallam tu quidem mihi abſtuliſti, ſed ea tibi magno cōſtabit.vel ſic: in eo,
quòd pallam mihi abſtuliſti, magnam tu quidem mihi iniuriam feciſti , doloremque acerbum
inuſſiſti : ſed graueis abs te mei doloris pœnas repetam. Terent. Adelph. *Metuiſti, ſi nunc de iure*
*tuo*



A *tuo conceßiſſes paululum,atque Adoleſcenti eſſes morigeratus,hominum homo ſtultißime,Ne non iſtuc tibi fœne-*
*raret?* id eſt , cum fœnore redderetur? SIC DATVR.] ſermo caſtigantis, & pœnas ſumentis.
ſic infrà,ead.ſcena.*Sic datur properato abſente me,comeſſe prandium*.Idem in Pſeud. *Hem , ſic datur, ſi quis*
*herum ſeruus ſpernit*. CLANC. ISTHAEC FL. FACERE C. POT. TE?]te iſta flagitia clan-
culum facere poſſe putabas? QVID ILLVC EST, VXOR, N. &c.]quid illud,ô vxor, ne-
gotij eſt? AVFER HINC PALPATIONES?]aufer hinc verborum blanditias, & aſſenta-
tiones. PERGE TV.]tu,mulier,perge in virum tuum mala ingerere. TE SCIRE OPOR-
TET.]tu ſcire debes,quòd triſtis ſim.SED DISSIMVLAT MALVS.]id eſt,ſed per malitiam
diſſimulat:vel ſic,ſed diſſimulat,quia malus ſit.*Malus* nomen eſt adiectiuum, verbum, cui adia-
cet,declarans.ſic apud Horat.multis locis exempli cauſa,oda 28.lib.1. *At tu nauta vagæ ne parce*
*malignus arenæ,Oßibus,& capiti inhumato,particulam dare*, &c. Idem Sat.6.lib.2. *Si veneror ſtultus,nihil*
*horum*, &c. ad quæ videre licet,quæ notauimus. PALLAM]ſubintell.tu mihi abſtuliſti. NI-
HIL EQVIDEM PAVEO, NISI VNVM.]nulla res me pauere facit,niſi vna. PALLA
PALLOREM INCVTIT.]παρήχησις:& ex ea iocus quaſi palla pallorem afferat : ſed hoc
ſignificat,pallæ,quam ſcit ſe abſtuliſſe,mentionem ſibi pallorem incutere. AT TV NE CL.
B ME COMESS. PR.]id eſt,at tu cōmittere non debebas,vt clam me,& ſine me comeſſes prā-
dium.ſic loquimur,cùm ei inſultamus,qui dat tādem,aut dedit ſuæ culpæ pœnas,ſimúlque cul-
pam ab eo contractam,& commiſſam,propter quam plectitur,cōmemoramus. ſic Virg. lib.8.
Æneid. *at tu dictis, Albane,maneres*.Sic M.Tullius epiſt.1.lib.2.ad Atticum. *hoc totum* σῶμα *curabo*
*vt habeas.&,quoniam te cùm ſcripta,tùm res meæ delectant,iiſdem ex libris perſpicies,& quæ geſſerim, & quæ*
*dixerim,aut ne popoſciſſes*. Idem pro Flacco. *Sed concedo id quoque : placuit oppidum:regio delectauit, emiſſes*.
Idem lib.3.de Nat.deorum. *In hominum vitiis ais eſſe culpam.Eam dediſſes hominibus rationem,quæ vitia,*
*culpámque excluderet* . PERGE IN VIRVM.]perge tu mulier in virum.ſubintell.maledicta in-
gerere.NVTAT, NE LOQVAR.]nutu mihi ſignificat,ne loquar.NEQVE NICTO.]id eſt,
neque oculis ſignifico.ſuprà in Aſinar.*Nec illa vlli homini, nutet,nictet,annuat*. quem locum profert
Nonius in verbis,*nutare*,&, *nictare*.Conſulendus & Feſtus de verbo *nictare*. EQVIDEM AD
PHRYGIONEM, CENSEO.]equidem cēſeo,vt ad Phrygionem redeas. REFER.] ad vxo-
rem tuam. RESPONSANT?]ferociter,& contumaciter reſpondent?Horat. tranſlatè vſurpa-
uit.Sat.7.lib.2. *Reſponſare Cupidinibus,contemnere honores Fortis*,&c. & epiſt.1.lib.1. *An qui fortunæ te*
*reſponſare ſuperbæ Liberum,& erectum præſens hortatur, & optat?* NVGAS AGIS.] nugas loqueris,
nugaris. ſuprà in Aulular. *non ego nunc nugas ago*. POTIN', VT MIHI MOLESTVS NE
C SIS?]potéſne facere,vt mihi moleſtus non ſis? NON TE APPELLO.]non te alloquor. non
te nomino. non tecum verba facio. AVFER MANVM.]Menæchmus vxorem ſuam leniter
contrectabat , & demulcebat. at illa ferociter , & iracundè manum eius remouet , ac repellit.
SIC DATVR.]ſermo caſtigantis,& pœnas ſumentis,aut pœnas ſumtas eſſe gaudentis. ſic ſu-
prà eadem ſcena. PROPERATO ABSENTE ME COM. PR.]Ironia eſt. aliàs, audeto
ſine me properè comeſſe prandium.Proinde ac ſi dicat.poſthac,ſi ſapies,cùm videas te taleis tui
facti dare pœnas,quòd me abſente prandium comediſti,non audebis eādem culpam commit-
tere. nam quantumuis ſtulti,damnis,& pœnis,ſapiunt. PÒST ANTE ÆDEIS CVM CO-
RONA, &c.]cohærent hæc cum ſuperiore verſu.Et eſt hîc quoque ironia,hoc modo,pòſt,hoc
eſt,poſteaquam abſente me,prandium comeſſe properaris,audeto me pro foribus cum corona
ex floribus concinnata,ebrius deridere:vt feciſti. quorū nunc factorum das pœnas meritas. vel
ſic:pòſt, cùm taleis pœnas tui facti dederis:tùm ante ædeis me,vt lubebit , cum corona deride-
to ebrius. quaſi dicat. te tam inſipientem fore non puta,vt facias. nam hæ pœnæ, quibus nunc
plecteris,te à talibus auſis reuocabunt,retrahent,ac deterrebunt. INTRÒ TETVLI PED.]
intuli pedem. CVM CORONA FLOREA.]cum corona ex floribus connexis,concinnata.
D CÙM NEGABAS MIHI ESSE SAN. SINC.?]ſuprà,*non tibi Sanum'ſt,adoleſcens,ſinciput, vt*
*intelligo*.Errabat autem Penicillus. nam is,quem cum corona viderat, & cum quo locutus erat,
Menæchmus Soſicles erat,non hic quicum,nunc loquitur,& quem ſua vxor obiurgat. QVIN
VT DVDVM DIVORTI ABS TE, RED. NVNC D. D.]immò verò,poſteaquam dudum
abs te digreſſus ſum,nunc denique,ſeu nunc tandem reuertor domum. NON MIHI CEN-
SEBAS ESSE,&c.]non mihi facultatem eſſe putabas tui vlciſcendi?non me putabàs habere
quo pacto te vlciſcerer? POL HAVD ROGEM TE, SI SCIAM.] ſic ſæpè loquitur, vt
ſuprà eadem fab.non negem,ſi nouerim. O HOMINEM MALVM. VT DISSIMVLAT!]
ô hominem malitioſum. quàm diſſimulat! vel quo pacto diſſimulat! quàm confidenter,& im-
pudenter diſſimulat! ſuprà,eadem ſcena. *ſcit:ſed diſſimulat malus*. OMNIA HERCLE EGO
EDICTAVI.]omnia hercle ego tuæ vxori narraui,ſeu expoſui. PROFITERI, ] palàm fa-
teri. ATQVE ADES]animo,ſubintell. *ades* autem, imperatiui modi eſt, præſentis temporis
verbi,*adſum*. PALLA SVRREPTA'ST TIBI?] legendum videtur quibuſdam , *palla ſurre-*
*pta'ſt mihi*? hoc primum.deinde huius lectionis ſententia, & ratio, explicanda eſt. Poſtremò, re-
cepta examinanda. Dico igitur huius lectionis,quam ſecuti ſumus, hanc eſſe rationem , ac ſen-
tentiam.Dixerat Menæchmi ſurrepti vxor, *Palla mihi'ſt domo ſurrepta*. Menæchmus vxorem illu-
dens,& omni ratione furtum à ſe factum inſitiari ſtudēs:denique quid vxor dicat,ſe intelligere

diſſimulans, vxoris verba iterans,quærit ab vxore, an palla ſibi ſurrepta ſit,hoc modo.*palla ſurrepta eſt mihi?* Quæ ſequuntur proximo verſu,hanc coniecturã confirmant,Viden',vt te ſceleſtus captat?huic ſurrepta eſt,nõ tibi. id eſt,vidéſne, ô mulier, quo pacto ſceleſtus iſte te captat? hoc eſt,quomodo te captioſo, & fallaci, & ambiguo ſermone te capere conetur, quaſi dixeris pallam non tibi,ſed ei eſſe ſurreptam?Atqui,ô Menæchme, palla huic mulieri, vxori tuæ ſurrepta eſt,non tibi.Alij,qui lectionem receptam retinent,in quibus ego ſum:in magnas & moleſtas ſe anguſtias compingunt,ac redigunt : & partim ſic explicant. *Palla ſurrepta eſt tibi?* id eſt, dicíſne, vxor,pallam à te eſſe ſurreptam?quam explicationem prorſus improbo. partim ſic,dicíſne, pallam pro te,& ad vſum tuum eſſe ſurreptam? quarum explicationum vtraque cùm propemodum ineptam,neque ſatis cum iis,quæ deinceps ſequuntur,cohærentem,aut cõſentientem ſententiam,continere videatur,neque tamen vlla talis ſcripturæ explicatio, melior reperiri queat, ſatis magno,inquiunt illi,argumento eſt,receptam ſcripturam,eſſe ſuſpectam, & fortaſſis adulterinam. Verùmtamen ego nihil mutandum cenſeo, & duarum poſteriorum explicationum, ſecundam primæ longè antepono,quod mox oſtendam. VIDEN' VTI SCELESTVS TE CAPTAT?]vidéſne,mulier,vt ſceleſtus te captet?vidéſne,vt homo improbus te verbis capere conetur? *ſceleſtus*, poſitum καταχρηστικῶς,pro improbo.nam propriè ſceleſtus eũ ſignificat,vel qui impius eſt,ſiue in deos,ſiue in patriã,ſiue in parẽteis,eóſue,qui nobis parẽtũ loco eſſe debẽt, vel qui manus habet ſanguine inquinatas, hoc eſt,qui liberum hominẽ interemit: quem etiam impurum Latini appellant. Fortaſſis autem hîc legendum eſt, *Viden' vt te ſceleſtus captat?* nam libri omnes,quos quidem viderim,habent. *Viden' vti ſceleſtus captat?* ſine prouocabulo, *te*: quod tamen vel ſubintelligendũ eſt,vel reponendũ,vt à Plauto poſitum. HVIC SVRREPTA'ST NON TIBI.]ſi legamus ſuprà, *palla ſurrepta'ſt mihi?* hæc ſic erunt explicanda:huic mulieri vxori tuæ ſurrepta eſt palla,non tibi. ſin receptam tueamur,quod tutius eſt: hæc ſic explicabimus: huic vicinæ meretrici,Erotio,non tibi,hoc eſt,in huius Erotij,non in tuum vſum,ô mulier,palla ſurrepta eſt. NAM PROFECTÒ TIBI SVRR. SI ESSET,&c.] nam ſi palla tibi, id eſt,in vſum tuum à viro tuo ſurrepta eſſet,ô mulier,ſalua nunc eſſet.nunc autem in vſum huius meretricis Erotij,ſurrepta eſt.ſi quis probabit alteram lectionem:hic locus ſic erit explicandus. Nã,ſi palla,ô Menæchme, tibi ſurrepta,hoc eſt,abs te clàm ablata, & ab vxore recuperata eſſet: ſalua nunc eſſet. Videtur hic verſus, vt ingenuè fatear,lectionem vulgatam, ac receptam confirmare:illam autem alteram,in qua *mihi*,pro,*tibi*,ſubſtituitur,contra omnium librorum auctoritatem,coarguere,ac refellere. NIL MIHI TECVM EST.]nil mihi negotij tecum eſt,Penicule,inquit Menæchmus,ego te nõ appello,ſed vxorẽ.ego non tecum loquor,ſed cum vxore. MENÆCHMVS QVIDAM]virum ſuum ſignificat.Nam quamuis duo Menæchmi ſint, tamen nullum alium Menæchmum,præter virum ſuum nouit,hoc quidem tempore. ET EGO] ſubintell,te arguo. VIN' AFFERRI NOCT. QVÆ TV, TV, VSQ.,&c.] alludit ad noctuæ vocem,ſeu cantum,tu,tu,ſeu tou,tou. nam vocalis, u.ſic olim à Romanis proferebatur,& ſic proferri debet, cùm longa eſt ſecus, ſi breuis,nam tum vt υψιλὸν,Græcorum proferẽda eſt: vt in fuga,ſuper,cuminum,maxumus,optumus,lacruma,& lacrumo,obſtupeo,recupero, diſſupo,& ſimilibus. quin in nonnullis nominibus etiam ſi longa eſt,tamen, vt y. pronuntiãdam arbitror:exempli cauſa.in *mus*,quoniam perſpicuè ducit originem,à Græco,μῦς. NON DEDISSE.]me ſubintell.ſed nónne hîc peierat Menæchmus?quod non temerè faciebãt veteres illi.Itaque fortaſſis habet aliquam in his verbis latebram,in qua deliteſcat, ne ſe periurio obſtringat: Licétque dicere,eum idcirco nõ peierare,quia in animo habet pallam ab Erotio repetere, & ad vxorem referre. IMMÒ H. VERÒ NOS NON F. D.]immò verò per Herculem nos adiuramus,nos non falſum dicere. SED SIC VTEND. D.] ſic, cum geſtu aliquo hîc pronuntiandum, vt & alibi in ſimilibus locis admonuimus. EGO DOMVM?] ſubintell. numquam introibo? QVID MIHI FVTVRVM'ST QVI T. H. O. D.?]quid mihi pretij,aut mercedis perſoluetur,qui tibi viri tui furtum indicaui? CVM VIRO, CVM VX. DII VOS P.] id eſt,& virum,& vxorem dij vos perdant. ME PLANÈ EXCIDISSE,&c.] me planè eiectũ eſſe,&c.mihi omnẽ cibi ſpem ex hac familia petẽdi præciſam eſſe intelligo. MALE MIHI VXOR SESE F.] hæc ab vxore degreſſus, loquitur Menæchmus. CÙM EXCL. F.] lego, *cùm excludit foris*,vt ſuprà, *paraſito excluſo foris*. QVÒ INTROMITTAR,]quò introducar,&c. intromitti,ſeu introduci,& excludi,inter ſe opponũtur.Sic M.Tull.lib.3.Accuſ. *hic ſolus introducitur:ceteri ſæpè frugaliſſimi homines excluduntur.* SI TIBI DISPL. P.]apoſtrophe ad vxorem abſentem. ECQVID HÎC EST IANITOR?]id eſt,numquid ad has foreis eſt ianitor?al.ecquis hîc eſt ianitor?hoc eſt,num aliquis hîc eſt ianitor?

## EROTIVM. MENÆCHMVS ſurreptus.

ER. QVis hîc me quærit? ME. ſibi inimicus magis,quàm ætati tuæ.
ER. Mi Menęchme,cur ante ædeis adſtas?ſequere intrò.M.mane.
Scin quid eſt,quòd ego ad te venio?ER.ſcio,vt tibi ex me ſit volup.

Immò



A ME. Immò ædepol pallam illam,amabo te,quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde.vxor reſciuit rem omnem,vt facta eſt,ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam,quàm voles.
ER. Tibi dedi equidem illam,ad phrygionem vt ferres paulò prius:
Et illud ſpinther,vt ad aurificem ferres,vt fieret nouum.
ME. Mihi vt tu dederis pallam,& ſpinther?numquam factum reperies.
Nam ego quidẽ poſtquàm illã dudũ tibi dedi,atq; abij ad forum,
Nunc redeo:nunc te poſt illa video. ER. video quam rem agis.
Quia commiſi,vt me defrudes,ad eam rem affectas viam.
ME. Neque ædepol te defraudandi cauſa poſco,quin tibi
Dico vxorem reſciuiſſe. ER. nec te vltrò oraui, vt dares.
B Tute vltrò ad me detuliſti. dediſti eam dono mihi.
Eandem nunc repoſcis. patiar,tibi habe,aufer. vtere
Vel tu,vel tua vxor,vel etiam in oculos compingite.
Tu huc,poſt hunc diem,pedem intrò non feres,ne fruſtra ſis,
Quando tu me bene merentem,tibi habes deſpicatui.
Niſi feres argentum,fruſtra me ductare non potes.
Aliam poſthac inuenito,quam tu habeas fruſtratui.
ME. Nimis iracundè hercle,tandem heus tu,tibi dico,mane,
Redi. ER. etiámne adſtas?etiam audes mea reuorti gratia?
ME. Abiit intrò,occluſit ædeis. nunc ego ſum excluſiſſimus,
Neque domi,neque apud amicam mihi iam quicquam creditur.
C Ibo,& conſulam hanc rem amicos,quid faciendum cenſeant.

QVàM ÆTATI TVÆ.]id eſt,quàm tibi. VOLVP.] voluptas. ſuprà in Aſinar.extrem *Hic ſenex ſi quid clam vxorem ſuo animo fecit volup.* &c. Conſule Nonium. VT FACTA EST.]quo pacto facta ſit. TIBI DEDI EQVIDEM ILLAM,&c.]hoc loco nouus error exoritur ex geminorum Menæchmorum ſimilitudine, quæ tanta eſt, vt internoſci non poſſint. VT FIERET NOVVM.]vt renouetur. NVNC TE POST ILLA VIDEO.]id eſt,nunc primùm poſteaquam pallam tibi dedi,atque abs te diſceſſi,te video. QVIA COMMISI, VT ME DEFRVDES,&c.]quia mea ſtultitia, & credulitate nimia factum eſt, vt me defraudare poſſis,me defraudare cogitas. *Defrudes* autem habent etiam noſtri libri veteres: & verò ita loquebantur antiqui. ſuprà in Aſinaria. *Ten' ego defrudẽ,cui ipſi nihil eſt in manu, Niſi quid tu porrò vxorem defrudaueris?* Dicebant tamen & *defraudare*. Conſule Nonium. AD EAM REM AFFECTAS V.]ad me defrudendam conſilium, & ſtudium tuum confers. affectare viam,etiam in Aulul. vſurpauit,ibi. *vt me deponat vino,eam affectat viam.* ad quem locum plura. NEC TE VLTRO ORAVI, VT D.]non ego prior te oraui,vt mihi pallam dares:ſed tu non rogatus,eam ad me detuliſti. VEL ETIAM IN OCVLOS C.]vel etiam in oculos conijcite,ac defigite. ſtomachoſè dicũtur hæc à meretrice,quæ putat ſe huic Menæchmo pallã,& ſpinter,vt is reconcinnenda curaret,dediſſe,cùm alteri Menæchmo eius fratri germano, & gemino dederit. Cùm autẽ videatur eos monere,vt diligentiſſimè pallam cuſtodiãt. nam quæ in oculis,ſeu intra oculos,quibus nihil carius eſt,ſeruãda ſunt,cariſſima ſint,neceſſe eſt:tamen quia oculi nihil alienum intra ſe ferre poſſunt,nõ pallæ cuſtodiam eis ſuadere,ſed dolorem,& cæcitatem optare, ac precari videtur. Præterea non dicit,*in oculis cuſtodite*, quod viſum eſſet ἀφελῶς dictum, ſed *in oculos compingite*; quod non niſi inimico,ac maleuolo animo dictum intelligi poteſt.Nam compingere in oculos,ſic dictum,vt compingere in carcerem.ſuprà in Amphitr.princ. *Quid faciam nunc, ſi tres viri me in carcerem compegerint?* PEDEM INTRÒ NON FERES.] non introibis. NE FRVSTRA SIS.]ne te fruſtrere,ne erres.ſuprà in Bacchid. *Quid? illam meretricémne cenſes eſſe?* NI. *quippini.* CH. *fruſtra es.* Horat.Sat.3. lib.2. *ô bone,ne te Fruſtrere,inſanis & tu,ſtultique propè omnes,* &c. Plautus Rud. *Ego daturus tibi nihil ſum,ne tu fruſtra ſis.* TIBI HABES DESPICATVI] ſic dictum,tibi habes deſpicatui, vt tibi habes ludibrio. FRVSTRA ME DVCTARE NON POTES:]vel fruſtra me ductare nõ potes,dixit,pro,fruſtra me lactare non potes:promiſſis inanibus me inducere nõ potes.vel me ductare,poſuit,pro me ducere,vt ex meo cõcubitu,& complexu voluptatem capias,atq. animo tuo morem geras.Sic enim dicimus,ductare ſcortũ.*fruſtra*

autem, id eſt, ſine nummis, & mercede. QVAM TV HAB. FR.] quam tu fruſtreris, ſeu decipias, atque illudas. OCCLVSIT ÆDEIS.] clauſit ædeis, obdito peſſulo, obſerauit ædeis. ſuprà in Moſtell. *Clauim cedò, atque abi intrò, atque occlude oſtium.* EXCLVSISSIMVS.] ſuperlatiuum fecit ex participio, excluſus. Sic M. Tull. in orat. pro Cæcina dixit. *armatiſſimi*, ibi, *ſed proinde valebit, quaſi armatiſſimi fuerint, ſi reperientur, ita parati fuiſſe, vt vim vitæ, aut corpori potuerint afferre.* Sic noſter Plautus dixit, ipſiſſimus, oculeiſſimus, & ſimil. quæ ſuis locis obſeruabuntur. ET CONSVLAM HANC REM AMICOS, &c.] & conſulam de hac re amicos, &c. A

## MENÆCHMVS, Soſicles. MVLIER.

NImis ſtultè dudum feci, cùm marſupium,
Meſſenioni cum argento concredidi.
Immerſit aliquò ſeſe credo in ganéum.
MV. Prouiſam quàm mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video, ſalua ſum, pallam refert.
ME. Demiror vbi nunc ambulet Meſſenio. B
MV. Adibo, atque hominem accipiam, quibus dictis meret,
Non te pudet prodire in conſpectum meum,
Flagitium hominis, cum iſtoc ornatu? PE. quid eſt?
Quæ res agitat te mulier? MV. etiámne impudens
Mutire vnum verbum audes, aut mecum loqui?
ME. Quid tandem admiſi in te, vt loqui non audeam?
MV. Rogas me? ô hominis impudentem audaciam.
ME. Non tu ſcis mulier, Hecubam quapropter canem
Graij eſſe prædicabant? MV. non ecquidem ſcio.
ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. C
Omnia mala ingerebat, quemquem adſpexerat,
Itaque adeò iure cœpta appellari eſt canis.
MV. Non iſtæc ego flagitia poſſum perpeti.
Nam me meam ætatem viduam eſſe mauelim,
Quàm iſtæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
ME. Qui id ad me, tu te nuptam poſſis perpeti,
An ſis abitura à tuo viro? an mos eſt ita hîc,
Peregrino vt aduenienti narrent fabulas?
MV. Quas fabulas? non, inquam, patiar præterhac.
Quin vidua viuam, quàm tuos mores perferam. D
ME. Mea quidem hercle cauſſa vidua vicitа
Vel vſque dum regnum obtinebit Iupiter.
MV. At mihi negabas dudum ſurripuiſſe te,
Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?
ME. Heu, hercle mulier multum & audax & mala es.
Tun' tibi hanc ſurreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, vt concinnandam darem?
MV. Næ iſtuc mecaſtor iam patrem arceſſam meum,
Atque enarrabo tua flagitia, quæ facis.
I Decio, quære meum patrem, tecum ſimul
Vt veniat ad me, ita rem mihi eſſe dicito,





A Iam ego aperiam iſtæc tua flagitia. ME. ſanan' es?
Quæ mea flagitia? MV. cùm pallam atque aurum meum
Domo ſuppilas vxori tuæ, & tuæ
Degeris amicæ. ſatin' hoc rectè fabulor?
ME. Quæſo hercle mulier, ſi ſcis monſtra quid bibam,
Tuam qui poſſim perpeti petulantiam?
Quem tute hominem eſſe me arbitrare, neſcio.
Ego te ſimitu noui cum Parthaone.
MV. Si me derides, at pol illum non potes,
Patrem meum, qui huc aduenit, quin reſpicis?
Nouiſtin' tu illum? ME. noui cum Calcha ſimul
B Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
MV. Negas nouiſſe me? negas patrem meum?
ME. Idem hercle dicam, ſi auum vis adducere.
MV. Æcaſtor pariter hoc, atque alias res ſoles.

CVM MARSVPIVM MESSENIONI CVM ARG. CONCR.] vt alibi dixit, ibi. *Oboluit marſupium Huic iſtuc, quod habes.* MEN. *atque ædepol tu me monuiſti probè. Accipe. iam hoc ſcibo, vtrùm hæc me mage amet, an marſupium.* IMMERSIT ALIQVÒ SESE, &c.] ſeſe penitus coniecit in ganeum aliquod. tralatio eſt. ſic ſuprà. *quandò in contionem mediam me immerſi miſer. Ganeum*, autem, inquit Feſtus, locum abditum, & veluti ſub terra dixerunt, Terentius in Adelph. *Vbi illum quæram? credo abductum in ganeum Aliquò*, &c. vbi Donatus, *Veteres ganeum, meretricium tabernam dixerunt,* ἀπὸ τᾶς γᾶς τουτέστι, τῆς γῆς *: quòd ea ſint in terra, ſiue ſub terra, non, vt cenacula, ſuprà.* Conſule & Nonium. PROVISAM QVÀM MOX, &c.] foras egreſſa viſam, ſeu porrò viſam, &c. Terent. Andr. *Prouiſo, quid agat Pamphilus.* SED ECCVM VIDEO.] nouus error hîc vxori Menæchmi ſurrepti obiicitur, cùm ſe putat virum ſuũ videre, quæ fratrem eius videt, cum palla, quam ſimiliter errans Erotium ei dederat, vt eam recõcinnandam curaret. ATQVE HOMINEM ACCIPIAM QVIBVS D. M.] atque hominem acriter obiurgabo, & maledictis inſequar. ſic ferè Cicero libro I. Accuſ. ibi. *Iſte, qui aliquanto plus cogitaſſet, malè accipit verbis Rabonium.* FLAGITIVM HOMINIS, &c.] ſuprà eádem fabula. *Flagitium hominis, ſubdole, ac minimi pretij?* MVTIRE VNVM VERBVM, &c.] mutire, eſt mu facere, quod muti ſolẽt. ſuprà in Curcul. *Non mutit cardo: eſt lepidus.* In Moſtel. *Intus caue mutire quemquam ſiueris.* NON TV SCIS, MVLIER, HECVBAM QVAPROPTER CANEM, &c.] Hecubam, velut canem, Græci lapidibus inſectati ſunt, quia maledicta in vniuerſum Græcorum exercitum aſſiduè ingerebat. Nonnulli etiam eam in canem verſam eſſe tradiderũt. Iuuenal. Satyr. 10. de Priamo. *Exitus ille vtrumque hominis. ſed torua canino Latrauit rictu quæ poſt hunc vixerat vxor.* M. Tull. Tuſcul. quæſt. 3. *Hecubam autem propter animi acerbitatem quandam, & rabiem, fingi in canem eſſe conuerſam.* OMNIA MALA INGEREBAT, QVEMQVEM ADSPEXER.] omnia maledicta in Græcos congerebat, quemcumque adſpexerat. MEAM AETATEM,] quamdiu viuam. AN MOS EST ITA HÎC, &c.] an mos talis eſt Epidamni, vt peregrino aduenienti narrẽt res inaneis, & quæ nihil ad eius rem attinent? PRAETER HAC,] prætereà: ampliùs. Idem in Rud. *ſi præterhac Vnum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.* QVÀM TVOS MORES PERF.] ſubintell. *potiùs.* ſic apud Græcos ſubintelligitur interdum μᾶλλον. Homer. ἰλ. Α. βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. MEA QVIDEM HERCLE CAVSA, &c.] id eſt. tu verò, quod quidem ad me attinet, æternum vidua viue. mea cauſa, ἐμοῦ ἕνεκα. ſic ſuprà in Epid. *Dum ſine me quæras, quæras mea cauſa vel medio in mari.* VEL VSQVE DVM REGNVM OBTINEBIT IVP.] vel eò vſque dum regnabit Iupiter: hoc eſt, æternum. ANTE OCVLOS] meos ſubintell. ATTINES.] tenes. retines. ſuprà, eadem fabula. *ita me attinuit: ita me detinuit.* DECIO:] puerum Decionem vocat, cúmque ad patrem mittit, vt illum arceſſat. ITA REM MIHI ESSE DICITO] Ita negotium meũ poſtulare dicito, vt veniat. Eo loco rem meam eſſe dicito, vt opus ſit eum nunc ad me venire, ſic ſuprà in Bacchid. *iam facite in biclinio Cum amica ſua vterque accubitum eatis. ita negotium eſt.* SVPPILAS VX.] ſuffuraris vxori. ſuppilare, inquit Nonius, eſt inuolare, vel rapere, à pilorum raptu, vnde & furtum paſſi, compilati dicuntur. Plautus Trucul. *Hæc cùm video fieri, ſuffuror, ſuppilo, de præda prædam capio.* cetera exempla legito apud Nonium. Sed credibilius eſt, hæc verba, compilare, expilare, ſuppilare, vnius eſſe originis: & à Græca voce, φιλήτης & mutata adſpirata in tenuem, πιλητής, quæ furem ſignificat, eſſe

nata: quod & Simeoni Boſio videbatur. ET TVAE DEGERIS AMICAE.] & ad tuam amicam defers. ſic infrà ſcena prox. *Mea ornamenta iam ad meretrices degerit.* SATIN' HOC RECTÈ FABVLOR?] ſatiſne hoc verè loquor? MONSTRA, QVID BIBAM, TVAM QVI POSS. PERP. PETVL.] monſtra, ſeu doce, quod medicamentum bibam, quo tuam maledicentiam perferre poſſim. tralatio, ſeu potiùs allegoria à medicis, & pharmacopolis, qui dant medicamenta quædam, quibus quis epotis, aut venenū impunè ſumere poteſt, aut iam ſumtum tolerare, atque adeò ſuperare. SIMITV.] ſimul. in Mercat. *Ita tres ſimitu res agendæ ſunt, cùm vnam occeperis.* CVM PARTHAONE.] Parthaon, pater Oenei, Ætoliæ regis, Deianiræ patris. QVIN RESPICIS?] cur non retro adſpicis? NOVI CVM CALCHA SIMVL] noui cum Calchante ſimul. profert hunc locum Priſcian. lib. 6. his verbis. *in os autem terminantia genitiuum Græcum, o, in, i. mutata faciunt Latinū genitiuum,* vt κάλχας, καλχάντος, hic Calchas, Calchantis. *quamuis hic Calchas, huius Calchæ antiquiſſimi declinabant.* Plaut. in Menæch. *Nouiſtin' tu illum?* &c. hactenus Priſc. Eadem ratione ex his nominibus Græcis ſchema, tis. chlamys, dis. lampas, dis, fecerunt Latini nomina Latina, & inflexerunt Latinè, ſchema, mæ, mæ, am. chlamyda, dæ, dæ, am. lampada, dæ, dæ, dam. A

## SENEX, MVLIER, MENÆCHMVS Soſicles. B

VT ætas mea'ſt, & vt huic vſus facto eſt,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quàm facile ſit mihi, haud ſum falſus.
Nam pernicitas deſerit, conſitus ſum
Senectute, onuſtum gero corpus, vires
Reliquere. vt ætas, mala merx eſt ergo!
Nam res plurimas peſſumas, cùm aduenit, affert.
Quas ſi autumem omneis, nimis longus ſermo ſit.
Sed hæc res mihi in pectore & corde curæ eſt,
Quídnam hoc ſit negotij, quòd filia ſic
Repentè expetit, ad ſeſe, me, vt irem, C
Nec, quid id ſit, mihi certius facit,
Quid velit, quídue arceſſat.
Verùm propemodum iam ſcio, quid ſiet rei.
Credo cum viro litigium natum eſſe aliquod.
Ita iſtæ ſolent, quæ viros ſubſeruire
Sibi poſtulant, dote fretæ, feroces.
Et illi quoque haud abſtinent ſæpe culpa.
Verùm eſt modus tamen, quoad pati vxorem oportet.
Nec pol filia vmquam patrem arceſſit ad ſe,
Niſi aut commiſſi, aut iurgij eſt cauſſa. D
Sed quicquid id eſt, iam ſciam, atque eccam eam ipſam
Ante ædeis, & eius triſtem virum video.
Id eſt, quod ſuſpicabar.
Appellabo hanc, ibo aduorſum. MV. ſalue multum mi pater.
SE. Salua ſis. ſaluæ'ne? aduenio, ſed cur arceſſi iubes?
Quid tu triſtis es? quid ille autem abs te iratus diſtitit?
Neſcio quid vos velitati eſtis inter vos duos.
Loquere, vter meruiſtis culpam, paucis, non longos logos.
MV. Nuſquam equidē quicquā deliqui, hoc primùm te abſoluo pater.
Verùm viuere hìc non poſſum, neque durare vllo modo. (pater
Proin tu me hinc abducas. SE. quid iſtuc autē eſt? MV. ludibrio

Habeor.



A Habeor. SE. vnde? MV. ab illo quoi me mandauiſti, meo viro.
SE. Ecce autem litigium, quoties edixi tandem tibi,
Vt caueres, neuter ad me iretis cum querimonia?
MV. Qui ego iſtuc, mi pater, cauere poſſum? SE. méne interrogas?
Niſi non vis. quoties monſtraui tibi, viro vt morem geras?
Quid ille faciat, ne id obſerues? quò eat? quid rerum gerat?
MV. At enim ille hinc amat meretricem ex proximo. SE. ſanè ſapit.
Ob iſtanc induſtriam, etiam faxo amabit amplius.
MV. Atque ibi potat. SE. tuan' quidem ille cauſſa potabit minus,
Siue illic, ſiue alibi libebit? quæ hæc, malum, impudentia eſt?
B Vna opera prohibere ad cenam ne promittat, poſtules.
Néue quemquam accipiat alienum apud te. ſeruiren' tibi
Poſtulas viros? dare vna opera penſum poſtules,
Inter ancillas ſedere iubeas, lanam carpere.
MV. Non equidem mihi te aduocatum pater adduxi, ſed viro.
Hinc ſtas. illinc cauſſam dicis. SE. ſi ille quid deliquerit.
Multo tanto illum accuſabo, quàm te accuſaui, amplius.
Quando te auratam & veſtitam bene habet: ancillas, penum,
Rectè præbet, melius ſanam, eſt, mulier, mentem ſumere.
MV. At ille ſuppilat mihi aurum, & pallam ex arcis: modò
Me deſpoliat, mea ornamenta iam ad meretrices degerit.
C SE. Malè facit, ſi iſtuc facit: ſi non facit, tu malè facis,
Quæ inſontem inſimules. MV. quin etiam nunc habet pallam pater,
Et ſpinter, quod ad hanc detulerat, nunc quia reſciui, refert.
SE. Iam ego ex hoc vti factum eſt ſcibo: ibo ad hominem, atque alloquar.
Dic mihi iſtuc Menæchme, quod vos diſſertatis, vt ſciam.
Quid tu triſtis es? quid illam autem iratam abs te deſtituis?
ME. Quiſquis es, quicquid tibi nomen eſt ſenex, ſummum Iouem,
Deóſque deteſtor. SE. qua de re, aut cui rei, rerum omnium?
D ME. Me neque iſti malè feciſſe mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab ſe ſurripuiſſe, atque abſtuliſſe deierat.
Si ego intra ædeis huius vmquam, vbi habitat, penetraui pedem,
Omnium hominum exopto vt fiam miſerorum miſerrimus.
SE. Sanúſne es, qui iſtuc exoptes, aut neges te vmquam pedem
In eas ædes intuliſſe, vbi habitas, inſaniſſime?
ME. Tun' ſenex ais habitare me hic in illiſce ædibus?
SE. Tu negas? ME. nego hercle verò. MV. nimio hæc impudenter negas,
Niſi quò nocte hac emigraſti. SE. concede huc filia.
Quid tu ais? num hinc emigraſti? ME. quem in locum, aut rem, obſecro?

SE. Non ædepol ſcio. MV. profectò ludit te hic.non tute tenes? A
SE. Iam verò Menæchme ſatis iocatus es,nunc hanc rem age.
ME. Quæſo quid mihi tecum eſt?vnde, aut quis homo tu es ? quid feci ego
Tibi,aut adeò iſti,quæ mihi moleſta'ſt quoquo modo?
MV. Viden' tu illi oculos virere?vt viridis exoritur color
Ex temporibus atque fronte,vt oculi ſcintillant,vide.
ME. Quid mihi melius eſt,quàm,quando illi me inſanire prædicant,
Ego me aſſimulem inſanire,vt illos à me abſterream?
MV. Vt pandiculans oſcitatur?quid nunc faciam mi pater?
SE. Concede huc mea nata ab iſtoc quàm potes longiſſimè.
ME. Euoë,Euie,Bromie,quò me in ſyluam venatum vocas? B
Audio,ſed non abire poſſum ab his regionibus.
Ita me illa ab læua rabioſa fæmina obſeruat canis.
Pòſt autem illic hircus alius,qui ſæpè ætate in ſua
Perdidit ciuem innocentem falſo teſtimonio.
SE. Væ capiti tuo. ME. ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Vt ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
MV. Perij,mi pater,minatur mihi oculos exurere.
ME. Hei mihi,inſanire me aiunt,vltrò cùm ipſi inſaniunt.
SE. Filia. MV. heus quid eſt?quid agimus? SE. quid ſi ego huc ſeruos cito?
Ibo,adducam,qui hunc hinc tollant,& domi deuinciant, C
Priuſquam turbarum quid faciat. ME. amplius enimuerò niſi
Occupo aliquod mihi conſilium.hi domum me ad ſe auferent.
Pugnis me vetas in huius ore quicquam parcere?
Ni iam ex meis oculis abſcedat in malam magnam crucem,
Faciam quod iubes,Apollo. SE. fuge domum quantum potes,
Ne hic te obtundat. MV. fugio : amabo , obſerua iſtunc mi pater,
Ne quò hinc habeat.ſúmne ego mulier miſera, quæ illhæc audio?
ME. Haud malè illhanc amoui:nunc hunc ego impuriſſimum,
Barbatum,tremulum,Titanum,Cycno prognatum patre, D
Ita mihi imperas,vt ego huius membra atque oſſa,atque artua
Comminuam illo ſcipione, quem ipſe habet. SE. dabitur malum,
Me quidem ſi attigeris,aut ſi propius ad me acceſſeris.
ME. Faciam quod iubes,ſecurim capiam ancipitem,atque hunc ſenem
Exoſſabo,dein dedolabo aſſulatim viſcera.
SE. Enimuerò illud præcauendum eſt,atque accurandum mihi,
Sanè ego illum metuo,vt minatur,nequid malè faxit mihi.
ME. Multa mihi imperas Apollo:nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos,feroceis,atque currum inſcendere,
Vt ego hunc proteram leonem Getulum,olentem,edentulum.

Iam



A Iam aſcendo in currum , iam lora teneo , iam ſtimulum in manu'ſt.
Agite equi,facitote ſonitus vngularum appareant
Curſu celeri.facite in flexu ſit pedum pernicitas.
SE. Mihin' tu equis iunctis minare? ME. ecce Apollo denuò
Me iubes facere impetum in eum qui ſtat,atque occidere.
Sed quis hic eſt,qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat, atque edictum Apollinis?
SE. Heu,hercle morbum acrem ac durum:dij,voſtram fidem,
Vel hic,qui inſanit,quàm valuit paulò prius?
Ei derepentè tantus morbus incidit.
B Ibo atque arceſſam medicum iam,quantum pote'ſt.

VT ÆTAS MEA'ST,]qualis mea ætas eſt:pro mea ætate: prout ætas mea eſt: quæ mala eſt,ſcilicet. ET VT HVIC VSVS FACTO EST] & vt huic,meæ ætati,facto opus eſt:vt huic ætati me facere expedit:&c.al.& vt huic,filiæ meæ, quæ me arceſſit. GRADVM PROF. PROGREDI PROPER.]Virgil.lib.4.Æneid *illa gradum ſtudio celerabat anili.* HAVD SVM FALSVS.] haud me fallit. NAM PERNICITAS DESERIT.] pedum celeritas me deficit. CONSITVS SVM SENECTVTE.] tralatio eſt ab agris ſemine aliquo conſitis,vt frumento,hordeo, faba.ſic Lucretius tranſlatè dixit libro 2. *Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis Ardorem in partes,& lumine conſerit arua.*& Catul.in carm.de Thetidis,& Pelei nupt.*Ipſe autem cæca mentis caligine Theſeus Conſitus*,&c.Virgil.lib.2.Georg.*iuuat Iſmara Baccho Conſerere,atq.olea magnum veſtire Taburnum.*M.Tull.lib.2.de Nat.deorum.*Indus , qui eſt omnium fluuiorum maximus, non aqua ſolùm agros lætificat,& mitigat,ſed eos etiam conſerit.* Profert totum hunc locum Nonius, in *ſenium* , atque adeò in initio totius operis. ONVSTVM GERO CORPVS:] onuſtum an-
C nis,ſcilicet. duo ſunt hæc onera.nam & corpus hic ſenex gerit:& corporis onus,ſenectutem, ſiue annos.ſic in Mercat.*quin is ocyus?* SY. *Nequeo mecaſtor:tantum hoc oneris eſt,quod fero.* DOR.*Quid oneris?* SY.*annos octoginta,quattuor.*M.Tull.in Cato.maiore.princip.*ſenectus pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt,vt onus ſe Ætna grauius dicant ſuſtinere.*Idem, ibid.*Annos ſeptuaginta natus(tot enim vixit)Ennius,ita ferebat duo,quæ maxima putantur,onera,paupertatem,& ſenectutem,vt eis pæne delectari videretur.* VT ÆTAS MALA' MERX EST ERGO!]Ergo quàm mala merx eſt,ætas?Profert hunc locum Nonius,vt diximus,docens,veteres ætatem malam dixiſſe ſenectutem. Sic Accius in Amphitr. *An mala ætate mauis malè mulcari exemplis omnibus?* NAM RES PLVRIMAS, PESS. CÙM ADVEN. AFF.]ſic Cæcilius apud M.Tullium in Caton.maiore. *Ædepol ſenectus , ſi nil quidquam aliud viti Apportes tecum,quum aduenis: vnum id ſat eſt,Quòd diu viuendo,multa,quæ non vult,videt.* QVAS SI AVTVMEM OMN.]Quas ſi omneis commemorem, &c. QVÒD FILIA SIC REPENTÈ EXPETIT AD SESE ME VT IREM]id eſt,quòd filia ſic repentè expetit me ad ſeſe ire.vel ſic repentè expetit,vt ego ad ſeſe irem.Sermo eſt ex duobus generibus confuſus. POSTVLANT,] ἀξιοῦσι,æquum arbitrantur. DOTE FRETÆ, FEROCES.]dote fretæ,& dote feroces,id eſt,elatæ,& ſuperbæ, poſtulant viros ſibi ſubſeruire. Hoc
D habent ferè omnes mulieres dotatæ,vt viris imperare velint: & viri , qui in vxore ducenda ſequuntur,& ſpectant dotem,hoc ferè aſſequuntur, vt vxoribus ſuis ſeruire & parêre cogantur. ſuprà in Aſinar.*Argentum accepi:dote imperium vendidi.*ad quem verſum hac de re plura.ET ILLI QVOQ. H. ABST.]Et viri quoque interdum peccant. VERÙM EST MODVS TAMEN, QVOAD PATI VX.&c.]verumtamen modus eſt aliquis certus,intra quem vxorem viri mores oportet pati.*Eſt modus in rebus*, inquit ille, *ſunt certi denique fines*, &c. COMMISSI,] peccati. SALVÆ'NE?] res:ſubintell.ſic apud T.Liuium lib.1.Annal.*quærentique viro,ſatin' ſaluæ? minimè,inquit.quid enim ſalui eſt mulieri,amiſſa pudicitia?*Idem libro 6.*confuſam eam ex recenti morſu animi cùm pater ſorte vidiſſet,percunctatus,ſatin' ſaluæ? auertentem cauſam doloris, quippe nec ſatis piam aduerſus ſororem,nec admodum in virum honorificam,elicuit,comiter ſciſcitãdo,vt fateretur,eam eſſe cauſam doloris,quòd iuncta impari eſſet*,&c.Idem libro 10.*vix enim ſalute mutua reddita,cùm obuiam egreſſus eſſet : ſatin' ſaluæ, inquit, L. Volumni? Vt ſeſe in Samnio res habent?quæ te cauſa , vt prouincia tua excederes, induxit?* Alij putant *ſalue* hîc eſſe aduerbium,& ſine diphthongo ſcribendum. Et item apud Tit. Liuium & in ſimilibus locis. QVID ILLE AVTEM ABS TE IRATVS DISTITIT?]quamobrem ille iratus,abs te longè remotus eſt,& longè abſceſſit?Sic autem legendum *diſtitit*,inquam, à verbo diſto:non deſtitit,à verbo deſiſto,quod hîc locum habere non poteſt. NESCIO QVID VOS VELITATI ESTIS INTER VOS DVOS.] profert hunc verſum No-

nius in voce *velitatio:* quam docet ille ſignificare leuem contentionem, dictam à cõgreſſione ve- A litum. Sunt autem velites, milites expediti, & leuiter armati: quod nomen ipſum indicat. ſunt enim ſic dicti, quaſi volites. Hoc igitur ſignificat ſenex filiam ſuam & Menæchmum Soſiclem, quem putat eſſe filiæ ſuæ virum, vt & filia ipſa, leuiter inter ſe propter aliquam ſibi incognitam cauſam, verbis contendiſſe, & concertaſſe. VTER MERVISTIS CVLP.] vter veſtrûm culpam commeruiſtis. NON LONGOS LOGOS.] non longas verborum ambages. *longos logos,* παρήχησις. ſubintelligendũ autem eſt, verbum aliquod, facias, aut aliud tale. HOC PRIMÙM TE ABSOLVO, PATER.] primùm, quantum ad hoc, ego te nihil moror. NEQVE DVRARE, &c.] οὐδὲ καρτερεῖν, &c. ſuprà in Amphitr. *Durare nequeo in ædibus,* &c. VNDE?] à quo? ſic ſæpè alias. QVOI ME MANDAVISTI,] qui collocat filiam ſuam in matrimonio. mandare, & committere viro filiam, dicitur à Latinis. Ser. Sulpitius ad Cicero. lib. 4. epiſt. *Licitum eſt tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tutò committere putares.* Terent. And. *Quid Chremes, qui denegarat ſe commiſſurum mihi gnatam ſuam vxorem? id mutauit,* &c. Ne quis autem hoc miretur: nemo cuiquam negotium ſuum curandum mandat, niſi cui fidem habet. Itaque eius, cui mandat, fidei, negotium ſuum committere dicitur à Latinis: ita vt mandare alicui negotium, & committere, idem valeant. Quòd ſi pater rectè dicitur filiam ſuam genero committere, quomodo Terent. & Seruius Sulp. loquuntur: rectè quoque dicetur filiam ſuam B viro, hoc eſt, genero ſuo mandare, vt hîc loquitur Plautus. Neque obſtat, quòd mandatum, debet eſſe gratuitum: pater autem, qui filiam ſuam collocat, dat dotem genero: quæ videtur intercedere, tamquam merces. Dico enim, primùm nonnullos viros domum ducere vxores indotatas: deinde dotem, neque mercedem eſſe, neque mercedis gratia dari, ſed vt vir vxoris iugum, quod ſubiit, & onus matrimonij ſibi à patre & ſocero impoſitum, faciliùs tolerare queat. Poſtremò merces non ſolet dari ab eo, qui opus faciendum locauit, niſi opere perfecto. at dos datur genero à ſocero, ſtatim vt contractæ ſunt nuptiæ, etiam antequàm vir vxorem domum ducat. NISI NON VIS] cauere iſtuc non potes, quia non vis. nihil eſt, quod tibi obſtet, quominus iſtuc caueas, niſi quod non vis. cauere iſtuc potes, niſi non vis, id eſt, ſi modò velis. QVOTIES MONSTRAVI TIBI, VIRO VT MOREM GERAS?] quoties præcepi tibi, vt te viro morigeram præbeas? HINC AMAT MERETRICEM EX PROXIMO.] ſic ſolet Plautus, primo loco ponit genus, aut id, quod latiùs patet. deinde quod eſt contractius. Meretricem amat, inquit, hinc, id eſt, ex hoc loco, deinde ſubiungit quiddam illuſtrius, ex proximo. SANÈ SAPIT.] ſapit, qui animo ſuo morem gerit, & qui ſibi facit benè, & qui iucundè viuit. ſententia popularis, & multitudini plauſibilis. ſic Horat. oda xj. libro 1. *ſapias: vina liques, & ſpatio breui Spem longam reſeces.* OB ISTANC INDVSTRIAM, FAXO, &c.] quia iſtam in- C duſtriam & diligentiam adhibes in obſeruando viro, quid rerum gerat, fecero, vt magis amet. QVÆ HÆC, MALÙM, IMP.?] ſtomachoſè pronuntiandum. quæ hæc tua, malùm, impudentia eſt? *malùm,* aduerbium eſt, animi indignationem, & ſtomachum declarans. VNA OPERA PROHIBERE, &c.] eâdem opera, qua prohibere poſtulas, ne vir tuus potet alibi, quàm domi, poſſis æquum eſſe exiſtimare, prohibere, ne cuiquam, à quo vocatus ſit ad cenam, promittat. NÉVE QVEMQVAM ACCIP. ALIEN.] néue cuiquam alieno det cenam domi. DARE VNA OPERA PENSVM POSTVL.] eâdem opera debeas, ſeu poſſis poſtulare, hoc eſt, æquum eſſe cenſere. dare penſum viro: hoc eſt dare colum, & lanam. penſum, lana eſt colui circumdata, vel quòd è colu ſuſpenſum eſſet, vel quòd penderetur, vt, quanti ponderis eſſet, ſciri poſſet. Virgil. Georg. 1. *Ne nocturna quidem carpentes penſa puellæ,* &c. Idem libro 4. *Carmine quo captæ dum fuſis mollia penſa, Deuoluũt, iterum maternas impulit aureis Luctus Ariſtæi,* &c. Catullus de Pelei & Thetidis nuptiis, *Læua colum molli lana retinebat amictã.* LANAM CARPERE] Varro lib. 6. de lingua Latina profert hunc locum: ſed legit *lanam carere.* Sic enim ille in Menæchmis Plauti. *Inter ancillas ſedere iubeas lanam carere.* Idem eſt hoc verbum in Coſmetria Næuij. *Carere à carendo,* D *quòd eam tum purgant, ac deducunt, vt careat ſpurcitia. ex quo tum carminari dicitur lana, cùm caret eo, quod in ea eſt nequam.* Ne quis autem putet verba Varronis eſſe mendoſa, & apud eum legendum eſſe *carpere,* vt in exemplaribus Plautinis omnibus legitur, ſciendum eſt, hoc *carere,* eſſe à caro, is, it, Caro autem à verbo Græco κείρω, ortum eſt, quod valet tondeo. Dicunt tamen Græci etiam ξαίνειν. ADVOCATVM.] ſuprà in Amphitrione. *Blepharo, quæſo vt aduocatus mihi aſſis, néue abeas,* &c. ad quem locum, quid ſit aduocatus, diximus. HINC STAS ILLINC CAVSAM DICIS] à me, & à mea parte ſtas, pro illo cauſam dicis, à me aduocatus es, vt mihi ſtudeas, meámq. cauſam adiuues, & tamen pro illo dicis. SI ILLE QVID DELIQVERIT, MVLTO TANTO, &c.] ſi quid ille peccarit, multo amplius, & tanto amplius illum accuſabo, quàm te accuſaui. AVRATAM.] auro ornatam. MELIVS, SANVM EST, MVLIER, MENTEM SVMERE] ordo eſt, melius eſt, mulier, ſanam mentem ſumere. AT ILLE SVPPILAT MIHI AVRVM, &c.] at ille mihi aurum ſuffuratur, &c. vt hic verſus ſuis numeris conſtet. in prouocabulo *ille,* alterum l. exteritur, vt *at ile* ſit tribrachus, ſeu trochæus: & in voce *aurum, m,* non eliditur. DEGERIT.] defert, vt ſuprà eadem fab. *cùm pallam atque aurum meum Domo ſuppilas vxori tuæ, & tuæ degeris amicæ.* SCIBO.] ſciam. DISSERTATIS] diſputatis, altercamini. DESTITVIS?] ſolam relinquis? deſeris? QVIDQVID TIBI NOMEN EST,] quodcumque tibi nomen



A nomen ſit. DETESTOR.] valde teſtor. QVA DE RE, AVT CVI REI RERVM OMN.] qua de re, aut ad quam rem ex rebus omnibus ita Iouem teſtaris? hæc interponuntur ſene Menæchmum aduenam interpellante. ME NEQ. ISTI MALEFECISSE, &c.] hæc pendent ex ſuperioribus illis, *Summum Iouem, Deóſque deteſtor.* QVÆ ME ARG. HANC DOMO SVRRIP.] quæ arguit me hanc pallam, quam fero, ſibi ſurripuiſſe, & quæ deierat me abſtuliſſe. PENETRAVI PEDEM] intuli pedem, &c. ſic ſuprà eadem fabula. *Neque huc vmquam poſtquam natus ſum, intra portam penetraui pedem.* NIMIÒ HÆC IMP. NEGAS, NISI QVÒ, &c.] valde hæc impudenter negas, niſi fortè nocte hac ſuperiore hinc in alias ædeis emigraſti. proinde quaſi dicat, vſque ad hodiernũ diem ſemper in his ædibus habitaſti, poſtquam ego tibi nupſi. Sed videtur legendum, *nimiùm hæc impudenter negas,* &c. NVM HINC EMIGRASTI?] Alloquitur ſenex Menæchmum aduenam, quem generum ſuum eſſe putat, ſimilitudine formæ deceptus, vt vxor, & paraſitus, & Erotium. Sic autem legendum, vt edidimus, *num hinc emigraſti?* non vt habent omnes libri vulgati, *non hinc emigraſti?* NVNC HANC REM AGE] nunc ades animo, & age, quæ ſunt in manibus: attende animum ad id negotium, quod agimus, & in quo verſamur, neque aliud age. QVÆ MIHI MOLESTA'ST QVOQVO MODO.] id eſt, quæ mihi moleſta eſt omnibus modis? VIDEN' TV ILLI OCVLOS VI-
B RERE?] ſi legemus *virere?* vt habent etiam noſtri libri manuſcripti, intelligemus oculos præ ira luridos, & pallidos eſſe factos: quod primo adſpectu parùm probabile videtur. Nam iratorum oculi non virent, aut pallent, ſed rubent potiùs, & ardent, & flammei ſunt, vel Homero teſte, qui multorũ teſtium inſtar eſt. Sic ille ἰλιαδ. Α. μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι Πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. hoc eſt, illi autem immenſus præcordia ſpiritus atra impleuit, ſimul ex oculis flamma exſtitit ardens. Quare meliùs fortaſſe ſcribatur, *oculos viere,* hoc eſt, oculos flecti, ac diſtorqueri. quod notat Camerarius. Verumtamen *oculos virere,* integriorem, atque adeò planè verã, & ſincerã lectionẽ eſſe arbitror. Nam vt flamma dicitur virere, quæ eſt acris, & valida. vt apud Horat. oda. 17. epod. *Virens in Ætna flamma,* &c. contrà, quæ lãguet, marceſcere, & langueſcere, quod Græci dicunt μαραίνεσθαι, & μαλερὸν πῦρ. dixit Apollonius lib. 1. 3. Argon. Sic & hominis inſani oculi non ineptè dicuntur à Plauto virere, hoc eſt, flãmæ virentis inſtar ardere, & flagrare, & vt continuò loquitur *ſcintillare.* Quòd ſi hæc huius ſcripturæ ratio non placebit, redibimus ad priorem, vt oculos virere intelligamus, luridos fieri propter mentis perturbationem ſcilicet, cuius maximè ſunt indices oculi, cuiúſque vim maximè ſentiunt oculi. Porrò hanc ſcripturam, præter alia argumenta, id quod deinceps ſequitur, *vt viridis exoritur color ex tem-*
C *poribus,* &c. VT VIRIDIS EXORITVR COLOR, &c.] viridis color, id eſt, luridus, luteus, pallidus. OCVLI SCINTILLANT.] ignis ſcintillas emittere videntur. Sic Apollonius lib. 1. ἀργον. De Telomone irato ἦ, καὶ ἐς Ἀγνιάδην Τῖφυν θόρε· τὼ δέ οἱ ὄσσε Ὄστλιγγες μαλεροῖο πυρὸς ὣς ἰνδάλλοντο. id eſt, dixit & in Tiphym, Agniadam irruit. oculi autẽ eius ſcintillis ignis erãt ſimiles. Sic Virg. lib. 12. de Turno. *His agitur furiis, totóq. loquẽtis ab ore, Scintillæ abſiſtũt oculis, micat acribus ignis.* VT PANDICVLANS OSCITATVR?] Feſtus, *pandiculari,* inquit, *qui toto corpore oſcitãtes extenduntur, eò quòd pandi fiunt.* oſcitari autem, ſeu oſcitare, eſt, vel ob negligẽtiam, & incuriam, vel ob laſſitudinem, vel ob ſomnolentiam, vel ob aliquam corporis infirmitatem, os aperire. EVOË, EVIE, BROMIE, &c.] ſimulat hîc Menæchmus aduena ſe inſanire, ſiue furere, & bacchari. Itaque voces, & vocabula, quibus vtebantur bacchantes, vſurpat. εὐοῖ, interiectio eſt, ὀργιασμοῦ, euoë. Euius, & Bromius, Bacchi ſunt nomina. ITA ME ILLA AB LÆVA, RABIOSA FAEM. OBS. C.] ita me illa rabioſa fæmina, & rabioſa canis, ab læua parte obſeruat, ne poſſim abire. ſignificat autẽ Menæchmus aduena, vxorem fratris ſui, ſibi adhuc ignotam. ILLIC HIRCVS ALIVS] ille hircus alius, qui, &c. ſignificat ſenem mulieris patrem, quem hircum dicit, tamquam ſenem olidum, fœtidum, & putidum. VT EGO ILLI OCV-
D LOS, &c.] illi, mulieri. OCVLOS EXVRAM LAMPADIB. ARD.] maleficis, & ſontibus oculos exurebant tædis ardentibus: & inſani, furioſíque homines ſomniabant & dormientes, & vigilantes, ſe perterreri furiarum tædis ardentibus. QVID SI EGO HVC SERVOS CITO?] quid ſi ego huc ſeruos voco? AMPLIVS ENIMVERÒ NISI OCCVPO, &c.] Enimuerò niſi mihi aliquod melius conſilium antè capio, hi me domum, tamquam inſanum, ſublimem tollent. Hæc autem loquitur Menæchmus ſummiſſiore voce, vt ſpectatores ſoli audiant. PVGNIS ME VETAS IN HVIVS, &c.] hæc nunc clara voce loquitur, vt illos terreat, & Apollinem alloquitur. Vetáſne, ô Apollo, me quidquam meis pugnis in huius mulieris ore parcere? Ego verò tibi parebo, neque pugnis meis parcam, ſed illam pugnis contundam, & comminuam. TITANVM, CYCNO PROGN. P.] profert hunc locum Priſcianus libro 6. vbi docet, in multis inueniri à genitiuo Grȩco Latinum factum nominatiuum, vt ἐλέφας, ἐλέφαντος, hic elephas, elephãtis, & hic elephantus, elephanti, à genitiuo Græco ἐλέφαντος: ſimiliter hic abacus, huius abaci, à genitiuo Græco ἄβακος. Arabs, arabos: arabs, arabis: & arabus arabi: Titan, Titanos: hic Titanus, huius Titani. Plautus in Menæchmis. *Barbatum, tremulum, Titanum,* &c. Titanes autẽ, ſeu Titani Iouem cælo detrudere conati ſunt. Iam verò Cycno prognatũ patre dicit, propterea quòd cano capite eſſet. Plures autẽ Cycni feruntur: Vnus, Martis filius, quem Hercules occîdit: alter, Neptuni: Tertius, Ligurum rex, Phaëthontis propinquus. Nonnulli hic,

*Cælo prognatum patre,* legi volunt, propiùs ad fabulæ hiſtoriã accedentes. Ego tamen nihil muto. A Ordo autẽ eſt hic, Nunc ita mihi imperas, vt hunc ego impuriſſimũ, & vt huius mẽbra, atq. oſſa, atque artua cõminuam illo ſcipione, &c. Licet etiam ſic explicare. Nunc ego hunc impuriſſimũ, ſubintell. *amouebo, Barbatum,* &c. Ita mihi imperas, ô Apollo, vt ego huius oſſa, &c. ATQ. ARTVA] artus dixerunt veteres in quarta inflexione, & artua, in ſecunda, teſte Nonio, in voce, *artus.* vbi hunc locum profert. DABITVR MALVM,] ſubintell. tibi. ANCIPITEM:] ἀμφήκη, ἀμφίθηκτον, ἀμφίστομον: vtrinque ſecantem. EXOSSABO,] oſſibus priuabo. ſuprà in Amphitr. *Mirum, niſi hic me, quaſi murænam, exoſſare cogitat.* DEDOLABO ASSVL. VISC.] id eſt, deminuam minutatim viſcera. profert hunc locum Nonius in voce *aſſulatim.* Idem Plautus in Captiuis, *Priuſquàm pulſando aſſulatim foribus exitium dabo.* Aſſulæ, propriè ſunt fragmenta, à marmoriis in cædendo marmore diſſipata, & diſiecta, & eádem ratione omnia, quæ, dum quippiam frangitur, aut minuitur, aut deteritur, in longitudinem magis, quàm in latitudinem diſſiliunt. VT MINATVR,] quomodo minatur. vt ego eius minas audio. FAXIT] fecerit. EQVOS IVNCTOS] *equos iunctos* dixit, vt ſecernat ab ephippiatis, qui ſingulares currunt, aut gradiuntur, & ſinguli à ſingulis ab ſeſſoribus reguntur, neque currum trahunt: quos κέλητας Græci vocant. ſic iunctos leones dixit Virgil. lib. 3. Æneid. *Et iuncti currum dominæ ſubiere leones.* & iunctos equos, lib. 12. *cùm prima in prælia iunctos Conſcendebat equos.* INDOMITOS,] nouos & intractatos: à domitoribus non eruditis: quodammodò feros. B FEROCEIS:] θυμώδεις, animi plenos. Virgil. lib. 4. Æneid. *Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.* LEONEM GETVLVM,] Horat. oda 23. lib. 1. *Atqui non ego te, tigris vt aſpera, Getulúſue leo, frangere perſequor.* Virg. lib. 5. Æneid. *Sic fatus, tergum Getuli immane leonis Dat Salio, villis, oneroſum,* &c. ſenem ſignificat. OLENTEM,] olidum, fœtidum. ſuprà non lõgè, eum, hircum dixit. Iam quod ad leonis halitum attinet, Plinius hoc ſcribit, lib. 12. cap. 4. *Anima leonis virus graue: vrſi, peſtilens.* EDENTVLVM.] dentibus carentem, νωδόν. ſuprà in Caſina. *Propter operam illius hirci improbi, atque edentuli.* IAM STIMVLVM IN MANV'ST] Iam ſtimulus mihi in manu eſt, quo equos ad currendum incitem. ſtimulum autem dixerunt veteres, in maſculino genere, & in neutro. FACITOTE SONITVS VNGVL. APPAR.] facitote ſonitus vngularum audiantur. *appareant,* tranſlatè dictum. ſonitus enim non cernuntur, aut apparent, ſed audiuntur. Virg. lib. 3. Georg. *& ſolido grauiter ſonat vngula cornu.* Idem lib. 8. Æneid. *Quadrupedante patrem ſonitu quatit vngula campum.* FACITE IN FLEXV SIT PEDVM, PERNIC.] facite, vt in flexione pedum inſit pernicitas. *in flexu* lego, diuiſim, vt ſint duæ voces. alij *inflexu,* coniunctim, vt ſit vna vox. quam ſcripturam minus probo. ſi quis tamen à me diſſentiet, (quod, me neque hîc, neque alibi reclamaturo, aut repugnaturo, faciat licet,) ſic poterit explicari, facite vt pedes veſtri ſint celeres, inflexu, id eſt flexu, ſeu flexione pedum. C QVI STAT.] qui reſtat, neque hinc abſcedit. HINC DE CVRRV DERIPIT?] de curru deorſum rapit? deturbat? *hinc de curru* autem, dixit more ſuo. ſolet enim ponere genus primùm, deinde ſpeciem. IMPERIVM TVVM DEMVTAT, ATQ. &c.] qui imperium tuum prohibet ſeu impedit, & edictum tuum? Demutare, idem valet, quod mutare, vel aliquãto plus eſt, quàm mutare, vt deamare plus eſt, quàm amare. Idem in Milite. *Nunquid videtur demutare, atque vti ego dixi eſſe vobis dudum hunc mœchum militem?* ab iis autem diſſentio, qui hîc *denutat,* legendum exiſtimant. ACREM.] vehementem, grauem, σφοδρόν. DII VOSTRAM FIDEM.] ſubintell. imploro. VEL HÎC, QVI INSANIT, QVÀM VALVIT.] etiam hic qui inſanus eſt, quàm ſanus fuit paulò antè? valere, & inſanire opponuntur hîc inter ſe, vt apud Græcos ὑγιαίνειν, & μαίνεσθαι. ſic infrà proxima ſcena. *qui me vi cogunt, vt validus inſaniam.* QVANTVM POTE'ST] quàm citiſsimè fieri poteſt.

## MENÆCHMVS. SENEX iidem. D

IAm'ne iſti abierunt, quæſo, ex conſpectu meo,
Qui me vi cogunt, vt validus inſaniam?
Quid ceſſo abire ad nauem, dum ſaluo licet?
Vóſque omnes, quæſo, ſi ſenex reuenerit,
Ne me indicetis, qua platea aufugerim.

SE. Lumbi ſedendo, oculique ſpectando dolent,
Manendo medicum, dum ſe ex opere recipiat,
Odioſus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio,

Apollini



A Apollini autem brachium: nunc cogito,
Vtrùm me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque eccum incedit, mouet formicinum gradum.

QVI ME VI COGVNT, VT VALID. INS.] qui me vi cogunt, validum inſanire? validum autem interpretor, *ſanum,* vt ſuprà ſcena ſuperiore, in extr. MANENDO MEDICVM, DVM SE, &c.] exſpectando medicum, donec ſe ex opere, in quo verſatur, medicina, domum ſe recipiat. Medicinam veterum etiam chirurgiam continuiſſe, eoſdémq. fuiſſe olim morborum medicos, & vulnerum, quos chirurgos appellamus, conſtat. præterea hoc quoq. conſtat medendi artem, quam ἰατρικὴν appellant Græci, eſſe artem ποιητικὴν, hoc eſt, in effectione occupatã, non πρακτικὴν, hoc eſt, in actione verſantem. AIT SE OBLIGASSE. CRVS FR. ÆSC.] facit hunc medicum Plautus, vt ferè ſunt, arrogantẽ, & glorioſum. Itaque affingit ei orationem iactationis, & inſolentiæ intolerandæ plenam. gloriatur enim ſe ipſis medicinæ inuentoribus diis, medicinam feciſſe. quo quid arrogantius excogitari poteſt? Obligare vulnus autem, & obligare partem aliquam corporis malè affectam, aut læſam dicunt Latini. B M. Tull. Tuſcul. quæſt. 2. *At verò ille exercitatus, & vetus, ob eámque rem fortior, medicum modò requirens, à quo obligetur, O Patrocle, inquit,* &c. ibidem. *Abducet Patroclus, credo, vt collocet in cubili, vt vulnus obliget, ſiquidem homo eſſet.* Dicunt etiam deligare: & ita ferè ſemper Celſus: vt lib. 7. cap. 19. *Deligatur autem vulnus omne, quod ex his cauſis factum eſt.* Idem lib. 8. cap. 10. *Deligatum verò membrum, in diem tertium continendum eſt.* eod. cap. vbi loquitur de brachij fracti curatione. *Deligari autem brachiũ debet paulum pollice ad pectus inclinato.* AN FABRVM.] qui ſe fracta membra, tamquam ædificia, ſarcire, ac reſtituere glorietur. MOVET FORMICINVM GRADVM.] incedit formicarum in morem, quarum gradus eſt minutiſſimus, ac ſpiſſiſſimus: atque idcirco tardus. nam qui properant, gradum amplificant, atque extendunt: qui tardiùs incedunt verò, pedes ſtruunt, & ſpiſſis gradibus procedunt.

## MEDICVS. SENEX.

ME. QVid eſſe morbi dixeras? narra ſenex,
Num laruatus eſt ille, aut cerritus? fac ſciam.
C Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?

SE. Quin ea te cauſſa duco, vt id dicas mihi,
Atque illum vt ſanum facias. ME. perfacile id quidem eſt.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.

SE. Magna cum cura ego illum curari volo.

MED. Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die,
Ita ego illum cura magna curabo tibi.
Atque eccum ipſum hominem. obſeruemus, quam rem gerat.

NVM LARVATVS EST ILLE, AVT CERRITVS?] Laruati, inquit Feſtus, furioſi, & mente moti, quaſi laruis exterriti. Idẽ, Cerritus, id eſt, furioſus. D Nonius, Cerriti, & laruati, malè ſani: aut Cereris ira, & laruarum incurſatione animo vexati. Plautus Amphitr. *Laruatus. ædepol hominem miſerum medicum quæritat.* Licet etiam dicere, eos Cerritos dici, qui à Cerere irata, inſani facti ſunt. Nam Ceres, Apollo, Diana, Bacchus, irati, mẽteis eorum, quibus irati ſunt commouẽt, & perturbant. Idem faciunt interdum & Nymphæ: ex quo νυμφόληπτοι à Græcis dicti, quos Lymphatos appellant Latini. ſuprà in Amphit. *quæſo, quin tu iſthanc iubes pro Cerrita circumferri?* Iam verò Cerritus gemino, r. ſcribẽdum eſſe, docuimus in commentar. Horat. ad ſat. 3. lib. 2. ibi. *Cerritus fuit, an commotæ crimine mentis Abſolues hominem?* VETERNVS,] Veternus eſt, quem Græci lethargum vocant: in quo ineſt marcor, & pœnæ inexpugnabilis dormiendi neceſſitas. Cuius morbi curationem tradit Celſus lib. 3. cap. 20. Feſtus, veternoſus, inquit, dicitur qui breui premitur ſomno. Veternum, Horatius funeſtum appellat, epiſt. 8. lib. 1. *Cur me funeſto properent arcere veterno.* Virg. grauem, lib. 1. Georg. *Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno.* Catullus, ſtolidũ, carmine ad Coloniam, *Si pote ſtolidum repentè excitare veternum.* AN AQVA INTERCVS TEN.] aqua intercus, ſeu aqua inter cutẽ, ὕδρωψ à Græcis appellatur: cuius tres ſpecies à Cornelio Celſo numerantur lib. 3. cap. 21. SANVM FACIAS.] ſanes. vt loquitur & M. Tull. Philip. 2. ibi. *Medico tria millia iugerum, quaſi te ſanaſſet: rhetori duo, quaſi diſertum facere potuiſſet.* MEA ID PROMITTO FIDE.] in me recipio. meam fidem obligare non recuſo. CVRARI] ex hoc verbo, quod & θεραπεύειν interdum ſignificat, hoc eſt, ad ægrum aliquem morbo leuandum, aut ſer-

uandum, ſtudium ſuum conferre:quod eſt medici munus : atque hoc modo ſenex accipit: interdum,cura aliqua ſollicitari.quomodo medicus ſe accipere oſtendit, vt iam dicimus. vel dic potiùs,ambiguum ineſſe in voce, *cura*: quæ vox & angorem animi,ſollicitudinémq. anxiam ſignificat:& ſtudiũ,ac diligentiã. QVIN SVSPIRABO PLVS SEXCENTIES IN DIE.] Quin,vt intelligas,me magna cura generum tuum curaturum,ego ſuſpiria altè petam plus ſexcenta in die.Iocus eſt,vt dixi, ex ambiguo verbo, *curare*, ſeu potiùs, ex ambiguo nomine, *cura*: quod ſenex pro ſtudio,induſtria,ac diligentia vſurpauit: medicus pro ſollicitudine animi tabifica,atque anxia accipit.quod declarat eius reſpõſio, *Quin ſuſpirabo*, &c.nam qui graui aliqua cura vrgentur,atque anguntur,crebrò ſuſpirant. ſuprà de puella amante, in Ciſtell. *hoc ſis vide. Vt petiuit ſuſpirium altè?* Horat.oda.xj.epod. *In queis amantem & langor,& ſilentium arguit,& latere petitus immò ſpiritus:* Catull.in carmine de Pelei & Thetidis nupt. *Qualibus inſenſam iactaſtis mente puellam, Fluctibus,in flauo ſæpè hoſpite ſuſpirantem?* Sic autem edendum curaui, *Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die.* quomodo ſine dubio legẽdum eſt.Nam vulgata lectio, *Quin ſuſpirabo plus ſexcentos.dies.* ferri non poteſt,cùm verſus vna ſyllaba claudicet. Neque me fugit quoſdam ſic emendare conatos eſſe, *Quin ſuſpirabo plus quàm ſexcentos dies.* ſed inanem operam ſumſerunt. Nam primùm, particulam, *quàm*, de ſuo addiderunt.deinde quid ſibi vult, *Quin ſuſpirabo plus quàm ſexcentos dies?* quid hac ſententia abſurdius?Nam,cùm hic medicus promiſerit,ac promittat, ſe Menæchmum diligen- B ter curaturum,ídque ſeni perſuadere velit hoc verſu, *Quin ſuſpirabo*, &c. quam ei ſpem promiſſi faciẽdi affert,cùm dicit ſe ſuſpiraturum dies ſexcentos in eo curando?Sanè pertenuem, aut certè valde longam.nam,ſi ſexcenti dies propemodum biennio ſunt æquales, & tamen non antè ſexcentos dies ſanabitur Menæchmus,quemadmodum hæc verba ſignificãt : vt valde initiò fugiendũ fuit ſeni talem medicum arceſſere,ita nunc,cognita eius inſcientia, quam ille ipſe profitetur,valde cauẽdum eſt,ne ſuum ægrum ei committat,in quo curando ſe biennium ferè conſumturum eſſe fateatur: cùm, vt medici facere conſueuerunt,& maximè, vt hic debuit, quem Plautus arrogantem deſcribit,conſentaneum potiùs fuerit,eum promittere,ſe paucis horis,aut ſaltem paucis diebus facturũ,vt Menæchmus conualeſcat.Infrà quidem non longè admodum, videtur polliceri,ſe intra dies xx.eum ſanum facturum.ibi, *Elleborum potabis faxo aliquot hos viginti dies.* Neminem igitur,quantumuis tardum,atque hebetem,eſſe arbitror,qui non intelligat, hãc ſcripturam nullo modo ferri poſſe. Quòd ſi hæc vulgata,inepta eſt:nihilo magis cõuenire huic loco poteſt ea,quam Camerarius reſtituit, *Quin ſuſpirabo plus ſexcentos in dies.* Eandem enim,atque vulgata,ſententiam continet. Reſtat nunc, vt noſtram ſcripturam confirmemus, quamuis ſua ſponte firma ſit,& ſuis ipſa viribus nitatur. Nam primùm habet inſignem, & Plauto vſitatam C hyperbolen.deinde ſententia eſt cum ioco Plautino cõſentanea.deinde non ſignificat,aut morbum longum,aut ſanitatis reſtitutionem,tardam futuram:quo vitio laborat ſcriptura vulgata, & Cameraríana.Poſtremò ſic loquuntur & alij boni ſcriptores,& ipſe Plautus. vt in Mil.Glor. *Ibi erat bilibris aqualis hic propter cados.Ea ſæpè decies completur plenè die.* M. Tullius in orat. pro Roſcio Amer. *qui in Salleutinis,aut in Brutiis habitant,vnde vix ter in anno audire nuntium poſſunt.* Idem lib.5.de Finib.ſub extr. *At hoc in eo M.Craſſo,quem ſemel ait in vita riſiſſe Lucilius,non contigit,vt ea re minus ἀγέλαστος diceretur.* Idem procemio actionis primæ in Verr. *Semel ait ſe in vita pertimuiſſe: tũ cùm primùm à me reus factus ſit,quòd cùm è prouincia recens eſſet*,&c. Catullus ad Furium, *Nec toto decies cacas in anno. Atque id durius eſt faba,& lapillis.* Martialis lib.8.in Clytum. *Vt poſcas,Clyte,munus,exigáſque, Vno naſceris octies in anno.* ibid.in extr. *ſemélque naſci Vno iam tibi non ſat eſt in anno.* Virgil.in Palæm. *Bíſque die numerãt ambo pecus.* Horat.oda 12.epod. *Inachiam ter nocte potes,mihi ſemper ad vnũ Mollis opus.* T. Liu. lib.28. Annal. *& fretũ ipſum Euripi non ſepties die,ſicut fama fert,temporib. ſtatis reciprocat:ſed temerè*,&c. Pomponius Mela lib.2.cap.7. *Euripum vocant rapidum mare, & alterno curſu ſepties die, ac ſepties nocte, fluctibus inuicem verſis,adeò immodicè fluens,vt ventos etiã,ac plenis velis nauigia fruſtretur.* Iam quòd ad D verſum,& eius numeros attinet,nihil numeroſius fieri poteſt.nam ſiue legamus,vt edẽdum curaui, *Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die:* ſiue, *Quin ſuſpirabo plus ſexcenties die*, ſine præpoſitione, *in*: ſuis numeris ac pedibus conſtabit verſus.ſi priore modo: *ſexcenties* erit trium ſyllabarũ,per συνίζησιν.ſin poſteriore:erit quattuor ſyllabarum,neque vlla fiet συνίζησις. Vtroque autẽ modo locutos eſſe veteres, & ſexcenties in die ſuſpirabo, & ſexcenties die ſuſpirabo,declarant exempla ſuprà commemorata.Malim tamen præpoſitionem, *in*, retineri, propterea quòd eam reperi in noſtris libris manuſcriptis.

## MENÆCHMVS, ſurreptus. SENEX, MEDICVS.

AEdepol, næ hic dies peruorſus, atque aduorſus mihi obtigit.
Quæ me clàm ratus ſum facere,ea omnia fecit palàm
Paraſitus,qui me compleuit flagitij & formidinis,
Meus Vlyſſes,ſuo qui regi tantum conciuit mali.
Quem ego hominem,ſi quidem viuo,vita deuoluam ſua.

Sed ego



A Sed ego ſtultus ſum,qui illius eſſe dico,quæ mea eſt.
Meo cibo & ſumtu educatus eſt,anima priuabo virum.
Condignè autem hæc meretrix fecit,vt mos eſt meretricibus.
Quia rogo pallam,vt referatur rurſum ad vxorem meam,
Mihi ſe ait dediſſe:heu ædepol,næ ego homo viuo miſer.
SE. Audin' quæ loquitur? MED.ſe miſerũ prædicat.SE.adeas velim.
MED.Saluus ſis Menæchme. quæſo cur apertas brachium?
Non tu ſcis,quantum iſti morbo nunc tute facias mali.
ME. Quin tu te ſuſpendis? MED. ecquid ſentis? ME. quid ni ſentiam?
MED. Non poteſt hæc res ellebori iugere obtinerier.
Sed quid ais Menæchme? ME. quid vis? MED. dic mihi hoc
B quod te rogo.
Album,an atrum vinum potas? ME.quin tu is in malam crucem?
SE. Iam hercle occeptat inſanire primulùm. ME. quin tu interrogas,
Purpureum panem,an Puniceum ſoleam ego eſſe,an luteum?
Soleámne eſſe aueis ſquammoſas,piſceis pennatos? SE. papæ,
Audin' tu,vt deliramenta loquitur?quid ceſſas dare
Potionis aliquid,priuſquam percipit inſania?
MED. Mane modò.etiam percontabor. SE. aliam occipis fabulam.
MED. Dic mihi hoc etiam,ſolent tibi vmquam oculi duri fieri?
ME. Quid?tu me locuſtam cenſes eſſe homo ignauiſſime?
MED. Dic mihi,an vmquam tibi inteſtina crepant,quod ſentias?
C ME. Vbi ſatur ſum,nulla crepitant:quando eſurio,tum crepant.
MED. Hoc quidem ædepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi.
Perdormiſcin' vſque ad lucem? ME. facilin' tu dormis curans?
Perdormiſco,ſi reſolui argentum cui debeo.
Quin te Iupiter,díque omnes percontator perduint.
MED. Nunc homo inſanire inceptat.de illis verbis.caue tibi.
SE. Immò modeſtior nunc quidem eſt de verbis,præut dudum fuit.
Nam dudum vxorem ſuam eſſe aiebat rabioſam canem.
ME. Quid ego dixi? SE. inſanis,inquam. ME. Egóne? SE. tu iſtic,
qui mihi
D Etiam me iunctis quadrigis minitatu's proſternere.
Egomet hæc te vidi facere,egomet ecce te arguo.
ME. At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui ſcio.
Et ob eam rem in carcerem tedeſſe compactum ſcio.
Et poſtquam es emiſſus,cæſum virgis ſub furca ſcio.
Tum patrem occidiſſe,& matrem vendidiſſe etiam ſcio,
Satin' hoc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo?
SE. Obſecro hercle medice properè,quicquid facturu's,face.
Non vides hominem inſanire? MED. ſcin' quid facias optumum?
Ad me face vt deferatur. SE. itáne cenſes? MED. quippini,
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. SE. age vt lubet.
MED. Elleborum potabis faxo aliquo hos viginti dies.

ME. At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies. A
MED. Arceſſe homines, qui illunc ad me deferant. SE. quot ſunt ſatis?
MED. Proinde, vt inſanire video, quattuor: nihilominus.
SE. Iam hîc erunt, aſſerua tu iſtunc medice. MED. immò ego ibo domum,
Vt parentur, quibus paratis opus eſt. tu ſeruos iube,
Hunc ad me ferant. SE. iam ego illic faxo erit. MED. ego abeo. SE. vale.
ME. Abiit ſocer, abiit medicus, nunc ſolus ſum. proh Iuppiter,
Quid illuc eſt, quòd me hice homines inſanire prædicant?
Neque ego inſanio, neque ego pugnas, neque liteis cœpio.
Saluos, ſaluos alios video: noui homines, alloquor. B
An illi perperam inſanire me aiunt, ipſi inſaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio. at vxor non ſinit.
Huc autem nemo intromittit. nimis prouentum eſt nequiter.
Hîc ergo vſque ad noctem. ſaltem credo intromittar domum.

AEDEPOL NÆ HÎC DIES PERVORSVS, &c.] Nouus hic error exſiſtit. Nam verus, ac notus nũc Menæchmus in ſenem, & medicum incidit, quem illi putant eſſe eundẽ, qui paullò antè ſe inſanum eſſe ſimulauit. QVÆ ME CLÀM RATVS SVM FACERE, EA OM. FECIT PALAM P.] quæ me occultè, & inſcia vxore facere, ac facturum eſſe exiſtimaui, ea omnia paraſitus Peniculus patefecit, atque indicauit. MEVS VLYSSES.] qui mihi erat Vlyſſis inſtar, quo vtebar cõſiliario, & adminiſtro in meis reb. difficilibus, vt Agamemnon Vlyſſe in ſuis rebus dubiis, ac formidoloſis temporibus. vel qui me ſuis fallaciis, atque aſtutiis cautiorem aduerſus vxorem reddebat. vel qui me ſuum regem appellabat. SVO QVI REGI TANTVM CONC. M.] qui mihi, ſuo regi tantum mali comparauit. ſuo regi, autem, quia à me aliter. C VITA DEVOLVAM SVA.] vita ſua deturbabo. Simeo Boſius à Parcis tranſlatum eſſe putat, quæ vt ſtamina, quibus vita producitur, glomerando, vitam hominis producunt, ita deuoluendo, aut præcidendo, atque abrumpendo, corripiunt, ac terminant. cuius ſentẽtiam cõfirmat Virg. Georg. 4. *Carmine quo captæ dum fuſis mollia penſa Deuoluunt*: &c. Licet tamen dicere ſimpliciùs, Plautum dixiſſe, *vita deuoluam ſua*, pro, vita ſua deiiciam, præcipitam agam, ac deturbabo, vt ſit tranſlatio à ſaxis, aut pilis, & ſimilibus rebus, quæ è montis vertice in infimum terræ locum deuoluũtur. QVI ILLIVS ESSE DICO, QVAE MEA EST.] qui illius vitam eſſe dico, quæ mea eſt. hoc eò dicit, quia paraſitum ſuo cibo, & ſumtu vſque adhuc pauit, aluit, atque educauit, vt continuò ſubiicit. ANIMA PRIVABO VIRVM.] dicit nunc idem planiùs, quod ſuprà obſcuriùs, *vita deuoluam ſua*. QVÆSO, CVR APERTAS BRACHIVM?] quæſo, cur crebrò aperis brachium? venit mihi aliquando in mentem hîc legi poſſe, *quæſo, cur exſertas brachium*: hoc eſt, quæſo, cur crebrò exſeris brachium? Verumtamen, quoniam & hæc coniectura nimis longè abeſt ab antiqua ſcriptura, & recepta lectio tolerabilis eſt, nihil mutãdum cenſeo. ECQVID SENTIS?] num quid ſentis? num aliquid ſentis? D NON POTEST HÆC RES ELLEBORI IVGERE OBTINER.] non poteſt huius ægri, ſeu inſani valetudo, ſiue potiùs ſanitas tanto ellebori copia obtineri, quanto ex agri iugere meti poteſt. Iugerum eſt, inquit Varro, quod duo iuncti boues vno die exarare poſſunt, vt tradit Varro lib. 1. de re Ruſt. Dicitur autẽ & iuger, ris, in tertia declinatione, & iugerum, iugeri, in ſecunda. Elleborus, atram bilem purgat: ex atra bili autem plerumq. inſania naſcitur. Horat. ſat. 3. lib. 2. *Danda eſt ellebori multo pars maxima auaris*. ALBVM, AN ATRVM VINVM P.] non temerè hoc medicum quærentẽ facit Plautus. Nam aliud, & diſſimilis coloris, vinũ aliis ægris conuenit. PRIMVLÙM] nunc primùm. AN PVNICEVM S.] an Punicei coloris, hoc eſt, rubicundi, panem comeſſe ſoleam, &c. Nonnulli libri habent *Pœniceum*, &c. quam ſcripturam probo. Quid autẽ interſit, inter purpureum colorem, & Pœniceum, ſeu Puniceum, diximus in commentar. Lucret. lib. 2. ibi, *Purpura, Pœniceúſque color clariſſimu' multo*, &c. AN LVTEVM?] an lutei, id eſt, crocei coloris? Horat. od. 10. epod. *O quantus inſtat nauitis ſudor tuis, Tibique pallor luteus!* ad quem locum plura. eſſe autem, hoc eſt, comeſſe, infinitiuus à verbo edo, es, eſt. AVEIS SQVAMMOSAS, PISCEIS PENNATOS?] peruerſa epitheta, & præpoſtera. Nam piſces ſquammoſi ſunt, aues pennatæ, Lucretius lib. 1. *Squammigerum genus, & volucres*. Idem lib. 2. *Et corpora pennipotentum*. Plaut. Rud. *Non vides me referre vuidum rete ſine ſquammoſo pecu?* VT DELIRAMENTA LOQVITVR?] vt res

deliras



A deliras loquitur? ſuprà in Amphitr. *hæc quidem deliramenta loquitur*. PRIÙS QVÀM PERCIPIT INSANIA.] ſubintellig. *eum*, hoc modo, priùs quam eum furor corripit? Sic autem Lucretius dixit libro 3. princip. *His tibi me rebus quædam diuina voluptas Percipit, atque horror*. Idem eod. lib. infrà non longè. *Et ſæpè vſque adeò mortis formidine, vitæ Percipit humanos odium, luciſque videndæ, vt ſibi conciſcant mærenti pectore lethum*. ad quos verſus, vide quæ à nobis de hoc verbo notata ſunt in commentariis Lucret. Plautus ſuprà in Amphitr. *Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis*. DIC MIHI HOC ETIAM, SOLENT TIBI VMQ. OCVLI D. F.?] Ne hoc quidem temerè quærit medicus. nam eorum, quos atra bilis vexat, corpora conſtat fieri extrinſecus duriora, propter atræ bilis naturam, quæ ſicciſſima, & calidiſſima eſt. Cùm cæteræ autẽ corporis partes externę ab humore vitioſo afficiantur, tum oculi maximè, quia aliarum omniũ corporis partium infirmiſſimæ ſunt. Cui rei argumento eſt, quòd eorũ, qui morbo regio laborant, quos arquatos Latini dicunt, oculi luteo, hoc eſt, croceo, & flauo colore ſuffundũtur, effuſo videlicet bilioſo humore, cùm in vniuerſum corpus, tùm maximè in oculos, quia, vt dixi, ſunt maximè imbecilli, & quia textura ſunt prędíti rariſſima. ex quo fit, vt ab iis animi perturbationes, & motus maximè indicẽtur, ac declarentur. huc pertinet illud Suetonij de Nerone moribundo. *Atq. in ea voce defecit, exſtantibus, rigentibúſque oculis vſque ad horrorẽ, formidinémq. viſentiũ*. QVID? TV ME B LOCVST. ESSE CENSES H. IGNAVISS.] quid? tune me locuſtã eſſe putas, &c. Locuſtæ cùm de inſectorum genere ſint, palpebris carent. idcircò duriſſimis ſunt oculis: quòd enim aliis animãtib. præſtãt palpebræ, id in inſectis, & cruſtaris durities præſtat, vt docet Ariſtot. lib. 2. de Partib. animal. Sic Ariſt. lib. 2. cap. 13. οἱ δ᾽ ἰχθύες, καὶ τὰ ἔντομα, καὶ τὰ σκληρόδερμα διαφέροντα μὲν ἔχουσι τὰ ὄμματα, βλέφαρον δ᾽ οὐδὲν αὐτῶν ἔχει, &c. Nam ſatis eſt mihi locum diligenti lectori indicaſſe. Addamus, quæ ſcribit Plin. lib. xj. cap. 37. *Locuſtis, ſquilliſque magna ex parte ſub eodem munimento oculi prædari eminent*. AN VMQVAM TIBI INTESTINA CREPANT, &c.] eorum, quos atra bilis agitat, corpora eſſe flatuoſa conſtat. QVANDO ESVRIO, TVM, &c.] nam inteſtina à cibo inania & vacua flatu implentur. hinc crepitus. HAVD PRO INSANO,] non tamquam inſanus. PERDORMISCIN' VSQ. AD LVCEM?] dormiſne perpetuò vſque ad lucem? FACILIN' TV DORMIS, &c.] faciléne dormis, cùm aliqua cura vrgeris? ſeu cùm te aliqua cura ſollicitat? PERDORMISCO SI ARG. RES. CVI D.] dormio vſque ad lucem, ſi pecuniam ei, cui debeo, renumeraui, ſeu reſcripſi, ſeu reddidi. ſuprà in Aſin. *eho, ecquis pro vectura oliui reſoluit?* Quemadmodum qui nihil cuiquam debent, ſi modò nulla alia pręterea cura vrgentur, in vtramq. aurem dormire poſſunt: ita qui magnum æs alienum contraxerunt, C iis inter dormiendũ ſæpè ſomnus interpellatur, atque interrumpitur. Itaq. apud Ariſtoph. ἐν νεφέλ. Stropſiades ille, qui habet filium ſumtuoſum, quíque magno ære alieno obſtrictus eſt, queritur ſe dormire nõ poſſe. Sic ille, Ἀλλ᾽ οὐ δύναμαι δείλαιος εὕδειν, δακνόμενος Ὑπὸ τῆς δαπάνης, καὶ τῆς φάτνης, καὶ τῶν χρεῶν. Huc pertinet iocus ille Auguſti, qui ſibi iuſſit emi equitis cuiuſdam R. mortui culcitã, qui viuus HS. ducenties debuerat, & nihilo minùs hilariter, & iucundè vixerat, ſecuréq. dormierat: quem ſuprà retulimus, in prologo Caſinæ, ibi, *Eiicite ex animo curam, atq. alienùm æs: Ne quis formidet flagitatorem ſuum*. PERCONTATOR,] Horat. epiſt. 8. lib. 1. *Percontatorem fugito. nam garrulus idem eſt*. PERDVINT.] perdiderint. DE ILLIS VERBIS,] ex illis verbis, &c. PRAEVT DVD. F.] ſic in Amphit. *Parum etiã, præut futurum'ſt, prædicas*. RABIOSAM CANEM.] ibi, *Ita me illa ab læua rabioſa fœmina obſeruat canis*. Verùm errat hic ſenex. nam non Menæchmus ſurreptus, qui nunc in ſcena ſtat, & loquitur, ſed eius frater, Menæchmus Soſicles, hanc mulierem, rabioſam canem appellarat. TV ISTIC,] tu iſte es, qui. &c. IVNCTIS QVADRIGIS MINITATV'S PROSTERN.] ſuprà, ibi, *Iam aſcendo in currum: iam lora teneo*, &c. IN CARCEREM TED ESSE COMPACTVM, &c.] hoc eſt, in carcerem te eſſe coniectum, &c. ſic loquitur in Amphit. *Quid faciam nunc, ſi tres viri me in carcerem compegerint?* D CAESVM VIRGIS SVB FVRCA, &c.] ſic cædebantur ſerui, qui aliquid admiſerant, cuius pœnam luere domini nolebant: & in poſterũ vicinis præſignificabant, vt ſibi ab iis cauerent, vt improbis & ſceleſtis. hinc furciferi dicti. qua de re alibi. ſuprà in Moſtell, princip. *O carnificinum cribrum: quod credo fore: ita te forabunt patibulatum per vias Stimulis, ſi huc reueniat ſenex*. Conſule indicem. TVM PATREM OCCID. &c.] crimina ſunt à Menæchmo ſurrepto conficta, miniméque vera, in ſenem: quia ſenex ea Menæchmum ſurreptum & locutum eſſe, & feciſſe arguebat, quæ dixerat, & fecerat alter Menæchmus, eius frater, non is, qui arguitur. Aliter Ariſtogiton: quẽ Demoſthenes teſtibus probat, patrem in carcere deſeruiſſe, ac prodidiſſe, mortuum non ſepeliuiſſe: iis, qui ſepeliiſſent, pretium ſepulturæ non perſoluiſſe: matrem verberaſſe, ſororem vendidiſſe. SATIN' HAEC PRO SANO MALED. &c.] hoc ad illud pertinet, quod ſuprà dixerat medicus, *Hoc quidem ædepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi*. PROPERÈ QVIDQVID FACTVRV'S, FACE.] ſignificat, medicũ tardum eſſe. talia ſunt illa, quin datis, ſi quid datis? in Caſina. *Et age ſi quid agis*. in Epid. &c. ſimilia, quæ dicuntur in eos, qui morantur, & tardi ſunt, & cunctabundi in iis, quæ faciunt. QVIPPINI?] quippini, quidam putant idem valere, quod certè, & enuntiatiuè pronuntiant. Sed cum interrogatione pronuntiandum eſt potiùs: & valet idem ferè, quòd, quidni? ſic ſuprà in Bacchid. *Quid? illam meretricémne cenſes eſſe?* NIC. *quippini?* ELLEBORVM POTABIS FAXO, &c.] id eſt, elleborum potabis

aliquos viginti dies.faxo potabis,id eſt,fecero,vt potes. Quod autem amicus quidam meus legendum cenſet,*aliquot hos viginti dies*,non vt vulgò, *aliquos viginti dies*:quomodo etiam omnes libri manuſcripti habent, fallitur: nam *aliquos viginti dies*, valet circiter viginti dies. Quin Varro quoque ſic loquitur libro 1.de re Ruſtica cap.2. in extr. *ſi velis in conuiuio multum bibere, cenaréque libenter:antè eſſe oportet braßicam crudam ex aceto, & pòſt aliqua folia quinque.* Quem Varronis locum Simeò Boſius mihi indicauit. AT EGO TE PENDENTEM,&c.]ſerui pendentes cędebantur,cuius moris apud Plautum mentio fit locis innumerabilibus.conſulendus index. QVATTVOR NIHILOMINVS]quattuor ſatis ſunt,nihilominus,id eſt,nihilo pauciores arceſſi oportet. TV SERVOS IVBE HVNC AD ME FERANT]id eſt,tu ſeruos iube hunc ad me ferre,vel tu iube, vt ſerui hunc ad me ferant: ſuprà docuimus hoc, & ſimilia loquendi genera,eſſe ex duabus locutionibus conflata,& concreta. HICE HOMINES] ſic legendum. Nam libri vulgati habent *hic homines*. NEQVE EGO PVGNO, NEQVE LITEIS CŒPIO.]id eſt,neque pugnas ego,neque liteis incipio.profert hunc totũ verſum Nonius in verbo *cœpio*.Idem in Perſa,*libido extemplo cœpere eſt conuiuium.* SALVOS, SALVOS ALIOS VIDEO.]ego ſaluus,alios ſaluos video. NOVI HOMINES: ALLOQVAR.] vt noſſe homines,argumentum eſt ſanitatis:ita non cognóſcere homines, furoris,& inſaniæ. Cicero in Piſonem.*quid eſt aliud furere, non cognoſcere homines,non cognoſcere leges,non ſenatum,non ciuitatem?* Idem ſuprà in Amphitr.*Noui herum,noui ædeis noſtras.ſanè ſapio & ſentio.* AN ILLI PERPERAM]perperam,id eſt,peruerſè,præpoſterè.ſententia autem huius loci hæc eſt,Nónne illi peruerſè me inſanire aiunt, ipſíque inſaniunt? ſæpè admonuimus *an*, & *ne*, cùm interrogat, reſponſionem aientem poſtulare,cùm apud hunc poëtam,tum apud Ciceron.& Lucret.Terent. & alios. Terent.in Andr.prologo.*faciúntne intelligendo,vt nihil intelligant?*id eſt,nónne faciunt intelligendo,vt nihil intelligãt?ſubintelligitur enim reſponſio aiens.planè faciunt,vt intelligendo nihil intelligant. HVC AVTEM,&c.] in ædeis Erotij. NIMIS PROVENTVM EST NEQVITER.]nimis mihi infeliciter res proceſſit. ſic in Rud. *Ædepol proueni nequiter multis modis.* HÎC ERGO VSQVE AD NOCTEM]ſubintell.morabor,reſtabo,manebo.SALTEM CREDO INTROMITTAR DOMVM.]ſi excluſus ſum ab Erotio, ſaltem intromittar ab vxore. A B

## MESSENIO ſeruus.

Spectamen bono ſeruo id eſt,qui rem herilem C
Procurat.videt,collocat,cogitátque
Vt abſente hero,rem heri diligenter
Tutetur,quàm ſi ipſe aſſit,aut rectius:
Tergum quàm gulam,crura quàm ventrem oportet
Potiora eſſe.cui cor modeſtè ſitum'ſt,
Recordet id,qui nihili ſunt,quid iis pretij
Detur ſuis ab heris,ignauis,improbis
Seruis,verbera,compedes,molæ,magna
Laſſitudo,fames,frigúſque durum.
Hæc pretia ſunt ignauiæ. D
Id ego malè malum metuo.propterea bonum
Eſſe certum'ſt,potiuſquam malum.nam magis multo
Patior faciliùs verba.verbera ego odi,
Nimióque edo libentius molitum,quàm
Molitum præhibeo.propterea heri imperium
Exſequor bene,& ſedatè ſeruio.
Atque id mihi prodeſt.alij ita,vt ſe eſſe,in rem
Eſſe ducunt,ſint:ego ita ero,vt me eſſe oportet,
Metum vt mihi adhibeam,culpa vt abſtineam:
Heróque vt omnibus in locis ſim præſtò.
Serui,qui culpa carent,& metuunt,ij

Solent.



A Solent eſſe heris vtibiles. nam illi, qui nihil
Metuunt,poſtquàm malum promeritum'ſt,metuunt.
Metuam ego haud multum quidem.propè eſt quando
Herus quod ſtrenuè faciam,pretium exſoluet.
Ego hoc exemplo ſeruio,tergo vt rem eſſe arbitror.
Poſtquam in tabernam vaſa & ſeruos collocaui,vt iuſſerat,
Ita venio aduorſum. nunc fores pultabo,adeſſe vt me ſciat.
Neque vtrum ex hoc ſaltu damni ſaluum ſcio eliciam foràs.
Sed metuo,ne ſerò veniam depugnato prœlio.

B SPECTAMEN BONO SERVO ID EST, QVI R.&c.] id eſt, bonus ſeruus hac re ſpectatur:videt,collocat,&c. vel ſic,probatio boni ſerui in ea re poſita eſt,&c.vel ſic,bonus ſeruus in ea re cernitur,&c.vel ſic,lapis Lydius,quo bonus ſeruus, tamquam aurum, ſpectatur, ea res eſt,&c.ſpectamen,δοκίμιον,obruſſa,eſt id omne,quo aliquid ſpectatur,atque exploratur. Dixit autem ſpectamen bono ſeruo, pro ſpectamen boni ſerui, more ſuo:vt alibi; annona his eſſet vilior,pro horum annona eſſet vilior. Sic enim loquitur, ſi bene memini, in Mil. Glor. *& poſtea,Qui probi homines eſſent,eſſet his annona vilior.*Quod loquẽdi genus,à quodam viro,alioqui docto,non intellectum,fecit,vt fœdè laberetur:vt ſuo loco oſtendemus. QVÀM SI IPSE ASSIT, AVT RECT.]ordo eſt,tamquàm ſi ipſe dominus adſit,aut rectiùs.Omnino,nequid diſſimulem,legendum puto,vel,*tamquã ſi ipſe aßit*,&c.vel,*quaſi ipſe aßit*,&c.quod mihi magis placet. TERGVM, QVÀM GVLAM,&c.]oportet,inquit Meſſenio,ſeruum tergo ſuo potiùs, quàm gulæ,conſulere:& crurib. potiùs,quàm ventri.hoc eſt,oportet ſeruum ſuo tergo potiùs cauere, & timere,ſuum officiũ faciẽdo,ſcilicet,quàm gulæ obſequi:& cruribus magis proſpicere,quàm ventri gratificari.Nam ſi aliter faciat,futurum eſt,vt tergum quidẽ virgis,& loris cædatur:crura verò compedibus vinciantur. CVI COR MODESTÈ SITVM'ST, &c.] ſeruus, cui cor modeſtum,ſeu moderatum eſt. ſeruus, cui animus modeſtè affectus eſt, id recordetur, quid iis
C pretij detur,hoc eſt,quid mercedis à ſuis heris perſoluatur iis ſeruis,qui nihili ſunt, ſeruis ignauis, improbis. RECORDET ID.]recordetur id,&c.recordo,as. dixiſſe veteres teſtatur Nonius in *recordauit*. VERBERA, COMP. M.&c.]hæc eſt merces,hoc pretium,quod ſeruis ignauis, atque improbis datur à ſuis heris, vt mox ſubiicit, *hæc pretia ſunt ignauiæ.* Hi verſus ferè omnes numeris conſtant confuſis,& conturbatis, vt & Camerarius admonuit. Iam per molas, piſtrina,ſignificat.in quæ compingebantur ſerui nequam,& qui peccarant. PROPTEREA BONVM ESSE CERTVM'ST,&c.]certum eſt,decretum eſt,ſtat ſententia,conſtitutum habeo in animo, induxi animum: fixum, & ſtabile eſt. Hic ſeruus bonus eſſe conſtituit pœnæ metu. vt ille ſeruus Horatianus. epiſtola 16. lib. 1. *Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat Seruus: habes pretium:loris non vreris, aio. Non hominem óccidi, non paſces in cruce coruos. Sum bonus & frugi,renuit, negat,atque Sabellus Cautus enim metuit foucam lupus: accipitérq. Suſpectos laqueos, & opertum miluius hamum,Oderunt peccare boni virtutis amore: Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.* NAM MAGIS MVLTO P. FACILIÙS,&c.]ſubintell.quàm verbera.*magis faciliùs* autẽ, antiquè dictum,pro magis facilè. NIMIÓQ. EDO LIBENTIÙS MOL.&c.]id eſt,nimio libẽtiùs edo, quod alij ſerui in piſtrino moluerunt,quàm ego aliis id, quod meo labore moluerim, edendum præ-
D beo. PRÆHIBEO] præbeo. ET SEDATÈ S.] & æquo animo ſeruio.tranquillè ſeruio. ALII ITA,VT SE ESSE IN REM ESSE DVCVNT, SINT, &c.] id eſt,alij tales ſint,qualeis ſe eſſe ſibi expedire putant.ego talis ero, qualem me eſſe oportet, &c. Sic autem legendum eſſe,vt edidimus,& ratio,& antiquæ ſcripturæ veſtigia probant.nam libri noſtri veteres ſic habent,paullo aliter,quàm Camerarius edidit. *Alij ſe eſſe ita vt in rem*,&c.mẽdoſè quidem ſed ita,vt ordine verborum,qui perturbatus eſt,reſtituto,cuius facilè fuerit ex hac antiqua ſcriptura,aliquantum corrupta,integram,& rectam facere. METVM VT MIHI ADHIB.] quo deterritus in officio maneam. SERVI, QVI CVLPA C.&c.]ſic ſuprà in Moſtell.*Serui, qui cùm culpa carent,tamen malum metuũt*,&c. POSTQVAM MALVM PROMERITVM'ST, &c.]promeritum hóc loco primùm paſſiuè poſitum eſt:deinde in malam partem: quod minus vſitatum eſt,& tamen non inuſitatum eſt.ſuprà in Amphitr.*Quid mali ſum,here,tua ex re promeritus?* huius igitur loci hæc ſententia eſt,nam illi, qui nullo metu afficiuntur, neque metu deterriti, à culpa abſtinent,poſtquàm malum commeruerũt, tum denique metuunt, poſtquã malum promeritum eſt,ſubintellige,ab iis,hoc eſt,poſtquam malum ab iis commeritum, ſeu meritum eſt. Quidam legi volunt,poſtquam malum promeriti ſunt.&c.ego nihil muto. METVAM EGO HAVD M. Q.]hoc dicit metuam igitur ego,id eſt,metũ mihi adhibebo,ne quid delinquam: & ita haud multum metuam. Nam & ſecurus à verberibus viuam, & pretium meæ diligentiæ,

hhh iiij

meíque officij feram. PROPÈ EST Q. H. &c.] id eſt, tempus appropinquat, cùm mihi herus mei ſtrenui facti pretium exſoluet. propè eſt quando, propè adeſt cùm, idem valent. Terent. Andr. *Propè adeſt, cùm alieno more viuendum eſt mihi.* Græci dicunt *πάρεστιν ὅτε ἔγγυς ἐστὶν ὅτε.* EGO HOC EXEMPLO SERVIO, TERGO VT IN REM ESSE, &c.] ego hoc modo ſeruio, quomodo tergo meo vtile eſſe arbitror. VT IVSSERAT] ibi, *abduc iſtos in tabernam actutum deuerſoriam. Tum facito ante ſolem occaſum, vt venias aduorſum mihi.* NEQ. VTRÙM EX HOC SALT D. S. SCIO, ELICIAM F.] ordo verborum hic eſt, (nam ſermo eſt implicatus & perplexus) neque ſcio, vtrum herum meum ſaluum ex hoc ſaltu damnoſo eliciam foras. ex hoc ſaltu damni, id eſt, ex hoc loco damnoſo, in quem herus inſiliit. ſic enim loquitur infrà in Milit. glor. *Quid metuis?* SCEL. *ne hercle hodie, quantum hic familiarium'ſt, maximum in malum cruciatúmque inſiliamus.* Saltus, inquit Nonius, à ſaliendo. Virg. 8. Æn. *Tum demùm ſaltu præceps ſeſe omnibus armis, In fluuium dedit.* Hinc ſaltus, locus, in quo feræ, & pecudes paſcuntur: ex hoc dictus, quòd in eo feræ, & pecudes ſaliant. quem ſic definiebat Ælius Gallus teſte Feſto: ſaltus eſt, vbi ſyluæ, & paſtiones ſunt: quarum cauſa caſæ quoque, &c. Nonius. ſaltum docet eſſe campi ſpatium: profertque illud Virg. Georg. 3. *Saltibus in vacuis paſcunt, & plena ſecundum, Flumina.* Sed pace Nonij dixerim. ſaltus eſt etiam locus montoſus, modò ſit nemoroſus, & ſiluoſus: vt ſaltus Pyrenæus, ſaltus Graius, &c. Quod autem quidam ſic diſtinguunt, ex hoc ſaltu, damni ſaluum, &c. vt damni, B regatur à nomine adiectiuo, ſaluum, & damni ſaluum, interpretantur, à damno integrum, & ſartum tectum, falluntur. SED METVO, NE SERÒ VENIAM, DEPVGN. PROELIO.] vt locus ſit prouerbio, poſt bellum ſuppetiæ, quod Græci dicunt, *μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία.* Vſurpatur autem in eos, qui ſerò auxilium ferunt.

## SENEX, MENÆCHMVS ſurreptus, LORARII, MESSENIO ſeruus.

Per ego vobis deos atque homines dico, vt imperium meum
Sapienter habeatis curæ: quæque imperaui atque impero,
Facite illic homo in medicinam ablatus ſublimis ſiet,
Niſi quidem vos veſtra crura, aut latera nihili penditis. C
Caue quiſquam quod illic minitetur voſtrûm floccifecerit.
Quid ſtatis? quid dubitatis? iam ſublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum: præſtò ero illic, cùm venietis. ME. occidi.
Quid hoc eſt negotij? quid illic homines ad me currunt obſecro?
Quid vultis vos? quid quæritatis? quid me circumſiſtitis?
Quò rapitis me? quò fertis me? perij. obſecro veſtram fidem,
Epidamnienſes ſubuenite ciues. quin me mittitis?
MES. Proh di immortales, obſecro, quid ego oculis adſpicio meis?
Herum meum indigniſſimè, neſcio qui ſublimem ferunt. D
ME. Ecquis ſuppetias mihi audet afferre? MES. ego here, audaciſſimè.
O facinus indignum & malum, Epidamnij ciues, herum
Meum, hîc in pacato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit,
Mittitis? MEN. nunc obſecro te, quiſquis es, operam vt des mihi,
Neu ſinas in me inſignitè fieri tantam iniuriam.
MES. Immò & operam dabo, & defendam & ſubuenibo ſedulò.
Numquam te patiar perire. me perire eſt æquius.
Eripe oculum iſti ab humero, qui te tenet here, te obſecro.

Hiſce



A Hiſce ego iam ſementem in ore faciam, pugnóſque obſeram.
Maxumo hodiè malo hercle voſtro iſtunc fertis, mittite.
ME. Teneo ego huic oculum. MES. face, vt oculi locus in capite appareat.
Vos ſceleſti, vos rapaces, vos prædones. LO. periimus
Obſecro hercle. MES. mittite ergo. ME. quid me vobis tactio'ſt?
Pecte pugnis. MES. agite, abite, fugite hinc in malam crucem.
Hem tibi etiam, quia poſtremus cedis, hoc præmij feres.
Nimis autem bene ora commentaui, atque ex mea ſententia.
Ædepol here næ tibi ſuppetias tempore adueni modò.
B ME. Et tibi di ſemper adoleſcens, quiſquis es, faciant bene.
Namque abſque te eſſet, hodie numquam ad ſolem occaſum viuerem.
MES. Ergo ædepol ſi rectè facias, here me emittas manu.
ME. Liberem ego te? MES. verum, quandoquidem here te ſeruaui, ME. quid eſt?
Adoleſcens erras. MES. quid erro? ME. per Iouem adiuro patrem,
Me herum tuum non eſſe. MES. non taces tu? ME. non mentior.
Nec meus ſeruus vmquam tale fecit, quale tu mihi.
C MES. Sic ſine igitur, ſi tuum negas me eſſe, abire liberum.
ME. Mea quidem hercle cauſſa liber eſto, atque ito quò voles,
MES. Nempe iubes? ME. iubeo hercle, ſi quid imperij eſt in te mihi.
MES. Salue mi patrone. SERVVS ALIVS. cùm tu liber es Meſſenio,
Gaudeo. MES. credo hercle vobis. ſed patrone, te obſecro,
Ne minùs imperes mihi, quàm cùm tuus ſeruus fui.
Apud te habitabo, & quando ibis, vnà tecum ibo domum.
ME. Minime. MES. nunc ibo in tabernam: vaſa & argentum tibi
Referam. rectè eſt obſignatum in vidulo marſupium,
D Cum viatico, id tibi iam nunc afferam. ME. affer ſtrenuè.
MES. Saluum tibi ita vt mihi dediſti, reddibo. hîc me mane.
ME. Nimia mira mihi quidem hodie exorta ſunt multis modis.
Alij me negant eum eſſe qui ſum, atque excludunt foris.
Etiam hic ſeruum eſſe ſe meum aiebat, quem ego emiſi manu.
Is ait ſe mihi allaturum cum argento marſupium:
Id ſi attulerit, dicam vt à me abeat liber, quò volet:
Ne tum quando ſanus factus ſit, à me argentum petat.
Socer & medicus, me inſanire aiebant. quid ſit? mira ſunt.
Hæc nihilo mihi eſſe videntur ſecius, quàm inſomnia.
Nunc ibo intrò ad hanc meretricem, quamquam ſuccenſet mihi.
Si poſſum exorare, vt pallam reddat, quam referam domum.

PER EGO VOBIS DEOS, ATQVE HOMINES.] hyperbaton in verbis. nam hic A ordo eſt. Ego vobis dico per deos, atque homines, vt imperium meum ſapienter curæ habeatis. Sic Terent. Andr. *Per ego te deos oro, & noſtram amicitiam, Chreme,* &c. Virg. Æneid. 4. *Méne fugis? per ego has lacrymas, dextrámque tuam, te, Quando aliud,* &c. Eſt autem hoc genus obteſtandi, efficaciſſimum, obteſtari per deos, per ſacra, per liberos, per ſalutem, per caput, per fortunas, per res cariſſimas denique. QVÆ'QVE IMPERAVI, ATQ. IMP. F. ILLIC H. &c.] id eſt, &(quæ imperaui, atque impero,) facite, vt ille homo in medici officinam, à ſeruis delatus ſit. ſublimis, id eſt, ſublatus, non ſuis pedibus terram tangens, ſed veſtris manibus ſuſpenſus. Sic in Aſinaria. *Quin tu illum iubes ancillas rapere ſublimem domum?* Terent. Andr. *ſublimem hunc intrò rape, quantùm potes.* Medicinam autem vſurpauit hîc pro ipſa medici taberna, ſeu apotheca. ἰατρεῖον appellant Græci. Sic in Amphitr. *Nam omneis plateas perreptaui, gymnaſia, myropolia, Apud emporium, atque in macello, in palæſtra, atque in foro, In medicinis, in tonſtrinis,* &c. NISI QVIDEM VOS VESTRA CRVRA, AVT LATERA, &c.] niſi quidẽ vos veſtra crura compedibus vinciri, aut latera virgis, ac loris variari vultis. CAVE QVISQVAM QVOD ILLIC.] caue quiſquam veſtrûm, vel floccifecerit, quod ille minitetur. ne flocci quidem facite, quod ille vobis minitabitur. IAM SVBLIMEM RAPTVM OP.] ſic Terent. vt ſuprà indicauimus. QVIN ME OMITTITIS?] quin me omittitis? quin me miſſum facitis? PROH DII IMMORT.] alius B error. Nam Meſſenio putat herum ſuum ſublimem ab hominibus ferri, cùm ſit eius frater Menæchmus ſurreptus. ECQVIS SVPP. MIHI AVDET AFF.?] num quis auxilium mihi audet afferre? ſuppetiæ, inquit Cariſius, lib. 1. βοήθεια, id eſt, auxilium. HÎC IN PACATO OPPIDO,] in pacato oppido, dixit amplificationis cauſa, vt & illa, quæ ſequuntur, luci, in via, qui liber venerit. Nam ſi quis in oppido hoſtili, & quod bello ardeat, ſublimis feratur, minus mirum, minúſque indignum ſit. LVCI DERIPIER, IN VIA,] luce de loco, in quo ſtabat, rapi, in via publica, &c. ſubintelligendũ eſt autem, verúmne eſt? æquúmne eſt? aut aliquid ſimile. MITTITIS?] non me omittitis? nõ me miſſum facitis? ſeruos, à quibus ferebatur, ſublimis, alloquitur. INSIGNITÈ] inſigniter. inſignitè, aduerbium à nomine *inſignitus.* ET SVBVENIBO S.] & ſubueniam ſedulò. HISCE EGO IAM SEMENTEM IN ORE FACIAM, PVGN. OBS.] id eſt, his ſeruis ſementem pugnorum in ore faciam: pugnos his in ore ſeram. metaphora eſt, ab agricultura. PVGNÓSQ. OBSERAM] idem dicit, & pugnos, inquit, in ore horum circùm ſeram, hoc eſt, os horum ſeruorum pugnis cooperiam, & cõtundam. FACE, VT OCVLI LOCVS IN CAP. APP.] hoc eſt, fac, vt oculus ei ſit erutus, ſeu effoſſus. nam oculi locus apparere non poteſt, niſi oculo effoſſo, aut niſi quis luſcus ſit, vel natura, vel caſu aliquo, ex quo iocus ille Appij apud M. Tull. lib. 2. de Orat. Cenabo, inquit, apud te, huic C luſco, familiari meo, C. Sextio. vni enim locum eſſe video. Eſt hoc ſcurrile, quòd & ſine cauſa laceſſiuit, & tamen id dixit, quod in omneis luſcos conueniret. OBSECRO, HERCLE.] ſermo lamentãtis, & plorãtis. ſic Eunuchus ille Dorus apud Terẽt. in Eunuch. *fugitiue prodi, male conciliate.* DŌR. *obſecro.* PH. *oh, Illud vide, os vt ſibi diſtorſit carnufex.* QVID ME VOBIS TACTIO'ST?] quid vos me tangitis? ſuprà in Caſina, ſic, *Quid tibi hunc tactio fuit?* PECTE PVGNIS] concîde, ſeu cõtunde pugnis, metaphora eſt. ſic ſuprà in Capt. *Nam hercle, niſi mantiſcinatus probè ero, fuſti pectito.* & infrà in Pœn. *Sed vide ſis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.* HEM TIBI ETIAM] ſermo verberantis. Hem tibi etiam hunc pugnum aufer. QVIA POSTR. CED. HOC PR. F.] quia poſtremus diſcedis, hoc premij referes. NIMIS AVTEM BENE ORA COMM.] id eſt, egregiè his ſeruis ora cõformaui, & figuraui, pugnis ſcilicet: multa quaſi commentatione, multóque ſtudio, his ſeruis ora denuò finxi, atque interpolaui. ſic enim loquitur in Amphitr. ibi. *Illic homo me interpolabit, meúmque os finget denuò.* tractum videtur à ſtatuarum fictoribus, qui crebris mallei ictibus ſtatuarum figuras, & oris lineamenta commentantur. Fortaſſis etiam iocans Plautus ad mentum alluſit, vt Camerarius exiſtimat, vt *commentaui* ſignificet, D mento ornaui, ſeu decoraui. ADOLESCENS.] rectè. non enim Meſſenio ſeruus Menæchmi huius erat. NAM ABSQ. TE ESSET, &c.] id eſt, nam niſi tu eſſes, aut niſi tu mihi ſubueniſſes: hodie numquã ad ſolẽ occaſum, id eſt, ad ſolis occaſum viuerẽ. Sic autẽ legendum, vt edidimus, non vt vulgò, *Nam ſi abſque te fuiſſem,* neque vt Camerarius edidit, *Nam ſi abſq. te eſſem,* &c. quarum ſcripturarũ neutra ferri poteſt. hęc autẽ & Plauto noſtro, & Terẽtio vſitata eſt, ſic ſuprà in Capt. *Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm: Vſque offerre natum, ſuis me ductarent dolis.* Idem in Bacchid. *Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum.* Idem infrà, in Perſa. in extr. *nam hercle abſque me Foret, & meo præſidio. hic faceret te proſtibulam propediem.* Sic & Terent. Phorm. *nam abſque eo eſſet, Rectè ego mihi vidiſſem, & ſenis eſſem vltus iracundiam.* AD SOLEM OCCASVM] vſque ad occaſum ſolis. ſic autem loquebantur veteres, vt ſuprà diximus. ME EMITTAS MANV.] me libertate dones. SIC SINE IGITVR, SI TVVM, &c.] ſine me igitur, ſi me tuum eſſe negas, ſic abire liberum. ſic, δεικτικῶς poſitum, & cum geſtu quodam pronuntiandum. MEA QVIDEM HERCLE CAVSA, &c.] ideſt, quod quidem in me eſt: vel quantum quidem ad me attinet, &c. ἐμοῦ ἕνεκα. ſic ſuprà, in Epid. *Dum ſine me quæras, quæras mea cauſa, vel medio in mari.* LIBER ESTO.] oratio domini ſeruum manu mittentis. ſic infrà eadem ſcena, in extr. *Liber eſto.* idem in Epid. in extrem. *At ob eam rem liber eſto.* & Terent. Adelph. *Syre, accede huc ad me, liber eſto.*

SALVE



A SALVE MI PATRONE.] oratio ſeruorum manumiſſorum, aut eorum, qui ab aliquo ſeruati erant, atque idcirco patronos eos appellabant. vt ſuprà in Moſtell. SIMO. *è me, Nequid metuas nihil ſiet.* TR. *patrone ſalue.* SED PATRONE, TE OBSECRO, NE MINÙS IMPERES MIHI, QVÀM CÙM TVVS SER. &c.] dominus, qui ſeruum manumittebat, nihilominus à ſeruo, quem libertate donabat, operas in poſterum ſtipulabatur. qua de re exſtat in pandectis iuris ciuilis titulus de operis libertorũ, qui ordine primus eſt lib. 38. IN VIDVLO] eccum hunc in vidulo ſaluum fero. OBSIGNATVM] ſigno ſeu annulo ceræ impreſſo clauſum. Obſignabantur hoc modo, non modo tabellæ, ſed etiam lagenæ, ciſtellæ, viduli, cællæ, & ſimil. ſuprà, in Amphitr. *Enimuerò illud præter alia miror maximè ſi hæc habet pateram illam.* SOS. *an etiam id credis, quæ in hac ciſtellula Tuo ſigno obſignata fertur?* AMPH. *ſaluum ſignum eſt.* Idem in Caſina. *Obſignate cællas: referte annulum ad me.* SALVVM TIBI ITA, VT MIHI DEDISTI REDDIBO] reddibo, pro reddam. notat Nonius, & profert hunc verſum. profert & illud ex Caſina. *atque ego ruri reddibo te.* HÎC ME MANE.] hîc me exſpecta. NIMIA MIRA, &c.] nimia miracula. ATQVE EXCLVDVNT F.] & me non intromittunt. NE TVM, QVANDO SANVS F.] ne tum cùm ad ſanitatem mentis reuerſus fuerit, &c. HÆC NIHILO MIHI ESSE V. SECIVS, &c.] hæc nihilominus mihi videntur aliter eſſe, quàm ſomnia. inſomnia, B ἐνύπνια: quæ in ſomnis cernuntur.

## MENÆCHMVS Soſicles. MESSENIO ſeruus.

MEn' hodie vſquam conueniſſe te audax audes dicere,
Poſtquam aduorſum mihi imperaui vt huc venires?
MES. quin modò
Eripui homines qui te ferebant ſublimem, quattuor,
Apud haſce ædeis, tu clamabas. deûm fidem atque hominum omnium,
Quum ego accurro, téque eripio, vi pugnando, ingratiis,
C Ob eam rem, quia te ſeruaui, me amiſiſti liberum.
Quom argentum dixi me petere, & vaſa: tu, quantum pote'ſt,
Præcucurriſti obuiam, vt quæ feciſti, infitias eas.
ME. Liberum ego te iuſſi abire? MES. certò. ME. cui certiſſimum'ſt,
Mepte potius fieri ſeruum, quàm te vmquam emittam manu.

MEN' HODIE VSQVAM, &c.] talis eſt error in Amphitr. Soſiæ, & Amphitr. Sententia autem horum verborum, hæc eſt. Audéſne dicere, tu audax homo, te, poſtquàm tibi imperaui, vt huc mihi aduerſum, ſeu obuiam venires, mecũ locutum eſſe? QVIN MODÒ ERIPVI TE, HOM. QVI TE FEREBANT SVBL. Q.] hoc eſt, quin eripui te ab hominib. quattuor, qui homines te ſublimem ferebant. ſic hunc locum explico: & verò ſic explicandus D eſt. neque mihi probatur illorum ſententia, qui dicunt eſſe hypallagen, & ita explicant, eripui homines quattuor, *à te,* ſubintell. pro eripui te à quattuor hominibus. Nam primùm nõ poteſt ſubintelligi, hoc totum, *à te:* deinde talis hypallage neque Plauto eſt vſitata, neque hoc loco ferri poteſt. iam vox, *quatuor,* hîc habet primam ſyllabam breuem, & debet ſcribi cum vnico, t. vt apud Ennium. INGRATIIS] ingratiis, vel aduerbium eſt, vel nomen: nihil refert. de quo alibi plura. ſignificat autem, hoc loco, inuitis iis, qui te ſublimem ferebant. AMISISTI LIBERVM] libertate donaſti. PETERE] è naui, ſeu potiùs è taberna deuerſoria. QVANTVM POTE'ST.] quàm citiſſimè. INFITIAS EAS.] infitieris. MEPTE] meipſum.

## MENÆCHMVS ſurreptus, MESSENIO, MENÆCHMVS Soſicles.

SI voltis per oculos iurare, nihilo hercle ea cauſſa magis
Faciętis, vt ego hodie abſtulerim pallam & ſpinter peſſimæ.

MES. Proh dij immortales,quid ego video? M.ſo. quid vides? MES. ſpeculum tuum. A
M.ſo. Quid negotij eſt? MES. tua eſt imago. tam conſimilis eſt,quàm poteſt.
M.ſo. Pol profectò haud eſt diſſimilis,meam quoad formam noſcito.
M.ſu. O adoleſcens ſalue,qui me ſeruaſti,quiſquis es.
MES. Adoleſcens,quæſo hercle loquere tuum mihi nomen,ni piget.
M.ſu. Non ædepol ita promeruiſti de me,vt pigeat quæ velis,
Mihi eſt Menæchmo nomen. M.ſo. immò, id eſt ædepol mihi.
M.ſu. Quid ego ex te audio? M.ſo. hoc quod res eſt. MES. noui equidem hunc. herus eſt meus.
Ego quidem huius ſeruus ſum. ſed eſſe huius me credidi. B
Ego hunc cenſebam eſſe te. huic etiam exhibui negotium.
Quæſo ignoſcas, ſi quid ſtultè dixi,atque imprudens tibi.
M.ſo. Delirare mihi vidêre. non commeminiſti,ſimul
Te hodie mecum exire è naui? MES. enimuero æquum poſtulas.
Tu mihi herus es,tu ſeruum quære:ſalueto tu,tu vale.
Hunc ego eſſe aio Menæchmum. M.ſu. at ego me. M.ſo. quæ hæc eſt fabula?
Tu es Menæchmus? M.ſu. me eſſe dico Moſcho prognatum patre.
M.ſo. Tun' meo patre es prognatus? M.ſu. immò equidem adoleſcens, tuum C
Tibi neque occupare patrem,neque præripere poſtulo.
MES. Dij immortales,ſpem inſperatam date mihi,quam ſuſpicor.
Nam niſi me animus fallit,hi ſunt gemini germani duo.
Nam & patrem & matrem commemorant pariter, qui fuerint ſibi
Sed vocabo herum.Menæchme? ME. AMBO. quid vis? MES. non ambos volo.
Sed vter veſtrûm eſt huc aduectus naui mecum? M.ſu. non ego
M.ſo. At ego. MES. te volo igitur, huc concede. M.ſo. conceſſi, quid eſt?
MES. Illic homo aut ſycophanta,aut geminus eſt frater tuus. D
Namque ego hominem homini ſimiliorem numquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ,neque lacte eſt lacti,crede mihi,vſquã ſimilius,
Quàm hic tui eſt, túque huius. poſtea autem eandem patriam ac patrem
Memorat.melius eſt nos adire,atque hunc percontarier.
M.ſo. Hercle quin tu me admonuiſti rectè,& habeo gratiam.
Perge operam dare obſecro hercle.liber eſto,ſi inuenis
Hunc meum fratrem eſſe. MES. ſpero. MEN. & ego idem ſpero fore.

Quid



A MES. Quid ais tu?Menæchmum,opinor,te vocari dixeras.
M.ſu. Ita verò. MES. huic item Menæchmo nomen eſt. in Sicilia
Te Syracuſis natum eſſe dixiſti:hic natus eſt ibi.
Moſchum tibi patrem fuiſſe dixti:huic itidem fuit.
Nunc operam poteſtis ambo mihi dare,& vobis ſimul.
M.ſu. Promeruiſti,vt ne quid ores,quod velis,quin impetres.
Tamquam ſi me emeris argento,liber ſeruibo tibi.
MES. Spes mihi eſt,vos inuenturum fratres germanos duos
Geminos,vna matre natos,& patre vno,vno die.
M.ſu. Mira memoras:vtinam efficere,quod pollicitu's, poſſies.
MES. Poſſum.ſed nunc agite. vtérque id quod rogabo,dicite.
B M.ſu. Vbi lubet,roga,reſpondebo:nihil reticebo,quod ſciam.
MES. Eſt tibi nomen Menæchmus? M.ſu. fateor. MES. eſt itidem tibi.
M.ſo. Eſt. MES. patrem fuiſſe Moſchum tibi ais? M.ſu. ita verò. M.ſo. & mihi.
MES. Eſne tu Syracuſanus? M.ſu. certò. MES. quid tu? M.ſo. quippini?
MES. Optimè. vſque adhuc conueniunt ſigna. porrò operam date.
Quid longiſſimè meminiſti,dic mihi,in patria tua?
M.ſu. Cum patre vt abij Tarentum ad mercatum,tum poſtea
Inter homines me deerrare à patre,atque inde auehi.
C M.ſo. Iuppiter ſupreme,ſerua me.MES.quid clamas?quin taces?
Quot eras annos natus,cùm te pater à patria auehit?
M.ſu. Septuennis.nam tum dentes mihi cadebant primulùm.
Neque patrem vmquam poſt illa ego vidi. MES. quid? voſtrûm patri
Filij quot eratis? M.ſu. vt nunc maxumè memini,duo:
MES. Vter eratis,tun',an ille,maior? M.ſu. æquè ambo pares.
MES. Quî poteſt? M.ſu. gemini ambo eramus. M.ſo. dij me ſeruatum volunt.
MES. Si interpellas,ego tacebo. M.ſo. potius taceo. MES.dic mihi,
D Vno nomine ambo eratis? M.ſu. minimè.nam mihi hoc erat,
Quod nunc eſt,Menæchmus. illum tum vocabant Soſiclem.
M.ſo. Signa agnoui:contineri,quin complectar,non queo.
Mi germane,gemine frater ſalue,ego ſum Soſicles.
M.ſu. Quomodo igitur poſt Menæchmo nomen eſt factum tibi?
M.ſo. Poſtquam ad nos renuntiatum eſt:te & patrem eſſe mortuum,
Auos noſter mutauit. quod tibi nomen eſt,fecit mihi.
M.ſu. Credo ita eſſe factum,vt dicis,ſed mihi hoc reſpõde. M.ſo. roga.
M.ſu. Quid erat nomen noſtræ matri? M.ſo. Theuſimarce. M.ſu. conuenit.
O ſalue inſperate multis annis poſtquàm conſpicor,
Frater. M.ſo. & tu quem ego multis miſeríſque laboribus,

iii

Vſque adhuc quæſiui,quémque ego eſſe inuentum gaudeo. A
MES. Hoc erat,quòd hæc te meretrix huius vocabat nomine.
Hunc cenſebat te eſſe credo,cùm vocat te ad prandium.
M.ſu. Namque ædepol hic mihi hodie iuſſi prandium appararier,
Clàm meam vxorem,quoi pallam ſurripui dudum domo.
Eam dedi huic. M.ſo. háncne dicis frater pallã,quam ego habeo?
M.ſu. Quomodo hæc ad te peruênit? M.ſo. meretrix hæc ad prãdium
Me adduxit:me ſibi dediſſe aiebat. prandi perbene,
Potaui,atque accubui ſcortum:pallam,& aurum hoc mihi dedit.
M.ſu. Gaudeo ædepol,ſi quid propter me tibi euênit boni.
Namque illa cùm te ad ſe vocabat,me te eſſe credidit.
MES. Numquid me morare,quin ego liber,vt iuſſiſti,eam? B
M.ſu. Optimum atque æquiſſimum orat frater.fac cauſſa mea.
M.ſo. Liber eſto. M.ſu. cùm tu es liber,gaudeo Meſſenio.
MES. Sed meliore eſt opus auſpicio,liber perpetuò vt ſiem.
M.ſo. Quoniam hæc euenerunt frater nobis ex ſententia,
In patriam redeamus ambo. M.ſu. frater faciam,vt tu voles.
Auctionem hîc faciam,& vendam quicquid eſt. nunc interim
Eamus intrò frater. M.ſo. fiat. MES. ſcitin' quid ego vos rogo?
M.ſu. Quid? MES. mihi vt præconium detis. M.ſu. dabitur. MES. ergo nunc iam
Vis conclamari auctionem fore.quo die? M.ſu. die ſeptimi.
MES. Auctio fiet Menæchmi mane ſanè ſeptimi. C
Venibunt ſerui,ſupellex,fundi,ædes,omnia.
Venibunt,quiqui licebunt,præſenti pecunia.
Venibit vxor quoque etiam,ſi quis emtor venerit.
Vix credo tota auctione capiet quinquageſies.
Nunc ſpectatores valete,& nobis clarè plaudite.

SI VOLTIS PER OCVLOS IVRARE,&c.]per oculos iurare dixit,quia nihil ferè eſt oculis carius:iurabant autem per res cariſſimas.ſententia autem hęc eſt:Et ſi velitis per oculos iurare,nihilo tamen magis hoc effectum dabitis,vt ego hodie pallam,& ſpinter abſtulerim, ô peſſimæ mulieres.Alloquitur Erotiũ,& eius ancillam Menæchmus ſurreptus:cui aſſeuerabãt, atque adeò iurabant,illæ ſe pallam & ſpinter dediſſe,vt ea curaret,reconcinnanda.Ab hoc loco D autem fit *ἀναγνωρισμός*, SPECVLVM TVVM]imaginem tuam in ſpeculo. QVÀM POTEST] quàm fieri poteſt. *ὅσον δυνατόν ἐστι*. MEAM QVOAD FORMAM N.]quantum meam formam cognoſcere poſſum,aut cognoſcere incipio. ſuprà in Ciſtell. *Nunc veſtigia ſi qua ſunt,noſcitabo.* NON ÆDEPOL ITA PROMERVISTI DE ME,&c.]cùm me è manibus ſeruorũ,qui me ſublimem rapiebant,eripuiſti,non ita ſanè de me promeritus es,vt pigeat me quidquã facere,quod tu velis. Sic infrà eadem fabula.*Promeruiſti,vt ne quid ores, quod velis, quin impetres.* HOC QVOD RES EST.] *ἰδοὺ*. NOVI EQVIDEM HVNC, HERVS EST M.] etiam nunc errat Meſſenio. nam putat Menæchmum ſurreptum,de quo loquitur,& quem demonſtrat,herum eſſe ſuũ,ſed mox à vero hero ſuo reprehenſus,errore liberatur, & Menæchmo ſurrepto,relicto,Menæchmum Soſiclem ſequitur,& herum agnoſcit. HERVS EST M.] Menæchmus ſurreptus. EGO QVIDEM HVIVS S. S.]huius,videlicet Menæchmi ſurrepti, ciuis Epidamnij facti.SED ESSE H. ME CR.]huius Menæchmi Soſiclis. EGO HVNC C. ESSE TE.]ego hunc,qui herus meus non eſt,putabam eſſe te,qui herus meus es. Sed attendat lector,vſque adhuc errare Meſſenionẽ,& eum putare eſſe herum ſuum,qui non eſt:eum,qui eſt, non putare. DELIRARE MIHI VIDÊRE].nunc errans Meſſenio in viam rectam ab hero reuocatur,qui ſic ſeruum reprehendit.Deſipere mihi vidêris Meſſenio: qui te ſeruum meum eſſe



A eſſe neges:huius eſſe dicas.an non meminiſti, te vnà mecum hodie è naui exire? ÆQVVM POSTVLAS]æquum oras,ſeu æquum dicis.æqua tua poſtulatio eſt.tranſlatio eſt. TV MIHI HERVS ES,&c.]tu,Menæchme Soſicles, herus mihi es:tu alter,quiſquis es,aliũ ſeruum quære. SALVETO TV, TV VALE.]tu,qui herus meus es,ſalueto:tu alter,vale. IMMÒ EQVIDEM, ADOLESC. TVVM TIBI NEQ.&c.]immò equidem, ô adoleſcens, quamuis dixerim,me Moſcho prognatum eſſe patre,vt ſum,non tamen tuum tibi patrem occupare,aut præripere,æquũ eſſe arbitror.Nam fieri poteſt,vt & ego Moſcho patre natus ſim, vt ſum, & tu alio patre natus ſis,cui nomen Moſcho fuerit. SPEM INSPER.]ſpem,cuius euentus non exſpectabatur. GEMINI GERMANI DVO.]duo fratres vno partu editi, & iiſdem parentibus nati. QVIS VIS?]ambo reſpondent,quia vterque Menæchmus nominatur. ILLIC HOMO AVT SYCOPHANTA] ille homo,aut eſt planus, atque impoſtor, ſeu præſtigiator, aut eſt frater tuus geminus. NEQ. AQVA, AQVÆ, NEQ. LACTE,&c.] prouerbium quod habet locum in rebus valde inter ſe ſimilib.Idem in Mil.glor.*Vt Philocomaſio hãc ſororem geminam germanam alterã Dicam Athenis aduenisſe cum amatore aliquo ſuo,Tam ſimilẽ,quàm lacte lacti eſt,* &c.Sic in prouerbio eſt ouorum inter ſe ſimilitudo,vt teſtatur M.Tull.lib. 4.Academic.quæſt. Iam lacte dixiſſe veteres in recto caſu. notat & Nonius:vtitúrque teſtimonio Ennij lib. 11. *Si mulier rubuit,* B *ſeu lacte & purpura miſta.* & Varronis in Antanabatis. *Candidum lacte papilla cum fluit.* Priſcianus quoque docet lib.6.veteres *lacte* in recto caſu protuliſſe,& hunc ex Menæchmis locum profert. Cariſius quoque lib.1.duobus locis de hoc eodem nomine ſcribit,& vno quidem loco ait, ſale, mare,lacte in recto caſu,& ſalis,maris,lactis in patrio,dici debere,altero,lacte nos ſine vitio dicere:vtitúrque auctoritate,& teſtimonio Catonis, *& in Italia atras capras lacte album habere.* LIBER ESTO, SI INVENIS HVNC MEVM FR.]manumiſſio ſub conditione. SPERO.] me inuenturũ,hûc debet Meſſenionis nomen adſcribi. nam hoc loco perſonarũ nomina malè fuerant collocata. ET EGO IDEM SPERO FORE]hæc ſunt Menæchmi Soſiclis verba. QVID AIS TV?]hæc Meſſenionis ad Menæchmum ſurreptum. DIXTI.]dixiſti. SERVIBO TIBI.]ſeruiam tibi. SPES MIHI EST, VOS INVENTVRVM,&c.] ſpero me inuenturum vos duos fratres germanos.Sic autem legendum eſſe,non vt vulgò, *inuenturos,* & ratio,& ea,quæ ſequuntur,& quæ antecedunt,peruincunt. VNA MATRE NATOS, ET PATRE VNO, VNO DIE.]tales fratres,ſunt germani,& gemini. VTINAM EFFICERE, QVOD POLLICITVS]vtinam efficere poſſis,quod pollicitus es,nempe nos eſſe fratres germanos,geminos:vel te inuenturum nos fratres germanos,geminos. QVIPPINI?]quidni Si- C racuſanus ſim?certò Syracuſanus ſum. VSQVE ADHVC C.]vſque ad hoc tempus conſtant, & conueniunt inter ſe ſigna. PORRÒ OPERAM DATE]pergite operam dare,porrotenus, ſeu protenus operam date. QVID LONGISSIMÈ MEMINISTI,&c.]dic mihi,quid vltimum meminiſti in patria tua?quouſque mens tua longiſſimè poteſt præteriti temporis ſpatium reſpicere,& quam memoriam recordari vltimam?ſic enim loquitur M. Tull. in Orat. pro Archia poëta. ME DEERRARE À PATRE.]me à patre digreſſum,& diuulſum errare,repete ἀπὸ κοινοῦ, memini.me à patre aberrare memini.ſupra in prologo. *Puer inter homines aberrauit à patre.* Virgil.in Melibœo. *Vir gregis ipſe caper deerrauerat.* Lucret.lib.3. *Inter enim recta'ſt vitaï penſa,vagéque Deerrarunt paßim motus ab ſenſibus omnes.* NAM TVM DENTES MIHI CADEBANT PRIMVLVM]Plinius lib.7.cap.16. *Ceterum editis primores ſeptimo menſe gigni denteis: priuſquam in ſupera fere parte,haud dubium eſt:ſeptimo eoſdem decidere anno,alióſq. ſuffici.* Macrobius lib.1. in ſomnium Scipionis. *Poſt annos ſeptem dentes,qui primi emerſerant,aliis aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt,eodémque anno,id eſt,ſeptimo plenè abſoluitur integritas loquendi.* Cenſorinus de die natali cap.5. *De conformatione autem partus nihilominus in prima hebdomade denteis homini cadere,in ſecunda pubem apparere:in tertia barbam naſci:in quarta vireis,* &c. Primam hebdomadem appellat primos annos D ætatis ſeptem. POST ILLA]poſtea. VOSTRÛM PATRI FILII QVOT ERATIS?] videtur legendum *voſtro patri filij,* &c.vel, *voſtrûm patri,* dictum pro voſtro patri. vel voſtrûm,genitiuus eſt diuiſionis,& ſic explicãdus hic locus,ex vobis,quot eratis filij patri,ſubintell. *veſtro?* SI INTERPELLAS, EGO TACEBO] ſi me loquentem interpellas, ego loquendi finem faciam. QVOMODO IGITVR POST MENAECHMO NOMEN EST FACTVM TIBI?] ſic ſuprà loquitur ſcena prima. *Iuuentus nouem fecit Peniculo mihi.* & infrà proximè. *quod tibi nomen eſt,fecit mihi.* AVOS NOSTER M.] Auus noſter mutauit mihi nomen. CONVENIT]conuenit nomen, vel hoc quoque ſignum conuenit, vt ſuprà, *vſque adhuc conueniunt ſigna.* Terent. Phorm. *conueniet numeris,quantum debui.* MVLTIS ANNIS POSTQVAM SVSPICOR.] multis annis poſtquam te poſtremum conſpexi. HOC ERAT, QVÒD HAEC TE MERETRIX,&c.]hæc erat cauſa, quamobrẽ hæc meretrix te huius Menæchmi ciuis Epidamnij facti nomine appellabat.ſic Virg.lib.2.Æn. *Hoc erat alma parens, quòd me per tela, per igneis,eripis?* HVNC CENSEBAT TE ESSE,&c.] putabat te eſſe hunc Menæchmũ,qui hîc vxorẽ duxit. ATQ. ACCVBVI SCORTVM]ſic ſuprà eadem fabula. *Prandi,potaui,ſcortum accubui.* SED MELIORE EST OPVS AVSPICIO]allegoria eſt,per quam ſignificat præter libertatem,opus eſſe præterea cibo. proinde ac ſi dicat libertas, eſt illa quidam res magnopere expetenda, & magni æſtimanda , ſed niſi tu dominus mihi ſeruo cum libertate aliquid præ manu dederis, hoc

auſpicium parum lætum eſt:& denuò redauſpicandũ eſt. Huius rei exemplum eſt ſuprà in Epid. A extr. *ſoccos, tunicam, pallium tibi dabo.* EPID. *quid deinde porrò?* PER. *libertatem.* EP. *at poſtea? nouo liberto opus eſt, quod pappet.* PER. *dabitur. præbebo cibum.* Et apud Terent. in Adelph. *Syre, proceßiſti hodie pulcrè.* DE. *ſiquidem porrò Mitio tu tuum officium facies: atque huic aliquid paululum præ manu dederis, vnde vtatur, reddet tibi citò*: &c. AVCTIONEM HÎC FACIAM] Auctio, inquit Fulgentius, dicitur venditio, quaſi quòd & ementem augeat, & vendentem. Immò verò dicamus auctionem eò dictam eſſe, quòd ab emtoribus & licitatoribus pretium rerum venalium, & earum, quarum fit auctio, augeatur. ſuprà in Epid. *Hæc vocabula, auctiones ſubigunt, vt faciant viri.* MIHI VT PRÆCONIVM DETIS] vt me prædicationi bonorum præficiatis. vt me præconem horum bonorum auctioni conclamandæ faciatis, & me in hac auctione præconis munere fungi, ſeu præconium facere ſinatis. QVO DIE?] ſic legendum, & ita edi iuſſimus, nam libri omnes & vulgati, & manuſcripti, qui habent, *quidem*, mendoſi ſunt. DIE SEPTIMI] id eſt, die ſeptimo de hoc genere locutionis ſuprà ſat multa diximus in Moſtell. ibi. *Hoc die craſtini, cùm herus reſciuerit, Mane caſtigabit eos*, &c. QVIQVI LICEBVNT,] quicumque licebunt, &c. *licebunt*, à verbo perſonali, *liceo, es, et*. Dicuntur autem merces, aut res alioqui venales licere, quibus pretium à venditore præfinitum eſt, & quæ certo pretio indicatæ ſunt M. Tull. lib. 12. epiſtol. ad Atticum. epiſt. 22. *de Druſi hortis, quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoq. audieram*, &c. Sed videtur legendum, *Venibunt, quæquæ licebunt*, &c. aut *Venibit, quidquid licebit* &c. B PRÆSENTI P.] ſic ſuprà in Moſtell. *ſi hercle nunc ferat ſex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria, Numquam accipiam.* M. Tull. pro Cluentio. *Quæ pecunia mulieri legata erat à filio, ſi qui natus eſſet, eam præſentem Oppianicus non debitam mulieri ſoluit.* Idem lib. 2. epiſt. ad Attic. epiſt. 4. *pro eo tibi præſentem pecuniam ſolui imperaui, ne tu expenſum muneribus ferres.* VIX CREDO, TOTA AVCTIONE CAPIET QVINQVAGESIES.] Menæchmus ſurreptus, vix, vt credo, ex tota auctione, id eſt, ex omnibus bonis auctione venditis, rediget ſeſtertium quinquageſies cẽtum millia, id eſt, circiter centum quinquaginta aureorum noſtrorum millia. quinquageſies autem, poſitum pro quinquagies.

## FINIS MENÆCHMORVM.



A

# MILES GLORIOSVS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| B PYRGOPOLINICES | miles. |
| ARTOTROGVS | paraſitus. |
| PALÆSTRIO | ſeruos. |
| PERIPLECTOMENES | ſenex. |
| SCELEDRVS | ſeruos. |
| PHILOCOMASIVM | meretrix. |
| PLEVSIDES | adoleſcens. |
| LVCRIO | puer. |
| MILPHIDIPPA | ancilla. |
| ACROTELEVTIVM | meretrix. |
| PVER. | |
| C CARIO | cocus. |

## ARGVMENTVM.

MERETRICEM Athenis Epheſum miles auehit.
Id hero dum amanti ſeruus nuntiare vult
Legato peregrè, captus ipſus in mari,
Et illi eidem militi dono datus eſt.
D Suum arceſſit herum Athenis, atque perforat
Geminis communem clam parietem in ædibus,
Licere vt quiret conuenire amantibus.
Oſculanteis cuſtos hos vidit de tegulis.
Ridiculus autem, quaſi ſit alia, luditur.
Idémque impellit militem Palæſtrio,
Omiſſam faciat concubinam, quando ei
Senis vicini cupiat vxor nubere.
Vltrò, abeat, orat: donat multa ipſe in domo
Senis prehenſus, pœnas pro mœcho luit.

MERETRICEM.]Philocomaſium:quæ erat ingenua. MILES.]Pyrgopolynices. A HERO]Pleuſidi. SERVVS]Palæſtrio. SVVM ARCESS. HERVM ATH.] Palæſtrio ſeruus ſcribit ad herum ſuum Pleuſidem, vt Athenas veniat, perſpecto Philocomaſij in eum animo,& cognita ſententia. GEMINIS] duplicibus, quæ communem medium parietem habebant. LICERE, VT QVIRET, &c.] vt poſſet licere amantibus Pleuſidi,& Philocomaſio,conuenire, hoc eſt,congredi. OSCVLANTEIS] Pleuſidem & Philocomaſium. CVSTOS] ſeruus,Sceledrus nomine,Philocomaſio à milite additus cuſtos. RIDICVLVS]Sceledrus. QVASI SIT ALIA]quaſi non ſit Philocomaſium militis amica,cui cuſtos additus eſt.quam viderit oſculantem,ſed alia.&c. LVDITVR]à ſeruo Palæſtrione,& ab hoſpite Periplectomene.luditur autẽ hoc modo.Seruus ſuadet hoſpiti, vt communem parietem ædium geminarum perforet. quo facto, Philocomaſium in vtraque domo viſitur:& ita fides fit Sceledro duas eſſe mulieres,inter ſe conſimileis, tamquam ſorores germanas,& geminas. IDÉMQ. IMPELLIT, &c. ] & idem Palæſtrio eò perducit militem,vt hanc meretricem,ſiue cõcubinam dimittat,propterea quòd erat ei perſuaſum à ſeruo,matronam quamdam,vicini vxorem,eius amore eſſe captam.QVANDO EI SENIS V. CVP. VX. N.] id eſt,quoniã ſenis vicini vxor,vt ei Palæſtrio falſò perſuaſerat, nubere cuperet. SENIS VICINI]Periplectomenis,vt militi falſò perſuaſerat Palæſtrio ſeruus.nam Periplectomenes cælebs erat. B VXOR.]quæ nulla erat,ſed ſupponitur,ac ſubornatur meretrix Acroteleutium. VLTRO, ABEAT, ORAT.]miles ipſe prior,orat Philocomaſium,vt abeat: non autem rogatus,eam miſſam facit. non rogatur miles à Philocomaſio, vt eam miſſam faciat, ſed ipſe prior eam orat,vt abeat.

## ALTERVM ARGVMENTVM.

MEretricem ingenuam deperibat mutuò
Atheniensſis iuuenis.Naupactum is domo
Legatus abiit. miles in eandem incidit.
Deportat Epheſum inuitam. ſeruos Attici
Vt nuntiaret domino factum,nauigat:
Capitur,donatur illi captus militi.
Ad herum vt veniret Epheſum,ſcribit. aduolat C
Adoleſcens,atque in proximo diuortitur
Apud hoſpitem paternum. medium parietem
Perfodit ſeruus,commeatus clanculum
Qua foret amantum. geminam fingit mulieris
Sororem hanc eſſe. mox ei dominus ædium
Suam clientam ſolicitandum ad militem
Subornat. capitur ille,ſperat nuptias,
Dimittit concubinam,& mœchus vapulat.

MERETRICEM INGENVAM]Philocomaſiũ.DEPERIBAT.]perditè amabat. MVTVÒ]cùm viciſſim amaretur. ATHEN. IVVENIS] Pleuſides. NAVPACTVM]oppidum in Ætolia. MILES IN EAND. INC.&c.] miles Pyrgopolynices,cùm fortè abſente Pleuſide,Athenas veniſſet, matrémq.puellæ, vino, obſoniis,donis, & muneribus pellectam corrupiſſet. tandẽ puellã clam matre in nauẽ D coniecit,& ſecum inuitam Epheſum aduexit. SERVOS ATTICI,&c.]ſeruus iuuenis Attici Pleuſidis,Palæſtrio,vt id,quod euenerat,domino ſuo nuntiaret,nauigat.AD HERVM, VT V. EPH. SCR.]mittit ad herũ litteras,quib.ei ſignificat Philocomaſiũ eſſe Epheſi,à milite retineri inuitam:ſuadet,vt Epheſum veniat. APVD HOSP. P.]Periplectomenẽ. PERFODIT. S.] perforat ſeruus Palęſtrio. COMMEATVS CL. QVÀ F. AM.]per quem mediũ parietẽ perfoſſum,ſeu perforatum,amantes,Pleuſides & Philocomaſiũ poſſent inter ſe cõmeare,& conuenire,& cõgredi,& colloqui. COMMEATVS]cõmeandi,& cõueniendi facultas.GEMINAM FINGIT M. S. H. E.]hanc Philocomaſiũ,Pleuſidis amicã,fingit eſſe geminã Philocomaſij ſororem. DOMINVS ÆD.]Periplectomenes. SVAM CL.]Acroteleutiũ. Cariſius lib.1.*Cliens*, inquit,*cõmunis generis eſt.Inuenimus tamen & clientam apud Afranium in Pompa.Interim tua clienta*,&c. & apud Horat.oda 18.lib.2.*Nec Laconicas mihi trahũt honeſtæ purpuras clientæ.*Hæc Cariſius Plaut.in Rud.*iam clientas repperi.*SOLLICIT. AD M.]vt militẽ amore ſollicitet,eíq.perſuadeat, ſe eius amore incenſam eſſe. CAPITVR ILLE.]miles amore illaqueatur. SPERAT NVP.]ſperat Acroteleutium ſibi nupturam:quam,matronã,& vicini ſenis vxorẽ eſſe exiſtimat.DIMITTIT CONC.]hac ſpe fretus miles,Philocomaſium vltro dimittit:& deprehẽſus vt mœchus,vapulat.

PYRGO.



A

## PYRGOPOLINICES, ARTOTROGVS.

CVRATE vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quàm ſolis radij eſſe, olim cùm ſudum'ſt,ſolent,
Vt,vbi vſus veniat, cõtrà conſerta manu
Oculorum præſtinguat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc machæram mihi conſolari volo,
B Ne lamentetur, néue animũ deſpõdeat,
Quia ſe iampridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.
Sed vbi Artotrogus? AR. hic eſt,ſtat propter virum
Fortem,atque fortunatum,& forma regia,
Tum bellatorem. Mars haud auſit dicere,
Neque æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
PY. Quémne ego ſeruaui in campis Gurguſtidoniis,
Vbi Bombomachides Cluninſtaridyſarchides
Erat imperator ſummus,Neptuni nepos.
C AR. Memini,nempe illum dicis cum armis aureis,
Cuius tu legiones difflauiſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia,aut panniculam tectoriam.
PY. Iſtuc quidem ædepol nihil eſt. AR. nihil hercle quidem hoc,
Præut alia dicam,tu quæ nunquam feceris.
Periuriorem hoc homine ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem,quàm illic eſt,
Me ſibi habeto,& ego me illi mancupio dabo,
Ni vnum epityrum apud illum eſuriens inſanè edam.
PY. Vbi tu es? AR. eccum ædepol,vel elefanto in India
Quo pacto pugno perfregiſti brachium?
D PY. Quid?brachium? AR. illud dicere volui,femur.
PY. At indiligenter hic eram. AR. pol ſi quidem
Connixus eſſes,per corium,per viſcera,
Pérque os elefanto brachium tranſmitteres.
PY. Nolo iſtæc hîc nunc. AR. ne hercle operæ pretium quidem
Mihi te enarrare,tuas qui virtutes ſciam.
Venter creat omnes has ærumnas,auribus
Peraudienda ſunt ne dentes dentiant.
Et aſſentiendum eſt,quicquid hic mentibitur.
PY. Quid illud quod dico? AR. hem ſcio iam quid vis dicere.
Factum eſt hercle,memini fieri. PY. quid id eſt? AR. quicquid eſt.

PY. Habes tabellas? AR. vis rogare? habeo & ſtilum. A
PY. Facetè aduertis animum tuum, ad animum meum.
AR. Nouiſſe mores me tuos meditatè decet,
Curámque adhibere, vt præuolet mihi quò tu velis.
PY. Ecquid meminiſti? AR. memini, centum in Cilicia,
Et quinquaginta, centum Sycolatronidæ
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones,
Sunt homines tu quos occidiſti vno die.
PY. Quanta iſthæc hominum ſumma eſt? AR. ſeptem millia.
PY. Tantum eſſe oportet, rectè rationem tenes.
AR. At nullos habeo ſcriptos, ſic memini tamen.
PY. Ædepol memoria eſt optuma. AR. offa me monet. B
PY. Dum talem facies, qualem adhuc, aſſiduò edes:
Communicabo te ſemper menſa mea.
AR. Quid in Cappadocia? vbi tu quingentos ſimul,
Ni hebes machæra foret, vno ictu occideres?
At peditatus reliquiæ erant, ſi viuerent.
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopollicem te vnum in terra viuere
Virtute & forma & factis inuictiſſumis?
Amant te omnes mulieres: neque hercle iniuria,
Qui ſis tam pulcer: vt vel illæ, quæ here pallio
Me reprendere. PY. quid here dixerunt tibi? C
AR. Rogitabant, hicíne Achilles eſt, inquit, tibi?
Immò eius frater. inquam. innuit illarum altera,
Ergo mecaſtor pulcer eſt, inquit, mihi,
Et liberalis viſus. cæſaries quàm decet?
Næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant.
PY. Itáne aiebat tandem? AR. quæ me ambæ obſecrauerint,
Vt te hodie quaſi pompam illac præter ducerem.
PY. Nimia eſt miſeria pulchrum eſſe hominem nimis.
AR. Moleſtæ ſunt mihi, orant, ambiunt: obſecrant
Videre vt liceat: ad ſeſe arceſſi iubent, D
Vt tuo non liceat operam dare negotio.
PY. Videtur tempus eſſe, vt eamus ad forum,
Vt, in tabellis quos conſignaui hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.
Regi hunc in diem mihi operam decretum eſt dare.
AR. Age eamus ergo. PY. ſequimini ſatellites.

CVRATE



A CVRATE, VT SPLENDOR MEO SIT CLYP. &c] curate vos ſerui, vt clypeus meus clariùs ſplendeat, quàm radij ſolis, tunc cùm cælum eſt ſudũ. *meo clypeo*, dandi caſus eſt. OLIM CÙM SVDVM] tunc cùm ſudũ, id eſt; ſerenũ eſt cælum. Profert hunc locum Nonius in voce *ſudum*, his verbis: *Sudum, dicitur quaſi ſemi udum, vt eſt aër poſt pluuias, ſerenus, & liquidus*. Virg. 8. Æneid. *Arma inter nubeis cæli regione ſerena, Per ſudũ rutilare vident*. Plautus Milite. *Quàm ſolis radij eſſe olim cùm ſudum'ſt, ſ.* M. Tull. epiſt. ad Tironem lib. 16. *Horologium & libros mittam, ſi erit ſudum.* VBI VSVS VENIAT.] vbi opus ſit. CONTRÀ CONSERTA MANV,] collatis ſignis, cõmiſſa pugna. OCVLORVM PRÆSTINGVAT ACIEM IN AC. H.] id eſt, oculis hoſtium in acie tenebras offundat, oculorum aciem in prœlio hoſtibus obtundat, atque obſcuret. Hũc locum ſpectauit Apuleius lib. de deo Socratis, cùm ſcriberet, *Protinúſque Plautinus Miles ſuper clypeo ſuo gloriatur, præſtinguens oculorum aciem hoſtibus*. Profert hunc eundem verſum & Nonius in verbo *præſtinguere*, vbi tamen mendosè ſcriptum eſt, *præſtringere*: aut lapſus Nonius ita ſcripſit: interpretatúrque valde ſtringere, & claudere. alio loco interpretatur, obtenebrare, vbi ſic etiam ſcriptum eſt, cùm ſcribendum ſit, præſtinguere. Eſt enim præſtinguo, verbum compoſitum ex præpoſitione præ, & ſtinguo, is, vt reſtinguo, exſtinguo, diſtinguo: ex eodem ſimplici verbo ſtinguo, & præpoſitionibus re, ex, di,
B compoſita ſunt: quod pluribus verbis docuimus in commentar. Horatianis, & Lucretianis. In quo, qui mihi non aſſentiuntur, homines linguæ Latinæ imperiti, &, quod grauius eſt, rerum alienarum faſtidioſi, ij Aſconio non aſſentiuntur, & vehementer errant. Sic autem Aſconius, cuius hæc verba ſunt in Diuinationem, ad illud Ciceronis. præſtinguat aciem, &c. *Vel à præſtigiatoribus tranſtulit, vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiam vano armorum ſonitu terrentur, præſtinctis luminibus*. Plautus in Milite Glor. *Vt, vbi vſus veniat, contrà conſerta manu, Oculorũ aciem præſtinguat*, &c. Quòd ſi præſtigiæ dictæ ſunt à præſtinguendo, vt declarant verſus Cæcilij in Synephebis: qui leguntur apud Ciceronem lib. 3. de Nat. deorum. ibi. *Neque quem dolum ad eum, aut machinam commoliar, Scio quidquam: ita omneis meos dolos, fallacias, Præſtigias præſtinxit commoditas patris*: (Eſt enim ita dictum, præſtigias præſtinxit, vt οἰνοχοεῖν οἶνον, & παιδιὰν παίζειν, & ſimil. apud Græcos: metere meſſem, & pugnare pugnam, & ſimil. apud Latinos: niſi quod in hac locutione præſtigias præſtinxit, ineſt aliquid non ſolùm venuſtius, verùm etiam ſignificantius, quàm atticiſmus, & parecheſis: quia ſignificat poëta, præſtigias ipſas, quib. acies oculorum præſtingui ſolet, eſſe præſtinctas.) Si igitur præſtigiæ à præſtinguẽdo, dictæ ſunt, quis, niſi tardiſſimus, dubitet, quin ſcribendum ſit, præſtinguo, & præſtinxi, &c. non præſtringo, neq. præſtrinxi, &c. HANC MACHÆ-
C RAM] non dixit hunc gladium, ſed hanc machæram, vt in comœdia palliata: in qua vocabulis Græcis crebrò vti decet. MIHI CONSOL. V.] mihi, παρέλκει, vel ornatus cauſa poſitum eſt. NÉVE ANIMVM DESPOND.] néue deſperet. tralatio eſt, vt, & in *lamentetur*. nam machæra, res inanima, neque lamentari, neque deſpondere animum propriè dici poteſt. infrà eád. fab. *Nam, niſi tu illi fers ſuppetias, iam illa animum deſpondebit*. ſuprà in Menæchm. princip. *Pater eius autem, poſtquàm puerum perdidit, Animum deſpondit*. Varro libro 3. de lingua Latina. *Hoc ideò in ſecluſo clàm, ne reliqui, ſi videant, deſpondeant animum, atque alieno tempore venditoris moriantur.* FERIATAM] otioſam. M. Tull. lib. 1. de Nat. deor. *deum ſic feriatum volumus ceſſatione torpere, vt, ſi ſe commouerit, vereamur, ne beatus eſſe non poſſit*. GESTIT FARTVM FACERE EX HOST.] hoc eſt, cupit hoſteis concidere, & comminuere θρίκομμα ἐκ τῶν πολεμίων ποιῆσαι, ſic enim loquitur Ariſtoph. id, quod notarat Simeo Boſius. tractum à fartoribus, qui carnes, vnde farcimina, iſitia, & ſimilia, confecturi ſunt, in minutiſſimas particulas diſſecant. ſic autem legendum eſt, non *fratrem* vt edidit Camerarius: neque *fractum*, vt habent omnes libri vulgati: ſic enim planè habent noſtri libri veteres, & verò iampridem. ſic emendauit, atque explicauit M., Anth. Muretus libro 3. variar. lectionum. cap. 9. niſi quod *farctum* legit, quod minùs rectum eſt. ARTOTROGVS?]
D nomen paraſiti à rodendo dicti: τρώγειν enim apud Græcos, rodere. Paraſitos autem cum muribus, quorum eſt rodere, comparari declarat illud in Captiuis princip. *Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum*. & illud in Perſa. *Pater auos, proauos, abauos, atauos, tritauos, Quaſi mures ſemper edere alienum cibum*. Terent. Eunuch. *Viden', os ſuum, & cibus quid faciat alienus?* PROPTER VIRVM, &c.] prope virum fortẽ, &c. ET FORMA REGIA,] ea forma, quæ decet reges. hoc eſt, egregia corporis pulchritudine, quæ proceritatem habeat cum dignitate quadam coniunctam, qualem Priamum fuiſſe ait poëta quidam. Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος, id eſt, primùm quidem quod ad formam, & ſpeciem attinet, regno dignum. Ariſtot. Polit. lib. 1. & 4. MARS HAVD AVSIT DICERE, &c.] Mars haud auſit commemorare, neque æquiparare virtutes ſuas cum tuis. Quidam legẽdum exiſtimant, *Mars haud auſit hiſcere, Neque æquipa.* quam lectionem, quamuis non improbem, multo magis probarem, ſi codicum veterum auctoritate niteretur. QVÉMNE EGO SERVAVI IN CAMPIS GVRGVSTID. &c.] eúmne Martem dicis mecum cõtendere non auſurum, quem ego ſeruaui in campis, &c. Iam campi Gurguſtidonij, campi ſunt numquam à quoquam mortali nato viſi, atque à Plauto in perſona Militis glorioſi facetè, & vrbanè conficti: quemadmodum & nomen Imperatoris, quod ſequitur, ridiculè confictum eſt. NEPTVNI NEPOS] ſic Sext. Pompeius, Pompei filius, ſe Neptuni filium prædicabat. Ex quo Neptunium ducem appellat Flaccus oda 9. epod. NEMPE ILLVM DICIS CVM AR.

AVR.]nempe illum dicis armis aureis inſignem. CVIVS TV LEGIONES DIFFL. SP.] A cuius tu legiones ſolo ſpiritu & ſine armis diſſipaſti. Nonius difflare, inquit, eſt flatu diſturbare. deinde hunc verſum profert. QVASI VENTVS FOLIA] vt ventus folia flatu diſſipare ſolet. AVT PANNICVLAM TECTORIAM]libri omnes & vulgati, & manuſcripti, quos quidem viderim, habent *penniculum tectorium.* quæ lectio ferri non poteſt. Peniculum enim dicunt Latini vnico, n, non péniculum duobus. eſt autem peniculus tectorius, quo parietes dealbantur, conficitur autem, & conſtat è ſetis porcinis, aut è pilis caudæ equinæ. peniculos tectorios commemorat Plin. lib. 28. cap. 17. his verbis. *In ambuſtis vrſinus adeps cum lilij radicibus: aprinus, aut ſuillus fimus inueteratus: ſetarum, ex his, è penicillis tectoriis cinis, cum adipe tritus*: ſubintell. ἀπὸ κοινοῦ. *proficit.* Sed cùm talis peniculus non tam facilè à vento diſſipetur, quàm folia. hîc autem perſpicuè Plautus duas res ſumſerit, quæ facillimè à vento diſſipentur. Adrian. Turnebo aſſentior, qui legendum cenſet, *panniculam tectoriam*. Eſt autem pannicula in arundine, caput arundinis, floris, aut tenuis membranæ ſimile. Plin. lib. 16. cap. 36. vbi de arundinibus ſcribit. *Tegulo autem earum, (arundinum) domus ſuas Septentrionales populi operiunt, durántque æuis tecta alta. & in reliquo verò orbe cameras leuiſſimè ſuſpendũt*, &c. ſequitur non longè. *Cæterùm gracilitas nodis diſtincta læui faſtigio tenuatur in cacumina, craſſiore panniculæ coma, neque hac ſuperuacua. aut enim pro pluma ſtrata cauponarum replet, aut vbi limoſiore callo induruit, ſicut in Belgis contuſa, & interiecta nauium commiſſuris ferruminat textus, glutine* B *tenacior, rimiſque explendis pice fidelior.* PRÆVT ALIA DICAM]id eſt præ aliis quæ dicam, quæ &c. TV QVÆ NVNQVAM FECERIS PERIVRIOREM, &c.]hæc dicuntur à paraſito, militem deridente, verſa ad ſpectatores oratione, quale illud eſt apud Terent. in Eunuch. *plus millies iam audiui.* AVT GLORIARVM PLENIOREM]aut glorioſiorem, &c. ſic Demoſthen. de Midia in oratione, χαλὰ μεσδὶ ὑπερηφανίας μεστός. QVÀM ILLHIC EST.] quàm ille eſt. ME SIBI HABETO.] ſubintellige, mancipio, id eſt, emito me ſibi, ea lege, vt ei præſtem omne periculum. vel dic potiùs, me ſibi habeto, ſimpliciter, nulla re ſubintellecta, id eſt, me ſibi emito: vel me ſibi contubernalem & hoſpitem habeto. ET, EGO ME ILLI MANCVPIO DABO] & ego ei me ea lege addicam, vt omne euictionis periculum ei præſtetur. quid ſit mancupio, ſeu mancipio dare, alibi dictum eſt. NI VNVM EPITYRVM APVD ILLVM] proinde quaſi dicat ſeruum edacem emerit, ſi me emerit. vel hoſpitem edacem acceperit, ſi me acceperit. nam vnum epityrum apud eum inſanè eadem: ſed hic locus formulam ſponſionis olet, hoc modo, ni vnum epityrum apud illũ inſanè edam, ego me illi mancupio dabo. Epityrum, inquit Varro, lib. 6. de lingua Lat. vocabulum eſt cibi, quo frequentiùs Sicilia, quàm Italia eſt vſa. Idem Plautus cùm vehementer dicere vellet, dixit *inſanè*, quod inſani faciunt omnia vehementer. Nomen epityri autem compoſitum eſt, ex præpoſitione ἐπὶ, & C τυρὸς, quod caſeum ſignificat. ex quo ſuſpicari poſſit aliquis, epityrum eſſe polentam caſeatam, quam commemorat Apuleius libro 1. Eſt autem polenta Græcorum & Siculorum cibus, qui comœdiæ palliatæ conuenit. Quomodo autem fiat epityrum docet Cato, cap. 119. vbi nulla fit caſei mentio in eius cibi confectione. Ego arbitrabar epityrum ſine caſeo conſtare non poſſe: atque idcirco caſei mẽtionem nullam fieri, quòd ſit pars epityri præcipua, & prima: cæteræ, ſint acceſſiones. Sed Columela li. 12. cap. 27. perſpicuè oſtendit epityrum omni caſeo vacare. Quærat igitur hac de re, lector, minùs quàm ego occupatus. Ego aliò propero, & aliis negotiis vrgeor. VEL ELEFANTO, &c.]vel, pro, etiam, vel quamuis, vt apud Terent. in Eunuch. *Ego illum Eunuchum ſi ſit opus, vel ſobrius.* nam, vel ſobrius, hoc eſt, etiam ſobrius, aut quamuis ſobrius. ſic idem Terent. in Heautont. *Vel heri in vino quàm immodeſtus fuiſti.* PERFREGISTI BRACHIVM]iocus eſt ex ambiguo: quod vidit Simeo Boſius, amicus meus. ſignificat enim obſcurè paraſitus, militem, dum aliquem olim manu cędere conatur, pœne ſibi brachium perfregiſſe, per elefantum, militem ſignificans, quod ſit inſtar elefanti magna beſtia, & quòd ſit ſtolidus, hebes, & quaſi ἀναίσθητος, vt elefantus, propter corij duritiem. ſic infrà eadem fabula *herus meus* D *elefanti corio circumtectus eſt, non ſuo.* AT INDILIGENTER HÎC ERAM] id eſt, atqui ego in hoc negotio parùm laborabam, neque magnopere contendebã, neque totis viribus connitebar, ſed molli brachio pugnabam. ἀλλ᾽ ἐνταῦθα ἐρρᾳθύμουν. POL, SI QVIDEM CONNIXVS ESSES, &c.]pol ſi quidem valde contendiſſes, &c. ſi vires tuas extentaſſes, atque expromſiſſes, &c. NOLO ISTHÆC HIC NVNC.] ſubintell. commemorare, ſeu narrare. VENTER CREAT HAS ÆRVMNAS.] ventris cauſa hæc mihi ſunt audienda: propter ventrem, hæ moleſtiæ mihi ſunt perferendæ, &c. hæc loquitur paraſitus, oratione ad ſpectatores à milite auerſa. NE DENTES DENTIANT.]id eſt, ne dentes grandeſcant, vel potiùs, ne doleant. dentire eſt, quod Græci dicunt, ὀδοντοφυεῖν, hoc eſt, denteis primùm emittere. & ita interpretatur Gaza apud Ariſtotelem lib. 7. cap. 10. de Hiſto. animalium. At cùm dentes primulùm naſcuntur, nemo eſt, qui neſciat, pueris denteis dolere. ET ASSENTIENDVM EST, QVIDQVID HIC MENTIBITVR]& quidquid hic miles mentiendum, ei approbandum eſt nutu, & verbis. Sic autem legendum eſt, non, *Et aſſentandum eſt.* vt alibi oſtendimus, non vno loco. vnum indicabo illum, qui eſt in Menæchm. ibi. *Bene res geritur, aſſentibor, quidquid dicet, mulieri.* Iam *aſſentiendum*, hoc loco quattuor ſyllabarum erit, carminis cauſa, duabus ſyllabis in vnam coaleſcẽtibus, per ſinizeſin. Tum *mentibitur* antiquè, pro mentietur, poſitum eſt. vt apud Horat. oda. 23.



A oda. 23. lib. 3. *Mollibit auerſos Penates*, &c. Terent. in Hecyra. *Matris ſeruibo commodis.* QVIDQVID EST]quidquid ſit iſtud, memini, & ſcio, & tibi aſſentio eſſe verum. VIS ROGARE?] ſubintell. vtendas? vis à me commodatò petere? proinde ac ſi dicat, accipe à me vtendas, ſi vis. Solebant autem milites, & maxime centuriones, & ſimiles, tabellas circumferre, in quibus mercenariorum militum nomina conſcribebant, vt ſcirent, quibus ſtipendium deberetur. infrà eadem ſcena. *Videtur tempus eſſe, vt eamus ad forum, vt in tabellis, quos conſignaui hîc heri Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.* MEDITATÈ]accuratè, ſtudioſè. VT PRÆVOLET MIHI, QVÒ TV VELIS]vt animus eò, quò tu velis, hoc eſt, quò tu intendas, mihi antè aduolet, hoc eſt, celeriter eat. Quidam legunt, *quod tu velis*, hac ſententia, vt, id, quod tu velis, mihi antè aduolet. Ego nihil mutare auſim. ECQVID MEMINISTI?]numquid meminiſti? SYCOLATRONIDÆ] Latrones, ſycophantæ. nomen ridiculi cauſa confictum à Plauto. SEPTEM MILLIA]reſponſio perſpicuè mendax, & falſa. quis non videt? Sed talis eſt aſſentator. ſemper auget: vt apud Terent. in Eunuch. cùm dixiſſet Miles. *Magnas verò agere gratias Thais mihi?* reſpondet Gnatho, *ingenteis*: quod notauit & M. Tul. in Lælio. Si quis autem volet egregiam aſſentatoris deſcriptionem præter Plautinam videre, legat Luciani Timonem miſanthrópon. ÆDEPOL MEMORIA B EST OPTIMA]ſubintellig. tua. ſed legendum arbitror *memoria eſt optima.* OFFA ME MONET]offa mihi aurem vellit. offa mihi memoriam refricat, offa facit, vt meminerim. DVM TALEM FACIES, QVALEM ADHVC, &c.] dum talem me tuo ſermone facies, qualem vſque adhuc feciſti, id eſt, dum me ita laudabis, vt adhuc laudaſti, &c. vel ſic, dum ſic me deſcribes, & talem me prædicabis, qualem vſque adhuc prædicaſti: aſſiduè comedes, neque vmquam eſuries. ſic Terent. Adelph. *Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum. Virtutes narro.* C. *meas?* S. *tuas.* Plautus Aſin. *Extemplò facetum facio me, atque magnificum virum.* ASSIDVÒ EDES:] aſſiduè comedes. COMMVNICABO TE S. M. M.]impertiã te ſemper menſa mea. communicabo tecum ſemper menſam meam. participem te ſemper faciã menſæ meæ. QVID IN CAPPADOCIA? VBI, &c.]quid tua in Cappadocia facinora commemorem? vbi quingentos, &c. mira hyperbole, cum occulta irriſione coniuncta. AT PEDITATVS RELIQVIÆ ERANT, SI VIVER.]At pedites illi quingenti totius peditatus erant reliquiæ, ſi viuerent, id eſt, ſi vlli eſſent. iocus. ſignificat pedites nullos fuiſſe. Ita, dum hic paraſitus laudare militem videtur, deridet. NEQ. HERCLE INIVR. QVI SIS TAM P.] nec hercle iniuria te amant, quippe qui ſis tam pulcher. VT VEL ILLÆ, &c.]vel, pro etiã, vt ſuprà non longè. *vel elefanto in India*, &c. & apud Terent. in Eunuch. *vel rex ſemper Maximas mihi agebat, quidquid feceram:* C *aliis non item.* Idem in Andr. *Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum?* ad quem locum notat Donatus, vel, hîc non eſt diſiunctiua coniunctio, ſed pro etiam poſita, vt apud Virgil. *Vel Priamo miſeranda manus.* &, *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* QVAE HERE PALLIO ME REPRENDÊRE.]ſic habent noſtri codices veteres: & ita potiùs legendum, quamquam *reprehendêre* non damno. nam ferri id quoq. poteſt. neque lex carminis repugnat. nam reprehendêre, non niſi quattuor ſyllabarum eſt, vt reprendêre. Porrò reprehendere, ſeu reprendêre, interpretor, retrò prehenderũt. *here* autem valet idem, quod, *heri.* HÎCINE ACHILLES EST, INQVIT, TIBI?] Achilles omnium Græcorum, ſine exceptione, fuit & pulcherrimus, & fortiſſimus: quemadmodum contrà Therſites omnium fuit deformiſſimus, & ignauiſsimus. Homerus ἰλιάδ. A. INNVIT ILL. ALT.] innuit, id eſt, nutu aliquid, quod fieri vellet, ſignificauit. Videtur legendum, annuit, hoc eſt, nutu aſſenſa eſt, vel nutu, quod dixeram, approbauit. CAESARIES QVÀM DECET]cæſaries. coma virilis, capillus virilis. dicta eſt autem à cædendo, vel quod non cædatur, vel quod cædatur. Conſtat porrò, Græcos capillatos eſſe, & comam alere conſueuiſſe. ex quo crebrum eſt apud Homerum, χαρηκομόωντες Achei. QVAE ME AMBAE OBSECRAVERINT, VT, &c.] quid hoc à me quæris, itâne mecũ locutæ ſint illæ mu- D lieres, quæ me ambæ obſecrauerint, Vt te hodie, quaſi pompam, illac ante earum ædeis traducerem? PRAETER DVCEREM?]*præter* hîc valet antè, vt notant grammatici veteres. ſic libro 3. Accuſationum. *præter oculos Lollij hæc omnia ferebant.* præter oculos, hoc eſt, ante oculos. pompa duci autem vſitatè dicitur, vt in Caſina. *Redit eccum tandem obſonatu eius adiutor: pompam ducit.* NIMIA EST MISERIA, &c.] profert hunc verſum Donatus ad illum Terentij in Eunucho. *Omnia priùs experiri, quàm armis ſapientem decet.* his verbis. Animaduerte quantam vim habeant ad delectandum in comœdiis ſeueræ ſententiæ, cùm à ridiculis perſonis proferantur: quale eſt illud apud Plaut. vbi miles ſuam formam admirãs, ait, *Nimia'ſt miſeria pulcr. eſſe hom. nim.* VT TVO NON LICEAT OP. D. N.]adeò vt mihi non liceat tui rei gerendæ operam dare. VT IN TABELLIS QVOS CONSIG. &c.]ordo, & ſententia eſt, ibus, hoc eſt, iis latronibus, quos latrones heri conſignaui, hoc eſt, notaui, ſeu conſcripſi in tabellis, dinumerem, id eſt, diſſoluam, ſtipendium, hoc eſt, mercedem militiæ. LATRONES,]Feſtus latrones, inquit, eos antiqui dicebant, qui conducti militabant ἀπὸ τῆς λατρείας. Varr. autem lib. 6. de lingua Lat. vult dictos eſſe latrones à latere, quaſi laterones, quòd aſſiſtunt lateri, & quia circa latera regis ſunt: quos nunc ſtipatores appellant, & ſatellites: vel quia ad latera ferrum habent: vel quia mercede conducuntur. Ea enim merces dicitur Græce λάτρον. Ab eo, inquit, veteres poëtæ nonnumquam milites apppellant latrones, quod item vti milites cum ferro ſtent, aut quòd lateant ad inſidias

faciendas.Seruius ad illud Virgil.lib.12.Æneid.princip. *Fixúmque latronis Impauidus frangit telum,* A &c.modò latronis,inquit,& eſt Græcum:nam λατρεύειν,dicũt obſequi, & mercede ſeruire.vnde latrones vocantur conducti milites.moris autem erat, vt hos imperator & circa ſe haberet, & primos ad omne diſcrimen mitteret, &c.ſequitur. Varro tamen dicit hoc nomen poſſe habere etiam Latinam etymologiam,vt latrones dicti ſint,quaſi laterones,&c. deinde hũc locum profert. IBVS]iis.Nonius,ibus pro iis minùs Latinum putat conſuetudo,cùm veterum auctoritate plurimum valeat.profert deinde exempla ex Titinnio, & ex Plaut. hunc ipſum locum & ex Pomponio hæc verba.*Nunc quando voluiſti facere,fac voluptati ſies ibus.*ſic ſuprà in Curcul. hibus, pro his. OPERE ORAVIT MAXIMO] orauit maximopere,ſeu maximo opere. COGEREM.]colligerem συνάγοιμι. ET CONSCRIBEREM] conſcribere milites, vſitatum loquendi genus probatis latini ſermonis auctoribus. M. Tull.pro Milone. *Seruorum exercitus illum in vrbe conſcripturum fuiſſe,per quos totam Remp.rẽſque priuatas omnium poßideret?* Idem pro Sextio, *Cùm vicatim homines conſcriberentur,decuriarentur ad vim,ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur.* Idem lib.12.epiſt.ad Caſſ.&c.*Milites circiter 30.quos Dolabella conſcripſerat,* &c.Pompeius Domitio lib.8.epiſt.ad Attic.*Neque enim eorum militum,quos mecum habeo,voluntati ſatis confido,vt de omnibus fortunis reip.dimicem:neque etiam qui ex dilectibus conſcripti ſunt à conſulibus,conuenerunt.*

B

## PALÆSTRIO.

MIhi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,
Si ad auſcultandum veſtra erit benignitas.
Qui autem auſcultare nolit,exſurgat foras,
Vt ſit vbi ſedeat ille,qui auſcultare volt.
Nunc,qua aſſediſtis cauſa,in feſtiuo loco,
Comœdiæ,quam nos modò acturi ſumus,
Et argumentum,& nomen vobis eloquar.
Alazon Græcè huic nomen eſt comœdiæ,
Id nos Latinè glorioſum dicimus.
C
Hoc oppidum Epheſu'ſt:inde'ſt miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit,glorioſus,impudens,
Stercoreus,plenus periurij atque adulterij.
Ait ſeſe vltrò omneis mulieres ſectarier:
Is deridiculu'ſt,quàquà incedit,omnibus.
Itaque hic meretrices labiis dum ductant eum,
Maiorem partem videas valgis ſuauiis.
Nam ego haud diu apud hunc ſeruitutem ſeruio,
Id volo vos ſcire,quomodo ad hunc deuenerim
In ſeruitutem,ab eo,cui ſeruiui prius.
D
Date operam.nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adoleſcens optumus.
Is amabat meretricem æquè Athenis Atticis,
Et illa illum contrà,qui eſt amor cultu optimus.
Is publicè legatus Naupactum hinc fuit.
Magnaï reiipublicaï gratia.
Interim vt hic miles fortè Athenas áduenit,
Inſinuat ſeſe ad illam amicam heri mei.
Occœpit eius matri ſuppalparier,
Vino,ornamentis,opipariſque obſoniis,
Itaque intimum ibi ſe miles apud lenam facit,





A
Vbi primum euenit militi huic occaſio,
Subleuit os illæ lenæ & matri mulieris,
Quam herus meus amabat.nam is illius filiam
Coniicit in nauem miles clam matrem ſuam.
Eámque inuitam huc mulierem in Epheſum aduehit,
Ego quanto citiùs poſſum,mihi nauem paro,
Vbi amicam herilem Athenis auectam ſcio.
Inſcendo,vt eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Vbi ſumus prouecti in altum,id quod volunt,
Capiunt prædones nauem illam,vbi vectus fui.
Priùs perij,quàm ad herum veni,quò ire occœperam.
B
Ille,me qui cepit,dat me huic dono militi.
Hic poſtquam in ædeis me ad ſe deduxit domum,
Video illam amicam herilem,Athenis quæ fuit.
Vbi contrà aſpexit me,oculis mihi ſignum dedit,
Ne ſe appellarem:inde,poſtquàm occaſio eſt,
Conqueritur mecum mulier fortunas ſuas.
Ait ſeſe Athenas fugere cupere ex hac domu,
Seſe illum amare meum herum,Athenis qui fuit.
Neque peius quemquam odiſſe,quàm iſtum militem.
Ego,quoniam inſpexi mulieris ſententiam,
Cepi tabellas,conſignaui clanculum:
C
Dedi mercatori,qui ad illum deferat
Meum herum,qui Athenis fuerat,qui hanc amauerat,
Vt is huc veniret.is non ſpreuit nuntium.
Nam & venit,& is in proximo hîc deuortitur
Apud ſuum paternum hoſpitem,lepidum ſenem,
Itaque ille amanti ſuo hoſpiti morem gerit.
Noſque opera,conſilióque adhortatur,iuuat.
Itaque ego paraui hîc intus magnas machinas,
Qui amanteis vnà inter ſe facerem conuenas.
Nam vnum conclaue concubinæ quod dedit
D
Miles,quò nemo niſi eapſe inferret pedem,
In eo conclaui ego perfodi parietem.
Qua commeatus clàm eſſet hinc huic mulieri.
Et ſene ſciente hoc feci.is conſilium dedit.
Nam meus conſeruus eſt homo haud magni pretij,
Quem concubinæ miles cuſtodem addidit,
Ei nos facetis fabricis,& doctis dolis
Glaucomam ob oculos obiiciemus:eúmque ita
Faciemus,vt,quod viderit,non viderit.
Et mox,ne erretis,hæc duarum hodie vicem
Et hic,& illic mulier feret imaginem,
Atque eadem erit.verùm alia eſſe aſſimulabitur,

Ita ſublinitum'ſt os cuſtodi mulieris. A
Sed foris concrepuit hinc à vicino ſene.
Ipſe exit:hic ille eſt lepidus, quem dixi, ſenex.

COMITAS] comitas maximè in ſermone locum habet: éſtque quaſi ad loquendum prompta hilaritas,& facilitas,& commoditas. M. Tullius pro L. Cor. Balbo. *Comes benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur.* BENIGNITAS] liberalitas, commoditas. NVNC, QVA ASSEDISTIS CAVSA IN F. L. &c.] ordo,& ſententia eſt. Nunc & argumentum, & nomen vobis eloquar comœdiæ, quam nos modo acturi ſumus: propter quam cauſam, hoc eſt, cuius comœdiæ ſpectandæ & audiendæ gratia conſediſtis in feſtiuo loco. ALAZON.] ἀλαζὼν, arrogans,& vt Plautus ipſe interpretatur, glorioſus. Ariſtoteles libro 4. cap. 7. de Moribus ad Nicoma. ſcribit, ἀλαζόνα plus ſibi tribuere ſolere earum rerum, quæ laudi & gloriæ vertuntur, quàm re vera inſit: & ei opponit εἴρωνα: qualis fuit apud Græcos Socrates, apud Romanos Lælius. INDE'ST MILES, &c.] Epheſius eſt miles, herus meus. Sic autem legendum, vt edidimus, *inde'ſt*, non vt vulgò, *idem'ſt miles*, &c. STERCOREVS] ſtercoris inſtar putidus. B AIT SESE VLTRO OMNES MVL. SECT.] ait mulieres vltro, id eſt, non vocatas, aut rogatas ſe ſectarier, ſermo ambiguus eſt: ſed quæ ſententia ſit, ſatis apparet. ſignificat enim paraſitus dicere militem, ſe à mulieribus vltro peti,& coli. DERIDICVLV'ST] valde ridiculus eſt omnibus, &c. QVÀ QVÀ INCEDIT.] quacumque incedit. LABIIS DVM DVCTANT EVM, &c.] dum mulieres labris ad oſculum compoſitis eum lactant,& captant &c. MAIOREM PARTEM VIDEAS VALGIS SVAVIIS.] id eſt, maiorem partem meretricum videas obtortis oſculis. Valgia, inquit, Fulgentius ſunt labrorum obtortiones, in ſupinatione, vel ſubatione peractæ. Deinde profert hunc Plauti verſum, profert & verſiculum Petronij Arbitri opinor imperfectum, *Abroſo valgiter labello.* Et quoniam Petronij Arbitri mentio facta eſt, libet alium eius locum ex ſatyris proferre, ab hoc Plautino non valde alienum, ibi, *Et quia conſiderantium hæſerant vultus, quidquid à ſpectaculo vacabat, commouebat valgiter labra,& me tamquam furtiuis ſubinde oſculis verberabat.* vbi tamen vulgò pro valgiter legitur, obiter. SERVITVTEM SERVIO.] ſuprà in Aulula: *Nam qui amanti hero ſeruitutem ſeruit, quaſi ego ſeruio,* &c. In Captiuis. *Me hîc valere,& ſeruitutem ſeruire huic homini optimo.* AB EO, CVI SERVIVI PR.] à Pleuſide. DATE OPERAM] ſubintell. mihi, hoc eſt, diligenter attendite, & adeſte animis. C ERAT HERVS ATHEN. MIHI ADOLESCENS OPT.] Pleuſides. MERETRICEM] Philocomaſium. ÆQVÈ ATHENIS ATTICIS] vt natus erat Athenis, ita amabat Athenis puellam Philocomaſium. Athenis Atticis autem ſic dictum à Plauto, vt dixit Lucilius Capuam campanam, quod notarat Simeo Boſius ſic ſuprà in Epid. *Fateor me omnium hominum eſſe Athenis Atticis minimi preti.* QVI EST AMOR CVLTV OPT.] amor mutuus eſt cultu optimus, amorem mutuum colere, optimum eſt. MAGNAÏ REIIPVBLICAÏ GRATIA] ſic reſtituit hunc verſum & ſuperiorem Faërnus. Nam Camerarius ſic edidit mendoſè, *Is publicè legatus Naupactum fuit Magna reipublicæ, namque hic in gratia'ſt.* quaſi hæc eſſet ſententia, namque hic adoleſcens herus meus magna apud remp. ſuam in gratia eſt: ſeu multum apud remp. ſuam gratia valet: ſed non eſt neceſſe. προσεργεῖν. ſic enim, vt edidimus, legendum. VT HIC MILES, &c.] id eſt, vbi hic miles, &c. vel cùm hic miles, &c. INSINVAT SESE AD ILL. AM. H. M.] ſic ſuprà in Ciſtellaria. *Inde in amicitiam inſinuauit cum matre,& mecum ſimul, Blanditiis, muneribus, donis.* SVPPALPARIER.] ſuppalpari. quid ſit palpare, ſeu palpari diximus ſuprà in Amphitr. ibi, *obſeruatote, quàm blandè mulieri palpabitur.* INTIMVM] amicum familiariſſimum,& eximium,& eiuſmodi, vt quouis tempore domum intromitteretur,& ad omnia conſilia arcana adhiberetur. D M. Tullius epiſt. libro 3. epiſt. 1. *Valde hominem diligo: eſt ex meis domeſticis, atque intimis familiaribus.* Idem Catilin. 2. *nemo eſt in ludo gladiatorio paullò ad facinus audacior, qui ſe non intimum Catilinæ eſſe fateatur.* Terent. Eunuch. *tute ſcis, poſt illa quàm intumum Habeam te,& mea conſilia vt tibi credam omnia.* SVBLEVIT OS ILLÆ LENAE, &c.] decepit lenam illam. quid ſit os alicui ſubleuere, diximus ſuprà in Aulul. ibi, *ea ſubleuit os mihi pœniſſimè.* & præterea in Capt. ibi. *Ita mihi ſtolido ſurſum, vorſum os ſubleuere offuciis.* Iam verò *illæ*, antiquum pro *illi*, de quo alibi. CLAM MATREM SVAM] clam matre ſua. ſuprà in prolog. Amphitr. *Is amare occœpit Alcumenam clam virum.* *ſuam* autem reciprocatur ad *filiam*, hoc modo, coniicit filiam eius in nauem clam matrem ſuam, id eſt, clam matre puellæ & filiæ, quæ reciprocatio vitio caret. ADVEHIT] al. auehit. EGO QVANTO CITIVS POSSVM] id eſt, quàm citiſſimè poſſum, tanto citius, quanto citius poſſum. Libri vulgati habent *quantum vnus poſſum.* quam ſcripturam reieci, quantum citius poſſum, quod reperi in manuſcriptis modicè commutaui,& ex *quantum* feci *quanto*, quod mea ſententia, rectum eſt. VBI AMICAM, &c.] poſtquam amicam, &c. INSCENDO.] nauem. ſic ſuprà in Menæch. dixit, *currum inſcendere.* VBI SVMVS PROVECTI IN ALTVM, &c.] poſtquàm in altum mare à litore nauigando progreſſi ſumus. Lucret. tranſlatè dixit lib. 5. *Idq́ minutatim vitam prouexit in altum.* & M. Tull. lib. 4. Tuſcul. quæſt. *ipſáque*



A *ipſáque ſibi imbecillitas indulget, in altúmque prouehitur imprudens.* ID QVOD VOLVNT] quod illi optarunt. VBI VECTVS FVI] in qua vectus fui. PRIVS PERII, QVÀM AD H. V.] in medio curſu captus ſum. QVÒ] ad quem. ILLE ME, QVI CEP.] prædo, qui me cepit. OCVLIS MIHI SIGN. D.] oculis mihi ſignificauit, ne ſe nominatim appellarem, nictauit. CONQVERITVR MECVM MVL. FORT. S.] conquerendi verbum iunxit cum accuſandi caſu, vt ſolent boni latinitatis auctores. ſic ſuprà in Amphitr. *Satius eſt me queri illo modo ſeruitutem hodie.* EX HAC DOMV] ex hac domo. INSPEXI] cognoui. vel vt loquitur Terent. Intellexi, in And. *Enimuerò Daue, nihil loci'ſt ſegnitiæ, neque ſocordiæ, quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis.* ſic contrà dicimus, oſtendit mihi ſententiam ſuam, hoc eſt, aperuit mihi quid ſentiret, infrà in Sticho. *Nam propemodum iam oſtendit ſententiam ſuam.* Terent. in Heauton. *Non, vt meus, qui mihi per alium oſtendit ſententiam ſuam.* CONSIGNAVI CLANCVLVM] exaraui clanculum: conſcripſi litteras clam milite. IN PROXIMO HÎC DEVORT.] in hac vicinia, in his ædibus deuerſatur. APVD SVVM PATERN. HOSP.] Periplectomenem Epheſium. ILLE] Periplectomenes. SVO HOSPITI MOREM GERIT.] Pleuſidi obſequitur,& ſe commodum præbet. PARAVI HÎC INTVS MAGNAS MACHINAS] tralatio eſt. ſignificat enim ſe paraſſe magnas techinas, ſiue arteis, ac fallacias. QVÎ AMANTEIS VNÀ B INTER SE CONVENIRENT.] vt mea opera amantes poſſent inter ſe conuenire, & colloqui, vel vt amantibus facerem conueniendi,& congrediendi copiam. NISI EAPSE,] niſi ea ipſa. ſic Feſtus eapſe, inquit, ea ipſa. Idem Plautus in Curcul. *Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia, Sed eapſe illa, qua exſcidionem facere condidici oppidis.* Idem in Aulul. eampſe vſurpauit, pro, eam ipſam. Sic ille, *credo ego illum vt iuſsi, eampſe anum adiiſſe,* &c. INFERRET PEDEM] introiret. ſic ſuprà in Amphit. *Neque meum pedem huc intuli etiã in ædeis,* &c. & in Menæchm. *qui huc in hanc vrbem pedem Niſi hodie, numquam intro tetulit?* QVA COMMEATVS CLAM, &c.] ſic ſuprà in poſteriore argumento, *medium parietem perfodit ſeruus, commeatus clanculum, quà foret amantum.* CVSTODEM ADDIDIT] cuſtodem appoſuit, cuſtodiæ mulieris præfecit. ſed cuſtodem addere, vſitatè,& ſignificanter dictum ſuprà in Aulul. *Quem* (Argum) *quondam Ioni Iuno cuſtodem addidit.* ad quem verſum plura,& ad illum locum Horatij oda 4. libro 3. *Incontinentis nec Titij iecur Relinquit ales nequitiæ additus cuſtos.* FACETIS FABRICIS,] lepidis machinis ac fallaciis. ET DOCTIS DOLIS] callidis aſtutiis. GLAVCOMAM OB OCVLOS OBIICIEMVS.] profert hunc locum Priſcia. lib. 6. Eſt autem glaucoma, vitium oculorum, cuius vitij cauſa efficiens eſt ſiccitas, à qua tranſmutatur humor cryſtallinus in glaucum, vel denſatur,& exſiccatur. Ex quo nonnulli C exiſtimant ξηροφθαλμίαν & glaucoma idem eſſe, cùm ſit autem vſitatius glaucoma, tis, in quinta inflectione. Plautus in prima dixit glaucomam, vt in Amphitr. ſchemam, & alibi chlamydam, vt alij ſyrmam, diademam, &c. de quibus Priſcian. libro commemorato. De glaucomate Celſus lib. 6. quamquam non glaucoma, ſed ſuffuſionẽ appellat, eam ſcilicet, quam Græci ὑπόχυσιν vocant. Plin. Glaucoma ſemper nominat exempli cauſa lib. 29. cap. 6. *Oua perdicum in vaſe æreo decocta cum melle, vlceribus oculorum,& glaucomatis medentur.* OB OCVLOS] Scæledri cuſtodis. EÚMQVE ITA FACIEMVS, VT QVOD VID. NON VID.] eúmque faciemus non vidiſſe, quod viderit, vel ſic,& faciemus ita, vt is, quod viderit, non viderit. hoc eſt, faciemus, vt quod viderit, proinde ſit, quaſi non viderit. HAEC MVLIER DVARVM HODIE VICEM, &c.] hæc mulier Philocomaſium duarum vice, ſeu duarum mulierum parteis agens, ſeu duarum mulierum perſonam ſuſtinens, duarum imaginem feret. ITA SVBLINITVM'ST OB CVST. MVL.] ita deceptus eſt cuſtos mulieris Scæledrus. A VICINO SENE.] Periplectomene.

D PERIPLECTOMENES. PALÆSTRIO.

NIſi hercle defregeritis talos, poſthac quemquem in tegulis
Videritis alienum, ego veſtra faciam latera lorea.
Mihi quidem iam arbitri vicini ſunt, meæ quid fiat domi.
Ita per impluuium intrò ſpectant. nunc adeò edico omnibus,
Quemquem à milite hoc videritis hominem in noſtris tegulis,
Extra vnum Palæſtrionem, hunc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam, aut columbam ſe ſectari, aut ſimiam
Dicat. diſperiſtis, ni vſque ad mortem malè mulcaſſitis,
Atque adeò, vt ne legi fraudem faciant talariæ,
Accuratote, vt ſine talis domi agitent conuiuium.

PA. Neſcio quid malefactum noſtra huic familia' eſt, quantum audio. A
Ita hic ſenex talos elidi iuſſit conſeruis meis.
Sed me excepit.nihili facio quid illis faciat ceteris.
Aggrediar hominem:éſtne aduorſum?eſt quaſi collaturus pedem
Quid agis Periplectomene? PE. haud multos homines,ſi optandum foret,
Nunc videre & conuenire,quàm te,mauellem. PA. quid eſt?
Quid negotij eſt? PE. res palàm eſt. PA. quæ res palàm eſt? PE. de tegulis.
Modò neſcio quis inſpectauit veſtrorum familiarium
Per noſtrum impluuium intus apud nos Philocomaſium, atque hoſpitem, B
Oſculanteis. PA. quis homo vidit? PE. tuus conſeruus eſt. PA. quis is homo eſt?
PE. Neſcio,ita abripuit repentè ſeſe ſubitò. PA. ſuſpicor
Me periiſſe. PE. vbi abiit, conclamo. heus quid agis tu inquam in tegulis?
Ille mihi abiens ita reſpondit,ſe ſectari ſimiam.
PA. Væ mihi miſero,cui pereundum'ſt, propter nihili beſtiam.
Sed Philocomaſium hiccine etiam nunc eſt? PE. cùm exibam, hîc erat.
PA. Sis iube tranſire huc,quantum poſſit,ſe vt videant domi C
Familiares:niſi quidem illa nos vult,qui ſerui ſumus,
Propter amorem ſuum omneis crucibus contubernalis dari.
PE. Dixi ego iſtuc,niſi quid aliud vis. PA. volo,hoc dicito,
Paret artem,& diſciplinam, obtineat colorem. PE. quemadmodum?
PA. Vt eum qui hic ſe vidit,vero vincat,vt ne viderit,
Siquidem centies hîc viſa ſit,tamen infitias eat.
Os habet,linguam,perfidiam,malitiam atque audaciam,
Confidentiam,confirmitatem,fraudulentiam.
Qui arguet ſe,eum contrà vincat iureiurando ſuo. D
Domi habet animum falſiloquum,falſificum,falſiiurium,
Domi dolos,domi delenifica facta,domi fallacias.
Nam mulier olitori numquam ſupplicat,ſi qua eſt mala,
Domi habet hortum, & condimenta ad omnes mores maleficos.
PE. Ego iſthæc,ſi erit hîc,nuntiabo.ſed quid eſt Palæſtrio,
Quod voluis aſtutè tecum in corde? PA. paulliſper tace,
Dum ego mihi conſilia in animum conuoco,& dum conſulo
Quid agam.quem dolum doloſo contrà conſeruo parem,
Qui illam hîc vidit oſculantem.id viſum,vt ne viſum ſiet.
PE. Quære:ego hinc abſceſſero abs te.huc interim.illic ſis vide
Quemadmodum abſtitit ſeuera fronte,curas cogitans.

Pectus



A Pectus digitis pultat.cor credo euocaturus eſt foras.
Ecce autem auortit niſus læua.in femine habet læuam manum.
Dextera digitis rationem computat,feriens femur
Dexterum,ita vehementer quod facto opus eſt,ægrè ſuppetit,
Concrepuit digitis,laborat,crebrò commutat ſtatus.
Ecere autem capite nutat,non placet quod repperit,
Quicquid eſt incoctum,non expromit:bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat,columnam mento ſuffulſit ſuo.
Apage,non placet profectò mihi illa ædificatio.
Nam os columnatum poëtæ ineſſe audiui barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant,
B Euge,euge euſcheme me hercle aſtitit,& dulcè,& comœdicè.
Nunquam hodie quieſcet,priuſquam id quod petit,perfecerit.
Habet,opinor.age,ſi quid agis,vigila,ne ſomno ſtude.
Niſi quidem hic agitari mauis varius virgis.quin vigilas?
Tibi ego dico,ebriacus ne ſis?heus te alloquor Palæſtrio,
Vigila,inquam,expergiſcere, inquam, lucet hoc, inquam. PA. audio.
PE. Viden' hoſtis tibi adeſſe?tuóque tergo obſidium?conſule,
Arripe opem, auxiliúmque ad hanc rem properè. hoc non placidè decet.
Anteuenito aliquà alios,aut tu circumduce exercitum.
C Coge in obſidium perduelleis noſtris præſidium para:
Intercludito inimicis commeatum,tibi muni viam,
Qua cibatus,commeatúſque ad te,& legiones tuas
Tutò poſſit peruenire.hanc rem age.res ſubitaria eſt.
Reperi,comminiſcere,cedò calidum conſilium citò,
Quæ hîc ſunt viſa,vt viſa ne ſint:facta infecta vti ſient.
Magnam illic hanc rem incipis.ſis magna munis mœnia.
Tute vnus ſi recipere hoc ad te dicis,confidentia eſt
Nos inimicos profligare poſſe. PA. dico & recipio
Ad me. PE. & ego imperatorem dico. id quod petis. PA. at Iupiter D
Bene te amet. PE. at imperti, amice, me quod commentu's. PA. tace.
Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco. vt ſcias
Iuxtà mecum mea conſilia. PE. ſalua ſumes indidem.
PA. Herus meus elefanti corio circumtectus eſt,non ſuo:
Neque habet plus ſapientiæ, quàm lapis. PE. egomet iſtuc ſcio.
PA. Nunc ſic rationem incipiſſam.ita hanc inſtituam aſtutiam,
Vt Philocomaſio hanc ſororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis adueniſſe,cum amatore aliquo ſuo,
Tam ſimilem,quàm lacte lacti'ſt,& apud te eos hîc deuortier

Dicam hoſpitio. PE. euge,euge, lepidè laudo commentum tuum. A
PA. Vt ſi illic concriminatus ſit aduerſum militem
Hic meus conſeruos,eam vidiſſe cum alieno oſcularier,
Eum arguam vidiſſe apud te contrà conſeruum meum,
Cum ſuo amatore amplexantem atque oſculantem. PE. immò ita optimè.
Idem ego dicam,ſi me exquiret miles. PA. ſed ſimillimas
Dicito eſſe.& Philocomaſio id præcipiendum eſt,vt ſciat,
Ne titubet,ſi quæret ex ea miles. PE. nimis doctum dolum.
Sed ſi ambas videre in vno miles concilio volet,
Quid agimus? PA. facile eſt,trecentæ poſſunt cauſſæ colligi: B
Non domi eſt.abiit ambulatum,dormit,ornatur,lauat,
Prandet,potat,occupata'ſt.operæ non eſt,non poteſt,
Quantumuis prolationum,dum modò nunc prima via
Inducamus,vera vt eſſe credat quæ mentibitur.
PE. Placet vt dicis. PA. intrò abi ergo, &, ſi iſtic eſt mulier, iube
Citò domum tranſire,atque hæc ei monſtra:præcipe,
Vt teneat conſilia noſtra,quemadmodum exorſi ſumus
De gemina ſorore. PE. doctè tibi illam perdoctam dabo.
Numquid aliud? PA. intrò vt abeas. PE. abeo. PA. & quidem ego ibo domum. C
Atque hominem inueſtigando ſumam operam? hinc diſſimulauero.
Qui fuerit conſeruos,qui hodie fuerit ſectatus ſimiam.
Nam ille non potuit,quin ſermone ſuo aliquem familiarium
Participauerit de amica heri,vidiſſe ſeſe eam
Hic in proximo oſculantem cum alieno adoleſcentulo.
Noui morem ego:& tacere noſtrorum ſolus ſcio.
Si inuenio qui vidit,ad eum vineas,pluteóſque agam.
Res parata eſt,vi, pugnandóque hominem capere certa res eſt.
Si ita non reperio,ibo odorans quaſi canis venaticus, D
Vſque donec perſecutus volpem ero veſtigiis.
Sed fores concrepuerunt noſtræ.ego voci moderabo meæ.
Nam illic eſt Philocomaſio cuſtos meus conſeruus.atque it foras.

NISI HERCLE DEFREGERITIS TALOS,&c.]talos,hoc eſt, pedũ parteis poſteriores,&c. Alloquitur ſeruos Periplectomenes.infrà in Trucul. *Quantillo mihi opere nunc perſuaderi poteſt,vt ego his ſuffringam talos totis ædibus?* QVEMQVEM,&c.]quemcumq. in tegulis videritis non domeſticum,&c. EGO VESTRA FACIAM LATERA LOR.]ego veſtra latera ita concidam,& comminuam, vt ex veſtro corio lora fieri poſſint. vel ſic, ego veſtra latera in lora comminuam,& diſſecabo: vel ſic, ego è veſtris lateribus laceratis & cæſis lora conficiam. MIHI QVIDEM IAM ARBITER VICINI S.] hoc eſt, mihi verò iam vicini ita curioſi exſtiterunt,vt proſpicere velint quæ domi meæ gerantur. vicini mei proſpiciunt, quid domi meæ fiat. hoc interdum ſignificat, arbiter. vt apud Horatium in epiſtol. ad Bullatium libro primo. *nam,ſi ratio, & prudentia curas, Non locus effuſi late maris arbiter aufert*, &c. ad quem



A quem locum de hac voce plura. & ſuprà in Ciſtell. *Tuam ſtultitiam ſola facito vt ſcias ſine arbitris.* & in Aulul. *Hinc ego huc, & illuc potero, quid agant, arbitrarier.* PER IMPLVVIVM INTRO SPECTANT.]impluuium,inquit Aſconius ad illud Ciceronis lib.1. Accuſ. *duo ſigna pulcherrima, quæ nũc ad impluuium tuum ſtant,&c. eſt locus ſine tecto in ædibus,quò impluere imber in domũ poſſit.* Varro autem lib.4. de lingua Latina. Impluuium,inquit,locus eſt in medio relictus, qui lucem supernè capiat,quò deorſum impluat. QVEMQVEM À MILITE HOC]quemcumq. ex huius militis ſeruis,&c. EXTRA VNVM PALÆSTR.]excepto vno Palæſtrione, ἔξω ἑνὸς Παλαιστρίωνος. DETVRBATOTE IN V.] deiicitote in viam. præcipitem agitote in viam. QVOD ILLE GALLINAM,&c.]id eſt, Quod ad id attinet,quòd ille dicat,ſe gallinam,aut columbam,aut ſimiam,quæ domo aufugerint, perſequi:nullam accipio cauſam: actum eſt de vobis,niſi eum vſque ad mortẽ verberaueritis. locutio hæc bonis ſcriptoribus vſitata eſt, quam pluribus verbis explicauimus in Aſinar. ibi, *Quòd illa aut amicum ſuum, aut patronum nominet, Aut quòd illa amicam ſuam,aut ſororem prædicet: Fores occluſæ omnibus ſient,niſi tibi.* MALÈ MVLCASSITIS.]malè mulcaueritis. Sic autem legendũ, vt edidimus,non, vt vulgò, *malè mulctaſſitis.* malè mulcaſſitis autem,hoc eſt,verberaueritis,debilitaueritis. ſuprà in Moſtel. ſed eo magis cauto'ſt opus,ne huc exeat qui me malè multet. ad quem locum de hoc verbo plura. VT NE LEGI
B FRAVD. F. TALARIÆ,&c.]iocus eſt ex ambiguo. nam & lex talaria intelligi poteſt,quę ſeruanda eſt,ſeu quæ ponitur in ludo talario, vel in poculis ab eo, qui magiſter conuiuij talorum iactu creatus,ſeu deſignatus eſt: & lex talaria eſt,quam modò ſanxit ſenex, vt defringãtur ei tali, qui alienus in tegulis viſus fuerit: & mox, *ſine talis agitare conuiuium*, ambiguè dictum eſt. nam alterutrum intelligi poteſt,vel vt dicat,ſine talis luſoriis, vel, talis pedum defractis. Vtebantur autem Romani talis in conuiuio,non ſolùm ad cõuiuij magiſtrum creandum,quod fiebat, antequàm accumberent,aut certè antequàm cenare inciperẽt,vt apud Horat. oda 4. lib.1. *Nec regna vini ſortiere talis*,&c. & oda 7. lib.2. *quem Venus arbitrum Dicet bibẽdi?* ſed etiam inter pocula,& poſt pocula. vt apud Plautum in Aſin. *Iace pater talos,vt porrò nos iaciamus*, &c. M. Tull. lib.5. Accuſ. *Iſte enim prætor ſeuerus,ac diligens,qui populi R. legib. numquam paruiſſet,illis diligenter legibus,quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Qui plura hac de re legere volet, videat quæ notauimus apud Horat. ad odam illam 4. lib.1. & odam 7. lib.2. VT NE LEGI FR. FACIANT TAL.] facere fraudem legi, ſenatuſconſulto, conſtitutioni, & ſimil. vſitatum loquendi genus bonis ſcriptoribus M. Tull. lib.4. epiſt. ad Attic. *Facio fraudem ſenatusconſulto. inde domum cenatus,vt ſim manè præſtò Miloni.* Iulianus iuriſconſultus lib.40. digeſt. titulo, Qui, & à quibus manumiſſi, &c. cap.7. *Minor*
C *annis viginti, cùm ſeruum manumittere vellet, nec iuſtam cauſam apud conſilium, manumittendi haberet, tibi, eum, vt manumitteres, dedit. negauit eum Proculus liberum eſſe, quoniam fraus legi facta eſſet.* ACCVRATOTE, VT SINE TALIS,&c.]iocus ex ambiguo. ne fraudem faciant legi talariæ, inquit, accuratote,vt ſine talis domi agent conuiuium. ſine talis duobus modis intelligi poteſt,vel ſine talis luſoriis,quibus vt diximus. in poculis vtebantur,vel ſine talis,hoc eſt,talis pedum eliſis, & defractis. NESCIO QVID MALEFACTVM À NOSTRA HVIC F.] id eſt, neſcio quid in hunc ſenem à noſtra familia peccatum eſt,&c. Sic autem legendum,vt edidimus,non vt habent nonnulli libri vulg. *Neſcio quid malef. noſtræ huic familiæ eſt.* NIHILI FACIO, Q. ILLIS F. C.] pro nihilo duco, quid ceteris illis faciat, modò mihi nihil mali accidat. ÉSTNE ADVORSVM? EST, QVASI COLLATVRVS PED.] éſtne hîc, qui aduerſum me eſt? éſtne hîc,qui mihi è regione eſt? vel ſic,nónne mihi è regione eſt? Reſpondet ipſe ſibi, eſt, quaſi collaturus pedem,id eſt,quaſi mecum congreſſurus. Sic autem hunc verſum expletum reperi in vno codice manuſcripto, quamquam nequid diſſimulem, aliena manu, vt ſuſpicari poſſit aliquis,hoc totum, *collaturus pedem*, non eſſe γνήσιον. verſus tamen nihil habet vitij, ſuiſque omnib. pedibus,ac numeris conſtat. tum ſententia eſt, aptiſſima, & optima. RES PALÀM EST]
D de Philocomaſio, res palàm eſt: nempe eam cum Pleuſide congredi, & colloqui, & oſculari. CVI PEREVNDVM'ST, &c.] nam miles herus meus, ſi rem omnem reſciuerit,& fallacias meas compertas habuerit, me malè mulcabit, me cruciabit. PROPTER NIHILI BESTIAM.]propter ſimiam. HÎC ERAT]apud nos. SIS IVBE TRANSIRE HVC,&c.] iube ſis,id eſt,iube ſi vis eã trãſire ad nos,&c. QVANTVM POSSIT ]quàm citiſſimè poſſit. SE VT VIDEANT DOMI FAM.] vt familiares militis videant ſe,id eſt, ipſam Philocomaſium domi. *videant ſe*,bona reciprocatio eſt. nam ſic procedit oratio,iube ſis eam huc tranſire,quãtum poſſit,ſe vt videant,&c. nam in recto caſu ita diceremus Philocomaſiũ huc tranſiit, vt ſe domi videant familiares. OMNEIS CRVCIB. CONTVB.]nos omneis contubernaleis cruciari,ſeu in cruces tolli. contubernales dicuntur,qui in eodem cõtubernio habitant. non celabo lectorem, me in duobus codicibus manuſcr. reperiſſe hanc vocem ita ſcriptam *contibernaleis*,per i. in ſecunda ſyllaba,quomodo ſcribi debet potiùs. Eſt enim nomen ductum à taberna: taberna à tabulis. a. autem in compoſitione mutatur in i. non in u. ſed dicamus etiam *contubernales*, rectè ſcribi per u. vt dicunt Latini, diſſipo,& diſſupo: recipero,& recupero: optimus,& optumus: maximus,& maxumus: exſilium,& exſulium,&c. qua de re alibi plura. DIXI EGO ISTVC, &c.] ſi nihil aliud mihi mandas, quod Philocomaſio dici velis, iſtuc ego dixi, id eſt, proinde habere debes,ac ſi dixerim. PARET ARTEM, ET DISCIPL.]artem comparet,

artificium adhibeat,ſimulet,diſſimulet,mentiatur,&c. OBTINEAT COLOREM]ne mu- A
tet colorem,ne erubeſcat,néue paleſcat,ſed ſemper eodem ſit vultu,& eodem colore. nam co-
loris mutatio culpam arguit.ſic apud Marc.Tullium, in Cluentiana. *timor eius,perturbatio,ſuſpen-*
*ſus,incertúſque vultus,crebra coloris mutatio,quæ erant antea ſuſpicioſa,hæc aperta ac manifeſta faciebant.* VE-
RÒ VINCAT, VT NE VID.]ſic ſuprà,in Moſtell. *Profectò ita eſſe,vt prædico,verò vincam.* TA-
MEN INFITIAS EAT.] tamen infitietur. auctor vocabularij Latino Græci, quod mihi
vtendum dedit Cl.Puteanus,infitias interpretatur ἄρνησιν. OS HABET.]os perfrictum, du-
rum,ac ferreum,quo non mutato,ea,quæ ſunt,improbè neget: quæ non ſunt,impudenter aſſe-
ueret. LINGVAM,]qua mentiatur & peieret. CONFIRMITATEM.]conſtantiam. QVI
ARGVET SE.] bona reciprocatio. vincat contra eum,qui arguet ſe,&c. DOMI HABET
ANIMVM F.] non eſt neceſſe eum foris quærere animum falſiloquum, &c. quia domi ha-
bet.ſic ſæpè loquitur Plautus,& alij boni ſcript.vt ſuprà in Aſin. *Habeo,opinor,familiare tergum,ne*
*quæram foris*, ad quem locum plura exempla collegimus. FALSIIVRIVM] periurum. falſi-
iurium ſic accipi poteſt,vt ſit nomen adiectiuum,hoc modo,animum falſiiurium: vel vt ſit ſub-
ſtãtiuum,& per ſe ſtet,idémq. valere intelligatur,quod periurium.DELENIFICA FACTA,]
delenifica,id eſt,ad decipiendum comparata θελκτικά, ἀπατηλά. ſed videtur legendum, *Delenifi-*
*ca dicta*,&c. verumtamen ſic, vt edidimus, habent omnes libri:& hæc lectio ferri poteſt, quam- B
uis altera videatur probabilior. NAM MVLIER OLITORI NVMQVAM SVPPL.&c.]
id eſt,nam mulier,quæ mala eſt,non quærit foris malitiam, quam domi habet,neq. à quoquam
ſupplex petit.Genus eſt loquendi illi ſuperiori affine,& Plauto peræquè vſitatum.ſuprà in Bac-
chid. *Domi eſt:non metuo,nec cuiquam ſupplico,Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.* M.Tull.li.5.
de Finib. *Tu verò,inquam,Piſo,vt ſæpe aliàs,ſic hodiè ita iſta noſce viſus es,vt,ſi tui copia nobis ſemper fieret,*
*non multum Græcis ſupplicandum putarem.* DOMI MABET HORTVM,&c.]quia dixerat,mu-
lier, ſi qua eſt mala, numqua olitori ſupplicat, idcirco ſubiicit, Domi habet hortum. nam qui
domi habent hortum, olitori non ſupplicant, neque ab olitore olera petunt. Per hortum au-
tem ſignificat fontem,& copiam malitiarum muliebrium.Et fortaſſe mulierem domi hortum,
habere,ambiguè dixit. hortus enim apud Latinos,vt κῆπος,apud Græcos. ſignificat interdum,
præter vulgatam ſignificationem, membrum mulieris, quod honeſtè nominari non poteſt. ex
quo γυνὴ μανιόκηπος, mulier libidine furens, vel inſanè libidinoſa. Auctor Priapeior. *Quam*
*puero legem fertur dixiſſe Priapus,Verſibus hîc infrà ſcripta duobus erit. Quod meus hortus habet,ſumas impunè*
*licebit, Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.* QVOD VOLVIS ASTVTè,&c.] quod co-
gitas,quod animo verſas,& agitas? ET DVM CONSVLO,]id eſt,& dum conſulto. ID VI-
SVM, VT NE VISVM SIET]ſic ſuprà eadem ſcena, *Vt eum,qui hîc ſe vidit, verò vincat, vt ne* C
*viderit.* ILLIC SIS VIDE, &c.] vide ſis,hoc eſt,vide ſi vis,quemadmodum illic,hoc eſt,ille
procul ſtetit,ſeuera fronte,curas agitans. PECTVS DIGITIS PVLTAT,&c.] deſcribitur
hîc vultus ac geſtus hominis cogitabundi,multáque ac varia ſecum accuratè,& anxiè volutan-
tis. ECCE AVTEM, AVERTIT NISVS LÆVA.] ecce autem, ſe auertit,læua nixus.
IN FEMINE,]in femore. DEXTERA, DIGITIS RATIONEM COMP.] geſtus eſt,
vt diximus, hominis cogitabundi. Sed nonnulli exiſtimant etiam hîc alludi ad veterem nume-
randi morem,per digitos,& manus.Nam cùm x.millia ſignificabant,medio pectori læuam ſu-
pinam admouebant,digitis ad collum erectis:cùm xx.millia, eandem expenſam pectori appo-
nebant:cùm xxx.millia, eadem manu prona, & tamen erecta, pollicem ad cartilaginem medij
pectoris affigebant:cùm xl.millia eandem in vmbilico erectam ſupinabant:cùm l.millia,eiuſ-
dem pronæ,& erectæ pollicem vmbilico applicabant:cùm lx.millia,eadẽ prona femur læuum
comprehendebant:cùm lxx.millia,eandem ſupinam femori item læuo imponebãt: cùm lxxx.
millia,eandem pronam femori admouebant,&c.Hæc ferè Beda. CONCREPVIT DIGI-
TIS,] M.Tull.lib.3.de Officiis. *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim,vt, ſi digitis concrepuerit,poßit in lo-* D
*cupletium teſtamenta nomen eius irrepere:hac vi non vtatur*,&c.QVIDQVID EST INCOCT. NON
EXPR.]quidquid eſt rude,& impolitum:ſeu,quidquid eſt immaturum, & minùs ad id, quod
agitur,accommodatum,reiicit.allegoria eſt à cibo incocto:quem coci ex olla non expromũt.
ECCE AVTEM ÆDIFICAT: COLVM. M. SVFF. S.]ecce autem,inquit,ædificãtis ſpe-
ciem præbet.columnam,hoc eſt,brachium,inſtar columnę,mento ſuppoſuit ſuo.Solent autem
in magnis ædificiis columnæ culminibus ac tectis ſubiici. idcircò dixit, *ædificat*,& continuò,*non*
*placet profectò mihi illa ædificatio.* NAM OS COLVMNATVM POëTÆ INESSE AVD.
BARB.]os columnatum,id eſt,os brachio, tamquam columna ſubniſum. per Poëtam barba-
tum, poëta Næuius ſignificatur, qui inter commentandum, manum mento ſubiicere ſolebat.
Barbarum vocat, more ſuo, ſignificans Latinum, aut Romanum. Nam cùm ſit hæc comœdia
palliata,vt & aliæ omnes Plautinæ,quidquid Gręcum non eſt,barbarum eſt.Qua de re ſuprà in
prologo Aſinar.ibi.*Demophilus ſcripſit:Marcus vertit barbarè*.& in Capt.ibi,*Nunc barbarica lege certum*
*eſt ius meum omne perſequi.* Quin ſignificetur autem per poëtam barbarũ,Næuius,nõ eſt dubium,
ſi Feſto credimus: cuius hæc verba ſunt, in voce *barbari*. Barbari, inquit, dicebantur antiquitus
omnes Gentes,exceptis Græcis.Vnde Plautus Næuium,poëtam Latinum,barbarum dixit, &c.
Traditum porrò memoriæ eſt, cùm ab aliis, tum ab A. Gellio lib.3. cap.3. Næuium comœdias
duas,



A duas, Ariolum, & Leontem in carcere ſcripſiſſe,cùm ob aſſiduam maledicentiam,& probra in
principes ciuitatis,Græcorum poëtarum more,& licẽtia,illata,à Triumuiris capitalibus,in vin-
cula coniectus eſſet. Sed quod de ore columnato diximus, nonnulli flagitioſè accipiunt. Nam
per os columnatum, os irrumatum intelligi volunt:& Næuio oris obſcœnitatem hîc à Plauto
obiectam eſſe dicunt:atque hanc ſententiã ab iis,quæ deinceps ſequuntur,comprobari docent,
vt mox dicemus.Columnatum verò,inquiunt illi,à columna dictum eſt,vt ſit participium ſine
origine verbi,qualia ſunt illa, galeatus,chlamydatus,ſparratus, virgatus,&c. Iam columnã pro
parte corporis virilis inhoneſta à poëtis vſurpari conſtat. exempli cauſa,ab auctoribus Priape-
iorum. *Nimirum tibi ſalſa res videtur, Adſtans inguinibus columna noſtris.* CVI BINI CVSTO-
DES SEMPER TOTIS HORIS ACCVB.]per binos cuſtodes,alij,canes ſignificari vo-
lunt.Sic in Priapeiis,*Ne,dum me colitis,meúmque numen, Cuſtodes habeatis irrumatos*, cuſtodes,hoc eſt,
canes.nam canes, muti cuſtodes appellantur.Columell.lib.7.cap.12. *Nunc,vt exordio priore pollici-*
*tus ſum,de mutis cuſtodibus loquar.quamquam canis,falſò dicitur mutus cuſtos.nam quis hominum clariùs, aut*
*tanta vociferatione beſtiam,vel furem prædicat,quàm iſte latratu?* &c. Propterea autem, quod canes cu-
ſtodes appellantur. *canis* autem,vinculi genus eſt,idcirco Plautus hîc obſcurè per binos cuſto-
des,bina vincula,in quæ Næuius coniectus erat, ſignificat: vt quidam exiſtimant. Sed alij, qui
B huius loci ſententiam,flagitioſam eſſe volunt,& Næuio os impurum à Plauto obiici dicunt,bi-
nos cuſtodes,binos teſticulos interpretãtur,vt os columnatum,hoc eſt,columna illa, quam di-
xi,compreſſum,& bini teſticuli,inter ſe cohæreant.Quin iidem volunt in voce *bini* aliquid ſub-
eſſe flagitij, vt apud M. Tull.in epiſt.illa, cuius principium eſt, *Ama verecundiam.* lib.9.epiſt.ad
familiar.ibi. *Cùm loquimur terni,nihil flagitij dicimus:at,cùm bini, obſcœnum eſt.*Ϲινεῖ,apud Græcos:va-
let,rei Veneriæ operam dare. EVSCHEMè]decorè,honeſtè,ſpecioſè,geſtu decoro, & venu-
ſto: εὐσχημῶς. DVLCè]dulciter,ſuauiter. ET COMOEDICè,]id eſt,& hilariter,ſeu feſtiuè,
ſeu concinnè. NVMQVAM HODIE QVIESCET, &c.] tale illud Maronis in Palæm.
*Numquam hodie effugies:veniam, quocumque vocaris.* AGE, SI QVID AGIS] hoc eſt, propera
agere. ſic ſæpè Plautus loquitur,& item alij. ſuprà in Caſina. *quin datis,ſi quid datis?* In Pœnulo.
*Ite,ſi itis.* Theocr. ὁδοιπ. λέγ', εἴπ λέγεις. VIGILA:NE SOMNO STVDE] νῆφε. VA-
RIVS VIRGIS] cruentus virgis,ita, vt corium tuum non ſit vnius coloris, ſed varij,
propter ſanguinem, ſcilicet, quo variabitur. Sic in Pſeudolo, *Ità ego veſtra latera loris faciam*
*vt validè varia ſint.*Idem in Pœnul. *Domum abeant:vitent ancipiti infortunio,Ne & hîc varientur virgis,*
*& loris domi.* TIBI EGO DICO: EBRIACVS NE SIS. HEVS, TE
C ALL. P.] Sic hunc locum in omnibus libris fœdè corruptum ſanè quàm, præfiſcini dixe-
rim, εὐστόχως emendaui. Nam libri quidem vulgati habent, partim, *feriatus ne ſis:* partim hæſi-
tatus ne ſis:manuſcripti verò, partim an heritatus ne ſis:partim, an euritatus ne ſis: quomodo
edidit Camerarius.Omnino meræ,puræ,putæ tenebræ.Turneb.lib. Aduerſ.2. cap.29. putat le-
gendum, *Tibi ego dico:an heri ius neſcis?* planè ἀπροσδιονύσως, & ἀστόχως.Nunc meæ emendatio-
nis,& cõiecturæ rationem afferam.Hortatus eſt paullo antè ſenex Periplectomenes Palæſtrio-
nem,vt vigilet,ne ſomno ſtudeat.Is hîc aliis verbis idem illũ monet, *ebriacus ne ſis:heus, te alloquor,*
*Palæſtrio.* nam,ebriacus ne ſis,idem valet,quod,fac vigiles: vigila,ne ſomno ſtude. quod Græci
dicunt νῆφε. notum illud Epicharmi, νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν: quod interpretantur omnes,
cautus eſto,ſeu vigilato,& memento non facilè credere:cùm tamen νήφειν, propriè valeat, ſo-
brium eſſe.Hoc ideò quòd,vt qui ſobrij ſunt,vigilantes,& cauti ſunt: ita qui temulenti, atque
ebrioſi,ſomnolenti,& incauti eſſe ſolent. ebrietatis autem medicamentum eſſe ſomnum, teſta-
tur & noſter Plautus apud Nonium, in verbo, *ebriulare.* Sic ille, Plautus in Aulul. *Homo ebriacus*
*ſomno ſanari ſolet.* Tum νηφάλιος ſignificat & ſobrium,& vigilantem,quòd ſobrietas plerumque
cum vigilantia coniuncta eſt.Rectè igitur hoc loco Periplectomenes, Palæſtrionem hortatus,
D vt vigilet,& ne ſomno ſtudeat:continuò ſubiungit, *Tibi ego dico,ne ebriacus ſis.* & iterum non lon-
gè, *Vigila, inquam: expergiſcere.* quæ ſunt inter ſe ἰσόρροπα. Iam quàm facilè deprauari potuerit
*ebriacus*,& ex eo factũ ſit,*euriacus*,& *euricatus*, u.pro b.quis non videt? Sed reſtat ſcrupulus, quòd
libri veteres habent,vel aneuritatus, vel aneuriacus, vel ancuriacus, &c. Quæ ſcripturæ lectori
moroſiori, & faſtidioſiori, cuius generis hominum magna turba eſt, probabilem cauſam ſup-
peditare poſſint, quare hanc meam coniecturam improbet. Quid fiet enim, dicet ille, ſyllaba,
*an?* Hunc ego paucis verbis reſpondebo,eam eſſe adiectam libris veteribus,& hoc nouum vul-
nus antiquo additum. Hoc ſi minus probabit, dicam legi poſſe, ne pereat hæc ſyllaba *inebriacus*
*ne ſis.* ita totius antiquæ ſcripturæ veſtigia in hac noſtra emendatione remanebunt. Quod ad
verſum attinet,ne ſit longior,quàm par ſit,legẽdum erit, *Tibi dico:inebriacus ne ſis:heus,te all.Palæſt.*
& ita erit optimus trochaïcus. LVCET HOC, INQVAM.] ſic legendum,lucet hoc,con-
iunctim:non,vt vulgò, ſeparatim, lucet, hoc inquam. ſic Terent Heautont. *Luciſcit hoc iam.* hoc
autem, δεικτικῶς accipiẽdum.nam digito cælum oſtendit ſenex. VIDEN' HOSTEIS TIBI
ADESSE, TVÓQ. T. OBS.?]allegoria à re militari:totúſq. adeò hic locus vſque ad illa verba
*hanc rem age:* eadem allegoria exornatus eſt. HOC NON PLACIDè DECET.]hoc nego-
tium non clementer, neque otioſè,neq. frigidè accurari decet,ſed celeriter,& acriter,& calidè.
ANTEVENITO ALIQVà AL.]occupato aliqua ratione alios, nempe hoſteis. AVT TV

CIRCVMDVCE EXERCITVM.]circumduci nonnumquam, & explicari ab imperatorib exercitũ,licet ex Polyæno Frontino,T.Liuio, & ceteris intelligere. COGE IN OBSIDIVM PERDVELLEIS]libri omnes & vulgati,& manuſcripti habent,*Curre in obſidium perduellis, ſeu perduelleis*. quam lectionem ſi quis probabit. ſic poterit explicari. Curre, vt obſideas hoſteis. vt nomini *obſidium* intelligamus iunctum eſſe accuſandi caſum,*perduelleis*: proinde ac ſi id nomen eumdem caſum poſtulet,atque verbum, *obſideo*. Verùm omninò placet mihi Camerarij coniectura,qui ex vnius codicis ſcriptura vitiata legendum ſuſpicatur, *Coge in obſidium perduellis*. optima ſententia,& optimo loquendi genere. INTERCLVDITO INIMICIS C.]id eſt, intercludito inimicos commeatu.ſic enim potius loqui ſolet Cæſar. exempli cauſa lib.1. de bello Gallico. *ſiue quòd eos re frumentaria intercludi poſſe confiderent*, &c. CIBATVS] cibus, paſtus, res frumentaria.Lucret.lib.6. *Aut alios hominum paſtus, pecudúmq. cibatus*. HANC REM AGE.] in hoc negotiũ totus incumbe. ne aliud age,attentè hoc negotium accura. CEDO CALLIDVM CONSILIVM CITÒ] depromito citò conſilium aliquod audax,plenum ſanguinis, & quod tibi ſubitò in mentem venerit:præceps,inconſultum,periculoſum,incõſideratum,non meditatum,neque multa cogitatione euigilatum,atque extenuatum : cuiuſmodi conſilia, plerumque ſunt timidiora,minùs animoſa,atque,vt ita dicã exſanguia: quia λογισμός, vt ait Thucydides, ὄκνον φέρει. M.Tull.lib.3.Off. *ſic reperias multos,quibus periculoſa, & calida conſilia quietis cogitationibus ſplendidiora, & maiora videntur*. Terentius Eunucho. *vide ne nimium calidum hoc ſit modò:* θερμὸν vocant Græci. ex quo θερμουργὸς ἀνὴρ, audax, & facinoroſus. QVÆ HÎC SVNT VISA,&c.]vt Philocomaſium,quæ à Sceledro è tegulis viſa eſt Pleuſidẽ oſculãs,probetur non viſa.ſuprà, *eúmq. ita faciemus,vt,quod viderit,non viderit*.& infrà,*ne id,quod vidit,viderit*. MAGNAM ILLIC H. R. INCIP.]ſic proculdubio legendũ,quod vidit Camerarius.nam vulgata lectio, *Magnum illic honorem incipis*,ferri non poteſt.Huius loci deprauandi cauſam,ex ignoratione verbi *incipiſſo*, natam eſſe veriſimile eſt : quod valet, incipio, aggredior, inſtituo. vtitur porrò eodem verbo infrà non longè. *Nunc ſi rationem incipiſſem*. MAGNA MVNIS MOENIA]magnam rem moliris,negotium difficile,atq. arduum ſuſcipis. allegoria eſt à re militari. Quidam hîc legunt,*mœnis*,antiquè pro,*munis*. TVTE VNVS SI RECIPERE,&c.] tute vnus ſi dicis te hoc in te recipere,id eſt,te tuo periculo promittere fore,vt hoc negotium abs te cõficiatur: certa & explorata ſpes eſt,nos inimicos poſſe perdere.Recipere hoc loco eſt, quod Græci dicunt, ἀναδέχεσθαι, & ἐφ' ἑαυτῷ δέχεσθαι,hoc eſt,aliquid ſuo periculo promittere.Marc.Tull.lib.13. epiſt.C.Memm.*ſed tamen ſeparatim promitto,in méque recipio,fore eum tibi, & voluptati, & vſui*.Terent. Heautont.in extr. *ad me recipio: Faciet*. Plautus infrà proximè,*dico, & recipio ad me*. PROFLIGARE.] perdere, ad interitum, ſeu interitionem dare. & ita Nonius. ET EGO IMPETRATVRVM DICO ID QVOD P.] id eſt,& te dico,id quod exoptas confecturum. vel ſic, & te dico optatorum,ſeu conatorum tuorum compotem futurum.Sic autem legendum vt edidimus,non vt habẽt alij libri, *& ego imperatorem dico:iď,quod petis*.ſic autem ſæpe ſolet Plautus vſurpare verbum impetrandi,pro conficere,exempli cauſa.ſuprà in Capt.princip. *Quod ego quidem nimis cupio vt impetret*. ibidem.*Dum id impetrant:boni ſunt. ſed id vbi iam penes ſe habent: Ex bonis, peſſimi*, &c. Hanc eandem porrò coniecturam Io.Paſſeratio,& Simeoni Boſio , amicis meis , veniſſe in mentem animaduerti, quo magis eam amplector. AT IMPERTI AMICÈ ME Q. C.] at fac me amicè participem eius conſilij,quod excogitaſti. TACE,] attentum te præbe. IN REGIONEM]in locum. IVXTA MECVM.]æquè atque ego. SALVA SVMES INDIDEM.] id eſt rectè , & tutò apud me depoſueris , ſeu mihi credideris. non enim ea cuiquam vulgabo,ſed ſalua, & integra,& qualia accepero,tolles. tralatio,ſeu allegoria eſt , à rebus depoſitis,& creditis. ſic Horat.oda 27. lib.1. *quidquid habes, age, Depone tutis auribus*. Iterum Plautus in Trinumm. *Mihi quod credideris ſumes,vt poſiueris*. INDIDEM]id eſt,ex eodem loco,in quo depoſueris. HERVS MEVS ELEFANT. CORIO,&c.]hoc eſt,herus meus, maxima eſt beſtia, non homo. vel ſic herus meus nihil ſentit,herus meus ſtolidus,ac ſtupidus eſt. hoc ideo, quòd elefanti corium duriſſimum , & craſſiſſimum eſt.Itaque apud T.Liuium. vt Romani elefantos Hannibalis in fugam verterent,aut ab impetu arcerent in ventrem, quà maximè corium eſt tenerum, ſtimulos, & tela adigebant. QVÀM LAPIS]qui nihil ſentit. Terent.Hecyra.*Tu, inquam,mulier,quæ me omnino lapidem,non hominem putas*.Plautus in Merc.*ego me credidi Homini docto rem mandare,is lapidi maximo*. INCIPISSAM]inibo. incipiam. QVÀM LACTE LACTI'ST] ſic ſuprà in Menæch.*Neque aqua aquæ,neque lacte'ſt lacti,mihi crede vſquam ſimilius, Quàm hic tui eſt,tuq. huius*.DEVORTIER,&c.]deuerſari,&c.VT SI ILLIC CONCRIMINATVS SIT,&c.] vt ſi hic conſeruus meus Philocomaſium apud militem accuſarit, ſe eam illic,hoc eſt, in domo militis vidiſſe cum alieno auſculantem, & caput limantem : ego contra arguam hunc eumdem conſeruum meum vidiſſe illam, Philocomaſij ſororem germanam,& geminam, apud te, id eſt, domi tuæ,cum ſuo amatore amplexus,& oſcula communicantem. SI ME EXQVIRET MILES.]ſi miles ex me quæret. PRÆCIPIENDVM EST,] præmonſtrandum eſt,&c. NE TITVBET,]ne quid peccet,aut offendat,&c. Horat. epiſt.13. lib.1. *Vade, vale, caue ne titubes*, &c. NIMIS DOCTVM DOLÙM.]ô dolùm valde ingenioſè excogitatum.Sic ſæpè Plautus. IN VNO MILES CONCIL.]in vno concilio,hoc eſt,in vno cœtu. QVID AGIMVS?] quid agendum



agendum eſt?quid acturi ſumus? TRECENTÆ POSSVNT CAVSÆ COLL.] trecentæ, hoc eſt,multæ,innumerabiles cauſæ,in vnum cogi,& cõferri poſſunt, quamobrem non poſſint duæ ſorores congredi , & in vno cœtu videri. cauſæ, hoc eſt, vt Græci appellant, προφάσεις, prætextus,ſeu prætexta,excuſationes. OPERÆ NON EST.]id eſt,Philocomaſium non eſt vacua:non licet Philocomaſio ei rei operam dare.ſubintellige autem hîc, facultas,ſeu copia, vt ſit plena locutio,operæ non eſt facultas. quo modo loquitur in Trucul.ibi, *facultas operæ vbi mihi erit, ad te venero*. ſic infrà eadem fabula. *Non operæ eſt Sceledro*. PROLATIONVM,] procraſtinationum, ἀναβολῶν. DVM MODÒ NVNC PR. V. INDVCAMVS, &c. ] dum modò nunc initio ei perſuadeamus,vt vera eſſe credat,quæ mentiemur. quæ mentibitur, hoc eſt , quæ mentietur, imperſonale paſſiuum.Nonnulli legunt,quæ mentibimur.ego nihil muto.ſic ſuprà, in Menæchm. *Iam ego hæc madebunt, faxo nihil morabitur*. DOMVM ] militis, ſeu noſtram, &c. PRÆCIPE]doce. EXORSI SVMVS,&c.]incepimus,&c. DOCTÈ TIBI ILLAM P.] doctè perdoctam.loquendi genus,Plauto vſitatum,& alibi à nobis obſeruatum. NVMQVID ALIVD?]ſermo abeuntis. ATQ. HOMINEM INVESTIGANDO SVMAM OP.] id eſt,atque in homine inueſtigando ſumam operam. Camerarius ſic edidit , *At quem hominem inueſtigando operam ſumam?* quæ ſcriptura minus mihi probatur, quamuis eam non damnem. Omninò ſic hunc verſum legi malim: *Atque homine inueſtigando operam inſumam*. diſſimulauero, &c. hoc eſt,atque in homine inueſtigando,qui Philocomaſium oſculantem cum alieno vidit, operam ſumam,&c. NON POTVIT, QVIN,&c.]id eſt, non potuit facere,vt non aliquem familiarium ſui ſermonis participem fecerit de Philocomaſio,&c. SERMONE SVO]lego non vt vulgò,ſermoni ſuo,ſed *ſermone ſuo*,&c.neque verſus aſpernatur.Sic Lucret.lib.3. *vti dentes quoque ſenſu participentur*. NOVI MOREM EGO]ego noſtrorum familiarium morem noui, tacere neſciunt. ET TACERE NOSTR. SOLVS SCIO]& ſolus familiarium noſtrorum ſum linguæ continentis,vel linguam continere ſcio. AD EVM VINCAS, PLVTEÓSQ. AG.]ſignificat ſe machinas omneis, & arteis, ac fallacias omneis adhibiturum , atque expromturum,quibus Sceledrum & militem decipere, eiſque perſuadere poſſint duas ſorores germanas geminas inter ſe ſimillimas. allegoria eſt à re militari.Vineæ,machinæ erant ex lignis leuioribus coagmẽtatæ,pedes octo latæ,ſeptem altæ,ſexdecim longæ, quarum texta munitione duplici,tabulis,cratibúſque conſtabant,latera etiam vimine ſæpiebantur,ne ſaxorum,ac tormentorum impetu perrumperentur,& ne ignibus illatis comburerentur crudis,ac recentibus coriis ac centonibus operiebantur:ſub quibus multiplicatis,atque inter ſe ordine coniunctis milites ſubſidẽtes,tuti erant ad murorum fundamenta ſubruenda. Plutei autem ad ſimilitudinem caſſidis è vimine contexebãtur,ciliciiſque & coriis protegebantur, terníſque rotulis, quarum vna in medio,duæ in capitibus ponebantur. In quamcumque partem vellet quis, flectebantur, & mœnibus admouebantur more carpenti:quos ij qui vrbem aliquam obſidebant , muris applicantes,eorum munitione tecti,ſagittis, ſeu fundis, & miſſilib. defenſores de propugnaculis vrbis exturbabant. CERTA RES EST.]certum eſt. ODORANS QVASI CANIS VENAT.]ſic M.Tull.lib.2.de Orat. *omni mente in ea cogitatione, curáque verſor, vt odorer quàm ſagaciſſimè poſſim quid ſentiant,quid exiſtiment,quid exſpectent,quid velint*,&c. Horat. *venaticus ex quo Tempore ceruinam pellinam latrauit in aula Militat in ſiluis catulus*. VSQ. DONEC PERSEQVVTVS VOLPEM.] allegoria eſt à venatione. EGO VOCI MODERABO MEÆ] ego voci meæ moderabor.

## SCELEDRVS. PALÆSTRIO.

NIſi quidem ego hodie ambulaui dormiens in tegulis,
Certò ædepol ſcio me vidiſſe hîc proximæ viciniæ
Philocomaſium herilem amicam ſibi alium quærere.
PA. Hic illam vidit oſculantem,quantum hunc audiui loqui.
SC. Quis hic eſt? PA. tuus conſeruos. quid agis Sceledre? SC. te Palæſtrio
Volupe'ſt conueniſſe. PA. quid iam?aut quid negotij?fac ſciam.
SC. Metuo. PA. quid metuis? SC. ne hercle,quantum hîc familiarium'ſt,
Maximum in malum,cruciatúmque inſiliamus. PA. tu ſali
Solus. nam ego iſtam inſulturam & deſulturam nihil hic moror.

SC. Ne ſcis tu fortaſſe,apud nos facinus eſt quod natum hic nouum? A
PA. Quod id eſt facinus? SC. impudicum. PA. tute ſcis ſoli tibi,
Mihi ne dixis,ſcire nolo. SC. non faciam enim quin ſcias.
Simiam hodie ſum ſectatus noſtram in horum tegulis.
PA. Ædepol Sceledre,homo ſectatu's nihili nequam beſtiam.
SC. Dij te perdant. PA. te iſtuc æquum. quoniam occepiſti eloqui.
SC. Fortè fortuna per impluuium huc deſpexi proximum,
Atque ego illa aſpicio,oſculantem Philocomaſium cum altero,
Neſcio quo adoleſcente. PA. quod ego,Sceledre, ſcelus ex te audio?
SC. Profectò vidi. PA. tuten'? SC. egomet duobus his oculis meis.
PA. Abi, non veriſimile dicis,neque vidiſti. SC. num tibi B
Lippus videor? PA. medicum iſtuc tibi melius percontarier.
Verùm enim tu iſtam,ſi te dij ament,temerè haud tollas fabulam.
Tuis nunc cruribus,capitíque fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi iam vt pereas, paratum eſt dupliciter,niſi ſupprimis
Tuum ſtultiloquium. SC. qui verò dupliciter? PA. id dicam tibi.
Primùmdum ſi falſo inſimulas Philocomaſium,hoc perieris.
Iterum ſi id verum eſt,tu ei cuſtos additus,perieris.
SC. Quid fuat me,neſcio. hæc me vidiſſe ego certò ſcio.
PA. Pergin' infelix? SC. quid tibi vis dicam,niſi quod viderim? C
Quinetiam nunc hic in proximo eſt. PA. ehò an non domi eſt?
SC. Viſe,abi intrò tute. nam ego mihi nihil credi poſtulo.
PA. Certum eſt facere id. SC. hic te opperiar, eadem illi inſidias dabo,
Quam mox horſum ad ſtabulum iunix recipiat ſe è pabulo.
Quid ego nunc faciam? cuſtodem me illi miles tradidit.
Nunc ſi indicium facio,interij:ſi taceo,interij tamen,
Si hoc palàm fuerit,quid peius muliere atque audacius?
Dum ego in tegulis ſum , illhæc ſe ex noſtro hoſpitio eduxit foras.
Ædepol facinus fecit audax. hocine? ſi miles ſciat, D
Credo hercle has ſuſtollat ædeis totas,atque hinc in crucem.
Hercle quicquid eſt,muſſitabo potius,quàm intercam malè.
Non ego poſſum,quæ ipſa ſeſe venditat,tutarier.
PA. Sceledre, Sceledre. SC. quis homo interminat? PA. eſt te alter audacior?
Quis magis diis inimicis natus, quàm tu, atque iratis? SC. quid eſt?
PA. Iuben tibi oculos effodiri,quibus id quod nuſquam eſt,vides.
SC. Quid nuſquam? PA. non ego nunc emam vitam tuam vitioſa nuce.

Quid



A SC. Quid negotij eſt? PA. quid negotij ſit, rogas? SC. cur non rogem?
PA. Nónne tibi iſtam prætruncari linguam largiloquam iubes?
SC. Quamobrem iubeam? PA. Philocomaſium eccam domi,quam in proximo
Vidiſſe aiebas te oſculantem atque amplexantem cum altero.
SC. Mirum eſt lolio victitare te tam vili tritico.
PA. Quid iam? SC. quia luſcitioſus. PA. verbero. ædepol tu quidē
Cæcus,non luſcitioſus.nam illam eccam quidem domi.
SC. Quid?domi? PA. domi hercle verò. SC. abi,ludis me Palæſtrio.
B PA. Tam mihi ſunt manus inquinatæ? SC. quidum? PA. quia ludo luto.
SC. Væ capiti tuo. PA. tuo iſtuc Sceledre promitto fore,
Niſi oculos,orationémque aliam commutas tibi.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. SC. at ego illas obſeruo foreis.
Nam nihil eſt,quà hinc huc tranſire ea poſſit,niſi recto oſtio.
PA. Quin domi eccam,neſcio quæ te Sceledre ſcelera ſuſcitant.
SC. Mihi ego video,mihi ſapio,mihi ego credo plurimum,
Me homo nemo deterruerit,quin ea ſit in his ædibus.
Hic obſiſtam,ne imprudenti huc ea ſe ſurrepſit mihi.
PA. Meus illic homo eſt. deturbabo iam ego illum de pugnaculis.
C Vin' iam faciam vt ſtultiuidum te fatearis? SC. age face.
PA. Neque te quicquam ſapere corde,neque oculis vti? SC. volo.
PA. Nempe tu iſtic ais eſſe herilem concubinam? SC. atque arguo
Eam me vidiſſe oſculantem hîc intus cum alieno viro.
PA. Scin' tu nullum commeatum huc eſſe etiam à nobis? SC. ſcio
Neque ſolarium,neque hortum,niſi per impluuium,ſcio.
PA. Quid nunc ſi ea domi eſt? ſi faciam vt eam hinc exire videas domo?
Dignus es verberibus multis? SC. dignus. PA. ſerua iſtas fores,
Ne tibi clàm ſe ſubterducat iſtinc,atque huc tranſeat.
D SC. Conſilium eſt ita facere. PA. pedes ego iam illam huc tibi ſiſtam in viam.
SC. Agedum ergo face. volo ſcire vtrum ego, id quod vidi, viderim:
An illic faciat,quod facturum dicit,vt ea ſit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo,nec rogo vtendos foris.
Sed hic illi ſupparaſitatur ſemper,hic ei proximus eſt,
Primus ad cibum vocatur,primo pulmentum datur.
Nam illic noſter eſt fortaſſe circiter triennium.
Neque cuiquam,quàm illi,noſtra meliu'ſt famulo familia.
Sed ego hoc, quod ago, id me agere oportet : hoc obſeruare oſtium.
Hàc obſiſtam. ſic quidem pol verba mihi numquam dabunt.

NISI QVIDEM EGO HODIE AMB.&c.]id eſt,niſi ego ſomniaui me ambulare in te- A
gulis,&c.ſi ego vigilans,& re vera,non in ſomnis ambulaui in tegulis,&c. HÎC PRO-
XIMÆ VICINIÆ]id eſt,in hac proxima vicinia.Proximæ viciniæ patrij caſus eſt,qui regitur
ab aduerbio, *hîc*.Sic Terẽt.in Andr.*Interea mulier,quædam abhinc triennium ex Andro cõmigrauit huic
viciniæ.* VOLVPE'ST,&c.]iucundum eſt,&c. NE HERCLE QVANTVM HÎC FA-
MILIARIVM'ST, MAX. IN M. CRVCIATÚMQ. INS.]metuo,ne quotquot hîc ſunt
familiares,nos omnes in maximum malum,& cruciatum præcipites cadamus. TV SALI SO-
LVS.]tu Sceledre, inſili ſolus in cruciatum. NAM EGO ISTAM INSVLT. &c. ] id eſt,
nam ego talem inſultum,ac deſultum nihili facio,ſeu valere ſino,quod valet,nolo enim in cru-
ciatum inſilire,neque deſilire. ET DESVLTVRAM,&c.]deſultores,& deſultorij erant,qui
duobus equis vtentes,ex vno deſiliebant,& in alterum mira celeritate inſiliebant,ad quem mo-
rem fortaſſis alludit Plautus:vt & M.Tull.in Orat.pro Murena.*Reſpondeo igitur Poſtumio primùm,
qui neſcio,quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius,in quadrigarum curri-
culum incurrere.* IMPVDICVM]vel ex hoc loco intelligere licet,facinoris nomen latiſſimè pa-
têre:eóque & ſcelus,& flagitium contineri:nam ſcelus, impium eſt: facinus : flagitium, facinus
impudicũ:vt omittã,quod aliquod facinus eſt prædicabile,memorabile,& glorioſum. TVTE
SCIS SOLI T.]proinde ac ſi dicat,nolo eſſe tibi facinoris iſtius impudici cõſcius.id quod ſcis, B
tibi ſoli ſcis. DIXIS:]dixeris. NON FACIAM ENIM, QVIN SC.]enimuerò non com-
mittam,vt non ſcias. IN HORVM TEGVLIS]in tegulis vicinorum,hoc eſt,vicini Periple-
ctomenis. ÆDEPOL SCELEDRE HOMO SECTATV'S NIHILI NEQ. B.] ædepol
Sceledre,tu,homo nihili,ſectatus es nequam,id eſt, improbã, & inutilem beſtiam.nequam, eſt
omnis generis.ſic & apud Ciceronem lib.4.Tuſcul.quæſt. *Venerem vnam excludit, vt nequam.* Sic
enim legendum eſſe non vt vulgò,*iniquam,*vidit Adr.Turneb. TE ISTVC ÆQVVM]æquum
eſt deos te perdere. PER IMPLVVIVM]quid ſit impluuium,ſuprà diximus. DESPEXI]
deorſum adſpexi. QVOD EGO SCELEDRE, SCELVS,&c.] ſcelus hyperbolicè dictum.
nam ſcelus,vel facinus eſt impium in deos,vel in patriam,vel in parenteis:vel facinus, quo quis
ſuas manus ſanguine inquinat,vt qui hominem interficit. EGOMET DVOBVS HIS OC.
M.]emphaſis. MEDICVM]cuius eſt,ſcire oculorũ. & ceterarum corporis partium ſanitatem,
& vitium,ſubintelligendum autẽ eſt,quàm me. MELIVS PERCONT.]ſubintel.eſt.percon-
tarier,percontari,rogare. SI TE DII AMENT.] niſi tibi deos iratos habere velis. VE-
RÙM ENIM TV ISTAM TEMERÈ HAVD TOLL. F.]verũ caue iſtam fabulam,ſeu
iſtum ſermonẽ ſine magna ratione vulges, ſi ſapis, & niſi omnium mortaliũ infortunatiſſimus C
eſſe vis. TOLLAS]efferas,diſſipes,ſpargas,vulges. CRVRIBVS]quia crura tibi compedi-
bus vincientur. CAPITIQ. ] & vitæ. alioqui ſeruus non habet caput. FRAVDEM CA-
PITALEM HINC CREAS.]pœnam extremam ex hoc ſermone,ſi palàm fiat,paras. Vlpian.
lib.1.ad edict.ædilium curulium,lib.21.digeſt.titulo de ædil.edicto. *Capitalem fraudem admittere,
eſt tale aliquid delinquere, propter quod capite puniendus ſit. Veteres enim fraudem pro pœnâ ponere ſolebant.*
DVPLICITER ] ſiue ſit quod te vidiſſe dicis, falſum, ſiue verum, vt continuò ipſe Palæſtrio
oſtendet. NISI SVPP. TVVM STVLT.]niſi tuum ſtultum ſermonem contines,cõprimis,
celas. PRIMVMDVM,]primumdum,vna vox eſt,ex duabus compoſita. nam,*dum*, particula
eſt hoc loco inſeparabilis:vt in his,*agedum:facitodum*,&c. SI FALSO INSIMVLAS PHIL.]
dilemma.HOC PERIERIS.]hoc ipſo,vel ob hoc ipſum perieris,quòd eam falſò criminatus
ſis. TV EI CVSTOS ADD. PERIER.] tu,qui ei cuſtos additus es,etiam perieris:quippe
qui negligenter eam cuſtodieris.itaque negligentiæ tuæ pœnas dederis. QVID FVAT, ME,
NESCIO]quid me,ſeu de me fiat,neſcio.quid me futurum ſit,neſcio. NAM EGO MIHI
NIHIL CREDI POSTVLO.]nolo mihi credi,ſed rei,& veritati. EADEM ILLI INS.
D.] eadem opera illi inſidiabor,hoc eſt,ex occulto loco illam obſeruabo, quàm breui tempore D
hanc partem verſus ſe in ædeis noſtras recipiat è domo vicini.allegoria eſt.*Iunix*, iuuẽca eſt, ſeu
bos ætate tenera:per quam Philocomaſiũ ſignificat.Perſius Sat.2. *Tot tibi cùm in flammis iunicum
omenta liqueſcunt.* vbi notat Cornutus, Iunices, teneræ ætatis boues : quæ nondum ad ſummam
magnitudinem peruenerunt.dicũtur autem à iuuenibus:vnde comparatiuus,iunior : quia ſunt
iuniores iuuenibus. NVNC, SI INDICIVM F.&c.]dilemma aliquanto diſſimile ſupe-
riori.nunc,inquit,ſi id,quod vidi,indico:interij,quia videlicet,indiligenter eam cuſtodierim.ſin
taceo:tamen interij , ſi fortè res vel ab alio aliquo indicata militi fuerit , vel aliquo caſu palàm
facta ſit.ILLHÆC SE EX NOSTRO HOSP. E. F.] Philocomaſium proripuit ſe ex ædib.
militis,interea dum in tegulis ſum.Sic autem legẽdum eſſe,ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis con-
ieci. HOCINE, SI MILES SCIAT? CREDO HERCLE,&c. ]oratio eſt contracta:
quæ ſic explicanda eſt. quid ſi hoc miles reſciſcat? quid faciat? quid faciat,ſi hoc ſciat,quærítne
aliquis? Credo,hercle,has ædeis vicini totas ſubuertat, & ſurſum tollat, ſeu euertat. ATQVE
HINC IN CRVCEM.]atque hinc me in crucem tollat. MVSSITABO]tacebo, linguam
comprimam,μῦ faciam,mutus ero.de hoc verbo,& muſſando,alibi plura. QVÆ IPSA SESE
VENDITAT,] quæ ipſa ſe vendere vltro cupit:quæ emtorem vltro prouocat. INTERMI-
NAT? ] mihi interminatur?minaci voce me appellat? EST TE ALTER AVDACIOR?]
éſtne quiſquam te alter audacior? QVIS MAGIS DIIS INIMICIS NATVS,&c.]id eſt,
quis



A quis te infelicior?nam,quibus dij ſunt irati, ij ſunt infelices.Horat.Satyr.3.lib.1.*Iratis natus paries
dis,atque poëtis.* ad quem locum plura. EFFODIRI,]effodi,&c. NON EGO NVNC EMAM
V. T. VIT. N.] hoc eſt, vita tua haud longè abeſt ab interitu , vita tua in ſummum diſcrimen
venit.Itaque viliſſima eſt,neq. eam vitioſa nuce quiſquam emerit. PRÆTRVNCARI] præ-
cidi. MIRVM'ST LOLIO V. TE,&c.]id eſt,mirum eſt,te lolio victitare,cùm triticum tam
vile ſit.proinde quaſi dicat. ſi triticum carum eſſet, non eſſe mirum te lolio veſci, & vitam tole-
rare.nunc autem,cùm tam vile ſit,&c.Animaduertat autem lector,hoc,*tam vili tritico*,eſſe gene-
randi caſus,abſolutè poſiti:pro eo,quod eſt,cùm tam vile ſit triticum.Iam verò prouerbialiter
dixit Sceledrus,Palæſtrionem lolio victitare,cùm ſignificare vellet,eum parum videre, & ocu-
lorum acie eſſe obtuſa.Nam cõſtat,lolium,propter vapores acreis,quos in cerebrum tollit,non
ſolùm ebrietatis ſpeciem quandam creare,ſed etiam oculos vitiare,& obtundere.ex quo Ouid.
lib.1.Faſt. *Et careat loliis oculos vitiantib.agros.* Fulgentius in voce *Luſcitioſus*.hunc locum profert,his
verbis,*Luſcitioſos dici voluerunt,interdiu parùm videnteis*, quos Græci *μύωπας* vocant. Plaut.in Mil.
*Mirum'ſt lolio victitare te,*&c.*Dicũt enim,*inquit ille,*lolium comedentib.oculos obſcurari.* QVIA LVSCI-
TIOSV'S]quia luſcitioſus es. Nonnulli luſcitioſos eſſe putãt qui lumine adhibito,nihil vident,
aut qui neq. matutino,neq. veſpertino tẽpore ſatis vident.Idq; Vlpian.iuriſconſ.ita videtur exi
B ſtimare.Sic enim ille lib.21.digeſt.tit.de ædil.ædict.*Sed quid de myope?morboſum eſſe conſtat.* Idem.*vbi
homo neq. matutino tempore videt.neq. veſpertino:quod genus Græci νυκτάλωπας vocant ; luſcitionem quidam
putant: vbi homo,lumine adhibito,nihil videt.* LVDIS ME, PAL.]deludis me Palæſtrio.derides me.
Sed ineſt hîc ambiguum,vt iam oſtendemus. TAM MIHI SVNT M. INQ. ]idcirco,tam
mihi manus ſunt inquinatæ,quia te ludo. licet etiam legere cum interrogatione, vſque adeóne
mihi manus ſunt inquinatę,vt te ludã?ſed malim ſine interrogatione,& ἀποφαντικῶς legere:&
ita erit facilior,ac planior ſentẽtia.Iocus eſt,vt dixi,ex ambiguo.Nam Sceledrus,ludis me,ſic ac-
cipit,vt *me* ſit accuſandi caſus:*Palæſtrio*,vt ſit ſeptimi,vt cùm dicimus ludere pila,diſco,alea,talis,
& ſimilib. QVIDVM?]quomodo verò manus tibi ſunt inquinatæ? QVIA LVDO L.]quia,
inquit,cùm ludo te(*te*,hîc accipiẽdum eſt in ſeptimo caſu) proinde eſt,ac ſi luto ludam, tu enim
homo lutulentus es,atque adeò lutum germanum,tu es immundus,ac ſpurcus, qui autem luto
ludũt,& lutum manibus inter ludendũ tractarit,manus ſuas inquinant. VÆ CAPITI TVO.]
dij tibi malefaciant,dij tibi ſint irati,omnia tibi aduerſa eueniant. TVO ISTVC SCEL. PR.]
iſtuc væ,promitto fore,hoc eſt euenturum capiti tuo. NISI OCVLOS ORAT.&c.]niſi de-
ſinas ea tibi videri vidiſſe,quæ non vidiſti,& niſi deſinas ea te vidiſſe aſſeuerare , quæ nuſquam
C videre potuiſti. AT EGO ILLAS OBSERVO FOREIS] at ego illam vicini ianuam cu-
ſtodio:ne quis ea exat, néue introeat, quin ſciam, ac videam, vt Philocomaſium per eas exeun-
tem,& domum noſtram ſe recipientem videam.ſic infrà ead.ſcena,in extr.*Sed ego hoc,quod ago, id
me agere oportet:hoc obſeruare oſtium.* NAM NIHIL EST, QVÀ HINC HVC,&c.]nam nulla
via eſt,qua è domo vicini domum noſtram Philocomaſium tranſire poſſit, niſi per oſtium re-
ctum. rectum oſtium,& poſticũ,inter ſe opponuntur,& recto oſtio trãſire,eſt fortaſſe id, quod
Græci dicunt,*εὐθυπορεῖν*,aut certè non multò ſecus. MIHI EGO VIDEO, MIHI S.&c.]
ſic ferè in Amphitruone.*Sed cùm cogito equidem certò idem ſum,qui ſemper fui.Noui herum,noui ædeis no-
ſtras:ſanè ſapio,& ſentio.* IN HIS ÆDIB.]vicini Periplectomenis. HÎC OBSISTAM.]in hoc
loco contrà ſiſtam. SVBREPSIT MIHI]ſubrepſerit,id eſt,ſubduxerit mihi. MEVS ILLIC
HOMO EST]meus eſt Sceledrus,hæc loquitur Palæſtrio ſummiſſa voce, vt ſpectatores tãtùm
audiãt. diſceſſit autem Sceledrus à Palæſtrione aliquantò longius,vt Philocomaſium ex ædib.
Periplectomenis exeuntẽ exceptutus. DE PVGNACVLIS]de propugnaculis. allegoria eſt.
à re militari.Nonnulli legi volunt,*de pinnaculis*. ego nihil muto.eſt enim pinnaculum,locus,vn-
de pugnatur. VIN' IAM FACIAM, VT STVLTIVIDVM,&c.]víſne faciam,vt fatearis
D te ſtultum eſſe in vidẽdo?ſtultiuidum, id eſt,ſtultè viderem.Hîc rurſus Palæſtrio cum Sceledro,
aliquantò longiùs diſtante loquitur. NEQVE TE QVIDQVAM SAPERE CORDE
N. &c.] & víſne faciam, vt fatearis te neque ſapere corde, neque oculis vti?id eſt,víſne faciam,
vt fatearis te nihil animi mẽte intelligere,nihílque oculis cernere? ſuprà in Bacchid. *Verſipellem
frugi cõuenit eſſe hominem,pectus cui ſapit.* M.Tull.lib.2.de Finib.bon.& mal. *Neq. enim ſequitur,vt cui
cor ſapiat,ei non ſapiat palatus.* NEQ. OCVLIS VTI?] ſic loquitur in Epid.princip. *oh Epidicúm-
ne ego conſpicor? EP. Certè oculis vteris.* HIC INTVS.&c.]in ædib.Periplectomenis. SCIN' TV
NVL. C. HVC ESSE E. À N.?] ſcis ne tu,id eſt,nónne ſcis tu nullũ eſſe à nobis,id eſt,ab ædib.
noſtris,huc,hoc eſt,in ædeis Periplectomenis? DOMI EST?]domi noſtræ eſt? NEQ. SOL.]
ſolarium,hîc locus eſt in ſupremis ædibus,ſine tecto,ſcilicet ad excipiẽdum ſolem comparatus.
infrà eadẽ ſcena.*Nam certe neq. ſolarium hîc apud nos eſt,neque hortus vllus,*&c.huc referendus eſt Au-
guſti iocus,quem refert Macrob.lib.2. Saturn.his verbis.*Cùm de Tyriæ,quam emi iuſſerat, obſcuritate
quereretur: dicente venditore,erige altiùs,& ſuſpice,his vſus eſt ſalibus: Quid?ergo,vt me populus Ro. dicat bene
cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* Huiuſmodi ſolarium autem, heliocaminum nominant Græci.
Vlpianus lib. 29. ad Sabin. lib. 8. digeſtor. titul. de ſeruit. vrb. præd. cap. *Si arborem,*&c. *Si ta-
men id, quod ponitur, lumen quidem nihil impediat,ſolem autem auferat:ſi quidem eò loci,quò gratum erat,eum
non eſſe:poteſt dici,nihil contra ſeruitutem fieri.ſin verò in heliocamino, vel ſolario:dicendum erit, quia vmbram*

*facit in locum, cui ſol fuit neceſſarius, contra ſeruitutem impoſitam fieri.* NE TIBI CLÀM SE SVBTERDVCAT ISTINC, &c.] ne tibi clàm ſe ſubducat è domo vicini Periplectomenis, vbi te eam oſculantem cum alieno vidiſſe aſſeueras. PEDES EGO, &c.] ego pedibus iter faciens, non alis ſublatus, neque volans, illam tibi præſentem ſtatuam, ſeu repræſentabo in hunc locum in viam. *ſiſtam*, hîc ἐνεργητικῶς accipiendum eſt. NAM EGO QVIDEM MEOS OCVL. HAB. NEC ROGO VTEND. F.] ſic ſuprà, in Aſin. *Habeo, opinor, familiare tergum, ne quæram foris.* ad quem locum huius loquendi generis plura exempla collecta ſunt. *nec rogo vtendos foris*, id eſt, *nec commodatò ab aliis ſumo.* NAM ILLHIC NOSTER EST FORT. CIRC. TR.] nam ille, Palæſtrio, in numero noſtrorum familiariũ eſt, ſeu conſeruus noſter eſt, fortaſſe circiter abhinc triennium. NEQ. CVIQVAM, QVÀM ILLI, MELIV'ST, &c.] id eſt, neque cuiquam famulo ex noſtra familia, ſeu in noſtra familia, melius eſt, quàm illi. vel ſic, neque quiſquam famulus ex tota noſtra familia meliùs tractatur, quàm ille. SED EGO HOC, QVOD AGO, &c.] ſed hoc, quod ego ago, id me, &c. HÀC OBSISTAM.] hac parte contra aduerſarios meos, qui mihi verba dare volunt, ſtabo. A

## PALÆSTRIO. PHILO. SCELEDRVS.

PRæcepta facito vt memineris. PH. toties monere mirum eſt. B
PA. At metuo, vt ſatis ſis ſubdola. PH. cedò vel doctas: docebo,
Memini malas, vt ſint malæ, mihi pol è quo ſuperſit.
PA. Age iam nunc inſiſte in dolos, ego abs te procul recedam.
Quid aſtas tu Sceledre? SC. hanc rem gero, habeo auris, loquere quid vis?
PA. Credo ego, iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutũ extra portam,
Diſpeſſis manib. patibulum cùm habebis. SC. quámnam ob rem?
PA. Reſpice dum ad læuam, quis illæc eſt mulier? SC. proh dij immortales
Heri concubina eſt hæc quidẽ. PA. mihi quoque pol ita videtur.
Age nunc iam quando lubet? SC. quid agam? PA. peri, peri properè. C
PH. Vbi iſte bonus ſeruu's, qui propudij me maximè innocentem
Falſò inſimulauit? PA. hem tibi, hic mihi id dixit. PH. tibi quæſo? Dixti
Tuten' vidiſſe in proximo hic, ſceleſte me oſculantem?
PA. Atque cum alieno adoleſcentulo dixit. SC. dixi hercle verò
PH. Tun' me vidiſti? SC. atque his oculis quidem. PH. carebis credo
Qui plus vidẽt, quàm quod vidẽt. SC. numquã hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. PH. ego ſtulta atq. mora multũ,
Quæ cum hoc inſano fabulem, quem pol ego capitis perdam. D
SC. Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum.
Ibi mei maiores ſunt ſiti, pater, auos, proauos, abauos,
Non poſſunt mihi minaciis tuis hiſce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo Palæſtrio, obſecro vnde
Hæc exit huc? PA. vnde, niſi domo? SC. domo? PA. me vidente. SC. video.
Niſi mirum'ſt facinus, quomodo hæc hinc potuerit tranſire:
Nam certè neque ſolarium hic apud nos eſt, neque hortus vllus,
Neque feneſtra, niſi clathrata. nam certò ego te hic intus vidi.
PA. Pergin' ſceleſte intendere, atque hanc arguere? PH. æcaſtor ergo
Mihi haud falſum euẽnit ſomnium, quod noctu hac ſomniaui.

Quid



A PA. Quid ſomniauiſti? PH. ego eloquar, ſed amabò aduertito animum.
Hac nocte in ſomnis mea ſoror gemina germana viſa
Veniſſe Athenis in Epheſum cum ſuo amatore quodam,
Hi ambo hoſpitio huc in proximum mihi deuorti ſunt viſi.
SC. Palæſtrioni ſomnium narratur. PA. perge porrò.
PH. Ego læta viſa, quia ſoror veniſſet, propter eandem
Suſpicionem maximam ſum viſa ſuſtinere.
Nam arguere in ſomnis me familiaris meus mihi viſu'ſt.
Me cum alieno adoleſcentulo, quaſi nunc, eſſe oſculatam,
Cùm illa oſculata mea ſoror gemina ſuum eſſet amicum,
B Ita me inſimulatam perperam falsò eſſe ſomniaui.
PA. Satin' eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?
Heus hercle quàm præſentia omnia? abi intrò, & comprecare.
Narrandum ego iſtuc militi cenſebo. PH. facere certum.
Neque me quidem patiar probri falsò impunè inſimulatam.
SC. Timeo quid rerum geſſerim hic, ita dorſus totus prurit.
PA. Scin' te periiſſe nunc quidem domi certò? SC. certa res eſt,
Nunc noſtrum obſeruare oſtium ne euolet. PA. at Sceledre quæſo,
Vt ad id exemplum ſomnium, quàm ſimile ſomniauit,
Atque vt tu ſuſpicatus es eam vidiſſe te oſculantem!
C SC. Me eam non vidiſſe arbitraris? PA. næ tu hercle, obſecro, opinor,
Reſipiſce, ſi ad herum hæc res peruenerit, peribis pulchrè.
SC. Nunc demum experior, priùs ob oculos mihi caliginẽ obtigiſſe.
PA. Dudum ædepol hoc planum quidem, quæ hîc vſque fuerit intus.
SC. Nihil habeo certi quid eloquar: non vidi eam, & ſi vidi.
PA. Næ tu ædepol ſtultitia tua nos pœnè perdidiſti.
Dum te fidelem facere hero voluiſti, abſumtus es pœnè.
Sed fores vicini proximi crepuerunt, conticiſcam.

D PRÆCEPTA FACITO, VT MEMINERIS, &c.] hîc docet, & inſtituit Philocomaſium Palæſtrio, quid eam dicere, quid facere opus ſit. AT METVO, VT SATIS S. S.] at metuo, ne non ſatis ſis aſtuta, ac doloſa. CEDÒ, VEL DOCTAS: D.] da mihi etiam doctas: ego eas docebo, tantum abeſt, vt docenda ſim, vt vel doctas docere poſſim. MEMINI MALAS, VT SINT M. &c.] memini malas, & ſubdolas mulieres, quo modo ſint malæ, & ſubdolæ: ex quarum dolis multis, mihi non pauci ſuperſint. INSISTE IN DOLOS.] incumbe in dolos, vel hære in dolis. EXTRA PORTAM] Metiam ſuprà in Caſina. *Illum ædepol videre ardentem te extra portam Metiam Credo æcaſtor velle.* Idem in Pſeud. *Iam hic ero verùm extra portam Metiam currendum'ſt prius.* DISPESSIS MANIB. PATIBVL. C. H.] cùm patibulum habebis diſtentis & diſpanſis manibus. paſſus, a, um: & diſpaſſus, a, um, dicebant veteres. pro panſus, & diſpanſus, a, um A. Gell. lib. 15. cap. 15. QVIS ILLHÆC, &c.] quæ illa eſt mulier? PROPVDII.] probri, impudicitiæ. Propudium, quaſi porrò pudendũ, vel à pudore, & pudicitia procul. Feſtus, Quidam, inquit, propudium putant dici, à quo pudor, & pudicitia procul abſit. Sic Plautus in Curcul. *quid ais propudium?* CAREBIS CREDO, QVI PLVS VID. &c.] carebis, credo, oculis iis, qui plus vident, quàm quod vident: id eſt, qui ſibi cernere vidẽtur, quod non cernunt. ATQVE MORA MVLT.] mora vox Græca μῶρος, α, ον. inſipiens: ſtultus, a, um. ſuprà, in Menæchm. *vt hoc vtimur maximè more moro*, &c. FABVLEM] fabuler, loquar. CAPITIS PERDAM] interimam, vita priuabo. Sic ſuprà, in Aſinar. *capitis te perdam ego, & filium.*

IBI MEI MAIORES SVNT SITI] ſunt ſiti.ſunt conditi.ſiti,inquit M.Tull.lib.2.de leg. ad illud Ennij de Africano.Hic eſt ille ſitus. dicuntur hi,qui conditi ſunt. NON POSSVNT MIHI M. T. H. OC. F.] non potes minis tuis hoſce oculos mihi effodere. id eſt, non potes minis tuis efficere,vt non viderim,quod viderim,& vt oculis caream. FODIRI] fodi.effodi. VNDE NISI DOMO?] vnde niſi domo noſtra? TE VIDENTE] ſecutus ſum lib.vulgatos, Venetos,Florent.Pariſ.Lugd.ceteros. nam manuſc.habent,*me vidente*.minùs rectè,mea quidem ſententia. NISI MIRVM'ST FACINVS] niſi mirum eſt factum,&c. NISI CLATHRATA] niſis clathris vallatã. Sunt autem clathri,ſeu clathra,virgæ ligneæ,aut ferreæ, quibus feneſtræ ad maiorem cuſtodiam,& cautionem muniuntur,& firmantur.Horat.epiſt.ad Piſon.*ac velut vrſus,Obiectos caueæ valuit ſi frangere clathors.* Cato de re ruſt.cap.4. *Bubilia bona,bonas præſæpeis,faliſcas clathratas.Clathros intereſſe oportet pedem.* hinc clathrare:quo verbo vtitur Columella li.9.cap.1. ibi, *Satis eſt autem vacerras inter pedes octonos defigere, ſeriſque tranſuerſis ita clathrare, ne ſpatiorum laxitas, quæ foraminibus interuenit,pecudi fugam præbeat.* INTENDERE] pertendere, perſeuerare. IN SOMNIS.] in quiete dormienti. SVSPICIONEM M. SVM VISA SVST.] ſic dictum, ſuſpicionem ſuſtinere,vt ſuſtinere cauſam,& culpam,quod Græci dicunt,αἰτίαν ὑπέχειν.Hoc igitur ſignificat, in ſuſpicionem maximam mihi viſa ſum venire, ſeu incidere. Munitur hîc ad fallaciam via, qua fallacia Sceledrus, quantumuis diligens, & acer cuſtos, eludatur. EXPETVNT.] eueniunt, áccidunt.ſic ſuprà in Amphitr. *Ergo in ſeruitute expetunt multa iniqua.* QVÀM PRAESENTIA OMNIA] Paſſeratius legendum putat, *quàm præſentia omina?* ITA DORSVS TOTVS PRVRIT.] ita dorſum totum plagas, & verbera ſibi imminere præſagit, ac præſentit. ſuprà,in Amphitr. *perij,dentes pruriunt.* & in Bacchid.in extr. *caput prurit. perij.* & infrà in Perſa. *vah, iam ſcapulæ pruriunt, Quia te iſthæc audiui loqui.* Profert autem hunc verſum Nonius in voce, *dorſus.* CERTA RES EST NVNC NOSTRVM OBS. IST. NE EVOLET] ſic hunc locum reſtitui,coniectura quidem ductus,ſed vt ſcripturæ veſtigia diligenter perſecutus, ita ſententiam Plautinam ſagaciter odoratus. nam neque ea ſcriptura,quam repoſuit Camerarius, *nunc noſtr. obſ. oſtium voluiſſe.* neque vulgata, *nunc noſtr. obſ. oſtium vbi eſſet.* ferri poſſunt. Sententia autem horum verborum, ſicà me reſtitutorum, plana eſt, neque explicationis indiget. VT AD ID EXEMPL. SOMN. QVÀM SIM. SOMN.?] vt, accipiendum admiratiuè, ſeu θαυμαστικῶς. quo modo Philocomaſium, ad id exemplum, ad quod exemplum dixiſti te vidiſſe eam oſculantem,& quàm ſimile ſomnium ſomniauit? vel ſic,quomodo Philocomaſium ad id exemplum quod nũc pręſens eſt,& quàm ſimile ſomnium ſomniauit tuæ ſuſpicioni,per quam tu tibi eam videre viſus es cum alieno adoleſcente oſculantem? ATQ. VT TV SVSPICATVS ES,&c.] hic verſus cohæret cum ſuperiore,hoc modo, quàm ſimile, atque vt tu,&c. *atque vt*,autem videntur poſita ἐκ παραλλήλου. nam ſatis erat alterutrum. RESIPISCE.] reuertere ad ſanitatem. redi ad te. NVNC DEMVM EXPERIOR, PRIÙS OB OCVLOS,&c.] nunc demum experior mihi oculos caligaſſe:nunc denique experior meis oculis caliginem obiectam eſſe. QVAE HÎC VSQ. F. INT.] vtpote quæ in ædibus noſtris intus ſemper fuerit,neque ex iis vſquam pedem extulerit.

## PHILOCO. PALÆSTR. SCELEDRVS.

INde ignem in aram,vt Epheſiæ Dianæ laudes latas,
Gratéſque agam,eíque vt Arabico fumificem odore amœnè,
Quæ me in locis Neptuniis,templíſque turbulentis,
Seruauit ſæuis fluctibus,vbi ſum afflictata multum. D
SC. Palæſtrio,ô Palæſtrio. PA. ô Sceledre,Sceledre,quid vis?
SC. Hæc mulier quæ hinc exit modò,éſtne herilis concubina
Philocomaſium?an non eſt ea? PA. hercle opinor,ea videtur.
Sed facinus mirum eſt,quomodo hæc hinc nũc potuerit tranſire,
Siquidẽ ea eſt. SC. an dubiũ tibi'ſt eam eſſe hanc? PA. ea videtur.
Adeamus,appellemus. SC. heus,quid iſtuc eſt Philocomaſium,
Quid tibi iſtic hiſce in ædibus debetur? quid negotij eſt?
Quid nunc taces? tecũ loquor. PA. immò ædepol nũc tute tecum
Nam hæc nihil reſpõdet. SC. te alloquor vitij, probríque plena,
Quæ circum vicinos vagas. PH. quicum tu fabulare?
SC. Quicum niſi tecũ? P. quis tu homo es, aut mecũ quid negotij'ſt?

Men'



A SC. Men' rogas, hem qui ſim? PH. quin ego hoc rogem quod neſciam?
PA. Quis ego ſum igitur,ſi tu hunc ignoras? PH. mihi odioſu's quiſquis es.
Et tu & hic. SC. non nos nouiſti? PH. neutrum. SC. metuo maximè.
PA. Quid metuis? SC. enim ne noſmet perdiderimus vſpiam.
Nam neque te,neque me nouiſſe ait. PA. perſcrutari hic volo
Sceledre,nos, noſtri,an alieni ſimus, nedum quiſpiam
Nos vicinorum imprudentis aliquis immutauerit.
SC. Certè equidem noſter ſum. PA. & pol ego. quæris tu mulier malum. B
Tibi dico,heus Philocomaſium. PH. quæ te intemperiæ tenent?
Qui me perperam perplexo nomine appelles. PA. ehò,
Quis igitur vocare? PH. Glycere nomen eſt? SC. Iniuria eſt.
Falſum nomen poſſidere Philocomaſium poſtulas.
At iſtuc non decet,& meo adeò hero facis iniuriam.
PH. Egóne? PA. tute. PH. quæ heri Athenis Epheſum adueni veſperi
Cum meo amatore adoleſcente Athenienſi. PA. dic mihi,
Quid hic tibi in Epheſo eſt negotij? PH. geminam germanam meam,
C Hîc ſororem inaudiui eſſe,eam veni quæſitum. PA. mala es.
PH. Immò ecaſtor ſtulta multum,quæ vobiſcum fabuler,
Abeo. SC. abire non ſinam te. PH. mitte. SC. manifeſtaria
Res eſt,non omitto. PH. at iam crepabunt manu malæ tibi
Niſi me omittis. SC. quid malum,aſtas? quin retines altrinſecus?
PA. Nihil moror negotioſum mihi eſſe tergum. qui ſcio
An iſta non ſit Philocomaſium,atque eius alia ſimilis?
PH. Mittis me,an non mittis? SC. Immò vi atque inuitam,ingratiis,
Niſi voluntate ibis,rapiam te domum. PH. oſtium hoc mihi
Domicilium eſt: Athenis domus atque herus. ego iſtam domum
D Neque moror,neque vos qui homines ſitis,noui,neque ſcio.
SC. Lege agito,te nuſquam mittam,niſi das firmatam fidem,
Te huc,ſi omiſero,intrò ituram. PH. vi me cogis, quiſquis es,
Do fidem ſi omittis,iſtoc me intrò ituram,quò iubes.
SC. Ecce omitto. PH. at ego abeo miſſa. SC. muliebri feciſti fide.
PA. Sceledre manibus amiſiſti prædam. SC. tam ea eſt,quàm potis,
Noſtra herilis concubina. vin' tu hoc facere ſtrenuè?
PA. Quid faciam? SC. affer mihi machæram huc intus. PA. quid facies ea?
SC. Introrumpam rectà in ædeis. quemque hic intus videro
Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extẽpulò.

PA. Viſane ea eſt eſſe? SC. immò ædepol planè ea eſt. PA. ſed quomodo A
Diſſimulabat? SC. abi. machæram huc effer. PA. iam faxo hîc erit.
Neque eques, neque pedes profectò quiſquam tanta audacia,
Qui æquè faciat confidenter quicquam, quàm quæ mulieres
Faciunt. vt vtrobique orationem doctè, & catè dedit!
Vt ſublinitur os cuſtodi cauto, conſeruo meo!
Nimis beat, quòd commeatus tranſtinet iam parietem.
SC. Heus Palæſtrio machæra nihil opus. PA. quid iam, aut quid opus eſt?
SC. Domi eccam herilem concubinam. PA. quid? domi? SC. in lecto cubat. B
PA. Ædepol næ tu tibi malam rem reppeririſti, vt prædicas.
SC. Quid iam? PA. quia hanc attingere auſu's mulierem hîc in proximo.
SC. Magis hercle metuo. ſed numquam quiſquam faciet, quin ſoror.
Iſta ſit germana huius. PA. eam pol tu hic oſculantem videras.
Et quidem palàm eſt eam eſſe vt dicis. SC. quid propius fuit
Quàm vt perirem, ſi locutus fuiſſem hero? PA. ergo ſi ſapis,
Muſſitabis. plus oportet ſcire ſeruum, quàm loqui.
Ego abeo à te. ne quid tecum conſilij commiſceam.
Atque apud hunc vicinum. tuæ mihi turbæ non placent. C
Herus ſi veniet, ſi me quærit, hîc ero, hinc me arceſſito.

INDE IGNEM IN ARAM, &c.] Philocomaſium, ea ipſa, quam Sceledrus cum Pleuſide oſculantem vidit, domo Periplectomenis exiens, quaſi ſoror ſit germana, & gemina huius Philocomaſij, non Philocomaſium, quaſique peregrè paullò antè venerit, & ex aduerſa tempeſtate, ſæuiſq. fluctibus ſeruata ſit, hîc Dianæ Epheſiæ ſacrificare, & gratias agere, & vota ſoluere parat. alloquitur autem ancillam his verbis, Inde ignem, id eſt, iniice, ſeu impone ignem in aram, &c. LAVDES LATAS,] laudes amplas & magnas, &c. Nonnulli legi volunt, *lætas*. ego nihil muto. EÍQVE VT ARABICO FVMIF. OD. AM.] & vt ei fumum faciam, id eſt, ſuffitum; ſeu ſuffimentum faciam, odore Arabico, id eſt, ture Arabico incenſo, ſeu turis Arabici odore incenſo. Feſtus, *Arabicè olet*, id eſt, *ex odoribus Arabicis*. Animaduertat autem lector Plautum initiò affingere huic ſimulatæ Philocomaſij ſorori, ſermonem pœnè tragicum, propterea quòd, opinor, de rebus diuinis, & de tempeſtatibus turbulentis, quas effugit, loquitur. IN LOCIS NEPTVNIIS,] in mari. non eſt hic ſermo comicus. TEMPLÍSQ. TVRBVLENTIS,] D idem ferè dicit. nam templa turbulenta, ſunt maria ventis concitata, & turbulẽta. Templum, inquit Varro lib. 6. de lingua Lat. tribus modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, à ſimilitudine. cetera diſce ex ipſo Varrone. Hoc tamen addam, quemadmodum cæli templa, & Acheruſia templa dicunt poëtæ, ita & Neptunia, ſeu Neptuni templa. QVÆ HINC EXIT, &c.] quæ ex ædibus Periplectomenis modò egreditur. hinc, δεικτικῶς. QVOMODO HÆC HINC NVNC P.] quomodo hæc potuerit ex ædibus noſtris in ædeis Periplectomenis tranſire. hinc, iterum δεικτικῶς pronuntiandum, & geſtu adiuuandum. alioqui oratio eſſet obſcura, & confuſa. AN DVBIVM TIBI'ST, EAM ESSE HANC?] an dubitas, quin hæc ea ſit? HISCE IN ÆDIBVS] Periplectomenis. VAGAS.] vagaris. notat Nonius, in verbo, *vagas*: & profert hunc verſum. nos quoque in commentariis Lucret. notauimus. QVICVM TV FABVLARE?] cum quo tu loqueris? QVID NEGOTII'ST?] ſubint. tibi. MIHI ODIOSV'S, QVISQVIS ES.] mihi odioſus es, quiſquis es. ENIM NE NOSMET PERDIDERIMVS VSPIAM] ſic ſuprà in Amphitr. *dij immortales. obſecro voſtram fidem. Vbi ego perij? vbi ego immutatus ſum? vbi ego formam perdidi? An egomet, me illic reliqui?* &c. Notandum autem, *enim*, præpoſitum. quamquam & ſimiliter alibi, tum apud hunc, tum apud nonnullos alios probatos Latini ſermonis auctores. ſuprà in Aulul. *enim mihi quidem æquum eſt, purpuram, atque aurum dari.* NOSTRI AN ALIENI SVMVS]



A SVMVS] noſtræ familiæ, an alienæ ſimus. *noſtri*, numeri multitudinis, recti caſus. infrà non longè, *Certè equidem noſter ſum*. NEDVM QVISPIAM] *dum* hoc loco nihil ſignificat, aut hoc totum, *nedum*, poſitum pro, ne fortè. IMPRVDENTIS.] inſcienteis. QVÆ TE INTEMPERIÆ TENENT?] ſuprà in Aulula. princip. *Neſcio pol quæ illhunc hominem intemperiæ tenent*. & in Epid. *quæ intemperiæ te tenent?* PERPLEXO.] perplexibili, obſcuro, figurato. Terent. Eunuch. *Pergin' ſceleſta mecũ perplexè loqui?* QVIS IGITVR VOCARE?] quæ igitur, id eſt, quo nomine igitur vocare? *Quis* apud Veteres, communis generis. GEMINAM GERMANAM MEAM HÎC SOROREM, &c.] audiui ſororem meam ex eodem partu editam, iiſdem parentibus natam, atque ex iiſdem nuptiis, hîc eſſe. MANIFESTARIA RES EST.] manifeſta res eſt. ſuprà in Aulul. *obtrunco gallum furem manifeſtarium*. AT IAM CREPABVNT MANV. M. T.] id eſt, at iam tibi colaphum infringam, at iam malas tuas manu percutiam, &c. ALTRINSECVS?] altera ex parte? NIHIL MOROR, NEGOTIOSVM MIHI, &c.] nolo meo tergo aliquid à virgis negotij faceſſi. nolo tergo meo aliquid eſſe cum virgis negotij. nolo tergum meum in plagis perferendis eſſe occupatum. INGRATIIS] ingratiis, idem valet, quod ſuprà proximè dixit, inuitam. compoſitum autem eſt ex, in, & gratiis. de quo in commentariis Lucret. & in his Plautinis alibi. Nam vſurpat & Plautus ſæpenumerò. OSTIVM HOC MIHI DOMIC.] domus, cuius hoc oſtium eſt, mihi domiciliũ eſt: ego in hac domo, cuius hoc oſtium eſt, habito, ſeu domicilium collocaui. ATHENIS DOMVS, ATQ. HERVS.] domicilium nobis eſſe poteſt etiam in alienis, atque externis locis: domus in patria tantùm. ISTAM DOMVM] veſtram. LEGE AGITO.] ius experitor. actionem mihi intendito. ſuprà in Aulularia. *Lege agito mecum: moleſtus ne ſis: i, & cepam coque*. compoſitæ ſunt autem actiones ex legibus xij tabularum: & fuit hæc tertia pars iuris, legis actiones. nam prima pars fuit, leges xij. tabularũ: ſecunda, ius ciuile: quod continebatur auctoritate, & reſponſis iuriſconſultorũ. NISI DAS FIRMATAM FIDEM.] non dicit, *niſi das fidem*, ſimpliciter: ſed *niſi das firmatam fidem*. firmatur autem fides, iureiurando, ſponſoribus, & fideiuſſoribus, &c. Quamquam videtur hîc dare firmatam fidem poſitum ſimpliciter, pro dare fidem, vel certè pro dare fidem certam, ſtabilem, ac bonam. nam infrà vbi Philocomaſiũ fidem dat, ſe, ſi omittatur à Sceledro, domum militis introituram, nullum iuſiurandum interponit. MVLIEBRI] leui, fluxa. QVÀM POTIS] quàm potis eſt: quàm poteſt. ordo autem verborum, hic eſt: ea mulier, tam eſt noſtra herilis concubina, quàm poteſt eſſe. VIN' TV HOC FACERE STR.?] vin' tu hoc, quod ego tibi dicam, facere ſtrenuè? INTVS.] domo. IN AEDEIS] Periplectomenis. QVAMQVAM] quemcumque. OBTRVNCABO] ſuprà in Amphitr. *Et ipſus Amphitruo obtruncauit regem Pterelam in* C *prælio*. NEQ. EQVES, NEQ. PEDES PROFECTÒ Q. T. AVD. QVI ÆQVE F. CONF.] ſic Eurip in Auge. γυναῖκες ἐσμέν· τὰ μὲν ὄκνῳ νικώμεθα· τὰ δ' οὐκ ἂν ἡμῶν θράσος ὑπερβάλλοιτό τις. id eſt, mulieres ſumus. In quibuſdam timiditate ſuperamur, in nonnullis non eſt, qui nos audacia ſuperare poſſit. Plauti, ſeu Palæſtrionis ſenſum hunc eſſe puto, muliere, in mentiendo, in fallendo, in dolis cõfingendis nihil eſſe cõfidentius, nihil audacius. VT VTROBIQ. ORATIONEM DOCTÈ, ET CATÈ DEDIT.] ſic hunc verſum expleuimus, qui duabus ſyllabis, vna breui, altera longa claudicabat, ſcripturæ veteris veſtigia ſecuti. ſentẽtia autẽ primùm planiſſima eſt: deinde verſus ſuis nunc pedibus, ac numeris conſtat: videlicet vt *orationem* κατὰ συνίζησιν, intelligatur eſſe quattuor ſyllabarum. *vtrobique* autẽ, id eſt, & vbi Philocomaſij parteis agebat, & vbi eius ſororis. catè, hoc eſt, acutè, vafrè, callidè. VT SVBLINITVR OS, &c.] quàm lepidè decipitur, & illuditur Sceledrus conſeruus meus, cuſtos mulieris, vt is ſibi videtur, callidus & ſollers, & prouidus. ſuprà in Epid. *Senex, tibi os eſt ſublitũ planè, & probè*. CVSTODI CAVTO,] cuſtodi quamtumuis cauto, & prouido, & vigilanti: infrà in Pſeud. *Victor ſum: vici cautos cuſtodes meos*. NIMIS BEAT.] nimis iuuat, &c. nimis beati ſumus: &c. ni- D mis hoc nos beatos reddit, quòd commeatus ex domo Periplectom. in domum noſtram per medium, & communem parietem trauerſus patet. TRANSTINET] tranſuerſum tenet. tigna dicuntur propriè tranſtinere duos parietes diſiunctos, vt rectè notarat Simeo Boſius. QVIA HANC ATTINGERE AVSV'S MVL. HÎC IN PR.] quia auſus es hanc mulierem, quæ in proximo habitat, Philocomaſij ſororem attingere. Vide, vt Palæſtrio fallaciam adiuuet, qui ſimulet ſe credere duas eſſe meretrices, cùm ſit vna. SED NVMQVAM QVISQVAM F. QVIN SOR. &c.] nunc labare incipit Sceledrus. deſinit enim iam aſſeuerare eam puellam, quam viderit, oſculãtem, & quam poſtea attigerit, eſſe Philocomaſium. hoc vnum tenet, & hoc ſat habet, eſſe Philocomaſij ſororẽ germanam, & geminam. EAM ESSE VT DICIS.] eam eſſe Philocomaſij ſororem germanam. SI LOCVTVS FVISSEM HERO?] ſi militi dixiſſem, me vidiſſe Philocomaſium in ædibus vicini cum alieno oſculantem? MVSSITABIS.] tacebis, labra comprimes, ne mu quidem facies. PLVS OPORTET SCIRE SERVVM, QVÀM LOQVI] γνώμη, ſeruo homini enim non licet παῤῥησιάζειν, neque ἐλευθεροστομεῖν, id eſt, audenter, & ore libero loqui: itaque plura etiam audire debet, quàm loqui. Quin omnes homines, plura debent audire, quàm loqui, quando duæ nobis à natura ſunt aures datæ, lingua vna. NE QVID TECVM CONSILII COMM.] ne contagio tua mihi noceat, ſcilicet. ATQVE APVD HVNC VICINVM] atque apud vicinum ero.

## SCELEDRVS. PERIPLECTO.

A
SAtin' abiit ille? neque herile negotium
Plus curat, quàm ſi non ſeruitutem ſeruiat.
Certò quidem illa hîc noſtra intus'ſt in ædibus.
Nam ego cubantem eam modò offendi domi.
Certum eſt nunc obſeruationi operam dare.
Peripl. Non hercle hice homines me marem, ſed fæminam
Vicini rentur eſſe ſerui militis.
Ita me ludificant, meámque hîc in viā hoſpitam,
Quæ heri huc Athenis cum hoſpite aduenit meo,
Tractant & ludificant ingenuam & liberam. B
SC. Perij hercle. hic ad me rectà habet rectam viam.
Metuo, illæc mihi res ne magno malo fuat.
Quantum hunc audiui facere verborum ſenem.
PE. Accedam ad hominem. tun' Sceledre hic ſcelerum caput,
Meam ludificaſti hoſpitam ante ædis modò?
SC. Vicine auſculta quæſo. PE. ego auſcultem tibi?
SC. Expurgare volo me. PE. tun' te expurges mihi?
Qui facinus tantum, támque indignum feceris?
An quia latrocinamini, arbitramini
Quiduis licere facere vobis, verbero?
SC. Licétne? PE. at ita me di deǽque omnes ament, C
Niſi mihi ſupplicium virgarum de te datur
Longum, diutinúmque, à mane ad veſperum,
Quòd meas confregiſti imbrices & tegulas,
Ibi dum condignam te ſectaris ſimiam,
Quódque inde inſpectauiſti meum apud me hoſpitem
Amplexum amicam cùm oſculabatur ſuam,
Quódque concubinam herilem inſimulare auſus es
Probri, pudicam, méque ſummi flagitij,
Tum quòd tractauiſti hoſpitam ante ædes meas,
Niſi mihi ſupplicium vlmeum de te datur, D
Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quàm magno vento plenum eſt vndarum mare.
SC. Ita ſum coactus, Periplectomene, vt neſciam
Vtrùm me poſtulare tecum prius æquom ſiet,
Niſi iſthæc non eſt hæc, neque iſta ſit mihi.
An me expurgare hic tibi videatur æquius,
Sicut etiam nunc neſcio quid viderim:
Ita eſt iſthæc huius ſimilis noſtræ tua,
Si quidem non eadem'ſt. PE. viſe ad me intrò, iam ſcies.
SC. Licétne? PE. inquire, iubeo, & placidè noſcita.
SC. Ita facere certum eſt. PE. heus Philocomaſium, citò

Tranſcurre



A Tranſcurre curriculo ad nos. ita negotium eſt.
Pòſt quando exierit Sceledrus à nobis, citò
Tranſcurrito ad vos rurſum curriculo domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuſcauerit.
Si hic non videbit mulierem, aperitur dolus.
SC. Prò di immortales, ſimiliorem mulierem,
Magíſque eandem, vtpote quæ non ſit eádem, non reor
Deos facere poſſe. PE. quid nunc? SC. commerui malum.
PE. Quid igitur? eán' eſt? SC. etſi ea eſt, non eſt ea.
PE. Vidiſtin' iſtam? SC. vidi, & illam & hoſpitem
Complexam atque oſculantem. PE. eán' ergo eſt? SC. neſcio.
B PE. Vin' ſcire planè? SC. cupio. PE. abi intrò ad vos domum
Continuò, vide ſítne iſta hæc voſtræ intus domi.
SC. Licet, pulcrè admonuiſti. iam ego ad te exibo foràs.
PE. Numquam ædepol hominem quemquam ludificarier
Magis facetè vidi, & magis miris modis:
Sed eccum egreditur. SC. Periplectomene, te obſecro
Per deos atque homines, pérque ſtultitiam meam,
Pérque tua genua. PE. quid obſecras me? SC. inſcitiæ
Meæ & ſtultitiæ ignoſcas: nunc demum ſcio
Me fuiſſe excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomaſium eccam intus. PE. quid nunc furcifer,
C Vidiſtin' ambas? SC. vidi. PE. herum exhibeas volo.
SC. Meruiſſe equidem me maximum fateor malum,
Et tuæ feciſſe me hoſpitæ aio iniuriam.
Sed meam eſſe herilem concubinam cenſui,
Cui me cuſtodem herus addidit miles meus.
Nam è ſummo puteo ſimilior numquam poteſt
Aqua aquæ ſumi, quàm hæc eſt, atque iſta hoſpita.
Et me deſpexe ad te per impluuium tuum
Fateor. PE. quid ni fateare, ego quod viderim?
SC. Sed Philocomaſium me vidiſſe cenſui.
D PE. Ratú'ſne me ſic hominem eſſe omnium minimi pretij,
Si ego, me ſciente, paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam inſignite iniuriam?
SC. Nunc demum me inſipientem factum eſſe arbitror,
Cùm rem cognoſco: at non malitioſè tamen
Feci. PE. immò indignè: namque hominem ſeruum ſuos
Domitos habere oportet oculos, & manus,
Orationémque. SC. egóne? ſi poſt hunc diem
Mutiuero, etiam quod egomet certò ſciam,
Dato excruciatum me. egomet me dedam tibi.
Nunc hoc mihi ignoſcas quæſo. PE. vincam animum meum,
Ne malitioſè factum id eſſe abs te abitrer.

Ignoſcam tibi iſtuc. SC. at dij tibi faciant bene. A
PE. Næ tu hercle,ſi te dij amant,linguam comprimes
Poſthac:etiam illud quod ſcies,neſciueris.
Ne víderis,quod víderis. SC. bene me mones.
Ita facere certum eſt me.ſatin' oratus abiit?
Nunquid nunc aliud me vis? PE. ne me noueris.
SC. Dedit hic mihi verba.quàm benignè gratiam
Fecit,ne iratus eſſet?ſcio quam rem gerat,
Vt miles cùm extemplò à foro aduenìat domum,
Domi comprehendat vnà:hic & Palæſtrio
Me habent venalem.ſenſi,& iamdudum ſcio.
Numquam hercle ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam. B
Nam iam aliquò aufugiam,& me occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ,atque iræ leniunt.
Nam nunc ſatis & plus nimio merui mali.
Verumtamen de me quicquid eſt,ibo hinc domum.
PE. Illic hinc abſceſſit ſat ædepol certò ſcio
Occiſam ſuem ſæpè plus ſapere,
Cùm manducatur,ne id quod vidit,viderit.
Nam illius oculi atque aures,atque opinio
Transfugêre ad nos.vſque adhuc actum eſt probè.
Nimium feſtiua mulier operam præbuit.
Redeo in ſenatum rurſus.nam Palæſtrio C
Domi nunc apud me'ſt:Sceledrus nunc autem foris.
Frequens ſenatus poterit nunc haberier.
Ibo intrò,ne, dum abſum, illis ſortito fuat.

OFFENDI] κατέλαβον,reperi. CERTVM EST NVNC OBSERVATIONI OP. D.] deliberatum mihi eſt,nunc diligenter foreis noſtras obſeruare,ne Philocoma.exeat. NON HERCLE HICE HOMINES ME MAREM, SED FÆM.] fæmina, quia ignaua, (muliere enim nihil ignauius) iniuriæ oportuna atque obnoxia eſt. contrà,mares,ſeu viri,quia ſunt ad iniuriam,ſi quam fortè acceperunt, referandã expediti,promti,ac parati,hoc eſt,quod Græci dicũt ἀμυντικοί,non temerè iniuſtè læduntur. Terent.in Adelph. *Abi, virum te iudico*.ſuprà in Bacchid.*Non me arbitratur militem, ſed mulierem.* ad quem locum hac de re plura. Hîc Periplectomenes conſiliorum Palæſtrionis particeps,& ſocius,& Pleuſidi operã dans, vbi audiuit Philocomaſium à Sceledro viſam,& tractatam eſſe in via, & pœnè in manifeſto facinore deprehenſam, ac domum militis inuitam,ac vi abductã, cùm ea ſimularet ſe eſſe Philocomaſij ſororem: id ſe iniquo animo ferre ſimulat, quaſi hoſpitæ ſuæ, & ſibi grauis iniuria facta ſit. D VICINI RENTVR ESSE SERVI MILITIS] ordo eſt,ſerui militis vicini non me rentur eſſe marem,ſed fæminam,&c. TRACTANT,] attrectant. Cic.pro Cœl. *Eſt enim dictum ab illis,fore qui dicerent,vxores ſuas è cena redeunteis,attrectatas eſſe à Cælio.* FVAT.] ſit. ACCEDAM AD HOM.] hæc loquitur apud ſe Periplectomenes,vt ſpectator audiat,non Sceledrus. SCELERVM CAPVT] ſceleratiſſime.infrà in Pſeud.*Mihi libet nunc venire Pſeudolum, ſcelerum caput.*ſuprà in Curcul.*O ſcelerum caput:Salueto.quid agis?* AN QVIA LATR. &c.] hoc propter militem, Sceledri herum. Lattrones autem olim dictos eſſe cõductos milites,& corporis regũ ſtipatores,ac ſatellites, iam antè docuimus. Aliter M. Tull.pro Milone.*Proinde quaſi Appius ille Cæcus viam muniuerit,non qua populus vteretur,ſed vbi impunè ſui poſteri latrocinarentur.* LICETNE?] ſubint.loqui?ſeu expurgare me? NISI MIHI SVPPLICIVM VIRG. DE TE DATVR, &c.] id eſt, niſi mihi virgis pœnas longas,& diutinas dabis,&c.herum tuum dedecoris pleniorem faciam,&c.Si cuius ſeruus alteri damnum intulerit,vel arbitrio eius, qui damno affectus erat, ſeruus plectebatur,vel noxæ dedebatur,vel dominus litis æſtimationem ſufferebat,vel,vt ex hoc loco apparet,

dedecore



A dedecore afficiebatur. QVOD MEAS CONFREGISTI IMBRICES, &c.] criminum aceruus in ſeruum Sceledrum vno ferè ſpiritu ab irato Periplectomene cõtinuatus.& ſanè notanda verborũ mira congeries irato ſeni,aut certè ſe iratum ſimulanti,à poëta attributa, atque affitcta.ſunt autem imbrices,tegulæ cauatæ,& ſemirotundæ, quibus aqua pluuia defluit. Sunt & canales.ſuprà in Moſtellaria.*Confringit tegulas, imbriceſq.* AMPLEXVM AMICAM CVM OSC. S.] amplexum amicam ſuam,cùm eandem amicam ſuam oſculabatur. amplexum,participium accuſandi caſus à recto amplexus,a,um. SVMMI FLAGITII] ſummæ turpitudinis:facti turpiſſimi. TRACTAVISTI.] attrectaſti,vt ſuprà. NISI MIHI SVPPLICIVM VLMEVM DE TE D.] idem ferè dicit,quod ſuprà,ibi. *Niſi mihi ſupplicium virgarum de te d.* Sed quia verſus ille lõgiuſculè abeſt,hunc paullùm immutatum addidit. ſic autem eſſe legendum,vt edidimus, non vt vulgò,*Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum datur:*(quæ lectio nullo modo ferri poteſt)*neque niſi mihi ſupplicium ſtimuleum de te datur.* quamquam hæc ferri poteſt:cùm verſus ille ſuprà poſitus,cuius eadem,atque huius ſententia debet eſſe, tum obſcura noſtrorum librorum manuſcript.veſtigia peruincunt.nam ſupplicium vlmeum, & ſupplicium virgarum, idem valent.ſuprà in Aſina.*Ipſos,qui tibi ſubuectabant rure virgas vlmeas.* Ibidem. *Mihi tibique interminatu'ſt nos futuros vlmeos.* Si quis tamen *ſupplicium ſtimuleum*,retinendum contendet, non pugnabo. B vt intelligamus per ſupplicium ſtimuleum,ſuppliciũ tale,quo Sceledro coxendix,& latera,& tergum, ſtimulo fodiantur.ſuprà in Bacchid.*Cor ſtimulo foditur.* NIC.*pol tibi multo æquius eſt coxendicem.* In Aſin.*Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit.* MERC.*quieſce,quæſo.* LEON.*qui latera conteram tua.* Idem in Curcul.*Etiam mihi quoque ſtimulo fodere libet te.* In Menæchm.*at ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.* Omnino ea,quam ſecutus ſum,ſcriptura mihi magis placet,*ſupplicium vlmeum*:atque ita à Plauto ſcriptum eſſe arbitror. DEDECORIS PLENIOREM H. F. T. QVÀM, &c.] hyperbole.nam magno vento coorto,ne cogitari quidem poteſt, quot vndis, ac fluctibus mare agitetur. Sic Virg.li.7.Æneid. *Quàm multi Libico voluuntur marmore fluctus,Sæuus vbi Orion hibernis conditur vndis*,&c. ITA SVM COACTVS, PERIPLECTOMENE, &c.] videtur legendum,*Eò ſum redactus,Periplectomene vt neſc.*&c.longè planiore ſententia. quamquam hæc quoque recepta lectio ferri poteſt,vt eam ſic explicemus. Ita in anguſtum coactus ſum: vel ſic, in tantas anguſtias coactus ſum,&c. VTRÙM ME POSTVLARE PRIVS, &c.] id eſt, vtrùm me poſtulare prius abs te ſit æquum,ſi iſthæc puella, quæ apud te eſt, non eſt Philocomaſium, vt neque hæc,id eſt,nec Philocomaſium, ſit mihi iſthæc veſtra:an me expurgare, &c. licet & verbum *poſtulare*,accipere pro, expoſtulare hoc modo. vtrùm me tecum expoſtulare, id eſt,concer- C tare verbis,& contendere conquerendo prius ſit æquum,ſi iſthæc puella,quæ domi veſtræ eſt, non eſt Philocomaſium,vt,&c. Præclarè autẽ totus hic locus à nobis reſtitutus eſt,& ſentẽtiam hanc ſcriptura poſtulante,& libris veteribus eam adiuuantibus. Nam quod Camerarius edidit, *Niſi iſthæc,non eſt hæc,neque iſta ſit mihi.* ferri non poteſt. Vulgata autẽ,*ſi iſthæc,non eſt iſthæc,neq. iſthæc eſt mihi:* planè vitioſa,ac mendoſa eſt. Quæ tamen ſic emendari poſſet,*ſi iſthæc non eſt hæc, neque ſit hæc iſthæc mihi.* optima ſententia,& eadem,quæ noſtra ſuperiore reſtitutione exprimitur. ITA EST ISTHAEC HVIVS SIMIL. N. T.] ordo eſt,ita eſt iſthæc tua huius noſtræ ſimilis. SI QVIDEM NON EADEM'ST.] ſi modò non eſt eadem. VISE AD ME INTRO. IAM SC.] viſe ad me,id eſt,viſe in ædeis meas,tum certò ſcies, duas eſſe ſorores inter ſe tam ſimileis, vt ægrè internoſci poſſint,& te non Philocomaſium oſculantem vidiſſe,ſed eius ſororem, quæ apud me eſt. *viſe ad me* autem, vſitatum bonis ſcriptoribus loquendi genus:cuius plura exempla collegimus in commentariis Lucretianis. ET PLACIDÈ NOSCITA.] & otioſè, tuóque commodo,atque arbitratu,ſtude cognoſcere.ſuprà in Bacchid. *ah placidè vola Vnumquidque agamus.* Idem in Moſtell. *Curriculò abi.* HEVS PHILOCOMASIVM, CITÒ TRANSC.] Periplectomenes interea præcurrit domum,& iubet Philocomaſium, quæ nunc eſt in ædibus mili- D tis,in ædeis ſuas properè tranſire, vt hoc facto, Sceledrus,cui viſendi,& inquirendi,& noſcitandi poteſtas à Periplectomene facta eſt, eam in ſenis vicini domo offendens, credat aliam eſſe puellã,Philocomaſij ſimillimam,non Philocomaſium;vt pote quam reatur eſſe in ædibus militis,atque adeò quam ipſe in lecto cubantem viderit, & diligenter oſtium obſeruans, pedem limine non extuliſſe certò ſciat. TRANSCVRRE CVRRICVLÒ AD NOS.] curriculò aduerbium,ſic in Perſa.*Vola curriculò.* ITA NEGOTIVM EST.] vt ad nos tranſcurras, res poſtulat.ſic in Bacchid. *iam facite in biclinio,Cum amica ſua vterque accubitum eatis.ita negotium eſt.* & item ſæpè alibi. NEQVID INFVSCAVERIT.] nequid Philocomaſium eorũ, quæ ei præcepta, ac præmonſtrata ſunt,turbauerit, ſeu corruperit. Videtur tranſlatum ab iis, qui vinum nimia aqua diluunt,quod eſt infuſcare.ſuprà in Ciſtell. *Raro nimiùm dabat quod biberem. id merum infuſcabat.* Alij malunt hîc legi,infucauerit,vt habent libri vulgari,verbis Feſti commoti, in verbo,*offucare*,quod ille interpretatur,*aquam in fauceis ad ſorbendum dare.* Sed errant illi. Nam primùm libri veteres habent,*infuſcauerit:* deinde,neque *infucare* Latinum eſt,neque ſi eſſet, hîc locum habere poſſet. VT POTE QVAE NON SIT EADEM,] Nunc planè credit Sceledrus non eſſe eandem. Sed quorſum hoc,*vt pote quæ non ſit*, &c. quia nullum ſimile eſt idem. &, ſi puella, quæ eſt apud Periplectomenem,& quam vidit oſculantem Sceledrus, eſt Philocomaſium ipſa, non ſunt duæ mulieres ſimiles, ſed vna eſt, & eadem. COMMERVI MALVM.] verbum

*commereo* perſpicuè hîc in malo locum habet, vt ſemper alibi. In Epid. *ita ex voltu tuo videor videre* A
*te commeruiſſe, Hinc me abſente, in te aliquid mali.* PÉRQ. STVLT. MEAM] hîc maximum, atque
effuſiſſimum riſum ſpectatorib. motiiſſe Sceledrum, credibile eſt, quia vident, & intelligunt illi,
quòd Sceledrum fallit. Putat enim Sceledrus ſe in eo ſtultum fuiſſe, & idcircò ſe ſtultitia arguit,
atque adeò damnat, quòd crediderit, ſe Philocomaſium vidiſſe oſculantem in eius domo cum
alieno: quæ non eſt ſtultitia: nam re vera Philocomaſium viderat oſculantem. Sed ſpectatores
Sceledri ſtultitiam in eo poſitam eſſe intelligunt, & Sceledrum à ſe ipſo inſciente ſtultitiæ verè
condemnari perſpiciunt, quòd ita à Palæſtrione, & ſene ludificetur: qui credat vnam mulierem,
duas eſſe, ita ex hoc errore incredibilis voluptas ſpectatorib. paritur. PÉRQ. TVA GENVA]
genua tangebant eorum, quibus ſupplicabant: & per res iis, quos orabant, cariſſimas orabant.
INCOGITABILEM] cogitationis expertem, inconſideratum, ſine cogitatione. perſpicuè hîc
nomen *incogitabilis*, ἐνεργητικῶς accipiendum, cuius generis alia ſunt non pauca, vt ſuo loco in-
dicauimus. Sed conſulendus index in littera n. ſub nominibus in bilis. EXHIBEAS] producas.
CENSVI.] exiſtimaui. NAM è SVMMO PVTEO SIMIL. NVMQ. P. AQVA
AQVÆ S. &c.] ſic ſuprà in Menæchm. *Neque aqua aquæ, neque lacte eſt lacti mihi crede, vſquam*
*ſimilius, Quàm hic tui eſt, túque huius.* non temerè autem *è ſummo puteo* addidit. nam aqua,
quæ in ſummo puteo eſt, ei, quæ in fundo eſt, diſſimilis plerumque eſt. nam quæ è fundo pe- B
titur, turbida, & cœnoſa eſt: quæ è ſummo, illimis, & liquida. DESPEXE] deorſum adſpexiſ-
ſe. RATÚS'NE ME SIC HOM. &c.] túne me exiſtimaſti hominem tam nequam, & con-
temtum eſſe, vt ego vicino meo, hero tuo, paterer, me ſciente, tam inſignitè fieri iniuriam? SI
ÈGO ME SCIENTE, &c.] planior & vſitatior eſſet oratio, ſi legeretur, *vt ego, me ſciente*, &c.
Sed cúrnon dixit, *ſi ego ſciens paterer vicino meo*, &c.? Licebat etiam ita loqui, ſed altero modo vo-
luit: quod tamen non eſt inuſitatum. INDIGNÈ] rectè. nam indignum eſt à ſeruo iniuriam ac-
cipere, & indignum eſſe dicimus, homines improbos honore affici. hinc indignari, & indigna-
tio, & illa, quam Græci appellant νέμεσιν: quæ etiam in deos cadit. NAM HOMINEM SER-
VVM SVOS DOMITOS, &c] non ſeruum ſolum, ſed & prætorem, & omnem reip. guber-
natorem domitos oculos, & manus habere oportet. notum illud Periclis ad Sophoclem. *At*
*enim Prætorem, Sophocle, decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinenteis habere.* quod alibi retulimus, &
refert M. Tullius Officiorum libro 1. Suprà in Bacchid. *Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui.*
MVTIVERO,] vel mu fecero. DATO EXCRVCIATVM ME] id eſt, reddito me excru-
ciatum. Quidam legi volunt, *dato in cruciatum me*: ſanè non malè. ſic enim loquuntur interdum
Latini: ſic M. Tullius: ſic ipſe Plautus. Sed ſi hæc vſu recepta, quæ reperitur in libris omnibus, C
ferri, ac defendi poteſt, cur ego eam reiiciam, alia ſubſtituta, quæ ſola coniectura nitatur? ME
DEDAM TIBI.] vt de me ſumas pœnas tuo arbitratu. non poterat enim aliter ſeruus, quibus
iniuriam fecerat, aut damnum intulerat, ſatisfacere. VINCAM ANIMVM MEVM.] mihi
imperabo, vt tibi ignoſcam, & vt credam tibi, te imprudentem feciſſe κρατήσω θυμοῦ. Sic M.
Tull. Philipp. 12. *Sed vincam animum, mihíque imperabo: dolorem iuſtiſſimum ſi non potero frangere, occulta-*
*bo.* Idem libro 12. epiſt. ad Attic. epiſt. 44. princip. *Vincam, opinor, animum: Lanuuio pergam in Tuſcula-*
*num.* Idem libro 4. Acad. quæſt. *vincam animum, cuique aſſentiar, deligam.* Cornificius ad Herenn. lib.
4. non longè ab extr. *vicit hic te: vince tu animum tuum.* Plaut. in Pſeud. *quónam pacto poſſim vincere a-*
*nimum?* Non admodum diſſimile eſt illud Horatianum ſat. 5. lib. 2. *fortem hoc animum tolerare iubebo.*
Quod ex Homero ſumtum eſt ὀδυσ. τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. MA-
LITIOSÈ] per malitiam. dedita opera. de induſtria, doloſè. conſultò. ETIAM ILLVD,
QVOD SCIES, NESCIVERIS.] etiam illud, quod ſcies, ſic tacueris, vt ſi neſcias. alioqui
non poſſumus neſcire quod ſcimus. ſed hoc ſignificat, faciendum ei eſſe, vt id, quod ſcit, ita ha-
beat, vt ſi neſciat. ſic Terentius. Eunuch. *tu pol, ſi ſapis, Quod ſcis, neſcis, neque de Eunucho, neque de vitio*
*virginis.* ad quem locum iuuabit legere, quæ adſcribit Donatus. Idem in Heautont. *tu neſcis, quod* D
*ſcis, Dromo, ſi ſapis.* NE VIDERIS, QVOD VIDERIS.] eadem verborum figura dictum,
qua illud ſuperius proximus. quomodo poteſt quiſquam non vidiſſe quod vidit? ſed hoc dicit,
vt diſſimules te vidiſſe, quod videris. vel ſic, vt ita te geras, quaſi quæ videris, non videris. DE-
DIT MIHI VERBA.] non ſeriò mihi ignouit, neque ex animo. ſimulat ſe mihi ignoſcere,
vt me imparatum, atque incautum opprimat. GRATIAM FECIT.] ſubintell. culpæ, ſeu
peccati. culpam remiſit, & gratificatus eſt: culpam condonauit? Paullò aliter vſurpauit, gratiam
facere, in Caſina. ibi. *Dicam enim, mea mulſa, de iſthac Caſina huic noſtro villico gratiam facias.* HIC, ET
PALÆSTRIO ME HAB. VENALEM] ſic Creon apud Sophoclem in Antigona ſe à ſuis
venditum eſſe queritur. verba Creontis hæc ſunt; quæ eò libentius referam, quòd vulgò men-
doſè in omnib. editionibus leguntur: id, quod nuper, cùm eam tragœdiam Lutetiæ meis audi-
torib. explicarē, indicaui. ſic igitur Sophocles. Ὦ πρέσβυ, πάντες, ὥστε τοξόται σκοποῦ, Τοξεύετ'
ἀνδρὸς τοῦδε, κ' οὐδὲ μαντικῆς Ἄπρακτος ὑμῖν εἰμι· τῶν δ' ὑπαὶ γένους Ἐξημπόλημαι, κ' ἀκπεφόρ-
τισμαι πάλαι. hoc eſt, ô ſenex, omnes vt ſagittarij, qui ſignum petunt, in hunc virum ſagittas di-
rigitis, neque à me vates abſtinēt, quin me vendāt ab horum genere corrupti: venundatus ſum,
& in nauem onerariam iampridem impoſitus ſum. NVMQVAM HERCLE EX ISTA
NASSA EGO HODIE ESCAM PETAM] naſſa, inquit Feſtus, piſcatorij vaſis genus eſt,
quò



A quò cùm intrauit piſcis, inde exire non poteſt. deinde profert hunc verſum. ſignificat igitur Sce-
ledrus, ſe domum heri non iturum, vbi futurum ſit, vt, tamquam piſcis, ab hero, & Palæſtrione
capiatur, & vnde periculum virgarum ſibi imminere videat. Allegoria eſt à re piſcatoria. DVM
HÆ CONSILESCVNT TVRBÆ,] dum hæ turbæ ſedātur. tralatio eſt. Sic Terent. Adelph.
*Niſi, dum hæ ſileſcunt turbæ, interea in angulum Aliquò abeam*, &c. ATQVE IRÆ LENIVNT.]
& dum iræ leniūtur. videtur enim poſitum actiuū pro, paſſiuo. vt apud Virg. lib. 7. Æneid. prin-
cip. *Cùm venti poſuere.* apud eundem libro 1. *voluentibus annis.* apud omneis ferè, *anno vertente.* vel le-
gendum, *leneunt.* vt *leneunt* intelligamus poſitum pro *lenent*, u, interpoſito. à leneo es. & lenent,
pro leneſcunt, id eſt, leniores fiunt. ILLHIC ABSCESSIT. (SAT ÆDEPOL CERTÒ
SCIO OCCISAM SAEPÈ SVEM, &c.] ordo verborum hic, & ſententia hæc eſt. Illhic, ſiue
ille, hinc abſceſſit. deinde quæ ſequuntur κατὰ παρένθεσιν legenda ſunt (ſat ædepol certò ſcio,
Occiſam ſuem ſæpè plus ſapere, id eſt, melioris ſaporis eſſe, cùm manducatur, ſubintell. quàm
Sceledrū, qui nihil ſapit ſcilicet, id eſt, qui inſipiens, & fatuus eſt) ille igitur hinc abſceſſit, ne id,
quod vidit, viderit. NE ID, QVOD VIDIT, V.] ſuprà non longè à princip. *eúmque ita facie-*
*mus, vt, quod viderit, non viderit.* OCCISAM SAEPÈ SAPERE PLVS MVLTO S. &c.]
ambiguum ineſt in verbo *ſapere.* Nam priore loco, cùm de ſue dicitur, pro boni ſaporis eſſe po-
B nitur: poſteriore, cùm de Sceledro, pro intelligere, & cordatum eſſe. Nam ſi quis fortè dicat, ver-
bum *ſapere* ſemel dumtaxat hîc poni, ſciat eſſe repetendum, ἀπὸ κοινοῦ, hoc modo, certò ſcio
occiſam ſæpè ſapere plus multo ſuem, quàm Sceledrum ſapere ſcilicet: vel quàm Sceledrus ſa-
pit. huc pertinet illud, quod duobus locis refert M. Tull. & libro 5. de Finib. & libro 2. de Nat.
deor. *animam illi pecudi datam eſſe pro ſale ne putiſceret.* vel vt vulgò legitur (quod minus probo) *ne*
*putreſceret.* Refert & Varro libro 2. de re Ruſtica, loquens de ſuibus cap. 4. ſed aliis verbis. *Itaque*
inquit, *iis animam datam eſſe, proinde ac ſalem, quæ ſeruaret carnem.* quo ſignificari puto, pecudem illam
nullam ad aliam rem eſſe vtilem, quàm ad veſcendum, & ſale eſſe condiendam, ne putiſcat, vt
ſit ei animæ loco, & ſeruari poſſit in multos dies, ſeu potiùs mēſes. NAM ILLIVS OCVLI,
ATQVE AVRES, ATQ. OPIN. TRANSFVGÊRE AD NOS.] id eſt, Sceledrus nihil
videt, nihil audit, nihil opinatur, niſi noſtro arbitratu: vel niſi quod volumus eum videre, audi-
re, opinari. NIMIÙM FESTIVA, &c.] nimiùm lepida, & faceta mulier præclaram operam
nauauit. Philocomaſium ſignificat. REDEO IN SENATVM R.] redeo in conſilium, ſeu
conſeſſum & locum, vbi conſilium ſine arbitris habere licet. hoc eſt, domum meam: vbi eſt Pa-
læſtrio, Pleuſides, & Philocomaſium. vel redeo in cōuentum ſenatorum. ſenatores autem ſunt,
C Palæſtrio, Pleuſides, Philocomaſium, & quartus, qui loquitur, Periplectomenes. tralatio eſt. ſic
ſuprà in Moſtell. *Capio conſilio, vt ſenatum congerronum conuocem.* & infrà, tertio abhinc verſu, *Frequens*
*ſenatus poterit*, &c. NE, DVM ABSVM, ILLIS SORTITIO FVAT,] alludit ad ſortitio-
nes, quæ fiebant in comitiis, & in ſenatu. Nam veteres Romanos, (vt de Athenienſibus hoc qui-
dem tempore ſileamus) ſortitione vſos eſſe in quæſtoribus huic, vel illi prætori, ſeu proconſuli
in prouinciam proficiſcenti, adiungendis & in prouinciis huic, vel illi prætori, ſeu proconſuli
mandādis conſtat. Hinc ſortis neceſſitudo inter prætorem & quæſtorem. Hinc illud Ciceronis
in orat. pro Ligario. *Tuberonis ſors coniecta eſt ex S. C. cùm ipſe non adeſſet, morbo etiā impediretur.* &c. & lib.
1. Accuſationū. *Quæſtor ex S. C. prouinciam ſortitus es. obtigit tibi conſularis, vt cùm cos. Cn. Carbone eſſes.* &
libro 2. epiſtolar. epiſt. vltima. *Cùm optatiſſimum nuntium accepiſſem, te mihi quæſtorem obtigiſſe, eo iucun-*
*diorem mihi eam ſortem ſperabam fore, quo diutius mecum in prouincia fuiſſes.* & libro 1. epiſt. ad Attic. *Pro-*
*uincias prætores nondum ſortiti ſunt.* Ibid. infrà. *Senatus decreuit, vt conſules duas Gallias ſortirentur.* libro 3.
accuſat. *Quas ob res quid agis Hortenſi? Conſul es deſignatus: prouinciam ſortitus es.* & proœmio actionis
primæ in Verr. *Ecce autem illis ipſis diebus, cùm prætores deſignati ſortirentur, & M. Metello obtigiſſet*, &c.
His igitur poſitis: facile eſt, quid ſentiat Periplectomenes, cognoſcere. Hoc enim ſignificat, ſibi
D eundum eſſe domum, vbi ſunt Palæſtrio, & cæteri, ne dum abeſt, ſortitio ab illis fiat, quæ cui-
que partes, & quaſi prouinciæ contingant. vel ſic, ne dum abeſt, illi ſorteis in vrnam coniiciant,
quibus eductis ſuæ cuique partes obtingant. Ad hunc locum illuſtrandum etiam illa pertinent,
quæ exſtant inter fragmenta orationis pro C. Cornelio, ibi. *Eſt vtique ius vetandi cùm ea feratur,*
*quamdiu non perfertur: quamdiu qui ſuffragij ferundi, cauſa conueniunt, huc & illuc transferuntur: dum pri-*
*uati dicunt: dum tabellæ diribentur: dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi qua ſunt*
*huius generis alia.* T. Liuius libro 27. Annal. *In conſules deſignatos omnes verſi: quàmprimùm eos ſortiri pro-*
*uincias, & præſciſcere quam quiſque eorum prouinciam, quam hoſtem haberet, volebant.* fuat autem, hîc apud
Plautum, valet, *fiat*, vel ſit. Quod autem Adr. Turnebus libro 7. Aduerſ. cap. 6. ſic legit, & ſic ex-
plicat, ne, dum abſum, illis ſortito fuam, id eſt, ne dum abſum, mala ſorte, & infeliciter illis ab-
ſim. non placet. nam, vt alias rationes miſſas faciam, hæc verba hanc ſententiam ferre non poſ-
ſunt. Sic autem eſſet legendum, quo modo ego olim antè quàm ille ſua Aduerſaria edidiſſet,
legendum putaram. *Ibo intro, ne dum abſum, illis ſortito afuam*, id eſt, ibo domum, ne dum abſum, à
ſortitione illis abſim. Nam, quin, *afuam*, idem valeat, quod abſim, non eſt dubium.

## PALÆSTRIO, PLEVSIDES, PERIPLECTO. A

COhibete intra limen etiam vos parumper Pleuſides.
Sinite me prius proſpectare,ne vſpiam inſidiæ ſient
Concilio,quod habere volumus.nam opus eſt nunc tuto loco,
Vnde inimicus nequis noſtris ſpolia capiat conſiliis.
Vnde inimicus nequis noſtra ſpolia capiat auribus.
Nam bene conſultum,inconſultum eſt,ſi inimicis ſit vſui:
Neque poteſt,quin ſi id inimicis vſui eſt,obſit mihi.
Nam bonum conſilium ſurripitur tibi ſæpiſſimè,
Si minus cum cura,aut catalogo loquendi lectum id eſt,
Quippe ſi reſciuerint inimici conſilium tuum, B
Tuopte tibi conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus.
Atque eadem quæ illis voluiſti facere,faciunt tibi.
Sed ſpeculabor,ne quis aut hinc à læua,aut à dextera
Noſtro conſilio venator adſit,cum auritis plagis.
Sterilis hinc proſpectus vſque ad vltimam plateam eſt probè.
Euocabo,heus Periplectomene & Pleuſides progredimini.
PE. Ecce nos tibi obedienteis. PA. facile eſt imperium in bonis.
Sed volo ſcire,eodem conſilio,quod intus meditati ſumus,
Si gerimus rem. PE. magis ad rem non poteſt eſſe vtibile.
PA. Immò quid tibi Pleuſides? PL. quódne vobis placeat, diſpliceat mihi? C
PE. Quis homo ſcit magis vſquam,quàm tu,loqui lepidè & cõmodè?
PA. Pol ita decet hunc facere. PL. at hoc me facinus miſerum macerat,
Meum cor,corpúſque cruciat. PE. quid eſt id quod cruciat cedo.
PL. Me tibi iſtuc ætatis homini facinora puerilia
Obiicere,neque te decôra,neque tuis virtutibus.
Eáque expetere te ex opibus ſummis mei honoris gratia,
Mihíque amanti ire opitulatum,atque ea te facere facinora
Quæ iſthæc ætas fugere facta magis,quàm ſectari ſolet:
Eam pudet me tibi in ſenecta obiicere ſollicitudinem. D
PE. Nouo modo tu homo amas,ſiquidẽ te quicquã,quod faxis,pudet
Nihil amas.vmbra es amantum magis,quàm amator Pleuſides.
PL. Hancine ætatem exercere me mei amoris gratia.
PE. Quid ais tu?itáne tibi ego videor oppidò Acherunticus,
Tam capularis,támne tibi diu videor vitam viuere?
Nam equidem haud ſum annos natus præter quinquaginta & quattuor,
Clarè oculis video,pernix ſum manibus,pedibus mobilis.
PA. Si albus capillus hic videtur,neutiquam ingenio eſt ſenex.
Ineſt in hoc amuſſitata ſua ſibi ingenua indoles.
PL. Pol id quidem experior ita eſſe vt prædicas, Palæſtrio,

Nam



A Nam benignitas quidem huius,oppido vt adoleſcentuli eſt.
PE. Immò hoſpes magis cùm periculum facies,magis noſces meam
Comitatem,erga te amantem. PL. quid opu'ſt nota noſcere?
Quom apud te exemplum experiundi habeas,ne petas foris.
PER. Nam qui ipſe haud amauit,ægrè amantis ingenium inſpicit.
At ego amoris aliquantũ habeo,humorí ſque meo etiã in corpore,
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptariis.
Vel cauillator facetus,vel conuiua commodus
Item ero,neque ego oblocutor ſum alteri in conuiuio.
Incommoditate abſtinere me apud conuiuas commodè
Commemini,& meæ orationis iuſtam partem perſequi:
B Et meam partem itidem tacere,cùm aliena oratio eſt.
Minimè ſputator,ſcreator ſum,itidem minimè muccidus.
Sic Epheſi ſum natus,non in Apulis,non ſum in Vmbria.
PA. O lepidum ſenem,ſi,quas memorat,virtutes habet:
Atque equidem planè eductum in nutricatu Venerio.
PE. Plus dabo,quàm prædicabo,ex me venuſtatis tibi.
Neque ego vmquam alienum ſcortum ſubagito in conuiuio.
Neque præripio pulpamentum,neque præuorto poculum,
Neque per vinum vmquam ex me exoritur diſſidium conuiuio.
Si quis ibi odioſus eſt,abeo domum,ſermonem ſegrego.
Venerem,amorem,amœnitatémque accubans exerceo.
C PA. Tui quidem ædepol omnes mores ad venuſtatem valent.
Cedò treis mihi homines orichalco contrà cum iſtis moribus.
PL. At quidem illuc ætatis qui ſit,non inuenies alterum
Lepidiorem ad omnes res,nec qui amicus amico ſit magis.
PE. Tute me vt fateare faciam,eſſe adoleſcentem moribus.
Ita apud omneis comparebo tibi res benè factis frequens.
Opus erit tibi aduocato triſti,iracundo?ecce me.
Opus leni?leniorem dices,quàm mutum eſt mare:
Liquidiuſculúſque ero,quàm ventus eſt fauonius.
Vel hilariſſimum conuiuam hinc indidem expromam tibi,
D Vel primarium paraſitum,atque obſonatorem optumum,
Tum ad ſaltandum,non cinædus magis aptus eſt,quàm ego.
PA. Quid ad illas arteis optaſſis,ſi optio eueniat tibi?
PL. Huius pro meritis,vt referri pariter poſſit gratia,
Tibíque, quibus nunc me eſſe experior ſummæ ſollicitudini.
At tibi tanto ſumtui eſſe mihi moleſtum eſt. PE. môrus es.
Nam in mala vxore atque inimico,ſi quid ſumas,ſumtus eſt.
In bono hoſpite atque amico quæſtus eſt,quod ſumitur.
Et quod in diuinis rebus ſumas,ſapienti lucro eſt.
Deûm virtute,tranſeuntem hoſpitio accipi,apud me eſt comitas.
Es,bibe,animo obſequere mecum,atque onera te hilaritudine.
Liberæ ſunt ædes,liber ſum. ego me vti volo liberè.

Nam mihi,deûm virtute dicam,propter diuitias meas, A
Licuit vxorem dotatam genere ſummo ducere,
Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.
PA. Cur non vis? nam procreare liberos lepidiſſimum eſt.
PE. Hercle verò,verùm liberum eſſe,id multo eſt lepidius.
PA. Tute homo & alteri ſapienter potis es conſulere,& tibi.
PE. Nam bona vxor,ſi ea quidem deducta'ſt vſquam gentium,
Vbi eam poſſim inuenire?verùm egóne eam ducam domum,
Quæ mihi numquam hoc dicat, eme mi vir lanam, vnde tibi pallium,
Malacum & callidum conficiatur,tunicǽque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme.hoc numquam verbum ex vxore audias. B
Verùm priuſquàm galli cantent,quæ me ſomno ſuſcitet,
Dicat:Da mi vir kalendis meam quod matrem iuuerit.
Da qui farciat,condiátque:da quod dem quinquatribus
Præcantatrici,coniectrici,ariolæ atque haruſpicæ.
Flagitium eſt ſi nihil mittetur,quo ſupercilio ſpecit?
Tum patricam clementer non poteſt quin munerent.
Iampridem quia nihil abſtulerit,ſuccenſet geraria.
Tum obſtetrix expoſtulauit mecum,parum miſſum ſibi.
Quid?nutrici non miſſuru's quidquam,quæ vernas alit?
Hæc atque huius ſimilia alia damna multa mulierum,
Me vxore prohibent:mihi quæ huius ſimileis ſermones ſerat. C
PA. Dij tibi ſunt propitij,hercle.nam ſi iſtam ſemel amiſeris
Libertatem,haud facile te in eundem rurſus reſtitues locum.
PL. At illa laus eſt magna in genere,& in diuitiis maxumis,
Liberos hominem educare generi monumentum & ſibi.
PE. Quando habeo multos cognatos,quid opus ſit mihi liberis?
Nunc bene viuo,& fortunatè, atque vt volo, atq. animo vt lubet,
Mea bona,mea morte cognatis dicam interpartiant.
Illi apud me edunt,me curant,viſunt quid agam,ecquid velim,
Priuſquam lucet,aſſunt:rogitant,noctu an ſomnum ceperim.
Eos pro liberis habeo,quin mihi mittunt munera, D
Sacrificant?dant inde partem mihi maiorem,quàm ſibi,
Abducunt ad exta:me ad ſe,ad prandium,ad cenam vocant.
Ille miſerrimum ſe retur,minimum qui miſit mihi.
Illi inter ſe certant donis,ego mecum muſſito:
Bona mea inhiant,certatim dona mittunt,& munera.
PA. Nimis bona ratione,nimium apertà tu multum vides.
Et tibi ſunt gemini,& trigemini,ſi te bene habes, filij.
PE. Pol,ſi habuiſſem,ſatis cæpiſſem miſeriarum liberis.
Cenſerem emori:cecidiſſet ne ebrius,aut de equo vſpiam,
Metuerem,ne ibi defregiſſet crura,aut ceruices ſibi.
Tum ne vxor mihi inſignitos pueros pariat poſtea,





A Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut petum, aut broncum filium.
PA. Huic homini dignum eſt diuitias eſſe,& diu vitam dari,
Qui & rem ſeruat,& qui bene habet,ſuíſque amicis vult bene.
PL. O lepidum caput,ita me dij deæque ament,æquum fuit
Deos parauiſſe,vno exemplo ne omnes vitam viuerent,
Sicut merci pretium ſtatui pro virtute vt veneat.
Quæ improba'ſt pro mercis vitio,dominum pretio pauperat
Itidem diuos diſpertiſſe vitam humanam æquum fuit.
Qui lepidè ingenuatus eſſet,vitam longinquam darent:
Qui improbi eſſent & ſceleſti,iis adimerent animam citò.
B Si hoc parauiſſent,homines eſſent minus multi mali,
Et minus audacter ſceleſta facerent facta,& poſtea
Qui probi homines eſſent,eſſet his annona vilior.
PE. Qui deorum conſilia culpet,ſtultus,inſcitúſque ſit,
Quíque eos vituperet.nunc iam iſtis rebus deſiſti decet.
Nunc volo obſonare,bene vt hoſpes te virtute ex tua
Meæ domi accipiam,benignè,lepidè,& lepidis victibus.
PL. Nihil me pœnitet iam quanto ſumtui fuerim tibi.
Nam hoſpes nullus iam in amici hoſpitium diuorti poteſt,
Quin vbi triduum continuum fuerit,iam odioſus ſiet.
Verùm vbi dies decem continuos immorabitur,
C Tametſit dominus non inuitus patitur,ſerui murmurant:
PE. Seruienteis ſeruitutem ego ſeruos introduxi mihi
Hoſpes,non qui mihi imperarent,quibus ego eſſem obnoxius.
Si illis ægrè'ſt,mihi quod volupe eſt,meo remigio rem gero
Tamen: id quod odioſum eſt, faciundum eſt cum malo atque ingratiis.
Nunc quod occepi, obſonatum pergam. PL. ſi certum eſt tibi,
Commodulùm obſona,ne magno ſumtu,mihi quiduis ſat eſt.
PE. Quin tu iſtanc orationē hinc veterem atque antiquam amoues?
D Nam proletario ſermone nunc quidem hoſpes vtere.
Nam ij ſolent,quando accubuere,vbi cœna appoſita eſt,dicere:
Quid opus fuit hoc, hoſpes,ſumtu tanto noſtra gratia?
Inſaniuiſti hercle:nam idem hoc hominibus ſat erat decem.
Quod eorum cauſa obſonatum eſt,culpant, & comedunt tamen.
PA. Fit pol illud ad illud exemplum,vt doctè & perſpectè ſapit?
PE. Sed iidem homines numquam dicunt,quamquam appoſitum eſt ampliter,
Iube illud denuò tolli,hāc patinam remoue, pernam nihil moror.
Aufer illam offam penitam,probus hic conger frigidus.
Remoue,abi,aufer:neminem eorum hæc aſſeuerare audias.
Sed percellunt,ſe & procumbunt,dimidiati dum appetunt.

PA. Bonus hercle vt malos deſcripſit mores? PE. haud centeſimam A
Partem dixi,atque,otium nunc ſi ſit,poſſim expromere.
PA. Igitur id quod agitur huic primùm præuorti decet.
Nunc huc animum aduertite ambo,mihi opus eſt opera tua.
Periplectomene:nam ego inueni lepidam ſycophantiam,
Qui admutiletur miles vſque cæſariatus,atque vti
Huic amanti ab Philocomaſio hanc efficiamus copiam.
Vt hic eam abducat,abeátque. PE. dari iſtanc rationem volo.
PA. At ego mihi annulum dari iſtum tuum volo. PE. quam ad rem vſui eſt?
PA. Quando annulũ habebo, igitur rationem meaũ fabricarũ dabo.
PE. Vtere,accipe. PA. accipe à me rurſum rationem doli, B
Quam inſtitui. PL. perpurgatis ambo damus tibi operam auribus
PA. Herus meus ita magnus mœchus mulierum eſt,vt neminem
Fuiſſe æquè,neque futurum credam. PL. credo ego iſtuc idem
PA. Itaque Alexandri præſtare prædicat formam ſuam,
Itaque omneis ſe vltrò ſectari in Epheſo memorat mulieres.
PE. Ædepol,quin te de iſto multi cupiunt non mentirier,
Sed ego ita eſſe,vt dicis,teneo pulcrè. proin' Palæſtrio
Quàm potes,tam verba confer maxumè ad compendium.
PA. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Quoi fallaciarum mens,corpúſque ſit plenum & doli? C
PE. Ingenuámne an libertinam? PA. æqui iſtuc facio,dummodo
Eam des,quæ ſit quæſtuoſa,quæ alat corpus corpore,
Cuíque ſapiat pectus:nam cor non poteſt,quod nulla habet.
PE. Lautam vis,an quæ nondum ſit lauta? PA. ſiccam,ſuccidam,
Quàm lepidiſſimam potes,quámque adoleſcentem maxumè.
PE. Habeo eccillam meam clientam,meretricem aduleſcentulam.
Sed quid ea vſus eſt? PA. vt ad te eam iam deducas domum,
Vtíque eam hic ornatam adducas matronarum modo,
Capite comto:crineis,vittáſque habeat:aſſimulétque ſe
Tuam eſſe vxorem.ita præcipiendum eſt. PL. erro quam inſiſtas viam. D
PA. At ſcietis. ſed ecquæ ancilla'ſt illi? PE. eſt primaria.
PA. Ea quoque opus eſt. ita præcipito mulieri,atque ancillulæ,
Vt ſimulet ſe tuam eſſe vxorem,& deperire hunc militem,
Quaſique hoc annulũ animo ſuæ ancillæ dederit,ea porrò mihi,
Militi vt darem,quaſique ego rei ſim interpres. PE. audio.
Ne me ſurdum verbera. PAL. tu ſi audis,ego rectè militi
Dabo. à tua mihi vxore dicam delatum,& datum
Vt ſe deamet,conciliem:ille eiuſmodi eſt,cupiet miſer.
Qui niſi adulterio,ſtudioſus rei nullæ aliæ eſt,improbus.
PE. Non potuit reperire,ſi ipſi ſoli quærendas dares,

Lepidiores



A Lepidiores duas ad hanc rem, quàm ego dabo. habe animum bonum.
PA. Ergo accurato & properato opus eſt. nunc tu auſculta Pleuſides.
PL. Tibi ſum obediens hoc facto. PA. miles domum vbi aduenerit,
Memineris ne Philocomaſium nomines. PL. quam nominem?
PA. Dicam iam. PL. nempe eandem, quæ dudum conſtituta eſt.
PA. pax, abi.
PL. Meminero.ſed quid meminiſſe id refert hanc ad rem tamen?
PA. Ego enim dicam tum quando vſus poſcet. interea tace.
Vt nunc etiam hic agit,actutum parteis defendas tuas.
B PL. Ego eo intrò igitur. PA. & præcepta ſobriè vt cures,face.

COHIBETE INTRA LIMEN ETIAM VOS,&c.]Periplectomenes conſiderati,& cauti hominis fungẽs officio,priùs quàm domi inter ſe ea de re,qua de re agetur,cõſultent, iubet Pleuſidem,& ceteros,ſeſe intra limen domus continere,dum proſpicit,ne quo loco inſidiæ ſint.concilio,id eſt,conuentui,& cœtui,collocatæ,neu qui arbitri,qui ſuos ſermones aucupari,atque excipere,ſuáque conſilia præripere queant. O Pleuſides,inquit,ſubintellige, & vos Palæſtrio,& Philocomaſium,cohibete etiamnunc vos intra limen,&c. CONCILIO.] id eſt, conuentui,cœtui,nobis,qui conuénimus,ſeu cõuenturi ſumus,de re propoſita cõſultaturi.Sed videtur legendum,*conſilio*,per,ſ. conſilio,inquit,quod habere volumus. VNDE INIMICVS NE QVIS NOSTRIS SP. CAP. CONS.]allegoria eſt,à re militari ducta.opus eſt,nobis, inquit, tuto loco, vnde nullus inimicus conſilia noſtra præripere, & conſiliis noſtris ſurreptis, aut præreptis, victoriam nobis de manibus extorquere,noſtráſque copias diſturbare,ac profligare poſſint. VNDE INIM. NEQVIS NOSTRA SP. CAP. AVR.]ex quo loco nullus
C inimicus nobis ſpolia detrahat,ſermones noſtros aucupando,& exaudiendo. NAM BENE CONS. INCONS. SI INIM. SIT VS.] quod éuenit, cùm conſilia noſtra inimicis noſtris patefiunt.nam tum,quæ nos in eos machinabamur,illi in non incautos,ac ſecuros conuertunt. Cuius rei exempla innumerabilia exſtant apud hiſtoricos. Hanc porrò ſententiam multis verbis explicat,amplificat,atque expolit Plautus. AVT CATALOGO LOQ.]id eſt,aut cum ordine & modo,& diſpoſitione,ac deſcriptione certa loquendi. videtur eſſe ducta tralatio à re militari. Catalogus enim interdum ordinem , & deſcriptum militum numerum ſignificat. Per catalogum loquẽdi igitur,ordinem quendam,& diſpoſitionem,& quaſi inſtructionem,ac collocationem verborum conſideratam, & rationi conſentaneam videtur Plautus ſignificare. Nonnulli legunt Græcè, aut κατὰ λόγον duabus vocibus, id eſt, ſecundum rationem, vt non ſubintelligatur,aut non repetatur ἀπὸ κοινȣ̃ prouocabulũ *cum*,quos non ſequor:& antiquam ſcripturam,à qua non diſcrepat vulgata,tueor: eámque ſic explicandam,vt ſuprà expoſui,arbitror.nam & καταλέγειν apud Græcos ſignificat καταττάττω,ordino, ordine conſcribo, deligo,centurio.LECTVM ID EST]quidam legi volunt,*tectum id eſt*,vt ſit à verbo, *tegor*,participium,hac ſententia , niſi id conſilium celatum eſt cum cura , & catalogo loquendi, &c. mihi
D conuenienter dici videtur, cum cura conſilium aliquod tegere, aut celare, ſed cum ordine, & modo loquendi conſilium tegere,abſurdum dictu eſt.Quare nihil mutandum cenſeo.Verumtamen iudicet lector eruditus. NOSTRO CONSILIO VENATOR ADSIT, &c.]noſtrum conſilium auribus captet:noſtrum conſilium auribus excipere,ac ſubripere ſtudeat.allegoria à venatoribus,ſeu à venatione. CVM AVRITIS PLAGIS]id eſt,aurib.plagæ, ſunt retia,quibus capta implicantur.M.Tull.lib.3.Offic. *ſúntne igitur inſidiæ tendere plagas, etiam ſi excitaturus non ſis?* Virg.lib.8.Æneid. *Retia rara,plagæ.* Horat.epiſt.6.lib.1. *Gargilius, qui manè plagas, venabula,ſeruos Differtum tranſire forum,populúmque iubebat.* STERILIS HINC PROSP.]ſignificat locum eſſe ab hominibus,qui ſua conſilia excipere poſſint,purum,ac vacuum quoad longiſſimè oculorum aciem contendere queat. Sic Horat.dixit puram plateam, in qua nulli ſunt, qui poëtam meditantẽ obturbẽt. epiſt.2.li.2.epiſt.*Interualla vides humanè cõmoda.verùm,Puræ ſunt plateæ,vt nil meditantibus obſtet.* FACILE EST IMPERIVM IN BONIS] facile eſt imperare bonis,quia ſibi ab iis,qui ius habent imperandi,imperari æquo animo ferunt. VTIBILE.]conducibile,vtile. QVIS HOMO SIT MAGIS VSQVAM, Q. TV, LOQVI LEP. &c.]ſic legendum,non,vt edidit Camerarius, *quàm tu es, loqui te lepide*, &c. neq. vt habent vulg. *Quis homo ſit mage meus*,&c. planè mendoſè. NEQVE TE DECÔRA, NEQ. T. V.] neque te digna,neque tuis, &c.*te decôra* dixit,per hypallagen, pro, te digna : cùm dictum oportuerit,

*tibi decôra.* EX OPIBVS SVMMIS.]opibus ſummis,ſumma contentione. OBIICERE.] afferre,offerre. QVOD FAXIS]quod feceris,quod facias. PVDET] nam qui ſeriò amat, eum nullius rei pudet. VMBRA ES AMANTVM]ſimulacrum es amantum:non es ad viuum expreſſus amans.videtur tranſlatio eſſe à pictura.M.Tull.Academ.quæſt.lib.4. *Quàm multa vident pictores in vmbris,& in eminentia,quæ nos non videmus?* Idem in Offic.3. *Sed nos veri iuris,germanæq; iuſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus, vmbra,& imaginibus vtimur.* Licet etiam dicere,ab ea,quam propriè vmbram dicimus,dico,à priuatione luminis tranſlationem eſſe ductam.M.Tull.lib.7.epiſt.ad Attic.*O hominem amentem,& miſerum,qui ne vmbram quidem τοῦ καλοῦ vmquam viderit!* HANCINE ÆTATEM EXERCERE ME,&c.] æquúmne eſt, ſeu verúmne eſt,me exercere, hoc eſt,fatigare, iſtam ætatem, hoc eſt, te, qui iſta ætate es, mei amoris cauſa? ITÁNE TIBI VIDEOR OPP. ACHER.]itáne tibi videor tibi valdè decrepitus ſenex,& ad moriendum vicinus,&c.ſic infrà in Mercat. *Quid tibi ætatis videor? Acheruntícus ſenex, victus,decrepitus.* TAM CAPVLARIS.]tam capulo dignus,ſeu tam capulo debitus. ſuprà in Aſin. *Perij miſera,vt oſculatur carnifex,capuli decus?* PERNIX SVM M.]manus habeo ad quiduis faciendum expeditas. PEDIBVS MOBILIS]πόδας ὠκύς pedibus celer. pedum celeritate valens. INEST IN HOC AMVSSITATA SVA,&c.]ineſt in hoc ingenio,vel in hoc viro δεικτικῶς perfecta,& ad perpendiculum exacta indoles natura,ſeu naturalis. amuſſitata,id eſt,ad amuſſim facta,vt vult Feſtus : examinata,vt Nonius : qui hunc verſum profert in, *examuſſim*,& in, *indoles* : docétque amuſſim,eſſe regulam fabrorum , quam architecti,cùm opus probant, rubrica illinunt. iam quòd apud Feſtum , & Nonium impreſſum eſt, emuſſitata : vel lapſi ſunt Feſtus,& Nonius,vel erratum eſt ſcriptorum librariorum. SVA SIBI]ſua propria: quomodo alibi explicauimus.Sic Terent.Adelph.*ſuo ſibi hunc iugulo gladio.*Plaut Amphitr.*Atq. hunc telo ſibi malitia à foribus pellere.*ad quem locum de hoc genere loquendi plura. INGENVA] naturalis,natura,à natura inſita.Lucret.lib.1. *Vnde mare ingenui fontes, externáque longè Flumina ſuppeditant?* NAM BENIGNITAS QVIDEM HVIVS, OPP.]id eſt,nam liberalitas quidem Periplectomenis,talis prorſus eſt,qualis eſt hominis adoleſcentuli liberalitas. CÙM PERICVLVM FACIES,]cùm experieris,QVOM APVD TE EXEMPL. EXP. H. NE Q. F.] id eſt,cùm aliquis domi habet experiundi facultatem, foris quærere nō debet,vt ego, qui tuam erga me liberalitatem & comitatem experior. Hîc perſonæ erant perturbatæ, & confuſæ:quas in ſuum ordinem reſtitui. ſecunda perſona poſita eſt, pro tertia infinita. qua de re alibi. AT EGO AMORIS ALIQ. HAB. HVMORÍSQ.]*amoris, humoríſque*,paronomaſia:ſignificat, ſe non prorſus ab amore abhorrere,neque eſſe aridum,& exſuccum,& exſanguem.VEL CAVILLATOR FACET.]cauillator,qui cauilla iaculatur,à cauillando. M.Tull.lib.1.ad Attic. *Conſul autem ipſe, paruo animo & prauo:tātùm cauillator genere illo moroſo,quod etiam ſine dicacitate,ridetur,* &c.Idem lib.2. *Itaque iam familiariter cum ipſo etiam cauillor ac iocor.*Plautus in Trucul. *Dicax ſum factus:iam ſum cauillator probus.* CONVIVA COMMODVS]conuiua ad aliorum mores,& ingenium ſeſe accommodans,ſeu aliorum moribus obſequens,& obſecundans. OBLOCVTOR] aduerſator in ſermone.ET MEÆ ORATIONIS IVSTAM P. P.]& memini iuſtam meæ orationis partem perſequi:non aliis ſuam partem præripio. ET MEAM PART. ITIDEM TACERE,&c.]Sic M.Tull.Offic.1.in extr.*Sit igitur ſermo,in quo Socratici,maximè excellūt, lenis,minimèque pertinax. inſit in eo lepos. nec verò,tamquam in poſſeſsionem ſuam venerit,excludat alios:ſed cùm reliquis in rebus,tùm in ſermone communi, viciſsitudinem non iniquam putet.* Quam iuſtam partem appellat hîc Plautus,Græci ἐπιβάλλον μέρος dicunt. MINIMÈ SPVTATOR, SCREATOR SVM &c.] ô fortunatum ſenem,qui deſtillationibus non laboret:cui generi morbi maximè ſunt expoſiti ſenes. Deſtillationum autem appellatione,intelligi volo,grauedinem,& pituitam,quam Græci κόρυζαν vocant, & ſimil.de quibus Cornelius Celſus lib. 1. cap.5. & lib. 4. cap. 2. Huc pertinet illud Varronis de liberis educ. *Eam ſunt conſecuti corporis ſiccitatem, vt neque ſpuerent, neque emungerentur.* tale quiddam tradidit Xenophon de Perſis primo lib. Κύρου παιδείας. SCREATOR SVM ] ſcreare,eſt pituitam,quæ in faucеis defluxit,cum valido ſonitu, extractam mittere. Sputare verò, ſeu ſpuere, eſt ſaliuam in os delapſam ſine ſonitu, aut certè exili labrorum ſono , emittere. repetenda autem negatio, *minimè*, ad vocem, *ſcreator*, ἀπὸ κοινοῦ. MINIMÈ MVCCIDVS]muccidus,cui muccus è naribus fluit. ſuprà in Epid. *Qui me emunxiſti muccidum, minimi pretij.* & in Moſtell. *probè Me emunxti.* T.R. *vide ſis, ſatin' rectè num mucci fluunt?* SIC EPHESI SVM NATVS, NON IN APVL.&c.]quamuis non omnia ſint in patria , eſt tamen aliquid.Ex quo illud Themiſtoclis in Seriphium quendam:*neque ſi Seriphius eſſem,nobilis:neque,ſi tu Athenienſis, clarus vmquam fuiſſes.* Et Plato moribundus , atque animam agens, gratias agebat naturæ,quod Græcus natus eſſet,non barbarus, Athenienſis,non Thebanus.Iam Apuli mendaces , infidi, & fallaces habiti ſunt. Vmbri verò, parci,vel Catullo teſte. Sic enim ille, ad Egnatium. *Aut parcus Vmber,aut obeſus Etruſcus,* vbi tamen Turneb.legit.*Aut pinguis Vmber.* Scaliger verò, *Aut porcus Vmber.* EDVCTVM IN NVTRIC. VEN.] educatum à Venere, ſeu apud Venerem. NEQVE VMQVAM ALIENVM SCORT. SVBAG. IN C.]quod reprehendit Chremes in Clitiphone filio apud Terent.in Heautont. *vidin' ego te modò manum in ſinum huic meretrici inſerere?* ſequitur paucis pòſt verſib. *Nam iſthæc quidem contumelia eſt, Hominem amicum*



*amicum recipere ad te,atque eius amicam ſubagitare.*Eſt autem ſubagitare,aliquantò licentiùs , & proteruius,& nequius attrectare. infrà in extr.fab. *Cur es auſus ſubagitare alienam vxorem,impudens?* ſuprà in Capt.in extr. *Neque in hac ſubagitationes ſunt,neque vlla amatio.* PVLPAMENTVM]ſuprà in Curcul. *Voltíſne oliuas,an pulpamentum,an capparim?* NEQVE PRÆVORTO POCVLVM.] neque anteuorto poculum:neque præcipio poculum:hoc eſt,neque propero bibere antequàm mihi miniſtretur,vel neque poculum,quod alteri miniſtratum eſt,præcipio,ſeu antè cupio , ſeu præoccupo. DISSIDIVM]malim legi *diſcidium*,per,c.ante,i. in ſecunda ſyllaba : à verbo diſcindo:vt *exſcidium*, ab exſcindo,de quo pluribus verbis explicauimus in commentariis Lucret. & primi in eo auctore hoc verbū,pro quo legebatur *diſsidium*, reſtituimus : item fecimus apud M.Tull.aliquot locis.ſignificat autem diſcidiū, χωρισμὸν, diſtractionem,ſeparationem. SERMONEM SEGREGO]taceo.finem loquendi facio. CEDO TREIS MIHI HOMINES ORICHALCO CONTRÀ CVM ISTIS M.] id eſt, da mihi treis homines iſtis moribus præditos , ſeu ita bene moratos : & ego tibi orichalcum dabo. vel ſic. auſim tecum orichalco depoſito certare,te treis homines tam lepidos,tam venuſtos,&c.non reperturum.De aurichalco ſeu orichalco,ſuprà pluribus verbis ſcripſimus,in Curcul. ibi. *Cedò mihi orichalco contrà; cui ego ſano ſeruiam?* ILLVC ÆTATIS QVI SIT,]illa ætate qui ſit. TVTE MÉ VT FATEARE, FACIAM ESSE ADOL. M.] ordo eſt,faciam,vt tute fateare me eſſe adoleſcentē moribus.Sunt enim ferè ſenes, triſtes,moroſi, iracundi,difficiles,amari,&c.ſed hæc ſunt magna ex parte,hominum vitia,non ætatis.Reperiuntur enim ſenes,comes,hilari, commodi, faceti, ſuaues,& iucundi.Quā de re M.Tull.in Catone. ITA APVD OMNEIS COMPAR. TIBI RES B. F. FR.]ordo & ſententia eſt,ita apud omneis res,id eſt,in omnibus rebus,comparebo tibi benefactis freq. hoc eſt,præbebo,atque oſtendam me tibi. LENIOREM DICES, QVÀM M. EST M.]hyperbole.tranquilliorem dices mari,quod à ventis non concitatur. Sic ferè in Stich. *tranquillus magis,quàm mare,quo ambo eſtis vecti.* Virg.in Alex.*Nuper me in litore vidi, Cùm placidum ventis ſtaret mare.* Vt mare autem,ventis non ſpirantibus,æquum,& tranquillum,& mutum eſt:ita ventis coortis,inæquale,iratum,& ſonorum eſt. hinc murmur maris.Non diſſimile admodum eſt illud in Pœn. *Ita hanc canem faciam tibi ego oleo tranquilliorem.* LIQVIDIVSCVLÚSQ. ERO, QVÀM VENTVS EST F.] & ero paullominus liquidus, ſeu aliquanto liquidior,hoc eſt, ſerenior, quàm ventus Fauonius, qui eſt, vt & Boreas, αἰθρηγενέτης. hoc eſt, æthræ,ſeu ſerenitatis genitor, atque effector. HINC INDIDEM ] ex eodem me. OBSONATOREM OPT. ] obſoniorum emtorem opt. TVM AD SALT. NON CINÆDVS M. APT. EST,&c.]cinædi,molli,& flexibili ſunt corpore:ita ad ſaltandum aptiſſimi.quin cinædus ſæpe pro ſaltatore vſurpatur,maximè apud veteres,teſte Nonio:qui hūc locum profert in voce, *cinædus* .& illum in Aulul. *ita fuſtibus ſum mollior,miſer,magis,quàm vllus cinædus.* Sic & Scipio Afric.in Orat.contra legem iudiciariam Tib.Gracchi,apud Macrob.lib.Saturnal.3.cap.14. *Eunt*,inquam,*in ludum ſaltatorium inter cinædos,virgines,puerique ingenui.* AD ILLAS ARTEIS] id eſt,præter illas arteis:vel cum illis artibus, πρὸς ἐκείναις τέχναις. OPTASSIS] optaueris. AT TIBI TANTO SVMTVI,&c.]verba ſunt etiam hæc Pleuſidis,ſermonem ad Periplectomenem à Palæſtrione conuertentis.At tibi Periplectomenes , inquit Pleuſides , quod tanto ſumtui ſim,mihi moleſtum eſt. MÔRVS ES.]ſtultus es. *môrus*,vox Græca,qua & alibi vtitur, non ſemel μῶρος. NAM IN MALA VXORE, ATQ. INIM.]præclara ſententia.Et attende,malam vxorem,& inimicum,in eodem gradu collocari,eodémq. loco haberi : neque id iniuria.nam ſi eum inimicum noſtrum eſſe ducimus,qui nobis aduerſatur,& obeſt,qui nos oppugnat,inſequitur,& vexat,vbicumque,& quocumq.modo poteſt:quid aliud facit vxor mala, quæ,vt inquit Heſiodus,virum,quamuis fortem, &,ſtrenuum, vrit ſine face, & ad ſenectutem præmaturam,præcipitem impellit? Verba Heſiodi adſcribam. Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ᾽ ἄμεινον Τῆς ἀγαθῆς· τῆς δ᾽ αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο Δειπνολόχης, ἥτ᾽ ἄνδρα καὶ ἴφθιμόν περ ἐόντα Εὕει ἄτερ δαλοῦ, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν. Neque verò quiſquam exiſtimet, aut ſuſpicetur,ex his verbis,me talem vxorem eſſe nactum.Nam,dei immortalis virtute dicam, contigit mihi vxor temperans,modeſta,morigera,ſedula,denique & fida,communium liberorum,ac rei familiaris,cuſtos.Quòd ſi aliter eſſet,non me fugeret Varronis præceptum,qui ſcripſit quodam loco,vt refert A.Gellius lib.1.cap.17.vitium vxoris,aut ferendum eſſe, aut tollendum.qui tollit,vxorem commodiorem præſtat:qui fert,ſe meliorem reddit. SI QVID SVMAS.]ſi quid inſumas. ET, QVOD IN DIVINIS REB. SVMAS,&c.]&,quem ſumtum in res diuinas facias,is ſumtus ſapienti quæſtus eſt.Hic verſus,ad pietatem,& rerum diuinarum cultum pertinet. DEÛM VIRTVTE, TRANSEVNTEM HOSP. ACC.&c.]id eſt,deorum beneficio,& benignitate,non mea virtute,&c.Sic loquebātur veteres,cùm ſuam virtutem extenuare,& ſua omnia minora facere,diis autem omnia accepta referre,& deorum erga ſe beneficentiam amplificare vellent, ne, res ſecundas, & bene geſtas ſibi tribuendo,in deos ingrati eſſe viderentur,ſibíque iratos redderent.Sic ſuprà,in Capt. *Ego virtute Deûm,& maiorum noſtrûm, diues ſum ſatis.* Cōſule indicem.Hoc igitur dicit,deorum beneficio, non mea ipſius virtute,prætereuntem aliquem hominem à me hoſpitio accipi,apud me comitas eſt : hoc eſt, meo iudicio comitas eſt:vel,exiſtimo eſſe in comitatis laude ponendum. exiſtimo,me,trāſeuntem, ſeu præ-

tereuntem hominem accipiendo,comitatis laudem aſſecuturum.Profert hunc verſum Nonius A
in nomine,*virtus*,&,*virtute*,interpretatur hîc,*auxilio*.non malè. ES, BIBE,]es,imperatiui mo-
di,à verbo edo,es,eſt. ANIMO OBSEQVERE M.] animo tuo morem gere mecum,hoc
eſt,indulge Genio,& libidinem tuam exple domi meæ. χαρίζȣ τῇ ψυχῇ. LIBERÆ SVNT
ÆDES.]meæ. LIBER SVM. EGO ME VTI VOLO LIBERÈ.] ſic legendum, & ita
ferè habent noſtri codices veteres,non longè admodum à ſcriptura vulgata diſcrepantes : mi-
rórque Camerarium,ſic édidiſſe *Liberæ ſunt,liber ſum autem egomet. volo liberè*. planè mendoſè. Sen-
tentia porrò eius ſcripturæ,quam ſecuti ſumus facilis,ac plana eſt : *liber ſum. ego me vti volo liberè:*
hoc eſt,ego me tractare volo liberè:ſeu,ego volo vitam liberã colere. vti aliquo, & vti ſeipſo,
peræquè dicũt Latini.Horat.epiſt.12. lib.1. *Vtere Pompeio Groſpho:& ,ſi quid petet,vltro Defer.* Idem
epiſt.17.lib.eiuſdem. *Si pranderet olus patienter regibus vti, Nollet Ariſtippus*. Plaut.in Cap. *Dicam. vt
ſibi penum alium ornet, ſiquidem ſeſe vti volet*. DEÛM VIRTVTE DICAM,] deorum benefi-
cio,non mea virtute.Sic ſolebãt loqui veteres, vt dixi,ne deos offenderẽt, ſi ſuæ virtuti res ſuas
ſecũdas ſibi adſcriberent. OBLATRATRICEM]oblocutricem,quæ mihi canis inſtar obla-
traret,& obloqueretur,quod malæ vxores ſolent. SI EA QVIDEM DEDVCTA'ST VS-
QVAM GENTIVM,]ſi quis vnquam bonam vxorem duxit domũ,&c.ſignificat numquam
cuiquam bonã vxorem contigiſſe,aut certè,dubitare ſe,an aliquando contigerit. QVÆ MI- B
HI NVMQVAM HOC DICAT,&c.]quæ mihi numquam cõſulat, ſed ſibi tantum deſcri-
bit hîc malam vxorem.nam bona vxor,virum amat ex animo,ei cõſulit potiùs,quàm ſibi,eum
procurat,de eo ſollicita eſt : cauet ei,ne in morbum incidat, &c. MALACVM,] molle. vox
Græca eſt,qua & alibi vtitur,ídque non ſemel. PRIÙS QVÀM GALLI CANTENT.] ante
lucem.Horat.Sat.1.lib.1.*Sub galli cantum cõnſultor vbi oſtio pulſat*. gallum ἀλέκτορα, & ἀλεκτρυό-
να nominant Græci, quòd è ſomno excitet, & è lecto ſurgere faciat. itaque hoc eum epitheto
deſcribunt, ὀρθροβόαν, quòd manè vociferetur. Democritus.(vt refert M.Tull.lib.2. de diuin.)
*optimis verſibus cauſam explicat,cur ante lucem galli canãt. depulſo enim de pectore, & in omne corpus dedito,
& modificato cibo,cantus edere quiete ſatiatos*,&c. Legendus Lucianus in gallo. DICAT,]& dicat.
KALENDIS]Martiis.Horat.oda 8.lib.3. *Martius cælebs quid agam Kalẽdis,Quid velint flores,& acer-
ra turis Plena,miraris*,&c. MEAM QVOD MATREM IVVERIT,]meæ quod matri pro-
futurum ſit,vel meæ quod matri voluptati futurum ſit. DA QVI FARCIAT, CONDI-
ÁTQVE]da fartorem,dà coquum.Sic autem legendum , non, vt vulgò, *faciat*. QVINQVA-
TRIB.]diebus feſtis Mineruæ,qui agebantur menſe Martio. Horat.epiſt.2. lib.2. ſub extr. *Ac
potiùs puer vt feſtis Quinquatribus olim, Exiguo, gratóque fruaris tempore raptim*. PRÆCANTATRI-
CI,]Sic legendum:hoc primum. nam & ſic habent noſtri libri veteres, &, vt ſic legatur, verſus C
poſtulat. *Præcatrici*,verò,quo modo edidit Camerarius,ferri nõ poteſt, *præcantrici* verſus reſpuit,
præcantatricem appellat mulierem, quæ carminibus , & cantionibus profitetur ſe mala ab ali-
quo,ſeu ab aliqua auertere,atque amoliri poſſe. CONIECTRICI,]quæ ſomnia interpreta-
tur.M.Tull.lib.2.de diuin. *Parere quædam matrona cupiens,dubitans eſſétne prægnãs,viſa eſt in quiete ob-
ſignatam habere naturam,ad coniectorem retulit*. FLAGITIVM EST,]turpe facinus eſt,inquit mu-
lier,ſunt enim hæc omnia mulieris,ſeu vxoris verba, κατὰ μίμησιν à viro expreſſa,ſi nihil mit-
tetur. QVO SVPERCILIO SPECIT?] quo ſupercilio adſpicit ? *ſpecio* , verbum ſimplex,
quo vtebantur veteres:cuius compoſita,adſpicio,conſpicio,reſpicio, &c. Ab eo verbale,*ſpectio*.
quod,vt docet Feſtus,ponitur in auguralibus pro adſpectione.&,ſpectu,dixit Pacuuius pro ad-
ſpectu,vt idem Feſtus refert. *amplus,rubicundo colore,& ſpectu proteruo ferox*. TVM PATRICAM
CLEMENTER NON POTEST, INQVIT, QVIN M.]tum non poteſt fieri(inquit vxor
improba)quin patricam,hoc eſt,patriciam,clemẽter munerem:hoc eſt,aliquo munere donem:
Nonnulli putant legi poſſe *patritam*:in his Turnebus,hoc eſt,inquit ille,ancillam paternam, ſeu
patriam.Sic autem dictum,*patritam*,vt, *auitam*. Sed verſus hanc lectionem reſpuit : etiam ſi quis D
legat, vt edidit Camerarius, *ſed patricam clementer non poteſt,hinc quin munerem*.nam ſecunda ſyllabà
vocis *patritã*,lõga eſt.Quare ſi ita legemus, *Sed patritam clemẽter non poteſt*,&c. erit iambus in quin-
ta ſede contra rationem,& legem carminis.Legat,ſi volet,lector,Adria.Turneb. Aduerſ. lib.7.
cap.6. Quòd autem ad reliquã verſus partem attinet,ſecutus ſum libros noſtros veteres,à vulg.
non admodum diſcrepanteis.cuius ſcripturæ ſententia,optima,& planiſſima eſt. QVIA NI-
HIL ABSTVLERIT,]quia nihil à me acceperit. GERARIA]ancilla,quæ gerit pueros. ſic
autem legendum eſſe, princeps vidit,Adr. Turneb. libro & capite, ſuprà commemoratis. nam
libri vulgati habent partim, *cellaria*,partim *ceraria*. NON MISSVRV'S QVIDQVAM, ]
non miſſurus es,quidquam,&c. VERNAS ALIT?] *vernæ*,inquit Feſtus, *appellantur ex ancillis
ciuium Rom.verè nati:quod tempus anni maximè naturale fœturæ eſt*. ME VXORE PROHIBENT]
me ab vxore ducenda deterrent.Sic ſæpe loquuntur boni ſcriptores. Cæſar lib.4. de bello gall.
*Cùm id non impetraſſent,petebãt vti ad eos equites,qui agmen anteceſſiſſent,præmitteret, eóſq. pugna prohiberet*.
M.Tull.pro Ligario.*nos iacenteis ad pedes,ſupplicum voce prohibebis?* Virgil.lib.1.Æneid. *hoſpitio prohi-
bemur arenæ*. T.Liuius lib.7.Annal.*& prohibendo populationibus,quos rapto viuere neceſſitas cogebat,ſatis
domari credebat hoſtem*. piget alia ex aliis exempla referre. MIHI QVÆ HVIVS SIMI-
LEIS SERMONES SER.] quæ vxor mihi ſermones, huius, quàm deſcripſi, ſimileis ferat,
id eſt,



A id eſt, fundat, & quaſi ſerendo ſpargat. Sic ſæpe Titus Liuius loquitur, ſerere colloquia, ſer-
mones, fabulam, mentionem. lib. 3. Annalium. *Amotis inde ſeditionis auctoribus , patres circumire
plebem, inſerentéſque ſe in circulos, ſermones tempori aptos ſerere*. Idem lib. 7. *Liuius pòſt aliquot annos , qui
ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere*. &c. Idem lib. 28. *Ac primo ſermones occulti tan-
tùm ſerebantur*. & Virgil. lib.12. Æneidos. *Rumoréſque ſerit varios, ac talia fatur*. Plautus in Curcul.
*Quod quidẽ mihi polluctus virgis ſeruus ſermonem ſerat*,&c.Iam,quòd,*ſerat*.edidi,non,vt vulgò,*ſerant*.
rationem ſecutus ſum. Nam & de vna vxore locutus eſt, & iure ciuili ſinguli ſingulas vno
tempore ducunt vxores domum. DII TIBI SVNT PROPITII, HERCLE] deos
habes tibi propitios. fortunatus es. contrà dicimus, alicui deos eſſe iratos , cùm ſignificamus
eum eſſe miſerum,atque infelicem. IN GENERE,]repete ἀπὸ κοινȣ̃, maximo,aut ſubintell.
aliquid aliud ſimile , bono, claro,&c. LIBEROS HOMINEM EDVCARE, GENE-
RI MONVM. &c. ] hominem educare liberos , qui genus ſuum , & ſe, quoad eius fieri po-
teſt, immortale reddant. qui neque generis , neque ſui ipſius memoriam ſinant interire. nam
libri, vt liberi, vt libri , ſtatuæ , ſepulcra , monumenta ſunt parentum , eorum , qui ſcripſerunt,
eorum,quibus ſtatuæ poſitæ ſunt, & quorum imaginem referunt, mortuorum. INTER-
PARTIANT. ] id eſt, inter ſe partiant: ſic autem legendum , non *inter eos partiant*. non vt
B habent omnes libri impreſſi, *inter eos partiant*: quæ ſcriptura nullo modo ferri poteſt. ECQVID
VELIM] numquid velim. AN SOMNVM COEPERIM ] an dormierim. SA-
CRIFICANT? DANT INDÈ PARTEM MIHI M.&c. ] hoc eſt, ſi ſacrificant,
dant mihi ex victima immolata partem maiorem,quàm ſibi. Victimæ immolatæ partem diis
donabant : partim ſibi reſeruabant, & in conuiuio comedebant : ad quod adhibebantur
coniunctiſſimi,& cariſſimi. Itaque apud Theophraſtum in libello, qui inſcribitur ἠθικοὶ χα-
ρακτῆρες, capite περὶ ἀχαριστίας , in iis qui intempeſtiuè, veniunt & idcirco moleſti ſunt,
numeratur is, qui non vocatus interuenit ſacrificantibus, & ſumtum facientibus, extorum
partem petiturus. verba Theophraſti ſunt hæc , καὶ πρὸς θύοντας , καὶ ἀναλίσκοντας ἥκων,
τομὸν ἀπαιτήσων, ſubintellige, ἐστὶν ἄχαρος . Idem eodem libro cap. περὶ ἀναισχυντίας.
ſcribit hoc quoque impudentis eſſe, poſteaquàm diis ſacrificarit, ipſum apud alterum cena-
re,carnes autem omneis in penum condere,ſale conſperſas, verba Græca hæc ſunt.Εἶτα θύσας
θοῖς θεοῖς,αὐτὸς μὲν δειπνεῖν παρ' ἑτέρῳ,τὰ δὲ ἀποτιθέναι ἅλας ἐπιπάξας.Ex quibus verbis in-
telligere licet,hunc morem fuiſſe apud Romanos peræquè, atque apud Græcos, vt qui diis ſa-
crificaſſent, nihil ſibi in poſterum reſeruarent, ſed partem diis darent, partem amicis veſcẽdum
C apponerent. neque hoc vſitatum & ſollemne fuiſſe in ſacrificiis luſtralibus tantùm , vt pu-
tat Turnebus , ſed in omnibus. ABDVCVNT AD EXTA ] abducunt me domo ad
exta. quidam legi volunt , *adducunt* , &c. ego nihil muto. ad exta ſacrificiorum, quæ luſtralia
appellabant, vt vult Turnebus. Virgil. lib.8. Æneidos. *Veſcitur Æneas, ſimul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis , & luſtralibus extis*. Eorum autem partem diis dabant , vt diximus , partem
comedebant:atque ad hoc conuiuium coniunctiſſimum quemq.adhibebant,ac vocabant.le-
gendus Turnebus hac de re libr. Aduerſ. 7. cap. 6. in quibus non prorſus ei aſſentior,vt dixi.
AD SE ] domum ſuam. ILLI INTER SE CERTANT DONIS ] id eſt, vt infrà non
longè, interpretatur ipſe, certatim dona mittunt, & munera. vel in hoc verſu autem ſit hiatus
in principio, vt , *illi inter*, faciant duos ſpondeos : aut legendum , *illi inter ſe certant donis : at ego
mecum muſſito*, &c. alioqui verſus claudicabit. & infrà proximo verſu, legendum *dona certatim
mittunt, & munera*. EGO MECVM MVSSITO, BONA M. INHIANT. ] ego
mecum tacitè loquor , & dico , mei propinqui mea bona auidè appetunt, & cupidè exſpe-
ctant. tralatio eſt, à feris prædam , ſeu prædæ inhiantibus. muſſito autem , hoc eſt , tacitè , &
compreſſis labris agito. vt loquitur Flaccus. TV MVLTVM VIDES ] tu acutè vides,
D tu ſollers,& cordatus es. contrà , parùm vides. vſitata etiam Marco Tullio loquendi genera.
SI HABVISSEM, ] liberos, ſubintellig. LIBERIS ] ob liberos. vel ex liberis. Te-
rentius Adelph. *Duxi vxorem. quam ibi miſeriam vidi ? nati filij alia cura. porrò autem dum ſtudeo illis,
vt quàm plurimùm facerem, contriui in quærendo vitam, atque ætatem meam*. CENSEREM EMO-
RI ] exoptarem mortem ob miſeriã ex cura, & metu contractam.al.exiſtimarem mihi morien-
dum eſſe, pro liberis meis, vel propter curam liberorum. TVM NE VXOR MIHI
INSIGNIT. ] tum metuerem, ne vxor mihi pueros inſignitos pariat poſtea, &c. inſignitos,
id eſt,aliquo vitio notatos,& deformeis. AVT VARVM, AVT VALGVM, AVT C.&c.]
vari, inquit Feſtus, dicuntur, incurua crura habentes.Nonius autem vari,inquit, dicuntur ob-
tortis plantis.Lucilius. *Compernem, aut varam fuiſſe Amphitryonis ἄκοιτιν*. Valgos Opilius Au-
relius, aliíque complures, vt Feſtus refert, aiunt dici , qui diuerſas ſuras habeant. Compernes,
vt vult Nonius , dicuntur longis pedibus. At Feſtus *compernes* , inquit , nominantur homines
genibus plus iuſto cõiunctis.Pæti dicuntur,quorum oculi huc & illuc plus nimio celeriter mo-
uentur : vel qui oculis ſunt ſemicluſis , & conniuentibus, vel qui obliquis. Horatius Satyr. 3.
libri primi. *ſtrabonem Appellat pætum pater : & pullum , malè paruus Si cui filius eſt , vt abortiuus
fuit olim Siſyphus.hunc varum,diſtortis cruribus illũ.Bronci*,inquit Nonius, *ſunt producto ore, & dentibus*

nnn

*prominentibus.* DIGNVM EST] ἄξιόν ἐςι, par eſt. ET QVI BENE HABET] A aliàs. & bene habet, &c. ÆQVVM FVIT DEOS PARAVISSE, VNO EXEMPLO NE OMNES VITAM VIVERENT,] argumentum à ſimili. PARAVISSE] comparauiſſe, feciſſe. VNO EXEMPLÓNE OMNES, &c.] ne omnes homines vno modo viuerent, ſeu vitam colerent: ſed viri boni, lepidi, commodi, comes, liberales, &c. locupletes, fortunati, ac beati, & macrobij eſſent, homines improbi, illepidi, incommodi, aſperi, illiberales, & ſimil. egentes, infortunati, ac miſeri eſſent, & citò morerentur: quod ferè ſecus éuenit. SICVT MERCI PRETIVM STATVI, PRO VIRTVTE, VT VENEAT, &c.] ſicut æquum eſt, ſiue ſolet pretium merci præſtitui, indici, atque imponi, vt ea merx vendatur, pro virtute, id eſt, pro ſua dignitate, ſeu pro eo, quanti æſtimanda eſt, quo modo ferè interpretatur Nonius in voce *virtus*, & totum hunc locum profert. Sic autem & legendus, & explicandus hic verſus eſt. Nam editiones omnes habent, *ſtatuit*: quæ lectio ferri non poteſt, quod enim huic verbo, quod eſt tertiæ perſonæ nomen ſuppoſitum erit? profectò nullum reperietur. Nunc autem ſententia plana eſt, & ita Terentius locutus eſt in prologo Hecyræ, *facite, vt veſtra auctoritas meæ auctoritati fautrix, adiutrix ſit, Si numquam auarè ſtatui pretium arti meæ, Et eum eſſe quæſtum, in animum induxi, maximum, Quàm maximè ſeruire veſtris commodis.* B QVÆ IMPROBA'ST, PRO MERCIS VITIO DOMINVM PRETIO PAVPERAT.] ea merx, quæ mala eſt, propter mercis vitium, dominum mercis pretio priuat, & ita pauperiorem efficit: &c. verbo *pauperandi* vtitur, & Flaccus Satyra quinta, libri ſecundi. *Eripiet quiuis oculos citiùs mihi, quàm te contemtum caſſa nuce pauperet.* ITIDEM DIVOS DISPERTISSE VITAM HVMAMAM ÆQVVM FVIT.] ſimiliter diuos vitam humanam diſtribuiſſe, ſeu diſtinxiſſe, par fuit. QVI LEPIDÈ INGENVATVS ESSET] qui bene moratus eſſet, qui ingenuis moribus præditus eſſet, ei vitam longam darent. ET POSTEA QVI PROBI HOMINES ESSENT, ESSET HIS ANNONA VILIOR.] & poſtea probi viri numero plures eſſent. proborum virorum annona eſſet vilior, proborum virorum eſſet maior vbertas, neque eſſet eorum tanta caritas, hoc eſt, raritas, & pænuria. Allegoria eſt à rebus venalibus, & iis maximè, quæ ſunt ad victum, cultúmque neceſſariæ: quarum ſi eſt magna vbertas, & copia, earum eſt & vilitas: ſin pænuria eſt, etiam caritas eſt. τὸ γὰρ σπάνιον, τίμιον, vt ait Plato in Euthydemo. Marcus Tullius in frumentaria, in extrem. *Annona porrò pretium, niſi in calamitate fructuum non habet. Sin autem vbertas in percipiendis fructibus fuit, conſequitur vilitas in vendendis: vt aut malè vendendum intelligas, ſi proceſſit: aut malè perceptos fructus, ſi rectè liceat vendere.* C Animaduertendum autem eſt, dictum eſſe à Plauto, eſſet his annona vilior, pro, eſſet horum annona vilior. quomodo potius loquitur Horat. epiſtola 15. lib. 1. *Vilis amicorum eſt annona, bonis vbi quid deeſt.* cuius verſus ſententiam in commentariis Horatianis explicauimus. ſed nihil oberit hîc iterare. hoc igitur ſignificat Horatius, paruo conſtare amicos, cùm viri boni egent. nam cùm virorum bonorum amicitia quantouis auri pondere ſit pretioſior, & carior: ſi qui viri boni egent rebus ad victum neceſſariis, licebit eas ſibi, parua iactura facta, amicos reddere. quin etiam ſi magna per ſe rei familiaris iactura facta ſit, tamen parua erit ducenda, ſi cum amicitia talium virorum conferatur. *Præterea in mala vxore, & inimico ſiquid ſumas, ſumtus eſt*, inquit noſter Plautus ſuprà non longè. *In bono hoſpite, atque amico ſiquid ſumas, quæſtus eſt.* Ridiculè autem Petrus Victorius, Plautinæ locutionis ignorantia, hunc locum intellexit. Verba eius adſcribam ex libro Variarum lectionum duodecimo capite vigeſimi primi. Sic igitur ille ſub extrem. & poſtea, Qui homines probi eſſent, eſſet his annona vilior. Ad extremum enim non oblita conditionis ſuæ perſona, ſententiam grauem, & pæne tragicam, in humili re terminauit. nam tanta immutatione rerum effici, D vt annona vilis ſit, ridiculum eſt, Hactenus ille. ex quibus verbis perſpicuum eſt, Victorium ſic accipere Plauti, ſeu Pleuſidis, (non enim ſeruus Palæſtrio, vt ille dormitans ſcribit, ſed Pleuſides adoleſcens loquitur) verba, quaſi dicat ille, ſi dij longam vitam viris bonis dediſſent, breuem, improbis hominibus: futurum fuiſſe, vt eſſet rerum ad victum neceſſariarum vilior. quæ explicatio, ita me Deus amet, valde ridicula eſt, & eius auctor magis ridiculus, quàm is eſſet, qui tam leni ſententia tam grauem concluderet, ac terminaret. Nunc autem non hoc ſentit Pleuſides, quod ille ſomniat, ſed id, quod ſuprà dixi, ſi dij viris bonis longam, & beatam vitam dediſſent: breuem, & miſeram, improbis hominibus: fuiſſe euenturum, vt pauciores eſſent improbi, plures viri boni. QVI DEORVM CONSILIA CVLPET, STVLT. INSCITÚSQVE SIT, &c.] ſenex Periplectomenes Pleuſidis dictum, quod videri poſſet impium, reprehendit, & corrigit. id quod eo conſilio fecit Plautus, ne offenderet pios auditores. OBSONARE, BENE VT HOSPSES, &c.] obſonium emere, ſeu parare. DESISTI] ſuperſederi.



A ſuperſederi. BENIGNÈ.] prolixè, liberaliter. LEPIDIS VICTIBVS] cibis opiparis, lautis, & lectis. NIHIL ME POENITET IAM, QVANTO SVMTVI FVERIM T.] id eſt, magno iam ſumtui fui tibi. vel ſic, non paruo ſumtui videor tibi fuiſſe. Talis eſt vſus verbi, pœnitet, interdum vt apud Terent. in Heautont. *At enim dices, me hic quantum operis fiat, pænitet.* vel vt legit Faërnus, *At enim dices, quantum hic operis fiat, pænitet.* & apud Marcum Tullium lib. de Offic. *Tandiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias, non pænitebit.* QVIBVS ESSEM OBNOXIVS] nec quibus eſſem obnoxius. SI ILLIS ÆGRE'ST, MIHI QVOD VOLVP. EST, MEO REM. R. GERO] ſi illis id moleſtum eſt, quod mihi iucundum eſt, remiges tamen mei ſunt: id eſt, ſerui mei ſunt: & velint, nolint, mihi pareant, neceſſe eſt. Si alienum remigium eſſet, quo rem gero, hoc eſt, nauim impello, non poſſem remigibus pro meo iure imperare nunc, cùm ſit meum, non parêre non poteſt. allegoria eſt à re nautica, ſeu nauali. Licet fortaſſe ſic quoque explicare, meo remigio rem gero, id eſt, meo ſumtu rem gero. hunc locum etiam Adria. Turnebus explicat libr. Aduerſar. ſuprà commemorato. quin Plautus ipſe proximis verbis, id quod obſcurius dictum videri poſſit, interpretatur, vt plerumque ſolet, καθ' ἑρμηνείαν, & ἐπεξήγησιν. FACIENDVM EST CVM MALO, ATQVE INGRAT.] faciendum eſt ſeruis, ſi nolint, cum eorum malo, B & inuitis. COMMODVLVM OBSONIVM] obſonium non malum neque ſumtuoſum para commodulè, obſona, hoc eſt, tuo commodo, & ita vt non magnum ſumtum facias. NE MAGNO SVMTV] ἑρμηνεία. VETEREM ATQVE ANTIQ.] obſoletam, ſeu vſitatam, & peruulgatam. PROLETARIO] plebeio, & vulgari, *Proletarij* erant, qui nihil in rem conferebant, præter prolem. Itaque in tenuiſſima, & infima populi parte numerabantur, neque amplius, quàm mille & quingentos æris in cenſu habebant. INSANIVISTI HERCLE,] inſanire interdum dicuntur, qui nimis magnos ſumtus faciũt: & inſania, pro immoderato ſumtu vſurpari ſolet. ſic & apud Græcos μαίνεσθαι, & μανία. Cicero pro Milone, *propter inſanas illas ſubſtructiones*, &c. Ibidem. *ſubſtructionum inſanis molibus.* Demoſt. κατὰ Μειδίου. ἐμοὶ δ', ὅς, εἴτε τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βούλεται νομίζειν μανίαν, (μανία γὰρ ἴσως ἐστὶν ὑπὲρ δύναμιν τι ποιεῖν) εἴτε καὶ φιλοτιμίαν, χορηγὸς ὑπέστην, οὕτω φανερῶς καὶ μιαρῶς ἐπηρεάζων παρηκολούθησεν, &c. id eſt, mihi autem, qui, ſiue quis, Athenienſes, inſaniam exiſtimare vult (inſania enim fortaſſis eſt ſupra facultates aliquid facere) ſiue ſtudium laudis, & ambitionem, me vltro ducem chori profeſſus ſum, ita apertè, & impurè mihi inſultans, méque contumelioſè vexans inſecutus eſt, &c. QVOD EORVM C CAVSA OBSONATVM EST, &c.] quod obſonij eorum cauſa emtum eſt, &c. AD ILLVD EXEMPLVM] ad illum modum. PERNAM NIHIL MOROR] perna carere poſſum. AVFER ILLAM OFFAM PENITAM:] ſecutus ſum ſcripturam vulgatam, ac receptam: quæ talis eſt, *Aufer offam illam penitam: probus hic*, &c. quòd eam exiſtimem eſſe veram, atque incorruptam, alteram autem eſſe ſuppoſitam, & ex ora libri in contextum verborum Plauti tranſlatam, cùm eſſet initio adſcripta, ad explicandam vocem minus vſitatam. *penitam*, auget ſuſpicionem, atque adeò confirmat opinionem meam. Feſtus, qui docet duobus locis *offam penitam*, dictam eſſe ab antiquis, *offam porcinam* cum cauda, ſeu coda: à pene, quod caudam antiqui penem vocabant. Itaque *penitam* hîc habet primam ſyllabam & ſecundam longam. non eſt enim ab adiectiuo penitus, a, um: quod valet imus, a, um: ſeu intimus, a, um.: ſed vt dixi, à pene. PROBVS HIC CONGER FRIGID.] tolle hunc congrum de menſa: probus erit frigidus, ſeruetur in diem craſtinum. ASSEVERARE] ſeriò dicere. SED PERCELLVNT SE, ET PR.] ſed ſternunt ſe, non in lecto, in quo accumbunt, ſed in menſa, vt ſcilicet poſſint obſoniis remotioribus manum admouere. ET PROCVMBVNT] idem valet, quod percellunt ſe. DIMIDIATI DVM D APPETVNT] id eſt, dum corpore inclinato atque inflexo cibos appetunt. Dimidiatos eos dixit, qui corpore ita procumbunt, ac propendent in rem aliquam, vt non integri, aut toti, ſed dimidiati videantur. quòd autem Turnebus *dimidiatim* vult legi, & dimidiatim appetunt, explicat grandeis bolos appetunt, propè dimidiatos, quod appoſitum ferculum eſt, &c. nugas agit. BONVS HERCLE VT MAL. DESCRIPSIT MORE?] antitheſis. quo pacto, id eſt, quàm pulcrè vir bonus Periplectomenes bonos mores deſcripſit? IGITVR ID, QVOD AGITVR, HVIC PRIMVM PRÆVORTI DECET.] decet igitur id, quod agitur, huic anteponi, vel antè hoc curari, vel præoccupari. QVI ADMVTILETVR MILES, &c.] qua miles quantumuis bene capillatus, ſeu pulcrè comatus vſque ad cutem tondeatur & decurtetur. Allegoria eſt ab iis, qui vſque ad cutem tondentur. ſignificat autem ſe fallaciam elegantem reperiſſe, qua miles capiatur, ac fallatur. Sic ſuprà in Captiuis. *Sed vtrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem, Neſcio. verùm ſi frugi eſt, vſque admutilabit probè.* Infrà eadem fabula. *Tibi dixi, miles, quemadmodum potis eſſet aſſecari.* CÆSARIATVS:] cæſariatus, à cæſarie dictus. ſuprà eadem fabula *cæſaries quàm decet?* DARI ISTHANC RATIONEM VOLO] volo iſtam rationem, qua id, quod dicis, fieri poſſit, mihi exponi. dare rationem, λόγον διδόναι. QVANDO ANNVLVM HABEBO, IGITVR RATIONEM, &c.] cùm annum habeo, poſtea rationem mearum

fallaciarum tibi reddam, ſeu exponam. PERPVRGATIS AMBO, &c. ] perpurgatis auribus, id eſt, attentiſſ. tralatio eſt. ſic Horatius epiſt. 1. lib. 1. *Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem.* MOECHVS] amator. ITAQVE ALEXANDRI PRÆST. PRED. &c.] ordo eſt, Itaque formam ſuam Alexandri Paridis formæ præſtare prædicat. hoc eſt, Itaque ſe Paride pulcriorem eſſe prædicat. Paridis pulcritudo, vel vnius Homeri teſtimonio ſatis teſtata eſt. ITAQVE OMNEIS SE VLTRO SECTARI IN EPH. MEM. M.] amphibolia. ſententia autem eſt. Itaque dicit, mulieres omneis non rogatas, neque vocatas ad ſe venire, & ſe appetere. ÆDEPOL, QVIN TE DE ISTO MVLTI CVPIVNT NON MENT.] id eſt, immò verò profectò, multi te, de iſto, quod dicis, cupiunt verum dicere. ſed quid ſentit Periplectomenes? an multos eſſe, qui velint vxores ſuas eſſe adulteras, & mœchos vltro appetere, ſcilicet, vt illis in adulterio deprehenſis, dotem lucrentur? an multos eſſe alienarum nuptiarum inſidiatores, & adulteros, qui ſe à matronis, & vxoribus alienis vltrò appeti cupiant? Omninò ſententia huius loci mihi difficilis eſt, & obſcura. Secutus ſum autem editionem Camerarij. Nam noſtri libri veteres nihil à vulgatis diſcrepant: qui ſic habent: *Ædepol quid de iſto multa? ſcio te non mentirier?* Quæ ſcriptura quamuis primo adſpectu ſit probabilis, quia per ſe conſiderata, plana eſt, & expedita: tamen propterea quòd, ſi cum verſu ſequente conferatur, exſiſtit inepta tautologia: non videtur ferri poſſe. Nam hoc, *ſcio te non mentirier.* & B hoc, *ſed ego ita eſſe, vt dicis, teneo pulcrè.* idem valent. Quare editionem Camerarianam ſequi tutiùs eſſe exiſtimaui, quamuis ea ſit, vt dixi, difficilis, impedita, atque obſcura, quàm vulgatam. PROIN', PALÆSTRIO, QVàM POTES, &c.] proinde, Palæſtrio, quàm maximè potes, tam maximè verba ad compendium, hoc eſt, in pauca, confer. *συντεμνε*, inquit Boſius. ego, *συνελὼν λέγε*. Sic ſuprà in Moſtellaria, *Orationis operam compendi face.* ECQVAM TV POTES, &c.] id eſt, Numquid aliquam potes, &c. vel, nullámne potes, &c. QVOI FALLACIARVM MENS, CORPúSQVE SIT PL.] ſecutus ſum libros vulgatos: à quibus non diſcrepant noſtri manuſcripti, niſi quòd vnus non habet vocem *mens*, quæ vox tamen videtur neceſſaria ad explendos legitimos carminis numeros, & ad ſententiam. Camerarius legendum ſuſpicatur, *cor, corpúſque*, coniectura probabili ductus: Itaque ei ferè aſſentio. Omninò vel ſic legendum, vt ille coniicit, vel, vt habent omnes libri vulgati: vel, *Quoi fallaciarum pectus, corpúſque.* &c. quam poſtremam lectionem ſi quis probabit, *fallaciarum*, erit quattuor ſyllabarum, *κατὰ συνίζησιν*. *fallaciarum* autem edidi, libros noſtros manuſcriptos, & omneis vulgatos ſecutus: cùm à Camerario editum ſit, *facetiarum*: quod vtrum repererit ille in aliquo libro manuſcripto, an ſit erratum typographi, neſcio. Mihi quidem, *fallaciarum*, magis placet. C ÆQVI ISTHVC FACIO,] id eſt, mihi tantidem eſt: ſeu, tantidem facio: nihil refert. Sic autem legẽdum: & ita habent noſtri libri veteres: niſi quòd vnus habet præterea, *parui*, quod ex ora libri natum eſt: &, vera voce eiecta, in libris vulgatis locum occupauit. QVÆ SIT QVAESTVOSA:] quæ corpore quæſtum faciat: &, vt continuò loquitur, quæ alat corpus corpore. *ἐργάζεσθαι σώματι* dicunt Græci. NAM COR NON POTEST, &c.] proinde ac ſi dicat, rectè dixi, cui ſapiat pectus, non cor. nam cor ei ſapere nõ poteſt, quod nulla mulier habet. Hoc in omneis mulieres dictum, quaſi omnes ſint excordes, & amentes. Cor, pro animo, ſeu mente potius vſurpant veteres. hinc cordati, & excordes, & vecordes. Ennius xiij. Annal. *Annibal audaci dum pectore me dehortatur, Ne bellum faciam: quem credidit eſſe meum cor Suaſorem ſummum, & ſtudioſum robore belli.* meum cor, id eſt, meus animus: & meum cor credidit, hoc eſt, ego credidi. Gellius lib. 7. cap. 2. Marc. Tullius lib. 2. de Finibus. *Hoc eſt, non modo cor non habere, ſed ne palatum quidem.* Auſon. *Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe latinè: Hic vbi, co, ſcriptum eſt, faceret, cor, ſi cor haberet.* LAVTAM VIS, AN QVAE NONDVM SIT LAVTA?] víſne puellam admodum adoleſcentulam, & tenellam, quæ nondum balneis vtatur, an grandiuſculam, & virum ſæpe expertam, & quæ priuatim, & publicè lauare ſoleat? tralatio eſt à la- D na: cuius hæc differentia eſt, quòd alia eſt lota, alia ſuccida, hoc eſt, recens, & illota, & ſucci plena. Varro lib. 2. de re Ruſtica. cap. 11. *Tonſuræ tempus inter Æquinoctium vernum, & Solſtitium, cùm ſudare inceperunt oues. à quo ſudore recens lana tonſa, ſuccida appellata eſt.* Succidam lanam, opponi lotæ declarant verba iuriſconſulti Vlpiani lib. 32. digeſt. de legatis 3. *Lanæ appellationem eatenus extendi placet, quatenus ad telam peruẽnit. & ſciendum eſt ſuccidam quoque contineri, & lotam, ſi modò tincta non ſit.* & Celſi lib. 5. cap. 26. *Lanæ ſuccidæ ſuperuacuus vſus eſt. lota melius circumdatur.* Iuuenalis. Sat. 5. *Qualis cena tamen? vinum, quod ſuccida nolit lana pati.* SICCAM, SVCCIDAM.] volo puellam teneram, & adoleſcentulam, inſtar ſuccidæ lanæ, illotam, & ſucculentam. MEAM CLIENTAM,] clientam vſurpaſſe veteres, notat Cariſius, & alij grammatici: ídque admonuimus in commentariis Horatianis ad odam 17. libri ſecundi, ibi, *Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.* neque prætermiſerat Muretus: vbi vulgò legebatur *clientes.* vtitur & in Rud. *Iam clientas repperi.* SED QVID EA VSVS EST?] ſed quid ea opus eſt? MATRONA MODÒ CAP. C.] capite matronarum in morem ornato. CRINEIS, VITTáSQVE HAB.] Ouidius libro primo de Arte. *Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.* Virgil. lib. 7. Æneidos. *Soluite crinaleis vittas: capite Orgia mecum.* ERRO, QVAM INSISTAS VIAM] non intelligo, quò intendas iter, hoc eſt, quid agere cogites, ſeu quod ſit conſiliũ tuum.

allegoria



A allegoria eſt. SED ECQVA ANCILLA'ST ILLI?] ſed numquam habet illa ancillam? ET DEPERIRE HVNC M.] & hunc militem perditè amare. QVASíQVE HOC ANNVLVM ANIMO, &c.] & quaſi tua vxor hoc animo ancillæ dederit, ancilla porrò mihi, vt cum militi darem. INTERPRES] *μεσίτης.* vulgus mediatorem appellat. infrà eadem fabula. *quæ tibi Conditio noua, & luculenta fertur per me interpretem.* NE ME SVRDVM VERBERA] ne me tamquam ſurdum, eadem ſæpius iterando, verbera. Sunt autem hæc verba Periplectomenis. TV SI AVDIS, EGO RECTè MILIT. &c.] ſi tu audis, & intelligis, quæ dico, ego annulum tuum rectè, id eſt, ſine periculo amittendi, vel rectè, id eſt, cautè, vt non ſit metuendum, ne non recuperari poſſit, militi dabo. Videtur hic verſus vna ſyllaba redundare. quare vel legendum delato pronomine, tu, *ſi audis*, &c. vel, *verbera*, trium ſyllabarum faciendum eſt. ſunt autem hæc Palæſtrionis verba. VT SE DEAMET,] miles. CONCILIEM] vt militem ſibi conciliem. ſic autem legendum eſt, non, vt habent libri ferè omnes. nam neque carminis lex, neque Latini ſermonis conſuetudo, *conciliarem*, ferre poteſt. QVI, NISI ADVLTERIO, STVDIOSVS REI NVLLÆ, &c.] qui nullius alîus rei, niſi adulterij, ſtudioſus eſt, improbus. *nullæ*, antiquum pro, *nulli.* & animaduertendum nomen, *ſtudioſus*, cum datiuo iunctum eſſe. NON POTVIT REPERIRE, SI IPSI SOLI, &c.] B ſi ipſi ſoli, inquit, qui omnia luce ſua colluſtrat, & qui ipſe lucidiſſimus eſt, & cui nihil eſt obſcurum, puellas lepidas quærendas dares, non potuit lepidiores. duas ad hoc negotium, quod agimus, reperire, quàm ego dabo. hyperbole. PAX.] tantummodò: vel *παντελῶς*. Priſcian. lib. 14. Terent. Heautont. *Capillus paſſus, prolixus, circum caput Reiectus negligenter. pax.* PARTEIS DEFEND. TVAS] tuas parteis tuteris, tuas parteis agas. PRÆCEPTA.] ea, quæ tibi præmonſtrata ſunt. SOBRIè] *νηφαλέως*, vigilanter, attentè, non ſomniculoſè. vide ſuprà hac eadem fabula, quæ ad illum locum notauimus, *Tibi ego dico: ebriacus ne ſis.* Sic in Perſa. *Si quam rem accures ſobriè, aut frugaliter, Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.*

## PALÆSTRIO, LVCRIO puer.

C PA. QVantas res turbo! quantas moueo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene ſunt manipulares mei,
Sed illum vocabo. heus Sceledre, niſi negotium
Progredere ante ædeis, te vocat Palæſtrio.
LV. Non operæ eſt Sceledro. PA. quid iam? LV. ſorbet dormiens.
PA. Quid? ſorbet? LV. illud, ſtertit volui dicere.
Sed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.
PA. Ehò an dormit Sceledrus intus? LV. non naſo quidem.
Nam eo magnum clamat, tetigit calicem clanculum,
D Dimiſit Nardini vini amphoram cællarius.
PA. Ehò tu ſceleſte, qui illi ſuppromus es, eho?
LV. Quid vis? PA. qui libitum'ſt illi condormiſcere?
LV. Oculis opinor. PA. non te iſtuc rogito ſcelus.
Procede huc, periiſti iam, niſi verum ſcio,
Promſiſti tu illi vinum? LV. non promſi. PA. negas?
LV. Nego hercle verò: nam ille vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo expromſi in vrceum,
Neque ille hic calidum exinde ebibit in prandio.
PA. Neque tu bibiſti? LV. dij me perdant, ſi bibi,
Si bibere potui. PA. qui iam? LV. quia enim obſorbui,
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Alij ebrij ſunt,alij poſcam potant via. A
PA. Bono ſuppromo & promo cællam creditam.
LV. Tu hercle idem faceres,ſi tibi eſſet credita.
Quoniam æmulari non licet.nunc inuides.
PA. Ehò,an vmquam promſit antehac? reſponde ſcelus.
Atque vt tu ſcire poſſis,edico tibi,
Si falſa dixis,loris excruciabere.
LV. Ita verò,vt tu ipſe me dixiſſe dictites,
Poſtea ſagina ego eiiciar cællaria,
Vt tibi qui promat,alium ſuppromum pares.
PA. Non ædepol faciam,age loquere audacter mihi.
LV. Numquam ædepol vidi promere. verùm hoc erat: B
Mihi imperabat,ego promebam poſtea,
PA. Huic illecebroſo capite ſiſtebas cadum?
LV. Non hercle tam iſtoc validè caſabant cadi.
Sed in cælla eſt paullum nimis loculi lubrici,
Ibi erat bilibris aqualis,hic propter cados
Ea ſæpe decies completur plena die.
Eam plenam atque inanem fieri maximam
Vidi. bacchabatur hama,caſabant cadi.
PA. Abi, abi intro iam,vos in cælla vinaria
Bacchanal facitis.iam hercle ego herum adducam à foro.
LV. Perij,excruciabit me herus,domum ſi venerit, C
Quom hæc facta ſcibit,quia ſibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquò,atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis obſecro,huic,voſtram fidem.
PA. Quò te agis? LV. miſſus ſum aliò,iam huc reuenero.
PA. Quis miſit? LV. Philocomaſium. PA. abi,actutum redi.
LV. Quæſo tamen tu meam partem infortunij,
Si diuidetur,me abſente accipito tamen.
PA. Modò intellexi quam rem mulier geſſerit.
Quia Sceledrus dormit,hunc ſubcuſtodem ſuum
Foras ablegauit à ſe,dum huc tranſiret. placet. D
Sed Periplectomenes quam ei mandaui mulierem,
Nimis lepida forma ducit:dij hercle hanc rem adiuuant.
Quàm dignè ornata incedit? haud meretriciè.
Lepidè hoc ſuccedit ſub manus negotium.

SI CENTVRIATI BENE SVNT MANIP. M.] ſi mei milites bene inſtructi, & ad pugnam parati ſunt.allegoria eſt à re militari. Terentius in Phorm. *Nunc prior adito tu. ego in inſidiis hîc ero Succenturiatus,ſi quid deficies.* Centuriati dicuntur,qui ſub centurione centuriæ numerum explent. NISI NEGOTIVM,]ſubintell.eſt.niſi occupatus es. NON OPERÆ EST SCEL.]Sceledrus non eſt vacuus. Sceledrus non poteſt cuiquam operam dare. Sic ſuprà eadem fabula. *Prandet,potat, occupata eſt : operæ non eſt.* ſubintelligendum autem eſt, facultas, aut copia, vt diximus. STERTIT,VOLVIT DICERE.]ſtertit dormiens. multi enim ſtertũt vigilantes. Lucret. *Et vigilans ſtertis.* Plautus in Amphitr. *quæne vigilans ſomniat?* SED QVIA CONS. EST,&c.]Sed eo dixi,*ſorbet*,pro,*ſtertit*.quia conſimilia ſunt, ſtertere, & ſorbere. NON

NASO



A NASO QVIDEM.]non naſo quidem dormit.Rationem ſubiicit.nam eo magnum ſonitum edit,ſtertendo ſcilicet.Qui dormiunt autem,qua parte dormiunt,ea parte tacent. NAM EO MAGN. CL.] nam naſo ſtertit,& ſtertendo magnum clamorem tollit. TETIGIT CALICEM.]bibit è calice clanculum.vel,exhauſit calicem clanculum.vt ſit ἐλάττωσις. DIMISIT NARDINI AMPH. CÆLL.]cællarius,hoc eſt,cællæ præfectus,amphoram vini nardini,hoc eſt,ex nardo confecti,ſeu nardo conditi,dimiſit:hoc eſt,emiſit è manibus,ſeu neglexit,ſeu,non recondidit,ſeu incuſtoditam reliquit.Omnino verbum,*dimiſit*,ſic poſitum,mihi ſuſpectum eſt. Quid ſi legamus,*Depromſit*? conſideret lector. Solebant autem veteres interdum aromatis vinum cõdire.qua de re Plinius lib.14.cap.16.& Dioſcorides lib.5.cap.64. & multis aliis eiuſdem libri capitibus. SVPPROMVS ES,]ſecundus promus es:promo ſubſtitutus es. QVI LIBITVM'ST ILLI CONDORM.?]in voce *qui*,ineſt aliquid ambigui , vt mox apparebit. ſignificat autem, vel quo pacto?vel qua parte?ſeu qua re? OCVLIS, OPINOR.]iocus ex ambiguo, & præter exſpectationem. Ita enim reſpondet Sceledrus , quaſi quæſiuerit ex eo Palæſtrio,qua parte corporis dormierit.at quærere voluit Palæſtrio,quo pacto , ſeu quamobrẽ dormierit.ſic infrà in Mercatore. CH. *Quî potuit eam videre?* AC. *oculis.* NEQ. EQVIDEM HEMINAS OCTO EXPR.]quod hic puer negat ſe feciſſe, intelligendum tamen eſſe ab eo factum.
B *Hemina*,inquit Feſtus,à Græco verbo *ἥμισυ,quòd eſt dimidia pars ſextarij.* A. Gell. lib. 3.cap. 14.*Cõtrà autem ſi è ſextario hemina fuſa eſt,dimidium ſextarij,non dimidiatum ſextarium fuſum eſſe dicendum eſt.* IN VRCEVM]vrceus,vas fictile,aut æneum ad aquam continendam,& capiendam propriè factum,ac paratum. NEQVE ILLE HIC CALIDVM EXINDE EBIBIT IN PRANDIO.] ſic verſum hunc reſtituimus ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ. Sic autem & ſententia aperta,& verſus,perfectus eſt. QVIA ENIM OBSORBVI.] ore rotundo exſorbui,vel raptim,& vno ſpiritu,ſeu vno ductu exſorbui,quaſi ius aliquod calidum,non tamquam vinum ad ſitim ſedandam.Sic autem dictum,obſorbui,vt,obduxi,obligurriui,& ſimil. CALEBAT:] calidum erat. AMBVREBAT GVTTVREM.] profert hunc locum Nonius, docens,*guttur*,& *gutturem* in neutro, & maſculino genere,vſurpatum eſſe à veteribus. profert & verſum illum ex Aulul.*Etiámne obturat inferiorem gutturem?* Sed non diſſimulabo Nonium hîc legere, *adurebat*,non,vt habent libri manuſcr.*amburebat*,neque vt vulgati,*comburebat*. Porrò delectatos fuiſſe veteres calidis potionibus,conſtat.hinc thermopolium,& thermopotare. vt in Trinummo *ſatin' in thermopolio Condulium es oblîtus,Poſtquàm thermopotaſti gutturem?* ALII POSCAM POTANT VIA.]alij vinum ex aqua & fæce,ſeu aceto confectum potant in via.Sic autem legen-
C dum,non,vt vulgò,alia poſtquam potant via,neque vt alibi , alia poſtquam potarunt, &c. hæret ſcrupulus in voce,*via*. Nam,*via*,pro,*in via*,eſt inſolens.præterea ſententia eſt inanis , & frigida. Quòd ſi quis interpretari velit,*via*,de more,ſeu,more:erit duriuſculum , neque ſatis Plautinum. BONO SVPPR. ET PR.] ſubintell. o. admirantis,per ironiam. DIXIS,] dixeris. ITA VERÒ: VT TV IPSE ME DIX. DICT.]ſententia hæc eſt.Tu verò ita me iubes rem omnem tibi aperire,vt dictites conſeruis meis me tibi eorum facinora enuntiaſſe,ac prodidiſſe:atque hoc pacto ab illis eiiciar poſtea è ſagina cællaria : & vt alium ſuppromum , me eiecto, præficias,qui tibi vinum tuo arbitratu promat. HVIC ILLECEBROSO CAP. SIST. CAD.?] Túne homo illecebroſo capite,hoc eſt,ore polluto, atque impuro, huic inclinabas cadum?Sceledrum illecebroſo capite per contumeliam appellat , quaſi cuius os, ſeu caput homines ad ſtuprum illiciat,atque inuitet.Siſtebas cadum autem,id eſt,cadum inclinatum,& verſum tenebas,dum è foramine,(quod olim cortice,& pice obſtruebatur)depromeres.Nam apud veteres non niſi verſo cado, ſeu verſa amphora, vinum depromi poterat.Horat.oda 29.lib. 3.*Non antè verſo lene merum cado*, &c. ad quem locum hac de re nonnulla diximus, & plura fortaſſe dicentur ad illud Plauti in Sticho *Námque ædepol quamuis deſubitò vel cadus verti poteſt.* NON HER-
D CLE TAM ISTOC VALIDÈ CASABANT CADI.]iſtoc, accipiendum δεικτικῶς, vt intelligamus,cum geſtu , aut manu oſtendere, ſe cados haud magno admodum negotio loco mouiſſe,aut vertiſſe:quia ſine vi in lubrico loco,& leui impulſu caſabant,id eſt,nutabant,& inclinabantur.Sic autem iampridem hîc legendum eſſe iudicaui , atque adeò multis doctis indicaui,non,vt vulgò,quaſſabant:quod ferri non poteſt : vt & ſuprà in Aſinar. *caſanti capite incedit:* vbi vulgò legitur,quaſſanti capite,&c.& in Bacchid.*capitibus caſantibus*, ad quæ loca hoc de verbo plura. SED IN CÆLLA EST PAVLLÙM NIMIS LOC. LVBR.] ſed in cælla, inquit, eſt aliquantulum parui loci lubrici. ex quo non erat neceſſe cados ad vinum promendum ad modum validè mouere:ſed leni impulſu,& molli brachio caſabant. BILIBRIS AQVALIS]vas aquarium,duas libras aquæ capiens. COMPLETVR PLENÈ] pleonaſmus. DIE]in die. EAM PLENAM, ATQ. INANEM,&c.]eam aqualem,quæ maxima eſt, vidi aliquoties fieri plenam eodem die,videlicet,dum completur,& inanem puta , dum exhauritur, & exſiccatur. BACCHABATVR HAMA: CASABANT CADI.] baccharum in morem vas aquarium,vini plenum,huc & huc mouebatur. caſabant cadi, id eſt , vertebantur cadi ferè ſponte ſua,aut certè non magna vi adhibita,nempe in loco lubrico,vt ſuprà.Sic autem eſſe legendũ bacchabatur hama, rectè,meo iudicio,vidit Adr. Turneb.nã vulgò legitur,*bacchabatur awa.* Quòd autẽ ad illud alterũ,*caſabant cadi*,decem abhinc annos ita conieceram eſſe reſtituen-

dum & hîc,& in aliis aliquot locis non ſolùm Plauti, verùm etiam nonnullorum aliorum Latini ſermonis auctorum. BACCHANAL FACITIS.] bacchamini: ſacrificium Baccho facitis. SCIBIT,] ſciet. IN DIEM EXTOLLAM] in diem protollam,ac proferam. NE DIXERITIS, OBS. HVIC, VOSTR. F.] Alloquitur ſpectatores. ſermo autem eſt implicatus. talis enim videtur ordo verborum eſſe,obſecro veſtram fidem,ne dixeritis hero meo. Poteſt tamen & hîc eſſe,obſecro vos,per veſtram fidem,ne dixeritis hero meo. vt ſubintelligatur, præpoſitio,per.quod minus probo. QVÒ TE AGIS?] quò te confers? quò te ducis? SI DIVIDETVR,] ſi meum infortunium diuidetur in duas parteis: puta,inter me, & Sceledrum, ſeu quem alium conſeruum,quæſo,meam partem accipito. FORAS ABLEGAVIT,&c.] ſic legendum,non,*foris*. SED PERIPLECT. QVAM EI MAND. M.&c.] Hîc Milphidippa, & Acroteleutium,à Periplectomene ſubornatæ Palæſtrionis mandatu,procedunt: quas proſpiciens Palæſtrio hæc loquitur. Sed Periplectomenes,nimis lepida forma ducit mulierem, quam mulierem ei mandaui vt duceret. LEPIDÈ HOC SVCCED. SVB. MAN. NEG.] ſcitè hoc negotium ex animi ſententia procedit. ſic loquitur infrà eâdem fab. *Bono animo es. negotium omne iam ſuccedit ſub manus.* Idem in Perſa. *Siquam rem accures ſobriè, aut frugaliter: Solet illa rectè ſub manus ſuccedere..* A

B

## PERIPLECTOM. ACROTELEVTIVM.
### MILPHIDIPPA, PALÆSTRIO.

REm omnem Acroteleutium tibi,tibíque mea Milphidippa,
Domi demonſtraui ordine,hanc fabricam,fallaciáſque
Minus ſi tenetis, denuò volo percipiatis planè.
Satis ſi intelligitis,aliud eſt,quod potius fabulemur.
AC. Stultitia atque inſipientia inſulſa atque maxima hæc ſit,
Me ire in opus alienum,aut tibi meam operam pollicitari,
Si in ea opificina neſciam aut mala eſſe,aut fraudulenta.
PE. At melius eſt monerier. AC. meretricem commoneri C
Quàm ſanè magni referat,mihi clàm eſt.quin ego me fruſtro,
Poſtquam admiſere aures meæ tuæ moram orationis.
Tibi dixi,miles quemadmodum potis eſſet aſſecari.
PE. At nemo ſolus ſapit:nam ego multos ſæpè vidi
Regionem fugere conſilij prius,quàm repertam habere.
AC. Si quid faciendum eſt mulieri malè atque malitioſè,
Eius illi immortalis memoria eſt meminiſſe,& ſempiterna:
Sin bene quid,aut fideliter faciendum eſt,eò deueniunt,
Obliuioſæ extemplò vti fiant:meminiſſe nequeunt.
PE. Ergo iſtuc metuo,conuenit.vobis faciundum vtrunque. D
Nam id proderit mihi,malitia malè quòd facietis ambæ.
AC. Dum neſcientes quid bonum faciamus,ne formida.
PE. Non mala nulla meretrix eſt. AC. ne paue: peioribus conueniunt.
PE. Ita vos decet,conſequimini. PA. ceſſo ego illis obuiam ire?
Venire ſaluum gaudeo.lepido hercle ornatu incedit.
PE. Bene opportunéque obuiam is Palæſtrio.hem tibi aſſunt,
Quas me iuſſiſti adducere,& quo ornatu. AC. heus noſter. PA. eſto.
Palæſtrio Acroteleutium ſalutat. AC. quis hic amabo eſt,
Qui tam pro nota me nominat? PE. hic,noſter architectus eſt.

Salue



A AC. Salue architecte. PA. ſalua ſis.ſed dic mihi,ecquid hic te
Onerauit præceptis? PE. probè meditatam vtranque duco.
PA. Audire cupio,quemadmodum.ne quid peccetis paueo.
PE. At tua præcepta.de meo nihil his nouum appoſiui.
AC. Nempe ludificari militem tuum herum vis. PA. elocuta es.
AC. Lepidè & ſapienter,commodè & facetè,res parata eſt.
PA. Atque huius vxorem eſſe te volo aſſimulare. AC. fiat.
PA. Quaſi militi animum adieceris,ſimulare. AC. ſic futurum eſt.
PA. Quaſique res per me interpretem,& tuam ancillam geratur.
AC. Bonus vates poteras eſſe.nam quæ ſunt futura,dicis.
PA. Quaſique annulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
B Quem ego militi darem tuis verbis. AC. nunc vera dicis.
PE. Quæ iſtis nunc memoratis opus eſt, quæ commeminere? AC. melius'ſt.
Nam mi patrone hoc cogitato,vbi probus eſt architectus,
Bene lineatam ſi ſemel carinam collocauit,
Facile eſſe nauem facere.vbi fundata & conſtituta eſt,
Nunc hæc carina ſatis profundata bene & ſtatuta eſt.
Aſſunt fabri architectique,eam quidem ad rem haud imperiti.
Si non nos materiarius remoratur,quod opu'ſt,qui det,
Noui indolem noſtri ingenij,citò erit parata nauis.
PA. Nempe tu nouiſti militem meum herum? AC. rogare mirum eſt.
C Populi odium quin nouerim? magnidicum, cincinnatum,
Mœchum?vnguentatum? PA. num ille etiam te nouit? AC. numquam vidit.
Quî nouerit me,quis ego ſim? PA. nimis lepidè fabulare.
Eo potuerit lepidiùs fieri. AC. potíne vt hominem
Mihi des?quieſcas cætera?ni ludificata lepidè
Ero,culpam omnem in me imponito. PA. agite,intrò abite,
Inſiſtite hoc negotium ſapienter. AC. alia cura.
PA. Age Periplectomene, has nunc iam duc intrò, ego ad forum illum
D Conueniam,atque illi hunc annulum dabo,atque prædicabo
A tua vxore mihi datum eſſe,eámque illum deperire.
Hanc ad nos cùm extemplò à foro veniemus,mittito tu,
Quaſi clanculum ad me miſſa ſit. PE. faciemus.alia cura.
PA. Vos modò curate,ego illum probè iam oneratum huc accibo.
PE. Bene ambula,bene rem gere.at ego hoc ſi efficiam planè,
Vt concubinam militis meus hoſpes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat hodie:hunc ſi dolum dolamus:
Quid tibi ego mittam muneris? AC. dátne ab ſe mulier operam?
PE. Lepidæ ſunt,& comes ſunt. AC. confido confuturum.
Vbi facta erit collatio noſtrarum malitiarum,
Haud vereor,ne nos ſubdola perfidia peruincamur.

PE. Abeamus ergo intrò, hæc vti meditemur, cogitate, A
Nequid, vbi miles venerit, titubetur. AC. tu morare,
Vt accuratè & commodè, hoc quod agendum eſt, exſequamur.

ACROTELEVTIVM,] hæc matronæ ornatum gerit. Milphidippa autem eius ancilla eſt. IN OPVS ALIENVM,] quod faciendum conduxerim. SI IN EA OPIFICINA N.] ſi in eo opere faciendo, ſeu in ea operis effectione, ſeu in ea operis officina neſciam eſſe aſtuta, aut doloſa. QVIN EGO ME FRVSTRO, &c.] Immò ego me fruſtro, hoc eſt, immò me ipſa deſtituo, prodo, ac deſero: & à meis ipſius conſiliis aberro, poſtquàm meæ aures orationem tuam, quæ memoratur, receperunt, ſeu intromiſerunt. *fruſtro* in voce actiua dixiſſe veteres pro *fruſtror* notat Nonius. ASSECARI.] admutilari. ſuprà ead. fab. *nam ego inueni lepidam ſycophantium, Qui admutiletur miles vſque cæſariatus.* &c. Sed non celabo lectorem, pro, aſſecari, quomodo edidit Camerarius, noſtros libros manuſcr. habere, *deaſdare.* vulgatos verò, *de artuari.* AT NEMO SOLVS SAPIT.] ſic Homer. ἰλιάδ. Κ. Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν, ὅππως κέρδος ἔῃ. μοῦνος δ' εἴπερ τι νοήσῃ, Ἀλλά τε οἱ βράσσων τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις. id eſt. Duorúmque ſimul euntium alter plus altero intelligere ſolet, vt ſit ex vſu. B ſolus autem etiam ſi quid intellexerit, ei tamen & exigua intelligentia eſt, & tenue conſilium. Profert primi verſus principium Σύν τε δύ' ἐρχομένω. Plato in Sympoſio, Ariſtoteles libro 8. ἠθικῶν Νικομ. libro 3. πολιτ. M. Tullius lib. 9. epiſt. ad Varron. & libro 9. epiſt. ad Attic. Eodem pertinet prouerb. *vnus vir, nullus vir.* NAM EGO MVLTOS SÆPÈ VIDI REGIONEM F. CONS.] amphibolia. Sed hic ordo eſt. nam ego ſæpè multos vidi regionem conſilij multos fugere, hoc eſt, multis excidere è manibus, prius quàm repertam haberent. regionẽ conſilij, id eſt, locum conſilij. licet & ſic explicare; nam ego multos ſæpè vidi, quos regio conſilij fugerit prius, quàm repertam habuerint. QVÀM REPERTAM HABERE.] malim legi, *quàm repertam haberent.* EIVS ILLI IMMORT. MEM. EST MEMIN. ET S.] Eius, quod malè & malitioſè mulieri faciendum eſt, memoria eſt illi immortalis, & ſempiterna, meminiſſe, ἐπὶ τῷ μεμνῆσθαι, vel πρὸς τὸ μεμνῆσθαι, vel ὥστε μεμνῆσθαι. id eſt, vt meminerit, vel, ad id, vt meminerit. Sic autem reſtituimus, ſcripturæ veteris veſtigia ſecuti, optima, planiſſimáque ſententia, & numeris aptiſſimis. vt ſcilicet intelligamus alterum l. exteri in prouocabulo *illi.* Nonnulli malunt legi, *Eius ibus imm. ibus* autẽ, antiquum, pro, *iis:* de quo alibi. & ita intelligemus mutari numerum, & transiri à numero ſingulari ad numerum multitudinis. EÒ DEVENIVNT.] C mutat numerum. MEMINISSE NEQVEVNT.] aliàs, *& meminiſſe nequeant.* non malè. vt referatur ad ſuperiora. CÓNVENIT VOBIS F. VTR.] conuenit, inquit: id eſt; conuenit inter nos. εἰς ταὐτὸν ἐμοὶ ἥκεις. conſentimus. vobis faciendum eſt vtrumque, id eſt malè, & malitioſè. Camerarius edidit, *Ergo iſtuc metuo, quò venit.* quæ lectio, ſi cui probabitur, ſic poterit explicari. Ergo iſtuc, quod dicis, metuo quò euadat, ſeu quò eueniat. DVM INESCIENTES QVID BONVM FACIAMVS, NE F.] ſcientes nihil boni faciemus: huius rei ſecurus eſto. tantum metuendum eſt, ne quid boni faciamus neſcientes, & imprudentes. NON MALA NVLLA M. EST.] nulla eſt meretrix, quæ non ſit mala, & malitioſa. NE PAVE: PEIORIBVS CONVENIVNT.] ne time, quòd meretrices omnes malæ ſunt. nam cum peioribus conueniũt, congrediuntur, verſantur: nempe cum viris, & cum amatoribus. ſignificat viros eſſe peiores. vel ſic, *ne time: peioribus conueniunt,* id eſt, ne time, quòd malæ ſunt meretrices. nam cum peioribus veniunt, id eſt, vos peiores eſtis, vel tu peior es, quicum nos venimus. alij ſic, ne time, quòd meretrices malæ ſunt. peioribus enim conueniunt, id eſt, ad facinora peiora idoneæ ſunt. LEPIDO HERCLE ORNATV INCEDIT.] Acroteleutium, quæ matronæ in morem ornata eſt. ET QVO ORNATV.] & eo ornatu aſſunt, quo iuſſiſti eſſe. HEVS NOSTER.] D Periplectomenem patronum alloquitur, aliquid ex eo quæſitura: quam interpellauit Palæſtrio. HIC, NOSTER ARCHITECTVS EST.] hic eſt noſter fallaciarum fabricator, & opifex. Sic M. Tullius pro Roſcio Amer. *ex iis, quæ nũc maximè ſunt, nonne quiuis poteſt intelligere, omnium architectum, & machinatorem vnum eſſe Chryſogonum?* &c. Idem in Cluentiana. *& illi, qui Fabricij libertum, quia miniſter in maleficio fuerat: patronum, quia conſcius, condemnaſſent: ipſum principem, atque architectum ſceleris abſoluerent?* ECQVID HIC TE ONERAVIT PRAECEPTIS.] numquid hic Periplectomenes te præceptis, id eſt, documentis, onerauit, hoc eſt, cumulatè inſtruxit, ſeu impleuit? translatio eſt. ſic M. Tullius libro 3. epiſt. ad Appium. *Te autem quibus mendaciis, homines leuiſſimi onerarunt?* &c. Idem libro 3. de Nat. deorum. *Quia te quoque (inquit) animaduerti, Cotta, ſæpè, cùm in foro diceres, quàmplurimis poſſes argumentis, onerare iudicem, ſi modò eam facultatem tibi daret cauſa.* Plaut. in Mercat. *Quibus eſt dictis dignus, vſque oneremus ambo.* Idem in Pſeud. *Pſeudole, aſſiſte altrinſecus, atque onera hunc maledictis.* Terentius Phormione. *O Fortuna, ô fors Fortuna, quantis commoditatibus, quàm ſubitò hero meo Antiphoni ope veſtra hunc oneraſtis diem?* AVDIRE CVPIO QVEMADMODVM.] audire cupio quomodo ſit meditata. AT TVA PRÆCEPTA.] ſubintell. ſunt. DE MEO NIHIL HIS NOVVM APP.] nihil his nouum de meo addidi. *appoſiui,* pro, *appoſui,* antiquum. ſic *depoſiui, repoſiui,* &c. QVASI MILITI ANIM. ADIEC.] quaſi ad militem animum appuleris,



A puleris, hoc eſt, quaſi militis amore capta ſis, &c. ſic Terent. Eunuch. *ſed, ego quantum ſuſpicor, Ad virginem animum adiecit.* Plautus in Mercat. *ſed præcauto eſt opus, Ne ad illam me animum adieciſſe aliquà ſentiat.* QVASÍQ. RES PER ME INTERPRETEM, &c.] ſuprà eádem fab. *quaſique ego rei ſim interpres.* NAM QVÆ SVNT F.] ego enim iſta, quæ dicis, omnia ſum factura. Ita vates es, qui quæ futura ſunt, prædicas. Iocus. ſic infrà in Perſa. *quod futurum eſt, prædicas.* QVÆ ISTIS NVNC MEMORATIS OP. EST. Q. COMM.] quid iſta nunc commemorare opus eſt, quæ memoria tenet? VBI PROBVS EST ARCHITECTVS, &c.] totus hic locus, qui ſequitur, allegoria conſtat. Significatur autẽ per nauem, negotium, conſiliúmque ſuſceptum de decipiendo milite: per Carinam, commentum, & fallacia, totius denique fabricæ ratio, & fundamentum: per fabros, Periplectomenes & meretrices: per architectum, Palæſtrio: per materiarium, miles. BENE LINEATAM] bene directam. CARINAM] carina, infima pars nauis, & quaſi fundamentum. VBI FVNDATA, ET CONST.] nauis. PROFVNDATA,] profunda facta. ET STATVTA EST] & ſtabilita, ſeu poſita eſt. MATERIARIVS] materiarius eſt is, qui materiam, putà lignum, ad nauem edificandam præbet. QVOD OPV'ST, QVI DET.] qui det, quod opus eſt. CITÒ ERIT PARATA NAVIS] citò erit confectum negotium, quod habemus in manibus, quódque nobis conficiendum datum B eſt. POPVLI ODIVM QVIN NOVERIM?] cur non populi odium nouerim? M. Tull. in Vatinium. *ſi es odium publicum populi, ſenatus, vniuerſorum hominum,* &c. populi odium, hoc eſt, hominem populo odioſiſſimum. MAGNIDICVM] magniloquum, μεγαλήγορον, μεγαλοῤῥήμονα. Horat. ſat. 3. lib. 1. *Modò reges, atque tetrarchas, Omnia magna loquens.* Idem oda 6. lib. 4. *Diue, quem proles, Niobæa magnæ Vindicem linguæ, Tityóſque raptor ſenſit.* CINCINNATVM.] cincinnis, hoc eſt capillis criſpis, & calamiſtratis comtum, ſuprà non longè, cæſariatum dixit. M. Tull. poſt redit. in Sena. *quo vultu cincinnatus ganeo non ſolùm ciuium lacrymas, verùm etiam patriæ preces repudiauit?* Idem pro Sextio. *Cùm flens vniuerſus ordo cincinnatum conſulem (Gabinium) orabat.* Plaut. Trucul. *Iam ego iſtos fictos, compoſitos, criſpos, cincinnos, tuos Vnguẽtatos vſque ex cerebro exuellã.* VNGVENTATVM] vnguentis oblitum, ac delibutum. QVIS EGO SIM?] quæ ego ſim? EO POTVERIT LEPIDIVS FIERI] quòd te numquam miles vidit, neque te nouit, eo facilius, & melius potuerit fieri id, quod volumus. POTÍNE VT HOMINEM MIHI DES?] potéſne facere, ſeu potéſtne fieri, vt militem mihi exhibeas? proinde quaſi dicat, da mihi hominem tantùm, cetera ſine me curare. QVIESCAS CETERA?] quod ad cetera attinet, otioſus ſis? cetera, τ' ἄλλα. NI LVDIFICATA LEPIDÈ ERO,] ni militem probè ludificauero. CVLPAM OMC NEM IN ME IMP.] culpam omnem in me conferto. tranſlatio eſt ab onere, quod humeris imponitur. INSISTITE HOC NEGOT. SAP.] ſic dictum, *inſiſtite hoc negotium,* vt *inſiſtere viam,* ſuprà eád. fab. *erro, quam inſiſtas viam.* Terent. Eunuch. *quem percontar? quam inſiſtam viam?* ſententia autem hæc eſt, incumbite in hoc negotium prudenter, & cordatè tractate, & gerite hoc negotium ſobriè, & callidè. ALIA CVRA.] alia cura. hæc me ſine curare. ſuprà in Caſina. *Abi & aliud cura.* ad quem locum plura. EÁMQ. ILLVM DEPERIRE.] & eam illius amore perire. CÙM EXTEMPLO] ſimul vt: cùm primùm: ἐπειδὴ τάχιστα: ſtatim vt. EGO ILLVM PROBÈ IAM ONERATVM, &c.] ſuprà in Moſtell. *hinc ſpeculabor procul, Vnde aduenienti ſarcinam imponam ſeni.* BENE REM GERE.] εὖ πράττε. ſermo bene præcantis. Horat. epiſt. ad Celſum. lib. 1. *Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinouano.* AT EGO HOC SI EFF. PL. &c.] id eſt, at ſi ego hoc efficiam planè, vt meus hoſpes Pleuſides habeat hodie Philocomaſium, atque hinc Athenas hodie abeat: ſi denique hunc dolum fabricamur: quid tibi, mea Acroteleutium, mittam muneris? quo te munere remunerabor? Secutus autem ſum noſtros libros veteres, qui in eo cum vulgatis congruunt, quòd habent, *at ego hoc,* non, vt edidit Camerarius, *at egóne hoc ſi efficiam,* &c. in ceteris, noſtri codices cum Camerarij editione cõſentiunt. Quod ſi quis D particulam, *ne,* retinendam contendat: malim hoc ordine legi. *at ne ego, hoc ſi efficiam,* &c. ſeu, vt in libris manuſcriptis hæc particula ſcribitur, etiam cùm vim habet affirmandi, *at ne ego,* &c. Quod autẽ quidã volunt hîc aliam ſcribi perſonam, falluntur. HVNC SI DOLVM DOLAMVS:] hunc ſi dolum fabricamur. dolum dolamus. παρέχησις, ſeu παρονομασία. QVID TIBI EGO MITTAM MVNERIS?] fuerat initiò per enuntiationem, dicturus, præclarum, & luculentum munus tibi mittam. ſed tamquam dubitans per interrogationem ſubiecit, quid ego tibi mittam muneris? DÁTNE ABS SE MVLIER OPERAM?] additne mulier, nempe Philocomaſium, ad hanc rem pro ſua parte operam? adiuuátne hoc negotiũ, quod gerimus Philocomaſium opera ſua? LEPIDÆ SVNT, ET COMES SVNT] mutat numerum, de vna enim muliere quæſierat Acroteleutium, reſpondet Periplectomenes de duabus: hoc modo, lepidæ ſunt, & comes ſunt. proinde ac ſi dicat, noli dubitare de mulieribus, quin ſint ambæ huic rei, quam ſuſcepimus, operam daturæ, ſeu additure, ſunt enim lepidæ, & comes, hoc eſt, ſunt enim ſalſæ, facetæ, commodæ, atque vrbanæ. Quod autem Camerarius edidit *lepidus ſum & comis ſum.* nihil tam ἀπροσδιόνυσον, nihil tam abſurdum fingi poteſt. quid enim alienius, atq. abſurdius, quàm ei, qui roget de aliqua muliere, ſítne ea ad operam dandam parata, atque inſtructa, reſpondere de ſe ipſo, lepidus, & comis ſum? Omnino nemo eſt, qui non videat hanc lectionem, ac reſponſionem eſſe ineptiſſimam. CONFIDO CONFVTVRVM] ſi ita eſt, vt dicis, inquit Acrote-

leutium,confido nos hoc negotium ex animi ſẽtẽtia confecturas.confuturum,id eſt,futurum. A
ſic apud Terentium.confore,in Andria,*reſtat Chremes qui mihi exorandus eſt: & ſpero confore.* Sic,*confieri*,apud Lucretium,& Virgilium.V**BI FACTA ERIT COLLATIO NOSTRARVM MALITIARVM**]collatio συμβολή,collectio,collecta.videtur eſſe tranſlatio tracta à ſymbolis,id eſt,collectis,ſeu conuiuiis,quæ conſtant ex partibus collatis.Horat.epiſt.ad Piſonem. *Vndique collatis membris.* H**ÆC VTI MEDITEMVR COGITATÈ**] Sic legendum *meditemur cogitatè*,coniunctim,& vt *cogitatè* ſit aduerbium. T**ITVBETVR**]Horat.epiſt. ad Vinnium Aſel.libro 1.*vade,vale,caue,ne titubes*,&c.

## PYRGOPOLINICES. PALÆSTRIO.

Voluptas eſt quod agas,ſi id procedit lepidè ex ſententia.
Nam ego hodie ad Seleucum regem miſi paraſitum meum,
Vt latrones quos conduxi,hinc ad Seleucum duceret, B
Qui eius regnum tutarentur,mihi dum fieret otium.
PA. Quin tu tuam rem cura potius,quàm Seleuci:quæ tibi
Conditio noua,& luculenta fertur per me interpretem.
PY. Immò omnies res poſteriores pono,atque operam do tibi.
Loquere,aureis meas profectò dedo in ditionem tuam.
PA. Circumſpicito dum ne quis noſtro hîc auceps ſermoni fiet.
Nam hoc negotij clandeſtinò vt agerem.mandatum'ſt mihi.
PY. Nemo,adeſt. PA. hunc arrabonem amoris primùm à me accipe.
PY. Quid?hic vnde eſt? PA. à luculenta atque feſtiua fœmina,
Quæ te amat,tuámque expetiſſit pulcram pulcritudinem, C
Eius nunc mihi annulum,ad te ancilla,porrò vt deferrem,dedit.
PY. Quid? ea ingenua,an feſtuca facta? ſerua an libera'ſt?
PA. Vah,egóne vt ad te ab libertina eſſe auderem internuntius,
Qui ingenuis ſatis reſpondere nequeas cupidis tui?
PY. Nupta ea eſt,an vidua? PA. & nupta & vidua. PY. quo pacto potis
Vidua & nupta eſſe eadem? PA. quia adoleſcens nupta eſt cum ſene.
PY. Euge. PA. lepida & liberali forma eſt. PY. caue mendacium.
PA. At tuam formam illa vna digna'ſt. PY. hercle pulcram prædicas, D
Sed quis ea eſt? PA. ſenis huius vxor Periplectomeni. PY. in proximo?
PA. Ea demoritur te,atque ab illo incipit abire,odit ſenem.
Nunc te orare atque obſecrare iuſſit,vt tui copiam
Sibi,poteſtatémque facias. PY. cupio hercle equidem,ſi illa vult.
PA. Quæ cupit. PY. quid illa faciemus concubina,quæ domi eſt?
PA. Quin tu illam iube abs te abire,quò lubet:ſicut ſoror
Eius gemina venit Epheſum,& mater,arceſſúntque eam.
PY. Ain' tu?aduenit Epheſum mater eius? PA. aiunt qui ſciunt.

Hercle



A PY. Hercle occaſionem lepidam,vt mulierem extrudam foras.
PA. Immò vin' tu lepidè facere? PY. loquere,& conſilium cedò.
PA. Vin' tu illam actutum amouere à te,vt abeat per gratiam?
PY. Cupio. PA. tum te hoc facere oportet. tibi diuitiarum affatim eſt.
Iube ſis,aurum,atque ornamenta,quæ illi inſtruxti mulieri,
Dono habere ſibi,auferréque abs te,quò lubeat,ſibi.
PY. Placet vt dicis.ſed,ne iſtam amittam,& hæc mutet fidem,
Vide modò. PA. vah delicatu's, quæ te tamquam oculos amet.
PY. Venus me amat. PA. ſt, tace. aperiuntur fores, concede huc clanculum. B
Hæc celox illius eſt,quæ hinc egreditur internuncia.
PY. Quæ hæc celox? PA. ancillula illius eſt, quæ hîc egreditur foras.
Quæ annulum iſtunc attulit, quem tibi dedi. PY. ædepol hæc quidem
Bellula eſt. PA. pithecium hæc eſt præ illa,& ſpinturnicium,
Viden' tu illam oculis venaturam facere,atque aucupium auribus?

V**OLVPTAS EST, QVOD AGAS, SI ID**,&c.] ordo eſt, voluptas eſt, id eſt, iucundum eſt,ſi id,quod agas,lepidè ex ſententia procedit.V**T LATRONES, QVOS CONDVXI**,]latrones,conducti milites,qui à latere ſunt appellati,quaſi laterones , vt ſuprà diximus, C vel à verbo λατρεύειν. M**IHI DVM FIERET OTIVM**] interea dum mihi otium pareretur. Q**VÆ TIBI CONDITIO NOVA**,&c.]tuam rem cura, quæ conditio tibi noua,ac lucul.&c. L**VCVLENTA**]ampla,magnifica.I**MMÒ OMNEIS RES POSTERIORES**] immò omneis res meis rebus poſthabeo,& poſtpono. D**EDO IN DITIONEM TVAM.**] dedo tuæ poteſtati.dedimus nos potentiori,& victori,& ſuperiori,aut certè quem ſuperiorem, ac potentiorẽ eſſe confitemur. C**IRCVMSPICITO DVM.**] *dum* particula eſt hoc loco inſeparabilis. N**E QVIS NOSTRO HÎC AVCEPS SERM. F.**] ne quis noſtrum ſermonem aucupetur.ſic infrà in Sticho. *Numquis hîc eſt alienus noſtris dictis auceps auribus* ? & ſuprà hac eád.fab. *Nam opus eſt nunc tuto loco,Vnde inimicus ne quis noſtris ſpolia capiat conſiliis.* & eádẽ ſcena,paucis pòſt verſibus, *Sed ſpeculabor,ne quis aut hinc à læua,aut à dextera, Noſtro conſilio venator aſsit cum auritis plagis.* H**VNC ARRABONEM**,&c.]hoc pignus.hanc arram. A **LVCVLENTA**,]à formoſa,&c.P**VLCHRAM PVLCHRITVDINEM.**]eiuſdẽ generis ſunt illa,amœnitate amœna.in Capt.nitoribus nitidis,in Caſina.pretio pretioſo.in Epid.&c. quę colligentur in indicę ad nomen adiectiuum eiuſdem originis , & ſignificationis, atque ſubſtantiuum,cui adiectum eſt. Q**VID? EA INGENVA, AN FESTVCA FACTA?**]quid?ea ingenuáne eſt,an liberta,ſeu D libertina?hoc eſt,eáne eſt parentibus liberis nata,an à prætore libera facta?feſtuca,virga prætoria,qua ſeruos libertate donabat.Plutarchus libro περὶ θείου βραδ. τιμωρ. κάρφος appellat.quod notarat Simeo Boſius.Perſius ſat.5.*hîc hîc quem quærimus,hîc eſt, Non in feſtuca, lictor quam iactat ineptus*.vocatur & vindicta à Latinis. S**ERVA, AN LIBERA'S T?**]éſtne ſerua an libera?V**AH EGÓNE VT AD TE AB LIBERTINA ESSE AVD. INTERN. QVI ING.** &c.] vah itáne eſſem demens,vt ab libertina fœmina auderem internuntius ad te venire, quem tam multæ ingenuæ amant, & vltro experant , vt eis præ multitudine ſatis reſpondere non poſſis? C**AVE MENDACIVM**]caue mentiaris,*caue mendacium*,dictum,vt caue malum. A**T TVAM FORMAM ILLA VNA DIGNA'ST**]illa vna digna eſt,cuius forma cum tua comparetur. *ad* hîc comparationẽ ſignificat,ſic ferè apud Terent.in Eun.*at nihil ad noſtram hanc.* S**ED QVIS EA EST?**]ſed quæ ea eſt? P**ERIPLECTOMENI**] Periplectomenis. D**EMORITVR TE**] deperit te,te amat perditè.ſic infrà eád.fab.*non me dico Sed heram meam,quæ te demoritur.* V**T TVI COPIAM SIBI POTESTATÉMQ.** &c.] vt ſecum rem habeas.vel vt ſe vxorem ducas. Q**VÆ CVPIT.**]proinde quaſi dicat , non eſt dubium , quin illa velit, cùm cupiat , vel quippe quæ cupit.plus eſt enim cupere,quàm velle. Q**VID ILLA FACIEMVS CONCVB.**]quid faciemus de Philocomaſio ? V**T MVLIEREM EXTRVDAM FORAS.**] ſic legendũ,non vt vulgò,*excludam foras*.extruditur enim foras,qui intus eſt:excluditur, qui vult quidem

ooo

introire,ſed prohibetur introitu.Atqui Philocomaſium erat apud militem,& in domo militis. A non igitur conuenienter,neque aptè dici poteſt,miles eam excludere foras,aut foris: ſed extrudere foras,ſic infrà eád.fab.*Quin ſi voluntate nolet,extrudam foras.* ET CONSILIVM CEDÒ] &.conſilium dic,ſeu potiùs da. PER GRATIAM?] cum bona gratia? ſic infrà ead.fab.*Quod volui,vt volo,impetraui per amicitiam,& gratiam.* TVM TE HOC FACERE OPORTET] prætereate hoc facere oportet. AFFATIM]plus ſatis,larga copia. IVBE SIS] iube,ſi vis, &c. INSTRVXTI]inſtruxiſti,paraſti,ſic infrà,eád.fabula, *quæ illi inſtruxti,ſumat, habeat, auferat.* hinc inſtrumentum domeſticum, inſtrumentum regni,inſtrumentum imperij, inſtrumentum tribunatus,&c. AVFERRE ABS TE, QVÒ LVBEAT SIBI]ordo eſt,auferre abs te ſibi,quò lubeat. SED NE ISTAM AMITTAM, ET HÆC MVTET FIDEM,&c.]ſed vide modò, ne iſtam Philocomaſium amittam, & hæc Periplectomenis vxor, quam tu mihi concilias,mutet fidem.Non facit Plautus homines prorſus ſtolidos,& planè lapides, vt neque Terent.Eſſet autẽ miles planè lapis,& ſtipes,ſi continuò,ſine vlla ſuſpicione,& ſine vlla dubitatione,ſpem incertam pro re certa ſumeret.VAH, DELICATV'S, QVAE TE TAMQVAM OC. AM.] vah,delicatus homo es,qui dubites de huius vicinæ fide,cùm te tamquam oculos ſuos amet.prouerbij locum obtinet, oculis carior, & carus tamquam oculi. Catull. ad Quinctium.*Quincti,ſi tibi vis oculos debere Catullum,Aut aliud,ſi quid carius eſt oculis.* Idem ad quendam de B Leſbia.*Credis me potuiſſe meæ maledicere vitæ,Ambobus mihi quæ carior eſt oculis?* Plaut.ſuprà in Curcul. in princip.*oſtium oculeiſſimum.* ST, TACE]ſt,ſilentij nota.ſuprà in Curcul.*ſt,tace,tace,*millies vſurpatum eſt ab eodem.conſule indicem. HAEC CELOX ILLIVS EST,&c.] hæc, quæ egreditur internuntia,celox illius eſt,hoc eſt,miniſtra illius eſt.celox,nauigium breue, & celere, quod maioribus,& tardioribus ſubſeruit.hîc per tranſlationem ſermonis, ancillam Acroteleutij,celocem Palæſtrio appellat. PITHECIVM HAEC EST, PRAE ILLA, ET SPINTVRN.] hæc,quæ egreditur,ſimiola,& paruula ſpinturnix eſt,præ illa,quam tibi concilio.Pitheciũ, πιθηκίον, ſimiola,πίθηκος,ſimius,ſeu ſimia.Ennius.*ſimia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis?* ſpinturnix autem, ſeu ſpinthyrnix, auis eſt turpis figuræ,inquit Feſtus,quæ σπινθαρὶς Græcè dicitur,auis inauſpicata.Plinius lib.10. OCVLIS VENATVRAM FACERE,] venari oculis.colluſtrare omnia oculis loca.παπταίνειν dicunt Græci. ATQVE AVCVPIVM AVRIBVS?]& facere aucupium auribus? hoc eſt,& ſermones,ac voces omneis auribus aucupari?

## MILPHIDIPPA. PYRGOPOLINICES. C
### PALÆSTRIO.

Iámne eſt ante ædeis circus,vbi ſunt ludi faciendi mihi?
Diſſimulabo,hos quaſi non videam, neque eſſe hîc etiam dum ſciam.

PY. Tace:ſubauſcultemus,ecquid de me fiat mentio.

MI. Num, quíſnam hinc propè adeſt, qui aliena potius curet, quàm ſua?
Qui aucupet me,quid agam,qui de veſperi viuat ſuo? D
Eos nunc homines metuo mihi ne obſint,néue obſtent vſpiam,
Domo ſi ibit, ac dum huc tranſibit, quæ huius cupiens corporis eſt,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidũ, & nimia pulcritudine
Militem Pyrgopolinicem. PY. ſatin' hæc quoque me deperit.
Meam laudat ſpeciem, ædepol huius ſermones haud cinerem quæritant.

PA. Quo argumento? PY. quia enim loquitur lautè, & minimè ſordidè.
Tum autem ipſa eſt nimium lepida,nimiúmque nitida fæmina.
Hercle verò iam allubeſcit primulum Palæſtrio.

Prius



A PA. Priùs nequam illam oculis tuis? PY. id ideò quòd credo tibi,
Cùm hæc locutu's. illa autem abſens adigit me vt amem hercle hanc quidem.

PA. Nihil tu amaſſis.mihi hæc deſponſata'ſt. tibi ſi illa hodie nupſerit,
Ego continuò hanc vxorem ducam. PY. quid ergo hanc dubitas colloqui?

PA. Sequere hàc me ergo. PY. pediſequus tibi ſum. MI. vtinam cuius cauſſa
Foras ſum egreſſa,conueniendi mihi poteſtas eueniat.

PA. Erit, & tibi exoptatum obtinget. bonum habe animum. ne formida,
B Homo quidam eſt,qui ſcit.quod quæris,vbi ſit. MI. quem ego hîc audio?

PA. Socium tuorum conſiliorum,& participem,conſiliarium.

MI. Tum pol ego id quod celo,haud celo. PA. immò ita, etiamſi non celas.

MI. Quo argumento? PA. infidos celas,ego ſum tibi firma fide.

MI. Cedò ſignum,ſi harunc baccharum es. PA. amat mulier quædam quendam.

MI. Pol iſtuc quidem multæ. PA. at non multæ de digito donum mittunt.

MI. Enim cognoui nunc,feciſti modò mihi ex procliuo palàm rem.
C Sed hîc numquis adeſt? PA. vel adeſt,vel non. MI. cedò te mihi ſolæ ſolum.

PA. Breuín',an longinquo ſermone? MI. tribus verbis. PA. iam ad te redeo.

PY. Quid?ego hîc adſtabo tãtiſper cũ hac forma, & factis ſic fruſtra?

PA. Pátere atque aſta tibi hanc ego do operam. PY. properando excrucior.

PA. Pedetentim. tute hæc ſcis, tractari ita ſolere haſce huiuſmodi merces.

PY. Age age, vt tibi maximè concinnum eſt. PA. nullum eſt hoc D ſtolidius ſaxum,
Redeo ad te. quid me voluiſti? MI. quo pacto hoc dudum accepi,
Iſtuc fero ad te conſilium. PA. quaſi hunc depereat. MI. teneo iſtuc.

PA. Collaudato formam & faciem,& virtutes commemorato.

MI. Ad eam rem habeo omnem aciem tibi vt dudum demonſtraui.

PA. Tu cetera cura & contempla,& de meis venator verbis.

PY. Aliquam mihi partem hodie operæ des,denique iam tandem ades illico.

PA. Aſſum:impera,ſi quid vis. PY. quid hæc narrat tibi. PA. lamentari

Ait illam miſeram, cruciari, & lacrumantem ſe afflictare, A
Quia tis egeat, quia te careat. ob eam rem huc ad te miſſa'ſt.
PY. Iube adire. PA. at ſcin' quid tu facias? facito faſtidij plenum,
Quaſi non lubeat. me inclamato, quia ſic te volgo vulgem.
PY. Memini, & præceptis parebo. PA. voco ergo hanc, quæ te quærit?
PY. Adeat, ſi quid vult. PA. ſiquid vis, adi mulier. MI. Pulcer, ſalue.
PY. Meum cognomentum quis commemorauit? Dij tibi dent quæ optes.
MI. Tecum ætatem exigere vt liceat. PY. nimium optas. MI. non me dico, B
Sed heram meam, quæ te demoritur. PY. multæ aliæ idem iſtuc cupiunt,
Quibus non eſt copia. MI. æcaſtor haud mirum, ſi te habeas carum,
Hominem tam pulcrum, & præclara virtute, & forma & factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui eſſet? PA. non hercle humanum eſt ergo.
Nam voltorio plus humani, credo, eſt. PY. magnum me faciam
Nunc, quoniam illhæc me collaudat. PA. viden' ignauum, vt ſeſe inferat?
Quin tu huic reſpondes? hæc illæc eſt, ab illa, quam dudum. C
PY. Quánam ab illarum? nam ita me occurſant multæ: meminiſſe haud poſſum.
MI. Ab illa, quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos décorat.
Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic, qui porrò.
PY. Quid nunc tibi vis mulier? memora. MI. vt quæ te cupit, eámne ſpernas,
Quæ per tuam nunc vitam viuit. ſit, nécne ſit, ſpes in te vno eſt.
PY. Quid nunc vult? MI. te compellare, & complecti, & contrectare.
Nam niſi tu illi fers ſuppetias, iam illa animum deſpondebit. D
Age mi Achilles, fiat quod te oro, ſerua illam pulcram pulcrè.
Exprome benignum ex tete ingenium, vrbicape, occiſor regum.
PY. Heu hercle odioſas res. quoties hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meámne ſic volgo polliciteris operam? PA. audin' tu mulier?
Dixi hoc tibi dudum, & nunc dico, niſi huic verri affertur merces,
Non hic ſuo ſeminio quamquam porculam impertiturus eſt.
MI. Dabitur quantum ipſus pretij poſcet. PA. talentum Philippum huic opus auri eſt:
Minus à nemine accipiet. MI. heu æcaſtor nimis vile eſt tandem.
PY. Non mihi auaritia vmquam innata eſt. ſatis eſt diuitiarum





A Plus mihi auri mille'ſt modiorum Philippei. PA. præter theſaurum,
Tum argenti monteis, non maſſas habet. Ætna non æquè alta eſt.
MI. Heu, æcaſtor, hominem periurum. PA. vt ludo? MI. quid ego? vt ſublecto os? PA. ſcitè.
MI. Sed amabo, mitte me actutum. PA. quin tu huic reſpondes aliquid
Aut facturum, aut non facturum? quid illam miſeram & amicam crucias,
Quæ numquam malè tibi dixerit? PY. at iube eam ipſam exire huc ad nos.
B Dic me omnia, quæ vult, facturum. MI. facis nunc vt facere æquum,
Quòm quæ vult, eadem tu vis. PA. non hic inſulſum habet ingenium.
MI. Quúmque me oratricem haud ſpreuiſti, ſiuiſtíque exorare ex te,
Quid eſt? vt ludo? PA. nequeo hercle quidem riſu me admoderarier.
Ob eam cauſſam huc abs te auorti. PY. non ædepol tu ſcis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo. MI. ſcio, & iſtuc illi dicam.
C PA. Contra auro alij hanc vendere potuit operam. MI. iſtuc pol tibi credo.
PA. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit,
Et pueri annos octingentos viuunt. MI. væ tibi nugator.
PY. Quin mille annorum perpetuò viuunt, ab ſæculo ad ſæclum.
PA. Eo minus dixi, ne hæc cenſeret me aduorſum ſe mentiri.
MI. Perij, quot hic annos viuet, cuius filij tam diu viuunt?
PY. Pòſt triduo natus ſum, mulier, quàm Iupiter ex Ope natus eſt.
PA. Si hic pridie natus foret, quàm ille eſt, hic haberet regnum in cœlo.
D MI. Iam iam ſat amabo eſt. ſinite abeam, ſi poſſum viua à vobis.
PA. Quin ergo abis, quando reſponſum eſt? MI. ibo. illam huc adducam,
Quam propter opera eſt mihi. numquid vis? PY. ne magis ſim pulcer, quàm ſum,
Ita me mea forma ſollicitum habet. PA. quid hîc nunc ſtas? quin abis? MI. abeo.
PA. Atque adeò audin' tu? dicito doctè & cordatè. MI. cura aliud.
PA. Philocomaſio dic, ſi eſt hîc, domum vt tranſeat, hunc hîc eſſe.
MI. Hîc cum mea eſt hera, clam noſtrũ hunc ſermonem ſublegerunt.
PA. Lepidè factum eſt, iam ex ſermone hoc gubernabunt doctius porrò.

Remorare. MI. abeo,neque te moror, neque te tango, neque A
te teneo.

PY. Iube maturare,illam exire hunc,iam iſti rei præuortemur.

IAMNE EST ANTE ÆDEIS,&c.]hæc loquitur Milphidippa ſola, vt ſpectatores tantùm audiant. CIRCVS] alludit ad ludos circenſeis: & circum quærit hæc ancilla, in quo quaſi magnificos ludos ſit factura,& militem ludificatura. VBI SVNT LVDI FACIENDI MIHI?]ſic legendum,*non,vbi ſunt ludificandi mihi?neque,vbi ludificandus eſt mihi?* quod vidit Camerarius:quamuis ediderit,*vbi ſunt ludificandi mihi?* HOS QVASI NON VIDEAM.] quaſi non videam militem,& Palæſtrionem. ECQVID DE ME F. M.] numquid de me fiat mentio. NVMQVIS NAM HINC PROPÈ ADEST, QVI ALIENA,&c.] deſcribit curioſum,qui aliena negotia curat,ſua negligit. QVI AVCVPET ME, QVID AGAM,&c.]qui obſeruet,& exquirat,quid agam,&c. *aucupet*, antiquum pro,*aucupetur*. Eſt autem tranſlatio ab aucupibus, ad eos,qui oculis,& auribus excipere conantur, quid ab aliquo geratur,& dicatur. QVI DE VESP. VIVAT SVO?]qui de ſuo cenet?qui domi ſuæ, & ſumtu ſuo cenet?qui habeat domi,vnde cenet?per veſperum, cenam ſignificat, quia ſcilicet Ro- B mani veſperi cenabant.ſic in Ruden.*Si tu de illarum cenaturus veſperi es*.Quòd autem ad huius loci ſententiam attinet, credibilius eſt eos, qui de ſuo viuunt,& qui habent domi, quod edant,& cenent,neque foris quærere coguntur,curioſos eſſe,& aliena curare, quàm qui domi eſuriunt. quamquam apud Horat.ſat.3.lib.2.*Damaſippus ille aliena negotia curat,Excuſſus propriis*.DOMO SI IBIT AC DVM HVC TRANS.] domo ſi exibit hera mea, atque interea dum huc tranſibit,quæ corporis huius cupida eſt. ÆDEPOL HVIVS SERMONES HAVD CIN. QVAE.&c.]ædepol huius ancillæ ſermones,non quærunt hominem aridum,& capularem, aut Acheruntìcum,ſed virum aliquem viuidum,ac vegetum,& ætate integra. vel ſic, ædepol huius ancillæ verba abiectum,ſordidum,& obſoletum aliquid non quærunt, ſed aliquid lautum, luculentum,& magnificum. QVO ARGVMENTO?]ſic ſæpe Plautus, cùm aliquid obſcurius dictum declarare vult ſpectatori,vt in Aſina. *Nudus vinctus centum pondo es,quando pendes per pedes.* LIB.*quo argumento iſtuc?*& infrà eád.fab.non longè.MILPH.*quo argumento?*PAL.*infidos celas*.TVM AVTEM IPSA EST,&c.]ipſa Milphidippa,ipſa ancilla. ALLVBESCIT.] placere incipit. PRIÚSNE, QVÀM ILL. OCVLIS TVIS.]ſubintell.*videris*? priúſne hæc ancilla tibi allubeſcit,quàm dominam lõgè ancilla venuſtiorem,ac formoſiorem oculis tuis adſpexeris?ID C IDEÒ, QVOD CREDO TIBI.]ideò mihi hæc ancilla allubeſcit,quod tibi credo, eius herum mulierem lepidiſſimam,ac venuſtiſſimam. CÙM HAEC LOCVTV'S.] cùm hæc locutus es de Acroteleutio,eam eſſe luculentam,& feſtiuam fæminam.NIHIL TV AMASSIS.] nullo tu pacto amaueris hanc ancillam. QVID ERGO HANC DVBITAS COLLOQVI?]quid ergo cum hac dubitas loqui?ſic & alibi verbum *colloqui*, cum accuſandi caſu iungere ſolet.vt in Amph.*te volo,vxor,colloqui*.In Aſina.*At ſceleſta viden',vt ne id quidẽ me dignum eſſe exiſtimet,quem adeat,quem colloquatur*,&c.Sic autem vt edidi, habent noſtri libri veteres. Camerarius verò ſic. *quid ergo hac dubitas colloqui*. ne hòc quidem malè. nam *hac colloqui*,valet, cum hac loqui. VTINAM, CVIVS CAVSA FORAS SVM EGR.] hæc loquitur ſecum ancilla, vt audiant ſpectatores tantùm, vtinam, inquit, eius conueniendi mihi poteſtas eueniat, cuius cauſa domo foras egreſſa ſum. ERIT ET TIBI EXOPT. OBT.] hæc quoque ſic loquitur Palæſtrio,vt ſpectatores ſoli exaudiant, quamuis ad ancillam dirigantur. audit enim illa vocem tantùm,non verba exaudit.Erit,inquit Palæſtrio,conueniendi tibi militis poteſtas,& quod exoptaſti,tibi obtinget.TVM POL EGO ID, QVOD CELO H. C.]tum verò ſi conſiliorũ meorum ſocius es, & particeps,& conſiliarius,non celo id,quod celo.hoc eſt, fruſtrà celo hæc D occulta,& arcana conſilia,ſi tu corũ es particeps,& ſi nihilominus exeunt,& emanãt in vulgus. IMMÒ ITA ETIAM, SI NON CELAS]id eſt,immò celas,etiam ſi non celas.quæ verba mox ab ipſo Plauto explicabũtur.QVO ARGVMENTO?] quo argumento iſtud dicis?& quî fieri poteſt, vt celem, etiam ſi non celem? Nam hæc inter ſe pugnant. INFIDOS CELAS. EGO SVM T. F. F.]ſic dixi,inquit:celas,etiam ſi non celas,& verum dixi.Nam etiam ſi non celas fidos,eóſque qui tibi ſunt firma fide, id eſt, etiam ſi arcana aperis hominibus fidis, qualis ego ſum tibi,celas infidos,cùm aperis conſilia tua hominibus fidis, nihilominus ea tegis infidis. Itaque non ſunt hæc inter ſe pugnantia,celas,etiam ſi non celas. Nam *celas*, ad infidos refertur, & pertinet:*non celas* ad fidos hoc modo:celas infidos, etiam ſi non celas fidos. Et nihil obſtat, quo minus celes infidos,etiam ſi non celes fidos.Nam non celans arcana fidos,proinde facis ac ſi ea reticeres,ac tegeres omnibus.quod enim fidis hominibus committitur,& creditur,ſaluum eſt,& ſaluum indidem repeti poteſt,vt alibi dicit:& ſimile eſt,ac ſi non eſſet retectum, aut creditum.quare celas,etiam ſi non celas. EGO SVM TIBI FIRMA FIDE.]ego ſum tibi fidus.ita me non celans tutis deponis auribus,vt ait Flaccus: neque periculum eſt, ne quid hinc emanet. CEDÒ SIGNVM, SI HARVNC BACCHARVM ES.] da ſignum, ex quo intelligam,te eſſe noſtrorum conſiliorum participem, & ſocium. Da ſignum, ex quo cognoſcam te parti-



A te participem eſſe horum ſacrorum,vel te eſſe his ſacris initiatum, vel te eſſe è numero, & cœtu, & grege noſtro. hoc eſt, te eſſe, horum myſteriorum participem, & ſocium. allegoria eſt à ſacris Bacchi, quæ erant reconditiſſima, & occultiſſ. Ita ſolis eius ſacerdotibus erant cognita, & ſoli iis ſacris initiati ad ea recipiebantur. AMAT MVLIER QVÆD. QVEND.] Nunc incipit ſignum proferre Palæſtrio, quod ancilla poſtulauit. AT NON MVLTÆ DE DIGITO DONVM MITT.]multæ quidem mulieres amant, ſed non multæ annulum de digito detractum mittunt. infrà eadem ſcena. *Ab illa,quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos décorat*. Hic locus illius me loci, quem in libris omnibus deprauatum, nuper in Oratione pro Roſcio Amerino, non longè ab extremo, emendaui,commonefacit.Sic autem vulgò legitur *ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat,annulúmque dedit: ſi os ſuum tibi trad.* Ego ſic emendaui,*ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat,annulúmque de digito ſuo tibi tradidit*,&c. Idem lib.4.Accuſ. *Quàm multis iſtum putatis hominibus honeſtis de digitis annulos aureos abſtuliſſe?* Ibidem paucis pòſt verſib.*Ita litteris iſtius patriſfamiliâs L.Titio cuidam, cuiu R.annulus de digito detractus eſt*. ENIM COGNOVI NVNC] enim, præpoſitum:quod quamuis non inuſitatum ſit, eſt tamen notandum. ſuprà in Aulul. *Enim mihi quidem æquum eſt, purpuram, atque aurum dari.* Plura exempla collecta reperientur in indice. FECISTI MODÒ MIHI EX PROCLIVO P. R.]rem mihi modò facilè palàm feciſti, B ſcilicet, te eſſe horum myſteriorum,ac ſacrorum participem, ac ſocium. ex procliuo, ex facili, facilè. procliuus a.um:& hic,& hæc procliuis, hoc e. dicebant veteres:vt hilarus a.um,& hilaris,e. inermus a.um,& inermis,e.& alia item ſexcenta. SED HÎC NVMQVIS ADEST?] ſed numquis hîc adeſt, qui nos ſubauſcultet? CEDÒ TE MIHI SOLÆ SOLVM] præbe te mihi ſoli ſolum. *ſolæ*,datiuus antiquus. BREVÍN', AN LONG. SERM.?] breuíne, an longo ſermone? IAM AD TE REDEO]accedens ad Milphidippam propiùs Palæſtrio, dicit militi ſe mox ad eum rediturum. QVID? EGO HÎC ADSTABO.&c.] Quid? inquit miles,egóne hîc interea dum cum iſta ancilla lóqueris, cum hac forma, & his factis, ſic fruſtra adſtabo? vide,vt glorioſo militi oratio conueniens afficta eſt. ſic,autẽ, accipiendum δεικτικῶς, vt ſæpe aliàs. CVM HAC FORMA, ET FACTIS,] ego tali forma præditus, & talibus factis, ac rebus geſtis clarus. PROPERANDO EXCRVCIOR.]dum propero,excrucior, in properando excrucior. PEDETENTIM] pedetentim progrediendum eſt, pedetentim, & pedepreſſim,inquit Nonius,dictum eſt, cautè, quaſi lenta, & tarda itione. M. Tull. lib.1. de Offic. *Sin minus,ſenſim erit,pedetentímque facienda*. Quadrigarius Annal.*Exercitu inſtructo, pedetentim milites ducere cœpit*. TRACTARI ITA SOLERE,] pedetentim. HASCE HVIVSMODI C MERCES.]mulieres. AGE, AGE, VT TIBI MAX. CONCINN. EST.] age, age, vt tibi maximè commodum eſt. NVLLVM EST HOC STOLID. SAXVM] nullum eſt ſaxum hoc milite ſtolidius. hic miles, ſtolidus eſt,tamquam lapis, aut ſaxum. hæc ad ſpectatores profunduntur:à militis auribus auertuntur. REDEO AD TE]redeo ad te miles. id eſt, mox ad te redibo. QVID ME VOLVISTI?]hæc nunc ad ancillam Palæſtrio, à milite degreſſus.QVASI HVNC DEPEREAT.] quaſi hera tua militem perditè amet. AD EAM REM HABEO OMNEM ACIEM]ad eam rem,hoc eſt ad ludificandum,ac fallendum militem,habeo omnia parata, atque inſtructa: vel ſic, ad eam rem omneis fallacias, ac machinas habeo paratas: tralatio à re militari. ET CONTEMPLA.] & contemplare. ſuprà in Aſin. *meum caput contemples*. cõſule Nonium. ET DE MEIS VENATOR VERBIS.] & ex meis verbis exquirito, & coniicito. tralatio à venatoribus. ALIQVAM MIHI PARTEM OP. D.] miles moræ impatiens Palæſtrionem ab ancilla reuocat,& iubet eum ſibi quoque aliquam partem operæ dare. ADES] ades imperatiui modi,præſentis temporis,à verbo adſum. SE AFFLICTARE,]ſe ad terram grauiter abiicere. QVIA TIS EGEAT,] quia tui indigeat,&c.mis,tis,genitiui caſus antiqui,pro mei,tui. OB EAM REM H. AD TE MIS- D SA EST.] ancilla. IVBE ADIRE]iube ad me hanc ancillam venire. FACITO FASTIDII PLENVM] facito te faſtidioſum. fingito te mulierum te vltro expetentium faſtidio affici.ſic ſuprà Aſin. *Extemplo facio facetum me, & magnificum virum*. In Epid. *Ego illic me autem ſic aſſimulabam:quaſi Stolidum, cùm bardum me faciebam.* & infrà hac eadem ſcena.*magnum me faciam Nunc, quoniam illhæc me collaudat.* ME INCLAM. QVIA SIC TE V. V.]me increpato,& accuſato,quia ſic te mulierum turbæ peruulgem, cùm ſis paucarum,& lectarum mulierum vir. ET PRÆCEPTIS PAREBO] & tibi vtilia præcipienti,ac præmonſtranti, parebo. ADEAT, SI QVID V.]veniat ad me,ſi quid vult.PVLCHER, SAL.]Pulcer,ſeu Pulcher,cognomentum Clodiorum. DII TIBI QVÆ OPTES.]ſermo bene precantis. TECVM ÆTATEM EXIG. VT L.] opto vt heræ meæ tecum,&c. Virgil.lib.1.Æneid. *Omneis vt tecum meritis pro talibus annos Exigat*. Idem lib.10. *poſitis inglorius armis Exigat hîc æuum.* SI TE HABEAS CARVM,] ſi te omnibus vulgare nolis, ſed paucis, & lectis mulieribus pateas tantùm. ET PRÆCL. VIRT. ET FORMA, ET F.]ſuprà eadem ſcena. *Quid? ego hîc adſtabo tantiſper cum hac forma,& factis ſic fruſtra?* ECQVIS DIGNIOR FVIT, HOMO QVI ESSET?]num quis fuit vmquam humana forma dignior, quàm tu?proinde ac ſi dicat. multi homines ſunt, qui debebant naſci pecudes,& beſtiæ,non homines: ita ſunt inhumani. Tu verò omniũ hominum digniſſimus es,qui homo naſcereris,propter humanitatẽ tuam ſcilicet,ſeu propter mores

tuos humaniſſimos. Adulatio impudens, & modum ſuperans. NON HERCLE HVMANVM EST ERGO. NAM VOLTOR.&c.] miræ ancillæ orationem adulationis putidæ A plenam in cõtrariam ſentẽtiam retorquet Palæſtrio, vocem ſummittens, aut certè à milite auertens, vt ſpectatores tantùm audiant. Sententia autem hæc eſt. Ergo ſi hic omnium hominum digniſſimus eſt, qui homo naſceretur: nulla vſquam eſt humanitas, & ſublata eſt è natura rerum omnis humanitas. quid ita? quia vulturio plus humani, ſeu humanitatis eſt, quàm huic militi. MAGNVM ME FACIAM NVNC,&c.] hîc miles laudatione ancillæ elatus, atque inflatus, inceſſum ſibi nouum fingit, geſtúmque ſolito magnificentiorem aſſumit: & ea, quæ nunc loquitur, ſecum loquitur, vt ſpectatores tantùm audiant. VIDEN' IGNAVVM, VT,&c.] hæc loquitur ad ſpectatores verſus, & à milite auerſus Palæſtrio, vidéſne hominem nequam, vt magnificè, & ſuperbè incedat? AB ILLA, QVAM DVDVM] ab illa muliere lepidiſſima miſſa, quam dudum tibi dixi. QVÁNAM AB ILLARVM?] à quánam mulierum miſſa eſt? ſic miles quaſi à multis mulieribus expetatur, non ab vna, aut altera. NAM ITA ME OCCVRSANT M.] mihi occurſant. AB ILLA, QVÆ DIGITOS DESPOLIAT S. &c.] ab illa, quæ de digito ſuo detractum annulum, per me, & per Palæſtrionem interpretem ad te miſit. AB TVI CVPIENTE] à mea hera tui cupida. ſuprà ead. ſcena. *quæ huius cupiens corporis eſt*. HVIC.] Palæſtrioni. QVI PORRÒ] qui porrò eum tibi redderet. MEMORA] B dic. SIT, NÉCNE SIT SPES IN TE VNO EST.] ſítne hera mea, an non ſit, ſpes in te ſolo eſt. vel ſic, ſalua ſit hera mea, an nulla ſit, in te vno ſitum eſt. IAM ILLA ANIMVM DESP.] iam illa ſibi mortem conciſcet, & animam proiiciet. ſuprà in prologo Menæch. *Pater eius autem poſtquam puerum perdidit, animum deſpondit*. PVLCRAM PVLCRE] aliàs. pulcram, pulcer. EXPROME BENIGNVM EX TETE INGENIVM] proinde ac ſi dicat. non eſt neceſſe te benignum ingenium aliundè & foris quærere. domi habes. exprome ex tete, quod habes apud te. VRBICAPE] πτολίπορθε, vrbium expugnator. HEV HERCLE ODIOSAS RES] hîc párens Palæſtrionis præceptis miles, faſtidij plenum ſe facit. odioſas res ſubintell. audio, vel, peti à me video, vel aliquid tale, vel, o. HVIC VERRI] huic porco non caſtrato. cui opponitur maialis. NON HIC SVO SEMINIO QVAMQVAM PORCVLAM IMPERT.] niſi huic verri admiſſario merces adfertur, non vllam porculam ſuo ſemine donabit: vel non vllam porculam ſui ſeminis participem facturus eſt. Profert hunc locum Priſcianus lib. 5. quo loco docet, *ſeminium* dixiſſe veteres pro *ſemen*. Vtitur autem crebrò ea voce Lucretius. Sed videtur hîc legendum, *quamquam porculam*, quo modo edidi, non, vt vulgò. *quemquã porculũ*. Niſi quis fortè dicat, porcũ, & porculum, pro, porca, & porcula, & cõtrà, dixiſſe veteres. DABITVR QVANTVM IPS. PR. P.] dabitur quantũ ipſe mercedis poſcet. pre- C tium & mercedem pro vna, eadémque re poſuit: cùm pretium in emtione, & venditione: merces, in conductione, & locatione propriè locum habeat. TALENTVM PHILIPPVM HVIC OP. EST.] talentum Philippéum huic opus auri eſt. talentum Philippéum auri autem hoc eſt, talentum auri Philippéi. de quo auro alibi. HEV, ÆCASTOR, NIMIS VILE EST TANDEM] euge, æcaſtor nimis vile eſt hoc pretium, quo miles complexũ ſeu copiam corporis ſui venditurus eſt. Vili conſtabit heræ meæ militis complexus, ſi non plus talento auri Philippéi ad eum afferet. PLVS MIHI AVRI MILLE'ST MODIORVM PHILIPPÉI.] audi inſolentiam, & iactationem militarem. Plus eſt mihi, inquit, quàm mille modiorum auri Philippéi. *mille modiorum*, ſic dictum, vt mille hominum, mille nummum, mille ouium, &c. de quibus alibi. Hîc enim, *mille*, ſubſtantiuum eſt. PRÆTER THESAVRVM. TVM ARGENTI MONTEIS,&c.] vide vt aſſentator augeat. TVM ARGENTI MONTEIS,&c.] Terent. Phorm. *modò non monteis auri pollicens*. Salluſt. de bello Iugurth. *maria, monteiſque polliceri cœpit*. ÆTNA NON ÆQVÈ ALTA EST.] vt ſunt montes auri, quos habet miles. hyperbole mira, atque inſignis. HEV, ÆCASTOR. HOM. PERIVR.] Palæſtrionem. VT LVDO?] quo modo, ſeu quàm lepidè ludifico militem? hæc ſummiſſa voce lo- D quitur Palæſtrio, vt audiant tamen ſpectatores, & Milphidippa. QVID EGO? VT SVBLECTO OS?] idem dicit Milphidippa aliis verbis. quid ego? inquit, quàm ſcitè ei palpando os demulceo? quo modo ei os ſublino? QVIN TV HVIC RESPONDES,&c.] hæc Palæſtrio ad Militem. QVAE NVMQVAM MALÈ TIBI DIXERIT?] nedum fecerit? EXIRE] domo. DIC, ME OMNIA, QVAE VVLT, F.] ſuprà in Caſina. *Omnia, quæ tu vis*. SIVISTÍQ. EXORARE EX TE.] ſiuiſtíq. me abs te impetrare. vel ſic, ſiuiſtíq. te exorari. ME ADMODERAR.] me abſtinere. mihi temperare. al. *mi admoderarier*. id eſt, mihi moderari. ABS TE AVORTI.] abs te me auerti ne miles me ridentem videret, & hoc pacto, ſe derideri intelligeret. CONTRA AVRO ALII HANC VEND. POT. OP.] auro contrà poſito hanc operam miles alij mulieri vendere potuit. MERI BELLATORES GIGNVNTVR QVAS HIC PRÆGN. F.] quanti, quanti ſunt, puri bellatores naſcuntur ex iis fæminis, quas hic compreſſerit, & prægnanteis fecerit. VAE TIBI, NVG.] hæc ad ſpectatores, à milite auerſa, loquitur ancilla. MILLE ANNORVM,&c.] mille annorum, id eſt, mille annos. mille, hîc ſubſtantiuum. quod eo maximè hoc loco iteraui, quia Nonius dormitans, libro de mutata declinatione, ſcribit hîc genitiuum poſitũ eſſe pro datiuo, ſeu accuſatiuo, & dictũ eſſe, mille



A mille annorum, pro mille annis, ſeu potius mille annos. Sed errat ille. ſic ſuprà *mille modiorum*. Sic Cicero dixit *mille nummûm* Philipp. 6. *& mille hominum*, in Miloniana. & Horat. Sat. 3. lib. 2. *Mille ouium*. Sed hac de re legendus A. Gellius lib. 1. cap. 16. AB SÆCVLO AD SÆCLVM] à primo ſæculo, ad vltimum ſæculum. ſæculum, ſpatium eſt annorum centum. quo fit, vt hi pueri decem ſæcula viuant, ſiquidem mille annos viuunt. QVOT HIC ANNOS VIVET, CVIVS FILII,&c.] credibile eſt, patrem longè diutius victurum. Nam ætas poſterorum, ætate maiorum deterior eſt. Horat. oda 6. lib. 3. *Damnoſa quid non imminuit dies? Ætas parentum peior auis tulit Nos nequiores mox daturos Progeniem vitioſiorem*. PÒST TRIDVO NATVS SVM, QVÀM IVPITER EX OPE,&c.] natus ſum triduo pòſt quàm Iupiter ex Ope, Saturni vxore, natus eſt. aliàs. *poſtridie natus ſum*. &c. quo modo legi malim. SI HIC PRIDIE NATVS FORET QVÀM ILLE,&c.] ſi miles vno die, priùs quàm Iupiter, regnum in cœlo obtineret. Vide, vt hîc, & hoc toto loco, ludatur miles, qui tamen, vt ſtolidus eſt, nihil horum ſentit. SINITE ABEAM, SI POSSVM, VIVA À VOB.] proinde ac ſi dicat, vos me occiditis, ſeu enecatis veſtris iſtis verborũ vanitatibus, & nugis. quare miſſam me facite, vt viuã à vobis diſcedã. Sic Theocr. ὁδοιπόροις ἢ βουκολιασταῖς. Εἶα λέγ', εἴ τι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις Ζῶντ' ἄφες. ὦ Παιάν, ἦ στωμύλος ἦσθα, Κομάτα. id eſt, age, dic, ſiquid dicis, & hoſpitem B in vrbẽ rurſum viuũ dimitte. O Pæan. profectò Comata tu garrulus es. QVAM PROPTER OP. EST M.?] cuius gratia operam ſumo. cui operam do. NVMQ. VIS?] ſermo diſcedentis. ſuprà in Aulul. *quid? me numquid vis?* MEG. *vale*. SOLLICITVM HABET] ſollicitat. CVRA ALIVD] ſinito me hoc curare, tu aliud cura, quàm hoc. ego enim curabo. ſic ſup. in Caſin. *Abi, & aliud cura*. SVBLEGERVNT] ſubauſcultarunt, occultè exceperunt. tralatio eſt. IAM EX SERMONE HOC GVBERNABVNT DOCT. P.] iam ex eo ſermone, quem hîc habuimus, & quem exceperunt, negotium ſuſceptum doctius porrò gubernabunt, & moderabuntur. vel ſic, ex ſermone noſtro, quẽ furtim exceperunt, doctiùs exiſtimare, & iudicare porrò poterunt, quomodo negotium, quod habent in manibus, adminiſtrare debeant. REMORARE] tu me remoraris. vel tu rem remoraris, vel, tu illas remoraris. NEQVE TE TENEO] ſic Virgil. lib. 4. Æneid. *Neque te teneo, neque dicta refello*. IAM ISTI REI PRAEVORTEMVR] iam iſtam rem ceteris, poſthabitis agemus.

## C PYRGOPOLINICES. PALÆSTRIO.

QVid mihi nunc auctor es, vt faciam Palæſtrio,
De concubina? nam nullo pacto poteſt
Prius hæc in ædeis recipi, quàm illam omiſerim.
PA. Quid me conſultas? quid agam? dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri poſſit clementiſſimè.
Aurum atque veſtem omnem muliebrem habeat ſibi,
Quæ illi inſtruxiſti, ſumat, habeat, auferat,
Dicáſque tempus maximum eſſe, vt eat domum:
Sororem geminam adeſſe, & matrem dicito,
D Quibuſcum comitata rectè deueniat domum.
PY. Quî tu ſcis eas adeſſe? PA. quia oculis meis
Vidi hîc ſororem eſſe eius. PY. conueníntne eam?
PA. Conuênit. PY. ecquid fortis viſa eſt? PA. omnia
Vis obtinere. PY. vbi matrem eſſe aiebat ſoror?
PA. Cubare in naui lippam, atque oculis turgidis
Nauclerus dixit, qui illas aduexit, mihi.
PY. Is ad quos nauclerus hoſpitio deuortitur?
PA. Quid vis? PY. ecquid fortis? PA. abi ſis hinc, nam tu quidem
Ad equas fuiſti ſcitus admiſſarius,
Qui conſectare æquè mares & feminas.

PY. Hoc age nunc,iſtuc quod das conſilium mihi? A
PA. Te cum illa verba facere de iſta re volo.
Nam cum alio agere ſanè conſeruo liceat tibi,
Qui potius,quàm tu. ſed enim tu tuam rem tute agas,
Dicas vxorem tibi neceſſum eſſe ducere,
Cognatos perſuadere,amicos cogere.
PY. Itáne me tu cenſes? PA. quid ego ni, ita cenſeam?
PY. Ibo igitur intrò,tu hîc ante ædeis interim
Speculare,vt vbi illæc prodeat,me prouoces.
PA. Tu modò iſtuc cura,quod agis. PY. curatum id quidem eſt.
Quin ſi voluntate nolet, vi extrudam foras.
PA. Iſtuc caue faxis. quin potius per gratiam B
Bonam abeat abs te, atque illæc, quæ dixi, dato.
Aurum, ornamentáque quæ illi inſtruxiſti, ferat.
PY. Cupio hercle. PA. credo te facilè impetraſſere.
Sed abi intrò,noli ſtare. PY. tibi ſum obediens.
PA. Numquid videtur demutare,atque vti ego
Dixi eſſe vobis dudum, hunc mœchum militem?
Nunc ad me vt veniat vſu'ſt Acroteleutium,
Ancilluláque eius & Pleuſides. Proh Iuppiter
Satin' vt commoditas vſquequaque me adiuuat?
Nam quos videre exoptabam me maximè,
Vna exeuntis video hinc è proximo. C

QVID MIHI NVNC AVCTOR ES, VT FACIAM, &c.] quid mihi nunc periculo tuo ſuades,periculo tuo vt faciam de concubina? auctor qui aliquid ſuadet, & eius quod ſuadet, periculum præſtare non recuſat. ſcriptum eſt in vocabulario Latino Græco, auctor ἀξιόπιστος. HAE C.] vicina vxor Periplectomenis.ſic enim opinatur miles. ILLAM.] Philocomaſium. QVID ME CONSVLTAS?] quid me conſulis? QVID AGAM?] quid ego conſilij tibi dabo? libri vulgati habent, *Quid me conſultas, quid agas?* fortaſſe non malè, vt ſit hæc ſententia, quamobrem me conſulis, quid agere debeas? CLEMENTISSIMÈ,] tranquilliſſimè,placidiſſimè,leniſſimè,ſine minima offenſione,& iniuria Philocomaſij. INSTRVXISTI,] paraſti.ſic ſuprà eadem fabula. *Iube ſis aurum,atque ornamenta,quæ illi inſtruxti mulieri dono habere ſibi.*&c. TEMPVS MAXIMVM,] ἀκμὴν τοῦ καιροῦ. punctum temporis, tempus maximè opportunum. QVIBVSCVM COMITATA] malim legi, *quibus comitata*, &c. RECTÈ] tutò,& ſine periculo,vel honeſtè,& ſine dedecore. QVIA OCVLIS MEIS VIDI, &c.] D *oculis meis vidi.* ἔμφασις. ECQVIS FORTIS VISA EST?] numquid fortis viſa eſt? *fortis* autem, hoc loco,vt vult Nonius,valet,formoſa.Sed mallem hîc *fortem* interpretari,validam,& ad res venereas idoneam,& ætate integra. quamquam Seruius quoque ſuperiorem interpretationem agnoſcit,& probat: idémque contrà pulcrum,pro forti interdum poſitum eſſe docet. OMNIA VIS OBTINERE] incontinentiam militis reprehendit,qui omnia concupiſcat. ATQ. OCVLIS TVRGIDIS,] propter lippitudinem. Catul.de Paſſere. *Veſtra nunc opera meæ puellæ, Flendo turgiduli rubent ocelli.* IS AD QVOS NAVCLER. HOSPITIO DEVORTITVR?] ordo eſt.Is nauclerus apud quos deuerſatur?id eſt, huius naucleri vbinam deuerſorium eſt? QVID VIS?] quamobrem iſtud quæris? ECQVID FORTIS?] numquid fortis eſt? id eſt,numquid validus & pulcher eſt? flagitioſa militis interrogatio, qui non contentus veneribus muliebribus,maſculas appetat. AD EQVAS FVISTI SCITVS ADMISSA.&c.] ad fæminas fuiſti lepidus & cōcinnus mas.allegoria eſt. admiſſarius equus eſt,qui ad equas ineundas, & ſubigendas paratus, ac ſeruatus eſt. Cicero in Piſonem. *Itaque admiſſarius iſte ſimulatque audiuit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omneis incitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, vt nō magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inuentum arbitraretur.* NAM CVM ALIO AGERE CONSERVO,&c.] nam ſanè poſſis cum alio



A alio ſeruo tuo,conſeruo meo agere,eíque mandare,vt cum illa loquatur potius,quàm tu: dicat illi tempus eſſe maximum,vt eat domum: ſumat,& auferat ſecum omnia,quæ tu illi paraſti,&c. ſed enim,&c. QVI POTIÙS, QVÀM TV.] cum illa loquatur. SED ENIM TV TVAM R. TVTE AG.] ſed enim ſuadeo tibi,vt tu ipſe tuam rem agas,non alij agendam tradas. ITÁNE TV CENSES?] lego, *Itáne me tu cenſes?* ſubintell. facere. ſic autem legendum videtur, vt ſuis numeris conſtet verſus. Quòd ſi lectio vulgata retinebitur,claudicabit verſus: niſi, *quid*, legetur δισυλλάβως. QVID EGO NI ITA C.] quid ni ego ita cenſeam? SPECVLARE,] quaſi è ſpecula proſpice. ME PROVOCES.] me foras voces. me in publicum voces. QVIN, SI VOLVNTATE NOLET,] Quin,ſi ſua ſponte nolet diſcedere, &c. VI EXTRVDAM FORAS.] ſic legendum,non, *vi extrudam foris.* ISTVC CAVE FAXIS.] caue iſtuc feceris. QVIN POTIÙS PER GRATIAM BON. ABEAT, &c.] ſic ſuprà, *Vin' tu illam actutum amouere à te, vt abeat per gratiam?* IMPETRASSERE] impetraturum eſſe. ſic ſuprà in Bacchid. *Et iſtuc confido à fratre me impetraſſere.* NVMQVID VIDETVR DEMVTARE, ATQ. VTI EGO,&c.] id eſt,numquid hic mœchus miles videtur alius eſſe, quàm qualē eum eſſe,dudum dixi vobis? vel ſic: nónne hic miles,talis videtur eſſe, qualem eum eſſe, dudum dixi vobis? vel ſic: numquid videtur aliter eſſe,quàm qualem dudum vobis eſſe dixi hunc mœchum B militem? Hæc Palæſtrio ad ſpectatores, ſolus in proſcenio relictus, domum ingreſſo milite. VSV'ST] opus eſt. COMMODITAS] opportunitas, vel ipſa commoditatis Dea.

## ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PLEVSIDES. PALÆSTRIO.

Sequimini, ſimul circumſpicite,ne quis adſit arbiter.
Neminem pol video, niſi hunc, quem volumus conuentum.
PA. & ego vos.
MI. Quid agis noſter architecte? PA. egóne architectus? vah. MI. quid eſt?
C PA. Qui enim non ſum dignus præ te,vt figam palum in parietem?
AC. Eia verò. PA. nimis facetè, nimíſque facundè mala eſt.
Vt lepidè detruncauit militem? AC. at etiam parum.
PA. Bono animo es: negotium omne iam ſuccedit ſub manus.
Vos modò porrò vt occœpiſtis,date operam amicabilem.
Nam ipſe miles concubinam intrò abiit oratum ſuam,
Ab ſe vt abeat cum ſorore & matre Athenas. AC. Eu,probè.
PA. Quin etiam aurum atque ornamenta quæ ipſe inſtruxit,mulieri
Omnia dat dono,ſe vt abeat: ita ego conſilium ei dedi.
PL. Facile iſtuc quidem eſt,ſi & illa volt, & ille autem cupit.
D PA. Non tu ſcis cùm ex alto puteo ſurſum ad ſummum aſcenderis,
Maximum periculum inde eſſe, à ſummo ne rurſum cadas?
Nunc hæc res apud ſummum puteum geritur. ſi præſenſerit
Miles: nihil hinc ferri poterit. huius nunc quàm maximè
Opus eſt dolis. PL. domi eſſe ad eam rem video ſalis ſatis,
Mulieres tres,quartus tute es,quintus ego,ſextus ſenex.
PA. Quod apud nos fallaciarum'ſt, eſſe excitum certò ſcio.
Oppidum quoduis videtur poſſe expugnari dolis.
Date modò operam. AC. id nos ad te, tu ſi quid velles, venimus,
PA. Lepidè facitis. nunc hoc tibi ego in hac impero prouincia.
AC. Imperabis imperator,quod ego potero,quod voles.

PA. Militem lepidè & facetè & lautè ludificarier A
Volo. AC. voluptatem mæcaſtor mihi imperas. PA. & ſcin'
quemadmodum?
AC. Nempe vt aſſimulem me amore iſtius differri. PA. rem tenes.
AC. Quaſique iſtius cauſſa amoris,ex hoc matrimonio
Abierim,cupiens iſtius ſummè nuptiarum ordinis,
PA. Niſi modò vnum hoc,haſce etiam ædeis dicas dotaleis tuas.
Hinc ſenem abs te abiiſſe,poſtquam feceris deuortium,
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
AC. Bene mones. PA. ſed vbi ille exierit intus, iſtuc te procul
Ita volo aſſimulare,præ illius forma,quaſi ſpernas tuam,
Quaſique eius opulentitatem reuerearis. & ſimul B
Formam amœnitatis,illius faciem,pulchritudinem
Collaudato. ſatin' præceptum eſt? AC. teneo.ſatin' eſt,ſi tibi
Meum opus ita dabo expolitum, vt improbare non queas?
PA. Sat habeo:nunc tibi auſculta quæ imperabo. PL. dicito.
PA. Quàm extemplo erit factum,vbi intrò hæc abierit,tu illico
Facito vt venias ornatus ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam,culcitam ob oculos laneam.
Palliolum habeas ferrugineum:nam is colos thalaſſicu'ſt,
Id erit connexum in humero læuo: expapillato brachio
Præcinctus : atque aſſimulato quaſi gubernator fies.
Atque apud hunc ſenem omnia hæc ſunt:nam is piſcatores habet. C
PL. Quid? vbi ero exornatus,quin tu dicis quid facturus ſim?
PA. Huc venito,& matris verbis Philocomaſium arceſſito,
Vt, ſi itura eſt Athenas,eat tecum ad portum citò,
Atque vt iubeat ferri in nauim,ſi quid imponi velit.
Niſi eat,te ſoluturum eſſe nauim:ventum operam dare.
PL. Satis placet pictura , perge. PA. ille extemplò illam hortabitur
Vt eat,vt properet,ne ſit matri moræ. PL. multimodis ſapis.
PA. Ego illi dicam, vt me adiutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille iubebit me ire cum illa ad portum. ego adeò, vt tu ſcias, D
Prorſus Athenas protinus abibo tecum. PL. atque vbi illò veneris,
Triduum vnum ſeruire numquam te,quin liber ſis, ſinam.
PA. Abi citò,atque orna te. PL. numquid aliud? PA. hæc vt memineris.
PL. Abeo. PA. & vos abite hinc intrò actutũ.nam illum hinc ſat ſcio
Iam exiturum eſſe intus. AC. celebre apud nos imperium tuum eſt.
PA. Agite,abſcedite ergo. ecce autem commodò aperitur foris,
Hilarus exit,impetrauit,inhiatquo d nuſquam eſt miſer

NE QVIS



A NE QVIS ADSIT ARBITER.]ne quis adſit, qui nos videat. ſuprà in Ciſtellar. *Tuam ſtultitiam ſola facito,vt ſcias ſine arbitris.* & ſuprà hac eadem fabula. *Mihi quidem iam arbitri vicini ſunt,meæ quid fiat domi.* QVEM VOLVMVS CONVENTVM, ] quem volumus conuenire. QVID AGIS NOSTER ARCHITECTE?]ſuprà. *hic noſter architectus eſt?* ACR. *ſalue architecte.* QVI ENIM NON SVM DIGN. PRÆ TE,&c.]rogas,quid ſit,quamobrem mirer,me abs te architectum dici, qui non ſum dignus præ te, vt palum figam in pariete? proinde ac ſi dicat,tu me architectum vocas,quæ longè me peritior architecta es. hoc eſt , quæ me aſtutia,calliditate,& fallacia ſuperas. VT FIGAM PALVM IN P.]figere palum in parietem, cuiuſlibet hominis eſt, etiam architecturæ imperiti. tantum abeſt igitur , vt dignus ſim architecti nomine,tecum comparatus,vt dignus non ſim , qui palum figam in parietem. EIA VERÒ.]ironia. NIMIS FACETÈ, NIMÍSQVE, &c. ] loquitur nunc de Acroteleutio in tertia perſona, oratione ad ſpectatores verſa. VT LEPIDÈ DETRVNCAVIT MILITEM?]quàm ſcitè militem admutilauit? ſic enim ſuprà locutus eſt,ibi, *Quî admutiletur miles vſque cæſariatus*, &c. vel ſic,quàm ſcitè militem aſſecuit? nam ſic quoque ſuprà locutus eſt,ibi, *Tibi dixi, miles quemadmodum potis eſſet aſſecari.* NEGOTIVM OMNE IAM SVCC. SVB M.] ſic ſuprà eadem fabula. *Lepidè hoc ſuccedit ſub manus negotium.* DATE OPERAM AMICABIL.]
B date operam nõ mercenariam,ſed gratuitam. vel ſic,date operam liberalem,& amicis dignam, ſeu amicis conuenientem. SE VT ABEAT] ab ſe vt abeat. ET ILLE AVTEM C.] & miles rurſus cupit. NON TV SCIS, CÙM EX ALTO PVTEO,&c.]illuſtris & luculenta ſimilitudo. *ex alto puteo*, autem, id eſt, ex imo puteo. NE RVRSVM CADAS? ] ne recidas? NVNC HÆC RES APVD SVMMVM PVTEVM GER.] ἀνταπόδοσις. nunc hoc negotium,quod gerimus,ad extremum ferè perductum eſt. SI PRÆSENSERIT MILES: ] ſi miles antequàm negotium confectum fuerit,cognouerit,aut ſuſpicatus fuerit ſibi inſidias comparari,& fallacias ſtrui. NIHIL HINC FERRI POTERIT] nihil à milite auferri poterit. Philocomaſium nihil à milite ſecum aſportare poterit. vel ſic, nihil ex hac vrbe ſecum Philocomaſium auferre poterit. HVIVS NVNC QVÀM MAX.]huius,nempe,Acroteleutij. DOMI ESSE AD EAM REM VIDEO S. S.] video domi eſſe ad eam rem aſtutiæ,& acuminis,& ſollertiæ,& prudentiæ ſatis,ita vt foris quærere, aut alij ſupplicare neceſſe non habeamus. QVOD APVD NOS FALLACIARVM'ST, ESSE EXCITVM, CERTÒ SCIO.] certò ſcio,quidquid fallaciarũ domi eſt,excitatũ,& commotum eſſe,videlicet ad militem ludificandũ,& fallendum. *excitum*, à verbo excieo,es,et. OPPIDVM QVOD-
C VIS VIDETVR POSSE EXP. D.] Sic Troia dolis tandem expugnata eſt. Hinc Vlyſſes πολίπορθος. Expugnantur etiam auro, quo maximè capiebat vrbeis Græciæ Philippus Macedo. ſed hæc capiendarum vrbium ratio,doli genere continetur. ID NOS AD TE,&c.] id, id eſt,propter id,ſeu idcircò,ad te venimus,ſi quid tu velles,vt noſtra opera vterere. ET LAVTÈ] & magnificè,luculentè,ampliter ἀφειδῶς, λαμπρῶς, μεγαλοπρεπῶς. DIFFERRI]diſcruciari. Terent. Adelph. *Miſeram me differor doloribus.* REM TENES] rem intelligis, rem cognitam,& perceptam habes. Sic in Pœnulo. *tenetis rem?* quod in aliam ſententiã quàm ab Agoraſtocle dictum eſt,à ſenibus illis acceptum eſt. Idem in Prologo Amphitr. *Nunc , de Alcumena vt rem teneatis rectiùs*,&c. EX HOC MATRIMONIO ABIERIM,]diuortium cum viro fecerim,ſeu à viro diſceſſerim. CVPIENS ISTIVS SVMMÈ NVPT. ORD.]ordo eſt,ſummè cupiens,hoc eſt,ſummè cupida,nuptiarum iſtius ordinis,id eſt, nuptiarum militarium ſummè cupiens viro militari nubere,qualis iſte eſt. NISI MODÒ VNVM HOC,&c.]modò vnum hoc addas,&c. *niſi modò*,pro, *modò*, ſeu *dummodò*, ſeu, *niſi*, poſitum eſt: vt ſit σχῆμα ἐκ παραλλήλου. ſententia igitur hæc eſt,iſta omnia probo,niſi quòd vnum hoc addas velim, &c. vel modò hoc vnum addas,&c. HASCE ETIAM ÆDEIS DICAS DOT. T.]dicas has ædeis eſſe tuas,
D & abs te profectas,& viro in dotem datas: ex quo fieri , vt ſoluto matrimonio, ad te reuertantur,ſeu potiùs tuæ ſemper fuiſſe intelligãtur: ne miles vereatur in alienas ædeis introire. HINC SENEM,&c.]ſenem ex his ædibus abiiſſe,&c. NE ILLE MOX VEREATVR INTR. IN AL. D.]ne miles mox timeat in alienam domum ingredi,quo metu liberabitur,ſi dices has ædeis eſſe tuas , & ſenem ex iis abiiſſe diuortio facto, & ſoluto matrimonio. EXIERIT INTVS]exierit domo ſua. OPVLENTITATEM]opulentiam,& ita Nonius,hunc verſum proferens. ET SIMVL FORMAM AMOENITATIS, ILLIVS F. C.] & ſimul illius faciem collaudato, per appoſitionem formam amœnitatis: id eſt, quæ militis facies ſit tamquam ipſius amœnitatis forma: vel,quæ ſit ipſa amœnitas. SATIN' PRÆCEPTVM EST?]ſatíſne tibi à me præmonſtratum eſt,quid te dicere,ac facere oporteat? SATIN' EST, SI TIBI M. OPVS,&c.]ſatíſne eſt tibi,ſi hoc opus,quod faciendum ſuſcepi,& veluti conduxi,ita perfectũ, atque expolitum tibi dabo,vt improbare nõ poſſis? vel ſic,ſatíſne tibi eſt, ſi hoc negotiũ, quod mihi abs te mandatum eſt, ita confectum,ac tranſactum tibi dabo , vt nihil in eo reprehendere queas,neque de me quæri poſſis? allegoria eſt ab iis,qui opus aliquod faciendum conduxerunt. NVNC TIBI AVSC. QVÆ IMP.] nunc audi,quæ tibi imperabo. QVÀM EXTEMPLÒ ERIT FACTVM,]cùm primùm opus erit confectum,&c. VBI INTRO HÆC ABIERIT.] vbi Acroteleutium domum Periplectomenis introiuerit, quaſi ſuam. ORNA-

PPP

TVS ORNATV NAVCLERICO]cultus,& ornatus in morem Naucleri:cognoſce hoc loco,qualis ſit ornatus naucleri:nauclerus autē à Latinis,nauiculator,& nauicularius appellatur: A nauis dominus,nauis gubernator. CAVSIAM HAB.] cauſia, capitis tegumentum ad ſolis ardorem prohibendum,atque arcendum comparatum,à verbo καίω, quod eſt incendo, ſeu vro:vel ſic, Cauſia,pileus latas oras,ac margines habens,ad vitandum æſtum, qualis viatorum, ac meſſorū.Idem in Perſa.*Cape tunicam,atque Zonam,& chlamydem afferto,& cauſiam.* FERRVGINEAM,]ceruleam,ferrei coloris,qui ceruleus eſt. Virg.Georg.4. *Et pinguem tiliam & ferrugineos hyacinthos.* infrà verſu proximo.*palliolum habeas ferrugineum.nam is color thalaßicus eſt.* quem profert Nonius.Sed Seruius ferrugineos interpretatur, ſubnigri,aut nigri coloris.Et lib.6.Æneidos,ad verſum illum. *Et ferruginea ſubuectat corpora cymba.* ferruginea,inquit,id eſt,nigra triſti. Nam lugubrem eſſe hunc colorem oſtendit.ibi, *Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit.* CVLCITAM OB OCVLOS LAN.]& habeas culcitam laneam circa oculos.culcita,pannus eſt mollis conſutus, & contextus. Sic autem ſcribendum eſt,non vt vulgus ſcribit, *culcitra.* NAM IS COLOR THALASSICVS'ST,]nam is color marinus eſt.colos,odos,vapos,&c.dixerunt veteres pro,color,odor,vapor,&c. notauimus in commentar.Lucret. EXPAPILATO B.] ἐξωμίας. exſerto brachio : quod cùm fit,papilla nudatur,ſic Feſtus, ſine dubio hunc verſum ſpectans.& item Nonius hunc eundem verſum proferens, expapillato brachio, inquit,quaſi vſque ad papillam renudato. ſic ferè ornatus eſt Charon apud Virgil. lib. 6. Æneidos. *Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.* B PRÆCINCTVS] ſubintellig. ſis. vel refert ad verbum *habeas.* Præcincti dicuntur, qui veſtem ſubſtulerunt, eámque ſublatam præcinxerunt, vt ſint ad iter faciendum, aut ambulandum expeditiores. Horatius Satyra 5. libr. 1. *Hoc iter ignaui diuiſimus, altiùs,ac nos, Præcinctis vnum.* Et Satyra vltima lib.2. *vt omnes Præcincti rectè pueri comtique miniſtrent.* VT SI ITVRA EST ATH. EAT T.] vt eat properè. Notauimus alibi hoc loquendi genus. ſuprà in Caſin.*quin datis,ſi quid datis?* & in Epid. *age ſi quid agis.* ſic infrà ead.fab.*A matre illius venio.ſi itura eſt,eat.* SI QVID IMPONI VELIT]ſi quid in nauim imponi velit. TE SOLVTVRVM ESSE NAVIM]te profecturum. ſoluere nauim, plena locutio. in Mercat. *iis confectis,nauim ſoluimus.* ſed plenior eſt,nauim ſoluere in portu.ſic in Bacch. *Interea è portu noſtra nauis ſoluitur.* non plena locutione dicunt etiam Latini, *ſoluere* ſimpliciter. Cæſar lib.4. de bello Gallico. *His conſtitutis rebus nactus idoneam ad nauigandum tempeſtatem, tertia fere vigilia ſoluit.* M.Tull. lib.3. de Offic. *Si idem ſciat complureis mercatores ab Alexandria ſoluiſſe,*&c. VENTVM OPERAM DARE] ventum ſecundum eſſe. ventum adiuuare profectionem, ſeu inuitare ad curſum.Virg. lib.3. Æneid. *& auræ vela vocant.* SATIS PLACET PICTVRA] ſatis placet iſta fallaciæ in militem ſtruendæ deſcriptio. NE SIT MATRI MORÆ] ne matrem moretur. C MVLTIMODIS SAPIS]multis modis ſapis. EGO ILLI DICAM, VT ME AD.] ego Philocomaſio dicam, vt roget militem, det me ſibi adiutorem oneris ad portum ferendi. PRORSVS] rectà. NVMQVID ALIVD?] numquid aliud vis? numquid aliud me facere iubes? IAM EXITVRVM ESSE INTVS]iam exiturum eſſe domo,& in ædeis Periplectomenis introiturum. CELEBRE APVD NOS,&c.]celebre opponitur deſerto: hæc igitur huius loci ſententia eſt, nos omnes imperio tuo diligenter, & accuratè paremus, nemo noſtrûm eſt,qui non imperium tuum diligenter,& ſtudioſè obire,atque exſequi properet. COMMODÙM]opportunè. HILARVS EXIT] miles. INHIAT, QVOD NVSQVAM EST MISER]expetit,& concupiſcit,quod nullo in loco eſt.matronæ concubitū,& nuptias expetit, & exoptat,quæ nuſquam eſt. tralatio eſt ab animalibus feris, auidis, & ore hiante cybum,prædámque petentibus.ſuprà in Aulul. *Num petit, quum pollicetur,inhiat aurum,vt deuoret.*

PYRGO. PALÆSTRIO.

D

QVod volui,vt volo,impetraui,per amicitiam & gratiam
A Philocomaſio. PA. quídnam te intu' fuiſſe tam dicam diu?
PY. Numquam ego me tam ſenſi amari,quàm nunc ab illa muliere.
PA. Quid iam? PY. vt multa verba fecit! vt lenta materies fuit!
Verùm poſtremò impetraui vt volui,donauíque ei
Quæ voluit. quæ poſtulauit,te quoque ei dono dedi.
Etiam me? quomodo ego viuam ſine te? PY. age, es bono animo,
Idem ego te liberabo. nam ſi poſſet vllo modo
Impetrari vt abiret, ne te abduceret, operam dedi.

Verùm



A Verùm oppreſſit. PA. ſperabo deos, téque poſtremò tamen.
Etſi iſtuc mihi acerbum'ſt, quia hero te carendum eſt optimo:
Saltem mihi voluptas eſt,cùm ex virtute formæ euênit tibi
Mea opera ſuper hac vicina,quam ego nunc concilio tibi.
PY. Quid opu'ſt verbis? libertatem tibi ego & diuitias dabo,
Si impetras. PA. reddam impetratum. PY. at geſtio. PA. at modicè decet
Moderare animo,ne ſis cupidus.ſed eccam ipſam egreditur foràs.

QVOD VOLVI, VT VOLO, IMPETR.] impetraui à Philocomaſio, vt libenter, ac per gratiam à me diſcederet,& Athenas rediret. QVIDNAM TE INTVS FVISSE TAM DICAM DIV?] propter quam cauſam, aut cuius rei gratia te tamdiu intus fuiſſe di- B cam?Sic autem legendum,vt edidimus,ídque ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ. verſus autem hoc modo ſuis numeris conſtat,quamuis ſecus alicui videri poſſit, propterea quod in nomine, *Philocomaſio,* ſit συνίζησις. in poſtrema ſyllaba,& in, *intus,* s. poſtremum exteritur. quæ tamen non ſunt inuſitata,neq.noua. QVAM NVNC AB ILLA M.]videtur legendum, *num,*pro, *nunc.* vt dicebant antiqui *him,*pro, *hinc,*& *illim,*pro, *illinc.* VT LENTA MATERIES FVIT?]vt longum negotium fuit!quàm longus ſermo fuit!M.Tull. lib.1. epiſt.ad Attic. *Teucris illa lentum negotium.* QVOMODO EGO VIVAM SINE TE?] bella ironia, ſeu potius fictionis, & ſimulationis plena irriſio. talis illa apud Horat. Satyr.5. lib.2. *ego nunc Dama ſodalis Nuſquam eſt? vndè mihi tam fortem,támque fidelem?* ES BONO ANIMO]es,imperatiui modi eſt. NAM SI POSSET VLLO MODO IMPETRARI,&c.]id eſt,nam poſſétne vllo modo ab ea impetrari,vt ſine te abiret,expertus ſum,& operam dedi,vt ne te ſecum à me abducere. ſed peruicit, vt te ſecum abduceret. SPERABO DEOS, TÉQVE POSTR. T.]ſpem in diis,& in te poſitam habebo.ſic ſuprà in Caſina. *diis ſum fretus,deos ſperauimus.* Idem in Ciſtellar. *Deos, téque ſpero.* CVM EX VIRTVTE FORMÆ EVENIT TIBI. M. OP.]quando tibi pro dignitate, & præſtantia formæ tuæ euenit,quod ad vicinam iſtam attinet,quam ego nunc concilio,& ad- C iungo tibi. SI IMPETRAS]ſi perficis,vt mea ſit. REDDAM IMPETR.] reddam confectum,ac tranſactum. AT GESTIO]at valde cupio. Feſtus, *geſtit,* inquit, *qui ſubita felicitate exhilaratus,nimio corporis motu præter conſuetudinem exſultat.* AT MODICÈ DECET]at moderatè, ſeu intra modum cupere,& lætari oportet. MODERARE ANIMO, NE SIS CVPIENS] animum tuum rege,ne ſis cupiens.

MILPHIDIPPA, ACROTELEVTIVM.

PYRGOPOLINICES. PALÆSTRIO.

MI. HEra eccum præſtò militem. AC. vbi is eſt? MI. ad læuam. AC. video.
AC. Adſpicito limis oculis,ne ille nos ſe videre ſentiat.
Video. MI. ædepol nunc nos tempus eſt, malas peiores fieri.
D AC. Tuum eſt principium,obſecro. tute ipſum conueniſti.
Ne parce voci, vt audiat. MI. cum ipſo pol ſum locuta,
Placidè ipſa, vt libitum eſt mihi,otioſè,meo arbitratu,vt volui.
PY. Audin' quæ loquitur? PA. audio. quàm læta eſt quia adit ad te?
MI. O fortunata mulier! PY. vt amari videor? PA dignus es.
AC. Permirum æcaſtor prædicas,te adiſſe atque exoraſſe.
Per epiſtolam, aut per nuntium, quaſi regem,adiri eum aiunt.
MI. Namque ædepol vix fuit copia adeundi atque impetrandi.
PA. Vt tu inclutus apud mulieres? PY.patiar quando ita Venus vult.
AC. Veneri pol habeo gratiam,tandémque & oro & quæſo,
Vt eius mihi ſit copia,quem amo,quémque expetiſſo.
Benignúſque erga me vt fiet:quod cupiam, ne grauetur.

MI. Spero ita futurum, quamquam illum multæ ſibi expetiſſunt, A
Ille illas ſpernit, ſegregátque ab ſe omneis, extra te vnam.
AC. Ergo iſte metus me macerat, quòd ille faſtidioſus'ſt,
Ne oculi eius ſententiam mutent, vbi viderit me:
Atque eius elegantia meam extemplò ſpeciem ſpernat.
MI. Non faciet. bonum animum modò habeto. PY. vt ipſa ſe contemnit?
AC. Metuo ne prædicatio tua nunc meam formam exſuperet.
MI. Iſtuc curaui, vt opinione illius pulcrior ſis.
AC. Si pol me ducere volet vxorem, genua ampleƈtar,
Atque obſecrabo aliquo modo: ſi non quibo impetrare,
Conſciſcam letum. viuere ſine illo ſcio me non poſſe. B
PY. Prohibendam mortem mulieri video. mulierem adibon'? PA. minimè.
Nam tu te vilem feceris, ſi te vltrò largiere.
Sine vltrò veniat, quæritet, deſideret, te exſpeƈtet:
Si non perdere iſtam vis gloriam quam habes. caueſis, faxis.
Nam nulli mortalis ſcio obtigiſſe hoc, niſi duobus,
Tibi & Phaoni Leſbio, tam miſerè vt amarentur.
AC. Eo intro, abi tu illum euocato foras, mea Milphidippa.
MI. Immò opperiamur, dum exeat aliquis. AC. durare nequeo
Quin eam intrò. MI. occluſæ ſunt fores. AC. effringam. MI. ſana non es.
AC. Si amauit vmquam, aut ſi parem ſapientiam hic habet, ac formam, C
Per amorem ſi quid fecero, clementi animo mihi ignoſcet.
PA. Vt, quæſo, amore perdita eſt hæc miſera? PY. mutuum fit.
PA. Tace, ne audiat. MI. quid adſtitiſti obſtupida? cur non pultas?
AC. Quia non eſt intus, quem ego volo. PA. quî ſcis? AC. ſcio ædepol, olfacio,
Nam odorem naſus ſentiat, ſi intus ſiet. PY. ariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam vt diuinaret. D
AC. Neſcio vbi hîc propè adeſt, quem expeto videre, olet profeƈtò.
PY. Naſo pol iam hæc quidem videt plus, quàm oculis. PA. cæca certè eſt.
AC. Tene me obſecro. MI. cur? AC. ne cadam. MI. quid ita? AC. quia hîc aſtare
Nequeo, ita animus per oculos meos deſit. MI. militem pol
Tu adſpexiſti. AC. ita. MI. non video. vbi eſt? AC. videres pol, ſi amares.
MI. Non ædepol tu illum amas, quàm egomet, ſi per te liceat.
PA. Omnes profeƈtò mulieres te amant, vt quæque adſpexit.
PY. Neſcio, tun' ex me hoc audieris, an non. nepos ſum Veneris.





A AC. Mea Milphidippa, adi, obſecro, & congredere. PY. vt me veretur?
PA. Illa ad nos pergit. MI. vos ego volo. PY. & nos te. MI. vt iuſſiſti.
Heram meam eduxi foras. PY. video. MI. iube ergo adire.
PY. Induxi animum, ne oderim item vt alias, quando hoc oraſti,
MI. Verbum hercle facere non potis, ſi acceſſerit propè ad te.
Dum te obtuetur, interim lingua atque oculi perierunt.
PY. Leuandum morbum mulieri video. MI. viden' vt tremit atque extimuit,
Poſtquam te adſpexit? PY. viri quoque armati idem iſtuc faciunt, iube domum ire.
B MI. Ne tu mirere melius mulierem PY. ſed quid vult me facere?
MI. Adſedeas, tecum viuere volt, atque ætatem exigere.
PY. Egon' ad illam eam, quæ nupta ſit? vir eius eſt metuendus.
MI. Quin tua cauſſa exigit virum à ſe. PY. quid? quî id facere potuit?
MI. Quia ædes dotales huius ſunt. PY. itáne? MI. ita pol. PY. iube domum ire.
Iam ego illic ero. MI. vide ne ſis in exſpeƈtatione,
Ne illam animi excrucies. PY. non ero profeƈtò. abite. MI. abimus.
C PY. Sed quid ego video? PA. quid vides? PY. neſcio quis eccum incedit
Ornatu quidem thalaſſico. PA. iam nos volt. hic profeƈtò
Nauclerus eſt hic quidem, videlicet arceſſit hanc hinc, credo.

ADSPICITO LIMIS OCVLIS] limis oculis, id eſt, obliquis, tranſuerſis. Limus, inquit Feſtus, obliquus, id eſt, tranſuerſus: vnde & limina. Terentius Eunuch. *ego limis adſpeƈto sic per flabellum clanculum.* Vbi Donatus. *limis, ſi nominatiuus ſingularis eſt, tranſuerſus, ſignificat: ſi ſeptimus pluralis, deeſt, oculis. nam limus eſt tranſuerſus: vnde limen dicitur quoq. quod ingredientibus, exeuntibúſque tranſuerſum eſt.* &c. Seruius, ad illud Virgil. lib. 12. Æneid. *Velati limo, & verbena tempora vinƈti,* &c. notat. Caper tamen, & Higynus hoc loco dicunt leƈtionem eſſe corruptam. nam Virgilium ita reliquiſſe confirmant. *Velati limo.* Limus autem, eſt veſtis, qua ab vmbilico vſque ad pedes
D teguntur pudibunda pomparum. Hæc autem veſtis in extremo purpuram limam, id eſt, flexuoſam, & tranſuerſam, habet. nam limum, obliquum dicimus: & Terentius. limis oculis dicit, id eſt, obliquis. Plinius lib. 8. cap. 16. de leonibus. *nec limis intuentur oculis, adſpicique ſimili modo nolunt.* Hinc *collimatis oculis, ad vmbram meam,* dixit Apuleius lib. 9. ſub extr. pro obliquatis, & intortis, ſeu inflexis. TVVM EST PRINCIP.] tuum eſt incipere. CVM IPSO POL SVM LOCVTA PLACIDÈ, &c.] cum ipſo pol ſum locuta ſine labore, & negotio, &c. Sic autem legendum, non vt Camerarius edidit, Cum ipſo pol ſum ſecuta, &c. PER EPIS. AVT PER NVNTIVM, QVASI REGEM, &c.] Cornelius Nepos in Conone. *Conon à Pharnabazo ad regem miſſus, poſtquàm venit, primùm ex more Perſarum ad Chiliarchum, qui ſecundum gradum imperij tenebat, Tithrauſtem acceßit, ſeq; oſtendit cum rege colloqui velle. nemo enim ſine hoc admittitur.* INCLVTVS] clarus, nobilis, nominatus. QVANDO ITA VENVS VOLT.] quæ reddit amabileis, facítque in amore fortunatos: eadem componit inter ſe impares formas, imparéſque voluntates, & facit in amore infelices. Horat. oda. 33. lib. 1. *Sic viſum Veneri, cui placet impares Formas, atque animos ſub iuga ahenea, Sæuo mittere cum ioco.* BENIGNÚSQVE, &c.] & vt liberalis ſit erga me. QVOD CVPIAM, NE GRAVETVR.] & ne grauetur id facere, quod cupiam. vel ſic, ne grauetur id, quod cupiam. Horat. oda 11. lib. 4. *& exemplum graue præbet ales Pegaſus, terrenum equitem grauatus Bellerophontem.* ad quem locum plura. SEGREGÁTQ. AB SE OMNEIS,] omneiſque à ſe

ſemouet, ſeu remouet, ac repellit. Terentius in Hecyra. *Segreganda aut mater eſt à me, Philippe, aut Philumena.* EXTRA TE VNAM.] præter te vnam. te vna excepta. ἔξω σοῦ μόνης. QVÒD ILLE FASTIDIOSV'ST.] id eſt, quoniam ille faſtidij plenus eſt. Sic autẽ habent libri noſtri veteres, ſine vlla varietate aut litura. mendoſè autem edidit Camerarius, *quòd illi faſtidioſum'ſt.* NE OCVLI EIVS SENTENTIAM MVTENT, VBI VID. ME] id eſt, ne oculi eius ſententiam illum mutare cogant, vbi me viderit non talem, qualem ſpe, & opinione præceperat. AT EIVS ELEGANTIA, &c.] & metus me macerat, ne eius venuſtas meam cõtinuò formam reſpuat, atque aſpernetur. VT IPSA SE CONTEMNIT?] quomodo ſe ipſa parui facit, præ me ſcilicet? vt illa ſibi videtur præ me inelegans, & inuenuſta? Sic loquitur Lucret. lib. 5. *Quid mirum, ſi ſe temnũt mortalia ſecla, Atque poteſtates magnas, miráſq. relinquũt, In reb. vireis diuûm, quæ cuncta gubernant?* Et Terent. Eunuch. *Hîc ego illum contemſi præ me.* Eodem pertinet illud Granij, ex Lucilio, opinor: *Non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos.* Quod refert M. Tullius lib. 6. epiſt. ad Atticum. Idem Tull. lib. 12. epiſt. ad Atticum. *Iam pridem ſcito, cùm vnum te pluris, quàm omneis illos putem. ne me quidem contemno: meóque iudicio multo ſtare mâlo, quàm omnium reliquorum.* Idem Philipp. 13. *quamquam enim eſt tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobiliſſimo: tamen ſenatus ipſe ſe non contemnit.* SI POL ME DVCERE VOLET VX. GENVA AMPLECTAR.] hoc eſt, ſupplex eum orabo, ſi fortè ſupplicãdo potero ab eo impetrare, vt me vxorem ducat, &c. ſuprà in Ciſtell. *Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,* &c. CONCISCAM LET.] mihi mortem conciſcam, *lætum* ſine adſpirationis nota, nonnulli grammatici ſcribi volunt, vt ſit à verbo, leo, les, let. quod interdum veteres vſurpabant, pro compoſito *deleo*, quod mors omnia deleat, alij ſcribũt lethum, cum adſpirationis nota, vt originem trahat à nomine Græco λήθη, quod obliuionem ſignificat: ſeu à verbo Græco λήθω. MVLIERI] à muliere. VILEM FECERIS,] hominem parui pretij feceris, &c. VLTRO] αὐτεπάγγελτος, αὐτόκλητος, non rogatus, non prior ab ea prouocatus. SINE VLTRO VENIAT,] ſine, illa prior te adeat. SI NON PERDERE ISTAM VIS GLORIAM, &c.] ſecutus ſum noſtros libros veteres, à quibus non valde diſſentiunt vulgati. Sententia autem huius ſcripturæ planiſſima eſt, & numeri optimi, ſi memineris, in prouocabulo, *iſtam*, s. exteri: quod nõ eſt nouum. Nam Camerarius, neſcio quorum librorum auctoritate adductus, edidit, *Summouere iſtam vis gloriam, quam habes?* cum interrogationis nota poſt verbum, habes. vt verſus non pendeat à ſuperiore, quod fit, ſi noſtra editio probetur, ſed per ſe, & ſeorſum legatur. ET PHAONI LESBIO.] quem perditè amauit Sappho: cuius amoris ardore incẽſa ſe è Leucade in mare præcipitem egit. OPPERIAMVR,] exſpectemus. DVRARE] καρτερεῖν, me continere, mihi moderari. EFFRINGAM.] Terent. Adelph. *Foreis effregit? reſarcientur.* MVTVVM FIT.] mutuò eam amo. OBSTVPIDA?] obſtupefacta? QVIA NON EST INTVS, QVEM, &c.] quia is, quem ego volo, non eſt intus. NAM ODOREM NASVS SENTIAT, SI INTVS S.] ſentiat, hoc eſt, olfaciat, ſeu odoretur. Sentire enim, generale eſt ad omneis quinque ſenſuum ἐνεργείας. Itaque & ſentire ſonorem, dixit Lucretius. HARIOLATVR] diuinat. PROPTEREA VENVS FECIT EAM VT DIVIN.] propterea Venus fecit eam diuinare. NESCIO VBI] Neſcio quo loco. QVEM EXP. VID.] is, quem expeto videre. OLET PROFECTÒ.] eius odor ad me aduolat, ſeu péruenit. In Amphitr. *Olet homo quidam malo ſuo.* ITA ANIMVS PER OCVLOS MEOS DEFIT] Hîc Acroteleutium adſpexit militem: quo facto tantus ardor, atque æſtus per eius oculos ad animum permeauit, vt eo æſtu commota, anima deficiatur. Hæc autem omnia bellè ac facetè ſimulantur ad militem ludificandum. QVÀM EGOMET, SI PER TE LICEAT] quàm egoipſa amarem, ſi per te liceret: hoc eſt, ſi me amare ſineres. ſi ſine tua offenſione eum amare poſſem. NEPOS SVM VENERIS] Virgil. lib. 4. Æneidos. *Dardanúſque nepos Veneris.* Cælius ad Ciceronem lib. 8. epiſt. *Vellem quidem Venere prognatus tantùm animi habuiſſet in veſtro Domitio, quantum Pſecade natus in hoc habuit.* infrà eadem fabula. *vt nos te hodie hinc amittamus Venerium nepotulum.* ſuprà eadem fabula. *erat imperator ſummus, Neptuni nepos.* Iam vt Neptunus facit bonos & fortunatos nauigatores, ita Venus formoſos, & fortunatos, & amabileis amatores. ADI, OBSECRO, ET CONGREDERE.] adi, obſecro, militem, & cum eo confer gradum. IVBE ERGO ADIRE] iube ergo ad me venire. INDVXI ANIMVM, NE ODERIM ITEM VT AL.] hoc mihi perſuaſi, ſeu hoc à me impetraui, ne tuam heram oderim: ſimiliter vt alias mulieres. NON POTIS] ſubintellige, erit, hoc eſt, non poterit. Nam ſilentium vnum eſt ex amoris indiciis. Horat. oda 11. Epod. *In queis amantem & languor, & ſilentium Arguit, & latere petitus imo ſpiritus.* INTERIM LINGVA ATQVE OCVLI PERIERVNT] interim lingua eius præpedita eſt, oculi caligarunt. hoc eſt, interim loquendi, & cernendi facultatem amiſit. VIRI QVOQVE ARMATI IDEM ISTVC FACIVNT] etiam viri armati tremunt, atq. extimeſcunt, poſtquã me adſpexerunt. IVBE DOMVM IRE.] iube herum tuam domum ire, vt ſe colligat. NE TV MIRERE, MELIÙS MVLIEREM] hæc referenda ſunt ad ea, quæ dixit paullò antè miles, viri quoque armati me extimeſcunt. hoc modo, ſi viri armati poſtquam hunc adſpexerunt, tremunt, & extimeſcunt, quid mirum eſt mulierem, quam natura finxit timidam, atque imbellem tremere, ac timere? ſic igitur hæc connecte cum ſuperioribus. Non temerè dixit

miles



miles viros quoque armatos tremere, ac timere poſtquàm ſe adſpexerunt, ſed ne tu mirere Milphidippa, mulierem heram tuam faciliùs, & magis timere. vel ſic, viri quoque armati tremunt, & timent, poſteaquam militem adſpexerunt, vt ipſum militem audiſti modò prædicantem, ne tu mirere mulierem, meliùs, hoc eſt, faciliùs tremere, ac timere. ADSEDEAS:] vult te ſibi adſidere. vel fac ei adſideas. EGÓN' AD ILLAM EAM, QVÆ NVPTA SIT?] non facit Plautus homines prorſus ſtolidos, & bardos: vt hîc; hunc militem, quamuis planè ſit hebes, tardus, atque inſulſus, non facit ita ſtolidum, vt prudens, ac ſciens domum introeat alienam ſine ſuſpicione periculi, & vt virum mulieris, cum qua rem habere cogitat, non extimeſcat. EXEGIT VIRVM À SE] virum à ſe, hoc eſt, domo ſua eiecit. VIDE NE SIS IN EXSPECTATIONE.] vide, ne diutiùs, quàm par ſit, te ſinas exſpectari. vide, ne diutiùs æquo ſis exſpectandus: vide, ne illa exſpectatione tui crucietur, ſed quàm primùm venias: ſic ſæpè loquitur Cicero vt libro 9. epiſt. ad Varro. *aduentus Cæſaris eſt in exſpectatione:* id eſt, exſpectatur. ORNATV QVIDEM THALASSICO] ſuprà, *facito, vt venias ornatus huc ornatu nauclerico: cauſiam habeas ferrugineam,* &c. ſequitur continuò, *palliolum habeas ferrugineum. Nam is colos thalaſſicus eſt.*

## PLEVSIDES. PALÆSTRIO.
### PYRGOPOLINICES.

SI alium alio pacto propter amorem neſciam
Feciſſe multa nequiter, verear magis
Me amoris cauſſa iſtoc ornatu incedere.
Verùm cùm multos multa admiſſe acceperim,
Inhoneſtum propter amorem, atque alienum à bonis,
(Mitto iam, vt óccidit Achilles. quid paſſus eſt?)
Sed eccum Palæſtrionem, ſtat cum milite:
Oratio aliò mihi demutanda eſt mea.
Mulier profectò nata eſt ex ipſa mora.
Nam quæuis alia, quæ mora eſt æquè, mora
Minor ea videtur, quàm quæ propter mulierem eſt.
Hoc adeò fieri credo conſuetudine.
Nam ego hanc arceſſo Philocomaſium. ſed foreis
Pultabo. Heus ecquis hîc eſt? PA. adoleſcens quid eſt?
Quid tu ais? quid pultas? PL. Philocomaſium quærito,
A matre illius venio, ſi itura eſt, eat,
Omneis moratur: nauim cupimus ſoluere.
PY. Iamdudum res parata eſt. Heus Palæſtrio
Aurum, ornamenta, veſtem pretioſam omnem ferat.
Duc adiutores, tecum ad nauim qui ferant.
Omnia compoſita ſunt. quæ donaui, auferat.
PA. Eo. PL. quæſo, hercle propera. PY. non morabitur.
Quid iſtuc, quæſo? quid oculo factum eſt tuo?
PL. Habeo quidem hercle oculum. PY. at læuum dico. PL. eloquar.
Maris cauſſa hercle iſtoc ego oculo vtor minus.
Nam, ſi amare abſtinuiſſem, tamquam hoc vterer.
Sed nimis morantur me diu. PY. eccos exeunt.

SI ALIVM ALIO PACTO PROPTER AMOREM] alio pacto, quàm ego hoc facio, qui incedo ornatus in morem naucleri, ſubiiciet exemplum Achillis, qui & propter

amorē Briſeidis,cum ea ſibi eſſet erepta,iratus Græcis,à prælio diu ſe abſtinuit:&propter amorem Patrocli,vitam breuem,longè antepoſuit.poterat Iouis quoque exemplo vti,qui libidinis, & amoris cauſa omnia factus eſt,& in omneis animalium, ac rerum formas verſus eſt. NEQVITER,]proteruè,improbè,libidinoſè. VEREAR MAGIS ME AMORIS CAVSA, &c.]aliàs,verear magis,ne amoris cauſa iſtoc ornatu incederem. ADMISSE]admiſiſſe.(MITTO IAM, VT OCCIDIT ACHILLES, QVID P. EST?)]hæc dicuntur per præteritionem. omitto iam,inquit,quo pacto interierit Achilles,quid pertulit amoris cauſa? SED ECCVM PALÆSTRIONEM.]viſo Palęſtrione,orationis curſum,& tenorem abrumpit. voluit enim,& debuit addere,ne ego quidē vereri debeo ſic ornatus incedere. Nam orationis, & ſententiæ principium naſcitur ab illo loco, *verùm cùm multos multa admiſſe acceperim*, &c. quæ oratio relinquitur,vt dixi,inchoata. MVLIER PROFECTÒ NATA EST EX,&c.] fortaſſe tum quia mulieres omnes, longæ ſunt in his rebus gerendis, quas gerendas ſuſceperunt, tum propterea quòd mora,quæ ob mulieres interponitur,alias moras longitudine ſuperat,vt Plautus ipſe ſubiicit. Terent. Heautont. *& noſtin' mores mulierum?dum moliuntur,dum comantur, annus eſt.* Horat.epiſt.1.lib.1. *Vt nox longa,quibus mentitur amica?* ECQVIS HÎC EST?] numquis hîc eſt? nemóne hîc eſt? PHILOCOMASIVM QVAERITO] Philocomaſium etiam atque etiam quæro. SI ITVRA EST, EAT.]ſic ſuprà eádem fabula. *Vt, ſi itura'ſt Athenas, eat tecum ad* B *portum citò.* NAVIM CVPIMVS SOLVERE.]ſubintell.è portu.ſuprà eádem fab. *Niſi eat, te ſoluturum eſſe nauim,ventum operam dare.* QVID OCVLO FACTVM EST TVO?] ambigua oratio.Nam vel hoc quærere videtur,quid Pleuſidis oculo læuo acciderit, qui ſit culcita lanea obductus:vel quid factum ſit de eius oculo dextero, qui etiam fortaſſe eádem culcita tectus erat:id eſt,quo caſu eum amiſerit. Itaque propterea quòd miles ſine diſtinctione quæſierat,ſic reſpondet,quaſi eum reprehendens.Habeo quidem hercle oculum, hoc eſt, quod rogas, quid acciderit oculo meo,neque addis,læuo,aut dextro, reſpōdeo tibi, me habere oculū vnum ſaltem ſaluum. AT LAEVVM DICO]corrigit nunc ſermonem ſuum miles,& de quo oculo quærat,nominatim declarat. NAM SI AMARE ABSTINVISSEM, TAMQVAM HOC VTERER]iocus ex ambiguo.videtur enim dicere Pleuſides,ſe,ſi à mare,id eſt,à amari abſtinuiſſet,hoc eſt,ſi non nauigaſſet,aut ſi nauclerus non fuiſſet, oculū læuum æquè ſanum, atque integrum fuiſſe habiturum, ac dexterum. ſed *amare* accipit coniunctè, vt ſit infinitiuus à verbo amo,as,at,hoc ſenſu. Nam ſi amare abſtinuiſſem, id eſt,ſi me ab amando continuiſſem: læuo iſto oculo,de quo me rogas,æquè vterer,atque vtor dextero.mendoſè autem in omnibus libris legitur,neque aliter edidit Camerarius. *Nam ſi à mari abſtinuiſſem*,&c. cùm ſit legendum, *à mare*,duabus vocibus:quod primus animaduertit Muretus,& Plautinum iocum eruditè, atque C ingenioſè explicauit lib.3.variar.lect.cap.17.

## PALÆST. PHILO. PLEV. PYRGO.

QVid modi flendo quæſo hodie facies? PH. quid ego ni fleam?
Vbi pulcerrimè egi ætatem, inde abeo. PA. viden' hominem tibi,
Qui à matre & ſorore venit? PH. video. PY. audiſtin' Palæſtrio?
PA. Quid vis? PY. quin tu intus iubes efferri omnia,quæ iſti dedi? D
PL. Philocomaſium ſalue. PH. & tu ſalue. PL. materque & ſoror.
Tibi ſalutem me iuſſerunt dicere. PH. ſaluæ ſient.
PL. Orant te vt eas,ventus operam dum dat,vt velum explicent.
Nam matri oculi ſi valerent,mecum veniſſet ſimul.
PH. Ibo,quamquam inuita facio,pietas ſic cogit. PL. ſapis.
PY. Si non mecum ætatem egiſſet,hodie ſtulta viueret,
PH. Iſtuc crucior,à viro me tali abalienarier.
Nam tu quamuis potis es facere vti fluat facetiis,
Et quia tecum eram propterea animo eram ferocior.

Eam



A Eam nobilitatem,amittendam video. PY. nimium hæc flet.
PH. nequeo,
Cum te video. PA. habe bonum animum.ſcio ego & quid doleat mihi.
Nam nihil miror,ſi libenter Philocomaſium hîc eras:
Forma huius,mores,virtus animum attinuere hîc tuum:
Quum ego ſeruus,quando adſpicio hunc,fleo,quia diiungimur.
PH. Obſecro,licet complecti priuſquàm proficiſco? PY. licet.
PH. O mei oculi,ô anime mi. PA. obſecro,retinete mulierem,
Ne affligatur. PY. quid iſtuc? PA. poſtquàm abs te abit,animo malè
B Factum'ſt huic repentè miſeræ. PY. accurrite intrò, atque afferte aquam.
PA. Nihil aquam moror. PY. cur? PA. mâlo merum,ne ipſe interueneris,
Quæſo,dum reſipiſcit.capita inter ſe nimis nexa hice habent.
Non placet.labra & labella inter ſe firmant admodum.
PL. Tentabam,ſpiraret,ân non.at eam ad nos iam oportuit.
Sin' magis vis,ambos mittam. PA. nolo retineat.fleo miſer.
PY. Exite,atque efferte huc intus omnia,quæ iſti dedi.
PA. Etiam nunc ſaluto te familiaris,priuſquam eo.
Conſerui,conſeruæque omnes,bene valete,& viuite,
C Bene quæſo inter vos dicatis & mihi abſenti tamen.
PY. Age Palæſtrio,bono animo es. PA. heu,nequeo,quin fleam,
Quum abs te abeam. PY. fer æquo animo. PA. ſcio ego quid doleat mihi.
PH. Sed quid hoc?quæ res eſt?quid video?lux ſalue.
PL. Iam reſipiſti? PH. obſecro.quem amplexa ſum
Hominem? perij,ſúmne ego apud me? PL. ne timeas voluptas mea.
PY. Quid iſtuc negotij? PA. animus hanc modò hîc reliquerat:
Metuóque & timeo,ne hoc tandem propalàm fiat nimis.
D PY. Quid id eſt? PA. nos palàm ſic ferre nunc per vrbem hæc omnia.
Nequis tibi hoc vitio vortat. PY. mea,non illorum dedi,
Parui ego illos facio:agite,ite cum diis bene volentibus.
PA. Tua ego hoc cauſſa dico. PY. credo. PA. iam vale. PY. & tu bene vale.
PA. Ite citò,iam ego aſſequar vos.cum hero pauca etiam loquar.
Quamquam alios fideliores ſemper habuiſti tibi,
Quàm me,tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium:
Et ſi ita ſententia eſſet,tibi ſeruire mauelim
Multo,quàm alij libertus eſſe. PY. habe bonum animum. PA. hau,mihi,

Cùm venit in mentem,vt mores mihi mutandi ſient, A
Muliebres mores diſcendi,obliuiſcendi ſtratiotici.
PY. Fac ſis frugi. PA. iam non poſſum,amiſi omnem libidinem
PY. I, ſequere illos, ne morêre. PA. bene vale. PY. & tu bene
vale.
PA. Quæſo,vt memineris:ſi fortè liber fieri occœperim,
Mittam nuntium ad te,ne me deſeras. PY. non eſt meum.
PA. Cogitato identidem tibi quàm fidelis fuerim,
Si id facies,tum demum ſciuiſti,qui bonus ſit,qui malus.
PY. Scio & perſpexi ſæpè.verùm cùm antehac,tum hodie maximè.
PA. Scis?immò hodie verum factum faxo,pòſt dices magis.
PY. Vix reprimor,quin te manere iubeam. PA. caue faxis B
Dicent te mendacem,nec verum eſſe:fide nulla eſſe te.
Dicant ſeruorum præter me eſſe fidelem neminem.
Nam ſi honeſtè cenſeam te facere poſſe,ſuadeam:
Verùm non poteſt,caue faxis. PY. abi,iam patiar quicquid eſt.
PA. Bene vale igitur. PY. ire melius eſt ſtrenuè. PA. etiam nunc
vale.
PY. Ante hoc factum hunc ſum arbitratus ſemper ſeruum peſſimum,
Eum fidelem mihi eſſe inuenio.cùm egomet mecum cogito,
Stultè feci,qui hunc amiſi.ibo nunc intrò nunc iam
Ad amores meos.etiam ſenſi hinc,ſonitum fecerunt fores.

C

QVID MODI FLENDO, QVÆSO, &c.] Philocomaſium immoderatè flentem (qui fletus fictus,ac ſimulatus eſt)conſolatur,ſeu potius obiurgat,& increpat Palæſtrio,& hortatur,vt flendi finem tandem faciat. Quem modum,inquit,flendo,ſeu flendi,quæſo,facies?numquámne flere deſines? QVID EGO NI FLEAM?] quidni ego fleã? QVIN TV INT. IVB. &c.] quare tu non iubes domo omnia exportari,quæ Philocomaſio dedi? VENTVS OPER. DVM DAT.] dum ventus nauigationem adiuuat.ſic ſuprà eád.fab. *Niſi eat, te ſoluturum eſſe nauim:ventum operam dare.* VT VELVM EXPLICENT.] vt velum pandant.vt vela faciant.vt dent vela ventis.Homerus ἰλιάδ. α. Οἱ δ' ἱςὸν ςήσαντ', ἀνά θ' ἱςία λευκὰ πέτασσαν. id eſt, Hi autem malum erexerunt,veláque candida explicuerunt. NAM, MATRI OCVLI SI VALERENT,&c.] nam,ſi mater oculos haberet ſanos, & valenteis, mecum veniſſet vnà. verùm cubat in naui lippa,& oculis turgidis.ſuprà eádem fabula. *Vbi matrem eſſe aiebat ſoror?* PAL. *cubare in naui lippam,atque oculis turgidis Nauclerus dixit.* PIETAS SIC COGIT.] officium meum erga matrem,cogit me vel inuitam abire.Sic autem legendum,non vt vulgò, *pietas ſic cohibet.* præterea vox,*omnia*,quæ in omnibus exemplis impreſſis legitur,poſt *facio*,delendum: quia & ſententiam,& verſum corrumpit. SAPIS] quæ pietatem colas in parenteis:vel,quæ piam te D præbeas erga matrem. SI NON MECVM AETATEM EGISSET HODIE STVLTA. V.] ſi non mecum vixiſſet,hodie ſtulta eſſet: nunc, quia mecum aliquandiu vixit, cordata eſt. ISTVC CRVCIOR] ob iſtuc crucior,me,&c. NAM TV QVAMVIS POTIS ES FACERE, VT FLV. FAC.] nam tu potes facere,vt quæuis fæmina,ſcilicet,etiam inſulſa,& infaceta,fiat facetiſſima,& ſalſiſſima.tu potes facere ex muliere inſulſa,& infaceta,ſalſam,ac facetam.hoc loquendi genus autem,*Nam tu quamuis potis es facere,vt fluat*,&c. ex duobus conflatum eſt,vt ſuprà non vno loco diximus.nam & hoc in eo cõtinetur. Nam tu quamuis mulierem potes facere fluere,id eſt,abundare facetiis:& illud,nam tu potes facere,vt quæuis mulier facetiis fluat. PROPTEREA ERAM ANIMO FEROCIOR.] propterea eram animo elatior, ac ſuperbior.Profert hunc locum Nonius in voce *ferox*,ſed errat.putat enim *ferocior* poſitum eſſe pro *cordatior*,vel *facetior*,quod longè aliter eſt. Arbitror autem ſuperiora verba: *nam tu quamuis potis es facere,vt fluat facetiis*, ei erroris anſam præbuiſſe. EAM NOBILITATEM, AMITT. VID.] eam nobilitatem, quam ego domi tuæ adepta ſum,proiiciẽdam video. Hæc autem pronuntiat Philocomaſiũ lacrymans,quod facile eſt mulieri. NEQVEO, CÙM TE VIDEO.] nequeo mihi à fletu temperare,cùm te video. ANIMVM ATTINVERE HÎC TVVM.] animum

hîc



A hîc tuum affixum tenuerunt. QVIA DIIVNGIMVR.] quia diſtrahimur, ac diuellimur. PRIVSQVÀM PROFICISCO?] id eſt,priuſquam proficiſcor? Sic Turpilius dixit in hetæra, *proficiſceret*,pro,proficiſceretur,teſte Nonio. Sic ille. *Hortatur hominem quàmprimùm proficiſceret.* Non video autem,quo modo huius verſus numeri conſtare poſſint,niſi in,*prius*,fiat συνίζησις, vt fiat vnius ſyllabæ:& contrà in,*quàm*,fiat διαίρεσις,& duarum ſyllabarum. OBSECRO, RETINE MVLIEREM,] ſic legendum,non,vt edidit Camerarius,*obſecro,mitte mulierem:* neque, vt vulgò legitur,*mulierem ſine.* Noſtram emendationem autem primùm libri noſtri manuſcr. adiuuant: deinde ſententia ipſa flagitat.cùm enim Philocomaſium ſe exanimatam,& perturbatam eſſe ſimularet,& iam iam caſuræ ſpeciem præberet, Palæſtrio hortatur militem,aut Pleuſidẽ, vt eam retineat,ne ad terram affligatur. NE AFFLIGATVR.] ne ad terram graui caſu allidatur. POSTQVÀM ABS TE ABIT, ANIMO MALÈ FACTVM'ST HVIC R. M.] declarat Palæſtrio,quid Philocomaſio acciderit. Poſtquàm,inquit, abs te diſceſſit, dolore exanimata,& animo defecta eſt.animo dicunt Latini alicui eſſe malefactum, quem ſignificare volũt, animo eſſe defectum. Lucret.libro 3. *Quod genus,eſſe animo malefactum cùm perhibetur, Atque animam liquiſſe:vbi iam trepidatur,& omnes Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.* Ad quem iuuabit legere B quæ notauimus in commentationibus noſtris Lucretianis. Plautus Amphitr. *væ miſeræ mihi. amo male eſt.* ATQVE AFFERTE AQVAM.] vt,aqua ſuffuſa,ſeu offuſa,vireis animi diſſipatas colligat.ſic in Amphitr. *væ miſeræ mihi. Animo male'ſt.aquam velim corrupta ſum, atque abſumta ſum.* in Ciſtell. *obſipat aquulam*,id eſt,reddit animum,aqua offuſa. Idem in Curcul. *Viden', vt expalluit? Datin' iſti ſellam,vbi aſſidat,citò,& aqualem cum aqua? properatin' ocyus? Cur animo malè'ſt.* PHAE. *vin' aquam?* MÂLO MERVM] mâlo merum,quàm aquam: iocus ſeruilis. deerat vox,*merum*,in omnibus libris vulgatis,quam reſtituimus ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ ſententia ipſa,& metri ratione hanc vocẽ poſtulante. NE IPSE INTERVEN. QVAESO, DVM RESIP.] quia Pleuſides,& Philocomaſiũ inter ſe oſculabãtur amatoriè, & nequiter, cùm Pleuſides ſimularet,ſe illã,quaſi animo defectã,retinere: Palæſtrio veritus,ne miles ſentiat,& ita omnis fallacia aperiatur,orat militem, ne interueniat, dum Philocomaſium vireis animi diſſipatas colligit. Nam ſi miles interueniſſet,& propiùs ad Philocomaſium acceſſiſſet, Pleuſidem,& Philocomaſium labellis inter ſe compoſitis,& comparatis oſculanteis deprehendiſſet. DVM RESIPISCIT.] dum parteis animi diſiectas colligit. dum ad ſe redit. Sic autem edidi libros vulgatos, & manuſcriptos noſtros ſecutus. Nam Camerarius planè mendosè edidit. *Quæſo,dum reſpicito.* niſi fortè erratum eſt typographi: quod credibile eſt.nam hæc lectio ferri non poteſt,nulláque ratione C nititur. CAPITA INTER SE NIMIS NEXA HICE HABENT] hæc ſecum loquitur Palæſtrio,vt ſpectatores tantùm audiant.hice,inquit, nempe Pleuſides, & Philocomaſium capita inter ſe nimis connexa habent.non placet,& præterea labra & labella figunt, & firmant admodum. Miles fallaciam noſtram deprehendet. LABRA, ET LABELLA FIRMANT ADMODVM] ſic habent planè noſtri libri veteres, vno excepto,qui habet pro, *firmant, firmauit,* minus rectè,neque tamen ita longè à vera ſcriptura. vulgata autem lectio, *labra labellis ferruminauit acre malum*, planè mendoſa eſt,neque vllo modo ferri poteſt,ea verò,quam ſubſtituit Camerarius, *labra & labella inter ſe ferunt admodum.* Neque ſatis probabilis,aut vſitata eſt, & nimis longè ab antiqua diſtat,in verbo *ferunt.* TENTABAM, SPIRARET, AN NON.] bello,& ſcito mendacio ſuam inconſideratam nequitiam tegit Pleuſides,ne miles ex capitum nexu, & labellorum cum labellis comparatione aliquid ſuſpicetur, aut ſentiat de oſculo, & amore. AT EAM AD NOS IAM OP.] at iam oportuit Philocomaſium ad nos Athenas eſſe perueAtam. SIN MAGIS VIS, AMBOS M.] ſin tu mauis miles,ego ambos miſſos faciam,& relinquam.ambos,videlicet,Palæſtrionem & Philocomaſium. NOLO, RETINEAT.] nolo nos retineat miles,proficiſcendum eſt,quando ita deliberatum eſt, quamuis lacrymas contine- D re non poſſim,cùm cogito quem dominum relinquam,cum quibus mihi poſthàc ſit viuẽdum. SALVTO TE, FAMILIARIS.] alloquitur,& ſalutat Larem familiarem. HEV, NEQVEO, QVIN FLEAM.] heu nequeo me continere,quin fleam. SED QVID HOC? QVÆ RES EST? &c.] Philocomaſium,quaſi ad ſe tandem rediens,& reſipiſcens, & de integro lucem, cuius fructum,atque vſuram videbatur admiſiſſe,reuiſens, hæc loquitur cum admiratione. LVX SALVE] ſalue lux,quam deſieram adſpicere,animo defecta. IAM RESIPISTI] iam ad te rediſti? hic locus ſuperiorem lectionem,quam ſecuti ſumus,confirmat,ibi. *Ne ipſe interueneris,quæſo dum reſipiſcit.* QVEM AMP. SVM HOMA?] quaſi imprudens,& inſcia Pleuſidem amplexa fuerit. SÙMNE EGO APVD ME] proinde quaſi dicat, non ſum. NE TIMEAS VOLVPTAS MEA] hîc Pleuſides non ſatis bene antè diſſimulatum ac celatum amorẽ nunc magis aperit,atque indicat. ANIMVS HANC MODÒ HÎC REL.] hîc Palæſtrio Pleuſidis inconſideratum ſermonem, quo ſuum erga Philocomaſium amorem nimis apertè declarabat, corrigere conatur,ne quid miles odoretur. METVÓQ. ET TIMEO, NE HOC TANDEM PRO. F. N.] hoc ſentit Palæſtrio,ſe metuere.ne per Pleuſidis imprudentiam, & incontinentiam tota fallacia militi ſuboleat. Itaque cùm hæc ſummiſſa voce,vt ſpectatores ſoli exaudirent,dicere voluiſſet: neque id aſſequi potuiſſet,propter propinquam militis præſentiam,quæ fecerat,vt miles quoq. hæc planè audiret: horum verborũ aliam ſententiã excogitat: quæ omni

ſuſpicione caret. QVID ID EST?] quod metuis, ne palàm fiat. NOS PALàM SIC FERRE, &c.] vide, vt Palæſtrio verba illa ſuperiora, quæ in eam ſententiam, quam ſuprà expoſuimus, locutus fuerat, nunc in aliam detorqueat. metuo, inquit, ne quòd ita palàm per vrbem hæc omnia ferimus, ſcilicet, quæ inſtruxiſti Philocomaſio, & dediſti, aliquis tibi vitio vertat. ſecuti ſumus autem etiam hoc loco libros noſtros manuſcr. qui nihil ferè à vulgatis diſcrepant. Nam Camerarius ſic edidit, *Nos ſecundum ferre nunc per vrbem*, &c. quæ ſcriptura probabilis eſt, & ſic explicari poteſt, Nos ſeruos, ſecundum, id eſt, poſt Pleuſidem & Philocomaſium hæc omnia ferre. NE QVIS TIBI HOC VITIO VORTAT.] ne quis tibi hoc criminis, aut maledicti loco obiiciat. ſic ſuprà in Epid. *quis erit vitio, qui id vortat tibi?* Idem in Capt. *Neque pol tibi nos, quia nos ſeruos, æquum'ſt vitio vortere, neque te nobis*, &c. ITE CVM DIIS BENE V.] ſermo bonis ominibus diſcedenteis proſequentis: vel ſermo euntibus bene precantis, & bene ominantis. ſic in Perſa. *Sequere hàc mea gnata me cum diis volētibus*. Sic Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Offic. *Dono: ducite, dóque volentibu' cum magnis diis.* OBLIVISCENDI STRATIOTICI.] id eſt, dediſcendi mores militares. hoc dicit propterea quòd diſcedat à milite, cui ſeruiebat ſeruitutem, & ſeruiturus ſit mulieribus. IAM NON POSSVM] eſſe frugi. AMISI OMNEM LIB.] amiſi omnem voluntatem rectè faciendi, & frugaliter viuendi. ridiculè voluntatem dixit libidinem. Nam libido, eſt rationis expers voluntas. I, SEQVERE ILLOS,] Virg. lib. 4. Æneid. *I, ſequere Italiam ventis.* NE ME DESERAS] vt mihi victum, & cultum præbeas. NON EST MEVM] ſic ſuprà in Aſin. *Nunc quia nihil habes, maledictis tu eam ductare poſtulas.* ARG. *non meum eſt.* SI ID FACIES TVM DEMVM] cùm id facies, tum demū ſcies, &c. cum recordaberis, quàm fidelis tibi fuerim, &c. IMMÒ HODIE VERVM FACT. FAXO PÒST D. M.] immò faxo, id eſt, fecero, vt poſthàc dicas magis hodie hoc verum eſſe factum, ſcilicet me tibi fidelē fuiſſe. Proinde quaſi dicat, numquam anteà certò, aut verè ſciſti, quàm fidelis tibi fuerim: ſed me hodie primùm meæ erga te fidelitatis ſpecimen dediſſe, poſteà liquidò cognoſces. CAVE FAXIS.] vide quantum ſe in diſcrimen coniecerit Palæſtrio, dum ſe nimis liberalem in militem facit. verùm facilè ſe expediet. NEC VERVM ESSE:] nec veracem eſſe. Terent. Andr. *ſum verus?* CENSEAM] exiſtimem, putem. CAVE FAXIS] caue feceris. AMISI] à me miſſum feci, abalienaui. SONITVM FECERVNT F.] crepuerunt fores.

## PVER. PYRGOPOLINICES.

NE me moneatis. memini ego officium meum.
Ego iam conueniam illunc, vbi vbi eſt gentium.
Inueſtigabo, operæ ego non parcam meæ.
PY. Me quærit illic. ibo huic puero obuiam.
PV. Ehem te quæro. Salue vir lepidiſſime,
Cumulate commoditate præter ceteros,
Duo di quem curant. PY. qui duo? PV. Mars & Venus.
PY. Facetum puerum. PV. intrò, te, vt eas, obſecrat:
Te volt, te quærit, téque exſpectans deperit.
Amanti fer opem. quid ſtas? quin intrò is? PY. eo.
PV. Ipſus illic ſeſe iam impediuit in plagas.
Paratæ inſidiæ ſunt, in ſtatu ſtat ſenex,
Vt adoriatur mœchum, qui forma eſt ferox:
Qui omneis ſe amare credit, quæquæ aſpexerit
Mulier: eum odere tam viri, quàm mulieres.
Nunc in tumultum ibo, intus clamorem audio.

NE ME MONEATIS. MEMINI OFF. M.] puer miſſus à mulieribus, & ſene, militem arceſſit, vt in inſidias illectus ſuæ ſtultitiæ, atque arrogātiæ det pœnas. Sic igitur puer, ne me moneatis. nam cùm me monetis, memorē monetis, quare quæſo, ne me moneatis. VBI VBI EST GENT.] vbicumque eſt gentium. INVESTIGABO] veſtigiis perquiram. tralatio eſt. ILLIC] ille. CVMVLATE COMMODITATE, PRÆT. CET.] cui omnia commodè & ex animi ſententia procedunt, præter ceteros, vel cui omnia commoda, atque opportuna obtingunt



tingunt, præter ceteros. onerate commoditatibus. Sic M. Tullius lib. 7. de Finib. *At quàm pulcrè dicere videbare, cùm ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis, & maximis voluptatibus nullo nec præſenti, nec futuro dolore*, &c. COMMODITATE] ſuprà eàd. fab. *Satíne vt commoditas vſquequaque me adiuuat?* DVO DII QVEM CVRANT] cui dico dij propitij ſunt, quem duo dij tuentur, atque adiuuant. Horat. oda. 17. libro 1. *Dij me tuentur, diis pietas mea, Et muſa cordi eſt.* MARS, ET VENVS] quorum alter facit militareis, & forteis: altera pulcros, & amabileis & in amore fortunatos, ſi modò propitij ſunt. INTRÒ, TE, VT EAS OBSECRAT] te vt intrò eas, obſecrat. TE EXSPECTANS DEPERIT] id eſt, vel te exſpectando moritur: vel te perditè amat exſpectans. IPSVS ILLIC SESE IMPEDIVIT IN PLAG.] ille ipſe ſeſe induit in plagas, id eſt, in retia ſe ipſe illaqueauit. IN STATV STÁT SENEX] ſenex ſtat in ſtatione, vt, &c. vel ſtat in ſtatu, id eſt, ſtat toto corpore, vt, &c. VT ADORIATVR MOECHVM, QVI F. EST FEROX.] vt ex improuiſo mœchum inuadat, qui forma eſt elatus, & ſuperbus. Profert hunc verſum Nonius in voce *ferox*, ſed mendoſè. Sic enim apud eum legitur, *Vt donatum equum, qui forma eſt ferox.* Vide, obſecro, lector, quàm non longè diſtet à recta ſcriptura tam deprauata, & abſurda lectio. Nam quid propius, aut quid affinius, quàm hæc inter ſe, *Donatu mequum*, &, *adoriatur mœchum*? Et tamen magnificus ille promiſſor, qui Nonium emēdatum, ſpecioſo titulo, pollicetur, ac venditat, ne ex Plauto quidem hunc verſum reſtituere potuit: ſed vſque adeò in hoc, vt & in aliis innumerabilibus dormitauit, vt pro *donatum*, coniecerit legendum eſſe, *domatum*. quo nihil excogitari poterat alienius. QVI OMNEIS SE AM. CR. QVÆQVAE ADSP.] qui ab omnibus mulieribus ſe amari credit, quæcumque mulier eum adſpexerit.

## PERIPL. PYRGO. COCVS. CARIO. SCELEDRVS.

DVcite iſtum: ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras:
Facite inter terram atque cælum vt medius ſit: diſcindite.
PY. Obſecro hercle, Periplectomene, te. PE. nequicquam hercle obſecras.
Vide iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probè.
CA. Quin iamdudum geſtio, mœcho hoc abdomen adimere,
Vt faciam quaſi puero, in collo pendeant crepundia.
PY. Perij. CA. haud etiā numerò hoc dicis. Iámne in hominē inuolo?
PE. Immò etiam priùs verberetur fuſtibus. CA. multum quidem.
PY. perij.
PE. Cur es auſus ſubagitare alienam vxorem, impudens?
PY. Ita me dij ament vltrò ventum eſt ad me. PER. mentitur.
Mane, dum narro. PE. quid ceſſatis? PY. non licet mihi dicere?
PE. Dic. PY. oratus ſum ad te venire huc. PE. quare auſu's? hem tibi.
PY. Hodie ſum ſatis verberatus, obſecro. CA. quàm mox ſeco?
PE. Vbi lubet, diſpendite hominem diuorſum, & diſtendite.
PY. Obſecro hercle te, vt mea verba audias, priuſquàm ſecer.
PE. Loquere, nondum nihili factus. PY. viduam eſſe cenſui:
Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.
PE. Iura te non nociturum eſſe homini nunc de hac re nemini,
Quòd tu hodie hîc es verberatus, aut quod verberabere,
Si te ſaluum mittimus hinc Venerium nepotulum.
PY. Iuro per Dionam & Martem, me nociturum nemini,
Quòd ego hic hodie vapularim, iuréque id factum arbitror.

Etſi inteſtatus non abeo hinc,bene agitur pro noxia. A

PE. Quid ſi id non faxis? PE. vt viuam ſemper inteſtabilis.

CA. Verberetur etiam,pôſt tibi amittendum cenſeo.

PY. Dij tibi benefaciant ſemper,cùm aduocatus mihi bene es.

CA. Ergo des minam auri nobis. PY. quamobrem? CA. ſaluis teſtibus,

Vt nos te hodie hinc amittamus,Venerium nepotulum.

Aliter hinc à nobis,ne ſis fruſtra. PY. dabitur. CA. magis ſapis.

De tunica & chlamyde & machæra,ne quid ſperes,non feres.

Verberóne etiam priuſquàm mittis? PY. mitis ſum equidem fuſtibus.

Obſecro vos. PE. ſoluite iſtum. PY. gratiam iam habeo tibi. B

PE. Si poſthac te prehendero,ego ted hîc arcebo teſtibus.

PY. Cauſſam haud dico. PE. eamus intrò,Cario. PY. ſeruos meos

Eccos video.Philocomaſium iam profecta eſt? dic mihi.

SCE. Iamdudum. PY. hei mihi. SCE. magis dicas, ſi ſcias quod ego ſcio.

Namque ille qui lanam ob oculum habebat,nauta non erat.

PY. Quis erat igitur? SCE. Philocomaſio amator. PY. quî tu ſcis? SCE. ſcio.

Nam poſtquam exierunt porta, nihil ceſſarunt illico

Oſculari atque amplexari inter ſe. PY. væ miſero mihi.

Verba mihi data eſſe video.ſcelus viri Palæſtrio,

Is me in hanc illexit fraudem.iure factum iudico. C

Si ſic aliis mœchis fiat,minus hîc mœchorum ſiet.

Magis metuant,minus has res ſtudeant. Eamus ad me.Plaudite.

RAPITE SVBLIMEM F.] rapite eum manibus veſtris ſublatum, & facite eum ſuperbum,vt loquitur in Amphitryone,ita vt pedibus terram non tangat.Sic Terent.Andr.*ſublimem huc intrò rape, quantùm potes.* FACITE INTER TERRAM, ATQ. CÆLVM, VT MEDIVS SIT] ἐπεξήγησις.idem enim dicit quod modò,aliis verbis. DISCINDITE]dilacerate verberibus.NEQVICQVAM]fruſtra.HOC ABDOMEN ADIMERE.]hanc ventris pinguitudinem prominentem.fortaſſis hîc per abdomen ſignificat penem & caudam ſalacem,quæ ſtat in imo ventre. VT FACIAM QVASI PVERO, IN COLLO PENDEANT CREP.]vt faciam ei pendêre abdomen, ſeu penem in collo,quemadmodum pen- D dent puero in collo crepundia.Sunt autem crepundia,ludibria quædam puerorum,à crepando dicta,è collo eorum pendentia:quorum crepitu à lacrymis,& ploratu prohibentur.M.Tullius in Bruto.*Nunc quoniã totum me non næuo aliquo,aut crepundiis,ſed corpore omni vidêris velle cognóſcere,* &c. HAVD ETIAM NVMERÒ HOC DICIS.]numerò,hîc valet valde,nimiùm,citò. conſule Feſtum & Nonium. IÁMNE IN HOM. INVOLO?]iámne in hominem inuado, vt ei penem abſcindam? SVBAGITARE]nequiter,& proteruè attrectare.VLTRO VENTVM EST AD ME]mulieres non vocatæ, neque rogatæ ad me venerunt. QVARE AVSV'S?] cur auſus es venire,quamuis rogatus ſis? HEM TIBI]ſermo verberantis.al.*en tibi.*ſic ſuprà in Aſina.*Hem ergo hoc tibi.*Idem in Curcul.*Hem tibi maledictis pro iſtis:dictis moderari vt queas.* QVÀM MOX SECO?]quàm mox penem ei præcido?VBI LIBET DISP. HOM. DIVORSVM, ET DISTEND.]ſic habent libri noſtri veteres,nihil à vulgatis diſſentientes. Camerarius autem ordine conuerſo ſic edidit,vbi libet diſtendite hominem diuorſum,& diſpendite. Non celabo lectorem autem,ſic legi hunc verſum à Nonio in verbo *diſpennere, Vbi lubet, diſpennite hominem diuorſum, & diſtendite.*Et *diſpennite,*interpretatur expendere: docétque tractum eſſe à pennis auium.Ego Nonium vitioſo codice vſum eſſe, & dormitaſſe puto, neque animum inducere poſſum, *diſpennere* verbum Latinum eſſe,neque mihi ſit veriſimile, à pennis,diſpennere formari poſſe.



A poſſe.Denique hîc legendum arbitror,*diſpendite hominem,*&c.diſpendite autem dictum, pro *diſpandite*, à verbo ſimplici pando, pandis. NONDVM NIHILI FACTVS.] id eſt,nondum eiuratus,nondum exſectus,ſeu caſtratus.ex hoc loco intelligere licet,caſtratos, & eunuchos,& ſpadones,& ſimileis,eſſe homines nihili. VIDVAM ESSE CENSVI] viduam eſſe exiſtimaui. ITAQ. ANCILLA, CONCIL. QVÆ ERAT DICEB. MI.] & ita mihi dicebat ancilla,quæ eum mihi conciliabat,hoc eſt,qua internuntia,& interprete,illa mihi conciliabatur. IVRA TE NOCITVRVM ESSE HOM. NVNC DE HAC RE NEMINI] etiam ex hoc loco, quanta fuerit apud veteres iuriſiurandi religio, intelligere licet: ſed exemplum inſigne huius rei proditum memoriæ eſt, de Regulo, qui non aliam ob cauſam, niſi quòd ſe rediturum iurarat,ad hoſteis rediit. Qua de re ſic Cicero libro 3. de Officiis non longè admodum ab extremo.*Nam quod rediit,nobis nunc mirabile videtur:illis quidem temporibus facere aliter non potuit.Itaque iſta laus non eſt hominis,ſed temporum.nullum enim vinculum ad adſtringẽdam fidem, iureiurando maiores artius eſſe voluerunt.indicant id leges xij.tabularũ,indicant ſacratæ,indicant fœdera: quibus etiam cum hoſte deuincitur fides:indicant notiones, animaduerſionéſque Cenſorum, qui nulla de re diligentiùs,quàm de iureiurando iudicabant.*ſequitur deinceps. *L. Manlio, A.F.quum dictator fuiſſet, M. Pomponius tribunus pl.diem dixit,quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet.Criminabatur etiã quòd* B *Titum filium,qui poſtea eſt Torquatus appellatus,ab hominibus relegaſſet,& ruri habitare iuſſiſſet. quod cùm audiuiſſet adoleſcens filius,negotiúmque exhiberi patri:accurriſſe Romam, & cum prima luce Pomponij domum veniſſe dicitur.Cui cùm eſſet nuntiatum:qui illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur, ſurrexit è lectulo,remotiſque arbitris, ad ſe adoleſcentem iuſſit venire,At ille vt ingreſſus eſt,confeſtim gladium deſtrinxit,iurauitque ſe illum ſtatim interfecturum,niſi iuſiurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum.Iurauit hoc terrore coactus Pomponius:rem ad populum detulit: docuit cur ſibi cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit.*Tantum temporibus illis iuſiurandum valebat. Huc eòdem pertinet illud in Bacchid.*nunc,pater,ne peierem Cura.* VENERIVM NEPOTVLVM.]Hoc eò pertinet,quòd miles dixerat.ſuprà,ſe nepotem Veneris eſſe. PER DIONAM,]Veneris matrem,vel dic, per Dionam,Venerem ipſam ſignificari. ET, SI INTESTATVS NON ABEO HINC,&c.] Et,ſi teſticulis ſaluis abeo hinc,liberaliter,& clementer mecum agitur,pro culpa,quam admiſi, & pro damno, quod iniuria dedi. vel ſic. Et, ſi teſticulis exſectis hinc non abeo, pro culpa, & fraude,quam admiſi,bene mecum actum puto, magnámque vobis gratiam habiturus ſum. *inteſtatus*,vox anceps.nam ſignificat eum quoque,qui teſtis aliis eſſe non poſſit, & cui fides non ſit habenda,&c.vt in Curcul.*Iupiter te te malè perdat:inteſtatus viuito.*INTESTABILIS.]vox am- C bigua eſt,vt & ſuperior.Poteſt enim accipi & pro eo, qui teſticulis priuatus eſt, & pro eo, qui propter aliquam fraudem capitalem,quam admiſit,neque teſtis alteri eſſe,neque teſteis in ſua re adhibere,neque teſtamentum facere poteſt.Horat.ſat.3.lib.2.*is inteſtabilis, & ſacer eſto.*ad quem locum plura. AMITTENDVM]dimittendum,miſſum faciendum,abſoluendum.ALITER, HINC À NOBIS, NE SIS FR.]aliter,hoc eſt,niſi des minam auri.*hinc à nobis,*ſubintell.non abibis:vt admonet Camerarius. Quod autem ad metrum attinet, vel legendum eſt. *aliter him à nobis,ne ſis fr.*&c.vel in voce,*magis*.s.exteritur.him,porrò dicebant Latini, vt hinc:illim,& illinc, ἀδιαφόρως.& vtroque modo etiam. M.Tull. loquitur. Verùm tamen putarim potiùs hîc legendum,*Aliter non abibis,ne ſis fruſtra.*cuius ſcripturæ ſententia facilis eſt,& expedita. NE SIS FRVSTRA]ne te fruſtrere. NE QVID SPERES]hoc dico, ne ſperes te ablaturum & recuperaturum.hoc dico,ne te vana,& inani ſpe conſoleris,quaſi eas res ſis ablaturus.NON FERES]non auferes,ſeu non referes,ſeu non recuperabis.VERBERÓNE ETIAM PRIVSQVÀM MITTIS?]víſne,vt etiam verberem ô Periplectomenes,priuſquàm eum miſſum facis? MITIS SVM EQVIDEM FVSTIBVS.] paronomaſia. *Mittis, mitis* equidem, inquit miles,mitis factus ſum fuſtibus,hoc eſt,mollis,& placidus.in Curcul.in extr.*hiſce ego,ſi tu me irri-* D *taueris,placidum ted hodie reddam.*Boſius me admonuit, *mitem* hîc eſſe poſitũ à Plauto,pro eo,quod Græci dicunt,πέπονα.cui aſſentior.quamquã apud Homerum ἰλ. Α.πέπονας Græcos appellat Therſitas per contumeliã,quaſi molleis,ignauos,& enerueis. Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί. EGO TE HÎC ARCEBO TEST.] ego te hîc coërcebo teſticulis. Videtur hîc legendum,*ego te hîc,*&c.alioqui verſus claudicabit.CAVSAM HAVD DICO]non recuſo,quin hîc arcear teſtibus,ſi me poſthàc prehenderis,cauſam non dico,οὐ δικαιολογοῦμαι οὐ προφασίζομαι. SCELVS VIRI, PALÆST.]Palæſtrio homo ſceleratus. MINVS HAS RES STVDEANT]minus his rebus ſtudeant.minus in his flagitiis ſint occupati.verbum *ſtudeo*, iunxit cum accuſandi caſu.Sic M.Tullius.Philip.6.*Vnum ſentitis omnes,vnum ſtudetis,M.Antonij conatum auertere à repub.*& Horat.epiſt.ad Auguſt.*Verſus amat,hoc ſtudet vnum.*

A

# MERCATOR.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| CHARINVS | adoleſcens. |
| ACANTHIO | ſeruos. |
| DEMIPHO | ſenex. |
| LYSIMACHVS | ſenex. |
| Lorarij. | |
| EVTYCHVS | adoleſcens. |
| PASICOMPSA | meretrix. |
| DORIPPA | vxor. |
| SYRA | anus ſerua. |
| COCVS. | |

B

C

## ARGVMENTVM.

MISSVS mercator ab ſuo adoleſcens patre,
Emit,atque apportat ſcita forma mulierem.
Requirit quæ ſit,poſtquàm eam vidit ſenex.
Confingit ſeruus emtam matri pediſequam.
Amat ſenex hanc,ſéque aſſimulans vendere,
Tradit vicino. eum putat vxor illius
Obduxiſſe ſibi ſcortum. tum Charinum ex fuga
Retrahit ſodalis,poſtquàm amicam inuenerat. D

MISSVS MERCATOR AB SVO ADOLESCENS PATRE.] Charinus adoleſcens. AB SVO PATRE] Demiphone. APPORTAT] aduehit naui. MVLIEREM] Paſicompſam. AMAT SENEX HANC] Demipho hanc ancillam amat. SÉQ. ADSIMVLANS VEND.] & ſimulãs ſe illam puellam vendere,&c. aliàs, *ad ſe ſimulans vendere*,&c. quæ ſcriptura ferri poteſt, vt intelligamus eſſe διαίρεσιν, ſeu potiùs τμῆσιν,& dictum, *ad ſe ſimulans*, pro, *adſimulans ſe*. SERVOS] ſeruus Acanthio. VICINO] Lyſimacho. VXOR ILLIVS] vxor Lyſimachi Dorippa. SODALIS] Eutychus. AMICAM] Paſicompſam.





A

## ALIVD ARGVMENTVM.

MErcatum ad ſocium filium extrudit pater,
Is peregrè vnius redimit ancillam hoſpitis,
Amore captus. vt venit,naui exſilit.
Pater aduolat,viſámque ancillam deperit.
Cuius ſit,percontatur ſeruus pediſequam
Ab adoleſcente ait matri emtam eſſe ipſius.
Senex ſibi proſpiciens,vt amico ſuo
Veniret,natum orabat:natus,vt ſuo.
B Hic filium ſubdiderat vicini,pater
Vicinum. præmercatur ancillam ſenex.
Eam domi deprehenſam coniux illius
Vicini,ſcortum inſimulat,protelat virum
Mercator exſpes patria fugere deſtinat,
Prohibetur à ſodale,qui patrem illius
Orat ſuo cum patre,nato vt cederet.

C AD MERCATVM À SE FILIVM EXTRVD. P.] pater Demipho filium Charinum domo extrudit ad mercatum. ANCILLAM] Paſicompſam. AMORE CAPTVS] amore illius ancillæ Paſicompſæ captus. VT VENIT,] cùm primùm in patriam venit, naui exſilit. PATER ADVOLAT.] pater Demipho ad nauim properè aduehitur. DEPERIT.] perditè amat. SIBI PROSPICIENS] ſuo amori conſulens, ſuas res agens. VT AMICO SVO VENIRET,] vt cuidam amico venderetur Paſicompſa. NATVM ORABAT.] filium ſuum Charinum orabat. NATVS VT SVO.] Charinus contrà patrem orabat, vt Paſicompſa amico cuidam ſuo venderetur. HIC FILIVM SVBD. VICINI.] Charinus ſubornauerat Eutychum, Lyſimachi vicini filium. PATER VICINVM] pater Demipho vicinum ſuum Lyſimachum ſubdiderat, cui Paſicompſa venderetur. PRÆMERCATVR ANCILLAM SEN.] ſenex Lyſimachus à Demiphone ſubditus, mercatur ancillam Paſicompſam ante Eutychum à Charino ſuppoſitum. EAM] Paſicompſam. CONIVX ILLIVS] Dorippa vxor Lyſimachi vicini, qui ancillam illam emerat, Demiphonis mandatu. SCORTVM INSIMVLAT] arguit, & criminatur, illam eſſe eius ſcortum. PROTELAT VIRVM] longè domo repellit virum, vt ſcortatorem, & vxoris oſorem. Sic Turpilius in Lemniis apud Nonium. *propter peccatum pauxillum indigniſſimè patria protelatum eſſe ſæuitia patris*. protelare etiam, interdum valet, perturbare, vt apud Terentium Phorm. *Ne te iratus ſuis ſæuis dictis protelet*. Nonnulli *protelare* & hîc & apud Terentium interpretantur obiurgare.
D MERCATOR] Charinus. EXSPES] ab omni ſpe derelictus, omni ſpe recuperandæ amicæ Paſicompſæ orbatus. DESTINAT] conſtituit. PROHIBETVR À SODALE] Eutycho. PATREM ILLIVS] Demiphonem. CVM PATRE] orat vnà cum patre ſuo Lyſimacho. VT DEMIPHO] Paſicompſam filio Charino concederet.

# PROLOGVS. A

## CHARINVS.

DVAS res ſimul nunc agere decretum eſt
mihi,
Et argumentum & meos amores eloquar.
Non ego item facio, vt alios in comœdiis
Vidi facere amatores,qui aut nocti, aut die, B
Aut ſoli,aut lunæ, miſerias narrant ſuas.
Quos pol ego credo humanas quærimonias
Non tanti facere,quid velint,quid non velint.
Vobis narrabo potiùs meas nunc miſerias.
Græcè hæc vocatur,Emporos Philemonis,
Eádem Latinè Mercator Marci Accij.
Pater ad mercatum hinc me meus miſit Rhodum,
Biennium iam factum eſt,pòſt quàm abij domo:
Amare occœpi forma eximia mulierem. C
Sed ea,vt ſim implicitus,dicam,ſi opera'ſt auribus,
Atque ad aduertendum animum adeſt benignitas.
Neque hæc pernoſſe more maiorum inſtiti
Per me ea percontatus ſum ſinéque indice aliquo.
Nam amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura,ægritudo,nimiáque elegantia,
Hæc non illum modo,qui amat,ſed quemquem attigit,
Magno atque ſolido multat infortunio.
Nec pol profectò quiſquam ſine grandi malo,
Præquam res patitur,ſtuduit elegantiæ. D
Sed amori accedunt etiam hæc,quæ dixi minùs,
Inſomnia, ærumna,error,terror,& fuga,
Ineptiæ,ſtultitiáque adeò,& temeritas,
Incogitantia excors,immodeſtia,
Petulantia,cupiditas & maleuolentia:
Inhæret etiam auiditas,deſidia,iniuria,
Inopia,contumelia,& diſpendium,
Multiloquium,pauciloquium.hoc ideò fit,quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt vſui,hæc
Amator profert ſæpè aduorſo tempore.
Hoc pauciloquium rurſum iccirco prædico,





A Quia nullus vmquam amator adeo'ſt callidè
Facundus,quæ in rem ſint ſuam,vt poſſit loqui.
Nunc vos mihi iraſci ob multiloquium non decet.
Eodem quo amorem, Venus mihi hoc legauit die.
Illuc reuerti certum,vt conata eloquar.
Principiò vt animus ephebis ætate exiit,
Atque animus ſtudio amotus puerili eſt meus,
Amare validè cœpi hic meretricem. illico
Res exſulatum ad illam abibat iam patris.
Leno importunus,dominus eius mulieris,
Vi ſumma quicque vt poterat rapiebat domum.
B Obiurgare pater hæc me nocteis & dies:
Perfidiam,iniuſtitiam lenonum expromere:
Lacerari validè ſuam rem,illius augerier.
Summo hæc clamore:interdum mihi ſe colloqui,
Abnuere,negitare adeò me natum ſuum.
Conclamitare tota vrbe & prædicere.
Omnes tenerent mutuanti credere.
Amorem multos illexe in diſpendium.
Intemperantem,non modeſtum,iniurium,
Trahere,exhaurire me quod quirem ab ſe domo.
Rationem peſſimam eſſe,ea quæ ipſus optima
C Omnes labores inueniſſet perferens
Amoris vi diffunditari,ac deteri.
Conuicium tot me annos iam ſic paſcere.
Quod niſi puderet,ne luberet viuere.
Seſe extemplò,ex ephebis poſtquàm exceſſerit,
Non,vt ego,amori,neque deſidiæ in otio
Operam dediſſe,neque poteſtatem ſibi
Fuiſſe:adeò arctè cohibitum eſſe ſe à patre:
Multo opere immundo ruſtico ſe exercitum.
Nec niſi quinto quôque anno poſſe tum viſere
D Vrbem. atque extemplò inde vt ſpectauiſſet peplum,
Rus rurſum confeſtim exigi ſolitum à patre,
Ibi multo primùm ſe familiarium
Laborauiſſe,quom hæc pater ſibi diceret:
Tibi aras,tibi occas, tibi ſeris,tibi eidem metis,
Tibi denique iſte pariet lætitiam labos.
Poſtquam receſſet vita patrio corpore,
Agrum ſe vendidiſſe,atque ea pecunia
Nauim,metretas quæ trecentas tolleret,
Paraſſe,atque eapſe merceis vectatum vndique
Adeò dum quæſtum haberet,peperiſſet bona,
Me idem decere,ſi,vt deceret me,forem.

Ego me vbi inuiſum meo patri eſſe intelligo, A
Atque eſſe odio me quoi placere æquum fuit:
Amens, amánſque vtut animum offirmo meum,
Dico eſſe iturum me mercatum, ſi velit:
Amorem miſſum facere me, dum illi obſequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promiſſa non neglexit perſequi,
Ædificat nauim cercurum, & merces emit.
Parata naui, imponit. prætereà mihi
Talentum argenti ipſus ſua annumerat manu,
Seruum vnà mittit, qui olim à puero paruulo
Mihi pædagogus fuerat, quaſi vti mihi foret
Cuſtos. iiſce confectis nauim ſoluimus: B
Rhodum venimus. vbi quas merces vexeram,
Omnes, vt volui, vendidi ex ſententia,
Lucrum ingens facio, præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces, ita peculium
Conficio grande. ſed dum in portu ibi ambulo,
Hoſpes me quidam agnouit, ad cœnam vocat.
Venio, decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
Diſcubitum noctu vt imus, ecce ad me aduenit
Mulier, qua mulier alia nulla eſt pulcrior:
Ea nocte mecum illa hoſpitis iuſſu fuit. C
Voſmet videte, quàm mihi valdè placuerit.
Poſtridie hoſpitem adeo, oro vt vendat mihi.
Dico eius pro meritis gratum & memorem fore.
Quid verbis opus eſt? emi, atque aduexi heri.
Eam me aduexiſſe nolo reſciſcat pater.
Modò eam reliqui ad portum in naui, & ſeruolum.
Sed quid currentem ſeruom à portu conſpicor?
Quem naui abire vetui. timeo, quid ſiet.

QVI AVT NOCTI, AVT DIE, AVT SOLI, AVT LVNÆ, &c.] vt illa D apud Enniū nutrix, inquit M. Tull. lib. 3. Tuſcul. quæſt. *Cupido cœpit miſeram nunc me proloqui Cælo, atq. terræ Medeaï miſerias.* quæ ſunt conuerſa ex Græca fabula Euripidis, apud quē ſic nutrix Medeæ Ὡσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ Λέξαι μολούσῃ δεῦρο μηδείας τύχας. Sic & apud Sophoclem Electra, luci, & cælo narrat ſuas miſerias, ibi. Ω φάος ἁγνὸν, καὶ γῆς Ισόμοιρος ἀὴρ, ὥς μοι πολλὰς μὲν θρήνων ᾠδὰς, Πολλὰς δ' ἀντήρεις ᾔσθου Στέρνων πλαγὰς αἱμασσομένων, &c. *die* autem, antiquus datiuus, pro *dici.* QVOS] Solem & Lunam, & ceteros. BIENNIVM IAM F. EST, POST QVÀM, &c.] biennium iam præteritū eſt, ſeu præteriit. poſtquam, &c. MVLIEREM] Paſicompſam. SED, EA VT SIM IMPLICITVS, DICAM, SI OPERA'ST A.] ſed quomodo eius amore captus ſim, dicam, ſi aures veſtræ vacuæ ſunt. hoc eſt, ſi operam mihi dare poſſunt. Errat autem Nonius, qui hunc verſum ſic legit, *Sed eam ſimplicitus dicam, ſi, &c.* &, *ſimplicitus*, interpretatur, ſimpliciter. ATQ. AD ADVERT. ANIMVM ADEST B.] &, ſi vobis eſt benignitas ad animaduertendum, ſeu ad animū attendendum. NEQ. HÆC PERN. MORE M. INST.] non cœpi hæc pernoſſe more maiorum, id eſt, indicibus auditis, ſeu per indices. PER ME EA PERCONTATVS SVM, &c.] per me, hoc eſt, ſolus, ea perquiſiui, & ſine vllo indice. Sic autem legit hunc locum Alciatus lib. 4. παρέργων. cap. 21. NIMIÀQVE ELEGANTIA] elegantia,



A gantia, non eſt vitioſa: ſed elegantia nimia, quali amantes, & amatores ſtudent: ea verò vitioſa, & vituperabilis eſt. Eſt autem elegātia nimia, cura nimia cultus, & veſtitus. Cicero in Clodium, & Curion. in Fragm. *Tu ſolus elegans, tu ſolus vrbanus: quem decet muliebris ornatus, quem inceſſus pſaltriæ: qui læuare vultum, mollire vocem potes.* Cato de Moribus. *Auaritiam omnia vitia habere putant. Sumtuoſus, cupidus, elegans, vitioſus.* SED QVEMQVEM ATTIGIT,] ſed quemcumque attigit. MAGNO, ATQVE SOLIDO MVLTAT INF.] ſic omnes quidem habent libri & vulgati, & manuſcripti, ſed iis inuitis, legendum cenſeo, *mactat infortunio.* Sic enim potiùs loqui ſolet Plautus. vt ſuprà, in Amphit. *Sacrifico ego tibi.* AMPH. *Qui?* MERC. *quia enim te macto infortunio.* & in Curcul. *Non ædepol nunc ego te mediocri macto infortunio.* & in Moſtell. *Orationis operam compendi face, Niſi te mala re magna mactari cupis.* SOLIDO,] id eſt, integro, pleno, perfecto. NEQVE POL PROF. QVISQVAM S. GR. M. PRÆQVÀM R. P. &c.] id eſt, neque profectò quiſquam plus quàm oportet, ſeu, plus quàm par eſt, elegantiæ ſtudioſus fuit, ſine grādi damno, ſeu, infortunio. præquàm res patitur, id eſt, præ eo, quod res patitur. Sic in Amphitr. *Satin' parua'ſt, res voluptatum in vita, Præquàm quod moleſtum'ſt?* INSOMNIA,] ἀϋπνία, vacuitas à ſomnio. Terent. Eunuch. *Nam aut iam reuertère, aut mox noctu horſum te adiget inſomnia.* Salluſt. bello Catilin. *dies, nocteiſque feſtinare, vigilare, neque inſomnia, neque labore fatigari.* Cicer. in Cat. Maiore. *caret vinolentia &*
B *cruditate, & inſomnia.* Cæcilius. *conſequitur comes inſomnia. ea porrò inſaniam adfert.* ET DISPEND.] & ſumtus. HOC IDEÒ FIT QVIA] ideò amorem, ſeu amanteis comitatur multiloquiū, quia, &c. QVÆ NIHIL ATTINGVNT AD R.] quæ nihil attinent ad rem. ADVERSO TEMPORE.] alieno tempore. QVÆ IN REM SINT SVAM, VT P. L.] vt quæ ſibi expediant, poſſit loqui. EODEM, QVO AMOREM, &c.] Venus mihi multiloquium legauit eodem die, quo amorem. Venus me eodem die fecit multiloquum, quo die amare iuſſit, ſeu voluit. Sic autem habent omnes libri & manuſcripti, & vulgati. Sed Ioſephus Scaliger vir ingenio, & doctrina præſtans, legendum hîc putat, Eodem, quo Amor, & Venus, me hoc legarunt die. à quo tamen diſſentio. VT CONATA ELOQVAR] vt eloquar ea, quæ conatus ſum. Omnino malim legi, vt coniicit Camerarius, vt inchoata eloquar. inchoata, autem, id eſt, quæ inchoaui. PRINCIPIÒ VT ANIMVS EPH. ÆT. EXIIT, &c.] principiò, poſtquàm animus ex ephebis exiit, ætate, hoc eſt propter ætatē, ſeu beneficio ætatis: ex ephebis exiit, ſeu exceſſit. hoc eſt, ex ordine epheborum. ephebi autem, ſunt, qui incipiunt primùm pubeſcere. Terent. in Andr. *Nam is poſtquàm exceſſit ex ephebis,* &c. Plaut. infrà eadem fabula. *Seſe extemplo, ex ephebis pòſtquàm exceſſerit, Non, vt ego, amori, neque deſidiæ in otio operam dediſſe,* &c. Sed legendùm forC taſſis eſt. *Principio vt animus ephebi ætate exiit.* RES EXSVLATVM AD ILLAM ABIB. &c.] res patris ad illam transferebatur, quaſi in exſulium pulſa. vel ſic, res patris ad illam fugiebat, quaſi profuga. tranſlatio eſt, ſic infrà eadem fabula, *Si opprimit pater quod dixit, exſulatum abiit ſalus.* LENO IMPORTVNVS,] aptum lenoni epithetū. importunus enim dicitur, qui alios conquieſcere non ſinit. vt importuna pauperies ab Horatio, oda 16. lib. 3. &, argenti ſitis importuna ab eodem epiſt. 1. ad Loll. li. 1. & importunus tyrannus à M. Tull. lib. 3. de Offic. & à Plauto noſtro, cuiuſdam vxor importuna, & incommoda, in Aſin. princ. OBIVRGARE PATER HÆC ME, &c.] pater me propter hæc obiurgabat nocteis, & dies. EXPROMERE] mihi expromebat, id eſt, exponebat, commemorabat, deſcribebat. LACERARI VALIDE S. R. ILL. A.] dicebat rem ſuam valde mimi illius, amplificari. INTERDVM MVSSAND. LOQ.] id eſt, interdum compreſſis labris loquebatur. ſuprà in Aulul. *Neque occultum id habere, neque per metum muſſari.* Sic autem, vt edidimus, legendum, neque multo ſecus impreſſum eſt in libris vulg. neque repugnant noſtri libri vet. Quòd autem Camerarius edidit, *interdum mihi ſe colloqui.* ferri non poteſt. Non diſſimulabo tamen nonnullos hîc legi velle, *interdum ſummiſſè loqui.* quod non improbarem, niſi nimis lōgè abeſſet ab antiqua ſcriptura. Iam quid ſit muſſare, & muſſitare, ali-
D bi dictum eſt. ABNVERE, NEGITARE, &c.] abnuebat, & crebrò negabat me eſſe filium ſuum. OMNES TENERENT MVTVANTI CR.] vt omnes abſtinerent mihi, pecuniam mutuam petenti, credere. Facilior, & vſitatior eſſet ſcriptura, ſi legeremus, *Omnes cauerent mutuanti cr.* ILLEXE IN DISP.] illexiſſe in ſumtum & damnum. INTEMPERANTEM, NON MOD.] pater me dicebat eſſe intemperantem, &c. TRAHERE, EXHAVRIRE, &c.] idem pater dicebat me domo trahere, & exhaurire, quod poſſem, & ad ſcorta transferre. RATIONEM PESSIMAM ESSE, &c.] iniquiſſimum eſſe ea optima, hoc eſt ea bòna, quæ ipſe perferens, hoc eſt, tolerās, omneis labores, inueniſſet, hoc eſt, paraſſet, peperiſſet, reperiſſet, amoris impulſu diſſipari, ac conſumi. Sic autem edidi, *Omneis labores inueniſſet perferens.* Ioſ. Scaliger. coniecturam ſecutus. nam neque vulgata lectio, *Omni quod modo, quoi iuuenis ipſe parſerit,* neque antiqua. *Omnis labores inueniſſet perſeris,* ſeu *perferis,* vnde Camerarius fecit, *perferos,* ferri poteſt. quamquam antiqua minùs eſt corrupta. CONVICIVM TOT ME ANNOS IAM SIC PASCERE.] ſit edidit Camerarius: Conuicium, tot me annos iam ſi paſceret. fortaſſe hac ſententia, ſibi turpe fore, ſeu ſe conuicio dignum fore. vel, Omneis ſibi conuicia facturos, ſi me tot annos ſic paſceret. Sed cum libri noſtri veteres habeant, *paſcere,* ſic edi malui, *Conuicium tot me annos iam ſic paſcere.* vt ſic hæc ſententia, ſe tot iam annos ſic paſcere me, per appoſitionem, conuicium ſuum: hoc eſt, turpitudinem ſuam, & dedecus ſuum. ἑαυτοῦ λώβην, ἢ ὑπώπιον. Verum, ne quid

diſſimulem,ſuſpecta eſt mihi hoc loco per ſe vox, *conuicium*, auget ſuſpicionem vetus vnus codex,in quo ſcriptum reperi,*commilcutum*:alter in quo litteris obſcuris,*commulcium*: vnde ſuſpicor hîc legendum.*Commulcium tot me annos ſic paſcere*.ea,quam dixi,ſententia.Nam *commulcium*,quamuis ſit vox non omnibus audita,aut cognita,ſignificat vibicem,ex ictu aliquo in facie, liuorem, *ὑπώπιον*, ex quo dedecus, & turpitudinem. Ducta autem vox eſt à mulcando,id eſt,verberando.Sic igitur hunc locum explico,vt nihil relinquam difficultatis,aut obſcuritatis. Dicebat pater meus ſe alere me tot iam annos, *κατὰ σύνθεσιν*, ſeu per appoſitionem, commulcium ſuum, id eſt,probrum,& dedecus ſuum. Liuorem,vibicem *ὑπώπιον αὐτοῦ*.Sic apud Homerū *ἰλιάδ.γ.* Hector in Paridem. *Αἴθ᾽ ὄφελες γ᾽ ἄγονός τ᾽ ἔμμεναι, ἄγαμός τ᾽ ἀπολέσθαι. καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν, Ἢ οὕτω λώβην τ᾽ ἔμμεναι, καὶ ὑπόψιον ἄλλων.* Id eſt, vtinam aut numquam natus eſſes,aut antequàm vxorem duceres,mortuus eſſes. & ſanè velim ita factū,& multo meliùs eſſet,quàm te ita eſſe dedecus,& turpitudinem,ſeu probrum aliorum. QVÒD NISI PVDERET, NE LVBERET V.]monebat me pater, vt, ſi me anteactæ vitæ, & præteritorum flagitiorum non puderet,deſinerem velle viuere. SESE EXTEMPLO, EX EPHEB. POSTQ. &c.]dicebat pater,ſe ſimulatq. ex epheborum ordine exceſſerit,amori operam non dediſſe,vt ego facerem, &c. ſic Menedem.apud Terentium in Heautont. *Ego iſtuc ætatis non amori operam dabam:Sed in Aſiam hinc abij propter pauperiem*, &c. EXERCITVM.]fatigatum. QVINTO QVÔQVE ANNO] quinto quôque anno promebatur, & oſtendebatur peplus Mineruæ. ATQ. EXTEMPLO INDE VT SPECT. PEPL.&c.]Atque inde, hoc eſt, ex vrbe, ſtatim vt peplum Mineruæ ſpectauiſſet, ſolitum eſſe à patre rurſum rus amādari,ſeu eiici. Hunc peplum cōmemorant multi ſcriptores:in his Plato,Diodorus Siculus,Ariſtides Smyrn.Harpocratio, Suidas,Euſtathius, Seruius,alij.Sic Plato in Euthyphr. *Καὶ πόλεμον ἄρα ἡγῇ σὺ εἶναι τῷ ὄντι ἐν τοῖς θεοῖς πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἔχθρας δεινὰς καὶ μάχας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλά, οἷα λέγεται ὑπὸ τῶν ποιητῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων, τά τε ἄλλα ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. ταῦτα ἀληθῆ φῶμεν εἶναι, ὦ Εὐθύφρον*, id eſt, Et bellum igitur re vera putas eſſe diis inter ſe,& inimicitias graueis, & pugnas, & alia multa talia, qualia dicuntur à poëtis, & à bonis pictoribus pinguntur? à quib. cùm alia ſacra nobis hoc genere picturæ variè diſtincta ſunt,tum verò magnis panathenæis peplus talium varietatum, & picturarum plenus in arcem deportatur.Dicemúſne hæc eſſe vera,Euthyphron.Diodorus Siculus li.20. quo loco narrat quot & quantos honores Antigono,& Demetrio eius filio decreuerint. *πρὸς δὲ ταῖς δέκα φυλαῖς, προσθεῖναι δύο, Δημητριάδα, καὶ Ἀντιγονίδα: καὶ συντελεῖν αὐτοῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀγῶνας, καὶ πομπήν, καὶ θυσίαν, ἐνυφαινόντων αὐτοὺς εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλον κατ᾽ ἐνιαυτόν*.id eſt,Athenienſes autem decreuerunt,vt decem tribubus duæ adderentur,Antigonis,& Demetrias, & vt quotannis dies feſtos agitarent,& certamina, pompam,ſacrificium inſtituerent, eos intexentes quotannis in Mineruæ peplo.Ariſtides *λόγῳ Παναθηναϊκῷ*, in extrem. *εἴργασται καὶ ἡμῖν ὁ λόγος ἀντὶ τοῦ πέπλου κόσμου Παναθηναίων τῇ θεωρίᾳ*.id eſt,Cōfecta nobis eſt & oratio pro pepli ornamento,quinquatruum die feſto,& pompa omniū oculis viſenda.Harpocratio, *περὶ τοῦ πέπλου τοῦ ἀναγομένου τῇ Ἀθηνᾷ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις οὐ μόνον παρὰ τοῖς ῥήτορσιν ἐστὶ μνήμη, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς*.id eſt.pepli,qui ſurſum ducitur Mineruæ magnis quinquatribus non ſolùm apud oratores fit mentio, verùm etiam apud Comicos. Suidas. *ἐνεγέγραπτο ἐν πέπλῳ ὁ Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ. ἦν δὲ τῶν γιγάντων εἷς. ἢ ὅτι νικήσαντες οἱ Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποιήσαντο τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ἐνέγραψαν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ. πέπλος δὲ γυναικεῖον ἔνδυμα.* id eſt, pictus autem erat in peplo Enceladus,quem interemit Minerua:erat autem gigantum vnus:aut quòd victoriam adepti Athenienſes,pinxerunt in eo viros fortiſſimos. Peplus autem, eſt muliebris amictus.Euſtathius in librum *ἰλ.ω. τοιοῦτος γοῦν πέπλος δοκεῖ καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ τῷ Τηλεμάχῳ παρὰ τῆς Ἑλένης δεδόσθαι, καὶ τῇ Τρωϊκῇ Ἀθηνᾷ ἐν γούνασι τεθῆναι*. id eſt,talis igitur peplus videtur & in Odyſſea Telemacho ab Helena datus eſſe, & Troianæ Mineruæ in genibus poſitus eſſe.Seruius ad illud Virg.lib.1. Æn.*peplúmq. ferebant Suppliciter triſtes*,&c.notat,peplū,ſeu peplus, propriè eſt palla fæminea picta, Mineruæ cōſecrata,vt Plautus, *Numquam ad vrbem venio,niſi cùm infertur peplum*, &c. Quæ Seruij verba ſine dubio, vt & Camerarius exiſtimat, ad hunc locum referenda ſunt,quamuis Seruius Plauti verba non expreſſerit, ſed ſententiam duntaxat. IBI MVLTO PRIMVM FAMILIARIVM]longè ante omneis familiareis. TIBI ARAS, TIBI OCCAS,&c.]quidquid aras,tibi aras:& quidquid occas,tibi occas,&c.Occare,eſt glæbas frangere,& quaſi occæcare, vt vult M.Tull. de hoc verbo plura ſuprà in Capt. ibi, *Non occatorem dicere audebas prius?* LABOS] labos, antiquè,pro labor : vt colos, odos, vapos, & ſimil. POSTQVÀM RECESSET PATRIO CORP.] Addebat pater meus, quæ ſequuntur, poſtquàm ſuus pater è vita exceſſiſſet,ſe agrum vendidiſſe,&c. Sic autem legēdum,non vt vulgò, *Poſtquàm receſſit*, &c. *receſſet*,autem,poſitū pro,*receſſiſſet*. METRETAS QVÆ TRECENTAS TOLLERET,]quæ nauis gereret metretas trecentas. metreta porrò,ſextarios centum continebat. ATQVE EAPSE MERCEIS VECTATVM VNDIQ.]atque eaipſa naui ſe merceis vndique vectauiſſe.Sic autem hunc locum emēdauit Ioſ. Scaliger, cùm libri vulgati habeant partim, *atque ea ſeſe cis vectatum vndique*. partim, *atque ea ſeſe vectatum cis vndique*, planè mendoſè. Iam *vectatum*, hîc eſt deponens, & ſubintelligendum eſt,*eſſe* : vectatum eſſe, autem

poſitum,



poſitum, pro, *vectauiſſe*. ADEÒ DVM QVÆSTVM HABERET, PEPERISSET B.] vſque eò dum quæſtum feciſſet,& bona paraſſet. malim legi, *Adeò dum quæſtum faceret, peperiſſet bona*. Dicunt enim Latini,quæſtum facere,non,quæſtū habere:non eſt opus exemplis.Præterea fortaſſe, *reperiſſet bona*,à Plauto ſcriptum eſt.Sic enim Terent.Heautont. *Simul rem, & gloriam armis belli repperi*. Verùm tamen in hoc poſteriore nihil mutare velim.nam vtrumque vſitatum eſt bonis ſcriptoribus.Dicunt enim,bona labore parta:& res labore parta:& bona honeſtè parta: & malè parta,&c. Non diſſimulabo tamen,quòd ad illud priùs attinet, quoſdam, ſic accipere, *quæſtum haberet*,vt,quæſtum,ſit participium,pro,quæſitum. SI, VT DECERET ME, F.] ſi talis eſſem, qualem me deceret eſſe. ATQVE ESSE ODIO ME QVOI PLACERE, &c.] atque vbi intelligo, me ei odio eſſe,cui me placere,& carum eſſe,æquum fuit. AMENS, AMÁNSQ. VTVT ANIM. OFF. M.] tum ego amens, & amans, (ſemper enim amentia cum amore coniuncta eſt) quomodocumque poſſum, animum meum vinco, atque offirmo, aduerſus amorem ſcilicet. Eſt autem difficile amanti, eidémque amenti, animum vincere, & mutata ſententia,atque amoris iugo reiecto,atque excuſſo,rationi,& patri obtemperare.MEA PROMISSA]qui promiſeram patri me amorem miſſum facere, & mercatum ire velle, dummodò ei obſequerer, vel vſque eò dum ei obſequerer.ÆDIFICAT]ædificandam curat. NAVIM CERCVRVM] cercurus,vt docet Nonius,eſt nauis Aſiana pergrandis. Plautus Sticho. *Dum percontor portitores ecquæ nauis venerit ex Aſia,negant veniſſe:conſpicatus ſum interim cercurum: quo ego me maiorem non vidiſſe cenſeo*. Profert & hunc verſum Nonius. IMPONIT.] imponit merceis in nauim. CVSTOS] Horat.epiſt.ad Piſon. *Imberbis iuuenis tandem cuſtode relicto*,&c. Idem Satyr.6. lib.1. *Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omneis Circum doctores aderat*. NAVIM SOLVIMVS]è portu *ἀπαίρομεν*, ſuprà in Milite. *Omneis moratur. nauim cupimus ſoluere*. Ibidem ſuprà. *Niſi eat,te ſoluturum eſſe nauim: ventum operam dare*.EX SENTENTIA]ſuprà in Mil.glor. *Voluptas eſt,quod agas, ſi id procedit lepidè ex ſententia*.LVCRVM INGENS FACIO, PRÆTERQVAM,&c.]lucrum ingens facio,ſupra æſtimationē earum mercium,quas pater in nauem impoſuerat. DECVMBO,]legendum fortaſſis eſt,*recumbo*. nam decumbere,dicuntur propriè,ægri: quamquam etiam Terentius quodam ſic,vt hîc Plautus, vſurpauit. ATQVE AMPLITER,] & prolixè. DISCVBITVM NOCTV VT IMVS,]cùm diuerſi in ſuum quiſque cubiculum, & cubile cubitum imus,vt dormiamus. DICO EIVS PRO MERITIS GRATVM, ET MEMOREM F.] ſic hunc verſum emendaui in omnibus libris vulgatis deprauatum:in quibus ſic legitur, *Dico eius pro mer.gr.& munem fore*. Ita autem hæc emendatio certa eſt,vt, ſi ſola ratione, aut coniectura probabili niteretur,vt maximè nititur,tamen ſatis eſſe deberet. nunc autem cùm accedat noſtrorum codicum manuſc.auctoritas,nullus iam relinquitur dubitationi locus. Quòd autem nonnulli lectionem vulgatam tuentur,& *munem*,ex Feſto,interpretātur officioſum: non probo. Nam quamuis non contemnam Feſti auctoritatem, neque negem, vocem, *munem*, eſſe Latinam:tamen non continuò mihi fatendum eſt,hîc legendum,*munem*. Quę enim erit ſententia,ſi ita legamus,Dico,eius pro meritis,gratum me, & officioſum, ſeu munem fore? Nam qui beneficium ab aliquo prior accepit, is cum gratus eſt, non dicitur officioſus, ſed is potius, qui beneficium contulit prior. Quare nullo modo mihi hæc lectio probari poteſt : cùm præſertim duo codices manuſcripti, Clericanus,& Pithæanus,ita planè,vt edidi,habeant,*memorem*. ſubintelligendum autem eſt,*me*,hoc modo,me gratum & memorem fore. TIMEO, QVID SIET?] amor,ſollicita res eſt.

## ACANTHIO. CHARINVS.

EX ſummis opibus,viribúſque vſque experire,nítere,
Herus vt minor opera tua ſeruetur:agedum Acanthio
Abige abs te laſſitudinem,caue pigritiæ præuerteris.
Simul emicato ſuſpiritus. vix ſuffero hercle anhelitum.
Simul autem pleniſſimè eos,qui aduerſum eunt,aſpellito,
Detrude,deturba in viam. hæc hîc diſciplina peſſima eſt,
Currenti,properanti.haud quiſquam dignum habet decedere,
Ita tres ſimitu res agendæ ſunt,cùm vnam occœperis:
Et currendum & pugnandum,& ante iurgandum eſt in via.
CH. Quid illud eſt,quòd ille tam expeditè exquirit curſuram ſibi?
Cura eſt,negotij quid ſit,aut quid nuntiet. AC. nugas ago.
Quàm reſiſto,tam maximè res in periclo vortitur.

CH. Mali neſcio quid nuntiat. AC. genua hunc curſorem deſerunt, A
Perij,ſeditionem facit lien,occupat præcordia.
Perij:animam nequeo vertere,nimis nihili tibicen ſiem.
CH. At tu ædepol ſume laciniam,atque abſterge ſudorem tibi.
AC. Numquam ædepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximent.
Domin',an foris dicam eſſe herum Charinum? CH. ego animi pendeo,
Quid illud ſit negotij,lubet ſcire,ex hoc metu vt ſim certior.
AC. At etiam adſto? at etiam ceſſo foribus facere hiſce aſſulas?
Aperite aliquis,vbi Charinum ſeruos? domin' eſt,an foris?
Num quiſquam adire ad oſtium dignum arbitratur? CH. ecce me B
Acanthio,quem quæris. AC. nuſquam eſt diſciplina ignauior.
CH. Quæ te res malè agitant? AC. multæ here te atque me. CH. quid eſt negotij?
AC. Periimus. CH. principium inimicis dato. AC. at tibi ſortito id obtigit.
CH. Loquere id negotij quicquid eſt. AC. placidè volo acquieſcere.
Tua cauſſa rupi ramices,iamdudum ſputo ſanguinem,
CH. Reſinam ex melle Ægyptiam vorato,ſaluom feceris.
AC. At tu ædepol calidam picem bibito,ægritudo abſceſſerit. C
CH. Hominem ego iracundiorem,quàm te,noui neminem.
AC. At ego maledicentiorem,quàm te,noui neminem.
CH. Sin ſaluti quod tibi eſſe cenſeo,id conſuadeo.
AC. Apage iſtiuſmodi ſalutem,cum cruciatu quæ aduenit.
CH. Dic mihi an boni quid vſquam eſt,quod quiſquam vti poſſiet
Sine malo omni,aut ne laborem capias,cùm illo vti voles?
AC. Neſcio ego iſtæc,philoſophari numquam didici,neque ſcio.
Ego bonum,malum quò accedit,mihi dari haud deſidero.
CH. Cedò tuam mihi dexteram agedum Acanthio. AC. en dabitur,tene.
CH. Vin' tu te mihi eſſe obſequentem, ánne vis? AC. opera licet D
Experiri,qui me rupi cauſſa currendo tua,
Vt,quæ ſcirem,ſcire actutum tibi liceret. CH. liberum
Tibi caput faciam,paucis poſt menſeis. AC. palpo percutis.
CH. Egon' auſim tibi vſquam quicquam facinus falſum proloqui?
Quin iam priuſquam ſim elocutus,ſcis,ſi mentiri volo. AC. ah,
Laſſitudinem hercle verba tua mihi addunt,enicas.
CH. Siccine mihi obſequens es? AC. quid vis faciam? CH. tun'?id quod volo.
AC. Quid eſt igitur,quod vis? CH. dicam. AC. dice. CH. at enim placidè volo.





A AC. Dormienteis ſpectatores,metuis ne è ſomno excites.
CH. Væ tibi. AC. tibi equidem à portu apporto hoc. CH. quid fers? dic mihi.
AC. Vim,metum,cruciatum,curam,iurgiúmque atque inopiam.
CH. Perij,tu quidem theſaurum huc mi apportauiſti mali.
Nullus ſum. AC. immò es. CH. ſcio. iam miſerum dices. AC. tu dixti. CH. ergo taces?
Quid iſtuc eſt mali? AC. ne rogites,maximum infortunium eſt.
CH. Obſecro, diſſolue iam me,nimis diu animi pendeo.
AC. Placidè,multa exquirere etiam prius volo,quàm vapulem.
CH. Hercle verò vapulabis,niſi iam loquere,aut hinc abis.
B AC. Hoc ſis vide,vt palpatur. nullus eſt,quum occœpit,blandior.
CH. Obſecro hercle,oróque,vt iſtuc quid ſit,actutum indices,
Quandoquidem mihi ſupplicandum ſeruulo video meo.
AC. Tandem indignus videor. CH. immò dignus. AC. equidem credidi.
CH. Obſecro,num nauis periit? AC. ſalua eſt nauis,ne time.
CH. Quid? alia armamenta? AC. ſalua & ſana ſunt. CH. quin tu expedis
Quid ſiet,quòd me per vrbem currens quærebas modò?
AC. Tu quidem ex ore orationem mihi eripis. CH. taceo. AC. tace.
C Credo ſi boni quid ad te nuntiem,inſtes acriter,
Qui nunc,cùm malum audiundum'ſt,flagitas me vt eloquar.
CH. Obſecro hercle te,iſtuc vti tu mihi malum facias palàm.
AC. Eloquar,quandoquidem me oras. tuus pater. CH. quid meus pater?
AC. Tuam amicam. CH. quid eam? AC. vidit. CH. vidit? væ miſero mihi?
Hoc quidem te interrogo, reſponde. AC. quin tu, ſi quid vis, roga.
CH. Quî potuit eam videre? AC. oculis. CH. quo pacto? AC. hiantibus
D
CH. I hinc hodie dierectus,nugare in re capitali mea.
AC. Qui,malum,ego nugor? ſi tibi quod me rogas,reſpondeo.
CH. Certen' vidit? AC. tam herclè certè,quàm ego te ac tu me vides.
CH. Vbi eam vidit? AC. intus intra nauim,vti propè adſtitit.
Et cum ea confabulatus eſt. CH. perdidiſti me pater.
Ehò tu,ehò tu,quin cauiſti ne eam videret,verbero?
Quin ſceleſte abſtrudebas,ne conſpiceret eam pater?
AC. Quia negotioſi eramus nos noſtris negotiis,
Armamentis complicandis,componendis ſtuduimus.
Dum hæc aguntur,lembo aduehitur tuus pater pauxillulo;
Neque quiſquam hominem conſpicatu'ſt,donec naui ſuper.

CH. Nequicquam mare ſubterfugi ſæuis tempeſtatibus. A
Equidem iam me cenſebam eſſe in terra,atque in tuto loco,
Verùm video med ad ſaxa ferri ſæuis fluctibus.
Loquere porrò quid ſit actum. AC. poſtquam aſpexit mulierem,
Rogitare occœpit cuius eſſet. CH. quis reſpondit? AC. illico
Occucurri,atque interpello,matri te ancillam tuæ
Emiſſe illam CH. viſu'ſt tibi credere id? AC. etiam rogas?
Sed ſceleſtus ſubagitare occœpit. CH. illámne obſecro?
AC. Mirum quin me ſubagitaret. CH. ædepol cor miſerum meum.
B
Quod guttatim contabeſcit,quaſi in aquam indideris ſalem.
Perij. AC. hem iſtuc vnum verbum dixiſti veriſſimum:
Stultitia iſtæc eſt. CH. quid faciam? cedò,non credet pater
Si illam matri meæ emiſſe dicam. pòſt autem mihi
Scelus videtur,me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet,neque credibile eſt forma eximia mulierem
Eam me emiſſe ancillam matri. AC. non taces ſtultiſſime?
Credet hercle. nam credebat iam mihi. CH. metuo miſer,
Ne patrem prehendat vt ſit geſta res,ſuſpitio.
Hoc quod te rogo,reſponde mihi. AC. quæſo quid rogas?
CH. Num eſſe amicam ſuſpicari viſus eſt? AC. non viſus eſt. C
Quin, quicque vt dicebam,mihi credebat. CH. verùm, vt tibi quidem
Viſus eſt. AC. non, ſed credebat. CH. væ mihi miſero, nullus ſum.
Sed quid ego hîc in lamentando pereo? ad nauim non eo?
Sequere. AC. ſi iſtac ibis,commodùm obuiam venies patri,
Poſteaquam aſpiciet te timidum eſſe atque exanimatum,illico
Retinebit. rogitabit,vnde illam emeris,quanti emeris,
Timidum tentabit te. CH. hàc ibo potius. iam cenſes patrem
D
Abiiſſe à portu? AC. quin ea ego huc præcucurri gratia,
Ne te opprimeret imprùdentem, atque eluctaret. CH. optime.

EX SVMMIS OPIBVS, VIRIBÚSQ. &c.]ſumma celeritas,& contentio deſcribitur. HERVS VT MINOR, &c.] herus minor,id eſt,herilis filius. CAVE PIGRITIÆ PRÆVERTERIS]id eſt,caue te ad pigritiam priùs verteris:caue te priùs ad pigritiam contuleris. SIMVL EMICATO SVSPIRATVS]ſimul facito,vt ſpiritus ſurſum ductus,& altè petitus,emicet.facito,ſpiritus ex imo pectore ductus appareat,atq; emineat. PLENISSIMÈ] aliàs,planiſſimè, al. pæniſſimè. QVI ADVERSVM EVNT,] qui è regione eunt, qui contrà veniunt.qui occurrunt,&c. DIGNVM HABET]dignatur. DECEDERE]de via,ſubintellige ἐξιςάναι. SIMITV]ſimul,profert Nonius hunc locum. CÙM VNAM OCCOEPERIS]cùm currere tantùm incœperis. ET PVGNANDVM]ſic Horat.Satyr.6.lib.2.*Luctandum in turba,facienda iniuria tardis.* CVRSVRAM]curſum. CVRA EST, N. QVID SIT,&c.] cura eſt mihi ſciendi,ſubintell.vel curæ eſt mihi ſcire, quid ſit negotij, aut quem nuntium afferat.



A rat. QVÀM RESISTO, TAM MAXIM. &c.] quàm maximè moror,tam maximè res in periculo verſatur.quanto magis moror,& reſtito, tam magis res in periculo verſatur. GENVA HVNC CVRSOREM DESERVNT,] genua me deſerunt,genuum vis,ſeu virtus mihi deeſt, ſeu me deſtituit. SEDITIONEM FACIT LIEN] lien mihi currenti moleſtus eſt, & in præcordiis mouetur huc & illuc, lien intumeſcit, & mihi præcordia occupat.tractus eſt ſermo à ciuitate,quæ ſeditione conflictatur.ſic ferè ſuprà in Caſina. *Perij.cor lienoſum,opinor,habeo.iamdudum ſalit,De labore pectus tundit.* ANIMAM NEQVEO VORTERE] ſpiritum non poſſum ducere, animam non poſſum voluere,ſeu agitare. animam non poſſum recipere. NIMIS NIHILI TIBICEN SIEM]quia ægrè animam recipio, & ſpiritum recipio,inutilis tibicen ſim.tibicines enim ad inflandas tibias inepti ſunt,niſi ſpiritu abundēt, aut ſi ſuſpicioſi ſint. tibicinib. opus eſt ſpiritu largo,& amplo. SVME LACINIAM]ſume imam veſtis partem,ſeu oram,ſeu partem plicatam.ſuprà in Aſin.*Lacrymantē lacinia tenet lacrymans.* EGO ANIMI PENDEO]ſic infrà eadem ſcena. *nimis diu animi pendeo.* AT ETIAM CESSO F. HISCE FACERE ASSVLAS?] id eſt, at etiam ceſſo has foreis pulſando aſſulatim effringere,& comminuere?in Capt.*aperite haſce ambas foreis Priùs quàm pultando aſſulatim foribus exitium affero.* Idem in Moſtell.*Pultando pedib.pæne confregi aſſulas.*aſſulæ,parui aſſeres:ex quibus fores con-
B ſtant:ſeu potiùs in quos fores effractæ comminuuntur. vnde aſſulatim. VBI CHARINVM SERVOS?] vbínam ego ſeruus Charinum reperiam? NVSQVAM EST DISCIPLINA IGNAV.]ſubintell.quàm domi noſtræ:vbi nemo eſt, qui pulſanti reſpondeat, aut foreis aperire dignum arbitretur.Nuſquam familiares peius ſunt inſtituti:qui pulſanti neque reſpondent, neque foreis aperiunt. QVÆ TE RES MALÈ AGITANT?]aliàs,Quæ te res malæ agitant?hoc eſt,quæ te intemperiæ agitant? PRINCIPIVM INIMICIS DATO]principium tuæ orationis,læuum,& malum eſt.quare inimicis dato:non mihi,hero tuo.mala inimicis precamur.Terent.Heaut. *Conſitere tuum non eſſe.* SOST. *ah,obſecro te:iſtuc inimicis noſtris ſiet.* Plautus in Aſin. *Hem,adſpecta:rideo.* DEM. *vtinam malè qui mihi volunt,ſic rideant.* Horat.oda 27.lib.3.*Hoſtium vxores,puerique cæcos Sentiant motus orientis hædi.* ad quem locum hac de re plura in Comment.Horatianis. TVA CAVSA RVPI RAMICES:] nimio curſu.dum te quæro, rupi inteſtina, ſeu herniam. In Pœnulo. *Tua cauſa nemo noſtrûm eſt ſuos rupturus ramices.* Profert & hunc locum, & illum alterum Nonius.Profert & hunc ex Varr. περὶ ἀρετῆς. *Prius quàm in orcheſtra pithaules inſlet tibias,domi ſuæ ramices rumpit.*& hunc ex Lucil. Sat.lib.9. *Quòd deformi ſenex, arthriticus, & podagroſus, Quòd mancus, miſer, exilis, cum ramice magno.* IAMDVDVM SPVTO SANG.] ex immo-
C derato curſu iamdudum ſputo ſanguinem,ruptis ſcilicet inteſtinis. Apud Nonium impreſſum, & ſcriptum eſt,*atrum dum ſputo ſanguinem,*mendoſè,opinor. RESINAM EX MELLE ÆGYPT. VOR. SALVOM F.] Ex reſponſione ſerui appâret, reſinam Ægyptiam ne cum melle quidem ſumtam, prodeſſe ruptis, aut tabidis: cùm Dioſcorides tamen lib. 1. cap. 93. ſcribat, omnem reſinam vim habere molliendi, calfaciendi, diffundendi, expurgandi, tuſſi, & tabi conuenire tum per ſe, tum ex melle, vitia pectoris expurgantem: & item Plinius lib. 24. cap.6.eadem ferè de reſina tradat. vel dicendum prodeſſe quidem, ſed cum dolore, & cruciatu, vt infrà dicitur. Sed hæc viderint medici, aut quibus de his quærere curæ eſt. Nos alia in re ſumus occupati. Quod autem ad loquendi genus attinet, *reſinam ex melle,* &c. idem valet, reſinam ex melle vorato: quod reſinam cum melle vorato: quod declarant Dioſcoridis verba cùm aliis in locis innumerabilibus, tum in eo, quem modò commemoraui. nam quod Latinè reddidimus, *ex melle*, ille habet Græcè μετὰ μέλιτος, id eſt, ad verbum, cum melle. Sic Varro lib.3.de re ruſt. *Pullis primùm biduo polenta,aut ordeum apponitur: tribus proximis naſturtium viride,conſectum minutatim ex aqua in vas aliquod.* Sic & Hom.ὀδυσ.19. Χῆνές μοι κατὰ οἶκον ἐείκοσι, πυρὸν ἔδουσιν Ἐξ ὕδατος, καί τέ σφιν ἰαίνομαι εἰσορόωσα. id eſt anſeres mihi viginti, domi triticū
D ex aqua comedunt.& iis delector,cùm adſpicio. triticum ex aqua, id eſt, triticum aqua madefactum,ac maceratum:ſeu triticum cum aqua. SALVOM FECERIS.]ſeruaueris. AT TV ÆDEPOL CALIDAM PICEM BIBITO,&c.]ſeruus ſtomachoſus par pari refert hero, cùm medicamentum ægritudinis ei tale præſcribit.nam potio picis calidæ, quin peſtifera ſit. vel ipſa,per ſe,vel propterea quòd guttur amburat,non eſt dubium. DIC MIHI, AN BONI QVID VSQVAM EST,&c]nihil eſt boni,quo quidem quiſquam vti poſſit, quod non habeat aliquid mali admiſtum,aut quo frui poſſimus,niſi priùs laborem capiamus. nihil eſt ab omni parte beatum,inquit ille.Si mel habere velis,apes tibi habendæ ſunt.& dij bona laborib. vendunt. Heſiodus. Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα, &c. PHILOSOPHARI NVMQVAM D.] infrà in Pſeud. *Nam in foro vix decimus quiſque eſt,qui ipſus ſeſe nouerit.* PS. *Saluos ſum. iam philoſophatur.* ſic M.Tull.Philipp.13.*ſed iam ſe colligit,& ad extremum incipit philoſophari.* Idem lib.1.Tuſculan. *Quamquam quid opus eſt in hoc philoſophari. cùm rem non magnopere egere philoſophia videamus?* EGO BONVM, MALVM QVÒ ACCED. &c.] ego nihil moror bonum, ad quod malum accedit. ego bonum mihi dari velim, liquidum, merum, ac ſincerum, & ab omni malo vacuum. VIN' TV TE MIHI ESSE OBS. ÁNNE V.] víſne tu mihi eſſe obſequens, an non vis? QVI ME RVPI,&c.]qui me rupi currendo, cauſa tua. Rumpuntur homines nimio clamore,& immoderato curſu.ſuprà in prolog.Capt.*Ego me tua cauſa,ne erres,nō rupturus ſum.*

LIBERVM TIBI CAPVT FACIAM PAVCIS PÒST M.] te manumittam paucis pòſt menſibus. PALPO PERCVTIS.] me molli manu demulces, tu me blandimentis captas,& delinis. Profert hunc locum Nonius. ſic ſuprà in Amphit. *Facítne vt dixi? timidam palpo percutit.* FACINVS FALSVM] rem falſam, factum falſum. TVN'? ID QVOD VOLO] túne quid facias? vel ſic, túne quid facias, me rogas? fac, quod te volo. PLACIDÈ] leniter, ſummiſſa voce. DORMIENTEIS SPECTATORES,&c.] hoc eò pertinet, quod Charinus dixerat ſe placidè velle dicere, quod dicturus erat. APPORTO HOC.] apporto væ, id eſt, apporto malum,& infortunium. THESAVRVM HVC MIHI APP. M.] aceruum mali mihi attuliſti. Theſaurus mali, prouerbium olet. IMMÒ ES] ſubintellig. *miſer*, vt rectè auguratur Charinus. DISSOLVE IAM ME] ſolue iam me, vt vinctum, diſtrictum, ac ſuſpenſum tua ancipiti oratione. NIMIS DIV ANIMI PENDEO] ſic ſuprà eadẽ ſcena, *ego animi pendeo.* HOC SIS VIDE VT PALPATVR] ironia eſt. vide ſis, vide ſi vis, quomodo blandiatur: proinde quaſi dicat, minimè palpatur: miniméq. blanditur: ſed iracundè loquitur, & mihi malum minatur. NVLLVS EST, CVM OCCOEPIT, BLAND.] nullus eſt Charino blãdior, cùm cœpit blandè loqui: vel ſi quando blandè loqui cœpit. QVANDOQVIDEM MIHI SVPP. SERVOLO M. VID.] quoniam quidem video me neceſſe habere, ſeruulo meo ſupplicare. TANDEM INDIGNVS VIDEOR] tandem indignum me eſſe exiſtimas, cui ſupplices. Licet legere & cum interrogatione. CREDIDI] me dignum eſſe, cui ſupplices. al. equidem credidi, me tibi indignum videri, cui ſupplices. SALVA, ET SARTA SVNT] ſalua & integra ſunt. ſic autem legendum non vulgò, ſalua & ſana ſunt. QVIN TV EXPEDIS, QVID SIET,&c.] quamobrem non mihi properas exponere, quid ſit, propter quod me per vrbem currens, paullò antè quærebas? CREDO, SI BONI QVID AD TE NVNTIEM, INSTES ACR.] argumentum à minore. ſi nunc, cùm tibi triſtẽ nuntium affero, tantopere mihi inſtas, vt quidquid ſit, eloquar: quanto acrius me vrgeres, ſi quid boni tibi nuntiatum venirem? FACIAS PALÀM] declares. QVÎ POTVIT EAM VIDERE?] ſic in Mil. glor. *quî libitum eſt illi condormiſcere?* LVCR. *oculis*. iocus eſt ex ambiguo. QVO PACTO? AC HIANTIBVS] pergit iocari. nam ſic reſpondet, quaſi Charinus quæſierit, quomodo affectis, aut compoſitis oculis pater amicã eius viderit: cùm quęſierit, quo pacto fieri potuerit, aut quo pacto acciderit, vt illam viderit. HIANTIBVS] hiantibus oculis eam vidit, id eſt, apertis, non clauſis, aut conniuentib. tralatio eſt ab ore hiante. DIERECTVS] ſub dio erectus. in crucem actus. De hoc millies iam dictum eſt. NVGARE IN RE CAPIT. M.] tu nugaris in ea re, in qua caput meum agitur. VTI PROPÈ ADSTITIT] cùm propè adſtitit, propè adſtans. QVIA NEGOTIOSI ERAMVS NOS N. N.] negotioſi negotiis, videtur eſſe pleonaſmus, ſed non eſt. nam negotioſi, generale nomen eſt. additũ eſt, negotiis noſtris, diſtinctionis cauſa, vt ſit hæc ſententia, occupati eramus in negotiis, non quibuſlibet, ſed noſtris. DVM HÆC AGVNTVR LEMBO ADVEH. T. P. P.] profert hunc locum Nonius in voce *lembus*, quam docet ſignificare nauiculam breuem piſcatoriam. CONSPICATV'ST, DONEC IN NAVI S.] donec in naui, donec ſuper nauim. Sed legendum videtur, non vt vulgò, *conſpicatus eſt donec in naui ſuper.* Quæ lectio, præterquàm quod inepta eſt propter duas præpoſitiones idem ſignificãteis, ſed etiã propterea quòd verſum corrumpit, niſi legatur *conſpicatu'ſt.* MED AD SAXA F.] me ad ſcopulos ferri. OCCVCVRRI] occucurri, ne quis diceret te tibi emiſſe. SVBAGITARE] manu per incontinentiam,& laſciuiam attrectare. MIRVM QVIN ME S.] mirum, quòd non me ſubagitaret. quaſi dicat, quem alium, aut quam aliam ſubagitaret, quàm illam? SCELVS VIDETVR] impium videtur. NE PATREM PREHENDAT] ne pater ſuſpicetur. CENSES] putas. ATQ. ELVCTARET] quaſi luctando ſuperaret, percelleret, ac proſterneret. *elucto* autem, pro *eluctor*, dixiſſe veteres teſtatur Nonius. Iam verò *eiectaret*, quod eſt in libris vulgatis,& *electaret*, quod habet editio Germanica, ferri non poſſunt.

A

B

C

D

## DEMIPHO ſenex.

Miris modis dij ludos faciunt hominibus,
Miríſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.
Velut ego nocte hac quæ præteriit proxima
Inſomnis egi ſatis,& fui homo exercitus.
Mercari viſus mihi ſum formoſam capram,
Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,
Neu diſcordarent, ſi ambo in vno eſſent loco.
Poſterius quàm mercatus fueram, viſus ſum

In



A In cuſtodiam eam Simiæ concredere.
Ea Simia ædeò pòſt haud multo ad me venit,
Malè mi precatur,& facit conuicium:
Ait ſe illius opera atque aduentu capræ,
Flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter.
Dicit capram quam dederam ſeruandam ſibi,
Suæ vxoris dotem ambadediſſe. oppidò
Mihi illud videri mirum, vt vna illæc capra
Vxoris Simiæ dotem ambadederit.
Inſtare factum Simia: atque hoc denique
Reſpondet, ni properem illam ab ſeſe abducere,
B Ad me intrò domum ad vxorem ducturum meam.
Aſt non habere cui commendarem capram
Atque oppido hercle bene velle illi viſus ſum,
Quo magis quid facerem cura cruciabar miſer.
Interea ad me hœdus viſu'ſt aggredirier.
Infit mihi prædicare, ſeſe ab Simia
Capram abduxiſſe,& cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere ſomnium.
Nequeo inuenire, niſi capram illam ſuſpicor
Iam me inueniſſe quæ ſit, aut quid voluerit.
C Ad portum hinc abij mane cum luci ſimul,
Poſtquam illic quod volui, tranſegi, atque ego conſpicor
Nauem ex Rhodo, qua heri eſt aduectus filius.
Collibitum eſt illud mihi, neſcio quî, viſere:
Aſcendi in lembum, atque ad nauim aduehor, atque ego
Illam conſpicio forma eximia mulierem,
Filius quam aduexit meus matri ancillam ſuæ.
Quam ego poſtquam adſpexi, non ita amo vt ſani ſolent
Homines: ſed eodem pacto, vt inſani ſolent.
Amaui hercle equidem ego olim in adoleſcentia:
D Verùm ad hoc exemplum numquam, vt nunc inſanio.
Vnum quidem hercle iam ſcio, periiſſe me.
Voſmet videte cæterum quanti ſiem,
Nunc hoc profectò ſic eſt, hæc illa eſt capra.
Sed ſimia illa atque hœdus timeo quid velint.
Sed conticeſcam. vicinum eccum, exit foràs.

MIRÍSQVE EXEMPLIS SOMNIA IN SOMN.] Paſſeratius legit, *meíſque exempl. omina in ſomn. d.* DANVNT] dant. VELVT EGO NOCTE HAC Q. PRÆT. PROXIMA] quidam legi volunt, *noctem hanc q. p. proximam.* EXERCITVS] fatigatus, vexatus, miſer. EI NE NOCERET, QVAM DOMI ANTE] ordo & ſententia verborũ eſt, ei capræ formoſæ, ne noceret ea capra, quam capram antè habui,&c. AMBADEDISSE.] circumadediſſe. verbũ compoſitum ex am.& ad,& edo. am, autem, ſeu an, in compoſition. vellet circum, vel vtrinque vt in ambigo, ambeo, amputo, ancido, anquiro. amburo. interponitur porrò b. cùm ſequitur vocalis. MIHI ILLVD VIDERI] mihi illud videbatur mirum,&c. INSTARE] inſtabat. AST NON HABERE] aſt non habebam. ILLI] capræ, quam ſimiæ concredideram. INFIT]

incipit. LVGERE]lugebam. CONQVERI]conquerebar. NISI CAPRAM ILLAM] A formoſam. CVM LVCI SIMVL]ſimul cum luce. ATQ. EGO CONSP.] id eſt, ſtatim, vel continuò ego conſpicio,&c.ſic apud Virgil.Georg. lib.1. *ſi brachia fortè remiſit, Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.* NESCIO QVÎ] neſcio quomodo. VOSMET VIDETE CETERVM] voſmet de cetero videte.

## LYSIMACHVS. DEMIPHO.

### LORARII.

PRofectò ego illunc hircum caſtrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
DE. Nec omen illud mihi,nec auſpicium placet,
Quaſi hircum metuo ne vxor me caſtret mea,
Atque illius hæc nunc ſimiæ parteis ferat. B
LY. I tu hinc ad villam,atque iſtos raſtros villico
Piſto ipſi facito coràm vt tradas in manum,
Vxori facito vt nunties negotium
Mihi eſſe in vrbe,ne me exſpectet. nam mihi
Tres hodie liteis iudicandas dicito,
Ei & hoc memento dicere. LO. numquid amplius?
LY. Tantum eſt. DE. Lyſimache ſalue. LY. euge & tu Demipho
Salueto.quid agis? quid fit? DE. quod miſerrimus.
LY. Dij melius faxint. DE. dij hoc quidem faciunt. LY. quid eſt? C
DE. Dicam,ſi tibi videam eſſe operam aut otium.
LY. Quamquam negotium eſt,ſi quid vis Demipho
Non ſum occupatus vmquam amico operam dare.
DE. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Quid tibi ego ætatis videor? LY. Acherunticus,
Senex,vetus,decrepitus. DE. peruorſè vides.
Puer ſum Lyſimache ſeptuennis. LY. ſanu'n'es,
Qui puerum te eſſe dicas? DE. vera prædico.
LY. Modò hercle in mentem venit,quid tu diceres,
Senex cum extemplò eſt,iam nec ſentit,nec ſapit, D
Aiunt ſolere eum rurſum repueraſcere.
DE. Immò bis tanto valeo,quàm valui prius.
LY. Bene hercle factum,& gaudeo. DE. immò ſi ſcias.
Oculis quoque etiam plus iam video,quàm prius.
LY. Bene eſt. DE. malam rem dico. LY. iam iſtuc non bonũ eſt.
DE. Sed auſimne ego tibi eloqui, ſi quid velim?
LY. Audacter. DE. animum aduorte. LY. fiet ſedulò.
DE. Hodie ire in ludum occœpi litterarium,
Lyſimache ternas ſcio iam. LY. quid ternas? DE. amo.
LY. Tun' capite cano amas ſenex nequiſſime?
DE. Seu canum,ſeu iſtuc rutilum,ſeu atrum eſt,amo.

Ludificas



A LY. Ludificas nunc tu me hîc,opinor,Demipho.
DE. Decîde collum,ſi falſum tibi loquor:
Vel,vt ſcias me amare,cape cultrum,ſeca
Digitum,vel aurem,vel tu naſum,vel labrum.
Si mouero me,ſeu ſecari ſenſero,
Lyſimache,auctor ſum vti me amando hîc enices.
LY. Si vmquam vidiſti pictum amatorem,hem illic eſt.
Nam meo quidem animo vetulus,decrepitus ſenex
Tantidem eſt,quaſi ſit ſignum pictum in pariete.
DE. Nunc tu me,credo,caſtigare cogitas.
LY. Ego te? DE. nihil eſt iam,quòd tu mihi ſuccenſeas,
B Fecere tale antè alij ſpectati viri.
Humanum amare eſt,humanum autem ignoſcere eſt.
Neſcis?ne obiurga.hoc non voluntas me impulit.
LY. Quin non obiurgo. DE. at ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. LY. ego te?ah,ne dî ſiuerint.
DE. Vide ſis modò etiam. LY. viſum'ſt. DE. certen'? LY. perdis me.
Hic homo ex amore inſanit.nunquid vis? DE. vale.
LY. Ad portum propero:nam ibi mihi negotium eſt.
DE. Bene ambulato. LY. bene valeto. DE. bene ſit tibi.
Quin mihi quoque etiam eſt ad portum negotium,
C Nunc adeò illuc ibo.Sed optimè gnatum meum
Video.eccum,opperiar hominem,hoc nunc mihi viſo eſt opus,
Huic perſuadere quomodo potis ſiem,
Vt illam vendat,néue det matri ſuæ.
Nam ei dono aduexe audiui.ſed præcauto eſt opus,
Ne ad illam me animum adieciſſe aliquà ſentiat.

HIRCVM]hircum,qui fortè ruri damnum aliquod dederat. OMEN] omen, vox eſt hominis aliquid oſtendens,aut portendens. ex hoc igitur quod dixit Lyſimachus velle ſe hircum maleficum caſtrari, præſagit Demipho ſibi portendi aliquod malum , ne ſcilicet tamquam hircus ab vxore caſtretur. PISTO.]nomen villici à fide ductum. SI TIBI VID. ESSE OP.]ſi videam te operam mihi dare poſſe. EXPERTO]mihi. ACHERVNTICVS]ca- D pularis,Acherunte dignus,vel Acherunti debitus. VETVS] fortaſſe legendum *vietus*. neque nos debet mouere,quod hoc nomen triſyllabum eſt, & ſecunda ſyllaba longa. nam fieri poteſt συνίζησις duarum vocalium i.& e.vt apud Horatium Epod. *Quis ſudor vietis , & quàm malus vndique membris*,&c. AIVNT SOLERE RVRS.]ex quo prouerbium, bis pueri ſenes. TERNAS]litteras. AMO]quod verbum ternis cõſtat litteris.SI FALSVM TIBI LOQVOR] al.ſi falſum eſt,vti loquar.al.decide mi collum,ſi falſum ad te loquor. SI VMQVAM VIDISTI]orationem conuertit ad ſpectatorem.ILLIC EST]Lyſimachus. HOC NON VOLVNTAS]ad hoc non me impulit voluntas. DVCAS]me,ſubintellige. AH NE DII SINERINT]ah,dij prohibeant. ADVEXE]aduexiſſe. ANIMVM ADIECISSE] ſic ſuprà locutus eſt in Milite Glorioſo.

## CHARINVS, DEMIPHO.

HOmo me miſerior nullus eſt æquè,opinor,
Neque aduerſa cui ſint plura ſempiterna.

Satin' quicquid eſt,vt quam rem agere occœpi, A
Proprium nequit mihi euenire quod cupio?
Ita mihi mala res obiicitur aliqua,
Bonum quæ meum comprimit conſilium.
Miſer amicam mihi paraui animi cauſſa pretio,
Ratus clam patrem meum poſſe habere.
Is reſciuit,vidit,& perdidit me.
Neque,is cùm roget,quid loquar,cogitatum eſt,
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec quid corde nunc conſilij capere poſſim
Scio,tantus cum cura meo eſt error animo,
Dum ſerui mei perplacet mihi conſilium, B
Dum rurſum haud placet,nec pater potis videtur
Induci,vt putet matri ancillam emtam eſſe illam.
Nunc ſi dico,vt res eſt,atque illam mihi me
Emiſſe indico,quemadmodum exiſtimet me?
Atque illam abſtrahat,trans mare hinc venum aſportet.
Scio ſæuus quàm ſit homo,& durus. igitur hoccine eſt
Amare?arare mauelim,quàm ſic amare.
Iam hinc olim inuitum domo extruſit ab ſeſe,
Mercatum iuſſit ire.ibi hoc malum inueni,vbi
Voluptatem ægritudo vincat.quid ibi ineſt amœni?
Nequicquam abdidi.abſcondidi,abſtruſam habebam. C
Muſca eſt meus pater:nihil poteſt clam illum haberi.
Nec ſacrum,nec tam profanum quicquam eſt,quin
Ibi illico aſſit.nec qui rebus meis
Confidam,mihi vlla ſpes in corde certa eſt.
DE. Quid illuc eſt,quòd ſolus ſecum fabulatur filius?
Sollicitus mihi,neſcio quare videtur. CH. at tace.
Meus pater hic quidem eſt, quem video, ibo. alloquar. quid fit pater?
DE. Vnde incedis?quid feſtinas gnate mi? CH. rectè pater.
DE. Ita volo,ſed iſtuc quid eſt tibi?quid commutatu'ſt color?
Nunquid tibi dolet? CH. neſcioquid meo animo eſt ægrè pater, D
Poſtea hac nocte non quieui ſatis mea ex ſententia.
DE. Per mare vt vectus,nunc oculi terram mirantur tui.
CH. Magis opinor. DE. id eſt profectò, verùm actutum abſceſſerit.
Ergo ædepol palles.ſi ſapias.eas,ac decumbas domi.
CH. Otium non eſt,mandatis rebus præuorti volo.
DE. Cras agito,perendie agito. CH. ſæpè ex te audiui pater,
Rei mandatæ omnes ſapientes primùm præuorti decet.
DE. Age igitur,nolo aduerſari tuam aduerſus ſententiam.

Saluus



A CH. Saluus ſum,ſiquidem iſti dicto ſolida & perpetua eſt fides.
DE. Quid illuc eſt,quod ille ſolus ſe in conſilium ſeuocat.
Iam non vereor ne illam,me amare hic potuerit reſciſcere.
Quippe haud etiam quicquam ineptè feci,amantes vt ſolent.
CH. Res adhuc quidem hercle in tuto'ſt:nam hunc neſcire ſat ſcio,
De illa amica.quod ſi ſciret,eſſet alia oratio.
DE. Quin ego hunc aggredior de illa? CH. quin ego hinc me amolior?
Eo ego atque mandata amicùm amicis tradam. DE. immò mane.
Paucula etiam ſciſcitare prius volo. CH. dic quid velis.
B DE. Vſquéne valuiſti? CH perpetuò rectè,dum quidem illic fui.
Verùm in portum huc vt ſum aduectus, neſcio qui animus mihi dolet.
DE. Nauſea ædepol factum credo.verùm actutum abſceſſerit.
Sed quid ais?ecquam tu aduexti tuæ matri ancillam Rhodo?
CH. Aduexi. DE. quid?ea vt videtur mulier? CH. non ædepol mala.
DE. Vt morata eſt? CH. nullam vidi melius mea ſententia,
DE. Mihi quidem ædepol viſa eſt cùm illam vidi. CH. ehò an vidiſti pater?
DE. Vidi, verum non ex vſu noſtro eſt,neque adeò placet.
C CH. Qui verò? DE. quia non noſtra formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla,niſi quæ texat,quæ molat,
Lignum cædat,penſum faciat,ædeis verrat,vapulet,
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.
CH. Ea cauſſa equidem illam emi.dono quam darem matri meæ.
DE. Ne duis,neu te aduexiſſe dixeris. CH. Dij me adiuuant.
DE. Labefacto paulatim.verùm quod præterij dicere,
Neque illa matrem ſatis honeſtè tuam ſequi poterit comes,
Neque ſinam. CH. qui verò? DE. quia illa forma matrem familiâs
D Flagitium ſit,ſi ſequatur,quando incedat per vias,
Contemplent,conſpiciant omnes,nutent,nictent,ſibilent,
Vellicent,vocent,moleſti ſint,occentent oſtium:
Impleantur meæ fores eclogiorum carbonibus.
Atque vt nunc ſunt maledicentes homines,vxori meæ,
Mihíque obiicient lenocinium facere:nam quid eo eſt opus?
CH. Hercle quin tu rectè dicis,& tibi aſſentior ego.
Sed quid illa nunc fiet? DE. rectè.ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam,forma mala,
Vt matrem addecet familiâs,aut Syram,aut Ægyptiam:
Ea molet,conficiet penſum,pinſetur flagro,neque

Propter eam quicquam eueniet noſtris foribus flagitij. A
CH. Quid ſi igitur reddatur illi vnde emta eſt? DE. minimè gentium.
CH. Dixit ſe redhibere,ſi non placeat. DE. nihil iſtoc opu'ſt.
Litigare nolo ego vos. quàm tuam autem accuſari fidem,
Multo ædepol,ſi quid faciundum eſt,facere damni mauolo:
Quàm opprobramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi illam poſſe opinor luculentè vendere.
CH. Dum quidem hercle ne minoris vendas,quàm ego emi pater.
DE. Tace modò,ſenex eſt quidam,qui illam mandauit mihi
Vt emerem ad iſtam faciem. CH. at mihi quidam adoleſcens pater
Mandauit ad illam faciem,ita vt illa eſt,mulierem emerem ſibi. B
DE. Viginti minis opinor poſſe me illam vendere.
CH. At ego,ſi velim,iam dantur ſeptem & vigintæ minæ.
DE. At ego. CH. quin ego,inquam. DE. at neſcis quid dicturus ſum,tace.
Treis minas accudere etiam poſſum,vt triginta ſient.
CH. Quò vortiſti? DE. ad illum qui emit. CH. vbínam eſt is homo gentium?
DE. Eccum illum video,iubet quinque me addere etiam nunc minas.
CH. Hercle illunc dij infelicent,quiſquis eſt. DE. ibidem mihi
Etiam nunc innutat,addam ſex minas. CH. ſeptem mihi. C
Numquam ædepol me vincet hodie.commodis poſcit pater.
DE. Nequicquam poſcit, ego habeo. CH. at illic pollicitus eſt prior.
DE. Nihili facio. CH. quinquaginta poſcit. DE. non centum datur.
Potin' vt ne licitere aduerſum animi ſententiam?
Maximam hercle habebis prædam,ita ille eſt:cui emitur,ſenex.
Sanus non eſt ex amore illius.quod poſces,feres.
CH. Certò ædepol adoleſcens ille,cui ego emo,efflictim perit
Eius amore. DE. multo hercle ille magis ſenex,ſi tu ſcias. D
CH. Numquam ædepol fuit,neque fiet ille ſenex inſanior
Ex amore,quàm ille adoleſcens,cui ego do hanc operam pater.
DE. Quieſce,inquam,iſtanc rem ego rectè videro. CH. quid agis? DE. quid eſt?
CH. Non ego illam mancupio accepi, ſed ille illam accepit. DE. ſine.
CH. Non potes tu lege vendere illam. DE. ego aliquid videro.
CH. Pòſt autem communis eſt illa mihi cum alio.quî ſcio
Quid ſit ei animi,veniréne eam velit,an non velit?
DE. Quid id mea réfert? CH. quia illi ſuam rem eſſe æquum eſt in manu.

Quid



A DE. Quid ais? CH. communis mihi illa eſt cum alio, is nunc hic non adeſt.
DE. Prius reſpondes quàm rogo. CH. prius tu emis,quàm vendo pater.
Neſcio,inquam,velit ille illam,nécne,abalienarier.
DE. Quid illic quidam,qui mandauit cùm ille nolet?nihil agis.
Numquam ædepol quiſquam illam habebit potiùs, quàm ille quem ego volo.
Certum eſt. CH. cenſen' certum eſſe? DE. quin ad nauim iam nunc eo.
Ibi venibit. CH. vin' me tecum illò ire? DE. nolo. CH. non placet. B
DE. Meliu'ſt te,quæ ſunt mandatæ res tibi,præuortier.
CH. Tu prohibes. DE. at tu excuſato te feciſſe ſedulò.
Ad portum ne bitas dico iam tibi. CH. auſcultabitur.
DE. Ibo ad portum,& ne hic reſciſcat cauto opu'ſt,non ipſe emam,
Sed Lyſimacho amico mandabo,is ſe ad portum dixerat
Ire dudum,me moror cùm hîc aſto. CH. nullus ſum, óccidi

VT QVAM REM] vbi aliquam rem agere occœpi.ſeu poſtquàm aliquã rem,&c. PROPRIVM.] diuturnum,ſtabile, perpetuum. RATVS CLAM PATR.] ratus me clam patre meo me poſſe habere. NEQVE IS CÙM ROGET, QVID LOQVAR] ordo eſt, neque à me cogitatum eſt,quid loquar,cùm is me roget. ANIMI DECEM] variæ, & di- C uerſæ ſententiæ. INDVCI.] adduci. NVNC SI DICO, VT RES EST] ſi rem aperio ita,vt ſe habet. QVEMADMODVM EXISTIMET ME?] qualem me exiſtimet? quid de me exiſtimet? ATQ. ILLAM ABSTRAHAT] & verò etiam illam à me auellat. ARARE] arare,amare,paronomaſia. MVSCA EST] muſcis nihil eſt occultum,nihil intactum,nihil clauſum. QVÎ] quomodo. RECTÈ PATER] id eſt,non feſtino pater. rectè,enim vſurpabant interdum veteres,cùm negare vellent,negationis tamen particulam religione obſtricti ponere nollent. Sic apud Terent. Eun. *rogo,numquid velit. rectè,inquit,abeo.* Idẽ Heautont. *Tum quod dem ei,rectè eſt,nam nihil eſſe mihi religio eſt dicere.* Idẽ Hecyra. *Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam triſtis? P. rectè mater.* ad quem locũ Donatus. Sic loquimur (inquit) cùm ſine iniuria interrogantis aliquid reticemus. POSTEA] deinde. PER MARE VT VECTVS, NVNC OCVLI T.] poſteaquam per mare vectus es, nunc oculi tui terram mir. ABSCESSERIT] ægritudo. ERGO] propterea. MAND. REB. PRÆV.] res mandatas priùs conficere volo. CRAS AGITO] cras agito res mandatas,ſi hodie agere non potes. PERENDIE] poſt diem craſtinum, die abhinc tertio. NOLO ADVERS. ADVERS. T. SENTENT.] nolo aduerſari tuæ ſententiæ. SIQVIDEM ISTI DICTO S. ET P.] ſi pater faciet,quod dicit,neque meæ ſen- D tentiæ aduerſabitur. SEVOCAT] ſeducit? ſeorſum ducit? NE ILLAM ME AM.] ne potuerit reſciſcere me amare illam mulierem, quam aduexit. AMOLIOR?] amoueo? aufero? MANDATA AMICÛM] mandata amicorum. SCISCITARE] ſciſcitari. NESCIO QVÎ] neſcio quomodo. ECQVAM TV ADVEXTI] numquam tu aduexiſti,&c. EA VT VIDETVR M.] qualis ea mulier videtur? NON ÆD. MALA] non inelegans,non deformis. NON NOSTRA FORM. H. D. D.] quia nimis formoſa eſt. PENSVM FACIAT] lanam carpat,& neat. QVÆQVE HABEAT COTIDIANVM FAMILIÆ COCTVM CIBVM] & quæ quotidie familiæ coquat cibum. HORVNC] horumce. NE DVIS] ne dederis. QVIA ILLA FORMA MATR. F. FLAG.] quia flagitium ſit,hoc eſt, turpe ſit, ſi ancilla illa forma ſequatur matremfamiliâs,quãdo incedat per vias. CONTEMPLENT] contemplentur. NVTENT] capite aliquid ei ſignificent. NICTENT] oculis quippiam ſignificent. OCCENTENT OST.] contra oſtium cantent. IMPLEANTVR MEÆ FORES ECLOGIORVM CARBONIB.] meæ fores impleantur eclogiorum,id eſt, breuium,& elegantium dictorum,in illam ancillam,carbonibus: quæ eclogia ſcripta, ſeu exarata ſint carbonibus. Solebant veteres,ſi quis erat formoſus, aut ſi qua formoſa, in eius foribus ſcribere carbone,quod ad eius formæ commendationem, laudémque pertineret,hoc modo,verbi gratia, Paſicompſa formoſa. ſic Ariſtophanes de Demo Pyrilampis filio, formoſo puero, καὶ νὴ Δί'

ἀλλ' ἴδηγε πȣ γεγραμμένον τον Πυριλαμπȣς ἐν θύρᾳ Δῆμον καλόν. Ancillam virag.] A ancillam virili forma, robuſto, & valido corpore. Pinsetvr] verberabitur.tralatio eſt. Redhibere]recipere,& quaſi retrò,ſeu iterum habere. *redhibere* autem, pro redhibiturum, & ſubintellige,ſe. Qvàm tvam avtem accvsari fidem,&c.]ordo eſt,multo autem malo facere damnum,ſi quid damni faciendũ eſt,quàm tuam fidem accuſari. Qvàm opprobramentvm]& multo malo damnum facere in vendenda, quàm opprobrium, aut flagitium,id eſt,turpitudinem,& dedecus efferri è domo ob illam ancillam. Lvcvlentè]bene,commodè,cum lucro. Accvdere]addere,adiicere.tralatio eſt. Qvò vortisti?]ad quem te vertiſti? Innvtat]innuit,nutu ſignificat,vt addam ſex minas. Septem mihi]at is,cui emi,mihi innuit,vt ſeptem addam. Commodis poscit pat.] poſcit ſibi emi minis quadraginta octo commodis.Sic in Aſinaria. *viginti argenti commodas minas.* At illic pollicitvs]at ille pollicitus eſt prior. Qvinqvaginta poscit] poſcit ſibi emi quinquaginta minis. Non centvm datvr]non datur ei centum minis. Potin' vt ne licitere adversvm]potíſne es facere, vel potéſtne fieri, vt ne licitere aduerſum animi ſententiam? Maximam hercle habebis prædam] maximum quæſtum facies.maximam mercedem feres. tralatio eſt. Efflictim] vehemẽter.ſic in Pœnulo. *Earum hic adoleſcens alteram efflictim perit.* quem locum profert Nonius. B Mancvpio accepi]ea lege emi,vt venditor mihi euictionem præſtaret. Is, qui mancipio accipiebat,æs tenens,ita dicebat: hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, íſque mihi emtus eſt hoc ære,æneáque libra. Pòst avtem]præterea autem. In manv] in poteſtate,veneat,an non veneat. Abalienarier]in alium dominum trãsferri. Illic qvidam]ille quidam,qui mihi mandauit,vt ſibi emerem. Prævortier] antè conficere. Ne bitas]ne eas.

## CHARINVS. EVTYCHVS.

Pentheum diripuiſſe aiunt Bacchas,nugas maximas
Fuiſſe credo,præut quo pacto ego diuorſus diſtrahor.
Cur ego viuo?cur non morior?quid mihi eſt in vita boni?
Certum eſt,ibo ad medicum,atque me ibi toxico morti dabo, C
Quando id mihi adimitur,qua cauſſa vitam cupio viuere.
EV. Mane,mane obſecro Charine. CH. qui me reuocat? EV. Eutychus
Tuus amicus & ſodalis,ſimul vicinus proximus.
CH. Num tu ſcis,quantum malarum rerum ſuſtineam? EV. ſcio:
Omnia ego iſtæc auſcultaui ab oſtio,omnem rem ſcio.
CH. Quid id eſt quod ſcis? EV. tuus pater vult vendere. CH. omnem rem tenes.
EV. Tuam amicam. CH. nimium multum ſcis. EV. tuis ingratiis.
CH. Plurimum tu ſcis.ſed quî eſſe amicam illam meam? D
EV. Tute heri ipſus mihi narraſti. CH. ſatin' vt oblitus fui,
Tibi me narrauiſſe? EV. haud mirum factum eſt. CH. te nũnc conſulo.
Reſponde quo leto cenſes me,vt peream potiſſimum?
EV. Non taces? caue iſtuc dixis. CH. quid vis me igitur dicere?
EV. Vin' patri ſublinere pulcrè me os tuo? CH. ſanè volo.
EV. Viſne eam ad portum? CH. quid potius quàm voles? EV. atque eximam
Mulierem pretio? CH. quid potiùs quàm auro expendas? EV. vnde at erit id?

Achillem



A CH. Achillem orabo aurum mihi det,Hector qui expenſus fuit.
EV. Sanun' es? CH. pol ſanus ſi ſim,non te medicum mihi expetam.
EV. Tanti,quanti poſcit,vin' tanti illanc emi? CH. auctarium
Adiicito,vel mille nummûm,plus quàm poſcet. EV. iam tace.
Sed quid ais?vnde erit argentum,quod des,cùm poſcet pater?
CH. Inuenietur,exquiretur,aliquid fiet. EV. enicas.
Iam iſtuc aliquid fiet,metuo. CH. quin taces? EV. muto imperas.
CH. Satin' iſtuc mandatu'ſt? EV. potin' vt aliud cures? CH. non poteſt.
EV. Bene vale. CH. non ædepol poſſum, priuſquàm tu ad me redieris. B
EV. Melius ſanus ſis. CH. vale & vince,& me ſerua. EV. ego fecero.
Domi me ergo maneto. CH. actutum face cum præda vt recipias.

Penthevm diripvisse] Pentheum Thebarum regem Agaue mater, & ſorores Ino,& Antonoa,ceteræque mulieres bacchantes diſcerpſerunt, irato Baccho,quòd ſua ſacra vulgaſſet,aut quòd Bacchas ſuas rebus diuinis operantes ex arbore proſpexiſſet, aut quòd ſacra ſua fieri vetuiſſet: de quo Horatius oda 19. libri ſecundi. *tectáque Penthei Diſiecta non leui ruina.* & ſat.3.libri 2. *Quid? caput abſciſſum demens Cùm portat Agaue Nati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?* & Ouidius libro 3.Metamorph.ſub finem.& Theocr.εἰδ. λϛ. Nvm tv scis qvantvm m.]ſi ita legimus,quo quidem modo impreſſum legitur in libr. vulg. neque aliter in C noſtris antiquis ſcriptum eſt,appingenda eſt interrogationis nota, *ſin*: vt habet editio Germanica, *Non tu ſcis*,&c.legendum eſt ſine interrogatione. Omnem rem tenes] Charinus interloquens non ſinit Eutychum orationem inchoatam abſoluere. erant enim hæc reliqua *tuam amicam*, quæ mox ſubiungit Eutychus interpellatus. Tvis ingratiis] te inuito. Sed qvi esse am.]ſubintellig.ſcis? Censes me, vt peream]cenſes me perire,vel cenſes mihi eſſe pereundum. Dixis] dixeris. patri svblinere os]patrem decipere,ſeu deludere. Qvid potivs q. v.] quid melius facere potes, quàm vt voles? vel lege, vt edidit Camerarius, *qui potius q. vol.* id eſt, quo modo, vel qua re potiùs eas, quàm voles? Qvid potiùs qvàm a. exp.] quid potiùs eſt, quàm vt auro dato eam redimas? in quibuſdam libris antiquis ſcriptũ eſt,qui potius quàm auro exp.quam ſcripturam ſic interpretor,quo pacto potius aliquo pretio eximas, quàm auro redimas? Hector qvi]quo Hector redemtus fuit. Qvanti poscit] ſubintellig.emi. Vin' tanti illanc emi?] tanti hîc pleonazi. Mille nvmmvm] id eſt, mille nummos. hac de re ſuprà. Melivs sanvs sis]melius tibi conſulueris,ſi ſanus ſis. Vt recipias] vt me recipias,id eſt,recuperes amiſſum & perditum.

D

## LYSIMACHVS. PASICOMPSA.

Amicè amico operam dedi,vicinus quod rogauit.
Hoc emi mercimonium. mea es tu,ſequere ſanè.
Ne plora nimis,ſtultè facis,oculos corrumpis taleis.
Quid eſt tibi? quid? quod rideas magis eſt,quàm vt lamentere.
PA. Amabo ecaſtor mi ſenex eloquere. LY. exquire quiduis.
PA. Cur emeris me. LY. tene ego?vt,quod imperetur,facias,
Item quod tu mihi imperes,ego faciam. PA. facere certum eſt,
Pro copia & ſapientia,quæ te velle arbitrabor.
LY. Laborioſè nihil tibi quicquam operis imperabo,

ſſſ

PA. Namque ædepol equidem, mi ſenex, non didici baiulare. A
Nec pecua ruri paſcere, neque pueros nutricare.
LY. Bona ſi eſſe vis, bene erit tibi. PA. tum pol ego perij miſera.
LY. Qui? PA. quia illic, vnde aduecta huc ſum, malis bene eſſe ſolitum'ſt
Nec mos meu'ſt, vt prædicem quod ego omnes ſcire credam.
LY. Oratio ædepol pluris eſt huius, quàm quanti hæc emta eſt:
Quaſi dicas nullam mulierem bonam eſſe. PA. haud equidem dico.
LY. Rogare hoc vnum te volo. PA. roganti reſpondebo.
LY. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam eſſe? PA. Paſicompſæ.
LY. Ex forma nomen inditum eſt. ſed quid ais Paſicompſa? B
Poſſin' tu, ſi vſus venerit, ſubtemen tenue nere?
PA. Poſſim. LY. ſi tenue ſcis, ſcio te vberius poſſe nere.
PA. De lanificio neminem metuo, vna ætate quæ ſit.
LY. Bonam hercle te & frugi arbitror, matura iam inde ætate,
Quoniam ſcis facere officium tuum mulier. PA. pol docta didici.
Operam accuſari non ſinam meam. LY. hem iſtæc hercle res eſt.
Quin etiam tibi ancillam dabo natam annos ſexaginta
Peculiarem. PA. mi ſenex, tam vetulam? LY. generis Græci eſt.
Eam ſi curabis, perbona eſt, tondetur nimium ſcitè. C
PA. Honoris cauſſa, quicquid eſt quod dabitur, gratum habebo.
LY. Nunc mulier ne tu fruſtra ſis, mea non es, ne arbitrere.
PA. Dic igitur quæſo cuia ſum? LY. tuo hero redemta es rurſum.
Ego redemi te, ille me orauit. PA. animus rediit mihi,
Si mecum ſeruatur fides. LY. bono animo es, liberabit
Ille te homo, ita ædepol deperit te. atque hodie primùm vidit.
PA. Ecaſtor iam biennium eſt cùm mecum rem cœpit habere:
Nunc quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo,
LY. Quid ais tu? iam biennium eſt, cùm tecum habet rem? PA. certò. D
Et inter nos coniurauimus, ego cum illo, & ille mecum,
Ego cum viro, & ille cum muliere, niſi cum illo, aut ille mecum,
Neuter ſtupri cauſſa caput limaret. LY. dij immortales,
Etiam cum vxore non cubet? PA. amabo an maritus ille eſt?
Neque eſt, neque erit. LY. nolim quidem. PA. homo hercle periurauit.
Nullum adoleſcentem plus amo. LY. puer eſt ille quidẽ, ſtulta.
Nam illi quidem haud ſanè diu eſt cùm dentes exciderunt.
PA. Quid dentes? LY. nihil eſt, ſequere ſis huc me, diem vnũ orauit
Vt apud me perhiberem ſibi locum, ideo quia vxor ruri eſt.

Hoc



A HOC EMI MERCIMONIVM] hanc emi mercem. CVR EMERIS ME] exquiro, vel ſcire velim. TÉNE EGO] quæríſne, cur ego te emerim? BAIVLARE] onera gerere. PECVA] pecudes. MALIS BENE ESSE] malæ mulieres bene rem ſuam gerere ſolitæ ſunt. NVTRICARE] educare, alere, nutricari. QVOD EGO OM. SC. CR.] nempe mulieres ferè omneis malas eſſe, vel nullam mulierem bonam eſſe, vel cum malis mulieribus melius agi, quàm cum bonis. EX FORMA NOMEN IND. EST] Paſicompſa enim, ſi verbum verbo reddas, eſt quæ omni ex parte comta, & bella eſt. SVBTEMEN TENVE NERE] ſubtemen, quod ſubit ſtamini, inquit Varro, dictum à ſubtexendo. VNA AETATE] eadem ætate. PECVLIAREM] quæ erit in peculio tuo. Eſt autem peculium, pecunia ſeruilis, vel à domino conceſſa, vel domino ſciente, & concedente quæſita. GENERIS GRAECI EST] alludit ad pecudes, quarum quaſdam generis Græci dixerunt, vt notat Camerarius. fuerunt autem hæ Tarentinæ, quæ pellitæ & tectæ paſcebantur, propter lanæ, ac velleris præſtantiã. TVO HERO] errat Paſicompſa in verbo, *hero tuo*. nam per herum, hæc ſignificari putat Charinum, Lyſimachus verò Demiphonem intelligit. NISI CVM ILLO, AVT ILLE MECVM, NEVTER STVPRI CAVSA CAPVT LIMARET] ordo, & ſententia eſt, vt neuter rei B Venereæ cauſa cum alio, aut alia, niſi ego cum illo, aut ille mecum caput limaret, id eſt, oſcularetur, & commiſceretur. CAPVT LIMARET] caput coniungeret, corpus commiſceret. Idem Bacchid. *Ne cum quoquam acciperes alio mercedem annuam iuſsi abeſſe, nec cum quoquam limares caput.* Turpil. Leucadia. *veritus ſum vt te amoris cauſa cum illa limaſsis caput.* Nonius in verbo *limare*. PERIVRAVIT.] peierauit. NAM ILLI QVIDEM HAVD SANÈ DIV EST CÙM DENTES EXCID.] iocus ex ambiguo. nam & pueris primi dentes excidere, aliíque ſuboriri ſolent, & ſenibus dentes cadunt, neque vmquam renaſcuntur. PERHIBEREM] darem.

## DEMIPHO.

Tandem impetraui, vt egomet me corrumperem.
Emta eſt amica clam vxore mea & filio.
C Certum eſt, antiqua recolam, & ſeruibo mihi.
Decurſo in ſpatio, breue quod vitæ reliquum eſt,
Voluptate, vino & amore delectauero.
Nam hanc ſe bene habere ætatem nimio eſt æquius.
Adoleſcens quom ſis, te, cùm eſt ſanguis integer,
Rei tuæ quærendæ cõuenit operam dare.
Demum igitur cùm ſenex ſis, tunc in otium
Te colloces, dum poteſtur: id iam lucro eſt,
Quod viuis. hoc vt dico, factis perſequar.
Interea tamen huc intrò ad me inuiſam domum.
Vxor me exſpectat iamdudum eſuriens domi,
D Iam iurgio enicabit, ſi intrò rediero.
Verùm hercle poſtremò, vt vt eſt, non ibo tamen.
Sed hunc vicinum prius conueniam, quàm domum
Redeam. vt mihi ædeis aliquas conducat volo,
Vbi habitet iſtæc mulier. atque eccum it foràs.

ANTIQVA RECOLAM] repetam, retractabo. DECVRSO] confecto. NAM HANC SE BENE HAB.] ſic Anacreon λέγουσί μοι γυναῖκες Ἀνακρέων γέρων εἶ. Λαβὼν ἔσοπτρον, ἄθρει κόμας μὲν οὐκ ἔτ' οὔσας, Ψιλὸν δέ σου μέτωπον Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον Οὐκ οἶδα, τοῦτο δ' οἶδα ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον Πρέπει τὸ τερπνὰ παίζειν ὅσῳ πέλας τὰ μοίρας. hoc eſt, dicunt mihi puellæ, Anacreon ſenex es. Sumto ſpeculo, vide, vt iam Nublæ comæ tibi ſint. Et vt tua nuda ſit frons. At ego, mihi an ſuperſint, Effluxeríntne crines, Hoc neſcio, illud autem ſcio tam magis venuſtos luſus ſenem decere. Quanto magis ſorori ſtamen tuum propinquat. DVM POTESTVR] dum fieri poteſt. *poteſtur* autem antiquum. ID IAM LVCRO EST, Q. V. &c.] quod voluptatis in vita percipis, id iam in lucro deputandum eſt.

## LYSIMACHVS. DEMIPHO. A

Adducam ego illum iam ad te,ſi conuenero.
D E. Me dicis? L Y. quid ais Demipho? D E. eſt mulier domi?
L Y. Quid cenſes? D E. quid ſi viſam? L Y. quid properas?mane.
D E. Quid faciam? L Y. quod opus eſt facto,facito vt cogites.
D E. Quid cogitem?equidem hercle opus hoc facto exiſtimo,
Vt illuc introeam. L Y. itáne vero veruex intrò eas?
D E. Quid aliud faciam? L Y. prius hoc auſculta,atque ades.
Prius etiam eſt,quod te facere æquum cenſeo.
Nam nunc ſi illò introieris,amplecti voles,
Confabulari atque oſculari. D E. tu quidem B
Meum animum geſtas,ſcis quid acturus ſiem.
L Y. Peruorſe facies. D E. quódne ames? L Y. tanto minus,
Iam plenus ætatis,animáque fœtida,
Senex hircoſus,tu oſculere mulierem?
Vtíne adueniens vomitum excutias mulieri?
D E. Scio pol te amare,quom iſtæc præmonſtras mihi.
Quid ſi igitur,vnum factum hoc ſi cenſes,coquum
Aliquem arripiamus,prandium qui percoquat
Apud te hic vſque ad veſperum? L Y. hem iſtuc cenſeo,
Nunc ſapienter loquere,atque amatoriè.
D E. Quid ſtamus?quin ergo imus?atque obſonium C
Curamus,pulcrè vt ſimus? L Y. equidem te ſequor.
Atque hercle inuenies tu locum illi,ſi ſapis.
Nullum hercle præter hunc diem, illa apud me erit,
Metuo ego vxorem,cras ſi rure redierit,
Ne illam hic offendat. D E. res parata eſt,ſequere me.

ADDVCAM EGO ILLVM]loquitur Lyſimachus cum Paſicompſa. ILLVM] Demiphonem Lyſimachus intelligit. ſed Paſicompſa Charinum. VERVEX] homo ad Venerem inepte,vt veruex,qui aries caſtratus eſt. MEVM ANIMVM GEST.] ſcis,quid animi habeam. QVÓDNE AMES?]peruerſéne facit is,qui quod amet,id oſculetur, & amplectatur?al.quódne ames?id eſt,an ideò dicis quod tu ipſe ames? HIRCOSVS]olidus,fœtidus. VTÍNE ADVENIENS VOM. EX. M.] cuius rei gratia mulierem oſculeris? an vt adueniens tuo fœtore mulierem ad vomitum adigas? PVLCRÈ VT SIMVS?] pulcrè vt nobis ſit?vt hilariter,& iucundè viuamus. D

## CHARINVS. EVTYCHVS.

Súmne ego homo miſer,qui nuſquam bene queo quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus:ſin foris ſum, animus domi eſt.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.
Ni oculos lacrymæ defendant,iam ardeat credo caput:
Spem teneo,ſalutem amiſi.redeat, an non,neſcio.
Si opprimit pater,quod dixit,exſulatum abiit ſalus:

Sin



A Sin ſodalis,quod promiſit,fecit,non abiit ſalus.
Sed tandem ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,
Iam à portu rediiſſe potuit.id illi vitium maximum'ſt,
Quòd nimis tardus eſt aduorſum mei animi ſententiam.
Sed íſne eſt,quem currentem video?ipſus eſt,ibo obuiam.
Diuûm atq. hominum quæ ſpectatrix,atq.hera eádẽ es hominib.
Spem ſperatam cum obtuliſti hunc mihi,tibi grates ago.
Numquid reſtat?eheu diſperij,voltus neutiquam huius placet:
Triſtis incedit,pectus ardet,hæreo.quaſſat caput.
Eutyche. E V. hem Charine. C H. priuſquam recipias anhelitum,
B Vno verbo eloquere,vbi ego ſum,hîc,an apud mortuos?
E V. Neq. apud mortuos,neq. hîc es. C H. ſaluus ſum, immortalitas
Mihi data eſt:hic emit illam,pulcrè os ſubleuit patri.
Impetrabilior qui viuat,nullus eſt.dic obſecro,
Si neque hic,neque Acherunti ſum, vbi ſum? E V. nuſquam gentium.
C H. Diſperij,illæc interemit me modò hic oratio,
Odioſa eſt oratio,cùm rem agas,longinquum loqui.
Quicquid eſt,ad capita rerum perueni. E V. primum omnium
Periimus. C H. quin tu illud potius nuntias,quod neſcio?
E V. Mulier eſt alienata abs te. C H. Eutyche capital facis.
C E V. Quî? C H.quia æqualem & ſodalem ciuem liberum enicas.
E V. Ne dij ſirint. C H. demiſiſti gladium in iugulum, iam cadam.
E V. Quæſo hercle animum ne deſponde. C H. nullus eſt quem deſpondeam.
Loquere porrò aliam malam rem.cui eſt emta? E V. neſcio.
Iam addicta atque abducta erat,cùm ad portum venio. CH. væ mihi,
Monteis tu quidem mali in me ardenteis iamdudum iacis.
Perge,excrucia carnifex,quandoquidem occœpiſti ſemel.
E V. Nec tibi iſtuc magis eſt diuidiæ,quàm mihi hodie fuit.
D C H. Dic,quis emit? E V. neſcio hercle. C H. hem iſtuccine eſt operam dare
Bonum ſodalem? E V. quid me facere vis? C H. idem,quod me vides,
Vt pereas.quin percontatus hominis quæ facies foret,
Qui illam emiſſet,eo ſi pacto poſſet indagarier
Mulier? E V. heu me miſerum. C H. flere omitte. iſtuc, quod nunc agis.
E V. Quid ego feci? C H. perdidiſti me & fidem mecum tuam
E V. Dij ſciunt culpam meam iſtanc non eſſe vllam. C H. euge papæ.
Deos abſenteis teſteis memoras?quî ego iſtuc credam tibi?

EV. Quia tibi in manu eſt, quod credas: ego quod dicam, id mihi in manu eſt. A

CH. Iſtac de re argutus es, vt par pari reſpondeas.
Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os ſublinere meo patri. egomet credidi
Homini docto rem mandare. is lapidi mando maximo.

EV. Quid ego facerem? CH. quid faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares, quis eſſet, aut vnde eſſet, qua proſapia,
Ciuíſne eſſet, an peregrinus. EV. ciuem eſſe aiebant Atticum,

CH. Vbi habitaret, inuenires ſaltem, ſi nomen nequis.

EV. Nemo aiebat ſcire. CH. at ſaltem hominis faciem exquireres. B

EV. Feci. CH. qua forma ergo eſſe aiebant? EV. ego dicam tibi.
Canum, varum, ventrioſum, bucculentum, breuiculum,
Subnigris oculis, oblongis malis, panſam aliquantulum.

CH. Non hominẽ mihi, ſed theſaurum neſcio quem memoras mali.
Numquid eſt quod dicas aliud de illo? EV. tantum quod ſciam.

CH. Ædepol ne ille oblongis malis, dedit mihi magnum malum.
Non poſſum durare, certum eſt exſulatum hinc ire me.
Sed quam capiam ciuitatem, cogito potiſſimum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Leſbiam, Bœotiam. C

EV. Cur iſtuc ceptas conſilium? CH. quia enim afflictat me amor.

EV. Quid tu ais? quid cum illuc, quò nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare fortè occipias, atque item eius ſit inopia,
Iam inde porrò aufugies: deinde item illinc, ſi item euenerit:
Quis modus tibi exſulio tandem eueniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi ſtabilis eſſe poterit? dic mihi.
Cedò ſi hac vrbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si id fore ita, ſi ita animo acceptum eſt certum, id pro certo ſi habes,
Quanto te ſatius eſt rus aliquò abire, ibi eſſe, ibi viuere, D
Adeò dum illius te cupiditas atque amor miſſum facit?

CH. Iam dixiſti? EV. dixi. CH. fruſtra dixti, hoc mihi certiſſimum eſt,
Eo domum, patrem atque matrem vt meos ſalutem, poſtea
Clam patrem patria hac effugiam, aut aliquid capiam conſilij.

EV. Vt corripuit ſe repentè, atque abiit. heu miſero mihi:
Si ille abierit, mea factum omnes dicent eſſe ignauia.
Certum eſt præconum iubere iam quantum eſt conducier,
Qui illam inueſtigent, qui inueniant. pòſt ad prætorem illico
Ibo, orabo vt conquiſitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil reliqui quicquam aliud iam eſſe intelligo.





A SI DOMI SVM, FORIS EST AN.] ſic Lucret. lib. 3. *Exit ſæpè foras magnis ex ædibus ille, Eſſe domi quem perteſum eſt, ſubitòque reuertit: Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe. Currit agens mannos ad villam hîc præcipitanter, Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans,* &c. ITA MIHI IN PECTORE, ATQ. IN C. FAC. AMOR INC.] amore æſtuo. fortaſſe autẽ alludit ad eos, quorũ domus ardet incendio. SI OPPRIMIT PATER QVOD D.] ſi pater occupat id facere, quod dixit: vel ſic, ſi pater me opprimit, alienando, & vendendo Paſicompſam, perij. SI PODAGR. P.] ſi tardiſſimis pedibus eſſet. DIûVM ATQVE HOMINVM QVÆ SP.] ô tu fortuna quæ es ſpectatrix deorum atque hominum. ATQ. HERA EADEM ES] & eadem es domina hominib. Ennius. *Vóſne velit, an me regnare hera?* SPEM SPERATAM CùM OBTVLISTI] cùm mihi Eutychum obtuliſti, in quo ſpem ſalutis repoſitam haberem, &c. NVMQVID RESTAT?] numquid reliquum eſt, quod ſperem? QVASSAT CAP.] mouet caput: qui geſtus interdum minantis eſt. PVLCRè OS SVBL.] pulcrè patrem deluſit. IMPETRABILIOR] ad quiduis impetrandum aptior. noſtri libri veteres habent, *Impenetrabilior.* CùM REM AGAS] cùm res agatur: vel cùm rẽ agere debeas. LONGINQVVM LOQVI] longa oratione vti, longũ eſſe in re narranda. AD CAP. R. P.] in pauca cõfer. dic ſummatim. CAPITAL] facinus capitale. NE DII SIRINT] dij prohibeant. ſic ſuprà. NVLLVS EST B Q. DESP.] nullus eſt animus, quem deſpondeam. quia exanimis & mortuus ſum. MONTEIS TV Q. M. &c.] hyperbole. DIVIDIÆ] dolori, tædio. QVIN PERCONTATVS] cur non percontatus es, &c. EO SI PACTO, &c.] ſi fortè eo pacto mulier perquiri, & inueſtigari poſſet. ISTVC, QVOD NVNC AGIS] iſtuc age potiùs, quod nunc agis. hoc eſt, eſto miſer. malè precatur Eutycho Charinus, quaſi ab eo ſit deſertus, ac proditus. ET FIDEM M. TVAM] & fidem quam mihi dediſti, vnà mecum perdidiſti. QVIA TIBI IN MANV EST Q. C.] quia licet tibi credere, quod libet. quia in poteſtate tua ſitum eſt, quid credas. ISTAC DE RE ARG.] in reſpondendo ingenioſus, & ſollers, & promtus es. EGOMET CR. H. D.] egomet credidi me homini docto negotium meum committere. IS LAPIDI M. M.] is ego mandaui homini indoctiſſimo, & ſtupidiſſimo. QVA PROSAP.] quo genere, qua ſtirpe. VARVM] diſtortis cruribus. VENTRIOSVM] ventre prominente. προγάστορα. BVCCVLENTVM] buccis turgidis. PANSAM] panſum latum. incuruum. TANTVM, QVOD SC.] hoc tantum eſt, quod dicam, ſeu, hoc tantum habeo, quod dicam: quod quidem ſciam. NE ILLE] ne, affirmantis interiectio. DVRARE] καρτερεῖν, ἀνέχεσθαι. CERTVM EST] deliberatum eſt. ſtat ſententia. MEGARA] Græcorum more dixit, in numero multitudinis, Μέγαρα. C CHALCIDEM] quæ eſt in Eubœa. SICYONEM] in Peloponneſo. CNIDVM] in Caria. Horat. in od. *ô Venus regina Cnidi, Paphique.* ZACYNTHVM] inſulam in mari Ionio, vnam ex Echinadib. Virgil. *& quos tulit alta Zacynthos.* Theocritus. καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος. LESBIAM] Leſbum. CVR ISTVC CEPTAS C.] cur iſtuc conſilium inceptas, ſeu incipis? id eſt, aggrederis? PARITAS] paras. ATQ. ITEM EIVS SIT INOP.] & ſimiliter amore potiundi facultatem non habeas. QVI MODVS, &c.] quis modus, &c. AMOREM TE HîC R.] proinde ac ſi dicat: hîc amorem non relinques, ſed te vſque ſequetur. SI ID F. ITA] ſubintell. certum eſt. ANIMO ACCEPTVM EST] in animum tibi inductũ: tibi perſuaſum eſt. ADEò DVM] vſque eò dum. MISSVM FACIT] ἀφίησι, liberum relinquit. VT CORRIPVIT SE, R.] quo pacto, vel, quàm corripuit ſe repentè? *corripuit ſe*, autem, id eſt, celeriter ſe duxit? celeriter ſe abſtulit? HEI MISERO MIHI] al. heu miſero mihi. PRÆCONVM IVB. IAM Q.] quantum eſt præconum, id eſt, quotquot ſunt præcones. ſic Catull. *O quantum eſt hominum venuſtiorum.* CONDVCIER] συνάγεσθαι, in vnum cogi.

D DORIPPA mulier. SYRA anus.

Quoniam à viro ad me rus aduenit nuntius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reueni vt illum perſequar, qui me fugit.
Sed anum non video conſequi noſtram Syram,
Atque eccam incedit tandem, quin is ocyus?

SY. Nequeo mecaſtor, tantum hoc oneris eſt, quod fero.

DO. Quid oneris? SY. annos octoginta & quattuor:
Et eòdem accedit ſeruitus, ſudor, ſitis:
Simul hæc quæ porto deprimunt. DO. aliquid cedo
Qui hanc vicini noſtri aram augeam Syra.

SY. Da ſanè hanc virgam lauri. DO. abi tu intrò. SY. eo. A
DO. Apollo quæſo te,vt des pacem propitius,
Salutem & ſanitatem noſtræ familiæ,
Meóque vt parcas gnato pace propitius.
SY. Diſperij,perij miſera,væ miſeræ mihi.
DO. Satin' tu ſana es obſecro,quid eiulas?
SY. Dorippa mea,Dorippa. DO. quid clamas obſecro?
SY. Neſcio,quæ eſt mulier intus hîc in ædibus.
DO. Quid? mulier? SY. mulier meretrix. DO. verón' ſerio?
SY. Nimium ſcis ſapere,ruri quæ non manſeris,
Quamuis inſipiens poterat perſentiſcere
Illam eſſe amicam tui viri belliſſimi. B
DO. Credo mecaſtor. SY. i hàc mecum,vt videas ſimul
Tuam Alcumenam pellicem,Iuno mea.
DO. Æcaſtor verò iſtuc eo quantum poteſt.

QVONIAM] quoniam vir meus miſit ad me,qui nuntiaret, eum rus non venturum, &c. FECI EGO INGEN. M.] vſa ſum meo ingenio,obſecuta ſum,ſeu morem geſſi ingenio meo. QVIN] cur non. HÆC, QVÆ PORTO] hæc onera,hæ ſarcinæ,quas porto. CEDO] da. QVI] vnde quò. AVGEAM] ornem. APOLLO] Apollinem inuocat,vt deum ἀποτρόπαιον, id eſt,auerſorem, & depulſorem malorum, & niſi propitius ſit,maleficum. MEÓQVE] & vt meo filio,Eutycho parcas. DISPERII,] ſic exclamat anus Paſicompſa domi animaduerſa. QVAMVIS INSIPIENS] quiuis,quantumuis inſipiens. TVAM ALC.] vt Alcumena Amphitryonis vxor,cum qua rem habuit Iupiter,Iunonis fuit pellex, ſic hæc Paſicompſa, Dorippæ eſt pellex. QVANTVM POTEST] quàm celerrimè fieri poteſt. legendum fortaſſis eſt. *quantum pote'ſt*. C

## LYSIMACHVS.

PArumne eſt hoc malæ rei quòd amat Demipho,
Ni ſumtuoſus inſuper etiam fiet?
Decem vocaſſet ſi ad cœnam ſummos viros,
Nimium obſonauit,ſed coqos,quaſi in mari
Solet hortator remiges hortarier:
Ita hortabatur,egomet conduxi coquum,
Sed eum demiror non venire vt iuſſeram.
Sed qui hincnam à nobis exit? aperitur foris. D

NIMIVM OBSONAVIT] nimium obſonij parauit,etiam ſi decem ſummos viros ad cenam vocaſſet. HORTATOR] κελευστής. EGOMET CONDVXI] mercede pacta. SED EVM D.] ſed demiror coquum non venire,&c. QVI] quis. A NOBIS] è domo noſtra. FORIS] foris, dixit numero ſingulari,vt item aliàs.

## DORIPPA mulier. LYSIMACHVS vir.

MIſerior mulier me nec fiet,nec fuit,
Tali viro quæ nupſerim,heu miſeræ mihi.
Hem cui te,& tu quæ habeas,commendes viro:

Hem



A Hem cui decem talenta dotis detuli,
Hæc vt viderem,vt ferrem has contumelias.
LY. Perij hercle,rure iam rediit vxor mea:
Vidiſſe eam credo mulierem in ædibus,
Sed quæ loquatur,exaudire hinc non queo.
Accedam propius. DO. væ miſeræ mihi. LY. immò mihi.
DO. Diſperij. LY. ego quidem hercle oppidò perij miſer.
Vidit,vt omnes te Demipho di perduint.
DO. Pol hoc eſt,ire quòd rus meus vir noluit.
LY. Quid nunc ego faciam,niſi vt adeam,atque alloquar:
Iubet ſaluere ſuus vir vxorem ſuam.
B Vrbani fiunt ruſtici. DO. pudicius
Faciunt illi,quàm qui non fiunt ruſtici.
LY. Numquid delinquunt ruſtici? DO. æcaſtor minus
Quàm vrbani,& multo minus malum quærunt ſibi.
LY. Quid autem vrbani deliquerunt? dic mihi.
DO. Quia illa mulier intus eſt. LY. vidiſti ne eam?
DO. Vidi. LY. cuia ea ſit rogitas? DO. reſciſcam tamen,
Cupio hercle ſcire,ſed tu me tentas ſciens.
LY. Vin' dicam cuia eſt illa ædepol. væ mihi,
Neſcio quid dicam. DO. hæres? LY. haud vidi magis.
DO. Quin dicis? LY. quin ſi liceat. DO. dictum oportuit.
C LY. Non poſſum,ita inſtas,vrges quaſi pro noxio.
DO. Scio,innoxius. LY. audacter quamuis dicito. DO. dic igitur.
LY. ego dicam. DO. atqui dicundum eſt tamen.
LY. Illa eſt,num etiam vis nomen dicam? DO. nihil agis.
Manifeſtò teneo. in noxia es. LY. qua noxia?
Iſta quidem illa eſt. DO. quæ illa eſt? LY. illa. DO. iohia.
LY. Iam ſi nihil vſus eſſet,iam non dicerem.
DO. Non tu ſcis quæ ſit illa? LY. immò etiam ſcio.
De iſtac ſum iudex captus. DO. captus? iam ſcio.
D Nunc tu in conſilium iſtam aduocauiſti tibi.
LY. Immò ſequeſtrò mihi data eſt. DO. intelligo.
LY. Nihil hercle iſtius quicquam eſt. DO. numero purgitas.
LY. Nimium negotij reperi,enimuero hæreo.

HEM CVI TE,&c.] malim legi,En cui te,& tu quæ hab. hac ſententia,En vir dignus, cui te,& quæ tu habeas,cõmittas. Et item proximo verſu. En cui decem talenta,&c. EXAVDIRE] ita audire,vt intelligam quæ loquatur. VIDIT] mea vxor,vidit puellã Paſicompſam intus in ædibus noſtris. VT OMNES] vtinã te omnes dij Demipho perdant. malè præcatur abſenti Demiphoni Lyſimachus,quod eius cauſa apud vxorem infamia laboret. POL, HOC EST, IRE QVÒD R.] id eſt, hæc eſt cauſa propter quam meus vir rus ire noluit, nempe quòd amet. VRBANI FIVNT RVSTICI] hoc propter vxorem dicit, quæ ex vrbe rus ierat,& ita quaſi ex vrbana,facta erat ruſtica. ILLI] qui fiunt ruſtici,vt ego. QVÀM QVI NON FIVNT] vt tu. NVMQVID DELINQ. RVST.] videtur legendum, An non delinquunt ruſtici? Hæc enim huius loci ſentẽtia eſt. dicis eos vrbanos,qui fiunt ruſtici,

pudicius facere,quàm qui non fiunt:numquid non delinquunt ruſtici? ET MVLTO M. MAL. Q. S.] & multo minus malum ſibi contrahunt. QVID AVTEM VRB. D.] quid ego deliqui, qui vrbanus ſum?id eſt,qui rus non iui,ſeu qui in vrbe non manſi? ÆDEPOL. VÆ MIHI]exorſus,ſeu conatus dicere,cuia ſit mulier illa.Lyſimachus,metu impeditus,hæret. HAVD VIDI MAGIS.] haud vidi quemquam,qui magis hæreat. QVIN DICIS?] cur non dicis? QVIN SI LICEAT] immò verò ſi per te liceat, dicam. VRGES QVASI PRO N.] vrges me tamquam noxium. SCIO: INNOXIVS]ſcio,innoxius es. ILLA EST. SCIN'? &c.]exprimit orationem hominis ſibi timentis,& malè cōſcij, vt in flagitio manifeſto deprehēſi.illa autē,videlicet,quæ à Charino Rhodi emta,& ab eodē domū in patriam naui aduecta eſt. nam hæc fortaſſe voluit dicere. MANIFESTÒ TENEO] teneo te in ipſo furto ἐπαυτοφώρῳ. IO ILLA]io,interiectio eſt. SI NIHIL VSVS ESSET]ſi nihil opus eſſet. CAPTVS?]mulier ſuſpicioſa,& irata,nomen captus,iterat,quaſi Lyſimachus dixerit,ſe amore captum eſſe. iocus autem eſt ex ambiguo. nam dicuntur capi, & arbitri ab iis, qui de re aliqua ambigunt,& amantes ab amore. Terent. Heaut. *me cepere arbitrum.* NVNC TV IN CONSIL.]ſermo irriſionis amaræ plenus. SEQVESTRÒ] ſequeſtrò, aduerbialiter accipiendum eſt. Aul. Gellius lib. 20. cap. 10. Sed quod apud ſequeſtrem depoſitum erat, ſequeſtrò, poſitum per aduerbium dicebant. NVMERO PVRGITAS]citò te purgas,vel nimium te purgas. B

## COQVS. LYSIMACHVS. DORIPPA. SYRA.

Agite,ite actutum.nam mihi amatori ſeni
Coquenda'ſt cœna.atque equidem cùm recogito,
Nobis coquenda eſt,non cui conducti ſumus.
Nam qui amat,quod amat,ſi id habet,id habet pro cibo:
Videre,amplectier,oſculari,alloqui.
Sed nos confido onuſtos redituros domum. C
Ite hàc,ſed eccum qui nos conduxit ſenex.
LY. Ecce autem,perij,coquus adeſt. CO. aduenimus.
LY. Abi. CO. quid abeam? LY. ſt,abi. CO. abeámne? LY. abi.
CO. Non eſtis cœnaturi? LY. iam ſaturi ſumus.
Sed interij. DO. quid ais tu?etiámne hæc illi tibi
Iuſſerunt ferri,quos inter iudex datus?
CO. Hæccine tua eſt amica,quam dudum mihi
Te amare dixti,cùm obſonabas? LY. non taces?
CO. Satis ſcitum filum mulieris,verùm hercle amat. D
LY. Abin directus? CO. haud mala eſt. LY. at tu malus.
CO. Scitam hercle opinor ſatis concubinam hanc. LY. non abis?
Non ego ſum,qui te dudum conduxi. CO. quid eſt?
Immò hercle tu iſtuc ipſus. LY. væ miſero mihi.
CO. Nempe vxor ruri eſt tua,quam dudum dixeras
Te odiſſe æquè atque angueis. LY. egon' iſtuc dixi tibi?
CO. Mihi quidem hercle. LY. ita me amabit Iuppiter,
Vxor,vt ego illud numquam dixi. DO. etiam negas.
CO. Non te odiſſe aiebat,vxorem verùm ſuam.
DO. Palàm iſtæc fiunt te me odiſſe. LY. quin nego.
CO. Et vxorem ſuam ruri eſſe aiebat. LY. hæc ea eſt.

Quid



A Quid mihi moleſtus? CO. quia me non nouiſſe ais.
Num metuis tu iſtanc? LY. ſapio, nam mihi vnica eſt.
CO. Vin' me experiri? LY. nolo. CO. mercedem cedo.
LY. Cras petito,dabitur,nunc abi. DO. heu miſeræ mihi.
LY. Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus:
Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.
CO. Cur hîc aſtamus?quin abiimus?incommodi
Si quid tibi euenit,non eſt culpa mea.
LY. Quin me eradicas miſerum. CO. ſcio iam quid velis,
Nempe hinc me abire vis. LY. volo,inquam. CO. abibitur,
Drachmam dato. LY. dabitur. CO. dari ergo ſis iube.
B Dari poteſt interea dum illi ponunt. LY. quin abis?
Potin' vt moleſtus ne ſis. CO. agite apponite
Obſonium iſtuc ante pedes illi ſeni.
Hæc vaſa aut mox,aut cras iubebo abs te peti:
Sequimini. LY. fortaſſe te iſtum mirari coquum,
Quòd venit,atque hæc attulit. dicam quid eſt.
DO. Non miror,ſi quid damni facis,aut flagitij.
Nec pol ego patiar,ſic me nuptam tam malè,
Meáſque in ædes ſic ſcorta obductarier.
Syra,i,rogato meum patrem verbis meis,
Vt veniat ad me iam ſimul tecum huc. SY. eo.
C LY. Neſcis negotij quid ſit vxor obſecro.
Conceptis verbis iam iuſiurandum dabo,
Ne numquam quicquam cum illa. iámne abiit Syra?
Perij hercle.ecce autem hæc abiit,væ miſero mihi.
At te vicine dij deæque perduint,
Tua cum amica,cúmque amationibus:
Suſpicionibus impleuit me indigniſſimè.
Conciuit hoſteis,domi vxor eſt acerrima.
Ibo ad forum,atque Demiphoni hæc eloquar,
Me iſtanc capillo protracturum eſſe in viam,
D Niſi hinc abduxit,quò vult,ex hiſce ædibus.
Heus vxor vxor,quamquam tu irata es mihi,
Iubeas,ſi ſapias,hæc intrò hinc auferrier,
Eadem licebit mox cœnare rectius.

NON CVI CONDVCTI SVMVS]nobis,non ei,cui conducti ſumus,Demiphoni ſcilicet,ſeni amanti. ONVSTOS] ſaturos,plenos. ST: ABI] ſt, nota ſilentij eſt. QVOS INTER IVDEX D.]qui te ceperunt iudicem,vt eorum controuerſiam diiudicares? in participio *datus* autē,ſubintell. *eſt*. CÙM OBSONABAS?] cùm obſonium emebas? FILIVM] oris lineamentum. Lucil. *Surge mulier, ducito filum non malum.* AN NET HOC?] iocus amarus in ſenem Lyſimachum, conſentaneus ei, quod dixerat, ſatis ſcitum filium mul. an net hoc filum (inquit) tam ſcitum? DIERECTVS?] ſub dio, vel in die erectus. in crucem actus. ETIAM NEGAS]malim hæc eſſe verba coqui,quàm Dorippæ. NON TE ODISSE]non dicebat ſe odiſſe te,ſed vxorem ſuam. QVIA ME NON N.] quia ais te non nouiſſe me. SAPIO. NAM MIHI VN.]metuo,& ſapio,qui eam metuam. VIN' ME EXPERIRI?]

vin' me ius experiri? vin' me tecum iudicio contendere? ALIQVID MALI ESSE PR. V. M.] Heſiod. πῆμα κακὸς γεῖτων. QVIN ME ERAD. MIS.] immouerò me miſerum funditus perdis atque euertis. SIS] ſi vis. ſodes: interiectio blandientis. PONVNT] obſonium. POTIN' VT MOLESTVS NE SIS?] poteſne facere, vt ne ſis mihi moleſtus? OPPONITE] ante oculos, ſeu ob oculos eius ponite. libri vulgati habent, *apponite*. SIQVID DAMNI FACIS] ſiquid, quod damnum afferat, facis. interdum facere damnum, ſignificationem habet paſſiuam: vt apud Marcũ Tullium, epiſt. vlt. lib. 7. *Quod declamationibus noſtris cares damni nihil facis.* OBDVCTARIER] in conſpectum ductari. ductare. ſcortum. OBSECRO] obſecro, vxor, ne mitte Syram ad patrem. CONCEPTIS VERBIS] concepta mihi verborum formula, quam in iurandò ſequar, iurabo. M. Tull. pro Cluentio, dixit ſe ſcire illum verbis conceptis peieraſſe. ISTANC] Paſicompſam. CONCIVIT HOSTEIS] concitauit mihi hoſteis. ABDVXIT] abduxerit. EADEM] eadem ratione, ſeu eadem via, ſeu eadem opera, ſi hæc obſonia intro hinc auferantur. vel dic eadem obſonia, quod minus probo. RECTIÙS] meliùs, id eſt, liberalius, lautius, apparatius. A

## SYRA ſerua. EVTYCHVS. B

HEra quem me miſit ad patrem, non eſt domi:
Rus abiiſſe aiebant: nunc domum renuntio.
EV. Defeſſus ſum vrbem totam peruenarier,
Nihil inueſtigo quicquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit. nam videò Syram
Aſtare ante ædeis. Syra. SY. quis eſt, qui me vocat?
EV. Herus atque alumnus tuus ſum. SY. ſalue alumne mi.
EV. Iam mater rure rediit? reſponde mihi.
SY. Sua quidem ſalute ac familiæ maxima.
EV. Quid iſtuc negotij eſt? SY. tuus pater belliſſimus
Amicam adduxit intrò in ædis. EV. quomodo? C
SY. Adueniens mater rure eam offendit domi.
EV. Pol haud cenſebam iſtarum eſſe operarum patrem.
Etiam nunc mulier intu'ſt? SY. etiam. EV. ſequere me.

HERA, QVEM ME M.] ordo verborum hic eſt. pater, ad quem patrem hera me miſit, non eſt domi. VRBEM TOTAM PERVENARIER] per vrbem totam venari. Venabatur autem & exquirebat Eutychus puellam Paſicompſam Charini ſodalis rogatu. SVA QVIDEM SAL. ET F.] oratio eſt præciſa: proinde ac ſi dicat: rediit quidem illa rure, ſalua, & familia: ſed domum reuerſa, reſciit, & reperit id, quod nollet, & quod eam malè habet. CENSEBAM] putabam. ISTARVM ESSE OPERARVM] amori operam dare: ad iſtas operas animum ſuum appareſſe, ſiue ſtudium ſuum contuliſſe.

D

## SYRA.

ÆCaſtor lege dura viuunt mulieres,
Multóque iniquiore miſeræ, quàm viri.
Nam ſi vir ſcortum duxit clam vxorem ſuam,
Id ſi reſciuit vxor, impunè eſt viro.
Vxor viro, ſi clàm domo egreſſa eſt foràs,
Viro fit cauſſa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex eſſet eadem vxori, quæ eſt viro:
Nam vxor contenta eſt, quæ bona eſt, vno viro.
Qui minus vir vna vxore contentus ſiet?





A Æcaſtor faxim ſi itidem plectantur viri,
Si quis clam vxorem duxerit ſcortum ſuam,
Vt illæ exiguntur quæ in ſe culpam commerent,
Plures ſint viri vidui, quàm nunc mulieres.

VXOR VIRO SI CLÀM, &c.] malim legi, vxor vero ſi clàm, &c. vt ſubintelligatur, virum. ſolet enim iungere clàm, cum quarto caſu. VIRO FIT CAVSA] viro naſcitur cauſa, quamobrem vxorem domo exigat. ÆCASTOR FAXIM, &c.] ordo eſt, ſi itidem plectatur viri, ſi quis cl. vx. duxer. ſc. ſuam: faxim (vt) plures viri ſint vidui quàm mulieres. PLVRES SINT VIRI VID. &c.] id eſt, plures viri ſint vidui, &c.

## CHARINVS.

B LImen ſuperum inferúmque ſalue, ſimul autem vale.
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem.
Vſus, fructus, victus, cultus iam mihi haruncce ædium
Interemtu'ſt, interfectu'ſt, alienatu'ſt, occidi.
Dij penates, meûm parentum, familiǽque Lar pater,
Vobis mando meûm parentum rem bene vt tutemini.
Ego mihi alios deos penates perſequar, alium larem,
Aliam vrbem, aliam ciuitatem, ab Atticis abhorreo.
Nam vbi mores deteriores increbreſcunt in dies,
Vbíque amici qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
Vbíque eripiatur animo tuo, quod placeat maximè:
C Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupida ciuitas.

LIMEN SVPERVM, &c.] hæc ſecum loquitur Charinus, res ſuas deſperans, quod Paſicompſa non reperiatur, quódque in ea re ſibi Eutychus parum ſtrenuam, vt quidem putat, operam nauet. DII PENATES] de diis penatibus, alibi dictum eſt. MEÛM PARENTVM, FAMILIǼQVE LAR PATER] Lar meûm parentum, & familiæ noſtræ patèr. INCREBRESCVNT] augeſcunt, multiplicantur, creſcunt. QVI INFIDELES SINT] al. qui infideles ſint. SI REGNVM DETVR] etiam ſi regnum detur.

## EVTYCHVS. CHARINVS.

DIuûm atque hominum quæ ſpectatrix atque hera eadem es hominibus,
D Spem ſperatam quoniam obtuliſti hanc mihi, grates ago.
Ecquiſnam Deus eſt, qui mea nunc lætus lætitia fuat?
Domi erat quod quæritabam, ibi ſex ſodaleis repperi,
Vitam amicitiam, ciuitatem, lætitiam, ludum, iocum.
Eorum inuentu res decem ſimitu peſſimas peſſundedi
Iram, inimicitiam, ſtultitiam, exitium, pertinaciam.
Mœrorem, lacrumas, exſulium, inopiam, ſolitudinem.
Date di, quæſo, conueniendi mihi eius celerem copiam.
CH. Apparatus ſum, vt videtis, abiicio ſuperbiam,
Egomet mihi comes, calator, equus, agaſo, armiger
Egomet ſum mihi imperator, idem egomet mihi obedio:
Egomet mihi fero, quod vſu'ſt. ô Cupido quantus es?

Nam tu quemuis confidentem facilè tuis factis facis, A
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuò.
EV. Cogito, quónam ego illum curram quæritatũ. CH. certa res eſt.
Me vſque quærere illam quoquo ea hinc abducta eſt gentium,
Neque mihi vlla obſiſtet amnis,neque mons,neque adeò mare.
Nec calor,nec frigus metuo,neque ventum,neque grandinem.
Imbrem perpetiar,laborem ſufferam,ſolem,ſitim.
Non concedam,neque quieſcam vſquam noctu,neque interdius,
Prius profectò quàm aut amicam,aut mortem inueſtigauero.
EV. Neſcio cuia vox ad aurem mihi aduolauit. CH. inuoco
Vos lares viales,vt me bene iuuetis. EV. Iuppiter.
Eſtne illic Charinus? CH. ciues bene valete. EV. illico B
Sta Charine. CH. qui me reuocat? EV. ſpes,ſalus,victoria.
CH. Quid me voltis? EV. ire tecum. CH. alium comitem quærite,
Non amittunt hi me comites qui tenent. EV. qui ſunt ei?
CH. Cura,miſeria,ægritudo,lacrimæ,lamentatio.
EV. Repudia iſtos comites,atque huc reſpice ac reuortere.
CH. Siquidem mecum fabulari vis,ſubſequere. EV. ſta illico.
CH. Malè facis.properantem qui me commorare,ſol abit.
EV. Si huc item properes,vt iſtuc properas,facias rectius.
Huc ſecundus ventus nunc eſt,cape modò vorſoriam:
Hîc fauonius ſerenus eſt,iſtic auſter imbricus:
Hic facit tranquillitatem,iſte omnes fluctus conciet. C
Recipe te ad terram Charine huc,nónne ex aduerſo vides?
Nubis ater imbérque inſtat,aſpice nunc ad ſiniſtram *
* Cælum vt ſplendore eſt plenum,ex aduerſo vides.
CH. Religionem illic obiecit,recipiam me illuc. EV. ſapis
O Charine, contrà pariter fer gradum,& confer pedem,
Porrige brachium. prehende, iam tenes? CH. teneo. EV. tene.
Quò nunc ibas? CH. exſulatum. EV. quid ibi facere vis? CH. quod miſer.
EV. Ne paue. reſtituam iam ego te in gaudia,antequam is. CH. eo. D
EV. Maximè quod vis audire, id audies quod gaudeas.
Sta illico. amicus aduenio multùm beneuolens. CH. quid eſt?
EV. Tuam amicam. CH. quid eam? EV. vbi ſit ego ſcio. CH. tun' obſecro?
EV. Sanam & ſaluam. CH. vbi eam ſaluam? EV. quo ego ſcio. CH. ego me mauelim.
EV. Potin' vt animo ſis tranquillo? CH. quid ſi animus fluctuat?
EV. Ego iſtum in tranquillo & tuto ſiſtam tibi,ne time.
CH. Obſecro te,loquere nunc vbi ſit,vbi eam videris.
Quid taces? dic, enicas me miſerum tua reticentia
EV. Non longè hinc abeſt. CH. quin ergo commonſtras,ſi tu vides?





A EV. Non video hercle nunc,ſed vidi modò. CH. quin ego videam, facis?
EV. Faciam. CH. longinquum iſtuc amanti eſt. EV. etiam metuis omnia.
Commonſtrabo,amicior mihi nullus viuit,atque is eſt,
Qui illam habet,neque cui magis me velle melius æquum ſiet.
CH. Non curo iſtuc,illam quæro. EV. de illa ergo ego dico tibi.
Sanè hoc non in mentem venit dudum vti tibi dicerem.
CH. Dic igitur vbi illa eſt? EV. in noſtris ædibus. CH. ædis probas,
Si tu vera dicis, pulcréque ædificatas arbitror.
B Sed quid ego iſtuc credam? vidiſtin'? an de auditu nuntias?
EV. Egomet vidi. CH. quis eam adduxit ad vos? EV. iniquè rogas.
CH. Vera dicis. EV. nihil Charine te quidem quicquam pudet:
Quid tua refert,qui cum iſta venerit? CH. dum iſtuc ſiet.
EV. Eſt profectò. CH. opta ergo. ob iſtunc nuntium,quid vis tibi?
EV. Quid ſi optabo? CH. deos orato,vt eius faciant copiam.
EV. Derides. CH. ſeruata res eſt demum,ſi illam videro.
Sed quin ornatũ hunc reicio? heus aliquis,heus actutũ huc foràs
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. EV. hem nunc tu mihi vt places?
CH. Optimè adueniens puere, cape chlamydem atque hæc. iſtinc ſta illico: C
Vt,ſi hæc non ſint vera,inceptum hoc itiner perficere exſequar.
EV. Non mihi credis? CH. omnia equidem credo,quæ dicis mihi:
Sed quin introducis me ad eam,vt videam? EV. paulliſper mane,
CH. Quid manebo? EV. tempus non eſt introeundi. CH. enicas.
EV. Non opus eſt inquam,nunc intrò te ire. CH. reſponde mihi
Qua cauſſa? EV. operæ non eſt. CH. cur? EV. quia non eſt illi commodum.
CH. Itáne commodũ illi non eſt,quę me amat?quam ego contrà amo?
Omnibus hic ludificatur me modis. ego ſtultior
D Qui iſti credam. commoratur,chlamydem ſumam denuò.
EV. Mane parumper, atque hoc audi. CH. cape ſis puer hoc pallium.
EV. Mater irata eſt patri vehementer,quia ſcortum ſibi
Ob oculos adduxerit in ædeis,dum ruri ipſa abeſt,
Suſpicatur illam amicam eſſe illi. CH. zonam ſuſtuli.
EV. Eam rem nunc exquirit intus. CH. iam machæra eſt in manu.
EV. Nam ſi eò te nunc introducam. CH. tollo ampullam, atque hinc eo.
EV. Heus mane,mane Charine. CH. erras,me decipere haud potes.
EV. Neq; ædepol volo. CH. quin tu ergo itiner exſequi meũ me ſinis?
EV. Non ſino. CH. ergo me moror,tu puere abi hinc intrò ocyus
Iam in currum conſcendi,iam lora in manus cæpi meas.

EV. Sanúſne es? CH. quin pedes vos in curriculum coniicitis? A
In Cyprum rectà: quandoquidem pater mihi exſilium parat.
EV. Stultus es. noli iſtuc quæſo dicere. CH. certum'ſt exſequi,
Operam vt ſumam ad perueſtigandum vbi ſit illæc. EV. quin domi eſt.
CH. Nam hic quod dixit,id mentitus eſt. EV. vera dixi equidem tibi.
CH. Iam Cyprum veni. EV. quin ſequere, vt illam videas, quam expetis.
CH. Percontatus non inueni. EV. matris iam iram negligo.
CH. Porrò proficiſcar quæſitum. nunc perueni Chalcidem,
Video ibi hoſpitem Zacyntho,dico quid eò aduenerim,
Rogito quis eam vexerit,quis habeat,ſi inaudiuerit. B
EV. Quin tu iſtas omittas nugas,ac mecum huc intrò ambulas?
CH. Hoſpes reſpondit,Zacyntho ficos fieri non malas.
EV. Nihil mentitus eſt. CH. ſed de amica ſeſe inaudiſſe autumat,
Hic Athenis eſſe. EV. Calchas iſte quidem Zacynthiu'ſt.
CH. Nauem conſcendo,proficiſcor illico,iam ſum domi,
Iam redij exſilio. ſalue mihi ſodalis Eutyche,
Vt valuiſti? quid,parentes mei valent? cœna dabitur.
Bene vocas,benignè dicis,cras apud te nunc domi,
Sic decet,ſic fieri oportet. EV. ehò quæ tu ſomnias?
Hic homo non ſanus eſt. CH. medicari amicus quin properas?
EV. Sequere ſis. CH. ſequor. EV. clementer quæſo,calces deteris. C
Audin' tu? CH. iamdudum audiui. EV. pacem componi volo.
Meo patri cum matre:nam nunc eſt irata. CH. i modò.
EV. Propter iſtanc. CH. i modò. EV. ergo cura. CH. quin tu ergo i modò.
Tam propitiam reddam,quàm cùm propitia eſt Iuno Ioui.

DIVVM ATQVE HOM. QVÆ SPECTATRIX]fortuna. ECQVÍSNAM DEVS] numquis eſt Deus,qui,&c. FVAT]ſit. SIMITV]ſimul. ABIICIO SVPERBIAM] hoc eò dicit, quòd eat ſine comite, ſeruo, equo, & ceteris ſimilibus ad iter faciendum neceſſariis. CERTA RES EST.] certum eſt, decretum eſt. VLLA OBSISTET AMNIS.] profert hunc locum Nonius in voce *amnis*. Docet & Priſcianus, veteres protuliſſe, *amnis aquæ* fæminino genere,ac maſculino. NON AMITTVNT HI ME COMITES] hi comites, qui me tenent,non me dimittunt,ſeu,miſſum faciunt,ſeu euadere ſinunt. D QVI SVNT EI?] qui ſunt ij? HVC RESPICE]Camerarij editio habet, *hoc reſpice*,quod ſi probemus, *hoc*, poſitum eſſe intelligemus,pro *huc*. SOL ABIT]ſic loquitur & Catull. *abit dies*. CAPE MODO VORSORIAM] vorſoria (inquit Alciatus) inſtrumentum nauticum, quo ſecundum auram nauis vertitur.Nonnulli(inquit idem) putãt veteres eo ſolitos eſſe cognoſcere,vnde flaret ventus:cuius modi eſt hodie magnetis vſus. HÎC] hoc in loco IMBRICVS] imbrem afferens. imbrifer. HIC]fauonius. FACIT TRANQ.] ex quo dictus αἰθρηγενέτης iter. RECIPE TE AD TERRAM] libri vulgati quibuſcum nonnulli manuſcripti conſentiunt, habent, *Reſpice ad dexteram*.ET CONFER PEDEM] ὁμόσε χώρει. cõgredere mecum. ANTEQVAM IS] ſubintellige, exſulatum. EO] eo exſulatum. QVOD GAVDEAS] propter quod gaudeas. TVAM AMICAM] hic eſt orationis curſus continuus & perpetuus, Tuam amicam vbi ſit, ego ſcio : id eſt, Tua amica vbi ſit, ego ſcio. Sed orationis perpetuitas à Charino interrupta eſt,hoc modo : quid eam ſcis? QVO EGO SCIO] quo loco ego ſcio. EGO ME MAVELIM]ego me ſcire,quàm te,malim.POTIN' VT ANIMO]potéſne abs te impetrare, vel potéſne facere,vt animo ſis tranquillo,& quieto? FLVCTVAT?] quomodo poſſum eſſe animo tranquillo,ſi animus fluctuat?perpetuo tralatio eſt à mari,quod dum fluctuat, quietum aut



A aut tranquillum eſſe non poteſt. SISTAM]ſtare faciam. manet in tralatione. QVIN EGO VIDEAM, F.] id eſt,cur non,vt ego videam, facis? LONGINQVVM] longum. tralatio eſt à diſtantia loci,ad longitudinem temporis. AMICIOR MIHI]patrem ſignificat. DE ILLA IGITVR,&c.]longo ſermone Charinum moratur Eutychus,cùm poſſet tribus verbis & rem expedire,& illum omni cura liberare.Hoc igitur tandem dicit Eutychus Charino , Quod ad puellam,quam amas,attinet,dico tibi,quod dudum tibi dicere mihi in mentem non venit, eum eſſe in ædibus noſtris. AN DE AVDITV NVNTIAS?]an auditum ab alio nuntias? AD VOS?]in ædeis veſtras? QVI CVM ISTA VENERIT]quis cum puella Paſicompſa venerit? ſed malim legi, quicum iſta venerit ? hoc eſt, cum quo iſta venerit? DVM ISTVC SIET] dum modo iſtuc,quod dicis, fiet, nihil mea refert. quis eam adduxerit. OPTA ERGO, OB IST. N.] opta,inquit,iſtius nuntij præmium.proinde quaſi dicat, impetrabis. quod quamuis non dicat diſertè Charinus,obſcurè tamen ſignificat, quaſi aliud præter exſpectationem reſpondeat quid vis tibi ob iſtum nuntium? QVID SI OPTABO?] quid ſi optabo, inquit Charinus,obtinebóne? DEOS ORATO,&c.]reſpondet nunc Charinus facetè præter exſpectationem.nam cùm videretur reſponſurus,ſe eius rei,quam optaret Charinus, facturum copiam,propterea quod ſibi,vbi eſſet Paſicompſa,nuntiaſſet alio,reſponſionem ſuam deriuauit,iuſſítque ad deos confugere,& eos orare,vt eius rei ſibi faciant copiam. B SED QVIN ORN.]ſed quare non reiicio hunc ornatũ?ornatũ hominis ad iter expediti ſcilicet chlamydem viatoriam. VT PLACES?] quàm places? PVERE]puer. ATQ. HÆC]& cetera,ad iter faciendum neceſſaria,quæ mihi paraui. SI HÆC NON SVNT VERA] quæ mihi ab Eutycho nuntiantur. ITINER] iter, ſic antiqui loquebantur. LVDIFICATVR] ludiſicat. CHLAMYDEM SVMAM DENVÒ] at inceptum iter exſequar. PALLIVM] pallium, quod ſibi afferri à puero iuſſerat, mutato profectionis conſilio, credens repertam eſſe Paſicompſam, nunc deponit ac reiicit, ſuſpicans ſe ab Eutycho ludiſicari. ZONAM SVSTVLI.] verba ſibi dari putat ab Eutycho Charinus. Itaque dicit ſe zonam ſumpſiſſe, quaſi iter inceptum perfecturus.condebant autem pecuniam in zona viatores, in eámq. viaticum coniiciebant,& item milites. IAM MACHÆRA EST IN M.]iam gladium ſumſi in manus. Græci non gerebant gladium in vrbe ſcilicet:vt neque Romani. TOLLO AMPVLLAM] ampulla, vas olearium, quod ſecum portabant homines peregrè proficiſcentes. QVIN PEDES VOS IN CVRR.] pedes ſuos alloquitur,hoc modo : quamobrem pedes mei non coniicitis vos in currũ?id eſt,cur me in currum non coniicio?ID MENTITVS EST] C Charinus. VIDEO IBI H. ZACH.]video Chalcide hoſpitem è Zacyntho.vel dic, in Zacyntho,vt admonet Camerarius. SI INDAVDIVERIT]ſi inaudiuerit.d.interpoſitum eſt, veterum conſuetudine. FICOS FIERI NON MALAS] hinc intelligimus Zacynthum bonas ficus ferre conſueuiſſe. CHALCAS]verus vates.alludit ad Chalcantem Homericum de quo Iliad. α. MEDICARI AMICVS QVIN PR.] ſi non ſanus ſum , quin tu qui te amicum profiteris,mihi mederi properas? CLEMENTER QVÆSO:CALC. DETERIS] Charinus cùm præ amore nimiùm properaret,calces Eutycho detriuit. Iccirco Eutychus, cleměter,inquit,id eſt,leniter & placidè incedito ſubintell. inclementer mecum agis,qui mihi calces deteras,vel nimis properas. AVDIN' TV?]audin' tu quid te facere velim?ſeu quid abs te fieri velim? PROPTER ISTANC] irata propter Paſicompſam. QVIN TV ERGO I MODÒ] immò verò tu ergo i modò.

## DEMIPHO. LYSIMACHVS.

D QVaſi tu numquam quicquam aſſimile huius facti feceris.
LY. Nam mea vxor propter illam tota in fermento iacet.
Ædepol numquam caui,ne quid facerem,vix viuus ſum miſer.
DE. At ego eam expurgationem habebo,vt ne ſuccenſeat.
Sequere me.ſed exeuntem filium video meum.

QVASI TV NVMQVAM] obiurgarat Demiphonem Lyſimachus , quòd homo ſenex amaret,ſimúlque quæſtus erat ſibi eius culpa vxorem ſuam vehementer iratam eſſe ſuſpicantem Lyſimachum negotium ſuum non alienum geſſiſſe.Ei igitur nunc ita reſpondet Demipho.Quaſi tu numquam amaris. &c. Iam illa, quæ leguntur in libris vulgatis ab hoc verſu, *Demipho ſapientum*,&c. vſque ad illum. *Quom amico homini*, &c. non ſunt Plautina : neque ea habet editio Camerariana. IN FERMENTO IACET]ira intumuit.trãſlatum à panibus fermentatis. ÆDEPOL NVMQVAM CAVI, NÉ QVID] id eſt,ego verò ſæpè item peccaui, & amaui. incautus fui in faciendo, quod mihi collibuiſſet. AT EGO EAM EXP. HAB.] at ego ita tibi purgatus ero,ſi fecero ne vxor tibi ſuccenſeat:vel ſic,at ego ſic me tibi purgabo , vt ne tibi vxor ſuccenſeat:id eſt,vt vxorem tuam tibi propitiam reddam.

## EVTYCHVS. DEMIPHO. LYSIMACHVS. CHARINVS. A

IAm redeo. DE. placet principium. quid agis? quid fit Eutyche?
EV. Ad patrem ibo,vt matris iram ſibi eſſe ſecuram ſciat.
Optima opportunitate ambo aduenistis. LY. quid rei eſt?
EV. Vxor tibi placida & placata'ſt,cette dextras nunc iam.
LY. Dij me ſeruant. EV. tibi amicam nullam eſſe nuntio.
DE. Dij te perdant,quid negotij eſt. nam quæſo iſtuc? EV. eloquar
Animum aduertite igitur ambo. LY. quin tibi ambo operam damus? B
EV. Qui bono ſunt genere nati,ſi ſunt ingenio malo,
Suapte culpa genere capiunt genus,ingenuum improbant.
DE. Verum dicit hic. LY. tibi ergo dicit. EV. eò illud verum magis
Nam te iſtac ætate,haud æquum fuerat filio tuo,
Adoleſcenti amanti amicam emtam argento eripere ſuo.
DE. Quid tu ais,Charini amica'ſt illa? EV. vt diſſimulat malus?
DE. Ille quidem illam ſeſe ancillam matri emiſſe dixerat.
EV. Propterea igitur tu mercatus,nouus amator,vetus puer.
LY. Optime hercle perge,ego aſſiſtam iam hinc alterinſecus.
Quibus eſt dictis dignus vſque oneremus ambo. DE. nullus ſum. C
LY. Filio ſuo qui innocenti fecit tantam iniuriam.
EV. Quem quidem hercle ego in exilium cùm iret,redduxi domum,
Nam ibat exſulatum. DE. an abiit? EV. etiam loquere larua tu?
Temperare iſtac ætate iſtis decebat artibus.
DE. Fateor. deliqui profectò. EV. etiam loquere larua tu?
Vacuum eſſe iſtac ted ætate iis decebat noxiis:
Itidem vt tempus,anni,ætatem aliam,aliud factum conuenit.
Nam ſi iſtuc ius eſt ſenecta ætate ſcortari ſenes,
Vbi loci res ſumma noſtra eſt publica? DE. hei perij miſer. D
EV. Adoleſcentes rei agendæ iſti magis ſolent operam dare.
DE. Iam obſecro vobis hercle habete cum porcis,cum fiſcina.
EV. Redde filio, ſibi habeat. DE. iam vt vult, per me ſibi habeat licet
Semper ædepol. EV. quoniam vt aliter facias,non eſt copiæ.
DE. Supplicij ſibi ſumat quid vult ipſe ob hanc iniuriam,
Modò pacem faciatis miſero,vt ne mihi iratus fiet.
Si hercle ſciuiſſem,ſiue adeò ioculo dixiſſet mihi,
Se illam amare,numquam facerem,vt illam amanti abducerem.
Eutyche ted oro,ſodalis eius es,ſerua & ſubueni.
Hunc ſenem para me clientem,memorem dices beneficij.

Ora



A LY. Ora vt ignoſcat delictis tuis,atque adoleſcentiæ.
DE. Pergin' tu autem?eia ſuperbè inuehere.ſpero ego mihi quoque
Tempus tale euenturum,vt tibi gratiam referam parem.
LY. Miſſas iam ego iſtas artes faciam. DE. & quidem ego dehinc iam. LY. nihil.
Conſuetudine rurſus te animus huc inducet. DE. obſecrò.
Satis iam vt habeatis,quin loris cædite etiam,ſi lubet.
LY. Rectè dicis.ſed iſtuc vxor faciet,cùm hoc reſciuerit.
DE. Nihil opus reſciſcat. EV. quid iſtuc?non reſciſcet,ne time.
Eamus intrò,non vtibilis hic locus factis tuis,
Dum memoramus,arbitri vt ſint,qui prætereant per vias.
B DE. Hercle quin tu rectè dicis,eadem breuior fabula
Erit,eamus. EV. hic eſt intus filius apud nos tuus.
DE. Optimè eſt,illac per hortum nos domum tranſibimus.
LY. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quàm meum intrò refero pedem.
EV. Quid iſtuc eſt? LY. ſuam quiſque homo rem meminit,reſponde mihi.
Certon' ſcis non ſuccenſere mihi tuam matrem? EV. ſcio.
LY. Vide. EV. me vide. LY. ſatis habeo,id quæſo hercle etiam vide.
EV. Non mihi credis? LY. immò credo, ſed tamen metuo miſer.
C EV. Eamus intrò,immò dicamus ſenibus leges cenſeo
Priuſquam abeamus,quas leges teneant,contentíque ſint.
Annos natus ſexaginta qui erit,ſi quem ſcibimus,
Seu maritum,ſiue hercle adeò cœlibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus,inſcitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit,qui ſuum prodegerit.
Neu quiſquam poſthac prohibeto adoleſcentem filium,
Quin amet,& ſcortum ducat,quod bono fiat modo:
Si quis prohibuerit, plus perdet clam, quàm ſi præhibuerit, palàm.
D Hæc adeò,vt ex hacce nocte primum lex teneat ſenes.
Bene valete,atque adoleſcentes,hæc ſi vobis lex placet,
Ob ſenum hercle induſtriam,vos æquum eſt clarè plaudere.

IAM REDEO] Eutychus,placata iam domi matre ſua,in patrem Lyſimachum,domo exit,id ipſum patri nuntiaturus,atque ſe mox rediturum. SECVRAM] quidam teſtantur in ſuis libris veteribus ſcriptum eſſe, *ſedatam*, vulgati quidem omnes, quos vidi,ſic habent. OPTIMA OPPORT.] opportuniſſimè. CETTE DEXTRAS] cedite,ſeu date manus dextras.iungite dexteras.Vide Nonium in voce *cette*.admonet & Camerarius, cui huius loci, vt & aliorum innumerabilium,debetur reſtitutio. QVID NEG. EST NAM] quidnam negotij eſt iſtuc, quæſo? SVAPTE CVLPÆ DEGENER CAPIVNT GEN.] ſic coniectura ductus reſtitui.nam & vulgata lectio ex genere,& antiqua,genere,vitioſa eſt.degener,genus autem videtur generi ingenuo oppoſuiſſe.licet etiam legere,degenere,vna voce,vt ſit neutrum à maſc.& fæm. degeneris. ISTAC ÆTATE] ſenem. ALTERINSECVS] altrinſecus:id eſt, altera ex parte. ISTIS ARTIB.] amatoriis. TED ÆTATE] te ætate.d.interpoſitum. ITIDEM VT

TEMPVS,&c.] vt tempus, & anni ſunt, ita aliam ætatem, aliud factum decet. Quia conuenit, A idem valet, quod decet, verbo *cõuenit*, eandem conſtructionem attribuit, atque verbo decet. REI AGENDÆ ISTI] amori. IAM OBSECRO VOB. H. HABETE CVM PORC.] prouerbium olet, quo ſignificat, ſe puellam illam totam ei concedere & tradere, nihílque ſibi excipere, aut reſeruare. natum fortaſſe ab iis, qui villam, aut fundum vendentes, porcos, oueis, capras, & ceteras pecudes, vnde lac percipitur, ſibi recipiebant, ac reſeruabãt. QVONIAM VT ALITER F.] ſi alterutrum tibi liceret, non redderes filio puellam. nunc quoniam velis nolis reddere te eam neceſſe eſt, neque recuſare, aut effugere potes, quin reddas, iccirco reddis. SVPPLICII SIBI SVMAT Q. V.] ſumat de me pœnas, quas vult: ego ſufferam & ſubibo. MODÒ PACEM FACIATIS, &c.] dummodò mihi filium reconcilietis. vel dic, modò pacem faciatis, &c. hoc tantùm à vobis peto, pacem mihi miſero cum filio faciatis, vt mihi ſuccenſere deſinat. IOCVLÒ] deminutiuum ab aduerbio, iocò. TEDORO] te oro. HVNC SENEM PARA ME] eſto mihi patronus: & patrocinio iſto tuo me tibi clientem para. PERGIN' TV AVTEM] pergíſne tu autem mihi aduerſari, & me oppugnare? EIA SVPERBÈ INVEHERE] inuehere, accipiendum eſt in voce paſſiua, imperatiui modi. & hoc totum per diſſimulationem quandam vrbanam pronuntiandum, eia mihi ſuperbè inſulta: eia iacentem & afflictum pedibus conculca: proinde quaſi dicat, non ſum ſatis per me miſer, & oppreſſus, B niſi mihi etiam tu oppreſſo & proſtrato ſuperbè inſultes. SPERO EGO MIHI QVOQ. &c.] ſpero fore vt tu quoque ſimilem atque ego culpam admittas, & amori ſeruias. ISTAS ARTEIS] amatorias, vt ſuprà. NIHIL] non poteris te ab amando abſtinere. habitum enim tibi iam contraxiſti, ita vt non poſſis tibi imperare. CONSVETVDO TE RVRSVS] ô conſuete peccandi (inquit M. Tullius libro 3. Accuſation.) quantam habes iucunditatem in improbis, & audacibus, cùm pœna afuit, & licentia conſecuta eſt? OBSECRO SATIS IAM VT HAB.] obſecro vt deſinatis mihi in meis malis inſultare, & me dictis amaris inſectari. QVID ISTVC?] quid iſtuc metuis? ſic autem habent libri vulgati, neque ab iis diſcrepant noſtri veteres. Camerarius tamen edidit, *Quid iſtic?* NON VTIBILIS] non vtilis. EADEM] eadem opera. vel eadem ratione. FABVLA] hæc comœdia. HANC VOLO PRIVS REM AGI] tuam matrem placari. QVÀM MEVM INTRÒ REFERO PEDEM] quàm redeo domum. CVM EO NOS HÎC LEGE AGEMVS] legere agere, quid ſit, docet Gell. lib. 10. cap. 20. ET PER NOS QVIDEM, &c.] & nos quidem eum ſinemus egere, qui rem ſuam profuderit, ac diſſiparit. QVOD BONO FIAT MODO] modo nihil fiat contra leges, & ſupra modum, & cum alterius iniuria. QVÀM SI PRÆBVERIT PALÀM] id eſt, quàm ſi præbuerit, palàm, repete ἀπὸ κοινοῦ. perdet. C

FINIS MERCATO.

PSEVDOLVS.



A

# PSEVDOLVS.

## PERSONÆ.

B

| | |
|---|---|
| PSEVDOLVS | ſeruos. |
| CALIDORVS | adoleſcens. |
| BALLIO | leno. |
| LORARII | quattuor. |
| SIMO | ſenex. |
| CALLIPHO | ſenex. |
| HARPAX | cacula. |
| CHARINVS | adoleſcens. |
| PVER. | COQVVS. |
| SIMIA. | ſycophanta. |
| PHOENICIVM | meretrix. |

C

## ARGVMENTVM.

PRÆSENTEIS numerat quindecim miles minas,
Simul conſignat ſymbolum, vt Phœnicium
Ei det leno, eum qui cum reliquo afferat.
Venientem Caculam interuortit ſymbolo,
Dicens Syrum ſe Ballionis, Pſeudolus,
Opémque herili ita tetulit. nam Simiæ
Leno mulierem, quem is ſuppoſuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palàm cognoſcitur:
D Senéxque argentum, quod erat pactus, reddidit.

PRÆSENTEIS] miles Phœnicium puellam xx. minis emerat à lenone. quindecim præſenteis numerarat. reliquas quinque debebat. PHOENICIVM] puellam, quam amabat Calidorus. EVM, QVI CVM RELIQ.] qui ſymbolum cum reliquis minis quinque afferat. VENIENTEM] miſſum à milite. CACVLAM] ſeruum militis, nomine Harpagem, ſeu Harpaga. INTERVORTIT SYMBOLO] interuortit ſeruum ſymbolo, hoc eſt, interuertit ſymbolum à ſeruo allatum: intercipit, à ſeruo auertit, & ad ſe transfert. DICENS SYRVM SE BALL.] dicens ſe eſſe Ballionis ſeruum nomine Syrum, omnia Ballionis negotia gerentem, & Subbalionem quendam. HERILI] filio herili. SIMIÆ] ſeruo, quem Syrus ſubornarat, & ad Balliõe pro Harpage miſerat. HARPAX VERVS] nam Simia ille fuerat ſimulatus, & à Syro ſuppoſitus. QVOD ERAT PACTVS] Senex præſenſerat, Syrum Ballioni fallaciam ſtruere, vt puellam illam ei eriperet, præmonuerátque lenonem, vt ſibi caueret. Leno vſque adeò ſecurus fuerat à Syri artibus & fallaciis, ſibíque tantoperè confiſus erat, vt vltro ſeni xx. minas promiſerit, ſi à Syro circumuentus & captus eſſet. Captus igitur xx. minas, quas pactus erat, dependit.

## PROLOGVS.

A

STVDETE hodie mihi, bona in ſcenam affero.
Nam bona bonis ferri, reor æquom maxumè,
Vt mala malis: vt qui mali ſunt, habeant mala:
Bona, qui boni. bonos quòd oderint mali,
Sunt mali: malos quòd oderint boni, bonos B
Eſſe oportet: vóſque ideò eſtis boni, quandoquidem
Semper odiſtis malos, & lege & legionibus
Hos fugitaſtis Quirites, ſucceſſis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus eſt, & hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient ſaturi.
In ſcenam qui ieiunus venerit, aut ſitiens,
Is riſu & ventre raſo vigilabit ſedulò.
Dum ridebunt ſaturi, mordebunt famelici.
Nunc ſi ſapitis, cedite ieiuni, atque diſcedite.
Vos ſaturi ſtate, immò ſedete, atque attendite. C
Non argumentum, neque huius nomen fabulæ
Nunc proloquar ego, ſatis id faciet Pſeudolus.
Satis id dictum vobis puto iam, atque deputo.
Vbi lepos, ioci, riſus, vinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio.
Qui quærit alta, is malum videtur quærere.
Curas malas abiicite iam, vt otioſi, hodie.
Exporgi meliu'ſt lombos, atque exurgier.
Plautina longa fabula in ſcenam venit.

D

ET LEGE] lex enim terret, & coërcet malos metu pœnæ: ídque domi, & in vrbe. ET LEGIONIBVS] legionibus Romani hoſteis deuicerunt, militiæ ſcilicet, & in caſtris. HOS FVGITASTIS] malos in fugam vertiſtis. fugito, as, à verbo *fugo*, as: vt cantito, à canto. Lucretius lib. 14. *Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris Abſterrere ſibi.* SVCCESSIS BONIS] bonis & proſperis euentis. ſucceſſa, orum, & ſucceſſus, uum dicimus. GREGI] gregi comico. IMMÒ SEDETE] rectè. ſedent enim ſpectatores. Horatius epiſt. ad Piſon. *Si plauſoris eges aulæa manētis, & vſque Seſſuri*, &c. ex quo ſeſſores dicuntur. idē Horatius epiſt. ad Iulium Florum lib. 2. *In vacuo lætus ſeſſor, plauſórque theatro.* & ſedilia, ſedes, in quibus ſedent. VBI LEPOS, IOCI, RISVS, &c.] ordo eſt, & ſententia, Quo in loco lepos, ioci, riſus, vinum, &c. decent, qui quærit alta in eo loco, is malum videtur quærere. EXPORGI MELIV'ST LVMBOS] voluerat dicere exporgi frontem, ſed, vt riſum moueret auditoribus, ſubſtituit lumbos.

PSEV-



A

## PSEVDOLVS ſeruus. CALIDORVS adoleſcens.

SI ex te tacente fieri poſſem certior
Here, quæ miſeriæ te tam miſerè macerant,
Duorum labori ego hominum parſiſſem lubens,
Mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi.
Nunc quoniam id fieri non poteſt, neceſſitas
Me ſubigit, vt te rogitem. reſponde mihi,
Quid eſt quod tu exanimatus iam hos multos dies,
Geſtas tabellas tecum, eas lacrumis lauis,
Neque tui participem conſilij quemquam facis?
B Eloquere, vt, quod ego neſcio, id tecum ſciam.
CA. Miſerè miſer ſum Pſeudole. PS. id te Iuppiter
Prohibeſſit. CA. nihil hoc Iouis ad iudicium attinet.
Sub Veneris regno vapulo, non ſub Iouis.
PS. Licet me id ſcire quid ſit: nam tu me antidhac
Supremum habuiſti comitem conſiliis tuis.
CA. Idem animus nunc eſt. PS. fac me certum quid tibi
Sit, iuuabo te aut re, aut opera, aut conſilio bono.
CA. Cape has tabellas, tute hinc narrato tibi,
Quæ me miſeria & cura contabefacit.
C PS. Mos tibi geretur, ſed quid hoc quæſo? CA. quid eſt?
PS. Vt opinor quærunt litteræ hæ ſibi liberos,
Alia aliam ſcandit. CA. ludis me ludo tuo.
PS. Has quidem pol credo, niſi Sibylla legerit,
Interpretari alium poteſſe neminem.
CA. Cur inclementer dicis lepidis litteris,
Lepidis tabellis, lepida conſcriptis manu.
PS. An obſecro hercle habent quoque gallinæ manus?
Nam has quidem gallina ſcripſit. CA. odioſus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. PS. immò enim pellegam.
Aduortito animum. CA. non adeſt. PS. at tu cita.
D CA. Immò ego tacebo, tu hinc eum ex cera cita,
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.
PS. Tuam amicam video Calidore. CA. vbi ea eſt obſecro?
PS. Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.
CA. At dij deæque quantus es. PS. ſeruaſſint quidem.
CA. Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui,
Repentè exortus ſum, repentinò occidi.
PS. Tace, dum tabellas pellego. CA. ergo quin legis?
PS. Phœnicium Calidoro amatori ſuo.
Per ceram, & linum, literáſque interpretes,
Salutem mittit, & ſalutem abs te expetit,
Lacrymans, titubanti animo, corde, & pectore.

CA. Perij,ſalutem nuſquam inuenio Pſeudole, A
Quam illi remittam. PS. quam ſalutem? CA. argenteam
PS. Pro lignea ſalute vis argenteam
Remittere illi?vide ſis,quam tu rem geras?
CA. Recita modò,ex tabellis iam faxo ſcies,
Quàm ſubito argento mihi vſus inuento ſiet.
PS. Leno me peregrè militi Macedonico,
Minis viginti vendidit,voluptas mea.
Et priuſquam hinc abit,quindecim miles minas
Dederat,nunc vnæ quinque remorantur minæ:
Ea cauſſa miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem, B
Vt qui huc afferret eius ſimilem ſymbolum,
Cum eo ſimul me mitteret.ei rei dies
Hæc præſtituta eſt,proxima Dionyſia.
Cras ea quidem ſunt. CA.propè adeſt exitium mihi
Niſi quid mihi in te eſt auxilij. PS. ſine pellegam.
CA. Sino.nam mihi videor cum ea fabularier.
Lege,dulce amarúmque vnà nunc miſces mihi.
PS. Nunc noſtri amores,mores,conſuetudines,
Iocus,ludus,ſermo,ſuauis ſauiatio,
Compreſſiones arctæ amantum corporum,
Teneris labellis molles morſiunculæ, C
Papillarum horridularum oppreſſiunculæ,
Harum voluptatum mihi omnium, atq; itidem tibi
Diſtractio,diſcidium,vaſtities venit,
Niſi quæ mihi in te'ſt,aut tibi eſt in me ſalus.
Hæc quæ ego ſciui,vt ſcires curaui omnia:
Nunc ego te experiar quid ames, quid ſimules,vale.
CA. Eſt miſerè ſcriptum Pſeudole. PS. ô miſerrimè.
CA. Quin fles? PS. pumiceos oculos habeo,non queo
Lacrumam exorare vt expuant vnam modò.
CA. Quid ita? PS. genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit.
CA. Nihílne adiuuare me audes? PS. quid faciam tibi? D
CA. Heu. PS. heu id quidem hercle,ne parſis,dabo.
CA. Miſer ſum,argentum nuſquam inuenio mutuum.
Pſeudole. PS. heu. CA. neque intus nummus vllus eſt.
PS. eſt?eheu.
CA. Ille abducturus eſt mulierem cras. PS. eheu.
CA. Iſtoccine pacto me adiutas? PS. do,id quod mihi eſt.
Nam is mihi theſaurus iugis in noſtra eſt domo.
CA. Actum hodie de me eſt.ſed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi vnam,quam cras reddam tibi?
PS. Vix hercle opinor,ſi me opponam pignori.

Sed quid



A Sed quid de drachma facere vis? CA. reſtim volo
Mihi emere. PS. quamobrem? CA. qui me faciam penſilem.
Certum eſt mihi ante tenebras perſequi tenebras.
PS. Quis mihi igitur drachmam reddet,ſi dederim tibi?
An tu te ea cauſſa vis ſciens ſuſpendere,
Vt me defraudes drachma,ſi dederim tibi?
CA. Profectò nullo pacto poſſum viuere,
Si illa à me abalienatur atque abducitur.
PS. Quid fles Cucule?viues. CA. quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti ſiet,
B Neque cui libellæ ſpes ſit vſquam gentium.
PS. Vt litterarum ego harum ſermonem audio,
Niſi tu illi drachmis fleueris argenteis,
Quod tu iſtis lacrymis te probare poſtulas,
Non pluris refert,quàm ſi imbrem in cribrum ingeras.
Verùm ego te amantem,ne paue,non deſeram.
Spero alicunde hodie me bona opera,aut hac mea,
Tibi inuenturum eſſe auxilium argentarium.
Atque id futurum vnde vnde dicam neſcio,
Niſi quia futurum eſt,ita ſupercilium ſalit.
CA. Vtinam quæ dicis,dictis facta ſuppetant.
C PS. Scis tu quidem hercle,mea ſi commoui ſacra,
Quo pacto & quantas ſoleam turbellas dare.
CA. In te nunc ſunt omnes ſpes ætati meæ.
PS. Satin' eſt,ſi hanc hodie mulierem efficio tibi
Tua vt ſit,aut ſi tibi do viginti minas?
CA. Satis,ſi futurum eſt. PS. roga me viginti minas.
Vt me effecturum tibi quod promiſi ſcias,
Roga. CA. obſecro hercle. PS. geſtio promittere.
CA. Dabíſne argenti mihi hodie viginti minas?
PS. Dabo,moleſtus nunc iámne ſis mihi.
D Atque hoc ne dictum tibi neges,dico prius,
Si neminem alium potero,tuum tangam patrem.
CA. Dij te mihi omnes ſeruent. verùm ſi potes
Pietatis cauſſa,vel etiam matrem quoque.
PS. De iſtac re,in oculum vtrumuis conquieſcito.
CA. Oculum vtrum, ánne aurem? PS. at hoc peruolgatum eſt minus.
Nunc ne quis dictum ſibi neget,dico omnibus,
Pubi præſenti,in concione,omni poplo,
Omnibus amicis,notíſque edico meis,
In hunc diem à me vt caueant,ne credant mihi.
CA. Tace obſecro hercle. PS. quid negotij eſt? CA. oſtium

uuu

Lenonis crepuit. PS. crura mauellem modò. A
CA. Atque ipſe egreditur, penitus periurum caput.

DVORVM LABORI EGO HOM.] id eſt, duos homines labore leuaſſem, ſeu liberaſſem, me te rogandi, & te mihi reſpondendi. MEI] mis. ET TVI] & tis. TABELLAS] has tabellas acceperat à Phœnicio, quibus ei ſignificabat ſe militi à lenone eſſe venditam xx. minis: rogans vt anteuertat, & ſe redimat. LANIS] antiquè pro lanas. PROHIBESSIT] prohibuerit. ANTIDHAC] antehac. SVPREMVM] ſummum. FAC ME CERTVM] ſic Virgilius, facinus certum. vſitatiùs dicunt Latini, facere certiorem. CONSILIO BONO] rectè. nam malum conſilium, ei qui dedit, peſſimum. ALIA ALIAM SCANDIT] litteræ ſcilicet non erat recta linea collocatæ, ſed, vt à puella ſcriptæ, alia alij erat impoſita, & quaſi incubabat. iccirco facetè dicit ſeruus, eas ſibi liberos quærere, quaſi alia aliam iniret, quod faciunt qui liberos procreare volunt. NISI SIBYLLA L.] quæ etiã ſi legere non poſſit, diuinare tamen poſſit. CVR INCLEMENTER DICIS] cur maledicis. AN OBSECRO, &c.] ſignificat ſeruus perturbatè & confuſè, & inſcienter eſſe ſcriptas. CITA] euoca animum tuum abſentem. TVAM AMICAM VIDEO] ſignificat ſe nomen Phœnicij videre, in tabellis ſcriptum. Calidorus ad rem, non ad nomen referebat. IN CERA CVBAT] in tabellis ceratis ſcripta eſt. ſcribebant veteres in tabellis ceratis: ex quo prima cera, ſecunda cera, ima cera, &c. qua de re alibi. B AT TE DII, DEÆ QVE, &c.] addicturus fuit Calidorus, perdant, ſeu perduint, ſed ſeruus anteuertens, & interloquens, ſubſtituit, ſeruaſſint. SOLSTITIALIS HERBA] quæ ſole exoriente exſurgit, & effloreſcit, occidente, óccidit, & defloreſcit, & florem contrahit. ET LINVM] quo erant vinctæ tabellæ. INTERPRETES] interpretes cogitationum mentis. ſic Horatius, linguam interpretem dicit, epiſtol. ad Piſon. *Poſt effert animi motus interprete lingua.* TITVBANTI ANIMO] incerto animo. tralatio eſt à pedibus titubantibus. PRO LIGNEA SALVTE] ideò ligneam ſalutem dicit, quòd tabellis, quæ erant ligneæ, miſſa fuerat. VIDE SIS] vide ſi vis. vide quæſo: vel, vide ſi tibi videtur. SYMBOLVM] notam, quæ inter eos conuenerat, qualis fuerit ea nota, mox declarat. DIES HÆC PR.] ſic conuenerat, vt proximis Dionyſiis, reliquæ quinque minæ numerarentur. Dionyſia autem iam aderant, & die craſtino futura erant. DVLCE, AMARÚMQVE] γλυκύπικρον. MISCES] alloquitur fortaſſe Phœnicium abſentem, ſignificans eam iis verbis, quæ deinceps ſequuntur, miſcere dulce cum amaro: vel ſeruum ipſum tabellarum lectorem, quæ dulce & amarum proximis verbis contineant. COMPRESSIONES ARCTÆ] ſic legendum potiùs, C quàm arctè. HORRIDVLARVM] duriuſcularum, & ſolidarum, quales ſunt puellarum adoleſcentularum, non mollium & flaccidarum & vietarum, quales vetularum: vel vt Nonius, prominentium, exſtantium: quem conſule in vocibus, Horrendum & horridum, vbi hunc locum profert. DISCIDIVM] ſic legendum, à verbo *diſcindo*, & verò ſic legitur apud Nonium in voce *vaſtities*, non diſſidium. VASTITIES] vaſtitas, vaſtitudo. profert Nonius hunc verſum in voce *vaſtities*. PVMICEOS] inſtar pumicis aridos, ex quibus nulla lacryma exprimi aut elici queat. VT EXPVANT] vt emittant. tralatio eſt, faceta & ridicula, & ſeruo digna. alioqui putida, & inepta. GENVS NOSTRVM] noſtra progenies. SICCOCVLVM] ſiccis oculis. NE PARSIS] ne parcè plores, & eiules. DABO] ſuppeditabo tibi magnam copiam harum vocum flebilium. NAM IS MIHI THES.] theſaurum domi habeo ploratuũ, & fletuum, propter incommoda ſeruitutis ſcilicet. IVGIS] peremnis. SI ME OPPONAM PIGNORI] etiam ſi me oppignerem. RESTIM] funem, ex quo me ſuſpendam. Terentius. *ad reſtim mihi res rediit.* PENSILEM] pendulum. vua penſilis. horti penſiles. ANTE TENEBRAS] antequàm nox adueniat. PERSEQVI TENEBRAS] mortem oppetere. QVÒD TV ISTIS D LACR.] quòd poſtulas te illi probare lacrymis, id eſt, in eo, quòd æquum cenſes te exiſtimari ab illa probum & verum amatorem, ob lacrymas, falleris. nam nihil plus aſſequêre lacrymando, quàm ſi aquam in cribro geras. BONA OP.] recta ratione. AVT HAC] aut aliqua fallaci, & callida, & doloſa, & me digna, via. ITA SVPERC. S.] ſumtum à vulgi opinione ac ſuperſtitione. VTINAM QVAE DICIS, DICTIS F. S.] vtinã facta dictis, quæ dicis, ſuppetãt. vtinam dicta tua non ſint inania, & vacua à factis. MEA SI COMM. S.] ductũ fortaſſe à ſacris Bacchi, quæ nemo impune cõmouet: quæq; à Baccho ipſo cõmota, magnas turbas excitãt. SATIN' EST SI H. M.] ſatíſne eſt, ſi efficio hodie tibi vt hæc mulier tua ſit, aut ſi, &c. millies iã, hoc loquendi genus eſſe à Græcis ſumtũ, & à Comicis præcipuè vſurpatũ admonuimus. ROGA ME VIGINTI MIN.] ridiculè ſeruus non ſatis habet nudo pacto has viginti minas promiſiſſe, ſed vt Calidoro magis cautum ſit, & vt ille minus dubitet, aut diffidat, vult eum à ſe has viginti minas ſtipulari. Stipulatio autem contractus eſt validiſſimus, ac firmiſſimus: qui conſtat ex antè egreſſa interrogatione, & ſubſecuta promiſſione. GESTIO PROM.] cupio promittere roganti, vt ſit ſtipulatio, eáſque viginti minas debeam ex ſtipulatu. DABÍSNE HODIE, &c.] en, ſtipulationis formula. Exſtat in pãdectis iuris ciuilis, titulus de verborũ obligationibus libr. digeſt. vbi multa de ſtipulationibus. NE DICTVM TIBI NEGES] vt te præ-



A te præmonitum, ſeu vt tibi prædictum memineris. TANGAM] adoriar, petam. PIETATIS CAVSA] iocus ex cõtrario, nam ſi impium eſt, patrem fallere, magis impium eſt, etiam matrem. IN OCVLVM VTRVMVIS CONQVIESCITO.] in vtrumque oculum dormito. ſecurus eſto. OCVLVM VTRÙM, &c.] vtrùm in vtrúmque oculum, an in vtrámque aurem? NE QVIS DICT.] ne quis ſibi prædictum neget. ſic ſuprà non longè. PVBI PRAESENTI] Feſtus. Pube præſenti eſt populo præſente, συνεκδοχικῶς ab iis, qui puberes ſunt, omnem populum ſignificans. CRVRA MALL. CREP.] crura mallem crepuiſſe, id eſt, fracta eſſe. crura autem eorum, qui in crucem acti erant, frangebantur. PERIVRVM CAPVT] periurus homo.

## LENO. LORARII IIII. PSEVDOLVS. CALIDORVS.

B EXite, agite, ite ignaui, malè habiti, & malè conciliati,
Quorum numquam quicquam cuiquam venit in mentem, vt
rectè faciant.
Quibus niſi ad hoc exemplũ experior, non poteſt vſurpari vſura.
Neque ego homines magis aſinos vmquam vidi, ita plagis coſtæ
callent.
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi ſunt flagritribæ.
Qui hæc habent conſilia, vbi data occaſio eſt, rape, clepe, tene,
harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc eſt eorum opus,
C Vt mauelis lupos apud oueis linquere, quàm hos domi cuſtodes.
At faciem cùm aſpicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt.
Nunc adeò hanc edictionem, niſi animum aduortitis omnes,
Niſi ſomnum, ſocordiámque ex pectore, oculíſque amouetis,
Ita ego veſtra latera loris faciam vt validè varia ſint,
Vt ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri antè dixeram omnibus, dederámque eas prouincias.
Verùm ita vos eſtis perditi, negligentes, ingenio improbo,
Officium veſtrum vt vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati eſtis vos. vincite hoc duritia ergo, atque me.
D Hoc vide ſis. vt alias res agunt? hoc agite, hoc animum aduortite,
Huc adhibete aures, quæ ego loquar, plagigera genera hominum
Numquàm ædepol veſtrum durius tergum erit, quàm terginum
hoc meum,
Quin nunc dolétne? hem, ſic datur, ſi quis herum ſeruus ſpernit.
Aſſiſtite omnes contra me, & quæ loquor, aduortite animum.
Tu qui vrnam habes, aquam ingere, face plenum aënum ſit citò.
Te, cum ſecuri, caudicali præficio prouinciæ.
LO. At hæc retunſa eſt. LE. ſine ſiet, itidem vos eſtis plagis omnes.
Num qui minus ea gratia tamen omnium opera vtor?
Tibi hoc præcipio, vt niteant ædes, habes quod facias, propera, abi
intrò.

Tu eſto lectiſterniator.tu argentum eluito,idem extruito, A
Hæc,cùm ego à foro reuertor,facite vt offendam parata,
Vorſa,præſterga,ſtrata,lautáque,coctáque omnia vti ſint.
Nã mihi hodie natalis dies eſt, decet eũ omnes vos concelebrare,
Pernam,callũ,glandiũ,ſumen,facito in aqua iaceant. ſatin' audis?
Magnificè volo enim ſummos viros accipere, vt mihi rem eſſe reantur.
Intrò abite,atque hæc citò celebrate.ne mora quæ ſit, cocus cùm veniat
Mihi.ego eo in macellum,vt piſciũ quicquid eſt pretio pręſtinem.
I puere præ,ne quiſquam pertundat crumenam cautio eſt.
Vel opperire,eſt quod domi dicere pæne ſum oblitus. B
Auditin',vobis mulieres hanc habeo edictionem:
Vos quæ in munditiis,mollitiis,deliciíſque ætatulam agitis
Viris cum ſummis inclytæ amicæ, nunc ego ſcibo, atque hodie experiar,
Quæ capiti,quæ ventri operam det, quæque ſuæ rei, quæ ſomno ſtudeat.
Quam libertam fore mihi credam, & quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie,vt mihi munera multa huc ab amatoribus cõueniãt.
Nam niſi penus annuus hodie conuenit, cras populo proſtituam vos. C
Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc.vbi iſti ſunt,quibus vos oculi eſtis?
Quibus vitæ,quib.deliciæ eſtis?quibus ſuauia? mamillæ? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædeis iam hîc aſſint.
Cur ego veſtem,aurum,atque ea,quibus eſt vobis vſui,præhibeo? quid mihi
Domi, niſi malum, veſtra opera eſt hodie? improbæ vini modò cupidæ eſtis,
Eo vos veſtros panticéſq. adeò madefacitis,cũ ego ſim hic ſiccus.
Nunc adeò hoc factum eſt optimum,vt nomine quamque appellem ſuo. D
Ne dictum eſſe actutum ſibi quæpiam veſtrarum mihi neget, aduortite animum cunctæ.
Principio Hedylium tecum ago,quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maximi acerui frumenti ſunt domi:
Fac ſis ſit delatum huc mihi frumentũ,in hunc annum quod ſatis
Mihi,etiã familiæ omni ſit meæ,atque adeò vt frumento affluam:
Vt ciuitas nomen mihi commutet,méque vt prædicet
Lenone ex Ballione regem Iaſonem. CA. audin' furcifer
Quæ loquitur,ſatin' magnificus tibi videtur? PS. Pol iſte
Atque etiam malificus,ſed tace, & hanc rem gere.





A LE. Æſchrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lanios,qui item vt nos iureiurando malo quærunt rem, audi:
Niſi carnaria tria grauida tergoribus oneri vberi hodie
Mihi erunt,cras quaſi Dircam olim(vt memorant)duo
Gnati Iouis deuinxêre ad taurum,item hodie ſtringam ad carnarium,id tibi
Profectò taurus fiet. CA. nimis ſermone huius ira incendor.
PS. Hunccine hîc hominem pati colere iuuentutem Atticam?
Vbi ſunt?vbi latent,quibus ætas integra eſt?qui amant à lenone?
Quin conueniunt? quin vnà omnes peſte hac populum hunc liberant?
B Sed nimis ſum ſtultus,nimiùm fui indoctus,illíne audeant
His id facere?quibus vt ſeruiant,ſuus amor cogit.ſimul
Prohibet,faciant aduerſum eos quod volunt. CH. vah tace. PS. quid eſt?
CA. Malè morigerus, malè facis mihi, cum ſermone huic obſonas. PS. taceo.
CA. At taceas malo multo,quàm tacere te dicas. LE. tu autem
Xyſtylis fac vt animum aduortas,qoius amatores oliui
Dynamin domi habent maxumam.
Si mihi non iam huc culleis oleum deportatur,
Te ipſam culleo ego cras faciam deportere in pergulam.
C Ibi tibi adeò lectus dabitur,vbi tu haud ſomnum capias,
Sed vbi vſque ad languorem.tenes quorſum hæc ſe tendant quæ loquor?
En excetra tu,quæ tibi amicos tot habes,tam probè oleo onuſtos.
Num cuipiam eſt hodie tua tuorum opera conſeruorum
Nitidiſſimum caput?aut num ipſe ego pulmento vtor magis
Vnctiuſculo?ſed ſcio,tu oleum haud magnipendis,vino te
Deuincis,ſine modò.reprehendam ego cuncta hercle vna opera, niſi
Quidem hodie tu omnia facis ſceleſta,hæc vti loquor.
D Tu autem quæ pro capite argentum mihi iam iámque ſæpè numeras,
Ea paciſci modo ſcis:ſed quæ pacta es,non ſcis ſoluere.
Phœnicium,tibi hæc ego loquor,deliciæ ſummatum virûm,
Niſi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus affertur,
Cras Phœnicium Phœnicio corio inuiſes pergulam.

EXITE]alloquitur ſeruos. ET MALÈ CONCILIATI]& malè quæſiti,ſeu parti. CALLENT]callũ contraxerunt verberibus. FLAGRITRIBÆ]qui flagra ferunt. QVI HÆC HAB. C.]hæc cõſilia inter ſe ineunt,& hæc inter ſe hortãtur:rape,&c. CLEPE]furare. HARPAGA.]verbum à Græco ἁρπάζω ductum. ES]es,in imperatiuo:hoc eſt,ede,comede. OPERA FALLVNT]facie & aſpectu videntur eſſe alicuius pretij:opera:id eſt,ſi hero opera danda ſit,ignaui ſunt,& nequã. HANC EDICTIONEM] ſubintell.accipite. NISI SOMNVM

SOCORD.]redde ſingula ſingulis,hoc modo:niſi ſomnum ex oculis,ſocordiam ex pectore a- A
mouetis,&c.Eſt autem χιασμός.nam primùm reſpondet quarto:ſecundum tertio. VARIA]
variata,variis notis diſtincta. PICTA]acu. CAMPANICA]in Campania laborata:vel qui-
bus Campani vtebantur. BELLVATA] in quibus erant belluæ acu pictæ. OFFICIVM
VESTRVM VT]vt cogatis vos commoueri à me officium veſtrum: veſtro malo, hoc eſt, vt
cogatis me flagra in manus ſumere,quibus vos officij veſtri,ſeu officium veſtrum cõmoneam.
Nam vtroque modo loquuntur Latini,commoneo te officium tuum,& commoneo te officij
tui.Interdum & hoc modo,commoneo te de officio tuo. VINCITE HOC DVRITIA]
quia ſic animati eſtis,vt officiũ veſtrum non niſi malo coacti facere velitis, vincite hoc lorum,
ſeu flagrũ bubulum duritia:habete tergum hac ſcutica bubula durius.QVIN NVNC DO-
LÉTNE?] ſeruis verberatis hæc loquitur. Quin nunc ſentitíſne?ánne hæ quidem plagæ vo-
bis dolorem incutiunt? HEM SIC DATVR]hem ſic verberari ſolent ſerui negligentes &
ignaui. CAVDICALI PRÆFICIO PR.]vt lignum findas, & in tabulas,ac fragmẽta mi-
nuta diſſeces.Caudex,ſeu codex arboris truncus.ſignificat etiam interdũ tabularũ contextum.
RETVNSA EST]retuſa eſt. ITIDEM VOS ESTIS PL.]ſic vos eſtis omnes plagis retu-
ſi. NVM QVI MINVS]nunc iccirco vel pilo minus veſtra omnium opera vtor?Num qui,
id eſt,num quo,ſeu num aliquo.EA GRATIA]iccirco,ob eã cauſam. TIBI HOC PRAE- B
CIPIO]tibi hoc præſcribo.VT NITEANT]vt ſint mũdæ & nitidæ.LECTISTERNIA-
TOR]nomen quaſi verbale à lecti ſternio factum. IDEM EXSTRVITO] tu idem argen-
tum è thecis expromtum diſponito,ſeu componito.VERSA]à verrendo.VT MIHI REM]
vt me locupletem & copioſum eſſe putent. PRÆSTINEM]emam.CAVTIO EST]cauen-
dum eſt. VEL OPPERIRE]vel exſpecta. VOBIS MVLIER. HANC] vobis mulieres
hæc habeo quæ edicam. AMICÆ]ἑταίρας. QVÆ CAPITI]quæ ſaluti,& libertati ſtudeat.
PENVS ANNVVS] penus in totum annum. QVIBVS VOS OCVLI ESTIS?] qui-
bus eſtis caræ vt oculi?vel qui vos in oculis ferunt?vel qui vos ſuos oculos appellant? MEL-
LITÆ]qui vos appellant mellitas: MANIPVLATIM]per manipulos,gregatim. PRÆHI-
BEO?]præbeo?VINO MODÒ CVPID. ESTIS]vini modò cupidæ eſtis.PANTICÉSQ.]
ventres,ventris amplitudinem,vel vt alij, pinguitudinem, & omáſum. Martial. lib. 6. *Quid cum
panticibus laxis,& compede grandi?* FACTVM EST OPTIM.] legendum fortaſſe eſt,factu eſt
optimum. CVNCTAE]vniuerſæ. TECVM AGO]tecum loquor. MONTES MAXIMI
ACERVI]acerui maximi,inſtar montium,vel montes,& maximi acerui. REGEM IASO-
NEM]Iaſonem Theſſaliæ,ſeu Pherarum tyrannum,qui ætate Timothei, & Epaminondæ flo-
ruit,malim intelligi,quàm Iaſonem illum Argonantum. IVREIVRANDO MALO]periu- C
rio.ἐπιορκία. CARNARIA]vaſa,ſeu loca,in quibus carnes aſſeruantur. GRAVIDA]ſic ha-
bent noſtri codices manuſcripti, cum vulgatis congruentes. nam Camerarius edidit, *granda*.
ONERI VBERI] malim legi,onere vberi,vt ſit κατὰ σύνθεσιν tergoribus onere vberi, vel
dic,niſi erunt mihi oneri vberi: id eſt, niſi erunt mihi in onus vberi.vulgati libri habent, one-
ratu. QVASI DIRCAM OLIM (VT MEMORANT) DVO.]Zethus & Amphion Io-
uis ex Antiopa filij Dircen,quam Lycus Antiopa,eorũ matre eiecta, vxorem duxerat, quæque
Antiopam in vincula coniecerat, caudæ bouis indomiti alligarunt, Lycúmque interfecerunt.
Apollodorus Propertius lib.2.eleg.xiij. hanc fabulam aliquot verſibus commemorat. SER-
MONE]ob ſermonẽ. HVNCCINE HÎC HOM.&c.]verúmne eſt,fáſne eſt,oportétne,de-
cétne iuuentutem Atticam pati hunc lenonem hîc habitare? QVI AMANT À LENO-
NE?]qui amant puellas à lenone,hoc eſt,ex domo lenonis. QVIN CONVENIVNT?] cur
non conueniunt? ILLÍNE AVDEANT,&c.] credibiléne eſt, illos iuuenes, qui ad amorem
plerumque ſunt proclines,auſuros id facere lenonibus?quibus vt ſeruiãt,ſuus hoc eſt, ipſorum
iuuenum,amor cogit?ſimúlque idem amor prohibet,ne aduerſum eos (lenones) faciant, quod D
volunt? CÙM SERMONE HVIC OBS.]cùm tuo ſermone lenoni obſtrepis, ita vt eius
orationem exaudire non poſſim. DYNAMIN]vim,copiam.vox Græca eſt. CVLLEIS]cul-
leus ex corio conſtabat,& viginti amphoras, ſeu venas quadraginta continebat, vt docet Pli-
nius. TE IPSAM CVLLEO EGO]ego faciam,vt tu ipſa culleo deportere,&c. IN PER-
GVLAM]in vmbraculum,aut tabernam aliquam,in qua proſtes ſcilicet omnium prætereun-
tium libidini expoſita.Non ſolùm autem pauperes,artifices,opifices, quibus domus non erat,
in pergulis habitabant,verùm etiam ſcorta vilia,& diobolaria,& omni prætereuntium libidi-
ne proſtituta,mercem ſuam ſcilicet omnibus venalem proponentia. Sic Suetonius lib. de cla-
ris Grammaticis refert Craſſitum Libertium pauperẽ grammaticum, docuiſſe in pergula.vide
Adrian.Turneb.Aduerſ.lib.8.cap.2.VBI VSQ. AD LANG.]verbũ turpe tacuit.voluit enim
dicere,vbi vſque ad languorem ſubigere, aut aliquid aliud ſimile. TENES QVORS. HAEC
SE TEND.]quod obſcuriùs duxiſſe pudori ſpectatorũ parcens videbatur,planiùs eloquitur,
idq.fortaſſe geſtu actor adiuuat,nã in verbo,*tendant*,ineſt interdũ obſcœnitas. ex quo, tentigo.
noſtri libri tamen non habẽt pronomen *ſe*,ante verbũ *tendãt*:ſed vt vulgati quorſum hęc tẽdant.
EXCETRA TV]tu vipera.ſic Camerarius & edidit,& interpretatus eſt.alloquitur autẽ eandẽ
illam puellã oleariam:id eſt,cuius amatores olei vim habent maximam,vt & idem Camerarius
indicat,



A indicat,& verba ipſius Plauti,quæ ſequuntur,declarant. NVM CVIPIAM EST H.] num
cuipiam tuorum conſeruorum caput tua opera eſt nitidiſſimum? num conſeruorum tuorum
capilli tua opera, id eſt, quæſtu meretricio,quem facere deberes ex oleariis amatoribus, maxi-
mè nitẽt? proinde ac ſi dicat : nihilo magis nitent cuiuſquam capilli tua opera. capillos autem
oleo nitere:& capillos nitentes,ſeu nitidos dicũt ſcriptores Latini & maximè Poëtæ,quos oleo
delibutos eſſe ſignificant. AVT NVM IPSE EGO,&c.] aut num ego ipſe vtor pulmento
vel minimo vnctiore? VINO TE DEVINCIS] ita te vino obruis, vt neque pedes, neque
lingua ſuo officio fungi queant,ſed vincti ſint. REPREHENDAM EGO C.]omnia hercle
tua peccata vna opera corrigam,& animaduertam,niſi quidẽ,&c. Secutus ſum autem hîc quo-
que editionem Camerarianam,quæ cum librorum noſtrorum ſcriptura congruit.Nam vulga-
ti habent,rependam. SCELESTA] tu ſceleſta. PRO CAPITE] pro tua libertate. SÆPE
NVMERAS] ſæpè dicis te iam iámque numeraturam. DELICIÆ SVMMATVM VI-
RÛM]delici æprimorum virorum tu quæ amaris & coleris à primariis viris. PHŒNICIO
CORIO] id eſt,Pœniceo corio.omnino malim hîc legi,Pœniceo,id eſt,purpureo, vt ſit paro-
nomaſia.

B

## CALIDORVS. PSEVDOLVS. BALLIO leno

PSeudole,non audis quæ hic loquitur? PS. audio here equi-
dem atque animum aduorto.

CA. Quid mihi es autor,huic vt mittam, ne amicam hic meam proſti-
tuat?

PS. Bene curaſſis,liquido es animo,ego pro me & te curabo.
Iamdiu ego huic bene & hic mihi volumus, & amicitia eſt anti-
qua.

C Mittam hodie huic ſuo die natali malã rem magnam & maturam

CA. Quid opus eſt. PS. potin' aliam rem vt cures? CA. at.
PS. bat. CA. crucior. PS. cor dura.

CA. Non poſſum. PS. fac poſſis. CA. quónam pacto poſſim vin-
cere animum?

PS. In rem quod ſit præuortaris,quàm re aduerſa animo auſcultes.

CA. Nugæ iſthæc ſunt,non iucundum eſt,niſi amans facit ſtultè. PS.
Pergin'

CA. O Pſeudole mi, ſine ſim nihili. PS. mitte me ſis, ſino,modò ego
Abeam. CA. mane, mane. iam vt voles me eſſe, ita ero. PS.
D nunc tu ſapis.

BA. It dies. ego mihi ceſſo, i præ puere. CA. heus abiit. quin re-
uocas?

PS. Quid properas?placidè. CA. at priuſquam abeat BA. quod
hoc malum? tam placidè is, puere.

PS. Hodie nate heus,hodie nate,tibi ego dico,heus hodie nate,redi &
Reſpice ad nos,tametſi occupatus. moramur,mane,ſunt colloqui
Qui volunt te. BA. quid hoc eſt,quis eſt qui moram occupato
moleſtam obtulit?

CA. Qui tibi ſoſpitalis fuit. BA. mortuus eſt,qui fuit:qui eſt,viuus eſt.

PS. Nimis ſuperbè. BA. nimis moleſtus. CA. reprehende ho-
minem,aſſequere.

BA. I puere. PS. accedamus hàc obuiam. BA. Iuppiter te perdat, quiſquis es. A
PS. Te volo. BA. at vos ego ambos, verte hàc te puere. PS. non licet
Colloqui te? BA. at mihi non lubet. CA. ſin tuam eſt quippiam in rem? BA. licet.
Ne obſecro viuere, an non licet? PS. vah manta. BA. omitte. CA. Ballio.
PS. Audi. BA. ſurdus ſum, profectò inanilogus es. CA. dedi, dum fuit.
BA. Non peto quod dediſti. CA. dabo quando erit. BA. ducito
Quando habebis. CA. heu heu quàm ego malis perdidi modis, B
Quod tibi detuli & quod dedi. BA. mortua re, verba nunc facis.
Stultus es, rem actam agis. PS. noſce ſaltem hunc quis eſt. BA. iam diu
Scio qui fuit: nunc quis eſt is, ipſus ſciat. ambula tu.
PS. Potin' vt ſemel modò Ballio hunc cum lucro reſpicias?
BA. Reſpiciam iſtoc pretio. nam ſi ſacrificem ſummo Ioui,
Atque in manibus exta teneam vt porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.
PS. Non poteſt pietate obſiſti huic, vt res ſunt cæteræ.
Deos quidē quos maximè æquum eſt metuere, eos minimi facit. C
BA. Compellabo, ſalue multum, ſerue Athenis peſſume.
PS. Di te deæque ament, vel huius arbitratu, vel meo:
Vel ſi dignus alio pacto, neque ament, neque faciant bene.
BA. Quid agitur Calidore? PS. amatur, atque egetur acriter.
BA. Miſereat, ſi familiam alere poſſim miſericordia.
PS. Eia ſcimus nos quidem te qualis ſis, ne prædices.
Sed ſcin' quid nos volumus? BA. pol ego propemodò. vt malè ſit mihi
PS. Et id, & hoc quod te reuocamus, quæſo animum aduorte. CA. audio.
Atque in pauca, vt occupatus nunc ſum, confer quid velis. D
PS. Hunc pudet quòd tibi promiſit, quáque id promiſit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
BA. Nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget:
Non dediſſe iſtum pudet: me quia non accepi, piget.
PS. At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modò.
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob ſimultatem ſuam.
BA. Fuit occaſio ſi vellet, iampridem argentum vt daret.
CA. Quid ſi non habui? BA. iam haberes, inuenires mutuum,
Ad Daniſtam deuenires, adderes fœnuſculum,
Surripuiſſes patri. PS. ſurriperet hic patri audaciſſime?

Non



A Non periculum eſt, ne quid rectè monſtres? BA. non lenonium eſt.
CA. Egon' patri ſurripere poſſim quicquam, tam cauto ſeni?
Atque adeò ſi facere poſſem, pietas prohibet. BA. audio,
Pietatem ergo iſtam amplexator noctu pro Phœnicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo præuortere,
Omnes tibi patres ſunt? nullus eſt tibi, quem roges mutuum
Argentum? CA. quin nomen quoque iam interiit, mutuum.
BA. Heus tu poſtquam hercle iſti à menſa ſurgunt **
Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores ſunt, ne credant alteri.
B CA. Nimis miſer ſum, nummum nuſquam reperire argenti queo:
Ita miſer & amore pereo, & inopia argentaria.
BA. Eme die cæca hercle oliuum, id vendito oculata die.
Iam hercle vel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ.
CA. Perij, an non tum lex me perdit, quina vicenaria?
Metuunt credere omnes. BA. eadem eſt mihi lex, metuo credere.
PS. Credere autem? ehò an pœnitet te, quando hic fuerit vſui?
BA. Non eſt iuſtus quiſquam amator, niſi qui perpetuat data,
Dátque vſque quando nihil ſit, ſimul amare deſinat.
CA. Nihil ne te mei miſeret? BA. inanis cedis, dicta non ſonant.
C Atque ego te viuum, ſaluumque vellem. PS. ehò an iam mortuus eſt?
BA. Illico vixit amator, vbi ille lenoni placet.
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia.
Nam iſtoc quòd nunc lamentare non eſſe argentum tibi,
Apud nouercam quérere. PS. eho tun' vmquam huius nupſiſti patri?
BA. Dij melius faciant. PS. fac hoc, quod te rogamus Ballio,
Mea fide ſi iſti formidas credere. ego in hoc triduo
Aut terra, aut mari alicundè euoluam id argentum tibi.
D BA. Tibi ego credam? PS. cur non? BA. quia pol, qua opera ſic credam tibi.
Vna opera alligem canem fugitiuam agninis lactibus.
CA. Siccine mihi abs te bene merenti malè refertur gratia?
BA. Quid nunc vis? CA. vt operiare hos ſex dies ſaltem modò,
Ne illam vendas, neu perdas me hominem amantem. BA. animo bono es.
Vel ſex opperibor menſes. CA. euge homo lepidiſſime.
BA. Immo vin' etiam te faciam ex læto lætantem magis?
CA. Quid iam? BA. quia enim non venalem iam habeo Phœnicium.
CA. Non habes? BA. non hercle verò. CA. Pſeudole arceſſe hoſtias,

Victimas,lanios,vt ego huic ſacruficem ſummo Ioui: A
Nam hic mihi nunc eſt multo potior Iuppiter,quàm Iuppiter.
BA. Nolo victimas.agninis me extis placari volo.
CA. Propera,quid ſtas?arceſſe agnos,audin' quid ait Iuppiter?
PS. Iam hîc ero,verùm extra portam Metiam currendu'ſt prius.
CA. Quid eo? PS. lanios inde arceſſam duos cum tintinabulis,
Eadem duo greges virgarum inde vlmearum adegero,
Vt hodie ad litationem huic ſuppetat ſatias Ioui.
In malam crucem iſtic ibit Iuppiter lenonius.
BA. Ex tua re non eſt, vt ego emoriar. PS. qui dum? BA. ego dicam tibi,
Quia ædepol dum ego viuus viuam,numquam eris frugi bonæ. B
PS. Ex tua re non eſt vt ego emoriar. BA. qui dum? PS. ſic, quia
Si ego emortuus ſim,Athenis te ſit nemo nequior.
CA. Dic mihi obſecro. verum hercle ſeriò hoc quod te rogo,eſt?
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?
BA. Non ædepol habeo profectò.nam iampridem vendidi.
CA. Quomodo? BA. ſine ornamentis,cum inteſtinis omnibus.
CA. Meam tu amicam vendidiſti? BA. valde,viginti minis.
CA. Viginti minis? BA. vtrum vis,vel quater quinis minis,
Militi Macedonio,etiam quindecim hic habeo minas.
CA. Quid ego ex te audio? BA. amicam tuam eſſe factam argenteam. C
CA. Cur id auſus facere? BA. lubuit, mea fuit. CA. ehò Pſeudole,
I,gladium affer. PS. quid opus gladio? CA. qui hunc occidam,atque me.
PS. Quin tu te occidis potius?nam hunc fames iam occiderit.
CA. Quid ais,quantum terra tegit hominum periuriſſime?
Iurauiſtin' te illam nulli venditurum,niſi mihi?
BA. Fateor. CA. nempe conceptis verbis. BA. etiam conſultis quoque.
CA. Periurauiſti ſceleſte. BA. at argentum intrò condidi. D
Ego ſceleſtus nunc argentum promere poſſum domo:
Tu qui pius es iſtoc genere natus,nummum non habes.
CA. Pſeudole aſſiſte altrinſecus,atque onera hunc maledictis. PS. licet.
Numquam ad prætorem æquè curſim curram,vt emittar manu.
CA. Ingere mala multa. PS. iam ego te differam dictis meis
Impudice. BA. ita eſt. PS. ſceleſte. BA. dicis vera. PS. verbero.
BA. Quippini CA. buſtirape. BA. certè. CA. furcifer. BA. factum optumè.





A CA. Sociofraude. BA. ſunt mea hæc iſta. PS. patricida. BA. perge tu,
PS. Sacrilege. BA. fateor. CA. periure. BA. vetera vaticinamini.
CA. Legirupa. BA. validè. PS. pernicies adoleſcentum. BA. acerrimè.
CA. Fur. BA. babæ. PS. fugitiue. BA. bombax. CA. fraus populi. BA. planiſſumè.
PS. Fraudulente. CA. impure leno. PS. cœnum. BA. cantores probos.
B CA. Verberauiſti patrem atque matrem. BA. atque occidi quoque,
Potiuſquam cibum præhiberem,num peccaui quippiam?
PS. In pertuſum ingerimus dicta dolium,operam ludimus.
BA. Numquid aliud etiam voltis dicere? CA. ecquid te pudet?
BA. Tedamatorem inuentum eſſe inanem,quaſi caſſam nucem.
Sed quamquam multa maláque in me dicta dixiſtis mihi,
Niſi mihi attulerit miles quinque quas debet minas,
Sicut hæc eſt præſtituta numerando argento dies,
Si is non aderit,poſſe opinor facere officium me meum.
CA. Quid id eſt? BA. ſi tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
C Hoc meum eſt officium:ego operæ ſi ſit plus,tecum loquar:
Sed ſine argento fruſtra eſt,quod me tui miſereri poſtules.
Hæc mea eſt ſententia,vt tu hinc porrò quid agas,conſulas.
CA. Iámne abis? BA. negotij nunc ſum plenus. PS. paulò pòſt magis.
Illic homo meus eſt.niſi omnes di me atque homines deſerunt,
Exoſſabo ego illum ſimulter itidem vt murænam cocus.
Sed nunc Calidore operam te mihi volo dare. CA. quid imperas?
PS. Hoc ego oppidum admœnire,vt hodie capiatur,volò.
D Ad eam rem vſu'ſt hominem aſtutum, doctum, ſcitum, & callidum,
Qui imperata effecta reddat,non qui vigilans dormiat.
CA. Cedo mihi quid es facturus? PS. tempori ego faxo ſcies.
Nolo bis iterare,ſat ſic longæ fiunt fabulæ.
CA. Optumum atque æquiſſimum oras. PS. propera, adduc hominem citò
Pauci ex multis ſunt amici homini qui certi ſient.
CA. Ego ſcio iſtuc. PS. ergo vtrumque tibi nunc delectum para.
Ex multis exquire illis vnum tibi qui certus ſiet.
CA. Iam hic faxo aderit. PS. potin' vt abeas? tibi moram dictis creas.

QVID MIHI ES AVCTOR] quid mihi es auctor vt faciam? vel quid mihi ſuades vt faciam? HVIC VT MITTAM] non mihi es auctor, vt huic mittam puerum, qui eum meis verbis roget ne amicam in pergula deportet, & omnibus proſtituat? BENE CVRASSIS] bene curaueris: hoc eſt, rectè feceris, ſi curaueris. Hoc dicit Pſeudolus, quaſi ei aſſentiens, & non valde laborans, & lentè ferens quid ille faciat: deinde iubet eum liquido & tranquillo & ſecuro eſſe animo. Hoc enim ſibi curæ fore. LIQVIDO ES ANIMO] eſto animo non turbido, eſto animo æquo, & tranquillo, & vt alibi loquitur, defæcato. IAM DIV HVIC] iamdiu ego & leno beneuoli inter vos & amici ſumus. POTIN' ALIAM R.] potéſne quiſcere, aut aliam rem curare? quaſi dicat, aliam rem cura, & ſine me hãc rem curare. BAT] cùm eſſet aliquid contrà dicturus Calidorus, videns properato opus eſſe interloquitur Pſeudolus, & ſermonem eius faſtidioſè interrumpit, facetè eandem vocem littera à principio addita, iterans. Soſipat. Cariſius lib. 2. inſtit. Grammatic. ait, *bat*, ſonum eſſe cornicis lituum ex ore eximentis. COR DVRA] καρτέρει. animum tuum obfirma. IN REM QVOD SIT PR.] id eſt, id potius quod expediat, præoccupes, quàm in rebus parum ex animi ſententia procedentibus, animo morem geras. ISTHÆC] quæ loqueris. MITTE ME SIS] miſſum me fac, obſecro. SINO] ſino te nihili eſſe, modò me abire ſinas. QVID PROP.?] hæc loquitur Pſeudolus Calidoro properanti: non lenoni, vt alij volunt. PLACIDÈ] pedetentim, ſeu leniter & lentè. PVERE] puerum lenonis primùm reuocat: deinde lenonem ipſum. HODIE NATE] ſic lenonem appellat, quod hodie diem natalem ſuum celebret. TAMETSI OCCVPATVS] malim legi, *occupatum*, vt cohæreat cum verbo *moramur*. SVNT COLL. QVI V.] ſunt qui te conuenire volunt. ſic Plautus loqui ſolet, & verbum *colloqui*, cum accuſandi caſu coniungere. QVI TIBI SOSPITALIS FVIT] qui tibi ſalutaris fuit: qui tibi ſaluti fuit. I PVERE] hortatur puerum ſuum leno, vt pergat quem ſuprà præire iuſſerat. OBVIAM] vt ei à fronte occurramus, & ita progredi prohibeamus. TE VOLO] ambiguum eſt. Nam vel ita poteſt accipi, Te volo conuenire, vel ita, Te Iupiter perdat, volo. Atque hoc modo ſcilicet Pſeudolus vult intelligi: ídque non fefellit lenonem, qui ſic reſpondet, at vos ego ambos: id eſt, at ego volo vos ambos perdat Iupiter. NON LICET COLLOQVI TE?] non licet te conuenire? ſic ſuprà non longè. SIN TVAM EST QVIP.] ſi tibi non libet conueniendi tui copiam nobis facere, quod putes nos nihil eſſe dicturos, quod tua interſit ſcire aut audire, at nec ſi quid habemus in rem tuam, ſines te conueniri? LICÉTNE OBS.] quaſi dicat, vos me enecatis. vos ita mihi moleſti eſtis, vt mihi per vos viuere non liceat. MANTA] mane. Nonius. *mantat*, pro, *manet*. Cæcil. Hypolym. *In voltu eodem, in eadem manet militia.* Nonnulli codices etiam veteres habent, *mane*. INANILOGVS] inania loquens. nomen ex Latino & Græco iunctum. DVCITO] Phœnicium. MORTVA RE] quando res nec præterita reuocari, nec facta infecta fieri poteſt. Nam fruſtrà de præteritis rebus, quaſi integris loquimur. REM ACTAM AGIS] inanem operam ſumis. nam quod actum eſt, agi amplius non poteſt. AMBVLA TV] puerum ſuum alloquitur. CVM LVCRO] quaſi hoc dicat, non poſtulo, vt Calidorum, cum tuo damno reſpicias, ſed vt cum lucro. ISTOC PRETIO] iſtac mercede. RESPICIAM] Calidorum id eſt, ea conditione Calidorum reſpiciam, vt ſi ex eo lucrum ſim conſecuturus. VT PORRICIAM] porricere interpretatur, porro iacere. Macrob. lib. 3. Saturn. docet, *porricere*, eſſe verbum ſacrificantibus ſollemne ex diſciplina haruſpicum, & ex præcepto Pontificum, & eos falli, qui apud Virg. lib. 5. Æneid. in extrem. verba illa: *extáque ſalſos Porricit in fluctus*, &c. interpretantur, *proiicit*, quaſi Virgilius dixerit, exta eſſe proiicienda, quia adiecit in fluctus: ſed non ita eſt, inquit. Mare enim hîc accipiendum eſt pro ara, & foco, cùm ſacrificium diis maris fieri dicatur. Exta autẽ porricienda ſunt diis tãtùm in altaria, arámue, focúmue, eóue quo exta dari debebũt. NON P. P.] nõ poteſt huic pietati repugnari, vt ceteris in rebus plurimùm valet pietas, vel vt apud alios omneis plurimùm poteſt pietas. alia ratione cũ hoc pugnãdũ eſt. HVIVS] Calidori: qui nihilo plus amat Ballionem, quàm Pſeudolus. Quare ſi horũ duorũ arbitratu dij, deæque lenonem amabunt, non amabũt. AMATVR ATQVE EGETVR] amo, atque egeo acriter. MISEREAT] me, ſubintell. SCIMVS TE QVALIS S.] ſcimus qualis tu ſis. PROPEMODO] propemodum ſcio quid vultis: nempe vt malè ſit mihi. ATQVE IN PAVCA, &c.] & paucis expedi, prout ego ſum occupatus. NIMIO ID QVOD PVDET, &c.] multo facilius eſt id ferre, quod nobis pudorem affert, quàm quod damnum importat. vel ſic, multo facilius eſt famæ, quàm rei familiaris iacturam ferre. Hoc verum eſt ex perſona lenonis. ſed viro bono iactura exiſtimationis grauior eſt, quàm rei. Non admodũ diſſimile eſt illud in Trinummo. *Pol pudere quàm pigere præſtat totidem litteris.* Profert vtrumque verſum Nonius in verbo *pudet*, & docet, pudet, & piget, hoc inter ſe diſtare, quòd pudet verecundiæ eſt, piget, pœnitentiæ. Profert idem Salluſt. in bello Iugurt. Nam poſtea quę fecerit, incertum habeo, pudeátne, an pudeat magis. ME QVIA NON ACC. P.] mihi quia non accepi, dolet. HOS DIES MANTA MODO] paucos dies proximos mane modò. ſic autem interpingendum, ac diſtinguendum, vt, *paucos dies*, cum verbo *manta* cohæreat, non cum *parabit*. Sic infrà non longè admodum *vt opperiare hos ſex dies ſaltem modò*. OB SIMVLTATEM S.] propter inimicitias occultas, quas tecum gerit. VT DARET] quomodo daret. IAM HABERE] iam habere deberes. vel

dares



dares operam vt haberes. AD DANISTAM] ad fœneratorem. NON PERICVLVM EST, NEQVID R. M.] non eſt metuendũ nequid rectè præcipias, aut doceas, qui talia præcepta des Calidoro. NON LENON.] non eſt lenonis rectè monſtrare. PIETATEM ERGO ISTAM] ſi mauis pius eſſe, quàm patri pecuniam ſurripere, vt Phœnicio potiare, pietate tua contentus eſto, neque cum Phœnicio cubare poſtulato. PRÆVORTERE] anteponere. OMNES TIBI P. S.] omnéſne homines tanquam patres, vereris & colis, vt eos fallere ac fraudare non audeas? QVIN NOMEN Q. IAM INTERIIT M.] non modò res ipſa, inquit, ſed etiam nomen ipſum mutui interiit. ita omnes à mutuo dando abhorrent. HEVS TV POSTQVÀM HERCLE] ſententia horum trium verſuum hæc eſt: Heus tu poſtquam hercle iſti lurcones, & heluones è menſa ſurgunt diſtẽta, & bene curata cute, qui ſuum quidem, id eſt, quod ſibi debetur, diligenter, & acriter à debitoribus repetunt, alienum autem, id eſt, id quod aliis debent, homini reddunt nemini, ij omnes qui ſolebant antea mutuum dare, cautiores ſunt in mutuo dando, vel cauent ſibi ne pecuniam alteri credant. Horum trium verſuum primus non eſt integer, vt admonet Camerar. libri vulgati habent *ſaturi poti:* quas voces item reperi in ſuis codicibus, antiqui teſtantur quidam. ego autem reperi *ſaturi, & vuidi:* vel, *diſtenta cute*. INOPIA ARGENTARIA] pecuniæ inopia. DIE CÆCA] pecunia non numerata. non præſenti pecunia. vel ſolutione in diem collata. OCVLATA DIE] accepta pecunia præſenti: vel, ſolutione præſenti die expedita. AN NON TVM LEX ME PERD.] nónne etiam me lex quina vicenaria, quæ vetat mutuum dari filiofamiliâs minoris XXV. annis perdit? perdit autem quia hæc lex mihi obſtat, quominus pecuniam mutuam reperire poſſim. EADEM EST MIHI LEX] id eſt, eadem lex mecum facit, videlicet vt caueam ne tibi credam. CREDERE AVTEM?] hoc, vel coniunctim legẽdum eſt cum ſuperioribus, hoc modo; credere autem metuis? vel cum iis, quæ ſequuntur: hoc modo, eho, an te pœnitet credere, cùm hic tibi profuturus ſit? NISI QVI PERP. DATA] niſi qui perpetuò dat. dátque vſque idem dicet. Nã perpetuare data, & vſque dare, idẽ valent. QVANDO NIHIL S. &c.] vbi nihil ſit, ibi amare deſinat, vel ſic, cùm primùm nihil ſit, tũ amare deſinat. INANIS C.] inanis incedis, ſeu accedis ad me. CVM ARGENT. Q.] cum querimonia, & argento. QVERERE] conquereris, in indicatiuo. EHO. TVN' VMQVAM HVIVS] iocus ex eo, quod dixerat Ballio, Calidorum aqud nouercam queri: cùm lamentatur ſibi pecuniam deeſſe: quaſi eo dicto ſignificaſſet, ſe Calidori nouercam eſſe. Hoc totum autem, *tun' vmquam huius nupſiſti patri. B. Dij melius faciant.* abeſt ab editione Camerariana. MEA FIDE] ſubintell. crede. ego iubeo te iſti mea fide credere. ego tibi pro iſto ſpondeo. EVOLVAM] expediam. VNA OPERA ALL. CAN.] vna opera pecuniam perdam: qui canem fugitiuam lactibus agninis, id eſt, inteſtinis alligat, is inteſtina dat cani deuoranda: & inteſtina perdere properat, multóque magis ſi canis ſit fugitiua. Profert Nonius hunc verſum: quamquam apud eum legitur, *fugitiuum*. SALTEM MODÒ] videtur eſſe σχῆμα ἐκ παραλλήλου. VEL SEX OPP. MENSES] etiam ſex menſes opperiar, ſeu exſpectabo. hæc dicit leno, quia pecuniam iam à milite Macedonico accepit, non quòd Calidoro ſit aliquid gratificaturus, quam in ſententiam, ea accipit Calidorus errãs. NON VENALEM HABEO] non habere ſe venalem dicit, quia vendidit ſcilicet. ſed Calidorus aliter accipit. ARCESSE] iube adduci. NOLO VICTIMAS] nolo mihi victimis, aut hoſtiis ſacrificari. ſed exta agnina mihi in menſa apponi. quidã libri habent, extis minignis, id eſt, minis XX. iocoſè. CVM TINT.] cum vehiculis. Nam tintinnabulum, præter vulgatam ſignificationem, genus vehiculi eſt, quod indicat Scaliger Ioſephus cõment. in Verr. EADEM] eadem via, ſeu eadẽ opera. DVO GREGES] duos greges. duo pro duos. more veterib. vſitato, greges autẽ pro faſces poſuit. tralatione audaci & abſurda, & ſeruo digna, miniméq. verecũda. SATIAS] ſatiatas. QVIA SI EGO EMORTVVS SIM ATH.] quia ſi ego emortuus ſim, omnium, qui ſunt Athenis, nequiſſimus ſis. nũc autem me viuo, non deſit tibi homo te nequior. SINE ORN. CVM INT. OMN.] nudam vendidi. ridiculè dictũ, ſine ornamentis cum inteſtinis: & ineſt in his verbis faceta antitheſis. ESSE F. A.] cum argento cõmutatam. NAM H. F.] nam te occiſo, leno fame pereat. tu enim ei victũ ſuppeditas. QVANTVM T. T. H.] periuriſſime omniũ hominũ, quos terra tegit. Sed videtur legendũ. *quantũ terra gerit*. nam quos terra tegit, mortui ſunt. non vult autẽ dicere Calidorus lenonẽ eſſe omniũ hominũ qui mortui ſunt, periuriſſimũ, ſed omniũ, qui viuunt: id eſt, omniũ, quos terra gerit. IVRASTIN', &c.] an iuraſti, id eſt, nónne iuraſti, &c. tali interrogatione vtũtur ſcriptores veteres, etiã cùm reſpõſionẽ aientẽ ſubiici volunt. CONCEP. V.] verbis ſollemnib. cõpoſitis præſcriptis. PERIVRAVISTI] peieraſti. EGO SCEL.] ego quẽ ſceleſtũ vocas: id eſt, impiũ. NVMQVAM AD P.] numquã æquè libenter, & celeriter ad prætorẽ curram, vt ab eo manu mittar, ſubintell. atq. onerabo hunc lenonẽ maledictis. DIFFERAM] diſperdã, dilacerabo. BVSTIRAPE] buſtorũ raptor, vel mortuorum è buſto raptor. SOCIOFRAVDE] ſocij fraudator. PATRICID.] patris interfector. LEGIRVPA] legum raptor. BABÆ] interiectio eſt hoc loco hominis cum admiratione approbantis, vel negligenter aut etiã lætò, quæ ab altero dicũtur, ferentis. BOMBAX] interiectio iterũ negligẽtis, aut lætè aliquid ferẽtis, & iucũdè audiẽtis. PRÆHIB.] præbẽrẽ. IN PERT.] prouerbiũ à fabula Danaïdũ natũ. TEDAMATOR. &c.] pudet me huius rei tãtum,

quòd tu amator inuentus es inanis,tamquam nux caſſa,id eſt, vacua,& inanis. CVM ILLO PERD. F.] illi fefellerim fidem. OPERÆ SI SIT PL.] ſi ſit plus rei, quàm verborum ſcilicet. PAVLLO PÒST MAGIS]hoc apud ſe dicit Pſeudolus, ad ſpectatores conuerſus: paullo pòſt (inquit) magis eris plenus, negotij ſcilicet: quaſi ita dicat, ego tibi plus negotij,in quo ſis occupatus,faceſſam. ILLIC HÒMO MEVS EST] nunc cum Calidoro loquens, de abſente lenone.Ille homo(inquit)meus eſt. EXOSSABO] detraham ei oſſa,vt ſolet murænæ coquus.ego eo meo arbitratu tractabo,ac verſabo,& funditus euertam. ADMŒNIRE] admunire,foſſa & vallo cingere:circumuallare. allegoria ab oppidorum obſidione, atque oppugnatione. VSV'ST HOMINEM ASTVT.]opus eſt homine aſtuto,&c. NON QVI VIGILANS DORMIS] non qui ſit tardus,hebes,& ſomnolentus. CEDÒ MIHI] dic mihi. TEMPORI] ſuò tempore faciam vt ſcias. SAT SIC LONGÆ] ſat longæ ſiunt fabulæ, id eſt,comœdiæ,etiam cùm nihil iteratur,ſed ſemel omnia dicuntur.ADDVC HOMINEM C.] adduc citò hominem doctum,ſcitum & callidum, quo mihi opus eſt ad eam rem, quam paro. PAVCI EX MVLTIS SVNT AMICI] pauci ex multis reperiūtur amici certi, & fideles, & in quorum voluntate & fide quis niti poſſit. VTRVMQVE]aſtutum, & incertum. TIBI MORAM DICTIS CREAS]tu te ipſe moraris verbis tuis:id eſt,negotium tuum,quod nūc nobis eſt in manibus,tua oratione producis,& protollis.

## PSEVDOLVS.

Poſtquam illic hinc abiit, tu aſtas ſolus Pſeudole,
Quid nunc acturu's? poſtquam herili filio
Largitus dictis dapſilis,vbi ſunt ea?
Cui neque parata gutta certi conſilij,
Neque adeò argenti,neque nunc quid faciam ſcio,
Neque exordiri primùm,vnde occipias,habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quaſi poëta tabulas cum cœpit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium,reperit tamen,
Facit illud veriſimile quod mendacium eſt:
Nunc ego poëta fiam. viginti minæ
Quæ nuſquam nunc ſunt gentium,inueniam tamen.
Atque ego huic iampridem me daturum dixeram.
Ac volui iniicere tragulam in noſtrum ſenem,
Verùm is neſcio quo pacto præſenſit prius.
Sed comprimenda eſt mihi vox atque oratio.
Herum eccum video huc vnà Simonem ſimul
Cum ſuo vicino Caliphone incedere.
Ex hoc ſepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie,quas dem herili filio.
Nunc huc concedam,vt horum ſermonem legam.

ACTVRVS] ſubintellig.es? LARGITVS DICTA DAPSILIA ES] poſteaquàm largitus es verba larga,&copioſa.vulgata lectio,à qua non diſcrepat editio Camerariana, ferri non poteſt, *largitus dictis dapſilis*. VBI SVNT EA?] dicta dapſilia. GVTTA CONS.] hyperbole. tale eſt illud apud Catull.*Non eſt in tanto corpore mica ſolis*. NEQ. NVNC QVID F. SC.] mutat perſonam, & à ſecunda tranſit ad primam.NEQVE EXORD. PR.] redit iterum ad ſecundam.Neque(inquit)habes vnde exordiri occipias. NEQVE AD DET. T.]neq. certos term.habes ad telam detexendam. tralatio ſeu allegoria potius eſt à tela,ad rei agendæ conſilium.Dextere telam autem eſt,pertexere,non vt vulgus putat,retexere. Titinnius Fullonibus. Quæ inter decem annos nequiſti vnam togam detexere. SED QVASI POËTA, &c.] ſed quemadmodum poëta, &c. TABVLAS] tabulas ceratas, in quibus ſcribebant veteres.





QVÆRIT QVOD NVSQVAM EST G.] hoc proprium munus poëtæ eſt,facere, & fingere, quæ numquam fuerunt, quæque numquam fortaſſe futura ſunt, ſed tamen, quæ eſſe, & fieri poſſunt,quæque probabilia ſunt. QVOD MENDACIVM EST] non eſt poëtæ vera dicere,ſed falſa veriſimiliter narrare. NVNC EGO P. F.] deeſt ἀνταπόδοσις,hoc eſt,redditio ſimilitudinis: quæ debebat eſſe huiuſmodi, Sic ego pecuniam,quæ nuſquam mihi promta aut parata eſt,alicunde reperiam: pro qua ſubdit,ſis ego poëta fiam.quod ſi quis ſubtiliter examinet, & ad normam certam reuocet, fortaſſe reprehendet. ſed reſpondendum eſt interdum poëtas hanc ſermonis negligētiam data opera conſectari, ſeruienteis perſonis,quas tractant, & quas loquenteis introducunt:quod & apud Homerum non ſemel animaduerti,& meis auditoribus,cùm poëtam illum in cathedra Regia interpretarer,indicaui,Quamquam quod ad ἀνταπόδοσιν attinet,licet dicere eam eſſe in iiis quæ ſequuntur,viginti minæ,quæ nuſquā ſunt gentium,inueniā tamen. VIGINTI MINÆ]ratio poſtulabat,vt ita loqueretur: quæ viginti minæ nuſquam ſunt gentium,eas inueniam tamen: vel ſic,viginti minas,quæ nuſq. ſ. gent.inuen. tamen. DIXERAM]ſperans fore,vt ſenem poſſem fallere.INIICERE TRAGVLAM IN N.]ſtruere fallaciam in noſtr.ſen.tralatio perpetua eſt à re militari.tragula eſt haſta,inquit Nonius. EX HOC SEPVLCHRO VET. &c.] ex hoc ſene exprimam. LEGAM] audiam, intelligam.

## SIMO, CALIPHO, ſenes duo. PSEVDOLVS ſeruus.

Si de damnoſis natis,& amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio credo meo:
Ita nunc per vrbem ſolus ſermo eſt omnibus,
Eum velle amicam liberare,& quærere
Argentum ad eam rem. hoc alij mihi renuntiant,
Atque id iam pridem ſenſi ego,& ſubolet mihi.
PS. Occiſa eſt hæc res,hæret hoc negotium.
Quo in commeatum iam volui argentarium
Proficiſci,ibi nunc oppidò obſepta eſt via.
Præſenſit,nihil eſt prædæ prædatoribus.
CA. Homines qui geſtant,quique auſcultant crimina,
Si meo arbitratu liceat,omnes pendeant:
Geſtores linguis,auditores auribus.
Nam iſtæc quæ tibi renuntiantur,filium
Te velle amantem argento circunducere,
Forſitan ea tibi dicta ſunt mendacia.
Sed ſi vera ea ſunt,vt nunc mos eſt maximè,
Quid mirum fecit,quid nouum? adoleſcens homo
Si amat,ſi amicam liberat? PS. lepidum ſenem.
SI. Vetus nolo faciat. CA. at enim necquicquam neuis.
Vel túne faceres tale in adoleſcentia.
Probum patrem eſſe oportet,qui gnatum ſuum
Eſſe probiorem quàm ipſus fuerit, poſtulet.
Nam tu quod damni,& quod feciſti flagitij,
Populo viritim potuit diſpertirier.
Idne tu miraris, ſi patriſſat filius?
PS. ὦ ζεῦ quàm pauci eſtis homines commodi.

Ehem illuc eſt patrem eſſe,vt æquum eſt filio. A
SI. Quis hic loquitur?meus hic eſt quidem ſeruos Pſeudolus,
Hic mihi corrumpit filium,ſcelerum caput,
Hic dux,hic ille eſt pædagogus. hunc ego
Cupio excruciari. CA. iam iſtæc inſipientia eſt,
Sic iram in promtu gerere:quanto ſatius eſt,
Adire blandis verbis,atque exquirere,
Sint illa,nec ne ſint,quæ tibi renuntiant?
Bonus animus in mala re,dimidium eſt mali.
SI. Tibi auſcultabo. PS. itur ad te Pſeudole,
Orationem tibi para aduerſum ſenem.
Herum ſaluto primùm,vt æquom eſt:poſtea B
Siquid ſuperſit,vicinos impertio.
SI. Salue, quid agirur? PS. ſtatur hic ad hunc modum.
SI. Statum vide hominis Calipho,quaſi baſilicum.
CA. Bene,confidentérque aſtitiſſe intelligo.
PS. Decet innocens,quin ſit,atque innoxius.
Seruum ſuperbum eſſe apud herum potiſſimum.
CA. Sunt quæ te volumus percontari,quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus,atque audiuimus.
SI. Conficiet iam te hic verbis,vt tu cenſeas
Non Pſeudolum,ſed Socratem tecum loqui.
PS. Ita eſt. CA. iam pridem tu me ſpernis,ſentio, C
Paruam eſſe apud te mihi fidem ipſe intelligo.
Cupis me eſſe nequam,tamen ero frugi bonæ.
SI. Fac ſis vaciuas Pſeudole ædis aurium,
Mea vt migrare dicta poſſint quò volo.
PS. Age loquere quid vis.tametſi tibi ſuccenſeo.
SI. Mihin' domino ſeruos tu ſuccenſes? PS. iam tibi
Mirum id videtur. SI. hercle.quoi,vt tu prædicas,
Cauendum eſt abs te irato. atque alio tu modo
Me verberare,atque ego te ſoleo,cogitas.
PS. Quid cenſes? CA. ædepol meritò eſſe iratum arbitror, D
Cùm apud te parum ſtet fides. SI. iam ſic ſino
Iratus ſit. ego ne quid noceat,cauero.
Sed quid ais? quid hoc quod te rogo? PS. ſi quid vis,roga,
Quod ſcibo,Delphis tibi reſponſum ducito.
SI. Aduorte ergo animum,& fac ſis promiſſi memor.
Quid ais?ecquam ſcis filium tibicinam
Meum amare? PS. οὐδεῖ negare. SI. liberare ecquam velit.
PS. δεῖ nec τοῦτο negare. SI. ecquas viginti minas
Per ſycophantiam atque per doctos dolos
Paritas vt auferas à me. PS. abs te ego auferam?
SI. Ita,quas meo gnato des,qui amicam liberet.

Fateri



A PS. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναί.
CA. Fatetur. SI. dixin' Calipho dudum tibi?
CA. Memini. SI. cur hæc tu,vbi reſciuiſti illico,
Celata me ſunt?cur non reſciui? PS. eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum vt ego ſeruos ſuum criminarer apud herum.
SI. Iuberes hunc præcipitem in piſtrinum trahi.
CA. Numquid peccatum Simo eſt? SI immò maximè.
PS. Deſiſte,rectè ego meam rem ſapio Callipho.
Peccata mea ſunt.animum aduorte nunc iam,
Quaproptèr te expertem amoris nati habuerim.
B Piſtrinum in mundo ſcibam,ſi id faxem,mihi.
SI. Non à me ſcibas piſtrinum in mundo tibi,
Cum ea muſſitabas. PS. ſcibam. SI. cur non dictum eſt mihi?
PS. Quia aliud malum aderat,iſtuc aberat longius.
Illud erat præſens.huic erat dieculæ.
SI. Quid nunc agetis?nam hinc quidem à me non poteſt
Argentum auferri,qui præſertim ſenſerim.
Ne quiſquam credat nummum,iam edicam omnibus.
PS. Nunquam ædepol cuiquam ſupplicabo,dum quidem
Tu viues.tu mihi hercle argentum dabis,
Abs te equidem ſumam. SI. tu à me ſumes? PS. ſtrenuè.
C SI. Excludito mihi hercle oculum,ſi dedero. PS. dabis.
Iam dico,vt à me caueas. CA. certè ædepol ſcio,
Si abſtuleris,mirum & magnum feceris facinus.
PS. Faciam. SI. ſi non abſtuleris. PS. virgis cædito.
Sed quid,ſi abſtulero? SI. do Iouem teſtem tibi,
Te ætatem impunè habiturum. PS. facito vt memineris.
SI. Egon' vt cauere nequeam,cui prædicitur?
PS. Prædíco vt caueas,dico,inquam,vt caueas,caue.
Hem iſtis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
CA. Edepol mortalem graphicum,ſi ſeruat fidem.
D PS. Seruitum tibi me abducito,ni fecero.
SI. Bene atque amicè dicis:nam nunc iam meus es.
PS. Vin' etiam dicam,quod vos magis miremini?
CA. Studeo hercle audire,nam ted auſculto libens.
SI. Agedum,nam ſatis libenter te auſculto loqui.
PS. Priuſquam iſtam pugnam pugnabo,ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram,& commemorabilem,
SI. Quam pugnam? PS. hem ab hoc lenone vicino tuo,
Per ſycophantiam,atque per doctos dolos
Tibicinam illam,tuus quam gnatus deperit,
Eam circumducam lepidè lenonem. SI. quid eſt?
PS. Effectum hoc hodie reddam vtrumque ad veſperum.

SI. Siquidem iſtæc opera vt prædicas perfeceris, A
Virtute regi Agathocli anteceſſeris.
Sed ſi non faxis, numquid cauſſæ eſt, illico
Quin te in piſtrinum condam? PS. non vnum quidem
Diem modò, verùm hercle in omneis, quãtum eſt. ſed ſi effecero,
Dabin' mi argentum quod dem lenoni illico
Tua voluntate? CA. ius bonum orat Pſeudolus,
Dabo, inque. SI. at ſcin' quid mihi in mentem venit?
Quid ſi hiſce inter ſe conſenſerunt, Calipho,
Aut de compacto faciunt conſutis dolis,
Qui me argento circumuertant? PS. quis me audacior
Sit? ſi iſtuc facinus audeam facere. immo ſic Simo, B
Si ſumus conſpecti, ſiue conſilium numquam iniuimus
De iſtac re, aut ſi de ea re vmquam inter nos conuenimus,
Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo litteræ,
Stilis me totum vſque vlmeis conſcribito.
SI. Indice ludos nunc iam quando lubet.
PS. Da in hunc diem operam Calipho quæſo mihi,
Ne quod te ad aliud occupes negotium.
CA. Quin vti rus irem hodie, iam heri conſtitueram.
PS. At nunc diſturba quas ſtatuiſti machinas.
CA. Nunc non abire certum eſt iſtac gratia,
Lubido eſt ludos tuos ſpectare Pſeudole. C
Et ſi hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit. potius quàm id non fiat, ego dabo.
Non demutabo. PS. namque ædepol ſi non dabis,
Clamore magno, & multum flagitabere.
Agite amouemini hinc vos intrò nunc iam,
Ac meis viciſſim date locum fallaciis.
SI. Fiat, geratur mos tibi. PS. ſed te volo
Domi vſque adeſſe. SI. quin tibi operam dico.
CA. At ego ad forum ibo, iam hic adero. SI. actutum redi.
PS. Suſpitio eſt mihi nunc vos ſuſpicarier, D
Me iccirco hæc tanta facinora promittere,
Qui vos oblectem, hanc fabulam dum tranſigam,
Neque ſim facturus, quod facturum dixeram:
Non demutabo. atque etiam certum, quod ſciam,
Quo ſim facturus pacto, nihil etiam ſcio,
Niſi quia futurum eſt. nam qui in ſcenam prouenit
Nouo modo, nouum aliquid inuentum afferre addecet.
Si id facere nequeat, det locum illi qui queat.
Concedere aliquantiſper hinc mihi intrò libet,
Dum concenturio in corde ſycophantias.
Tibicen vos interea hic delectauerit.





A DAMNOSIS] Horat. damnoſa Venus. DICTATOR] dictator magiſtratus Romanus eſt, non Athenienſis. quid igitur dictatori cum Athenis? reſpondeo, comœdiam hanc eſſe palliatam, & perſonas eſſe Atticas, & poëtam fingere rem geri Athenis: ſed quia ſpectatores Romani ſunt, & comœdia dicetur, réſque agitur Romæ, iccirco nomen magiſtratus Romani à poëta vſurpatum ac ſumtum eſſe. ATQ. ID IAMPRID.] atque id ipſe per me nemine mihi renuntiante, ſenſi. ET SVBOLET MI.] id eſt, ſuſpicor, vel animaduerto. tralatio eſt à ſenſu odoratus, ad animum. OCCISA EST HÆC RES] hæc reperiendi argenti via intercluſa, & obſæpta eſt. hac via expediri argentum non poteſt. HÆRET HOC NEG.] impeditum eſt hoc negotium: huic negotio mora iniecta eſt. hoc negotiũ non procedit. QVÀ M COMMEAT. &c.] allegoria ducta à re militari. Qua via, inquit, me pecuniam expediturum, ea via obuallata, & obſtructa eſt. NIHIL EST PRÆDÆ] iterum allegoria à re militari. Conſilia noſtra, inquit, hoſtibus cognita & aperta ſunt. non eſt quòd nos prædam ab iis agere poſſe ſperemus. QVI GESTANT] qui deferunt & nuntiant. QVÍQ. AVSCVLTANT.] & qui criminibus, id eſt, criminationibus aureis attentas præbent. PENDEANT] ſuſpendentur. GESTORES LINGVIS, AVD.] geſtores linguis pendeant, auditores auribus, vt qua B vterque parte peccarit, ea parte plectatur. ſic Horatius epiſt. 15. lib. 1. *Scilicet vt ventres lamna candente nepotum Diceret vrendos.* ſic ſæpè apud Homerum, qua quis parte corporis peccauit, vulneratur: qui mentitus eſt, aut peierauit, aut maledicta in alterum ingeſſit, lingua: qui pecuniam turpiter accepit manu: & item de ceteris. FILIVM TE VELLE AM.] ordo eſt, filium amantem velle te argento circumducere, id eſt, circumuenire, fallere. VETVS NOLO FACIAT] nolo hoc faciat vetus: id eſt, nolo hoc ita ſæpè faciat, vt ſit ei vetus. NEVIS] non vis. VEL TV NE FACERES] vel ſi non vis hoc filium tuum facere, non debueras in adoleſcentia tale facere. PROBVM PATREM ESSE] ſententia præclara, & quam patres in animo, & in memoria fixam habere debent: probũ patrem eſſe oportere, qui poſtulet filium ſuum eſſe probum, aut etiam ſe probiorem. nam pater, qui improbus & intemperans, & nequã fuerit, impudenter, & pænè dicam, iniuſtè fecerit, qui poſtulet filium ſuum eſſe probum, & temperantem, frugi. POPVLO VIRITIM POTVIT] tam damnoſè, & flagitioſè in adoleſcentia vixiſti, vt tuorum flagitiorum ſuam quiſq. ex vniuerſo populo partem ſumere potuerit. DISPERTIRIER] diſtribui. PATRISSAT] πατρίζει. patrem æmulatur. ὦ Ζεῦ] ô Iupiter. QVÀM PAVCI ESTIS H.] quia videt ſeruus hunc ſenem eſſe commodum & facilem: Caliphonem contrà difficilem, ſæuum, & importunum: iccirco ita exclamat: ô Iupiter, &c. IRAM C IN PROMTV GER.] iram præ ſe ferre, iracundiam ſuam non diſſimulare: iram fronte & vultu oſtendere, atque aperire. BONVS ANIM. IN MALA RE] qui bonum & fortem animum præſtat in re aduerſa, rem aduerſam dimidio facit leuiorem ac minorem. SI QVID SVPERFIT] ſi quid ſupereſt. BASILICVM] regium. INTELLIGO] apparet Pſeudolum aſtitiſſe confidenter. DECET INNOCENS QVIN] decet ſeruum, quicunque ſit innocens, atque innoxius ſuperbum eſſe, &c. Camerarian. editio habet, Decet innocentẽ qui ſit, atque innoxius. vulgati, decet equidem innocẽs qui ſit, atque innoxius. nos quomodo in noſtris codicibus manuſcriptis reperimus, ita edidimus. QVASI PER NEBVLAM] minus planè, obſcurè. CONFICIET] vincet, elinguem reddet. loquitur hæc Calipho in aurem Simoni, ita vt non exaudiat Pſeudolus. PARVAM ESSE APVD TE] intelligo te non magnam mihi fidem habere. FAC SIS] fac ſi vis ædeis aurium tuarum vacuas, id eſt, præbe mihi aureis vacuas. allegoria eſt. HERCLE: QVOI, &c.] mirum mihi hercle videtur: cui cauendũ eſt abs te irato, vt tu prædicas. ALIO MODO] dolis, ac fallaciis. QVONIAM APVD TE PARVM EST FIDES] quoniam ſeruo tuo Pſeudolo parum fidei habes. fides autem poſitum pro fidei antiquè. de qua re alibi. licet tamen etiam legere fide, pro fidei, antiquorum itiD dem conſuetudine. QVOD SCIBO, DELPHIS TIBI RESPON.] quod ſcibo, quódque tibi dixero, ex oraculo Apollinis tibi reſponſum putato, prouerbij locum obtinuit, vt ea dicant Latini ex oraculo Apollinis edita, quæ certiſſima, & veriſſima eſſe ſignificant. Cicero pro Fonteio. ſi quicquid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitr. Idem ad Brutum. Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. nihil poteſt eſſe verius. Idem de Diuin. libr. 1. Oraculi Delphici veritatẽ omnis ætas experta eſt. ECQVAM SCIS F.] num aliquam tibicinam ſcis filiũ meum amare? οὐ δεῖ NEGARE] ſic ferè habent noſtri libri veteres, & numeri conueniũt: & ſententia quadrat. οὐ δεῖ negare (inquit) id eſt, non oportet hoc negare. LIBERARE ECQVAM VELIT] num quam tibicinã liberare velit. δεῖ NEC τοῦτο NEGARE] id eſt, oportétne hoc quidem negare. ſic reſtitui ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis. PARITAS] paras. QVÎ] vnde. FATERI δεῖ καὶ τοῦτο ναί] hoc quoque fateri oportet, ita eſt. & hoc, ita eſt. EX ME PRÆGIGNI] à me omnium primo morem introduci malum. HERVM VT EGO SERVOS] vt ego ſeruus herum, id eſt, heri filium criminarer apud te eius patrem. IVBERES HVNC PRÆCIP.] vel hæc verba cum ſuperioribus perpetuo tenore continuanda ſunt, vt Pſeudoli ſint, vel Caliphoni attribuenda, vt intelligamus eum Pſeudoli patrocinium ſuſcipere apud Simonem. NVMQVID PECC.] numquid peccatum Simo à Pſeudolo eſt? numquid peccauit Pſeudolus? RECTÈ EGO MEAM REM SAPIO] ſine me cauſam pro me dicere.

ego mearum rerum non ſum ignarus. Licet & legere aduerbium *rectè*, ſeparatim, hoc modo. rectè: ego, &c. A QVAPROPTER TE EXPERT.] quapropter te gnati amorem celarim. PISTRINVM IN MVNDO] in mundo, id eſt, propalàm, & in expedito, ac cito, auctore Cariſio. lib. 2. Gramm. inſtitut. vbi profert hunc locum. SI ID FAXEM] ſi id feciſſem. NON à ME SCIEBAS, &c.] id eſt, non contrà ſciebas tibi paratum eſſe piſtrinum, cùm ea tacebas? MVSSITABAS?] muſſabas, tacebas? ADERAT] inſtabat, præſens erat. HVIC ERAT DIECVLÆ] ſubintellig. ſpatium. SVPPLICABO] vt mihi det argentum. STRENVè] fortiter ſumam. repete ἀπὸ κοινοῦ. EXCLVDITO] eruito, effodito. ſed malim legi exſculpito. ÆTATEM] perpetuò: ſeu quandiu viues. GRAPHICVM] lepidum, venuſtum. SI SERVAT FIDEM] ſi argentum aufert abs te Simo. SERVITVM TIBI ME ABDVCITO] abducito me vt tibi ſeruiam, niſi fecero. hæc dicit Pſeudolus facetè, quaſi verò Simoni ſeruitutem non ſeruiat. TED AVSCVLTO] te auſculto. d. littera interpoſita eſt, verſus cauſa. PRIVSQVAM ISTAM PVGNAM PVGNABO] priuſquam argentum abs te auferam. pugnā pugnabo, dictum ex Atticorum conſuetudine. quod loquendi genus alibi notauimus. AGATHOCLI] Agathocles rex Siciliæ. VERVM HERCLE IN OMNEIS] hic verſus corruptus eſt, & multis ſyllabis redundat. IVS BONVM] æquum. CONSVTIS DOLIS] ſic Græci dicunt συῤῥάπτειν δόλους: id eſt, conſuere dolos. QVI ME ARGENTO] vt me B argento circumducant? hic verſus vna ſyllaba redundat. Itaque fortaſſe delendum pronomen *me*, & id ſubintelligendum foris. QVASI IN LIBRO] quemadmodum in libro, &c. STILIS VLMEIS] virgis vlmeis voluit dicere, ſed propter verbum conſcribito, ſtilis vlmeis ſubſtituit. INDICE LVDOS] indic ludos. AT NVNC DISTVRBA QVAS STATVISTI M.] at nunc diſturba conſilium tuum rus eundi. HVNC] Simonem. NON DEMVTABO] non mutabo quod dixi: non me pœnitebit eius quod dixi. FLAGITABERE] ego tibi aſſiduus ero flagitator. AMOVEMINI] paſſiuum imperatiui modi ab amoueor. licet etiam legere *amolimini huic vos*, à verbo amolior, quod quamuis quibuſdam placeat, nuſquam ibi reperi. DICO] dedico. SVSPICIO EST MIHI] conuerſus ad ſpectatores, hæc loquitur Pſeudolus. NON DEMVTABO] faciam id quod dixi ac promiſi: vt ſuprà. ATQ. ETIAM CERTVM] atque etiam vt magis miremini, nihil etiam dum certum ſcio, quod ſciam, quo pacto id quod promiſi, ſim facturus. PROVENIT] prodit. CONCENTVRIO] concenturiare, eſt colligere, inquit Nonius, dictum à centuriis, quæ ad ſuffragia cōueniebant. Plautus Pſeudol. *Concenturio in corde*, &c. Terentius Phorm. *ego in inſidiis hîc ero ſuccenturiatus, ſi quid deficies.* hæc Nonius. ego putarim tranſlatum à re militari.

C

## PSEVDOLVS ſeruus.

PRoh Iupiter, vt mihi quicquid ago lepidè omnia, proſperéque eueniunt!
Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum eſt conſilium.
Nam ea ſtultitia eſt, facinus magnum timido cordi credere. nam omnes
Res perinde ſunt, vt agas, vt eas magnificias. nam ego in meo D
Pectore prius ita paraui copias dupliceis, tripliceis, dolos,
Perfidias, vt vbicunque cum hoſtibus congrediar, (malorum meorum
Fretus virtute dicam) mea induſtria & malitia, fraudulentia,
Facilè vt vincam, facilè vt ſpoliem meos perduellis meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc communem meum, atque voſtrum omnium
Ballionem, exbaliſtabo lepidè, date operam modò. hoc ego oppidum
Admœnire, vt hoc die capiatur, volo, atque vt hoc meas legiones

Adducam:



A Adducam: ſi hoc expugno, facilè ego hanc rem meis ciuibus faciam.
Pôſt ad oppidum hoc vetus continuò mecum exercitum protinus obducam:
Inde me & ſimul participeis omnes meos præda onerabo, atque opplebo.
Metum & fugam perduellibus meis iniiciam, me eſſe vt ſciant natum.
Eo ſum genere natus, magna me facinora decet efficere,
Quæ poſt mihi clara, & diu clueant: ſed hunc quem video, quis hic eſt?
B Qui oculis meis obuiam ignorabilis obiicitur, libet ſcire
Quid hic velit cum machæra, & huic, quam rem agat, hinc dabo inſidias.

NEQVE QVOD DVB.] id eſt, conſilium cepi, vt neque dubitem, neque timeam: conſtitui in animo neque dubitare, neque timere. vel ſic, conſilium habeo in pectore meo conditum propter quod neque dubitare, neque timere debeo. ſed priorem interpretationem magis probo. TIMIDO CORDI] timido animo committere. NAM OMNES RES PERINDE] nam omnes res, inquit, eius modi ſunt, quo modo eas tractes, & magni pendas. ſi ſtudium, & diligentiam, & conſilium adhibeas, bene procedunt, & magnæ ſunt: ſin eas negligenter & imprudenter adminiſtres, minus proſperè eueniunt, & ſunt paruæ, atque humiles. NAM EGO IN MEO PECTO.] allegoria eſt ducta à re militari, per quam ſignificat ſe multas rationes excogitaſſe, multóſque dolos conſutos & paratos habere, quibus Ballionem capere poſſit. Porrò autem, nam toties à poëta data opera iteratū eſt, ad exprimendā ſerui non C nimis accuratè loquentis negligentiam. CONGREDIAS] pedem conferam. MALORVM MEOR. VIRT. F. D.] hæc ſunt legēda per interpoſitionem. quæ vrbanitate non caret. nam cùm exſpectarent auditores, vt dicitur, virtute deûm, quo modo inuidiæ auertendæ cauſa, veteres loqui ſolebāt, ſeruus improbus ſubſtituit, malorū meorū virtute fretus dicā. malorū meorum autem, id eſt, mearū fallaciarū, & ſimilium. FACITE VT V.] pendent hæc è ſuperiorib. illis, *ita paraui copias duplices*, &c. *vt facilè vincam*, &c. Neque eſt quod quemquā mouet, particula *vt*, ſemel iam ſuprà poſita. hoc enim ſæpè faciunt poëtæ & maximè Plautus, & maximè comici, negligentiam loquentium in ſcripto imitantes atque exprimentes. PERDVELLEIS] hoſteis. EXBALLISTABO] quaſi balliſta labefactabo, deturbabo. MEIS CIVIBVS] in allegoria manet. per ciueis ſuos autem, Calidorum ſignificat, pro quo pugnat aduerſus lenonem tamquam hoſtem. AD OPPIDVM HOC VETVS] Simonem ſignificat. OBDVCAM] adducam: vt *ob* intelligamus idem valere quòd *ad* conſuetudine veterum: vel circumducam, vt dicimus, vrbem obſidere, pro circumſedere, & obuallare, pro circumuallare. vide quæ à Feſto ſcripta ſunt in *ob*. PARTICIPEIS OMN. M.] συμμάχους κοινωνοὺς, belli ſocios, & adiutoD res meos. ME ESSE VT SCIANT] λιτότης, vt ſciant qui vir ſim: vt me fortem virum eſſe intelligant. CLVEANT] commemorentur, omnium ſermone celebrentur. SED HVNC QVEM] Plautinum & comicum loquendi genus. IGNORABILIS] ignotus, ignoratus. ET HVIC, QVAM REM AG.] & huic, ex hoc loco inſidiabor, obſeruans quam rem agat.

## HARPAX Cacula. PSEVDOLVS ſeruus.

HI loci ſunt, atq; hæ regiones, quæ mihi ab hero ſunt demonſtratæ,
Vt ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus miles,
Septimas eſſe ædis à porta, vbi ille habuit leno, cui iuſſit
Symbolum me ferre, & hoc argentum. nimis velim certum qui

Mihi faciat Ballio leno vbi hic habitat. PS. ſt,tace tace, A
Meus hic eſt homo, ni omnes di atque homines deſerunt. nouo conſilio
Nunc mihi opus eſt, noua res ſubitò mihi hæc obiecta eſt:
Hoc præuortar principio,illa omnia miſſa habeo quæ antè agere occepi.
Iam pol ego hunc ſtatioticum nuntium aduenientem probè percutiam.
HA. Oſtium pultabo,atque intus euocabo aliquem foras.
PS. Quiſquis es,compendium ego te facere pultandi volo:
Nam ego precator,& patronus foribus proceſſi foras.
HA. Túne es Ballio? PS. immò vero ego eius ſum ſubballio. B
HA. Quid iſtuc verbi eſt? PS. condus, promus ſum, procurator peni.
HA. Quaſi te dicas atrienſem. PS. immò atrienſi ego impero.
HA. Quid tu,ſeruúſne es, an liber? PS. nunc quidem etiam ſeruio.
HA. Ita videre,& non videre dignus qui liber ſies.
PS. Non ſoles reſpicere te,cùm dicas iniuſtè alteri?
HA. Hunc hominem malum eſſe oportet. PS. di me ſeruant atque amant.
Nam hic mihi incus eſt,procudam ego hodie hinc multos dolos.
HA. Quid illic ſecum ſolus loquitur? PS. quid ais tu adoleſcens? HA. quid eſt? C
PS. Eſne tu,an non es ab illo milite Macedonio,
Seruus eius,qui hinc à nobis eſt mercatus mulierem?
Qui argenti hero meo lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? HA. ſum.ſed vbi tu me nouiſti gentium,
Aut vidiſti,aut collocutus?nam equidem Athenas antidhac
Numquam adueni,neque te vidi ante hunc diem vmquam oculis meis.
PS. Quia videre inde eſſe.nam olim cùm abiit,argento hic dies
Præſtituta eſt,quoad referret nobis,neque dum retulit.
HA. Immò adeſt. PS. tun' attuliſti. HA. egomet. PS. quid dubitas dare? D
HA. Tibi ego dem? PS. mihi hercle verò,qui res,rationéſque heri
Ballionis curo,argentum accepto,expenſo,& cui debet dato.
HA. Si quidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Iouis,
Tibi libellam argenti numquam credam,dum tu ſtrenuas.
PS. Res erit ſoluta. HA. nunc iam potius ſic ſeruauero.
PS. Væ tibi. tu inuentus verò meam qui forcilles fidem:
Quaſi mihi non ſexcenta tanta ſoli ſoleant credier.
HA. Poteſt vt alij ita arbitrentur,& ego vt ne credam tibi.
PS. Quaſi tu dicas me te velle argento circumducere.
HA. Immò verò quaſi tu dicas,quaſique ego autem id ſuſpicer.

Sed quod



A Sed quod eſt tibi nomen? PS. ſeruus eſt huic lenoni Syrus,
Eum eſſe me dicam, Syrus ſum. HA. Syrus? PS. id eſt nomen mihi.
HA. Verba multa facimus,herus ſi tuus domi eſt,quin prouocas,
Vt id agam quò miſſus huc ſum? PS. quicquid eſt nomen tibi,
Si intus eſſet,euocarem.verùm ſi dare vis mihi,
Magis erit ſolutum, quàm ſi ipſi dederis. HA. at enim ſcin' quid eſt?
Reddere hoc,non perdere,herus miſit.nunc certè ſcio
Hoc febrim tibi eſſe,quia non licet huc iniicere vngulas.
Ego niſi ipſi Ballioni,nummum credam nemini.
B PS. At illic nunc negotioſus eſt,res agitur apud iudicem.
HA. Di bene vortant.at ego quando eum eſſe cenſebo domi,
Rediero. tu epiſtolam hanc à me accipe,atque illi dato.
Nam iſtic ſymbolum eſt inter herum meum, & tuum de muliere.
PS. Scio equidem, vt, qui argentum afferret, atque expreſſam imaginem
Suam huc ad nos,cum eo aiebat velle mitti mulierem.
Nam hic quoque exemplum reliquit eius. HA. omnem rem tenes.
C PS. Quid ego ni teneam? HA. dato ergo iſtum ſymbolum illi. PS. licet,
Sed quid eſt tibi nomen? HA. Harpax. PS. apage te Harpax, haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intrò, ne quid Harpax fęceris.
HA. Hoſtis viuos rapere ſoleo ex acie,ex hoc nomen mihi eſt,
PS. Pol te multo magis opinor vaſa ahenea ex ædibus.
HA. Non ita eſt. ſed ſcin' quid te orem Syre? PS. ſciam, ſi dixeris.
HA. Ego deuortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam diobolarem,cludam,craſſam,Chryſidem,
D PS. Quid vis? HA. inde vt me arceſſas,herus tuus vbi venerit.
PS. Tuo arbitratu maximè? HA. nam vt laſſus veni de via,
Me volo curare. PS. ſanè ſapis,& conſilium placet.
Sed vide ſis ne in quæſtione ſis,quando arceſſam,mihi.
HA. Quin vbi prandero,dabo operam ſomno. PS. ſanè cenſeo.
HA. Nunc quid vis? PS. dormitum vt abeas. HA. abeo. PS. atque audin' Harpage,
Iube ſis te operiri,beatus eris ſi conſudaueris.

AB HERO] à milite. VT EGO OC. RATIONEM CAP.] vt ego video: vt ego oculis rationem ineo: vt ego ex aſpectu conſidero,& iudico. VBI ILLE HAB. LENO.] in quibus ille habitauit leno. NIMIS VELIM] valde exoptem mihi dari. CERTVM QVI M. F.] qui me certò doceat. ST] ſt, ſilentij interiectio eſt. NOVO CONSIL.] quaſi aliud

conſilium ceperit lenonis capiendi,antequàm ſeruũ militis Harpagem viderit. HOC PRÆV. PRINC.] hunc nouum caſum anteponam.principio, id eſt, priori conſilio. STRATIOTICVM] militarem,id eſt,à milite venientem. INTVS] domo. PRECATOR ET PATR.] precator eſt,qui pro alio deprecatur:patronus, qui alterius patrocinium ſuſcepit in cauſa capitis. dicit igitur Pſeudolus ſe foras prodiiſſe,quaſi precatorem & patronum foribus, ne quis eas nimiùm validè pulſaret.libri vulgati habent *præcautor*. SVBBALIO] Balionis vicarius, Balioni ſubſtitutus.ſic Cicero.1.epiſtol.libr.10.ad Attic.ſummarium dixit pro Mario ſecundario, paruo quodam:Mario & belli ciuilis cupido.verba Ciceronis ſunt hæc, niſi fortè iſte ſummarius ei poteſt perſuadere,vt,dum oratores eant, & redeant, quieſcat, nihil video. CONDVS, PRONVS SVM] is ſum,qui condo,& promo. NON SOLES RESP. TE] quaſi dicat,ſi te reſpiceres.id eſt,ſi oculos in te reflecteres,alteri non malediceres. DII ME SERV.] hæc ſecum loquitur Pſeudolus,& ad ſpectatores conuerſus. INCVS EST] pro,in cude eſt. ILLIC] ille. HINC] ex hac domo. QVINQ. DEBET?] reliquas. ANTIDHAC] antehac. QVIA VIDERE INDE] quia videris ab illo milite eſſe. QVOAD] ad quam diem. ACCEPTO] acceptum fero.ſiue vſque accipio. EXPENSO] expenſum fero:ſæpè expendo. DATO] ſæpè do. SIQVIDEM HERCLE] ſi Iouis theſauris promendis præeſſes, numquam tamen tibi argenti libellam crederem. PROMTVS] frequentatiuum à verbo *promo*: qualia ſunt illa, accepto,expenſo,dato. RES ERIT SOLVTA] ego tibi acceptam totam pecuniam feram: ego herum tuum obligatione liberabo: referam in codicem rationem,pecuniam eſſe ſolutam. NVNC IAM POTIVS] nunc iam potius pecuniã ſic ſeruauero,ſi tibi non tradam. MEAM FORCIL. FIDEM] meam fidem quaſi furcis torqueas,& deprau es. alij legunt floccilles, id eſt,floccifacias. SEXCENTA TANTA] ſexcentupla. POTEST VT ALII ITA ARB.] poteſt fieri,vt alij tibi tam multa credant,& rurſus vt ego tibi nihil credam. CIRCVMDVCERE] circumuertere. IMMÒ VERÒ QVASI] immò verò tu ipſe dicis, & ego ſuſpicor. SERVVS EST HVIC LEN.] hæc ſecum loquitur Pſeudolus. Hic leno ſeruum habet nomine Syrum.eum me eſſe dicam. SYRVS SVM] nunc hæc clara voce, vt audiatur ab Harpage. QVIN PROVOCAS] cur non in publicum,vel foras vocas, &c. QVÒ] ad quod. HOC FEBRIM TIBI ESSE] hoc tibi eſſe febris inſtar: hoc tibi febrim incutere, quod tibi non liceat ad hanc pecuniam vngueis iniicere. VNGVLAS] vngueis. nam vngulæ beſtiarum ſunt potius. AT ILLIC NVNC] at ille nunc occupatus eſt. CENSEBO] putabo, arbitrabor. ISTIC] in iſta epiſtola,quam tibi dedi. SCIO EQVIDEM] ſcio equidem,hoc ſymbolum inter eos conueniſſe,vt,qui.&c. CVM EO AIEBAT] ἀναχόλουθον. nam particula *vt*,quæ ſuprà poſita eſt,verbũ non habet,cum quo aptè cohæreat. aiebat igitur miles velle ſe cum eo,qui argentum reliquum, & expreſſum,imaginem ſuam afferret, mitti mulierem. EXEMPLVM] imaginis. NE QVID HARPAX FEC.] ne quid nomini conſentaneum feceris,id eſt,nequid rapueris. DIOBOLAREM] vilem,quæ duobus obolis copiam ſui facere ſolebat. CLAVDAM] al.cludam. CHRYSIDEM] nomine. TVO ARBIT. MAX.] tuo arbitratu te arceſſam,& non lenonis potius? NE IN QVÆST.] ne quærendus ſis mihi, cùm te arceſſam. QVIN VBI PRAND.] immò verò vt ſcias me in quæſtione non futurum tibi,ſtatim vt prandero,dormiam. TE OPERIRI] te tegi multa veſte,ad ſudorem eliciendum.

## SPEVDOLVS ſeruus.

DI immortales,conſeruauit me illic homo aduentu ſuo,
Suo viatico reduxit me vſque ex errore in viam.
Nam ipſa mihi opportunitas,non potuit opportunius
Aduenire,quàm hæc cauata eſt mihi opportunè epiſtola.
Nam hæc illud cornupiæ eſt,vbi ineſt quicquid volo.
Hîc doli,hîc fallaciæ omnes ſunt, hîc ſunt ſycophantiæ,
Hîc argentum eſt,hîc amica amanti herili filio,
Atque ego nunc me vt glorioſum faciebam,& copi pectore,
Quo modo quicque agerem,vt lenoni ſurriperem mulierculam,
Iam inſtituta,ornata,cuncta in ordine animo,vt volueram,
Certa,deformata habebam? ſed profectò hoc ſic erit:
Centum doctûm hominum conſilia ſola hæc deuincit dea
Fortuna:



Fortuna: atque hoc verum eſt: proinde vt quiſque fortuna vtitur,
Ita præcellet,atque exinde ſapere eum omnes dicimus.
Bene vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe,hominem catum
Eum eſſe declaramus:ſtultum autem illum,cui vertit malè.
Stulti haud ſcimus,fruſtra vt ſimus,cum quod cupienter dari
Petimus nobis,quaſi,quid in rem ſit,poſſimus noſcere.
Certa amittimus,dum incerta petimus. atque hoc éuenit
In labore atque in dolore,vt mors obrepat interim.
Sed iam ſatis eſt philoſophatum,nimis diu & longum loquor.
Di immortales aurichalco contrà non carum fuit
Meum mendacium,hîc modò quod ſubito commentus fui,
Quia lenonis me eſſe dixi. nunc ego hac epiſtola
Tres deludam, herum, & lenonem, & qui hanc mihi dedit epiſtolam.
Euge par pari. aliud autem,quod cupiebam,cóntigit.
Venit eccum Calidorus,ducit neſcio quem ſecum ſimul.

ILLIC HOMO] ille homo, Harpax. CAVATA EST] eruta eſt. NAM HÆC ILLVD CORNVPIÆ EST] nam hæc epiſtola, illud cornupiæ eſt omnium fama celebratũ. cornu copiæ, κέρας ἀμαλθείας. nota eſt fabu. Camerar. edidit, Hæc allata cornucopiæ eſt. ſecutus fortaſſe ſcripturam deprauatam, illuta. nam ex *illud* veriſſimile eſt factum eſſe *illut*. deinde ex illut, illata, & allata. ATQ. EGO NVNC ME VT G.] ſententia eſt hæc, Atque vt ego nunc de me glorioſè prædicem, tamquam copioſo pectore, iam antequam hæc epiſtola mihi veniret,habebam in animo omnia inſtituta, ornata, parata,certa,& deſcripta,quibus rationibus,& viis lenonem fallacem,mulierémque ei ſurriperem. ſed tamen hac potius via rem geram. VT COPI PECTORE] tamquam copioſo pectore hominem. apud Nonium, qui hunc verſum profert, legitur *& copi pectore*, quæ ſcriptura ferri poteſt. VT VOLVEREM] quemadmodum exoptarem. DEFORMATA] deſcripta. tralatio ab ædificiorum deſcriptione,aut à pictura. DOCTÛM] doctorum. PROINDE VT QVISQVE] vt quiſque fortunam habet iratam, aut propitiam: vt quiſque fortunatus & infortunatus eſt. ex euentis de conſilio hominum iudicamus,& conſilia hominum euentis ponderamus. vt eſt apud M. Tullium oratione pro C. Rabirio Poſtumo. PRÆCELLET] præcellit. nam veteres excelleo, & præcelleo,&c. dixerunt in ſecunda inflexione. BENE VT QVOD CONSILII] vbi conſilium aliquod proſperè alicui eueniſſe cognoſcimus: eum hominem acutum & ſapientem eſſe declaramus:cui malè vertit, eum ſtultum eſſe pronuntiamus. Sic M. Tullius pro Rabirio Poſtum. principio. *Quamquam hoc plerumque facimus, vt conſilia euentis ponderemus: & cui benè quod proceſſerit,multum illum prouidiſſe:cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus*. CVI VERTIT MALÈ] cui malè proceſſit,cui minus feliciter euenit. *vertit*, abſolutè poſitum eſt. STVLTI] ſic Homerus Νήπιοι. HAVD SCIM. FR.] neſcimus quàm nos ipſi fruſtremur: neſcimus: quomodo fallamur,cùm quid ardenter concupiſcimus. QVASI QVID IN REM SIT, POSSIMVS] quaſi verò,quid nobis ex vſu ſit, ſcire poſſumus. ſignificat, homines quæ ſibi vtilia ſint, aut inutilia,ignorare, & ea plerumque exoptare an expetere, quæ ſunt eis damnoſa, & pernicioſa. ATQVE HOC ÉVENIT IN LAB.] &, quod eſt miſerius, cupiditate rerum in animũ,atque incertarum maceramur,& conſeneſcimus. res incertas expetimus non ſine labore, ac dolore. VT MORS OBREP.] ita vt interea mors ſenſim & tacitè nos adoriatur. AVRICHALCO CONTRA] id eſt, mendacium meum pluris fuit orichalco. ſi mendacium meum orichalco ab aliquo emtum eſſet, non carè emtum eſſet, qui pro mendacio meo orichalcum rependiſſet,damno effectus non eſſet. ſic loquitur in Epidico, *non carus eſt auro contra*. & in Rud. *auro contra cedò*,&c. Seruius docet ad illũ locũ Virg. Æn. 12. *Ipſe dehinc auro ſquallentẽ,albóq. orichalco:* apud maiores, orichalcũ pretioſius omnib. metallis fuit. namq. ſicut Lucretius dicit, cùm primùm homines ſiluas incẽdiſſent,nullarũ adhuc rerũ periti,terra caſu, fertilis omniũ ex incẽdij calore deſudauit metalla. Plin. tamẽ, orichalcũ foſſile, fuiſſe & boniter præſtitiſſe,& diu in pretio fuiſſe,auctor eſt. inter quæ orichalcũ pretioſius viſum eſt: quod & ſplẽdorẽ auri & duritiem æris poſſideret. Námque primùm ex auro ſecuris facta diſplicuit ob mollitiem. ſimili ra-

tione & argenti contemtus vſus:mox orichalcum placuit,donec veniretur ad ferrum:vnde dicuntur ſæcula ita fuiſſe diuiſa.Orichalcum autem etiam fuiſſe pretioſum,Plautus docet,qui in Milite Glorioſo. *Ego iſtos mores* (inquit) *orichalco comparem.* Hactenus Seruius, Orichalcum. ſed orichalcum nullum fuiſſe natiuum, aut foſſile, ſed factitium & artificioſum quod ex ære conſtat cadmia foſſili tincto,& ita abit in aureum colorem,credibilius eſt.Tingitur & magnete,mutatúrque in candidum colorem:quale ſignificari à Virgilio puto libr.12.Æneid. vbi fallitur ſeruus, qui orichalcum negat eſſe re vera album,ſed ſi in auro ſpectetur. Induit etiam aureum & argenteum colorem chymiſtarum arte & opera. HÎC MODO QVOD S.] quod hîc ſubitò modò commentus fui, id eſt,excogitaui, ſeu confinxi. LENONIS] ſuprà.ſeruus eſt huic lenoni Syrus.Eum me eſſe dicam.Syrus ſum. HERVM] Simonem. A

## CALIDORVS. CHARINVS adoleſcens. PSEVDOLVS ſeruus.

B

DVlcia atque amara apud te ſum elocutus omnia.
Scis amorem,ſcis laborem,ſcis egeſtatem meam.
CH. Commemini omnia:dic tu modò me quid vis facere,fac ſciam.
CA. Tum hæc tibi alia ſum elocutus,vt ſcires,de ſymbolo.
CH. Omnia,inquam.tu modò quæ me facere vis,fac vt ſciam.
CA. Pſeudolus ita mihi imperauit,vt aliquem hominem ſtrenuum,
Beneuolentem adducerem ad ſe. CH. ſeruas imperium probè.
Nam,& amicum,& beneuolentem ducis.ſed iſtic Pſeudolus
Nouus mihi eſt. CA. nimiùm eſt mortalis graphicus, heuretes mihi eſt,
Is mihi hæc eſſe ſe effecturum dixit,quæ dixi:tibi. C
PS. Magnificè hominem compellabo. CA. cuia vox ſonat? PS. io,io.
Te te te tyranne,te rogo,qui imperitas Pſeudolo.
Quæro,qoi ter,trina,triplicia,tribus modis,tria gaudia,
Artibus tribus,ter demeritas dem lætitias,de tribus
Fraude partas,per malitiam,& per dolum & fallaciam.
In libello hoc obſignato ad te attuli pauxillulo.
CA. Illic homo eſt. vt paratragœdiat carnufex! CH. confer gradum.
Contrà pariter. PS. porrige audacter ad ſalutem brachium. D
CA. Dic vtrum ſpémne,an ſalutem te ſalutem Pſeudole?
PS. Immò vtrumque. CA. vtrumque ſalue,ſed quid actum eſt? PS. quid times?
CA. Attuli hunc. PS. quid attuliſti? CA. adduxi volui dicere.
PS. Quid iſtic eſt? CA. Charinus. PS. euge iam χαῖρε οἰωνὸν volo.
CH. Quin tu quicquid opus'ſt audacter imperas. PS. iam gratiam.
Bene ſit,Charine nolo tibi moleſtos eſſe nos.
CH. Vos moleſtos mihi? moleſtum eſt quidem. PS. tum tu igitur mane.
CH. Quid iſtuc eſt? PS. epiſtolam hanc modò intercepi, & ſymbolum.

Symbo-



A CH. Symbolum?quem ſymbolum. PS. qui à milite allatu'ſt modò
Eius ſeruo qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arceſſebat,ei os ſubleui modò.
CH. Quomodo? PS. horum cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula.
Hi ſciunt,qui hic affuerunt,vobis pòſt narrauero.
CA. Quid nunc agimus? PS. liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egóne? PS. tute. CA. ego ipſus, inquam,ſiquidem hoc viuet caput.
Si modò mihi hominem inuenietis properè. CH. qua facie. PS. malum,
B Callidum,doctum,qui quando principium prehenderit,
Porrò ſua virtute teneat,quid ſe facere oporteat.
Atque eum qui non hic vſitatus ſæpè ſit. CA. ſi ſeruos eſt,
Numquid refert? PS. immò multo mauolo quàm liberum.
CH. Poſſe opinor me dare hominem tibi malum & doctum,modò
Qui à patre aduenit Caryſto,nec dum exiit ex ædibus
Quoquam,neque Athenas aduenit vmquam ante heſternũ diem.
PS. Bene iuuas,ſed quinque inuentis opus eſt argenti minis
Mutuis,quas hodie reddam,nam vnam mihi huius debet pater.
CH. Ego dabo,ne quære aliunde. PS.ô hominem opportunum mihi.
C Etiam opu'ſt chlamyde & machæra,& petaſo. CH. à me poſſum dare.
PS. Di immortales,non Charinus mihi hic quidem eſt,ſed copia.
Sed iſtic ſeruus ex Caryſto hic qui aduenit,quid ſapit?
CH. Hircum ab alis. PS. manulcatam tunicam habere hominem addecet.
Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. atque acidiſſimi.
PS. Quid ſi opus ſiet,vt dulce promat indidem,ecquid habet?
CH. Rogas?murrhinam,paſſum,defrutum,melinam,mel qoiuſmodi.
Quin in corde inſtruere quondam cœpit thermopolium.
PS. Euge pellepide Charine,me meo ludo lamberas.
D Sed quid nomen eſſe dicam ego iſti ſeruo? CH. Simiæ.
PS. Scítne in re aduorſa verſari? CH. turbo non æquè citu'ſt.
PS. Ecquid argutu'ſt? CH. malorum facinorum ſæpiſſimè.
PS. Quid cum manifeſtò tenetur? CH. anguilla'ſt,elabitur.
PS. Ecquid is homo ſcitus eſt? CH. plebiſcitum non eſt ſcitius.
PS. Probus homo eſt,vt prædicare te audio. CH. immò ſi ſcias,
Vbi te aſpexerit,narrabit vltrò quid ſeſe velis.
Sed quid illo es acturus? PS. dicam, vbi hominem exornauero,
Subdititium fieri ego illum militis ſeruum volo.
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis,
Mulierem ab lenone abducat.hem tibi omnem fabulam.
Cæterùm quo quicque pacto faciat,ipſi dixero,

CA. Quid nunc igitur ſtamus? PS. hominem cum ornamentis omnibus A
Exornatum adducite ad me, iam ad trapezitam Æſchinum.
Sed properate. CH. prius illic erimus, quàm tu. PS. abire ergo ocus.
Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet, nunc defecatum eſt, cor mihi nunc peruium'ſt.
Omnes ordines ſub ſignis ducam, legiones meas,
Aui ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia:
Confidentia eſt inimicos meos me poſſe perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam,
Quid agat, ne quid titubet, doctè vt hanc ferat fallaciam. B
Iam ego hoc ipſum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

DVLCIA ET AMARA] γλυκέα καὶ πικρά. talis eſt amor, dulcis & amarus, inquam: ex quo illud γλυκύπικρον. Catullus de Venere. quæ curis miſcet amaritiem. LABOREM] πόνον, ταλαιπωρίαν. TVM HÆC TIBI ALIA] tum præterea hæc alia tibi expoſui, de ſymbolo, id eſt, de ſigno quod conuenit inter lenonem, & militem. alij libri habent, *cum hoc tibi*, &c. Camerarius edidit, *cum hæc alia*, &c. GRAPHICVS] venuſtus, politus, lepidus, quaſi pictus. hîc ad animum & ingenium refertur. IO, IO.] voces gratulantium, & lætitiam animi declarantium. QVOI TER, TRINA, &c.] quæro te, vel eum, cui ter, demeritas dem lætitias. HEVRETES] inuentor. TYRANNE] domine, Calidorũ ſignificat. QVÆRO] repetendũ te, vel ſubintell. eũ. ILLIC HOMO EST] ille homo eſt, quẽ tibi cõmemoraui. VT PARATR. CVRA] cum admiratione pronuntiandũ, quo pacto tragicum actorem refert! vt ſe iactat! vt ſe magnificè gerit! verbum nouum fingit à voce paratragœdia. DIC VTRÙM SPÉMNE] dic mihi vtrúmne te debeam ſalutare ſpem meam, an ſalutem. vtrùm res, quam tibi mandaui, quámque te confecturum promiſiſti, confecta ſit, an adhuc ſit in ſpe. IMMÒ VTRVMQ.] ſpem & ſalutem. VTRVMQVE SALVE] ſalue ſpes, & ſalus mea. ATTVLI HVNC] Charinum hunc adduxi. Hoc eò pertinet, quod ſuprà Pſeudolus Calidorum iuſſerat aliquem hominem aſtutum, & amicum, qui rectè imperata facere poſſet. QVID ATTVLISTI?] quia dixerat Calidorus, attuli hunc, cùm de Charino loqueretur, minúſque apto verbo vſus erat: quærit Pſeudolus, quid attulerit. Calidorus autem peccatum ſuum corrigens, ſubiicit, adduxi volui dicere. QVID ISTIC EST?] quis iſte eſt, quẽ te adduxiſſe dicis? EVGE IAM, χαῖρε οἰωνὸν PROBO] euge, iam ſalue: omen accipio. alludit ad nomẽ Charini, quod ductũ eſt à verbo Græco χαίρειν. IAM GR.] ſubint. habeo, ſeu habemus. MOLEST. EST Q.] moleſtũ quidẽ eſt, quod mihi dicis: aut moleſtũ eſt, quod opera mea vti nõ vultis. INTERC.] propriè. nã intercepta epiſtola dicitur, quæ interea ad eum, ad quẽ data eſt, fertur, ab alio capta eſt: vel quæ in itinere ab alio, quam ad quẽ data fuit, capta eſt. EI OS SVBL.] ei ſeruo fucum feci: eum ſeruum illuſi, ac decepi. HORVM CAVSA, &c.] hæc eò dicuntur, ne neceſſe habeat, eadem iterare. IPSVS, INQVAM] tu, ipſe, inquam. perſonæ hîc erant confuſæ: quas in ſuum ordinem redegimus. HOC VIVET CAPVT] hic viuet homo, Pſeudolus, videlicet. D QVI QVANDO PRINCIP. PREHEND.] qui vbi aliquid agere cœperit, teneat deinceps. ſuopte ingenio quid faciendum ſibi ſit. PORRÒ] porrò tenus. QVI NON HIC VSIT. SÆPÈ SIT] qui non ſæpè in his locis verſatus ſit. MAVOLO] mâlo, magis volo. NAM MACHÆRA] gladio. PETASO] galerum, quo ſe viatores ab æſtu, & imbre tuebantur, ac tegebant. QVID SAPIT?] quantum ſapit? quàm callidus eſt? ſed Charinus hoc verbum aliter accipit, & non ad ſapientiam, ſed ad odorem transfert, vt ſuo more ludat Plautus. quod ex reſponſione intelligitur. ſic enim reſpondet, quaſi ita quæſierit Pſeudolus, quid olet? HIRCVM AB ALIS] ſic disertè ſcriptum reperi in noſtris codicibus manuſcriptis, niſi quod in duob. erat, *hircum ab aliis*: in aliis, *iſcum ab aliis*. facetiſſima autem reſponſio eſt, & in ea iocus eſt παρὰ προσδοκίαν, cùm eum quæſiſſet Pſeudolus, quantum ſaperet, id eſt, quàm ſapiens eſſet ſeruus ille, qui modò Caryſto aduenisſet, reſpondet Charinus, eum ſapere, id eſt, olere hircum ab alis, quod eſt, odorem tætrum, & grauem ex alis mittere. Hircum autem, præter vulgatam ſignificationem, præterea notare tætrum illum odorem ſubalarẽ, vel Catullus declarat. Hunc locum ſic reſtitui ex libris manuſcriptis iiſdem fortaſſe, quibus vſi ſumus, Adr. Turn. lib. Aduerſ. 20. cap. 10. MANVLEATAM] manicatam, ad coërcendum odorẽ illũ grauẽ, ſcilicet. Tunica (inquit Nonius) veſtimentũ eſt ſine tunicis. icciréo Plaut. in Pſeudolo in hoc verſu,



A hoc verſu, *Manuleatam tunicam hominem habere addecet.* manuleatam addidit, ne impropriè vteretur. Profert & Priſcianus libr. 5. in extrem. vbi *manuleatam*, interpretatur manicatam, & dicit manuleatam, deriuari à nomine quartæ inflexionis, manus, nus. ECQVID HABER. HOMO] idem ferè quærit quod ſuprà, nónne aliquid habet acrimoniæ in pectore? éſtne inſulſus homo, hebes & ſtolidus, an ſalſus, acutus, & callidus? INDIDEM] ex pectore. PASSVM] vinum ex viuis paſſis confectum. DEFRVTVM] muſtum ex duabus partibus ad tertiam decoctam. MELLINAM] potionem ex melle. THERMOPOLVM] thermopolum, vt nomen ipſum declarat, quod compoſitum eſt ex nomine θερμῶς, quod calidum ſignificat, & verbo πωλῶ, quod valet vendo, locum ſignificat, vbi dulces potiones vendebantur, quas calidas bibere ſolebant. ſic autem reſtituit Adrianus Turnebus, cùm in libris manuſcrip. ſcriptum eſſet *hermopolium*, in vulgatis, *ænopolium*. ME MEO LVDO LAMBERAS] hic quoque locus ſic erat in libris manuſcriptis expreſſus, quod & Adr. Turneb. teſtatus eſt eodem loco. Ioſephus Scaliger coniect. in Varr. Lamberare autem, vt docet Feſtus, eſt ſcindere, ac laniare. ſignificat porrò ſeruus ſe ſuis telis à Charino peti: id eſt, ſimilibus cocis ac ſalibus à Charino feriri, quibus eum laceſſierat. Sic in Pœnulo. *Enimuero here me meo laceßis ludo, & delitias facis.* NON ÆQVÈ CITV'ST] vel ſic legendum, *vel ſcitu'ſt*. omninò *citu'ſt* probo. epithetum enim turbini B conuenit. rurſum ſcitus, reſpondet interrogationi, ſcítne in re aduerſa verſari. minus probo, propter ea, quæ ſequuntur, *Ecquid is homo ſcitus eſt?* MALORVM FACINORVM] iocus eſt hic in verbo. nam cùm Pſeudolus quæſiſſet, ecquid argutus eſſet, id eſt, vt ſentiebat, eſſétne ingenioſus, ſollers, & acutus, ille reſpondet eum eſſe argutum, id eſt, accuſatum ſæpiſſimè malorum facinorum, atque adeò conuictum, vt interpretatur Priſcianus libr. 10. non longè à principio. MANIFESTÒ TENETVR.] in ipſa re deprehẽſus tenetur καταφωρᾶται. ANGVILLA EST: ELAB.] elabitur vt anguilla. PLEBISCITVM NON EST SCITIVS] iocus iterum in nomine. plebiſcitum, eſt plebis decretum: quod ſciuit plebs. & hoc ſcitum priorem habet longam. ſcitus ſignificat hominem politum & excultum: & primam habet breuem. VLTRO] non monitus, neque inſtitutus. ILLO] de illo. SVBDITITIVM] ſuppoſititium. in ſerui militis locum ſuppoſitum. NVNC LIQVET] nunc liquidum eſt. DEFECATVM EST] idem dicit. liquidum eſt enim quod defecatum eſt: & defecatum, quod non eſt turbidum. PERVIVM EST] patet in omneis parteis: nihil eſt, quod mihi obſtet, aut quod officiat luminibus. AVI SINISTRA] auis ſiniſtra proſperum auſpicium faciebat. AVSPICIO LIQVIDO] auſpicio puro, certo, & minimè ambiguo. ſic in Epidico. C *liquido exeo foras auſpicio, aui ſiniſtra.* CONFIDENTIA EST] confido. QVID AGAT] quid agere debeat. NE QVID TITVBET] nequid labatur, aut offendat. Horatius epiſtolarum libr. *Vade, age, caue ne titubes, mandatáque frangas.* IAM EGO HOC IPSVM] allegoria eſt. faciam vt leno captus atque expugnatus ſit.

## PVER.

CVi ſeruitutem di danunt lenoniam
Puero, atque eidem ſi addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde conſpicio meo,
Malam rem magnam, multáſque ærumnas danunt.
D Velut hæc mi euênit ſeruitus, vbi ego omnibus
Paruis magníſque miſeriis præfulgeo,
Neque ego amatorem mihi inuenire vllum queo,
Qui amet me, vt curet tandem nitidiuſculè.
Nunc huic lenoni eſt hodie natalis dies,
Interminatus eſt à minimo ad maximum,
Si quis non hodie munus miſiſſet ſibi,
Eum cras cruciatu maximo perbitere.
Nunc neſcio hercle rebus quid faciam meis.
Neque ego illud poſſum, quod illi qui poſſunt, ſolent,
Nunc niſi lenoni munus hodie miſero,
Cras mihi potandus fructus eſt fullonius.

Atque ædepol vt nunc malè eum metuo miſer: A
Sed comprimenda eſt mihi vox atque oratio,
Herus eccum recipit ſe domum, & ducit coquum.

DANVNT]dant. CORDE CONSPICIO] in animo meo conſidero. VT CVRET TANDEM NITID.]vt me curet tandem mundius & lautius,& liberalius,quàm hic leno,ex quo ſim nitidiore cute,& corpore. PERBITERE]perire,ſeu periturum. perbetere,vt docet Nonius,eſt perire.Pacuuius.*Nam me perbitere,illic opitularier,quouis exitio cupio dum proſim modò*.Liuius Tereo. *Ego puerum interea ancillæ ſubdem lætantem meæ; Ne fame perbitet.* Ennius Hecuba. Numquam ſcripſiſtis,qui parētem,aut hoſpitem necaſſet,quo quis cruciatu perbiteret. CRAS MIHI POTANDVS,&c.] futurum eſt, vt cras conculcer, quomodo veſtes à fullonibus ſolent. ſignificat fortaſſe,futurum,vt cras à firmis, & acribus viris ſubigatur. ATQVE ÆDEPOL, VT NVNC]ſermonem,quem exorſus eſt,præcidit,lenone viſo.

B

## BALLIO leno, COCVS. PVER.

FOrum coquinum qui vocant,ſtultè vocant.
Nam non coquinum eſt,verùm furinum eſt forum.
Nam ſi ego iuratus peiorem hominem quærerem,
Coquum non potui,quàm hunc,quem duco,ducere,
Multiloquum,glorioſum,inſulſum,inutilem.
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad ſe noluit,
Vt eſſet hic,qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic ſolus illis coquere quod placeat,poteſt.
CO. Si me arbitrabare iſto pacto vt prædicas, C
Cur conducebas? BA. inopia,alius non erat.
Sed cur ſedebas in foro,ſi eras coquus
Tu ſolus præter alios? CO. ego dicam tibi,
Hominum auaritia ego ſum factus improbior coquus,
Non meopte ingenio. BA. qua iſtuc ratione? CO. eloquar.
Quia enim cum extemplò veniunt conductum coquum,
Nemo illum quærit qui optimus,& cariſſimu'ſt,
Illum conducunt potius qui viliſſimu'ſt.
Hoc ego fui hodie ſolus obſeſſor fori.
Illi iſſent drachmis miſeri,me nemo poteſt D
Minoris quiſquam nummo,vt ſurgam,ſubigere.
Non itidem cœnam condio,vt alij coqui,
Qui mihi condîta prata in patinis proferunt,
Boues qui conuiuas faciunt,herbáſque oggerunt,
Eas herbas herbis aliis porrò condiunt,
Indunt coriandrum,feniculum,allium,atrum olus,
Apponunt rumicem,braſſicam,betam,blitum:
Eo laſerpitij libram pondo diluunt:
Teritur ſinapis ſcelerata cum illis,qui terunt,
Priuſquam triuerunt oculi,vt extillent facit.
Ei homines cœnas ſibi coquint:cùm condiunt,





A Non condimentis condiunt,ſed ſtrigibus,
Viuis conuiuis inteſtina quæ exedint,
Hoc hic quidem homines tam breuem vitam colunt,
Cum haſce herbas huiuſmodi in ſuam aluum congerunt,
Formidoloſas dictu,non eſu modò:
Quas herbas pecudes non edunt,homines edunt.
BA. Quid tu? diuinis condimentis vtere,
Qui prorogare vitam poſſis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? CO. audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt viuere,
Meas qui eſitabunt eſcas quas condiuero.
B Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut ſi polindrum,aut macidem,aut ſancaptidem,
Eæ ipſæ ſeſe patinæ feruefaciunt illico,
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.
Terreſtres pecudes cicimandro condio,
Aut hapalopſide,aut cataractria. BA. at te Iuppiter
Diíque omnes perdant,cum condimentis tuis,
Cúmque tuis iſtis omnibus mendaciis.
CO. Sine ſis loqui me. BA. loquere,atque in malam crucem.
CO. Vbi omnes patinæ feruent,omneis aperio.
Is odos dimiſſis pedibus in cælum volat,
C Eum in odorem cœnat Iuppiter cotidie.
BA. Odor dimiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens.
BA. Quid eſt? CO. quia enim dimiſſis manibus volui dicere.
BA. Si numquam is coctum,quídnam cœnat Iuppiter?
CO. It incœnatus cubitum. BA. i in malam crucem.
Iſtaccine cauſſa tibi hodie nummum dabo?
CO. Fateor equidem eſſe me cocum cariſſimum:
Verùm pro pretio facio,vt opera appareat
Mea, quò conductus veni. BA. ad furandum quidem.
CO. An inuenire poſtulas quem quam coquum,
D Niſi milüinis aut aquilinis vngulis?
BA. An tu coquinatum te ire quóquam poſtulas,
Quin ibi conſtrictis vngulis cœnam coquas?
Nunc adeò tu qui meus es iam edico tibi,
Vti noſtra properes amoliri omnia:
Tum vt huius oculos in oculis habeas tuis:
Quoquò hic ſpectabit,eò tu ſpectato ſimul:
Si quò hic gradietur pariter,progredimino:
Manum ſi protollet,pariter proferto manum.
Suum ſi quid ſumet,id tu ſinito ſumere.
Si noſtrum ſumet,tu teneto altrinſecus.
Si iſte ibit,ito.ſtabit,aſtato ſimul.

Si conquiniſcet iſtic,conquiniſcito. A
Simul item his diſcipulis prius cuſtodes dabo.
CO. Habe modò animum bonum. BA. quæſo qui poſſim,doce
Animum habere,qui te ad me adducam domum?
CO. Quia ſorbitione faciam ego te hodie mea,
Item vt Medea Peliam concoxit ſenem,
Quem medicamento,& ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum:
Item te ego faciam. BA. ehò an tu etiam veneficus?
CO. Immò ædepol verò hominum ſeruator magis. BA. hem mane.
Quanti iſtuc vnum me coquinare perdoces? B
CO. Quid? BA. vt te ſeruem,ne quid ſurripias mihi.
CO. Si credis,nummo:ſi non,ne mina quidem
Sed vtrum amicis hodie,an inimicis tuis
Daturus cœnam? BA. pol ego amicis,ſcilicet.
CO. Quin tu illos inimicos potiuſquam amicos vocas?
Nam ego ita conuiuis cœnam conditam dabo
Hodie,atque ita ſuauitate condiam,
Vt quiſque quicque conditum guſtauerit,
Ipſos faciam vt digitos ſibi prærodat ſuos.
BA. Quæſo hercle priuſquam quicquam conuiuis dabis,
Guſtato tute prius,& diſcipulis dato, C
Vt prærodatis veſtras furtificas manus,
CO. Fortaſſe hæc tu nunc mihi non credis quæ loquor.
BA. Moleſtus ne ſis,nimium iam tinnis,non places.
Hem illic ego habito,intrò huc abi,& cœnam coque
Properè. CO. quin is accubitum,& conuiuas cedò?
Corrumpitur iam cœna. BA. hem, ſubolem ſis vide.
Iam hic quoque ſceleſtus eſt,coqui ſublingio.
Profectò quid nunc primum caueam neſcio,
Ita in ædibus ſunt fures,prædo in proximo eſt.
Iam à me hic vicinus apud forum paullo prius D
Pater Calidori opere petiuit maximo,
Vt mihi cauerem à Pſeudolo ſeruo ſuo,
Neu fidem ei haberem. nam eum circumire in hunc diem,
Vt me,ſi poſſet,muliere interuorteret,
Eum promiſiſſe firmiter dixit ſibi,
Seſe abducturum à me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intrò,atque edicam familiaribus,
Profectò,ne quis quicquam credat Pſeudolo.

FORVM COQVIN.] forum,in quo coqui ſtant aut ſedent,exſpectantes diem ab iis,qui cenam aliquibus dare cogitant,conducantur. FVRINVM] in quo ſunt fures. QVÀM HVNC] peiorem,quàm hunc, &c. INOPIA] ob inopiam coquorum aliorum. ILLVM

COND.



A CONDVCVNT] videtur deſiderari.ſed vt ſit integra locutio:ſed illum conducunt.Verum mihi deſideratur,& ita ſæpè loquebantur veteres, etiam in oratione ſoluta. HOC EGO FVI HODIE] ob hanc cauſam ego hodie ſolus in foro ſedi. totus hic locus εἰρωνείας vrbaniſſimæ plenus eſt.nam cùm dicat ſe ſolum eſſe in foro relictum,quòd ſit omnium cariſſimus, alios autem eſſe conductos,quòd ſint viliſſimi,tota res planè aliter ſe habet.nam alij coqui, qui cariones erant,conducti fuerant:hic ſolus omnium viliſſimus relictus eſt. ILLI DRACHM. M.] ſic habent noſtri libri veteres, *drachmiſſant*, interpretor,drachmas poſcunt: drachmas loquuntur:& drachmis contenti ſunt. ego ſeſtertium nummũ poſco. quaſi verò drachma non ſit pluris,quàm ſeſtertius nummus.drachma enim idem ferè valet quòd denarius. At denarius decem aſſeis,id eſt,quattuor denarios valet.Eſt igitur mera ironia. illi (inquit) patiuntur ſe conduci drachmis,id eſt, decẽ ſeſtertiis nũmis: me nemo minoris ſeſtertio perpolli poteſt,vt ſurgam,& operas meas ei locem. QVI MIHI C.] qui herbas apparant. BOVES QVI C.] qui cõuiuis herbas apponunt,vt bobus. ATRVM OLVS] olus atrum hipposelum, agnoſelum. BLITVM] blitum (inquit Feſtus) genus oleris à ſaporis ſtupore appellatum eſſe: ex Græco patetur,quod ab his βλαξ dicitur ſtupidus. LASERPITII] de laſerpitio ſatis quidem multa diximus in commentariis in Æmiliũ Probum,ſed tamen nihil vetat pauca ex illis huc tranſ-
B ferre. TERITVR SINAPIS SCEL.] profert hunc locum Cariſius lib. I. Grammat.inſtit. & Priſcian. lib. 6. ſed non diſſimulabo Cariſium paullò aliter referre, quàm vulgò legatur. ſic enim ille, *Teritur ſinapis ſcelerata, quorum illi, qui terit,priuſquàm contriuit,oculi vt exſtillant,facit.* EXSTILLENT] lacrymas mittant. EI HOMINES CENAS SIBI COQ.] ij homines,id eſt,tales coqui,cenas ſibi coquant, non aliis,aut mihi,cenas,inquam,tam inſcitè conditas ſcilicet,& inſuaueis. STRIGIBVS] ſtriges,aues nocturnæ ſunt. Horatius oda 5. Epod. *Pluuiámque nocturnæ ſtrigis.* quæ ſit auis ſtrix. Plinius lib. II. cap. 39. cõſtare non arbitratur. Significat Plautus,ſeu coquus condimenta quæ adhibent alij coqui diſtorquere, & diſcruciare inteſtina, tamquam ſtriges quaſdam. EXEDANT] exedant. Horatius oda Epod. *Edit cicutis allium nocentius.* HOC] ob hanc cauſam. HÎC] Athenis. nam fingit Poëta rem geri Athenis, quamuis Romæ comœdia agatur,& ſpectatur. CÙM] quoniam. FORMIDOLOSAS DICTV] dictu horribileis non modò eſu. VTERE] vteríſne condimentis diuinis, vnde poſſis homines reddere immortaleis? PROROGARE] producere. QVI EA CVLPES] tu qui aliorum coquorum condimenta culpes? IN PATINAS INDIDI] ſic ſe antea hunc locum ſola coniectura ductũ reſtituiſſe,dixerat olim mihi amicus Paſſeratius vir doctiſſimus,& amantiſſimus,quem
C cùm magnopere probaſſem, atq. adeò amplexus eſſem,manus ſuſtuli, cùm ita diſertè ſcriptum reperi in codicibus manuſcriptis ſine vlla litura, & varietate reperi, hominíſque mihi amiciſſimi coniecturam admiratione dignã, ac planè diuinam iudicaui. vſus eſt eodem verbo Plautus ſuprà non longè,ibi, *Induunt coriandrum.* HÆ AD NEPTVN. PECVDES] hæc condimenta apta ſunt ad piſceis. CÚMQ. TVIS ISTIS OMNIBVS MEND.] ſignificat Plautus illa omnia nomina eſſe inania, & fictitia. OMNEIS APERIO] remoueo alias patinas,ſeu alia opercula,quibus opertæ ſunt. DIMISSIS PEDIBVS] iocus. Alludit autem ad vſitatum loquendi genus,dimiſſis manibus fugere,quod eſt celeriter,& ſumma contẽtione fugere, quod Græci dicunt παρασείοντα τὼ χεῖρε φεύγειν. SI NVMQVAM IS C.] ſi nuſquam conduceres,vt cenã coquam. libri veteres habent,*numquam:* & ita edidit Camerar. APPAREAT] exſtet,nota ſit. MILVINIS] rapacibus. AQVILINIS] vncis,quale eſt aquilæ roſtrum,quales ſunt & vngues. COQVINATVM] ad coquendum. ſic interpretatur Nonius, & profert alium locum Plauti ex Aulularia. *Neque ego vmquam, niſi hodie ad Bacchas veni, in bacchanal coquinatum.* CONSTRICTIS VNGVLIS] ne quid auferas,aut rapias. NVNC ADEÒ TV, QVI] puerum alloquitur. VTI NOSTR. PROPERES] ne quid auferat coquus.
D TVM VT HVIVS OCVLOS IN OCVLIS HABEAS] vt eodem,quò coquus,oculos coniicias tuos.huius verſus ſententia,verſu proximo aliis verbis expreſſa eſt. Quod autem ad rem attinet,ſic M. Tullius oſtendere volens, Verrem furem vaſorum argenteorum habitum eſſe ab hominibus,ait,cum ludis Circenſibus eſſent triclinia ſtrata, & expoſitum argentum in ædibus Siſennæ,Verréſque ad id contemplandum acceſſiſſet, pueros Siſennæ, oculos à Verre nuſquam tantiſper deieciſſe, neque ab argento digitum diſceſſiſſe. PROGREDIMINO] id eſt, progreditor. SI PROTOLLET] ſi proferet. TENET ALTRINSECVS] teneto altera ex parte ἀντιλαβοῦ. SI CONQVINISCET,] conquiniſcere,& ocquiniſcere,inquit Nonius, inclinari ſignificat. FACIAM EGO TE] faciam ego te ex deformi formorſum,& ex grandi natu adoleſcentulum. ITEM VT MEDEA PELIAM] vel luſit Plautus ſciens,vt notat Camerarius, Peliam eum recoquendo necauit Medea,vel memoriæ peccatũ eſt,& Peliam pro Æſone errans poſuit. Sic & M. Tullius in Catone. *Æſonem enim ex ſene adoleſcentem fecit.* AN TV ETIAM VENEFICVS?] an tu etiam veneficus es,vt Medea fuit venefica,ſcilicet? DATVRVS CENAM] ſubintell. es? QVIN TV ILLÒ] quin tu ad cenam inimicos potius,quàm amicos vocas? FVRTIFICAS] furaceis. TINNIS] garris,res futileis loqueris. tranſlatum ab ære. ET, CONVIVAS CEDÒ] & cur non exhibes conuiuas? SVBOLEM SIS VIDE] vide,obſecro,ſubolem coquorum. IAM HIC QVOQVE SCEL. COQVI SVBL.]

ſic habent noſtri codices veteres,itémq. ſe ſcriptum reperiſſe in iis, quos vidit,teſtatur Adrian. Turneb. libr.Aduerſ.7.cap.21. ſentẽtia autẽ huius verſus hæc eſt.Iam etiã hic coquus infimius, & coqui ſublingio verius,quàm coquus ſceleſtus eſt, vt veri coqui ſceleſti ſunt, coqui ſublingio,coqui miniſter ad lingendas patinas,quàm ad coquenda obſonia, eruditior, & aptior.ſublingio,nis,nomen factum à verbo ſublingo .Quod & ab Adriano Turnebo indicatũ eſt eo,quẽ commemoraui libro. OPERE MAXIMO] maximo opere. CIRCVMIRE]circumcurſare MVLIERE INTERVORTERET] muliere priuaret. ſic in eadem fabula locutus eſt ſuprà; & item alibi. noſtri libri tamen habent,*vt à me ſi poſſet mulierem interuortier*:mendoſè. A

## PSEVDOLVS ſeruus. SIMIA ſycophanta.

SI vmquam quenquam di immortales voluere eſſe auxilio adiutum,
Tum me & Calidorum ſeruatum volunt eſſe, & lenonem extinctum, B
Cum te adiutorem genuere mihi. tam doctum hominem atque aſtutum.
Sed vbi illic eſt? ſúmne ego homo inſipiens, qui hæc mecum egomet loquor ſolus?
Dedit verba mihi hercle,vt opinor,malus cùm malos ſtultè caui.
Tum pol ego interij,homo ſi ille abiit,neque hoc opus quod volui,ego hodie efficiam.
Sed eccum video verbeream ſtatuam,vt magnificè infert ſeſe?
Hem te hercle ego circumſpectabam,nimis metuebam malè, ne abiiſſes.
SI. Fuit meum officium vt facerem,fateor. PS. vbi reſtiteras? SI. vbi mihi libitum eſt. C
PS. Iſtuc ego iam ſatis ſcio. SI. cur ergo quod ſcis,me rogas? PS. at hoc volo monere te.
SI. Monendus ne me moneat. PS. nimis tandem abs te contemnor.
SI. Quippe ego te ni contemnam ſtratioticus homo qui cluear? PS. iam
Hoc volo quod occeptum'ſt agi. SI. numquid agere aliud me vides?
PS. Ambula ergo citò. SI. immò otioſè volo. PS. hæc ea occaſio eſt,dum ille dormit, D
Volo tu prior vt occupes adire. SI. quid properas?placidè.
Ne time. ita ille faxit Iuppiter,vt ille palàm ibidem aſſiet,
Quiſquis ille eſt, qui adeſt à milite. numquam ædepol erit ille potior
Harpax,quàm ego,habe animum bonum:pulcrè ego hanc explicatam tibi rem dabo.
Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo,
Militarem aduenam,ipſe ſeſe vt neget eum eſſe qui ſiet,
Méque vt eſſe autumet,qui ipſus eſt. PS. qui poteſt? SI. occidis me,

Cum



A Cum iſtuc rogitas. PS. ô hominem lepidum, te quoque etiam dolis.
Atque etiam mendaciis,Iuppiter te mihi ſeruet.
SI. Immò mihi. ſed vide,ornatus hic ſatíſne me condecet?
PS. Optumè habet. SI. eſto. PS. tantum tibi boni di immortales duint,
Quantum tibi optes, nam ſi exoptem quantum dignus, tantum dent,
Minus nihilo eſt. neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum
B Et maleficum. SI. tun' id mihi? PS. taceo,ſed ego quæ tibi dona
Dabo, & faciam, ſi hanc rem ſobriè accuraſſis? SI. potin' vt taceas?
Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit. teneo omnia:
In pectore condita ſunt: meditati ſunt doli doctè. PS. probus hic eſt
Homo. SI. neque hic eſt, neque ego. PS. at vide ne titubes. SI. potin' vt taceas?
PS. Ita me dij ament. SI. ita non facient, mera iam mendacia fundes.
C PS. Vt ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo, & metuo, & magnifacio!
SP. Ego iſtuc aliis dare condidici, mihi obtrudere non potes palpum.
PS. Vt ego te hodie accipiam lepidè, vbi effeceris hoc opus. SI. ha ha he.
PS. Lepido victu, vino, vnguentis, & inter pocula pulpamentis:
Ibidem vnà aderit mulier lepida,tibi ſauia ſuper ſauia quæ det.
SI. Lepidè accipis me. PS. immò ſi efficis,tum faxo magis dicas.
SI. Niſi effecero,cruciabiliter carnifex me accipito.
D Sed propera mihi monſtrare vbi oſtium lenonis ædium.
PS. Tertium hoc eſt. SI. tace, ædes hiſcunt. PS. Credo, animo male'ſt
Ædibus. SI. quid iam? PS. quia ædepol ipſum lenonem euomunt.
SI. Illiccine eſt? PS. illic eſt. SI. mala merx eſt. PS. illuc ſis vide.
Non prorſus:verùm ex tranſuerſo cedit,quaſi cancer ſolet.

SI VMQVAM] nactus Simiam ſeruum ſycophantam Calidori Pſeudolus ita ſubornatum, vt pro Harpago ad lenonem mittatur,ſibi gratulatur. TE]Simiam. SED VBI ILLIC EST] ſed vbi ille eſt?Pſeudolus reſpiciens, vbi non videt Simiam ſequentem, qui alicubi reſtiterat,quærit vbi ſit Simia,metuitque ne aufugerit. SOLVS] exiſtimans Simiam mecum eſſe,

qui non ſit. MALVS CÙM MALOS] cùm ego qui malus ſum, malos non caui: id eſt, à malis mihi non caui,à Simia ſcilicet,qui aſtutus,callidus,& malus eſt. VERBEREAM STATVAM] ſeruum verberibus dignum. VT FACEREM]vt fugerem. fuit meum officium autem,quia ſum nequam,& fugitiuus. MONENDVS NE ME MONEAT.] qui minus ſapit,ne ſapientiorem moneat.tu qui monitore eges,ne me moneto. QVIPPE EGO TE NI M.] quidni ego te contemnam,qui ſim notus & clarus militaris homo? CLVEAR?] nominer? habear?exiſtimer? DVM ILLE DORMIT] nam dixerat Harpax ſe vbi prandiſſet,operam daturum ſomno. PLACIDE] ſubintell. *ito*. NE TIME] noli timere, ne ille experrectus eodẽ tempore veniat ad lenonem. nam etiam ſi hoc eueniret,ego facerem vt ego verus Harpax haberer,ille autem tanquam ſimulatus Harpax,reiiceretur. POTIOR] verior. IN TIMOREM DABO] terrebo. MILITAREM ADVENAM] aduenam à milite miſſum. IPSE SESE VT NEG.]quod facetè in Amphitryone fit in perſonis Soſiæ,& Mercurij. DVINT] dent, dederint. NAM SI EXOPTEM QVANT. DIGN.] nam ſi exoptem vt tibi tãtum dent boni,quantum mereris,minus nihilo eſt. NEQVE HIC EST, NEQ.] neque Pſeudolus probus eſt,neque ego. ITA NON FACIENT] non te amabunt. nam mera mendacia loquêris. ita me dij ament, genus eſt iuriſiurandi. Cùm itaque videretur ita dicturus, ita me dij ament,vt ego tibi tuæ operæ præclaram operam perſoluam, aut aliquid aliud ſimile, Simia interpellans. dij,inquit,te non amabunt,quia mentiere. EGO ISTVC]ego ſoleo iſtuc quod mihi facis,aliis facere:id eſt,palpari,ego ſum in iſta re artifex. noli me iſtis blandimentis captare,quaſi imperitum iſtarum artium,& incallidum. VT EGO TE HODIE ACCIPIAM, &c.] corrigit orationem ſuam Pſeudolus,quia eam Simia ſpreuerat,& promittit ſe eum magnifico apparatu accepturum,ſi rem mãdatam accuratè,& ſobriè confecerit. PVLPAMENTIS] obſoniis coctis,& conditis ex carne,à palpa dictis. Terent. *Tute lepus es, & pulpamentum quæris.* ÆDES HISCVNT] ædes aperientur. tralatio eſt à re animata. NON PRORSVS, &c.] non antè verſus exit leno,nõ aduerſa frõte,ſed ex trãſuerſo. Fortaſſe leno domo exiens, aliquid ſeruis aut coquo imperabat:iccirco ex trauerſo egrediebatur domo. Spectãs hunc locum Varro lib.6.vt notauit Camerarius,cùm hæc ſcripſit, *Apud Plautum vt tranſuerſus, non prouerſus cedit, quaſi cancer ſolet.* Dicitur ab eo, qui in id,quo it,verſus eſt. & ideò, qui exit in veſtibulum, quod eſt aut domum,prodire & procedere dicitur.quod cùm leno non faceret, ſed ſecundum parietem tranſuerſus iret,dixit,vt tranſuerſus cedit,quaſi cancer,non prouerſus vt homo. CEDIT] cedit,ſeu procedit.

## BALLIO. PSEVDOLVS.
### SYCOPHANTA.

C

Minus malum hunc hominem eſſe opinor, quàm eſſe cenſebam coqum:
Nam nihil etiam dum harpagauit præter cyathum, & cantharum.
PS. Heus tu nunc occaſio eſt & tempus. SI. tecum ſentio.
PS. Ingredere in viam doloſe,& ego hic in inſidiis ero.
SI. Habui numerum ſedulò,hoc eſt ſextum à porta proximum D
Angiportum,in id angiportum me deuorti iuſſeras,
Quotumas ædis dixerit,id ego admodum incertò ſcio.
BA. Quis hic homo chlamydatus eſt,aut vnde eſt,aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis,atque ignobilis.
SY. Sed eccum,qui ex incerto faciet mihi quod quæro certius.
BA. Ad me adit rectà,vnde ego hominem hunc eſſe dicam gentium?
SY. Heus tu,qui cum hirquina aſtas barba reſponde quod rogo.
BA. Ehò an non prius ſalutas? SY. nulla eſt mihi ſalus dataria.
BA. Nam pol hinc tantumdem accipies. PS. iam inde à principio probus.
SY. Ecquem in angiporto hoc hominem tu nouiſti,te rogo?

Egomet



A BA. Egomet me. SY. pauci iſtæc faciunt homines,quod tu prædicas.
Nam in foro vix decumus quiſque eſt,qui ipſus ſeſe nouerit.
PS. Saluus ſum, iam philoſophatur. SY. hominem ego hic quero malum,
Legirupam,impium,periurum,atque improbum. BA. me quæritat:
Nam illa mea ſunt cognomenta,nomen ſi memoret modò.
Quid eſt ei homini nomen? SY. Leno Ballio. BA. ſciuin' ego?
Ipſe ſum adoleſcens,quem tu quæritas. SY. túne es Ballio?
BA. Ego enimuero is ſum. SY. vt veſtitus eſt perfoſſor parietum.
B BA. Credo in tenebris conſpicatus ſi ſis me,abſtineas manum?
SY. Herus meus,tibi me ſalutem multam voluit dicere,
Hanc epiſtolam accipe à me,hanc me tibi iuſſit dare,
BA. Quis is homo'ſt qui iuſſit? PS. perij, nunc homo in medio luto eſt,
Nomen neſcit, hæret hæc res. BA. quem hanc miſiſſe ad me autumas?
SY. Noſce imaginem,tute eius nomen memorato mihi,
Vt ſciam Ballionem te eſſe ipſum. BA. cedò mihi epiſtolam.
SY. Accipe, hem cognoſce ſignum. BA. Ehò Polymachæroplacides,
C Purus putus eſt ipſus,noui,heus. SY. Polymachæroplacides,
Nomen eſt,ſcio iam tibi me rectè dediſſe epiſtolam,
Poſtquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
BA. Sed quid agitis? SY. quod homo ædepol fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quæſo epiſtolam, ita negotium eſt
Atque accipere argentum actutum,mulierémque mihi emittere.
Nam neceſſe hodie Sicyoni me eſſe,aut cras mortem exequi,
Ita herus meus eſt imperioſus. BA. noui,notis prædicas.
SY. Propera pellegere epiſtolam ergo. BA. id ago,ſi taceas modò.
D Miles lenoni Ballioni epiſtolam.
Conſcriptam mittit Polymachæroplacides,
Imaginem obſignatam,quæ inter nos duo
Conuenit olim. SY. ſymbolum eſt in epiſtola.
BA. Video & cognoſco ſignum,ſed in epiſtola
Nullam ſalutem mittere ne ſcriptam ſolet?
SY. Ita militaris diſciplina eſt,Ballio,
Manu ſalutem mittunt beneuolentibus,
Eadem malam rem mittunt maleuolentibus,
Sed vt occepiſti,perge operam experirier,
Quid epiſtola iſta narret. BA. auſculta modò.
Harpax calator meus eſt,ad te qui venit.

zzz

Túne is es Harpax? SY. ego ſum,atque ipſe Harpax quidem. A
BA. Qui epiſtolam iſtam fert,ab eo argentum accipe,&
Cum eo ſimitu mulierem mitti volo.
Salutem ſcriptam dignum eſt dignis mittere:
Te ſi arbitrarem dignum,miſiſſem tibi.
SY. Quid nunc? BA. argentum des,abducas mulierem.
SY. Vter remoratur? BA. quin ſequere ergo intrò. SY. ſequor.

CENSEBAM] arbitrabar. HARPAGAVIT] rapuit. ſuprà. *Rape,tene,harpage,bibe,es,fuge.* TECVM SENTIO] tibi aſſentior. HABVI NVMERVM SEDVLÒ] teneo memoria numerum angiportuū: vel teneo mihi deuertendum eſſe in angiportum ordine ſextum. ſic dixit,habui numerum,vt dicitur,habui rationem. IN ID ANGIP.] ſextum.iuſſerat miles. QVOTVMAS] id eſt, quotas. ſic infrà eadem fabula. *quotumo die.* ADMODVM INCERTÒ SCIO] non ſatis ſcio. ſic dixit incertò ſcio, vt dicimus, certò ſcio. VNDE EGO HOMINEM] vnde gentium, ex qua gente. HIRQVINA] rara, & non admodum denſa qualis hircorum. DATARIA] quam ego alteri dem,aut dicā: vel quæ viciſſim detur. HINC] à me. IAM INDE À PR.] iam vſque à principio Simia probè munus adminiſtrat ſuum: iam à principio probè ſe gerit. Hæc autem loquitur Pſeudolus,ad populum conuerſus, ſermonem lenonis,& ſycophantæ exaudiens: cùm ipſe non audiatur. ECQVEM IN ANGIP.] aliquémne in hoc angiporto hominem nouiſti? EGOMET ME] ego ipſe me noui. PAVCI ISTÆC FACIVNT H.] pauci homines ſe nouerunt. eſt enim difficillimum ſeipſum noſſe. Et illud γνῶθι σεαυτὸν, hoc eſt, noſce teipſum, alij Thaleti vni ex ſeptem, alij Apollini aſcribunt. ME QVÆRITAT] loquitur leno voce ſummiſſa,ita tamen vt audiatur à populo. SCIVIN' EGO?] nónne ego ſciui me quæritari? IN MEDIO LVTO EST] non poteſt ſe expedire. non poteſt reſpōdere ad interrogata. ductum ab iis,qui in medio luto hærent. HÆRET HÆC RES] hoc negotium procedere, atque ad exitum peruenire non poteſt. PVRVS PVTVS] verus,& germanus. tranſlatum ab auro puro puto: quid ſignificat aurum merum,& omnis alienæ materiæ expers. lege & Feſtum in voce *putus*,& Nonium in eadem,qui hunc locum profert. ITA NEGOTIVM EST] negotium poſtulat, vt eam pellegas. C ATQVE ACCIPERE,&c.] & propera pecuniam accipere. SICYONI] vtróque modo dicunt Latini: eſt Sicyoni,& eſt Sicyone. Sic Cornelius Nepos in procem. lib. de vitis excell. Imperator. Lacedæmoni. quem librum locis compluribus emendatum,& commentariis ampliſſimis illuſtratum in lucem edidimus. MORTEM EXSEQVI] mortem obire. NOTIS] iis, qui norunt. actiuam habet ſignificationem. ſic *ignotus*, interdum pro eo ſumitur, qui non nouit, vt apud M. Tull. epiſt. lib. MILES LENONI, &c.] hîc leno epiſtolam legere incipit. INTER NOS DVO] inter nos duos. OPERAM] meam. CALATOR] calo, qui ligna militibus portat: à voce Græca κᾶλα, hoc eſt, ligna. alij, in quibus Feſtum calatorem ſeruum ſignificare volunt, à verbo καλεῖν, vocare, quod ſerui ſemper vocari poſſint ob neceſſitatem ſeruitutis. SIMITV] ſimul. ARBITRAREM] arbitrarer. ſic in Sticho. *Probiores verò arbitrabant, ſi probis narraueris.*

## PSEVDOLVS.

D

PEiorem ego hominem,magíſque verſutè malum,
Numquam ædepol quenquam vidi,quàm hic eſt Simia.
Nimíſque ego illum hominem metuo & formido malè,
Ne malus item erga me ſit,vt erga illum fuit,
Ne in re ſecunda nunc mihi obuertat cornua,
Si occaſionem capſit,qui ſiet malus.
Atque ædepol equidem nolo:nam illi bene volo.
Nunc in metu ſum maximo,triplici modo.
Primum omnium iam hunc comparem metuo meum,
Ne deſerat nunc me,atque ad hoſtis tranſeat
Metuo autem ne herus redeat etiam dum à foro,

Ne capta



A Ne capta præda capti prædones fuant.
Dum hæc metuo,metuo ne ille huc Harpax adueniat,
Priuſquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perij hercle, nimium tardè egrediuntur foràs.
Cor colligatis vaſis exſpectat meum,
Si non educat mulierem ſecum ſimul,
Vt exſulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor ſum,vici cautos cuſtodes meos.

METVO] ſic ſuprà, *vt ego ob tuam Simia perfidiam te amo & metuo*, &c. IN RE SECVNDA] quam bene geſſit. MIHI OBVERTAT CORNVA] mihi aduerſetur. tranſlatum à beſtiis cornupetis. CAPSIT] ceperit. COMPAREM] ſocium, & mihi ſimillimum B calliditate & fallacia. HERVS] Simo. nam ſi interuenerit, rem totam patefaciet, & indicabit lenoni: quod ſi fiat, Harpago nondum ex ædibus lenonis egreſſo, mulierem retineat,& ſeruet. NE CAPT. PR.] ductum à re militari: vbi ſæpè qui prædati, & præda onuſti ſunt, ab iis à quibus prædas egerunt, capiuntur, & ſpoliantur. FVANT] ſint. ILLE HVC HARP.] ille verus Harpax HINC] domo lenonis. COLLIGATIS VASIS] ſumtum à re militari, vbi milites colligant vaſa, aut ornantes fugam, aut aliorum caſtra mouere cogitantes. EDVCAT] Simia. EXSVLATVM] noſtri libri veteres habent, *exſolatum*, fortaſſe non malè. nam exſules, dicti ſunt quaſi exſoles, id eſt, extra ſolum acti, ſeu miſſi. EX PECTORE] ex præcordiis. exſpectat (inquit) cor meum ad fugam paratum,& collectis ſarcinis,& vaſis conligatis, vt ſi Simia non educat ſecum è domo lenonis mulierem, profugiat, & abeat exſulatum, & me exanimem, ac mortuum relinquat. vnus ex noſtris libris habebat ſcriptum *concolbegatis*, pro, *cor colligatis*: quod quid ſit, non video, niſi fortè ſcriptor librarius voluit ſcribere *cor conglobatis*: id eſt, collectis. Ego tamen *cor colligatis* non muto. VICTOR SVM] hoc dicit, viſa muliere cum Simia egrediente. CAVTOS] quantumuis cautos.

C

## SYCOPHANTA. PSEVDOLVS.

NE plora,neſcis vt res ſit Phœnicium,
Verùm haud multo pòſt faxo ſcibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedonienſem,qui te nunc flentem facit.
Cuiam eſſe te vis maximè,ad eum duco te:
Calidorum haud multo pòſt faxo amplexabere.
PS. Quid tu intus quæſo deſediſti? quàm diu
Mihi cor retunſum'ſt oppugnando pectore?
D SY. Occaſionem repperiſti verbero,
Vbi perconteris me inſidiis hoſtilibus?
Quin hinc comitamur gradibus militariis?
PS. Atque ædepol quamquam nequam homo es,rectè mones,
Ite hac triumphi ad cantharum recta via.

NE PLORA] plorantem Phœnicium, quòd ſe ad militem abduci putet, ſolatur Simia, & errore in quo verſatur, liberat. DENTATVM] vel magnis dentibus, vel mordacem. QVI TE NVNC FLENTEM FACIT] qui facit vt fleas: qui te lacrymoſam, & flebilem reddit. INTVS] in domo lenonis. RETVNSVM'ST] retuſum eſt. OPPVGNANDO PECT.] dum oppugnatur pectus tua mora ſcilicet, & metu, ne nobis præda elaberetur è manibus. OCCASIONEM REPP.] increpat Simia Pſeudolum, quod alieno loco, & in inſidiis hoſtilibus opportuno ſe percunctando remoretur. QVIN HINC COMITAMVR] quin hinc ſimul abimus? ſecutus ſum autem libros veteres, qui partim ſic habent litteris liquidò expreſſis, partim *hircometamur*. GRADIBVS MILITARIIS?] gradibus militaribus. gradu

militari(vt docet Vegetius)horis quinque æſtiuis,20.millia paſſuum conficiuntur. A ATQVE ÆDEPOL Q. N.] reperi in libris veteribus, deinceps poſt verſum, *Ædepol*, &c. hunc,qui ſequitur.*Ite hac triumphi ad cantharum recta via.* quem & Adrianus Turneb.Aduerſar.lib.20.cap.10. ſe item in iis,quos vidit,reperiſſe teſtatur.

## BALLIO leno.

HA,hæ nunc demum mihi animus in tuto eſt loco,
Poſtquam iſte hinc abiit,atque abduxit mulierem,
Mihi libet nunc venire Pſeudolum,ſcelerum caput,
Et à me abducere mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis ſatis certò ſcio,
Ego periurare mauellem me milies, B
Quàm mihi illum verba per derididiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem,ſi conuenero,
Verùm in piſtrinum credo,vt conuenit,fore.
Nunc ego Simonem mihi obuiam veniat velim,
Vt mea lætitia lætus promiſcam ſiet.

CONCEPTIS VERBIS] certa verborum formula præſcripta. hac de re ſæpè alibi dictum eſt. VT CONVENIT] inter me & Simonem. PROMISCAM] promiſcuè.

## SIMO ſenex. BALLIO leno.

VIſo quid rerum meus Vlyſſes egerit, C
Iámne habeat ſignum ex arce Ballionia.
BA. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo. SI. quid eſt? BA. iam. SI. quid iam? BA. nihil
eſt quod metuas. SI. quid eſt?
Venítne homo ad te? BA. non. SI. quid eſt igitur boni?
BA. Minæ viginti ſanæ ac ſaluæ ſunt tibi,
Hodie quas abs te indeſt ſtipulatus Pſeudolus.
SI. Velim quidem hercle. BA. roga me viginti minas,
Si ille hodie illa ſit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie,vt promiſit,dabit. D
Rogato hercle obſecro,geſtio promittere.
Omnibus modis tibi eſſe rem vt ſaluam ſcias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periclum eſt,quod ſciam,ſtipularier.
Vt concepiſti verba, viginti minas
Dabin'? BA. dabuntur. SI. hoc quidem actum'ſt haud malè.
Sed hominem conueniſtin'? BA. immò ambos ſimul.
SI. Quid ait? quid narrat? quæſo quid dicit tibi?
BA. Nugas theatri,verba quæ in Comœdiis
Solent lenoni dici,quæ pueri ſciunt.
Malum,& ſceleſtum,periurum aiebant eſſe me.

Pol haud



A SI. Pol haud mentitum'ſt. BA. ego haud iratus fui.
Nam quanti refert te nec rectè dicere,
Qui nihili faciat,quíque infitias non eat.
SI. Quid eſt,quod non metuas ab eo?id audire expeto.
BA. Quia numquam ab me abducet mulierem iam,nec poteſt.
Meminiſtíne tibi me dudum dicere,
Eam veniſſe militi Macedonio?
SI. Memini. BA. hem illius ſeruos huc ad me argentum attulit,
Et obſignatum ſymbolum. SI. quid poſtea?
BA. Qui inter me atque illum militem conuenerat,
Is ſecum abduxit mulierem haud multo prius.
B SI. Bonan' fide iſtuc dicis? BA. vnde ea ſit mihi?
SI. Vide modò ne illic ſit contechnatus quippiam.
BA. Epiſtola,atque imago me certum facit.
Quin iam quidem illam in Sicyonem ex vrbe abduxit modò.
SI. Bene hercle factum,quid ego ceſſo Pſeudolum
Facere,vt det nomen ad molas coloniam?
Sed quis hic homo eſt chlamydatus? BA. non ædepol ſcio,
Niſi vt obſeruemus quò eat,aut quam rem gerat.

VLYSSES] callidus & vafer, qualem accepimus fuiſſe Vlyſſem, vel qui promiſit ſe dolis Ballionem capturum,atque expugnaturum,vt Vlyſſes dolis Troïam cepit:ex quo πολύτροπος dictus eſt. SIGNVM] Phœnicium vt Vlyſſis Palladium,id eſt,Palladis ſignum ſuſtulit C ex arce Troïana. EX ARCE BALLIONIA] ex domo Ballionis. SANÆ ET SALVÆ] in voce,*ſanæ.* tralatio eſt à re animata ad inanimam. ſaluas autẽ & ſanas eſſe Simoni viginti minas dicit leno,quod obligatione ſit liberatus à Pſeudolo cui promiſerat antegreſſa interrogatione ſe 20. minas daturum, ſi à lenone mulierem abduceret, vt deinceps ſubiicit. INDEST STIPVLATVS] timeſis,*in eſt ſtipulatus.*pro,*eſt inſtipulatus.indeſt* autem,pro *in eſt* accipiendum.d. interpoſito,vt ſolet fieri apud veteres.Priſcianus tamen lib.8.hunc locum proferens,aliter videtur legiſſe.ſic enim apud eum ſcriptus eſt. *Minæ viginti ſaluæ ac ſanæ ſunt tibi, Hodie quas abs te eſt inſtipulatus Pſeudolus.* ATQ. ETIAM H.] atq. habeto mulierem me volente, & donante, ſi Pſeudolus eam hodie à me auferet. VIGINTI MINAS] hîc altera cõcipitur ſtipulatio,quæ obligatio eſt iure ciuili validiſſima, conſtátque ex interrogatione, & reſponſione. MENTITV'ST] imperſonaliter. NAM QVANTI REFERT, &c.] nam quanti intereſt, ſeu quid vtilitatis affert,ei maledicere qui contemnat?quaſi dicat,inanem operam ſumit is,qui contemnient, & non infitianti maledicit. *nec rectè* autem poſitũ,pro non rectè.& non rectè κατὰ λιτότητα, ſeu ἐλάττωσιν pro malè. MEMINISTÍNE TIBI] hic verſus,vt ſcriptus eſt in libris D veteribus,claudicat,vnáque ſyllaba curtus eſt, in vulgatis autem,in quibus ſic legitur, *Meminiſtin' obſecro tibi me dudum dicere.* ſyllaba redundat. Quid ſi ſic legatur, *Meminiſtin' tu tibi me dudum dicere.* VENISSE] venditam eſſe. SERVOS] ſeruus. HAVD MVLTO PRIVS] paullò antè,modò ἄρτι. VNDE EA SIT M.] vnde ſit mihi bona fides? ſalſè dicit in ſe ipſum leno. SIT CONTECHNATVS] ſit machinatus,ſit fabricatus. verbũ factum ex Græca voce τέχνη. BENE HERCLE FACTVM] ſic ſolebant loqui veteres in iis rebus,quas approbabant: vt contrà in iis quas non probabant, aut etiam abominabantur, malè factum. QVID EGO CESSO PSEVD.] id eſt,quid ego ceſſo facere, vt Pſeudolus det nomen, &c. loquendi genus Græcis, & Latinis, præſertim poëtis comicis vſitatum, vt millies admonuimus. DET NOMEN AD MOLAS COLON.] ſic habent noſtri libri veteres, & ita ſe ſcriptum in aliis,aut fortaſſe iiſdem reperiſſe teſtatur Adr.Turnebus lib.Aduerſar.20. cap. 10. alludit autem ad morem Romanum antiquum,quo qui deducendi erant in aliquam coloniam, in eam nomen dabant. Sic igitur hic Simo ait ſe Pſeudolum quærere vt cogat eum nomen dare ad molas, tamquam ad aliquam coloniam:hoc eſt,vt eum in piſtrinum dedat,& molam verſare cogat.

## HARPAX, SIMO, BALLIO. A

MAlus & nequam eſt homo, qui nihili imperium heri
Sui ſeruus facit. nihili eſt autem, ſuum
Qui officium facere immemor eſt, niſi eſt admonitus.
Nam qui liberos eſſe illico ſe arbitrantur,
Ex conſpectu heri ſi ſui ſe abdiderunt,
Luxuriantur, luſtrantur, comedunt quod
Habent, ij nomen diu ſeruitutis ferunt:
Nec boni ingenij quicquam in his ineſt, niſi vt im-
Probis ſe artibus teneant: cum his mihi nec locus, nec ſermo
Conuenit, neque his vmquam nobilis fui. B
Ego vt mihi imperatum eſt, etſi abeſt, hic adeſſe herum
Arbitror. nunc ego illum metuo, cùm hic non adeſt,
Ne cùm aſſiet, metuam. ei rei operam dabo.
Nam me in taberna vſque adhuc ſineret Syrus,
Cui dedi ſymbolum. manſi vt iuſſerat,
Leno vbi eſſet domi, me aiebat arceſſere.
Verùm vbi is non venit, nec vocat, venio huc vltrò,
Vt ſciam quid rei ſiet, ne illic homo me ludificetur.
Neque quicquam eſt melius, quàm vt hoc pultem, atque aliquem
Euocem huc intus. leno argentum hoc volo à me accipiat,
Atque amittat mulierem nunc mecum ſimul. C

BA. Heus tu? SI. quid vis? BA. hic homo meu'ſt. SI. qui dum. BA. quia
Præda hæc mea eſt, ſcortum quærit, habet argentum.
Iam admordere hunc mihi lubet.

SI. Iámne illum comeſurus es? BA. dum recens eſt,
Dum datur, dum calet, deuorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali, populi ſtrenui
Damno mihi, improbi vſui ſunt. SI. malum
Quod tibi Dei dabunt, qui ſic ſceleſtus. D

HA. Me nunc commoror, cùm has fores non ferio,
Vt ſciam ſítne Ballio domi? BA. Venus mihi hæc
Bona dat, cum hos huc adigit lucrifugas, damni
Cupidos, qui ſe, ſuámque ætatem bene curant,
Edunt, bibunt, ſcortantur, illi ſunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene eſſe pátere, & illis quibus eſt, inuides.

HA. Heus vbi eſtis vos? BA. hic quidem ad me rectà habet rectam viam.

HA. Heus vbi eſtis vos? BA. heus adoleſcens, quid iſtic debetur tibi?
Bene ego ab hoc prædatus ibo, noui. bona ſcæua eſt mihi.





A HA. Ecquis hoc aperit? BA. heus chlamydate? quid iſtic debetur tibi?

HA. Ædium dominum lenonem Ballionem quærito.

BA. Quiſquis es adoleſcens, operam fac compendi quærere.

HA. Quid iam? BA. quia te is ipſus coram præſens præſentem videt.

HA. Tun' is es? SI. chlamydate caue ſis tibi à curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum. hic leno eſt. BA. at hic eſt vir probus.
Sed tu bone vir, flagitare ſæpè clamore in foro,
Cum libella nuſquam eſt, niſi quod leno hic ſubuenit tibi?

B HA. Quin tu mecum fabulare? BA. fabulor, quid vis tibi?

HA. Argentum accipias. BA. iamdudum ſi des, porrexi manum.

HA. Accipe, hic ſunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me iuſſit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet, atque vt mecum mitteres Phœnicium.

BA. Herus tuus? HA. ita dico. BA. miles? HA. ita loquor. BA. Macedonius?

HA. Admodum, inquam. BA. te ad me miſit Polymachæroplacides?

HA. Vera memoras. BA. hoc argentum vt mihi dares? HA. ſi tu quidem es
C Leno Ballio. BA. atque vt à me mulierem abduceres? HA. ita.

BA. Phœniciúmne eſſe dixit? HA. rectè meminiſti. BA. mane,
Iam redeo ad te. HA. at matura & propera. nam propero, vides
Iam die multum eſſe. BA. video. hunc aduocare etiam volo.
Mane modò iſtic, iam reuertar ad te. quid nunc fiet Simo?
Quid agimus, manifeſtò hunc hominem teneo, qui argentum attulit.

SI. Quid iam? BA. an neſcis quæ ſit hæc res? SI. iuxta cum
D ignariſſimis.

BA. Ædepol hominem verberonem Pſeudolum, vt doctè dolum
Commentu'ſt. tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornauit, mulierem qui arceſſeret.
Pſeudolus tuus allegauit hunc, quaſi à Macedonio
Milite eſſet. SI. habéſne argentum ab homine? BA. rogitas quod vides?

SI. Heus memento ergo dimidium iſtinc mihi de præda dare:
Commune iſtuc eſſe oportet. BA. quid, malum, id totum tuum eſt.
Quam mox mihi operam das? SI. tibi do equidem. BA. quid nunc mihi es auctor Simo?

SI. Exploratorem hunc faciamus ludos ſuppoſititium. A
BA. Adeò donicum ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit,
Sequere, quid ais? nempe tu illius ſeruos es. HA. planiſſimè.
BA. Quanti te emit? HA. ſuarum in pugna virium victoria.
Namque ego eram domi imperator ſummus in patria mea.
BA. An etiam ille vmquam expugnauit carcerem patriam tuam?
HA. Contumeliam ſi dices, audies. BA. quotumo die
Ex Sicyone huc perueniſti? HA. altero ad meridiem.
BA. Strenuè me hercle iſti, quàm vide ſis pernix hic eſt homo?
Vbi ſuram aſpicias, ſcias poſſe eum gerere craſſas compedes.
Quid ais? túne etiam cubitare ſolitus es in cunis puer?
SI. Scilicet ſolitum eſſe. HA. ſaníne eſtis? BA. quid hoc quod te rogo? B
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas ſimul?
Conueniebátne in vaginam tuam machæri militis?
HA. I in malam crucem. BA. ire licebit tibi, tamen hodie tempori.
HA. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? BA. mane.
HA. Quid maneam? BA. chlamydem hanc commemores quanti conducta'ſt. HA. quid eſt?
BA. Quid meret machæra? HA. helleborum hiſce hominibus eſt opus.
BA. Eho. HA. mitte. BA. quid mercedis petaſus hodie domino demeret? C
HA. Quid domino? quid ſomniatis? mea quidem hæc habeo omnia
Meo peculio emta. BA. nempe quod fæmina ſumma ſuſtinet.
HA. Vncti hi ſunt ſenes. fricari ſeſe ex antiquo volunt.
BA. Reſponde obſecro hercle hoc verò ſeriò, quod te rogo,
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pſeudolus?
HA. Qui iſtic Pſeudolu'ſt? BA. præceptor tuus, qui te hanc fallaciam
Docuit, vt fallaciis hinc à me mulierem abduceres.
HA. Quem tu Pſeudolum, quas tu mihi prædicas fallacias?
Quem ego hominem nullius coloris noui. BA. non tu iſtinc abis? D
Nihil eſt hodie hic Sycophantis quæſtus, proin tu Pſeudolo
Nunties abduxiſſe alium prædam, qui occurrit prior
Harpax. HA. is quidem ædepol Harpax ego ſum. B.A immò ædepol eſſe vis.
Purus, putus hic ſycophanta eſt. HA. ego tibi argentum dedi.
Et dudum adueniens extemplò ſymbolum ſeruo tuo,
Heri imagine obſignatam epiſtolam, hic ante oſtium.
BA. Meo tu epiſtolam dediſti ſeruo? cui ſeruo. HA. Syro.
BA. Non confidit, ſycophanta hic nequam eſt, nugis meditatur malè.

Ædepol



A Ædepol hominem verberonem Pſeudolum, vt doctè dolum
Commentu'ſt, tantundem argenti quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornauit, mulierem qui abduceret.
Nam illam epiſtolam ipſus verus Harpax huc ad me attulit.
HA. Harpax ego vocor. ego ſeruus ſum Macedonis militis,
Ego nec ſycophantioſè quicquam ago, nec maleficè,
Neque iſtum Pſeudolum mortalis qui ſit noui, neque ſcio.
SI. Tu niſi mirum'ſt leno planè perdidiſti mulierem.
BA. Ædepol næ iſtuc magis magíſque metuo, cum verba audio.
SI. Mihi quoque ædepol iamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
B Symbolum qui hoc accepit. mira ſunt ni Pſeudolus eſt. Ehò
Tu, qua facie fuit dudum, cui dediſti ſymbolum?
HA. Ruffus quidam, ventrioſus, craſſis ſuris, ſubniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. SI. perdidiſti. poſtquam dixiſti pedes.
BA. Pſeudolus fuit ipſus: actum eſt de me, iam morior Simo.
SI. Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. HA. atque etiam mihi alíæ viginti minæ.
BA. Auferetur id præmium à me, quod promiſi per iocum?
SI. De improbis viris auferri præmium, & prædam decet.
BA. Saltem Pſeudolum mihi dedas. SI. Pſeudolum ego dedam tibi?
C Quid deliquit? dixin', ab eo tibi vt caueres, centies?
BA. Perdidit me. SI. at me viginti commodis multauit minis.
BA. Quid nunc faciam? HA. ſi mihi argentum dederis, te ſuſpendito.
BA. Dite perdant, ſequere ſis me ergo hàc ad forum, vt ſoluam. HA. ſequor.
BA. Hodie ego peregrinos abſoluam, cras agam cum ciuibus.
Pſeudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegauit, mulierem qui abduceret,
D Sequere tu. nunc, ne exſpectetis dum hac domum redeam via,
Ita res geſta eſt, angiporta hæc certum eſt conſectarier.
HA. Si graderere tantum, quantum loquere, iam iſſes ad forum.
BA. Certum'ſt mihi hunc emortualem facere ex natali die.

MALVS ET NEQVAM] hic iam verus Harpax ad lenonē venit, vt meliorem abducat. LVXVRIANTVR] repete pronomen, qui. luxuriantur autem, id eſt, luxurioſè viuunt. LVSTRANTVR] in luſtris, id eſt, proſtibulis, ſeu ganeis verſatur. II NOMEN DIV SERVITVT. F.] ij diu ſerui ſunt, & vix vmquam à dominis manumittuntur. NEC BONI INGENII Q.] nec ingenioſi ſunt niſi in eo, vt arteis improbas pertinaciter colant. NEQVE HIS VMQ.] neque his vmquam notus fui. EGO VT MIHI IMPERATVM EST] ſic habent noſtri libri veteres. NE CùM ASSIET METVAM] refero ad ſuperiora, hoc modo. metuo herum abſentem, ne præſentem metuere neceſſe habeam. EI REI OPER.] ei rei ſtudebo, ne mihi herus abſens metuendus ſit. NAM ME IN TAB.] nam niſi mea ſponte, aut vltrò veniſſem, etſi, dum me Syrus arceſſeret, exſpectaſſem, ſineret me vſque ad hoc tempus

in taberna iacere,neque me arceſſeret, quemadmodum mihi pollicitus erat. SYRVS CVI A
D.] Pſeudolus hic erat,qui ſibi Syrum nomen eſſe dixerat. MANSI, VT IVSS.] manſi
in taberna vt iuſſerat, cùm diceret ſe me arceſſiturum vbi leno domum rediiſſet. ME AIE-
BAT ARCESS.]aiebat ſe me arceſſiturum. VLTRO]αὐτομάτως,vel αὐϑὶς non arceſſitus.IL-
LIC HOMO]ille homo. HOC PVLTEM]hoc oſtium pulſem. INTVS]domo. AMIT-
TAT]dimittat,miſſam faciat. HIC HOMO MEV'ST] Ballio putat hunc ſeruum militis,
peregrinum eſſe aliquem pecunioſum,qui ſcortum quærat. ADMORDERE] ſalſis & mor-
dacibus dictis ludere.vel dic potius,admordere,id eſt,adoriri,& quaſi deguſtare, vt qui eſcam
aliquam eſuri ſunt,ſolent priùs eam guſtare& admordere.Atque huic explicationi conuenit,&
congruit interrogatio Simonis,quæ proximè ſequitur, Iámne illum comeſurus es? proinde ac
ſi dicat.Tu qui dicis te velle hunc chlamydatum admordere,iámne illum comeſurus es? DIV
RECENS EST]conſentaneum verbo *admordendi*,quo ipſe vſus erat, & Simonis interrogatio-
ni reſponſionem ſubiicit Ballio,& in allegoria permanet. PAVPERANT]pauperem reddũt.
hoc eodem verbo alibi præterea non ſemel vtitur Plautus. POPVLI STR. DAM. M.]qui
naui & ſtrenui ſunt,damnoſi mihi ſunt,improbi,vtiles.DEI]dij.ME NVNC COMM.] ego-
met mihi moram iniicio, egomet me moror, qui has fores pultare ceſſo. DAMNI CV-
PIDOS]Horatius in epiſtol.damnoſa Venus. QVIBVS EST] quibus bene eſt:id eſt, qui ſe B
tractant molliter,& liberaliter. BENE EGO AB HOC PRÆD.] præda onuſtus ab hoc
diſcedam,certò ſcio. BONA SCÆVA'ST MIHI]bonum omen mihi obiicitur ab hoc chla-
mydato. Scæuam (inquit Feſtus)volgus quidem & in bona & in mala re vocat, cùm aiunt
bonam & malam ſcæuam. cætera apud Feſtum deprauata & mutilata ſunt. Varro libro 6. de
lingua Latina.*Quare quod dixi ſcæuum,bonum omen eſt,obſcæuum verò turpe.*Apud eundem,paullò an-
tè,bonæ ſcæuæ cauſa,interpretantur docti homines,in his Turnebus,bonæ rei cauſa, licet etiã
interpretari,boni auſpicij,ſeu boni euentus cauſa. ECQ. HOC APERIT?] ánnon aliquis
hoc oſtium aperit? OPERAM FAC COMP. QVÆR.]ſuperſede ab opera quærendi,parce
operæ quærendi. CAVE SIS TIBI À CVRIO INFORTVN.]caue ſi vis tibi à vita ſol-
licita,& anxia,& curarum plena.caue tibi ab infortunio,per quod curis macreſcas,& tabeſcas:
caue tibi à curis,quibus amor & libido ſcatent.ATQVE IN HVNC INTENDE DIGIT.]
& porrige potiùs digitum in hunc lenonem,id eſt,medio digito porrecto lenonem deride, &
contemne. AT HIC EST VIR PROB.]at contrà Simo vir probus eſt. SED TV VIR
PR.]nunc conuertitur ad Simonem ipſum. FLAGITARE S.]flagitatores habes moleſtos,
creditores tuos, qui pecuniam, quam ſibi debes,moleſtè repetunt. QVIN TV MECVM
FABVLARE]immò verò tu mecum potiùs lóquere. VIDES IAM DIE MVLTVM ES- C
SE]vides ſerum diei eſſe:vides multo maiorem diei partem exactam eſſe.*die* patrij caſus eſt hoc
loco. HVNC]Simonem.hæc loquitur ſecum leno. MANIFESTÒ HVNC HOM.] putat
leno hunc verum Harpagum à Pſeudolo ſubornatum,& ſubmiſſum eſſe. IVXTA CVM
IGNARISS.]æquè atque ignariſſimi. ÆDEPOL HOMINEM VERBERONEM] ô ho-
minem planè verberonem Pſeudolum. VT DOCTÈ DOLVM] quàm doctè dolum com-
mentus eſt? ALLEGAVIT]ad me priuatim miſit. QVID, MALÙM?]malùm,indignantis,
& ſtomachantis interiectio.Quid,inquit,tibi venit in mentem poſtulare, vt hæ quinque minæ
mihi tecum ſint cõmunes? immò verò eæ totæ tuæ ſunt.QVÀM MOX]quàm,legendum cum
accentu graui. QVID NVNC MIHI]quid nunc mihi ſuades, vt faciam? quid mihi vt fa-
ciam auctor es? EXPLORATOREM HVNC FACIAM] hunc, qui venit ad te vt abs te
quaſi explorando mulierem auferat,ſuppoſitum in locum veri Harpagi à Pſeudolo. *ludos facia-
mus*,id eſt,illudamus,& ludificemus. Sic autem reſtitui, cùm in libris omnibus legeretur,*ludo*,
littera s.ſcilicet amiſſa,propter vocem ſequentem ab eadem initium capiẽtem. confirmat hanc
emendationem,id quod deinceps ſequitur. ADEÒ DONICVM IPSVS,&c.] lenonis ver- D
ba ſunt,Simonis conſilium & ſententiã approbãtis.ludificemus eum ſanè,inquit,vſque eò, do-
nec ipſe intellexerit,ſe deprehẽſum eſſe,& fruſtra veniſſe,qui ſic à nobis ludificetur:donec ſen-
ſerit ſe à nobis ludibrio haberi. SVARVM IN PVGNA V. V.] iure belli, & victoria me
emit:id eſt,me bello cepit. AN ETIAM ILLE VMQVAM]proinde acſi dicat,carcer,pa-
tria tua eſt.cùm igitur ſignificas militem patriam tuam expugnaſſe, eadem opera carcerem ex-
pugnaſſe ſignificas. CONTVMEL. SI D.]ſi malè dices,tu quoque malè audies. QVOTV-
MO DIE]quoto die.ALTERO AD MERID.]id eſt,vno die integro & dimidio.STREN.
ME H.]nauiter ſanè iuiſti. QVÀM VIDE SIS] vide ſi vis quàm pernix ſit iſte homo. Hæc
loquitur ad Simonem conuerſus,ſeruum militis irridens,quem ſuppoſitum putat. VBI SV-
RAM ASPICIAS]ſuram habet aptam ad gerendas compedes. ſignificat eum eſſe ſeruũ na-
tura,& genere,non vt gloriabatur,imperatorem vmquam fuiſſe. Solebant enim veteres ſeruis
fugitiuis ſuras,& crura compedibus vincire.Horatius Epod.oda.4.*Ibericis peruſte funibus latus, Et
crura dura compede.*Sura autem pars tibiæ eſt poſterior,&craſſior: quam γαστροκνήμην appellant
Græci,quaſi tibiæ ventrem. QVID AIS, TÚNE ETIAM C.]ſcomma eſt in ætatem pue-
rilem. SCILICET SOLITVM ESSE]non dubium eſt,quin ſolitus ſit:ſcire licet eum ſoli-
tum eſſe in cunis cubitare,cùm puer eſſet. NOCTV IN VIGILIAM]mox in caſtris in par-
teis quat-



A teis quattuor diuidebatur,quæ ſingulæ horis ternis cõſtabãt:earũ pars prima,prima vigilia, ſe-
cunda,ſecunda vigilia,& ita deinceps appellabatur.Quãdo ibat miles in vigiliã,(inquit leno)id
eſt,in locũ,vbi vigilias erat acturus,túne tũ ibas ſimul cũ eo,vt ſcilicet vnà cũ eo catamitus cubi-
tares? CONVENIEBÁTNE]obſcænũ.per machærã militis,partem militis virilẽ ſignificat.per
vaginam ſerui,podicem,ſit honos auribus. IRE LICEBIT] in malam crucem. CHLA-
MYDEM HANC COMM.]te manere volo,vt cõmemores quanti hæc chlamys cõducta ſit.
hæc eò dicuntur à lenone,vt & cetera omnia, quod putet hunc Harpagem eſſe à Pſeudolo ſup-
poſitum & ſubornatũ,eáque quæ gerat,machæram,chlamydẽ,petaſum, eſſe conducta. QVID
MERET?]quid mercedis pro ea datur domino?domino autem,id eſt,cuius ea ſunt. HELLE-
BORVM HISCE]hi homines ſani non ſunt.ſic ſuprà,ſaníne eſtis?MITTE]mitte me.QVID
MERCEDIS PET.]quanti petaſum iſtũ à domino conduxiſtis tu & Pſeudolus?QVID DO-
MINO?] Quid eſt,quòd mihi dicitis me hæc, quæ gero ab aliquo domino conduxiſſe? Non
diſſimulabo in noſtris libris veteribus ita ſcriptũ eſſe,*Quid domini?quid ſocij? quid ſomniatis?* vt for-
taſſe ſic legendum ſit,*deteſto hoc tot,Quid domini?* B. *Quid ſocci?* H. *quid ſomniatis?* &c.veruntamen ni-
hil mutandum cenſeo. NEMPE QVOD FEM. SVMMA SVST.] hic quoque locus ob-
B ſcænus & flagitioſus eſt,ita vt pudeat me eũ explicare: quàm pudentiſſimè tamen potero, ſen-
ſum lenonis obſcurum declarabo. Dixerat ſeruus ſe emiſſe illa omnia periculo ſuo. reſpondet
leno,nempe eo peculio emiſti, quod ſupremas parteis feminum ſuſtinet. podicem ſignificat.
nam ea pars à ſummis feminibus ſuſtinetur. ſignificat igitur hunc ſeruum eſſe impudicum,
& pudicitiæ iactura, illa emiſſe. videtur autem legendum eſſe, *ſuſtinent*. VNCTI SVNT
HI SENES] vngebantur prius veteres, deinde fricabantur. Ad hunc igitur morem reſpi-
ciens Harpax maledictum regerens. ſignificat hos ſenes libidine purire, & velle fricari.
QVID MERES?] quid mercedis pactus es? quanta merces tibi promiſſa eſt, vt ita ornatus
ad me venires,& mulierem à me abducere conáreris? PRÆCEPTOR TVVS] præmon-
ſtrator tuus, & doctor tuus. QVEM HOM. NVLL. COL.] id eſt, quem ego ho-
minem prorſus non noui:qui homo mihi planè eſt ita ignotus,vt quod nullo colore præditum
eſt. NIHIL EST HODIE HIC SYC.]nihil eſt quæſtus,id eſt,nullus eſt quæſtus. AB-
DVX. ALIVM PRÆD.]alium abduxiſſe prædam, nempe mulierem. QVI OCCVRR.
PR.]alium,inquam,qui prior tempori vênit occurrit, ἀπήντησε, tempeſtiuè,& maturè venit,
in ipſo tempore venit. PVRVS, PVTVS]merus,& verus ſycophanta,vt ſuprà.NON CON-
FIDIT]non eſt confidens vt decet eſſe ſycophãtam,& mendacem.SYCOPH. HIC NEQ.]
C ſycophanta hic malus,& imperitus ſuæ artis eſt:hic eſt malus ſycophantiarum artifex. ÆDE-
POL H.]hi tres verſus deinceps ſequentes, ſemel iam ſuprà poſiti ſunt eadem ſcæna, iiſdem
verbis,niſi quod in tertio extremo,pro *abduceret*,illic eſt *arceſſeret*. NEQ. ISTVM PSEVDO-
LVM MORT.]id eſt,neque iſte Pſeudolus quis homo ſit,noui: vel neque iſtum Pſeudolum
noui,quis homo ſit. TV NISI MIRVM'ST.]ſentit Simo lenoni data eſſe verba, & fucum
factum,& os ſublitum,vt Plautinis verbis vtar.Tu,inquit, nimirum leno Phœnicium perdidi-
ſti. COR PERFRIGEFACIT]animum frigore contrahit,animum exterret. EHO TV,
QVA FACIE F.]ehò qua facie fuit is Syrus,cui te dicis dudum ſymbolum dediſſe? RVF-
FVS QVIDAM]tali erat facie Pſeudolus.ex qua deſcriptione nunc demum intelligit leno da-
ta eſſe verba à Pſeudolo. EMORIRI]emoriri antiquè pro emori. ſic Terentius in Eunucho.
riſu emoriri. VIGINTI MINÆ]quas mihi debes ex ſtipulatu. DIXIN'] nónne dixi, &c.
MVLTAVIT]ἐζημίωσε.damno affecit. PEREGRINOS ABSOLV.] Harpago xx.minas
numeraui,vt ſit ad reditum expeditus,ſiue,vt ei liceat per me ad ſuum herum reuerti. CRAS
AGAM CVM CIVIB.]cras Simoni ſatisfaciã.PSEVDOLVS MIHI CENTVR. HAB.]
ſignificat ſe à Pſeudolo omnib. bonis eſſe euerſurũ, vitámque adeò ac ſalutem ſuam ab eo eſſe
D proſtratam atque afflictam,qui ſycophantam illum ad ſe miſerit. Alluſit autem Plautus ad co-
mitia pop. Romani cẽturiata,quæ erãt omniũ maxima,(erant enim alia minora,curiata,& tri-
buta)& in quæ maximè populi multitudo conueniebat.Iam comitia,à coëundo eſſe appellata,
nemo eſt qui ignorat.Ita per comitia centuriata,ſignificari conſilia omnibus artibus inſtructiſ-
ſima & callidiſſima.ſic ferè in Aulul. *Ibo intro,vbi de capite meo ſunt comitia.* ITA RES GESTA
EST] ita res geſta eſt,vt mihi non ſis hac eadem via domum redeundum. CERTVM EST
MIHI NVNC EMORTVALEM]decretum eſt mihi hunc diem,qui mihi eſt natalis,ex na-
tali facere emortualem,id eſt,funeſtum, quia hoc die quaſi mortuus ſum,opera Pſeudoli, qui
comitia centuriata mei capitis habuit,id eſt,qui omneis arteis & machinas aduocauit, & adhi-
buit,quibus me perderet.

## SIMO ſenex.

BEne ego illum tetigi,bene autem ſeruos inimicum ſuum
Nunc mihi certum eſt,alio pacto Pſeudolo inſidias dare,

Quàm in aliis Comœdiis fit, vbi cum ſtimulis aut flagris A
Inſidiantur: at ego iam inuitus promam viginti minas,
Quas promiſi, ſi effeciſſet, obuiam ei vltrò deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis verſutus, nimis malus,
Superauit dolum Troianum, atque Vlyſſem Pſeudolus.
Nunc ibo intrò, argentum promam, Pſeudolo inſidias dabo.

BENE EGI] rem bene geſſi. ILLVM TETIGI] lenonem circumueni. ſic Turpill. in Demetr. apud Nonium in verbo tangere. INIMICVM SVVM] eundem lenonem. INSIDIANTVR] ſeruis ſuis domini. INVLTVS] non vlciſcens iniuriam mihi à Pſeudolo factam in eo quod filium meum corrumpat. SI EFFECISSET] ſi effeciſſet id, quod dicebat ſe facturum, videlicet, mulierem à lenone abducturam. OBVIAM] non exſpectans dum ad me venerit. VLTRO] non flagitatus, neque appellatus, neque admonitus. ILLIC] ille Pſeudolus. DOLVM TROIANVM] dolum, quo capti ſunt Troiam, vel quo vſus eſt in Troianos Vlyſſes. B

PSEVDOLVS ſeruus ebrius.

QVid hoc? ſiccine hoc fit? pedes ſtatin', an non?
An id voltis vt me hic iacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin pergere? ah ſæuiendum mihi
Hodie eſt. magnum hoc vitium vino eſt.
Pedes captat primùm, luctator doloſu'ſt.
Profectò ædepol ego nunc probè habeo madulſam,
Ita victu excurato, ita mundiciis digni ah,
Itaque in locu feſtiuo ſumus feſtiuè accepti. C
Quid opus me multas agere ambages? hoc
Eſt homini quamobrem vitam amet. hîc omnes
Voluptates, in hoc omnes venuſtates ſunt,
Deis proximum eſſe arbitror. nam vbi amans complexu'ſt
Amantem, vbi labra ad labella adiungit,
Vbi alter alterum bilingues manifeſtò
Inter ſe prehendunt: vbi mamma manicula
Opprimitur alia: aut, ſi lubet, corpora
Conduplicant: manu candida cantharum dulciferum
Propinare amiciſſimam amicitiam, neque ibi eſſe alium alio D
Odio, ibi nec moleſtum, nec ſermonibus morologis vti:
Vnguenta, atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles.
Non enim parcè promi, victu cætero, ne quis me roget,
Hoc ego modo, atque herus minor hunc diem ſumſimus prothymè,
Poſtquã opus meum vt volui, omne perpetraui, hoſtibus fugatis.
Illos accubantis, potantis, amantis, cum ſcortis,
Reliqui, & meum ſcortum ibidem, cordi atque animo ſuo
Obſequenteis. ſed poſtquam exſurrexi, orant med vti ſaltem.
Ad hunc me modum intuli, vt illis ſatisfacerem ex diſciplina: quippe ego

Qui probè



A Qui probè Ionica perdidici, ſed palliolatus,
Sic huc inceſſi ludibundus. plaudunt parum, clamitant me vt reuertar.
Occepi denuò, hoc modo nolui. idem amicæ dabam me meæ,
Vt me amare. vbi circumuortor, cado. id fuit nænia ludo.
Itaque dum enitor (prox) iam penè inquinaui pallium. nimiæ tum
Voluptati ædepol fui ob caſum. datur cantharus, bibi, commuto
Illico pallium, illud poſui, inde huc exij, crapulam dum amouerem.
Nunc ab hero ad herum meum maiorem venio fœdus commemoratum. B
Aperite aperite. heus Simoni me adeſſe, quis nuntiate.

PEDES STATIN', AN] pedes mei ſtatíſne, annon ſtatis? Pſeudolus ebrius, vacillans, & vix conſiſtens, pedes ſuos interrogat, vtrum fungatur officio ſuo, nécne? IACENTEM ALIQVIS TOLLAT] propriè pictum, iacentem tollere. VESTRVM ERIT FLAG.] vobis erit turpe: veſtra erit culpa flagris digna. PERGITIN' PERG.] pergitíſne malè ſtare? AH SÆVIENDVM MIHI] minatur malum pedibus ſuis, quod ita vacillent. ah, video, inquit, mihi hodie ſæuitiam in pedes meos eſſe vſurpandam, qui me ſic deſerant, ac deſtituant. LVCTATOR DOLOSV'ST] nam ingenuus luctator aduerſarium vi ac virtute percellit, non crure implicito ſupplantat. EXCVRATO] accurato, apparato. HOC EST HOMINI QVAMOBR.] hæc cauſa eſt homini, quamobrem viuere velit. DEIS PROX. ESSE ARBITR.] vel ſic, hoc diis proximum eſſe arbitror. nempe hoc modo viuere, hoc eſt, iucundè, molliter, feſtiuè, apparatè, &c. vel dic, Diis me proximum eſſe arbitror, qui ita molliter, & iu-
C cundè acceptus ſim. Sciendum eſt autem totum hunc ſermonem, vt ſerui ebrij, eſſe ἀνακόλουθον, & non ſatis inter ſe cohærere. quod & Camerarius admonuit. VBI ALTER ALTERVM BILING.] vbi linguas ſuas inter ſe committunt, & coniungunt, ita vt videantur eſſe bilingues. VBI MAMMA MANICVLA OPPR.] hic locus iudicio meo non eſt ſincerus, vt neque multi alij, in hac ſcena maximè: neque me noſtri codices adiuuerunt: qui partim ſic habent, *vt mammilla nam anicula*: partim, *vbi mammilla illam amicula.* vnde putabam legendum, *vbi mammilla amiculæ opprimitur*. Secutus ſum interea editionem Camerariã. manicula autem hoc loco, ſi recta ſcriptura eſt, paruam manum ſignificat, cùm videatur eſſe nomen à manica potius, quàm à manu, deminutum. MANV CANDIDA] candida, tranſlatè accipiendum eſſe puto, vt dicimus, mores candidos, & animum candidum, & ſimil. cui opponitur manus impura, & ſcelerata. CANTHARVM DVLCIS. PROP.] propinare cantharum, hoc eſt, porrigere, per appoſitionem, ſeu κατὰ σύνθεσιν, amicitiam amiciſſ. Hîc quoque eſt anacoluthum, nam quò referatur hoc propinare, aut vnde pendeat, non eſt facile dictu. ALIO] alij. NEC SERMONIBVS MORALOGIS] nec ſermones ineptos, & qui nihil attinent, habere, ſed amatorios ſcilicet, & hilaritatis plenos. LEMNISCOS] Feſtus. Lemniſci, id eſt, faſciolæ colo-
D riſiæ, dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum. Plinius lib. 21. cap. 3. Craſſus diues primus argento, auróque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit. Acceſſerúntque, & lemniſci: quos adiici ipſarum coronarũ honos erat propter Etruſcas, quibus iungi, niſi aurei, non debebant. Sed video quoſdam velle apud Feſtum legi *Laniſci*, non lemniſci: & item apud Plinium, Feſti verbis illis, opinor, adducti, coronarum lanearum. DAPSILEIS] largas, multas, ſumtuoſas, non parcas. NON ENIM PARCÈ PROM.] ſubintellig. lemniſcos, coronas, odores, vnguenta. VICTV CETERO HOC EGO MODO, &c.] ne quis fortè me roget quomodo in ceteris nos ipſi accepti ſimus, Hoc modo ego, & herus, ceteris rebus, quæ ad victum pertinent, hunc diem conſumſimus alacriter, poſteaquam ex animi ſententia negotium receptum geſſi, atque ad exitum perduxi, lenone, & ſeruo militis dolo ſuperatis. PROTHYMÈ] προθύμως, vſus eſt aduerbio Græco, ad Latini ſermonis conſuetudinem flexo. προθύμως autem valet prompto & alacri animo. CORDI ATQVE ANIMO SVO OBS.] Ψυχῇ χαριζομένους ſibi indulgenteis, ſuæ libidini obtemperanteis & ſeruienteis. ORANT MED VTI SALTEM] orant me vt ſaltem. ME INTVLI] in proſcenium prodij, vt ſaltarem. SED PALLIOLATVS] id eſt, ſed palliolo amictus. Secutus ſum autem noſtros libros veteres, qui partim ſic habent, partim *palliotatus*, partim *palluratus*. Vulgata autem lectio, *palliolatum amictus* mihi videtur ferri non poſſe. OCCE-

aaaa

PI DENVÒ]incepi iterum ſaltare. IDEM AMICÆ DABAM]ego idem ſtudebam meæ amicæ ſaltando placere. VBI CIRCVMV.]cùm ſaltatorium orbem verſarem. ID FVIT NÆN.]hic caſus fuit pro nænia ludo.ſignificat fortaſſe ſuum caſum fuiſſe loco cantus & carminis ludo.Erat enim nænia tibiæ cantus,quo veteres mortuorum laudes proſequebantur. Sed ex noſtris libris veteribus nonnulli habent, *nemo ludo*. PROX,] ſic edendum curauimus noſtros libros veteres ſecuti, Prox autem (inquit Feſtus)bona vox, veluti quidam putant, ſignificari videtur,vt ait Labeo de iure Pontificio libro xj. IAM PÆNE INQVIN. PALL.] ſignificat,opinor,ſe enitendo propè commonuiſſe palliolum ſuum: quod & ea, quæ ſequuntur, comprobant. ILLVD POSIVI]illud,quod fuit inquinatum depoſui. *poſiui* antiquum, pro poſui. AB HERO] à filio Simonis heri mei. FOEDVS] quod inter vos conuénit, vt, ſi lenonem deciperem,daret mihi xx.minas. A

## SIMO ſenex. PSEVDOLVS ſeruus. BALLIO leno.

B

VOx viri peſſumi me exciet foras. ſed quid hoc?quo modo?
quid video ego?
PS. Cum corona ebrium Pſeudolum tuum. SI. liberè hercle hoc
quidem.ſed vide ſtatum.
Num mea gratia pertimeſcit? magis cogito ſæuiter,blanditérne
alloquar.
Sed hoc me vetat vim facere, quod fero, ſi qua in hoc ſpes ſita'ſt
mihi.
PS. Vir malus,viro optimo obuiam it. SI. di te ament Pſeudole.
Phuy in malam crucem.
PS. Cur ergo me afflictor? SI. quid tu (malùm) ergo in os mihi ebrius irructas? C
PS. Molliter, ſiſte nunc me, caue ne cadam: non vides me vt madidè
madeam?
SI. Quæ iſtæc audacia eſt, te ſic interdius cum corolla ebrium incedere? PS. lubet.
SI. Quid?lubet?pergin' ructare in os mihi? PS. ſuauis ructus mihi
eſt.ſic ſine modò.
SI. Credo equidem poteſſe te ſcelus Maſſici montis vberrumos
quattuor
Fructus ebibere in hora vna. PS. hiberna addito. SI. ſed D
dic tamen. PS. haud malè.
Mones. SI. vnde onuſtam celocem agere te prædicem? PS.
cum tuo filio
Perpotaui modò. ſed Simo vt probè tactus Ballio eſt? quæ tibi
dixi
Effecta reddidi. SI. derides? peſſumus homo eſt. PS. mulier hæc
Facit cum tuo filio libera accubat. SI. omnia vt quicquam egiſti ordine
Scio. PS. quid ergo dubitas dare mihi argentum? SI. ius
petis fateor.

Tene.



A Tene. PS. at negabas daturum eſſe te mihi, tamen das, onera
hunc hominem,atque
Conſequere hàc. SI. ego iſtum onerem? PS. onerabis,ſcio.
SI. quid ego huic homini faciam?
Statim vltro & argentum aufert,& me irridet. BA. væ victis.
PS. vorte ergo humerum,
Hem. BA. hoc ego numquam ratus ſum fore me vt tibi fierem ſupplex.
Heu heu heu. PS. deſine. BA. doleo. PS. ni doleres tu,
ego dolerem.
BA. Quid hoc?auferréne Pſeudole abs tuo hero? PS. lubentiſſimo
B corde atque animo.
BA. Non audes quæſo aliquam partem mihi gratiam facere hic argenti?
PS. Noui,me dices auidum eſſe.nam hoc numquam eris nummo diuitior.
Neque te mei tergi miſereret,ſi hoc non hodie effeciſſem.
BA. Erit vbi te vlciſcar,ſi viuo. PS. quid minitare?habeo tergum.
BA. Age ſanè. PS. igitur redi. BA. quid redeam? PS. redi
modò,non eris deceptus.
BA. Redeo. PS. ſimul mecum potatum. BA. egóne eam? PS.
fac. quod te iubeo,
C Si is,aut dimidium,aut plus etiam faxo hinc feres. BA. eo duc
me quò vis. PS. quid nunc?
Nunquid iratus es,aut mihi,aut filio, propter has res Simo? SI.
nihil profectò.
PS. I hàc. BA. te ſequor,quin vocas ſpectatores ſimul? PS. hercle me iſti
Haud ſolent vocare, neque ergo ego iſtos: verùm ſi voltis applaudere.
Atque approbare hunc gregem & fabulam, in craſtinum vos
vocabo.

D

CVM CORONA EBR.] ſæpè admonuimus veteres in poculis coronis vti ſolitos. SED VIDE STATVM] vide ſtatum hominis præſentiam heri non verentis: vel hominis, &c. MAGIS COGITO SÆVITER] tanto magis mecum cogito vtrúmne iracundè, & aſperè Pſeudolum conueniam an blandè,& leniter. SED HOC ME VETAT VIM F.] ſed hoc vetat me ſæuitiam, & vim in Pſeudolum adhibere ſpes quam habeo fore,vt eius opera & adiumento filius meus ad bonam frugem redeat. PHVY] interiectio tætrum aliquid & ſpurcum aſpernantis.Diomedes,Perſ. Soſipater. in *fatæ*, vbi legendum puto pro fatæ, fu, & fy intelligimus autem hîc Pſeudolum in os heri irritaſſe.CVR ERGO ME AFFL.?]cur ergo mihi malè precaris?QVID TV, MALÙM, ER.] rogas cur te afflictem malè tibi precando? cur tu ergo mihi in os irructas?particula *ergo* à Simone iterata eſt per quandam indignationem, & cum ſtomacho.Solemus enim in iurgio,& altercatione verba nõnulla eius,qui nos accuſat, quóue nobiſcum expoſtulat,iterare, iuſtiorẽ nobiſcũ eſſe cauſam quamobrẽ queramur,oſtendentes. MOLLITER]molliter me tracta. SISTE N. ME]firma me,ne prolabar. MADIDÈ MAD.]valde madeam?bene potus ſim? INTERDIVS]interdius dixit, quia licentius:& minus turpiter potatur veſperi,& noctu,quam interdiu.Ex quo prandia M.Antonij exagitatur à M.Cicerone Philippica ſecunda. MASSICI MONTIS] vina Maſſica, quæ à Maſſico in

quo naſcuntur,à Campaniæ monte dicta ſunt, à ſcriptoribus commemorati, & celebrati ſint. A
Virg. *Vertunt felicia Baccho maßica.* Horat. lib.1.carm.oda.1. *Eſt qui nec veteris pocula Maßici.* QVATTVOR FR.] quattuor vindemias. HIBERNA ADDITO] addito hiberna, ſubintellig. hora. Dicis(inquit)me poſſe ebibere quattuor fructus Maſſici montis, eóſque vberrimos. (nam ſi fructuum ſterilitas fuiſſet, mirum non eſſet) in hora vna, debuiſti addere, hiberna. Nam ſi id facerem in vna hora æſtiua, non admodum magnus potor eſſem. Horas æſtiuas, hibernis fuiſſe longiores apud veteres, quod horæ apud eos eſſent inæquales, diéſque & noctes horis duodenis conſtarent, ſciunt vel pueri. VNDE ONVSTAM CELOCEM] vnde te ita vino madidum, ſeu ita vini & cibi plenũ veniſſe dicam? allegoria eſt à nauibus onuſtis. celox, nauiculæ genus eſt. propriè autem dixit, celocem agere, pro impellere. ſic Horatius. *Nauim agere ignarus nauis timet.* PERPOTAVI] per, in compoſitione, perpetuitatem & aſſiduitatem ſignificat. PESSIMVS HOMO EST] hæc loquitur Simo ipſe ſecum, conuerſus ad ſpectatores, peſſimus eſt homo(inquit ille)hic Pſeudolus ſcilicet: id eſt, vaferrimus, & doloſiſſimus. Alij ſic, peſſimus eſt iſte leno. Secutus ſum autem editionem Camerarianam, à qua non diſcrepant ceteræ vulgatæ. Sed videtur legendum, vt habent noſtri codices, *Peßimus homo es*, vt non ipſe ſecum, ſed clara voce Pſeudolum alloquatur. Nam ſi ſummiſſa voce loqueretur, non reſponderet ea Pſeudolus, quæ proximè ſequuntur. Nunc autem ex reſponſione intelligere licet, ea, quæ Simo lo- B
cutus eſt, à Pſeudolo eſſe exaudita. reſpondet enim ſe eſſe peſſimum mulieris huius opera & culpa: id eſt, nequiſſimũ, quamuis Simo cùm eum nequiſſimũ dicit, ſignificat fortaſſe eſſe verſutiſſimum & doloſiſſimum. MVLIER HÆC FACIT] hæc meretrix, cum qua cubui, facit vt ſim nequiſſimus. vel potiùs Phœnicium, quam abduxi à lenone, facit, vt ſim corruptiſſimus, & inertiſſimus. OMNIA, VT QVICQ.] comprobat Simo, quæ acta ſunt à Pſeudolo, hoc modò: Omnia(inquit) quæ abs te acta ſunt, egiſti rectè atq. ordine, vt aliquid aliud quod abs te rectè actum eſt. ONERA HVNC HOM.] onera lenonem argento. VÆ VICTIS] Feſtus. væ victis, in prouerbium veniſſe exiſtimatur, cùm Roma capta à Senonibus Gallis aurum ex conuentione, & pacto adpenderetur: quod iniquis ponderibus exigi à barbaris querente Appio Claudio Brennus rex Gallorum ad pondera adiecit gladium, & dixit væ victis. quem poſtea perſecutus Furius Camillus cùm inſidiis circumuẽtum conciderct, & quereretur contra fœdus fieri, eadem voce renumeraſſe dicitur. Significat autem eos eſſe infelices, & cum iis peſſimè agi, eorumdémque conditionem eſſe duriſſimam, qui victi ſunt. FORE ME VT TIBI F.] fore vt ego tibi fierem ſupplex. NI DOLERES TV, EGO DOLEREM] niſi effeciſſem, quod dixeram Simoni, niſi que mulierem abs te abduxiſſem, ego à Simone in piſtrinum conditus eſ- C
ſem. AVFERRÉNE PSEVDOL.] oportétne, aut æquúmne eſt Pſeudole, te abs tuo hero pecuniam auferre? ALIQVAM PARTEM] aliqua ex parte, vt dicimus magnam partem, pro, magna ex parte. de quo genere alibi. NOVI, ME DICES] ſubintellig. non audeo. deinde quæ deinceps ſequuntur, ſic declaranda: noui, quid de me dicturus ſis, propterea quod huius argenti tibi gratiam non faciam. dices me eſſe pecuniæ auidum, atque auarum. Sed non diſſimulabo in noſtris libris veteribus ſcriptum eſſe, *Non me dices auidum eſſe*: quomodo habent & libri vulgati. NAM HOC NVMQVAM] hîc quoque quiddam tale ſubintelligendum eſt. nihil mea refert. fruſtra me auidum eſſe dices. inanem operam ſumes. nam ex hoc argento, numquam eris nummi ditior. numquam ex his xx. minis vnum nummũ auferes. HABEO TERGVM] habeo tergum ad verbera paratum, vel verberibus aſſuefactum. IN CRASTINVM VOS VOCABO] in craſtinum diem vos nunc vocabo: id eſt, vocabo vos vt craſtino die nobiſcum potetis.

FINIS PSEVDOLI.



A

# POENVLVS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

B

| | |
|---|---|
| AGORASTOCLES | adoleſcens. |
| MILPHIO | ſeruus. |
| ADELPHASIVM | meretrix. |
| LYCVS | leno. |
| ANTHEMONIDES | miles. |
| ADVOCATI. | |
| COLABISCVS | villicus. |
| SINCERASTVS | ſeruus. |
| HANNO | Pœnus. |
| GIDDENEME | nutrix. |
| PVER. | |

C

## ARGVMENTVM.

PVer ſeptuennis ſurripitur Karthagine,
Oſor mulierum adoptat hunc emtum ſenex,
Et facit hæredem eius cognatæ duæ
Nutrixque earum raptæ. mercatur Lycus,
Vexátque amantem. at ille cum auro villicum
Lenoni obtrudit, ita eum furto alligat.
D Venit Hanno Pœnus, natum hunc fratris repperit,
Suáſque agnoſcit, quas perdiderat, filias.

PVER] Agoraſtocles filius: cuius pater præ ægritudine mortuus eſt, Hannone fratre relicto hærede. OSOR MVL.] Antidamas. COGNATÆ DVÆ] Hannonis, qui Agoraſtoclis erat patruus, filiæ Anteraſtile, & Adelphaſium. NVTRÍXQVE] Siddeneme. MERCATVR] ambas. LYCVS] leno. AMANTEM] Agoraſtoclem, qui amabat Adelphaſium. AT ILLE CVM AVRO] at Agoraſtocles villicum ſuum Colabiſcum ſubornatum ad lenonem mittit cum pecunia ſua, hoc conſilio, vt eum apud lenonem quaſi furem manifeſtò deprehenſum adhibitis teſtibus teneat, & furti arguat & conuincat. HANNO] Anteraſtiles & Adelphaſij erat pater. NATVM HVNC FR.] Agoraſtoclem.

## PROLOGVS.

A

ACHILLEM Ariſtarchi mihi commentari lubet,
Inde mihi principium capiam ex ea tragœdia.
Siletéq; & tacete, atq; animũ aduortite,
Audire iubet vos imperator hiſtricus.
Bonóque vt animo ſedeant in ſubſelliis,
Et qui eſurientes, & qui ſaturi venerint.
Qui ediſtis, multo feciſtis ſapientius:
Qui non ediſtis, ſaturi ſite fabulis. B
Nam cui paratum eſt quod edit, noſtra gratia,
Nimia eſt ſtultitia, ſeſſum impranſum incedere.
Exſurge præco fac populo audientiam.
Iamdudum exſpecto, ſi tuum officium ſcias.
Exerce vocem quam per viuis & colis.
Nam niſi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age nunc reſide, duplicem vt mercedem feras.
Bonum factum'ſt, edicta vt ſeruetis mea.
Scortum exoletum, ne quis in proſcenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgæ mutiant,
Neu deſignator præter os obambulet, C
Ne ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſiet.
Diu qui domi otioſi dormierunt, decet
Animo æquo nunc ſtent, vel dormire temperent.
Serui ne obſideant, liberis vt ſit locus,
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio,
Ne & hic varientur virgis, & loris domi,
Si minus curaſſint, cum veniant heri domum.
Nutrices pueros infantis minutulos
Domi vt procurent, neu quæ ſpectatum afferant, D
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri peritent fame,
Néue eſurientes hic quaſi hœdi obuagiant.
Matronæ tacitæ ſpectent, tacitæ rideant,
Canora hic voce ſua tinnire temperent.
Domum ſermones fabulandi conferant,
Ne & hîc viris ſint & domi moleſtiæ.
Quódque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici iniuria,
Néue ambitionis cauſſa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam, quod penè oblitus fui,

Dum



A Dum ludi fiunt, in popinam pediſequi
Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcribilitæ æſtuant, occurrite.
Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico,
Bonum hercle factum pro ſe quiſque vt meminerit.
Ad argumentum nunc viciſſatim volo
Remigrare, vt æquè mecum ſitis gnarures
Eius nunc regiones, limites, confinia
Determinabo, ei rei ego ſum factus finitor.
Sed niſi moleſtum eſt, nomen dare vobis volo
Comœdias: ſin' odioſum eſt, dicam tamen.
B Siquidem licebit per eos, quibus eſt in manu.
Carchedonius vocatur hæc comœdia,
Latinè Plautus, patruus pultiphagonides.
Nomen iam habetis, nunc rationes cæteras
Accipite: nam argumentum hoc hic cenſebitur.
Locus argumento'ſt ſuum ſibi proſcenium.
Vos iuratores eſtis, quæſo operam date,
Karthaginienſes fratres patrueles duo
Fuere, ſummo genere, & ſummis diuitiis,
Eorum alter viuit, alter eſt emortuus,
Propterea apud vos dico confidentius,
C Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi ſeni, qui mortuus eſt, filius
Vnicus qui fuerat, olim abductus à patre,
Puer ſeptuennis ſurripitur Karthagine
Sexennio prius quidem, quàm moritur pater,
Cùm iam periiſſe ſibi videt gnatum vnicum,
Coniicitur ipſe in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem ſuum,
Ipſe abiit ad Acheruntem ſine viatico.
Ille qui ſurripuit puerum, Calydonem auehit,
D Vendit eum domino hic diuiti cuidam ſeni
Cupienti liberorum, oſori mulierum.
Emit hoſpitalem is filium imprudens ſenex
Puerum illum, eúmque adoptat ſibi pro filio.
Eúmque hæredem fecit, cùm ipſe obiit diem.
Is illic adoleſcens habitat in illiſce ædibus.
Reuortor rurſus denuò Karthaginem.
Si quid mandare voltis, aut curarier,
Argentum niſi qui dederit, nugas egerit.
Verùm qui dederit, magis maioris egerit.
Sed illi patruo huius, qui viuit ſenex,
Karthaginienſi duæ fuere filiæ.

A Altera quinquennis,altera quadrimula,
Cum nutrice vnà periere à magalibus.
Eas qui ſurripuit,in Anactorium deuehit,
Vendítque has omnis,& nutricem,& virgines,
Præſenti argento homini,ſi leno eſt homo,
Quantum hominum terra ſuſtinet,ſacerrimo.
Voſmet nunc facite coniecturam cæterum,
Quid id ſit hominis,cui Lyco nomen ſiet.
Is ex Anactorio,vbi prius habitauerat,
Huc commigrauit in Calydonem,haud diu,
Sui quæſti gratia,is in illis habitat ædibus.
B Earum hic adoleſcens alteram efflictim perit
Suam ſibi cognatam imprudens,neque ſcit quæ ea
Sit,neque eam vmquam tetigit:ita eum leno macerat.
Neque quicquam cum ea fecit etiamnum ſtupri,
Neque duxit vmquam,neque ille voluit mittere.
Quia amare cernit,tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatam ſibi
Volt emere miles quidam,qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus,poſtquam eas perdidit,
Maríque terráque vſquequaque quæritat.
Vbi quamque eſt in vrbem ingreſſus,illico
C Omnes meretrices,vbi quiſque habitant,inuenit.
Dat aurum,ducit,noctem rogat:poſt ibi
Vnde ſit,cuiatis,captáne,an ſurrepta ſit,
Quo genere nata,qui parentes fuuerint,
Ita doctè atque aſtu filias quærit ſuas.
Et is omnis linguas ſcit,ſed diſſimulat ſciens
Se ſcire.Pœnus planè eſt,quid verbis opu'ſt?
Is heri huc in portum naui venit veſpere.
Pater harum,idem huic patruus adoleſcentulo eſt.
Iámne hoc tenetis? ſi tenetis,ducite.
Caue dirumpatis,quæſo,ſinite tranſigi.
D Hem pæne oblîtus ſum reliquum dicere.
Ille,qui adoptauit hunc pro filio ſibi,
Is illi Pœno huiuſce patri hoſpes fuit:
Is hodie huc veniet,reperiétque hic filias.
Et hunc ſui fratris filium,vt quidem didici ego.
Ego ibi ornabor,vos æquo animo noſcite.
Hic qui hodie veniet,reperiet ſuas filias,
Et hunc ſui fratris filium,dehinc cæterum
Valete,adeſte. ibo,alius nunc fieri volo.
Quod reſtat reſtant alij,qui faciant palàm.
Valete,atque adiuuate,vt vos ſeruet ſalus.

ACHILLEM



A ACHILLEM ARISTARCHI] Ariſtarchum tragicum poëtam commemorat Suidas,eúmque tradit tragœdias ſeptuaginta docuiſſe, bis viciſſe. cùm centũ amplius annos vixerit:æqualẽ autẽ Euripidis fuiſſe.Præterea Ennius Achillẽ Ariſtarchi ſcripſit,vt notat Camerarius. SILETÉQ. ET TACETE] duobus verbis Græcis σιγᾷν, & σιωπᾷν, totidem Latina oppoſuit,ſilere,& tacere. IMPERATOR HISTRICVS] hiſtrio,vel hiſtrionum dux,& præfectus.Feſtus. Hiſtriones dicti,quòd primùm ex Hiſtria venerint. SATVRI FITE] fite,plurale,imperatiui modi à ſingulari *fi*, veteribus vſitatum.Horatius Satyr.5.lib.2.*ſi cognitor ipſe*.Iterum Plautus in Perſa.*Age,ſi benignus ſubueni*. Idem Curcul.*ſequere huc Palinure me ad foreis.ſi mi obſequens*. NAM QVOI PARATVM EST,&c.] id eſt,nam nimia eſt ſtultitia,eum,cui paratũ eſt domi quod edit,id eſt,quod edat,impranſum incedere ſeſſum,hoc eſt,venire ſeſſum, ſubſellium occupare non antè pranſum, noſtra gratia,vt nos ſpectet & audiat. EDIT]edim,dis,dit. Horatius oda Epod.*Edit cicutis allium nocentius*. ad quem locum annotata ſunt plura exempla. FAC POPVLO AVDIENTIAM]fac populus audiat cum ſilentio.aliter dixit M.Tullius in Catone Maiore.*facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis comta,& mitis oratio*. QVAM PER VIVIS ET COLIS] ἀναστροφή. exerce vocem per quam victum,& cultum tibi paras.TACITVM TE OBR. F.]
B tacitus eſuries.tacitò tibi obrepet fames:ad te tacitum ſenſum gradietur fames.veteres non geminabant interdum præpoſitiones. idcirco dixit, obrepet te, pro, repet abs te. *ob* autem, vſurpabant iidem illi pro ad, vt teſtatur Feſtus. Ennius. *Ob Romam noctu legiones ducere cœpit*. Iam quod libri vulgati habent, *ſtatim te obr*. Turnebo aſſenſus ſum, qui mendoſè *ſtatim*, pro, *tacitum* ſubſtitutum eſſe arbitratur,libro Aduerſ.19. cap.12. BONVM F. EST.]ſolebant veteres hæc verba edictis præponere, ac præſcribere boni ominis cauſa, Bonum factum, ſeu Bonum factum,&c. Ex quo illud apud Sueton.in C.Iulio. *Peregrinis in ſenatum allectis libellus propoſitus eſt: Bonum factum,ne quis ſenatori nouo curiam monſtrare velit*. Eodem pertinet illud Tertull. O edictum, cui adſcribi non poterit, bonum factum. Quæ ſunt diligenter ab Adriano Turnebo collecta lib.3.Aduerſ.cap.22. SCORTVM EXOLETVM] exoletus (inquit Feſtus) qui adoleſcere, id eſt,creſcere deſiit. NE QVIS]ne quis puer impudicus. κατὰ σύνθεσιν, ſcortum exoletum. ſedeat in proſcenio,id eſt,in ſcenæ parte anteriore,in quam prodeunt actores, & in qua agunt quid dicturi ſint. NEV LICTOR VERB.] ne lictor verbum mutiat. ὑπερβολή:nam mutire,eſt mutorum more ſonare: qui ne μυ quidem ſonare poſſunt:ex quo muti dicti ſunt,& mutire,& muſſare. NEV VIRGÆ MVTIANT] neque virgæ ſonitum edant. DESIGNA-
C TOR]qui præfectus eſt apparatui comico,& qui deſignat totam rem ludicram. Vlpian. digeſt. de iis,qui not.infam. PRÆTER OS]id eſt,ante os. DECET ANIMO ÆQVO NVNC STENT] decet eos nunc animo æquo ſtare. quidam libri habent, *ſient*. VEL DORM. T.] malim legi,*& dormire temperent*. NE OBSIDEANT] ne ſubſellia occupent. ET HÎC]extra ædeis,in theatro,ſeu in ſcena. VARIENTVR]lacerentur. SI MINVS CVRASSINT] ſi non curarint,quod edicimus:ſi non paruerint edicto noſtro. CVM VEN. H. D.] varientur loris domi,cùm heri domum à ludis venerint. DOMI VT PROCVR.]ne veniant ſpectatum cum pueris ſuis,paruulis,atque ita & ipſæ ſitiant,(plerumque enim nutrices ſunt bibulæ,& ſiticuloſæ) & pueri fame intereant. CANORA HÎC VOCE S. T.] temperent tinnire,id eſt,caueant ne tinniant voce ſua canora, hoc eſt,ſonora, & acuta, qualis eſt vox muliebris. tinnire autem, pro, acutam vocem mittere, more tintinabulorum, poſitum eſt,tranſlatè. DOMVM SERM. F.] conferant domum,id eſt,referuent domui, vel domũ transferant, ſermones fabulandi,id eſt,fabulas,ſeu ſermones ad fabulandũ accommodatos.NE ET HIC V. &c.] ne vtrobique viris ſint moleſtiæ,nempe & hîc & domi:proinde ac ſi dicat,ſatis eſt eas eſſe viris odioſas ac moleſtas domi. caueant ne hic quoq. eis moleſtæ ſint. ſint viris moleſtiæ,ſic di-
D ctum,vt hæc res eſt mihi curæ,eſt mihi voluptati, erit tibi bono, aut malo, aut ornamento,aut dedecori,& ſimil.INIVRIA]iniuſtè,immeritò. AMBITIONIS CAVSA]gratificandi minus bonis cauſa. EXTRVDANTVR] meliores artifices.IRRVPTIONEM FACITE]irrumpite,irruite. SCRIBILITÆ]ſcribilitæ genus eſt placentæ ſine melle. BONVM HERCLE FACTVM] hac de re ſuprà. VICISSATIM] viciſſim. REMIGRARE] redire. ſic autem legendum potiùs, quàm vt alij libri habent *remigare*: quamuis hanc ſcripturam ſecutus ſit Camerarius. VT ÆQVÈ MECVM SITIS GNARVRES] vt æquè mecum ſitis gnari ſcilicet huius argumenti.Sic eſt autem legendum, non vt vulgò, *huius gnari rei*. Vtitur eadem voce & in Moſtell. *Simul gnarures volo eſſe hanc rem mecum* EIVS NVNC REGIONES, &c.] allegoria ducta ab agrorum menſione,& definitione. FINITOR]finitor,penultima breui,vt notat Camerarius.Profert hunc locum Nonius,in voce finitores,docens finitores,olim eſſe dictos,qui nunc agri mẽſores appellantur. COMOEDIAI]id eſt,comœdiæ, antiqua diphthongus αι, pro, æ. ex qua,aulaï,triuiaï,Iphianaſſaï,Troiaï.licet etiam legere *comœdiâs*,vt habent alij libri:vt ſit antiquus genitiuus qualis eſt, *familiâs*, vt paterfamiliâs. QVIBVS EST IN M.] quorum in poteſtate hoc ſitum eſt. CARCHEDONIVS] id eſt,Karthaginienſis. LATINÈ PLAVTVS PATRVVS PVLT.] Camerarius putat legendum, Latinè Plauti patruus pultiphagonides. ſed ego malim legi, *Latinè Plauti Pœnulus Pultiphagonides*. id eſt, Plauti Pœnulus

Romanus,ſeu Italus. Olim pulte veſcebantur Romani,& Itali,non pane. Iccirco per Pultipha- A
gum,& pultiphagonidem,ſignificatur Italus,ſeu Romanus.ſic in Moſtellaria. *Non enim hæc pul-*
*tifagus opifex opera fecit barbarus*. notat Adrianus Turnebus Aduerſar. lib.19.cap.12. CENSEBI-
TVR]id eſt,à vobis ſpectatoribus,tanquam cenſoribus, iudicabitur. PROSCENIVM] pars
eſt ſcenæ anterior,in quam prodeunt hiſtriones,& in qua ſpectantur à populo,dum loquuntur,
& agunt.Proſcenium(inquit)erit locus argumento, in quo loco cenſebitur. Iam illud,proſce-
nium ſuum ſibi,ſic ferè dictum eſt,vt illud,ſuo ſibi hunc iugulo gladio. VOS IVRATO-
RES ESTIS] vos ij eſtis,qui nos quaſi ad iuſiurandum adigitis,id eſt,vos cēſores eſtis. Nam
cenſores ad iuſiurandum eos adigebant,quos cenſere inſtituebant:vt declarat illa formula, Ex
animi tui ſententia,ſubintellig.iura,vxorem habes? Adrian.Turneb.Aduerſ.eod.lib.& eod. ca.
POLLINCTOR]qui mortuos ſepeliendos, & humandos curat. FILIVS VNI.] Agora-
ſtocles. ABDVCTVS]domo. FRATREM P.]Hannonem. AD ACH.] ad inferos. CVI-
DAM SENI]Antidamanti. HOSPITALEM] hoſpitis filium. IMPRVDENS] neſciens
eſſe hoſpitis filium. MAIORES EGERIT] quia argentum perdiderit. MAGIS RE-
DVNDAT ILLI PATRVO] Hannoni. DVÆ FR. FIL.] Anteraſtylis & Adelphaſium.
ALTERA QVINQ.]Adelphaſium. ALTERA QVADR.]altera quattuor annos nata,
nempe Anteraſtilis. A MAGALIB.] magalia domicilia humilia Afrorum. Cariſius lib.1. B
magalia χαλύβαι Αφρῶν, id eſt.tuguria Afrorum.ANACTORIVM]oppidum in Acarmania.
HOMINI]Lyco. SACERRIMO] exſecrabiliſſimo,ſceleratiſſimo. CETERVM]cetero-
qui.cetera,alioqui. SIN QVÆSTI] ſin quæſtus. ſic Terentius Andria. *Numquam animum*
*quæſti gratia*,&c.Cariſius lib.1.lege & Nonium in voce *quæſti*. EFFLICTIM] perditè.Næuius.
*Nolo ego hanc adeò efflictim amare diu viuat volo vt mihi prodeſſe poßit*. vbi Probus,efflictim, id eſt, vſq.
donicum ecfligatur.Cariſius. PERIT] amat perditè. SVAM SIBI C.] tale eſt illud Te-
rentij. *ſuo ſibi hunc iugulo gladio*. MACERAT] amantem cruciat. QVIA AMARE C.]
quia leno videt Agoraſtoclem amare Adelphaſium. TANGERE H. VOLT. BOLO] vult
auferre homini prædam.vult homini pecuniam extorquere. *tangere bolo* autem, ſic dictum,vt il-
lud apud Nonium, *patrem argenti talento tetigi*.in verbo *tangere*,quod ille interpretatur circumue-
nire.Tale eſt & illud apud Terentium in Phorm. *Geta ferietur alio munere*. IN CONCVBINA-
TVM] vt ſibi ſit concubina.Camerar. edidit *in concubinatam*. PATER] Hanno. QVISQVE]
quiſque,pro quæque,antiquè. CVIATIS] cuias,quæ ſit ei patria. FVVERINT] fuuerint,
pro fuerint.u geminatum,vt prima ſyllaba producatur. CAPTÁNE, AN SVRR.] bellóne
capta,an clam,& furtim ablata. POENVS PL.]Pœnus planè eſt ingenio, & moribus: id eſt,
aſtutus,& verſutus.tales enim ferè ſunt Pœni. PATER HARVM,&c.]Hanno,harum puel- C
larum pater,idem eſt patruus Agoraſtocles. SI TENETIS, DVCITE] iocus ex ambiguo.
ſed obſcænus,& flagitioſus.ſi tenetis enim,duo ſignificare poteſt,vel ſi argumentum huius fa-
bulæ intelligitis:vel ſi paruam mentem, τὸ πέος tenetis.ex verbo autem *ducite*, quod ſequitur,
iocum eſſe obſcænum, & ſententiam turpem intelligit auditor. NE DIRVMP. Q. S.]
quæſo,ſinite rem perfici,Veneream ſcilicet:id eſt,vſque eò ducite, dum res perficiatur, ne par-
tem illam intentam & arrectam tentigine rumpatis.Nonnulli libri habent, *caue dirumpatis*, &c.
& ita edidit Camerarius. ILLE, QVI ADOPT.]Antidamas. ORNABOR] ſumam orna-
tum ſcenicum:induam perſonam comicam,& alius factus, hoc eſt, perſonatus in proſcenium
prodibo. ALIVS NVNC FIERI VOLO] ſumere ornatum comicum. ALII]actores.

## AGORASTOCLES adoleſcens. MILPHIO ſeruus.

D

AG. SÆpe ego res multas tibi mandaui, Milphio,
Dubias,egenas, inopioſas conſilij,
Quas tu ſapienter,doctè & cordatè & catè
Mihi reddidiſti opiparas opera tua.
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas grates gratias.
MI. Scitum'ſt per tempus ſi obuiam it,verbum vetus.
Nam tuæ blanditiæ mihi ſunt quod dici ſolet,
Gerræ germanæ, & ædepol lyræ lyræ
Nunc mihi blandidicus es,heri in tergo meo
Tris facile corios contriuiſti bubulos.





A AG. At amans per amorem ſi quid feci,Milphio,
Ignoſcere id te mihi æquum eſt. MI. haud vidi magis.
Et ego nunc amore pereo,ſine te verberem
Item vt tu mihi feciſti ob nullam noxiam.
Poſt id locorum tu mihi amanti ignoſcito.
AG. Si tibi lubido eſt,aut voluptati,ſino.
Suſpende,vinci,verbera,autor ſum,ſino.
MI. Si autoritatem poſtea defugeris,
Vbi diſſolutus tu ſies,ego pendeam.
AG. Egóne iſtuc auſim facere,præſertim tibi?
Quin ſi feriri video te,extemplò dolet.
B MI. Mihi quidem hercle. AG. immò mihi. MI. iſtuc mauelim.
Sed quid nunc tibi vis? AG. cur ego apud te mentiar?
Amo immodeſtè. MI. meæ iſtuc ſcapulæ ſentiunt.
AG. At ego hanc vicinam dico Adelphaſium meam,
Lenonis huius meretricem maiuſculam.
MI. Iampridem equidem iſtuc ex te audiui. AG. differor
Cupidine eius.ſed Lenone iſtoc Lyco
Illius domino,non lutum'ſt lutulentius.
MI. Vin' tu illi nequam dare nunc? AG. cupio. MI. en me dato.
AG. Abi directus. MI. dic mihi verò ſeriò,
Vin' dare malum illi. AG. cupio. MI. hem eundem me
C dato.
Vtrumque faxo habebit,& nequam & malum.
AG. Iocare. MI. vin' tu illam hodie ſine damno & diſpendio
Tuo, tuam libertatem facere? AG. cupio Milphio.
MI. Ego faciam vt facias. ſunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippi. AG. ſexcenti quoque.
MI. Satis ſunt trecenti. AG. quid iis facturus? MI. tace.
Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. AG. quid facturus? MI. iam ſcies
Tuus Colhabiſcus nunc in vrbe'ſt villicus,
D Eum hic non nouit leno,ſatin' intelligis?
AG. Intelligo hercle,ſed quò euadas,neſcio.
MI. Non ſcis? AG. non hercle. MI. at ego iam faxo, ſcies.
Ei dabitur aurum,vt ad lenonem deferat,
Dicátque ſe peregrinum eſſe ex alio oppido.
Se amare velle,atque obſequi animo ſuo,
Locum ſibi velle liberum præberier,
Vbi nequam faciat clàm,ne quis ſit arbiter.
Leno ad ſe accipiet,auri cupidus,illico
Celabit hominem & aurum. AG. conſilium placet.
MI. Rogato,ſeruos veneritne ad eum tuos?
Ille me cenſebit quæri,continuò tibi

Negabit,quid tu dubitas, quin extempulo A
Dupli tibi auri & hominis fur leno ſiet?
Neque id vnde efficiat, habet. vbi in ius venerit,
Addicet prætor familiam totam tibi.
Ita decipiemus fouea lenonem Lycum.

AG. Placet conſilium. MI. immò etiam vbi expoliuero
Magis,hoc tum demum dices,nunc etiam rude'ſt.

AG. Ego in ædem Veneris eo,niſi quid vis Milphio.
Aphrodiſia hodie ſunt. MI. ſcio hoc. AG. oculos volo
Meos delectare,munditiis meretriciis.

MI. Hoc primùm agamus,quod conſilium cæpimus.
Abeamus intrò,vt Collabiſcum villicum
Hanc perdoceamus,vt ferat fallaciam. B

AG. Quamquam Cupido in corde verſatur,tamen
Tibi auſcultabo. MI. faciam vt facto gaudeas.
Ineſt amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam poteſt.
Itaque hic ſceleſtus eſt homo leno Lycus,
Cui iam infortunij intenta baliſta eſt probè,
Quam ego haud multo pòſt mittam è baliſtario.
Sed Adelphaſium exit eccam,atque Anteraſtilis.
Hæc eſt prior,quæ meum herum dementem facit.
Sed euocabo,heus i foras Agoraſtocles, C
Si vis videre ludos iucundiſſimos.

AG. Quid iſtuc tumulti'ſt Milphio? MI. hem amores tuos
Si vis ſpectare. AG. ô multa tibi dent bona,
Cum mihi hoc obtuliſti tam lepidum ſpectaculum.

EGENAS] egenteis. INOPIOSAS] inopia conſilij laboranteis. ET CATÈ] & acutè. OPIPARAS] opulentas,& copioſas. opiparas oppoſuit egenis,& inopioſis. GRATES GRATIAS] ſic Camerarius edidit, & ita habent libri veteres. vulgati autem, *gratas gratias*. SCITVM EST PER TEMPVS SI OBVIAM IT VERBVM VETVS] verbum vetus,id eſt,prouerbium, per tempus ſi obuiam it, id eſt, ſi tempore, ſeu tempeſtiuè vſurpatur, ſcitum eſt,lepidum, & venuſtum eſt. verbum vetus autem, vt vult Adrianus Turnebus lib.15. Aduerſar.cap.6.intelligit id quod dictum eſt paullò antè ab Agoraſtocle deberi ſeruo Milphioni libertatem & grates gratias.Sed licet dicere verbum vetus, intelligendum id quod ſubiicit Milphio. D GERRÆ GERMANÆ ATQVE] gerræ, crates ſunt vimineæ (inquit Feſtus) Athenienſes cùm Syracuſas obſiderent,& crebro Gerras poſcerent,irridentes Siculi,gerras clamitabant:vnde factum eſt,vt gerræ pro nugis,& rebus contemtis dicantur. Suidas. γέῤῥα περσικὰ ὅπλα κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ σκεπάσματα γέῤῥα καὶ παρὰ σικελοῖς γυναικεῖα καὶ ἀνδρεῖα αἰδοῖα. id eſt, gerræ, arma Perſica propriè,per catachreſin ſeu abuſionem, tegmina. ſunt etiam gerræ apud Siculos,muliebria virilia membra inhoneſta,Gerræ etiam vſurpantur pro nugis,& reb. fictilibus,& inanibus.Et Cariſius lib.1. Gerræ πλεκτά τινα προσφερόμενα τείχεσι,id eſt, texta quædam quæ admouentur muris. germanæ autem id eſt, veræ, vt germani. Thucydides apud Ciceronem,& apud eundem. *germanus negotiator*, & ſimil. LYRAE LYRAE] idem dicit: lyræ enim res ſunt effutitiæ,res temeræ,& ſine ratione dictæ,res inanes. BLANDIDICVS] blandiloquus. TREIS F. CORIOS] tria lora,tria coria. profert hunc verſum Nonius in voce *corium*. PER AMOREM] amore incenſus, amoris ſtimulis agitatus. HAVD VIDI MAGIS] haud vidi quemquam, qui magis amaret, quíque magis amore incenſus in ſeruos ſæuiret. OB NVLLAM NOX.] nullum ob peccatum. SI AVCTORITATEM POSTEA DEF.] id eſt, ſi poſtea te mihi auctorē fuiſſe negaueris.ſic Cicero orat.pro P.Sylla.

*Itaque*



A *Itaque attende iam Torquate,quàm ego non defugiam auctoritatem conſulatus mei.* VBI DISS.] cùm à me antè tuo iuſſu,& ex auctoritate tua vinctus eſſes. EGO PENDEAM] ego ſuſpendar abs te,& verberer. ISTVC MAVELIM.] vt tibi doleat,quàm mihi,id eſt,malim vapules,quàm ego. AMO IMMODESTÈ] amo ſupra modum. MEÆ ISTVC SCAP.] quia ſæpè me amore furens verberas. vel ſentiunt tuā immodeſtiam,atque impotētiam. MAIVSCVLAM] vno anno natu maiorē, ſorore Anteraſtilide. DIFFEROR] crucior,diſtorqueor. NON LVTVM EST LVT.] nihil eſt ſordidius: ſeu nihil eſt impurius, aut inquinatius. NEQVAM DARE] id eſt,malum dare.nequam,eſt omnis generis,ſignificat enim & ſeruum malum,& fœminam malam,& malum in neutro.Itàque iocatur hîc ex ambiguo,in eo,quod mox ſequitur, ibi,en me dato:hoc modo,ſi vis lenoni malum dare,hoc eſt,damnum importare,& nocere,me dato,qui ſum ſeruus nequā. ineſt etiam iocus præter exſpectationem, παρὰ προσδοκίαν. Nam cùm exſpectaret Agoraſtocles, dum aliquod malum proferret, quod lenonis caput impingi poſſet,reſpondet præter exſpectationem,me dato:& ita lenoni malū dabis. ABI DIERECTVS] in diem erectus. diſplicet hæc reſponſio adoleſcenti, quia fieri hoc non poteſt, ſinè eius damno. COLABISCVS] vel legendum colobiſcus, vt ſit deminutiuum nomen à Græco nomine κολοβός, quod ſignificat mutilum, & curtum, vel colabiſcus à nomine B item Græco κόλλαβων,qui ſunt panes. vel ἀπὸ τοῦ κολλύβου, quæ vox ſignificat, nummorum intertrimentum, quod magis placet. SED QVÒ EVADAS NESCIO] ſed quis exitus tui conſilij futurus ſit, ſeu potius,ad quem finem referatur tua oratio, neſcio. OBSEQVI ANIMO SVO] ſibi indulgere,ſuæ libidini obtemperare χαρίζεσθαι τῇ ψυχῇ. VBI NEQVAM FACIAT] vbi nequiter viuat,vbi nequitiæ operam det. AD SE ACCIPIET] domum recipiet. SERVOS] ſeruis. CENSEBIT] putabit. QVID TV DVB. QVIN EXT.] quid eſt,quod dubites,quin extemplo leno tibi damnetur furti, pœnáque in eum conſtituatur dupli,& auri,& hominis,id eſt,ſerui nomine? NEQ. ID VNDE EFF.] neque autem hanc pœnam dupli ſoluere poterit,quia non habet vnde tantam pecuniam efficiat,vel vnde tantam nummorum numeret. IN IVS VENERIT] ad prætorem venerit. ADDICET PR.] prætor dat,dicit,addicit. ITA DECIP. FOVEA L.] ſumtum à ruſticis, qui cæca fouea facta lupos capere ſolent. VBI EXPOLIVERO] vbi hoc conſilium meum quod adhuc rude,& impolitum eſt,perpoliuero,tum dices tibi placere. allegoria eſt ab artificibus tracta, qui opus ſuum prius inchoant, & procudunt, & rudius informant, deinde expoliunt, & ornant. APHRODISIA] dies feſti Veneris. MVNDITIIS MERETR.] aſpectu meretricum mun- C darum,& mundo corporis cultu vtentium. VT COLLYB. VILL. HANC PERD.] ordo eſt,vt Collybiſcum perdoceamus,vt hanc fallaciam ferat. CVPIDO] cupiditatis deus, vel cupiditas ipſa. INEST AM. M.] loquitur nunc ſecum Milphio. ELVI] aptum verbum ad maculam,nam maculæ eluuntur.Sic Cicero lib.5.Accuſ. *Errabas Verres, & vehementer errabas, cùm te maculas furtorum & flagitiorum tuorum, ſociorum innocentum ſanguine eluere poſſe arbitrabare.* Idem pro Sextio. *quoniam illa in repub. macula regni publicati maneret, quam nemo iam poſſet eluere.* CVI IAM INFORT. INT. BALL.] tralatio eſt à tormentis bellicis,vnde tela mittuntur. Videtur autem hîc balliſta ſignificare telum,quod è tormento, ſeu machina mittitur, non tormentum vnde mittitur,vt docet Adrianus Turnebus lib.15.cap.6.propterea ſcilicet,quòd dicit Plautus,quam ego haud multo poſt mittam,&c. Rurſus, propter hæc verba, *intenta balliſta*, videtur ipſum tormentum vnde telum mittitur,ſignificare. tormenta enim intendūtur, tela mittuntur.Balliſtarium autem locus eſt,vbi balliſtæ conduntur, & vnde depromuntur, vt armamentarium,ærarium,libellarium,ſeu librarium,& ſimil. HÆC EST PRIOR] Adelphaſiū. TVMVLTI] tumultus. ſic ſenati, quæſti, ſumti,& ſimil.pro ſenatus,quæſtus,ſumtus,&c.

D ADELPHASIVM, ANTERAST. meretrices duæ.
MILPHIO ſeruus. AGORASTOCL. adoleſcens.

AD. NEgotij ſibi qui volet vim parare,
Nauem & mulierem,hæc duo comparato.
Mam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent,fortè ſi occeperis exornare.
Neque vnquam ſatis hæ duæ res ornantur,
Neque eis vlla ornandi ſatis ſatietas eſt.
Atque hæc vti loquor,nunc modò docta dico.
Nam nos vſque ab aurora ad hoc quod diei eſt,
Poſtquam aurora illuxit,numquam ceſſauimus
Ex induſtria ambæ,numquam conceſſauimus

bbbb

Lauari,aut fricari,aut tergeri,aut ornari, A
Poliri, expoliri, pingi, fingi : & vnà
Binæ ſingulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos,lauando, eluendo operam dederunt,
Aggerundáque aqua ſunt viri duo defeſſi.
Apageſis negotij quantum in muliere vna eſt!
Si verò duæ,ſat ſcio,maximo vni
Populo cui lubet plus ſatis dare potis ſunt.
Quæ noctes diéſque omni in ætate ſemper
Ornantur, lauantur, tergentur,poliuntur,
Poſtremò modus muliebris nullus eſt,
Neque vmquam lauando & fricando ſcimus B
Facere * Nam quæ elauta eſt,niſi
Perculta eſt,meo quidem animo,quaſi illauta eſt.
AN. Miror equidem ſoror te iſtæc ſic fabulari,
Quæ tam callida & docta ſis & faceta.
Nam cum ſedulò munditer nos habemus,
Vix ægréque amatorculos inuenimus.
AD. Ita eſt.verùm hoc vnum tamen cogitato,
Modus omnibus in rebus ſoror optimum eſt habitu.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex ſe.
AN. Soror cogita,amabo,item nos perhiberi
Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur C
Sine omni lepôre,& ſine ſuauitate.
Niſi multa aqua vſque & diu macerantur,
Olent,ſalſa ſunt,tangere vt non velis:item nos ſumus
Eiuſcemodi. mulieres ſunt inſulſæ
Admodum,atque inuenuſtæ,ſine munditia & ſumtu
MI. Coqa eſt hæc quidem Agoraſtocles,vt ego opinor,
Scit muriatica vt macerent. AG. quid moleſtus?
AD. Soror parce,amabo. ſat eſt iſtuc alios dicere nobis,
Ne noſmet noſtra etiam vitia loquamur.
AN. Quieſco. AD. ergo amo te. ſed hoc nunc reſponde mihi, D
Sunt hic omnia quæ ad deûm pacem oportet adeſſe?
AN. Omnia accuraui. AG. diem pulcrum & celebrem & venuſtatis plenum
Dignum Veneri pol,cui ſunt Aphrodiſia hodie.
MI. Ecquid gratiæ cum hunc foras te euocaui? nunc iam
Me decet donari cado vini veteris. dic dari.
Nihil reſpondes? lingua huic éxcidit, vt ego opinor. quid malum
Aſtans obſtupuiſti? AG. ſine amem,ne me obturba,ac tace.
MI. Taceo. AG. ſi tacuiſſes,iam iſtuc,taceo,non natum foret.
AN. Eamus ſoror mea. AD. eho amabo : quid illò nunc properas?
AN. rogas?





A Quia herus nos apud ædem Veneris mantat. AD. maneat pol mane.
Turba eſt nunc apud aram. an ibi vis inter iſtas verſarier
Proſedas,piſtorum amicas,relliquias,alicarias,
Miſeras,cœno delibutas,ſeruilicolas ſordidas.
Quæ tibi olant ſtabulum,ſtatúmque & ſellam, & ſeſſibulum merum.
Quas adeò haud quiſquam vmquam liber tetigit, neque duxit domum.
Seruulorum ſordidulorum ſcorta diobolaria.
MI. I in malam crucem, tun' audes etiam ſeruos ſpernere?
B Propudium,quaſi bella ſit,quaſi eampſe reges ductitent.
En monſtrum mulieris,tantula tanta verba funditat,
Qoius ego vel nebulæ cyatho ſeptem noctes non emam.
AG. Dij immortales omnipotentes,quid eſt apud vos pulcrius,
Quid habetis, mage qui immortales vos credam eſſe, quàm ego ſiem?
Qui hæc tanta oculis bona concipio? nam Venus non eſt Venus.
Hanc equidem Venerē venerabor,me vt amet poſthac propitia.
Milphio heus Milphio vbi es? MI. aſſum apud te eccum. AG. at ego elixus ſis volo.
C MI. Enimuero here facis delicias. AG. de te quidem hæc didici omnia.
MI. Etiámne vt ames eam,quā numquā tetigeris?nihil illic quidē eſt.
AG. Deos quoque ædepol & amo & metuo , quibus ego tamen abſtineo manus.
AD. Heu,æcaſtor cùm ornatum aſpicio noſtrum ambarum,pœnitet,
Exornatæ vt ſumus. AN. immò verò ſanè commodè.
Nam pro herili noſtro quæſtu ſatis bene exornatæ ſumus.
Non enim poteſt quæſtus conſiſtere,ſi eum ſumtus ſuperat ſoror!
Eò illud ſatiu'ſt ſatis quod ſatis eſt,habitus plus quàm ſat eſt.
AG. Ita me di ament,vt illa me amet malim,quàm di,Milphio.
D Nam illa mulier lapidem ſilicem ſubigere vt ſe amet,poteſt.
MI. Pol id quidem haud mentire. nam tu es lapide ſilice ſtultior
Qui hanc ames. AG. ac vide ſis, cū illa numquā limaui caput.
MI. Curram igitur aliquò ad piſcinam,aut ad lacum,limum petam.
AG. Quid eo opu'ſt. MI. ego dicam. vt tibi & illi limem caput.
AG. I in malam rem. MI. ibi ſum equidem. AG. perdis? MI. taceo. AG. at perpetuo volo.
MI. Enimuero here meo me laceſſis ludo & delicias facis.
AN. Satis nunc lepidè ornatam credo ſoror te tibi viderier,
Sed vbi exempla conferentur meretricum aliarum,ibi tibi
Erit cordolium,ſi quam ornatam melius fortè conſpexeris.
AD. Inuidia in me numquam innata'ſt,neque malitia,mea ſoror.

Bono ingenio me eſſe ornatam,quàm auro multo mauolo. A
Aurum in fortuna inuenitur,in natura ingenium bonum.
Bonam ego,quàm beatam me eſſe nimio dici mauolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet,quàm purpuram:
Magíſque meretricem pudorem,quàm aurum gerere condecet.
Pulcrum ornatum,turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant,
AG. Eho tu,vin' tu facinus facere lepidum & feſtiuum? MI. Volo.
AG. Potéſne mihi auſcultare? MI. Poſſum. AG. abi domum ac ſuſpende te.
MI. Quamobrem? AG. quia iam numquam audibis verba tot,tam ſuauia. B
Quid tibi opu'ſt vixiſſe?auſculta mihi modò,ac ſuſpende te.
MI. Siquidem tu es mecum futurus pro vua paſſa,penſilis.
AG. At ego amo hanc. MI. at ego eſſe & bibere. AD. eho tu quid ais? AN. quid rogas?
AD. Viden' tu? pleni oculi ſordium qui erant,iam ſplendent mihi.
AN. Immo etiam in medio oculo parum ſordis eſt. AD. cedo ſis dexteram.
AG. Vt tu quidem huius oculos illotos manibus tractes ac teras?
AN. Nimia nos ſocordia hodie tenuit. AD. qua de re obſecro?
AN. Quia non iamdudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Prima cum vt inferemus ignẽ in aram. AD. ah,non facto'ſt opus. C
Quæ habent nocturna ora,noctu ſacrificatum ire occupant
Priuſquam Venus expergiſcatur,prius deproperant ſedulò
Sacrificare. nam vigilante Venere ſi veniant eæ.
Ita ſunt turpes,credo æcaſtor Venerem ipſam è fano fugent.
AG. Milphio. MI. Ædepol Milphionem miſerũ. quid nunc vis tibi?
AG. Obſecro hercle vt mulſa loquitur? MI. nihil niſi laterculos,
Seſamum,papauerémque,triticum & frictas nuces.
AG. Ecquid amare videor? MI. damnum , quod Mercurius minimè amat.
AG. Namque ædepol lucrum amare nullum amatorem addecet. D
AN. Eamus mea germana. AD. age ſis vt lubet. ſequere hàc. AN. Te ſequor.
AG. Eunt hæ. quid ſi adeamus? MI. adeas. AG. primùm prima ſalua ſis,
Et ſecunda tu ſecundo ſalue in pretio,tertia
Salue extra pretium. MI. tum pol ego & oleum & operam perdidi.
AG. Quò te agis? AD. egóne? in ædem Veneris. AG. quid eò? AD. vt Venerem propitiem.
AG. Eho,an irata eſt? AD. propitia hercle eſt. MI. Vel ego pro illa ſpondeo.





A AD. Quid tu agis? quid mihi moleſtus? Obſecro. AG. ah,tam ſæuiter.
AD. Mitte, amabo. AG. quid feſtinas? turba nunc illi eſt. AD. ſcio,
Sunt illi aliæ,quas ſpectare ego,& me ſpectari volo.
AG. Quid lubet ſpectare turpeis? pulcram ſpectandam dare?
AD. Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius.
Eò conueniunt mercatores. ibi ego me oſtendi volo.
AG. Inuendibili merce oportet vltrò emtorem adducere,
Proba merx facile emtorem reperit,tametſi in abſtruſo ſita eſt.
Quid ais tu? quando illi apud me mecũ caput & corpus copulas.
AD. Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiſerit.
AG. Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei lymphatici.
B MI. Deferto ad me,faxo actutum conſtiterit lymphaticum.
Bellula,hercle. AG. I directe in maximam malam crucem.
MI. Quàm magis aſpecto,tam magis eſt nimbata,& nugæ meræ.
AD. Segrega ſermonem. tædet. AG. age ſuſtolle hoc amiculum.
AD. Pura ſum. comperce,amabo,me attrectare Agoraſtocles.
AG. Quid agam nunc? MI. ſi ſapias,curã hãc facere compendi potes.
AG. Quid ego nunc curem? quid agis Milphio? MI. Ecce odium meum,
Quid me vis? AG. cur mihi hæc irata eſt? MI. cur hæc tibi irata eſt?
Cur ego id curem? nanque iſtæc magis tua eſt curatio.
C AG. Iam hercle tu periſti,niſi illam mihi tam tranquillam facis,
Quàm mare eſt olim cùm ibi alcedo pullos educit ſuos.
MI. Quid faciam? AG. exora,blandire,expalpa. MI. faciam ſedulò.
Sed videſis,ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.
AG. Non faciã. AD. nos eamus. nunc etiam morare? AG. malefacis.
AD. Bene promittis multa ex multis,omnia incaſſum cadunt.
Liberare iurauiſti me haud ſemel,ſed centies,
Dum te exſpecto,neque vſque aliam mihi paraui copiam,
Neque iſtuc vſquam apparet ita nunc ſeruio nihilo minus.
D I ſoror,abſcede tu à me. AG. perij,eho quid agis Milphio?
MI. Mea voluptas,meæ deliciæ,mea vita,mea amœnitas,
Meus ocellus,meum labellum,mea ſalus,meum ſauium,
AG. Meum mel,meum cor,mea coluſtra,meus molliculus caſeus.
AD. Méne ego illæc patiar præſente dici? diſcrucior miſer.
Niſi ego illum iubeo quadrigis curſim ad carnificem rapi.
MI. Noli amabo ſuccenſere hero meo cauſa mea.
AD. Ego faxo. MI. ſi non irata es, nummulum pro te dabit,
Atque te faciet vt ſis ciuis Attica,atque libera.
AD. Quin abire ſinis? quid vis tibi? qui beneuolunt,bene vis item.
MI. Si antè quidem mentitus eſt,nunc iam dehinc erit verax tibi.
AD. Abſcede hinc ſis ſycophanta. MI. pareo. AD. ſcin quomodo?

MI. Sine te exorem,ſine te prendam auriculis,ſine dem ſauium. A
Iam ego hercle faciam plorantem illum,niſi te facio propitiam.
Atque hic me ne verberet,illum faciat,niſi te propitio,
Malè formido. noui ego huius mores moroſi malos,
Quamobrem,amabo te,mea voluptas ſine te exorarier.
AG. Non ego homo trioboli ſum,niſi ego illi maſtigiæ
Exturbo oculos atque denteis. hem voluptatem tibi,
Hem mel,hem cor,hem labellum,hem ſalutem,hem ſauium.
MI. Impias hære te:oratorem verberas. AG. iam iſtoc magis.
Et iam ocellum addam,& labellum,& linguam. MI. Ecquid
facies modi?
AG. Siccíne ego te orare iuſſi? MI. quomodo ergo orem? AG.rogas? B
Sic enim diceres,ſceleſte:huius voluptas,te obſecro,
Huius mel,huius cor,huius labellum,huius lingua,huius ſauium,
Huius coluſtra,huius dulciculus caſeus:maſtigia,
Huius cor,huius ſtudium,huius ſauium:maſtigia.
Omnia illa,quæ dicebas tua eſſe,ea memorares mea.
MI. Obſecro hercle te,voluptas huius,atque odium meum,
Huius amica mammeata,mea inimica & maleuola
Oculus huius,lippitudo mea. mel huius,fel meum.
Vt huic irata ne ſis:aut ſi id fieri non poteſt.
AD. Capias reſtim,ac te ſuſpendas cum hero & voſtra familia.
MI. Hem mihi iam video propter te victitandum ſorbilo. C
Itaque iam quaſi oſtreatum tergum vlceribus geſtito,
Propter amorem veſtrum. AD. amabo men' prohibere po-
ſtulas,
Ne te verberet,magis quàm mendax me aduorſum fiet?
AN. Aliquid huic reſponde,amabo,commodè,ne incommodus
Nobis ſit. nam detinet nos de noſtro negotio.
AD. Verum etiam tibi hanc amittam noxiam vnam Agoraſtocles.
Non ſum irata. AG. non es? AD. non ſum. AG. da er-
go,vt credam,ſauium.
AD. Mox dabo,cùm ab re diuina rediero. AG. I ergo ſtrenuè. D
AD. Sequere me ſoror. AG. atque audin' etiam? Veneri dicito
Multam meis verbis ſalutem. AD. dicam. AG. atque hoc
etiam audi. AD. quid eſt?
AG. Paucis verbis rem diuinam facito. atque audin'? reſpice.
MI. Reſpexit. idem pol Venerem credo facturam tibi.

NEG. SIB. Q. V. VIM PARARE]qui volet ſibi negotiorum multitudinem parare.qui volet ſibi multa negotia faceſſere,&c.Quidam libri habẽt: *Negotium ſibi qui volet comparare.* ATQVE HÆC VTI LOQVOR, NVNC M. D.] id eſt, Atque vt hæc loquor, ita nunc modò docta,id eſt,vſu perita dico. quæ ego loquor, eo dico nunc modò experta, & experiundo erudita. AD HOC QVOD DIES EST]ad hanc partem diei. POSTQVAM AVRORA ILL.] idem dicit quod ſuprà ab aurora. Exprimit autem orationem muliebrem, in qua multa ſunt ἀναχόλουθα. AMBÆ NVMQVAM CONCESSAVIMVS] ſuprà dixerat.
*numquam*



A *numquam ceſſauimus.* nunc idem dicit, niſi quòd addit præpoſitionem verbo, & nomen ambæ: ambæ numquam conceſſauimus. PINGI]fuco illini.tralatio à pictura. FINGI] conformari.tralatio ab arte figulari,aut ſtatuaria. ELVENDO]eluere,eſt lauando demere,ac delere.AGGERVNDA]ad nos ingerunda, vel accumulanda. MODVS MVLIEBR. NVLL.] modus in muliere nullus eſt. FACERE]deeſt vox aliqua,vt Camerarius admonet:*finem* fortaſſis, aut modum.licet tamen ſubintelligere modum ἀπὸ κοινοῦ, ſi verſus ratio pateretur. NAM QVÆ ELAVT. EST,&c.]id eſt,nam ea mulier,cuius ſordes & maculæ omnes elautæ ſunt, niſi iam perfectè,& ſatis culta eſt,meo iudicio,eſt illauta, id eſt, numquam vllis aquis elui poteſt.Libri vulgati pro *elauta,* habent lauta.non placet.deinde pro illauta, ſeu vt eſt in nonnullis libris *inlauta*,nonnulli alij veteres habent *muſta:* quæ vox nihil ſignificat. Ex ea amicus quidam meus faciebat *inuſta*.Vulgati habent *inuenuſta*. MVNDITER NOS HAB.] mundæ ſumus. Profert hunc locum Nonius in voce *munditer*. AMATORCVLOS] paruos amatores, id eſt, non admodum fructuoſos,aut vtileis. SALSA MVRIATICA]id eſt,ſalſi piſces, ſiue ſalſamenta,à muria ſic dicta,quod in muria ſeruabantur. Eſt autem muria, piſcium ſalſorum liquamen. SCIT MVRIATICA VT M.] ſcit quomodo coqui ſalſamenta macerare ſoleant. PARCE, AMABO] *parce,* accipio,vt verbum ſit potius,quàm aduerbium: hoc modo, parce
B iſta loqui:id eſt,quieſce,ſeu deſine iſta loqui,vel parciùs iſta loquere, vel parca eſto iſtius ſermonis. Adiuuat opinionem meam reſponſio Anteraſtilidis, quieſco. ALIOS DICERE NOB.]alios nobis obiicere,& exprobrare.AD DEÛM PACEM]ad deos placandos:ad deorum beneuolentiam impetrandam. ECQVID GRATIÆ,&c.] ecquid gratiæ mihi habes, vel ecquid gratiæ mihi referes,quòd te huc euocaui,vt videres tuam Adelphaſium?DIC DARI]iube me donari cado vini veteris. OBTICVISTI?] ſic habent nonnulli libri veteres. alij *obſtipuiſti*?quomodo edidit Camerarius.Ego *obſtipuiſti* magis probo. EHO AMABO]ſic legẽdum,& ita habent noſtri libri veteres.Næuius *Eho,an vicimus*?ex Chariſio. MANTAT]manet, exſpectat. Nonius, *mantat, manet.* Cæcil. Hypolym. Raſtr. *In voltu eodem, in eadem mantat militia.* TVRBA NVNC EST]turba meretricum contemtarum. PROSEDAS] Feſtus. Proſedas meretrices Plautus appellat,quod ante ſtabula ſedeant.eædem & proſtibulæ.RELLIQVIAS] è multis reliquas,vel macie,& egeſtate confectas,reliquias potius, quàm corpora ſolida,& integra:vetulas,aridas,ſtrigoſas,rugoſas,ſcabioſas,cadaueroſas. ALICARIAS]Feſtus.alicariæ meretrices appellabantur in Campania ſolitæ ante piſtrina alicariorum verſari quæſtus gratia: ſicut eæ quæ ante ſtabula ſedebant,dicebantur proſtibulæ. COENO DELIB.] non vnguen-
C to delibutas,ſed cœno inquinatas.ſed videtur legendum ſchœno,vt habent libri vulgati,& noſtri veteres,cum illis congruentes.Eſt autem ſchœnum(vt docet Varro libr.6.de lingua Latina) vnguentum nucarium, ſeu iuncarium, peſſimi generis, vt ait Feſtus : à quo ſchœniculæ meretrices:quo nomine vſus eſt Plautus in Neruolaria *ólere vnguenta exotica.* OLANT ST.] olant pro oleant. Nonius. olat pro oleat. Afran. Fratr. *Non poteſt quin illa tacta, longéque & multis olat.* STATÚMQVE ET SELL.]& quæ oleam ſtatum,& ſellam,& ſeſſionem meram,id eſt,quæ ſatis declarent ſe totum diem proſtare & ſedere,dum exſpectant ſui ſimileis amatores. DIOBOLARIA]diobolares meretrices dictæ ſunt à binis obolis,inquit Varro, ſcorta diobolaria, igitur intellige,ſcorta vilia,& contemta, & quarum nox aut concubitus non pluris quàm duobus obolis conducatur. PROPVDIVM.]Feſtus. Propudium dicebant, cùm cum maledicto nudare turpitudinem volebant,quaſi porrò pudendum.Quidam propudium putãt dici, à quo pudor,&pudicitia procul ſint.EAMPSE]id eſt,eam ipſam.Feſtus,eapſe,id eſt,ea ipſa.DVCTITENT]ductent,crebro ducant domũ.TANTVLA TANTA VERBA F.]cùm tam parua, & humilis,& contemta ſit,tam magna loquitur,& quaſi funda iaculatur. duo libri vet. habent *tantilla*.CVIVS EGO VEL NEB. C.&c.]ſic habẽt noſtri libri veteres,hoc primùm.Deinde
D ſignificat ſeruus ſe ita Adelphaſium contemnere,vt eius nocteis ſeptem,cyatho nebulæ, id eſt, cyatho rei inanis,&friuolæ,nolit emere.quid eſt enim nebula inanius?Non diſſimulabo autem Camerarium edidiſſe,*obulo ærato*.fortaſſe ne hoc quidem malè,ſed noſtram lectionem,quam ille quoq. ſe reperiſſe in aliis libris reſtatur,illi antepono,& probat Adr.Turn.lib.Aduerſ. 20.cap.1. QVID HABETIS, MAGE QVI]quid habetis,quamobrem vos magis immortaleis eſſe credam, quàm ego ſim? OCVLIS CONCIPIO?] oculis percipio ? oculis vſurpo ? VENERABOR] orabo. ASSVM APVD TE ECCVM]ecce aſſum,vel adſum tibi.ſed ſine dubio legendum eſt apud Plautum *aſſum*,non adſum. alioqui iocus Agoraſtoclis non quadraret. AT EGO ELIXVS SIS VOLO]quia dixerat ſeruus, aſſum apud te eccum:quibus verbis ſignificat ille ſimpliciter ſe adeſſe,Agoraſtoracles amore elatus,iocatur ex verbis ſerui, & ea in aliam ſententiam accipiens,quaſi ſcilicet dixerit,ſe eſſe aſſum,ſiue aſſatum:at ego,inquit,elixus ſis volo.iocus eſt in ambiguo poſitus. FACIS DELICIAS] τρυφᾷς rebus ſecundis elatus iocaris. DE TE QVIDEM HÆC DID. OMN.] didici abs te facere delicias. NIHIL ILLIC QVIDEM EST]quid ſibi hæc velint,non eſt fortaſſe facilè expedire. Ac primùm quidem non conſtat,cuius hæc ſint verba,Agoraſtoclis,an Milphionis.Nam in vulgaris verba ſunt Agoraſtoclis: in manuſcriptis, Milphionis. Deinde ſcriptura non eſt vnius modi. alij enim ſic habent,*nihil illuc quidem eſt*:alij,*nihil illhic quidem eſt*:alij,*nihil illic quid eſt.* Ne ſim longus, mea hæc

ſententia eſt, verba eſſe Milphionis, ſecum loquentis, & ad ſpectatores conuerſi: quibus ſignifi- A
cat Agoraſtoclem hominem eſſe nihili, hominem eſſe amore perditum: hoc modo, *Nihili illhic*
*quidem eſt*, id eſt, nihil eſt ille quidem homo. hoc eſt, nihili eſt. vel ſeruata eadem perſona, fortaſſe
hoc dicit, nihil eſt illic quidem, quod ames. Quod ſi quis Agoraſtoclis verba ſint, vt in vulgatis,
hoc dicere intelligetur. nihil illud quidem eſt. id eſt, quod dixiſti, nihil eſt. non ideò minus ama-
re debeo Adelphaſium, quod eam numquam attigerim. Nam deos quoque & amo, & metuo,
quos tamen attigi numquam. Sed hæc poſtrema explicatio, violenta eſt. Iudicet tamen lector.
QVIB. EGO TAMEN ABST. M.] à quibus abſtineo manus. quos manib. non tango. præ-
poſitio non eſt geminata. POENITET EXORNATÆ VT SVMVS] id eſt, parum elegan-
ter exornatæ ſumus. ita exornatæ ſumus, vt nos noſtri ornatus pœnitere debeat. Sic interdum
vſurpatur verbum *pœnitere*. ne longè abeam, ſic M. Tullius Offic. I. tandiu autem velle videbis,
quoad te quantum proficias non pœnitebat. id eſt, quoad non parum te proficere intelliges. Te-
rentius Heautont. *me quantum hîc operis ſit, pœnitet*. id eſt, mihi hîc non ſatis operis fieri videtur. mi-
hi opus quod hîc fit, paruum videtur. IMMÒ VERÒ SATIS COMM.] hæc reſponſio
explicationem noſtram ſuperiorum verborum confirmat. Dicis nos eſſe parùm commodè ex-
ornatas: immò verò ſatis commodè exornatæ ſumus. PRO HER. NOSTR. QVÆST.] pro
quæſtu, quem ex nobis herus facit. LAPIDEM SILICEM SVBIG.] hyperbole. poteſt B
hominem immanem, & ſilice duriorem ſubigere vt ſe amet. CVM ILLA NVMQ. LIM.
C.] id eſt, cum illa numquam coniunxi caput. ſic Nonius, locum illum ex Bacchid. proferens. *Ne*
*cum quoquam acceperis alio mercedem annuam iuſſi abeſſe, nec cum quoquam limares caput*. Tracta eſt hæc
ſignificatio à limando, id eſt, lima terendo. Nam amantes oſculantes inter ſe, videntur capita, &
ora mutua oſculando limare. CVRRAM IGITVR AD PISCINAM, &c.] iocatur ſer-
uus ex ambiguo. nam cùm adoleſcens limandi verbum vſurpaſſet in eam, quam dixi ſententiam,
ille aliorſum accipiens, quaſi limare, pro limo conſpurcare poſuiſſet, dicit ſe ad piſcinam, aut ad
lacum curſurum, vt inde limum petat, eóque caput inquinet. VT TIBI ET ILLI LI-
MEM CAPVT] vt tibi & illi limo, id eſt, cœno caput inquinem. IBI SVM EQVIDEM]
in mala re. PERGIS] pergis loqui? Camerarius edidit, *perdis*. AT PERP. VOLO] at te volo
perpetuò tacere. MEO ME LACESS. LVDO] prouocas me ad iocandum, & vrbanè lo-
quendum, meo ludo, id eſt, facetis, & lepidis dictis, & delitias facis. ID TIBI ERIT COR-
DOLIVM] id tibi erit moleſtiæ. MERETRICEM PVDOREM GER. M. D.] meretricem
pudore ornari magis decet, quàm purpurea veſte, ſeu quàm prætexta. ſic dixit *gerere pudorem*, vt
gerere veſtem, gerere aurum. COLLINVNT] coinquinant, conſpurcant, contaminant. Flac-
cus oda. lib. *Crines puluere collines*. AVDIBIS] audies. PRO VVA PASSA, PENSILIS] ſi- C
quidem futurum eſt, vt tu mecum pendeas. alludit ad vuas paſſas, & penſileis. Varro de vita po-
puli Romani lib. I. *Paſſum nominabant ſi in vindemia vuam diutius coctam legerent, eámque paſſi eſſent in ſo-*
*le aduri*. Penſiles vuæ, quæ ſuſpenſæ aliquandiu ſeruabantur. Horatius ſat. lib. *tum penſilis vua ſe-*
*cundas Et nux ornabat menſes*. ESSE, ET BIBERE] at ego amo comeſſe, & bibere, fortaſſe io-
cus ex ambiguo in verbo *eſſe*, vt intelligamus ſeruum dicere, ſe velle eſſe, & viuere, non laqueo
vitam finire. bibere autem & viuere, affinia ſunt. VIDEN' TV? PLENI OCVLI, &c.] ve-
lim ſic legi, viden' vt pleni oculi ſordium qui erant, iam ſplendent mihi! IAM SPLENDENT
M.] oculi mei, qui antea pleni ſordium erant, nunc ſplendidi facti ſunt. CEDO SIS DEXTE-
RAM] da ſi vis, ſeu commoda mihi dexteram tuam, vt mihi ſordem, quam dicis ineſſe in oculo,
detrahas. VT TV QVIDEM HVIVS] indignatur Agoraſtocles Anteraſtilidem oculis
Adelphaſij manum admouere, ne ab eius ſorore quidem amicam ſuam tangi æquo animo fe-
rens. qui morbus eſt amantium communis. vſque eóne, inquit, eris audax, vt tu Adelphaſij o-
culos tractare ac terere audeas? Hæc autem loquitur, ita vt à ſpectatoribus audiatur tantùm, non
etiam ab Anteraſtilide, neque ab eius ſorore. QVA DE RE OBS.] quamobrem, obſecro? D
QVIA NON IAMDVDVM, &c.] ſic habent noſtri libri veteres vulgati, quibuſcum editio
Camerarij congruit. *quia iam non dudum*, &c. PRIMA CVM VT INFERR.] id eſt, vt cùm
prima luce ignem in aram inferremus. NOCTVRNA ORA] id eſt, deformeis vultus, & qui
noctu potius, quàm interdiu oſtendi debeant: vel ora mali augurij, quales ſunt aues nocturnæ,
quæ & deformes ſunt, & mali ominis, & quibus per mediam nobis occurrere noctem. OCCV-
PANT.] anteuertunt. DEPROPERANT] valde properant. Horatius odar. lib. *Deproperare apio*
*coronas*. VIGILANTE VENERE] interdiu. MILPHIONEM MIS.] ô Milphionem mi-
ſerum. VT MVLSA LOQVITVR?] quàm dulcia, & iucunda loquitur? NIHIL NISI
LATER C.] ſeruus Milphio ad ſpectatores conuerſus, planè contraria Adelphaſium loqui reſ-
pondet, quàm dicat herus eius Agoraſtocles, nempe dura, & iniucunda omnia. Laterculos, id
eſt, paruos lateres. SESANVM] Dioſcorid. lib. 2. cap. 12. Σήσαμον κακοστόμαχον, &c. ſeſanum
lædit ventriculum, &c. PAPAVERÉMQVE] papauer, & neutrum eſt, vt apud Virgilium. *ſo-*
*poriferúmque papauer*: & maſculinum, vt hîc & in Aſinaria. *Formicis obiicias papauerem*. TRITI-
CVM ET FRICTAS N.] hæc omnia ſunt palato iniucunda. ECQVID AM. VID.] num
tibi videor aliquid amare? DAMNVM QVOD MERCVRIVS] profectò mihi videris ali-
quid amare, nempe damnum quod Mercurius non amat, qui lucris præeſt, atque iccirco merca-
torum



A torum deus eſt: à quo ἑρμαῖον dictum eſt. NAMQVE ÆDEPOL LVCR. AM.] amor enim
damnoſus eſt, & amantem oportet eſſe munificũ, atque adeò profuſum: alioqui amando inanẽ
operam ſumet. ADEAS] licet adeas: ego non adibo. PRIMA] Adelphaſium. ET SECVN-
DA] Anteraſtilis. SECVNDO SALVE IN PRETIO] ſalue ſecundo loco, ſecundo gra-
du & honore. TERTIA SALVE EXTRA PR.] erat aliqua, vt credibile eſt, cum his puel-
lis, mulier anus, & deformis, quæ eas comitabatur. hanc tertiam, vt nullius pretij, vix ſalute di-
gnam putat, aut certè ſic ſalutat, vt indignam, quæ ſalutetur. ſic dictũ autẽ, extra pretiũ, vt extra
ordinem, extra numerum. OLEVM ET OP. PERD.] fruſtra herum àb amore deterrui.
PROPITIEM] placem, propitiam reddam. VEL EGO PRO ILLA SP.] etiam ego,
inquit Milphio, auſim ſpondere pro illa, Venerem illi eſſe propitiam. Hoc eò dicit, quòd talem
amatorem nacta ſit. QVID TV AGIS?] Agoraſtocles morabatur Adelphaſium, eámque
amantium more tractabat. illa puellarum more, tamquã ſibi moleſtũ repellit. TAM SÆV.]
tam ſæuiter mecum agis? te tam ſæuam in me præbes? ILLI EST] illic eſt. SVNT ILLI A.]
ſunt illic aliæ. PVLCHRAM SPECT. DARE?] turpibus ſubintellig. INVENDIBILI
MERCE OP.] quando merx eſt inuendibilis, id eſt, mala & improba, & quæ emtorem reperi-
B re non poteſt, tum emtorem vltrò arceſſere, & adducere oportet. IN ABSTRVSO] in oc-
culto. QVANDO ILLI APVD ME, &c.] quando illic domi noſtræ, &c. QVO DIE OR-
CVS, &c.] id eſt, numquam. AMISERIT] ἀποβάλῃ, ἀφείκῃ. quidam libri habent *emiſerit*.
NVMMI AVREI LYMPHATICI] nummi, qui more lymphatorum, hoc eſt inſanorum,
& mente concitatorum, & à Nymphis correptorum, feruntur, & exſultant, & vagantur huc &
illuc, & perire geſtiunt. FAXO ACTVTVM CONST. LYMPH.] faxo continuò, vt num-
mi iſti, quos dicis eſſe Lymphaticos, deſinant eſſe Lymphatici, & conſiſtant, & conquieſcant.
QVÀM MAGIS ASPECTO, TAM MAGIS, &c.] notauimus hoc loquendi genus, tum
apud hunc ſcriptorem ſuprà, tum apud Lucretium. NIMBATA] id eſt, ornata faſciola tranſ-
uerſa ex auro in fronte, vt videtur in mure. Iſidorus lib. 19. cap. de Ornamẽtis. Cuius verba aſcri-
bam. *Nimbus eſt faſciola tranſuerſa ex auro aſſuta linteo, quod eſt in fronte fœminarum*. Plautus. *Quàm magis*
*eam aſpecto*, &c. Sed, vt demus Iſidoro, nimbum id, quod dicit, ſignificare, & nimbatam hoc lo-
co valere, nimbo ornatam, tamen in Milphionis verbis aliqua inſit ſententia acutior, & ſalſior,
&, vt ita dicam, mordacior, neceſſe eſt, cùm propter illud, quod antecedit, *Quàm magis aſpecto*, tum
propter id, quod ſequitur, *& nugæ meræ*. fortaſſe igitur, ne ab Iſidori ſententia longiùs diſceda-
mus, ſignificat ſeruus, ornatum omnem muliebrem, & maximè meretricium, eſſe meras nugas:
C vt hoc dicere intelligatur Milphio, Quàm magis Adelphaſium aſpecto, tam magis agnoſco
meretricem ex ornatu nimis accurato, & exquiſito, & ad alliciendos, atque illaqueandos ama-
tores compoſito, & comparato. Adr. Turneb. libr. Aduerſ. 19. cap. I. nimbatam, interpretatur hîc
vilem & contemtam, à *nimbo*, quod interdum (inquit ille) veteres pro re friuola & nugatoria v-
ſurparunt: ſubtexit ille Iſidori explicationem, ita tamen vt eam non admodum probare vi-
deatur. Alij nimbatam, interpretãtur fucatam: alij, vnguentis delibutam. SEGREGA SERM.]
ſepone ſermonem in aliud tempus, & alium locum. tædet me tui. SVSTOLLE HOC A-
MIC.] ſurſum tolle hunc amictum, qui verrit humum ſcilicet. Dum hæc loquitur Agoraſtocles,
attrectat Adelphaſium paullo fortaſſe licentius, atque immodeſtius, ſimulans ſe amiculum in
terrã demiſſum velle ſuſtollere: quod iniquiore animo ferens puella, rogat ne ſe attrectet, tam-
quam impudicam, cùm ſit pura, & pudica. PVRA SVM] pudica ſum, pura ſum à viri concu-
bitu. quare parce aliter me attrectare, quàm fas eſt puram & pudicam. COMPERCE] parce.
CVRAM HANC FACERE COMP. P.] hac cura te leuare, & laxare potes. hanc curam
minuere potes. In editione Cameraria na, & libr. vulgat. verba ſunt hæc Milphionis, hero ſua-
dentis, vt ſe cura liberet, hoc eſt, vt Adelphaſium amare deſinat. in aliis, vt in quibuſdam noſtris,
D Adelphaſij verba ſunt, hortantis Agoraſtoclem, vt deſinat ſibi verba dare, ſed pecuniam leno-
ni pro ſe numeret: quo facto omni cura liberabitur, habens domi quod amat, eóque liberè
fruens ac potiens. QVID AGIS MILPHIO?] al. quid agam Milphio? Sed altera reperitur
in libris omnibus manuſcriptis, neque video quare non ſit retinenda. hoc enim ſignificat Ago-
raſtocles Milphionem alloquens, quid interea agis Milphio? ecquid ego tibi curæ ſum? Sunt &
qui habent, *quid agas Milphio?* vt ſit hic Agoraſtoclis ſenſus. Quid agas Milphio, ſi hîc ſis? ſi ames,
vt ego amo? ECCE ODIVM MEVM] ecce hominem, qui me odio enecat. ecce hominem
mihi odioſum. NAMQVE ISTHÆC MAGIS TVA EST CVRATIO] id eſt, nam-
que magis tuum eſt iſtuc curare. TAM TRANQVILLAM F.] tam lenis & placas. trala-
tio à mari, vnde ſimile traxit. OLIM] tunc. ALCEDO] Alcyon. Hæc auis brumali tempore
nidificat. Plin. libr. 2. cap. 47. *Ante brumam autem 7. diebus, totidémque poſtea, ſternitur mare halcyonum*
*fœturæ: vnde nomen, hi dies traxêre: reliquum tempus hyemat*. Idem lib. 10. cap. 32. *Halcyonem videre rariſſi-*
*mum eſt, nec niſi virgiliarũ occaſu, & circa ſolſtitia, brumámue naue aliquando circumuolatã ſtatim in latebras*
*abeuntem. Fœtificant bruma, qui dies halcyonides vocantur placido mari per eos, & nauigabili, Siculo maximè*,
&c. Idem lib. 18. cap. 26. *Circa brumam pleriſque bis ſeptem halcyonum fœtura ventorum quiete mollius cæ-*
*lum*. Ariſt. libr. 5. de hiſt. anim. cap. 8. ἡ δὲ ἀλκυὼν τίκτει περὶ τροπὰς χειμερινάς. διὸ καλοῦνται
ὅταν εὐδιειναὶ γένωνται αἱ τροπαὶ ἀλκυόνειοι ἡμέραι, ἑπτὰ μὲν πρὸ τροπῶν ἑπτὰ δὲ μετὰ

τροπὰς καθὰ καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν.id eſt Alcyon autem circa brumam párere ſolet. Quocirca A & cum brumales dies ſereni ſunt,dies Alcyonij appellantur,ſeptem ante brumã, & 7. poſt brumam.quemadmodum in carmine ſuo ſcripſit Simonides. Qui plura de hac aue, & de diebus Alcyoniis ſcire volet, legat Luciani Alcyonem,ſeu περὶ μεταμορφώσεως. Porrò autem eandem eſſe auem Alcyonem & Alcedinem declarat Gaza,qui lib.8.cap.3.quam Alcyonem Ariſt.vocat, eam Alcedinẽ Latinè interpretatur. Sed huius rei teſtis locupletiſſimus M.Varro libr.6.de ling. Lat.his verbis. Apud Pacuuium halcyonis ritu litus peruolgans feror.hæc enim auis Græcè dicitur ἀλκυὼν,à noſtris halcedo,hæc hyeme quòd pullos dicitur tranquillo mari facere,eos dies halcyonios appellant. Profert autem hunc locum Priſcilius lib.6. EXPALPA.]id eſt,palpando obtine quod volo:vel palpando leni,& placa.palpare autem, ſiue palpari,eſt leni & molli tactu demulcere,tractum ab equorum curatoribus. PVGNIS PECTAS]id eſt,pugnis cædas. tralatio eſt.alij libri habent *plectas*,minus rectè. Loquitur eodem modo & in Rudente. NVNC ETIAM MORARE?] hæc Adelphaſij verba ſunt de Agoraſtocle querentis, quòd etiã nunc eam moretur ad ædem Veneris properantem. BENE PROMITTIS.]liberaliter, & benignè promittis. OMNIA IN CASS. CAD.]omnia ad nihilum recidunt. LIBERARE IVRAVISTI ME]iurauiſti non ſemel,ſed decies te liberaturum me à lenone. NEQVE VSQVE.]al.neque vſquam.ſed *vſque* magis probo. ſententia autem huius loci hæc eſt. dum te exſpecto,hoc eſt,dum ſpero te promiſſa facturum,& fidem ſeruaturum,ac præſtiturum,fit, vt neque interea aliunde mihi conſulem , alióſque amatores parem , qui me à lenone liberent, neque id,quod mihi toties promiſiſti,vſquam appareat. B ABSCEDE TV À ME] abſcede tu Agoraſtocles à me. MEA VOLVP.&c.] ſeruus quaſi hero obtemperans Adelphaſium irridet.quod ægrè ferens Agoraſtocles,non audet tamen ſeruum tangere. MEVS OCELLVS] mee ocelle,id eſt,puella mihi cariſſima. MEA COLVSTRA.]Nonius, coluſtra, lac nouum in mammis.dicitur & coluſtrũ in neutro. Martialis in xeniis, *Subripuit paſtor quæ nondum ſtantibus hædis De primo matrum lacte coluſtra damus.* DICI?]dici à ſeruo in Adelphaſium. NISI EGO ILLVM.]ἀποσιώπησις.ſubintelligendum enim mori non recuſo : ne viuam, aut aliquid tale. QVADRIGIS CVRSIM.] quàm citiſſimè. NOLI, AMABO, SVCC.] pergit ſeruus. EGO FAXO, SI NON IRATA ES NVMM. PRO TE D.]ſecutus ſum Adriani Turnebi coniecturam , qui ex antiqua ſcriptura *ninniium pro te dabit* , ita coniecit eſſe legendum libr. Aduerſa.15.cap.6.nummulum autem dicit herum daturum pro illa:Milphio,irridens quaſi vile ſit,& parui pretij ſcortum,& nummulo redimi ac liberari poſſit. ATQVE TE FACIET, VT SIS]id eſt,atque te faciet ciuem eſſe Atticam, & liberam,vel,atque faciet,vt ſis ciuis Attica,& libera. QVI BENÈ VOLVNT,&c.]qui benè volunt,eis item bene vis. id eſt,omnes C homines ſolent eis bene velle,qui bene volunt.ſic autem habebant libri noſtri veteres,& ita legendum,non vt vulgò,*bene viſitent*,quod & Adrian. Turnebus vidit. SINE TE PRENDAM AVRIC.] ſine te prenſam auriculis, exoſculer.genus erat oſculi liberaliſſimi, & pleniſſimi. Sic idem Aſin.*prehende auriculas,compara labella cum labellis*. IAM EGO HERCLE.]iam hercle plorabo ego,niſi te placo. ATQVE HIC NE ME VERBERET,&c.]ſententia eſt,atque ego malè formido,niſi te propitio,id eſt,propitiam reddo,ne hic me verberet,& illum faciat,id eſt, referat illum ſæuum herum & plagoſum,& verberantẽ,illum plagas mihi aſſiduè inferentẽ.vel faciat me illum vapulantem,& plagas aſſiduè perferentem. Ego tamen illud priùs malo. hæc autem pronuntians ſeruus geſtu adiuuabat,herum exprimens virgas intentantẽ. Sic autem eſſe legendum vincunt libri veteres,& quibus vſi ſumus,& quibus Adrianus Turnebus : qui hanc ſcripturam aſſerit lib. illo Aduerſar.15.cap.6.& ita ferè vt retulimus explicat. NOVI EGO HVIVS M.]noui ego huius moroſi mores malos. NON EGO HOMO TRIOB.]nunc ſeriò iraſcitur Agoraſtocles,neq. ferre poteſt,ſic Adelphaſiũ à ſeruo ludibrio haberi. NON EGO HOMO TRIOB.]homo ſum minimi atq. adeò nullius pretij,niſi,&c. MASTIGIÆ.]verberoni,flagrioni,flagris digno. D EXTVRBO.]excutio,effodio. HEM VOLVPT.] hîc ſeruum verberat Agoraſtocles eadem illa verba,quibus ſeruus per ludibrium vſus erat , cum indignatione iterans. IMPIAS HERE TE ORAT. VERB.]ſcelerato & impio facto te contaminas,qui contra ius gentium legatum verberes. IAM ISTOC MAGIS.] pergit adoleſcens Milphionem cædere. ECQVID FACIES M.] ánnon aliquem facies verberandi modum? SIC ENIM DIC.&c.]docet Milphionẽ Agoraſtocles,quo modo orare Adelphaſiũ deberet: nempe hoc modo,te obſecro Adelphaſium,Agoraſtoclis voluptas,Agoraſtoclis mel,&c. OBSECRO HERCLE.] pergit ſeruus ſuo more,quamuis alio modo , Adelphaſium & herum ſuum illuderet. HV. AMICA MAMMEATA]huius amica mammeata, id eſt, Agoraſtoclis amica tactu iucunda:mammeata,id eſt,mammoſa,inquit Nonius,proferẽs hunc locum,quamquàm mendoſè. AVT SI ID FIERI NON POTEST] non eſt hæc oratio Milphionis integra,neque ſententia perfecta,quia eum loquentem interpellat Adelphaſium irata. Erat autem hoc fortaſſe additurus,iube me laqueo vitam finire,vel iube me reſtim parare,qua mihi animam intercludam. Itaque quod dicturus erat ſeruus occupans, ſupplet Adelphaſium. RESTIM.]funem.ad reſtim res rediiſſe dicitur,cùm res deſperata eſt,& cùm deſpondetur animus. HEM MIHI IAM VIDEO PR. TE VICT. SORB.]id eſt,video mihi propter te toto vitæ



A vitæ tempore,ſuſpirandum,ac gemendum.tractum à ſorbentibus,quorum ſpiritum imitari, ac referre videntur,qui vapulantes gemunt. QVASI OSTREATVM.] verberibus, & vulneribus duratum,vt ſunt oſtreorum teſtæ. AMABO, MEN' PROHIBERE,&c. ] ſententia huius loci hæc eſt,vtrum eſt æquius me prohibere , ne te tuus herus verberet , an potiúſne ſit aduerſus me mendax? HVIC.]Agoraſtocli. AMITTAM.]remittam,condonabo. RESPEXIT IDEM POL.]verba ſunt Milphionis,non Agoraſtoclis.

## AGORASTOCLES adoleſcens. MILPHIO ſeruus.

QVid nunc mihi es auctor Milphio? MIL. vt me verberes,
Atque auctionem facias.nam impuniſſimè
Tibi quidem hercle vendere haſce ædis licet.
B AG. Quid iam? MI. maiorem partem minore habitas mea.
AG. Superſede iſtis verbis. MI. quid nunc vis tibi?
AG. Trecentos Philippos Colabiſco villico
Dedi dudum,priuſquam me euocaſti foras.
Nunc obſecro te,Milphio,hanc per dexteram,
Pérque hanc ſororem læuam,pérque oculos tuos,
Pérque meos amores,pérque Adelphaſium meam,
Pérque tuam libertatem. MI. hem nunc nihil obſecras.
AG. Mi Milphidiſce,mea commoditas,mea ſalus,
Fac quod facturum te eſſe promiſiſti mihi,
Vt ego hunc lenonem perdam. MI. perfacile id quidem eſt.
C Adduce teſteis tecum.ego intus interim
Iam & ornamentis meis & ſycophantiis
Tuum exornabo villicum:propera atque abi.
AG. Fugio. MI. meum eſt iſtuc magis officium,quàm tuum.
AG. Egóne?egóne ſi iſtuc lepidè effexis? MI. I modò.
AG. Vt non ego te hodie? MI. abi modò. AG. emittam manu.
MI. I modo. AG. non hercle mercam,ah. MI. Vah abi modò.
AG. Quantum Acherunte'ſt mortuorum. MI. Etiámne abis?
AG. Neque quantum aquæ eſt in mari. MI. abiturúſne es?
AG. Etiam nubeis omneis quantum. MI. pergin pergere?
D AG. Nec quot ſtellæ in cælo. MIL. pergin aureis tundere?
AG. Neque hoc,neque illuc,neque enimuerò ſeriò,
Neque,hercle verò.quid opus eſt verbis? quippiui
Quod vno verbo dicere hic quiduis licet.
Neque, hercle verò ſeriò.ſcin quomodo?
Ita me dij amabunt.vin' bona dicam fide?
Quod hîc inter vos liceat. ita me Iuppiter,
Scin' quàm?vide tu. Credin',quod ego fabuler?
MI. Si nequeo facere,vt abeas,egomet abiero.
Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo
Coniectore opus eſt,qui ſphyngi interpres fuit.
AG. Illic hinc iratus abiit. nunc mihi cautio eſt,

Ne meamet culpa meo amori obiexim moram. A
Ibo atque arceſſam teſteis, quando amor iubet,
Meo me obedientem eſſe ſeruo liberum.

QVID NVNC MIHI ES AVCTOR] quid me ex tua auctoritate facere vis? Quid te auctore faciam? VT ME VERBERES.] vt facias, quod ſoles, cùm tibi aliquid ex animi tui ſententia non procedit. tum enim me verberare ſoles. ATQVE AVCTIONEM F.] & bona tua, auctione conſtituta vendas. hoc dicit propterea quòd quæſierat, quid ſibi auctor eſſet, vt faceret. MAIOREM PARTEM MINORE H. M.] id eſt, habitas enim in his ædibus maiore ex parte tua, minore mea. maior pars ædium harum abs te habitatur, minor à me. Quocirca ego, qui multo minorẽ partẽ occupo, quàm tu, quíq. multò in minore parte habito, quàm tu, non potero venditionem, & alienationem impedire. Sic autem ſcriptum reperi in noſtris antiquis codicibus, vt edidi, nõ vt in vulgatis, *maior enim parte, minore habitas in eas.* planè mendoſiſſimè, neq. vt habet editio Camerariana, *maiore enim parte, minore habitas mea.* Atque item vt ego, ſe in membranis antiquis ſcriptum reperiſſe teſtatur Adr. Turnebus, & ita ferè explicat lib. 15. Aduerſar. cap. 7. quomodo ego explicaui. PÉRQVE HANC SOR. LÆVAM.] pérque alteram manum, quæ quaſi ſoror eſt dexteræ. B PÉRQVE OCVLOS TVOS.] quibus nihil eſt tibi carius. HEM NVNC NIHIL OBS.] quia ſeruus ſum, non liber. FAC QVOD FACT. TE ESSE PROMISISTI] ſuprà ſcena cuius initium eſt. *Sæpè ego res multas,* &c. ibi, *vin' tu illam hodie ſine dãno, & diſpendio Tuo, tuã libertã facere?* AG. *cupio Milphio.* MIL. *ego faciã, vt facias,* &c. ADDVCE TESTEIS] qui teſtificentur aurum eſſe tuum, & ſeruum tuum. EXORNABO.] inſtruam. FVGIO.] properè abeo. MEVM EST ISTVC M. OFFICIVM.] quia ſeruus ſum. ſerui autem plerumque fugitiui ſunt. EGÓNE, &c.] oratio eſt integra, egóne vt non ego te hodie emittã manu, ſi iſtuc lepidè mihi effeceris? quaſi dicas, ego profectò te manu mittam, ſi iſtuc effeceris. ſed adoleſcens cupiditate ardens, & æſtuans ita loquitur, vt affectus eſt. in quo poëtæ artificium animaduertendum eſt, qui orationem perſonis affingit, affectibus animorum congruentibus. NON HERCLE MEREAM, &c.] huic principio nihil eſt, quod reſpondeat: ſed hoc voluit dicere Agoraſtocles. non hercle velim pro mercede mortuos omneis, qui apud inferos ſunt, conſequi, neque aquam, quæ in mari eſt, &c. vt non te manumittam, ſi iſtud, quod mihi promiſiſti effeceris. ACHERVNTE.] apud inferos, in Acherunte. ETIAM NVBEIS OMNEIS Q.] etiam nubeis omneis, quantum eſt nubium in cælo, non mercam, C vt non, &c. NEQ. ENIMVERÒ SERIÒ, &c.] poſt neque diſiunctionis nota aſcribenda eſt, vt intelligamus adoleſcentem ſpe ſimul, & timore & cupiditate perturbatum vt diximus, perplexè & perturbatè loqui, & ſermone vti interrupto, & minus cohærente, ad quem intelligendum, Oedipo interprete opus ſit, vt mox dicet Milphio. OEDIPO CONIEC.] ſignificat enim ænigmata quædam loqui Oedipo, & ea ad quæ coniicienda Oedipo ſit opus, qui ænigma illud omnibus auditum, à Sphinge propoſitum, de eo, quod manè quattuor pedibus incederet, meridie duobus, veſperi tribus, coniecit, ac diſſoluit. Tale eſt illud Terentianum in Andria. *Dauus ſum, non Oedipus.* ILLIC.] ille. CAVTIO EST.] cauendum eſt. OBIEXIM.] obiecerim, obiiciam. SERVO LIBERVM.] antitheſis. me, qui liber ſum, obedientem eſſe ſeruo.

## LYCVS leno. ANTHÆMONIDES miles.

DIj illum infelicitent omnes, qui poſt hunc diem D
Leno vllam Veneri vmquam immolarit hoſtiam,
Quíue vllum turis granum ſacrificauerit.
Nam ego hodie infelix diis meis iratiſſimis,
Sex agnos immolaui. nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, vti eſſet mihi.
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus. vetui exta proſicarier,
Neque ea ſpicere volui. quoniam illà non bona
Haruſpex dixit. deum eſſe indignam credidi.
Eo pacto auaræ Veneri pulcrè adij manum.

quando



A Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit,
Ego pauſam feci. ſic ago, ſic me decet.
Ego faxo poſthac di, deæque ceteri
Contentiores mage erunt, atque auidi minus,
Cum ſcibunt, Veneri vt adierit leno manum,
Condignè haruſpex, non homo trioboli,
Omnibus in extis aiebat portendi mihi
Malum, damnúmque & deos eſſe iratos mihi.
Quid ei diuini aut humani æquum eſt credere?
Mina mihi argenti dono poſtilla data eſt.
Sed quæſo vbínam illic reſtitit miles, modò
B Qui hanc mihi donauit? quem ego vocaui ad prandium?
Sed eccum incedit. AN. ita vt occepi dicere.
Lenulle de illac pugna pentethronica,
Qua ſexaginta milia hominum vno die,
Volaticorum, manibus occídi meis.
LY. Ehem volaticorum hominum? AN. ita dico quidem.
LY. An obſecro vſquam ſunt homines volatici?
AN. Fuere. verùm ego interfeci. LY. quomodo
Potuiſti? AN. dicam. Viſcum legioni dedi,
Fundáſque. eò præſternebam folia farfari.
LY. Cui rei? AN. Ne ad fundas viſcus adhæreſceret.
C LY. Perge optimè. hercle periuras. quid poſtea?
AN. In fundas infundebam grandiculos globos,
Eos volanteis iuſſi funditarier.
Quid multa verba? quemquem viſco offenderant,
Tam crebri ad terram decidebant, quam pira.
Vt quiſque ceciderat, necabam eum illico
Per cerebrum pinna ſua ſibi quaſi turturem.
LY. Si hercle iſtuc vmquam factum eſt, tum me Iupiter
Faciat, vt ſemper ſacruficem, nec vmquam litem.
AN. An mihi hæc non credis? LY. credo, vt mihi eſt æquum credier.
D AN. Age eamus intro, dum exta referuntur. volo
Narrare tibi etiam vnam pugnam. LY. non moror.
AN. Auſculta. LY. non hercle. AN. immò iam elidam caput,
Niſi auſcultas, aut is hinc in malam crucem.
LY. Malam crucem ibo potiùs. AN. certúmne eſt tibi?
LY. Certum. AN. tum tu igitur die bono Aphrodiſiis,
Addice tuam mihi meretricem minuſculam.
Ita res diuina mihi fuerit. res ſerias
Omnis extollo ex hoc die in alium diem.
Profectò feſtos habeam. decretum eſt mihi.
Nunc hinc eamus intro. LY. ſequere hàc me. AN. ſequor.
In hunc diem iam tuus ſum mercenarius.

DII ILLVM.] queritur leno ſibi non eſſe propitiam factam Venerem, cùm tamen ei ſex agnos immolarit. id autem ex eo coniicit, quòd nullum eo die quæſtum fecerit. INFELICITENT.] infœlicem faciant. ſic Nonius in verbo *infelicitent*, vbi & hunc locũ profert, & illum ex Cæcilio, *vt te dij omnes infœlicitent cum malè monita memoria.* POST HVNC DIEM.] poſthac. DIIS MEIS IRATISS.] Terent. *iratis diis atque poëtis.* NEC POTVI TAMEN, &c.] id eſt, nec potui tamen facere, vt Venus propitia eſſet mihi. vel potui tamen facere, Venerem propitiã eſſe mihi. genus hoc loquendi ita vſitatum eſt Plauto, Terentio, & Græcis, vt nullum ferè crebrius occurrat. LITARE.] χαλλιερεῖν. ſacrificando à diis, quod volo impetrare. VETVI EXTA PROSICARIER.] exta cocta proſecabant veteres, ex quo proſecta dicta. Nonius *proſecta exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum diſſecta, generis neutri.* Licinius Macer. *Vulcani toſta vapore, Cum virgis proſecta ferunt.* Fœm. Lucil. lib. 14. *Cenam*, inquit, *nullam neque diuo proſectam vllam.* Varro lib. xj. rerum diuinarum. *Proſiciem extorum vel in menſam porricere.* Feſtus, *Proſicium, quod proſectum proiicitur*, al. *porricitur.* Varro lib. 4. de ling. Lat. *Inſicia ab eo, quod inſecta caro, vt in Carmine Saliorum eſt: quod in extis dicitur nunc proſectum.* Suetonius in Auguſto, *Semicruda exta rapta foco proſecuit.* Arnob. lib. 2. *Cum, Romulo, Pompilióq; regnãtibus, percocta planè, ac madida concremarẽtur diis exta: nonne rege ſub Tullo ſemicruda cœpiſtis, & leuiter animata porricere, priſca obſeruatione contemta?* NON BONA.] non pulcra, non proſpera, vel non bonum euentum ſignificantia. EO PACTO AVARÆ VENERI PVLCRè, &c.] ſic auſpicatò Venerem adij. ſentit planè aliud, quàm loquitur: nempe ſe malis auibus Venerem adiiſſe, nihil ſibi profuiſſe, adiiſſe Venerem, inutile ſibi fuiſſe ſacrificium factum Veneri. EGO PAVSAM FECI] ego deſtiti, ego quieui. EGO FAXO POSTHAC, &c.] ego faciam, vt poſthac dij, deæque ceteri omnes magis contenti, &c. faxo erunt, idem valet, quod erunt. CONTENTIORES.] magis contenti. addidit tamen aduerbium, *mage*, vt ſi *contenti* poſuiſſet, non *contentiores*, ſed non eſt hoc nouum comparatiuo adiungere aduerbium *magis*. CÙM SCIBVNT.] cùm ſcient, quo modo leno Venerem adierit, & ſalutatum, atque oratum iuerit. Cùm ſcient lenonem Venerem adiiſſe, & ſalutatum iuiſſe. CONDIGNè.] pro dignitate Veneris, Haruſpex Venere dignus. NON HOMO TRIOBOLI.] homo non trioboli æſtimandus. POSTILLA.] poſtea. DATA EST.] à milite. ILLIC.] ille. RESTITIT.] moratus eſt, remanſit. LENVLLE.] diminutiuum eſt à nomine leno, O mi lenulle. Diminutiuis autem vtimur interdum, cùm blandimur. Priſcianus lib. 3. profert hunc locum cap. de diminutiuis, docens duo diminutiua eſſe lenonis, lenunculum, & lenulum. PVGNA PENTETHRONNICA.] pentethronnica, vox fictitia, nihílque ſignificans. Hoc autẽ habet Plautus, vt cùm glorioſos, & arroganteis, & oſtentatores ineptos loquenteis inducit, voces fingat inauditas, ad exprimendam eorum ingenij vanitatem, qui quæ numquam facta ſunt, neque vmquam fient, eueniſſe dicunt, aut à ſe facta gloriantur. VOLATICORVM.] volatilium, ad volandum aptorum & expeditorum, ſiue volantium. VISCVM.] gluten. eſt etiam interdum genus retis, teſte Nonio. Viſcum, inquit ille, poſitũ pro rete, à tenacitate. Varro Parm. *Lepuſculi timẽtes hoc quadrangulum dedit Diana rete nexile* ἄρκυας. viſcum, ſagenam, lineámque compedem. EÒ PRÆSTERNEBAM FOL. FERF.] eò conſilio in fundis antè ſternebam folia ferferi, ne viſcus ad fundas adhæreſceret. ferferium, ſeu farfariũ herba eſt, quæ & farſugium appellatur, cuius folia populi frondibus non ſunt diſſimilia, ſunt tamen aliquantò maiora. Profert hunc locum Seruius, ſed aliter quam in omnibus libris legitur: (& quod grauius eſt) putat hîc *farſarium*, ſeu vt ille legit, *farfarum* eſſe nomen fluuij: ſic enim ille ad verſum illum Virg. lib. 7. Æneid. *Qui Tibrim Fabarímque bibunt*, &c. Fabaris autem, quem dicit etiam ipſe per Sabinos tranſit, & Farfarus dicitur. Plautus in Pœnulo. *Diſſipabo ego te tamquam folio Farfari.* Ouidius, *& amœnæ Farfarus vmbræ.* Qua de re lege Turnebum Aduer. lib. 15. cap. 7. QVEMQVEM.] quemcumque. FVNDITARIER] fundis peti. NECABAT EVM ILLICÒ, &c.] ordo eſt, pinna ſua ſibi necabat eum quiſquis ceciderat, tamquam turturem, cùm eſſent homines volatici. Pinna accipio in caſu recto, alioqui non conſtaret modulus verſus. Turneb. legit *necabam*, vulgati habent *necabãt*. TVM ME IVPITER F. &c.] id eſt, tum Iupiter me faciat ſemper ſacrificare, & numquam litare. NEC VMQVAM L.] nec vmquam victimarum exta læta ſint, ſeu nec vmquã exta oſtendant, aut promittant mihi res ſecundas: vel nec vmquã obtineam à diis, quod opto, & volo. CREDO VT MIHI EST ÆQ. CR.] id eſt, non credo. nam lenonibus credi non oportebat, vtpote periuris & impiis. NON MOROR.] non moror iſtius pugnæ narrationem, id eſt, non quæro, ſeu non curo iſtam alteram pugnam audire. ſuperſedeas iſta narratione, licet valeat iſta narratio, eam non deſidero. AVT IS IN M.] aut niſi is in malam crucem. MALAM CRVCEM IBO.] in malam crucem ibo, potiùs videtur legendum *malam in crucem ibo*. DIE BONO APHRODI.] Aphrodiſiis κατὰ συνθεσιν. bono die. ADDICE] vende, trade venditam. Horat. ſat. 5. lib. 2. *hinc tu, Dic ex parte tua, ſeu fundi, ſiue domus ſit Emtor gaudentem nummo te addicere.* Addicere hîc eſt venditoris, interdum eſt prætoris. MIHI.] *mihi* hîc eſt vnius ſyllabæ. MINVSC.] Anteraſtilidem. EXTOLLO.] differo. Nonius, extollere, differre. Cæcilius Plocio, *Abi intro, atque iſthæc aufer. tamen hodie extollat nuptias.*

Ita me



## AGORASTOCLES adoleſcens. ADVOCATI.

A ITa me Di ament, tardo amico nihil eſt quicquam iniquius,
Præſertim homini amanti: qui, quicquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco aduocatos, homines ſpiſſigradiſſimos,
Tardiores quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari.
Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitaui ſenes.
Scibam ætate tardiores. metuo meo amori moram.
Nequicquam hos procos mihi elegi: loripedeis, tardiſſimos:
Qui, ſi ituri eſtis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Siccíne oportet ire amicos homini amanti operam datum?
B Nam iſte quidem gradus ſuccretu'ſt cribro pollinario,
Niſi cum pedicis condidiciſtis iſthoc graſſari gradu.
AD. Heus tu, quamquam nos videmur tibi plebei & pauperes,
Si nec rectè dicis nobis, diues, de ſummo loco,
Diuitem audacter ſolemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxij ſumus iſtuc, quid tu ames, aut oderis.
Quom argentum pro capite dedimus, noſtrum dedimus, non tuum.
Liberos nos eſſe oportet, nos te nihili pendimus,
Ne tuo nos amori ſeruos tuos eſſe addictos cenſeas.
C Liberos homines per vrbem modico magis par eſt gradu
Ire. ſeruile eſſe duco feſtinantem currere,
Præſertim in re populi placida atque interfectis hoſtibus.
Non decet tumultuari. ſed ſi properabas magis,
Pridie nos te aduocatos huc duxiſſe oportuit.
Ne tu opinere, haud quiſquam hodie noſtrûm curret per vias.
Neque nos populus pro cerritis inſectabit lapidibus.
AG. At ſi ad prandium me in ædem vos dixiſſem ducere,
Vinceretis ceruum curſu, vel grallatorem gradu,
Nunc vos quia mihi aduocatos dixi & teſteis ducere,
D Podagroſi eſtis, ac viciſtis cochleam tarditudine.
AD. At verò non iuſta cauſſa eſt, quò curratur celeriter,
Vbi, bibas, edas, de alieno quantum velis vſque affatim,
Quod inuitus tu numquam reddas domino de quo ederis.
Sed tamen quomodocumque quamquam ſumus pauperculi
Eſt domi quod edimus, ne nos tam contemtim conteras.
Quicquid eſt pauxillulum illuc noſtrum, illud omne intus eſt.
Neque nos quemquam flagitamus, neque vos quiſquam flagitat.
Tua cauſſa nemo noſtrûm eſt ſuos rupturus ramices.
AG. Nimis iracundi eſtis. equidem hæc vobis dixi per iocum.
AD. Per iocum item dictum habeto, quæ nos tibi reſpondimus.

AG. Obſecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date, A
Attrepidate ſaltem.nam vos approperare haud poſtulo.
AD. Si quid tu placidè,otioſéque agere vis,operam damus:
Si properas,curſores meliu'ſt te aduocatos ducere.
AG. Scitis. rem narraui vobis,quòd veſtra opera mihi opus ſiet.
De lenone hoc,qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ vt ſint inſidiæ,de auro & de ſeruo meo.
AD. Omnia iſtæc ſcimus iam nos,ſi hi ſpectatores ſciant,
Horunc hîc nunc cauſa hæc agitur ſpectatorum fabula,
Hoſce ſatius eſt docere,vt,quando agas,quid agant,ſciant.
Nos tu ne curaſſis.ſcimus rem omnem:quippe omnes ſimul B
Didicimus tecum vnà,vt reſpondere poſſimus tibi,
AG. Ita profectò eſt:ſed agite igitur,vt ſciam vos ſcire rem,
Expeditè & mihi quæ dudum vobis dixi,dicite.
AD. Itáne tentas,an ſciamus?non meminiſſe nos ratus.
Quomodo trecentos Philippeos Colabiſco villico
Dederis,quos deferret huc ad lenonem,inimicum tuum,
Iſque ſe vt aſſimularet peregrinum eſſe aliunde ex alio oppido.
Vbi is detulerit,tu eò quæſitum ſeruum aduentes tuum,
Cum pecunia. AG. meminiſtis memoriter,ſeruaſtis me.
AD. Ille negabit:Milphionem quæri cenſebit tuum,
Id duplicabit omne furtum:leno addicetur tibi. C
Ad eam rem nos eſſe teſteis vis tibi. AG. tenetis rem.
AD. Vix quidem hercle,ita pauxilla eſt,digitulis primoribus.
AG. Hoc citò & curſim eſt agendum, propera iam quantum pot'eſt.
AD. Bene vale igitur,te aduocatos melius celereis ducere,
Tardi ſumus nos. AG. optimè itis,peſſumè hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
AD. At ædepol nos tibi in lumbos linguam,atque oculos in ſolum.
AG. Eia haud voſtrum eſt iracundos eſſe,quod dixi ioco.
AD. Nec tuum quidem eſt,amicis per iocum iniuſtè loqui. D
AG. Mittite iſtæc.quid velim,vos ſcitis. AD. callemus probè.
Lenonem periurum vt perdas id ſtudes. AG. tenetis rem.
Ecce opportunè egrediuntur Milphio,& villicus,
Baſilicè exornatus incedit,& fabrè ad fallaciam.

INIQVIVS]inimicius,odioſius. PROPERAT OM.]properè agit omnia. SPISSIGRADISS.]tardigradiſſimos.ſpiſſum,Nonius ſignificat nonnumquam tardum. Cæcil.Dardano. *Nihil ego ſpei credo,omneis res ſpiſſas facit.* Afran. *Itaque ſpiſſum videtur fieri, non poſſunt domi meæ virum exſpectare,quem mihi ſtudeo iamdudũ dare.* Plaut.Pœn. *Eheu quos ego habui ariolos, haruſpices:: qui ſi quid boni promittunt,pro ſpiſſo venit.* CORBITÆ.]naues onerariæ,tardæ,& grandes.Nonius qui hunc locum profert,& alterum ex eadem comœdia, *obſecro hercle operã celocem,* &c.Idem Caſina. *Noui illas eſtrices. Corbitam cibi comeſſe poſſunt.* IN TRANQVILLO M.]in mari ventis non agitato.tardæ autem ſunt in mari tranquillo tales naues,quia remis non impelluntur. HOS PROCOS.]hos ſenes minimè aptos ad rem vxoriam. ironia eſt.proci enim debent eſſe ætate integra,& valida: hi au-



A hi autem ſunt ætate affecta,& corpore inualido,ac tardo. Ita ferè Turnebus explicat Aduerſar. eod. loco. NAM ISTE QVIDEM GR. SVCCRETV'ST CRIB. POLL.] ſignificat gradum horum aduocatorum eſſe minutiſſimum,vt quem dicat videri excretũ eſſe cribro pollinario. Comparat ſcilicet gradum horum aduocatorum cum polline,hoc eſt,farina purgatiſſima & puriſſima, quæ ex cribro pollinario excernitur,qua vis quidquam fieri poteſt minutius. Eſt autem cribrum pollinarium,cribrum,quo pollem ſuccernitur,id eſt,ſubtus cernitur. CVM PEDICIS]cum pedum vinculis,& compedibus, quibus qui ſunt impediti, non facile ingredi poſſunt. ISTHOC GRASS. GRAD.]ſic habent noſtri codices antiqui, *graſſari autem eſt.* SI NEC RECTÈ DICIS NOBIS.]id eſt,ſi malè dicis nobis. MACTARE INFORT.]augere infortunio,afficere magno infortunio.vtitur hoc loquẽdi genere ſæpè alibi Plautus. CENSEAS]putes. PRÆSERTIM IN RE POP. PL.]præſertim rebus tranquillis. PRIDIE] vno die antè. PRO CERRITIS] pro malè ſanis. Amphitr. *Tu certè aut laruatus es, aut cerritus.* INSECTABIT]inſectabitur. VEL GRALLAT. GR.]grallatores appellabãtur pantomimi (inquit Feſtus)qui vt in ſaltatione imitarentur Ægipanas,adiectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes ad ſimulationem crurum eius generis gradiebantur, vtque propter difficultatem conſiſtendi. Plaut. Pœn. *vinceretis curſu ceruos, vel grallatorem gr.* & Varro lib.6.de lin-
B gua Lat.Plautus in Pœnulo,vinceretis ceruum curſu, vel grallatorem gradu. Grallator à gradu magno dictus. Lege & Nonium de eadem voce.ſed non eſt celandus lector, libros noſtros veteres,quibus & Adr.Turnebum vſum eſſe arbitror, vt licet intelligere. ex locis Plautinis, quos ille profert,tractat,reſtituit,& explicat in libris Aduerſ. habere partim vel clabatorem, partim vel clauatorem.ſunt autem clauatores(vt docet Feſtus)iidem atque calones, qui clauas ligneas gerebant:quæ Græci χαλά,vocant,quod genus hominum celere,& expeditum erat, & curſorúmque munere interdum fungebatur. Ita non putat ille hanc lectionem, eiúſque ſententiam indignam eſſe comico lepôre.quam vt ne ego equidem improbem, magis tamen receptã probo,præſertim veterum grammaticorum, & maximè Varronis auctoritate confirmatam. PODAGROSI ESTIS, AC VICISTIS COCHL.]profert & hunc verſum Nonius,in nomine *tarditudo,* ſed longè aliter,quàm hodie in exemplarib. Plautinis ſcriptus, & in codicibus vulgatis impreſſus eſt.Sic enim ille,Plautus Pœn. *Quod eſtis pigri cochleas vincitis tarditudine:* puto Nonium memoriæ confiſum,cùm librum non conſuluiſſet,mendoſè Plauti verba retuliſſe. Limaces autem eædem ſunt,quæ cochleæ,vt docet Feſtus. AT VERÒ NON IVST. C. EST, &c.] huius loci ſententia hæc eſt, at verò non eſt propterea celeriter currendũ, quò ſit aliquis
C ad cenam vocatus,vbi edat,& bibat,quantum velit,quod numquam ei, apud quem cenauerit, reddere queat,quamuis cupiat. QVÒ]quamobrem,propter quam cauſam:vel potius in quem locum. BIBAS, EDAS]bibas & edas. INVITVS] non quòd reddere nolis, ſed quia non poſſis,quantumuis cupias. EST DOMI, QVOD EDIMVS]eſt domi, quod edamus.edim, is,it.& comedim,dis,dit,dixerunt veteres. Notat Nonius in verbo *comedim,* & *edim,* vbi & hunc locum profert. ILLVD OMNE INTVS EST.]illud omne domi eſt, neque aliunde petimus,aut ſumimus. NEQ. NOS QVICQ. FL.] neque nos quicquam moleſtè poſcimus, egentium,& mendicorum more, neque nos vllus creditor appellat, creditum acerbè repetens. SVOS RVPTVRVS RAMICES.]profert hunc locum Nonius in voce *ramices,* quam interpretatur pulmones,vel herniam.ſed fallitur Nonius,neque ramex,vmquam pulmones ſignificat,ſed potius vitium ſcorti,& earum tunicarum, quæ inguina attingunt. Iuuenalis ſat.x. *Iacet exſanguis cum ramice neruus.* OPERAM CELOCEM, &c.] alluſio eſt ad celocem & corbitam,quarum altera,corbitam dico,tarda eſt,altera celeris. petit igitur, vt properent ſibi operam dare,& gradũ maturent. ATTREPIDATE]hoc eò dicit,quia ſenum eſt trepidare:hortatur igitur,vt trepido,& ſenili gradu properent.Lege Nonium de hoc verbo. QVOD VE-
D STRA OP. M.]propter quam opera veſtra mihi opus ſit.malim legi, *quoi veſtra,* &c.vt ſit,rem narraui vobis,cui rei,&c. NOS TV NE CVRASSIS.]túne nos curaueris. EXPEDITÈ ET MIHI,&c.]aduerbiũ *expeditè* debet cohærere cum verbo *dicite,* hoc modo, etiam mihi dicite expeditè ea,quæ dudum vobis dixi. CENSEBIT.]putabit,arbitrabitur. ADDICETVR.] à prætore. VIX QVIDEM HERCLE.]iocus eſt ex eo ſumtus,quod dixit Agoraſtocles.tenetis rem,id eſt,intelligitis rem omnem, quæ verba hi ſenes in aliam partem accipientes, vix hercle tenemus paruam mentem.id eſt,τὸ πέος ſeu penem,primis digitis ita paruulus eſt. ſic ſuprà in prologo, *tenetis? ducite.* QVANTVM POTE'ST]quantum fieri poteſt, quantum fas eſt. *pote eſt,* legendum duabus vocibus, pote autem valet δυνατὸν,quod Latini dicerent poſſibile, ſi vſitatum eſſet. MELLIVS.]ſubintel.eſt. FEMINA]femina,numeri multitudinis à femore. Cariſius lib.1.hoc femur femoris,& feminis. AT ÆDEPOL NOS TIBI IN LVMB.] at ædepol nos tibi optamus linguam in lumbos decidere,& oculos in terram. QVOD DIXI IOCO]propter id,quod dixi ioco. BASILICÈ EXORNAT.] regiè inſtructus. ET FABRÈ] affabrè.

MILPHIO ſeruus. COLABISCVS villicus. A
AGORASTOCLES adoleſcens. ADVOCATI.

IAm tenes præcepta in corde. CO. pulcrè. MI. vide ſis calleas.
CO. Quid opus eſt verbis? callum aprugnum callere æquè non ſinam.
MI. Fac modò vt conducta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam.
CO. Quin ædepol conductior ſum, quàm tragœdi aut comici.
MI. Probus homo eſt. AG. adeam propius aſſunt teſtes. MI. tot quidem
Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. B
Nam iſtorum nullus nefaſtu'ſt, comitiales ſunt meri.
Ibi habitant, ibi eos conſpicias, quàm prætorem, ſæpius.
Hodie iuris coctiores non ſunt, qui liteis creant,
Quàm ſunt hi: qui, ſi nihil eſt litium, liteis emunt.
AD. Di te perdant. MI. vos quidem hercle, cum eo, qom, quiqui, tamen
Et bene, & benignè facitis, qom hero amanti operam datis.
Sed iſti iam ſciunt negotij quid ſit? AG. omnem rem ordine.
MI. Tum vos animum aduortite igitur. hunc vos lenonem Lycum
Nouiſtis? AD. facilè. CO. at ego pol eum qua ſit facie neſcio.
Eum volo mihi demonſtretis hominem. AD. nos curabimus. C
Satis præceptum. AG. hic trecentos nummos numeratos habet.
AD. Ergo nos inſpicere oportet iſtuc aurum Agoraſtocles,
Vt ſciamus quid dicamus mox pro teſtimonio.
AG. Agite, inſpicite, aurum eſt. CO. profectò, ſpectatores, comicum,
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues.
Verùm ad hanc rem agundam Philippum eſt. AD. ita nos aſſimulabimus.
CO. Sed ita aſſimulatote, quaſi ego ſim peregrinus. AD. ſcilicet.
Et quidem quaſi tu nobiſcum adueniens hodie oraueris, D
Liberum vt commonſtraremus tibi locum & voluptarium,
Vbi ames, potes, pergræcere. MI. heu ædepol mortales malos.
AG. Ego enim docui. MI. quis te porrò? CO. agite, intrò abite, Agoraſtocles,
Ne hic vos mecum conſpicetur leno, neu fallaciæ
Præpedimentum obiiciatur. MI. hic homo ſapienter ſapit.
AG. Facite quod iubet. abeamus. ſed vos. ſatis dictum'ſt? CO. abi.
AG. Abeo. quæſo, Di immortales. CO. quin abis? AG. abeo. MI. ſi ſapis.
CO. St, tace. AD. quid eſt? CO. fores hæ fecerunt magnum flagitium modò.

Quid



A AD. Quid eſt flagitij? CO. crepuerunt clarè. AD. Dij te perduint.
Ponè nos recede. CO. fiat. AD. nos priores ibimus.
CO. Faciunt, ſcurræ quod conſueuerunt, ponè ſeſe homines locant.
AD. Illic homo eſt, qui egreditur, leno. CO. bonus: nam ſimilis eſt malo.
Iam nunc ego illi egredienti ſanguinem exſugam procul.

IAM TENES PR.] quemadmodum Agoraſtocles docuit aduocatos, quid eis agendum, & dicendum eſſet, & ad quam rem eorum opera vti cogitaret: ita ſeruus Milphio villicum Colabiſcum inſtituit, & perdocet, quid eum facere, & loqui oporteat. VIDE SIS, CALLEAS] vide amabo te, vt callidus ſis. CALLVM APRVGNVM] hyperbole. callum aprugnum, id eſt, aprinum, pellis eſt in apro duriſſima, & denſiſſima. CONDOCTA] docta, callida. CONDOCTIOR SVM] doctior ſum, quàm tragœdiarum, & comœdiarum actores, qui eam fabulam, quam acturi ſunt, diligenter ediſcunt. TRAGOEDI] actores tragœdiarũ: & geſtus omnes verbis, & perſonæ conuenientes acuratè meditantur, antequàm in proſcenium prodeant. COMICI.] ſubintell. actores, vt per comicos, comœdi ſignificentur. libri vulgati habent, *quàm in tragœdia comici* PROBVS HOMO ES.] homo frugi es, & vtilis, & accommodatus ad rem, quam agimus. NAM ISTORVM NVLLVS N. C.] alludit ad dies nefaſtos, quibus diebus hæc tria verba ſilentur, *do, dico, addico*, id eſt, quibus prætor ius non dicit, neque omnino munere ſuo fungitur: & comitialeis, quibus comitia habere licet. dicta autem ſunt comitia, à cum, & eundo. Feſtus, *comitialeis dies appellabãt, cùm in comitium conueniebant.* qui locus à comitando, id eſt, ſimul veniendo dictus eſt. ſignificat igitur hos aduocatos eſſe tritos in foro, & comitiis, & aſſiduè in litibus verſari, & ad tribunal prætoris apparere. IVRIS COCTIORES] iocus Plautinus ex ambiguo nomine, *ius*, quod & ius piſcium ſeu carnium ſignificat, & ius ciuile, ſeu gentium. idcirco dixit coctiores, pro doctiores: reſpiciens tamen ad vocem coctus, & recoctus, id eſt, in aliqua re exercitatus. Horat. Sat. 3. *recoctus ſcriba.* LITEIS EMVNT] ſignificat ita eſſe litigioſos, & litium amanteis, vt ſi non habeant, quod litigẽt, liteis emant: qualeis homines ego noui hodie non paucos. VOS QVIDEM H.] ſubintell. ἀπὸ κοινοῦ. dij perdant. QVICQVI] quicunque ſitis. SATIS PRÆCEPTVM] ſatis præceptum nobis eſt. PROFECTO SPEC. COMICVM] conuerſi ad ſpectatores hæc loquuntur aduocati: aurum comicum autem eſt, quo vtuntur in comœdiis, & in ſcena: nummi aurei ſimulati, non veri, qui plerúmque fiebant ex lupinis, ex quo illud Horat. epiſt. lib. 1. *Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.* Cuius loci explicatio vera Mureto debetur. MACERATO HOC PING. F.] hoc auro, id eſt, lupino macerato, ſaginantur in Italia boues. PHILIPP. EST.] Philippeum eſt, ſic habẽdum eſt, vt ſi ſit aurum optimum, & Philippeum. NOBISCVM ADV. OR.] nobiſcum oraueris, id eſt, nos oraueris, ſic ferè loqui ſolet Plautus. PERGRÆCERE] Græcorum ritu, & maioribus poculis bibas, & nequiter ac diſſolutè viuas. QVIS TE PORRO?] docuit ſubintellig. ego, ſcilicet. NEV FALLACIÆ PRÆPED. OBIICI.] néue aliquid impedimenti obiiciatur fallaciæ, antequàm ad exitum perducatur, & leno inſidiis circumueniatur. SED VOS SATIS D.] ſed ſatíſne dictum eſt, quid vos facere oporteat? FECERVNT MAGNVM FL.] fecerunt rem turpem, & pudendam: nempe crepitum ediderunt. alludit ad crepitum ventris, qui non ſine flagitio, & turpitudine in cœtu hominum editur. DII TE PERDVINT] dij te perdant, ſeu perdiderint. PONÈ NOS] poſt nos. FACIVNT SCVRRÆ, QVOD CONS.] faciunt, inquit, quod ſcurræ facere ſolent: quídnam à tergo ſuo homines conſtituunt, ipſi antecedunt, & anteambulant. ILLIC HOMO EST, QVI EGR.] ille homo qui egreditur, eſt leno, cuius te faciem dicebas ignorare.

(Margin letters beside the commentary: B at "DOCTIOR SVM", C at "QVI] quicunque", D at "CONS.] faciunt".)

LYCVS leno. ADVOCATI.
COLABISCVS villicus.

IAm iſtuc ego reuortar, miles: conuiuas volo
Reperire nobis commodos, qui vnà ſient.
Interibi attulerint exta, atque eadem mulieres
Iam ab re diuina, credo, apparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquídnam afferunt?
Et ille chlamydatus quíſnam eſt, qui ſequitur procul?

Ætôlus haud eſt. AD. te ſalutamus Lyce, A
Quamquam hanc ſalutem ferimus inuiti tibi,
Et quamquam bene volumus leuiter lenonibus.
LY. Fortunati omnes ſitis:quod certè ſcio
Nec fore,nec fortunam id ſituram fieri.
AD. Iſtic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant, malè loqui melioribus.
LY. Viam qui neſcit,quà deueniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.
Ego malè loquendi vobis neſciui viam.
Nunc vos mihi amnes eſtis:vos certum eſt ſequi.
Si bene dicetis,voſtra ripa vos ſequar:
Si malè dicetis, voſtra gradiar limite, B
AD. Malo bene facere tantundem eſt periculum,
Quantum bono malefacere. LY. quî verò? AD. ſcies,
Malo ſi quid benefacias,id beneficium interit.
Bono ſi quid malefacias,ætatem expetit.
LY. Facetè dictum,ſed quid iſtuc ad me attinet?
AD. Quia nos honoris tui cauſſa huc ad te venimus.
Quamquam bene volumus leuiter lenonibus.
LY. Si quid boni aportatis,habeo gratiam.
AD. Boni de noſtro tibi nec ferimus,nec damus,
Neque pollicemur,ne adeò volumus datum, C
LY. Credo hercle vobis,ita veſtra eſt benignitas.
Sed quid nunc vultis? AD. hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratus eſt. LY. capiti veſtro iſtuc quidem.
AD. Hunc nunc Lyce ad te diripiendum adducimus.
Cum præda hic hodie incedit venator domum.
Canes compellunt in plagas lepide Lycum.
LY. Quis hîc eſt? AD. neſcimus nos iſtum quidem qui ſiet,
Niſi dudum,à mani vt ad portum proceſſimus,
Atque iſtunc è naui exeuntem oneraria
Videmus,adiit ad nos extemplò exiens,
Salutat,reſpondemus. CO. mortaleis malos, D
Vt ingrediuntur doctè in ſycophantiam.
LY. Quid deinde? AD. ſermonem nobiſcum ibi copulat.
Ait ſe peregrinum eſſe,huius ignarum oppidi:
Locum ſibi velle liberum præberier,
Vbi nequam faciat. nos hominem ad te adduximus.
Tu,ſi te dij amant,agere tuam rem occaſio eſt.
LY. Itáne ille eſt cupiens? AD. aurum habet. LY. præda hæc mea eſt.
AD. Potare, amare volt,ne qui ſciant,
Néue arbiter ſit. nam hic latro in Sparta fuit.

Vt



A Vt quidem ipſe nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde huc aufugit ,quoniam capitur oppidum.
CO. Nimis lepidè de latrone,de Sparta optumè.
LY. Di,deæq; vobis multa bona dent,cum mihi
Et bene præcipitis,& bonam prædam datis.
AD. Immo vt ipſe nobis dixit,quo accures magis,
Trecentos nummos Philippos portat,præ ſibi.
LY. Rex ſum,ſi ego illum hodie hominem ad me allexero.
AD. Quin hic quidem tuus eſt. LY. obſecro hercle hortamini,
Vt deuortatur ad me,in hoſpitium optumum.
AD. Neque nos hortari,neque dehortari decet,
B Hominem peregrinum. tuam rem tu ages,ſi ſapis.
Nos tibi palumbem ad aream vſque adduximus,
Nunc te illum melius capere,ſi captum eſſe vis.
LY. Iámne itis? CO. quid quod vobis mandaui hoſpites?
AD. Cum illoc te melius tuam rem adoleſcens loqui,
Illic eſt,ad iſtas res probus,quas quæritas.
CO. Videre equidem vos vellem cùm huic aurum darem.
AD. Illinc procul nos iſtuc inſpectabimus.
CO. Bonam dediſtis mihi operam. LY. it ad me lucrum.
CO. Illud quidem. quorſum aſinus cædit calcibus.
LY. Blandè hunc hominem compellabo,hoſpes hoſpitem
C Salutat. ſaluum te aduenire gaudeo.
CO. Multa tibi di dent bona,cùm me ſaluum eſſe vis.
LY. Hoſpitium te aiunt quæritare. CO. quærito.
LY. Ita illi dixerunt,qui hinc à me abierunt modò,
Te quæritare à muſcis. CO. minimè gentium.
LY. Quid ita? CO. Quia à muſcis ſi mihi hoſpitium quærerem.
Adueniens huc irem in carcerem rectà via.
Ego id quæro hoſpitium,vbi ego curer mollius,
Quàm regi Antiocho oculi curari ſolent.
LY. Ædepol næ tibi poſſum illum feſtiuum dare,
D Siquidem potes eſſe pati te in lepido loco.
In lecto lepidè ſtrato,lepidam mulierem
Complexum contrectare te. CO. is leno viam.
LY. Vbi tu Leucadio,Lesbio,Coo,Thaſio,
Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges.
Ibi te replebo vſque vnguentûm eccheumatis,
Quid multa verba faciam? vbi tu laueris,
Ibi vt balneator faciat vnguentariam.
Sed latrocinantur quæ ego dixi omnia.
CO. Quid ita? LY. quia aurum poſcunt præſentarium.
CO. Quin hercle accipere tu nòn mauis,quàm ego dare.
LY. Quin ſequere intro. CO. duc ergo me intro. addictum tenes.

AD. Quid ſi euocemus foras huc Agoraſtoclem, A
Vt ipſe teſtis ſit ſibi certiſſimus.
Heus tu,qui furem captas,egredere ocyus,
Vt tute inſpectes aurum lenoni dare.

COMMODOS] facetos,lepidos,vrbanos, comeis. Idem Mil. glor. *vel conuiua commodus.* de hac voce plura in Comment.noſtris Horat.ad illum locum odæ 8. lib. 4. *Donarem pateras, gratáque commodis.* al. *commodus Cenſorine meis, æra ſodalibus.* INTERIBI]interea. ATTVLERINT] attuliſſe potuerint,fieri potetit, vt attulerint. ATQVE EADEM] atque eadem ratione,ſeu eadem opera. APPAREBVNT DOMI] comparebunt domi: præſto erunt domi, vt miniſtrent,ſi quid ſit opus. ECQVIDNAM AFF.] numquidnam afferunt? ÆTOLVS HAVD EST]non eſt Calydonius,ſed peregrinus.Calydon vrbs Ætoliæ eſt,vt ſuprà diximus. BENE VOLVMVS LENITER] non admodum bene volumus. QVOD CERTÈ SCIO NEC F.]quod certò ſcio non fore,neć fortunam paſſuram,vt hoc fiat, nempe vt ſitis fortunati. ISTIC EST THES. STVLTIS] id eſt,ſtulti theſaurum ſuum habent in lingua B ſitum, & ex maledicentia, quam vſurpant in meliores,quæſtum faciunt. VIAM QVI NESCIT, &c.] ſignificat Lycus ſibi maledicendi viam ab illis eſſe præmōſtratam,quòd ſi ſibi non maledixiſſent priores,ſe eis maledicturum non fuiſſe.Eſt autem ſimile ab iis, qui viam, quæ ad mare ducit,quærunt. VOSTRA RIPA] ea via,quam mihi monſtraueritis. manet in ſimili. TANTVNDEM EST PERIC.] ſed tamen diſſimili modo, vt ea declarant, quæ deinceps ſequuntur. nam qui de homine malo bene meretur,inquit,oleum & operam perdit:qui bono viro malefacit, non eſt, quod putet ſeſe vmquam ſecurum victurum. Nam vir bonus iniuſtè læſus ſempiternas gerit inimicitias,neque vmquam placatur,quin ſui doloris pœnas repetiuerit. ÆTATEM] diu, quandiu viuit. ſic ſæpè loquuntur Comici, vt aliàs admonuimus. BONI]ſubintellige, quicquam. DE NOTSRO] ſed de alieno. ITA VESTRA B.] talis eſt veſtra liberalitas,vt nihil de veſtro dare velitis εἰρώνεια eſt. HVNC CHLAMYD. Q. V.] ordo eſt,ei,quem chlamydatum vides,Mars iratus eſt, hoc dicit, quaſi Colabiſcus miles ſit, & veniat nunc Calydonem locupletatus & præda onuſtus. CAPITI VESTRO ID QVIDEM]id eſt,immò verò id in caput veſtrum cadat,vobis potius Mars iratus ſit.oratio eſt ἐχλειπτική verbū enim ſubintelligitur,eueniat,aut aliud ſimile.Sic ſæpè Græci Demoſth. περὶ παραπρεσβ. οὐκοῦν ταῦτα συνηύχετο οὗτος καὶ κατηρᾶτο τῇ πατρίδι ἃ νῦν εἰς κεφαλὴν ὑμᾶς αὐτῷ δεῖ τρέψαι. Idem. περὶ στεφάνου in extr. ἃ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν, C id eſt, qui tibi, & tuis dij in caput tuum conuertant. Ariſtotel. Neph. εἰς τὴν κεφαλὴν ἅπαντα τὴν σὴν τρέψεσθαι. Idem Homer. ὀδυσ. τ. οὔ τι με λήθεις Ἔρδουσα μέγα ἔργον, ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις. M.Tull.Philipp.xj. *ſuo capiti ominetur.* Cælius lib.8.epiſt. *ſubroſtraui, quod illorum capiti ſit,diſſiparant te periiſſe.* Terent.Phorm. *hei metuo lenonem,ne quid fuat.ſuo capiti.* Virg.lib. 8.Æneid. *dij capiti ipſius,generique reſeruent.* CANES COMPELL. IN PL. L.] hæc loquuntur aduocati ad ſpectatores conuerſi. Canes autem ſunt aduocati ipſi. NESCIMVS NOS IST.] ignoramus iſtum,neſcimus,quis iſte ſit. MORTALEIS M.] hæc ſecum loquitur Colabiſcus, ad ſpectatores verſus, qui poſt aduocatos erat, aliquantóque longiùs aberat. COPVLAT.]confert. HVIVS IGN. OPP.] Calydonis. VBI NEQ. FACIAT]vbi nequiter viuat,vbi Baccho & Veneri operā det. TV SI TE DII AMANT,&c.]quò pertineat,quóue referatur prouocabulum *tu*, nihil eſt, ſed vel, dicendum eſt expreſſiſſe Plautum ſermonem negligenter loquentium: vel tu,ſeparatim legendum hoc modo, *heu tu,ſi te dij amant*, &c. LATRO] miles conductus,ex quo latrocinari apud eundem,militare eſt, vt docet Nonius. Sic & D Feſtus, *latrones,* inquit ille, *eos antiqui dicebant, qui conducti militabant* ἀπὸ τῆς λατρείας. At nunc viarum obſeſſores dicūtur. IN SPARTA]Spartam poſuit pro agro Spartano.alij contrà Lacedæmonum regionem fuiſſe volunt,Spartam vrbis nomen,à quibus diſſentio. NIMIS L.] hæc rurſus ſecum loquitur Colabiſcus ad ſpectatores verſus. BENÈ PRÆCIPITIS] bona præcepta datis. PORTAT PRÆ SIBI] id eſt, præportat ſibi, ſeu præ ſe portat. NEQVE NOS H. N.] non decet nos hortari, neque dehortari hominem peregrinum. NOS TIBI PALVMBEM] ἀλληγορία. AD AREAM VSQ.] vbi poſitis tendiculis, & viſco eam capias. NVNC TÈ ILL. MELIVS] nunc melius eſt,vt tu illum capias, ſi eum captum eſſe vis. IÁMNE ITIS?] hîc diſcedunt à lenone aduocati. MELIVS] ſubintell. eſt. AD ISTAS RES PROBVS] ad iſtas res vtilis,& accommodatus,quas valde quæris. VIDERE EQVIDEM VOS VELL.] hæc ſummiſſa voce loquitur Colabiſcus, ne audiat Lycus,audiant tamen ſpectatores. IT AD ME LVCRVM] hæc loquitur Lycus videns ad ſe venire Colabiſcum chlamydatum, à quo ſperat ſe aurum accepturum, magnúmque lucrum facturum. venit ad me lucrum,inquit. ILLVD QVIDEM] ſummiſſa voce reſpondens Colabiſcus,illud verò ſcilicet lucrum ad te it. QVORSVM ASINVS CÆDIT C.] quorſum Lycus,vt aſinus cædit ſolum calcibus? vel quamobrem Lycus tanquam aſinus calces iactat? fortaſſe



A taſſe Lycus lætitia geſtiēs,quòd lucrum iam ſpe deuorarat,calcibus ſolum cędebat,aut ſaltabat. TE QVAERITARE À MVSCIS] dixerunt te quæritare hoſpitium ab arbitris liberum: hoſpitium,in quo ne muſcæ quidem ſint arbitræ. Notum illud, Ne muſca quidem. QVI À MVSCIS,&c.] iocus ex ambiguo. nam cùm Lycus hoc ſentiret,quæritare hoſpitium à muſcis liberum: Colabyſcus aliorſum accipiens, quaſi dictus ſit, quæritare à muſcis hoſpitium, negat ſe à muſcis quæritare. Nam ſi à muſcis quærerē, inquit, rectà in carcerem iuiſſem, vbi ſolet eſſe magnus muſcarum numerus. QVÀM REGI ANTIOCHO OCVLI C. S.] Narrat Plutarchus in Catone Maiore. *Antiochum in pugna illa ad Thermopylas commiſſa, Romanorum duce M. Acilio lapide in os percuſſum fuiſſe tam grauiter, vt dētibus collabefactis, & excuſſis acri dolore affectus, equum in contrariam partem flectere coactus ſit.* De oculis nullum verbum, neque me vſquam legere memini Antiochum oculorum morbo laboraſſe. ILLVM FESTIVVM D.] illum locum feſt.d. LEPIDAM MVLIEREM C.] ſi potes pati te complexum lepidam mulierem contrectare. quidam legunt *complexim.* IS LENO VIAM]ea mihi dicis,quæ expeto. intelligo ex oratione tua tibi ſententiam meam eſſe notam. ire viam autem, genus loquendi veteribus vſitatum. THASIO] à Thaſo inſula. EDENTVLO]id eſt,perueteri. iocus Plautinus tractus à ſenibus, B quibus in ſenecta dentes excidunt. VNGVENTÛM ECCHEVMATIS]vnguentorum effuſionibus. ſic Camerar. IBI VT BALN. F. V.] ibi curabo, vt balneator te vnguentis perfundat, vt exerceat vnguentariam in te vnguētis perfundendo. LATROCINANTVR] mercedem poſcunt: mercenaria ſunt,non gratuita. AVRVM POSC. PR.] nummos poſcunt præſenteis.

## AGORASTOCLES aduleſcens. Eidem.

QVid eſt? quid vultis teſtes? AG. ſpecta ad dexteram.
Tuus ſeruus cùm aurum ipſi lenoni dabit.
CO. Age accipe hoc ſis. hic ſunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura. properè hoſce abſumi volo.
C LY. Ædepol feciſti prodigum promum tibi.
Age eamus intrò. CO. te ſequor. LY. age age ambula.
Ibique reliqua alia fabulabimur
CO. Equidem narrabo tibi res Spartiaticas.
LY. Quin ſequere me ergo. CO. abduc intrò. addictum tenes.
AG. Quid nunc mihi auctores eſtis? AD. vt frugi ſies.
AG. Quid ſi animus eſſe non ſinit? AD. eſto vt ſinit.
AG. Vidiſtis leno cùm aurum accepit? AD. vidimus.
AG. Eum vos eſſe meum ſeruum ſcitis? AD. ſciuimus.
AG. Rem aduerſus populi ſæpe leges? AD. ſciuimus.
D AG. Hem iſtæc volo ergo vos commeminiſſe omnia
Mox, cùm ad prætorem vſus veniet. AD. meminerimus.
AG. Quid ſi recentire ædeis pultem? AD. cenſeo.
AG. Si pultem non recludet. AD. panem frangito.
AG. Si exierit leno, cenſetis hominem interrogem,
Meus ſeruus ſi ad eum venerit, nécne? AD. quippini?
AG. Cum auri ducentis nummis Philippis. AD. quippini?
AG. Ibi extemplò leno errabit. AD. qua de re? AG. rogas?
Quia centum nummis minus dicetur. AD. bene putas.
AG. Alium cenſebit quæritari. AD. ſcilicet.
AG. Extemplò denegabit. AD. iuratus quidem.
AG. Homo furti ſe aſtringet. AD. haud dubium id quidem eſt.

AG. Quantum quantum ad eum erit delatum. AD. quippini. A
AG. Dieſpiter vos perduit. AD. te quippini.
AG. Ibo & pultabo ianuam hanc. AD. ita quippini.
AG. Tacendi tempus eſt,nam crepuerunt fores.
Foràs egregier video lenonem Lycum,
Adeſte quæſo. AD. quippini,ſi tu voles
Operire capita,ne nos leno nouerit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices.

HINC ME PR.] ex his nummis me procura. cura, vt his nummis benè & liberaliter, & lepidè accipiar. FECISTI PROD. PR.] non potuiſti promum eligere largiorē,quàm ego ſum. feciſti tibi me promū prodigum, largum, ac profuſum. QVID MIHI NVNC AVCT.] quid mihi nunc auctores eſtis,vt faciam? CùM AD PR. VSVS V.] cùm opus erit ea apud prætorē pro teſtimonio dicere. B RECENTI RE] ἐν τῷ παραχρῆμα. SI PVLTEM, NON RECLVDET] ſi pulſem foreis,non aperiet. PANEM FRANGITO] iocus ex ambigua voce *pultem*. quæ & verbū eſt à pulto,as,& nomen accuſandi caſus,à recto puls, tis, Cuius hæc,opinor,ſententia eſt,ſi non aperiat,inquit,aut ſi vereris ne non aperiat foreis, cùm pultem fregeris:panē frangito. vel ſic,ſi non recludet,id eſt,non aperiet pultē, panem frangito, vt intelligamus hiſtrionem,qui perſonam Agoraſtoclis ſuſtinebat,verba illa *ſi pultē,non recludet:* vno ſpiritu pronuntiaſſe ſine diſtinctione poſt vocem *pultem*, vt ioco occaſionem daret: quaſi hoc ſentiret, Quid ſi pultem, non aperiet? id eſt, quid ſi pultis copiam non faciet? Cui nunc reſpondent aduocati,panem frangito. Italos autem vti pulte ſolitos eſſe pro pane, ſuprà dictum eſt non ſemel. ex quo pultifagi,& pultifagones à Plauro dicuntur. CENSETIS HOM. INTERR.] ſi leno domo exierit,vóſne mihi auctores eſtis, vt ego eum interrogem,vtrum meus ſeruus ad eum venerit,nécne? QVIPPINI?] quídni? ERRABIT] falletur, fallet eum ratio,& quia pultabit me agere de Milphione,cùm de villico ſentiam, & quia Colabiſcus venit ad eum cum trecentis aureis,ego autem ducentos tantum commemorem. ALIVM CENS. QVÆR.] alium putabit quæri, quàm eum,qui domum ſuam venerit. SCILICET] non dubium eſt,certum eſt. HOMO FVRTI SE ASTRINGET] leno furti iudicio ſe alligabit. C QVANTVM Q. AD EVM ERIT D.] id eſt,quātumcumque ad eum auri delatum erit, leno furti tenebitur. DIESP. VOS PERD.] Iupiter vos perdat. quid ſit dieſpiter, dictum eſt alibi ſuprà. FORAS EGREGIER VIDEO LENON.] ſic habēt libri noſtri veteres,non, vt vulgati, *Foras egregitur: video lenonem.* QVIPPINI, SI TV VOL. OP. CAP.] quippini aderimus,hac lege,ſi tu voles nobis capita operire,vt ne Lycus nos agnoſcat, qui eum in hanc tantam fraudem illexe imus. Nonius *illix* & *illex* hoc diſcernuntur ab illiciendo fit illix. illex verò ab eo quòd legem non ſeruet. Plaut. Pœnul. *Quin illi tantæ rei fuimus illices.*

## LYCVS leno. AGORASTOCLES. ADVOCATI.

D

SVſpendant omnes nunc iam ſe haruſpices.
Quid ego illis poſthac,quod loquantur,creduam?
Qui in re diuina dudum dicebant mihi
Malum,damnúmque maximum portendier,
Is explicaui meam rem poſt illa lucro.
AG. Saluus ſis leno. LY. di te ament Agoraſtocles.
AG. Magis me benignè nunc ſalutas,quàm antidhac.
LY. Tranquillitas euēnit,quaſi naui in mari.
Vtcunque eſt ventus,exin velum vortitur.
AG. Valeant apud te quas volo,atque haud te volo.
LY. Valent vt poſtulatum eſt, verùm non tibi.

Mitte.



A AG. Mitte ad me ſodes hodie Adelphaſium tuam,
Die feſto celebri,nobilíque,Aphrodiſiis.
LY. Calidum prandiſti prandium hodie? dic mihi.
AG. Quid iam? LY. quia hoc nunc frigefactas cum rogas.
AG. Hoc ageſis leno,ſeruum eſſe audiui meum
Apud te. LY. apud me? numquam factum reperies.
AG. Mentire. nam ad te venit,aurúmque attulit.
Ita mihi renuntiatum eſt,quibus credo ſatis.
LY. Malus es,captatum me aduenis cum teſtibus.
Tuorum apud me nemo eſt,nec quicquam tui.
AG. Mementote illuc aduocati. AD. meminimus.
B LY. Ha ha he. iam teneo quid ſit perſpexi modò.
Hi qui illum dudum conciliauerunt mihi
Peregrinum Spartanum,id nunc his cerebrum vritur,
Me eſſe hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc hunc inimicum quia eſſe ſciuerunt mihi,
Eum allegauerunt,ſuum qui ſeruum diceret
Cum auro eſſe apud me. compoſita eſt fallacia.
Vt eo me priuent,atque inter ſe diuidant.
Lupo agnum eripere poſtulant. nugas agunt.
AG. Negáſne apud te eſſe aurum,nec ſeruum meum?
LY. Nego:& negando,ſi quid refert,rauio
C AD. Periſti leno.nam iſte eſt huius villicus,
Quem tibi nos eſſe Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos Philippos modò detulit.
Idque in iſtoc adeò aurum ineſt marſupio.
LY. Væ voſtræ ætati. AD. id quidem nunc eſt tuæ.
AG. Age omitte actutum furcifer marſupium,
Manifeſtò fur es mihi. quæſo hercle operam date,
Dum me videatis ſeruum ab hoc abducere.
LY. Nunc pol ego perij certò,haud arbitrariò.
Conſultò hoc factum eſt,mihi vt inſidiæ fierent.
D Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priuſquam obtorto collo ad prætorem trahor?
Eheu quàm ego habui ariolos haruſpices,
Qui ſi quid bene promittunt,pro ſpiſſo euenit.
Id quod mali promittunt,præſentarium eſt.
Nunc ibo. amicos conſulam,quò me modo
Suſpendere æquum cenſeant potiſſimùm.

SVSPENDANT] leno falſis ſecundis rebus elatus,quaſi verè quæſtum fecerit,& quaſi chlamydatus ille fuerit peregrinus non villicus ſeruus Agoraſtoclis ad eum modum data opera & compoſitò ſubornatus, ſuperbè & inſolenter inſultat haruſpicibus, qui ſibi damnum ab extis portendi dixerint. CREDVAM?] credam? crediderim? IS EXPLICAVI MEAM REM] ego ille meam rem expediui lucro: id eſt, meam rem feci copioſiorem hoc lucro, quod

dddd

mihi obtigit. MAGIS BENIGNÈ] magis liberaliter. QVÀM ANTIDHAC] quàm antehac. TRANQVILLITAS EVENIT.] meæ res trãquilliores factæ ſunt, vt cùm nauis tranquillato mari placidiùs currit. VTCVMQVE EST VENTVS, &c.] allegoria eſt à mari ſumta. à quacumque parte ventus flat, ad eam velum vertitur: ita qualis eſt fortuna, talis eſt hominum animus, vultus, oratio. VALEANT APVD TE Q. V.] valeant apud te eæ puellæ, quas valere volo: neque enim te valere volo. NON TIBI] hoc dicit propter chlamydatum, cui has puellas deſtinarat pretio adductas. ITA MIHI REN. EST Q. CR. S.] ita mihi ab iis renuntiatum eſt, quibus ſatis credo. ILLVC] illud. HI, QVI ILLVM D. CONCIL. M.] ſententia huius loci hæc eſt, qui illum peregrinum Spartanum mihi pararunt, vel quorum opera peregrinus ille Spartanus ad me venit, iis nunc ob eam rem cerebrum vritur, id eſt, ij nunc ob eam cauſam moleſtè ferũt me hos trecẽtos Philippos eſſe lucrifacturum. Illud, *hi*, in principio verſus poſitum, non habet verbum, quò referatur. quod genus Plauto eſſe vſitatum & ſolemne alibi indicauimus. ſic autem legendum, & ita habent libri noſtri veteres, quomodo & Adrianus Turnebus ſe vel in eiſdem, vel in aliis quibus vſus eſt ſe ſcriptum repeiſſe teſtatur lib. Aduerſ. 19. cap. 12. ABLEGAVERVNT] ad me priuatim miſerunt. COMPOSITA EST FALL.] fallacia eſt compoſitò parata ἀπάτη παρεσκευασμένη. VT EO ME PR.] eo conſilio vt id interuertant. NEGO, ET NEG. SI QVID REF. RAVIO] B nego (inquit leno) & negando, ſi quid hoc rationes meas adiuuat, rauio, id eſt, rauim contraho, vel ad rauim vſque clamo, ita vocem contendo, vt raucescer. ſic autem habent etiam noſtri libri veteres, litteris integris, miniméq. deprauatis, aut loco motis. Camerar. edidit *abnuo*, vulgati habent *aio*. vtrumque mendoſè. IN ISTOC] in iſto quod nunc tenes. VÆ VOSTRÆ ÆTATI.] infelix eſto veſtra ætas. malè ſit veſtræ ætati. ID QVIDEM NVNC EST T.] ea quidem infœlicitas, quam noſtræ ætati precaris, nunc tuæ euenit. HAVD ARBITRARIÒ] non eſt, quod quiſquam dicat ſe arbitrari me periiſſe, ſed poteſt quiſque hoc liquidò dicere. CONSVLTÒ] compoſitò. PRIVSQVAM OBTORTO COLLO AD PR. TR.] licebat trahere inuitos ad prætorem, ſi quis in manifeſto facinore deprehenſus eſſet, aut ſi teſtes adeſſent. ARIOLOS] diuinos. PRO SPISSO EVENIT] raró euenit. QVO ME MODO SVSP.] non quærit remedium mali præſentis, ſed ſuſpendij genus, & modum, quaſi re omni deſperata.

## AGORASTOCLES adoleſcens, COLABISCVS villicus, ADVOCATI. C

AG. Age tu progredere, vt teſtes videant te, iſtinc foras.
Eſtne hic ſeruus meus? CO. ſum mehercle verò Agoraſtocles.
AG. Quid nunc ſceleſte leno? AD. qui cum litigas,
Abſceſſit. AG. vtinam hinc abierit malam crucem.
AD. Ita nos velle æquum eſt. AG. cras ſubſcribam homini dicam.
CO. Numquid me? AG. abſcedas, ſumas ornatum tuum.
CO. Non ſum necquicquam miles factus. paululum D
Prædæ intus feci, dum lenonis familia
Dormitat. extis ſum ſatur factus probè.
Abſcedam hinc intrò. AG. factum à vobis comiter.
Bonam dediſtis aduocati operam mihi.
Cras mane quæſo in comitio eſtote obuiam.
Tu ſequere me intrò, vos valete. AD. & tu vale.
Iniuriam illic inſignitè poſtulat,
Noſtro ſibi ſeruire nos cenſet cibo.
Verùm ita ſunt iſti noſtri diuites,
Si quid bene facias, leuior pluma eſt gratia:
Si quid peccatum'ſt, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus noſtras ſultis nunc iam,





A Quando id quò ire operam dedimus, impetrauimus,
Vt perderemus corruptorem ciuium.

AGE TV PROGREDERE] alloquitur villicum, iubétque eum foras prodire, vt eum videant teſtes, & agnoſcant. ISTINC FORAS] progredere iſtinc foras. QVID NVNC SCELVS L.] quid nunc ais ſceleſte leno? QVI CVM LIT. ABCESSIT] is, cum quo litigas, abſceſſit: nempè leno. ABIERIT MALAM CRVCEM] ſubintellige præpoſitionem *in*: vt ſuprà. NVMQVID ME?] numquid me vis? numquid me vis præterea? ORNATVM TVVM] ornatum villici. NON SVM NEQVE MIL. F.] gerebat enim ornatum militarem. ESTOTE OBVIAM] mihi præſtò eſtote. ἐμοὶ ἀπαντᾶτε INIVRIAM ILLIC INS. POSTVL.] id eſt, Agoraſtocles inſigniter, id eſt, apertè, & luculentè poſtulat à nobis rem iniuſtam: nempe quòd cenſeat nos ſibi ſeruire noſtro ſumtu, & nos domum remittat impranſos. ſic dictum, poſtulat iniuriam, vt poſtulat ius. LEVIOR PLVMA EST GRATIA] non eſt diuturna apud eos beneficij accepti gratia, ſed ſtatim perit, atq. euolat. PLVMBEAS] B graueis, & diuturnas. SVLTIS] ſi vultis.

## MILPHIO ſeruus.

EXſpecto quo pacto meæ technæ proceſſuræ ſient
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miſerum macerat.
Is me autem porrò verberat, incurſat pugnis, calcibus.
Seruire amanti miſeria eſt, præſertim qui quod amat, caret.
Atat, è fano recipere video ſe Synceraſtum
Lenonis ſeruum, quid habeat ſermonis, auſcultabo.

C

EXSPECTO QVO PACTO] Milphio ignarus harum omnium rerum, quæ euenerunt, prodit in ſcenam, euentum ſuæ fabricæ exſpectans. exſpecto, inquit, quem euentum meæ technæ, id eſt, meæ artes, & fallacaciæ ſint habituræ. MISERVM MACERAT] macerat Agoraſtoclem Adelphaſij amore captum, cùm ei puellæ copiam non facit. INCVRSAT PVGNIS, CALCIB.] incurrens in me pugnis, & calcibus, me malè mulcat. PRÆSERT. QVI Q. AM. C.] præſertim qui eó, quod amat, non potitur.

## SYNCERASTVS, MILPHIO, ſerui duo.

SAtis ſpectatũ eſt, deos atque homines eius negligere gratiam,
Cui homini herus eſt conſimilis, velut ego habeo nunc huiuſmodi. D
Neque periurior, neque peior alter vſquam eſt gentium,
Quàm herus meus eſt: neque tam luteus, neq. tam cœno collitus.
Ita me di ament, vel in lautumiis, vel in piſtrino mauelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea,
Quàm apud lenonem hũc ſeruitutem colere. quid illuc eſt genus?
Quæ illic hominum corruptelæ fiunt? di voſtram fidem
Quoduis genus ibi hominum videas, quaſi Acherũtem Veneris,
Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitiuum velis,
Verberatum, vinctum, addictum. qui habet quod det, vt homo eſt,
Omnia genera recipiuntur. itaque in totis ædibus

Tenebræ,latebræ. bibitur,eſtur,quaſi in popina haud ſecus. A
Ibi tu videas literatas fictiles epiſtolas,
Pice ſignatas,nomina inſunt cubitum longis litteris.
Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.
MI. Omnia ædepol mira ſunt, niſi herus hunc heredem facit.
Nam id quidem illi,vt meditatur,verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem,& autem nimis eum aſculto libens.
SY. Hæc cum hîc video fieri,crucior,pretiis emtos maximis,
Apud nos expeculiatos ſeruos fieri ſuis heris.
Sed ad poſtremum nihil appâret:malè partum,malè diſperit.
MI. Proinde habet hic orationem,quaſi ipſe ſit frugi bonæ,
Qui ipſus hercle ignauiorem potis eſt facere ignauiam. B
SY. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vaſa,vbi hoſtiis
Herus nequiuit propitiare Venerem ſuo feſto die.
MI. Lepidam Venerem. SY. nam meretrices noſtræ primis hoſtiis
Venerem placauere extemplò. MI. ô lepidam Venerem denuò!
Nunc domum ibo. MI. heus Syncerafte. SY. Syncerastum qui vocat?
MI. Tuus amicus. SY. haud amicè facis,qui cũ onere offeras morã.
MI. At ob hanc rem tibi reddam operam,vbi voles,vbi iuſſeris.
SY. Habe rem pactam. ſi futurum eſt, do tibi operam hanc. MI. quomodo?
SY. Vt enim vbi mihi vapulandum eſt, tute corium ſufferas. C
MI. Apage. SY. neſcio quid viri ſis. MI. malus ſum. SY. tibi ſis. MI. te volo.
SY. At onus vrget. MI. at tu appone,& reſpice ad me. SY. fecero.
Quamquam haud otium eſt. MI. ſaluos ſis Syncerafte. SY. ô Milphio,
Di omnes deæque ament. MI. quémnam hominem? SY. nec te,nec me Milphio,
Neque herum meum adeò. MI. quem ament igitur? SY. alium quemlibet.
Nam noſtrorum nemo dignus eſt. MI. lepidè loquere. SY. me decet. D
MI. Quid agis? SY. facio quod manifeſto mœchi haud fermè ſolét.
MI. Quid id eſt? SY. refero vaſa ſalua. MI. di te & tuum herum perduint.
SY. Me non perdant, illum vt perdant facere poſſim, ſi velim,
Meum herum vt perdant, ni mihi metuam Milphio. MI. quid id eſt? cedò.
SY. Malus es. MI. malus ſum. SY. malè mihi'ſt. MI. memorandum eſſe aliter decet.
Quid eſt quod malè ſit? cui id omne eſt,quod edis,quod ames affatim,

Neque



A Neque triobolum vllum amicæ das,& ductas gratiis?
SY. Dieſpiter me ſic amabit. MI. vt quidem ædepol dignus es.
SY. Vt ego hanc familiam interire cupio. MI. adde operam,ſi cupis.
SY. Sine pinnis volare haud facile'ſt. meæ alæ pinnas non habent.
MI. Nolito ædepol deuelliſſe.iam duobus menſibus
Volucres tibi erunt hircinæ. SY. i in malam rem. MI. i tu atque herus.
SY. Verùm enim qui homo eum norit, citò homo peruorti poteſt.
MI. Quid iam? SY. quaſi tu tacere quicquam potis ſis. MI. rectius
Tacitus tibi reſiſtam,quàm quod dictum eſt malæ mulieri.
SY. Animum inducam facilè,vt tibi iſtuc credam,ni te nouerim.
B MI. Crede audacter meo periculo. SY. malè credam, & credam tamen.
Scin' tu herum tuum meo hero eſſe inimicũ capitalem? MI. ſcio.
SY. Propter amorem? MI. omnem operam perdis. SY. quid iam? MI. quia doctum doces.
Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus quod poſſiet
Facere,faciat malè,eius merito? tum autem ſi quid tu adiuuas,
Eo facilius poterit facere. SY. at ego hoc metuo Milphio.
MI. Quid eſt quod metuas? SY. dum hero inſidias parem, ne à te perdeam.
Si herus meus me eſſe locutum cuiquam mortali ſciat,
C Continuò is me ex Synceraſto crurifragum fecerit.
MI. Numquam ædepol mortalis quiſquam fiet è me certior,
Niſi hero meo vni indicaſſo,atque ei quoque,vt ne enuntiet
Id eſſe facinus ex te ortum. SY. malè credam,& credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. MI. fidei non melius creditur.
Loquere:locus,occaſióque liberè eſt.hic ſoli ſumus.
SY. Herus ſi tuus volet facere frugem,meum herum perdet. MI. quî id poteſt?
SY. Facilè. MI. fac ergo id facilè noſcam,vt ille poſſit noſcere.
SY. Quia Adelphaſium,quam herus deamat tuus,ingenua eſt. MI. quomodo?
D SY. Eodem quo ſoror illius altera Anteraſtilis. MI. ſed quî id credam? SY. quia
Illas emit in Anactorio paruulas,duodeuiginti minis
De prædone Siculo. MI. quanti? SY. duodeviginti minis.
MI. Duas illas tanti quæſo emit? SY. nutricem earum tertiam,
Et ille qui eas vendebat,dixit ſe furtiuas vendere;
Ingenuas Carthagine aiebat eſſe. MI. di voſtram fidem,
Nimiũ lepidũ memoras facinus. nam herus meus Agoraſtocles
Ibidem natus, inde ſurreptus ferè ſexennis. poſt ibi
Qui eum ſurripuit,huc deuexit,meóque hero eum hic vendidit.
Is in diuitias homo adoptauit hunc,cùm diem obiit ſuum.

SY. Omnia memoras quo id facilius fiat. manu eas aſſerat A
Suas populares,liberali cauſſa. MI. tacitus tace modò,
Profectò ad incitas lenonem rediget,ſi eas abduxerit.
Quin prius diſperibit faxo,quàm vnum calcem ciuerit.
Ita paratum eſt. SY. ita di faxint ne apud lenonem hûc ſeruiam.
MI. Quin hercle collibertus meus faxo eris,ſi di volent.
SY. Ita di faxint.nunc quid aliud vis memorare Milphio?
MI. Valeas,beneque vt tibi ſit. SY. pol iſtuc tibi, & tuo hero eſt in manu.
Vale,& hæc cura clanculum vt ſint dicta. MI. non dictum eſt,vale.
SY. At enim nihil eſt,niſi dum calet,hoc agitur. MI. lepidus cum B mones.
Et hoc ita fiet. SY. proba materies data eſt, ſi probum adhibes fabrum.
MI. Potin' vt taceas? SY. taceo atque abeo. MI. mihi commoditatem creas.
Illic hinc abijt.di immortales meum herum ſeruatum volunt
Et hunc diſperditum lenonem.tantum eum inſtat exitij.
Satiſne,priuſquam vnum eſt iniectum telum,tum inſtat alterum?
Ibo intrò, hæc vt meo hero memorem. nam huc ſi ante ædeis ſeuocem,
Et quæ audiuiſtis modò,nunc ſi eadem hic iterem,inſcitia'ſt. C
Hero vni potius intus ero odio, quàm hic ſim vobis omnibus.
Di immortales,quanta clades:quanta aduenit calamitas
Hodie ad hunc lenonem? ſed ego nunc nil eſt,cur me morer.
Id negotium inſtitutum eſt.non datur ceſſatio.
Nam & hoc nocte conſulendum quod modò concreditum'ſt,
Et illud autem inſeruiendum'ſt conſilium vernaculum.
Remora ſi ſit,qui malam rem mihi det.meritò fecerit.
Nunc intrò ibo, dum herus adueniat à foro,operiar domi.

SATIS SPECTATVM EST,] ſatis perſpectum,& cognitum eſt. EIVS NEGL. GR.] ei gratum facere nolle:ei iniquos,& inimicos eſſe. CVI HERVS EST CONS. VELVT EGO H. NVNC H.] locutio non ſatis cohærens.ſed dicendum eſt , quod ſæpè à nobis indicatum eſt,Plautum exprimere interdum orationes perſonarum,quas loquenteis facit.Hic puer loquitur. At puerorum oratio non eſt vſquequam accurata, neque eius partes ſemper inter ſe aptè reſpondent. quod hîc fieri videmus.Nam cùm ſeruus hoc ſentiret, atque hanc ſententiam verbis exprimere vellet:Notum eſſe omnibus,deos ei eſſe iratos,atque infeſtos , qui herum habeat hero ſuo conſimilem,vides,quas verborum ambages quæſierit. LVTEVS]ex luto concretus,homo inquinatus,& ſpurcus. IN LAVTVMIIS] ſic perſpicuè habent noſtri libri veteres,quos ſequor , quamuis non item fecerim in prima noſtra Ciceronis editione in Verrem, vbi vulgatorum quorundam librorum lectionem ſecutus,*Latomiæ*, & *Latomias*, & *Latomiis* edendum curaui. *Lautumiæ* autem dicebant veteres,quod non λατομίας tãtum dicunt,verùm etiam λαοτομίας Laotomias.ex quo Latini Lautumias fecerunt conuerſis duabus vocalibus ao in diphthongum au, & o in u. MAVELIM] malim. PRÆPEDITVS LAT. F. F. M.] helleniſmus. præpeditus latera mea forti ferro , hoc eſt, præpeditis lateribus meis forti ferro. QVID ILLVC EST GENVS?] quod illud genus hominum eſt , quod in ædibus lenonis verſatur? QVASI ACHER. V.] quaſi ad inferos veneris,vbi quoduis hominum genus eſt. VELIS] ſi velis. QVI HABET QVOD D.V.H. EST O.] qui habet quod det,qualiſcumq. D





A homo eſt,& cuiuſcumque generis eſt,recipitur in ædeis lenonis. OMNIA GENERA] denique omnia hominum genera, ſi modò habeant, quod dent. QVASI IN POP. HAVD SECVS] non aliter,atque in popina. LITTERATAS FICT. EPIST.] iocus.teſtas,ſeu amphoras fictileis litteris inſcriptas,epiſtolas fictileis appellat.Sic in Rudente. *Cubitum hercle longis litteris ſignabo vſquequaque*.ibidem,*vrna nam hæc litterata eſt ab ſe cantat cuia ſit.* NOMINA] conſulum.teſtæ enim nomina conſulum notabantur,ad indicandam vini ætatem. CVBITVM LONGIS] vnius cubiti longitudine: ſic loquuntur Latini : murus decem cubitos altus,quattuor latus,centum longus. ITA VINAR. HAB. NOSTRÆ DIL.] ita vaſorum vinariorum dilectum habemus domi. tralatio à re militari: ſignificat in domo lenonis eſſe multitudinem vaſorum vinariorum, vinũm lectiſſimum,& præſtantiſſimum continentium. OMNIA ÆD. MIRA SVNT.] id eſt,profectò mirum eſt,niſi herus hunc heredem facit. APVD NOS EXPECVLIATOS SER. F.] crucior ſeruos cariſſimè emtos , hîc in ædibus heri mei peculium ſuum amittere,& tanto fieri ſuis heris viliores,quàm erant. SED AD POSTR. NIHIL APP.] ſed ad extremum tot hominum ſpolia in ædeis lenonis congeſta,ad nihilum recidunt. MALÈ PARTVM MALÈ DISP.] Sall. *malè parta,malè dilabuntur.* QVI IPSVS HERCLE,&c.] ex oratione ſeruus frugi videtur,qui tamen ita nequam,& ignauus eſt, vt igna-
B uia minus eo ſit ignauo. LEPIDAM VENEREM.] quæ ſe noluerit propitiari à tam impuro,& impio homine. PLACAVÊRE.] propitiauêre. quæ res præſignificabat eis libertatem. QVICVM ONERE OFFERAS M.] qui moram obiicias ei,qui iam onus gerit. SI FVTVRVM EST, DO TIBI OP. H.] ſi facies,quod volo,do tibi operam hanc,vt ſiſtam gradum,& tecum loquar. VT ENIM VBI MIHI VAPVL. EST TVTE C. S.] nempe vt cùm mihi vapulandum ſit,tumet pellem tuam plagis ſupponas , & pro me vapules. TIBI SIS.] tibi ſis malus. AT TV APPONE.] at tu pone onus in ſolo,vel pone onus iuxta parietem proximum. NOSTRORVM] id eſt,noſtrûm,vel dic,noſtrorum propriè,id eſt,eorum,qui noſtri ſunt,ſeu qui ad nos attinent. REFERO VASA SALVA.] iocus eſt ex ambiguo. Sed hoc prius ſciendum eſt,appellatione vaſorum omnia inſtrumenta intelligi etiam ea,quæ ad cultum corporis pertinent:omnem denique rem veſtiariam. Ex quo vaſa colligere, & conuaſare dicuntur milites,cùm ſarcinas, & impedimenta ſua colligunt, & componunt de diſceſſu cogitantes.hoc igitur dicit lenonis ſeruulus,refero domum vaſa ſalua : hîc vaſa ad ſacrificium vtilia intelligit:ſed ſuprà facio,quod manifeſtò mœchi haud ferre ſolent, id eſt, facio, quod mœchi in adulterio deprehenſi ferre non ſolent,vt ſcilicet,ſalua vaſa domum referant.Nomen *vaſa* ali-
C ter accipiendum eſt,nempe pro teſticulis,& cauda ſalaci.Mœchis enim manifeſtò deprehenſis, maximè iis,qui ſe redimere non poſſunt,vel teſticuli,& penis ferro demetebatur,vel podex (ſit honos auribus) mugilibus,& raphanis perfodiebatur. ILLVM VT PERDANT F. P. SI VELIM.] hoc quo modo fieri poſſit, ipſe mox aperiet. MALÈ MIHI EST.] malè mecum agitur:ſæuum habeo dominum,qui me malè accipit:duram ſeruitutem colo. MEMORANDVM.] dicendum tibi eſt,ſeu dicere debes,quare tibi malè ſit. aliàs,memora dum. id eſt, dic igitur mihi,quare malè ſit mihi.Quidam legunt *miſerandum*. ESSE ALITER DECET] debet tibi bene eſſe. QVOI DOMI EST, QVOD ED.] ſic habent libri noſtri veteres. Alij,*cui id omne eſt quod edis*, &c. QVOD EDIS] quod edas. ET DVCTAS GRATIIS.] & ducis ſcortum ad te gratis? Ductare amicam ſcortum,& ſimilia vſitatiùs dicuntur,quàm ductare exercitum. VT QVIDEM ÆD. D.] interloquens Milphio non ſinit lenonis ſeruulum ſermonem abſoluere,ſed antequàm ille addat,quod ſequitur,vt ego hãc familiam, &c.interponit hoc de ſuo,vt quidem ædepol dignus es. HANC FAMILIAM] lenonis. ADDE OPERAM SI C.] ſi cupis familiam lenonis interire , da tu quoque operam , vt iſtuc fiat:adiuua, συνέργει. NOLITO ÆDEPOL DEVELL.] locus mihi ſuſpectus,malim ſic legi,*gaudeo ædepol te deuelliſſe*,vel,*gaudeto ædepol te deuelliſſe*. quod ſi quis ſeruari velit ſcripturam receptam , quòd fateor eſſe tutius,aliquid tale ſubintelligendũ erit,grauiter ferre,ægrè ferre,dolere,queri. IAM DVOBVS MENSIBVS VOLVCR. T. C. H.] iam intra duos menſes pennæ tibi renaſcentur ad volandum aptæ ex corio hircino. ſignificat eum loris ex corio hircino factis vapulaturum. VERVM ENIM QVI HOMO] id eſt , verum enimuerò ſi quis lenonem bene nouerit,is citò percelli, & euerti poteſt. QVASI TV TACERE Q. POTIS SIS.] quaſi verò tu quidquam reconditi,& arcani tibi creditum tacere poſſis. RECTIVS TACITVS TIBI RESIST. QVÀM QVOD D.&C.] id eſt,rectius fecero,ſi tibi tacitus perſiſtam , & perdurabo,quàm ſi committam,vt mihi dicatur, quod dici ſolet in malam mulierẽ, id eſt garrulam,& loquacem:nempe abi foras,mulier es,odioſa es.Terent. *ôh,pergin' mulier eſſe?* Plaut.Caſin.*Inſipiens,ſemper tu huic verbo vitato abs tuo viro.* CL. *cui verbo?* M. *i foras,mulier es.* Cùm mulierem loquacem,& garrulã,& moleſtam,& impudenter rixantẽ vno verbo coërcere, & à nobis ablegare volumus,ei dicere ſolemus,*abi, mulier es.* Attius in Scythe liturgo apud Varr. lib. 6. de ling. Lat.vt emendat Ioſephus Scaliger.*mulier es,vxor.Cuia,vir? Ego noui,ſcio,actioſa es.* PROPTER AMOREM?] propterea quòd amat herus tuus Adelphaſium, cuius copiam non niſi iniqua conditione vult ei facere leno herus meus? QVID ERGO DVBITAS, QVIN LVBENTER, &c.] quid ergo dubitas,quin herus meus cùm herum tuum odio capitali perſequatur, libenter

malè faciat hero tuo,quod poſſit, ídque eius meritò? TVM AVTEM SI QVID TV ADIVVAS,&c.]iam verò ſi quid ad hanc rem adiumẽti afferas,& ſi operam tuam addas,tanto facilius hoc facere poterit. DVM HERO INSID. P. NE À TE P.]metuo,ne interea dum hero meo inſidias comparem,abs te peream:id eſt,tua opera peream, quòd rem tibi commiſſam & creditam tacere non potueris. perdeam,pro, peream poſitum.d. interpoſito, vt ſæpè aliàs. EX SYNCERASTO CRVRIFR.]ex eo,qui nunc ſum,fecerit directum, & mihi in crucem acto crura fregerit.Conſueuiſſe autem Romanos iis, qui in crucem acti eſſent, crura ſuffringere conſtat.ex quo illud in oratione pro Roſcio Amerino. *Opinor iis crura ſuffringantur.* INDICASSO.]indicauero. FIDEI NON MELIVS CRED.] fideliorem me tibi præbebo fide ipſa.non ipſa fides tam fidelis eſt,& arcani continens,quam ego ero. LOCVS, OCCASIÓQVE LIBERÈ EST]locus,occaſióque eſt liberè loquendi.nulli ſunt arbitri,qui nos audiant. SOLI SVMVS]prouerbiũ olet.vtitus eo & Plato. μόνῳ ἐσμὲν. FACERE FRVGEM]facere rem ſibi vtilem. DEAMAT]valde amat. DVODEVIGINTI MINIS] octodecim minis. IN DIVITIAS] in domum ſuam diuitiis refertam, & copioſam. MANV EAS ASS. SVAS P. LIB. C.] afferat eas in libertatem cauſa liberali,id eſt, iudicio,ſeu actione de libertate. Terentius Adelph. *Nam ego illam liberali aſſero cauſa manu.* ad quem locum Donatus. Ordo eſt.Ego liberali cauſa manu aſſero.Et ſunt iuris verba, à quibus etiam aſſertores, dicuntur vindices alienæ libertatis.Nam & cauſa ipſa liberalis dicitur,quæ actionem in ſe continet libertatis. PROFECTÒ AD INCITAS LEN. RED.] Nonius, incitas,dicitur ægeſtas.Plaut.Trin. *Alij exſulatum abierunt,alij emortui,alij ſe ſuſpendêre.Item nunc hic, cuius eſt, vt ad incitas redactus eſt?* Idem Pœnulo. *Profectò ad incitas lenonem rediget,*&c.ſed videtur *incitas* eſſe accuſandi caſus,eiúſque vnius numeri multitudinis. Cariſius lib.1.inſtit. *Alia vnius tantùm caſus ſunt, vt Haud ſecus ac iußi faciunt,adfatim,adincitas,infitias,ſuppetias,* &c. Apuleius libr. 3. perſpicuè facit hoc nomen accuſandi caſus. *Tum opulentiæ nimiæ nimio ad extremas incitas deductæ.* QVIN PRIVS DISP. F.]id eſt,quin prius mea opera diſperibit,&c. QVÀM VNVM CALCEM CIVERIT]id eſt,quàm vnum pedem mouerit.ſic Nonius hunc locum profert. Libri tamen nonnulli veteres habent *vnam*:ego putabam legendum *imum calcem.* VALEAS BENÉQVE, VT T. S.]id eſt, vt valeas,benéque tibi ſit. EST IN MANV]eſt in poteſtate. DVM CALET] dum recens eſt, & dum occaſio negotij gerẽdi præſtò eſt.tralatio ſumta à ferro,quod dum calet,tundẽdum & cudendum eſt.nam vbi refrixit,fruſtrà tunditur à fabris. PROBA MATERIES DATA EST, SI,&c.]allegoria eſt,cuius ſententia non eſt obſcura, neque difficilis ad intelligendum. hoc enim ſignificat negotium,aut munus præclarum,& vtile à ſe Milphioni datum eſſe,ſi modò adhibeat idoneum hominem,qui id gerere,& conficere poſſit. ILLIC HINC ABIIT.] ille hinc abiit.loquitur nunc ſolus Milphio. TANTVM EVM INSTAT EXITII] antiquè pro tantum ei inſtat exitij. SATÍSNE PRIVSQVAM VNVM EST INIECT. T.] id eſt,nónne planè priuſquàm vnum telum in lenonem iniectum eſt,quo perdatur,tum propinquum eſt alterum,quo conficiatur?allegoria eſt, cuius item ſententia eſt apertiſſima. ANTE ÆDEIS]foras. SEVOCEM]ſeorſum vocem. al.*euocem.* quod non reiicio. ET QVÆ AVDIVISTIS MODÒ]ſic habent libri vulgati, & nonnulli ex noſtris veteribus, quos ſequor. Alij, *Et quæ audiui modò*:alij ſine copula, *Quæ audiui modò*,&c. DII IMMORTALES, CLADES, QVANTA, ADVEN. CAL.]ſic habent noſtri libri veteres, non paulò melius, quàm vulgati, *Dij immortales per me quãta adueniet calamitas.* quod autem Camerarius edidit, *dij imm. quid malorum,quanta aduenit calamitas.* eius ſcripturæ nulla apparent in noſtris libris vet. veſtigia. ID NEGOT. INSTIT. EST]tale negotium inſtitutum,id eſt,incœptum eſt, vt non ſit mora interponenda. NAM ET HOC NOCTE CONS.] & id, quod à ſeruo lenonis mihi commiſſum eſt, nocte conſulendum, id eſt,conſultandum,ac deliberandum eſt. ET ILLVD AVTEM INSERV.]& illud rurſus conſilium vernaculum,id eſt,domeſticum,& à nobis natum, ac profectum,ſeu à nobis iuuentum,atque excogitatum,à me ſeruo adiuuandum,vel illi conſilio vernaculo inſeruiendum. REMORA SI SIT, QVI MALAM,&c.] ſi qua res me remorata fuerit,meritò fecerit is.qui mihi det malum.

A B C D

## HANNO POENVS loquitur Punicè.

NY thalonim valon vth ſi corathiſima conſith.
Chym lach chunyth mumys tyalmyctibari imiſehi
Lipho canet hyth bymithij ad ædin bynuthij.
Byrnarob ſyllo homalonin vby miſyrthoho
Bythlym mothyn noctothij nelechanti daſmachon
Yſſidele brim tyfel yth chylys chon,tem liful

Vth



A Vth bynim yſdibur thinno cuth nu Agoraſtocles
Ythe manet hihy chyrſae lycoeh ſith naſo
Bynni id chil luhili gubylim laſibit thym
Bodyaly herayn nyn nuys lym moncoth luſim
Exanolim volanus ſuccuratim miſti atticum eſſe
Concubitum à bello cutim beant lalacant chona enus es.
Huiec ſilec paneſſe athidamaſcon alem induberte felono buthume
Celtũ comucro lueni,at enim auoſouber hent hyach Ariſtoclem
Et te ſe aneche naſoctelia elicos alemus duberter mi comps veſpiti.
B Aodeanec lictorbodes iuſſum limnimcolus.
Deos deáſque veneror,qui hanc vrbem colunt,
Vt,quod de mea re huc veni,ritè venerim.
Meáſque vt natas,& mei fratris filium,
Reperire me ſiritis,(dij voſtram fidem,)
Quæ mihi ſurreptæ ſunt,& fratris filium.
Sed hîc mihi antehac hoſpes Antidamas fuit.
Eum feciſſe aiunt ſibi,quod faciundum fuit,
Eius filium hic prædicant eſſe Agoraſtoclem,
Deum hoſpitalem at teſſeram mecum fero,
In hiſce habitare monſtratu'ſt regionibus:
C Hos percontabor,qui huc egrediuntur foras.

DEOS DEÁSQVE VENEROR.] deos deáſque oro,qui, &c. SIRITIS.] ſiueretis. ET MEI FRATRIS FIL.]Agoraſtoclem Iachonis fratris filium. EIVS FILIVM] adoptiuum. TESSERAM] σύμβολον. ſignum, quod conuenerat inter hoſpites vt longo interuallo,vel ipſi inter ſe,vel eorum liberi agnoſcerent.

## AGORASTOCLES, MILPHIO, POENVS.

AG. An' tu dixe Synceraſtum,Milphio,
Has eſſe ingenuas ambas ſurreptitias
D Carthaginenſeis? MI. aio:&,ſi frugi eſſe vis,
Eas liberali iam aſſeres cauſſa manu.
Nam tuum flagitium'ſt tuas populareis te pati
Seruire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ,
POE. Prò di immortales,obſecro veſtram fidem,
Creta eſt profectò horunc' hominum mihi oratio,
Quàm orationem hanc aures dulcem deuorant?
Vt mihi abſterſerunt omnem ſorditudinem?
AG. Si ad eam rem teſteis habeam,faciam quod iubes.
MI. Quid tu mihi teſteis?quin tu inſiſtis fortiter?
Aliquà fortuna fuerit adiutrix tibi.
AG. Incipere multo eſt,quàm impetrare,facilius.

MI. Sed quæ'nam illæc auis eſt,quæ huc cum tunicis aduenit? A
Númnam it à balneis circumductus pallio?
Facies quidem ædepol punica eſt.
Seruos quidem ædepol veteres antiquóſque habet.
AG. Quî ſcis? MI. viden' homines ſarcinatos conſequi?
Atque vt opinor digitos in manibus non habent.
AG. Quî iam? MI. quia incedunt cum annulatis auribus.
Adibo ad hoſce,atque appellabo Punicè.
Si reſpondebunt,Punicè pergam loqui:
Si non,tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu?ecquid commeminiſti Punicè?
AG. Nihil ædepol.nam quî ſcire potui,dic mihi, B
Qui illinc ſexennis perierim Karthagine?
POE.Prò di immortales,hunc ad plurimi modum
Periêre pueri liberi Karthagine.
MI. Quid tu ais tu? AG. quid vis? MI. vin' appellem hunc Punicè?
AG. An ſcis? MI. nullus me eſt hodie Pœnus Punior.
AG. Adi,atque appella quid velit.quid venerit:
Qui ſit,cuiatis,vnde ſit.ne parſeris.
MI. Ano.cuiates eſtis?aut quo ex oppido?
POE.Hanno Muthum Balle beccha edre anech.
AG. Quid ait? MI. Hannonem ſeſe ait Karthagine, C
Karthaginienſem,Muthum Ballis filium.
POE.Ano. MI. ſalutat. POE. domni. MI. doni vult tibi
Dare hinc neſcio quid.audin' pollicerier?
AG. Saluta hunc rurſus Punicè verbis meis.
MI. Ano donni.hic mihi tibi inquit verbis ſuis.
POE.Me bar bocca. MI. iſtuc ſit tibi potius,quàm mihi.
AG. Quid ait? MI. miſeram eſſe prædicat buccam ſibi.
Fortaſſe medicos nos eſſe arbitrarier.
AG. Si ita eſt,nega eſſe.nolo ego errare hoſpitem.
MI. Audi tu rufen mico iſtam. AG. ſic volo. D
Profectò vera cuncta huic expedirier.
Roga numquid opus ſit? MI. tu qui zonam non habes,
Quid in hanc veniſtis vrbem,aut quid quæritis?
POE.Muphurſa. AG. quid ait? POE. mo in lechianna. AG. quid venit?
MI. Non audis?mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare ſe velle ædilibus.
POE.Lalech labcanani limi incoht. AGO. quid nunc ait?
MI. Ligulas,canalis ait ſe aduexiſſe,& nuces.
Nunc orat operam vt des ſibi,vt ea veneant.
AG. Mercator,credo,eſt POE. Iſam. MI. aruinam quidem.

Palum



A POE.Palum erga dectha. AG. Milphio quid nunc ait?
MI. Palas vendundas ſibi ait,& mergas datas,
Vt hortum fodiat,atque vt frumentum metat.
Ad meſſim credo miſſus hic quidem tuam.
AG. Quid iſtuc ad me? MI. certiorem te eſſe volui,
Ne quid clàm furtiuè accepiſſe cenſeas.
POE.Muphonnium ſucoram. MI. hem caue ſis feceris,
Quod hic te orat. AG. quid ait,aut orat?expedi.
MI. Sub cratim vti iubeas ſeſe ſupponi,atque eo
Lapides imponi multos,vt ſeſe neces.
POE.Gunebel balſamen eraſan. AG. narra quid eſt,
B Quid ait? MI. non hercle nunc quidem quicquam ſcio.
POE.At vt ſcias nunc dehinc latinè iam loquar.
Seruum hercle te eſſe oportet & nequam & malum,
Hominem peregrinum atque aduenam qui irrideas.
MI. At hercle te hominem & ſycophantam,& ſubdolum,
Qui huc aduenisti nos captatum migdilibs
Biſulca lingua,quaſi proſerpens beſtia.
AG. Maledicta hinc aufer,linguam compeſcas,tace.
Maledicere huic tu temperabis,ſi ſapis.
Meis conſanguineis nolo te iniuſtè loqui.
Karthagini ego ſum natus,vt tu ſis ſciens.
C POE.O mihi popularis,ſalue. AG. & tu ædepol,quiſquis es.
Et ſi quid opus eſt,quæſo dic atque impera,
Popularitatis cauſſa. POE. habeo gratiam.
Verùm ego hic hoſpitium habeo,Antidamæ filium
Quæro,commonſtra ſi nouiſti Agoraſtoclem.
Ecquem adoleſcentem tu hic nouiſti Agoraſtoclem?
AG. Siquidem Antidamarchi quæris adoptatitium,
Ego ſum ipſus,quem tu quæris. POE. hem quid ego audio?
AG. Antidamæ natum me eſſe. POE. ſi ita eſt,teſſeram
Conferre ſi vis hoſpitalem,eccam attuli.
D AG. Agedum huc oſtende.eſt par probè.nam habeo domum.
POE.O mi hoſpes ſalue multum.nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo hoſpes Antidamas fuit,
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.
AG. Ergo hîc apud me hoſpitium tibi præbebitur,
Nam haud repudio hoſpitium.neque Karthaginem,
Vnde ſum oriundus. POE. di dent tibi omnes quæ velis.
Sed quid ais?quî potuit fieri,vt Karthagini
Natus ſis,hîc autem habuiſti Ætolum patrem?
AG. Surreptus ſum illim: hic Antidamas hoſpes tuus
Emit me,& is me ſibi adoptauit filium.
POE.Demarcho item ipſe fuit adoptatitius.

Sed mitto de illo,& ad te redeo.dic mihi A
Ecquid meminiſti tuûm parentum nomina?
AG. Patris atque matris memini. POE. memorandum mihi,
Si noui fortè,aut ſi ſunt cognati mihi.
AG. Ampſigura mater mihi fuit,Iachon pater.
POE.Patrem atque matrem viuerent vellem tibi.
AG. An mortui ſunt? POE. factum,quod ego ægrè tuli.
Nam mihi ſobrina Ampſigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus,
Et is me heredem fecit,cùm ſuum obiit diem.
Quo me priuatum eſſe ægrè patior mortuo.
Sed ſi ita eſt,vt tu ſis Iachonis filius, B
Signum eſſe oportet in manu læua tibi,
Ludenti puero quod momordit ſimia.
Oſtende vt inſpiciam,iam aperi,audi,atque ades.
AG. Mi patrue ſalue. POE. & tu ſalueto Agoraſtocles.
Iterum mihi natus videor,quia te repperi.
MI. Pol iſtam rem vobis bene eueniſſe gaudeo.
Et te moneri nonne vis? POE. ſanè volo.
MI. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquum eſt habere hunc bona,quæ poſſedit pater.
POE.Haud poſtulo aliter.reſtituentur omnia.
Suam rem ſibi ſaluam ſiſtam,ſi illò aduenerit. C
MI. Facito ſis reddas,etſi hîc habitabit tamen.
POE.Quin mea quoque iſte habebit,ſi quid de me fuat.
MI. Feſtiuum facinus venit mihi in mentem modò.
POE.Quid id eſt? MI. tua eſt opus opera. POE. dic mihi,quid lubet?
Profectò vtêris,vt voles,operam meam.
Quid eſt negotij? MI. Potin' fieri ſubdolus?
POE.Inimico poſſum,amico eſt inſipientia.
MI. Inimicus hercle eſt huius. POE. male faxim lubens.
MI. Amat à lenone hic. POE. facere ſapienter puto.
MI. Leno hic habitat vicinus. POE. malefaxim lubens. D
MI. Ei duæ puellæ ſunt meretrices ſeruulæ
Sorores.Earum hic alteram efflictim perit,
Neque eam inceſtauit vmquam. POE. acerba amatio eſt.
MI. Nunc leno ludificatur. POE. ſuum quæſtum colit.
MI. Hic illi malam rem dare volt. POE. frugi,ſi id facit.
MI. Nunc hoc conſilium capio,& hanc fabricam apparo,
Vt te allegemus.filias dicas tuas,
Surreptáſque eſſe paruulas Karthagine,
Manúque liberali ambas cauſſa aſſeras,
Quaſi filiæ tuæ ſint ambæ.intelligis?
POE.Intelligo hercle.nam mihi item natæ duæ

Cum nu-



A Cum nutrice vna ſurreptæ ſunt paruulæ.
MI. Lepidè hercle aſſimulas,iam in principio id mihi placet.
POE.Pol magis quàm vellem. MIL. heu hercle mortalem catum,
Malum,crudúmque,& callidum,atque ſubdolum,
Vt afflet quo illud geſtu faciat facilius?
Me quoque dolis iam ſuperat architectonem.
POE.Sed earum nutrix qua ſit facie,mihi expedi.
MI. Statura haud magna,corpore aquilo eſt. POE. ipſa ea'ſt.
MI. Specie venuſta,ore paruo,atque oculis pernigris.
POE.Formam quidem hercle verbis depinxti mihi.
MI. Vin eam videre? POE. filias malo meas.
B Sed i atque euoca illam,ſi eæ meæ ſunt filiæ,
Si illarum eſt nutrix,me continuò nouerit.
MI. Heus ecquis hic eſt? nunciate vt prodeat
Foràs Giddeneme.eſt qui illam conuentam eſſe volt.

EAS LIBERALI IAM ASS. C. N.]eas manu aſſeres,id eſt,vindicabis in libertatē cauſa liberali,id eſt,actione de libertate. TVVM FLAGITIVM EST.]tuum dedecus eſt, tibi dedecori eſt,&c. CRETA EST]id eſt,candida eſt inſtar cretæ.ſic Camerarius.Quidam tamen legi volunt,*certa*,libris omnibus veteribus inuitis. QVÀM ORATIONEM HANC, &c. ]quàm,ſcribendum cum accentu graui,vt ſit interrogās:hoc modo:quàm deuorant,id eſt, quàm valde deuorāt aures meæ hanc dulcem orationem? VT MIHI ABSTERSERVNT, &c.] Nonius profert hunc verſum in voce *ſorditudinem*. QVID TV MIHI TESTEIS?] quid tu mihi teſteis ſubintellige poſcis,aut quæris,aut narras? SED QVÆNAM ILLIC AVIS EST,&c.]quis homo cum illo ornatu nouo,& peregrino, ſine pallio? CIRCVMDV-
C CTVS PALLIO?]per dolū,& inſidias ſpoliatus pallio.FACIES QVIDEM ÆDEPOL] in noſtris libris ſequūtur deinceps hæc verba,*punicu'ſt,gugga eſt homo*.gugga autē,id eſt,Afer,ſeu homo ex Lybia. QVIA INCEDVNT CVM ANNVLATIS AVRIB.]cùm annuli manibus,non auribus geſtari debeant. ECQVID COMMEMINISTI PVNICE.]numquid meminiſti punicam linguam? HVNC AD PLVRIMI MODVM]ordo eſt, plurimi ad hunc modum. PVNIOR.]magis Pœnus,callidior,verſutior,vel punicæ linguæ ſcietior. QVI SIT]quis ſit,vel qualis homo ſit. CVIATIS.]cuias,id eſt,cuius nationis.NE PARSERIS] nolito parcere.quærere hæc omnia. ARBITRARIER.] arbitrabatur. AVDI TV RVFEN MICO ISTAM.] credibile eſt Milphionem ſignificare his verbis,ſe non eſſe medicos, aut monere hoſpitem,vt alios medicos quærat. SIC VOLO PROF. VERA CVNCTA.] idem ferè dicit,quod ſuprà,nolo errare hoſpitem,volo ei omnia verè exponi, atque explicari. QVI ZONAM NON HABES.] quia diſcinctus,vel quod viaticum non habere videris. ÆDILIB.] qui quo res admirabiliores,inuſitatiores,denique magis peregrinas & longinquas populo ſpectandas præbebant,hoc ludos facere videbantur magnificentiores LIGVLAS]
D Chariſius.Lingula cum n.à linguendo dicta eſt in argento.in calceis verò ligula à ligando.ſed vſus ligulam ſine n.frequentat.Feſtus.ligula per diminutionem linguæ dicta, aliàs à ſimilitudine linguæ exſertæ,vt in calceis aliàs inſertæ, id eſt, infrà denteis coërcitæ, vt in tibiis. Eſt etiam lingula Varroni gladiolus oblongus in ſpeciem linguæ factus. PALAS] pala,præter alias huius vocis ſignificationes,etiam nomen eſt inſtrumenti ruſtici , quo terra foſſa , vel egeritur , vel aggeritur,quod à nomine gallico non admodum diſcrepat. MERGAS.]Feſtus,Mergæ furculæ, quibus acerui frugum fiunt , dictæ à volucribus mergis , quia vt illi ſe in aquam mergunt, dum piſceis perſequuntur,ſic meſſores eas in fruges demergunt, vt eleuare poſſint manipulos. NE QVID CLÀM, FVRTÍMVE ACC. CENS.] ne quid te clàm, aut furtim accepiſſe putes.noſtri libri veteres habent.*Ne quid clam, furtim ſe acc. cenſ.* Camerarius edidit , *Ne quid clam furtiuè*,&c.vulgati habent,*Ne quod furtiue clam*,&c. SVB CRATIM VTI IVBEAS.] ſupplicij genus Karthaginienſibus vſitatum , quod Tacitus libro de Moribus Germanorum commemorat his verbis.*Diſtinctio pœnarum ex delicto proditores,& transfugas arboribus ſuſpēdunt.Ignauos,& imbelleis,& corpore infameis cœno,ac palude iniecta inſuper crate,mergunt.*& T.Liuius lib.4. *Ad hunc tumultum accitus Poſtumius aſperiora omnia fecit acerbis quæſtionibus , crudelibus ſuppliciis. Poſtremò cùm modum iræ nullum faceret:ad vociferationē eorum,quos necari ſub crate iuſſerat concurſu facto, ipſe ad interpellantis pœnam vecors de tribunali decurrit.* MIGDILIBS]ſic ferè habēt noſtri lib.vet.*Migdilibs* autē,id eſt,

mixtus Libs,non omni ex parte Afer,ſed mixti generis, & duarũ linguarum, hoc eſt, bilinguis. A Karthaginienſes enim lingua Africa,& Tyria vtebantur. Virgil: Æneid. *Quippe domum timet ambiguam, Tyrióſque bilingueis.* BISVLCA LING.] duplici lingua. QVASI PROS. BEST.] tamquam ſerpens beſtia. Varr. lib. 4. de ling. Lat. ſerpere,& proſerpere, idem dicebãt, vt Plautus qui ſcribit,quaſi proſerpens beſtia. ſerpẽtes autẽ duplici lingua videntur eſſe. ECQVEM] numquem. ADOPTATITIVM] filium adoptiuum. NAM HABEO D.] id eſt, domi. PATER TVVS ERGO] id eſt,pater tuus, inquam,&c. HÎC AVTEM H.] hîc autem habueris Æt.p. ILLIN] illinc. MEMORA DVM M.] dic dum mihi parentum tuorum nomina. PATREM ATQ. MATREM VIV. VELLEM T.] id eſt, patrem atque matrẽ viuere vellem tibi,vel,pater atque mater viuerent vellem tibi. LVDENTI PVERO QVOD M. S.] quod ſignum ludenti puero dentibus inflixit ſimia. quam notam ludenti puero morſu impreſſit ſimia. ADI, ATQ. ADES] ſic edendum curaui,quamuis noſtri libri veteres habeant, *audi, atque ades.* SISTAM] repræſentabo. FACITO SIS] facito ſi vis reddas: facito ſodes reddas, etiam ſi Karthaginem non reuertetur. SI QVID DE ME FVAT] ſi quid mihi humanitus accidat. VTÊRIS VT VOLES OP. M.] antiquè dixit vteris operã,pro vteris opera. SVBDOLVS?] doloſus,fallax? AMICO EST INSIP.] amico ſubdolũ eſſe,eſt inſipientia. AMAT À LENONE HIC] Agoraſtocles amat puellam ex domo lenonis. INCESTAVIT.] ſtuprauit. B ACERBA AMATIO EST] acerbè amat,qui quod amat,eo non potitur. SVVM QVAESTVM COLIT] ſuo quæſtui ſeruit. VT TE ALLEGEMVS.] vt te ad lenonem priuatim mittamus. MAGIS QVÀM VELL.] quaſi dicat,non eſt aſſimulatio, ſed verum deſiderium,veráque oratio. hîc hiſtrio Pœni parteis agens ægrum ex imo pectore traxit ſpiritum. HEM HERCLE MORT. C.] hoc ideo dicit, quòd Pœnus filiarum amiſſarum recordatione percuſſus ingemuit, ac ſuſpirauit. idque Milphio per ſimulationem factum eſſe exiſtimat. VT AFFLET?] quo pactò addit fletum & lacrymas dolis,quo illud, quod vult, faciat credibilius,ac probabilius? quàm bellè ſimulat Pœnus ſibi filias duas eſſe ſurreptas fletu,& lacrymis? ARCHITECTONEM] me dolorum architectum dolis ſuperat. CORPORE AQVILO.] id eſt, nigro. Feſtus, Aquillius cognomen ab aquilo colore, id eſt, nigro dictum.

GIDDENEME nutrix. HANNO Pœnus. MILPHIO ſeruus. AGORASTOCLES. Puer. C

GI. QVis pultat? MI. qui te proximus eſt. GI. quid vis?
MIL. eho.
Nouiſtin' tu illunc tunicatum hominem,qui ſiet?
GI. Nam quem ego aſpicio? prò ſupreme Iupiter,
Herus meus hic quidem eſt,mearum alumnarum pater,
Hanno Karthaginienſis. MI. ecce autem mala,
Præſtigiator hic quidem Pœnus probus eſt,
Perduxit omnis ad ſuam ſententiam..
GI. O mi here ſalue Hanno,inſperatuſſime D
Mihi,tuíſque filiis,ſalue,atque eho
Mirari noli,neque me contemplarier,
Cognoſcin' Giddenemen ancillam tuam?
POE. Noui,ſed vbi ſunt meæ gnatæ? id ſcire expeto.
AG. Apud ædem Veneris. POE. quid ibi faciunt,dic mihi?
AG. Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies.
Oratum ierunt deam,vt ſibi eſſet propitia.
GI. Pol ſatis ſcio impetrarunt,quando hic,hîc adeſt.
AG. Eho,an huius ſunt illæ filiæ? GI. ita vt prædicas.
Tua pietas nobis planè auxilio fuit.
Cùm huc adueniſti hodie in ipſo tempore.

Namque



A Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerẽntque indignum genere quæſtum corpore.
PV. Handones illi hanun bene ſi illi in muſtine.
GI. Me ipſi & eneſte dum & alamna ceſtinum.
AG. Quid illi locuti ſunt inter ſe? dic mihi.
MI. Matrem ſalutat hic ſuam,hæc autem hunc filium.
POE. Tace,atque parce muliebri ſupellectili.
AG. Quæ ea eſt ſupellex? POE. clarus clamor. ſine modò.
Tu adduc hos intrò,& vnà nutricem ſimul
Iubeto abire hanc ad te. AG. fac quod imperat.
MI. Sed quis illas tibi monſtrabit? AG. ego doctiſſimè.
B MI. Abeo igitur. AG. facias,modò quam memores,mauelim.
Patruo aduenienti cœna curetur volo.
MI. Lachanam vos,quos ego iam detrudam ad molas.
Inde porrò ad puteum,atque ad robuſteum codicem.
Ego faxo hoſpitium hoc leniter laudabitis.
AG. Audin' tu patrue? dico,ne dictum neges,
Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.
POE. Pactam rem habeto. AG. ſpondéſne igitur? POE. ſpondeo.
AG. Mi patrue ſalue,nam nunc es planè meus.
Nunc demum ego cum illa fabulabor liberè.
Nunc patrue ſi vis tuas videre filias,
C Me ſequere. POE. iamdudum equidem cupio,& te ſequor.
AG. Quid ſi eamus illis obuiam? POE. at ne inter vias
Præterbitamus metuo. magne Iupiter
Reſtitue certas mihi ex incertis nunc opes.
AG. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipſas. POE. hæcine ſunt meæ filiæ?
Quantæ è quantillis iam ſunt factæ? AG. ſcin' quid eſt?
Græcæ ſunt hæ columnæ,ſuſtolli ſolent.
MI. Opinor hercle hodie,quod ego dixi per iocum,
Id eueniturum eſſe,& ſeuerum & ſerium,
D Vt hæ inueniantur hodie eſſe huius filiæ.
AG. Pol iſtud quidem iam certum eſt,tu iſtos Milphio
Abduce intro.nos haſce hic præſtolabimur.

QVI TE PROX.] qui tibi proximus eſt. PRÆSTIGIATOR H. Q. P. PR.] hic quidem Pœnus probus præſtigiator eſt. præſtigiator dictus eſt à præſtigiis,præſtigiæ autem à præſtinguendis oculis. TVÍSQVE FILIIS] tuis filiabus. ATQVE PARCE MVLIEBRI] legendum fortaſſe eſt,atque muliebri parce ſupellectili. AD TE] domum tuam. FACIAS, QVÀM MEMORES MAV.] malim facias, quàm dicas. LACHANAM VOS: QVOS EGO IAM] verba ſunt Milphionis ſeruos,& comites,Hannonis Pœni domum ducentis,& eos alloquentis,ſed interim ſuo more iocantis. Nam quid ſibi velint hæc *Lachanam vos*, diuinare non poſſum. multa mihi veniunt in mentem: ſed ea me promere atque edere pudet. edam tamen,vel quæ in buccam venient. Nam ſi ea probarem,alia ratio eſſet. Nunc cùm ne ego quidem probem,quid eſt,cur ea qualiacumque ſint,in medio ponere verear! *Lachanam vos*, igitur,id eſt,oleribus accipiam,& explebo vos. QVOS EGO IAM DETR.] minatur ſe

cccc ij

eos indignis modis vexaturum,& cruciaturum. AD ROBVR COD.] genus cruciatus, & A
ſuppliciis eſt robuſtus codex, ſeu robuſtum lignum, ſed vno verbo,robus. EGO FAXO HOSPIT.] ſatis apertè nunc ſignificat,hoſpitium hoc non valde Pœnis iucundum fore: id eſt, ſe eos malè accepturum. PACTAM REM HABETO.] id eſt,promitto tibi, ac paciſcor tecum. PRÆTERBITAMVS] prætereamus.betere,eſt,ire.præterbitere, præterire. QVANTÆ è QVANTILLIS] quàm magnæ,è quàm paruis. GRÆCÆ SVNT HAE COLVMNAE SVST. SOLENT.] ſic repoſui,noſtrorum librorum veterum ſcripturam aliquantum deprauatam ſecutus,in quorum vno ſcriptũ eſt, *Tracæ ſunt columnæ*,&c.quomodo & Adrianus Turnebus,vt erat vt εὔστοχος & ingenioſus, legendum coniecit libr. Aduerſar.10. cap. 24. Erant autem, vt docet ille,Græcæ columnæ Romanis in pretio. & quia aliis erant pretioſiores, & cariores,vt magis eminerent,in alta baſi collocabantur,& idem ſuſtollebantur,id eſt,ſurſum tollebantur. Camerarius putat legi poſſe, *Etruſcæ ſunt columnæ*,&c. ego ſic mâlo,vt edidi.Lucret. lib. 4. *Multáque per trochleas, & tympana pondere magno Commouet, atque leui ſuſtollit machina niſu. ſuſtolli* autem, quo verbo, & Lucretius vtitur, valet ſurſum tolli. PRAESTOLABIMVR.] exſpectabimus.

B

## ADELPHASIVM. ANTHERASTILIS.
### AGORASTOCLES. HANNO Pœnus.

AN. FVit hodie operæpretium eius, qui amabilitati animum adiceret,
Oculis epulas dare,delubrum qui hodie ornatum eò viſere venit.
Deamaui ecaſtor illic ego hodie lepidiſſima munera meretricum.
Digna diua venuſtiſſima Venere, neque cõtemſi eius opus hodie.
Tanta ibi copia venuſtatũ aderat,in ſuo quæque loco ſita mundè.
Arabius,murrhinúſque omnia odor complebat. haud ſordere viſus eſt. C
Feſtus dies, Venus, nec tuum fanum, tantus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. certò enim, quòd quidem ad nos duas
Attinuit præpotentes,pulcræ,pacíſque potentes ſoror fuimus,
Neque ab iuuentute ibi irridiculò habitæ, quod pol ſoror ceteris omnibus factum eſt.
AD. Malim iſtuc aliis videatur,quàm vti tu te collaudes. AN. ſpero equidem,
Et pol ego cùm ingeniis,quibus ſumus,atque aliæ,cognoſco. D
Eo ſumus natæ genere,vt deceat nos eſſe à culpa caſtas.
POE. Iupiter,qui genus colis,alíſque hominum, per quem viuimus vitalem æuum,
Quem penes ſpes vitæ ſunt hominum omnium, da diem hunc ſoſpitem quæſo
Rebus meis agundis.quibus annos multos carui, quáſque è patria
Perdidi paruas, redde his libertatem, inuictæ præmium vt eſſe ſciam pietati.
AG. Omnia faciet Iupiter faxo.nam mihi eſt obnoxius, & me metuit.
POE. Tace quæſo. AG. ne lacruma patrue.
AN. Vt volupe'ſt homini mea ſoror,ſi quod agit,cluet victoria:

Sicut



A Sicut hodie nos inter alias præſtitimus pulcritudine!
AN. Stulta ſoror es magis,quàm volo. an verò pulcra videre, obſecro,
Si tibi illic non os oblitum eſt fuligine? AG. ô patrue mi, patruiſſume.
POE. Quid eſt fratris mei nate,mi nate quid vis?expedi.
AG. At enim volo hoc agas. POE. at enim ago iſtuc. AG. patrue mi patruiſſime.
POE. Quid eſt? AG. eſt lepida & lauta. vt ſapit? POE. ingenium patris habet,quòd ſapit.
AG. Quæres iam diu ædepol ſapientiam tuam,hæc quidem cùm abuſa eſt.
B Nunc hinc ſapit,hinc ſentit,quicquid ſapit,è meo amore.
AD. Non eo ſumus genere prognatæ,tametſi ſumus ſeruæ,ſoror,
Vt deceat facere nos quicquam,quod homo quiſquam irrideat.
Multa ſunt mulierum vitia,ſed hoc è multis maximum eſt,
Cùm ſibi nimis placent,nimíſque operam dant vt placeant viris.
Nimiæ voluptati eſt,quod in extis noſtris portentum eſt ſoror,
Quódque haruſpex de ambabus dixit. AG. velim de me aliquid dixerit.
AD. Nos fore inuito domino noſtro diebus paucis liberas.
Id ego,niſi quid di,aut parentes faxint,quid ſperem,haud ſcio.
AG. Mea fiducia hercle haruſpex,patrue his promiſit,ſcio,
C Libertatem,quia me amare hanc ſcit. AD. ſoror ſequere hàc. AN. ſequor.
POE. Priuſquam abitis,vos volo ambas.niſi piget,conſiſtite.
AD. Quis reuocat? AG. qui bene vult vobis facere. AD. facere occaſio eſt.
Sed quis homo eſt? AG. amicus vobis. AD. qui quidem inimicus non eſt.
AG. Bonus eſt hic homo, mea voluptas. AD. pol iſtum malim, quàm malum.
AG. Siquidem amicitia eſt habenda,eum hoc habenda eſt. AD. haud
D precor.
AG. Multa bona vobis facere vult. AD. bonus bonis benefeceris.
POE. Gaudio ero vobis. AD. at ædepol nos voluptati tibi.
POE. Libertatíque. AD. iſto pretio tuas nos facile feceris.
AG. Patrue mi,ita me di amabunt,vt ego,ſi ſim Iupiter,
Iam hercle ego illam vxorem ducam,& Iunonẽ extrudam foràs.
Vt pudicè verba fecit?cogitatè & commodè?
Vt modeſtè orationem præbuit?certò hæc mea eſt.
POE. Sed vt aſtu ſum agreſſus ad eas! AG. lepidè hercle atque commodè.
Perge etiam,tenta,rem in pauca confer:ſitiunt qui ſedent.
POE. Quid?iſtic quod faciundum eſt, cur non agimus?in ius vos voco.

AG. Nunc tene patrue. POE. tu frugi ſi bonæ es. AG. Vin' ego A
hanc apprehendam? POE. tene.
AD. An patruus eſt Agoraſtocles tuus hic? AG. iam faxo ſcibitis.
Nunc pol ego te vlciſcar probè.nam faxo mea eris ſponſa.
POE. Ite in ius,ne moramini. AN. anteſtare me atque duce.
AG. Ego te anteſtabor,poſtea hanc amabo,atque amplexabo.
Sed illud quidem volui dicere, immò dixi hercle quod volebam.
POE. Moramini.in ius vos voco niſi honeſtiu'ſt prehendi.
AD. Quid in ius vocas nos,quid tibi debemus? AG. dice tu illi.
AD. Etiam me meæ allatrant canes? AG. at tu hercle alludiato.
Dato mihi pro offa ſauium, pro oſſe linguam obicito.
Ita hanc canem faciam tibi ego oleo tranquilliorem. B
POE. Ite ſi itis. AD. quid nos fecimus tibi? POE. fures eſtis ambæ.
AG. Nóſne tibi? POE. vos,inquam. AG. atque ego ſcio. AD.
quid furti eſt id? AG. hunc rogato.
POE. Quia annos multos filias meas celauiſtis clàm me,
Atque equidem ingenuas,liberas,ſummóque genere natas.
AD. Numquam me caſtor reperies tu iſtuc probrum penes nos.
AG. Da pignus,ni nunc periures in ſauium,vter vtri det.
AD. Nihil tecum ago,abſcede obſecro. AG. atque hercle mecum agendum eſt.
Nam hic patruus meus eſt.pro hoc mihi patronus ſim neceſſe eſt.
Ei prædicabo quo modo vos furta faciatis multa, C
Quóque modo huiuſce filias apud vos habeatis ſeruas,
Quas vos ex patria liberas ſurreptas eſſe ſcitis.
AD. Vbi ſunt eæ,aut quæ ſunt,obſecro? AG. ſatis ſunt maceratæ.
POE. Quin eloquar. AG. cenſeo hercle patrue. AD. miſera timeo quid
Hoc ſit negotij,mea ſoror:ita ſtupida ſine animo aſto.
POE. Aduortite animum mulieres.primùm,ſi id fieri poſſet,
Ne indigna indignis di darent,id ego euenire vellem.
Nunc quod boni mihi di dant,vobis,voſtræque matri,
Eas dis eſt æquum gratias vos agere ſempiternas: D
Cùm noſtram pietatem approbant, decorántque di immortales.
Vos eſtis ambæ meæ filiæ,& hic eſt cognatus veſter
Huiuſce fratris filius Agoraſtocles. AD. amabo,
Num hi falſò oblectant gaudio nos? AG. at me ita dij ſeruent,
Vt hic pater eſt veſter.date manus. AD. Salue inſperate nobis
Pater,te complecti nos ſine. POE. cupitæ atque exſpectatæ.
AN. Pater ſalue,ambæ filiæ ſumus,amplectamur ambæ.
AG. Quis me amplectetur poſtea? POE. nunc ego ſum fortunatus,
Multorum annorum miſerias nunc hac voluptate ſedo.
AD. Vix hoc videmur credere. POE. magis quî credatis dicam.
Nam voſtra nutrix primùm me cognouit. AD. vbi ea amabo eſt?
Apud



A POE. Apud hunc eſt. AG. quæſo qui lubet tam diu tenere collum,
Priuſquam te mihi deſponderit? AD. omitto. AG. ſperata ſalue. AD. omitte
Salutem. AG. & tu altera. AN. nolo ego iſtuc,enicas me.
POE. Condamus alter alterum ergo in neruum brachialem.
Quibus nunc in terra melius eſt? AG. eueniunt digna dignis.
Tandem huic cupitum contigit. ô Apella,ô Zeuxis pictor,
Cur numero eſtis mortui? hîc exemplum vt pingeretis.
Nam alios pictores nihil moror huiuſmodi tractare exempla.
POE. Di Deæque omnes vobis habeo meritò magnas gratias,
Cùm hac me lætitia tanta,& tantis affeciſtis gaudiis,
B Vt meæ natæ ad me redirent,in poteſtatem meam.
AD. Mi pater,tua pietas planè nobis auxilio fuit.
AG. Patrue,facito in memoria vt habeas, tuam maiorem filiam,
Mihi te deſpondiſſe. POE. memini. AG. & dotis quid promiſeris.

FVIT HODIE OPERÆ PR.] redeuntes ex æde Veneris puellæ, quæ viderint, commemorant inter ſe, & dum colloquuntur, in itinere patri ſuo obuiæ fiunt. EIVS QVI, AMABO AN. ADD.] eius,qui amori operam dare vellet: eius, qui rebus amatoriis ſeruire vellet. OCVLIS EPVLAS DARE] oculos paſcere. DEAMAVI] valde amaui. ARABIVS] odor ex ture Arabio,ſeu Arabico,& ſimilibus graminibus, & floribus grati odoris: quę in Arabia naſcuntur. MVRRHINVS] ex murrha. CLIENTARVM] patrius caſus numeri multitudinis à recto clienta, primæ inflexionis, quo nomine vtitur idem Plautus alibi & C Horat. PACÍSQ. POT.] quæ potuimus Venerem propitiare, & placare, ſeu quæ potuimus pacem à Venere impetrare. IRRIDICVLO HABITÆ] irriſæ,ridiculo habitæ. ET POL EGO CÙM ING.] & ſpero verò,inquit,nos taleis aliis videri,cùm cognoſco,quib. nos ingeniis ſumus,& aliæ puellæ. Nam noſtri libri veteres habent, *Et pol ego quom ing.* Quòd ſi quis legi malit, *cum ingeniis*, vt, *cum*, ſit præpoſitio, licebit ſic interpretari: Et pol ego cognoſco nos taleis aliis videri,cum ingeniis, quibus n.ſ. id eſt,habentes talia ingenia,vel talibus ingeniis præditæ, qualibus ſumus,atque aliæ. VITALEM ÆVVM] æuus in maſculino genere etiam protulit Lucretius,vt quidem legitur in libris omnibus vulgatis,& nõnullis manuſcriptis lib.3.ibi. *Non modò non omnem poßit durare per æuum*, &c. QVEM PENES SP. V. S.] in cuius poteſtate ſunt ſpes vitæ hominum,&c. QVIBVS ANNOS M. C.&c.] ordo eſt,redde his libertatem, filiabus meis ſcilicet,quibus multos annos carui,vt, &c. INVICTAE] quæ numquam victa eſt,in qua ſemper manſi, quam ſemper colui. TACE QVAESO] ſenex orationem adoleſcentis impiam non probat,eúmque reprehendit,& coërcet. VT VOLVPE'ST HOMINI] quàm iucundum eſt homini,&c. SI QVOD AGIT VICT. CLVET] ſi in eo,quod agit, victoria clarus eſt,victoria præſtat,& excellit. VIDÊRE] vidêris. SI TIBI ILLIC NON D OS OBLIT.] ſi tibi illic (in æde Veneris) non fuit oblitum,id eſt,inquinatum os fuligine? quaſi dicat,aliæ puellæ viſæ ſunt deformes,quia eis facies fuligine oblita fuit, alioqui nobis formoſiores. vel ſic,an verò tibi continuò pulchra videris, ſi tibi in æde Veneris, os non fuit fuligine ſublitum? id eſt,ſi non fuiſti ridiculo habitu? Alij fuliginem,pro fuco accipiunt, quo mulieres interdum ſupercilia pingebant,vt eſſent nigriora. VOLO HOC AGAS] volo attendas,neque aliud agas. ET LAVTA] & magnifica. VT SAPIT?] quàm ſapit? quàm ingenioſa eſt. PATRIS] mei. QVAERES IAMDIV AEDEPOL SAPIENTIAM] id eſt, iampridem ædepol ſapientia abs te abiit: vel iampridem in te ſapientia eſſe deſiit, cùm hæc ætate abuſa, id eſt, conſumta ſit. quare non poteſt filia tua ſapientiam abs te ſumere. NVNC HINC SAPIT] nunc filia tua à me ſapientiam ſumit, & meo amore. MINÚSQVE DANT OPERAM] noſtri libri veteres habent, *minúſque addant operam*. VT PLACEANT VIRIS] ſuis. PATRVE HIS] ſic habent noſtri libri veteres perſpicuè rectè cùm vulgati habent *patruelis*. BONVS EST HIC HOMO] bonus,id eſt,beneficus,aut benefaciendi cupidus. ISTVM MALIM] bonum hominem. QVÀM MALVM] hominem. SIQVIDEM AM. EST HAB.] ſiquidem cum aliquo amicitia ineunda eſt, &c. ILLAM] Iunonem. COGITATÈ] conſideratè. ASTV] aſtutè,cum aſtu. SITIVNT, QVI SEDENT] ſpectatores. NVNC TENE P.] nunc has tene,ne effugiant. TV FRVGI SI BO-
eeee iiij

NAE ES] tu verò eas tene,ſi bonæ frugi es. HANC] Adelphaſium. ANTESTARE ME] A id eſt,apprehende mihi prius auriculã,deinde me iniecta manu in ius ducito.POSTEA HANC AMABO, ATQ.] voluit dicere poſtea hãc (Adelphaſiũ) anteſtabor. SED ILLVD VOLVI DICERE]hanc anteſtabor. IMMO DIXI HERCLE Q. V.]immo inquit rectèdixi,hanc amabo,& amplexabor.AMPLEXABO]antiquè pro *amplexabor.* DICE TV IL.] noſtri libri veteres habent *dicet illic*,id eſt,dicet ille.ETIAM ME MEAE ALL.]id eſt,etiámne ij,qui me tueri debent,me oppugnant.etiámne ij,qui pro me facere debent, mihi aduerſantur? ALLVDIATO]alludiare dicuntur heri canibus ſuis,cùm eis alludũt,cúmque eos demulcent.Ita Agoraſtocles poſtulat Adelphaſium ſibi alludiare tamquam cani,ex eo, quod illa dixerat etiam me meæ allatrant canes? OFFA] quæ dari ſolet cani.Virg.lib.6.Æn.de Cerbero. *Cui vates horrere videns iam colla colubris,Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam obiicit,* &c. OSSE]ſolent etiam canibus oſſa obiici.Tu igitur mihi pro oſſe linguam obiicito, vt linguis collatis oſculemur inter nos. HANC CANEM.]me ſic,me placatum tibi præbebo,neque te allatrabo. DA PIGNVS, NI NVNC PERIVR. &c.]ordo eſt,da pignus in ſauiũ, vter vtri det ſauiũ,ni nunc periures, id eſt,peieres. certa mecum pignore depoſito,de ſauio,vter vtri ſauiũ det. in ſauium, id eſt,de ſauio,ſeu pro ſauio. noſtri libri veteres tamen ſine copulatione,*in*,habent. *Da pignus ni nunc periures,ſauium vter vtri det.* SATIS SVNT MACERATÆ]hæc ſummiſſa voce loquitur Agoraſtocles,ſignificãs patruo ſatis diu filias eius eſſe perterritas,& quaſi metu , & cura extenuatas:nunc tandem omni cura, & timore eſſe liberandas.Primùm, ſi id fieri poſſet, &c. Primùm,inquit,vellem,ſi id fieri poſſet,vt numquam in ſeruitutem incidiſſetis,neq; ſurreptæ eſſetis,neque vobis indignè pertuliſſetis. Nunc autem, quando id quod factum eſt , infectum eſſe non poteſt,vos diis agere gratias æquum eſt , quod tandem repertæ eſtis , & agnitæ filiæ meæ. NE INDIGNA INDIGNIS DI DARENT] ne vos indignas ſeruitute , ſeruitutem vobis indignam ſubire paterentur. QVOD BONI MIHI DANT] ſecundo loco, κατὰ δεύτερον πλοῦν. EAS DIIS EST AEQVVM,&c.] proinde ac ſi dicat, diis gratias agere debuiſſetis, ſi numquam ſurreptæ eſſetis : ſed nunc quoque gratias eis agere debetis , quòd à ſeruitute in libertatem iam iam aſſeremini. HVIVSCE FRATIS S.] mei fratris filiæ. SEDO]lenio,conſolor. QVAESO QVI LVBET,&c.] verba Agoraſtoclis ad Adelphaſium, ægrè ferentis,quòd tandiu amplexa patris collum teneat. SPERATA SALVE]verba ſunt Agoraſtoclis ad Adelphaſium. ſperata autem dicebatur,quam quis ſibi vxorem fore ſperabat. OMITTE SALVTEM]verba ſunt Adelphaſij. ET TV ALTERA] verba ſunt Agoraſtoclis. CONDAMVS ALTER ALT. IN NERV. BRACH.] id eſt,brachia mutuò innectamus,alterna brachia iungamus, alter alterius brachia circumplicemus,cõiungamur inter C nos mutuo brachiorũ vinculo. QVIBVS NVNC IN TERRA MELIVS]qui ſunt nunc in terra nobis fortunatiores? HVIC] mihi,qui iam Adelphaſio potiar. NVMERO ] citò.nimis citò. HÎC EXEMPLVM VT PING.]id eſt,hinc exemplum,vt ſumeretis.hoc olim fecit Zeuxis Heracleotes Helenæ ſimulachrum picturus. quinque enim virgines formoſiſſimas delegit,ex quibus quod eſſet pulcherrimum in mutum ſimulachrum transferret, cùm omnia, quę ad venuſtatem quæreret,ſe in vno corpore reperire poſſe non putaret.M.Tull.lib.2.de Inuent.Rhetor. NAM ALIOS PICT. NIHIL M.] nam alios pictores nolo huiuſmodi tractare exempla. valeant alij pictores,vt indigni,qui huiuſmodi tractent exempla.

## ANTHEMONIDES miles,& EIDEM.

SI ego minam non vltus fuero probè,quam lenoni dedi, D
Tum profectò me ſibi habento ſcurræ ludificatui.
Is etiam me ad prandium ad ſe adduxit ignauiſſimus,
Ipſe abiit foras. me reliquit pro atrienſi in ædibus,
Vbi nec leno,neque illæ redeũt,nec quod edim, quicquam datur.
Pro minore parte prandij pignus cœpi,abij foras.
Sic dedero. ære militari tetigero lenunculum
Nactus eſt hominem,mina quem argenti circumduceret.
Sed mea amica nunc mihi irato obuiam veniat velim.
Iam pol ego illam pugnis totam faciam vt ſit morula.
Itaque replebo atritate,atrior multo vt ſiet,
Quàm Ægyptij,aut qui cortinam ludis per circum ferunt.

Tene



A AN. Tene ſis me arctè mea voluptas.malè ego metuo miluos.mala
Illa beſtia eſt,ne fortè me auferat pullum tuum.
Vt nequeo ſatis te complecti,mi pater? AN. ego me moror.
Propemodum hoc nunc obſonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc eſt? quid hoc?quid hoc eſt? quid ego video?
quomodo?
Quid hoc eſt conduplicationis?quæ hæc eſt congeminatio?
Quis hic homo eſt cum tunicis longis,quaſi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? éſtne illæc mea amica Anteraſtilis?
Et ea eſt certò. iampridem ego me ſenſi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baliolum in media via?
B Iam hercle ego illum excruciandum totum carnifici dabo.
Sanè genus hoc mulieroſum eſt tunicis demiſſitiis.
Sed adire certum eſt hanc ad amatricem Aphricam.
Heus tu,tibi dico mulier,ecquid te pudet?
Quid tibi negotij autem eſt cum iſtoc?dic mihi.
POE. Adoleſcens ſalue. AN. nolo,nihil ad te attinet.
Quid tibi hanc digito tactio eſt? POE. quia mihi lubet.
AN. Lubet? POE. ita dico. AN. ligula i in malam crucem.
Túne hîc amator audes eſſe,hallex viri,
Aut contrectare,quod mares homines amant?
Deglupta mænas,arra piſa ementium,
C Maſtruga hals agorâs,hama,tum autem plenior
Alli,vlpicíque,quàm ſunt Romani remiges.
AG. Num tibi adoleſcens malæ,an dentes pruriunt,
Qui huic es moleſtus?an malam rem quæritas?
Cur non adhibuiſti,dum iſtæc loquereris,tympanum?
Nam te cinædum eſſe arbitror magis,quàm virum.
AN. Scin',quàm cinædus ſum? ite iſtinc ſerui foràs,
Efferte fuſteis. AG. heus tu,ſi quid per iocum
Dixi,nolito in ſerium conuertere.
AN. Quid tibi lubido eſt,obſecro,Anthemonides,
D Loqui inclementer noſtro cognato & patri?
Nam hic noſter pater eſt:hic nos cognouit modò,
Et hunc ſui fratris filium. AN. ita me Iuppiter
Bene amet,benefactum gaudeo,& volupe'ſt mihi,
Siquidem quid lenoni obtigit magni mali,
Cúmque è virtute vobis fortuna obtigit.
AD. Credibile æcaſtor dicit. crede huic mi pater.
POE. Credo. AG. & ego credo,ſed eccum lenonem Lycum.
Bonum virum eccum video,ſe recipit domum.
POE. Quis hic eſt? AG. vtrumuis eſt,& leno,& Lycus.
In ſeruitute hic habuit duas filias tuas.
Et mihi hic auri fur eſt. POE. bellum hominem,quem noueris.

AG. Rapiamus in ius. POE. minimè. AG. quapropter? POE. quia A
Iniuriarum multo induci ſatius eſt.

SI EGO MINAM NON VLTVS FVERO] ſi ego pœnas à lenone non expetiuero dignas mina, quam ei dedi, tum verò ſim ſcurris omnibus ludibrio. PRO ATRIENSI] pro ſeruo atrienſi. de atrienſibus aliàs dictum. NEC QVOD EDIM QVICQVAM DATVR] nec quod comedam, ſeu comedim, quicquam datur. ſic autem habent libri noſtri veteres vulgati, *quod edam.* PRO MAIORE PARTE PR. P. C.] ſic habent noſtri libri veteres, cùm vulgati habeant, *promere partem prandij*, &c. Camerar. autẽ ediderit. *pro minore parte prandij.* SIC DEDERO] id eſt, ſic lenonem vltus fuero. ÆRE MILITARI TETIG. LENVNC.] id eſt, gladio lenonem contemtiſſimum malè mulcauero. ambiguum in nominibus ære militari. nam æs militare ſignificat tum æs, quod militi datur, id eſt, ſtipendium. ex quo ære diruti, & ære merent paruo, tum gladium militarem, ſeu ferrum militare. NACTVS EST H. MINA QVEM ARG. CIRC.] εἰρώνεια eſt, proinde ac ſi dicat putat ſibi rem eſſe cum aliquo ignauo homine, qui iniuriam acceptam perſequi non poſſit. Idcirco me argenti mina fraudauit, ſed vehementer errat. B MORVLA] nigra vt maura, parua maura. Quidã lib. vet. habẽt *merulea*, quæ ſcriptura probabilis eſt, merulea autẽ, id eſt, tota nigra, vt merula, quæ nigra auis eſt. AVT QVI CORTINAM LVDIS PER C. F.] homines ſole peruſti, qui vas aquæ plenum ludis circenſibus circũferunt, vt equos anhelos, & curſu defeſſos frigida aſpergant. TENE SIS ARCTÈ M. V.] Anteraſtilis milite viſo, quem non amat, orat patrem, vt ſe arctè teneat, & à milite tutam ſeruet. NE FORTÈ ME AVF. P. T.] allegoria à pullis gallinaceis, qui proſpecto miluio confugiunt ad gallinam, eiúſque alis ſe tegunt. QVID HOC EST COND.] hæc eo dicit miles, quòd videat Anteraſtilidem Pœnum arctius amplexam. PVER CAVP.] ſine toga. nam pueri cauponij, vt eſſent expeditiores, togis non vtebantur, ſed tunicas duntaxat longiuſculas gerebant. BALIOL.] balio calore. MVLIEBR.] non dicit mulieroſum, ſed muliebroſum, id eſt, quaſi androgynum, & cynædicũ, & inſtar mulierum molle. mulieroſi autem ſunt, qui mulieres impotenter amant, & vt docet Nonius, mulierum appetentes, quos Græci φιλογυνας appellant. verumtamen malim hîc legi, vt habent libri vulgati, *mulieroſum.* TVNICIS DEMISSITIIS] tunicis ad talum demiſſis. SED ADIRE CERT. EST H. AD AMIC. AFR.] viden' vt hunc Pœnum contumelioſè muliebri nomine appellet, neque amatorem, ſed amatricem? vel dic potius à milite Anteraſtilidem cõpellari, non eius patrem, quod C declarant ea, quæ ſequuntur. *heus tu tibi dico mulier*, &c. amatricem Africam autem, id eſt, quæ Afrum amat. ECQVID TE PVDET?] id eſt, nunquid te pudet? QVID TIBI HANC DIG. T.] quid eſt, quod hanc digito tangere audeas? LIGVLA] contumelioſè ligulam appellat, quaſi vel calceorum ligulam, vel inſtrumentum ferreum, aut æneum, quo pharmacopolæ medicamenta compoſita è vaſis depromunt, vel quo ollas ſpumanteis coqui purgant: ſignificans hominem eſſe contemtiſſimum, atque abiectiſſimum. HALLEX VIRI] non vir, ſed viri muria & penè dicam fæx, vt piſcis macerati, & cõditi. hallex, ſeu allex, ſeu allec. Túne, inquit, hallex viri, audes hîc amator eſſe, aut cõtrectare, quod mares homines, id eſt, germani viri, amant? DEGLVPTA MÆNAS ARRA PISA EMENTVM, &c.] totus hic locus feliciſſimè, & ingenioſiſſimè ab Adr. Turnebo reſtitutus eſt libro Aduerſ. 10. cap. 24. & magna ex parte explicatus. Mænadem igitur appellat tamquam mulierem inſanam, deinde degluptam ψωλὸν, id eſt, glande membri inhoneſti renudata. arram piſa em. id eſt, viliſſimum hominem, & nullius ferè pretij. Nam qui piſa emunt, vt legumen haud magni admodum pretij, credibile eſt, pecuniam præſentariam non ſoluunt, arram dare quàm minimi pretij. D MASTRVGA,] maſtruga, ſeu maſtruca, veſtis ſcortea teterrimi odoris, qua Sardi vtebantur. Marc. Tull. pro Æmilio Scauro. *Quem purpura regalis non commouit, eum Sardorum maſtruca tentauit?* ſignificat hominem eſſe tætri odoris, hominem fœtidum. HALS AGORAS, HAMA] hæc verba ſunt Græca, quæ ſignificant ſalis aceruum, ſalis ſtruem. quemadmodum autem ſalſamenta ſunt odoris ingrati, ſic & ſalis aceruus in foro. HAMA] vas aquariũ ex corio. TVM AVTEM PL. ALLI VLP. &c.] tum autem allium, & vlpicum olens magis, quàm remiges Romani. vlpicum, allij ſpecies eſt. CVR NON ADHIB. D. H. L. TYMP.] vt Galli ſacerdotes Cybelles. homines ſemiuiri. QVIA INIVR. MVLTO] quia multo ſatius induci actionem iniuriarum.

LYCVS leno. AGORASTOCLES.
HANNO Pœnus. ANTHEMONIDES miles.

LY. DEcipitur nemo, mea quidem ſententia,
Quia ſuis amicis narrat rectè res ſuas.

Nam



A Nam omnibus amicis meis idem vnum conuenit,
Vt me ſuſpendam, ne addicar Agoraſtocli.
AG. Leno eamus in ius. LY. obſecro te Agoraſtocles,
Suſpendere vt me liceat. POE. Leno in ius te voco.
LY. Quid tibi mecum autem? POE. quia haſce aio liberas,
Ingenuáſque eſſe filias ambas meas,
Quæ ſunt ſurreptæ cum nutrice paruulæ.
LY. Iampridem equidem iſtuc ſciui, & miratus fui
Neminem venire, qui iſtas aſſereret manu.
Meæ quidem profectò non ſunt. AN. leno in ius eas.
LY. De prandio tu dicis. debetur. dabo.
B AG. Duplum pro furto mihi opus eſt. LY. ſume hinc quidem.
POE. Et mihi ſuppliciis multis. LY. ſume hinc quid lubet.
AN. Et mihi quidem mina argenti. LY. ſume hinc quid lubet.
Collo rem ſoluam iam omnibus, quaſi baiolus,
AG. Numquid recuſas contra me? LY. haud verbum quidem.
AG. Ite igitur intrò mulieres: ſed patrue mi,
Tuam, vt dixiſti mihi, deſponde filiam.
POE. Haud aliter auſim. AN. bene vale. AG. & tu bene vale.
AN. Leno arrabonem hunc pro mina mecum fero.
LY. Perij hercle. AG. imò haud multo pòſt in ius veneris.
LY. Quin egomet tibi me addico. quid prætore opus eſt?
C Verùm obſecro te, vt liceat ſimplum ſoluere,
Trecentos Philippos. credo, corradi poteſt,
Cras auctionem faciam. AG. tantiſper quidem
Vt ſis apud me lignea in cuſtodia.
LY. Fiat. AG. ſequere intrò patrue mi, vt hunc feſtum diem
Habeamus hilarem, huius malo, & noſtro bono.
Multum valete, multa verba fecimus.
Malum poſtremò omne ad lenonem redit.
Nunc quod poſtremum eſt condimentum fabulæ,
Si placuit, plauſum poſtulat comœdia.

D

NAM OMNIBVS AMICIS, &c.] nam omnes amici mei in hac ſunt, ſine vlla controuerſia, ſententia, &c. QVASI BAIOLVS] vt baiolus, qui collo onera geſtat. ſed ſignificat ſe collo, id eſt, laqueo gutturi innexo, & anima intercluſa omnibus ſatisfacturum. HAVD VERBVM QVIDEM] ſic perſpicuè ſcriptum eſt in noſtris libris veteribus. ſed malim tamen legi, *ne verbum quidem.* HOC] intellige militem exeuntẽ domo lenonis, aliquid abſtuliſſe. quod pro mina, quam ei dederat, retineret. CREDO CORRADI POTEST] credo hanc ſummam ex meis bonis redigi, & corradi poſſe. TANTISPER Q. VT SIS L. IN C.] ea lege, vt tantiſper dum ſoluas, vinctus compedibus ligneis tenearis.

A

# PERSA.

## DRAMATIS PERSONÆ.

B

| | |
|---|---|
| TOXILVS, | ſeruos. |
| SAGARISTIO, | ſeruos. |
| SATVRIO, | paraſitus. |
| SOPHOCLIDISCA, | ancilla. |
| LEMNISELENE. | |
| PÆGNIVM, | puer. |
| PERSA. | virgo. |
| DORDALVS, | leno. |

## ARGVMENTVM. C

PRofecto domino ſuos amores Toxilus
Emit, atque curat, leno vt emittat manu,
Raptámque vt emeret de prædone virginem
Subornatam, ſuadet, ſui paraſiti filiam,
Atque ita intricatum ludit potans Dordalum.

PROFECTO DOMINO] Thimarchide. SVOS AMORES] puellam liberam, quam amabat Lemniſcelenem. VIRGINEM] Perſam Saturionis paraſiti filiam.

D

## TOXILVS, SAGARISTIO, ſerui duo.

QVi amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris
vias,
Superauit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum
apro Ætolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim,
Quàm cum amore. ita fio miſer quærendo argento mutuo,
Nec quicquam, niſi, Non eſt, ſciunt mi reſpondere, quos rogo.

Qui



A SA. Qui hero ſuo ſeruire vult bene ſeruus ſeruitutem,
Næ ædepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere cenſeat præſenti atque abſenti ſuo.
Ego neque libenter ſeruio, neque ſatis ſum hero ex ſententia,
Sed quaſi lippo oculo, me herus meus manũ abſtinere haud quit
tamen,
Quin mihi imperet, quin me ſuis negotiis præfulciat.
Quis illic eſt, qui cõtra me aſtat? TO. quis hic eſt, qui contra me
aſtat?
Similis eſt Sagariſtionis. SA. Toxilus hic quidẽ meus amicus eſt?
TO. Is eſt profectò. SA. eum eſſe opinor. TO. congrediar. SA.
B contrà aggrediar.
TO. O Sagariſtio, di ament te. SA. ô Toxile, dabunt di quæ exoptes,
Vt vales? TO. vt queo. SA. quid agitur? TO. viuitur.
SA. Satin' ergo ex ſententia? TO. ſi eueniunt quæ exopto, ſatis.
SA. Nimis ſtultè amicis vtere. TO. quid iam? SA. quia iam im-
perare oportet.
TO. Nihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non viſitaui.
SA. Negotiũ ædepol fuit. TO. ferreũ fortaſſe. SA. pluſculũ annum
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.
TO. Vetus iam iſtæc militia eſt tua. SA. ſatin' tu vſque valuiſti?
TO. haud probè.
C SA. Ergo ædepol palles. TO. ſaucius factus ſum in Veneris prœlio,
Sagitta Cupido cor meum transfixit. SA. iam ſerui hîc amant.
TO. Quid ergo faciam? díſne aduorſer? quaſi Titani cum dis belligerẽ,
Quibus ſat eſſe non queam?
SA. Vide modò vlmeæ catapultæ tuum ne trans figant latus.
TO. Baſilicè agito eleutheria. SA. quid iam?
TO. Quia herus peregrè eſt. SA. ain' tu peregrè eſt?
TO. Si tute vbi bene eſſe potes pati, veni, viues mecum,
Baſilico accipiere victu. SA. vah iam ſcapulæ pruriunt,
Quia te iſtæc audiui loqui. TO. ſed hoc me vnum excruciat.
D SA. Quídnam id eſt? TO. hæc dies ſumma hodie eſt, mea amica
ſítne libera,
An ſempiternam ſeruitutem ſeruiat. SA. quid nunc vis ergo?
TO. Facere amicum tibi me potis es ſempiternũ. SA. quemadmodũ?
TO. Vt mihi des nummos ſexcentos, quos pro capite illius pendam,
Quos continuò tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo,
Age ſi benignus, ſubueni.
SA. Qua confidentia rogare tu à me argentum tantum audes
Impudens? quin ſi egomet totus veneam, vix recipi poteſſit
Quod tu me rogas. nam tu aquam è pumice nunc poſtulas,
Qui ipſus ſitiat. TO. ſiccine hoc te mihi facere? SA. quid fa-
ciam? TO. rogáſne?

ffff

Alicunde exora mutuum. SA. tu fac idem quod rogas me. A
TO. Quæſiui nuſquam repperi. SA. quæram equidem,ſi quis credat.
Nempe habeo in mundo.ſi id domi eſſet mihi,iam pollicerer.
Hoc meũ eſt,vt faciam ſedulò. TO.quicquid erit,recipe te ad me
SA. Quære tamen,ego item ſedulò ſi quid erit,faciam vt ſcias.
TO. Obſecro te. SA. reſecro. TO. operam da hãc mihi fidelem.
SA. ah odio me enicas.
TO. Amoris vitio,non meo,nunc tibi morologus fio.
SA. At pol ego abs te conceſſero. TO. iámne abis? SA. bene ambulato.
TO. Sed recipe te quamprimùm potes,caue fuas mihi in quæſtione:
Vſque ero domi,dum excoxero lenoni malum. B

PRINCEPS]primus. CVM LEONE]vt Hercules cum leone Nemeæo depugnauit. ET CVM EXCETRA]cum hydra.Horat. *diram qui contudit hydram.* CVM CERVO]cum ceruo Erimanthio. CVM APRO ÆT.]cum apro Calydonio. IN PECTORE SVO C.] cogitare. CENSEAT]putet. QVASI LIPPO OCVLO]cui lippi ſunt oculi,non poſſunt ſe continere, quin crebrò eis manũ admoueant. NIMIS STVLTÈ AMICIS VTERE] neſcis amicis vti. QVIA TE NON VISITAVI] quia te crebro non vidi,vt ſolebã. FERREVM F.] negotium ferreum ſalſè appellat compedes ferreas. PRAEFERRATVS]ferro vinctus. TRIBVNVS VAPVL.] in verberibus perferendis occupatus:vt tribuni militares in militia occupati ſunt. tribunus vapularis dixit,vt dicitur,tribunus militaris. QVASI TITANI]tanquam Titani cum diis bellum geram ? de Titanis qui cum diis bellum geſſerunt: Nota eſt fabula. VLMEAE CATAPVLTAE]id eſt,vlmeæ virgæ.catapultas autem dixit, vt in ſermone de bello permaneat.* BASILICÈ AGITO]regium in morem viuo. dies feſtos ob libertatem partam agitans.ELEVTHERIA]dies feſtos ob libertatẽ partam.SI TVTE TIBI BENE ESSE P.]ſi tute potes pati te bene,& iucundè viuere,&c. BASILICO] C regio. VAH IAM SCAP. PR.]vah,iam ſcapulis tuis verbera impendent. HAEC DIES SVMMA HODIE EST,&c.] vel hodie amica mea erit libera, vel perpetuò ſeruiet. REPONAM]reddam,renumerabo.FI BENIGNVS]præbe te erga me liberalem,ac benignum, *fi*,imperatiui modi à verbo *fio*.VIX RECIPI]vix redigi poſſit. NAM TV AQVAM È P.] pecuniam ab egentiſſimo poſtulas. NEMPE HABEO IN MVNDO]iocus,habere in mundo dicuntur,qui nihil habent domi. RESECRO]reſecrare,eſt obſecrationem ſoluere.ſuprà in Aulul. *Nunc te obſecro fac mentionem cum auunculo mater mea,Reſecróque mater quod dudum obſecraueram.* MOROLOGVS]ſtultiloquus. CAVE,FVAS MIHI IN QVÆST.]caue mihi quærendus ſis. VSQVE ERO DOMI DVM EXC. L. M.]vſque ero domi,donec malũ,quod lenoni cogito,excogitaro,vel perfectè meditatus fuero.tralatio à rebus igni excoctis.

## SATVRIO paraſitus.

VEterem atque antiquum quæſtum meum alimoniæ D
Seruo atque obtineo,& cum magna cura colo.
Nam numquam quiſquam meorum maiorum fuit,
Quin paraſitando pauerint ventres ſuos:
Pater,auos,proauos,abauos,atauos,tritauos,
Quaſi mures ſemper edêre alienum cibum:
Neque edacitate eos quiſquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris capitonibus.
Vnde hunc ego quæſtum obtineo,& malorum locum.
Nam quadruplari me volo. neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi,qui faciunt,mihi placent. planè loquor.

Nam



A Nam publicæ rei cauſſa quicunque id facit
Magis,quàm ſui quæſti,animus induci poteſt
Eum eſſe ciuem & fidelem & bonum.
Sed legirupam qui damnet,det in publicum
Dimidium,atque etiam iubeat legi aſcribier,
Vbi quadruplator quempiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rurſus iniiciat manum,
Vt æqua parti prodeant ad treis viros:
Si id fiat,næ iſti faxim nuſquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.
Sed ſúmne ego ſtultus,qui rem curo publicam,
B Vbi ſunt magiſtratus,quos curare oporteat?
Nunc huc introibo,viſam heſternas reliquias,
Quieuerint rectè, nécne:num infuerit febris:
Opertæne fuerint,nequis obreptauerit.
Sed aperiuntur ædes,remorandus eſt gradus.

ALIMONIÆ] ad me alendum. noſtri libri veteres tamen non habent vocem *alimoniæ.* QVASI MVRES SEMPER ED. AL.]tamquã mures ſemper alieno cibo paſti ſunt. HIS COGNOMEN. ERAT D. CAP.]hi cognomento duri Capitones dicebantur, quòd eſſent in comedendo pertinaces. NEQVE QVADRVPL. ME VOLO]neque volo quadruplator eſſe. Aſcon. *quadruplatores accuſatores,ſiue delatores criminum publicorum ſub pœna quadrupli, ſiue quod ipſi ex damnatorum bonis,quos accuſauerant,quartam partem conſequebantur.* SINE MEO P.] C hoc eò dicit,quòd ſine ſuo periculo aliena bona ereptum ibant quadruplatores. ANIMVS INDVCI POTÈST]adduci poſſum,vt credam eum eſſe ciuem,&c. LEGIRVPAM]παράνομον, τὸν τοὺς νόμους παραβάντα, eum qui contra leges fecerit. VBI QVADR. QVEMP. INIEXIT. M.]vbi quadruplator in quempiam iniecerit manũ.id eſt,vbi quadruplator,quem iniecta manu in iudicium adduxerit. TANTIDEM ILLE ILLI]vt ille,in quem quadruplator iniecit manum, tantidem iniiciat manum in eum,à quo in iudicium adductus eſt. tantidem.id eſt,tanta pœna propoſita,vel tantidem lite æſtimanda. VT AEQVA PARTI PR. AD TREIS VIR.] vt pari certamine ad triumuiros prodeãt : vt pari vtrique propoſito periculo ad triumuiros prodeant. SI ID FIAT,&c. ] ſi qui legirupam damnet,det in publicium dimidium,&hoc iubeat legi aſcribi,vt vbi quadruplator in quempiam manum iniecerit, tantidem hic illi rurſus iniiciat manũ,ne iſti quadruplatores,& ſycophantæ nuſquam apparebunt. NÆ ISTI F. &c. ] id eſt,næ iſti,qui aliena bona inſidioſè captant, nuſquam apparebunt:vel ſic,profectò eueniet,vt qui aliena bona dolis oppugnant, nuſquam compareant. ALBO R.]id eſt,albo reti.albo reti autem,id eſt,occultè,& inſidioſè &doloſè:vel ſpecie reip. D conſulendi, & perſona boni ciuis induta.SED SÚMNE EGO STVLTVS,&c.]ſed nónne ego ſtultus,qui rempublicam curo,cùm magiſtratus non deſint,qui curare debeant? QVIEVERINT RECTÈ NÉCNE]allegoria eſt ab ægris.

## TOXILVS ſeruus, SATVRIO paraſitus.

OMnem rem inuéni,vt ſua ſibi pecunia
Hodie illam faciat leno libertam ſuam.
Sed eccum paraſitum,cuius mihi auxilio eſt opus.
Simulabo quaſi non videam,ita alliciam virum.
Curate iſtic vos,atque approperate ocyus,
Ne mihi moræ ſit quicquam,vbi ego intrò aduenero.

Commiſce mulſum,ſtruthea,coluthea:aquam appara, A
Bene vt in ſcutris concaleat,& calamum iniice.
Iam pol ille hic aderit,credo,congerro meus.
SA. Me dicit euge. TO. lautum credo à balneis
Iam hic affuturum. SA. vt ordine omnem rem tenet.
TO. Collyræ facite vt madeant,& colliphia.
Ne mi hæc incocta detis. SA. rem loquitur meram,
Nihil ſunt crudæ,niſi quas madidas glutias.
Tum niſi cremore craſſo eſt ius collyricum,
Nihil eſt,macrum illud,epicrocum,pellucidum,
Quaſi iuream eſſe ius decet collyricum.
Nolo in veſicam quod eat,in ventrem volo.
TO. Propè me hic neſcio quis loquitur. SA. ô mi Iuppiter B
Terreſtris,te coëpulonus compellat tuus.
TO. O Saturio,opportunè aduenisti mihi.
SA. Mendacium ædepol dicis,atque haud te decet.
Nam eſurio venio,non aduenio Saturio.
TO. At edes. nam iam intus ventris fumant focula.
Calefieri iuſſi reliquias. SA. pernam quidem
Ius eſt apponi frigidam poſtridiè.
TO. Ita fieri iuſſi. SA. ecquid alecis? TO. vah rogas?
SA. Sapis multum ad genium. TO. ſed ecquid meminiſti,here
Qua de re ego tecum mentionem feceram? C
SA. Memini,vt murena,& conger ne calefierent.
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid ceſſamus prœlium committere?
Dum mane eſt,omneis eſſe mortalis decet.
TO. Nimis pæne mane'ſt. SA. manè quod tu occœperis
Negotium agere,id totum procedit diem.
TO. Quæſo animum aduorte. hoc enim iam here narraui tibi,
Tecúmque oraui,vt nummos ſexcentos mihi
Dares vtendos mutuos. SA. memini & ſcio,
Et te me orare,& mihi non eſſe quod darem. D
Nihili paraſitus eſt,cui argentum domi eſt.
Lubido extemplò cœpere eſt conuiuium,
Tuburcinari de ſuo ſi quid domi eſt.
Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probè.
Ampullam,ſtrigilem,ſcaphium,ſoccos,pallium,
Marſupium habeat. inibi paullum præſidi,
Qui familiarem ſuam vitam oblectet modò.
TO. Iam nolo argentum. filiam vtendam tuam
Mihi da. SA. numquam ædepol cuiquam etiam vtendam dedi.
TO. Non ad iſtoc,quod tu inſimulas. SA. quid eam vis? TO. ſcies.
Quia forma lepida & liberali eſt. SA. res ita'ſt.

Hic



A TO. Hic leno neque te nouit,neque natam tuam.
SA. Me vt quiſquam norit,niſi ille,qui præbet cibum?
TO. Ita eſt. hoc tu mihi reperire argentum potes.
SA. Cupio hercle. TO. tum tu me ſine illam vendere.
SA. Tun' illam vendas? TO. immò alium allegauero
Qui vendat,qui eſſe ſe peregrinum prædicet.
Siquidem hic leno nondum ſex menſes Megaribus
Huc eſt cum commigrauit. SA. pereunt reliquiæ.
Poſterius iſtuc tamen poteſt. TO. ſcin' quàm poteſt?
Numquam hercle hodie hic prius edis,ne fruſtra ſis,
Quàm te hoc facturum,quod rogo,affirmas mihi.
B Atque niſi natam tecum huc iam,quantum pote'ſt,
Adducis,exigam hercle ego te ex hac decuria.
Quid nunc?quid eſt? quin dicis quid facturus ſis?
SA. Quæſo hercle me quoque etiam vendas,ſi lubet,
Dum ſaturum vendas. TO. hoc ſi facturus,face.
SA. Faciam equidem quæ vis. TO. benefacis,propera,abi domum.
Præmonſtra doctè,præcipe aſtu filiæ,
Quid fabuletur,vbi ſe natam prædicet,
Qui ſibi parentes fuerint,vnde ſurrepta ſit.
Sed longè ab Athenis eſſe ſe natam autumet:
Et vt affleat,cum ea memoret. SA. etiam tu taces?
C Ter tanto peior ipſa eſt,quàm illam tu eſſe vis.
TO. Lepidè hercle dicis. ſed ſcin' quid facias? cape
Tunicam atque zonam,& chlamydem afferto & cauſiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. SA. eu,probè.
TO. Quaſi ſit peregrinus. SA. laudo. TO. & tu tuam natam tamen
Ornatam adduce lepidè,in peregrinum modum.
SA. Sed πόθεν ornamenta? TO. abs chorago ſumito.
Dare debet. præbenda ædiles locauerunt.
SA. Iam faxo hic aderunt. ſed ego horum nihil ſcio.
D TO. Nihil hercle verò? nam vbi ego argentum accepero,
Continuò tu illam à lenone aſſerito manu.
SA. Sibi habeat,ſi non extemplò ab eo abduxero.
TO. Abi,& iſtuc cura. ego puerum volo
Mittere ad amicam meam,vt habeat animum bonum.
Me eſſe effecturum hodie. nimis longum loquor.

VT SVA SIBI PECVNIA] genus loquendi Plauto,& Terentio vſitatum. ILLAM] Lemniſcelenem. SIMVLABO, QVASI NON VIDEAM] ſimulabo me non videre. CVRATE ISTIC VOS] ſimulat ſe iubere ſeruos cenam apparare. STRVTHEA] Plinius lib.15.cap.11. de Cydoniis loquens. Minore ex eodem genere ſtruthea.odoratius vibrant ſerotino prouentu. Ex his fiebat mulſum & vinum conditum dulciſſimum. COLVTHEA] tragemata,& bellaria. AQVAM APPARA] ſic habent libri veteres. IN SCVTRIS] in vaſis: à quibus ſcutellæ. ſed vulgati habent *ſtruteis*. Reſpexit autem hunc locum Plinius, cùm hæc ſcripſit lib.14.cap.3.lautiſſima apud priſcos vina erant,myrrhæ odore condita, vt apparet

ffff iij

in Plauti fabula,quę Perſa inſcribitur,quamquam in ea & calamum addi iubet. CALAMVM] odoratum. CONGERRO MEVS] Varro lib.6.de ling. Latina in Perſa. *Iam pol ille hic aderat congerro meus.* congerro à gerra, & Græcum eſt. COLLYRÆ] collyræ, panes ſunt oleo conſperſi. eſt & genus farinaceorum, quæ vt lagana interdum in ſartagine friguntur, interdum cocti per ſe eduntur, interdum ex iure comeduntur. Denique placentæ genus eſſe tradunt grammatici Græci. MADEANT] coctæ ſint. Virg. *Et quamuis igni exiguo properata maderent.* COLLIPHYA] panes cum recenti caſeo commixti. MADIDAS] coctas. IVS COLLYRICVM] ius, ex quo collyræ eduntur. MACRVM] tenue, vel non pingue, neque vnctum. QVASI IVREAM ESSE IVS DECET COLLYRIC.] ius collyricum decet eſſe quaſi iureã placentam. id eſt, ius collyricum debet eſſe ita craſſum, vt placentæ inſtar ſit. NOLO IN VESICAM Q. EAT,&c.] nolo, ſit liquidum, ſed craſſum, & concretum. liquida enim in veſicam, craſſa in ventrem eunt. quamquam etiam, liquida in ventriculum eunt primùm: deinde in veſicam procolata (vt verbo Lucretiano vtar) demanant. O MI IVPITER TERR.] ô tu, qui mihi Iupiter es terreſtris. COËPVLONVS] coëpulo. NAM ESVRIO VENIO] non aduenio ſatur. Iocus ex etymo nominis. ſignificat ſe venire eſurientem, non ſaturum. FOCVLA] Nonius, focula dicta ſunt nutrimenta. vndè & foculari dicitur, vt fouere. Plaut. Perſa. *At edes nam iam intus ventris f. foc.* PERNAM FRIGIDAM] quæ tota non ſit heri abſumta. SAPIS MVLTVM AD GENIVM] ſapis multum ad genium placandum. ſcis, quo pacto genius ſit colendus, & placandus. HERE QVA DE RE EGO,&c.] ordo eſt, ecquid, id eſt, numquid meminiſti, qua de re ego heri tecum mentionem feceram? NAM NIMIO MEL. OPPECT. FR.] nam cùm frigida ſunt conger & murena, multo melius oppectuntur, id eſt, manibus quaſi pectinibus circum carpuntur, & comeduntur. PROELIVM COMMITTERE?] comeſſe? hoc enim prœlium paraſito dignum eſt. OMNEIS ESSE M. D.] omneis homines comeſſe decet. MANE QVOD TV OCCEPERIS NEG. AG.] vtile eſt (inquit) manè quoduis negotium incipere. nam quod negotium manè occeperis, id totum procedit diem. TECÚMQVE ORAVI] & te oraui. ſic autem Plautus loqui ſolet. NIHILI] nequam, nullius bonæ frugi. COEPERE] inire. TVBVRCINARI] raptum comeſſe, vorare. CYNICVM ESSE EGENTEM,&c.] oporret paraſitum eſſe Cynicum, & egentem, &c. AMPVLLAM] vas olearium, quo in balneis ad vngenda corpora vti ſolebant. ληκύθους appellant Græci. SCAPHVM] vas, vnde bibebant. INIBI PAVLVLVM PR.] in marſupio paullum nummorum, qui ſunt ei præſidio in temporibus neceſſariis. QVOD TV INSIMVLAS] quod tu mihi obiicis, vel quod tu ſuſpicaris. ME VT QVISQVAM N. &c.] egóne cõmittam, vt quiſquam me norit, niſi ille, qui cibum ſuppeditat? HOC] hoc modo, hac ratione. ALLEGAVERO] priuatim miſero. SIQVIDEM HIC LENO NONDVM SEX MENSES] id eſt, ſiquidem nondum ſex menſes exacti ſunt, poſtquam leno Megaris in hanc vrbem, nempe Athenas, commigrauit. MEGARIBVS] Megaris. PEREVNT RELIQVIÆ] paraſitus partim, quòd animũ habeat in patinis, partim quòd filiam ſuam non libenter ad hanc ſimulatam venditionem tradat, hunc ſermonem vult in aliud tempus differri. NE FRVSTRÀ SIS] ne te fruſtreris. EXIGAM] expellam. EX HAC DECVRIA] ex hoc ordine, ex hoc dignitatis gradu. HOC SI FACT. F.] hoc ſi facturus es, fac primo quoque tempore. PRÆCIPE AST. FIL. &c.] præcipe callidæ filiæ, doce callidè, & aſtutè filiam, quid loquatur, &c. AVTVMET] dicat. ET VT AFFLEAT] & præmone eam, vt affleat, cùm ea dicat, id eſt, vt fletu orationem ſuam adiuuet, & veriſimiliorem reddat: ſic ſuprà in Pœnul. *vt afflet, quo illud geſtu faciat facilius?* CAVSIAM] tegumentum capitis ad arcendum æſtum. SED πόθεν ORN.] ſed vnde ornamenta ſumam? PRÆBENDA ÆD. L.] ædiles chorago tradiderunt ornamenta, quæ illic præbeant actoribus. ILLAM] filiam tuam. SIBI HABEAT] non recuſo, quin ſibi habeat filiam meam, niſi illam continuò ab eo abdixero. ME ESSE EFFECTVRVM HODIE] me eſſe hodie effecturum, quod ei pollicitus ſum.

A B C D

## SOPHOCLIDISCA, LEMNISELENE.

SAtis fuit, indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties.
Nimis tandem me quidem pro barda & pro ruſtica reor habitam
Eſſe abs te. quamquam ego vinum bibo, at mandata non conſueui ſimul bibere.
Nam me quidem iam ſatis tibi ſpectatam cenſueram eſſe, & meos mores.





A Nam equidem iam te ſector, quintum hunc annum, cùm interea iam, credo,
Canis ſi in ludum iret, potuiſſet iam fieri vt probè litteras ſciret,
Cum interim tu meum ingenium fans non edidiciſti, atque infans
Potin' vt taceas? potin' ne moneas? memini & ſcio, & calleo, & commemini,
Amas, pol, miſera. id tuus ſcatet animus. ego iſtuc placidum tibi vita eſt?
Vt ſit faciam. LE. miſer eſt qui amat.
SO. Certò is quidem nihili eſt, qui nihil amat. quid ei homini opus
Ire decet me, vt heræ obſequens, fiã, libera mea opera ocyus vt ſit.
B Conueniam hunc Toxilũ. eius aureis quæ mandata ſunt, onerabo.

SATIS FVIT INDOCTÆ,&c.] ſi eſſem indocta, immemor, inſipiens, tamen ſatis fuit, toties mihi docere, te amore vri. PRO BARDA] pro ſtulta. Nonius, bardum eſt vi propria ingenio tardum. Nam Græci βραδεῖς tardos dicunt. Homer. Ἰλιάδ. 23. βάρδιστοι μὲν γάρ οἱ ἔσαν καλλίτριχες ἵπποι. CENSVERAM] putarã. CÙM INTEREA CANIS SI IN LVD. IRET] canis ſi in ludum iret, quinquennio fieri poſſet, vt litteras ſciret: tu neque fans, neque infans meum ingenium noſſe potuiſti. LIBERA MEA OP. OCYVS VT SIT] vt mea opera ocyus libera ſit. EIVS AVREIS, QVÆ MAND. S. ON.] eius aureis iis onerabo, quæ mihi mandata ſunt.

## TOXILVS ſeruus. PÆGNIVM puer. SOPHOCLIDISCA ancilla.

C

SAtin' hæc tibi ſunt plana, & certa? ſatin' hæc meminiſti, & tenes?
PÆ. Melius, quàm qui docuiſti. TO. ain' verò verbereum caput?
PÆ. Aio enimuerò. TO. quid ergo dixi? PÆ. ego rectè apud illam dixero.
TO. Non ædepol ſcis. PÆ. da hercle pignus, ni omnia memini & ſcio.
TO. Equidem ſiſcis tute, quot habeas hodie digitos in manu,
Ego dem pignus tecum. PÆ. audacter, ſi lubido eſt perdere.
D TO. Bona pax ſit potius. PÆ. tum igitur ſine me ire. TO. & iubeo & ſino.
Sed ita volo te curare, vt domi ſis, cum ego te eſſe illi cenſeam.
PÆ. Faciam. TO. quò ergo is nunc? PÆ. domum, vti domi ſim cum illi cenſeas.
TO. Scelus tu pueri es, atque ob iſtam rem ego aliquid te peculiabo.
PÆ. Scio fidei hercle herili, vt ſoleat impudicitia opprobrari.
Nec ſubigi queantur vmquam, vt pro ea fide habeant iudicem.
TO. Abi modò. PÆ. ergo laudabis faxo. TO. ſed has tabellas Pægnium,
Ipſi Lemniſelenæ fac des, & quæ iuſſi nuntiato.
SO. Ceſſo ire ego quò miſſa ſum?

P Æ. Eo ego. T O. i ſanè.ego domum ibo, face rem hanc cum cura geras. A

Vola curriculo. P Æ. iſtuc marinus paſſer per circum ſolet.

Illic abiit hinc intrò huc.ſed quis hæc quæ me aduorſum incedit?

S O. Pægnium hic quidem eſt. P Æ. Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt eius,

Quò ego ſum miſſus. S O. nullus eſſe hodie hoc puero peior perhibetur

Compellabo. P Æ. commorandum'ſt mihi apud hanc obicem.

S O. Pægnium,deliciæ pueri,ſalue.quid agis? vt vales?

P Æ. Sophoclidiſca di me amabunt. S O. quid me? vtrùm? P Æ. hercle neſcio. B

Sed ſi,vt digna es,faciant,odio hercle habeant,& faciant malè.

S O. Mitte malè loqui. P Æ. cùm vt digna es, dico, benè, non malè, loquor.

S O. Quid agis? P AE. feminam ſceleſtam te aſtans contrà contuor.

S O. Certè equidem puerum peiorem,quàm te,noui neminem.

P AE. Quid mali facio,aut cui malè dico?S O.cui pol cúmq; occaſio eſt.

P AE. Nemo homo vmquam ita arbitratus eſt. S O. at pol multi eſſe ita ſciunt.

P AE. Eia. S O. eia. P AE. tuo ex ingenio mores alienos probas.

S O. Fateor ego profectò,me eſſe vt decet lenonis familiæ.

P AE. Satis iam dictum habeo. S O.ſed quid tu?confitêre,vt te autumo? C

P AE. Fatear,ſi ita ſim. S O. iam abi, viciſti. P AE. abi nunc iam. S O. ergo hoc mihi expedi,

Quò agis? P AE. quò tu? S O. dic tu,prior rogaui. P AE. at poſt ſcies.

S O. Eo ego hinc haud longè. P AE. & quidem ego haud longè. S O. quò ergo ſcelus?

P AE. Niſi ſciero prius ex te, tu ex me numquã hoc,quod rogitas, ſcies.

S O. Numquam ecaſtor hodie ſcibis,priuſquam ex te audiuero.

P AE. Itáne eſt? S O. itáne eſt? P AE. mala es. S O. ſceleſtus. P AE. decet me. S O. me quidem haud decet. D

P AE. Quid ais?certúmne eſt celare,quò iter facias,peſſuma?

S O. Offirmaſtin' occultare,quò te immittas,peſſumè?

P AE. Par pari reſpondes,dicto.abi iam,quando ita certa res eſt.

Nihili facio ſcire,valeas. S O. aſta. P AE. at propero. S O. & pol ego item.

P AE. Ecquid habes? S O. ecquid tu? P AE. nihil equidem. S O. cedò manum ergo. P AE. éſtne hæc manus?

S O. Vbi illa altera eſt furtifica læua? P AE. domi. eccam huc nullam attuli.

S O. Habes neſcio quid. P AE. ne me attrecta ſubagitatrix. S O. ſin te amo?

Malè



A P AE. Malè operam locas. S O. qui? P AE. quia enim nihil amas, cùm ingratum amas.

S O. Tempori hanc vigilare oportet formulam,atque ætatulam:

Ne vbi capillus verſipellis fiat,fœdè ſemper ſeruias.

Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. P AE. at confidentia

Illa militia militatur multo magis,quàm pondere.

Atque ego hanc nunc operam perdo. S O. quid iam? P AE. quia peritæ prædico.

Sed ego ceſſo. S O. mane. P AE. moleſta es. S O. ero quoque niſi ſcio

Quò agas te. P AE. ad vos. S O. & pol ego ad vos. P AE. quid eò? S O. quid id ad te attinet? B

P AE. Enim non ibis nunc viciſſim, niſi ſcio. S O. odioſus es. P AE. lubet.

S O. Numquã hercle iſtuc exterebrabis tu,vt ſis peior,quàm ego ſiem.

P AE. Malitia certare tecum,miſeria eſt. S O. merx tu mala es.

P AE. Quid eſt quod metuas? S O. idem iſtuc, quod tu. P AE. dic ergo,quid eſt? S O. at vetita ſum,

Ne hoc cuiquam homini dicerem, omnes muti vt loquerentur prius.

P AE. Edictum eſt magnopere mihi,ne cuiquam homini crederem,

Omnes muti vt loquerentur prius hoc, quàm ego. S O. at tu hoc face. C

Fide data credamus. P AE. noui,omnes ſunt lenæ leuifidæ:

Neque tipulæ leuius pondus eſt,quàm fides lenoniæ.

S O. Dic amabo. P AE. dic amabo. S O. nolo ames. P AE. facilè impetras.

S O. Tecum habeto. P AE. & tu hoc taceto. S O. tacitum erit. P AE. celabitur.

S O. Toxilo has fero tabellas,tuo hero. P AE. abi,eccillum domi.

At ego hanc ad Lemniſelenen tuam heram obſignatam abietem.

S O. Quid iſtuc ſcriptum? P AE. iuxta tecum,ſi tu neſcis,neſcio.

D Niſi fortaſſe blanda verba. S O. abeo. P AE. at ego abiero. S O. ambula.

SATIN' HÆC TIBI PLANA,&c.]quæ te amicæ meæ narrare iuſſi? VERBEREVM CAPVT?]puer totus ex verberibus concretus, verberibus contuſus quantus, quantus es. SI LVBIDO EST PERD.]ſi tibi lubet perdere.ſic ſuprà, *lubido extemplo eſt cœpere eſt conuiuium.* SED ITA TE VOLO CVRARE.]ſed ita te volo mandata mea curare,quæ te ad Lemniſelenem perferre iuſſi, vt tamen domi ſis,cùm te illic eſſe poſtulem. ILLI.] illic. SCELVS TV PVERI ES.]ſceleſtus puer es. ALIQVID TE PECVLIABO.] aliquo te peculio donabo,atque ornabo. ISTVC MARINVS PASSER.] Feſtus.paſſer marinus, quem vocat vulgus ſtruthiocamelum. ILLIC] Toxilus. PECVLIARIS]ſerua peculiaris. QVÒ.] ad quam. APVD HANC OBICEM] apud hanc Sophoclidiſcam, quæ mihi moram obiiciet:vel quæ mihi obiicitur. TVO EX INGENIO MORES AL. PR.]ex tuo ingenio aliorum mores metiris. ME ESSE, VT DECET LEN. F.] me talem eſſe, qualem eſſe decet,eam fæminam,quæ eſt ex lenonis familia. CONFITERE, VT TE AVTVMO?]confitere te talem eſſe,qualem autumo? QVÒ AGIS?]quò te agis? OFFIRMASTIN

OCCVLTARE]oſſirmatóne animo occultabis, quò te conferas peſſimè? NIHILI FACIO SCIRE]non curo ſcire. ECQVID HABES?]numquid habes? FVRTIFICA] furatrix. SVBAGITATRIX.]mulier,quæ ſubagitare,& attrectare mares ſoles. SIN TE AMO.]ſi te amo autem,an non mihi licebit te ſubagitare? CÙM INGRATVM AMAS.]cùm eum amas,cui ingrata ſis. TEMPORI HANC VIGILARE] tempori iſtam formam puerilem ſeruire oportet.id eſt,interea dum tibi per ætatem, & formam licet, debes indulgere voluptati.iſtum ætatis florem non debes pati ſine quæſtu,exareſcere. FORMVLAM] formam puerilem. VERSIPELLIS FIAT]albeſcat.Horat. OCTOGINTA PONDO]octoginta librarum. voluit dicere octoginta annorum. AT CONFIDENTIA ILLA NVL.] at illa militia,Veneris ſcilicet,non pondere,ſed confidentia,& iuribus militatur. QVIA PERITÆ PRÆ.] tibi quæ viros multós experta es.ENIM NON IBIS]enim præpoſitum , notandum. EXTEREBRABIS.]extorquebis, exprimes. Nonius.exterebrare,vi aliquid extorquere. NE HOC CVIQVAM HOMINI DICEREM, &c.] ſic habent libri noſtri veteres hoc primùm.deinde,*at vet.ſ.*ordo eſt,at vetita ſum,ne hoc cuiquam homini dicerem , & vt omnes muti hoc loquerentur prius,ſubintell.quàm ego. EDICTVM EST MAGN.OP. M.] idem ferè dicit hîc puer, quod Sophoclid. Edictum eſt, inquit, magnopere mihi ne cuius hominis fidei hoc arcanum committerem,& vt omnes muti,&c. FIDE DATA] fide inter nos data. LEVIPIDÆ. ] ſic habent etiam libri noſtri veteres,neque aliter vulgati. nonnulli tamen legunt, *leui fide*. NEQVE TIPVLÆ LEVIVS P.]Feſtus.Tipula,beſtiolæ genus ſex pedes habentis,ſed tantæ leuitatis,vt ſuper aquam currens, non deſidat. Plaut. *leuius pondus eſt*, &c. QVÀM FIDES LENONIAE] inuitis libris omnibus , & Nonio quoque aduerſante , lego *leniniæ*, vt hoc totum,fides lenoniæ, ſit patrij caſus. Nam hic ordo eſt , neque leuius tipulæ pondus eſt, quàm pondus fidei lenoniæ. HANC ABIETEM]has tabellas abiegnas.

A

B

## SAGARISTIO ſeruus.

IOui opulento, inclyto, Ope nato, ſupremo, valido, viripotenti,
Opes,ſpes,bonas copias commodanti,lubens,vitulórque merito,
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam C
Danunt argenti mutui,vti egenti opem afferam:
Quod ego non magis ſomniabam , neque opinabar, neque cenſebam.
Nam herus meus me Eretriam miſit, domitos boues vti mercarer.
Eam fore mihi occaſionem.ea nunc quaſi décidit de cælo,
Dedit argentum:nam ibi mercatum dixit eſſe die ſeptimi.
Stultus qui hoc mihi daret argentum,cuius ingenium nouerat.
Nam hoc argentum alibi abutar.boues,quos emerem,non erant.
Nunc & amico meo proſperabo,& Genio meo multa bona faciã. D
Diu quod bene erit,die vno abſoluam:tax tax tergo meo erit,non curo.
Nunc amico homini bobus domitis,mea ex crumena largiar.
Nam id demum lepidum eſt,triparcos homines, vetulos, auidos, aridos
Bene admordere,qui ſalinum ſeruo obſignant cum ſale.
Virtus eſt,vbi occaſio admonet,diſpicere.quid faciet mihi?
Verberibus cædi iuſſerit,compedes imponi.vapulem,
Ne ſibi me credat ſupplicem fore.væ illi,mihi iam nihil noui
Offerri poteſt, quin ſim peritus: ſed Toxili puerum Pægnium eccum.

Ope



A OPE NATO.] Opis filio,ex Ope nato. VIRI POTENTI] viribus potenti, & valenti. LVBENS, VITVLÓRQVE MERITÒ] id eſt, lubenter ac meritò vitulor. VITVLÓRQVE]Nonius.vitulantes veteres,gaudenteis dixerunt , dictum à bonæ vitæ commodo: ſicuti qui nunc eſt in ſumma lætitia , viuere eum dicimus. aliter Feſtus, *vitulans*, inquit , lætans gaudio,vt prato vitulus.Ennius.Habet is coronam vitulás victoria.Macrob. lib.3.cap. 2. Nam primo pontificij iuris libro apud Pictorem, verbum hoc poſitum eſt, *vitulari*. Varro etiam libr. 15.rerum Diuinarum ille refert,Pontifex in ſacris quibuſdam vitulari ſolet,quod Græci παιανίζειν vocant.Has tot interpretationum ambages,quàm paucis verbis docta Maronis elegantia expreſſit? *Lætúmque choro Pæana canentes*.Nam ſi *vitulari* eſt voce lætari,quod eſt παιανίζειν.nónne in cantu læti παιᾶνος enarratio verbi perfecti ſeruatur ? Et vt huic vocabulo ne diutius immoremur.Hillus lib. quem de diis compoſuit,ait Vitilam vocari deam,quæ lætitiæ præeſt. Piſo ait Vitilam victoriam nominari. Lege cetera apud Macrobium.AMICITER]amicè.profert hũc verſum Nonius,in voce *amiciter*. DANVNT]dant. QVOD EGO NON MAGIS SOMNIABAM,&c.]videtur aliquid deſiderari,& eſſe ἔλλειψις vt ſit integra oratio.quod ego non magis ſomniabam,quàm me regem eſſe Perſarum , aut aliquid ſimile.ne per ſomnium quidem mihi hoc euenturum,vel hanc occaſionem fore ſperabam. ERÈTRIAM]in Eretriam. B EAM FORE MIHI OCC.] referenda ſunt ad illa ſuperiora, non ſomniabam , neque opinabar, neque cenſebam eam fore mihi occaſionem. ſeruus ſcilicet gaudio elatus,perplexè loquitur, & perturbatè.EA NVNC QVASI DECIDIT D. C.]ea nũc occaſio mihi diuinitus oblata eſt.DIEI SEPTIMI]id eſt,die ſeptimo. ſic autem loquebantur veteres, diequarti vno verbo,& die quinti,die ſexti,die ſeptimi,&c.pro,die quarto,die quinto,die ſexto,die ſeptimo,&c. dicebant & die quintè,die priſtinè,&c.quamquàm die quarto, &c. de præterito tempore , die quarti,&c.de futuro.qua de re lege A.Gell.lib.10.cap.24.& Macrob.lib.1.ſaturnal.cap.4.ALIBI ABVTAR]in aliam rem inſumam. BOVES QVOS EMEREM, NON ERANT] hoc cauſabor,hanc cauſam afferam.boues non erant,quos emerem. PROSPERABO] proſper ero:proſperitatem afferam. ET GENIO MEO MVLTO B. F.] & animo meo obſequar,& Genio meo indulgebo.DIV QVOD BENE ERIT D. V. ABSOLVAM.]vnum diem iucundè,& beatè viuam,ceteros dies,vt ſors feret,totius vitæ meæ lætitias, & commoditates in vnum diem conferre libet,reliquo tempore,ſi ita diis viſum ſit,miſer futurus. Non diſſimile huic eſt illud ex Hymnide,Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ,Septem Orco ſpondeo.TAX TAX.]Soſipater,tax tax.Næuius in Agitatoria,Age ne te mihi aduerſari dicas , hũc vnum diem C de meo ſequor.Sinam ego illos eſſe, tax tax, Poſtea currenteis ego illos vendam,niſi tu viceris. Apud Soſipatrum tamen ne quid diſſimulem,legitur tax pax. TERGO MEO ERIT.]tergo meo malè erit,vel tergo meo hoc erit dependendum. NVNC AMICO HOMINI BOBVS DOM.]nunc amico meo Toxilo,bobus domitis , id eſt, bobus longum valere iuſſis , & prætermiſſis,& non emtis mea ex crumena,id eſt,ex meo corio largiar.Facetè & Plautinè bobus domitis poſuit , pro bobus omiſſis , & non emtis,quia boues domitos emere iuſſus erat. LEPIDVM EST,] ſcitum eſt. TRIPARCOS HOMINES]homines parciſſimos.ſic dixit triparcos,vt τρισμεγίστους τρισμάκαρας τρισολβίους. BENÈ ADMORDERE] inſigni damno afficere.QVI SALINVM SERVO OBS. CVM SALE]qui etiam ſalem ſeruis præparcè,& malignè præbent.ſignificat domini ſui immoderatam parſimoniam, qui ne ſalem quidem,quod eſt obſonium viliſſimum,& quod ne tenuiſſimũ quidem mortalium carent, ſeruis liberaliter,& benignè præbent. OBSIGNANT]ne ſal inde ſumi poſſit.obſignamus ea, quæ ſeruari intacta volumus.ſalinum cum ſale autem, id eſt,ſalinum,in quo eſt ſal. VIRTVS EST, VBI OCC. ADMONET D.]virtus eſt,vbi occaſio admonet, videre quid opus ſit facto.vel ſic,virtus eſt,vbi occaſio admonet diſpicere,ſubintell.eam non prætermittere. QVID D FACIET MIHI?]ſeruus cogitat difficillimè,ad eáque ſe parat, ne quid ei noui, aut inopinati accidat,quod eſt ſapientis. VERBERIBVS CÆDI IVSSERIT]verberibus me cædi iubebit,compedes imponi:eſto:verberet,compedes imponat: non recuſabo , neque pœnas vllas quantumuis graueis deprecabor,neque ei ſupplicabo. VAPVLEM] eſto:verberet me ille arbitratu ſuo. VÆ ILLI.] dij illum infelicitent:omnia illi aduerſa eueniant. MIHI IAM NIHIL NOVI OFF. POT. QVIN S. P.] mihi nihil obuenire poteſt, quin ſim expertus. aſſuefactus ſum verberibus,& plagis,& in eis exercitatus.

## PÆGNIVM puer. SAGARISTIO ſeruus.

PEnſum meum,quod datum'ſt,confeci,nunc propero domum. SA. mane,etſi
Properas, Pægnium auſculta. PÆ. emere oportet,quem tibi obedire velis.

SA. Aſta. PAE. exhibeas moleſtiam,vt opinor,ſi quid debeam, A
Qui nunc ſic tam es moleſtus. SA. ſcelerate etiam reſpicis?
PÆ. Scio ego quid ætatis ſim.eò iſtuc maledictum impune auferes.
SA. Vbi Toxilus eſt tuus herus? PAE. vbi illi libet, neque te conſulit.
SA. Etiámne dicis vbi ſit venefice? PÆ. neſcio, inquam,vlmitriba tu.
SA. Maledicis maiori. PÆ. prior promeritus,perpetiare:
Seruam, operam,linguam liberam herus meus me iuſſit habere.
SA. Dicíſne mihi vbi ſit Toxilus? PÆ. dico, vt perpetuò pereas.
SA. Cædêre hodie tu reſtibus. PÆ. tua quidem,cucule,cauſſa.
Non hercle ſi os præciderim tibi,metuam morticine.
SA. Video ego te iam incubitatus es. PÆ. ita ſum. quid id attinet ad te? B
At non ſum ita vt tu gratis. SA. confidens. PÆ. ſum hercle verò.
Nam ego me confido liberum fore,tu te numquam ſperas.
SA. Potin' vt moleſtus ne ſies? PÆ. quod dicis,facere non quis.
SA. Abi in malam rem. PÆ. at tu domum.nam ibi tibi parata præſto'ſt.
SA. Vadatur hic me. PÆ. vtinam vades deſint,in carcere vt ſis.
SA. Quid hoc? PÆ. quid eſt? SA. etiam ſcelus malè loquere? PÆ. tandem vt liceat,
Cùm ſeruus ſis,ſeruum tibi maledicere. SA. itáne?ſpecta C
Quid dedero. PÆ. nihil.nam nihil habes. SA. di, deæque te omnes perdant,
Niſi te hodie,ſi præhendero,defigam in terram colaphis.
PÆ. Amicus ſum.eueniant volo tibi quæ optas,atque id fiat:
Tu me defigas,te cruci ipſum propediem affigent alij.
SA. Quin te di,deæque.ſcis quid hinc porrò dicturus fuerim.
Ni linguæ moderari queam.potin' abeas? PÆ. abigis facilè.
Nam vmbra mea iam intus vapulat. SA. vt iſtunc di deæque perdant.
Tamquam proſerpens beſtia eſt,bilinguis & ſceleſtus.
Hercle illum abiiſſe gaudeo.foreis aperite:eccere autem, D
Quem conuenire maximè cupiebam,egreditur foràs.

PENSVM MEVM, QVOD D.C.]mandatum confeci: munus mihi aſſignatum,adminiſtraui.tralatio eſt à mulieribus lanificis. EMERE OPORTET QVEM TIBI OB.] emere te eum oportet,quem tibi obedire velis. proinde ac ſi dicat. quære alium, qui tibi obediat,& cui tuo iure imperes. EXHIBEAS MOLEST. VT OPINOR, SI QVID D.] ſi quid tibi deberem,tu,opinor, mihi odioſus eſſes flagitator, qui nunc cùm tibi nihil debeam, ita mihi moleſtus ſis. SCIO EGO, QVID AETATIS SIM] ſcio me puerum eſſe, & in talem ætatem cuiuis licere impune maledicta coniicere. iccirco tibi parem gratiam non referam,neque tibi quidquam aſperius reſpondebo,ne tu in meam ætatem,quæ eſt maledictis opportunè probra,etiam falſa ingeras. NEQVE TE CONSVLIT.] neque quærit abs te, vbi eſſe debeat,aut vbi eum eſſe velis. VLMITRIBA.] vlmis trite,vel homo,qui vlmos terere ſoles corio tuo,dum virgis vlmeis cæderis. PRIOR PROMERITVS.] tu qui prior meritus es,induc in animum perpeti. DICO VT PERPETVÒ PEREAS] dico tibi οἰμώζειν.iubeo te plo-



A te plorare. RESTIB.]funibus. CVCVLE]homo ignaue. MORTICINE]morticina, carnes ſunt præmortuæ κενέβρια appellant Græci.morticinum hîc appellat, maledicti loco ſignificans hominem exſangui & torrida, &,vt loquitur Terentius,cadaueroſa facie. νεκρώδη. VIDEO EGO TE IAM, INCVBITATVS ES]incubitatus es,id eſt, ſtupratus, pædicatus. AT NON SVM ITA, VT TV, GRATIS.] ſum verò pædicatus, ſiue conſtupratus,quid tua refert?attamen non ſum gratis ſtupratus, vt tu, qui te conſtuprandum gratis præbes, quia deformis es. CONFIDENS.]impudens. NAM IBI TIBI P. PR.] nam domi tibi parata,& præſens eſt mala res. VADATVR HIC ME]hic me in ius vocat acceptis à me vadibus. ſignificat ſibi à Pægnio plagas domeſticas præſagiri, & prænuntiari. Atque hæc loquitur ad ſpectatores conuerſus,ita tamen vt Pægnium exaudiat. TANDEM VT LICEAT, CÙM SERVVS SIS,&c.]id eſt,permitte tandem,vt liceat, me ſeruum tibi, cùm ſeruus ſis, maledicere.proinde quaſi dicat,quid eſt,quare mihi ſeruo non liceat te item ſeruum maledictis inſectari? SPECTA QVID DÈDERO.]hæc dicuntur à Sagariſtione cum geſtu, & vultu minantis,& fortaſſis pugnum intentantis. NAM NIHIL HABES] ſic habent noſtri libri veteres,& rectè.vulgati autem *iàm nihil habes*.mendoſè meo iudicio. DEFIGAM.] plus dicit, quàm ſi diceret affligam,aut deiiciam,aut abiiciam. AMICVS SVM. EVENIAT,&c.] puer B metuens ſibi à Sagariſtione blandiùs loqui inſtituit, eíque bene precatur, néque tamen ab vrbanitate & dicacitate diſcedit. SCIS QVID HINC PORRÒ D. F.]intelligis quæ verba fuerim ſuperiorib. additurus,niſi ego mihi imperare & iracundiam cohibere poſſem? POTIN' ABEAS?]potéſne facere,vt abeas?potes abire?non abibis? ABIGIS FACILÈ] non eſt magnopere laborandum,vt me abigas.ſine magno negotio,& labore me abigis. NAM VMBRA MEA INT. VAP.]vmbra ſequitur corpus,& corpus vmbræ eſt proximum, ſignificat igitur ſibi verbera imminere, quòd tandiu moretur. proinde ac ſi ita diceret. videor mihi iam vapulare,quòd tardiùs domum redeam.non longè abſunt à me verbera. TAMQVAM PROSERP. BEST. BILINGVIS,&c.] ſignificat eum eſſe garrulum, & loquacem. aliàs bilingues dicuntur,qui duobus ſermonis generibus vtuntur, verbi gratia Græco & Latino. ECCERE] eccere idem valet, quod ecce.ſed æcere iuſiurandum eſt, per ædem Cæreris, Feſtus. EGREDITVR FORAS] noſtri libri veteres habent, *egreditur intus*, id eſt, egreditur domo.

C
## TOXILVS, SAGARISTIO, ſerui duo. SOPHOCLIDISCA ancilla.

PAratum iam eſſe dicito,vnde argentum ſit futurum:
Iubeto habere animum bonum: dic me illam amare multum,
Vbi ſe alluat,ibi me alluat.quæ dixi vt nuntiares,
Satin' ea tenes? SO. magis calleo, quàm aprugnum callum callet.
TO. Propera, abi domum. SA. nunc ego huic graphicè facetus fiam. D
Subnixis alis me inferam,atque amicibor glorioſè.
TO. Sed quis hic anſatus ambulat? SA. magnificè conſecrabor.
TO. Sagariſtio hic quidem eſt.quid agitur Sagariſtio?vt valetur?
Ecquid,quod mandaui tibi,eſt mihi in te ſpeculæ? SA. adito.
Videbitur,factum volo,venito,promoueto.
TO. Quid hoc hic in collo tibi tumet? SA. vomica'ſt. preſſare parce.
Nam vbi quis mala tetigit manu,dolores cooriuntur.
TO. Quando iſtæc innata'ſt nam tibi? SA. hodie. TO. ſecari iubeas.
SA. Metuóne immaturam ſecem,ne exhibeat plus negotij.

TO. Inſpicere morbum tuum lubet. SA. abi,atque caueſis A
A cornu. TO. quid iam? SA. quia boues bini hîc ſunt in crumena.
TO. Emitte ſodes.ne enices fame,ſine ire paſtum.
SA. Enim metuo,vt poſſim in bubilem reiicere ne vagentur.
TO. Ego reiiciam. SA. habe animum bonum,creditur. cõmodabo.
Sequere hâc ſis.argentum hîc eſt,quod me dudum rogaſti.
TO. Quid tu ais? SA. dominus me boues mercatum Eretriam miſit:
Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus. TO. nimis tu facetè loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam iam omnes ſycophantias inſtruxi & comparaui, B
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SA. tanto melior.
TO. Et mulier vt ſit libera,atque ipſe vltrò det argentum.
Sed ſequere me.ad eam rem vſus eſt tua mihi opera. SA. vtere,vt vis.

PARATVM IAM ESSE DICITO.]verba Toxili ad Sophoclidiſcam Lemniſelenes ancillam, quibus iubet eam omnia,læta,& ſecunda heræ ſuæ nuntiare. MAGIS CALLO QVÀM APRVGN. CALL. C.] magis calloſa, hoc eſt, callida ſum , quàm apr. call.Profert hunc locum Cariſius libr. I.in voce *callum*. GRAPHICÈ] eleganter, ſcitè. tralatio à pictura. SVBNIXIS ALIS]ſublatis lacertis,& manibus ad latus admotis,atque acclinatis. AMICIBOR GLORIOSÈ.]amictu glorioſo,& magnifico vtar. ANSATVS]ſubnixis alis ita vt anſatus videatur.ductum ab olla anſata. MAGNIFICÈ CONSECR.] magnificè ex homine C
mortali deus quidam immortalis fiam.ECQVID QVOD MAND. TIBI,&c.]non aliquid mihi ſpei paruulæ eſt in te,quod attinet ad id, quod tibi mandaui? numqua mihi in te ſpecula eſt,de eo,quod mandaui tibi. ADITO.]adito ad me. FACTVM VOLO.]factum volo,quod tu mihi mandaſti. PROMOVETO.]vel promoueto rem tuam,vel promoueto me, vt ſcias, ecquid mandati tui memor fuerim.QVID HOC HIC IN COLLO.T. T.]gerebat in collo Toxilus crumenã nummorum plenam,vnde tumere collum, videbatur. VOMICA EST.] vomica à pure vomendo dicta eſt.vlcus eſt tumens,& puris plenum, quod quomodo rumpatur,aut ſiccetur,docent medici.Nonius,vomicam, vult eſſe locum cõcauum vetuſtate exeſum. Plautus hîc per vomicam,facetè ſignificat crumenam nummorum plenam. PRESSARE PARCÈ]caue preſſes.noli preſſare. MALA.] dura,& malefica. CAVE SIS.] caue ſi vis. BOVES BINI]par bouum. ENIM]enim, præpoſitum notent linguæ Latinæ ſtudioſi. METVO, VT POSSIM.]metuo,ne non poſſim in bubile reiicere,ſi ſemel emiſero, & metuo ne vagentur. BVBILEM.] bubilem dixit genere mutato,pro bubile.eſt autem bubile,ſtabulum, aut tectum in quo paſcuntur boues , vt ouile, in quo oues. CREDITVR] credo tibi. SEQVERE HÀC SIS]ſequere hàc,ſi vis. INCOLVME REDIG.] integrum reddam. SYCOPHANTIAS]aſtutias,machinas,arteis. D

## PARASITVS. VIRGO.

QVæ res bene vortant mihi & tibi & ventri meo,
Perennitatiſque adeò huic perpetuo cibò,
Vt mihi ſuperſit,ſuppetat,ſuperſtitet,
Sequere hâc mea nata me,cum diis volentibus.
Cui rei opera detur,ſcis,tenes,intelligis.
Communicaui tecum conſilia omnia.
Ea cauſſa ad hoc exemplum te exornaui ego.

Venibis



A Venibis tu hodie virgo. VI. amabo,mi pater.
Quamquam libenter eſcis alienis ſtudes,
Tuín' ventris cauſſa filiam vendis tuam?
PA. Mirum,quin regis Philippi cauſſa,aut Attali
Te potius vendam,quàm mea,quæ ſis mea.
VI. Vtrùm tu pro ancilla me habes,an pro filia?
PA. Vtrùm hercle magis in ventris rem videbitur:
Meum,opinor,imperium in te,non in me tibi'ſt.
VI. Tua iſtæc poteſtas eſt,pater.veruntamen
Quamquam res noſtræ ſunt,pater,pauperculæ,
Modicè & modeſtè melius eſt vitam viuere.
B Nam ſi ad paupertatem admigrant infamiæ,
Grauior paupertas fit,fides ſublestior.
PA. Enimuerò odioſa es. VI. non ſum,neque me eſſe arbitror,
Cùm parua natu rectè præcipio pater.
Nam inimici famam non ita,vt nata eſt,ferunt.
PA. Ferant,eántque in maximam malam crucem:
Non ego inimicitias omneis pluris æſtimo,
Quàm menſa inanis nunc ſi apponatur mihi.
VI. Pater,hominum immortalis eſt infamia.
Etiam tum viuit,cùm eſſe credas mortuam.
PA. Quid?metuis ne te vendam? VI. non metuo pater,
C Verùm inſimulari nolo. PA. at nequicquam ne vis.
Meo modo iſtud potius fiet,quàm tuo.
VIR. Fiat.quæ hæ res ſunt?cogita hoc verbum pater.
Herus ſi minatus eſt malum ſeruo ſuo,
Tametſi id futurum non eſt?vbi captum'ſt flagrum:
Dum tunicas ponit,quanta afficitur miſeria?
Ego nunc quod non futurum'ſt,formido tamen.
PA. Virgo atque mulier nulla erit quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet,quàm placet parentibus.
VIR. Virgo atque mulier nulla erit,quin ſit mala,
D Quæ reticet ſi quid fieri peruorſè videt.
PA. Malo cauere melius eſt te. VIR. at ſi non licet
Cauere,quid agam?nam ego tibi cautum volo.
PA. Malúſne ego ſum? VIR. non es,neque me dignum'ſt dicere:
Verùm ei rei operam do,ne alij dicant,quibus licet.
PA. Dicat quod quiſque vult.ego de hac ſententia
Non demouebor. VIR. at,meo ſi liceat modo,
Sapienter potius facias,quàm ſtultè. PA. libet.
VIR. Lubere per me tibi licere intelligo.
Verùm libere haud liceat,ſi lubeat mihi.
PA. Futura es dicto obœdiens,an non,patri?
VIR. Futura. PA. Scis nam tibi quæ pæcipio? VIR. omnia.

PA. Et id, vt ſurrepta fueris? VIR. doctè calleo. A
PA. Et qui parentes fuerint? VIR. habeo in memoria.
Neceſſitate me, mala vt fiam, facis.
Verùm videto, vbi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
PA. Tace ſtulta. non tu nunc hominum mores vides?
Quoiuſmodi hîc cum fama facile nubitur?
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vortitur?
VIR. Ergo iſtuc facito vt veniat in mentem tibi,
Me eſſe indotatam. PA. caueſis tu iſtuc dixeris.
Pol, deûm virtute dicam, & maiorum meûm,
Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi. B
Librorum eccillum habeo plenum ſorracum.
Si hoc accuraſſis lepidè, cui rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,
Atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis,
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.
VIR. Quin tu me ducis, ſiquò ducturus pater?
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
PA. Bonum, æquúmque oras: ſequere hàc. VIR. dicto ſum audiens.

QVÆ RES BENE VORTANT] Quæ res fauſtæ ſint, &c. PEREMNITATÍSQVE ADEÒ HVIC PERPETVO CIBO] atque adeò huic perpetuo cibo perenitatis, quo ego apud Toxilum veſcor. cibum peremnitatis dixit, cibum peremnem. itaque hoc totum, cibo perpetuo peremnitatis, amplificandi, aut magis exprimendi cauſa dictum eſt, quaſi dixiſſet, cibo perpetuo & peremni. VT MIHI SVPERSIT, &c.] vt numquam mihi deſit, vt mihi perpetuò ſuppetat, & mortuo ſit ſuperſtes. CVI REI OPERA DETVR] cui rei ſtudeatur. EA CAVSA] ob eam cauſam. AD HOC EXEMPLVM] hoc cultu te ornaui. VENIBIS.] vendêris. QVAMQVAM LIBENTER ESCIS.] quamquam paraſitus es, & alienum cibum libenter ſectaris. MIRVM QVIN REGIS PHILIPPI.] ironia eſt. mirum, inquit, quòd ego te non regis Philippi Macedonis, aut Attali cauſa vendam magis, quàm mea, quæ ſis mea. proinde ac ſi dicat. abſurdum ſit, ſi te regis Philippi, aut Attali cauſa potius vendam, quàm mea, cùm præſertim ſis mea. VTRVM HERCLE MAGIS] vtrumcumque hercle magis ventri meo expedire videbitur, eris aut filia, aut ancilla. MODICÈ, ET MODESTÈ MELIVS EST, &c.] profert hunc verſum Cariſius lib. 2. inſt. gramm. ſed paullò aliter, legit enim vitam ducere, pro, vitam viuere. ADMIGRANT] accedunt, adduntur. Sic autem habent & libri noſtri veteres, quos ſecuti ſumus. quamuis Nonius in voce *ſubleſtum* hunc locum proferens ita referat, vt eſt in vulgatis. Nam vbi ad paupertatem acceſſit infamia, paupertas grauior fit, &c. ſed non item Feſtus. ſic enim producit, vt eſt in libris manuſcrip. niſi quòd pro *admigrant*, videtur legiſſe *immigrant*. FIDES SVBLEST.] leuior, infirmior, lege Nonium & Feſtum. CÙM PARVA NATV, &c.] cùm ego parua natu, rêcta præcepta tibi do. præcipere, eſt docere, præmonſtrare, monere quæ in rem ſint eius, qui monetur. PATER] *patri* habent noſtri libri veteres. NAM INIM. FAM. NON ITA VT N.] nam inimici (inquit) non ita de iis, quos oderunt, vulgò loquuntur, vt res eſt, ſed vt ſuſpicantur, & vt probabiliter eis confingere licet. NON EGO INIMICITIAS, &c.] pluris facio menſam plenam, quàm bonam famam. magis metuo, ne mihi menſa inanis apponatur, quàm ne quis mecum inimicitias ſuſcipiat. INSIMVLARI NOLO.] ſuſpicione carere volo. ne falſò quidẽ argui volo. NE VIS] ne vis, pro non vis. *ne* pro *non* dixerũt crebrò veteres. Sic Terent. *quid ne es alacris?* id eſt, quid non es alacris? MEO MODO.] meo arbitratu. Sic Terent. Andr. *Sine nunc meo me viuere interea modo.* TAMETSI ID FVTVRVM NON EST] tametſi ſeruus non eſt vapulaturus. VBI CAPT. EST FLAGR.] vbi dominus flagrum ſumſit in manus, quaſi verberaturus ſeruum. DVM TVNICAS PONIT.] interea dum ſeruus ſe ſpoliat. QVOD NON FVTVRVM EST] etiam ſi me venditurus non ſis. QVÆ PRÆTER SAPIET QVÀM, &c.] id eſt, quæ plus ſapere volet,

(margin letters: C, D)



A volet, quàm parentes. quæ ſapiet aliter, quàm parentes volunt. MALO CAV.] cauere à malo. NAM EGO TIBI CAVT. V.] nam ego tibi conſultum & prouiſum eſſe volo. NE ALII DICANT, Q. L.] ne inimici dicant, quibus maledicere licet. LVBERE TIBI PER ME LICERE INTELL.] intelligo tibi licere per me facere, quidquid tibi libet. id eſt, intelligo me tibi non obſtare, quominus facias, quidquid tibi libet. VERÙM LIBERE HAVD LICEAT] verùm non liceret tibi tuæ libidini obſequi, & facere, quod tibi libet, ſi liberet mihi, id eſt, ſi tibi aduerſari vellem. ET ID, VT SVRRVPTA FVERIS.] & ſcis hoc, quod ego te docui dicere, te ſurreptã eſſe? iterat leno filiæ, quæ eam ſimulare velit. vide ſuprà, ſcena, cuius principium eſt, *Omnem rem inueni*, non longè ab extremo. NECESSITATE ME MALA VT F. F.] facis, vt neceſſariò mala ſim. cogis me malam eſſe. FACIAT REPVDIOSAS NVPTIAS] faciat, vt repudier à viro, aut ſponſo. Repudium, Verrius ait dictũ, quod fit ob rem pudendam. Attius, *Repudio eiecta ab Argis iamdudum exſulo.* NON TV NVNC HOMINVM M. VID.] ſignificat hominum ſuæ ætatis mores eſſe corruptos, & in collocandis nuptiis ſpectari pecuniam magis, quàm famam. *nunc hominum* autem, videtur eſſe coniunctim legendum pro, hominum qui nunc ſunt, ἀνθρώπων τῶν νυῦ ὄντων, quale eſt illud. Virgil. lib. 1. Æneid. *Neque enim ignari ſimus antè malorum.* antè malorum, id eſt, malorum, quæ antea pertulimus
B τῶν ἔμπροσθεν κακῶν. QVOIVSMODI HÎC IN FAMA.] non vides, cum quali fama hîc facilè nubitur? non vides, quàm infames puellæ, modò benè dotatæ, quàm facilè nubant? NVLLVM VITIVM VITIO VERT.] nullum vitium pro vitio habetur. DEÛM VIRTVTE DICAM ET M.] ridiculè Plautus orationem affingit honeſtam, & glorioſam perſonæ turpi, & ingloriæ. SORRACVM] ſorracũ, genus eſt vehiculi. Paullus ait eſſe, quo ornamẽta portantur ſcenicorum. Feſt. in ea voce corruptus & mutilatus eſt apparet tamen ex veſtigiis ſcripturæ laceræ proferri ab eo hunc Plauti verſum. ſed variè ſcripta reperitur hæc vox apud ſcriptores. Cicero in Piſonẽ. *Cum tibi tota cognatio in ſarraco aduehatur.* Vitr. libr. 10. cap. 1. *Portationes eorum non eſſent niſi plauſtrorum, aut ſarracorum per terram, nauicularum per aquam inuentæ eſſent machinationes.* Iuuenalis ſat. 3. *longa coruſcat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plauſtra vehunt.* Vlpianus lib. ad legem Aquilliam cap. 29. Et ait Proculus ſi in poteſtate nautarum fuerit ne id accideret, & culpa eorum factum ſit: lege Aquillia cum nautis agendum: quia parui referret, nauem immittendo, aut ſarraculum ad nauem ducẽdo, an tua manu damnum dederis. Iulius Capitolinus in M. Anton. Philoſ. *Celebrauit & Ro. ritu lectiſternia per ſeptem dies. tanta autem piſtilentia fuit, vt vehiculis cadauera ſint exportata, ſarraciſque.* ACCVRASSIS.] accuraueris, accuratè feceris. SEXCENTI LO-
C GI] ſexcentæ orationes, vel ſexcenta verba. facetè ſignificat nullam ei dotẽ futuram præter λόγους, ſeu verba. ATTICI LOGI.] verba Attica Siculis ſunt multò lectiora: Siculi enim non ſatis rectè Græcè loquebantur. ſuprà, *Atticiſſat, non Siciliſſat.* CVM HAC DOTE POTERIS VEL, &c.] Iocus eſt, παρὰ προσδοκίαν. nam exſpectabat auditor, dum vt diceret cum hac dote poteris, vel locupletiſſimo nubere. nunc autem ſubiicit, *poteris vel mendico nubere.*

## DORDALVS leno.

QVidnam eſſe acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi iuratus eſt, ſeſe hodie argentum dare?
Quòd ſi non dederit, atque hæc dies præterierit,
D Ego argentum, ille iuſiurandum amiſerit.
Sed ibi concrepuit foris. quíſnam egreditur foras?

VICINVM MEVM.] Toxilum. IVRATVS EST.] iurauit. ILLE IVSIVRANDVM AMIS.] argentum amittere conuenienter dicitur, iuſiurandum amittere, non item: ſed vt orationem teretem, & rotundam efficeret, verbo communi vſus eſt ad duas res diſſimileis. amittere iuſiurandum autem vſurpaſſe videtur pro fallere, & prodere, & non ſeruare.

## TOXILVS ſeruus. DORDALVS leno.

TO. CVrate iſtuc intus, iam ego domum me recipiam.
DO. Toxile quid agitur? TO. eho, lutum lenonium,
Commixtum cœno, ſterquilinium publicum,

A Impure,inhoneſte,iniure,illex,labes populi,
Pecuniæ accipiter,auide atque inuide,
Procax,rapax,trahax,trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt.
Accipin' argentum?accipe ſis argentum impudens,
Teneſis argentum.etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere,vt argentum accipias,lutum?
Qui niſi iurato mihi nihil auſus credere.
DO. Sine reſpirare me,tibi vt reſpondeam.
Vir ſumme populi,ſtabulum ſeruitritium,
Scortorum liberator,ſubiculum flagri,
Compedium tritor,piſtrinorum ciuitas,
B Perenniſerue,lurco,edax,furax,fugax,
Cedoſis mihi argentum,da mihi argentum impudens.
Poſſum à te exigere argentum?argentum,inquam,cedò.
Quin tu mihi argentum reddis?nihílne te pudet?
Leno te argentum poſcit,ſolida ſeruitus,
Pro liberanda amica,vt omnes audiunt.
TO. Tace,obſecro,hercle.næ tua vox validè valet.
DO. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio ſal perhibetur,quo tibi.
Niſi me hæc defendet,numquam delinget ſalem.
TO. Iam omitto iratus eſſe:id tibi ſuccenſui.
C Quia te negabas credere argentum mihi.
DO. Mirum,quin tibi ego crederem,vt ipſe idem mihi.
Faceres,quod partim faciunt argentarij.
Vbi quid credideris,citius extemplò à foro
Fugiunt,quàm ex porta ludis cum emiſſu'ſt lepus.
TO. Cape hoc ſis. DO. quin das? TO. nummi ſexcenti hîc erunt
Probi,numerati:fac ſit mulier libera,
Atque huc continuò adduce. DO. iam faxo hîc erit,
Non hercle cui nunc hoc dem ſpectandum,ſcio.
D TO. Fortaſſe metuis in manum concredere.
DO. Mirum,quum citius iam à foro argentarij
Abeunt,quàm in curſu rotula circumuortitur.
TO. Abi iſtàc auorſis angiportis ad forum,
Eadem iſtæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. DO. iam hic faxo aderit. TO. at ne propalàm.
DO. Sapienter ſanè. TO. ſupplicatum cras eat.
DO. Ita hercle verò. TO. dum ſtas,reditum oportuit.

INIVRE]homo ſine iure.ſed apud Nonium in voce *illex.* ſic legitur hic verſus,*Impure,inhoneſte iniurie,illex,labes populi.* ILLEX.]ſine lege,exlex. PECVNIÆ ACCIPITER.]pecuniæ rapax. PROCAX.]procacitas dicitur,vt docet Nonius,à procando,id eſt, poſcendo. TRAHAX.]trahax à trahendo dictus,vt rapax à rapiendo,tagax à tagendo, procax à procãdo, furax





A à furando, edax ab edendo, &c. IMPVRITIAS] impuritiæ ab impuro, vt inimicitiæ ab inimico,& iniuſtitia ab iniuſto,& ſimil.dictæ ſunt. TRALOQVI] à principio ad extremum loqui. ACCIPE SIS]accipe ſi vis. TENE SIS] tene ſi vis. POSSVM TE F.] poſſum facere , vt tu argentum accipias, homo luto inquinatior? & poſſum facere te argentum accipere,&c. AVSVS] ſubintell. es. SERVITRICIVM] ſeruitute,ſiue ſeruitio trite. SVBICVLVM FL.]aſſiduè ſubiecte flagro. COMPED. TR.] qui teris compedeis. PISTR. CIVIT.] qui piſtrina aſſiduè incolis. PERENNISERVE]qui in perpetuum ſeruus futurus es. LVRCO]Nonius. *Lurcones dicti ſunt à lurcãdo.Lurcare autem eſt,cum auiditate cibum ſumere,*&c. deinde profert idẽ,hunc verſum,*Perenniſerue,lurco,edax,*&c. & præterea illum Lucillij. *Viuite lurcones, comedones,viuite võtres.* Feſtus. *Lura os culei,vel etiam vtris,vnde lurcones capacis gulæ homines,& bonorum ſuorum conſumtores.* QVIN TV MIHI ARG.]quamobrem tu mihi argentum non reddis, quod te mihi daturum iuraſti? LENO TE ARG. P. SOLIDA S.&c.] ordo eſt, ô ſolida ſeruitus,id eſt,ô homo,quem ſolida & ſtabilis ſeruitus vrget,leno te argentum poſcit,pro liberanda amica,vt omnes audiunt. NÆ TVA VOX VALIDÈ V.] næ tu valde vocalis es. REFERVNDÆ EGO H. LING. N. G.]ego habeo linguam natam ad referendam gra-
B tiam,id eſt,ad benedicendum,ſi quis mihi prior maledixerit,& ad maledicendum, ſi quis me laceſſierit. EODEM MIHI PRETIO SAL PERHIB. Q. T.]tanti mihi conſtat victus, quanti tibi,tu ſeruis domino,ego ei,qui me paſcit,nihilo magis,quàm tu,gratis viuo. ſal conuiuij principium , & tenuiorum obſonium. libri autem noſtri vet. habent partim *proïbetur*, partim *prǽhibetur.* NISI ME HÆC D.&c.]niſi lingua mea maledicentib.maledicta regerere poterit,ne ſal quidem ei dabitur,quem deguſtet. ID] ob id. MIRVM, QVIN TIBI EGO CRED.] ironia eſt,hoc modo:mirum,quod ego non crederem tibi,id eſt,non darem puellam, quam amas, Lemniſelenem , non accepta pecunia præſentaria , vt tu idem mihi faceres , quod partim,id eſt,non omnes,ſed nõnulli faciunt argẽtarij,id eſt,trapezitæ. CITIVS EXT. À F.] ſtatim vbi pecuniam acceperunt,citiùs à foro(vbi debent ſtare,aut ſedere , vt creditoribus ſuis præſtò ſint,& pecuniam acceptam,cùm repetitur, renumerent, aut reſcribant) quàm lepus ex porta emiſſus eſt ludorum diebus. Hæc dicuntur in trapezitas , qui ſæpe creditum abiurant, aut forum,vbi negotia alia,menſámque deſerunt. SIS] ſi vis. NON HERCLE CVI NVNC HOC DEM SP. ] neſcio hercle , cùm hoc argentum dem ſpectandum, vtrum ſit probum,an adulterinum,& κίβδηλον. IN MANVM C.]traderem in alicuius argentarij manũ. MIRVM CÙM CITIVS IAM À F.&c.]ironia eſt.mirum verò eſt,inquit,
C me non audere argentum cuiquam committere,cùm argẽtarij iam à foro citiùs abeant, quàm rotula figularis,vel aliqua alia in curſu circumuertitur. ABI ISTAC AVORSIS]noſtri libri veteres habent,*trauorſis.* quid ſit angiportus autem,aut angiportum, alibi dictum eſt. EADEM]eadem ratione,ſeu eadem opera. SVPPLICATVM CRAS EAT] proinde ac ſi dicat,nolo hodie eat diis ſupplicatum,ſed in craſtinum diem differat, volo.

## TOXILVS.

SI quam rem accures ſobriè,aut frugaliter,
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.
D Atque ædepol firmè,vt quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedit poſt principia denique.
Si malus,aut nequam'ſt,malè res vertunt,quas agit:
Sint autem frugi'ſt,eueniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorſus ſum facetè & callidè,
Igitur prouenturam benè confido mihi.
Nunc ego lenonem ita intricatum dabo,
Vt ipſus ſeſe,quà ſe expediat,neſciat.
Sagariſtio heus exi,atque educe virginem,
Et iſtas tabellas,quas conſignaui tibi,
Quas tu attuliſti mihi ab hero meo vſque è Perſia.

SVB MANVS SVCCEDERE] ex animi ſententia procedere, quaſi eam manibus tractans ſuo arbitratu fingeret, & in quamuis partem flecteret, aut conformaret. MALÈ RES V.] malè res eueniunt, malum habent exitum. *vertunt*, abſolutè poſitum, vt ſæpe aliàs. INTRICATVM] impeditum, atque implicatum. à tricis *intricare* dictum eſt. Plaut. Curcul. *quod argentum tu mihi, quas tricas narras?* ad quem locum de tricis plura. A

## SAGARISTIO, TOXILVS ſerui.

NVnquid moror? TO. euge, euge, exornatus baſilicè,
Tiara ornatum lepidè condecorat tuum.
Tum hanc hoſpitam autem crepidula vt graphicè decet?
Sed ſatin' eſtis meditati? SA. tragici atque comici
Numquam æquè ſunt meditati. TO. lepidè herclè adiuuas.
SA. Age illuc aſpice deprocul in conſpectum. TO. tace. B
Vbi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus. nunc agite, ite vos.

EXORNATVS BAS.] exornatus es regium in modum. TIARA] tegumentum capitis eſt Perſicum. DEPROCVL] è longinquo loco.

## DORDALVS leno. TOXILVS ſeruus.

CVi homini Di propitij ſunt, aliquid obiiciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci binos panes in dies,
Ita ancilla mea quæ hodie fuit, ſua nunc eſt. argento vicit.
Iam hodie alienum cenabit. nihil guſtabit de meo. C
Súmne probus? ſum lepidus ciuis, qui Atticam hodie ciuitatem
Maximam, maiorem feci, atque auxi ciui fœmina?
Sed vt & ego hodie fui benignus! vt ego multis credidi!
Nec ſatis à quiquam homine accepi. ita prorſum credebam omnibus.
Nec metui quibus credidi hodie, nequis mihi in iure abiuraſſit.
Bonus volo iam ex hoc die eſſe, quod neque fiet, neque fuit.
TO. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis,
Itaque huic inſidiæ paratæ ſunt probè. aggrediar virum.
Quid agis, cedo? vnde agis te nunc Dordale? DO. credo tibi. D
TO. Di dent quæ velis. eho an iam manu emiſiſti mulierem?
DO. Credo pol, credo, inquam, tibi. TO. iam liberta auctus es? DO. enicas.
Quin tibi me dico credere. TO. dic bona fide, iam libera eſt?
DO. I, i, ad forum, ad prætorem: exquire, ſi quidē credere mihi nō vis,
Libera, inquam eſt, ecquid audis? TO. at tibi Di benefaciant omnes.
Numquam enim poſthac tibi, nec tuorum quoiquam quod nolis, volam.
DO. Abi, ne iura, ſatis credo. TO. vbi nunc tua liberta'ſt? DO. apud te. TO. ain'?

Apud



A Apud me eſt? DO. aio, inquam, apud te eſt, inquam. TO. ita me di ament, vt ob iſtam rem,
Tibi multa bona inſtant à me. nam eſt res quædam, quam occultabam
Tibi dicere. nunc eam narrabo, vnde prægrande lucrum facias,
Faciam vt mei memineris dum vitam viuas. DO. benedictis
Tuis benefacta aures meæ auxilium expoſtulant.
TO. Tuum promeritum'ſt, meritò vt faciam. & vt me ſcias eſſe facturum,
Tabellas tene has, pellege. DO. hæ quid ad me? TO. immò ad te attinent,
B Et tua refert. nam è Perſia ad me allatæ modò ſunt iſtæ à meo domino.
DO. Quando? TO. haud dudum. DO. quid iſtæ narrant? TO. percunctare ex ipſis,
Ipſæ tibi narrabunt. DO. cedò ſanè mihi. TO. at clarè recitato.
DO. Tace, dum pellego. TO. haud verbum faciam.
DO. Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni: Si valetis, gaudeo.
Ego valeo rectè, & rem gero, & facio lucrum,
Neque iſtò redire his octo poſſum menſibus.
C Itaque hîc eſt, quod me detinet, negotium.
Eleuſipolim Perſæ cæpere, vrbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atque antiquum oppidum.
Ea comparatur præda, vt fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit.
Operam atque hoſpitium ego iſti præberi volo,
Qui tibi tabellas affert. cura quæ is volet.
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maximos.
DO. Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Perſæ quid rerum gerāt?
Aut quid herus tuus? TO. tace ſtultiloque. neſcis quid inſtet boni.
D Nequicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere volt.
DO. Quæ iſtæc fortuna lucrifica eſt? TO. iſtas, quæ norunt, roga.
Ego tantundem ſcio, quantum tu, niſi quòd pellegi prior.
Sed, vt occœpiſti, ex tabellis noſce rem. DO. bene me mones,
Fac ſilentium. TO. nunc ad illud venies, quod refert tua.
DO. Iſte, qui tabellas affert, adduxit ſimul
Forma expetenda liberalem mulierem,
Furtiuam, aduectam ex Arabia penitiſſima.
Eam te volo accurare, vt iſtic veneat,
Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.

Probum,numeratum argentum vt accipiat,face. A
Hæc cura,& hoſpes cura vt curetur,vale.

TO. Quid igitur,poſtquam recitaſti quod erat ceræ creditum,
Iam mihi credis? DO. vbi nunc ille'ſt hoſpes,qui haſce attulit?
TO. Iam hic, credo, aderit. arceſſit illam à naui. DO. nihil mihi opus eſt
Litibus,neque tricis:quamobrem ego argẽtum numerem foras?
Niſi mancipio accipio,quid eo mihi opus mercimonio?
TO. Tacen'? an nõ taces? numquam ego te tam eſſe matulam credidi.
Quid metuis? DO. metuo hercle verò. ſenſi ego iam compluries
Neque mihi haud imperito eueniet,tali vt in ludo hæream. B
TO. Nihil periculi videtur. DO. ſcio iſtuc,ſed metuo mihi.
TO. Mea quidem iſtuc nihil refert. tua ego refero gratia,
Vt tibi rectè conciliandi primò facerem copiam.
DO. Gratiam habeo,ſed te de aliis,quàm alios de te ſuauiu'ſt
Fieri doctos. TO. nequis verò ex Barbaria penitiſſuma
Perſequatur. etiam tu illam deſtinas? DO. videam modò
Mercimonium. TO. æqua dicis, ſed optimè eccum ipſe aduenit,
Hoſpes ille, qui has tabellas attulit. DO. hiccine eſt? TO. hic eſt.
DO. Hæccine illa'ſt furtiua virgo? TO. iuxta tecum æquè ſcio, C
Niſi quia aſpexi equidem. ædepol liberali'ſt, quiſquis eſt.
DO. Sat ædepol concinna eſt facie. TO. vt contemtim carnifex?
Taciti contemplemur formam. DO. laudo conſilium tuum.

ALIQVID OBIICIVNT LVCRI] ei homini aliquid obiiciunt lucri. COMPENDI FECI]lucrifeci. BINOS PANES] quos ancillæ præbebam, quandiu fuit ſerua. IN DIES]in dies ſingulos. ARGENTO VICIT] vt eſſet libera. ALIENVM CENABIT] alienum cibum cenabit. BENIGNVS] liberalis. NEC SATIS à QVIQVAM H. ACC.] nec à quoquam ſponſorem accepit,neque quiſquam eorum,quibus credidi,ſponſorem dedit,cuius fidem ſecutus,crederem. NEC METVI, QVIBVS CREDIDI H. NE Q. MIHI IN IV. ABIVR.]neque metui,ne quis eorũ, quibus hodie credidi, pecuniam ſibi à me creditam apud prætorem periurio negarit.idem ſuprà Curcul. *qui abiurant, ſi quid creditum eſt*. Virg.lib.8.Æneid. *abiurataq́ rapinæ.* BONVS]benignus,liberalis,beneficus. IN TRANSENNAM]transenna hîc eſt extentus funis,ſeu laqueus,quo captantur aues. Turneb. Aduerſ. lib.5.pag.88.Plautus in Rud. *in ætate agenda plurimæ tranſennæ.* CREDO TIBI] facetè,poſteaquàm ab eo pecuniam accepit,dicit ſe ei credere. IAM LIBERTA AVCTVS ES?]iámne feciſti,vt Lemniſelene ex ancilla tibi liberta eſſes? AD PRÆT.] qui virga, quæ vindicta dicebatur, ſeruos liberabat. NVMQVAM ENIM POSTHAC,&c.] numquam enim poſthác nec tibi,nec cuiquã tuorum volam quicquam,quod nolis,id eſt, idem ſemper volam, quod tu,aut aliquis tuorum voletis. OCCVLTABAM TIBI D.]πλεονασμὸς.nam ſatis erat dixiſſe,occultabam tibi,id eſt,celabam te,vel non audebam tibi aperire. DVM VITAM V.] ſic habent libri noſtri veteres,perſpicuè rectè:vulgati autem mendoſè, *vita viuas.* BENEDICTIS TVIS BENEFACTA,&c.] id eſt,aures meæ non ſunt contentæ benedictis tuis,ſed poſtulant præterea benefacta benedictis conſentanea. TVVM PR. EST,&c.] tu promeritus es, vt tibi meritò benefaciam. ET TVA REFERT]& tua refert eas legere. ET REM GERO]& rem meam bene gero. ITAQVE HîC EST, QVOD ME D. N.] ita hîc eſt negotium,quod me detinet:vel negotium eſt,quod me hîc detinet. DOMO EXPERTEM] domus expertem. NEQVICQVAM TIBI F. F. LVCR.] fruſtra tibi fortuna lucrum tibi in manus dare parat,ſi lucrum tibi oblatum aſpernaris. ſic dixit, *allucere faculam*, vt ſuprà, *luces*

D



A *luces ceream.* allucere autem faculam lucrificam dixit κατ' ἀλληγορίαν, pro,lucrifaciendi facultatem præbere:ſiue adeò lucrum certum obiicere,quod auaris,& rapacibus, quales ſunt lenones,inſtar lucis,& facis eſt. ISTAS QVÆ N.] roga litteras iſtas, quæ id,quod rogas, norunt. ſic ſuprà, *percunctare ex ipſis*,&c. QVOD REFERT TVA]quod ad te attinet. ADDVXIT SIMVL] adduxit vnà ſecum. FORMA EXPETENDA]forma præſtante. PENITISS.] reconditiſſima,vltima,intima. EAM TE VOLO ACC. VT,&c.]ea vt iſtic veniat,te volo accurare:vel eam iſtic venire,te volo accurare. AC SVO PERICVLO IS EMAT, QVI, &c.] atque vt is,qui eam emet,emat eam cum ſua cauſa,id eſt,nemine promittente ſe præſtaturum periculum euictionis. MANCIPIO NEQVE PR. NEQVE Q. D.]mancipio promittere,eſt promittere ſe traditione alicuius rei trãſlaturum in eum,cui rem tradas,eius rei proprietatem,&(ſi hoc verbo vti licet) dominium dare mancipio,eſt trãsferre in eum,cui rem tradas,dominium,vel rem eius,cui tradas,facere. Lucret.lib.3. *Vitáque mãcipio nulla datur omnibus vſu.* Mancip.res ſunt,quarum proprietas,ſeu dominium in alterum transferri poteſt. Mancipium idem ferè valere,quod dominium, aut proprietas. declarat locus ille in epiſt. Ciceronis lib.7. *Cuius quando propriũ te eſſe ſcribis mancupio, & nexu, meum autem vſu & fructu,contẽtus iſto ſum.* Plaut.
B idem infrà ead.fab. *Prius dico,hanc mancupio nemo tibi dabit,iam ſcis.* Mancip.accipere,eſt rem ea lege accipere, vt, ſua fiat. Idem Mercat. *Non ego illam mancupio accepi, ſed ille illam accepit.* D. *ſine.* CH. *non potes tu lege vendere illam.* Idem Curcul. *Memento promiſiſſe te ſi quiſquam hanc liberali cauſa manu aſſererit,mihi omne argentum redditum iri Triginta minas.* CH. *meminero.de iſtoc quietus eſto.Et nunc idem dico.* LY. *& commeminiſſe hæc ego volam te.* C. *meum & mancupio tibi dabo*,&c. PROBVM, NVM.] ἀσυνδέτως. pro,probum & numeratum,id eſt,præſentarium. CERÆ]tabellis ceratis,in quibus ſcribebant epiſtolas antiqui,& multa alia. TRICIS] negotiis, quæ me implicent, atque impediant. NISI MANCIPIO ACCIPIO]niſi transferatur in me puellæ,quæ mihi vendetur,dominium:niſi fio à te venditore dominus. MERCIMONIO]merce. TAM ESSE MATVLAM] tam eſſe nequam, & nullius frugi:tam contemtum, & ſpurcum. COMPLVRIES]ſæpenumerò:profert hunc locum Nonius in voce *compluries.* TALI VT IN LVTO HÆREAM]ſecutus ſum libros vulgatos. nam veteres etiam eos,quibus vſi ſumus, non diſſimulabo, neque infitiabor lectori habere *in ludo*: ſed magis mihi placet vulgata ſcriptura. Sic enim Terent. *in luto hæres verſuræ ſolues.* SCIO ISTVC SED M.]attendat lector,quod notat Donatus ad illum locum Terent. Adelph. *id quidem angiportum non eſt peruium.* conſuetudinem hanc eſſe Terẽtij, vt inducat etiã eos,qui falluntur,aliquid ſapere,hoc idem à Plauto cùm
C ſæpe alibi,tum hîc obſeruari. Nam hic leno, quamuis fallatur, & capiatur à Toxilo, inducitur tamẽ aliqua ex parte cautus,ac prouidus. REFERO]renuntio. RECTè CONCILIANDI] rectè comparandi. SED TE DE ALIIS, QVàM]id eſt,ſuauius eſt nos documentum capere ex aliorum caſibus,quàm alios ex noſtris. NEQVIS VERò EX B. P.] ſubintellige, ſcilicet metuendum eſt,vt ſit ironia,vel tu ne metuis,&c.hoc modo,ſcilicet metuendum eſt,ne quis puellam illam ex vltima barbaria auectam,perſequatur,& repetat. ETIáMNE TV ILLAM DESTINAS?]etiámne tu illam emis?id eſt,non tu,quantum pote eſt, eam emere properas?túne vſque adeò negligens,& diſſolutus in re tua gerenda eris, vt eam emere non cures? QVISQVIS ES] *quiſquis*, & generi fœminino attribui poſſe veterũ auctoritas voluit,inquit Nonius. Liuius. *mulier quiſquis es,te volumus.* Pacuuius. *quiſquis tu es mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine.* VT CONTEMTVM CARNIFEX?] vt contemtum,& malignè laudat!

## SAGARISTIO. VIRGO. TOXILVS DORDALVS leno.

D

SA. Satin' Athenæ tibi viſæ fortunatæ,atque opiparæ?
VIR. Vrbis ſpeciem vidi,hominum mores perſpexi parum.
TO. Numquid in principio ceſſauit verbum doctè dicere?
DO. Haud potui etiam in primo verbo perſpicere ſapientiam.
SA. Quid id,quod vidiſti?vt munitum muro tibi viſum'ſt oppidum?
VIR. Si incolæ benè ſunt morati,pulcrè munitum arbitror:
Perfidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia ſi exſulant:
Quarta inuidia,quinta ambitio,ſexta obtrectatio,
Septimum periurium. TO. euge. VIR. octaua indiligentia.
Nona iniuria,decimum,quod peſſimum aggreſſu,ſcelus.

Hæc niſi vnde aberunt, centuplex murus rebus ſeruandis parum eſt. A
TO. Quid ais tu? DO. quid vis? TO. tu in illis es decem ſodalibus,
Te in exſulium ire hinc oportet. DO. quid iam? TO. quia periurus es?
DO. Verba quidem haud indoctè fecit. TO. ex tuo, inquam, vſu eſt. eme hanc.
DO. Ædepol, qui cùm hanc magis contemplo, magis placet. TO. ſi hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.
Euortes tuo arbitratu tu homines fundis, familiis.
Cum optimis viris rem habebis, gratiam cupient tuam, B
Venient ad te comiſſatum. DO. at ego intromitti non ſinam
TO. At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent foreis?
Proinde tu tibi iubeas concludi ædeis foribus ferreis:
Ferreas ædeis commutes, limina indas ferrea.
Ferream ſeram, atque annulum, ne, ſi ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas craſſas compedeis.
DO. I in malum cruciatum. TO. i ſanè: hãc eme atque auſculta mihi.
DO. Modò vt ſciam quanti indicet. TO. vin' huc vocem? DO. ego illò acceſſero.
TO. Quid ais hoſpes? SA. venio, adduco hanc, vti dudum dixeram,
Nam heri in portum noctu nauis venit. venire hanc volo, C
Si pote'ſt: ſi non pote'ſt, ire hinc volo, quantum pote'ſt.
DO. Saluus ſis adoleſcens. SA. ſiquidem hanc vendidero pretio ſuo.
TO. Atqui aut hoc emtore vendes pulcrè, aut alio non potes.
SA. Eſne tu huic amicus? TO. tanquam Di omnes, qui cælum colunt.
DO. Tum tu mihi es inimicus certus. nam generi lenonio
Numquam vllus Deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
SA. Hoc age. opúſn'eſt hac tibi emta? DO. ſi tibi veniſſe'ſt opus,
Mihi quoque emta eſt: ſi tibi ſubiti nihil eſt, tantundem'ſt mihi.
SA. Indica, fac pretium. DO. tua merx eſt, tua indicatio eſt? D
TO. Æquum hic orat. SA. vin' bene emere? DO. vin' tu pulcrè vendere?
TO. Ego ſcio hercle vtrumque velle. DO. age indica prognariter.
SA. Prius dico. hanc mancupio nemo tibi dabit. iam ſcis? DO. ſcio,
Indica minimo daturus qui ſis, qui duci queat.
TO. Tace, tace, nimis tu quidem hercle homo ſtultus es pueriliter,
DO. Quid ita? TO. quia enim te ex puella prius percontari volo,
Quæ ad rem referunt. DO. & quidem hercle tu me monuiſti haud malè.
Vide ſis. ego ille doctus leno, pænè in foueam decidi,
Niſi hic adeſſes quãtũ eſt adhibere hominẽ amicũ vbi, quid geras!





A TO. Quo genere, aut qua in patria ſit nata, aut quibus parentibus,
Ne temerè hanc te emiſſe dicas ſuaſu, atque impulſu meo.
Niſi moleſtum eſt, percontari hanc paucis hic volt. SA. maximè,
Suo arbitratu. TO. quid ſtas? abi tute, atque ipſe itidem roga,
Vt tibi percontari liceat quæ velis. etſi mihi
Dixi dare poteſtatem eius: ſed ego te malo tamen
Eum ipſum adire, vt ne contemnat te ille. DO. ſatis rectè mones,
Hoſpes, volo ego hanc percontari. SA. à terra ad cælum, quid lubet.
TO. Iubedum ea huc accedat ad me. SA. i ſanè, ac morem illi gere,
B Percontare, exquire quid vis. TO. agè agè nunc tu i præ. para,
Vide vt ingrediare auſpicatò. DO. liquidum eſt auſpicium. TO. tace.
Concede ſis. iam ego illam adducam. DO. age, vt rem eſſe in noſtram putas.
TO. Sequere me, adduco hanc ſi quid vis ex hac percontarier.
DO. Enim volo te adeſſe. TO. haud poſſum, quin huic operam dem hoſpiti,
Cui herus iuſſit. quid ſi hic non vult me adeſſe vnà? SA. immò i modò.
C TO. Do ego tibi operam. DO. tibi idem das, vbi tu tuum amicum adiuuas.
Exquire. TO. heus tu aduigila. VIR. ſatis eſt dictum. quanquam ego ſerua ſum,
Scio ego officium meum, vt, quæ rogitet, vera, vt accepi, eloquar.
TO. Virgo, hic homo probus eſt. VIR. credo. TO. non diu apud hunc ſeruies.
VIR. Ita pol ſpero, ſi parentes facient officium ſuum.
DO. Nolo ego te mirari, ſi nos ex te percontabimur,
Aut patriam tuam, aut parenteis. VIR. cur ego id mirer, mi homo?
D Seruitus mea mihi interdixit, ne quid mirer meũm malũ meûm.
TO. Noli flere. VIR. ah. TO. Dij iſtam perdãt, ita cata, & callida eſt.
Habet cor. quàm dicit quod opu'ſt! DO. quod nomen tibi eſt?
TO. Nunc metuo ne peccet. VIR. Lucridi nomen in patria fuit.
TO. Nomen atque omen quantiuis eſt pretij. quin tu hanc emis?
Nimis pauebam ne peccaret. expediuit. DO. ſi te emam,
Mihi quoque lucridem confido fore te. TO. tu ſi hanc emeris,
Numquam hercle hunc menſem vertentem credo ſeruibit tibi.
DO. Ita velim quidem hercle. TO. optata vt eueniant, operam addito.
Nihil adhuc peccauit etiam. DO. vbi tu nata es? VIR. vt mihi

Mater dixit,in culina,in angulo ad læuam manum. A
TO. Hæc erit tibi fauſta meritrix. nata eſt in calido loco,
Vbi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſimè.
Tactus eſt leno,qui rogarat,vbi nata eſſet,diceret.
Lepidè luſit. DO. at ego patriam te rogo,quæ ſit tua.
VIR. Quæ mihi ſit,niſi hæc,vbi nunc ſum? DO. at ego illam quæro, quæ fuit.
VIR. Omne ego pro nihilo eſſe ducto,quod fuit,quando fuit.
Tamquam hominem,quando animam efflauit,quid eum quęras, qui fuit?
TO. Ita me Di bene ament,ſapienter. atque equidem miſeret tamen.
DO. Sed tamen virgo, quæ patria eſt tua? age nunc actutum expedi. quid taces? B
VIR. Dico equidem patriam. quandoquidem hic ſeruio, hæc patria eſt mea.
TO. Iam de iſtoc rogare omitte. non vides nolle eloqui,
Ne ſuarum ſe miſeriarum in memoriam inducas? DO. quid eſt?
Captúſne eſt pater? VIR. non captus, ſed quod habuit, id perdidit.
TO. Hæc erit bono genere nata. nihil ſcit niſi verum loqui.
DO. Quis fuit? dic nomen. VIR. quid illum miſerum memorem qui fuit?
Nunc & illum miſerum,& me miſeram æquum eſt nominarier, C
DO. Quoiuſmodi is in populo habitus eſt? VIR. nemo quiſquam acceptior.
Serui,liberíque amabant. TO. hominem miſerum prædicas,
Cum ipſus propè perditus eſt,& beneuolenteis perdidit.
DO. Etiam opinor. TO. etiam opinor? DO. ſummo genere eſſe arbitror.
TO. Diuitias tu ex iſtac facies. DO. ita Di faxint. TO. eme modò.
VIR. Iam hoc tibi dico, iam actutum æcaſtor meus pater vbi me ſciet
Veniſſe huc, aderit hic, & me abſentem redimet. quid nunc. D
DO. quid eſt?
TO. Audin' quid ait? VIR. nam etſi res ſunt fractæ, amici ſunt tamen.
DO. Neſis plora. libera eris actutum,ſi crebrò cades.
Vin' mea eſſe? VIR. dum quidem,ne nimis diu tua ſim, volo.
TO. Satin'? vt meminit libertatis? dabit hæc tibi grandeis bolos.
Age,ſi quid agis, ego ad hunc redeo. ſequere, redduco hanc tibi.
DO. Adoleſcens vin' vendere iſtanc? SA. magis lubet, quàm perdere.
DO. Tum tu pauca in verba confer. quid datur. tanti indica.
SA. Faciam ita vt te velle videam,vt emas. habe centum minis.
Nimium'ſt.



A DO. Nimium'ſt. SA. octoginta. DO. nimium'ſt. SA. nummus abeſſe hinc non poteſt,
Quod nunc dicam. DO. quid id eſt ergo? eloquere actutum atque indica.
SA. Tuo periclo ſexaginta hæc datur argenti minis.
DO. Toxile quid ago? TO. Di,Deæque te agitant irati ſcelus,
Qui hanc non properes deſtinare. DO. habebo. TO. eu, prædatus probè.
Abi,argentum effer huc.
Non ædepol minis trecentis cara'ſt. feciſti lucri.
SA. Heus tu,etiam pro veſtimentis huc decem accedant minæ.
B DO. Abſcedent enim,non accedent. TO. taceſis. non tu illum vides
Quærere anſam,infectum vt faciat? abíſne,atque argentum petis?
DO. Heus tu,ſerua iſtum. TO. quin tu is intrò? DO. abeo, atque argentum affero.

SATIN' ATHENÆ TIBI VISÆ F.] inducitur Sagariſtio, quaſi aduena cum Perſa loquens,quaſi captiua, vt eius oratione compoſita captus leno, faciliùs ad emendum adducatur. INCOLÆ] ciues. BENE SVNT MORATI] bonis moribus ſunt proditi. PECVLATVS] furtum pecuniæ publicæ. INDILIGENTIA] negligentia. QVOD PESSIMVM AGGRESSV, SCELVS] ſcelus,facinus eſt,quod quis faciens,manus ſuas ſanguine contaminat,vt ſi quis hominem interficiat: eſt etiam factum impium in deos, aut paréteis, aut patriam, ſcelus peſſimum aggreſſu autem,id eſt, peſſimum ad aggrediendum,& ſuſcipiendum. NISI VNDE] niſi ex aliqua vrbe. TV IN ILLIS ES DEC. S.] tu es in numero illorum decem C vitiorum, quæ exſulare oportet ex bene morata,& ab omni periculo tuta ciuitate. EX TVO, INQ. &c.] è re,inquam,tua eſt. QVI CÙM HANC M. C. M. PL.] ædepol,inquit,è re mea eſt hanc puellam emere,qui quando hanc magis contemplor, tam magis ea mihi placet. malim legi, *qui quam hanc magis contemplo*, magis placet. id eſt, quanto magis hanc contemplor, tantò magis placet. DII IMM.] cum admiratione pronuntiandum. EVERTES T. ARB. F. F.] euertes fundis, ſic dictum à Plauto, vt à M. Tullio euertere fortunis, bonis, & ſimil. VENIET AD TE COMISSATVM] ſic legẽdum,& ita habent noſtri libri veteres *comiſſatum*, per i, non per, e, vt vulgus ſcribit. qua de re plura in cõment. Horat. ad illum locum odæ libri 4. *Tempeſtiuis in domo Comiſſabere maximi.* OCCENTABVNT OSTIVM] cantabunt ob oſtium: vel conuiciabuntur tibi aut fores: vel oſtia tum conuiciis inſequentur. Paulus. occentare dicebant, pro conuicium facere. EXVR. FORES] facibus & tædis exurent foreis ligneas. FERREAM SERAM] quaſi verò ſeræ non debeant eſſe ferreæ, aut poſſint eſſe ligneæ. SI FERRO P.] ſi ferro peperceris. IVBEAS] legendũ fortaſſe eſt, *videas*. veruntamen nihil muto. poteſt enim ferri lectio recepta, hoc ſenſu: facito tibi foreis ferreas, & cetera ferrea, ne, ſi ſumtu deterritus ferro parſeris, eadem opera tute tibi ferreas compedeis impingas. QVANTI IND.] quod D pretium merci præfiniat. VENIRE HANC VOLO] vendi hanc volo. SI POTE'ST] ſi fas eſt, ſi fieri poteſt εἰ δυνατόν ἐστι. VENDES PVLCRÈ] bene vendes, id eſt, vendes ex animi tui ſententia. QVI CÆLVM COLVNT] cæleſteis οὐρανίωνες οἱ ὄλυμπον ἔχουσι. ὀλύμπια δώματα ἔχοντες. TVM TV MIHI INIM.] ſi mihi tam amicus es, quàm dij, tum verò tu mihi certus inimicus es. HOC AGE] huic rei attentum te præbe. SI TIBI VENISSE EST OP.] ſi tibi venditam eſſe expedit, mihi emtam eſſe vtile eſt: ſi tibi vendita eſt opus, eſt mihi opus emta. SI TIBI SVBITI NIHIL EST.] ſi tibi quamobrem properes, cauſa nulla eſt. TVA INDICATIO EST] tuum eſt iudicare, & tuæ merci pretium conſtituere. VTRVMQVE V.] & emtorem velle bene emere, id eſt, cum emolumento ſuo emere: & venditorem bene vendere, id eſt, cum lucro vendere. PROGNARITER] ſtrenuè, fortiter, conſtanter. ſic Nonius, & profert hæc Plauti verba: & illa Ennij. *Diui hoc audite parumper, vt pro Romano populo prognariter armis Certando prudens animam de corpore mitto.* Hactenus Nonius. Ego & apud Ennium, & apud Plautũ, & apud Nonium, & ceteros legendum puto *prognauiter*. HANC MANCVPIO NEMO TIBI DABIT] hanc nemo ea lege tibi vendet, vt velit ſubire periculum euictionis. INDICA MINIMO DAT. Q. SIS, Q. D. Q.] indica, quanto minimo pretio eam daturus ſis, vt à me emtore abduci queat. NIMIS TV QVIDEM H. H. ST.] hæc dicit Toxilus lenoni ſecretò, & ſeparatim à lenone, ſimulans ſe ei bene cõſultum eſſe velle, cùm

eum perditum eat. EGO ILLE DOCTVS L.]ego ille qui habeor callidus, & prouidus leno. A POENÈ IN FOVEAM DEC.]pœnè deceptus ſum:pœnè illaqueatus ſum. QVANTI EST ADHIB. H. AM.] cum admiratione pronuntiandum. quàm magnum eſt,quanti momenti eſt adhibere hominem amicum in negotio ſuo gerendo? NISI MOLESTVM EST,&c.]hæc ad Sagariſtionem. HÎC]leno. QVID STAS?]quid ſtas leno? ETSI M. DIXIT DARE P.]quamquam dixit mihi hoſpes,ſe mihi permittere poteſtatẽ interrogandæ puellæ. A TERRA AD CÆLVM]percunctare ab vltimo extremo,vſque ad alterum: & percunctare quid libet. I SANÈ]hæc ad puellam. PERCONTARE]hæc ad lenonem. LIQVIDVM EST AVSP.]defæcatum eſt auſpicium, miniméque turbidum, ſuprà Pſeud. *aut ſiniſtra,auſpicio liquido*. & Epid. *liquido exeo foras auſpicio,qui ſiniſtra*. I PRÆ] pre i. noſtri libri habent, *age age nunc tu in prælium,imperor*. mendoſe opinor. CONCEDE SIS]concede ſi vis. recede,aut ſecede ſi vis. AGE, VT REM ESSE IN N.] age vt noſtra intereſſe putas. ENIM VOLO TE ADESSE]enimuerò te adeſſe volo, cùm ego puellam percunctabor. DO EGO TIBI OPERAM]fortaſſe legendum,*do ergo tibi operam*. hæc ad lenonem. TIBI IDEM D.]ſic habẽt libri noſtri veteres melius, quàm vulgati,*tibi ibidẽ*.tu idẽ tibi das operam cùm amicum tuum adiuuas. ADVIGILA]attende. SI PARENTES] ſi parentes mei faciant officium ſuum:nam me breui rediment. SERVITVS MEA MIHI INTERD.] B ſeruitus mea docuit me omnia perferre, quæ mihi à potentioribus, & à dominis imponuntur, aut imperantur. NOLI FLERE] hîc puella callida,& probè inſtituta,& docta adflet. CATA]arguta,ſapiens. HABET C.]cordata eſt.cuius contrarium,excors. QVÀM DICIT QVOD OPVS EST!]cum admiratione pronuntiandum.NVNC METVO NE P.] nunc metuo,ne titubet,id eſt,ne malè reſpondeat,ſeu,ne quid tale reſpondeat,vt lenoni noſtrę omnes fallaciæ pateant. LVCRIDI] hoc nomen debet placere lenoni, propter omen. lucrum enim promittit. atque hoc idcircò à puella callidè excogitatum,& reſponſum eſt. NOMEN ATQ. OM. Q. EST P.]vel propter nomen ipſum,quod tibi lucrum per ſe oſtentat, quantiuis emere debes. NIMIS PAVEBAM. NE P.]hæc ſecum loquitur ad ſpectatores conuerſus,& à lenone auerſus. EXPEDIVIT]cura,& metu me liberauit;cùm ita callidè, & opportunè reſpondit. MENSEM VERTENTEM] menſem integrum. ſic dictũ autem menſem vertentem,vt annum vertentem:nam menſis vertens eſt, cùm Luna percurſis ſignis duodecim,eò,vndè profecta eſt, rediit. quod fit 28. circiter diebus. ſignificat porrò eam non diu ſeruituram,ſed leno intelligit breui tempore exſtiturum aliquem emtorem, qui eam magno redimat. Toxilus verò mox exorturum, qui eam in libertatem aſſerat, & à lenone multo C pretio dato auferat. OPTATA VT CONVEN.]optata vt contingant,ſeu concurrant:noſtri libri habent partim,*opta vt eueniant*. partim,*optata vt eueniant*. OPERAM ADDITO] adiuuato. TACTVS EST LENO]hæc loquitur Toxilus ad ſpectatores conuerſus, & à lenone auerſus. tactus eſt autem,id eſt,apto reſponſo captus eſt. DICERET] ſubintellig. vt. AT EGO PATRIAM TE R. Q. S. T.]at ego te rogem,quæ ſit patria tua. DVCTO] duco. QVANDO F.]poſteaquam præteriit. QVI FVIT]qui mortuus eſt? MISERET TAMEN] miſeret me eius tamen. EXPEDI.]paucis explica. NON VIDES N. ELOQ.] ſubintell.eam. NE SVARVM SE MIS. IN M. IND.]ne miſeriarum ſuarum ſibi memoriam refrices. CAPTÚSNE EST PATER?] ab hoſtibus. ACCEPTIOR] gratior, magis probatus. NAM ETSI RES SVNT FR.] etſi res ſint perditæ,atque afflictæ.tralatio à naui fracta. NE SIS PLORA]ne plora ſi vis. SI CREBRÒ CADES]ſi crebrò viris ſuccumbes. DABIT H. T. GRANDEIS BOL.]afferet hæc tibi magnas vtilitates. magno hæc erit tibi emolumento. AGE SIQVID A.] ſi emere vis,eme ne tandiu cunctare. AD HVNC]ad Sagariſtionem hoſpitis perſonam indutum. SEQVERE]virginem alloquitur. REDVCO HANC T.]hoſpitem ſimulatum alloquitur Sagariſtionem. QVID D.?] D quid vis tibi dari? TANTI INDICA]tanti indica,quantum tibi vis dari,ſemel indica. NVMMVS ABESSE]non dabo tibi eam,vel nummo minoris quàm ſexaginta minis. HVIC] ab ea ſumma,quàm nunc dicam. TVO PERICVLO] ita vt eam non dem tibi mancupio, neq. periculum emtionis præſtare velim. DII, DEÆ'QVE TE AG. IRATI] deos deáſque habes tibi iratos,atque infeſtos,qui te agitant,& inſectantur,vt furiæ agitant ſceleratos, atque impios,cùm hanc emere non properes. DESTINARE] emere. PRÆDATVS PROBÈ] prædam præclaram feciſti. alloquitur lenonem,irridens eum diſſimulanter. Nonnulli putant Toxilum apud ſe loqui ſibi gratulantem,quòd præclaram prædam à lenone fecerit. EFFER.] domo. NON ÆDEPOL MINIS T. C.]non ædepol ſi minis trecẽtis emiſſes, carè emiſſes. HVC DECEM ACC.]ad ſexaginta minas accedant decem minæ. ABSCEDENT ENIM, NON ACCEDENT] enimuerò decedant potius, quàm accedant. demam aliquid de ſexaginta minis,quàm addam. TACE SIS] hæc ad Sagariſtionem ſeorſim,& ſecretò. NON TV ILLVM VIDERE QVÆR. A.]non tu illam vides occaſionem quærere ſtultitiæ mutandæ, & emtionis diſſoluendæ? HEVS TV, SERVA ISTVM] hæc ad Toxilum admonens eum,vt Sagariſtionem obſeruet,ne cum virgine diſcedat.

Ædepol



A
## TOXILVS, SAGARISTIO ſerui. VIRGO.

ÆDepol dediſti virgo operam allaudabilem,
Probam & ſapientem & ſobriam. VIR. ſi quid bonis
Boni fit,eſſe idem & graue,& gratum ſolet.
TO. Audin' tu Perſa? vbi argentum ab hoc acceperis,
Simulato quaſi eas prorſum in nauem. SA. ne doce.
TO. Per angiportum rurſum te ad me recipito,
Illac,per hortum. SA. quod futurum eſt,prædicas.
TO. At ne cum argento protinam permutes domum,
Moneo te. SA. quod te dignum eſt,me dignum eſſe vis.
B TO. Tace,parce voci. præda progreditur foras.

ET GRAVE, ET GRATVM S.]ſic Accius Atham. hæc duo cõiunctim poſuit, *id quod facis, gratum, & graue eſt*. Graue,inquit Nonius,ſolidum,& firmum ſignificat,opinor, id boni,quod in bonos cõfertur,eſſe eis gratũ,& magnum,id eſt,& magni fieri:non eſſe leue,ſed graue,& magni ponderis. AVDIN' TV PERSA?] tu Sagariſtio,qui Perſæ perſonam ſuſtines. QVOD FVTVRVM EST PR.]faciam,quod mones. PROTINAM]protinus. PERMVTES D.]aliam domum pro noſtra introeas. QVOD TE DIGNVM EST] pecuniam alienam auertere. PARCE VOCI]loquere ſummiſſa voce,vel vocem comprime.

## DORDALVS leno. SAGARISTIO, TOXILVS ſerui VIRGO.

C PRobati hic argenti ſunt ſexaginta minæ,
Duobus nummis minus eſt. SA. quid ei nummi ſciunt?
DO. Crumenam hanc emere,aut facere vt remigret domum.
SA. Ne non ſat eſſes leno,id metuebas,miſer,
Impure,auare,ne crumenam amitteres.
TO. Sine quæſo. quando leno'ſt,nihil mirum facit.
DO. Lucro faciundo ego auſpicaui in hunc diem:
Nihil mihi tam parui'ſt,quin id me pigeat perdere.
Age,accipe hoc ſis. SA. hunc in collum,niſi piget,
Impone. DO. verò fiat. SA. numquid ceterùm
Me voltis? TO. quid tam properas? SA. ita negotium'ſt.
D Mandatæ quæ ſunt,volo deferre epiſtolas.
Geminum autem fratrem ſeruire audiui hîc meum,
Eum ego vt requiram atque vt redimam,pergere volo.
TO. Atque ædepol tu me commonuiſti haud malè.
Videor vidiſſe hic forma perſimilem tui,
Eadem ſtatura. SA. quippe qui frater ſiet.
DO. Sed ſcire velimus,quod tibi nomen ſiet.
TO. Quid attinet nos ſcire? SA. auſculta ergo vt ſcias:
Vaniloquidorus, Virginiſuendonides,
Nugipolyloquides,argentiextenebronides,
Tedigniloquides,nummorum expalponides,
Quod ſemel arripides,numquam poſtea eripides.

D O. Heu hercle nomen multis modis ſcriptum'ſt tuum. A
S A. Ita ſunt Perſarum mores,longa nomina
Contortiplicata habemus. numquid ceterum
Voltis? T O. vale. S A. & vos.nam animus in naui eſt meus.
D O. Cras ires potius,hodie hic cenares. Vale.

PRobati hîc arg.]in hac crumena ſunt ſexaginta minæ argenti probi,à quibus abſunt duo nummi. Qvid ei nvmmi svnt?] quare abſunt ij duo nummi?quid facere ſciunt? Crvmenam hanc emere, avt f.] ea gratia(inquit)duos nummos detraxi,vt crumenam emas,aut ſi emere nolis,& duos nummos, qui deſunt, tibi dari poſtulas, crumenam mihi reddas. Lvcro faciendo ego avsp.]Nonius. auſpicari,pro,auſpicatus ſum.Plautus Perſa. *Lucro faciendo ego auſp.* Hvnc in c.]in hoc collum impone, niſi piget. collus & collum dixerunt veteres,vt alibi notatum eſt. Cetervm] ceteroqui, alioqui. Mandatæ qvæ svnt] quæ mihi datæ ſunt perferendæ. Sed scire vel. qvod tibi n. s.]hic verſus,qui fuerat omiſſus à librario propter ſimilitudinem eiuſdem vocis,qua terminabantur duo coniuncti verſus,ex auctoritate vnius veteris codicis reſtitutus eſt,ſine quo ſententia huius loci claudicabat.Vaniloqvidorvs,&c.]nomina ſunt conficta à Sagariſtione,quaſi Perſica,cùm ſint tamen partim Latina,partim Græca, partim Barbara. vaniloquidorus igitur, ſi hæ voces interpretatione indigent, eſt qui vana loquitur , & vana verba dat. Virginisvendonides] virginis venditor. Nvgipolyloqvides] qui multas nugas loquitur. ex noſtris libris veteribus vnus habet *nugipololoquides* quæ ſcriptura ſi recta eſt,ſignificatio nominis hæc eſſe poſſit,qui loquitur nugas,& res ne pili quidem faciendas. Argentiextenebronides] qui argentum ex tenebris eruit. Tedigniloqvides]qui te digna loquitur. Nvmmorvm expalp.] qui nummos palpando, & blandiendo exprimere poteſt. Qvod semel arr. nvmqvam]quod ſemel arripuit, numquam poſtea ſibi eripi ſinit. Nam animvs in navi est m.] Sic Terentius, *animus eſt in patinis.* Cras ires p. h. h. c.] cras ire deberes potius hodie hîc cenare. B

## TOXILVS DORDALVS. C
## SATVRIO paraſitus. VIRGO.

T O. POſtquam illic abiit,dicere hic quiduis licet.
Næ hic tibi dies illuxit lucrificabilis:
Nam non emiſti hanc,verùm feciſti lucri.
D O. Ille quidem iam ſcit quid negotij geſſerit,
Qui mihi furtiuam meo periculo vendidit.
Argentum accepit,abiit.quid ego nunc ſcio,
An iam aſſeratur hæc manu? quò illum ſequar?
In Perſas?nugas. T O. credidi gratum fore D
Beneficium meum apud te. D O. immò equidem gratiam
Tibi Toxile habeo. nam ſenſi te ſedulò
Mihi dare bonam operam. T O. tibin' ego?immò ſeriò.
D O. Atat, oblitus ſum intus dudum edicere
Quæ volui edicta.aſſerua hanc. T O. ſalua'ſt hæc quidem.
V I R. Pater nunc ceſſat. T O. quid ſi admoneam? V I R. tempus eſt.
Heus Saturio exi. nunc eſt illa occaſio
Inimicum vlciſcier. S A. ecce me,numquid moror?
T O. Age illuc abſcede procul è conſpectu. S A. tace.
T O. Vbi cum lenone me videbis colloqui,
Tum turbam facito. S A. dictum ſapienti ſat eſt.





A ILlic.] ille. Lvcrificabilis.]lucrificabilis à lucrifico, as, vt laudabilis, & amabilis, & ſimil. à laudo,& amo,&c.lucrificare autem ſic dictum,vt ludificare. Qvi nvnc ego scio an iam a.] diuinat leno,qui nũc,inquit,ſcire poſſum,an iam hæc virgo vindicetur ex ſeruitute? Nvgas.]nugas egero. Tibin' ego?]túne iſtuc dicis duntaxat me tibi operam dediſſe ſedulò,id eſt,mihi animum, & voluntatem fuiſſe tibi conſulẽdi, ſed rem non exſtare?immò verò ego ſeriò tibi profui & conſului,& lucrum vltro in manus obtuli. Intts]domi. Edicere.]ſeruis. Pater nvnc cessat.] abſente nunc lenone, qui domum introiuit,Perſa queritur patrem ceſſare,& non ſe aſſerere in libertatem.

## DORDALVS leno. TOXILVS ſeruus.

TRanſcidi loris omneis adueniens domi,
Ita mihi ſupellex ſqualet,atque ædes meæ.
B T O. Redis tu tandem. D O. redeo. T O. næ ego hodie tibi
Bona multa feci. D O. fateor,habeo gratiam.
T O. Num quippiam aliud me vis. D O. vt bene ſit tibi.
T O. Pol iſtuc quidem omne iam ego vſurpabo domi,
Nam iam inclinabo me cum liberta tua.

TRanscidi loris.] tranſcidi penultima longa à trans & cædo.vel legendum *concidi.* Sqvalet.]ſordet,horret ſordibus,& immunditia.Gellius.Nonius. Bona mvlta feci.]ſic reſtitui ex noſtris libris veteribus qui habent *bona muita feci*,mendoſè illud quidem,ſed tamen vnde facilè veram ſcripturam elicias, *bona multa.*nam vt i, ſæpè in l. ita & l. ſæpè in i.deprauatur.Vt benè sit tibi.]vt beatus ſis. Inclinabo me cvm lib.] cubabo cum liberta tua.

## C SATVRIO paraſitus. DORDALVS. VIRGO.

NIſi ego illunc hominem perdo. D O. perij. S A. atque optimè,
Eccum ipſum ante ædeis. V I R. ſalue multum mi pater.
S A. Salue mea nata. D O. Perſa me peſſundedit.
V I R. Pater hic meus eſt. D O. hem,quid?pater?perij oppidò.
Quid ego igitur ceſſo infelix lamentarier
Minas ſexaginta? S A. ego pol te faciam,ſcelus,
Te quoque etiam ipſum vt lamenteris. D O. occidi.
D S A. Age ambula in ius leno. D O. quid me in ius vocas?
S A. Illi apud prætorem dicam. ted ego in ius voco.
D O. Nónne anteſtaris? S A. Tuan' ego cauſſa carnufex
Cuiquam mortali libero aureis atteram,
Qui hic commercaris ciueis homines liberos?
D O. Sine dicam. S A. nolo. D O. audi. S A. ſurdus ſum, ambula,
Sequere hâc ſceleſta feles virginaria.
Sequere hâc,mea nata,me vſque ad prætorem. V I R. ſequor.

NIsi ego illvnc hom. p.]oratio imperfecta,vt minantis,& irati. Perii] leno ſentiens ſe peti,vt ſibi malè conſcius,clamat ſe periiſſe. Lamentarier minas sexaginta] queri minas ſexaginta amiſſas:deflere iacturam,quam feci minarum ſexaginta. Ego pol te faciam sc.]ego pol te faciam ſceleſte lamentari,& deplorare tuam

ipſius vicem. Illi.]illic. Ted ego in ius voco.] te ego in ius voco.ted ego,pro A
te ego,veterum conſuetudine d.interpoſitum eſt. Nónne antestaris?]nónne anteſtaris?nónne teſtem aliquem auricula ei prehenſa,ſeu vulſa,aduocas,vel adhibes?anteſtari,eſt aliquem admonere prehenſa,aut attrita ei auricula,vt meminerit eorum,quæ audierit, aut viderit. Tuan' ego causa carnufex.]perſonas honeſtas & incolumi fama non licebat ſine anteſtatione inuitas in ius trahere. Infameis, & fures, & lenones licebat. Idcirco nunc Saturio,tuáne ego cauſa,inquit,homo ſcelerate,cuiquam homini libero aureis prehendam? id eſt,anteſtabor?ſic in Aul. Euclyo Lyconidem, quem ſuſpicatur ſibi aulam quadrilibrem auri plenam ſurripuiſſe,minatur ſe in ius rapturum. ſic Plautus. *Niſi referes.* L. *quid tibi referam?* EV. *quod ſurripuiſti mihi.Iam quidem ad prætorē hercle te rapiam,& tibi ſcribam dicam.* Et in Rud. Pleudiſippus Labracem lenonem ſic interrogat.*Rapier huic oblato collo mauis,an trahi? vtrumuis opta,dum licet.* Commercaris]emis. Scelesta feles virg.]ſceleſte raptor virginum.ſic lenonem appellat,quòd auidè virginem emerit,& quaſi rapuerit:feles enim,animal eſt rapax. Sic Auſonius.Marcum quendam puellarum felem dicit,id eſt,raptorem puerorum. ſed malim legi hoc modo.*ſequere hàc ſceleſte,*ſcripta hîc diſtinctionis nota,*feles virginaria.*

B

## TOXILVS, SAGARISTIO, ſerui LEMNISELENE.

HOſtibus victis,ciuibus ſaluis,re placida,pacibus perfectis,
Bello extincto,re bene geſta,integro exercitu & præſidiis,
Cum bene nos Iupiter iuuiſti, Díque alij omnes cælipotentes,
Ea vobis grateis habeo, atque ago, quia probè ſum vltus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participeis diuidam prædam, & participabo.
Ite foras, hîc volo ante oſtium & ianuam meos participes bene accipere. C
Statuite hîc lectulos, ponite hîc quæ aſſolent. hîc ſtatui volo, primùm
Vnde ego omneis,hilaros, ludenteis, lætificanteis faciam, vt fiant aliqua mihi,
Quorum opera hæc mihi facilia factu facta ſunt, quæ volui effieri.
Nam improbus eſt homo,qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.
LEM. Toxile mi,cur ego ſine te ſum? cur autem tu ſine me es? TO. age dum.ergo D
Accede ad me,atque amplectere ſis. LEM. ego verò.oh, nihil magis dulce'ſt.
Sed amabo oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
Omnia, quæ tu vis, ea cupio. TO. mutua fiunt à me. age, age, age.ergo
Tu Sagariſtio accumbe in ſummo. SA. ego nihil moror.cedò partem,quam pepigi.
TO. Temperi. SA. mihi iſtuc temperi ſero'ſt. TO. hoc age, accumbe,hunc diem ſuauem

Meum



A Meum natalem agitemus,amœnum:date aquam manibus, appo-nite menſam.
Do hanc tibi florentem florenti. tu hîc eris dictatrix nobis. age puere,
A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos. moue manus, propera.
Pægnium tardè cyathos mihi das. cedò ſanè.benè mihi, benè vobis,bene amicæ meæ.
Optatus hic mihi dies datus hodie'ſt à dis, quia te licet liberam me amplecti.
LEM. Tua factum opera benè omnibus nobis.hoc mea manus tuæ poculum donat, B
Vt amantem amanti decet. TO. cedò. LEM. accipe. TO. bene ei,qui inuidet mihi,
Et ei qui hoc * gaudet

HOstibus victis,&c.]allegoria eſt ducta à re militari.exſultat & triumphat gaudio Toxilus ob rem bene geſtam,& lenonem ſexaginta minis emunctum. Pacib. perfect.]conditionibus pacis tranſactis.Nonius,*paces* plurali numero nouè poſitum.Varro.Animaduertendum primum quibus de cauſis, & quemadmodum conſtituant paces: ſecundùm, qua fide,& iuſtitia eas coluerint. Ea.] ob eam cauſam. Inter participes.] inter doli ſocios,inter conſilij,factíque participes.Participábo.] participeis prædæ faciam. Lectvlos]ad diſcumbendum. Ponite hîc qvæ ass.]hîc ponite flores,corollas,panem,obſonia, vina, cetera. Vnde.] ea, quibus. Vt fiant aliqva mihi qvo-
C rvm óp.]vt fiant à me aliqua bona iis,quorum opera,hæc mihi facilè confecta ſunt,quæ fieri volui. Improbvs est homo.] improbus,quia ingratus. Ergo accede ad me, adamplectere sis.] ſic habent noſtri libri veteres,quos ſequor.Alij,*ergo accedin' ad me,atque amplecteris?* Ocvlvs mevs.]ocule mi,rectus pro vocatiuo. Qvin lectis act. nos comm.]quare non continuò lectis nos cōmittimus? Accvmbe in svmmo.]in ſummo loco.locorum in conuiuiis hæc erat differentia: alius erat ſummus, alius imus, ſeu infimus,alius medius.qua de re plura ſuprà,& in commentariis Horat.Mvtva fivnt à me] ego quoque omnia,quæ vis,cupio. Ego nihil moror]nihil moror accumbere in ſummo:hoc eſt,parui iſtuc facio: iſto,quod mihi das, carere poſſum,valeat. Cedò partem, qvam pep.]da mihi partem,quam tecum pactus ſum.fortaſſe repetit ſexcentos nummos,quos ei mutuos dederat, cùm præſertim eorum reddēdorum facultatem habeat, ablatis à lenone ſexaginta minis.Nam ſexaginta minæ ſex millia dragmatum continent, cùm mina cētum dragmas valeat.dragma autem,& denarius, qui quattuor ſeſtertios, ſeu duodecim aſſeis continet, idem ferè valent. non diſſimulabo tamen libros omneis veteres ſine vlla varietate,habere *parem:* ſed in hoc diſſentiunt, quòd alij habent, *quam,* alij *quem.* mâlo eius loci ſen-
D tentiam,& veram ſcripturam in medio relinquere. Temperi.] id eſt,tempori,hoc dicit ſuo tempore tibi dabitur,quod pepigiſti.ſuo tempore tibi reddetur pecunia, quam mihi credidiſti. Cicero dixit *temperius* in comparatiuo libr.9.epiſt.ad Famil.epiſt.16.*Memini te mihi Phameæ cenam narrare,temperius fiat.cetera eodem modo.* Hoc age.] animum habe ad hoc,quod agitur, attentum.omitte iſta ab hoc negotio aliena.Amoenvm]ſuauem.amœnum dixit ἀσυνδέτως. Do hanc tibi flor. flo.] dat hîc Toxilus puellam adoleſcentem ætate florentem Sagariſtioni ætate florēti.ſed incertum,quam.non enim nominatur,niſi quis dicat eandem,quam amat Lemniſelenem.Tv hic eris dictatrix] tu Lemniſelene hîc eris nobis conuiuij magiſtra,nobíſque leges bibendi feres & dictabis. Age pvere à svmmo,&c.] age puer à ſummo loco præbe pocula ſingulis conuiuis ſeptenos cyathos. Erat autem apud veteres lex hæc in cōuiuiis rata,& ſollemnis,vt à ſummo ad imum pocula circumferentur, ídque certo cyathorum numero præfinito,vt inter omneis conuiuas æqualitas quædam ſeruari videretur.idem Plautus.*Da puere ab ſummo. age tu interibi ab infimo Da ſuauium.* Committe hos lvdos.] tralatio à ludis gladiatoriis,qui committi dicuntur.Virgil.Æneid.5. *Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.* Cicero libr.3.epiſt.ad Q. Fr.*Hæc ſcripſi à d.viij.Kal. Nou.quo die ludi committebantur,in Tuſculanum proficiſcens,*&c.Idem lib.3.de Finib.*Heri,inquam,ludis commiſſis ex vrbe profectus veni ad veſperum.* Move manvs.] ne ceſſa.Horat. *cuncta feſtinet manus.* Benè mihi]

ſubintell.ſit. QVI TE LICET LIB. ME AMPL.] quia licet mihi te liberam amplecti. A TVA FACTVM OPERA B. OMN. N.] tua opera nobis omnibus factum eſt bene. B BENE EI, QVI INVID. M.] bene ſit ei, qui mihi inuidet, nempe Sagariſtioni, qui non habet amicam liberam, vt ego, neque tam venuſtam, quàm ego.

## DORDALVS. SAGARISTIO.
### LEMNISELENE. PÆGNIVM puer.

QVi ſunt, qui erunt, quíque fuerunt, quíque futuri ſunt poſthac,
Solus ego omnibus antideo, facilè miſerrimus hominum vt viuam.
Perij, interij. peſſimus hic mihi dies hodie illuxit, corruptor B
Ita me Toxilus perfabricauit, itáque meam rem diuexauit.
Vehiculum argenti miſer eieci, amiſi: neque quamobrem eieci, habeo.
Qui illum Perſam, atque omneis Perſas, atque etiam omneis perſonas.
Malè di omnes perdant: ita miſer. Toxilus hæc mihi conciuit.
Quia ei fidem non habui argenti, eò mihi eas machinas molitu'ſt:
Quem pol ego vt non in cruciatum, atque in compedeis cogam, ſi viuam,
Siquidem huc vmquam herus redierit eius, quod ſpero: ſed quid ego aſpicio? C
Hoc vide, quæ hæc familia eſt? pol hîc quidem potant. aggrediar, ô bone vir
Salueto, & tu bona liberta. TO. Dordalus hic quidem eſt. SA. quin iube adire.
TO. Adi, ſi libet, agite applaudamus. Dordale homo lepidiſſime ſalue.
Locus hic tuus eſt: hîc accumbe. ferte aquam pedibus, præben' tu puere?
DO. Ne ſis me vno digito attigeris, ne te ad terram, ſcelus, affligam.
PV. At tibi ego hoc continuò cyatho oculum excutiam tuum.
DO. Quid ais crux, ſtimulorum tritor, quomodo me hodie verſauiſti? D
Vt me in tricas cõieciſti? quomodo de Perſa manus mihi adita'ſt?
TO. Iurgium hinc auferas, ſi ſapias. DO. at bona liberta hæc ſciuiſti,
Et me celauiſti. LEM. ſtultitia'ſt, cui bene eſſe licet, eum præuorti
Litibus. poſterius iſtæc te magis par agere'ſt. DO. vritur cor mihi.
TO. Da illi cantharum, exſtingue ignem, ſi cor vritur, caput ne ardeſcat.
DO. Ludos me facitis, intelligo. TO. Vin' cinædum nouum tibi dari Pægnium?

Quin



A DO. Quin elude, vt ſoles, quando liber locu'ſt hîc.
TO. Hui babæ, baſilicè te intuliſti & facetè.
PV. Decet me facetum eſſe, & hunc irridere
Lenonem lubido'ſt, quando dignus'ſt.
TO. Perge vt cœperas. PV. hoc leno tibi.
DO. Perij, perculit me propè. PV. hem ſerua rurſum.
DO. Delude vt lubet, herus dum hinc abeſt.
PV. Viden' vt tuis dictis pareo!
Sed quin tu meis contrà item dictis ſeruis,
Atque hoc, quod tibi ſuadeo, facis? DO. quid eſt id?
PV. Reſtim tibi cape craſſam, ac ſuſpende te.
B DO. Caueſis me attigas, ne tibi hoc ſcipione
Malum magnum dem. PV. vtere, te condono.
TO. Iamiam Pægnium da pauſam.
DO. Ego pol vos eradicabo. PV. at te ille, qui ſupra nos habitat.
Qui tibi malè volt, maléque faciet. non hi dicunt, verùm ego.
TO. Age circunfer mulſum bibere. da vſque plenis cantharis.
Iamdiu factum eſt poſtquàm bibimus. nimis diu ſicci ſumus.
DO. Di faciant vt id bibatis, quod vos numquam tranſeat.
PV. Nequeo leno quin tibi ſaltem ſtaticulum, olim quem Hegea
Faciebat. vide verò ſi tibi ſatis placet. SA. me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.
C DO. Malum ego vobis dabo, niſi abitis. SA. etiam mutis impudens?
Iam ego tibi, ſi me irritaſſis, Perſam adducam denuò.
DO. Iam taceo hercle, atque tu Perſa es, qui me vſque admutilauiſti ad cutem.
TO. Tace ſtulte. hic eius geminus eſt frater. DO. hiccine'ſt. TO. ac geminiſſimus.
DO. Di, Deæque & te, & geminum fratrem excrucient. SA. qui te perdidit:
Nam ego nihil merui. DO. at enim quod ille meruit, tibi id obſit volo.
D TO. Agite ſultis, hunc ludificemus, niſi non dignus'ſt. SA. non opu'ſt.
LEM. At me haud par eſt. TO. eò credo, quia non inconciliauit cum te emo.
LEM. Attamen, non tamen. TO. caue ergo ſis malo, & ſequere me.
Te mihi dicto audientem eſſe addecet. nam hercle abſque me
Foret, & meo præſidio, hic faceret te proſtibulam propediem.
Sed ita pars libertinorum eſt. niſi patrono qui aduerſatus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.
Ni id efficit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt.
LEM. Pol benefacta tua me hortantur, tuo vt imperio paream.
TO. Ego ſum tibi patronus planè, qui huic argentum pro te dedi.

Pro hiſce,hunc volo ludificari. LEM. meo ego in loco ſedulò curabo. A
DO. Certò illi homines mihi neſcio quid mali conſulunt, quod faciant. SA. heus vos.
TO. Quid ais? SA. hiccine Dordalus eſt leno, qui hîc liberas virgines?
Hiccine eſt,qui fuit quondam fortis? DO. quæ hæc res eſt? hei colaphum icit.
Malum vobis dabo. TO. at tibi nos dedimus, dabimúſque etiam. DO. hei nateis peruellit.
PV. Licet.diu ſæpè ſunt expunctæ. DO. loquere tu etiam fruſtum pueri? B
LE. Patrone i intro amabò,ad cenam. DO. mera ignauia,tu nunc me irrides?
LE. Quiáne te voco, bene vt tibi ſit? DO. nolo mihi bene eſſe. LE. ne ſit.
TO. Quid igitur? ſexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt?
DO. Malè diſperij,ſciunt referre probè inimico gratiam.
TO. Satis ſumſimus ſupplicij iam. DO. fateor, manus vobis do. TO. & pòſt dabis
Sub furcis,abi intrò. SA. in crucem. DO. ánne hic parum exercitum
Hiſce me habent? TO. conueniſſe te Toxilum memineris. C
Spectatores bene valete.lenò periit. Plaudite.

ANTIDEO]anteeo,antecello. PERFABRICAVIT]ſuis artibus & dolis perdidit. DIVEXAVIT.]in diuerſas parteis vexauit. Cicero Philipp.13.*agros diuexat ciuium optimorum.* VEHICVLVM ARGENTI.]magnam vim argenti, ad quam portandam vehiculo opus ſit. QVI ILLVM PERSAM, ATQVE OMNEIS PERSAS.] antiqua loquendi forma. ITA MISER.]ſubintell.ſum. CONCIVIT.] comparauit. QVIA EI FIDEM NON HAB. ARG.]quia ei argentum non credidi. QVEM POL EGO VT NON IN CR. ATQVE IN COMP.] oratio imperfecta, vt hominis irati. adde quod rei nouæ ſpectaculo commotus orationem inceptam non abſoluit: ſic autem integra erat futura. Quem pol ego vt non omnibus modis cruciem,&in compedeis coniiciam,ſi viuam,ſi modò aliquandiu herus eius huc redibit,quod ſpero,nolim mereri monteis aureos:nolim mereri Crœſi diuitias,aut aliquid tale. QVIN IVBE ABIRE.] immò verò iube eum ad nos venire. FERTE AQVAM PEDIBVS.]deridet lenoné, qui, cùm ſimulet ſe velle eum accumbere,iubeat aquam afferri pedibus,& non manibus,vt ſuprà.*date aquam manibus,appone menſam.* PREBEN' TV PVERE]túne præbes aquam puer?id eſt,non tu præbes aquam? NE SIS ME VNO D. ATT.]ne tu ſi vis,vel vno digito me attigeris.Caue quæſo,ne me vel vno digito attingas, ne te ſceleſte ad terram præcipitem deiiciam. EXCVTIAM]emouebo. STIMVLORVM TRITOR.]qui ſtimulos teris corpore tuo,qui aſſiduè ſtimulis,hoc eſt, fuſtibus pungeris, ac cæderis. IN TRICAS.]in negotia impedita,& inexplicabilia. IVRGIVM HINC AVFERAS, SI SAP.]aliò iurgatum abeas,ſi ſapias. STVLTITIA EST C. B. ESSE LICET EVM PR. L.]ſtultum eſt,cui benè & beatè viuere licet, eum, omiſſa beatè viuendi facultate & copia, ad liteis potius ſe conferre.ISTÆC AGERE]liteis ſequi,litigare.VRITVR COR MIHI]vror,torqueor. LVDOS ME FACITIS.]illuditis me. HVI BABÆ.] babæ admirantis interiectio eſt. LVBIDO EST.] lubet. QVANDO DIGN.]quoniam dignus eſt. HOC LENO TIBI.]hîc Pægnium lenonem pulſat, aut iaculo aliquo petit. PERCVLIT ME PROPÈ.]propemodum me peruertit. HEM SERVA RVRSVM.]iterum Pægnium lenoni manum,aut iaculum intentat. VIDEN' VT T. D. P.] dum te deludere perſeuero. SERVIS.]obtéperas,morem geris. RESTIM] funem. ATTIGAS.]antiquum pro attingas à verbo



A à verbo tago:à quo tagax. VTERE] ſcipione. TE CONDONO.]tibi permitto,vt iſto ſcipione me ferias. DA PAVSAM.]ceſſa,fac finem,quieſce. ERADICABO.] funditus perdam. ILLE, QVI SVPRA NOS HABITAT]Iupiter. MVLSVM.]vinum melle conditum. IAMDIV FACTVM EST POSTQ. BIB.] iamdudum non bibimus. SICCI.] ſicci,& vuidi,ſeu poti opponuntur. NEQ. LENO QVIN T. SALT. STATIC.] nequeo,leno,mihi temperare, qui tibi ſaltem ſtaticulum, &c. ſtaticulus ſaltationis, ſeu choreæ genus ſtatarium,miniméque motorium,quod refert Macrobius ex Catone lib.3. ſaturnal. his verbis. *Sic nimirum M.Cato ſenatorem ignobilem Cæcilium ſpatiatorem, & Feſcennium vocat,eúmque ſtaticulos dare his verbis ait:Deſcendit de cautherio:inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere.* Et alibi in eundem, *Præterea cantat,vbi collibuit,interdum Græcos verſus agit,iocos dicit, voces demutat, ſtaticulos dat.* ETIAM MVTIS IMP.]etiam audes muſſare? mutire, eſt conari loqui, & facere quod muri poſſunt. SI ME IRRITASSIS.]ſi me irritaueris. ADMVTILAVISTI.] attondiſti, decurtaſti. tralatum à bobus mutilis. AC GEMINISSIMVS.]& verò frater geminiſſimus,immò verè diceret ipſiſſimus. SVLTIS.]ſi vultis.NISI NON DIGN.]ironia eſt,niſi fortè,inquit,non eſt dignus,qui ludificetur. AT ME HAVD PAR EST.]at me non conuenit, vel non eſt æquum hunc ludificare,quippe qui ſit patronus. EÒ CREDO, QVIA NON INCONC.]
B iterum ironia eſt:hoc modo,eò,credo,non debes eum ludificare,quia de te bene meritus eſt,& quia cùm te emebam,non mihi aduerſatus eſt, tibíque obfuit, quantum potuit. proinde quaſi dicat,mihi obſtitit,cùm te emere vellem,de téque peſſimè meritus eſt. ATTAMEN NON TAMEN.]inducitur puella ægrè aſſentiens Toxilo, hortanti, vt lenonem ludificet. Attamen, inquit,patronus quodammodo eſt,& quamuis mihi obſtiterit,& malè de me meritus ſit,quod me proſtituere paratus fuerit,non tamen adduci poſſum,vt eum ludificem, quia dominus fuit. CAVE ERGO SIS MALO.]ſubiraſcitur Toxilus,& minatur malum Lemneſelenæ.caue ergo tibi,quæſo,à malo. ABSQVE ME FORET]id eſt, niſi ego fuiſſem, & niſi præſidium meum tibi preſtò fuiſſet. PROSTIBVLAM.] aliàs *proſtibilem:* ſed *proſtibulam* mâlo, id eſt, meretricem omnium libidini expoſitam:vulgatiſſimam,viliſſimam,& diobolarem,quaſi ante ſtabulum ſtantem,vide Nonium. LIBERTINORVM.]id eſt,libertorum. NISI PATRONO, QVI ADVERSATVS, &c.] ordo eſt, libertus ille nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi,nec ſatis honeſtus,niſi qui patrono aduerſatus eſt. MALEDIXIT.]maledixerit.GRAPHICÈ HVNC VOLVI LVD.]ſic habent noſtri libri veteres.graphicè autem interpretor, pulcrè bellè,accuratè. Camerarius edidit pro hiſce,huic v.Pro hiſce autem,ſi quis,fortè probabit,id eſt,pro meis benefactis. Alij libri habent,*hic eſt,hunc volo*,&c.MEO EGO IN LOCO]
C κατ' ἐμὸν μέρος.pro mea parte. NESCIO QVID MALI CONSVL. QVOD F.]neſcio, quid mali inter ſe conſultãt, quod mihi faciant.QVI HÎC LIB. VIR.]ſubintell.mercatur. QVI FVIT Q. FORTIS?]nunc autem ſcilicet ignauus eſt?& hoc dicto, colaphum ei inpingit,infligit,infringit.HEI COLAPHVM ICIT.]videtur legendum *colaphum ducit*, vel *colapho icit.* LICET DIV SÆPE SVNT EXPVNCTÆ.] licet tibi nateis peruellere, ſæpè enim & diu ſunt depilatæ. LOQVERE TV ETIAM FR. P.] tu ne etiam loqueris, qui puer non es, ſed pueri paruula pars?hoc propter eius breuiſſimam ſtaturam. MEA IGNAVIA, TV N. ME. IRR.]tu quæ mea ignauia es,id eſt, quæ meam ignauiam teſtaris, quæque libera non eſſes,niſi nequã & ignauus fuiſſem,nunc me irrides? Quidã legi volũt *mera ignauia*,id eſt,tu quæ ignauiſſima es.muliere enim quid ignauius? QVIA NE TE VOCO BENE VT T. S.?] cóne te à me irrideri putas,quia te ad cenam voco opiparam? SEXCENTI NVMMI]quos à me accepiſti pro Lemniſelene. QVAS TVRBAS DANVNT?] quas turbas excitant.danunt antiquè,pro dant. SATIS SVMSIMVS SVPPL.]ſatis graueis nobis dedit pœnas leno. MANVS VOBIS DO.] fateor me eſſe vobis viribus inferiorem.
D EXERCITVM] agitatum, vexatum. CONVENISSE TE TOXILLVM MEMIN.] locutum te eſſe cum Toxilo, vel locutum eſſe tecum Toxilum memineris.

# RVDENS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| ARCTVRVS | Prologus. |
| SCEPARNIO | ſeruos. |
| PLEVSIDIPPVS | adoleſcens. |
| DÆMONES | ſenex. |
| PALÆSTRA | mulier. |
| AMPELISCA | mulier. |
| SACERDOS | anus. |
| PISCATORES. | |
| TRACHALIO | ſeruos. |
| LABRAX | leno. |
| CHARMIDES | paraſitus. |
| LORARII. | |
| GRIPVS | piſcator. |

## ARGVMENTVM.

RETI piſcator extraxit de mare vidulum,
Vbi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ ſurrepta venerat:
Ea in clientelam ſuipte imprudens patris
Naufragio eiecta deuenit, cognoſcitur,
Suóque amico Pleuſidippo iungitur.

PISCATOR] Gripus. DE MARE.] de mari. mare ablatiuus antiquus. VIDVLVM.] bulgam, inuolucrum ex corio. DOMINVM AD LENONEM] Labraca. EA IN CLIENTELAM SVIPTE IMPRVDENS PATRIS] ea imprudens deuenit in clientelam ſui ipſius patris.

Qui gentes



# PROLOGVS.

## ARCTVRVS.

QVI genteis omneis, mariáque & terras mouet,
Eius ſum ciuis ciuitate cœlitum.
Ita ſum, vt videtis, ſplendens ſtella, candida,
Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo,
Hîc atq; in cælo.nomẽ Arcturo eſt mihi
Noctu ſum in cælo clarus, atque inter deos.
Inter mortaleis ambulo interdius,
Et alia ſigna de cælo ad terram óccidunt.
Qui eſt imperator diuûm atque hominum Iupiter,
Is nos per gentis alium in alia diſparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem & fidem
Noſcamus: vt quemque adiuuet opulentia.
Qui falſas liteis falſis teſtimoniis
Petunt, quíque in iure abiurant pecuniam,
Eorum referimus nomina, eſcripta ad Iouem,
Cotidie ille ſcit, quis hîc quærat malum.
Qui hîc litem apiſci poſtulant periurio,
Mali res falſas qui impetrant apud iudicem,
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat,
Maiore multa multat, quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis eſcriptos habet:
Atque hoc ſceleſti illi in animum inducunt ſuum,
Iouem ſe placare poſſe donis, hoſtiis.
Et operam, & ſumtum perdunt: ideò fit, quia
Nihil ei acceptum eſt à periuris ſupplicij.
Facilius ſi qui pius eſt à dis ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet veniam ſibi.
Iccirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni,
Quíque ætatem agitis cum pietate, & cum fide,
Retinete porrò, poſt factum vt lætemini.
Nunc, huc qua cauſſa veni, argumentum eloquar.
Primùm, dum huic eſſe nomen vrbi Diphilus
Cyrenas voluit. illic habitat Dæmones
In agro atque villa proxima propter mare,
Senex, qui huc Athenis exſul venit, haud malus.

Neque is adeò propter malitiam patria caret: A
Sed dum alios ſeruat,ſe impediuit interim,
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit paruula.
Eam de prædone vir mercatur peſſumus.
Is eam huc Cyrenas leno aduexit virginem.
Adoleſcens quidam ciuis huius Atticus
Eam vidit ire è ludo fidicino domum.
Amare occœpit,ad lenonem deuenit.
Minis triginta ſibi puellam deſtinat,
Dátque arabonem,& iureiurando alligat.
Is leno,vt ſe æquum eſt,flocci non fecit fidem, B
Neque quod iuratus adoleſcenti dixerat,
Eij erat hoſpes par illius Siculus,ſenex
Sceleſtus,Agrigentinus,vrbis proditor,
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem,quæ eius erant mulierculæ,
Infit lenoni ſuadere, vt ſecum ſimul
Eat in Siciliam.ibi eſſe homines voluptarios
Dicit:poteſſe ibi fieri eum diuitem:
Ibi eſſe quæſtum maximum meretricibus
Perſuadet.nauis clanculum conducitur.
Quicquid erat noctu in nauem comportat domo C
Leno:adoleſcenti,qui puellam ab eò emerat,
Ait ſe Veneri velle votum ſoluere.
Id hîc eſt fanum Veneris,& eò ad prandium
Vocauit adoleſcentem huc: ipſe hinc illico
Nauem conſcendit:auehit meretriculas.
Adoleſcenti alij narrant,vt res geſta ſit,
Lenonem abiuiſſe.ad portum adoleſcens venit,
Illorum nauis longè in altum abſceſſerat.
Ego quoniam video virginem aſportarier,
Tetuli ei auxilium,& lenoni exitium ſimul. D
Increpui hibernum,& fluctus moui maritimos.
Namque Arcturus ſignum omnium ſum acerrimum,
Vehemens ſum exoriens:cùm óccido,vehementior.
Nunc ambo illi in ſaxo,leno atque hoſpes, ſimul
Sedent,eiecti.nauis confracta eſt ibus.
Illa autem virgo,atque altera itidem ancillula,
De naui timidæ deſiluerunt in ſcapham,
Nunc eas ab ſaxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius,exſul vbi habitat ſenex:
Cuius deturbauit ventus tectum & tegulas,
Et ſeruus illic eſt eius,qui egreditur foras.

Adoleſcens



A Adoleſcens huc iam adueniet,quem videbitis,
Qui illam mercatu'ſt de lenone virginem.
Valete,vt hoſtes veſtri diffidant ſibi.

SIGNVM, QVOD SEMPER TEMP. EXOR.]diebus vndecim ante æquinoctium auctunnale. ARCTVRO.]de Arcturo ſic Aratus, Ἀρκτοφύλαξ τοὺρ ἄνδρες ἐπικλείουσι βοώτην. Ἐξ οὕνεχ᾽ ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται ἄρκτου. καὶ μάλα πᾶς ἀρίδηλος. ὑπὸ ζώνῃ δὲ οἱ αὐτὸς Ἐξ ἄλλων ἀρκτοῦρος ἑλίσσεται ἀμφαδὸν ἀστήρ. quos verſus ſic Latinè vertit M.Tull. *Artophylax vulgo qui dicitur Aſſebootes quod quaſi feruore adiunctã præ ſe quatit arctũ. Huic autẽ ſubter præcordia fixa videtur Stella micans radiis Arcturus nomine claro.* INTERDIVS] interdiu.ſecutus ſum autem Camerarij conjecturam, qui putat legendum *ambulóque*, cùm libri omnes habeant *ambulo interdius.* ALIVM IN ALIA]hîc vulgatos libros ſecutus ſum.nam veteres non habent prępoſitionem *in*. Camerarius vult legi *alium quidem alia.* DISPARAT.]in diuerſas oras ſeparat. VT QVEMQVE ADIVVET OPV-
B LENTIA]quomodo ad vnumquemque perueniant diuitiæ & opes. QVI FALSAS LITEIS FALS. TEST.]qui ſine iure litigare expetunt falſis teſtibus freti. IN IVRE.] apud prætorem. ABIVRANT.]cum periurio infitiantur. QVIS HîC QVÆR. M.] quis hîc ſibi ſuis iniuſtis & impiis factis arceſſat malum,id eſt,quis hîc ob ſua iniuſta,& ſceleratè facta grauibus pœnis dignus ſit? APISCI]adipiſci. ITERVM ILLE EAM REM IVDIC.]Iupiter rem ab improbo iudice contra leges,& iuſiurandum iudicatam, iterum iudicat, & ſententiam ab impio iudice latam corrigit, & eos, qui apud illum iudicem vicerunt, maiore multa multat,quàm ſit ea vtilitas,quam ex lite eis condonata cõſequatur. IOVEM SE PLACARE POSSE.]audiant homines furtis,& rapinis,& ſpoliis integrorum, & piorum ciuium locupletati,qui ſe ſuorum furtorum maculas eluere poſſe cõfidunt,ſi partem aliquam ſuæ prædæ in templa diuorum conferant. O cæcas hominum menteis, &c. NIHIL EI ACCEPTVM EST à PERIV.]nihil ſupplicij,id eſt,nullum ſupplicium à periuris Deo acceptum eſt.ſupplicium autem hoc loco,id eſt ſuppliciter.Sic apud Salluſtium bello Catill. *In ſupplicijs Deorum magnific.* Accius Epigonis. *Nunc pergam,vt ſupplicijs placans cælitum aras expleam.* RETINETE PORRò]retinete pietatem & fidem,perſeuerate piè,& fideliter viuere, vt poſtquam ita
C vixeritis,gaudeatis. NVNC HVC Q. C. V.]nunc argumentum huius comœdiæ vobis exponam,quam ob cauſam ego huc prodij. PRIMVM DVM] primùm igitur. *primum dum* legendum cõiunctim. DIPHILVS]actor. CYRENAS.]Cyrenæ vrbs Libyæ à Batto condita, de qua & Laſerpitio,cuius ea regio fertilis eſt, diximus nonnulla in commentar. in Æmilium Probum. PROPTER MARE]prope mare. PROPTER MALITIAM.] videtur hîc malitiam accipere,pro ea,quam Græci κακίαν appellant,quæ eſt contraria bonitati,& virtuti. DVM ALIOS SERVAT] pro aliis ſpondet. SE IMPEDIVIT INTERIM] ἐγγύα παρὰ δ᾽ ἄτα. COMITATE] facilitate in homines,& commoditate morum. PERIIT]ſurrepta eſt. VIR PESSVMVS.]homo peſſimus,leno. è LVDO FIDICINO]è ludo, vbi fidibus canere diſcitur. DESTINAT]emit. ALLIGAT.]lenonem. FLOCCI NON FECIT] contemſit. FIDEM.] quam dederat adoleſcenti. PAR ILLIVS.]improbus, & perfidus. INFIT]incipit,ſic infrà proximè. *Infit lenoni ſuadere*, &c. ET ALIARVM ITEM, QVÆ EIVS]& aliarum ſimiliter muliercularum,quæ eius erant. HOMINES VOLVPTARIOS]de Siculorũ luxuria,& libidine Athenæus. POTESSE.]poſſe. QVIDQVID ERAT] quidquid habebat leno,domi. VT RES GESTA SIT]narrant rem omnem, lenonem na-
D uim conſcendiſſe,& abiiſſe. LONGè IN ALTVM.]longè à portu,& ab ora maris,in mare profundum. TETVLI.]antiquè,pro tuli. Accius Andro. *Donec tu auxilium Perſeu tetuliſti mihi.* ex Nonio. INCREPVI HIBERNVM ET FLVCTVS MOVI. M.] Seruius ad illum Virg. locum Georg.1. *Sub ipſum Arcturum tenui ſat erit*, &c. multa de Arcturo notat, & hunc Plauti verſum cum eo,qui deinceps ſequitur,profert. Increpui hibernum autem,id eſt,ventos, & fluctus excutiam hibernos. IBVS]iis.idem ſuprà Milite Gl. *Latrones ibus dinumerem ſtipendium.* ad quem locum plura. ILLA AVTEM VIRGO]Palæſtra. ANCILLVLA] Ampeliſca. IN SCAPHAM]ſcapha,paruula nauicula,quæ ſemper ſequi ſolet nauim maiorem ad dubios caſus nauigationis. SENEX.]Dæmones. ET SERVVS ILLIC EST]& ſeruus ille eſt Dæmonis, Sceparnio ſcilicet. ADOLESCENS]Pſeuſidippus. VALETE, VT HOSTES VESTRI DIFF.] precatur ſpectatoribus victoriam,vt ſe præbeant attentos.

# ACTVS PRIMVS. A

## SCEPARNIO ſeruus.

PRoh di immortales, tempeſtatem cuiuſmodi
Neptunus nobis nocte hac miſit proxima!
Detexit ventus villam. quid verbis opu'ſt?
Non ventus fuuit, verùm Alcumena Euripidi:
Ita omneis tecto deturbauit tegulas,
Illuſtriores fecit, feneſtráſque indidit.

DETEXIT VENTVS VILLAM.] ſuprà deturbauit tectum, & tegulas. ALCVMENA EVRIPIDI.] tragœdia Euripidis, nomine Alcumena, in qua Euripides, cùm Iupiter ad Alcumenam veniebat, vel potius cum Alcumena pariebat, faciebat ſpurcam tempeſtatem oriri. omneis vndique ventos irrumpere, ſæuos exſiſtere turbines, cælum tonitru contremiſcere: vt facit ipſe Plautus in Amphitr. his verbis, *ibi continuò Cõtonat ſonitu maximo. ædeis primò ruere rebamur tuas. Ædes totæ cõfulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ. Euripidi* autẽ genitiuus antiquus, vt *Thymarchidi, Thucydidi.* TECTO DETVRBAVIT TEG.] ſic legendum non *de tecto.* talia ſunt illa, adigere arbitrum apud M. Tullium, *adiacet mare*, apud Cornel. Nep. *propugnat nugis.* apud Horatium. ILLVSTRIORES FECIT.] an tegulas? an ædeis? malim legi *illuſtriorem*, vt ſubintell. *villam.* ſiue potius *illuſtrius*, vt ſubintell. tectum. fecit autem illuſtriores, propter crebra fulgura. FENESTRÁSQVE INDIDIT] villæ aut tecto. patefecit tectum, vis ventorum ſcilicet. B

## PLEVSIDIPPVS adoleſcens. DÆMONES. SCEPARNIO ſeruus.

C

ET vos à voſtris abduxi negotiis.
Neque id proceſſit, qua vos duxi gratia,
Neque quiui lenonem ad portum prehendere.
Sed mea deſidia ſpem deſerere nolui.
Eo vos amici detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio viſere,
Vbi rem diuinam ſe facturum dixerat.
SC. Si ſapiam, hoc quod me mactat, concinnem lutum.
PL. Prope me hic neſcio quis loquitur. DÆ. heus Sceparnio.
SC. Qui nominat me? DÆ. qui pro te argentum dedit. D
SC. Quaſi me tuum eſſe ſeruum dicas Dæmones.
DÆ. Luto vſus multo, multam terram confode,
Villam integundam intellego totam mihi.
Nam nunc perlucet ea, quàm cribrum, crebrius.
PL. Pater ſalueto, ambóque adeò. DÆ. ſaluus ſies.
SC. Sed vtrùm tu mas, an fæmina es, qui illum patrem
Voces? PL. vir ſum equidem. DÆ. quære vir porrò patrem.
Filiolam ego vnam habui. eam vnam perdidi.
Virile ſexus numquam vllum habui. PL. at di dabunt.
SC. Tibi quidem hercle quiſquis es magnum malum,
Qui oratione hîc nos occupatos occupes.

Iſticcine



A PL. Iſticcine vos habitatis? SC. quid tu id quæritas?
An quo furatum venias mox, veſtigas loca?
PL. Peculioſum eum eſſe decet ſeruum & probum,
Quem hero præſente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
SC. Et impudicum & impudentem hominem addecet,
Moleſtum vltrò aduenire ad alienam domum,
Cui debeatur nihil. DÆ. tace Sceparnio.
Quid opus eſt adoleſcens? PL. iſti infortunium,
Qui præfeſtinet, vbi herus aſſit, præloqui.
Sed, niſi moleſtum'ſt, paucis percontarier
B Volo ego ex te. DÆ. dabitur opera, atque in negotio.
SC. Quin tu in paludem is, exſicáſque arundines,
Qui pertegamus villam, dum ſudum'ſt. DÆ. tace.
Tu ſi quid opus eſt, dice. PL. dic, quod te rogo,
Ecquem tu hic hominem criſpum, incanum videris,
Malum, periurum, palpatorem. DÆ. plurimos.
Nam ego propter eiuſmodi viros viuo miſer.
PL. Hic dico in fanum Veneris qui mulierculas
Duas ſecum adduxit, quíque adornauit ſibi
Vt rem diuinam faciat aut hodie, aut heri.
DÆ. Non hercle adoleſcens iam hos dies compluſculos
C Quemquam iſtic vidi ſacruficare: neque poteſt
Clam me eſſe, ſi qui ſacruficant. ſemper petunt,
Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid: quid verbis opu'ſt?
Veneri parsaui vaſa, & puteum, non mihi.
Nunc interuallum iam hos dies multos fuit.
PL. Vt verba perhibes, me periiſſe prædicas.
DÆ. Mea quidem hercle cauſſa ſaluus ſis licet.
SC. Heus tu, qui fana ventris cauſſa circuis.
Iubere melius eſt prandium ornari domi:
D Fortaſſe tu huc vocatus es ad prandium,
Ille, qui vocauit, nullus venit. PL. admodum.
SC. Nullum'ſt periclum te hinc ire impranſum domum.
Cererem te melius, quàm Venerem, ſectarier.
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
PL. Deludificauit me ille homo indignis modis.
DÆ. Proh dij immortales, quid illuc eſt Sceparnio
Hominum ſecundum litus? SC. vt mea eſt opinio,
Propter viam illi ſunt vocati ad prandium.
DÆ. Qui? SC. quia poſt cenam credo lauerunt heri.
Confracta nauis in mari eſt illis. DÆ. ita eſt.
SC. At hercle nobis villa in terra & tegulæ. DÆ. hui,

Homunculi quanti eſtis eiecti? vt natant? A
PL. Vbi ſunt ij homines,obſecro? D AE. hac ad dexteram,
Viden' ſecundum litus? PL. video,ſequimini.
Vtinam ſit is,quem ego quæro,vir ſacerrimus.
Valete. SC. ſi non moneas,noſmet meminimus.
Sed ô Palæmon,ſancte Neptuni comes,
Quíque hercule illi ſocius eſſe diceris,
Quod facinus video? D AE. quid vides? SC. mulierculas
Video ſedenteis in ſcapha ſolas duas.
Vt afflictantur miſeræ! euge,euge,perbene,
Ab ſaxo auortit fluctus ad litus ſcapham:
Neque gubernator vſquam illis eſſe potuit. B
Non vidiſſe vndas me maiores cenſeo.
Saluæ ſunt, ſi illos fluctus deuitauerint.
Nunc nunc periculum'ſt, eiecit alteram
At in vado'ſt. iam facile enabit. eugepæ.
Viden',alteram illam vt fluctus eiecit foras?
Surrexit. horſum ſe capeſſit. ſalua res.
Deſiluit hæc autem altera in terram è ſcapha,
Vt præ timore in genua in vndas concidit?
Salua'ſt, euaſit ex aqua,iam in litore eſt.
Sed dextrouorſum auerſa it in malam crucem.
Hem errabit illæc hodie. D AE. quid id refert tua? C
SC. Si ad ſaxum,quod capeſſit,ea deorſum cadet,
Errationis fecerit compendium,
D AE. Si tu de illarum cenaturus veſperi es,
Illis curandum cenſeo Sceparnio:
Si apud me eſurus es,mihi dari operam volo.
SC. Bonum,æquúmque oras. D AE. ſequere me hac ergo. SC.
ſequor.

ET VOS À VOSTRIS] alloquitur amicos quoſdam,& ſodaleis ſuos, quos vnà ſecum adduxerat,vt lenonem,quem audierat,abiiſſe,comprehendere, & puellam ſibi venditam abducere:vel illo inuito, ac repugnante poſſet. qui nihil reſpondent, ſuntque mutæ quædam D perſonæ. NEQVE ID PROCESSIT Q.]neque id,cuius rei gratia vos adduxi,mihi bene proceſſit,quia lenonem in portu non offendi. SPEM DESERERE] ſpem abiicere, rem deſperare. SI SAPIAM, HOC QVOD ME M.]Sceparnio lutum conficere iuſſus ab hero ad villam protegendam,& tectum reficiendum,hortatur ſe ipſe: cùm fortaſſe negligentior adhuc fuiſſet,ad operam nauandam. QVOD ME MACTAT]quod me fatigat,quod me enecat. CONCINNEM]conficiam. QVI NOM. ME]quis me nomine appellat? QVI PRO TE ARG. D.] dominus tuus,qui te emit. LVTO VSVS M.]luto opus eſt multo. MVLTAM TERR. C.] multam terram effodi ad lutum concinnandum. Nonius, *concinnare*, eſt facere. QVAM CR. CREBR.]crebrius cribro.plura habet foramina,quàm cribrum. videtur eſſe paronomaſia. PATER SAL.]patrem appellat,quia ipſe adoleſcẽs eſt ille Dæmones ſenex. VIRILE SEXVS N.]id eſt,numquam vllum habui virilem ſexũ.Priſc.lib.5. quamuis Plautus hoc ſexus, huius ſexi neutro genere protulit in Rudente *virile ſexus*,&c. AN QVÒ FVRATVM V.&c.]an exquiris loca,in quæ pòſt paulò venias furatum? PECVLIOSVM] peculio inſtructum. ET PROBVM]voluit dicere, *&* *improbum.* ſed παρ' *ὑπόνοιαν, probum* dixit. QVEM HERO PRÆSENTE PRÆTEREAT ORAT.] cùm hero preſente excidat oratio. qui hero præſente loqui audeat. ISTI INFORTVNIVM] iſti infortunium opus



A opus eſt. iſte infortunium,& malum ſibi quærit. ATQVE IN NEG.] dabitur tibi opera,& quidem,vt magis intelligas me non eſſe inhumanum neque illiberalem,quamuis ſim magnopere occupatus. EXSICÁSQVE ARVND.]exſicas pro exſecas.Sic apud Varr.lib.de re ruſtica, *præſicare,reſicare,& deſicare.* pro præſecare,reſecare & deſecare. QVI]vnde,vt,quo. DVM SVDVM EST] dum cælum ſerenum eſt.ſic & Nonius quaſi vulgo ita legatur, ſudum quaſi ſemiudum.Nam ſeudum,pro,ſemiudum legendum puto. ſuprà in Milite glor. *Curate, vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,quàm ſolis radij eſſe,olim cum ſudum eſt,ſole.* ECQVEM]num aliquem. INCANVM]valde canum,vel canum ſimpliciter.Virg. *incanáque barba.* deſcribit his verbis lenonem. PALPATOREM]aſſentatorem. PROPTER EIVSMODI VIROS]opera, & culpa talium virorum. HIC DICO] malim legi *huc dico.* NEQ. POTEST CLAM ME ESSE] neque poteſt mihi ignotum,aut obſcurũ eſſe,ſi qui ſacrificant. AVLAM EXTAREM]ollam, in qua exta coquuntur. NVNC INTERVALLVM IAM H. DIES M.]nunc longum temporis interuallum interceſſit, poſtquam hîc ſacrificatum non eſt. hos iam multos dies hîc ſacrificatum non eſt. MEA QVIDEM H. C.]quod ad me attinet ἐμοῦ ἕνεκα. VENTRIS CAVSA]vt ventrem cibo expleas,vt prandeas. IVBERE MELIVS EST.] ſatius eſt te iubere tibi prandium parari domi. NVLLVS VENIT] non venit. NVLLVM EST PE- B RICVLVM TE HINC] id eſt,poteſt tutò ire impranſus domum, licet tibi impranſo ſine periculo ire domum. CEREREM TE MELIVS, &c.]præſtat te cibo, quàm amori operam dare. AMORE HÆC CVRAT] Venus amore homines oblectat, Ceres cibo reficit, & recreat. ILLE HOMO]leno. QVID ILLVC EST H.]qui ſunt illi homines,quid illud eſt hominum. SECVNDVM LITVS]iuxta litus,poſt litus. PROPTER VIAM ILLI SVNT VOC.]iocus ex ambiguo. ſacrificium apud veteres fuit,vt refert Macrob.lib.2. Saturn.quod vocabatur propter viam,(ſic autem legendum,non vt vulgò *proteruia*,quod iampridem admonuit Antonius Auguſt.in notis ad Pomp.Feſtũ.Et nos,antequàm ederet, ex Nonio,& Feſto ipſo emẽderamus.)In eo mos erat,vt, ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet,igne conſumeretur.hinc Catonis iocus eſt.Namque Albidim quendam, qui ſua bona comeſſet,& nouiſſimè domum,quæ ei reliqua erat,incendio perdidiſſet,propter viam feciſſe dicebat: quod comeſſe non potuerit,id combuſſiſſe.Feſtus. Propter viam, fit ſacrificium,quod eſt proficiſcendi gratia Herculi,aut Sauio,qui ſcilicet idem deus eſt. Laberius apud Nonium in voce *bidentis. Viſis hac nocte bidenteis propter viam facere.* ſignificat autem Sceparnio hos naufragium feciſſe omnium bonorum ſuorum aduerſa tempeſtate conflictatos, quemadmodum propter viam faciũt,omneis C reliquias flammis conſumunt. QVÎ?]quo pacto? POST CENAM LAVERVNT] ante cenam lauabant veteres,non poſt cenam,niſi qui lue eſſent perditi. Hi enim rem ſuam familiarem balneis & Venere, & epulis abſumebant, eóque decoctores,bonis elauiſſe dicebantur. vel igitur eo quod naufragium bonorum ſuorum fecerint, lauiſſe poſt cenam dicit exemplo nepotum, & luxurioſorum hominum: vel quod ſint madidi, & vuidi, & qui exeunt è balneis. VILLA IN TERRA, ET T.] confractæ ſunt. HOMVNCVLI Q.]quàm magni,vel quantuli homines. EIECTI]fluctibus in terram.M.Tull.pro Roſc.Amerino. *Poſtremò ita eiiciuntur,vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* VIR SACERRIMVS] maximè exſecrandus. SI NON MONEAS] ſi moneas nos,vt valeamus,noſmet meminimus. PALÆMON]Palæmon deus marinus Leucotheæ, ſeu Inonis filius, à Latinis Portunus dictus, quod portubus præſit:De quo M.Tull.lib.2.& 3.de Nat.Deor. VT AFFLICT. M.]quàm afflictatur à fluctibus. AB SAXO]à ſcopulo, ad quem afflicta erat ſcapha, cuíque adhærebat. NEQVE GVBERN. ILLIS ESSE P.]oratio non conſequẽs,neque cohærens. Neque autem,inquit, gubernator vllus potuit eas ſeruare. CENSEO]puto. Hæc dicuntur à Sceparnione fluctus, & puellas ſpectante, dum iactatur fluctibus. EIECIT ALT.] alteram puellam eiecit flu- D ctus ad terram. IN VADO EST]vadum, locus eſt in mari, aut fluuio, qui pedibus tranſiri poteſt. SVRREXIT]fluctus eam ita eiecerat in litus, vt prolapſa ſit.idcirco dicit nunc eam ſurrexiſſe. HORSVM SE CAPESSIT]hanc partẽ verſus ſe ducit,aut confert. VT PRÆ TIMORE IN G.]cum admiratione pronuntiandum. quo pacto,præ timore in vndas concidit,non recta,ſed in genua procumbens! SED DEXTROVORSVM AVERSA IT IN M. CR.]ſed dexteram partem verſus auerſa à nobis it in malam crucem, cùm debeat læuam partem verſus iter flectere, Ampeliſcam ſignificat. profert hunc locum Priſcianus lib. 15. de aduerbio *ibi*, ſed antiqui etiam dextrouorſum dixerunt. SI AD SAXVM QVOD CAPESSIT]ſi cùm ad ſaxum peruenerit,quod petit,vel quò tendit, & ex eo ſaxo deciderit, minus errauerit: vel prorſus errare deſierit. SI TV DE ILL. CEN. VESP.] id eſt,ſi tu de illorum cena,ſeu cibo cenaturus es. ſic in Milite glor. *qui de veſperi viuat ſuo.* Hoc ideò, quòd veteres veſperi cenabant,quemadmodum & nos. quamquàm nos non omni tempore veſperi cenamus, ſed vere & auctunno duntaxat. Nam & æſtate longè ante veſperum: & bruma longè poſt veſperam cenamus. ILLIS CVRANDVM]ſic habent & noſtri libri veteres. *Illis curandum* autẽ id eſt,pro illis curandum.nam libri vulgati habent, *Illas curandum.* quam lectionem ſi qui probabunt,facilis erit eius explicatio. Illas curandum enim, idem valet,quod illas curare oportet, ſeu illas curandas.

## PALÆSTRA mulier.

A

NImio hominum fortunæ minus miſeræ memorantur,
Quàm reapſe experiundo iis datur acerbum.
Hoc deo complacitum eſt,me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones,timidam,eiectam.
Hanccine ego ad rem natam miſeram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mi haud labori eſt laborem hunc potiri,
Si erga parentem,aut deos me impiaui:
Sed id ſi paratè curaui vt cauerem,
Tum hoc mihi indecorè,iniquè,immodeſtè B
Datis di. nam quid habebunt ſibi igitur impij poſthac,
Si ad hunc modum eſt innoxiis honor apud vos?
Nam me ſi ſciam feciſſe,aut parenteis,ſceleſtè,minus me miſerer.
Sed herile ſcelus me ſollicitat. eius me impietas malè
Habet. is nauem atque omnia perdidit in mari.
Hæ bonorum eius ſunt reliquiæ:etiam quæ ſimul
Vecta mecum in ſcapha'ſt excidit.ego nunc ſola ſum,
Quæ ſi mihi foret ſalua ſaltem,labor
Leuior eſſet hic mihi,eius opera,
Nunc quam ſpem,aut opem,aut conſilij quid capeſſam?
Ita,hic,ſolis locis compedita ſum, C
Hîc ſaxa ſunt,hîc mare ſonat,nec quiſquam
Homo mihi obuiam venit.
Hoc,quod induta ſum,ſummæ opes oppido.
Nec cibo,nec loco tecta quo ſim,ſcio.
Quæ mihi eſt ſpes,qua me nunc viuere velim?
Nec loci nara ſum,nec diu hîc fui.
Saltem aliquam velim,qui mihi ex his locis,
Aut viam,aut ſemitam monſtret:ita nunc hac
An illac eam,incerta conſilij ſum:
Nec propè vſquam hîc quidem cultum agrum conſpicor. D
Algor,error,pauor membra omnia tenent.
Hæc parentes haud mei ſcitis miſeri,
Me nunc miſeram ita eſſe,vti ſum.libera ego
Prognata fui maximè. nequicquam fui,
Nunc qui minus ſeruio,quàm ſi forem ſerua nata?
Neque quicquam vmquam iis profui,qui me ſibi eduxerunt.

NImio hominvm f. m.]ordo,& ſentẽtia eſt,nimio minus hominum fortunæ miſeræ dicũtur,quàm re ipſa experiuntur. nimio minus autem,id eſt, multo minus. Hoc deo complacitvm est] tale eſt illud Virg. lib.3 .Æneid. *Poſtquam res Aſiæ, Priamique euertere gentem Immeritam viſum ſuperis*. Solent homines,cùm rerum ſuarum aduerſarum cauſam ignorant,aut verò cùm rebus aduerſis afflictantur, ideóque deos quodammodo accuſant, ita ſe conſolari. ſic diis viſum eſt.Sic idem Plautus Amphitr. *Ita diis placitum eſt, voluptatem vt mœror*

*comes*



A *comes conſequatur*. Horat.lib.1.oda 33. *Sic viſum Veneri,cui placet impares Formas,atq. animos ſub iuga ahenea Sæuo mittere in ioco*. ad quem locum plura notata ſunt. Me hoc orn. orn.] deſideratur aliquid,vt ferè ſolet,orationibus effectum aliquem declarantibus. ſic, inquit, deo placitum eſt me hoc ornatu cultam in incertas regiones, ſubintell. tendere. in incertis regionibus vagari, me, inquam, timidam, atque eiectam fluctibus. Hanccine ego p. c. &c.] hoccine ego præmium fero pietatis meæ præcipuæ,& eximiæ? partem, μερίδα μοῖραν, portionem, ſortem. Nam havd m. hoc l. est] nam hoc mihi non moleſtum, aut laborioſum ſit, hunc laborem perpeti,ſi in parentem,aut in deos impia fui. Paratè] ſtudioſè,data opera accuratè. Si ad hvnc modvm est innoxiis h.] ſi hoc modo honorantur innocentes apud vos? ſi tale præmium innocentibus perſoluitis? minus me miſeram dicerem, aut prædicarem. Herile] lenonis,heri mei. Sollicitat] ſollicitam habet, vel quaſi è ſolo,& ſtatu certo deturbat. Etiam qvæ s. v.&c.] etiam Palæſtra,quæ mecum ſimul in ſcapha vecta eſt,excidit,vi tempeſtatis in altum deiecta. Labor l. esset hic m.] hunc laborem facilius ferre poſſem eius opera.hic labor mihi leuior eſſet ad perferendum. ſic autem legendum,& ita habent noſtri libri veteres cum vulgatis conſentientes, non vt edidit Camerarius *lenior*. Avt consilii qvid c.] aut quid conſilij capere conabor? Ita

B his solis l. c.] ita his deſertis locis,quaſi compedib. quibuſdam,vincta ſum. Nõnulli ex noſtris libris veteribus habent, *compotita ſum*. quam ſcripturam cõſideret lector,ita ferè,vt vulgati. Hoc, qvod indvta svm, s. op. opp.] hæ ſunt opes meæ planè omnes, hoc veſtimentum,quod gero. Nec cibo, nec loco, &c.] neſcio neque quo cibo, neque quo loco inſtructa aut munita ſim. Saltem aliqvem velim, q. m. ex h. l.] ſaltem aliquem ex his locis mihi dari velim, qui mihi aut viam, &c. vel dic, quo ordine apud Plautum verba leguntur,ſaltem velim mihi aliquem contingere, qui mihi viam, aut ſemitam monſtret,vnde me ex his locis expedire poſſim. Algor] frigus. Parentes] vos ô parentes mei miſeri. Ne qvicqvam fvi] fruſtrà libera prognata ſum. Edvxervnt] aluerunt.

## AMPELISCA. PALÆSTRA. mulieres duæ.

C QVid mihi melius eſt, quid magis in rem eſt, quàm corpore vitam ſecludam?
Ita malè viuo, atque ita mihi multæ in pectore ſunt curæ exanimales.
Nunc dein' vitæ haud parco. perdidi ſpem,qua me oblectabam.
Omnia iam circumcurſaui,atque omnibus in latebris perreptaui.
Quærere conſeruam,voce,oculis,auribus,vt perueſtigarem.
Neque eam vſquam inuenio,neque quò eam,neque quà quæram conſultum'ſt,
Neque quem rogitem,reſponſorem quenquam interea inuenio.
Neque magis ſolæ terræ,ſolæ ſunt, quàm hæc loca, atque hæ re-
D giones.
Neque ſi viuit,eam viuam vmquam quin inueniam,deſiſtam.
PA. Quæ nam vox mihi propè hic ſonat? AM. pertimui,
Quis hic loquitur propè? PA. ſpes bona,obſecro,ſubuenta
Mihi. AM. mulier eſt.muliebris vox mihi ad aureis
Venit. PA. an eximes ex hoc miſeram metu?
AM. Certè vox muliebris aureis tetigit meas.
PA. Num Ampeliſca obſecro'ſt? AM. ten' Palæſtra audio?
PA. Quin voco,vt me audiat,nomine,illam,ſuo?
Ampliſca. AM. hem,quis eſt? PA. ego Palæſtra ſum.
AM. Dic vbi es? PA. pol ego nunc in malis plurimis.
AM. Socia ſum,nec minor pars mea'ſt,quàm tua,

Sed videre expeto te. PA. mihi es æmula. A
AM. Conſequamur gradu vocem.vbi es? PA. ecce me,
Accede ad me,atque adi contrà. AM. fit ſedulò.
PA. Cedò manum. AM. accipe. PA. dic, viuíſne?obſecro.
AM. Tu facis me quidem vt viuere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere, vt vix mihi
Credo ego hoc,te tenere! obſecro,amplectere,
Spes mea.vt me omnium iam laborum leuas?
PA. Occupas præloqui, quæ mea eſt oratio.
Nunc abire hinc decet nos. AM. quò,amabo,ibimus?
PA. Litus hoc perſequamur. AM. ſequor quò lubet.
PA. Siccine hic cum vuida veſte graſſabimur? B
AM. Hoc,quod eſt,id neceſſarium eſt perpeti.
Sed quid hoc obſecro eſt? PA. quid? AM.viden' amabo
Phanum?vidéſne hoc? PA. vbi eſt? AM. ad dexteram.
PA. Video decorum diis locum viderier.
AM. Haud longè abeſſe oportet homines hinc: ita hic
Lepidu'ſt locus. nunc quiſquis eſt deus,veneror,
Vt nos ex hac ærumna eximat miſeras,
Inopeis,ærumnoſas,aliquo auxilio vt adiuuet.

QVID MIHI MELIVS EST] quid mihi vtilius,aut commodius eſt? QVID MAGIS IN REM EST]idem dicit,quid magis è re mea eſt,quàm, &c. QVàM CORPORE V. S.]quàm vt è corpore animam ſeparem, ac ſeiungam?id eſt,vt mortem mihi,conciſcam? C CVRÆ EXANIMALES] curæ tabeficæ βιωφθόροι,quæ ψυχολέτωρες exanimant. NVNC DEIN VITÆ H. P.] nunc deinde animam profundere, & vitam amittere certum eſt. PERREPTAVI]perambulaui. tralatio à ſerpentibus. NEQVE QVà EAM,&c.]neque per quam partem, ſeu per quam viam eam deliberatum, ſeu decretum, ſeu prouiſum, ſeu proſpectum eſt. NEQVE QVEM R. R.&c.]neque quemquem interea reſponſorem inuenio,quem rogitem. inuenio quidem ſaxa,& arbores,& cetera ſimilia,ſed hæc mihi reſpondere non poſſunt,ſi ea rogitem. NEQVE MAGIS SOLÆ TERRÆ, S. SVNT, Q. &c.] neque terræ deſertæ magis deſertæ ſunt,quàm hæc loca, &c. NEQVE SI VIVIT, EAM VIVAM, &c.] & tamen ſi ea viuit,Palæſtra ſcilicet,numquam eam quærere deſiſtam,quin inueniã. SPES BONA, OBS. SVB. M.]ô ſpes bona,quæſo,ſubueni mihi. *ſubuento*,as, à verbo ſubuenio,is, vt *canto*, as, à verbo cano,is. AN EXIMES EX H. M. M.]an me miſeram hoc metu liberabis?QVIN V.]cur non illam nomine ſuo appello,vt me audiat? SOCIA S.]ſocia tibi ſum malorum,quæ perfers. MIHI ES ÆM.]idem expetis,quod ego. FIT SED.] facio ſedulò. CEDO M.]da manum. TV F. ME QVIDEM VT V. V.]id eſt,tu quidem D facis,vt nunc viuere velim. vel tu quidem facis me nunc velle viuere.millies hoc loquendi genus notauimus. QVANDO]quoniam. VT VIX ME CR.]quàm hoc mihi non credo te à me teneri. VT ME OMN. IAM L. L.]quàm me omnibus laboribus leuas? OCCVP. PR. QVÆ MEA EST OR.] cùm ea,quæ dicis,dictura eſſem,tu anteuertiſti. GRASSABIMVR?]ambulabimus?Titin.Veliterna.Vende thenſam,atque mulos.ſine eam pedibus graſſari. confringe eius ſuperbiam.ex Nonio. VIDEO D. DIIS L. V.]video,& intelligo hoc fanũ, locum videri diis decorum,id eſt,diis conuenientem,ſeu diis dignum. VENEROR]precor.

## SACERDOS, ET EÆDEM MVLIERES.

QVi ſunt,qui à patrona paces mea expetiſſunt?
Nam vox precantum me huc foras excitauit.

Bonam



A Bonam atque obſequentem deam,atque haud grauatam
Patronam exſequuntur,benignámque multum.
PA. Iubemus te ſaluere mater. SA. ſaluete
Puellæ. ſed vnde vos ire cum vuida
Veſte dicam,obſecro,tam mæſtiter veſtitas?
PA. Illico hinc imus,haud longulè ex hoc loco.
Verùm longè hinc abeſt,vnde huc vectæ ſumus.
SA. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Eſtis vectæ. PA. admodum. SA. ergo æquius vos erat
Candidatas venire,hoſtiatáſque ad hoc
Fanum ad iſtunc modum non veniri ſolet.
B PA. Quæ nunc eiectæ è mari ſumus ambæ,obſecro
Vnde nos hoſtias agere voluiſti huc?
Nunc tibi amplectimur genua,egentes opum,
Quæ in locis neſciis neſcia ſpe ſumus,
Vt tuo recipias tecto,ſeruéſque nos,
Miſerarúmque te ambarum vti miſereat,
Quibus nec locus vllus,nec ſpes parata eſt,
Neque hoc amplius,quàm quod vides,nobis quicquam'ſt.
SA. Manus mihi date,exſurgite à genibus ambæ:
Miſericordior nulla me eſt fœminarum.
Sed hæ pauperes res ſunt,inopéſque,puellæ:
C Egomet vix vitam colo,Veneri cibo meo
Seruio. AM. Veneris fanum,obſecro,hoc eſt? SA. fateor ego,
Huius fani ſacerdos clueo,verùm quicquid eſt,
Comiter fiet à me,quo non copia
Valebit.ite hac mecum. PA. amicè,benignéque,
Honorem mater noſtrum habes. SA. oportet.

QVI SVNT QVI à PATRONA PACES M. EXP.]qui ſunt,qui patronam meam Venerem propitiare,& placare volunt?ſic autem hunc locum reſtituimus, vbi vulgo *à patrona preces mea expeteſſunt*,legebatur. ATQVE HAVD GR.] id eſt, & non difficilem, neque inexorabilem,aut aſperam.*grauatam* participiũ à *grauor grauaris*. quidam legi volunt *atque haud grauantem*. SED VNDE VOS IRE,&c.]profert hunc locum Nonius in voce *mæſtiter*. D Mœſtiter,inquit,pro mæſtè.Plautus Rud.*ſed vnde*,&c. ILLICO H. I.&c.] nunc primùm hinc, id eſt,ex hoc loco venimus non longè,non ex longinquo admodum loco. EQVO L.] naui. PER VIAS C.]per aquas maris,per mare.Virg.3.Æneid.*& cerula verrunt*.CANDIDATAS] candidam veſtem indutas. HOSTIATAS]hoſtiis inſtructas.VNDE NOS H. AG.]profert hunc locum Cariſius lib.2.inſtitut.gramm.in voce,*vnde*, quam interpretatur, *quo loco*. NVNC TIBI AMPL. G.]geſtus,& mos ſupplicantum,de quo aliàs. IN LOCIS N.] in locis ignotis.neſcia loca, hîc poſuit paſſiuè:vt cõtrà, *ignotos* interdũ legimus actiuè pro iis,qui ignorãt,aut qui non cognoſcunt. NESCIA SPE]incerta aut nulla ſpe. PAVPERES R.] Virg.Tityr. *pauperis & tuguri*.Idem Æneid.12, *piſcoſæ cũ circum flumina lemnæ Ars fuerat paupérq. domus*. PVELLÆ] ô puellæ.hoc adſcripſi,ne quis coniunctim legat, *inopéſque puellæ*. nam *inopéſque* pertinet ad ſuperiora,*pauperes res ſunt,inopéſque*. CIBO MEO]meo ſumtu,ſic ſæpè aliàs. CLVEO] dicor. habeor,ſum. VERùM Q. EST, C. F. à ME,&c.]verùm qualeſcumque ſint facultates noſtræ,comem & commodam me prębebo,vbi non potero me præbere largam,& copioſam,vbi copia non poterit à me adhiberi,comitas adhibebitur. AMICè BENIG. H. M. NOST. H.] amicè & liberaliter,ô mater,honorem noſtrum tueris.

kkkk

# ACTVS SECVNDVS.

## PISCATORES.

A

OMnibvs modis qui pauperes ſunt homines,miſeri viuunt,
Præſertim quibus nec queſtus eſt,nec didiceret artem vllam.
Neceſſitate quicquid eſt domi, id ſat eſt habendum. B
Nos iam de ornatu propemodum vt locupletes ſimus,ſcitis.
Hiſce hami, atque hæ harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.
Cotidie ex vrbe ad mare huc prodimus pabulatum.
Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico,hoc habemus.
Echinos,lepadas,oſtreas,balanos captamus,conchas,
Marinam vrticam,muſculos:plaguſias,ſtriatas.
Poſt id,piſcatum hamatilem & ſaxatilem aggredimur,
Cibum captamus è mari. ſin euentus non venit, C
Neque quicquam captum eſt piſcium:ſalſi,lautíque purè
Domum redimus clanculum:dormimus incenati.
Atque,vt nunc validè fluctuat mare,nulla nobis ſpes eſt.
Niſi quid concharum capſimus,incœnati ſumus profectò.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, vt nos lepidè adiuuerit hodie.

NEcessitate qvidqvid est domi id sat h.]neceſſario quidquid eſt domi,quantulumcúmque ſit, eo contenti ſint, oportet. De ornatv]quod ad ſupellectilem,& inſtrumentum domus attinet,quàm locupletes ſimus,vobis notum eſt. Hisce hami]hi hami. Svnt nobis qvæstv, et cvltv] ſunt nobis quæſtui, & cultui,vel ſunt nobis pro quæſtu & cultu. Cotidie ex vrbe]ſic habent diſertè noſtri libri veteres. Pabvlatvm]pabulum quærentes,ſeu ad pabulum quærendum. *pabulari* verbum caſtrenſe,& militare,quod tranſtulit ad quæſtum piſcatorium. Pro exercitv gym.&c.]hoc nobis eſt loco exercitationis gymnaſticę,& paleſtricæ. hoc habemus pro exercitatione gymnaſtica,& palæſtrica.hîc exercemur tanquam in gymnaſio,& palæſtra. hic locus, ſeu hic labor eſt nobis gymnaſij,& palæſtræ loco. Echinos]piſceis marinos,Echinis terreſtribus ſimileis. Lepadas] lepas oſtrei genus eſt. vulgati libri, quibuſcum conſentiunt & nonnulli ex noſtris, habent, *lopadas*, fortaſſe non malè. Nonius *lopadas* genus conchæ marinæ. Plautus. Paraſ. *medico. Addite lopadas, echinos,oſtreas.* Balanos]balanum piſcem commemorat Plinius lib.32.cap.vlt. Marinam vrt.]de vrticis marinis lege Plinium.lib.9.cap.45. & Ariſtotel. Plagvsias]malim legi *placuſſas*: ſeu *pelaguſſas*: quaſi πλακοέσσας, hinc πλακοῦσσας à latitudine ſic appellatas, quòd hi piſces cruſtam latã, & patulam habeant. Striatas]oſtrei genus à ſtriis ſic appellatum. Pisca. hamatilem]piſceis hamis capimus. Saxatilem]piſceis ſaxis adhærenteis manibus capimus. Salsi, l.] iocus ex ambiguo ſalſi non ſalibus,ſed aqua marina,lauti, non opiparis epulis,& ſumtuoſo apparatu, ſed madidi & vuidi. addit aduerbium *purè*: quia aqua marina ſordeis omneis abluit. Atqve, vt nvnc D



A nvnc valide flvctvat mare,] & verò quantum licet coniicere ex fluctibus validis, quibus mare concitatum eſt, nulla nobis prædæ ſpes eſt. quòd ſi non aliquas conchas ceperimus,profectò hodie non cenabimus. Capsimvs] ceperimus. Veneremvr]oremus,precemur.

## TRACHALIO ſeruus. ET EIDEM PISCATORES.

ANimo aduerſaui ſedulò,ne herum vſquam præterirem.
Nam cùm modò exibat foras,ad portum ſe aiebat ire.
Me huc obuiam iuſſit ſibi venire ad Veneris fanum.
Sed quos perconter commodè,eccos video aſtare:adibo.
B Saluete fures maritimi,conchitæ,atque hamiotæ,
Famelica hominum natio,quid agitis?vt peritis?
PI. Vt piſcatorem æquum eſt,fame,ſiti,ſpéque. TR. ecquem adoleſcentem,huc,
Dum hic aſtatis,ſtrenua facie, rubicundum,fortem,qui treis
Duceret chlamydatos cum machæriis,vidiſtis venire?
PI. Nullum iſtac facie,vt prædicas,veniſſe huc ſcimus. TR. ecquem
Recaluum,ac ſilenum ſenem,ſtatutum,ventrioſum,
Tortis ſuperciliis,contracta fronte,fraudulentum,
Deorum odium,atque hominum, malum, mali vitij, probríque plenum,
C Qui duceret mulierculas duas ſecum,ſatis venuſtas?
PI. Cum iſtiuſmodi virtutibus,operíſque natus qui ſit,
Eum quidẽ ad carnificẽ eſt æquius,quàm ad Venerẽ,commeare.
TR. At ſi vidiſtis,dicite. PI. huc profectò nullus venit,
Vale. TR. valete. credidi. factum eſt quod ſuſpicabar.
Data verba hero ſunt. leno abiit ſceleſtus exſulatum,
In nauem aſcendit.mulieres auexit,ariolus ſum,
Is huc herum etiam ad prandium vocauit,ſceleris ſemen.
Numquid mihi meliu'ſt,quàm illico hic operiar herũ dũ veniat?
Eadem,hanc ſacerdotem Veneriam,ſi quid amplius ſcit,
D Si videro,exquiſiuero. faciet me certiorem.

ANimo adversavi] id eſt, cogitaui, animo verſaui. Fvres maritimi] prædones maris. Conchitæ atqve hamiotæ]vos,qui conchas legitis,& piſceis hamo captatis.Nonius,hamiotas piſcatores ab hamis. Varro voluit appellari cohorteis cocorum,atque hamiotarum, aucupúmque. Famelica hom. n.]homines eſuriones. Vt peritis?]quo modo peritis?Ecqvem adol. dvm hîc adst.&c.]ſic habẽt nonnulli ex noſtris libris veteribus, *Ecquem adoleſcentem dum hìc aſtatis, expedite ſtrenua facie*, &c. Strenva facie] facie,quæ ſtrenui animi index,& teſtis eſt. deſcribit autem herũ ſuum Pleuſidippum. Qvi treis dvceret chl.] hoc opinor eò dixit, quaſi homines chlamidatos ducere maioris negotij,maiorúmque virium ſit, quàm nudos. ſed non celabo lectorem ex noſtris libris veteribus nonnullos habere, *qui treis ſemihomines duceret chlamidatos*, &c. quæ lectio fortaſſe non eſt reiicienda,vt intelligamus eſſe iocum Plauto non inuſitatum, per quem dum videri vult deſcribere adoleſcẽtem ſtrenuum,& validum,& robuſtum,quippe, qui treis homines veſtitos, vel inuitos cum gladiis ferre poſſit:primùm non dicit treis homines, ſed treis ſemihomines:deinde nõ dicit ferret,ſed duceret:deinde nõ palliatos,ſed chlamidatos. deinde non cũ machæris,aut gladiis,ſed cũ machæriis,id eſt,gladiolis. Ecqvem r.]lenonẽ

deſcribit paullò aliter quàm ſuprà. *recaluum* autem, id eſt, à parte anteroire caluũ. SILENVM] ſimum, & repandis naribus, inſtar ſileni. libri vulgati habent *ſilonem*. de qua voce ſic Nonius, Silones, ſuperciliis prominẽtibus dicti ſignificatione manifeſta. Varro γνῶθι σεαυτόν. *Nónne non vnum ſcribũt eſſe grandibus ſuperciliis ſilonem quadratum, quòd Silenus hirſutis ſuperciliis fingeretur?* STATVTVM] magnæ ſtaturæ. VENTRIOSVM] ventre prominente. DEORVM ODIVM ATQVE H.] diis odioſus, atque hominibus. CVM ISTIVSMODI V. OPERÍSQVE] eum, qui ſit iſtis vitiis præditus natura, quíque has operas dare poſſit, æquius eſt ad carnificem, quàm ad Venerem, meare. NVLLVS VENIT] non venit. CREDIDI] credidi fore, quod video eueniſſe. ARIOLVS SVM] diuinus, ſeu vates ſum. SCELERIS SEMEN] ſceleris origo, & propago: ſceleris parens, atque artifex. NVMQVID MIHI MELIVS EST, &c.] num mihi quidquam melius eſt, quàm vt hîc herum exſpectẽ, dum veniat: vel quem vt hîc exſpectem, dum herus veniat? reſp. nihil melius. EADEM, HANC SACERD. VEN. &c.] eadem opera, vel eadem ratione, ſi videro hanc ſacerdotẽ Veneriam, exquiſiuero ab ea, ſciátne aliquid amplius de hero meo, & duabus fœminis: Non celabo lectorem noſtros libros veteres habere *Eadem, hæc ſacerdos Veneria, ſi quid amplius ſcit*, &c, fortaſſe non malè. vt ita explicemus. Eadem opera, hæc Veneria ſacerdos ſi quid amplius ſcit quàm piſcatores illi, ſi eam videro, & exquiſiuero, faciet me certiorem. A B

## AMPELISCA mulier. TRACHALIO ſeruus.

INtelligo. hanc, quæ proxima eſt, villam, Veneris fano, me
Pulſare iuſſiſti, atque aquam rogare. TR. cui ad aureis
Vox mihi aduolauit? AM. obſecro, quis hic loquitur? quem ego video?
TR. Eſtne Ampeliſca hæc, quæ foras è fano hoc egreditur?
AM. Eſtne hic Trachalio, quem conſpicor, calator Pleuſidippi?
TR. Ea eſt. AM. is eſt. Trachalio ſalue. TR. ſalue Ampeliſca. C
Quid agis tu hic? AM. ætatem haud mala malè. TR. melius ominare,
AM. Verum omneis ſapienteis decet conferre, & fabulari.
Sed Pleuſidippus tuus herus vbi amabo eſt? TR. eia verò
Quaſi non ſit intus. AM. neq. pol eſt, neq. vllus quidẽ huc venit.
TR. Non vênit? AM. vera prædicas. TR. non eſt meũ, Ampeliſca.
Sed quàm mox coctum eſt prandium? AM. quod prandium, obſecro te?
TR. Nempe rem diuinam facitis hic. AM. quid ſomnias, amabo?
TR. Certè Labrax huc Pleuſidippum ad prandium vocauit
Herum meum, herus veſter. AM. pol haud miranda facta dicis, D
Si deos decepit & homines, lenonum more fecit.
TR. Non rem diuinam facitis hic vos, neque herus? AM. ariolare.
TR. Quid tu agis hîc igitur? AM. ex malis multis, metúque ſummo,
Capitalíque ex periculo, orbas auxiliíque opúmque, huc
Recepit ad ſe Veneria hæc ſacerdos me, & Palæſtram.
TR. An hic Palæſtra'ſt obſecro te, heri mei amica? AM. certò.
TR. Ineſt lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampeliſca.
Sed iſtuc periculum perlubet quod fuerit vobis, ſcire.
AM. Confracta mi Trachalio eſt hac nocte nauis nobis.
TR. Quid? nauis? quæ iſtæc fabula eſt? AM. non audiuiſti, amabo,

Quo



A Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, & quicquid domi fuit, in nauem impoſiuit?
Ea nunc perierunt omnia? TR. oh Neptune lepide, ſalue.
Nec te aleator vllus eſt ſapientior. profectò
Nimis lepidè iecisti bolum, periurum perdidiſti.
Sed nunc vbi eſt leno Labrax? AM. perit potando, opinor.
Neptunus magnis poculis hac nocte eum inuitauit.
Credo hercle anacæo datum, quod biberet. TR. vt ego amo te
Mea Ampeliſca? vt dulcis es? vt mulſa dicta dicis?
Sed tu & Palæſtra quo modo ſaluæ eſtis? AM. ſcibis faxo.
B E naui timidæ ambæ in ſcapham inſiluimus, quia videmus
Ad ſaxa nauem ferrier. properans exſolui reſtim,
Dum illi timent, nos cum ſcapha tempeſtas dextrouorſum
Differt ab illis. itáque nos ventíſque, fluctibúſque
Iactatæ exemplis plurimis miſeræ perpetuam noctem,
Vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas.
TR. Noui. Neptunus ita ſolet. quamuis faſtidioſus
Ædilis eſt. ſi quæ improbæ ſunt merces, iactat omneis.
AM. Væ capiti, atque ætati tuæ. TR. tuo mea Ampeliſca.
Sciui lenonem facturum hoc, quod fecit, ſæpe dixi.
Capillum promittam, optumum'ſt, occipiámque ariolari.
C AM. Cauiſtis ergo tu, atque herus, ne abiret, cum ſcibatis?
TR. Quid faceret? AM. ſi amabat, rogas quid faceret? aſſeruaret.
Dias, nocteiſque in cuſtodia eſſet ſemper. verùm æcaſtor
Vt multi, fecit. ita probè curauit Pleuſidippus,
TR. Cur tu iſtuc dicis? AM. res palàm eſt. TR. ſcín' tu? etiam, qui it lauatum
In balneas, ibi cùm ſedulò ſua veſtimenta ſeruat,
Tamen ſurripiũtur, quippe qui, quem illorum obſeruet, falſus eſt.
Fur facile quem obſeruet videt: cuſtos, qui fur ſit, neſcit.
Sed duce me ad illam. vbi eſt? AM. i ſanè in Veneris fanum, huc intro,
D Sedentem flentémque opprimes. TR. vt iam iſtuc mihi moleſtum'ſt?
Sed quid flet? AM. ego dicam tibi. hoc ſeſe excruciat animi,
Quia leno ademit ciſtulam ei, quam habebat, vbíque habebat
Qui ſuos parenteis noſcere poſſet. eam veretur
Ne perierit. TR. vbínam ea fuit ciſtellula? AM. ibidem in naui.
Concluſit ipſe in vidulum. ne copia eſſet eius
Qui ſuos parenteis noſceret. TR. ô facinus impudicum,
Quam liberam eſſe oporteat, ſeruire poſtulare?
AM. Nunc eam cum naui ſcilicet abiuiſſe peſſum in altum,

Et aurum & argentum fuit lenonis omne ibidem. A
Credo aliquem immerſiſſe ſe, atque eum excepiſſe. id miſera
mœſta'ſt
Sibi eorum eueniſſe inopiam. TR. iam iſtoc magis vſus
facto'ſt
Vt eam intro, conſolérque eam, ne ſe ſic excruciet animi.
Nam multa præter ſpem, ſcio multis bona eueniſſe.
AM. At ego etiam qui ſperauerint, ſpem decepiſſe multos.
TR. Ergo animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum.
Ego eo intrò, niſi quid vis. AM. eas: ego quod mihi imperauit
Sacerdos, id faciam, atque aquam hinc de proximo rogabo.
Nam extemplò ſi verbis ſuis peterem, daturos dixit: B
Neque digniorem cenſeo vidiſſe anum me quenquam,
Cui deos atque homines cenſeam benefacere magis decere.
Vt lepidè, vt liberaliter, vt honeſtè, atque haud grauatè
Timidas, egenteis, vuidas, eiectas, exanimatas
Accepit ad ſeſe! haud ſecus, quàm ſi ex ſe ſimus natæ.
Vt eapſe ſic ſuccincta aquam calefactat, vt lauemus!
Nunc ne moræ illi ſim, petam hinc aquam, vnde mihi imperauit.
Heus, ecquis in villa'ſt? ecquis recludit? ecquis prodit?

INTELLIGO HANC, QVÆ PR.] loquitur Ampeliſca cum ſacerdote Veneris, quæ ſacerdos iuſſerat eam pulſare foreis villæ proximæ, in qua Dæmones habitabat, & aquam petere. HANC, QVÆ PR. VILL. V. F.] hanc villam, quæ fano Veneris proxima eſt. C CVI AD AVREIS VOX MIHI, &c.] cuius vox mihi ad aureis aduolauit? CALATOR] ſeruus. Feſtus. Calatores dicebãtur ſerui, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod eſt vocare: quia ſemper vocari poſſunt ob neceſſitatem ſeruitutis. ÆTATEM HAVD M.] ego haud mala ago malè: ætatem, id eſt, diu. vel ego hoc exigo ætatem. malè, hoc eſt, infœliciter. MELIVS OM.] meliora verba loquere. VERÙM OMNEIS S. D. C.] decet omneis ſapienteis verum loqui, & inter ſe conferre. NON EST M.] vera prædicare. LABRAX] leno. ARIOLARE] ariolaris, & diuinas, cùm dicis, neque nos hîc rem diuinam facere, neque herum. CAPITALÍQ. EX PER.] & ex periculo capitis. ORBAS AVXILII, OP.] orbas auxilio, & opibus. INEST LEPOS IN NVNTIO TVO.] nunc tuus valde lepidus eſt. rem lepidam mihi nuntias. SED IST. P. P. Q. FVERIT] ſed valde lubet mihi ſcire, quod iſtuc vobis periculum fuerit. AVFERRE] aſportare, auehere. IMPOSIVIT] antiquum pro impoſuit, de quo alibi. EA NVNC PERIERVNT OMNIA] neque audiſti, quo pacto ea omnia perierunt? ALEATOR] Neptunum aleatorem appellat, quia vt aleatores cubos iaciũt, ſic & in mari facta eſt bonorum Lenonis iactura, Neptuno auctore. IECISTI BOLVM] ieciſti iactum. NEPTVNVS MAG. D POC.] iocus tractus à potoribus, qui alterum inuitant magnis poculis. ſignificant hunc lenonem in mare demerſum eſſe, & plus nimio bibiſſe. CREDO HERCLE, ANANCÆO D.] credo hercle lenoni eſſe datum Anancæo ingenti poculo, inſtar vrnæ, datũ, inquam, quod biberet. anange, vrna iudicialis: vnde anangæum, poculum capax, vrnæ iudicialis inſtar. Heſych. ἀνάγκη ἡ δικανικὴ κλεψύδρα. id eſt, anange iudicalis clepſydra. VT EGO AMO TE?] cũ admiratione hæc pronuntianda ſunt. MVLSA DICTA] dicta dulcia, inſtar mulſi. RESTIM] funem, qua ſcapha naui erat alligata. DVM ILLI TIMENT.] qui erant in naui ad ſcopulum alliſa, atque afflicta. DIFFERT] in diuerſa ab illis fert, vel diuerſas ab illis fert. EXEMPLIS PLVR.] plurimis modis. PERPETVAM N.] totam noctem, ſine intermiſſione. EXANIMATAS] non dicit exanimas, quod valet mortuas, ſed exanimatas, id eſt, metu propè exanimas. Dolabella ad M. Tull. *exanimatus ſum.* QVAMVIS FAST. ÆD.] quamtumuis faſtidioſus ædilis eſt. faſtidioſiſſimus ædilis eſt. comparat Neptunum cum ædili rerum venalium faſtidioſo, id eſt, qui in foro rerũ venalium, ſi quas merceis reperiat in aliqua taberna, non probas, omnes reiicit, etiam eas, quę probæ ſunt. CAPILLVM PROMITTAM] arioli, & ſomniorum interpretes, & id genus homines, plani, & pellaces, promiſſa barba, & prolixo capillo ſe vulgo oſtentabunt, vt eſſent populo admirabiliores. hoc idem ſe facturum dicit Trachalio quaſi



A quaſi ariolandi artem profeſſurus, quod ea, quæ leno fecit, facturum prædixerit, vt verus vates, *promittam capillum* autem dictum eleganter, ſinam excreſcere. ex quo promiſſus capillus. Cæſar. lib. 5. *Britanni capillo ſunt promiſſo*, &c. Notauimus ad Corneliũ Nepotem in Datame. profert hũc locum Nonius. CAVISTIS ERGO TV ATQVE HERVS, &c.] legere licet per interrogationem, hoc pacto. *Ergo tu atque herus quandoquidem ſcibatis, cauiſtiſne, ne abiret?* proinde ac ſi dicat, non cauiſtis, ne abiret, cùm ſciretis eum abiturum. licet & per enuntiationem εἰρωνικῶς. Ergo tu, & herus cauiſtis, ſcilicet ne abiret, cùm ſciretis eum abiturum. proinde ac ſi dicat, non cauiſtis. ASSERVARET] id eſt, aſſeruare debuit, vel aſſeruare debebat. IN CVSTODIA ESSET.] cuſtodiret, obſeruaret, in ſpeculis eſſet. VT MVLTI, FECIT.] fecit, vt multi facere ſolent. neglexit amicã, fidem fefellit. SCIN' TV? ETIAM QVI IT LAVATVM.] ſimili ab iis, qui lauabant in balneis, diſſoluit criminationem: quod tale eſt, quamuis, inquit, qui it lauatum in balneas, ibi ſua veſtimenta ſedulò ſeruet, tamen ſurripiuntur. ratiò eſt hæc. nam quem obſeruet, & à quo ſibi caueat, certò neſcit, & ſæpè eum furem eſſe putat, qui non eſt, & contrà. fur autem facilè videt, quis ſit ſibi obſeruandus, & cuius oculis inſidiari debeat. is qui obſeruat, quíque cuſtodiam adhibet, qui ſit fur, neſcit. Ita facilè à fure, quem ignorat, fallitur, & B veſtimentis ſuis ſpoliatur. OPPRIMES.] offendes. ISTVC.] quod fleat. HOC] ob hanc rem. VBÍQ. HABEBANT QVI SVOS P.] & vbi habebat ea, per quæ ſuos parentes cognoſcere poſſet. EAM VERETVR NE P.] ea ne perierit, veretur. IPSE] leno. NE COPIA ESSET EIVS, QVI.] ne copia eſſet eius rei, per quam ſuos parenteis cognoſceret. POSTVLARE] ἀξιῶ, æquum cenſere. NVNC EAM CVM NAVI SCIL.] nunc ſcire licet, id eſt, perſpicuum eſt, eam ciſtulam cum naui peſſum abiiſſe in altum. peſſum abiiſſe in altum, hoc eſt, demerſam eſſe in profundum maris. ALIQVEM.] piſcatorem, ſeu vrinatorem. ID MISERA MÆSTA'ST] ob id miſera mæſta eſt, ſibi eorum inopiam accidiſſe. ISTOC MAGIS.] tanto magis, nempe propterea quæ dicis. VSVS FACTO EST.] opus facto eſt. AT EGO, QVI SPER. SP. DEC. M.] at ego contrà ſcio ſpes multos, qui ſperauerint fefelliſſe. ANIMVS ÆQVVS] animus neutrã in partem nimis propenſus: animus non concitatus, neque turbidus, ſed placidus, & tranquillus, & à perturbatione liber, ac ſolutus. NEQ. DIGNIOREM CENSEO VIDISSE AN. ME Q. CVI DEOS ATQ. H.] neq. puto me vllam anum vidiſſe cui benefacere decere deos atque homines magis putem. EAPSE.] ea ipſa, ipſamet. SIC] δεικτικῶς. SVCCINCTA.] ſignificatur ſtudium, & promta voluntas. Horatius. ſuccinctus curſitat hoſpes. ECQVIS RECLVDIT.] numquis apperit foreis?

C

SCEPARNIO ſeruus. AMPELISCA mulier.

Q Vis eſt qui noſtris tam proteruè foribus facit iniuriam?
AM. Ego ſum. SC. Hem, quid hoc boni eſt? heu ædepol
ſpecie lepida mulier.
AM. Salue adoleſcens. SC. Et tu multum ſalueto adoleſcentula.
AM. Ad vos venio. SC. Accipiam hoſpitio, ſi mox venies veſperi,
Item vt affectam. nam nunc nihil eſt, qui te mane mulierem.
D Sed quid ais mea lepida, hilara? AM. aha, nimiùm familiariter
Me attrectas. SC. Prò di immortales Veneris effigia hæc quidem eſt,
Vt in ocellis hilaritudo eſt! eia, corpus cuiuſmodi!
Subuolturium. illud quidem ſubaquilum volui dicere.
Vel papillæ cuiuſmodi? tum quæ indoles in ſauio eſt?
AM. Non ego ſum polluꝺta pago. potin' vt me abſtineas manum?
SC. Non licet te ſiccè placidè bellam bellè tangere?
AM. Otium vbi erit, tum tibi operam ludo, & deliciæ, dabo.
Nunc quamobrem hic ſum miſſa, amabo vel tu mihi aias, vel neges.

SC. Quid nunc vis? AM. ſapienti ornatus quid velim, indicium A
facit.
SC. Meus quoque hic ſapienti ornatus quid velim, indicium facit.
AM. Hæc ſacerdos Veneris hinc me petere iuſſit à vobis aquam.
SC. At ego baſilicus ſum: quem niſi oras, guttam non feres.
Noſtro illum puteum periculo, & ferramentis fodimus.
Niſi multis blanditiis à me gutta non ferri poteſt.
AM. Cur tu aquam grauare, amabo, quam hoſtis hoſti commodat?
SC. Cur tu operam grauare mihi, quam ciuis ciui commodat?
AM. Immò etiam tibi, mea voluptas, quæ voles, faciam omnia.
SC. Euge, ſaluus ſum. hæc iam me ſuam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequicquam me ames. cedò mihi vrnam. B
AM. cape.
Propera amabo efferre. SC. manta. iam hîc ero, voluptas mea.
AM. Quid ſacerdoti meæ dicam, hîc demoratam tamdiu?
Vt etiam nunc miſera timeo, vbi oculis intueor mare!
Sed quid ego miſera video procul in litore?
Meum herum lenonem, Sicilienſémque hoſpitem,
Quos periiſſe ambos miſera cenſebam in mari.
Iam illud mali plus nobis viuit, quàm ratæ.
Sed quid ego ceſſo fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæſtræ, in aram vti confugiamus prius,
Quàm huc ſceleſtus leno veniat, nóſque hic opprimat? C
Confugiam huc. ita res ſuppetit ſubita mihi.

QVIS EST QVI NOSTRIS, &c.] ſic ferè Ennius apud Nonium in aduerb. *proteruiter. Quis eſt qui noſtris foribus tam proteruiter*, cetera deſunt. SI MOX VENIES VESP. ITEM VT AFF.] ſic legitur hic locus in noſtris veteribus libris ſine vlla littura, aut deprauatione litterarum, aperta ſententia, Accipiam te hoſpitio, inquit, ſi mox venies: veſperi, inquit, nempe quo tempore ſatur ero, vel quo tempore cenabo, vt mecum cenes, & ſatura cum ſaturo cubes. accipiam, inquam, tamquam mulierem ſimiliter affectam, hoc eſt, naufragam & calamitoſam, vel tamquam mulierē honoratā & ſpectatā. vide Feſtum in voce, *affecta*. NAM NVNC NIHIL EST, QVI TE MANE MVL. &c.] etiam hic locus præclarè ex noſtris libris veteribus reſtitutus & reſartus eſt, cuius ſententia eſt illa quidem ſubobſcæna, ſed tamen pudenter, quoad eius fieri poterit declaranda. nam nunc, inquit, nempe mane, quo tempore inanis ſum, & ſiccus, nihil eſt, vnde te mulierē accipere poſſim. non habeo nunc facultatē te accipiēdi D liberaliter, vt mereris, vaſis & armis noſtris non expeditis, & Venere frigente. veſperi igitur venies, cùm Venus in nobis Cerere & Baccho incaluerit. EFFIGIA.] antiquum pro *effigies*, notat Nonius. HILARITVDO.] hilaritas. Idem in Milite Glor. *ſine. animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine*. notat Nonius. SVBVOLTVRIVM] corpus colore ſubnigro: vel corpus alacritate, & hilaritate, & agilitate ad Vulturij corporis ſimilitudinē propè accedens. SVBAQVILVM.] quia aquilæ quamuis non ſint minus rapaces, quàm vultures, ſeu vulturij, ſunt tamen generoſiores, hac correctione vſus eſt. Aquilus color, apud Feſtum eſt color fuſcus & ſubniger. VEL PAPILLÆ] proinde ac ſi dicat, mitto ceteras parteis corporis laudare, quæ ſunt laude digniſſimæ, papillæ quales ſunt, quàm ſolidulæ, & turgidulæ? INDOLES.] ſignificatio reliquarū voluptatum, tralatio eſt. NON EGO SVM POLLVCTA PAGO] *pollucere*, eſt ſacrificium magnificum, & opiparum facere, ídque omne conſumere, quod Herculi ſoli facere licebat. Nam eſculenta, & poculenta, omnia, quæ Herculi ſacrabantur, abſumebantur, nihílque reliquiarum reſtabat. Lege Feſtum in verbo, *pollucere*: quo loco quamquam corruptus, & lacer eſt, tamen ex eo hoc diſcimus, quod iam à nobis dictum eſt, ceteris diis non omnia eſculenta, & poculenta pollucere licere, Herculi licere. à pollucendo *polluctum* dictum eſt, id eſt, quaſi appoſitum, ſeu potius expoſitum ad vtendum, atque abutendum. Hæc igitur verba *non ego ſum pollucta pago*, ſic interpretor,



A interpreto, non ſum ego pago, hoc eſt, paganis & ruſticis hominibus expoſita, vt abutantur me ſuo arbitratu. non ſum puella aliqua omni libidini promta, ac parata, & vulgata. SICCÈ] ſobriè, vt ſolent ſobrij & ſicci, non vt ebrij & poti, qui petulanter, & proteruè, & immoderatè puellas tangunt. LVDO ET DELICIÆ.] ad ludum, & deliciam. veteres dixerunt *delicia, æ*, in ſingulari, & *delicium, ij*. AIAS.] concedas, aſſentiare. ORNATVS] hoc dicit, quia vrnam gerit. ex eo, inquit, quod vrnam fero, facilè intelligere potes, me aquam petere. MEVS QVOQVE HIC ORNATVS, &c.] hic ſeruus digito, geſtu, aut aliquo motu corporis ſignificauit aliquid ſubobſcænum, quod lectori cogitandum relinquere, quàm iiſce verbis exprimere mâlo. BASILICVS.] regius, regalis, regio ingenio, regiiſque moribus. FERES.] auferes. FERRI] auferri, impetrari. GRAVARE] grauaris. hoc verbum cum accuſandi caſu iunxit. NÈ NEQVICQVAM ME AM.] ne me fruſtrà ames. ſic autē habent noſtri codices. nam vulgata editio non habet *ne*, ante *nequicquam*, quam Camerarius ſecutus eſt. MANTA.] mane, exſpecta. QVID SACERDOTI ME DICAM HÎC DEM. T. D.] ſic habent noſtri codices: hoc primum (nam vulgatæ editiones habent, *quid ſacerdoti meæ dicam*, &c.) deinde, hanc noſtram lectionem ſic explico, quamobrē dicam ſacerdoti me tam diu hîc eſſe demoratam? quam cauſam ſacerdoti afferam, quamobrem hîc tamdiu demorata ſim? SICILIENSÉMQ. HOS-
B PITEM] Charmidem. CENSEBAM.] putabam. QVÀM RATÆ] ſumus, ſeu eramus, ſubintell. id eſt, quàm putauimus, ſeu putauerimus. IN ARAM] vnde non licebat ſupplices auellere. qua de re ſuprà. OPPRIMET?] occupabit, antequam aufugiamus? CONFVGIAM HVC] ſic habent libri noſtri veteres, ſententia plana. confugiā hûc, id eſt, in fanum. ITA RES SVPP. SVBITA M.] id eſt, ita res celeritatem deſiderans mihi eſt in manibus, mihíque accidit. res ſubita, id eſt res, quæ moræ non dat locum: res in qua celeritate eſt opus.

## SCEPARNIO ſeruus.

PRoh di immortales, in aqua numquam credidi
Voluptatem ineſſe tantam. vt hanc traxi lubens.
Nimio minus altus puteus viſus'ſt, quàm prius,
C Vt ſine labore hanc extraxi præfiſcinè.
Satis nequam ſum, vt pote qui hodie inceperim
Amare. hem tibi aquam, mea tu bella. hem ſic volo
Te ferre honeſtè, vt ego fero, vt placeas mihi.
Sed vbi tu es, delicata? cape aquam hanc ſis, vbi es?
Amat hercle me, vt ego opinor, delituit mala,
Vbi tu es? etiámne hanc vrnam es acceptura? vbi es?
Commodulè melius. tandem verò feriò.
Etiam es acceptura vrnam hanc? vbi tu es gentium?
Nuſquam hercle equidem illam video. ludos me facit.
D Apponam hercle vrnam iam ego hanc in media via.
Sed autem, quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam
Sacram vrnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle ne illa mulier mihi inſidias locet,
Vt comprehendar cum ſacra vrna Veneria.
Nempe optimo me iure in vinclis enicet,
Magiſtratus, ſi me hanc habere viderit,
Nam hæc litterata'ſt, ab ſe cantat cuia ſit.
Iam hercle euocabo hinc hanc ſacerdotem foras,
Vt hanc accipiat vrnam. accedam huc ad foreis.
Heus ſis Ptolemocratia cape hanc vrnam tibi.
Muliercula hanc neſcio quæ hûc ad me detulit.

In proferunda abiit. reperi negotium, A
Siquidem his vltro mihi aggerunda etiam eſt aqua.

IN AQVA NVMQ. CRED. V. INESSE T.]hoc ideò, quia puellæ, quæ aquam petitum venerat, forma, & oratio cum ceperat. VT HANC TR. LVB.]quàm lubenter hanc vrnam traxi? quàm non laborioſè, quàm inauidè? NIMIO MINVS]multo minus. ſic ſæpè alibi. VT SINE LAB. H. EXTR. PRÆFISCINE]perficiſſinè præfiſcine: id eſt quod ſine arrogãtia dictum ſit: abſit verbo *inuidia*: ignoſcat Nemeſis. Quàm minimè laborioſè hanc vrnam ex puteo extraxi! quod ſine inuidia dictum ſit. NEQVAM]κακὸς, non bonæ frugi, *ακόλαςος*, intemperans. CAPE AQVAM HANC SIS]cape hanc aquam ſi vis. TANDEM VERÒ, SERIÒ.]tandem verò omitte iocum, & delicias. LVDOS ME FACIT]me ludificat. LITTERATA EST]litteras habet inſcriptas. AB SE CANTAT CVIA SIT]dicit ipſa ſe eſſe Veneris. noſtri libr. veteres habent, *eapſe cantat, cuia ſit.* eapſe autem, id eſt, ea ipſa. HEV SIS] Heus ſi vis. IN PROFERVNDA ABIIT,] id eſt, dum profertur, ſeu dum eam domo profero, hoc eſt, foras fero, abiit puella, quæ eam ad me detulit. Sed non diſſimulabo noſtros libros omneis veteres habere, *Introferunda'ſt. repperi negotium* &c. ſententia plana, B & bonis modulis ac numeris. Introferunda'ſt vrna hæc, inquit, id eſt, in fanum Veneris ferenda'ſt. REPERI NEGOTIVM SIQVIDEM HIS VLTRO, &c.] nactus ſum quod agam, ſiquidem non ſatis eſt eis aquam petentibus dare, ſed etiam vltro non petentibus aggerunda eſt.

LABRAX leno. CHARMIDES Siculus.

QVi homo ſeſe miſerum & mendicum volet,
Neptuno credat ſeſe, atque ætatem ſuam:
Nam ſi quis quid cum eo rei commiſcuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum, domum.
Ædepol libertas lepida es, quæ numquam pedem C
Voluiſti in nauem cum Hercule vnà imponere.
Sed vbi ille meus eſt hoſpes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit. CH. quò, malum, properas Labrax?
Nam equidem te nequeo conſequi, tam ſtrenuè.
LA. Vtinam te prius quàm oculis vidiſſem meis,
Malo cruciatu in Sicilia perbiteres,
Quem propter, hoc mihi obtigit miſero mali.
CH. Vtinam cum in ædeis me ad te adduxiſti tuas,
In carcere illo potius cubuiſſem die.
Deóſque immortaleis quæſo, dum viuas, vti D
Omneis tui ſimileis hoſpites habeas tibi.
LA. Malam fortunam in ædeis te adduxi meas.
Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio?
Quídue hinc abitio? quídue in nauem inſcenſio?
Vbi perdidi etiam plus boni, quàm mihi fuit.
CH. Pol minimè miror, nauis ſi fracta'ſt tibi,
Scelus te, & ſceleſte parta quæ vexit bona.
LA. Peſſum dediſti me blandimentis tuis.
CH. Sceleſtiorem cenam cenaui tuam,
Quàm quæ Thyeſtæ quondam antepoſita eſt, & Tereo.
LA. Perij, animo malè fit. contine quæſo caput.

Pulmoneum



A CH. Pulmoneum ædepol nimis velim vomitum vomas.
LA. Eheu Palæſtra atque Ampeliſca, vbi eſtis nunc?
CH. Piſcibus in alto credo præbent pabulum.
LA. Mendicitatem mihi obtuliſti opera tua,
Dum tuis auſculto magnidicis mendaciis.
CH. Bonam eſt quòd habeas gratiam meritò mihi,
Qui te ex inſulſo ſalſum feci opera mea.
LA. Quin tu hinc is à me in maximam malam crucem?
CH. Eas, eáſque res agebam commodùm.
LA. Eheu quis viuit me mortalis miſerior.
CH. Ego multo tanto miſerior, quàm tu Labrax.
B LA. Qui? CH. quia ego indignus ſum, tu dignus, qui ſies.
LA. O ſcirpe, ſcirpe: laudo fortunas tuas,
Qui ſemper ſeruas gloriam aritudinis.
CH. Equidem me ad velitationem exerceo,
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.
LA. Ædepol Neptune es balneator frigidus,
Cum veſtimentis poſteaquam abs te abij, algeo.
Ne thermopolium quidem vllum ille inſtruit.
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.
CH. Vt fortunati ſunt fabri ferrarij,
Qui apud carbones aſſident: ſemper calent.
C LA. Vtinam fortuna nunc anatina vterer,
Vti, cùm exiuiſſem ex aqua, arerem tamen.
CH. Quid ſi aliquò ad ludos me promanduco locem?
LA. Quapropter? CH. quia pol clarè crepito dentibus.
Sed nunc iure optimo me lauiſſe arbitror.
LA. Qui? CH. quia auderem tecum in nauem aſcendere,
Qui à fundamento mihi vſque mouiſti mare.
LA. Tibi auſcultaui. tu promittebas mihi
Illi eſſe quæſtum maximum meretricibus,
Ibi me corruere poſſe aiebas diuitias.
D CH. Iam poſtulabas te impurata belua
Totam Siciliam deuoraturum inſulam.
LA. Quæ'nam balæna meum vorauit vidulum,
Aurum atque argentum vbi omne compactum fuit?
CH. Eadem illa, credo, quæ meum marſupium:
Quod plenum argenti fuit, in ſacciperio.
LA. Eheu, redactus ſum vſque ad vnam hanc tuniculam,
Et ad hoc miſellum pallium. perij oppido.
CH. Vel conſociare mihi quidem tecum licet,
Æquas habemus parteis. LA. ſaltem ſi mihi
Mulierculæ eſſent ſaluæ, ſpes aliquæ forent.
Nunc ſi me adoleſcens Pleuſidippus viderit,

A quo arrabonem pro Palæſtra acceperam, A
Iam is exhibebit hic mihi negotium.
CH. Quid ſtulte ploras? tibi quidem ædepol copia'ſt,
Dum lingua viuet, qui rem ſoluas omnibus.

CREDAT.]committat. COMMISCVIT.]contraxit. AD HOC EXEMPL. AMITTIT ORNATVM, DOM.]cum amittit, hoc eſt, dimittit, ſeu remittit, domum, ad hoc exemplum ornatum. hoc modò ornatum, id eſt, nudum, vuidum, inanem, inopem, naufragum. HOSPES.]Charmides. VTINAM TE PR. Q. OC. VID. M.]vtinam priuſquam te oculis vidiſſem meis, malo cruciatu in Sicilia perires. Feſtus, *perbitere*, Plautus, pro perire poſuit. QVEM PROPTER] propter quem, ἀναστροφή. id eſt, cuius opera, & culpa. TVI SIMILEIS.]improbos, ac periuros. MALAM FORTV. IN ÆD. TE, &c.] malam fortunam in ædeis meas adduxi, cùm te adduxi. QVID MIHI, SC. TIBI ERAT AVSC.] cur ego ſceleſtus tibi auſcultabam? QVÍDVE H. AB.]quídue hinc abibam? quídue in nauem conſcendebam? SCELVS TE, ET SCELESTÈ PARTA Q. V. B.]quæ te ſceleſtum hominem & bona tua ſceleratè parta vexit? B PESSVM DEDISTI]perdidiſti. QVÀM QVÆ THYESTÆ Q. ANTEPOS. EST ET TEREO.]ſic habent etiam noſtri codices, & rectè, Atreum Thyeſtæ appoſuiſſe filium comedendum, quòd Thyeſtes in Atrei vxore adulterium feciſſet, notum eſt, vel pueris. neque minus notum Prognem Tereo viro ſuo, quòd is Philomelam Prognes ſororem vitiaſſet, eíque poſtea, ne enuntiaret, linguam præcidiſſet, Itym communem filium dilaceratum patri comedendum obieciſſe. ANIMO MALÈ FIT.] malè mihi eſt. malè habeo animo. animo deficio λειποψυχῶ. notauimus hoc loquendi genus ſuprà, alicui eſſe malefactum. ſignificat autem leno ſe vomiturire. CONTINE QVÆSO CAP.]quæſo tene mihi caput, dum vomo. PVLMONEVM NIMIS VELIM.] nimiopere velim pulmonem vomas. IN ALTO.]in profundo mari. MAGNIDICIS.] magniloquis. QVI TE EX INSVLSO SALSVM.]iocus ex ambiguo. ſalſum enim, & vrbanum, ſeu facetum, ſiue cordatum, & ſale, ſeu aqua marina aſperſum ſignificat. EAS.] eas tu in malam crucem. EÁSQ. RES AGEB. COM.]atque ego commodùm eas ipſas res agebam, id ipſum cogitabam & optabam, vt ires in malam crucem. COMMODÙM]forte fortuna, opportunè. TV DIGNVS QVI SIES.]miſer. SCIRPE]ſcirpus, iunci enodis, & proceri genus eſt. quod in locis paluſtribus naſcitur. ex quo prouerbium: Nodum in ſcirpo quæris. ARITVDINIS.] C ariditatis. AD VELITATIONEM.] ad pugnam velitarem. Velites, leuis armaturæ milites. OMNIA CORVSCA.]omnia trepida, micantia, vibrantia, criſpantia. ſignificat ſe tremere præ frigore, cùm tamen aliud dicere videatur. BALNEATOR FRIGIDVS.]cùm balneatores ſoleant eſſe calidi. CVM VESTIMENTIS POST Q. ABII, ALGEO.] poſteaquam abij abs te cum veſtimentis, vt pote madidis, algeo, quanto magis ſi nudus? THERMOPOLIVM.]dulcem, & calidam potionem. SALSAM, ET FRIGIDAM.]contrariam dulci, & calidæ, cuiuſmodi eſt thermopolium. FORTVNA ANATVM] ſorte & conditione anatum, quæ quantumuis diu in aqua verſentur, non madent tamen, neque algent. QVID SI ALIQVO NE PRO MAND. LOCEM.]Nonius, manducones, qui & manduci dicti ſunt: & mandones, edaces, &c. Feſtus, Manducus effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas ire ſolebat magnis malis, ac làtè dehiſcens, & ingentem dentibus ſonitum faciens, de qua Plautus ait in Rud. *Quid ſi aliquò ad ludos me pro manduco locem*, &c. IVRE OPTIMO ME LAVISSE ARBITROR]iure optimo me naufragium feciſſe bonorũ meorum arbitror, quippe qui audebam tecum nauigare, homine ſcelerato & impio. MOVISTI] concitaſti, impietate tua ſcilicet. D ILLI] illic, in Sicilia. CORRVERE] ſimul eruere, & erutas in arcas conijcere, & συναθροίζειν coaceruare. Varro lib. 4. de lingua Lat. Corbes ab eo, quòd ſpicas, aliúdue quid corruebant. COMPACTVM]congeſtum. IN SACCIPERIO] ſacciperium nomen ex ſacco, & pera compoſitum. VEL CONSOCIARE MIHI QVIDEM T. L.]licet mihi communionem, & ſocietatem bonorum facere. DVM LINGVA VIVET.] dum tibi lingua ſuppetet. QVI REM SOLVAS OMNIBVS.]vnde rem ſoluas omnibus.

SCEPARNIO ſeruus. CHARMIDES Siculus. LABRAX leno.

QVid iſtuc eſt obſecro negotij, quod duæ mulierculæ
Hic in fano Veneris ſignum flentes amplexæ tenent,
Neſcio quem metuentes miſeræ, nocte hac verò proxuma





A Se iactatas atque eiectas hodie eſſe aiunt è mari?
LA. Obſecro hercle adoleſcens, vbi iſtæ ſunt, quas memoras, mulieres?
SC. Hic in fano Veneris. LA. quot ſunt? SC. totidem quot ego, & tu ſumus.
LA. Nempe meæ. SC. nempe neſcio iſtuc. LA. qua ſunt facie?
SC. ſcitula,
Vel ego amare vtramuis poſſim, ſi probè appotus ſiem.
LA. Nempe puellæ? SC. nempe moleſtus es. viſe, ſi lubet.
LA. Meas oportet intus eſſe hic mulieres, mi Charmides.
CH. Iupiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non ſunt tamen.
B LA. Introrumpam iam huc in Veneris fanum. CH. in baratrum mauelim.
Obſecro hoſpes, da mihi aliquid, vbi condormiſcam, loci.
SC. Iſtic vbi vis, condormiſce: nemo prohibet: publicum eſt.
CH. At vides me, ornatus vt ſim veſtimentis vuidis:
Recipe me in tectum, da mihi veſtimenti aliquid aridi,
Dum mea areſcunt, in aliquo tibi referam gratiam.
SC. Tegillum eccillud mihi vnum areſcit: id ſi vis dabo.
Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo, ſi pluit.
Tu iſtæc mihi dato. exareſcent faxo. CH. eho an te pœnitet,
In mari quod elaui, niſi hîc in terra iterum eluam?
C SC. Eluas tu, an exungare, ciccum non interdium,
Tibi ego numquam quicquam credam, niſi accepto pignore.
Tu vel ſuda, vel peri algu, vel tu ægrota, vel vale.
Barbarum hoſpitem mihi in ædeis, nihil moror, ſat litium eſt.
CH. Iámne abis? venaleis illic ductitauit, quiſquis eſt:
Non eſt miſericors. ſed quid ego hîc aſto infelix, vuidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, vt edormiſcam hanc crapulam,
Quam potaui præter animi quàm libuit ſententiam.
Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare.
D Itaque aluum prodiſparauit nobis ſalſis poculis,
Qui opu'ſt verbis? ſi inuitare nos pauliſper pergeret,
Ibidem obdormiſſemus. nunc vix viuos amiſit domum.
Nunc lenonem quid agat intus viſam, conuiuam meum.

VENERIS SIGNVM]Veneris ſtatuam. IACTATAS.]fluctibus. ATQ. EIECTAS.] in litus. SCITVLA.] ſubeleganti poritula, venuſtula, pulchella. SI PROPÈ APPOTVS SIEM.] aliter Terentius Eunucho. *Ego iſtum Eunuchum poßum vel ſobrius.* INTRORVMPAM]per vim intrabo. OBSECRO HOSPES]alloquitur Sceparnionem. TEGILLVM.]Nonius, Tegillum, diminutiuum à tigno, aliàs à tecto. fortaſſe demonſtrat fuſtem, quo verberari ſolebat. SI PLVVIT.]ſi pluit, interiectum eſt u. qua de re alibi. ISTÆC] tua veſtimenta vuida. EXARESC. FAXO]fecero, vt arida fiant. EHO AN TE POENITET IN MARI QVOD ELAVI]eho, an tibi parum videtur, quod in mari omnia perdidi, niſi hîc in terra denuò ea, quæ mihi reliqua ſunt, amittam? Eluere, præter ſignificationem vulgatam, eſt conſumere, & perdere. ELVAS TV, AN EXVNGARE CICCVM NON

INTERD.]laues,an vngaris, floccum non interim dederim. vel bona tua perdas lauando,an vngendo,pilum non dederim,id eſt, nihil mea refert,non eſt mihi curæ. Varro libr.6.de lingua Lat. Ciccum dicebát membranam tenuem,quæ eſt in malo Punico cellularum diſcrimen. TV VEL SVDA VEL PERI AL.]algus,us, in quarta inflexione idē,quod algor,ris in tertia. notant veteres grammatici. Priſcian.libr.6.his verbis,*algor, ris. quod etiam hic algus, huius algus dicitur.* Plautus Vidularia.*Inopiam,luctum,mærorem,paupertatem,algum,famem.* Idem Rud.*Tu vel ſuda*, &c. Cariſius libr.1.*algu*.Plautus in Rud.*tu vel ſuda*, &c. Nonius, *algu*,pro *algore*. Accius Andro. *miſera obualli ſaxo,ſenio,pædore, alguque & fame.* BARBARVM HOSPITEM] peregrinum Siculum. NIHIL MOROR.] non volo. VENALEIS.] ſeruos venaleis hic homo ductitauit. eſt mango. hoc eò dicit, quòd mangones ſæui, & immiſericordes eſſe ſolent. VT EDORMISCAM HANC CRAPVLAM,&c.] allegoria ab eo, qui vini potu ebrius, & vuidus eſt. Terent. *vt edormiſcam hoc villi.* Cicero Philipp. *edormi crapulam.* QVASI VINIS GRÆCIS NEPTVNVS] vinis Græcis, quæ trauchebantur in titulum, ſolebant aquam marinam ſuffundere,præterquàm Chiis: ad quem morem alludit Plautus. Hac de re autem notauimus nonnulla ad illum locum Horatij ſat.8. libr. 2. *Vinum Chium maris expers.* PRODISPARAVIT.]porrò diſtorſit,diſtraxit,diſſoluit, diſſipauit.ſignificat aqua marina pota ſibi aluum eſſe fuſam,ac reſolutam. SI NOS INVITARE PAVLISPER]ſi Neptunus aliquanto diutius nos ſine poculis expleſſet, ibidem longum ſomnium dormiiſſemus,id eſt,exſtincti eſſemus. AMISIT.]dimiſit,remiſit,vt ſuprà.

A

B

# ACTVS TERTIVS.

## DÆMONES.

MIRIS modis di ludos faciunt hominibus.
Miríſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt. C
Ne dormienteis quidem ſinunt quieſcere.
Velut ego hac nocte quæ proceſſit proxima,
Mirum atque inſcitum ſomniaui ſomnium,
Ad hirundininum nidum viſa eſt ſimia
Aſcenſionem vt faceret admolirier, D
Neque eas deripere quibat inde:pòſt ibi
Videbatur ad me ſimia aggredirier,
Rogare ſcalas vt darem vtendas ſibi.
Ego ad hoc exemplum ſimiæ reſpondeo,
Natas ex Philomela atque ex Progne eſſe hirundines,
Ago cum illa,nequid noceat meis popularibus.
Atque illa animo iam fieri ferocior:
Videtur vltrò mihi malum minitarier,
In ius vocat me.ibi neſcio ego quomodo
Iratus videor mediam arripere ſimiam:
Concludo in vincla beſtiam nequiſſimam.

Nunc



A Nunc quam ad rem dicam hoc attinere ſomnium,
Numquam hodie quiui ad coniecturam euadere.
Sed quid hîc in Veneris fano,meæ viciniæ.
Clamoris oritur? animus miratur meus.

LVDOS FACIVNT HOMINIBVS.]ludos edunt hominibus. Aliud eſt ludos facere homines,aliud ludos facere hominibus. SOMNIA IN SOMNIS DANVNT.] Ioannes Paſſeratius legendum cenſet hoc loco,*omnia in ſomnis danunt.* danunt autem, id eſt, dant. QVÆ PRÆCESSIT.]ſecutus ſum vulgatam lectionem, à qua non diſcrepant antiqui noſtri libri. AD HIRVNDININVM NIDVM]ab hirundine formatum,poſſeſſum. Hirundininus notat Priſcianus lib.2.vbi de poſſeſſiuis loquitur,& profert hunc locum. ASCENSIONEM VT FACERET.] vt aſcenderet. ADMOLIRIER] admoliri,adniti,allaborare. DERIPERE.]ſic habent noſtri codices veteres & rectè. deripere autem, eſt deorſum rapere, quo verbo ſæpè vtitur Plautus.non longè abieris.infrà ead.comœdia. Et quidem in interpretatione huius ſomnij: *Veneris ſagum ſunt amplexæ, nunc eas deripere vult.* AGGREDIRIER.] aggredi,accedere. AD HOC EXEMPLVM.]ad hunc modum. NATAS EX PHILOMELA ATQVE EX PROGNE] Philomela & Progne Pandionis Athen.regis filiæ. Philomela in luſciniam, Progne in hirundinem verſa eſt.nota eſt fabula. quod autem hirundines ex Philomela & Progne natas eſſe dicit, cùm ex Progne tantùm natas dicere debeat, non eſt quòd laboremus. AGO CVM ILLA]loquor cum illa. MEIS POPVLARIBVS] quæ ſunt ciues Atticæ,vt ego ſum ciuis Athenienſis. FEROCIOR.]ſuperbior,de hoc nomine plura in comment.Horatian. VLTRO.] non prouocata,aut laceſſita. NVMQVAM HODIE AD CONIECT. EVAD.] numquam hodie potui coniicere. SED QVID HÎC IN VENER. FANO MEAE VICINIAE.] hic verſus in aliis libris omnibus lacer, & mutilus, ſic integer repertus eſt in noſtris veteribus, non obſcura ſententia, hîc meæ viciniæ, id eſt, in hac vicinia mea.veruntamen ſi legamus *viciniæ meæ* longè opinor,concinnior ſit lectio.ſic M. Tull.ſalutem viciniam.

B

C

## TRACHALIO ſeruus. DAEMONES ſenex.

PRò Cyrenenſes populares,veſtram ego imploro fidem,
Agricolæ,accolæ,propinqui,qui eſtis his regionibus,
Ferte opem inopiæ,atque exemplum peſſumum peſſundate,
Vindicate,ne impiorum potior ſit pollentia,
Quàm innocentium,qui ſe ſcelere fieri volunt nobileis,
Statuite exemplum impudentiæ,date pudori præmium,
Facite hîc lege potius liceat,quàm vi victo viuere.
D Currite huc in Veneris fanum,veſtram iterum imploro fidem,
Qui prope hic adeſtis,quíque auditis clamorem meum:
Ferte ſuppetias,qui Veneri,Veneriæque antiſtitæ
More antiquo in cuſtodiam ſuum commiſerunt caput,
Prætorquete iniuriæ prius collum,quàm ad vos perueniat.
DAE. Quid iſtuc eſt negotij? TR. per ego, te hæc genua obteſtor ſenex,
Quiſquis es. DAE. quin tu ergo omitte genua,& quid ſit mihi expedi,
Quid tumultues. TR. téque oro & quæſo,ſi ſperas tibi
Hoc anno multum futurum ſirpe,& laſerpitium,
Eàmque venturam exagogam Capuam ſaluam & ſoſpitem,

Atque ab lippitudine vſque ſiccitas vt ſit tibi. A
D Æ. Sanun' es? TR. ſeu tibi confidis fore multam maguderim,
Vt te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo ſenex.
D Æ. At ego te per crura,& talos,tergúmque obteſtor tuum,
Vt tibi vlmeam vberem eſſe ſperes virgidemiam,
Et tibi eſſe euenturam hoc anno vberem meſſem mali,
Vt mihi iſtuc dicas,negotij quid ſit,quod tumultues.
TR. Quî lubet maledicere? equidem tibi bona exoptaui omnia.
D Æ. Bene equidem tibi dico,qui te digna vt eueniant precor.
TR. Obſecro huc reuórtere. D Æ. ergo quid negotij eſt? TR. mulieres
Duæ innocentes intus hic ſunt,tui indigentes auxilij, B
Quibus aduorſum ius,legéſque inſignitè iniuria hîc
Facta eſt,fitque in Veneris fano:tum ſacerdos Veneria
Indignè affligatur. D AE. quis homo eſt tanta confidentia,
Qui ſacerdotem audeat violare? ſed eæ mulieres
Quæ ſunt? aut quid iis iniqui fit? TR. ſi das operam eloquar,
Veneris ſignum ſunt amplexæ, nunc homo audaciſſimus
Eas deripere vult. eas ambas eſſe oportet liberas.
D Æ. Quis iſtic eſt,qui deos tam paruipendit? paucis expedi.
TR. Fraudis,ſceleris,paricidij,periurij pleniſſimus,
Legirupa impudens, impurus,inuerecundiſſimus:
Vno verbo abſoluam,Leno'ſt. quid illum porrò prædicem? C
D AE. Ædepol infortunio hominem prædicas donabilem.
TR. Qui ſacerdoti ſceleſtus fauceis interpreſſerit?
D AE. At malo cum magno ſuo hercle fecit. ite iſtinc foràs.
Turbalio,Sparax vbi eſtis? TR. i obſecro intrò,ſubueni
Illis. D AE. iterum haud imperabo. ſequimini hàc. TR. age nunc iam,
Iube oculos elidere,itidem vt ſepiis faciunt coqui.
D AE. Proripite hominem pedibus huc,itidem quaſi occiſam ſuem.
TR. Audio tumultum. opinor leno pugnis pectitur.
Nimis velim improbiſſimo homini malas edentauerint. D
Sed ecce ipſæ huc égrediuntur timidæ è fano mulieres.

ATQVE EXEMPL. PESS. PESSVM.] ac morem peſſimum,ſeu factum peſſimi exempli,exſtinguite, ac delete. POLLENTIA.] potentia. STATVITE EXEMPL. IMPVD.] edite exemplum in impudentem, ſumto ſupplicio de lenone, omnium mortalium impudentiſſimo. FACITE HIC LEGE P. L. QVÀM VI VICTO V.] facite, vt hîc liceat viuere hominibus lege potius,quàm vi,& vt,ſi accidat,vt vincantur,vincantur potius lege,quàm vi. VENERIÆQVE ANTIST.] Veneris antiſtitæ. quamuis antiſtes ſit commune, tamen & antiſtitã dixerunt antiqui de fæmina,vt hoſpitam & clientam notat Cariſius. Cicero lib.4. Acad *Poſtridie ſacerdotes Cereris,& illius fani antiſtitæ.* Cornel. Seuerus, *ſtabat apud ſacras antiſtita aras.* FERTE SVPP. QVI VENERI VENERIAEQ. ANT. IN CVSTOD. SVVM COMMIS. CAPVT.] ferte ſuppetias iis,qui Veneri, & Veneris antiſtitæ tutellæ vitam ſuam commiſerunt. PRAETÓRQ. INIVR.] iniuriam delete priuſquam ad vos perueniat. torquete iniuriæ collum, frangite iniuriæ collum, priuſquam ad vos peruenerit. allegória eſt.

PER



A PER EGO TE HAEC GENVA.] per hæc genua te oro: in genibus miſericordiæ ſedem eſſe,non ſemel anteà dictum eſt. QVID TVMVLTVES.] quid tumultueris. MVLTVM FVTVRVM SIRPE ET LASERPITIVM] de laſerpitio alibi dictum eſt à nobis,& ſcriptores de eo multa prodiderunt: in his Plinius lib.19.cap.3. Solinus cap.15.& Theophraſt. hiſt. plant. lib.6.cap.3. Dioſco. lib.3.cap.94. De ſirpe ſic Solinus cap.40. Apud Cyrenenſeis prætera ſirpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis quàm arbuſto: cuius è culmo exudat æſtatis tempore pingue roſcidum,ídque paſcentium hircorum inhæret barbulis. Priſc. lib. 7. cuius verba mox proferemus. SEV TIBI CONF. FORE MVL. MAGVD.] Priſc. lib. 7. poſtquam hunc locum retulit, aſſcribit,ſeu tibi cõfidis fore multam magud. quod ſignificat frugis genus: & eſt caulis,qui naſcitur in Syria,cuius radix ſirpe appellatur,vel vt alij volunt ſilphium,id eſt,laſerpitium: quod ſilphiũ Græci appellãt,cuius erat ager Cyrenenſis ferax, quódque erat magni pretij. EÁMQVE VENTVRAM EXAGOGEN] & eam exportationem, id eſt,& eas merceis Cyrenis aut ex Lybia exſportatas ſaluas Capuam venturas. ATQVE AB LIPPITVDINE] hoc eò dicit,quod ſenes ſolent lippitudine laborare. optat igitur,vt habeat ſiccos oculos,atque ab lippitudine vacuos. SANVN' ES?] ſanúſne es? VIRGIDEMIAM] virgarum vindemiam. nomen fictum à virgis,& demo,vt vindemia, à vino & demo. QVOD
B TVMVLTVES] propter quod tumultues. QVÎ LVBET MALEDICERE!] quo pacto, vel quamobrem lubet tibi mihi maledicere. VT EVENIANT PRECOR.] tibi. HVC REVERTERE.] cùm ſenex itinere inſtituto pergeret ſeruus,eum orat, vt reuertatur. ADVORSVM IVS, LEG.] contra ius,& leges. INSIGNITÈ.] inſigniter, vel vt Nonius, cum indicio notæ. SACERDOS VENERIA] quam ſuprà antiſtitam dixit. EXPEDI.] hunc verſum & ſuperiori proximum, qui erant mutili, & laceri ex autoritate noſtrorum librorum veterum integrauimus. DONABILEM.] dignum,donandum, mactabilem. QVI SACERDOTI SCELESTVS FAVC. INTERP.] pendet hic verſus ex illo. Quid illum porrò prædicem,qui ſacerdotem Veneris ſtrangulare conatus ſit. TVRBALIO, SPARAX.] ſeruorum ſunt nomina. ſunt autem mutæ perſonæ,vt illæ apud Terentium in Eunucho. ITERVM HAVD IMPERARE] non erit neceſſe iterum imperare, ſed priore arceſſitu prodibunt ſerui foras. IVBE OCVLOS ELIDERE] iube ſeruos tuos lenoni oculos eruere, item,vt coqui ſepiis oculos eruunt. PRORIPITE.] foras rapite,& trahite hominem per pedes,ſimiliter vt ſuem occiſam. ſimile eſt illi,trahere pedibus: de quo plura in commentariis Horat. PVGNIS PECTITVR.] pugnis cęditur. tralatio eſt. ſic in Pœnulo. ſcena cuius initium eſt,
C *Negotij,ſed vide ſis ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.* MALAS EDENTAVERINT.] malas dentibus orbauerint: malas edentulas reddiderint.

## PALÆSTRA, TRACHALIO ſeruus. AMPELISCA, duæ mulieres.

PA. NVnc id eſt cùm omnium copiarum atque opum,
Auxilij,præſidij,viduitas nos tenet,
Nec vlla ſpecula eſt,quæ ſalutem afferat,
D Nec ſcimus quam in partem ingredi perſequamur.
Maximo miſeræ in metu nunc ſumus ambæ,
Tanta importunitas,tantáque iniuria
Facta in nos eſt modò hic intus ab noſtro hero:
Qui ſceleratus ſacerdotem,anum,præcipem
Reppulit,propulit,perquàm indignis modis,
Nóſque ab ſigno intimo vi deripuit ſua.
Sed nunc,ſeſe vt ferunt res,fortunæque noſtræ,
Par eſt moriri: neque eſt melius morte in malis,
Rebus miſeris. TR. quid eſt? quæ illæc oratio'ſt?
Ceſſo ego has conſolari? heus Palæſtra. PA. qui vocat?
TR. Heus Ampeliſca. AM. obſecro quis eſt qui vocat?

PA. Quis is eſt,qui nominat? TR. ſi reſpexis,ſcies. A
PA. O ſalutis meæ ſpes. TR. tace,ac bono animo es?
Me vide. PA. ſi modò id liceat,vis ne opprimat,
Quæ vis,vim mihi afferam ipſa,adigit. TR. ah, deſine, nimis inepta es.
AM. Deſiſte dictis nunc iam miſeram me conſolari.
PA. Niſi quid re præſidium ápparas Trachalio,acta hæc res eſt!
Certum'ſt moriri,quàm hunc pati graſſari lenonem in me.
Sed muliebri animo ſum tamen.miſeræ vbi venit in mentem
Mihi mortis, metus membra occupat ædepol. TR. etſi hoc acerbum,
Bonum animum habete. PA. nam obſecro vnde ánimus mihi inuenitur? B
TR. Ne,inquam,timete.aſſidite hic in ara. AM. iſtæc quid ara
Prodeſſe nobis plus poteſt,quàm ſignum in fano hîc intus
Veneris,quod amplexæ modò?vnde abreptæ per vim miſeræ?
TR. Sedete hic modo,ego hinc vos tamen tutabor.aram habete hanc.
Vobis pro caſtris. mœnia,hinc ego vos defenſabo,
Præſidio Veneris malitiæ lenonis contrà incedam.
AM. Tibi auſcultamus.&,Venus alma,ambæ ted obſecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrymantes,genibus nixæ,
Nos in cuſtodiam tuam vt recipias,& tutere:
Illos ſceleſtos,qui tuum fecerunt fanum parui. C
Vt vlciſcare,nóſque vt hanc tua pace aram obſidêre
Patiare,quæ elautæ ambæ ſumus opera Neptuni,noctu,
Ne inuiſas habeas.néue iccirco nobis vitio vortas,
Si quippiam'ſt,minus quod bene eſſe lautum tu arbitrare.
TR. Æquum haſce petere intelligo.decet abs te id impetrari,
Ignoſcere his te cónuenit.metus has,id vt faciant,ſubigit.
Te ex concha natam eſſe autumant. caue tu harum conchas ſpernas.
Sed optumè eccum exit ſenex,patronus mihíque & vobis.

D VIDVITAS]inopia,orbitas. SPECVLA]parua ſpes.noſtri libri veteres hîc non ſatis integri,neque liquidi ſunt:habẽt enim obſcurè,partim *ſe nec via eſt*,partim *ſed ne via eſt*. PERSEQVAMVR]pergamus. IMPORTVNITAS.] importunitas ab importuno. importunos autem Tyrannos dicunt Latini,pauperiem importunã,nouercas importunas,& ſimilia. PRÆCIPITEM.]Priſcianus lib.6 à capite ſolùm compoſita ablata,s,& mutata e in,i,& addita,itis, faciunt genitiuum,anceps ancipitis,præceps præcipitis,biceps bicepitis.antiqui tamen ancipes & præcipes & bicipes proferebant in nominatiuo,& ſic ſecundum analogiam ſequebatur genitiuus ancipes,ancipis.Plautus *ſaliam in puteum præcipes*. Liuius in Ioue. *ſéque in alta maria præcipem inops, ægra ſanitatis eiecit*. Ennius libri 17. Annal. *Occumbunt multi letum ferróque lapique. Aut intra muros, aut extra præcipe caſu.* DERIPVIT.] deorſum rapuit. MORIRI.] antiquum pro mori,vt aggrediri,pro aggredi,& ſimil. QVI VOCAT?] quis vocat. SI RESPEXIS.] ſi reſpexeris,id eſt,retro aſpexeris,ſcies quis te vocet. SI MODÒ ID LICEAT, VIS NE OPP.&c.] ſi fieri poſſit,da operam,ne ea vis me opprimat, quæ me cogit, vt mihi ipſa vim afferam,vt mihi mortem conciſcam. CERTVM EST MORIRI.] certum eſt mori.ſubintell.potius,Græcorum more μᾶλλον. SED MVLIEBRI ANIMO S.] ſeruat decorum.nam non temerè mulier ſibi ipſa vim affert. ETSI HOC ACERBVM.]& ſi hoc



A hoc acerbum eſt,quod in vos leno fecit,& ſe facturũ minatur. QVOD AMPLEXAT M.] quod paulò antè amplexæ eramus. MŒNIA, HINC EGO VOS D.] vox *mœnia*, ſententiam turbat,& ea detracta,nihil ſit hîc difficultatis,hoc modo : Habete vobis hãc aram pro caſtris,id eſt,loco caſtrorum:ego hinc,id eſt,ex hoc loco, vos defenſabo.neque tamen eam tollẽdam cenſeo.ſed addendum potius pronomen demonſtratiuum *hæc*:vel aduerbium loci *hîc*, vt ita legatur, *aram habete hanc vobis pro caſtris,hæc mœnia ſunt*, vel *hîc mœnia ſunt : hinc ego vos defenſabo*. PRÆSID. VEN. MAL. LENONIS C. INC.] præſidio Veneris malitiæ lenonis obuiam ibo. TIBI AVSCVLT.]tibi auſcultamus ô Venus alma. TED OBSCR.]te obſecramus.d, interpoſitum eſt. FECERVNT P.]contemſerunt. VITIO V.] aſſignes, attribuas. ABS TE]ô Venus. SVBIGIT]cogit. TE EX CONCHA N. E. A.] Venus non ex concha nata eſt,ſed cùm ex mari nata eſſet,concha in Cyprum vecta eſt,idcirco Plautus Venerem è concha natam eſſe dicit. Papinus Silu. *Hæc ex cæruleis mecum conſurgere digna fluctibus, & noſtra potuit conſidere concha.* propter eandem rationem conchæ, quædam dicuntur Veneriæ. Propertius, *Et Venus è rubroconcha Erycina ſalo*. Seneca lib.15. epiſt. *Veneriæ, ſpondilíque, & oſtrea eatenus circunciſa, quæ eduntur.* CAVE TV H. C. SP.]puellis conchæ dono dabantur. Ouid. Metamorph. lib. 10. B *munera fert illi conchas tereteíſque lapillos.*

DÆMONES ſenex. LABRAX leno. MVLIERES duæ.
LORARII. TRACHALIO ſeruus.

EXi è fano natum quantum eſt hominum ſacrilegiſſime,
Vos in aram abite ſeſſum. ſed vbi ſunt? TR. huc reſpice.
DÆ. Optumè. LO. iſtuc volueramus,iube modò accedat propè.
DÆ. Tun' legirupionem hic nobis cum dis facere poſtulas?
Pugnum in os impinge. LA. iniqua hæc patior cum pretio tuo.
DÆ. At etiam minitatur audax. LA. ius meum ereptum eſt mihi,
C Meas mihi ancillas inuito me eripis. TR. ergo dato
De ſenatu Cyrenenſi quemuis opulentum arbitrum,
Si tuas eſſe oportet,niue eas eſſe oportet liberas.
Neu te in carcerem compingier eſt æquum,ætatémque ibi
Te vſque habitare,donec totum carcerem contriueris.
LA. Non hodie iſti rei auſpicaui,vt cum furcifero fabuler,
Te ego appello. DÆ. cum iſtoc primùm,qui te nouit, diſputa.
LA. Tecum ago. TR. atqui mecum agendum'ſt. ſúntne illæ ancillæ tuæ?
LA. Sunt. TR. agedum ergo tange vtramuis digitulo minimo modò.
D LA. Quid ſi attigero? TR. extemplò hercle ego te follem pugilatorium
Faciam,& pendentem incurſabo pugnis,periuriſſime.
LA. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?
DÆ. Non licet:eſt lex apud nos. LA. mihi cum veſtris legibus
Nihil eſt commercij. equidem iſtas iam ambas educam foràs.
Tu ſenex,ſi iſtas amas,huc arido argento'ſt opus.
DÆ. Hæ autem Veneri complacuerunt. LA. habeat,ſi argentum dabit.
DÆ. Do tibi argentum. nunc adeò vt ſcias meam ſententiam,
Occipito modò illis afferre vim ioculò pauſillulum:
Ita hinc ego te ornatum amittam,tu ipſus te vt non noueris,

Vos adeò, vbi ego innuero vobis, ſi non ei caput exoculaſſitis, A
Quaſi murteta iuncis, item ego vos virgis circumuinciam.
LA. Vi agis mecum. TR. etiam vim opprobras flagitij flagrantia?
LA. Tun' trifurcifer mihi audes inclementer dicere?
TR. Fateor, ego trifurcifer ſum: tu es homo apprimè probus.
Num quî minus haſce oportet eſſe liberas? LA. quid? liberas?
TR. Atque heras tuas quidem hercle, atque ex germana Græcia:
Nam altera hæc eſt nata Athenis, ingenuis parentibus.
DÆ. Quid ego ex te audio? TR. hanc Athenis eſſe natam liberam.
DÆ. Mea popularis, obſecro, hæc eſt? TR. non tu Cyrenenſis es?
DÆ. Immò Athenis natus, altúſque, educatúſque Atticis.
TR. Obſecro, defende ciueis tuas ſenex. DÆ. ô filia B
Mea: cùm ego hanc video, mearum me abſens miſeriarum commones,
Trima quæ periit mihi: iam tanta eſt, ſi viuit, ſcio.
LA. Argentum pro iſtiſce ambabus, cuiæ erant, domino dedi,
Quid mea refert, Athenis hæ natæ, an Thebis ſient,
Dum mihi rectè ſeruitutem ſeruiant? TR. itáne, impudens?
Túne hic feles virginalis, liberos parentibus
Subiectos, habebis, atque indigno quæſtu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ ſit profectò neſcio,
Niſi ſcio probiorem hanc eſſe, quàm te, impuratiſſime,
LA. Tuæn' iſtæ ſunt? TR. contende ergo, vter ſit tergo verior. C
Ni offerumentas habebis plureis in tergo tuo,
Quàm vlla nauis longa clauos, tum ego ero mendaciſſimus.
Poſtea aſpicito meum, quando ego tuum inſpectauero,
Niſi erit tam ſincerum, vt quiuis dicat ampullarius,
Optimum eſſe operi faciundo corium, & ſinceriſſimum,
Quid cauſſæ eſt, quin virgis te vſque ad ſaturitatem ſauciem?
Quid illas ſpectas? quas ſi attigeris, oculos eripiam tibi.
LA. Atqui, quia vetas, vtramque iam mecum abducam ſimul.
DAE. Quid facies? LA. Volcanum adducam, is Veneris eſt aduerſarius.
DAE. Quò illic it? LA. heus ecquis hic eſt? heus. DAE. ſi attigeris oſtium, D
Iam hercle tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis.
LO. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis.
DAE. Ego dabo ignem, ſiquidem in capite tuo conflandi copia'ſt.
LA. Ibo hercle aliquò quæritatum ignem. DAE. quid tum cùm inueneris?
LA. Ignem magnum hic faciam. DAE. quin vt humanum exuras tibi.
LA. Immò haſce ambas hic in ara vt viuas comburam. DAE. id volo.

Nam



A Nam hercle ego te barba cõtinuo arripiam, & in ignẽ coniiciam,
Téque ambuſtulatum obiiciam magnis auibus pabulum.
Cum coniecturam egomet mecum facio, hæc illa eſt ſimia,
Quę has hirundines ex nido volt deripere ingratiis,
Quod ego in ſomnis ſomniaui. TR. Scin' quid? tecum oro ſenex
Vt illas ſerues, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
DAE. Quęre herum, atque adduce. TR. at hic ne. DAE. maximo malo ſuo.
Si attigerit, ſiue occeptaſſit. TR. cura. DAE. curatum eſt, abi.
B TR. Hunc quoque aſſerua ipſum, ne quò abitet. nam promiſimus
Carnufici aut talentum magnum, aut hunc hodie ſiſtere.

NATVM QVANTVM EST HOMINVM SACR.] homo omnium hominũ, quantum hominum natum eſt, ſacrilegiſſime. VOS IN ARAM] puellas alloquitur. ACCEDAT] leno. TVN', LEGIRVPIONEM N. C. DIIS, &c.] Túne nobis legis ruptionem cum diis facere poſtulas? id eſt, túne iſtuc tibi ſumus, vt audeas cũ diis violãdis leges negligere, & rumpere? *nobis* datiuus eſt venuſtatis cauſa additus. IMPINGE] incute. CVM PR. T.] cum mercede tua ἐπὶ μισθῷ σου eorum, quæ tu in me iniuſtè, & iniquè facis, dabis pœnas. tuorum in me iniuſtè factorum magnam mercedem feres. ERGO DATO DE S. CYR. &c.] aduerſarium prouocat, vt bonitate cauſæ fretus. ſolent enim, qui ſuo iuri magnopere cõfidunt, vltro iudicem aut arbitrum poſcere. Sic Terẽt. Adelph. *Cedo quemuis arbitrum, te plura in hac re peccare oſtendam.* Idem Plautus infrà. *cedo iudicem in dolo malo inſtipulatus ſis.* COMPINGIER] C coniici, & arctè concludi. ÆTATEM] quandiu viues. NON H. ISTI REI AVSP.] non hodie hoc conſiliũ cepi, vt, &c. tractum à more veterum, qui nihil faciendum ſuſcipiebant ſine auſpicio. TE EGO APPELLO] Dæmonem alloquitur, & appellat. TECVM AGO] tecum loquor. TE FOLLEM PVG. F.] te tractabo, vt follem, quẽ tractant pugiles, quem pendentem, & ſuſpenſum pugnis petunt, & inſectantur, hoc eſt, te pugnis cædam, & cõtundam. INCVRSABO] inſectabor. NON LICET, ITA EST LEX APVD NOS] ſic habent libri noſtri veteres, ídque ego liquidò iurare poſſum, ne quis coniecturam eſſe dicat. ARIDO ARGENTO] hoc dicit, opinor, propterea quòd erat vuidus. Aridum, inquit Feſtus, propriè eſt, quod naturalem humorem amiſit, dicitur autem per contrariam ſignificationem, quòd irrigari deſierit. nam Græcè irrigare eſt ἄρδειν. DO TIBI ARG.] lego, *dem tibi argentum?* IOCVLÒ] id eſt, etiam minimo ioco: etiam leuiſſimè iocando. INNVERO V.] vobis nutu ſignificauero. ſic Terent. Adelph. *ne mora ſit, ſi innuero, quin pugnis continuò in mala hæreat.* SI NON EI C. EXOSCVL.] ſi non ei caput oculis orbaueritis. id eſt, ſi non ei oculos effoderitis. non diſſimulabo in noſtris libris veteribus non eſſe neque, *non*, quod eſt in vulgatis, neque, *ne*, quod habet editio Camerariana. vulgatam autem lectionem ſecutus ſum, vt facilem, & apertam. alioqui D editionem Camerarij non improbo, vt, *ne*, accipiamus pro, *non*. QVASI MVRTETA IVNCIS, &c.] vt myrtetæ iuncis circumligari ſolent, ſic ego vos virgis circumdabo, & circumuinciam. OPPROBRAS] probri loco obiicis. libri vulgati habent, *improperas*. FLAGITII FLAGR.?] homo flagitioſiſſime, homo flagitio flagrans. NVM QVÎ M.] num idcirco minus oportet eas eſſe liberas, ſi ego ſum trifurcifer, tu vir probus? num qui minus, id eſt, aliqua re minus. vel num ob aliquam cauſam minus. EX GERMANA GR.] ex vera Græcia. O FILIA MEA] filiam abſentem deſiderat. præſentia Palæſtræ Atticæ admonitus. HANC] Palæſtram. COMMONES] tu Trachalio. TRIMA] treis annos nata. TANTA EST,] quanta eſt Palæſtra. CVIÆ ERANT,] domino, cuius erant. RECTÈ] iure. FELES VIRGINALIS] virginum furax & rapax, tu qui virgines rapere & furari ſoles: tu qui rapacitate, & furacitate, quam in virginibus furandis, & rapiendis adhibes, felem æquiparas: ſic ſuprà *feles virginaria*. HVIC ALTERÆ] huic alteri Ampeliſcæ. CONTENDE ERGO, VTER SIT T. VER.] ordo eſt, contende ergo mecum, tergo vter ſit verior, id eſt, veracior, vel, vter veriora dicat. NI OFFERVMENTAS] offerumentas hîc per iocum appellat Plautus vibices, & notas verberum tergo oblatorum, ſimilitudine ſermonis ab offerumentis ducta, de quibus ſic Feſtus ait, *offerumenta dicebant, quæ offerebantur.* hoc autem ſignificat, niſi tergũ habebis vibicibus varium, & diſſectum: tum ego ero mendaciſſimus, id eſt, tibi vt victo tergum verberibus, & pla-

gis lacerabitur:ego autem,vt victor,tergum habebo ſincerum. AMPVLLARIVS.]qui ampullas corio integit. OPTIMVM ESSE OPERI F.] vt integerrimum. VVLCANVM ADDVCAM]ſignificat ſe ignem puellis,quæ ad aram Veneris confugerant,admoturum,vt eas inde aufugere cogat,& ita impunè abducat. nam ex ara auellere non licebat ignem ei,qui aram occuparat,admouere licebat. ſic apud Euripidem. Hermione minatur ſe Andromachæ,quæ ad aram confugerat,eámque amplexa tenebat,ignem illaturam. IS VENERIS EST ADV.] odit enim Vulcanus Venerem,vt adulteram : & Venus Vulcanum auerſatur,vt claudum & deformem,& fabrum,contrà Martem amat,& cum eo in adulterio à Vulcano deprehēditur.apud Homerum ὀδυσ. MESSIS IN ORE FIET]dentes tibi excutientur pugnis. MERGIS PVGNEIS]Feſtus,mergæ furculæ,quibus acerui frugum fiūt,dictæ à volucribus mergis, quia, vt illi ſe in aquam mergunt,dum piſceis perſequuntur,ſic meſſores eas in fruges demergunt, vt attollere poſſint manipulos. per mergas igitur pugneas iocoſè ſignificat Plautus, pugnos ori impactos. SIQVIDEM IN C. TVO C. C. EST]ſiquidem in capite tuo ignem conflare, & accendere licet. QVIN VT H. EXVRAS T.] ſic habent dilucidè noſtri libri veteres. hoc autem ſignificat immò verò vt te ipſe exuras, vel tibi mortuo ſacrificium fiat. Feſtus. Humanum ſacrificium dicebant, quod mortui cauſa fiebat. BARBA] per barbam. AMBVSTVLATVM]circumuſtulatum,ambuſtum. Cicero pro Milone. lignis ſemiuſtulatū. Catullus. *infelicibus vſtulanda lignis:* INGRATIIS]me inuito. TECVM ORO] antiquè, pro, te oro. AT HÎC NE] at tu interea vide ne hic illas attingat, ſeu ne ab ara abſtrahat, atque abducat. SIVE OCCEPTASSIT]ſine adeò occeptauerit,id eſt, occeperit,ſeu incœperit. ſed non diſſimulabo in noſtris libris veteribus ſcriptum eſſe, *néue occentarit.* quæ ſcriptura fortaſſis recta eſt, & vera. *occentare* autem, vt ſuprà in Perſa,in ſcena. *Satin' Athenæ.* ex Feſto notauimus. Antiqui dicebant pro *conuicium facere.* NE QVÒ ABITET] abito,as,frequentatiuum ab abeo.

DÆMONES ſenex. LABRAX leno.
PALÆSTRA, AMPELISCA.

VTrùm tu leno cum malo libentius
Quieſcis,an ſic ſine malo,ſi copia eſt?
LA. Ego,quæ tu loquere,flocci non facio,ſenex.
Meas quidem te inuito,& Venere,& ſummo Ioue,
De ara capillo iam deripiam. DÆ. tange dum.
LA. Tangam hercle verò. DÆ. agedum ergo, accede huc modò.
LA. Iube dum recedere iſtos ambo illuc modò.
DÆ. Immò ad te accedent. LA. non hercle egomet cenſeo.
DÆ. Quid ages,ſi accedent propius? LA. ego receſſero.
Verùm,ſenex,ſi te vmquam in vrbe offendero.
Numquam hercle quiſquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos peſſimos dimiſero.
DÆ. Facito iſtuc quod minitaris. ſed nunc interim,
Si illas attigeris,dabitur tibi magnum malum.
LA. Quàm magnum verò? DÆ. quantum lenoni ſat eſt.
LA. Minacias ego iſtas flocci non facio tuas:
Equidem te inuito iam iam ambas rapiam. DÆ. tange dum.
LA. Tangam hercle verò. DÆ. tange,ſed ſcin' quomodo?
I dum Turbalio atque curriculo affer huc
Duas clauas. LA. clauas? DÆ. probas:propera citò,
Ego te hodie faxo rectè acceptum,vt dignus es.
LA. Eheu,ſceleſtus galeam in naui perdidi.
Nunc mihi opportuna hîc eſſet,ſalua ſi foret.
Licet ſaltem iſtas mihi appellare. DÆ. non licet.

Ehem



Ehem optimè ædepol,eccum clauator aduenit.
LA. Illud quidem ædepol tinnimentum eſt auribus.
DÆ. Age accipe illanc alteram clauam Sparax,
Age alter iſtinc,alter hinc aſſiſte.
Aſſiſtite ambo ſic:audite nunc iam:
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Inuitas,ni iſtunc iſtis inuitaſſitis
Vſque adeò,donec quà domum abeat,neſciat,
Periſtis ambo. ſi appellabit quampiam,
Vos reſpondetote iſtinc iſtarum vicem:
Si verò hic ipſe abire hinc volet,quantum pote'ſt,
Extemplò amplectitote crura fuſtibus.
LA. Etiam me abire hinc non ſinent? DÆ. dixi ſatis.
Et ille vbi ſeruus cum hero huc aduenerit,
Qui herum arceſſiuit,itote extemplò domum,
Curate hæc ſultis magna diligentia,
LA. Eheu hercle,næ iſtic fana mutantur citò,
Iam hoc Herculis eſt,Veneris fanum quod fuit,
Ita duo deſtituit ſigna hic cum clauis ſenex.
Non hercle quò hinc nunc gentium aufugiam,ſcio,
Ita nunc mihi vtrumque ſæuit & terra & mare.
Palæſtra? LO. quid vis? LA. apage. controuerſia eſt.
Hæc equidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt,
Heus Ampeliſca. LO. caueſis infortunio,
Vt pote'ſt. LA. ignaui homines ſatis rectè monent.
Sed vobis dico,heus vobis num moleſtia eſt,
Me adire ad illas propius? LO. nihil nobis quidem.
LA. Numquid moleſtum mihi erit? LO. nihil,ſi caueris.
LA. Quid eſt,quod caueam? LO. hem à craſſo infortunio.
LA. Quæſo hercle abire vt liceat. LO. abeas, ſi velis.
LA. Bene hercle factum. habeo vobis gratiam.
Non,accedam potius. LO. illic tu aſta illico.
LA. Ædepol proueni nequiter multis modis,
Certum'ſt haſce hodie vſque obſidione vincere.

SI COPIA EST]ſi tibi datur,aut licet ſine malo quieſcere,ſi tibi poteſtas ſit quieſcendi ſine malo. CAPILLO]per capillum. ISTOS AMBO] iſtos ambos lorarios,qui pugnos intentant:ambo,pro,ambos,ſæpe aliàs notatum. OFFENDERO] inuenero mihi obuium. LVDOS PESSIMOS]turpiſſimè ludificatum,& ludibrio habitum. MINACIAS] minas. CVRRICVLO]curſim,citato curſu. PROBAS]validas,magnas. OPPORTVNA]vtilis, ex vſu. SALVA SI F.]niſi periiſſet. CLAVATOR]qui clauam manu tenet : qui clauam gerit. TINNIMENTVM]inſtrumentum,quo tibi aures tinniant.. NI ISTVNC ISTIS INVITASSITIS]niſi iſtunc lenonem clauis iſtis,quas habetis, lautè & liberaliter inuitaueritis,id eſt,niſi lenonem clauis ita valide pulſaueritis,vt propter ictum validum, quem acceperit, attonitus,neſciat,qua via domum abeat,&c. ISTARVM VICEM]iſtarum puellarum vice: pro iſtis puellis. AMPLECTITOTE] amplectiminor : circùm cæditote.tralatio eſt. NÆ ISTIC F. M. C.]profectò in iſtis locis fana citò cōmutantur. HERC. EST]Herculis eſt fanū, quod anteà Veneris fuit: hoc eó dicit,quòd duos ſeruos cū clauis aſtare iuſſerat,vt ſi eſſent

duæ ſtatuæ clauam gerentes. Hercules enim à Leonina pelle amictus, & clauam dextra tenens fingebatur. DESTITVIT] id eſt, ſtatuit, conſtituit. Cæcilius, *Deſtituit omneis ſeruos ad menſam ante ſe.* Cicero lib. 3. accuſationum. *Videtis pendere alios ex arbore, pulſari autem alios, & verberari: porrò, alios in publico cuſtodiri, & deſtitui, alios in communi*, &c. T. Liuius lib. 7. *Duo in medio armati ſpectaculi magis more, quàm lege belli deſtituuntur.* SÆVIT] iratum, atque infeſtum eſt. CONTROVERSIA EST] diſſentio eſt inter nos. ambigimus inter nos. CAVE SIS INF. VT P. EST] caue ſi vis ab infortunio, quantum fieri poteſt. NIHIL N.] proinde ac ſi dicat, nullam nobis moleſtiam afferet, te ad illas accedere, ſed tibi maximam. nam te his clauis lautè inuitabimus. NIHIL SI CAVER.] nihil tibi erit moleſtum, ſi tibi à malo caueris, id eſt, ſi ad eas non acceſſeris, neque eas attigeris. A CRASSO INF.] à magno malo, quod tibi hæ craſſæ & validæ clauæ importabunt. NON ACCEDAM P.] non abibo, ſed accedam ad illas potius. PROVENI] proceſſi. A

## PLEVSIDIPPVS adoleſcens. TRACHALIO ſeruus. MVLIERES duæ. LENO. LORARII. CHARMIDES.

B

MEámne ille amicam leno vi, violentia
De ara deripere Veneris voluit? TR. admodum.
PL. Quin occidiſti extemplò? TR. gladius non erat.
PL. Caperes aut fuſtem, aut lapidem. TR. quid? ego quaſi canem,
Hominem inſectarer lapidibus nequiſſimum?
LA. Nunc pol ego perij, Pleuſidippus eccum adeſt,
Conuerret iam hoc me totum cum puluiſculo.
PL. Etiámne in ara tunc ſedebant mulieres,
Cùm ad me profectus ire? TR. ibidem nunc ſedent.
PL. Quis illas nunc illic ſeruat? TR. neſcio quis ſenex, C
Vicinus Veneris. is dedit operam optimam.
Is nunc cum ſeruis ſeruat: ego mandaueram.
PL. Duc me ad lenonem rectà. vbi illic eſt homo?
LA. Salue. PL. nihil ſalutem moror, opta ocyus,
Rapi te obtorto collo mauis, an trahi?
Vtrùm vis opta, dum licet. LA. neutrum volo.
PL. Abi ſanè ad littus curriculò Trachalio,
Iube illos in vrbem ire obuiam ad portam mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnuficem traderent.
Pòſt huc redito, atque agitato hîc cuſtodiam, D
Ego hunc ſceleſtum in ius rapiam exſulem,
Age ambula in ius. LA. quid ego deliqui? PL. rogas?
Qui arrabonem à me accepiſti ob mulierem, &
Eam hinc abduxiſti? LA. non auexi. PL. cur negas?
LA. Quia pol prouexi, auehere non quiui miſer.
Equidem tibi me dixeram præſtò fore
Apud Veneris fanum. quid multa? ſúmne ibi?
PL. In iure cauſſam dicito. hîc verbum ſat eſt.
Sequere. LA. obſecro te, ſubueni mi Charmides,
Rapior obtorto collo. CH. quis me nominat?
LA. Viden' me vt rapior? CH. video, atque inſpecto lubens.

Non



A LA. Non ſubuenire mihi audes? CH. quis homo te rapit?
LA. Adoleſcens Pleuſidippus. CH. vt nactus es habe
Bono animo. melius'ſt te in neruum correpere.
Tibi obtigit quod plurimi exoptant ſibi.
LA. Quid id eſt? CH. vt id, quod quærant, inueniant ſibi.
LA. Sequere, obſecro, me pariter. CH. ſuades? qualis es?
Tu in neruum rapere. eò me obſecras, vt te ſequar?
Etiam retentas? LA. perij. PL. verum ſit velim.
Tu mea Palæſtra & Ampeliſca ibidem illico
Manete, dum huc ego redeo. LO. equidem ſuadeo
Vt ad nos abeant potius, dum recipis. PL. placet,
B Benefacitis. LA. fures mihi eſtis. LO. quid? fures? PL. rape.
LA. Oro obſecro Palæſtra PL. ſequere carnifex.
LA. Hoſpes. CH. non ſum hoſpes, repudio hoſpitium tuum.
LA. Siccine me ſpernis? CH. ſic ago. ſemel bibo.
LA. Di te infelicent. CH. iſti capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier.
Illic in columbum credo leno vortitur.
Nam in collumbari collum haud multo pòſt erit.
In neruom ille hodie nidamenta congeret.
Verumtamen ibo ei aduocatus vt ſiem,
C Si qui mea opera citius addici poteſt.

VIOLENTIA] plus eſt violentia, quàm vis. CONVERRET IAM HIC ME T. C. P.] me delebit funditus. vel me ex hoc loco totum, quantus quantus ſum, fugabit, & exiget, pugnis contundens, aut fuſtibus. allegoria eſt ab iis, qui veſtem ſcopis purgant, aut domũ verrunt. CÙM AD ME PR. IRE] cùm profectus es, vt ad me ires? VICINVS VENERIS] ſuprà. ſed quid hic in Veneris fano vicinæ meæ, &c. NIHIL SALVTEM M.] nolo me abs te ſalutari. valeat tua ſalus. RAPI TE OBT. C. M.] rapi in ius. ſuprà. AN TRAHI] pedibus. ABDVXISTI] vt in Siciliam aueheres. SÚMNE IBI?] nónne ſum apud Veneris fanum, vbi me tibi præſtò fore dixeram? IN IVRE] apud prætorem. VT NACTVS ES] vt nactus es; habe bono animo, id eſt, quod malum nactus es, & tibi tua culpa contraxiſti, & arceſſiuiſti, id forti animo perfer. videtur deeſſe, *es*. VT ID QVOD Q. INV.] tu inueniſti malum, quod quærebas tuis improbis, & iniuſtis factis. MELIVS EST TE IN N. C.] præſtat te in vincula tua ſponte ire. RAPERE] raperis. ETIAM RETENTAS?] etiam me retines, vt D tecum eam? DVM RECIPIS] donec eas recipias, & recuperes. SEMEL BIBO] ſemel tecum bibi. numquam iterum poſthac. CREDO ALIVM IN ALIAM BELLVAM, &c.] credo alios homines in alias animãtes verti, verbi gratia, rapaceis in accipitres, aſtutos in vulpes, ſimpliceis in oues, & ſimilia. ILLIC] ille. NAM IN COL.] iocus ex ambiguo. columbar genus eſt vinculi, vt docet Priſcian. lib. 5. hũc locũ proferens, quo collũ nectitur. ſunt & columbaria foramina, per quæ traiiciuntur rami, à quibus dicuntur etiam & foramina, in quæ maleficiorum colla inſerũtur. COLLVM] apud Priſcianum legitur collus, ſed mendoſè, opinor, propter verſum. ADVOCATVS] εἰρωνεία eſt. SI QVI] ſi quo pacto. ADDICI] Pleuſidippo à prætore.

mmmm

# ACTVS QVARTVS. A

## DÆMONES ſenex.

Benefactum, & volupe eſt hodie me his mulierculis
Tetuliſſe auxilium, iam clientas reperi,
Atque ambas forma ſcitula atque ætatula.
Sed vxor ſceleſta me omnibus ſeruat modis, B
Nequid ſignificem quippiam mulierculis.
Sed Gripus ſeruus noſter, quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piſcatum ad mare,
Pol magis ſapuiſſet, ſi dormiuiſſet domi.
Nam nunc & operam ludos facit, & retia,
Vt tempeſtas eſt nunc, atque vt noctu fuit.
In digitis hodie percoquam quod ceperit,
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium vxor me vocat, redeo domum, C
Iam opplebit meas aures ſua vaniloquentia.

VOLVPE EST]iucundum eſt. TETVLISSE AVX.]antiquum, pro, tuliſſe. CLIENTAS] Feſtus, clientam, pro, cliente Plautus dixit. ſic Horat. oda. lib. *nec laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.* Afranius. *Interim tua clienta.* ex Chariſio. cliẽtas repperi autẽ, id eſt, clientas nactus ſum meo beneficio, quia me earum patronum præbui. SCITVLA] politula. SERVAT]obſeruat. DE NOCTE]Horat. *ſurgunt de nocte latrones.* POL MAGIS SAPVISSET]ſic habẽt noſtri libri veteres, & ita legit Priſcianus lib. 7. vbi de ablatiuo tertiæ declinationis loquitur: & lib. 10. non longè à principio in verbo *ſapio. Sapio,* inquit, *tam ſapiui, vel ſapij, quàm ſapiui placet dici,*&c. Plaut. in Rud. *pol magis ſapuiſſet, ſi dormiuiſſet domi,*&c. Chariſius lib. 3. *ſapio, ſapis, ſapiui & ſapui.* Nonius quoque teſtatur vtrumque eſſe in vſu, his verbis, *ſapiui pro ſapui, inquit,*&c. ET OPERAM LVDOS FACIT]id eſt, ludit operã, & retia, id eſt, operam inanem ſumit, & retia fruſtra conterit. ſed Priſcianus lib. 7. legit *retiam.* VT TEMPESTAS EST N.]prout eſt nunc tempeſtas, & nocte proxima fuit, nempe aduerſa, & ad piſcandum inutilis. IN DIGITIS HODIE PERC. Q. C.] id eſt, nihil capiet. D

## GRIPVS piſcator.

NEptuno has ago meo patrono gratias,
Qui ſalſis locis incolit piſculentis,
Cùm me ex ſuis pulcrè ornatum expediuit
Templis reducem, plurima præda onuſtum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoſo
Piſcatu nouo me vberi compotiuit.
Miroque modo, atque incredibili hic piſcatus mihi

Lepidè



A Lepidè euenit, neque piſcium vllam vnciam hodie
Pondò cepi, niſi hoc quod fero in rete.
Nam vt de nocte multa impigrè exſurrexi,
Lucrum præpoſiui ſopori & quieti,
Tempeſtate ſæua experiri expetiui,
Paupertatem heri qui, & meam ſeruientiam
Tolerarem. opera haud fui parcus mea. nimis homo
Nihili eſt, qui piger eſt, nimiſque id genus odi ego malè.
Vigilare decet hominem, qui vult ſua tempori conficere officia.
Non enim illum exſpectare oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium.
B Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro, & cum malo quieſcunt.
Nam ego nũc mihi, qui impiger fui, repperi, vt piger, ſi velim ſiem
Hoc ego in mari, quidquid ineſt, reperi. quicquid ineſt, graue quidem eſt. aurum
Hîc ego ineſſe reor. nec mihi conſcius eſt vllus homo. nunc hæc tibi,
Occaſio, Gripe, obtigit, vt liberet ex populo prætor te.
Nunc ſic faciam, ſic conſiliũ eſt, ad herũ veniam doctè atq. aſtutè,
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, vt ſim liber.
Iam vbi liber ero igitur, domum inſtruam, agrum, ædeis, mãcipia.
Nauibus magnis mercaturam faciã: apud reges rex perhibebor.
C Poſt animi cauſſa mihi nauem faciã, atq. imitabor Stratonicum,
Oppida circumuectabor. vbi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum cõmunibo. eij ego vrbi Gripo indam nomen,
Monumentum meæ famæ & factis. ibique regnum magnum inſtituam.
Magnas res hic agito in mentem inſtruere. nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pranſurus eſt, & ſale, ſine bono pulmento,

INCOLIT]inhabitat. iunxit verbum *incolit* cum ſeptimo caſu. PISCVLENTIS] piſcium plenis. TEMPLIS] tectis, domicilio ſuo. Templum tribus modis dicitur, vt docet Varro D lib. 6. de lingua Latina, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. PVLCRÈ ORNATVM] probè inſtructum, locupletatum. SALVTE HORIÆ]id eſt, ſalua horia. Eſt autem horia, vt docet Nonius, nauis piſcatoria: & profert hunc locum, ſed mendoſè. Fulgentius ſcribit ſine aſpiratione. *Oriam,* inquit, *dicũt nauiculam modicam piſcatoriam.* Plautus. *Malo hunc alligari ad oriam, vt ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxima.* PISCATV NOVO]nouo genere piſcatus, quia non piſceis cepi, ſed vidulum reperi. COMPOTIVIT] compotem fecit. IN RETE] in reti. PRÆPOSIVI]præpoſui. Cariſius lib. 3. *Pono, ponis, poſui & poſiui, veteres dixerunt.* PAVPERTATEM HERI QVI ET M.]ordo & ſententia eſt, qui, id eſt, quo pacto, vel vnde tolerarem, hoc eſt, ſuſtentarem paupertatem heri mei, & meam ſeruitutem. SERVIENTIAM] ſecutus ſum Camerarij coniecturam, qui pro *ſententiam,* quod eſt in libris veteribus, legit *ſeruientiam.* OPERA HAVD FVI P. MEA]haud peperci operæ meæ. TEMPORI] tempeſtiuè, maturè. REPPERI, VT PIGER, SI VELIM, S.] rationem reperi, per quam mihi piger eſſe liceat, quia nunc diues ſum. VT LIBERET EX POPVLO PR. TE] vt te prætor non ſolùm liberum faciat vindicta, ſed etiam ex numero hominum inferioris ordinis, ac loci. alij libri habent, *vt liberet extempulo prætor te.* Extempulo autem, id eſt, extemplo. NAVIBVS MAGNIS]Heſiodus. Νῆ ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι. ANIMI C.] non mercaturæ faciendæ gratia, ſed vt in ea nauigans me oblectem. STRATONICVM] no-

mmmm ij

men fictum.ſignificat autem victorem exercitus. OPPIDA CIRCVMVECTABOR]vectabor equo,aut rheda circum oppida. EII] ei. MONVMENTVM]oppidum.monumentum,per appoſitionem, vel vt Græci κτ' σιωθεσιν. SED HIC REX CVM ACETO] ſed ego,qui me regem facio,& ſomnio,pranſurus ſum ſine pulmento,cum ſale & aceto, quo modo pauperes ſolent. ſolent enim pauperes quia obſonium non habent, ſalem & acetum ad panem aſſumere,obſonij loco. Quidam volunt hæc eſſe verba Trachalionis ex occulto loco Grippi ſermonem excipientis,atque exaudientis. A

## TRACHALIO ſeruus. GRIPVS piſcator.

HEus mane. GR. quid maneam? TR. dum hanc tibi,
quam trahis,rudentem complico.
GR. Mitte modò. TR. at pol ego te adiuuabo. nam bonis quod
Bene fit,haud perit. GR. turbida tempeſtas heri fuit.
Nil habeo adoleſcens piſcium,ne tu mihi eſſe poſtules. B
Non vides me referre vuidum rete,ſine ſquamoſo pecu?
TR. Non ædepol piſceis expeto.quàm tui ſermonis ſum indigens.
GR. Enicas iam me odio,quiſquis es. TR. non ſinam ego abire hinc
te,mane,
GR. Caue ſis malo,quid tu,malum,nam me retrahis? TR. audi.
GR. Non audio. TR. at pol quin audies pòſt. GR. quin loquere, quid vis?
TR. Ehò,modò.eſt operæpretium,quod tibi ego narrare volo.
GR. Eloquere. quid id eſt? TR. vide num quiſpiam conſequitur
propè nos.
GR. Ecquid eſt,quod mea referat? TR. ſcilicet. ſed boni conſilij C
Ecquid in te mihi eſt? GR. quid negotij eſt.modò dic. TR.
dicam,
Tace,ſi fidem modò das mihi,te non fore infidum.
GR. Do fidem tibi, fidus ero quiſquis es. TR. audi. furtum ego vidi
Qui faciebat. noueram dominum, id cui fiebat.pòſt ad
Furem egomet deuenio,ferόque ei conditionem hoc pacto:
Ego iſtuc furtum ſcio cui factum eſt. nunc mihi ſi vis
Dare dimidium,indicium domino non faciam. is mihi nihil
Etiam reſpondit. quid?inde æquum eſt dari mihi dimidium?
Volo vt dicas. GR. immo hercle amplius. nam niſi dat, domino dicundum D
Cenſeo. TR. tuo conſilio faciam. nunc aduorte animum:
Namque hoc attinet omne ad te. GR. quid eſt factum? TR.
vidulum
Iſtum,cuius eſt,noui ego hominem iampridem. GR. quid eſt?
TR. Et quo pacto periit. GR. at ego quo pacto inuentum'ſt ſcio.
Et qui inuenit,hominem noui,& dominus qui nunc eſt,ſcio,
GR. Nihilo pol pluris tua hoc,quàm illud refert mea.
Ego illum noui,cuius nunc eſt. tu illum,cuius antehac fuit.
Hũc homo feret à me nemo,ne tu te ſperes potius.TR. nõ ferat,
Si dominus veniat? GR. dominus huic nemo,ne fruſtra ſies,
Niſi



A Niſi ego,nemo natu'ſt,hunc qui cepi in venatu meo.
TR. Itáne verò? GR. ecquem eſſe dices in mari piſcem meum,
Quos cum capio? ſiquidem cepi,mei ſunt,habeo pro meis, *quem non*
Nec manu aſſeruntur, neque illinc partem quiſquam poſtulat,
In foro palàm omneis vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certo'ſt omnibus. TR. aſſentio,
Qui minùs hunc communem,quæſo,mihi eſſe oportet vidulum?
In mari inuentu'ſt,commune eſt. GR. næ tu impudenter impudens.
Nam ſi iſtuc ius ſit,quod memoras,piſcatores perierint
Quippe cùm extemplò in macellum piſceis prolati ſient,
B Nemo emat,ſuam quiſque partem piſcium poſcat ſibi.
Dicat in mare communi captos. TR. quid ais impudens?
Auſus etiam comparare vidulum cum piſcibus?
Eadem tandem res videtur? GR. in manu non eſt mea,
Vbi demiſi retem atque hamum.quicquid hæſit,extraho.
Meum quod rete atque ha mi nacti ſunt,meum potiſſimùm'ſt.
TR. Immò hercle haud eſt,ſi quidem quod vas excepiſti. GR. philoſophe.
TR. Sed tun' inquam piſcatorem vidiſti venefice
Vidulum piſcem cepiſſe?aut protuliſſe vllum in forum?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quæſtus, quos voles,
C Et vietorem & piſcatorem te eſſe impurè poſtulas?
Vel te mihi monſtrare oportet,piſcis qui ſit vidulus,
Vel quod in mari non natum eſt,neque habet ſquamas,ne feras.
GR. Quid?tu numquã audiuiſti eſſe antehac vidulũ piſcẽ? TR. ſcelus,
Nullus eſt. GR. immò eſt profectò.ego,qui ſum piſcator,ſcio.
Verò raró capitur. nullus minus ſæpe ad terram venit.
TR. Nil agis. dare verba ſperas mihi te poſſe furcifer?
Quo colore eſt? GR. hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alij puniceo corio magni item,atque atri. TR. ſcio,
Tu hercle,opinor,in vidulum te piſcem conuertes,niſi caues:
D Fiet tibi puniceum corium,poſtea atrum denuò.
GR. Quod ſcelus hodie hoc inueni? TR. verba facimus. it dies.
Videſis,cuius arbitratu nôs facere vis? GR. viduli *stare*
Arbitratu. TR. ita enimuero ſtultus es. GR. ſalue Thales.
TR. Tu iſthunc hodie non feres,niſi das ſequeſtrum,aut arbitrum.
Cuius hæc res arbitratu fiat. GR. quæſo,ſanus es?
TR. Elleboroſus ſum. GR. at ego cerritus. hunc non amittam tamen,
TR. Verbum adde etiam vnũ, iam in cerebro colaphos abſtrudã tuo.
GR. Ego iam hic te itidem,quaſi penicillus nouos exſugeri ſolet,
Ni hunc amittis,exſugebo quicquid humoris tibi'ſt.
Tange,affligam ad terram te itidem,vt piſcem ſoleo polypum.

Vis pugnare? TR. quid opu'ſt?quin tu potius prædam diuide. A
GR. Hinc tu,niſi malum,fruiſci nihil potes,ne poſtules.
Abeo ego hinc. TR. at ego hinc offlectam nauem,ne quò abeas,mane.
GR. Si tu proreta iſti naui es,ego gubernator ero,
Mitte rudentem,ſceleſte. TR. mittam,omitte vidulum.
GR. Numquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
TR. Non probare pernegando mihi potes,niſi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur,aut ſequeſtro ponitur.
GR. Quémne ego excepi in mari? TR. at ego inſpectaui è litore.
GR. Mea opera,labore & rete & horia? TR. num qui minus,
Si veniat nunc dominus,cuius eſt,ego qui inſpectaui procul, B
Te hunc habere, fur ſum, quàm tu? GR. nihilo. TR. mane maſtigia.
Quo argumento ſocius non ſum,& fur ſum?fac dum ex te ſciam.
GR. Neſcio,neque ego iſtas veſtras leges vrbanas ſcio,
Niſi quia hunc meum eſſe dico. TR. & ego item eſſe aio meũ.
GR. Mane iam,reperi rem,quo pacto nec fur,nec ſocius ſies.
TR. Quo pacto? GR. ſine me hinc abire,tu abi tacitus tuam viam,
Nec tu me cuiquam indicaſſis,neque ego tibi quicquam dabo.
Tu taceto,ego muſſitabo. hoc optimum atque æquiſſimum eſt.
TR. Ecquid conditionis audes ferre? GR. iamdudum fero,
Vt abeas,rudentem amittas,mihi moleſtus ne ſies. C
TR. Mane dum, refero conditionem. GR. te obſecro hercle,aufer te modò.
TR. Ecquem in his locis nouiſti? GR. oportet vicinos meos.
TR. Vbi tu hîc habitas? GR. porrò illic longè vſque in cãpis vltimis.
TR. Vin' qui in hac villa habitat,eius arbitratu rem fieri?
GR. Paulliſper remitte reſtem,dum concedo,& conſulo.
TR. Fiat. GR. euge ſalua res eſt,præda hæc perpetua eſt mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me hic intra præſepeis meas.
Numquam hercle hodie abiudicabit ab ſuo triobolum,
Næ iſte haud ſcit quam conditionem tetulerit, ibo ad arbitrum. D
TR. Quid igitur? GR. quamquam iſtuc eſſe ius meum certò ſcio,
Fiat iſtuc potius,quàm nunc pugnem tecum. TR. nunc places.
GR. Quamquam ad ignotum arbitrũ me appellis,ſi adhibebit fidem.
Et ſi eſt ignotus,notus eſt:ſi non,notus,ignotiſſimus eſt.

DVM HANC TIBI, QVAM TR. R. C.]profert Nonius hunc locum in voce, *rudens*, oſtendens eſſe maſculini & fœminini gen.Eſt autem rudens,nauticus funis. NE TV M. ESSE P.]ne tu mihi eſſe cenſeas,& contendas. NON VIDES ME R.] profert hunc locum Nonius,ita vt nos edidimus in voce *pecu*,& præterea Cariſius lib.1.in eadẽ voce, & ſic habent noſtri libri veteres cum vulgatis conſentientes.Poſtremò,& Priſcianus lib.7.niſi quod legit *retem* in genere maſculino,vt infrà, *vt dimiſi retem atque hamum*.Camerarius autem ſic,*Nam vides me referre vuidum rete ſine ſquamoſo pecu.* ſine ſquamoſo pecu,id eſt,ſine piſcibus,qui ſquamigeri ſunt,& ſic eos appellat Lucretius non ſemel. QVID TV, MALVM, NAM ME R.] malũ, hîc interiectio eſt.particula autẽ,*nam*,cohærere debet cum interrogatiuo,*quid*,hoc modo: *Quid*

*nam*



A *nam tu,malum,me retrahis?* poteſt & intelligi,*antecedere*, vt ſit aduerbium, hoc modo. Nam quid tu,malum,me retrahis? EHO, MODÒ.]eho nunc eloquar,quod volo. ECQVID EST, QVOD MEA REF.]numquid habes,quod mea referat?ſeu quod ad me pertineat? SCILICET.]affirmat. SED BONI CONSILII ECQVID] ſed numquid boni conſilij mihi eſt apud te?id eſt,ſed num tu mihi petenti vtile conſilium dabis? MODÒ DIC.]dic tantummodo. FVRTVM VIDI, QVI FACIAT.]vidi quendam, qui furtum faciebat. NOVER. D. ID CVI F.]noueram dominum,cui id furtum fiebat. EGO ISTVC FVR. SCIO, CVI F.] ego noui dominum, cui id furtum factum eſt. INDE] ex furto. DOMINO DICVNDVM.] fortaſſe legendum, *Domino indicandum*, *cenſeo.* VIDVLVM ISTVD, CVIVS EST,&c.]iampridem noui hominem,cuius iſte vidulus eſt, ſed more ſuo, & aliorum comicorum dixit,*noui vidulum iſtud*,&c. quæ locutio ſic explicatur noui hominem, cuius eſt iſtud vidulum,ſeu iſte vidulus. ET DOMINVS, QVI NVNC EST SCIO] & ſcio,quis nunc ſit eius dominus.ſe ſignificat.malim autem legi,*& dominum,qui nunc eſt ſcio.* NIHILO POL PLVRIS TVA HOC, QVÀM ILL. REF.]nihilo pol pluris refert tua hoc, nempe, me enim eſſe,qui reperi hunc vidulum, & me nunc eius eſſe dominum, quàm mea illud,nempe te eum noſſe qui quondam eius dominus fuit. FERET] auferet. NE TV TE
B SPERES P.]hoc dico,ne fortè tu ſperes te potius ablaturum. DOMINVS HVIC NEMO, NE F. SI,&c.]ordo eſt,nemo homo huic vidulo dominus natus eſt,niſi ego,qui hũc cepi in venatu, id eſt,in piſcatu meo. NE FRVSTRÀ SIES.]ne te fruſtreris. ECQVEM ESSE DICES IN MARI PISC. M.] an aliquem piſcem, quem non capio, dices eſſe in mari meum?quaſi dicat,non dices.quemadmodum igitur piſcis in mari, quem non cepi, non eſt meus?ita quos cepi,mei ſunt,neq; quiſquã partem ex illis ſibi poſtulare audeat. NEC MANV ASSERVNTVR.]neque piſces,inquit,à me capti, & mei facti, à quoquam vt liberi aſſeruntur.tralatio ab hominibus liberis,qui à ſeruitute vindicantur. IN MARI INVENTV'ST] in mari inuentus eſt vidulus. COMMVNE EST.] mare. DICAT IN MARE COMMVNI CAP.]dicat in mari,quod eſt commune,eſſe captos.ſic autem legit Priſcianus, proferens hunc locum lib.7. IN MANV NON EST MEA.] in poteſtate non eſt mea. VBI DEMISI RETEM,&c.]ſic habent & noſtri libri veteres, & ita legit Priſcianus eodem libr. HÆSIT.]reti,atque hamo. NACTI SVNT.]repererunt,prehenderunt. POTISSIMÙM] ante alios omneis. SIQVIDEM QVOD VAS EXCEP.] ſi quidem vas aliquod excepiſti,vt vidulum,qui fiebat ex vimine,deinde corio integebatur. PHILOSOPHE.] homo ar-
C gute,& acute. VIDVLVM PISCEM.]piſcem nomine vidulum. VIETOREM.] viere eſt vincire,& inflectere,inquit Nonius,vnde vimen,& vietores, qui vient, hoc eſt, qui vaſa ex tabulis ligneis conficiunt,eáque viminibus vinciunt. SCELVS] homo ſceleſte. FIET TIBI PVNICEVM CORIVM,&c.]cædêre virgis,& ita corium tuum fiet rubrum: deinde, vt fit, nigreſcet.nam ſanguis ex plagis,& vulneribus nigreſcit vibicibus exſtantibus. CVIVS ARBITRATV STARE VIS?]cuius iudicio nos ſtare vis?cuius iudicio noſtram controuerſiam diiudicandam permittere vis?ſic loquitur & Cicero lib.3. Tuſculan.*ſtare iudicio multitudinis, & ſtare ſuis iudiciis.* SALVE THALES.]ſalue homo ſapientiſſime.hoc ideò,quia à Thracalione ſtultus appellatus erat. Thales fuit vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus. SEQVESTRVM] ſequeſter,ſequeſtris,vel ſtri.is,apud quem res aliqua controuerſa deponitur. ELLEBOROSVS SVM.]inſanus ſum.hoc ideò,quod inſani, & furioſi egent elleboro ad inſaniam minuendam, ac leuandam. AT EGO CERRITVS.] at ego à Cerere percuſſus, hoc eſt, commotæ mentis,fanaticus,δημητριακὸς vide ſuprà Amphitr. *Quæſo quin tu iſtam iubes pro cerrita circumferri?* Cicero.lib.8.epiſt.ad Attic.cap.5.*Et ſi ſolet eum,cùm aliquid furioſe fecit,pœnitere,numquam tamen cerritior fuit,quàm in hoc negotio.Nam quod ad te non ſcripſeram.poſtea audiui à tertio miliario eum euomuiſſe*, πολλὰ
D μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμαίνοντα. NON AMITTAM] οὐκ ἀφήσω. IAM IN CEREBRO COL. ABSTR. T.] colaphis tibi cerebrum comminuam, impinguam tuo capiti colaphos vſque adeò validos,vt id tibi confoſſum reddam. ITIDEM QVASI PENICILL. NOVOS.]ita vt penicillus nouus,&c.peniculi,ex quo penicilli ſpongiæ longæ propter ſimilitudinem caudarum appellatæ, inquit, Feſtus. Idem in voce *penem*. peniculos dicimus, quibus calciamenta terguntur,qui de caudarum extremitate fiunt. TANGE.]vidulum. VT PISC. SOLEO POL.]piſcem Polypum ſolebant ad terram affligere, & allidere, vt melius coqueretur,& tenerior eſſet. AFFLIGAM AD TERRAM.]ita validè abiiciam, vt terræ allidam. FRVISCI,]frui.fruor,& fruiſcor iunxerunt veteres etiam accuſandi caſui. Næuius. *Quod magnopere quæſierunt,id fruiſci non queunt.* lege Nonium & Aul.Gell.lib.17.cap.2. Sed Camerario aſſentior,qui *fruuiſci* legendum cenſet,vt habẽt etiam libri noſtri veteres. OFFLECTAM,] contra flectam,in contrariam partem flectam. PRORETA] πρῳράτης πρῳρεὺς, qui ſtat, aut ſedet in prora,quæ eſt nauis pars anterior. GVBERNATOR] gubernator in puppi ſedet. NVMQVAM HERCLE HINC HODIE RAMENTA F. FORT.] numquam profectò ex hoc vidulo fies minima æris,aut argenti mica ditior. Ramentum & ramenta, id, quod ex auro,aut argento,aut plumbo,& ceteris metallis abraditur. Plautus apud Nonium, *ramenta plombea fiam propenſior.* AD ARBITRVM.] cuius arbitrio noſtra controuerſia componatur.

AVT SEQVESTRO PONITVR.]aut apud ſequeſtrum ponitur. QVÉMNE EGO EXCEPI,&c.]eúmne vidulum apud ſequeſtrum deponam, aut alicuius arbitrio permittam, aut tecum communicabo,quem ego in mari excepi mea opera,& labore,meo reti,meáque horia? MEA OPERA, LABORE, RETE, ET HOR.] hæc pendent ex illis, *quémne ego in mari excepi*,vel vt ea vno ſpiritu Grippus pronuntiaturus fuerit, niſi à Trachalione eſſet interpellatus, vel vt interpoſita Trachalionis oratione ſuperioribus addat per amplificationem: proinde ac ſi dicat,excepi,inquam,mea opera,meo labore,meo reti, mea horia, id eſt, nauicula piſcatoria? NVM QVI MINVS,&c.]num aliqua ratione,aut aliqua parte,aut aliquo modo,minùs ego, qui te inſpectaui procul vidulum excipientem,fur ſum,quàm tu,ſi dominus viduli veniat?proinde ſi dicat,ego æquè fur ſum,atque tu,qui conſcius furti. QVO ARGVMENTO SOCIVS NON SVM,&c.] ſic argumentatur Trachalio, ſi fur ſum æquè ac tu, ſocius eſſe debeo. Conſentaneum enim eſt,qui ſit particeps culpæ,& pœnæ, ſi pœna luenda ſit, participem eſſe & prædæ. FACDVM.]fac dum,ſic dictum,vt age dum,dic dum,mane dum, & cetera ſimilia innumerabilia. ABI TV TACITVS TVAM VIAM] abi tuam viam, rectè & vſitatè,ſic alibi,ire viam,& apud hunc ſcriptorem,& apud alios probatos. INDICASSIS.]indicaueris. MVSSITABO.]muſſabo,tacebo,mutus ero, faciam idem, quod muti ſolent,mu.*μῦ*. ECQVID COND. AVDES F.]num aliquam conditionem mihi incipis ferre?an num mihi aliquam tandem conditionem feres? an non mecum aliqua prædæ portione data tranſiges? ECQVEM IN HIS LOCIS N.]num tu in his locis aliquē nouiſti? OPORTET VICINOS M.] oportet me vicinos meos nouiſſe: oportet vicinos meos mihi notos eſſe. VLTIMIS.] ἐσχάτοις hinc ἐσχατιά ager remotiſſimus,& vltimus. DVM CONCEDO, ET CONS.]interea dum tibi aſſentior,& mecum conſulto. EVGE, SALVA RES EST] hæc ſecum loquitur Grippus lætás,quod ad arbitrium Dæmonis heri ſui controuerſia relata ſit. INTRA PRÆSEPEIS MEAS]intra ædeis meas,vbi cibum capio. NVMQVAM HERCLE HODIE ABIVD.] numquam profectò herus meus ſententia ſua treis obolos auferet ſeruo ſuo, & in alium transferet:numquam ſententiam dicet contra ſeruum ſuum. *abiudicare & adiudicare* opponuntur. adiudicare illi,eſt iudicare rem illius eſſe:abiudicare illi, eſt iudicare illius non eſſe. Cicero contra Rullum ad pop. *iudicabit Alexandriam regis eſſe:à populo Romano abiudicabit.* TRIOBOLVM]treis obolos. QVÀM CONDITIONEM]quàm mihi opportunam & vtilem. TETVLERIT]tulerit. AD IGNOTVM.] diſſimulat ſibi ignotum eſſe Dæmonem herum ſuum,ad quem arbitrum adigitur. ME APPELLIS.]me adigis inuitum. SI ADHIBEBIT FIDEM]ſi præbebit ſe fidelē,& integrum. ſic dictum,adhibere fidem, vt adhibere diligentiam, conſtantiam,artem,auram,cautionem, auctoritatem, &c. SI NON, NOTVS, IGNOTISS.]ſi non adhibebit fidem,arbiter notus,ignotiſſimus eſt.

## DÆMONES ſenex. MVLIERES, PALÆSTRA, AMPELISCA, TRACHALIO, GRIPPVS.

SErio ædepol,quamquam vobis cupio quæ voltis,mulieres,
Metuo,propter vos ne vxor mea me extrudat pedibus.
Quæ me pellices adduxe dicet ante oculos ſuos:
Vos confugite in aram potius,quàm ego. MV. miſeræ periimus.
D DAE. Ego vos ſaluas ſiſtam,ne timete. ſed quid vos foràs
Proſequimini? quoniam ego aſſum,faciet nemo iniuriam.
Ite,inquam,domum ambo,nunc iam ex præſidio præſides.
GR. O here ſalue. DAE. ſalue Gripe, quid fit? TR. tuúſne hic ſeruus eſt?
GR. Haud pudet? TR. nihil ago tecum. GR. ergo abi hinc ſis
TR. quæſo,reſponde ſenex,
Tuus hic ſeruus eſt? DAE. meus eſt. TR. hem iſtuc optimè, quando tuus eſt.
Iterum te ſaluto. DAE. & ego te. túne es, qui haud multo prius

Abiſti



A Abiſti hinc herum arceſſitum? TR. Ego is ſum. DAE. quid nunc vis tibi?
TR. Nempe hic tuus eſt? DAE. meus eſt. TR. iſtuc optimè, quando tuu'ſt.
DÆ. Quid negoti'ſt? TR. vir ſceleſtus illic eſt. DAE. quid fecit tibi
Vir ſceleſtus? TR. homini ego iſti talos ſuffringi volo.
DÆ. Quid eſt?qua de re litigatis nunc inter vos? TR. eloquar.
GR. Immò ego eloquar. TR. ego,opinor,rem faceſſo. GR. ſiquidem
B Sis pudicus, hinc faceſſas. DAE. Gripe animum aduorte ac tace.
GR. Vtin' iſtic prius dicat? DAE. Audi,loquere tu. GR. alienon' prius,
Quàm tuo dabis orationem? TR. vt nequitur comprimi!
Ita vt occœpi dicere,illum,quem dudum è fano Veneris
Lenonem extruſiſti,hic eius vidulum eccillum.
GR. Non habeo. TR. negas,quod oculis video? GR. at ne videas velim.
Habeo,non habeo. quid tu me curas,quid rerum geram?
TR. Quomodo habeas illud réfert,iuréne,ánne iniuria.
GR. Ni iſtum cepi nulla cauſſa eſt,quin me condones cruci,
C Si in mari reti adprehendi. quî tuum potius eſt,quàm meum?
TR. Verba dat,hoc modo res geſta eſt,vt ego dico. GR. quid tu ais?
TR. Quoad primarius vir dicat,comprime hunc ſis,ſi tuus eſt.
GR. Quid?tu idem mihi vis fieri,quod herus conſueuit tibi?
Si ille te comprimere ſolitus,hic noſter nos non ſolet.
DÆ. Verbo illo modò ille vicit,quid nunc tu vis?dic mihi.
TR. Equidem neque ego partem poſco mihi iſtinc de iſtoc vidulo,
Neque meum hodie eſſe vmquam dixi:ſed iſtic ineſt ciſtellula
Huius mulieris,quam dudum dixi fuiſſe liberam.
DÆ. Nempe tu hæc dicis,quam eſſe aiebas dudum popularem meam?
D TR. Admodum. & ea quæ olim parua geſtauit crepundia,
Iſtic in iſta ciſtula inſunt,quæ iſtic ineſt in vidulo,
Hoc neque iſti vſus eſt,& illi miſeræ ſuppetias fieret,
Si id dederit, qui ſuos parentes quærat. DAE. faciam vt det, tace.
TR. Nihil ego hercle ſum iſti daturus. TR. nihil peto, niſi ciſtulam,
Et crepundia. GR. quid ſi ea ſunt aurea? TR. quid iſtuc tua?
Aurum auro expendetur,argentum argento exæquabitur.
GR. Facias aurum vt videam,pòſt ego faciam vt videas ciſtulam.
DAE. Caue malo,ac tace tu. tu perge,vt occœpiſti dicere.
TR. Vnum te obſecro,vt ted huius commiſereſcat mulieris,

Siquidem hic lenonis eius eſt vidulus,quem ſuſpicor. A
Hic niſi de opinione,certum nihil dico tibi.
GR. Viden' ſceleſtus,vt aucupatur? TR. ſine me vt occœpi loqui,
Si ſceleſti illius eſt hic cuius dico vidulus,
Hæ poterunt nouiſſe, oſtendere his iube. GR. ain' oſtendere?
DAE. Haud iniquum dicit,Gripe,vt oſtendatur vidulus.
GR. Immò hercle inſignitè iniquè. DAE. qui dum? GR. quia ſi oſtendero,
Continuò hunc nouiſſe dicent ſcilicet. TR. ſcelerum caput,
Vt tute es,item omneis cenſes eſſe?periurij caput.
GR. Omnia iſtæc ego facilè patior,dum hic hinc à me ſentiat. B
TR. Atqui nunc abs te ſtat.verùm hinc ibi teſtimonium.
D Æ. Gripe aduorte animum:tu paucis expedi.quid poſtulas?
TR. Dixi equidem,ſed ſi parum intellexti,dicam denuò:
Haſce ambas,vt dudum dixi,ita eſſe oportet liberas.
Hæc Athenis parua fuit virgo ſurrepta. GR. dic mihi,
Quid iſta ad vidulum pertinent,ſeruæ ſint iſtæ,an liberæ?
TR. Omnia iterum vis memorari ſcelus,vt defiat dies.
D Æ. Abſtine maledictis,& mihi quod rogaui,dilue.
TR. Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto vidulo,
Vbi ſunt ſigna,qui parentes noſcere hæc poſſit ſuos,
Quibus cum parua periit Athenis,ſicuti dixi prius. C
GR. Iupiter te,díque perdant:quid ais vir venefice:
Quid?iſtæ mutæ ſunt,quæ pro ſe fabulari non queant?
TR. Eò tacent, quia tacita bona'ſt mulier ſemper, quàm loquens.
GR. Tum pol tu pro portione,nec vir,nec mulier mihi es.
TR. Quidum? GR. quia enim neque loquens es,neque tacens,vmquam bonus.
Quæſo en vmquam hodie licebit mihi loqui? DAE. ſi præterhac
Vnum verbum faxis hodie,ego tibi comminuam caput.
TR. Vt id occœpi dicere ſenex,eam,te quæſo,ciſtulam, D
Vt iubeas hunc reddere illis.ob eam ſi quid poſtulat
Sibi mercedis dabitur:aliud quicquid ibi eſt,habeat ſibi.
GR. Nunc demum iſtuc dicis,quoniam ius meum eſſe intelligis.
Dudum dimidiam petebas partem. GR. Immò etiam nunc peto.
GR. Vidi petere miluium,etiam cùm nihil auferret tamen.
D Æ. Non ego te comprimere poſſum ſine malo? GR. ſi iſtic taceat,
Ego tacebo:ſi iſte loquitur,ſine me pro re mea loqui.
D Æ. Cedò modò mihi iſtum vidulum Gripe. GR. concredam tibi,
At ſi iſtorum nihil ſit,vt mihi reddas. D Æ. reddetur. GR. tene.
At ſi



A D Æ. Audi nunc iam Palæſtra atque Ampeliſca hoc,quod loquor.
Eſtne hic vidulus,vbi ciſtellam tuam ineſſe aiebas? PA. is eſt.
GR. Perij hercle ego miſer,vt priuſquàm planè aſpexit,illico
Eum eſſe dixit! PA. Faciam ego hanc rem, quam quæris, planam tibi:
Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto vidulo,
Ibi ego dicam quicquid inerit nominatim.tu mihi
Nullum oſtenderis.ſi falſa dicam,fruſtra dixero.
Vos tamen iſtæc,quicquid iſtic inerit,vobis habebitis.
Sed ſi erunt vera,tum obſecro te,vt mea mihi reddantur. DAE. placet.
B Ius merum oras, meo quidem animo. GR. at meo hercle iniuriam meram.
GR. Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa,aut ariola eſt,atque omnia
Quicquid inſit vera dicet?ánne habebit ariola?
DAE. Non refert.niſi vera dicet,nequicquam ariolabitur.
Solue vidulum ergo,vt,quid ſit verum,quàmprimùm ſciam.
GR. Hoc habe,ſolutum eſt, aperi, video ciſtellam. DAE. hæccine eſt?
PA. Iſtæc eſt.ô mei parentes,hîc vos concluſos gero:
Huc opéſque,ſpéſque veſtrum cognoſcendûm condidi.
GR. Tunc tibi hercle deos iratos eſſe oportet,quiſquis es,
C Quæ parenteis in tam anguſtum tuos locum compegeris.
DAE. Gripe accede huc:tua res agitur.tu puella iſtinc procul,
Dicito quid inſit,& qua facie,memorato omnia.
Si hercle tantillum peccaſſis,quod poſterius poſtules,
Te ad verum conuerti,nugas mulier magnas egeris.
GR. Ius bonum oras. TR. ædepol haud orat te. nam tu iniurius.
D Æ. Loquere nunc iam puella.Gripe animum aduorte,ac tace.
PA. Sunt crepundia. DAE. ecca video. GR. perij in primo prœlio.
Mane,ne oſtenderis.qua facie ſunt?reſponde ex ordine.
D PA. Enſiculus eſt primum aureolus litteratus. DAE. dice dum,
In eo enſiculo litterarum quid eſt? PA. mei nomen patris,
Poſt altrinſecus eſt ſecuricula ancipes,item aurea,
Litterata.ibi matris nomen in ſecuricula'ſt. DAE. mane.
Dic in enſiculo quod nomen eſt paternum? PA. Dæmones.
D Æ. Di immortales, vbi loci ſunt ſpes meæ? GR. immò ædepol meæ.
D Æ. Pergite, obſecrò, continuò, placidè. GR. aut ite in malam crucem.
D Æ. Loquere matris nomen hîc in ſecuricula quod ſiet.
PA. Dædalis. DAE. di me ſeruatum cupiunt. GR. at me perditum.

DÆ. Filiam meam eſſe hanc oportet, Gripe. GR. ſit per me quidem. A
Quin te di omnes perdant, qui me hodie óculis vidiſti tuis.
Méque adeò ſceleſtum, qui non circumſpexi centies
Prius, me ne quis inſpectaret, quàm rete extraxi ex aqua.
PA. Pòſt in ſitula agenteola, & duæ connexæ maniculæ, &
Sucula. GR. quin tu i directa cum ſucula & cum porculis.
PA. Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.
DÆ. Ea eſt profectò: contineri, quin complectar, non queo.
Filia mea ſalue: ego is ſum, qui te produxi pater:
Ego ſum Dæmones, & mater tua ecca hic intus Dædalis.
PA. Salue mi pater inſperate. DAE. ſalue, vt te amplector libens. B
TR. Volupe'ſt, cùm iſtuc ex pietate veſtra vobis cóntigit.
DÆ. Capedum. hunc ſi potes, fer intrò vidulum, age Trachalio.
TR. Ecce Gripi ſcelera. cùm iſtæc res malè euênit, tibi
Gripe gratulor. DÆ. age, eamus mea nata ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere:
Quæ te magis tractauit, magíſque ſigna pernouit tua.
TR. Eamus intrò omnes, quando operam promiſcam damus.
PA. Sequere me Ampeliſca. AM. cum te dij amant, voluptati eſt mihi.
GR. Súmne ego ſceleſtus, qui illunc hodie excepi vidulum?
Aut cùm excepi, qui non alicubi in ſolo abſtruſi loco? C
Credebam ædepol turbulentam prædam euenturam mihi,
Quia illa mihi turbulenta tempeſtate euenerat,
Credo ædepol ego illic ineſſe auri & argenti largiter.
Quid melius eſt, quàm vt hinc intrò abeam, & me ſuſpendam clanculum,
Saltem tantiſper dum abſcedat hæc à me ægrimonia?

EXTRVDAT PEDIBVS.] extrudat domo ſuis pedibus. tale ferè eſt illud *expellere furca, aut furcis.* quod eſt apud M. Tullium epiſt. lib. ad Atticum: vt quidē eſt in noſtra editione. nam in aliis omnibus antea legebatur *cur villa extrudimur.* Et apud Horat. epiſt. I. lib. *Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.* PELLICES.] pellex ad vxorem refertur, vt pater ad filium. M. Tull. in Cluentiana, *vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex.* Sic dicimus Europam, Ledam, Ionem, Danaën, &c. Iunonis pellices. QVÀM EGO] ſubintellige, ab vxore obiurger, vel extrudar ædibus. SISTAM] ſiſtam, actiuè. PROSEQVIMINI.] me, ſubintell. AMBO.] ἄμφω ambæ. HAVD PVDET.] non te pudet Trachalio, coram hoc ſene, hero meo, mecum contendere, & id, quod meum eſt, tibi vendicari, aut eius partem poſtulare? SIS.] ſi vis. ILLIC EST] ille eſt. QVID FECIT TIBI VIR SCEL.] quid fecit tibi ſeruus meus Gripus, quem ſceleſtum eſſe dicis? TALOS SVFFRINGI.] crura ſuffringi, vt directo, ſeu in crucem acto. EGO OPINOR] eloquar, ſubintell. QVI REVM FACESSO.] qui Grippum accuſo. Nam qui accuſat, priore loco dicere debet. HINC FACESSAS.] id eſt, hinc diſcedas. Profert Nonius hunc locum in verbo *faceſſo*, & illum Cicer. lib. I. de Legibus. *Paulliſper faceſſant rogemus.* & illum Afran. liberto. *Nolo hic te videat: dominus eſt, puer faceſſe hinc*, &c. In nonnullis veteribus libris erat *diſcedas*, pro *faceſſas.* quod natum erat ex interpretatione verbi minus noti, ad oram libri adſcripta. ISTIC.] iſte. DABIS ORATIONEM?] δώσεις λόγον. VT NEQVITVR COMP.] pronuntiandum vt ab eo, qui demiretur impudentiam, & indignè ferat. Quàm non poteſt, ſeu non poteſtur comprimi! quàm difficile eſt Gripum comprimere? ſic ſolebant loqui veteres, vt alibi notauimus. QVEM DVDVM] deeſt, *è fano Veneris.* HIC EIVS VIDVLVM, ECCILLVM] D



A ECCILLVM.] ſubintellig. reperit, habet, & aliquod verbum ſimile. QVOMODO HABEAS ILLVD REFERT] illud, inquit, intereſt, vtrum vidulum iſtum habeas iure, an iniuria. NI ISTVM CEPI, NVLLA CAVSA EST, &c.] niſi iſtum vidulum cepi in mari, non recuſo, quin me tradas cruci. ADPREHENDI] prehendi. COMPRIME HVNC SIS] coge hunc tacere, ſi vis. ſed ambiguum ineſt in verbo *comprimo*, vt mox cognoſcemus. QVID? TV IDEM MIHI VIS FIERI, QVOD] hoc eò pertinet, quod Trachalio Gripum iuſſerat ab hero comprimi. Comprimere autem accipiebat, pro ſilentium indicere, vel tacendi neceſſitatem imponere. Gripus autem flagitioſè accipit, pro irrumare. quemadmodum Catullus pro eodem poſuit *reddere Happocratem.* Tale ferè eſt illud Amphitr. *Ego tibi iſtam hodie ſceleſte comprimam linguam.* s. *Haud potes. benè pudicéque aſſeruatur.* QVOD HERVS CONSVLIT TIBI?] ſubintell. facere. COMPRIMERE] irrumare. ADMODVM] dico. VSVS EST.] opus eſt. SVPPETIAS FERRET.] opitulabitur. QVI SVOS PARENTEIS] vnde, vel quo ſuos parenteis querat. QVID ISTVC TVA?] quid iſtuc tua refert? AVRVM AVRO EXPENDETVR, &c.] aurum tibi pro auro reddetur, argentum pro argento. CAVE MALO] caue tibi à malo. tace, niſi tibi vis dari malum. TED HVIVS COMMISERESCAT M.] te huius mulieris miſereat. AVCVPATVR?] captat blandè loquendo. INSIGNITÈ INIQVÈ] inſigniter, iniquè, vel cum B indicio notæ, vt Marcellus. SCELERVM CAPVT.] princeps ſcelerum, homo ſceleratiſſime. VT TVTE ES, ITEM OMN. CENS.] qualis tu ipſe es taleis, omneis alios eſſe putas? A ME SENTIAT] ſententiam pro me ferat: mecum faciat. ſtet à meis partibus. VERÙM HINC TIBI TESTIMONIVM] verùm ex hoc vidulo teſtimonium tibi ſumendū, & promendum eſt. DILVE] diſſolue. QVIBVS CVM] cum quibus ſignis periit, &c. cùm periit, & ſurrepta eſt, hæc ſigna ſecum habebat, nempe crepundia, & enſiculum aureolum, &c. quæ ſunt in iſta ciſtula. FABVLARI] loqui. QVIA TACITA BONA EST MVLIER SEMPER, Q. L.] quia mulier tacens bona eſt, (ſubint. magis) quàm loquens. nam mulier tacens, bona eſt. Sophocl. Aiace maſtig. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. id eſt, mulieribus ornamento eſt ſilentium. EN VMQVAM HODIE LICEBIT MIHI LOQVI.] licebítne mihi vmquam hodie loqui? VIDI PETERE M.] vidi miluium prædam perſequi, & petere, & nihil conſequi tamen. CONCREDAM TIBI] tuæ fidei committam. PRO RE MEA.] libri noſtri veteres habent, *mea pro re. mea parte loqui.* AT SI ISTORVM NIHIL SIT, &c.] at tibi hac lege credam, vt mihi reddas, ſi nihil eorum, quæ iſte ineſſe dicit, in eo inſit. VT C PRIVSQVÀM] *vt*, legendum cum admiratione, geſtu & voce. FACIAM EGO HANC REM PLANAM TIBI] deeſt hîc aliquid, & eſt in quibuſdam ex noſtris libris lacunula, in aliis litteræ exeſæ, & neſcio quo pacto penè deletæ. VOS TAMEN] legendum puto *vos autem.* AT MEO HERCLE INIVRIAM MERAM] puto ſic eſſe à Plauto ſcriptum, quamuis nulla ſint horum verborum veſtigia in libris veteribus. SVPERSTITIOSA] id eſt, fatidica, ſeu fatiloqua, ſeu quæ à Dæmone aliquo agitatur. NON RÉFERT.] ſic habent libri noſtri veteres, & rectè. vulgati autem mendoſè, *non feret.* Non refert autem, id eſt, nihil refert, vtrum ſit ſuperſtitioſa, an non ſit: ſed vtrum vera dicat, an falſa, hoc refert. VESTRÛM COGNOSCENDÛM] veſtrûm cognoſcendorum. CONDIDI.] conditas habeo. ex noſtris libris veteribus duo habent *credidi*, quos non ſequor. TVNC TIBI HERCLE, &c.] hæc eò pertinent, quod Palæſtra ſe ſpem, & facultatem parentum ſuorum cognoſcendorum, & reperiendorum in ciſtulam condidiſſe. QVISQVIS ES] quæcumque es. COMPEGERIS.] coartaueris. hoc ad verbum *condidi* referendum eſt, vt diximus, quo vſa erat Palæſtra. PECCASSIS] peccaueris. ENSICVLVS EST PRIMÙM AVREOLVS LITTERATVS] profert hunc locum Cariſius libr. I. & 2. litteratus autem, id eſt, litteras inſcriptas D præ ſe ferens. litteris exaratus. ſic ſuprà dixit. *vrnam litteratam.* DICE DVM] dic dum, dic igitur. SECVRICVLA ANCIPES] parua ſecuris anceps: id eſt, circum, vel vtrinque ſecans. Profert hunc locum Priſcianus libr. 3. & 6. in extr. SIT PER ME QVIDEM] licet per me tua filia ſit. ego non obſto, quo minus tua filia ſit. IN SITVLA.] in ſitella. ſic autem habent noſtri libri veteres. vulgati *ſicula.* Camerarius, *ſicilicula.* ego putarem legendum, *ſitulula.* SVCVLA] parua ſus. QVIN TV DIERECTA CVM SVCVLA, &c.] profert hunc locum Priſcianus libr. 3. VOLVPE'ST] iucundum eſt. CAPE DVM] cape igitur. ECCE GRIPI SCELERA] ſic habent noſtri libri, nihil à vulgatis diſcrepantes. Camerarius edidit *Gripe.* CÙM ISTÆC RES MALÈ EVENIT TIBI] ironia eſt, gratulor tibi, quandoquidem iſta res tibi malè ceſſit. PROMISCAM] id eſt, promiſcuè. IN SOLO ABSTR. LOCO.] in loco deſerto, & ab arbitris vacuo occultaui. CREDEBAM] ſuſpicabar. TVRBVLENTAM.] non liquidam neque certam. ÆGRIMONIA.] ægritudo.

## DÆMONES ſenex.

A

PRoh di immortales,quis me eſt fortunatior,
Qui ex improuiſo filiam inuéni meam?
Satin',ſi cui homini Dei eſſe benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis?
Ego hodie,qui neque ſperaui,neque credidi,
Is improuiſo filiam inuéni tamen:
Et eam de genere ſummo adoleſcenti dabo
Ingenuo,Athenienſi,& cognato meo.
Ego eum adeò arceſſi huc ad me quamprimùm volo,
Iuſsíque exire huc ſeruum eius,vt ad forum B
Iret.nondum egreſſum eſſe eum id miror:tamen
Accedam,opinor,ad foreis.quid conſpicor?
Vxor complexa collo retinet filiam.
Nimis pænè inepta atque odioſa eius amatio eſt.

SATIN' SI CVI HOMINI,&c.]id eſt,nónne perſpicuum eſt,ſi cui homini dij immortales benefacere volunt,aliquo id optatum modo, eóque inopinato, & improuiſo piis contingere? COGNATO]συγγενεῖ. NIMIS PENÈ INEPTA,&c.]nimis pænè ineptè,& odioſè amat,cùm ita complectitur,& oſculatur filiam.ſic autem edidi, Nimis pænè inepta, &c. noſtros libros veteres ſecutus,& verò ita profert Nonius in voce *amatio*. nam alij vulgati non habent *pænè*:quæ vox tamen deſideratur,vt verſus ſuis numeris conſtet.

## DÆMONES, TRACHALIO ſeruus. C

ALiquando oſculando melius eſt vxor pauſam fieri,
Atque adornare,vt rem diuinam faciã,cùm intrò aduenero,
Laribus familiaribus,cùm auxerunt noſtram familiam.
Sunt domi agni,& porciſacres.ſed quid iſtum remoramini
Mulieres Trachalionem? atque optimè,eccum exit foras.
TR. Vbi vbi erit,tamen inueſtigabo,& mecum ad te adducam ſimul
Pleuſidippum. DÆ. eloquere vt hæc res obtigit de filia.
Eum rogato,vt relinquat alias res,& huc veniat. TR. licet.
DÆ. Dicito daturum meam illi filiam vxorem. TR. licet. D
DÆ. Et patrem eius me nouiſſe,& mihi eſſe cognatum. TR. licet.
DÆ. Sed propera. TR. licet. DÆ. iam hîc fac ſis cœna vt curetur.
TR. licet.
DÆ. Omnian' licet? TR. licet.ſed ſcin' quid eſt quod te volo?
Quod promiſiſti vt memineris,hodie vt liber ſim. DÆ. licet.
TR. Fac vt exores Pleuſidippum,vt me emittat manu. DAE. licet.
TR. Et tua filia facito oret:facilè exorabit. DÆ. licet.
TR. Atque vt mihi Ampeliſca nubat,vbi ego ſim liber. DAE. licet.
TR. Atque vt gratum mihi beneficium factis experiar. DAE. licet.
TR. Omnian' licet? DAE. licet.tibi rurſum refero gratiam.

Sed pro-



A Sed propera ire in vrbem actutum,& recipe te huc rurſum. TR.
licet.
Iam hic ero:tu interibi adorna cæterum, quod opus eſt. DÆ.
licet.
Hercules iſtum infelicitet cum ſua licentia.
Ita meas repleuit aureis,quicquid memorabam,licet.

PAVSAM FIERI]modum conſtitui,& finem fieri. CÙM AVXERVNT] quoniam auxerunt,&c. PORCI SACRES]porci puri,& ad ſacrificandum idonei. Varro libr. 2. de re Ruſt. plura dicta ſunt ſuprà Menæchmis. Iam laribus porcos immolare ſolebant antiqui. ELOQVERE]aperi,& expone Pleuſidippo rem ómnem de filia. DATVRVM.] me. FAC SIS]fac ſi vis. OMNIAN' LICET?]facere,ſubintellig. latet hîc aliquid ridiculi ſubobſcæni. B TV INTERIBI ADORNA CETERVM QVOD OPVS.]tu interea appara cetera,quæ opus ſunt. INFELICITET]infœlicem reddat,malè fortunet.

## GRIPVS piſcator. DÆMONES ſenex.

QVàm mox licet te compellare,Dæmones?
DÆ. Quid eſt negotij Gripe? GR. de illo vidulo,
Si ſapias,ſapias:habeas quod di dant boni.
DÆ. Æquum videtur tibi,vt ego,alienum quod eſt,
Meum eſſe dicam? GR. quódne ego inueni in mari?
DÆ. Tanto melius illi obtigit,qui perdidit.
Tuum eſſe nihilo magis oportet vidulum.
C GR. Iſto tu pauper es,cùm nimis ſanctè pius.
DÆ. O Gripe,Gripe,in ætate hominum plurimæ
Fiunt tranſennæ,vbi decipiuntur dolis.
Atque ædepol in eas plerunque eſca imponitur:
Quam ſi quis auidus poſcit eſcam auariter,
Decipitur in tranſenna auaritia ſua.
Ille,qui conſultè,doctè,atque aſtutè cauet,
Diutinè ei vti bene licet partum bene.
GR. Mihi iſtæc videtur præda,prædatum irier,
Vt cum maiore dote abeat quàm aduenerit.
D DÆ. Egóne,vt quod ad me allatum eſſe alienum ſciam,
Celem?minimè iſtuc faciet noſter Dæmones.
Semper cauere hoc ſapienteis æquiſſimum eſt,
Ne conſcij ſint ipſi maleficiis ſuis.
Ego mihi cum luſi,nihil moror vllum lucrum.
GR. Spectaui ego pridem comicos ad iſtum modum
Sapienter dicta dicere,atque iis plaudier,
Cùm illos ſapienteis mores monſtrabant poplo:
Sed cùm inde ſuam quiſque ibant diuorſi domum,
Nullus erat illo pacto,vt illi iuſſerant.
DÆ. Abi intrò,ne moleſtus:linguæ tempera.
Ego daturus tibi nihil ſum,ne tu fruſtra ſis.

GR. At ego deos quæſo,vt quicquid in illo vidulo'ſt A
Si aurum,ſi argentum eſt,omne id vt fiat cinis.
DÆ. Illuc eſt,quod nos nequam ſeruis vtimur.
Nam illic cum ſeruo ſiquo congreſſus foret,
Et ipſum ſeſe,& illum furti aſtringeret.
Dum prædam habere ſe cenſeret,interim
Præda ipſus eſſet,præda prædam duceret.
Nunc hinc intrò ibo,& ſacrificabo.pòſt ibi
Iubebo nobis cenam continuò coqui.

QVàm mox licet te comp.] quando primùm licet tecum loqui Dæmones? De illo vid. si sap. s.]quod ad illum vidulum attinet,ſi ſapiens ſis, tibi conſulas(nam odi ſapientem,qui ſibi non ſapit,id eſt,qui ſibi non conſulit)& habeas id, quod tibi dij vltro offerunt boni. B Æqvvm videtvr,&c.] æquúmne videtur, &c. Qvódne ego inveni in m.] an id, quod inueni in mari alienum eſſe dicis, & non tuum? nam quidquid quærit ſeruus,non ſibi,neque aliis,ſed domino quærit,vt dicunt iuriſconſulti. Tanto melivs illi obtigit,&c.]tanto fœlicior ille eſt,qui perdidit,nempe quod eius vidulum in mari reperiſti,& ad me peruenit,qui ita natura comparatus ſum,vt rem alienam inuito domino tenere nolim:quod eſt furtum facere. Isto tv pavper es,&c.]propter id pauper es,quòd nimis iuſtus erga homines, pius aduerſum Deos es.Propter id, quod dicis pauper es,cùm nimis iuſtus,& pius es. Transennæ.]tendiculæ laquei,diximus ſuprà *tranſennam* eſſe funem extentum ad capiendas aueis. Avariter]Nonius,auariter,auarè. vſus eſt eodem aduerbio ſuprà in Curculione. Divtine ei vti licet p. b.]ei licet vti diu re bene parta.*vti partum*,antiquè,pro *vti parto*.Lege Nonium in,*vti libertatem*. & Terentium in Adelph.ibi.*Mea,quæ præter ſpem euenere, vtantur ſine.* Mihi istæc videtvr pr. pr. ir.&c.]verba ſunt Gripi, quorum mihi videtur hæc eſſe ſententia: mihi iſtud videtur eſſe lucrum,ita prædatum ire,vt domum abeas ornatior,& locupletior, quàm ad aliquod negotium gerendum adueneris:prædatum irier,id eſt,vt eatur prædatum,vt aliquis eat prædatum. C Egóne vt qvod ad me all.&c.]egóne committam vt,&c. Egóne ita iniuſtus ſum, vt &c. Minimè istvc f. n. d.]minimè ego iſtuc faciam. Loquitur de ſe in tertia perſona.alij libri habent *veſter Dæmones*. Ego mihi cùm lvsi nihil m. vll. lvcrvm.]ego cùm me honeſtè oblectem,lucrum contemno,& valere iubeo. Spectavi ego pridem com.]ſignificat Plautus plerumque homines ſpecie, & oratione eſſe bonos,ac iuſtos:re,& factis improbos,atque iniuſtos. Itaque quæ præclarè dicuntur in ſcena, iis ſpectatores applaudere ſolent, ſed domum reuerſi, re alia probant. ſic M. Tull.in Lœlio. *Qui clamores nuper tota in cauea nuper in hoſpitis mei, & amici M. Pacuuij noua fabula, cùm ignorante rege, vter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, vt pro illo necaretur: Oreſtes autem ita vt emat Oreſtem ſe eſſe perſeueraret? ſtantes plaudebant in re ficta.* Idem in Catone Maiore. *Quin etiam memoriæ proditum eſt, cùm Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu veniſſet, magno conſeſſu locum ei nuſquam à ſuis ciuibus datum: cùm autem ad Lacedæmonios acceßiſſet, qui legati cùm eſſent, certo in loco conſederant, conſurrexiſſe omneis, & ſenem ſeſſum recepiſſe: quibus cùm à cuncto conſeſſu plauſus eſſet, multiplex datus, duxiſſe ex iis, quendam Athenienſem ſcire, quæ recta eſſent, ſed facere nolle.* ſed dixit comicos, non comœdos. Comœdi ſunt actores comœdiarum, etiam ſi non agant. D Comici, qui à Comœdis in ſcena aguntur, & ſimulantur: vt apud comicos ſenes. Poplo.] populo. Ne molestvs.] ne moleſtus ſis. Lingvæ tempera] linguæ moderare: linguam tuam contine. ſignificat odioſum eſſe, mores hominum reprehendere,& nimis liberè loqui. Ne tv frvstra sis.] ne te fruſtreris. Deos qvæso.]ſic Terentius Andr. *Deos quæſo, vt ſit ſuperſtes.* Illvc est, qvod nos]illa cauſa eſt,quamobrem ſeruos improbos habemus, nempe quod conniuemus eorum peccatis,quòd eos peccanteis non coërcemus. Illic.]ille. Cvm servo siqvo]ſi cum aliquo ſeruo. Fvrti astringeret.] furti culpæ affinem redderet. Censeret.]putaret. Præda ipsvs esset.]ille ipſe præda eſſet, quia addicendus eſſet dominus,aut noxæ dedendus noxali iudicio.

## PLEVSIDIPPVS adoleſcens. TRACHALIO ſeruus.

ITerum mihi iſtæc omnia itera,mi anime,mi Trachalio,
Mi liberte,mi patrone,immò potius mi pater.

Repperit



A Repperit patrem Palæſtra ſuum atque matrem? TR. repperit.
PL. Et popularis eſt? TR. opinor. PL. & nuptura eſt mihi? TR. ſuſpicor.
PL. Cenſen'?hodie deſpondebit eam mihi quæſo? TR. cenſeo.
PL. Quid?patri etiam gatulabor cùm illam inuenit? TR. cenſeo.
PL. Quid matri eius? TR. cenſeo. PL. quid ergo cenſes? TR. quod rogas
Cenſeo. PL. dic ergo,quanti cenſes? TR. egóne?cenſeo.
PL. At ſume quidem ne cenſionem ſemper facias. TR. cenſeo.
PL. Quid ſi curram? TR. cenſeo. PL. an ſic potius placide? TR. cenſeo.
B PL. Etiámne eam aduenjens ſalutem? TR. cenſeo. PL. etiámne patrem?
TR. Cenſeo. PL. pòſt eius matrem? TR. cenſeo. PL. quid poſtea?
Etiámne aduenjens complectar eius patrem? TR. non cenſeo.
PL. Quid matrem? TR. non cenſeo. PL. quid eampſe illam? TR. non cenſeo.
PL. Perij. delectum dimiſit. nunc non cenſet cùm volo.
TR. Sanus non es,ſequere. PL. duc me mi patrone quò libet.

ITera.]iterum atque iterum narra. iterum itera.pleonaſmus,ad magis exprimendum animi affectum. Et poplaris est]& ciuis eſt Attica? Censen'?]putáſne. Despondebit]pater Dæmones. Cvm illa invênit?]quòd illam inuenit? C Qvanti censes?]quanti æſtimas? Feſtus, *Cenſores dicti, quod rem ſuam quiſque tanti æſtimare ſolitus ſit, quãti illi cenſuerint.* At svme qvidem,&c.]iocus ex cenſorum more ductus. cenſionem enim facere dicebatur cenſor, cùm multam equiti irrogabat, vt docet Feſtus. Eam] Palæſtram. Eampse]eam ipſam.

# ACTVS QVINTVS.

## LABRAX.

D QVis me eſt mortalium, miſerior qui viuat alter hodie,
Quem ad recuperatores modò damnauit Pleuſidippus.
Abiudicata à me modò eſt Palæſtra.perditus ſum.
Nam lenones ex gaudio credo eſſe procreatos,
Ita omnes mortales, ſiquid eſt mali lenoni,gaudent.
Nunc alteram illam,quæ mea eſt,viſam huc in Veneris fanum.
Saltem vt eam abducam,de bonis quod reſtat reliquiarum.

AD RECVPERATORES]apud recuperatores. Recuperatores, iudices erant tres, qui dabantur à prætore,& diſceptabant cauſas priuatas. Feſtus. Recuperator, vt ait Ælius Gallus, cùm inter populum,& reges, nationéſque, & ciuitates peregrinas lex conuenit, quomodo per recuperatores reddantur res, reciperentúrque, réſque priuatas inter ſe perſequentur. ABIVDICATA]ſentētia recuperatorum mihi ablata,& in Pleuſidippum tranſlata, hoc eſt, Pleuſidippo abiudicata. ALTERAM ILLAM]Ampeliſcam. A

GRIPVS piſcator. LABRAX leno.

NVmquam ædepol hodie ad veſperum Gripum inſpicietis viuum,
Niſi vidulus mihi redditur. LA. perij, cùm mentionem
Fieri audio vſquam viduli, quaſi palo pectus tundat.
GR. Iſtic ſceleſtus, liber eſt: ego, qui in mari prehendi B
Rete, atque excepi vidulum, dare ei negatis quicquam.
LA. Prò di immortales, ſuo mihi hic ſermone arrexit aureis.
GR. Cubitum hercle longis litteris ſignabo iam vſquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum vt veniat, non feretis iſtum, vt poſtulatis.
LA. Meum hercle illic homo vidulum ſcit qui habet, vt ego opinor.
Adeundus mihi illic eſt homo. di, quæſo, ſubuenite.
GR. Quid me intrò reuocas? hoc volo hîc ante oſtium extergere.
Nam hoc quidem pol è robigine, non è ferro factum eſt:
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuis fit.
Namque quidem hoc vere natum eſt verum, ita in manibus conſeneſcit. C
LA. Adoleſcens ſalue. GR. Di te ament cum irraſo capite. LA. quid fit?
GR. Verum extergetur. LA. vt vales? GR. quid tu? num medicus, quæſo, es?
LA. Immò ædepol vna littera plus ſum, quàm medicus. GR. num tu
Mendicus es? LA. tetigiſti acu. GR. videtur digna forma.
Sed quid tibi eſt? LA. hac proxima nocte in mari elaui. nam
Confracta eſt nauis, perdidi quicquid erat miſer ibi omne.
GR. Quid perdidiſti? LA. vidulum cum auro atque argento multo. D
GR. Ecquid meminiſti, in vidulo, qui perit, quid infuerit ibi?
LA. Quid réfert, qui periit? GR. nihil tamen ſi non hoc, aliud fabulemur.
Quid ſi ego ſciam qui inuenerit? volo ex te ſcire ſigna.
LA. Numi octingenti aurei in marſupio infuerunt.
Præterea centum denaria Philippea in paſceolo ſeorſus.
GR. Magna hercle præda'ſt, largiter mercedis indipiſcar.
Dij me, hominéſque reſpiciunt, bene ego hinc prædatus ibo.
Profectò huius eſt vidulus. perge alia tu expedire.
LA. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena,
Præterea ſinus, Epichyſis, cantharus, gaulus, cyathúſque.

Papæ



A GR. Papæ diuitias tu quidem habuiſti luculentas.
LA. Miſerum iſtuc verbum & peſſimum eſt, habuiſſe, & nihil habere.
GR. Quid dare velis, qui iſtæc tibi inueſtiget, indicétque?
Eloquere properè, celeriter. LA. nummos trecentos. GR. tricas.
LA. Quadringentos. GR. tramas putridas. LA. quingentos.
GR. caſſam glandem.
LA. Sexcentos. GR. curculiunculos minutos fabulare.
LA. Dabo ſeptingentos. GR. os calet tibi, linguam frigefactas
LA. Mille dabo numos. GR. ſomnias. LA. Nihil addo, abi.
GR. igitur audi,
B Si hercle abiero hinc, hîc non ero. LA. vin' centum & mille?
GR. dormis.
LA. Eloquere hercle, quantum poſtules. GR. quo nihil inuitus addas.
Talentum magnum. non poteſt triobolum hinc abeſſe.
Proin tu vel aias, vel neges. LA. qui iſtuc? neceſſum eſſe video,
Dabitur talentum. GR. accede dum huc. Venus hæc volo arroget te.
LA. Quod tibi libet, id mihi impera. GR. tange aram hanc Veneris. LA. tango.
GR. Per Venerem hanc iurandum eſt tibi. LA. quid iurem? GR. quod iubebo. C
LA. Præi verbis quiduis. id quod domi eſt, numquam vlli ſupplicabo.
GR. Tene aram hanc. LA. teneo. GR. deiura te mihi argentum daturum,
Eodem illo die, viduli vbi ſis potitus. LA. fiat.
GR. Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in naui perdidi,
Cum auro atque argento ſaluum inueſtigauero,
Iſque in poteſtatem meam peruenerit.
GR. Tum ego huic Gripo dico, inquito, & me tangito.
D LA. Tum ego huic Gripo dico, Venus, vt tu exaudias,
GR. Talentum argenti magnum continuò dabo,
GR. Si fraudaſſis, dicito vti te in quæſtu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam,
Tecum hoc habeto tamen, vbi iuraueris.
LA. Et illum ego aduorſum ſi quid peccaſſo Venus,
Veneror te, vt omnes miſeri lenones fient.
GR. Tamen fiet, & ſi tu fidem ſeruaueris,
Tu hic opperire. iam ego faxo exibit ſenex.
Eum tu continuò vidulum repoſcito.
LA. Si maximè mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobolum,

Meus arbitratu'ſt lingua quid iuret mea. A
Sed conticeſcam. eccum exit, & ducit ſenem.

QVASI PALO PECTVS TVNDAT] quaſi quis palo pectus pulſet, & verberet. ISTIC SCELESTVS, LIBER EST] Trachalio, manumiſſus eſt à domino. EGO QVI IN MARI PREHENDI] ἀναχόλουθον. nam, *ego*, quò referatur, non reperias. dicendum autem erat, *mihi, qui in mari*, &c. ARREXIT] erectas, id eſt, attentas reddidit. CVBITVM H. L. &c.] ſignificat iam vſquequaque id eſt, in omnibus locis, per litteras cubitum longas, id eſt, longitudine vnius cubiti, per litteras cubitaleis, ſi quis perdiderit, &c. NON FERATIS ISTVM, &c.] alloquitur Dæmonem Trachalionē, & puellas abſenteis. ILLIC H.] ille homo. QVID ME INTRÒ R.?] reuocabatur fortaſſe Gripus domum ab hero Dæmone, vel cùm à lenone vocaretur, putabat ſe vocem heri audire. E ROBIG. NON È F. F.] ita hoc veru rubiginoſum eſt, vt non è ferro, ſed è rubigine factum eſſe videatur. RVTILVM ATQVE T.] tanto magis fit rubiginoſum, & eadem opera deteritur, atque extenuatur. Rutilum, rufum ſignificat, inquit Feſtus, cuius coloris ſtudioſæ etiam antiquæ mulieres fuerant, &c. NAMQVE H. QVIDEM VERE N. EST V.] namque hoc quidem veru, verè natum eſſe videtur. quia vt flores verni in manibus marceſcunt, atque areſcunt, ſic hoc veru in manibus meis rubiginem contrahit, & conteritur, dum extergetur. VERVM EXTERGETVR] veru à me extergetur, & defricatur. TETIGISTI A.] rectè conieciſti: alij ſic, me iſto dicto pupugiſti. VIDETVR D. F.] tua forma mendicitate videtur digna. ex forma & facie dignus es, qui ſis mendicus. IN MARI ELAVI] in mari omnia bona mea perdidi. tranſlatum ab iis, qui luxuria, & nequitia, id eſt, Venere, & balneis, & epulis omnia ſua bona conſumunt. Camerar. edidit, *in mari mihi & alij confracta nauis eſt*. ſed ego vulgatam ſcripturam ſequor. PERDIDI QVIDQVID ERAT] ordo eſt, ego miſer quicquid mihi erat, ibi, id eſt, in mari, omne perdidi. ECQVID MEM. &c.] numquid meminiſti, quid ibi in vidulo, qui periit, quid infuerit? QVID REF. QVI P.] quid refert ſcire, quid in vidulo infuerit, qui periit? NIHIL TAMEN SI N. H.] nihil refert, fateor, verumtamen ſi de hoc nihil dicimus, ſaltem aliud loquamur. QVI INVENERIT?] quis inuenerit? PRÆTEREA CENTVM D. PH. &c.] Nonius, paſceolus ex aluta ſacculus. Plaut. Rud. *Præterea centum denaria Philippea in paſceolo*. Eſt autē aluta molle, & tenue corium, vnde fiunt manuū integumenta ad arcendū frigus & loculi, & folluli, &c. MAGNE H. PR.] loquitur ſecum Gripus ad ſpectatores conuerſus. LARGITER MERC.] magnam mercedem adipiſcar. PRÆDATVS] præda onuſtus. SINVS] ſinus, ſiue ſinum, genus eſt vaſis. habet autem priorem ſyllabam productam. Virg. *ſinum lactis*. EPICHYSIS] Varro lib. 4. de lingua Latina. Quo vinum dabant, vt minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt, & quo ſumebant minutatim, à ſumendo ſimpulum nominarunt. In huiuſce locum in conuiuiis è Græcia ſucceſſit epichyſis, & cyathus: in ſacrificiis remanſit guttus, & ſimpulum. Erat autem Epichyſis ænea, vt tradit Athen. vbi profert verſus Menandri Ἤδη δ' ἐπίχυσις, διάλιθοι λαβρώνιοι Πέρσαι δ' ἔχοντες μυοσόβας ἐστήκεσαν. GAVLVS] Feſtus, gaulus, nauigij genus penè rotundum. Hactenus Feſtus. Erat igitur vaſis genus ad ſimilitudinem talis nauigij conformatum ad lac excipiendum, vt quidam volunt, comparatum. QVID D. V. QVI] quid dare velis ei, qui iſta tibi veſtigiis omnibus exquiſita inueniat & indicet? TRICAS] res nullius pretij. TRAMAS PVTR.] fila putrida. ſic autem legendum *tramas putridas*, non, *putidas*. CASSAM GLANDEM] inanem glandem. Horatius, *caſſa nuce pauperet*. CVRCVLIVNCVLOS M. F.] tu mihi narras curculiones paruulos: id eſt, res nihili. res nullius vſus. Profert hunc locum Priſcianus lib. 3. Curculio quid ſit, in Curculione dictum eſt. OS CALET TIBI, LINGVAM FRIGEFACTAS] ſic habent noſtri libri veteres, quos ſequi maluimus, quàm aut vulgatos, in quibus impreſſum eſt, *Os calet tibi, nunc git frigefactus*: aut editionem Camerarianā, *Os calet tibi, nūc id frigidefactas*: quamquam (ne quid diſſimulem) etiam in nonnullis ex noſtris hanc eandem ſcripturam reperi. ſignificat autem Gripus, lenonem frigidè, id eſt parcè, ac malignè repertorem, & indicem viduli remunerari. QVO NIHIL INVITVS ADDAS] vt nihil poſtea tibi neceſſe ſit addere contra voluntatem tuam, poſtulo talentum magnum. NON P. TR. H. ABESSE] ſi tres oboli tantùm abſint à talento magno, accipere nolim. QVID ISTVC? NECESSVM ESSE V.] noſtri libri habent, *Quid iſtuc? neceſſum eſt. video. Dabitur talentum*. Quidam amicus meus putat legendum, *quia iſtuc neceſſum eſſe video, dabitur*, &c. ACCEDE DVM] accede igitur. TANGE ARAM] apud veteres, & precaturi, & ſanctè iuraturi aras tangebant. M. Tull. *qui ſi aram tenens iurarat, crederet nemo, per epiſtolam quod volet, iniuratus probabit?* PRÆÏ V. QVIDVIS] præcipe mihi, & præfare verba quælibet, ego verbis conceptis iurabo, & ſi opus eſt peierabo. præire voce, præire verbis vſitata loquendi genera veteribus. Cicero pro Milone, *qui heſterna etiam contione incitati ſunt, vt vobis voce præirent, quid iudicaretis*. ID QVOD DOMI EST N. VLLI SVPP.] lenones hæc præter cetera habēt, periuri ſunt, nihílque eis eſt facilius, quàm iurare, & peierare. hoc igitur dicit, hoc quod domi eſt, id eſt, hoc, quod, habeo, & quod propriè meum



meum eſt, vmquam aliunde ſupplex petam. allegoria eſt ab iis tracta, qui quod non habent domi, à vicinis commodatò, & precariò petunt. DEIVRA] deiera: ſanctè iura, vel grauiter & valde iura. VENVS CYR. &c.] verba ſunt Gripi, quæ ipſe præcipit, ac præloquitur lenoni. INVESTIGAVERO] inuenero. SI FRAVDASSIS] ſi fraudaueris. TECVM HOC H. TAMEN] hanc tamen precationem diram tecum habeto, id eſt, tibi ſeruato, & in tuum caput vertatur. ET HOC EGO ADV.] id eſt, & ſi ego contra hoc, quod iuraui, fecero: ſi fraudauero. VENEROR TE] oro te, præcor te, vel precor abs te. TAMEN F. ET SI TV F.] etiam ſi iuſiurandum ſeruaris, nihilominus miſer eris. OPERIRE.] exſpecta. SI MAXIMÈ MIHI ILLVM] hæc degreſſo Gripo loquitur leno ad ſpectatores conuerſus. MEVS ARBITR. EST LING. Q.] meum eſt arbitrari lingua, quid iuret, mea. in arbitrio meo, meáque poteſtate poſitum eſt, quidquid lingua mea iurat: poſſúmque id præſtare, aut nōn præſtare.

## GRIPVS piſcator. DÆMONES ſenex. LABRAX leno.

SEquere hàc. vbi iſtic leno eſt? heus tu, hem tibi hic habet vidulum.
DÆ. Habeo, & fateor eſſe apud me. &, ſi tuus eſt, habeas tibi
Omnia. vt quæque infuere, ita ſalua ſiſtentur tibi.
Tene, ſi tuus eſt. LA. ô di immortales, meus eſt. ſalue vidule.
DÆ. Tuúſne eſt? LA. rogitas. ſiquidem hercle Iouis fuit, meus eſt tamen.
DÆ. Omnia inſunt ſalua. vna iſtinc ciſtella excepta eſt modò,
Cum crepundiis, quibuſcum hodie filiam inueni meam.
LA. Quam? DAE. tua quæ fuit Palæſtra, ea filia inuenta eſt mea.
LA. Bene me hercle eſt factum. cùm iſtæc tibi res ex ſententia
Pulcrè euēnit, gaudeo. DAE. iſtuc facilè non credo tibi.
LA. Immò herclè vt ſcias gaudere me, mihi triobulum
Ob eam ne duis. condono te. DAE. benignè ædepol facis.
LA. Immò tu quidem hercle verò. GR. heus tu, iámne habes vidulum?
LA. Habeo. GR. propera. LA. quid properabo? GR. reddere argentum mihi.
LA. Neque ædepol tibi do, neque quicquam debeo. GR. quæ hæc factio eſt?
Non debes? LA. non hercle verò. GR. non tu iuratus mihi es?
LA. Iuratus ſum, & nunc iurabo, ſi quid voluptati eſt mihi,
Iuſiurandum rei ſeruandæ, non perdendæ conditum eſt.
GR. Cedo ſis mihi talentum magnum argenti periuriſſime.
DAE. Gripe quod tu iſtum talentum poſcis? GR. iuratu'ſt mihi
Dare. LA. libet iurare, tun' meo pontifex periurio es?
DAE. Qua pro re argentum promiſit hic tibi? GR. ſi vidulum
Iſtum redegiſſem in poteſtatem eius. iuratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. cedò qui cum habeam iudicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, níue etiam dum ſiem

Quinque & viginti natus annos. GR. habe cum hoc. LA. alio opu'ſt. A
DAE. Iam te ab iſto auferre haud ſinam,niſi iſtum condemnauero.
Promiſiſti huic argentum? LA. fateor. DAE. quod ſeruo meo
Promiſiſti,meum eſſe oportet. ne tu leno poſtules,
Te hic fide lenonia vti:non potes. GR. iam te ratus
Nactum hominem, quem defraudares. dandum huic argentum eſt probum.
Id ego continuò huic dabo,adeò me vt hic emittat manu.
DAE. Quando ergo erga te benignus fui, atque opera mea
Hæc tibi ſunt ſeruata. GR. immò hercle mea,ne tu dicas tua. B
DAE. (Si ſapies,tacebis,)tum te mihi benignè itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiam. LA. nempe pro meo
Iure oras. DAE. mirum quin tuum ius meo periculo abs te expetam.
GR. Saluus ſum:leno labaſcit,libertas portenditur.
DAE. Vidulum iſtic ille inuênit, illud mancipium meum eſt.
Ego tibi hunc porrò ſeruaui cum magna pecunia.
LA. Gratiam habeo,& de talento nulla cauſſa eſt,quin feras,
Quod iſti ſum iuratus. GR. heus tu mihi dato ergo,ſi ſapis.
DAE. Tacen', an non? GR. Tu meam rem ſimulas agere,tibi nunc
Non hercle iſtoc me interuortes, ſi aliam prædam perdidi. C
DAE. Vapulabis, verbum ſi addes iſtuc vnum. GR. vel tu hercle enica,
Non tacebo vmquam alio pacto,niſi talento comprimor.
LA. Tibi operam hic quidem dat,taceto. DAE. concede huc tu leno. LA. licet.
GR. Palàm age, nolo murmurillum,neque ſurſurrum fieri.
DAE. Dic mihi,quanti illam emiſti tuam alteram mulierculam
Ampeliſcam? LA. mille nummos denumeraui. DAE. vin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? LA. ſanè volo.
DAE. Diuiduum talentum faciam. LA. benefacis. DAE. pro illa altera, D
Libera vt ſit,dimidium tibi ſume,dimidium huic cedò.
LA. Maximè. DAE. pro illo dimidio ego Gripum emittam manu,
Quem propter tu vidulum, & ego natam inueni. LA. bene facis,
Gratiam habeo magnam. GR. quàm mox mihi argentum ergo redditur?
DAE. Res ſoluta eſt Gripe. ego habeo. GR. hercle. at ego me mauolo.
DAE. Nihil hercle hîc tibi eſt, ne tu ſperes. iuriſiurandi volo
Gratiam facias. GR. perij hercle, niſi me ſuſpendo, occidi.

Numquam



A Numquam hercle iterum defraudabis me quidē poſt hunc diem.
DAE. Hic hodie cœnato leno. LA. fiat,conditio placet.
DAE. Sequimini intro. ſpectatores vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil ſim,neque ſit quicquam polluĉti domi,
Néue adeò vocatos credam vos eſſe ad cœnam foras.
Verùm ſi voletis plauſum fabulæ huic clarum dare,
Comiſſatum omnes venitote ad me ad annos ſedecim,
Vos hic hodie cenatote ambo. LA. fiat. DAE. plauſum date.

VT QVÆQVE INFVERE SALVA S. T.] quæcumque in vidulo infuêre ea omnia
B ſalua,& integra repræſentabuntur,aut ſtatuentur tibi. BENE ME HERCVLE EST
FACTVM,&c.] gratulor tibi tantam felicitatem. NE DVIS]ne dederis. BENIGNE] liberaliter.
ARGENTVM]talentum magnum argenti,quod mihi iuratus promiſiſti,ſi vidulum
tuum tibi inueſtigarem,& indicarem. QVÆ HÆC F. EST?] quæ hæc malorum conſenſio,& conſpiratio eſt?vel quæ hæc potentia inuidioſa eſt? CONDITVM EST] comparatum
eſt. CEDÒ SIS MIHI]da mihi,ſi vis. TVN' MEO P. PERIVR. ES?] Feſtus.in ordine ſacerdotū,Pontifex quinto loco maximus dicitur, quod iudex,atque arbiter habetur rerum
diuinarum humanarúmque.Idem in voce *maximus*. Maximus Pontifex dicitur,quod maximus
rerum,quæ ad ſacra & religiones pertinent,iudex ſit,vindéxque contumaciæ priuatorum, magiſtratuúmque.Ex his verbis intelligere licet Pontificem maximum cōtrouerſiam de periurio,
quo pietas aduerſus deos immortaleis violatur,diſceptare,& diiudicare ſolitum. Hoc igitur ſignificat leno.Tuáne,tanquam pontificis maximi de meo periurio arbitrandi, & iudicandi poteſtas?túne meo periurio præeſſe,aut iudex ſedere poſtulas,tamquam pontifex? IVRATVS]
iuratus eſt,iurauit. legendum fortaſſe eſt *iuratu'ſt*. CEDO QVEM HAB. IVDICEM IN
DOLO MALO,&c.] da iudicem mihi tecum,vel cum alio communem,apud quem ſponſione certemus,cui ſtipulationem mecū feceris dolo malo.vel hoc modo,potius, da aliquem cum
C quo ſponſione certem,&c.hoc autē eò dicit, quòd ſeruus fortaſſe cum libero ſponſione certare
iure ciuili nō poterat:quamuis ſtipulari poſſet,cuius ſtipulationis vtilitas,fructus domino quęrebatur.Cōſtat autem iure ciuili, quidquid dolo malo contractum eſt,à Prætore reſcindi,& de
dolo malo à Prætore actionem dari,ſi alia non ſuppetat actori.Itaque quia hic leno dicit ſe minorem xxv.annis promiſiſſe,& iuraſſe,ob eámque cauſam à prętore reſtitui poteſt in integrum,
non poteſt actione de dolo malo experiri.Seruius(vt refert Vlpian. lib.4. digeſt. titulo de dolo
malo) ſic definiebat dolum malum, machinationem quandam alterius decipiendi cauſa, cùm
aliud agitur,aliud ſimulatur.Labeo verò ait,dolum malum eſſe,omnem calliditatem,fallaciam,
machinationem ad circumueniendum,fallendum,decipiendum alterum adhibitam.Dolo malo autem dixit, quia veteres etiam Bonum dolū dicebant, & pro ſollertia hoc nomen accipiebant maximè, ſi quis aduerſus hoſtem, latronémue quis machinaretur. Quoniam autem magnopere ſuæ cauſæ confidit,vltro iudicem poſcit,apud quem lis,& cōtrouerſia ſua diſceptetur,
& oſtendit ſe apud iudicem vtrumuis horum probaturum, aut Gripum ſtipulatum eſſe dolo malo,aut ſe minorem eſſe xxv.annis. Prouocat autem Gripum ſponſione leno, hoc modo,
D ſpondes mihi,verbi cauſa,centum,niſi dolo malo inſtipulatus ſis, níue minor xxv. ſim?HABE
CVM HOC]habe iudicem cum hoc, non mecum. Certa ſponſione cum Dæmone hero meo,
non mecum. IAM AB ISTO AVFERRE HAVD SINAM,&c.] non ſinam te à
Gripo vidulum auferre,niſi Gripum cōdemnauero.proinde ac ſi dicat,volo de hac veſtra controuerſia cognoſcere: niſi autem Gripus à me damnatus ſit, vidulum non auferes. QVOD
SERVO MEO PROMISISTI. MEVM ESSE OP.] quia quidquid ſeruus quærit,quærit domino,non ſibi. NE TV LENO P.]ne fortè tu leno poſtules te fide lenonibus vſitata,
& ſollemni,ideſt,fide mala vti non patiar. IAM TE RATVS NACTVM HOM. &c.]
putauiſti te nactum eſſe hominem,quem fraudares,ſed te opinio fefellit,& vehementer erraſti.
DANDVM HVIC ARGENTVM] dare te mihi oportet argentum probum. HINC D.]
hero meo dabo. IMMÒ HERCLE MEA,&c.] interloquitur ſeruus, nondum finita domini oratione,moleſtè ferens,quòd ille dicat ſua opera ſeruatum eſſe vidulum, & quæ in eo infuerunt:cùm ipſe vidulum in mari repererit,& reti exceperit, & lenoni indicarit. Itaque infrà
proximè,monet eum Dæmones,vt taceat:deinde orationē, quam ille interpellarat, perpetuat.
NEMPE PRO MEO IVRE OR.] nempe cùm dicis me tibi gratiam referre oportere,vidulum mihi reddis. MIRVM QVIN TVVM IVS] cum ſtomacho,aut potiùs cum diſſimulatione vrbana pronuntiādum,Mirū,inquit,me tuum ius non cum periculo,& damno meo

perſequi. quaſi dicat,non eſt æquum me ius tuum perſequi cum detrimento, & periculo meo. A ſic Aul. *Mirum quin tua me cauſa faciat Iupiter Philippum, aut Darium regem triueneſica.* LABASCIT] incipit vinci. Terent. Eunucho. *Labaſcit.* LIBERTAS PORTENDITVR] ſpes mihi libertatis oſtenditur, libertas mihi præſignificatur. ILLVD M. MEVM EST] Gripus meus eſt, ita quod abs te ſtipulatus eſt, mihi ſtipulatus eſt, & mihi debetur. ET DE TALENTO N. C. EST Q.] & quod ad talentum attinet, nulla cauſa eſt quare non à me accipias, quod iſti iuraui me daturum. TIBI COMMODAS] tibi conſulis. NON HERCLE ISTOC ME INTERVORTES] non hercle talentum argenti mihi debitum à me auertes, ſi maximè vidulus, quem exceperam, mihi ereptus eſt. NISI TALENTO COMP.] niſi talento dato tacere cogor. PALÀM AGE: NOLO MVRMVRILLVM, &c.] palàm loquere, nolo volo voce ſummiſſa commurmurare, neque cõſuſurrare. ſecutus ſum verò Nonium, qui ſic legit, quamuis libri veteres non diſſentiãt à vulgaris, in quibus impreſſum eſt, *murmur vllũ.* DIVIDVVM TALENTVM FACIAM] talentum, quod mihi debes ex ſtipulatione ſerui mei, in duas parteis æqualeis diuidam: earum partium alteram tibi ſume pro Ampeliſca, alteram Gripo dato, quam ego ei acceptam feram, vt eum manumittam. QVEM PROPTER] id eſt, cuius opera. RES SOLVTA EST,] à lenone. IVRISIVRANDI VOLO G. F.] iuſiurandum volo remittas, iuſiurandi pœnam volo gratificeris. PERII HERCLE] hæc loquitur ſeruus Gripus B ignarus conſilij, & voluntatis herilis. NI DATVRVS NIHIL SIM] id eſt, ſi daturus aliquid eſſem, & ſi aliquid eſſet opipari, & niſi vos foras ad cenam vocatos eſſe exiſtimarem, vocarem vos quoque ad cenam. Nunc autem cùm ſit nihil, vos non voco. POLLVCTI] polluꝯta dicebantur, quæ diis immortalibus, & maximè Herculi reſeruata, & ſelecta erãt ad ſacrificandum. Herculi autem pollucebantur omnia eſculẽta, & poculẽta, vt tradit Feſtus. Plinius lib. 32. cap. 2. Caſſius Hemina refert Numam prohibuiſſe, ne non ſquamoſi piſces pollucerentur. COMISSATVM] comiſſari non eſt dictum à comedendo, vt putat vulgus, ſed à Græcis vocibus κῶμος, & κωμάζω, vt Varro lib. 6. de lingua Latina, de cuius verbi ſignificatione dictum eſt alibi.

FINIS RVDENTIS. C





A

# STICHVS.

B

## DRAMATIS PERSONÆ.

PANEGYRIS mulier.
PINACIVM mulier.
ANTIPHO ſenex.
GELASIMVS paraſitus.
CROCOTIVM ancilla.
DINACIVM puer.
EPIGNOMVS.
STICHVS ſeruos.
PAMPHILIPPVS adoleſcens.
SAGARINVS ſeruos.
STEPHANIVM ancilla.

C

## ARGVMENTVM.

SENEX caſtigat filias, quod hæ viros
Tam perſeuerent peregrinantis pauperes
Ita ſuſtinere fratres, neque relinquere.
Contráque verbis delinitur commodis:
D Habere ſineret, quos ſemel nactæ forent.
Viri reueniunt opibus aucti trans mare.
Suam quiſque retinet, ac Sticho ludus datur.

SENEX] Antipho. FILIAS] Panegyrim, Pinacium. VIROS] Pamphilippum & Epignomum. DELENITVR.] à filiabus. LVDVS DATVR] ludendi tempus, & facultas datur.

## PANEGYRIS, PINACIVM, ſorores. A

CREDO ego miſeram fuiſſe Penelopam, ſoror,
Ex animo :* quæ tamdiu ſuo caruit viro.
Nam nos eius animum de noſtris noſcimus.
Quarum viri nunc hinc abſunt, quorúmque nos
Negotiis, vt æquum eſt, abſentium, B
Sollicitæ nocteis & dies ſoror ſumus.
PI. Semper noſtrum officium nos facere æquum'ſt, neque
Id faciemus magis, quàm nos pietas monet.
Sed hîc mea ſoror aſſis, multa dum volo
Tecum loqui de re viri. PA. ſaluæne res?
PI. Spero quidem, & volo: ſed hoc crucior, ſoror,
Patrem tuum, meúmque, adeò vnus qui vnice
Ex omnibus perhibetur ciuibus probus,
Eum nunc improbi officio fungi viri.
Tantas viris qui abſentibus noſtris facit
Iniurias immeritò, nóſque abducere C
Ab iis volt. hæ res vitæ me ſaturant, ſoror.
Hæ mihi diuidiæ, & ſenio ſunt. PA. ne lacryma
Soror, néue tuo id animo fac, tibi quod tuus
Minatur facturum pater. ſpes eſt, eum
Melius facturum. Noui ego illum, iſthæc ioco
Dicit, neque ille mereat Perſarum ſibi
Monteis, qui eſſe perhibentur aurei, iſtud vt
Faciat, quod tu metuis, & ſi faciat, tamen
Minimè iraſci decet. neque id immeritò eueniet.
Nam tertius hic eſt annus, vt noſtri domo D
Viri abierunt. PI. ita vt memoras. PA. cùm ipſi interea
Viuant, valeant, vbi ſint, quid agant, ecquídue agant,
Neque participant nos, neque redeunt. PI. an id doles,
Soror, quia illi officium non colunt ſuum,
Cùm tuum facis? PA. ita pol. PI. tace ſis, caue audiam
Ego iſtuc, poſthac ex te. PA. nam quid iam? PI. quia
Pol meo animo omnis ſapientis officium ſuum
Æquum'ſt colere, & facere, quamobrem ted hoc ſoror,
Tametſi es maior, moneo, vt memineris tuum.

Et,



A Et, ſi improbi ſint, atque aliter in nos faciant ſecus,
Quàm æquum eſt: tamen pol nequid malis obnoxiæ
Simus, opibus omnibu' noſtrum officium nos decet
Meminiſſe. PA. placet, taceo. PI. at vt memineris, facito.
PA. Nolo ego ſoror me credi eſſe immemorem viri.
Neque ille honores mihi quos habuit, perdidit.
Non pol mihi grata, acceptáque huius'ſt benignitas.
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet.
Neque eſt cur ſtudeam has nuptias mutarier
Verùm poſtremò in patri' poteſtate eſt ſitum.
Faciendum id nobis quod parentes imperant.
B PI. Scio, atque in cogitando, mærore augeor.
Nam propemodum iam oſtendit ſuam ſententiam.
PA. Igitur quæramus, nobis quid facto vſu' ſit.

CREDO EGO MISERAM] huius ſcenæ verſus, ita vt Muretus cenſet eſſe diſtinguendos, & quo ordine verba collocanda libro 5. variarum lectionum cap. 6. ita diſtinxi, & eo ordine collocaui. EX ANIMO] coniunge hoc *ex animo* cum voce *miſeram*, hoc modo, Miſeram ex animo. TANDIV] annos viginti. SVO VIRO CARVIT] Vlyſſe. DE NOSTRIS] animis. SALVÆNE RES] ſaluæne res ſunt virorum noſtrorum? SED HOC] ſed ob hoc crucior. PATREM TVVM MEÚMQVE] panem noſtrum communem Antiphonem. HÆ MIHI DIVIDIÆ, ET SENIO S.] diuidiæ, diſſenſiones. Accius Phœniſſ. Ne horum diuidiæ & diſcordiæ diſſipent & diſturbent tantas etiam optimas ciuium diuitias. diuidiæ, triſtitiæ. Propert. *Diuidias mentis conficit omnis amor,*
C Diuidia, tædium. Acc. Arm. iud. *Huius me diuidia cogit plus, quàm eſt par, loqui.* Turpil. Epiclero, *ſperabam conſilia mea diuidiæ ſibi, cùm ætas arceſſet, non fore.* Ex Nonio. ET SENIO] Marcellus. Senium eſt tædium & odium, dictum à ſenectute, quòd ſenes omnibus odio ſint, & tædio. Exempla ex Nonio petito. NEQVE ILLE MEREAT PERSARVM SIBI, &c.] id eſt, neque ille velit ſibi monteis aureos pro mercede ſibi dari, vt iſtud, quod tu metuis, faciat: hoc eſt, vt nos à viris noſtris abducat. vel ſic, nulla quantumuis magna mercede adduci poſſit, vt nos à viris noſtris abducat. NAM TERTIVS HIC EST ANNVS, VT] nam tertius hic eſt annus, poſtquam viri noſtri abierunt domo. QVID AGANT, ECQVÍDVE AG.] quid agant, aut non aliquid agant, nos certiores non faciunt, neque reddunt. TACE SIS] tace ſi vis. NAM QVID IAM?] quámnam iam ob cauſam vetas me tale quidquam loqui? VT MEMINERIS TVVM] vt tui officij ſis memor. NEQVID MALIS OBNOXIÆ SIMVS] ne qua ex parte malis dignæ ſimus. ne vllis omnino pœnis dignæ ſimus. ne qua omnino mala nobis meritò accidant. OPIBVS OMNIBV'] omnibus viribus, & copiis. ET ME QVIDEM HÆC CONDITIO NVNC NON POEN.] & me quidem huius conditionis nunc non pœnitet. conditionem vxoriam intellige. non pœnitet me huius viri, aut harum
D nuptiarum: verbo *pœniteo* autem vſi ſunt veteres perſonaliter. Pacuuius Æmor. iud. *nunc pœnitebunt*, &c. apud Nonium. NEQVE EST QVOD STVD. H. N.] ſic Terent. Andr. *haud muto factum.*

## ANTIPHO, PANEGYRIS, PINACIVM.

QVi manet vt moneatur ſemper ſeruos homo officium ſuum,
Nec voluntate id facere meminit ſua, is habitu haud probus'ſt.
Vos meminiſtis quot kalendis petere dimenſum cibum:

oooo ij

Qui minus meminiſtis,quod opus ſit facto,facere in ædibus? A
Iam quidem in ſuo quicque loco niſi erit mihi ſitũ ſupellectilis,
Cùm ego reuortar,vos monumentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi hic videntur,ſed ſues.
Facite,ſultis,nitidæ vt ædes meæ ſint,cùm redeam domum,
Iam ego domi adero. ad meam maiorem filiam inuiſo domum.
Si quis me quæret,inde vocatote aliqui, aut iam egomet hîc ero.
PI. Quid agimus ſoror,ſi offirmabit pater aduerſum nos? PA. pati
Nos oportet quod ille faciat, cuius poteſtas plus poteſt.
AN. Si manere hîc ſeſe malint potiùs,quàm aliò nubere,
Non faciam. quid mihi opu'ſt decurſo ætatis ſpatio,cum eis
Gerere bellum,cùm nihil,quamobrem faciam, meruiſſe arbitrer? B
Minimè volo turbas. ſed hoc mihi optimum factu arbitror.
Principium ego quo pacto cum illis occipiam.id ratiocinor,
Vtrùm ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum,
Quaſi numquam quicquam in eas ſimulem, quaſi nihil inaudi-
uerim,
Eas in ſe meruiſſe culpam,an potius tentem leniter,
An minaciter? ſcio liteis fore. ego meas noui optumè.
Exorando,haud aduerſando ſumendam operam cenſeo.
PI. Gratiam à patre ſi petimus,ſpero ab eo impetraſſere.
Aduerſari ſine dedecore & ſcelere ſummo haud poſſumus,
Neque ego factura ſum,neque tu vt facias conſilium dabo. C
Verùm vt exoremus. noui ego noſtros. exorabili'ſt.
AN. Sic faciam. aſſimulabo quaſi aliquam culpam in ſeſe admiſerint,
Perplexabiliter earum hodie perpauefaciam pectora.
Pòſt id agam igitur:deinde,vt animus meus erit,faciam palàm.
Multa ſcio facienda verba:ibo intrò,ſed aperta eſt foris.
PI. Certò enim mihi paternæ vocis ſonitus auris accidit.
PA. Is eſt æcaſtor. ferre aduorſum hominem occupemus oſculum.
PI. Salue mi pater. AN. & vos ambæ. illico agite,aſſidite.
PI. Oſculum. AN. ſat eſt mihi oſculi veſtri. PI. quî amabo pater?
AN. Quia ita meæ animæ ſalſura euenit. PI. aſſide hîc mi pater D
AN. Non ſedeo iſtic vos ſedete. ego ſedero id ſubſellio.
PI. Mane puluinum. AN. bene procuras mihi, ſatis ſic fultum eſt
mihi.
PI. Sine pater. AN. quid opus eſt? PI. opus eſt. AN. mo-
rem tibi geram, atque hoc ſatis eſt.
PI. Numquam enim nimis curare poſſunt ſuum parentem filiæ.
Quem æquius eſt nos potiorem habere,quàm te?poſtidea,pater,
Viros noſtros,quibus tu voluiſti eſſe nos matres familiâs?
AN. Bonas vt æquum eſt facere,facitis,cûm tamen abſenteis viros
Proinde habetis,quaſi præſentes ſint. PI. pudicitia eſt pater
Eos magnificare, qui nos ſocias ſumſerunt ſibi.

Numquis



A AN. Numquis hîc eſt alienus noſtris dictis auceps auribus?
PA. Nullus præter nos,téque. AN. voſtrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc imperitus rerum,& morum mulierum,
Diſcipulus venio ad magiſtras,quibus matronas moribus,
Quæ optumæ ſunt,eſſe oporteat,ſed vtraque vt dicat mihi.
PA. Quid iſtuc eſt,quòd huc exquæſitum mulierum mores venis?
AN. Pol ego vxorem quæro,poſtquàm voſtra mater mortua eſt.
PA. Facilè inuenies & peiorem,& peius moratam pater,
Quàm illa fuit: meliorem neque tu reperies,neque ſol videt.
AN. At ego ex te exquiro,atque ex iſtac tua ſorore. PI. ædepol pater
Scio vt oportet eſſe. ſi ſint ita,vt ego æquum cenſeo.
B AN. Volo ſcire ergo vt æquũ cenſes. PI. vt per vrbem cùm ambulet,
Omnibus os obturent, ne quis meritò maledicat ſibi.
AN. Dic viciſſim nunc iam tu. PI. quis vis tibi dicam pater?
AN. Vbi facillimè ſpectatur mulier quæ ingenio eſt bono?
PA. Cui malefaciundi eſt poteſtas,quæ,ne faciat,id temperat.
AN. Haud malè iſtuc. age tu altera,vtra ſit conditio penſior,
Virginem,an viduam habere? PI. quanta mea ſapientia eſt,
E malis multis,malum,quod minimum eſt,id minimũ eſt malum
Qui poteſt mulieres vitare,vitet:vt cotidie
Pridie caueat,ne faciat quod pigeat poſtridie.
AN. Quæ tibi mulier videtur multo ſapientiſſima?
C PA. Quæ tamen,cùm res ſecundæ ſunt,ſe poterit noſcere.
Et illa,quæ æquo animo patietur ſibi eſſe peius,quàm fuit.
AN. Ædepol vos lepidè tentaui,voſtrûmque ingenium duûm
Sed hoc eſt quòd ad vos venio,quódq; eſſe ambas cõuentas volo.
Mihi autores ita ſunt amici,vt vos hinc abducam domum.
PA. At enim nos,quarum res agitur,aliter autores ſumus.
Nam aut olim,niſi tibi placebant,non datas oportuit:
Aut nunc non æquum eſt abduci, pater,illiſce abſentibus.
AN. Vóſne ego patiar cum mendicis nuptas,me viuo,viris?
PI. Placet ille meus mihi mendicus, ſuus rex reginæ placet.
D Idem animus eſt in paupertate,qui olim in diuitiis fuit.
AN. Vóſne latrones & mendicos homines magnipenditis?
PA. Non tu, me argento dediſti,opinor,nuptum,ſed viro.
AN. Quid? illos exſpectatis,qui abhinc iam abſunt triennium?
Quin vos capitis conditionem ex peſſuma primariam?
PA. Stultitia eſt,pater,venatum ducere inuitas canes,
Hoſtis eſt vxor,inuita quæ ad virum nuptum datur.
AN. Certúmne eſt neutram veſtrarum perſequi imperium patris?
PI. Perſequimur. nam quò dediſti nuptum,abire nolumus.
AN. Bene valete. ibo atque amicis voſtra conſilia eloquar.
PA. Probiores,credo. arbitrabunt,ſi probis narraueris.
AN. Curate igitur familiarem rem,vt poteſtis optumè.

PA. Nunc placet,cum rectè monſtras:nunc tibi auſcultabimus. A
Nunc ſoror nos abeamus intrò. PI. immo interuiſam domum:
Si à viro tibi fortè veniet nuntius,facito vt ſciam.
PA. Neque ego te celabo, neque tu me celaſſis quod ſcies.
Ehò Crocotium, i: paraſitum Gelaſimum huc arceſſito,
Tecum adduce. nam illum æcaſtor mittere ad portum volo,
Si quæ fortè ex Aſia nauis heri,aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum ſeruos vnus aſſidet.
Sed tamen volo interuiſi. propera,atque actutum redi.

QVI MANET, VT MONEATVR] ſeruus homo,qui exſpectat, dum moneatur officij ſui,neque id ſua ſponte facere meminit, is non eſt verè frugi. HABITV] habitu probus eſt is,qui nullo præmio inuitatus,nullóue metu territus,ſed honeſti cauſa virtutem,& officium colit. B QVOT CALENDIS] ſingulis calendis : primo quoque die mēſis. *quot calendis* ſic dictum,vt quot annis, quot menſibus. Vitruuius lib 10. cap.7. DIMENSVM CIBVM] ſerui quot mēſibus quaternos modios frumēti accipiebant. Donatus notat ad illud Terētij Phorm. *Quod ille vnciatim vix de dimenſo ſuo, Suum defraudens Genium compar ſit miſer*,&c.quem locum rectè explicat Nonius. QVI MINVS] quamobrem minus,&c. QVICQVE SVPELLECTILIS] quæque ſuppellex. VOS MONVMENTIS COMMONEFACIAM BVBVLIS] ego commonefaciam vos officij veſtri loris bubulis. monumenta dicta ſunt à monēdo quod moneant,& meminiſſe faciunt. hoc igitur loco per monumenta bubula,vrbanè ſignificat Antipho lora bubula,quibus ſerui nequam,qui ſua ſponte officium ſuum facere non meminerūt, officij commonentur. SI OFFIRMABIT] ſi offirmato animo nos vrgebit,vt à viris diſcedamus. MANERE HÎC] in his nuptiis permanere,has nuptias ſanctas tueri,ac ſeruare. ALIO NVBERE] ad alias nuptias tranſilire. DECVRSO ÆTATIS SPATIO] confecto ætatis ſpatio. CÙM NIHIL, QVAMOBREM F. M. ARB.] cùm eas nihil commiſiſſe putem, quamobrem hoc faciam? MINIMÈ VOLO TVRB.] turbas adi. RATIOCINOR] cogito,rationem ineo. PERPLEXIM] perplexè. Nonius. Profert hunc locum Cariſius lib.2. C *perplexè autem eſt inuolutè,implicatè & impeditè*. Terent.Eunuch. *pergin' ſceleſta mecum perplexè loqui?* AD HVNC MODVM QVASI] ita quaſi numquam quicquam eas inſimulare ſoleam. in eas ſimulem,pro, eas inſimulem. tmeſis. Donatus ad illum locum Terentij, *ſi herum inſimulabis auaritiæ, vapulabis*, notat. Inſimulatio eſt falſi, & veri criminis incuſatio. ſic Cicero Catil. *Nihil eorum,quæ Galli inſimulabant,negarunt*. TENTEM LEN.] ſine iracundia,clementer. MEAS] filias. EXORANDO] verbis impetrando. SVMENDAM] ſuſcipiendam. SPERO AB EO IMPETRASSERE] ſpero nos ab eo impetraturas. ET SCELERE] nam impietas, ſcelus eſt. Filij autem qui patri aduerſantur,impij ſunt. NOSTROS] noſtri generis homines. ASSIMVLABO] al. inſimulabo. PERPLEXABILITER] Nonius, perplexabile figuratiuum, quod aliud audiatur,aliud ſentiatur. Plautus Aſin. *Nec vllum verbum faciat perplexabile*. VT ANIMVS MEVS ERIT] qualis animus meus erit, quo animo ero. AVREIS ACCIDIT] ad aureis accidit. FERRE ADVOR. HOM. OCCVPEMVS OSC.] anteuortamus homini obuiam ire, & oſculum offerre. SAT EST MIHI OSC. VESTRI] ſatis vos oſculatus ſum. QVÎ] quo pacto,vel quam ob cauſam? QVIA ITA MEÆ ANIMÆ SAL.] quia anima mea, quæ nunc inſulſa, & ſalis expers eſt, talibus oſculis ſalſa fit. D ſignificat animam ſenis propter ætatem eſſe inſulſam, & inſuauem & pœne fœtidam, oſculis verò puellarum ſalſam, & ſuauem reddi. ASSIDE HÎC, MI PATER] aſſide in lecto. NON SEDEO] in lecto. MANE PVLVIN.] exſpecta puluinum,vt commodiùs ſedeas. SATIS SIC FVLTVM EST MIHI] ſubſellium ſatis fultum eſt ſine puluino. MATRES-FAMILIÂS] vxores. materfamiliâs eſt,quæ nupſit,etiam ea,quæ non peperit, neque liberos habet, modò ſit in mariti manu,mancipióque,lege A.Gellium lib.18.cap.6. AVCEPS] qui dicta noſtra auribus capere poſſit. tralatio eſt. VESTRVM ANIMVM ADHIBERI VOLO] volo vos animum attendere. SCIO VT OP. ESSE] ſcio, qualeis eſſe oporteat. SI SINT ITA VT EGO C.] ſi tales ſint, qualeis eſſe æquum cenſeo : optimæ ſint, optiméque moratæ. OMNIBVS OS OBT. NEQVIS MIHI.] talis ſit omnium de iis exiſtimatio, vt, cùm per vrbem ambulent,nemo bonus eis maledicere audeat. VBI FACILE SPECT. M. Q.] qua in re exploratur, & perſpicitur mulier bono ingenio prædita? CVI MALEF. EST POT. QVÆ NEF.] ea mulier eſt ingenio bono,quæ cùm ei liceat impunè peccare,nō peccat tamen, & ſibi ne peccet,temperat. CONDITIO P.] conditio melior, maioris ponderis. QVANTA M. S.] quantum intelligo, quantum ſapio. MALVM, QVOD MINIMVM EST ID MINIMVM EST MALVM.] multa genera, multíque gradus ſunt malorum. ex multis igitur



A igitur malis, id malum, quod eſt minimum, id malum eſt minimum. Aut idem dicit bis, aut quod prius dixit diuiſum,poſterius coniunctim dicit. VT QVOTIDIE PRID. CAVEAT] vt quotidie hac cautione vtatur,ne pridie faciet,cuius poſtridie pœniteat. QVÆ TAMEN CÙM RES SEC.] ea mulier mihi videtur ſapientiſſima,quæ etiam in rebus ſecundis ſe cognoſcere poterit. quæ quamuis res ſecundæ ſint,tamen ſe poterit noſcere. Eſt enim difficillimum maximè mulieri in rebus ſecundis ſapere,id eſt,ſeipſam noſce. ET ILLA QVÆ ÆQVO ANIMO P.] eſt enim acerbiſſimum ex fortunato,& beato factum eſſe miſerum & infelicem. *Tum vbi non ſis qui fueris,non eſt cur viuere velis*, inquit.M.Tull.epiſt. VESTRÚMQVE INGENIVM DVÛM] veſtrum duarum ingenium. ſic autem putaui reponendum ex veteris ſcripturæ veſtigiis. HINC] domo virorum veſtrorum. DOMVM.] meam. QVARVM RES AGITVR] quarum maximè intereſt. PLACEBANT.] viri noſtri. NON DATAS] nos non oportuit datas eſſe nuptum viris noſtris. LATRONES] ληςαὶ, prædones, milites, qui viuunt ex præda. QVIN VOS CAPITIS COND. EX PESS. PRIMAR.] quin vos optimam conditionem accipitis,& aliis viris nubitis, his longum valere iuſſis? VENATVM DVCERE MV. C.] prouerbium eſt notum. NEVTRAM VESTRARVM] neutram veſtrûm. ARBITRABVNT] hoc ſi narraueris amicis probis, nos eo probiores exiſti- B mabunt,quòd à viris noſtris diſcedere nolimus. arbitrabunt,pro arbitrabuntur,notat Nonius. ſic & alibi ſuprà. CÙM RECTÈ MONSTRAS.] cùm rectè mones,cùm rectè doces. INTERVISAM] interim viſam. CELASSIS] celaueris. CROCOTIVM.] ancilla. SERVOS VNVS] Dinacium puer.

## PARASITVS GELASIMVS. CROCOTIVM ancilla.

GE. FAmem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi.
Nam poſtquàm natus ſum,ſatur numquam fui.
Sed quam ego matri meæ refero inuitiſſimus,
Eam neque refert quiſquam omnium hominum gratiam,
C Neque retulit,quam ego refero meæ matri fami:
Nam me illa in aluo menſes geſtauit decem,
At ego illam in aluo geſto plus annos decem.
Atque illa puerum me geſtauit paruulum,
Quo minus laboris cepiſſe illam exiſtimo.
At ego non pauxillulam in vtero geſto famem:
Verùm hercle multo maximam & grauiſſimam.
Vteri dolores mihi oboriuntur cotidie.
Sed matrem párere nequeo,neſcio quomodo.
Audiui ſæpe hoc vulgo dictum dicier,
D Solere elephantum grauidam perpetuos decem
Eſſe annos,eius ex ſemine hæc certò eſt fames.
Nam iam complureis annos vtero hæret meo.
Nunc ſi ridiculum hominem quæret quiſpiam,
Venalis ego ſum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelaſimo nomen mihi indidit paruo pater,
Propter paupertatem hoc adeò nomen repperi.
Quia inde iam à pauxillo puero ridiculus fui:
Eo quia paupertas fecit,ridiculus forem.
Nam illa omnes arteis perdocet,vbi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater,

Propterea,credo,nunc ego eſurio acrius. A
Sed generi noſtro hæc reddita eſt benignitas,
Nulli negare ſoleo,qui eſum me vocat.
Oratio vna interiit hominum peſſumè,
Atque optima hercle meo animo & ſcitiſſima,
Qua antè vtebantur:veni illò ad cœnam:ſic face:
Promitte verò:ne grauare:eſt commodum.
Volo,inquam fieri:non amittam,quin eas.
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem hercle verbum ac viliſſimum,
Vocem te ad cœnam,niſi egomet cenem foris.
Ei hercle verbo lumbos defractos velim, B
Ni verè perierit,ſi cœnaſſit domi.
Hæc verba ſubigunt me,mores vt barbaros
Diſcam,atque vt faciam præconis compendium,
Itáque auctionem prædicem,ipſe veneam.
CR. Hic ille eſt paraſitus,quem arceſſitum miſſa ſum.
Quæ loquitur,auſcultabo,priuſquam colloquar.
GE. Sed curioſi ſunt hîc complures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo,
Quibus ipſis nulla eſt res,quam procurent,ſua.
Ei quando quem auctionem facturum ſciunt,
Adeunt.perquirunt quid ſiet cauſſæ illico, C
Alienum æs cogat,an pararit prandium,
Vxorin' ſit reddenda dos diuortio.
Eos omneis,tametſi hercle haud indignos iudico.
Qui vt multum miſeri ſint,laborent,nihil moror.
Dicam auctionis cauſſam,vt animo gaudeant.
Nam curioſus nemo eſt,quin ſit maleuolus.
Ipſe egomet quamobrem auctionem prædicem,
Damna euenerunt maxima miſero mihi,
Ita me mancupia miſerum affecerunt malè,
Potationes plurimæ demortuæ,
Quot adeò cœnæ,quas defleui,mortuæ? D
Quot potiones mulſi,quot autem prandia?
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeò miſer atque ægritudine
Conſenui,pæne ſum fame mortuus.
Ridiculus æquè nullus'ſt,quàm quando eſurit.
Nunc auctionem facere decretum eſt mihi.
Foràs neceſſum eſt quicquid habeo,vendere.
Adeſte ſultis,præda erit præſentium.
Logos ridiculos vendo,agite licemini.
Qui cœna poſcit?ecqui poſcit prandio?

Hercules



A Hercules te amabit prandio? cœna tibi?
Ehem,annuiſtin'?nemo meliores dabit.
Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.
Vel vnctiones Græcas,ſudatorias,
Vel alias malis & malacas,crapularias,
Cauillationes,aſſentatiunculas,
Ac periuratiunculas paraſiticas,
Rubiginoſam ſtrigilem,ampullam rubidam,
Paraſitum inanem,quo recondas reliquias.
Hæc veniſſe iam opus eſt,quantum poteſt,
Vti decumam partem Herculi polluceam.
B CR. Ecaſtor auctionem haud magni pretij.
Adhæſit homini ad infimum ventrem fames.
Adibo hominem. GE. quis hæc eſt,quæ aduerſum it mihi?
Epignomi ancilla hæc quidem eſt Crocotium.
CR. Gelaſime ſalue. GE. non eſt id nomen mihi.
CR. Certò mecaſtor id fuit nomen tibi.
GE. Fuit diſertim,verùm id vſu perdidi:
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
CR. Heu ecaſtor, riſi te hodie multum. GE. quando, aut quo in loco?
CR. Hîc,cùm auctionem prædicabas. GE. peſſuma
C Ehon' audiuiſti? CR. te quidem digniſſimam.
GE. Quò nunc is? CR. ad te. GE. quid venis? CR. Panegyris.
Rogare iuſſit te multo opere maximo,
Mecum ſimitu vt ires ad ſeſe domum.
GE. Ego illò me hercule verò eo quantum pote'ſt.
Iámne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?
CR. Illa quidem nullum ſacrificauit. GE. quomodo?
Quid igitur me volt? CR. tritici modios decem
Rogare,opinor,te volt. GE. méne vt ab ſe petam?
CR. Immò vt abs te mutuum nobis dares.
D GE. Negato eſſe quod dem,nec mihi,nec mutuum,
Nec aliud quicquam,niſi hoc quod habeo pallium:
Linguam quoque mihi etiam eſſe venditariam.
CR. Hau,nulla tibi lingua eſt,quæ quidem dicat,dabo?
GE. Veterem reliqui:eccam illam,quæ dicat cedò.
CR. Malum tibi di dent. GE. hæc eadem dicit tibi.
CR. Quid?nunc iturus,an non? GE. abi ſanè domum.
Iam illò venturum dicito.propera,atque abi.
Demiror quid illæc me ad ſe arceſſi iuſſerit,
Quæ numquam iuſſit me ad ſe arceſſi ad hunc diem,
Poſtquàm vir abiit eius.miror quid ſiet,
Niſi vt periclum fiat,viſam quid velit.

Sed eccum Dinacium eius puerum. hoc vide A
Satin' vt facetè, atque ex pictura aſtitit.
Ne iſte ædepol vinum poculo pauxillulo
Sæpè exantlauit ſubmerum ſcitiſſimè.

SED QVAM EGO MATRI M.] ſic vulgò legebantur hi verſus, *ſed quam ego matri meæ refero inuitiſſimus, Ea mihi numquam retulit mater gratiam. Nám me*, &c. Camerarius ſic edidit libros ſuos veteres ſecutus. *Quam ego matri meæ refero inuitiſſimus, Neque retulit, quam ego refero meæ matri fami.* Idem quomodo legendos cenſeat, oſtendit in notis. Nos quoque partim libros noſtros ſecuti, partim coniectura ducti, non longè à Camerarij ſententia diſcedentes, ſic edendos curauimus. *ſed quam ego matri*, &c. vt habent vulgati, cum libris noſtris antiquis congruentes: deinde ita ferè, vt Camerarius, *Eam neque refert quiſque om. hom. gratiam, Neque retulit*, &c. QVAM EGO REFERO MATRI FAMI.] repetitio eſt ſuperuacanea, ad maiorem declarationem. nam idem dicit, quod ſuprà, *quam ego matri meæ refero inuitiſſimus*. niſi quod hîc eſt *matri fami*, illic *ego inuitiſſimus*. DICTVM DICIER.] ſecuti ſumus Camerarij coniecturam. Nam à libris vulgatis abeſt vox *dictum*. B SOLERE ELEPHANTVM GRAVIDAM] Plinius lib. 8. cap. 10. *decem annos geſtare in vtero vulgus exiſtimat*. Ariſtoteles biennium, nec amplius. quàm ſemel gignere, plureíſue quàm ſingulos. Ariſtotel. lib. 6. de. Nat. anim. RIDICVLVM] qui riſum mouere poteſt. INANIMENTIS EXPL. QVÆRITO.] quæro, quomodo inania explere poſſim. quærito, as, frequentatiuum à verbo quæro. A PAVXILLO] à paruulo. EO QVIA PAVP. F. RID. F.] propterea quia paupertas fecit, vt ridiculus eſſem. NAM ILLA OMNES ART.] Theocrit. Ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. Horat. *Paupertas impulit audax, Vt verſus facerem*. PER ANNONAM CARAM.] in caritate annonæ. eo tempore, quo annona cara erat. REDDITA.] tributa. BENIGNITAS.] bonitas, liberalitas. QVI ESVM ME V.] qui me ad cenam vocat. ORATIO VNA INTERIIT] ſignificat ſe iam ab hominibus deſitum eſſe ad cenam vocari. VENI ILLICO AD CENAM, &c.] μίμησις orationis eorum, à quibus olim ad cenam vocabãtur. NON AMITTAM Q. EAS] non ſinam te abire, quin mecum eas. NVNC REP. EI VERBO V.] nunc ſubſtituerunt aliud verbum in eius locum. verbum, *vicarium*, id eſt, quod vices alterius gerit. VOCEM TE AD CENAM] μίμησις orationis eorum, qui neminem ad cenam vocare volunt, ſuíque facti cauſam ſpecioſam afferunt. EI H. VERBO LVMBOS DEFR. VELIM] id verbum periiſſe velim. C NI VERE PERIERIT SIC. D.] niſi tum verè perierit, cùm cenauerit domi. ſignificat domi cenare paraſitis eſſe inſtar mortis. ATQVE VT FACIAM PRÆC. COMP.] vt ipſe præconis parteis agam, neque alium præconem adhibeam. AVCTIONEM PRÆDICEM] tamquam præco res venaleis proclamem. QVIBVS IPSIS NVLLA EST R. Q. P R. S.] huc pertinet illud Horatij ſat. *aliena negotia curo, excuſſis propriis*. EI QVANDO QVEM AVCT.] ij, cùm aliquem auctionem facturum ſciunt, adeunt, perquirunt, &c. ALIENVM ÆS COGAT.] vtrum ære alieno coactus auctionem faciat. VXORIN' SIT REDD. DOS DIVORTIO] exſtat titulus ordine. 3. lib. 24. digeſt. Soluto matrimonio, quemadmodum dos petatur. QVI VT MVLTI MISERI SINT LIB.] nam curioſus ſua ſponte miſer eſt, ſibíque miſeriam ſuo labore contrahit. NIHIL MOROR] iubeo valere. VT ANIMO GAVDEANT] ſunt enim natura maleuoli, & gaudẽt malis alienis, vt mox ſubiicit. IPSE EGOMET] non adhibito præcone. AFFECERVNT MALÈ] ſic habent & noſtri libri veteres cum vulgatis congruentes: Camerarius verò edidit *effecerunt malè*: vt *effecerunt*, & *malè* cohæreant cũ accuſandi caſu, *miſerum* hoc modo. effecerũt me malè miſerum. quam lectionem æquè D atque hanc, atque adeò magis probo. POTATIONES PLVRIMÆ] hæc ſunt mancipia, quibus mortuis ſe miſerum eſſe effectum dicit. PRAED. ERIT PRAES.] id eſt, vendentur res venales præſentibus emtoribus. LICEMINI] *licitamini* imperatiui modi. liceri & licitari in voce paſſiua, ſignificationem habent actiuam. QVI CENA POSCIT?] quis vult me cena data emere? quis me ad cenam vocat? ECQVI POSCIT PR.] num quis me prandio paratus eſt emere? id eſt, numquis me ad prandium vocat? MELIORES DABIT] paraſitos. VEL VNCTIONES GRAECAS] vnctiones quibus vtebantur in Græcia, elegãtiores erant ſcilicet propter vnguentorum copiam. SVDATORIAS] quæ adhibebantur ad eos, qui ſudabant, Græcis vſitatæ. Solebant enim priuſquam accubitum irent, in balneum ſudatorium ingredi, & ibi inungi. quem morem poſtea Romani vſurparunt, & mutuati ſunt, atque adeò ſuperarunt. nam nondum cocto cibo epulis referti, in alia balnea ibant, & ſudabant, deinde epulas repetebant. ex quo illud Iuuenalis: *crudum pauorem in balnea portas*. VEL ALIAS MAGIS MALACAS.] vel alias magis molleis. ET CRAPVLARIAS] & vnctiones, quæ adhibendæ ſunt iis, qui heſterno die plus nimio adbiberunt, neque dum crapulam edormierunt. libri vulgati habent *ampullarias*. & quidam ampullarias cum voce *cauillationes* coniungunt, & interpretantur, cauillationes ampullarias, id eſt, cauillationes, quæ in balneo iactantur, dum vngimur.

RVBIGI-



A RVBIGINOSAM.] rubigine ſqualidam. ſtrigilibus defricabantur veteres in balneis, poſteaquam vncti fuerant. defricabãtur autem à paraſitis diuites, & vngebantur. vide Scalig. coniect. pag. 65. AMPVLLAM RVBIDAM.] ampulla, vas olearium, cuius etiam vſus erat in balneis. *rubidum* dictum eſt à rubendo, vt *algidum* ab algendo, *calidum* à calendo, *torridum* à torrendo; & ſimilia. PARASITVM INANEM.] paraſitum eſurientem, & famelicum, ideóque vacuum. paraſitum iocoſè, proinde ac ſi vas quoddã ſit, poſuit, in quod coniiciantur reliquiæ. QVANTVM POTE'ST.] quamprimùm, vel quàm celerrimè, & citiſſimè. VTI DECVMAM PARTEM HERC. POLL.] profert hunc locũ Priſc. lib. 9. vide pag. 377. Decimam partem bonorum Herculi conſecrare, & immolare ſolitos eſſe veteres conſtat. Cuius rei cauſam affert Plutarchus quæſt. Rom. à pollucendo, pollucibilis, hoc eſt, opiparus, refertus, dapſilis: quia omnia poculenta, & eſculenta Herculi profanabantur, & publicabantur, id eſt, pollucebantur. vide Plinium lib. 32. cap. 2. & Hermolaum Barb. AVCTIONEM HAVD M. P.] deeſt verbum vt *inſtituit, facit*, aut tale aliquod. QVIS HÆC EST] quæ hæc eſt. FVIT DISERTIM] fuit planè. Sic Nonius libris omnibus inuitis, in quibus legitur *diſertum*, ſic edẽdum curaui, Nonij auctoritatem ſecutus. MICCOTROGVS.] nomen confictum ex μικκὸς & τρώγω. μικκὸς B autem idem quod μικρὸς ſignificat. τρώγειν, verò rodere eſt. Miccotrogus igitur eſt, qui parua aut pauca rodit. Conuenit autem verbum rodendi paraſitis, vt & muribus, quia alieno cibo veſcuntur, vt mures. NOMINE EX VERO VOC.] nomine vocor ex vero, id eſt, ex re ipſa. ſic Horat. ſat. *Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret*. MVLTO OPERE MAXVMO] multo opere & maximopere. SIMITV.] ſimul. ILLÒ.] illuc. domum Panegyridis. IÁMNE EXTA COCTA.] Iámne exta tot agnorum cocta ſunt, quot agnos ſacrificarat? fecerat, id eſt, ſacrificarat Virgil. *Cum faciam vitulam*, &c. NVLLVM SACRIFIC.] nullum agnum ſacrificauit. VENDITARIAM.] venalem. CEDÒ.] da. ITVRVS AN NON?] iturúſne es, an non? DINACIVM EIVS PVERVM] ſeruulum Epignomi. EX PICTVRA.] homo bellus, & graphicus, & elegans, & quaſi pictus. POCVLO PAVXILLVLO.] poculo magno. ironia eſt. EXANTLAVIT.] exhauſit, ebibit, eduxit. al. exantlauit. & ita legit Nonius hunc locum proferens, & alium in Pœnulo. SVBMERVM.] aliquantum merum, merulum, non admodum aqua dilutum.

C DINACIVM puer. GELASIMVS paraſitus.

DI. Mercurius Iouis qui nuntius perhibetur, numquam æquè patri
Suo nuntiũ lepidum attulit, quàm ego nunc meæ heræ nuntiabo.
Itáque onuſtum pectus porto lætitia, lubentiáque:
Neque lubet, niſi glorioſe, quicquam proloqui. profectò
Amœnitates omnium venerum atque venuſtatum affero,
Ripíſque ſuperat mihi atque abundat pectus lætitia meum.
Propterea Dinacium pedes hortare: honeſta dicta factis.
Nunc tibi poteſtas adipiſcendi eſt gloriam, laudem, decus.
D Heræque egenti ſúbueni, benefacta maiorum tuorum exauge.
Quæ miſera exſpectatione eſt Epignomi aduentu viri.
Proinde vt decet, amat virum ſuum cupidè, nunc expedi Dinaciũ
Age vt placet, curre vt lubet, caue quemquam flocciſeceris.
Cubitis depulſa de via: tranquillam concinna viam.
Si rex obſtabit obuiam, regem ipſum prius peruortito.
GE. Quídnam dicam Dinacium
Laſciuibundum tam lubenter currere?
Harundinem fert, ſportulámque, & hamulum piſcarium.
DI. Sed tandem, opinor, æquius eſt heram mihi eſſe ſupplicem,
Atque oratores mittere ad me, donáque ex auro, & quadrigas,
Qui vehar. nam pedibus ire non queo. ergo iam reuortar.

Ad me iri & ſupplicari,egomet mihi cenſeo æquum. A
An verò nugas cenſeas?nihil eſſe quod ego nunc ſcio?
Tantum à portu apporto bonum,tam gaudium affero grande.
Vix ipſa domina hoc,niſi ſciat,exoptare à dis audeat.
Nunc vltrò hoc deportem? haud placet, neque id verò officium
arbitror.
Hîc hoc videtur mihi magis meo conuenire huic nuntio,
Aduerſum vt veniat, obſecret,ſe vt nuntio hoc impertiam.
Secundas fortunas decent ſuperbiæ.
Sed tandem cùm ego recogito,quî potuit ſcire hæc ſcire me?
Non enim poſſum,quin reuortar,quin loquar,quin ediſſertem,
Herámque ex mærore eximam,benefacta maiorum meûm B
Exaugeam,atque illam augeam ex inſperato opportuno modo.
Contundam facta Talthybij,contemnámque omnis nuntios.
Simúlque ad curſuram meditabor me ad ludos Olympiæ.
Sed ſpatium hoc occidit:breue'ſt curriculo.quam me pœnitet?
Quid hoc?occluſam ianuam video.ibo & pultabo foreis.
Aperite atque approperate, fores facite vt pateant, remouete
moram.
Nimis hæc res ſine cura geritur.vide quamdudũ hic ædeis pulto?
Non operam datis?experiar,fores,an cubiti, an pedes plus valeãt,
Nimis vellem hæ fores herum fugiſſent, ea cauſſa, vt haberent
malum. C
Defeſſus ſum pultando,
Hoc eſt poſtremum vobis.
GE. Ibo,atque hunc compellabo.
Saluus ſis. DI. & tu ſalue.
GE. Iam tu piſcator factus.
DI. Quampridem non ediſti?
GE. Vnde is?quid fers?quid feſtinas?
DI. Tua quod nihil réfert,ne
Cures. GE. quid iſtic ineſt?
DI. Qua tu id re excolubras?
GE. Quid tam iracundus? DI. ſi in te D
Pudor aſſit,non me appelles.
GE. Poſſum ſcire ex te verum?
DI. Potes.hodie non cenabis.

RIPÁSQVE SVPERAT]tractum à fluuiis exundantibus, & ripas ſuperantibus. PEDES HORTARE.]vt properent. HONESTA]*honeſta*,imperatiui modi à verbo honeſto. honeſta,inquit,dicta factis,id eſt,orna, & decora tua dicta factis: verba enim ſine factis, nullius pretij ſunt. HERÆQVE EGENTI SVBVENI.] noſtri libri habent, *heræq; merenti ſubueni.* EXAVGE]valde auge. EXPEDI.]expedi te,aut pedes tuos. CVBITIS DEPVLSA.] cubitis depelle omneis obuios de via:nemini parcito. CONCINNA.]redde,effice, para. PERVORTITO.]percellito,proſternito. LASCIVIBVNDVM.]laſciuientem.laſciuiæ plenum. ET QVADRIGAS QVI VEH.] & quadrigas,quibus vehar: vel & quadrigas, vt vehar.

AN VE-



A AN VERÒ NVGAS CENSEAS?]an verò cenſere debeat aliquis me nugas portare?& id, quod ſcio,nihil eſſe? SECVND. FORT. DEC. SVP.] decet eos, quorum res ſunt ſecundæ, ſuperbos eſſe.hoc ex humano ingenio,& more dictum eſt.nam ferè homines fortunati, & rebus ſecundis florentes,ſuperbi ſunt,non quòd hoc ſit rectum,aut laudandum. CÙM RECOGITO.]cùm altera parte cogito,cùm rurſus cogito. QVÎ POTVIT SCIRE] quo modo potuit ſcire hera mea,hæc me noſſe,vt mihi aduorſum veniat,& ſupplicet? REVORTAR.] domum ad heram,à qua ad portum miſſa ſum. EDISERTEM]eloquar & exponam,quæ ſcio. CONTVNDAM FACTA TALTHYBII]ſuperabo meis factis facta Talthybij Græcorum præconis,& nuntij.faciam,vt Talthibius Græcorum nuntius præ me ſit contemtus, & obſcurus.Talthybius & Eurybates præcones fuerũt,quos commemorat Homerus ἰλ. α. & item alibi. MEDITABOR ME.]exercebo me. SED SPATIVM HOC OCCIDIT.] ſpatium hoc minus citò decurri,& confici poteſt, nimíſque breue eſt ad curriculum,ſeu currum Olympicum,vel hoc ſpatium iam à me confectum,& decurſum eſt. QVÀM ME POENITET?] quàm mihi breue videtur? NIMIS HÆC RES SINE CVRA.] nimis negligenter mihi fores aperiũtur. EXPERIAR, FORES, AN CVBITI.]ô fores,ego vos cubitis,& pedib. vos pulſabo,& ita experiar,vtrùm cubiti,an pedes ſint validiores. NIMIS VELLEM HÆ
B FORES H. F.]magnopere vellem, hæ fores fugitiuæ fuiſſent ab hero, vt ſuæ fugæ darent pœnas.precatur hic ſeruus foribus,quòd putat eſſe ſummũ malum, fugere ab hero. Nam ſerui fugitiui recuperati, & recepti ab heris grauiſſimas pœnas dabant, & peſſimè accipiebantur. IAM TV PISC. FACT.]hoc eò dicit,quòd harundinem,& ſportulam,& hamum piſcatorium ferebat. QVÀM PRIDEM NON EDISTI?] quantum temporis abiit, poſtquam non comediſti? QVA TV ID RE EXCOLVBRAS?] ſic habent noſtri libri veteres ſine vlla litura,quomodo eſſe legendùm ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ,iam antè coniecerat doctiſſimus Camerarius.vulgati autem ſic,*quas tu vides colubras*? planè mendoſè, & corruptè. Porrò autem ſic hanc ſcripturam quam repoſui,& quam veram eſſe exiſtimo, interpretor: quamobrem id curioſè,& oculis eminentibus,quales ſunt oculi colubrorum,exquiris? quamobrem id ceruicibus inflexis,& oculis exſtantibus exquiris? HODIE NON CENABIS] reſponſio paraſito edaci,& eſurienti moleſta,atque acerba.

C

## PANEGYRIS mulier. GELASIMVS, DINACIVM.

PA. QVíſnam obſecro has frangit foreis?vbi eſt?
Tun' hæc facis?tun' mihi huc hoſtis venis?
GE. Salue,tuo arceſſitu venio huc. PA. ean' gratia foreis effringis?
GE. Tuos inclama.tui delinquunt.ego quid me velles,viſebam.
Nam equidem harum miſerebat. DI. ergo auxilium properè
latum eſt.
PA. Quíſnam hic loquitur tam prope nos? DI. Dinacium. PA.
vbi is eſt?
DI. Reſpice me,& relinque egentem paraſitum Panegyris.
D PA. Dinacium, DI. iſtuc indidere nomen maiores mihi.
PA. Quid agis? DI. quid agam,rogitas? PA. quid ni rogitem? DI.
quid mecum eſt tibi?
PA. Men' rogas propudioſe?eloquere properè Dinacium.
DI. Iube me omittere igitur hos qui retinent. PA. qui retinent?
DI. rogas?
Omnia membra laſſitudo mihi tenet. PA. linguam quidem
Sat ſcio tibi non tenere. DI. ita celeri curriculo fui
Properè à portu tui honoris cauſſa. PA. ecquid apportas boni?
DI. Nimio impertior,multo:tanto plus,quàm ſperas. PA. ſalua ſum.
DI. At ego perij,cui medullam laſſitudo perbibit,
GE. Quid ego, cui miſero medullam ventris percepit fames?

PA. Ecquem conueniſti? DI. multos. PA. at virum ecquem? A
DI. quàm plurimos.
Verùm ex multis nequiorem nullum, quàm hic eſt. GE. quo modo.
Iamdudum ego iſtum patior, dicere iniuſtè mihi?
Præter hac ſi me irritaſſis. DI. ædepol eſuries malè.
GE. Animum inducam, vt iſtuc verum te elocutum eſſe arbitrer.
Munditias volo fieri. efferte huc ſcopas, ſimúlque arundinem,
Vt operam omnem aranearum perdam, & texturam improbam,
Deiiciámque earum omneis telas. GE. miſeræ algebunt poſtea.
GE. fecero.
DI. Quid? illas itidem eſſe cenſes, quaſi te, cum veſte vnica? B
Cape illas ſcopas. GE. capiã. DI. hoc egomet, tu hoc conuerre.
DI. Ecquis huc effert naſiternam cum aqua? GE. ſine ſuffragio
Populi, tamen ædilitatem hic quidem gerit. DI. age tu, ocyus
Pinge humum, conſperge ante ædis. GE. faciam. DI. factum oportuit.
Ego hinc araneas de foribus deiiciam, & de pariete,
Ædepol rem negotioſam. PA. quid ſit, nihil etiam ſcio,
Niſi fortè hoſpites venturi ſunt. DI. lectos ſternite.
PA. Principium placet de lectis. DI. alij ligna cædite,
Alij piſceis depurgate, quos piſcator attulit,
Pernam & glandium deiicite. GE. hic hercle homo nimiũ ſapit. C
PA. Non ecaſtor, vt ego opinor, ſatis heræ morem geris.
DI. Immò res omneis relictas habeo, præ quod tu velis.
PA. Tum tu igitur qua cauſſa miſſus es ad portum, expedi,
DI. Dicam. poſtquàm me miſiſti ad portum cum luci ſimul,
Commodùm radioſus eſſe ſol ſuperabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquæ nauis venerit
Ex Aſia, negant veniſſe: conſpicatus ſum interim
Cercurum, quo ego me maiorem non vidiſſe cenſeo.
In portum vento ſecundo, velo paſſo peruenit.
Alius alium percontamur, Cuia eſt nauis? quid vehit? D
Interim Epignomum cõſpicio, tuum virum, & ſeruum Stichum.
PA. Hem quid Epignomum elocutus? DI. tuum virum. PA. & vitam meam?
DI. Venit, inquam. PA. tun' eum ipſum vidiſti? DI. ita ego, libens.
Argenti, aurique aduexit multum. PA. nimis factum bene.
GE. Hercle verò capiam ſcopas, atque hoc conuerram libens.
DI. Lanam, purpurámque multam. GE. Ehem, quî ventrem veſtiam.
DI. Lectos eburatos auratos. GE. accubabo regiè.
DI. Tum Babylonica periſtromata, conſutáque tapetia,
Aduexit nimium bonæ rei. GE. hercle rem geſtam bene.
DI. Pòſt, vt occepi narrare, fidicinas, tibicinas,

Sambucinas



A Sambucicinas aduexit ſecum forma eximia. GE. eugepæ.
Quando adbibero, alludiabo. tum ſum ridiculiſſimus.
DI. Poſtea vngenta multûm generum multa. GE. non vendo logos.
Iam non facio auctionem: mihi obtigit hereditas.
Maleuoli perquiſitores auctionum perierint.
Hercules decimam eſſe adauctam, tibi quam voui, gratulor.
DI. Pòſt autem aduexit ſecum paraſitos. GE. heu, perij miſer.
DI. Ridiculoſiſſimos. GE. reuerrã hercle hoc, quod conuerri modò.
PA. Vidiſtin' virum ſororis Pamphilippum? DI. non. PA. adeſt?
DI. Immò aiebant eum veniſſe ſimul. ſed ego huc citus
Præcucurri, vt nuntiarem nuntium exoptabilem.
B GE. Venales logi ſunt illi, quos negabam vendere
Illico: & meo malo eſt quòd maleuolentes gaudeant.
Hercules ſanè qui deus ſis, diſceſſiſſes non malè.
PA. I intrò Dinacium, iube famulos rem diuinam mihi apparent.
Bene vale. GE. vin' adminiſtrem? PA. ſat ſeruorum habeo domi.
GE. Enimuerò Gelaſime, opinor, prouiniſti futile,
Si neque ille adeſt, neque hic, qui venit, quicquam ſubuenit.
Ibo intro ad libros, & diſcam de dictis melioribus.
Nam ni illos homines expello, ego óccidi planiſſimè.

C TVO ARCESSITV]ſic dictum, tuo arceſſitu, vt tuo mandatu, tuo rogatu, tuo inuitatu, tuo conceſſu. TVI DELINQVVNT]non ego, ſed Dinacium tam validè foreis pulſauit. HARVM MISEREBAT.]miſerebat me veſtrarũ foriũ, quæ tam validè pulſarẽtur, & propè effringerentur. PROPVDIOSE?]propudij, hoc eſt, dedecoris, & probri plene. IVBE IGITVR OMITT.] iube igitur, omittant, & miſſum faciant hi, qui me retinent. Iocatur puer. LINGVAM QVIDEM SAT SCIO N. T.]ſat quidem ſcio laſſitudinem non tenere linguam tuam: id eſt, linguam tuam non eſſe laſſam. CELERI CVRRICVLO.] celeri curſu. Profert Soſip. lib. 1. inſtit. gramm. NIMIO IMPERTIOR, &c.]nimio bono, multo bono te impertior, & maiore quàm ſperas. PERBIBIT]conſumſit. PERCEPIT FAMES.]occupauit, ſeu peruaſit fames? Talia ſunt illa apud Lucretium. ECQVEM CONVENISTI?]numquem conueniſti? QVÀM HIC EST.]paraſitus. DICERE INIVSTÈ M.]maledicere mihi præter meritum, & iniuria. PRÆTER HAC]prætereà ſi me laceſſieris, ſi me irritaueris. ἀποσιώπησις. ſubintelligitur enim *te malè mulcabo.* MISERÆ ALGEB. P.] miſeræ araneæ frigebunt telis ſuis deiectis, ac perditis, quaſi nudæ. Iocus. QVID? ILLAS ITIDEM
D ESSE CENS. Q. TE]quid? túne illas putas, ita vt te, cum vnica veſte? an non putas illas pluréis veſteis habere? HOC EGOMET.]conuerram. NASITERNAM.]ſuprà Bacchid. Nonius *efferſ Naſiternam cum aqua foras.* SINE SVFFR. P. TAMEN AED.]hic Dinacium tamquam ædilis, edicit quæ ad ædium munditiem, & ceteras res pertinent, cùm ædilis à populo non ſit factus. PINGE]floribus. NEGOTIOSAM.]negotij plenam. LECTOS] in quibus diſcumbant conuiuæ. GLANDIVM]carnem ſuillam, calloſam, multo omnium aliarum partium ſuauiſſimam. DEIICITE]refigite, & deripite inde, vnde pendent. RELICTAS HABEO.] pro derelicto habeo. PRÆ QVOD TV VELIS]præ iis, quæ tu velis. TVM TV IGITVR QVA. C.]tu igitur tandem mihi expedi, & expone ea, propter quæ ad portum miſſus es. CVM LVCI S.] prima luce. COMMODVM] tantum quòd. CERCVRVM.] cercurus, nauis Aſiana pergrandis. Nonius in voce *cercurus*, vbi profert hunc locum, & alterum ex Bacchid. CENSEO.]puto. VELO PASSO.]velo laxo, & rugo. Sic Nonius in voce *paſſus, a, um.* vbi hunc locum profert: Sed malim ſic *velo paſſo*, id eſt, velo expanſo, & explicato. NIMIS FACTVM BENE.]ſic ſolent Latini in re læta, & iucunda. contrà in re triſti, & iniucunda. factum malè. LANAM PVRPVRÁMQVE MVLTAM.] pergit Dinacium & orationem continuat, itaque repetendum, ἀπὸ κοινοῦ, aduexit. QVÎ VENTREM VESTIAM.]non dixit, quî corpus veſtiam, ſed quî ventrem, vt paraſitus, cuius eſt maximè ventri

ſeruire,& prouidere.qui autem pro qua,vel vnde. LECTOS EBVRATOS.] lectos ebore A extrinſecus ornatos.non dixit eburneos,ſed eboratos,ſiue eburatos. Eburneum autem, id eſt, totum ex ebore concretum,& conflatum:eboratum verò,ebore extrinſecus ornatum. Quemadmodũ dicebant veteres ebur,eboris,& eburis, ita eboratum & eburatũ. CONSVTÁQVE TAP.] tapetia,quæ ſubiiciebantur ſedentibus, ſed nunc *ῥαπτὰ* vocant Græci. *ὑποτιθέντων δὲ τῶν θεραπόντων ῥαπτά*. Scaliger pag. 80. NIMIVM.]multum. SAMBVCINAS.]mulieres,ſeu puellas,quæ ſambuca canere ſciunt. ALLVDIABO.] alludam, & adblandiar mulieri,ſuprà. NON VENDO LOGOS.] quando hæc omnia aduexit Epignomus, redítque tam multis rebus inſtructus,atque ornatus, non vendo dicta & ſermones faceros. noſtri libri veteres habent,*non vendo iocos*. MALEVOLI PERQVIS.]quos ſuprà dixit *curioſos*. PERII MISER]hoc eò dicit,quòd cùm Epignomum audiat ſecum nouos peregrinos aduexiſſe, nihil ſibi apud eum loci inter illos futurum facilè intelligat. SED EGO HVC CITIVS PRÆCVCVRRI.]profert hunc locum Priſcian.lib.10.vnde hunc locum reſtituimus. VENALES LOGI SVNT]noſtri libri habent,*venales ioci ſunt*. ET MEO MALO EST Q. M. G.]& eſt quod maleuoli lætantur propter meum incommodum. DISCESSISSES NON MALÈ]rectè feciſſes,ſi diſceſſiſſes,quia nihil hic tibi ſeritur,neq; metitur. nullã enim tibi decimam tibi pollucebo,cùm mihi nihil quæratur. PROVENISTI FVTILE]prodiiſti huc fruſtrà,& B ſine quæſtu, vel ſpem habuiſti emolumenti inanem & futilem, & rem tuam malè geſſiſti. *futile* vas eſſe ſcribit Lactantius,lato ore, anguſto fundo, quo vtebantur in ſacris Veſtæ: quod ſtare non poterat, vt aqua ſtatim effunderetur, quod ideò excogitatum eſt,quod aqua in ſacris veſtæ,in terra non ponitur,ídque ſi fiat, piaculum eſt. ILLOS HOMINES.] illos paraſitos, quos ſecum Epignomus aduexiſſe dicitur.

## EPIGNOMVS adoleſcens. STICHVS ſeruus.

EP. CVm benè re geſta ſaluus conuortor domum,
Neptuno grates habeo,& tempeſtatibus:
Simul Mercurio,qui me in mercimoniis
Iuuit,lucríſque quadruplicauit rem meam.
Olim quos abiens affeci ægrimonia, C
Eos nunc lætanteis faciam aduentu meo.
Nam iam Antiphonem conueni,affinem meum,
Cúmque eo reueni ex inimicitia in gratiam.
Videte,quæſo,quid poteſt pecunia.
Quoniam re bene geſta rediiſſe me videt,
Magnáſque apportauiſſe diuitias domum,
Sine aduocatis ibidem in cercuro,in ſtega,
In amicitiam atque in gratiam conuortimus.
Et hîc hodie apud me cœnat,& frater meus.
Nam heri ambo in vno portu fuimus,ſed mea D
Hodie ſoluta eſt nauis aliquanto prius.
Age:duc has intrò,quas mecum aduexi Stiche.
ST. Here,ſiue ego taceam,ſeu loquar,ſcio ſcire te
Quàm multas tecum miſerias multauerim.
In hunc diem vnum ex illis multis miſeriis,
Volo me eleutheriam capere aduenientem domum.
EP. Et ius & æquum poſtulas,ſumas Stiche
In hunc diem.te nihil moror.abi quò lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. ST. papæ.
Ducam hodie amicam. EP. vel decem,dum de tuo.
Vbi cœnas hodie ſi,hanc rationem inſtituis,

Amicam



A ST. Amicam ego habeo Stephanium,hinc, ex proxumo,
Tui fratris ancillam.eò condicam in ſymbolam
Ad cœnam,ac eius conſeruum Sagarinum Syrum.
Eadem eſt amica ambobus,riuales ſumus.
EP. Age,abduc eas intro.hunc tibi dedo diem.
ST. Meam culpam habeto,niſi probè excruciauero.
Iam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam,
Mi hanc occupatum noctem.eadem ſymbolam
Dabo,& iubebo ad Sagarinum cenam coqui.
Aut egomet ibo atque obſonabo obſonium.
Atque id ne vos miremini,homines ſeruulos
B Potare,amare,atque ad cenam condicere,
Licet hoc Athenis nobis.ſed cùm cogito,
Potius quàm in diuidiam veniam, eſt etiam hic oſtium
Aliud poſticum noſtrarum harunce ædium.
Poſticam partem magis vtuntur ædium.
Eà ibo obſonatum.eàdem referam obſonium
Per hortum.vtrôque commeatus continet.
Ite hâc ſecundum vos me.ego hunc lacero diem.

NEPTVNO GRATES HABEO.]Neptuno gratiam habeo. ET TEMPESTATIB.] Horat.oda.lib. *Et aqua tempeſtatibus*. MERCVRIO.]Mercurius mercaturæ præeſt,&lucra C adiuuat.ex quo *ἕρμαιον κέρδος*,lucrum. QVADRVPLICAVIT]quadruplo auxit. quadruplam reddidit. QVOS.]ſocerum Antiphonem,vxorem, propinquos,amicos. EX INIMICITIA.]ex inimicitiis. REVENI.]redij. SINE ADVOCATIS] ſine vllis communibus amicis communiter adhibitis,quorum oratione & opera,gratia inter nos reconciliaretur. IN STEGA.] in nauis tabulato,ſuper quod nautæ ambulant. Nonius ſuprà in Bacchid. *fortè vt aſſedi in ſtega*. CONVORTIMVS] conuenimus,reconciliati ſumus.conuortimus,abſolutè poſitum. HAS]fidicinas,tibicinas,&c. QVAM MVLTAS TECVM MIS. MVLC.]alliteratio eſt ad vocem *multas*. Multas multaui miſerias. Eſt autem *multare* interdum augere, præſertim in auctione *πληστηριάζεσθαι*,quod Latini dicunt pollicere: hîc autẽ pro numerare poſuit. *ἐξαριθμεῖσθαι*,id eſt,numerare. IN HVNC DIEM.]non in perpetuum,ſed in hunc diem,vnũ ex multis diebus triſtibus,& miſeriarum plenis. ELEVTHERIAM]libertatem. PROPINO] præbeo. DVCAM]ductabo.ducã meo arbitratu ducã meo vt ea fruar. VBI CENAS HODIE, SI TV HANC RAT. IVST.]verba ſunt Stichi à principio verſus vſque ad extremum,non, vt eſt in vulgatis,partim Epignomi,partim Stichi. EI CONDICAM IN SYMBOLAM AD C.]ſic habent noſtri libri veteres,hoc primùm. Deinde huius lectionis rationem explica- D bimus. Cõdicere igitur,vt docet Feſtus,eſt dicendo denuntiare. ſymbola autẽ eſt id, quod à ſingulis conuiuis confertur in cenam,aut prandium, *ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν*. de qua alibi dictum. Itaque huius loci hæc ſentẽtia eſt, Denuntiabo Stephanio me ad cenam iturum apud eam,ſeu cum ea cenaturum in ædibus heri eíus,collata ſymbola, & idem denuntiabo eius conſeruo Sagarino Syro. Licet etiam legere *condixi*.quod habet editio Camerariana,vt intelligamus Stichum iam denuntiaſſe. licet & *condictum*,vt eſt in vulgatis. RIVALES SVMVS] *συνερασταί ἐσμέν*. eandem amamus. DEDO.]in poteſtatem trado. MEAM CVLPAM HAB. NISI PROBÈ EXCRVC.]me accuſato,niſi ego hunc diem totum in Genio curando conſumſero: niſi ego hunc diem pro meo arbitratu potando,& ſcortando traduxero, quaſi dies videatur vexari,cùm eum potando,& obſonando, & ſcortando conterimus. tralatio fortaſſe eſt ab iis, qui hoſteis ſibi deditos duriter, & inclementer tractant,& excruciant. Fortaſſe etiam reſpexit ad illud,quod Latini dicunt,*frangere diem*.de quo nos ſat multa ad illum locum Horatij oda. 7.libr. 2. *Cum quo morantem ſæpè diem mero Fregi*,&c. AMICAM TRANS. M.]ad amicã tranſibo meam. MI HANC OCC. N.]ibo hanc noctem mihi occupatum. ibo ad amicam meam, vt hanc noctem,& hunc locum mihi occupem apud eam,& cum ea hac nocte cubem. EADEM] eadem opera,eadem ratione,& via. ET IVBEBO AD SAG. CEN. C.] & iubebo apud Sagarinum cenam coqui. noſtri libri habẽt, *& videbo*. quod ſi quis probabit, *videbo*, poſitũ erit,pro

*prouidebo*.hoc modo,prouidebo, vt cena coquatur apud Sagarinum,ſed ego, *iubebo*, lego. OBSONABO OBS.]obſonium emam.Atticum loquendi genus. AD CENAM CONDICERE.]denuntiare inter ſe,vt ad cenam conueniant. LICET HOC ATHENIS N.] de hac licentia ſeruili legendum Xenophon.Athen. Politia. ibi τῶν δούλων δ᾽ αὖ καὶ τῶν μετοίκων πλείστη ἐστὶν Ἀθήνησιν ἀκολασία, καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι. οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος. id eſt, Demoſthen. Philipp.3. ὑμεῖς τὴν παῤῥησίαν, &c. IN DIVIDIAM VENIAM]in tædium,& moleſtiam. OSTIVM POSTICVM.] ψευδόθυρον. oſtium poſterius.Horat.*poſtico falle clientem*. POSTICAM PARTEM M. V.] magis vtuntur Epignomus & Pamphilippus poſtica parte ædium,quam aulica. Eà] per poſticum. VTRÓQVE]ad alteras ædeis ab alteris cõmeatus continuatus eſt.ab vtriſque ædibus ad vtraſque iri poteſt. ITE HÀC SECVNDVM VOS ME.]vos ite hàc ſecundum me,id eſt,poſt me. EGO HVNC LACERO DIEM]ego hunc diem lacerare, & vt ſuprà dixit, excruciare, hoc eſt,potando, & epulando,& ſcortando conterere volo.Alij ſic,*ego ſum diei moleſtus ad ortum properanti, & præcipitanti, eúmque ſic garriens lacero. Nimis verboſus ſum & hac mea loquacitate diei moleſtiam quodammodo creo.*

B

## GELASIMVS paraſitus. EPIGNOMVS adoleſcens.

GE. Libros inſpexi.tam confido,quàm poteſt,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc interuiſo,iámne à portu aduenerit.
Vt eum aduenientem meis dictis deliniam.
EP. Hic quidem Gelaſimus eſt paraſitus,qui venit.
GE. Auſpicio hodie optumo exiui foras,
Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes.
Eum ſtrenua obſonauit.ſpectatum hoc mihi eſt.
C Nam vt illa vitam repperit hodie ſibi,
Item me ſpero facturum.augurium hoc facit
Epignomus hic quidem,qui aſtat:ibo,atque alloquar.
Epignome,vt ego te nunc conſpicio libens?
Vt prælætitia lacrymæ præſiliunt mihi?
Valuiſtin' vſque? EP. ſuſtentatum'ſt ſedulò.
GE. Bene atque amicè dicis. Di dent quæ velis.
Propino tibi ſalutem plenis faucibus.
Cœnabis apud me,quoniam ſaluus aduenis.
EP. Vocata eſt opera. GE. numquid hoc tibi tam graue eſt?
Promitte. EP. certum eſt. GE. ſic fac, inquam. EP. certa res eſt. D
GE. Lubente me hercle facies. EP. idem ego iſtuc ſcio.
Quando vſus veniet, fiet. GE. nunc ergo vſus eſt.
EP. Non ædepol poſſum. GE. quid grauare? cenſeas?
Neſcio quid verò habeo in mundo.I modò.
EP. Alium conuiuam quærito tibi in hunc diem.
GE. Quin tu promittis? EP. non grauer,ſi poſſiem.
GE. Vnum quidem hercle certum promitto tibi:
Libens accipiam,certò ſi promiſeris.
EP. Valeas. GE. Certúmne eſt? EP. certum. cœnabo domi.
GE. Quandoquidem operam tuam non vis promittere,

Vin' ad



A Vin' ad te ad cœnam veniam? EP. ſi poſſim,velim:
Verùm hîc apud me cœnant alieni nouem.
GE. Haud poſtulo equidem medio in lecto accumbere,
Scis tu med eſſe imi ſubſellij virum.
EP. At ij oratores ſunt populi,ſummi viri,
Ambracia veniunt huc legati publicè.
GE. Ergo oratores populi,ſummates viri,
Summi accumbent. ego infimatis,infimus.
EP. Haud æquum eſt te inter oratores accipi.
GE. Equidem hercle orator ſum:ſed procedit parum.
EP. Cras de reliquiis nos volo.multum vale.
B GE. Perij hercle verò planè,non obnoxiè.
Vno Gelaſimo minus eſt,quàm dudum fuit.
Certum eſt muſtelæ poſthac,numquam credere.
Nam incertiorem nullam noui beſtiam.
Quin ipſa decies in die mutat locum.
Eam auſpicaui ego in re capitali mea.
Certum eſt amicos conuocare,vt conſulam
Qua lege me nunc eſurire oporteat.

LIBROS] libros de ridiculis,de dictis ridiculis περὶ γελοίων. OBTENTVRVM]retenturum,meum facturum, mihi conciliaturum. MEVM REGEM] Epignomum, qui me alit. PRÆTER PEDES] ante pedes.ſic apud Ciceronem lib.Accuſat.3. *præter oculos Lollij hæc* C *omnia ferebant*. Nonius. OBSONAVIT] in obſonium ſibi parauit,& comedit. MVSTELA MVREM.] hoc augurij genus domeſticum à Telegono repertum eſt. VITAM REPP.] victum parauit. ITEM ME SP. F.] ita me ſpero victum mihi reperturum. AVGVR. H. FACIT EPIGNOMVS] hic Epignomus,qui præſtò eſt mihi loco bonæ auis eſt,vnde augurer mihi bene euenturũ.SVSTENTATVM'ST SEDVLÒ.]ſedulò nos ipſi ſuſtẽtauimus vſq; adhuc.PROPINO TIBI SALVT. PL.] ex paraſiti dignitate,& ingenio,& verbis vſus eſt ad ſuam perſonam accommodatis,vt ſi ſalutem dixit Epignomo paraſitus, propinaret plenis poculis. VOCATA EST OPERA] ego,quam vis tibi operam dare,non poſſum apud te cenare,mihi apud te cenare non licet. tranſlatum ab iis,qui ab aliis iam antè vocati,non poſſunt iis, qui poſtea vocarunt,promittere. NVNC ERGO VSVS EST]atqui nunc vſus eſt. HAVD POSTVLO EQ. MED IN L.]non poſtulo equidem me accumbere menſæ cum elegantibus,& primariis conuiuis in ſummo lecto.Secutus ſum libros vulgatos: nam veteres habent *haud poſtulo med in*, pro me in. d,interpoſito,vt infrà verſu proximo, *med eſſe*, pro me eſſe:figura veteribus vſitata. IMI SVBSELLII] infimi ſubſellij,nõ ſummi lecti. vel imum ſubſellium D oppoſuit, lecto:ſi legamus, *Haud poſtulo equidem med in lecto acc.* vt habent libri veteres, & quòmodo edidit Camerarius. AMBRACIA] vrbs eſt Epiri,ſeu Theſprotiæ potiùs vt tradit Stephanus,Corinthiorum colonia. ERGO ORATORES POPVLI SVMMATES V.]ſummates,id eſt,primarij & principes.profert hunc locum Priſcianus lib.7. EGO INFIMATIS] ego infimi ordinis, ſeu infimas, in infimo loco accumbam.profert hunc locum Priſcian.lib.12. CRAS DE RELIQV. NOS VOLO] cras nos volo de reliquiis cenæ hodiernæ cenare. PERII HERCLE VERO PL. NON OBNOX.] profert quidem Gellius hunc locum lib.7.cap.17.ſed non ſatis explicat. Feſtus obnoxiũ eſſe ſcribit,obligatum pœnæ ob delictum, ſed hæc ſignificatio huic loco Plautino non conuenit. VNO GELASIMO M. EST, Q. D. F.]Gelaſimus è rerum natura ſublatus eſt. Gelaſimus eſſe deſiit inter viuos. vno minus eſt Gelaſimo in natura rerum,quàm prius fuit. MVSTELÆ] ex qua auguratus fueram me victum eſſe quamprimum reperturũ.EAM AVSP. EGO IN RE C.]eam auſpicatus ſum,vel eam vt auſpicium mihi faceret,ſumſi:in re capitali mea,id eſt,in re mea, quæ ad caput, & ſalutem pertinet,vel in perniciem meam. ſed ſi hanc explicationem poſteriorem probaremus, legendum eſſet *in rem capitalem meam*. VT CONSVLEM] eos.

## ANTIPHO ſenex. PAMPHILIPPVS. A
### EPIGNOMVS.

AN. ITa me Di bene ament, meáſque mihi bene ſeruaſſint filias,<br>
Vt mihi volupe'ſt Pamphilippe, quia vos in patriam domum<br>
Rediiſſe video, bene geſta re, ambos: te, & fratrem tuum,<br>
PA. Satis abs te accipiam, niſi videam mihi te amicum eſſe Antipho.<br>
Nunc quia te amicum mihi experior eſſe, creditur tibi.<br>
AN. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus niſi dixiſſet mihi,<br>
Te apud ſe cœnaturum eſſe hodie, cùm me ad ſe ad cœnam vocat:<br>
Et magis par fuerat me dare vobis cœnam aduenientibus,<br>
Quàm me ad illum promittere, niſi nollem ei aduerſarier. B<br>
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil deſidero,<br>
Cras apud me eritis, & tu, & ille cum veſtris vxoribus.<br>
PA. Et apud me perendie. nam ille here me iam vocauerat<br>
In hunc diem. ſed ſatin' ego tecum pacificatus ſum Antipho?<br>
AN. Quando ita rem geſſiſtis, vti vos vellem, amicos atque addecet,<br>
Pax, commerciúmque eſt vobis mecum. nam hoc tu facito cogites,<br>
Vt cuique homini res parata eſt, firmi amici ſunt. ſi res labat,<br>
Itidem amici collabaſcunt. res amicos inuenit.<br>
EP. Iam redeo. nimia volupta'ſt, ſi diu afueris domo,<br>
Domum ſi redieris, ſi tibi nulla eſt ægritudo animo obuiam. C<br>
Nam ita me abſente familiarem rem vxor curauit meam:<br>
Omnium me exſulem atque inanem fecit ægritudinum.<br>
Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum ſocero ſuo.<br>
PA. Quid agitur Epignome? EP. quid tu? quamdudum in portum venis<br>
Huc? PA. longiſſimè. EP. poſt illa iam iſte eſt tranquillus tibi?<br>
AN. Magis, quàm mare, quo ambo eſtis vecti. EP. facis, vt alias res ſoles.<br>
Hodiéne exoneramus nauem frater? PA. clementer volo. D<br>
Noſmet potius oneremus viciſſatim voluptatibus.<br>
Quàm mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum. EP. abi intrò ad me & laua.<br>
PA. Deos ſalutatum, atque vxorem modò intrò deuortor domum.<br>
EP. Apud nos hîc eccilla feſtinat cum ſorore vxor tua.<br>
PA. Optimum eſt iam. iſtoc moræ minus erit. iam ego apud te ero.<br>
AN. Priuſquam abis, præſente te huic apologum agere vnum volo.<br>
EP. Maxumè. AN. fuit olim, quaſi ego ſum, ſenex. ei filiæ<br>
Duæ erant, quaſi nunc meæ ſunt. eæ erãt duobus nuptæ fratribus.<br>
Quaſi nunc meæ ſunt vobis. PA. miror quò euaſuru'ſt apologus

Minor



A AN. Minor ex illis adoleſcens fidicinam atque tibicinam<br>
Peregrè aduexerat. quaſi nunc tu: ſed ille erat celebs ſenex,<br>
Quaſi ego nunc ſum. PA. perge porrò. præſens hic quidem eſt apologus.<br>
AN. Deinde ſenex ille illi dixit, cuius erat tibicina,<br>
Quaſi ego nunc tibi dico. PA. auſculto, atque animum aduorto ſedulò.<br>
AN. Ego tibi meam filiam, bene qui cum cubitares dedi:<br>
Nunc mihi reddi ego æquum eſſe abs te, qui cum cubitem, cenſeo.<br>
PA. Quis iſtuc dicit, an ille, quaſi tu? AN. quaſi ego nunc dico tibi.<br>
B Immò duas dabo, inquit ille adoleſcens, vna ſi parum eſt:<br>
Et ſi duarum pœnitet, inquit, addentur duæ.<br>
PA. Quis iſtuc? quæſo. an ille quaſi ego? AN. is ipſe quaſi tu, ſenex<br>
Ille, quaſi ego, ſi vis, inquit, quattuor ſanè dato,<br>
Dum quidem hercle quod edant, addas, meum ne contruncent cibum.<br>
PA. Videlicet illum fuiſſe parcum ſenem, qui dixerit.<br>
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerit.<br>
AN. Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem, qui illico<br>
Ille vbi poſcit, denegauit ſe dare granum tritici.<br>
Hercle quia æquum poſtulabat ille ſenex, quandoquidem<br>
C Filiæ ille dederat dotem, accipere pro tibicina.<br>
PA. Hercle ille quidem certè adoleſcens doctè vorſutus fuit,<br>
Qui ſeni illi concubinam dare dotatam noluit.<br>
AN. Senex quidem voluit, ſi poſſet, indipiſci de cibo.<br>
Quia nequiuit qua lege licuit, velle dixit fieri.<br>
Fiat, ille inquit adoleſcens. facis benignè, inquit ſenex,<br>
Habeon' rem factam? inquit. faciam ita, inquit, vt fieri voles.<br>
Sed ego ibo intrò, & gratulabor voſtrum aduentum filiis.<br>
Poſtea ibo lauatum in pyelum, ibi fouebo ſenectutem meam.<br>
Pòſt vbi lauero, otioſus vos opperiar accubans.<br>
D PA. Graphicum mortalem Antiphonem. vt Apologum fecit, quàm fabre?<br>
Vt iam nunc ſceleſtus eſſe cupit pro adoleſcentulo?<br>
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet ſenem.<br>
Námque ædepol aliud quidem illi, quid amica opus ſit, neſcio.<br>
Sed quid agit paraſitus noſter Gelaſimus? etiam valet.<br>
EP. Vide ædepol hominem haud perdudum. PA. quid agit? EP. quod famelicus.<br>
PA. Quin vocaſti hominem ad cœnam? EP. nequid aduenienſ perderem.<br>
Atque eccum tibi lupum in ſermone. præſens, eſuriens adeſt.<br>
PA. Ludificemur hominem. EP. capiti conſilij memorem mones.

SERVASSINT] ſeruauerint. VOLVPE'ST] iucundum eſt. SATIS ABS TE ACC.] niſi certò ſcirem te mihi eſſe amicũ, tibi non crederẽ, & te, vt fideiuſſores, aut ſponſores poſcerẽ, qui hoc mihi ita eſſe promitterent, & præſtarẽt. Nunc autẽ qui me experior te mihi amicum eſſe, hoc tibi credo ſine ſponſoribus ſeu prædibus, & ſine ſatiſdatione. Sic in Moſtell. *ſi acceptum tibi habes illum amicum eſſe ſempiternum.* ibidem: *ſi tibi ſat acceptum eſt fore amicũ tibi ſempiternum.* AD ILLVM PR.] promittere me apud illum cenaturum. GRATIAM ABS TE INIRE VERBIS] tibi gratificari verbis. TECVM PAC. SVM] tibi reconciliatus ſum. VTI VOS V. A. ATQVE ADD.] ita vt vos vellem, & vt amicos decet. PAX, COMMERCIÚMQVE] tralatio, aut allegoria à ciuitatibus aut rebus publicis, quæ cum aliis ciuitatibus pacem habent, & commercium. Nam inter eas, inter quas bellum eſt, non eſt commercium. VT CVIQVE H. RES P.] vt quiſque diues eſt, ita amicos firmos, & ſtabileis habet, diuitias enim ſequuntur, & colunt amici. *vulgus enim*, vt ille ait, *amicitias vtilitate probat.* SI RES LABAT ITIDEM AMICI] Horatius. *diffugiunt cadis Cum fæce ſiccatis amici, Ferre iugum pariter doloſi.* IAM REDEO] iam redeo domó ad Pamphilippum. NIMIA V. SI DIV AF.] A DOMO, &c.] maxima voluptas eſt homini, qui diu afuerit domo, domum redire, ſi modò nihil offendat domi, quod ei ægritudinem aliquam afferat. OMNIVM ME EXS. &c.] ſic legendum, non vt vulgò, *exilem.* ſententia autem eſt aperta. ſignificat eum ſe ab vxore factum eſſe omnium ægritudinum expertem, quod rem familiarem ſe abſente diligenter curarit. exſul ægritudinum. tralatio, id eſt, qui ab ægritudinibus longè abeſt. LONGISSIME] dudum veni. POSTILLA] poſtea. TRANQVILLVS] placatus, ęquus. CLEMENTER] non nimis properè: cõmodo noſtro. placidè. VICISSAT.] viciſſim. APVD N.] domi noſtræ. FESTINAT] Horat. oda lib. *cuncta feſtinat domus.* ISTOC MORÆ M. E.] ſi vxor mea domi tuæ eſt, vt dicis, tãto minus erit moræ. FVIT OLIM Q. EGO S.] fuit olim ſenex quidam vt ego ſum. QVÒ EVASVRV'ST] quem exitum ſit habiturus. QVICVM C.] aliquam cum qua cubitem. ET SI DVAR. P.] & ſi duæ non ſatis erunt. IS IPSE, QVASI TV] is ipſe adoleſcens, quaſi tu, dixit illa ſuperiora. DVM QVIDEM H. QVOD EDANT, ] dum modò ſanè addas, quod puellæ illæ comedant. CONTRVNCENT] comminuant, conſumant. VIDELICET ILLVM F.] id eſt, intelligere licet, ſeu perſpicuum eſt, illum ſenem parcum fuiſſe, qui illa dixerit, nempe, quattuor ſanè dato, dum quod edant, addas. QVONIAM ILLE ILLI, &c.] quoniam ille adoleſcens, illi pollicetur, nempe ſeni ſe daturum puellas, quot velit, qui, ſenex, eum adoleſcentem popoſcerit cibum. VIDELICET] perſpicuum eſt. ILLE] ſenex. ACCIPERE] dotem. æquum poſtulabat accipere dotem pro tibicina, quandoquidem filiæ dotem dederat. SENEX QVIDAM V. SI P. IND.] ſenex quidem voluit, quod ad cibum attinet, conſequi, ſeu adipiſci, ſeu obtinere, ſi poſſet. voluit ſenex, ſi poſſet, cum puellis etiam cibum, vnde alerentur, obtinere: ſed quia nequiuit, ea lege puellas ab adoleſcente obtinere, vt cibum quoque adipiſceretur, dixit ſe velle illas ea lege accipere, qua lege licuit. nempe etiam ſine cibo. FACIS B.] facis liberaliter. HABEON' REM F.? INQVIT] réſne tranſacta & rata eſt? inquit ſenex. promittíſne mihi hanc rem tibi hac lege placere? ET GRATVL. V. ADV. F.] filiis, id eſt, filiabus. Profert Priſcianus lib. 7. POST IBO LAVATVM IN P.] in pyelum, id eſt, in balneum, ſeu vas balnearium, labrum. pyelos, vas amplum, in quo veteres lauabant. vos Græca eſt πύελος Iulius Pollux lib. 10. cap. 16. καὶ μὲν οἱ τῶν ἐν τῷ βαλανείῳ σκευῶν ὀνόματα ἀσάμινθος, πύελος κρουνὸς, &c. Lectionem vulgatam, pilum, & inaneis eorum, qui ita legunt, explicationes, futileíſque coniecturas, neque neceſſe habeo refellere, cùm ſe ipſæ refellant. neque mihi operæpretium videtur, ad alia properanti. GRAPHICVM MORT.] ô elegantem hominem, & venuſtum, & quaſi pictum, ſuprà. FABRè] artificioſè, vel, vt Nonius, perfectè. VT IAM NVNC SCELVS ESSE C. PRO AD.] quàm cupit iam nunc tamquã adoleſcentulus ſceleſtus, id eſt, flagitioſus eſſe? impropriè *ſceleſtum* pro flagitioſo poſuit. nam *ſceleſtus* intelligitur propriè, qui deos aut parenteis læſit, aut qui ſe cruore contaminauit. Licet etiam dicere eſſe hyperbolen. nam libido in ſene non ſolùm flagitioſa eſt, ſed etiam, pęnè dicã, ſceleroſa. Sic ferè Cicero epiſt. 1. lib. 6. ad Atticũ οὐκ ἔλαθέ σε, illud de geſtu hiſtrionis. Tu ſceleſtè ſuſpicaris, ego ἀφελῶς ſcripſi. QVOD FAMELICVS] id agit, quod famelicus agere ſolet. NE QVID ADV. P.] ne quàm primùm aduenieus iacturam facerem. nam paraſitum alere, eſt perdere. ATQVE ECCVM T. L.] prouerbium eſt. ſic Terent. Adelph. act. 4. ſcen. 1. *Lupus in fabula.* ad quem locum lege Donatum. CAPTI CONS. M. M.] mones me memorem conſilij, quod iam ipſe ceperam. etiam hoc memorem mones. prouerbium olet.

## GELASIMVS PARASITVS. PAMPHILIPP. EPIGNOMVS.

GE. EST ita vt occœpi narrare vobis. cùm hic non affui,
Cum amicis deliberaui iam, & cum cognatis meis.

Id mihi



A Id mihi auctores fuere, vt egomet me hodie iugularem fame.
Sed videóne ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is eſt.
Aggrediar hominem. ſperate Pamphilippe, ô ſpes mea,
O mea vita, ô mea voluptas, ſalue, ſaluum gaudeo,
Peregre in patriam rediſſe ſaluum. PA. ſalue Gelaſime.
GE. Valuiſtin' bene? PA. ſuſtentaui ſedulò. GE. ædepol gaudeo,
Ædepol ne egomet mihi modiũm nunc mille eſſe argenti velim.
EP. Quid eo opus eſt? GE. hunc ad cœnam hercle vt vocem, te non vocem.
EP. Aduorſum te fabulare illud quidem. GE. ambos vt vocem.
B EP. Ædepol te vocem libenter, ſi ſuperſiat locus.
GE. Quin tu ſtas obtruſero aliquid ſtrenuè. EP. immò vnum hoc poteſt
GE. Quid? EP. vbi conuiuæ abierint, tum venias. GE. væ ætati tuæ.
EP. Vnà lautum, non ad cœnam dico. GE. Di te perduint.
Quid agis Pamphilippe? PA. ad cœnam hercle aliò promiſi, foras.
GE. Quid? foras? PA. foras? hercle verò. GE. quî, malum, tibi laſſo libet
Foris cœnare? PA. vtrum tu cenſes? GE. iube domi cœnam coqui,
C Atque ad illum renuntiari. PA. ſolus cœnabo domi?
GE. Non enim ſolus. me vocato. PA. at ille ne ſuccenſeat,
Mea qui cauſſa ſumtum fecit. GE. facilè excuſari poteſt.
Mihi modò auſculta. iube domi cœnam coqui. EP. non me quidem
Faciet auctore hodie, vt illum decipiat. GE. non tu hinc abis?
Niſi me non perſpicere cenſes quid agas. caue ſis tu tibi.
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quaſi eſuriens lupus.
Non tu ſcis, quàm afflictentur homines noctu hic in via?
D PA. Tanto plureis, qui defendant, ire aduorſum iuſſero.
EP. Non it, non it, quia tanto opere ſuades ne betat. GE. iube
Domi mihi, tibi, tuæque vxori celeriter cœnam coqui.
Si hercle faxis, non te, opinor, dices deceptum fore.
PA. Tibi per hanc cœnam incœnato Gelaſime eſſe hodie licet.
GE. Ibiſne ad cœnam foras? PA. apud fratrem cœno in proximo.
GE. Certúmne eſt? PA. certum. GE. ædepol te hodie lapide percuſſum velim.
PA. Non metuo. per hortum tranſibo: non prodibo in publicum.
EP. Quid ais Gelaſime? GE. oratores tu accipis. habeas tibi.
EP. Tua pol réfert enim. GE. ſiquidem mea réfert, opera vtere.
EP. Eſſe ædepol tibi, opinor, etiam vni locum eſſe conſpicor,

Vbi accubes. PA. ſanè faciundum cenſeo. GE. ô lux oppidi. A
EP. Si arctè poteris accubare. GE. vel inter cuneos ferreos.
Tantillum loci vbi catellus cubet, id mihi ſat eſt loci.
PA. Exorabo aliquo modo. EP. veni. GE. huccine? EP. imò in carcerem.
Nam hîc quidem meliorem genium tuum non facies. eamus tu.
PA. Deos ſalutabo modò, poſtea ad te continuò tranſeo.
GE. Quid agitur? EP. dixi equidem, in carcerem ires. GE. quin ſi iuſſeris,
Eò quoque ibo. PA. Di immortales. hic quidem vi ſumma in crucem
Cena aut prandio perduci poteſt. GE. ita ingenium meum eſt. B
Qui cum vis, depugno multo facilius, quàm cum fame.
PA. Non ergo is tu? apud me ſatis ſpectata eſt mihi iam tua felicitas.
Dum paraſitus mihi, atque fratri fuiſti. rem confregimus.
Nunc ego nolo è Gelaſimo mihi te Catagelaſimum.
GE. Iámne abiſti Gelaſime? vide quid es capturus conſilij.
Egóne? túne? mihíne, tibíne? vides vt annona eſt grauis?
Vt benignitates hominum periêre & prothymiæ?
Vides ridiculos nihili fieri, atque ipſos paraſitarier?
Numquam ædepol me viuum quiſquam in craſtinum proſpiciet diem.
Nam mihi iam intus potione vincea onerabo gulam. C
Neque ego hoc committam, vt homines mortuum me dicant fame.

EST ITA VT OCC.] alloquitur ſpectatores, narrátque eis, quod cum amicis conſilium cœperit. Referendum eſt autem huius ſcenæ principiũ ad illa proſtrema ſcenę *Libros inſpexi,* &c. Certum eſt amicos conuocare, vt conſulem, &c. ID MIHI AVCT. F.] ſic eſt legendum, & ita ſemper loquitur Plaut. non, vt habent libri vulgati, *ita mihi* SPERATE PAMPH.] exſpectate Pamphilum, quem ego ſperaui ſaluum ex Aſia aduenturum, mihíque præſidio aduerſus famem futuram. SVSTENTAVI SEDVLÒ] ſic ſuprà *Libros inſpexi ſuſtentatum eſt ſedulò.* ÆDEPOL NE EGOMET MIHI, &c.] velim nunc mihi eſſe mille modiorum argenti. mille modiûm autem, ſeu mille modiorum, ſic dictum, vt mille nummûm, mille hominum, mille ouium: quæ ſunt à nobis annotata in commentariis Horatianis, & Æmilianis, ſeu Cornelianis. TE NON VOCEM] hoc eò dicit, quia ab Epignomo impetrare non potuit, D vt apud eum cum aliis ſummatibus viris cenaret, ſi non in ſummo lecto, at in imo ſubſellio. ADVORSVM TE F. ILLÚDQVE] hoc eò dicit Epignomus, quod ipſe erat pater cenæ, ſeu conuiuator. SI SVPERFIAT] ſi ſuperſit locus. OBTRVSERO ALIQ. STR.] oppoſuero aliquid, fortaſſe cubitum. ſtrenuè, fortiter. VNA LAVTVM, NON AD C. D.] venias, inquam, lautum, non cenatum. PERDVINT] perdant. VTRVM TV C.?] vtrum duorum cenſes, me domi cenare, an foris? AD ILLVM] qui te vocauit. RENVNTIARI] te non iturum. AT ILLE NE SVCC.] àt periculum eſt, vel at verendum eſt, ne ille ſuccenſeat. NON TV HINC ABIS?] Gelaſimus Epignomum ſibi aduerſantem abigere conatur. NISI ME NON PERS.] niſi fortè putas me non videre, quid ſpectes, & quò animum intẽdas. ſignificat paraſitus Epignomum captare hæreditatem fratris Pamphilippi, vt intelligere licet ex iis, quæ ſequuntur. CAVE SIS TV TIBI] alloquitur nunc Pamphilippum. ILLIC HOMO] Epignomus. INHIAT] captat, aucupatur. hians appetit: & idcirco te ad cenam inuitauit. NON TV SCIS QVÀM AFFL.] ignoráſne quomodo, vel quàm valde, & quàm ſæpè noctu affligentur homines domum è cena redeuntes? affligentur autem, id eſt, in terram præcipites dentur, & abiiciantur, à graſſatoribus ſcilicet, & furibus nocturnis. Libri vulgati habent *efflictentur,* quibuſcum & nonnulli libri veteres conſentiunt. IRE ADVERSVM]



A VERSVM] ire aduerſus fures, & graſſatores nocturnos. NON IT] non it ad cenam apud ſe. VT BETAT] vt eat: *betere* eſt ire, ex quo perbitere, perire. Feſtus, Nonius. TIBI, PER H. CENAM INC.] id eſt, ſi nulla tibi alia Gelaſime cena parata eſt, quàm ea, quæ domi noſtræ parabitur, incenatus hodie dormies. OPERA VTE.] vtere mea opera, ſi mea refert te oratores iſtos accipere. ARCTÈ] anguſtè. anguſto loco. VEL INTER C. F.] id eſt, vel in arctiſſimo loco accumbere potero. hyperbole. Quid enim anguſtius eo loco, in quẽ duo, aut plures cunei adiguntur, verbi gratia, cùm lignum aliquod finditur? HVCCINE?] in has ædeis? Epignomi ædeis indicat. MELIOREM GENIVM TVVM NON FAC.] non melius Genium tuum curabis. malim legi *haud facies,* propter verſum. EAMV' TV] eamus tu Pamphilippe. NAM HIC QVIDEM SINE VI, &c.] nam hic quidem ita eſurit, vel ita fame premitur, vt ſine vlla vi ad crucem perduci poſſit, prandio cum cena propoſita. QVICVM VIS] cum quo vis. TVA FELICITAS] ſatis ſpectata eſt à me domi meę tua felicitas, quandiu paraſitus, &c. ſatis te cognoui fortunatum, quandiu paraſitus, &c. tua felicitas autem, dixit, quaſi dicere vellet, tua fidelitas. REM CONFREGIMVS] nunc rem familiarem amiſimus. rem confregimus autem dixit, vt ſi diceret, nauem confregimus, id eſt, naufragium noſtræ rei familiaris fecimus. NVNC EGO NOLO TE È GELAS.] nolo te è ridiculo, & vrbano riſum mo- B uente, fieri deridiculum, & deriſui eſſe. VIDES, VT ANNONA EST GR.] vides, quàm annona ſit grauis. Licet legere & ſine interrogatione, hoc modo, *vides, vt annona eſt grauis.* id eſt, vides, quàm ſit grauis, & difficilis annona, quanta ſit rerum ad victum neceſſariarum caritas. PROTHYMIÆ] ſaluete animorũ ſtudia, & promtę voluntates. infrà ſcena, *Saluete Athenæ. Saltationes, blãditias, prothymias.* RIDICVLO] eos, qui riſum mouent. PARASITAR.] à diuitibus, vt à paraſitis captari, & lactari? NAM MIHI INTVS POTION. V.] nam mihi domi laqueo circundabo gulam. potione vincea dixit facetè, quaſi dicturus fuerit potione vinacea, ſeu vincea, cùm tamẽ interea ad vinculum, & vinctionem alluderet, à verbo vincio: quemadmodũ rectè explicat Adrianus Turnebus lib. 9. Aduerſ. cap. 21. Præterea, Feſtus docet veteres vinciam dixiſſe continentem: vt alia ratione, neque tamen minus venuſta, & faceta. Plautus vinceam, ſeu vinciam potionem, appellaſſe intelligatur, laqueum, quod contineat.

## STICHVS.

C MOre hoc fit, atque ſtultè, mea ſententia,
Si quem hominem exſpectant, eum ſolent prouiſere,
Qui hercle illa cauſſa nihilo citius venit.
Idem ego nunc facio, qui prouiſo Sagarinum,
Qui nihilo citius venit tamen hac gratia.
Iam hercle ego decumbam ſolus, ſi ille huc non venit,
Cadum modò hinc à me huc cum vino transferam,
Poſtea accumbam, quia ſenſim extabeſcit dies.

ATQVE STVLTÈ] & quidem ſtultè. EVM SOLENT PROVISERE] cum ſolent porrò viſere, & longè viſere, vltrò viſere. HAC GRATIA] ob hanc cauſam, quòd eum D prouiſo. DECVMBAM] cubabo deorſum, cubabo in lecto molliter, & remiſsè. propriè dicuntur ægroti decumbere. A ME] ab ædibus heri mei: vel à cella mea. HVC] in ædeis Pamphilippi. EXTABESCIT] minuitur. tralatio eſt.

## SAGARINVS, STICHVS ſerui duo.

SAluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ.
O terra herilis patria, te video libens.
Sed amica mea & conſerua quid agat Stephanium,
Cura eſt: vt valeat. nam Sticho mandaueram
Salutem vt nuntiaret, atque ei vt diceret
Me hodie venturum, vt cenam coqueret tempori.

Sed Stichus eſt hic quidem. ST. feciſti here facetias, A
Cùm hoc donauiſti dono tuum ſeruo Stichum.
Pro Di immortales, quot ego voluptates fero?
Quot riſiones, quot iocos, quot ſauia,
Saltationes, blanditias, prothymias?
SAG. Stiche. ST. hem. SAG. quid fit? ST. euge Sagarine lepidiſſime.
Fero conuiuam Dionyſum mihi & tibi.
Namque ædepol cœna dicta eſt, locus liber datus'ſt
Mihi & tibi apud vos: nam apud nos eſt conuiuium.
Ibi noſter cœnat cum vxore adeò & Antipho.
Ibidem herus eſt voſter. hoc mihi dono datum'ſt. B
SA. Quis ſomniauit aurum? ST. quid id ad te attinet?
Proin tu lauare propera. SA. lautus ſum. ST. optimè,
Sequere ergo hàc me intrò. SA. ego verò ſequor.
ST. Volo eluamus hodie. peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus: ſequere me.
SA. Sequor, & domum redeundi principium placet.
Bona ſcæua, ſtrenáque obuiam acceſſit mihi.

QVÆ NVTRICES GRÆCIÆ] ſubintellige, eſtis. quæ Græciæ, atque adeò omnibus aliis nationibus fruges diſtribuiſtis. M. Tullius, pro Lucio Flacco. *Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omneis terras diſtributæ putantur.* Iſocrates in Panegyrico. Ariſtides in Panathen. Lucretius proëmio lib. 6. *Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris, Diderunt quondam præclaro nomine Athenæ*, &c. C CVRA EST] cura eſt ſciendi. eſt mihi curæ ſcire, quid agat, vt valeat. SALVTEM VT N.] vt ei ſalutem nuntiaret, eíque diceret. TEMPORI] al. temperi. FECISTI H. F.] alloquitur herum ſuũ abſentem Stychus. cadum vini, quem ab illo dono acceperat, portãs in ædeis Pamphilippi. feciſti facetias autem, id eſt, feciſti res facetas, & lepidas. ne & factis te lepidum, ac facetum eſſe declaraſti. CVM HOC DONASTI DONO] hoc vini cado. ſuprà ſcena. *Cùm re bene geſt. Cadum tibi veteris vini propino* PROTHYMIAS] animi alacritates, promtas voluntates, vt ſup. ſcena, *Eſt ita vt.* in extr. DIONYSVM] Bacchum. CENA DICTA EST] cena condicta eſt. HOC] hic vini veteris cadus. QVIS SOMN. AVRVM?] libri noſtri veteres habent. *Quin ſomniaui verum.* nonnulli vulgati. *Quis obſonauit aurum.* VOLO ELVAMVS] volo hodie, quidquid vobis peculij eſt profundi. vide ſuprà. ET DOM. RED. PRINCIP. PL.] & hoc auſpiciũ, quod mihi obiicitur, domum redeunti placet. BONA SCÆVA STRENÁQVE] ſic reſtitui ex noſtrorum librorum veterum auctoritate. quid ſit, bona ſceua, diximus ſuprà in Pſeudolo, ibi. *Bene ego prædatus ibo, noui, bona ſcæua eſt mihi.* quid ſit ſtrena, docet Feſtus his verbis, *ſtrenam vocamus, quæ datur die religioſo boni ominis gratia, à numero, quo ſignificatur alterum, tertiúmque venturum ſimilis commodi, veluti trena quæ, præpoſita s. littera, dicitur ſtrena, vt in lite ſolebant antiqui dicere ſlitem.* D ſignificat igitur ſe bonis auibus domum redire.

STEPHANIVM ancilla.

MIrum videri nemini veſtrûm volo, ſpectatores,
Quid ego hinc, quæ illic habito, exeam. faciam vos certiores,
Domo dudum ſum huc arceſſita. quoniam nuntiatum eſt,
Iſtarum venturos viros. ibi feſtinamus omnes,
Lectis ſternendis ſtuduimus, munditiiſque apparandis.





A Inter illud tamen negotium meis curaui amicis,
Sticho & conſeruo Sagarino meo, cœna cocta vt eſſet.
Stichus obſonatus eſt. cæterùm ego curando id allegaui.
Nunc ibo hinc, & amicos meos curabo hîc aduenientes.

HINC] ex ædibus Epignomi. FESTINAMVS OMNES] omnes ſtudioſè operam damus Epignomo, & eius vxori. OBSONATVS EST] obſonium parauit. CÆTERVM EGO CVRANDO ID ALL.] ceteroqui ego aliquem alligaui, id eſt, priuatum miſi, qui id curaret, & coqueret.

SAGARINVS, STICHVS, ſerui duo.

B
AGite, ite foras, ferte pompam, cado te præficio Stiche.
Omnibus modis tentare certum'ſt noſtrum hodie conuiuium.
Ita me Di ament, lepidè accipiemur, cum hoc recipiamur in loco
Quiſquis prætereat, comiſſatum volo vocari. ST. cónuenit,
Dum quidem hercle quiſque veniat cum vino ſuo. nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos iam dabitur nemini.
Noſmet inter nos miniſtremus monotrohpè. hoc conuiuium eſt
C Pro opibus noſtris, ſatis commodulè, nucibus, fabulis, ficulis,
Oleæ in tryblio, lupilli, cum minuto cruſtulo.
Sat eſt ſeruo homini modeſtè melius facere ſumtum, quàm ampliter
Suum quémque decet. quibus diuitiæ domi ſunt, ſcaphio, cantharis.
Batiolis bibunt. nos noſtro Samiolo poterio
Tamen viuimus. nos tamen efficimus pro opibus noſtra mœnia.
SA. Amicæ vter vtrubi accumbamus? ST. abi tu ſanè ſuperior.
Atque adeò, vt tu ſcire poſſis, factum ego hoc tecum diuido.
Vide: vtram tibi libet etiamnum capere, cape prouinciam.
D SA. Quid iſtuc eſt prouinciæ? ST. Vtrum Fontinali, an Libero.
Imperium te inhibere mauis. SA. nimio liquido libero
Sed amica mea & tua dum comit, dúmque ſe exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos ſtrategum te facio huic conuiuio.
ST. Nimiùm lepidè in mentem venit. potius in ſubſellio
Cynicè accipiemur, quàm in lectis. SA. immò enim hîc magis eſt dulcius.
Sed interim Stratege noſter, cur hic ceſſat cantharus?
Vide quot cyathos hos bibimus. ST. tot, quot digiti ſunt tibi in manu.
Cantio Græca eſt ἢ πέντε πῖν' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα.
Tibi propino decuma fonte: tibi tute inde, ſi ſapis.

SA. Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium. A
Bibe, ſi bibis. ST. non mora erit apud me. SA. ædepol conuiui ſat eſt,
Modò noſtra huc amica accedat. id abeſt, aliud nihil abeſt.
Lepidè hoc actum eſt. tibi propino cantharum. vinum tu habes.
ST. Nimis vellem aliquid pulpamenti. SA. ſi horum, quæ aſſunt, pœnitet,
Nihil eſt. tene aquam. ST. melius dicis: nihil moror cupedia,
Bibe tibicen, age ſiquid agis, bibendum hercle hoc eſt:ne nega.
Quid hoc faſtidis? quod faciundum vides eſſe tibi? quin bibis?
Age,ſi quid agis. accipe,inquam. non hoc impendet publicum. B
Haud tuum iſtuc eſt te vereri. eripe ex ore tibias.
ST. Vbi illic biberit,vel ſeruato meum modum,vel tu dato.
Nolo ego nos pro ſummo bibere. nulli relerimus poſtea.
Namque ædepol, quamuis deſubito vel cadus verti poteſt.
SA. Quid agitur? quamquam grauatus fuiſti, non nocuit tamen.
Age tibicen quando bibiſti, refer ad labias tibias.
Suffla celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens beſtia.
Age dum Stiche, vter demutaſſit,poculo multabitur.
ST. Bonum ius dicis:impetrare oportet, quia æquum poſtulas.
Age ergo,obſerua. ſi peccaſſis,multam hîc retinebo illico
SA. Optimum atque æquiſſimum oras. ST. hem tibi, hoc primum omnium, C
Hæc facetia'ſt, amare inter ſe riualeis duos:
Vno cantharo potare,& vnum ſcortum ducere.
Hoc memorabili'ſt. ego tu ſum. tu es ego, vni animi ſumus,
Vnam amicam amamus ambo: mecum vbi eſt,tecum eſt tamen:
Tecum autem vbi eſt, mecum autem ibi eſt: neuter alteri inuidet.
SA. Ohe. iam ſatis. nolo obcædes. catuli vt ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc euocemus? ea ſaltabit. ST. cenſeo.
SA. Mea ſuauis,amabilis,amœna Stephanium,ad amores tuos D
Foras egredere. ſatis mihi pulcra es. ST. at enim pulcerrima.
SA. Fac nos hilaros hilariores opera atque aduentu tuo.
Peregre aduenientes te expetimus. Stephanicidium, mel meum,
Si amabilitas tibi noſtra placet, ſi tibi ambo accepti ſumus.

FERTE POMPAM] ferte ordine, vt ſit in pompa, quæ ad conuiuium agitandum nata, & parata ſunt. LEPIDÈ ACCIPIEMVR]eleganter,& venuſtè tractabimur,cùm in hunc locum recipiamur. COMISSATVM VOLO VOCARI] volò inuitari ad ſaltandum, & laſciuiendum,& licenter iocandum,mollitérque viuendum.comiſſari idem valet,quod κωμάζειν,vt ſæpè docuimus,eiúſque origo Græca eſt,non Latina à comedo,vt putant iſti ludimagiſtri triobolares,quod ſemel malè didicerunt,dediſcere non poſſunt. POLLVCTVRA] polluctura propriè dicitur de decimis, quæ ſacrantur Herculi. NOSMET INTER NOS M. MONOTR.]nos ſimus ipſi nobis miniſtri, vt ij, qui ſoli viuunt, & quibus non eſt vllus victus quotidiani



A quotidiani adminiſter,*monotrophè* accipio, vt ſit aduerbiũ. quòd autẽ quidã accipiũt in vocandi caſu, volunt Sagarinum à Stycho monotrophum appellari, quòd ſolus ſit,non conſeruum habeat,neque ancillam conſeruam,quia vt illi dicunt,qui talis eſt,ſibi ipſe miniſtrare cogitur,falluntur. nam refellit eos Plautus ipſe, qui Sticho nullum tribuit conſeruum, nullámue conſeruam,Sagarinũ contra Stephanium contubernalem & conſeruam. ſuprà ſcena.*Cùm bene re geſta, Amicam habeo Stephaniũ hinc ex proximo Tui fratris ancillam. ei condicam ſymbolã Ad cenam, & eius conſeruo Sagarino Syro.* FABVLIS] paruis fabis. non enim fabulæ ſunt intelligendæ à fando. OLEÆ IN TRYBLIO] cùm in noſtris libris veteribus ita ſcriptum reperiiſſem, *Oleæ in triplio*,nos ex iis obſcuris veſtigiis veræ ſcripturæ, *Oleæ in tryblio*, reponendum eſſe exiſtimauimus: quod item Adriano Turnebo iam antè venerat in mentem. *tryblium* autem, nomen Græcũ eſt, ſignificátque catinum,aut patellam. LVPILLI] parui lupini.ſic autem legendum,non *lupillo*. CVM MINVTO CRVSTVLO]id eſt,cum minutis cruſtulis. Horat. *pueris olim dant cruſtula blandi Doctores elementa velint vt diſcere prima.* MODESTÈ MELIVS F. S. QVÀM AMPLITER] melius eſt ſumtum facere mediocriter & modicè, quàm amplè,& opiparè. Profert Nonius. arbitror etiam Cariſium hunc locum ſpectantem hoc notaſſe. *ampliter* Plautus,pro, *amplè*. BALIOLIS] baliola, genus eſt poculi,vt & ſcaphium. Nonius ex Plauto in Colace
B *baliolam auream octo pondo habebat*. ſed legendum potius *baliocis* apud Plautum,vt Adriano Turnebo videtur, & apud Nonium *balioca*. SAMIOLO POTERIO] ſamiolo poculi. poterium ποτήριον, vox Græca eſt. Samia vaſa autem erant fictilia. Cicero Fragm. lib. 6. de Rep. *Oratio extat, Læli, quam omnes habemus in manibus, quàm diis immortalibus grata ſint ſympina, ſeu ſympina Pontificum, ſamiæq́, vt is ſcribit, capedines.* Idem pro Lucio Murena. *atque ille homo eruditiſſimus ac Stoicus ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa ſamia: quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus*, &c. NOS TAMEN OFFICIO PRO OPIBVS NOSTRA MOEN.] allegoria eſt,quæ prouerbium olet: ſignificat autem Stychus ſe, & Sagarinum ſumtum facere pro facultatibus, & apparaſſe conuiuium ſuis fortunis cõſentaneum. tracta autem allegoria eſt à ciuibus, qui mœnia vrbis ſuæ faciunt pro opibus ſuis. Alij *mœnia* dictum volunt pro *munia*, vt mœnera pro munera,& cœra pro cura,& pœnire, pro punire,& ſimilia. & ductum eſſe volunt ab iis,qui ſe pro ſuis opibus,& facultatibus fungi munere,& pecuniam conferre prædicant. AMICÆ VTER VTRVBI ACCVMB.] vter vtro in loco accumbamus amicæ noſtræ? quærit, vter accumbat in ſuperiore loco, vter in inferiore. Nam vt vterque amicæ accumberet, neceſſe erat amicam mediam recumbere,& alterum in ſuperiore,alterum in inferiore ei accumbere. Itaque reſpon-
C det Stichus,abi tu ſuperior, id eſt, abi & accumbe ſuperior. FACTVM] minus negotium. VTRVM FONTINALI, AN LIBERO] ſic legendum eſſe rectè coniecit Adrianus Turnebus,eíque aſſentior. nam & in vulgatis,& in veteribus,legitur *fontali* minus emendatè. *Fontinali* autem,ſubintellige,à fontinalibus fontium ſacris. Feſt. *fontinalia fontium ſacra*. Vnde & Romæ. Fontinalis porta. Sentẽtia autem horum verborum hæc eſt, vtrum in aquam,an in vinum imperium habere: ſeu vtrum aquæ,an vino præeſſe mauis? NIMIO LIQVIDO LIBERO] nimio malo,id eſt,multo malo præeſſe libero,liquido, & defæcato,quàm aquæ. DVM C.] ſe, ἀπὸ κοινοῦ, ludere,bibere. STRATEGVM]imperatorem,ſeu exercitus ducem. ſed ſtrategum pro imperatore,& magiſtro conuiuij ſimpliciter poſuit. IN SVBSELLIO] in humiliore ſede,ſeu loco. CYNICÈ] Cynicorum in morem. NON IN LECTIS] qui ſunt ſubſellio altiores. MAGIS EST DVLCIVS] pleonaſmus, magis, enim ſuperuacaneum eſt. CVR HIC CESSAT C.] cur non bibimus? TOT QVOT DIGITI SVNT TIBI] quinque. CANTIO EST GRÆCA,&c.] id eſt,aut quinque bibe,aut treis,aut non quattuor. non quattuor autem,id eſt,quinque. huius cantionis ſententiam explicat Euſtath. in lib. ἰῶτα ὀδύσ. & Athen. lib. 10. ſed aliter,quàm Plautus intelligere videtur. Plautus enim ad nu-
D merum cyathorum vini refert. Illi ad aquæ, & vini temperationem. Sed hac de re plura notata reperiet lector in commentariis noſtris Horatianis,ad illum locum, *tres prohibet ſuprà Rixarum metuens tangere gratia*. oda 19. lib. 3. quibus hæc adſcribo, quoſdam legere non ἢ μὴ τέτταρα, ſed καὶ ἡμιτέτταρα, id eſt,& ſemiquatuor. ſemiquatuor autem,id eſt,duo. Et ita volunt ſignificare Stichũ velle bibi decem cyathos,quot litteris conſtet nomen amicę ſuę Stephanij: hunc autem fuiſſe veterũ morẽ declarat Martialis illo verſu *Lesbia ſex cyathos, ſeptem Iuſtina bibatur*, &c. ſolebãt amicarum ſuarum,& eorum,quos amabant,& venerabantur,& colebant iidem, nomina commemorare, antequam biberent. DECIMA FONTE] id eſt, decima aquæ parte, legendum fortaſſe eſt, *decimis è fonte*. apparet Stychum quinque vini cyathis aquæ ſemicyathum admiſceri velle. TIBI TVTE INDE] tibi tute ex fonte aquæ partem decimam ſume, ſi ſapis. BENE VOS, BENE NOS, BENE TE, &c.] fuit & hic mos antiquorum illorum Græcorum,& Romanorum bene precari ſibi & ſuis. ad quem morem hoc pertinet: Eſt enim Græca loquendi conſuetudine dictum à Plauto, *bene nos, bene vos*, &c. vt ſubintelligatur, εὔχομαι, id eſt, precor, ſeu opto. quod Latinè diceremus, præcor vt vobis bene ſit, bene nobis, bene tibi, bene mihi, bene noſtræ Stephanio. BIBE, SI BIBIS] bibe, ſi bibere vis. CONVIVI SAT EST] conuiuij ſatis eſt. ſatis eſt magnum, & amplum hoc noſtrum conuiuiũ, vel ſatis multi ſunt conuiuæ. ALIQVID PVLPAMENTI] pulpamentũ, obſonium eſt

lautum,& lautè apparatũ ex palpa, id eſt à parte carnoſiore animalis, verbi gratia, quæ pars eſt A poſterior in lepôre.lepus enim(vt ſcribit Donatus) ex parte ſui poſteriore pulpamentũ præbet. SI HORVM, QVÆ ASSVNT P.] ſi ea,quæ aſſunt,tibi non ſatis ſunt,nihil ſatis eſt. CVPEDIA]Feſtus,cupes & cupedia. antiqui lautiores cibos nominabant.Inde macellum,forum cupedinis appellabant.Cupedia autem,à cupiditate dicta ſunt:vel vt Varro vult,quid ibi fuerit forũ Cupedij equitis domus,qui fuerat latrocinij damnatus.Nonius,cupedia,cupiditas.Cicer. Tuſcul.lib.3. *Ambitio,mulieroſitas,peruicacia ligurritio vinolentia,cupedia*,&c.Donat.ad illud Terent. Eunuch. *Concurrunt læti mihi obuiam cupediarij*.al.*cupedinarij omnes,Cetarij, lanij.coqui,fartores,piſcatores,aucupes.* Notat hæc:Varro humanarũ rerum libro. *Numerius Equitius Cupes, & Macellus Romanus ſingulari latrocinio multa loca habuerunt infeſta. His in exſulium actis, publicata ſunt bona: & ædes, vbi habitabant, dirutæ: éque ea pecunia ſcilicet deûm penatium ædificatæ ſunt, vbi habitabant locus, in quo venirẽt ea,quæ veſcendi cauſa in vrbem illata erãt. Itaque ab altero macellum,ab altero forum Cupidinis appellatum eſt.* Idem,*Omnes,qui eſculenta, & poculenta vendunt à rebus cupidinis, alimentum cupedinarium appellatur.* BIBE TIBICEM]inuitat tibicinem ad bibendum. NON HOC IMPENDET PVBL.] hoc poculum,quod te bibere volo,nullũ vectigal penſitabit. publica dicuntur & ea, quæ conducunt publicani,& ipſa vectigalia. Horat. epiſt.1. lib.1. *pars hominum geſtit conducere publica*, &c. HAVD TVVM EST]non te decet:non tibi conuenit. ILLIC]tibicem.VEL SERVATO B MEVM MOD. VEL TV D.]vel meo modo bibito,id eſt,eo modo,quem præſcripſero.vel tu ipſe,quantum bibamus,præſcribito. NOLO EGO NOS PR. S. B.]nolo ego nos bibere quàm maximo modo,&quàm pleniſſimis poculis. nolo ego nos bibere quàm maximis hauſtibus bibi poteſt. quare nulli poſtea cadum relinamus,id eſt,neminem,qui pro ſummo bibere velit,vinum ex cado depromere ſinamus. (*relerimus*,pro,*releuerimus*, poſitum.) Namque ædepol ita effuſè,& immaniter bibendo, quamuis ſubito etiam cadus inuerſus exhauriri poteſt. Ita ferè Adr.Turnebus explicat Aduerſar. lib.4. cap. 21. Quidam ſcriptura mutata legunt *volo*,pro, *nolo*.& ſic explicant,volo ego nos pro ſummo bibere,&c.id eſt,volo nos bibere quàm maximo modo bibi poteſt, id eſt, tanto, vt ſuperari non poſſit. volo pocula impleri vſque ad ſummas oras,eáque à nobis exhauriri,ne neceſſe habeamus toties, cadum relinere,& vinum promere, neque verò difficile erit hoc facere. Quæ ſentẽtia quamuis non ſit abſurda, quæ tamen ſcriptura recepta ab his immutatur,non placet. ſeruata autem ſcriptura, licet etiam aliam huius loci explicationem afferre, fortaſſe non ineptam. Nolo ego nos pro ſummo bibere,&c.id eſt,nolo ego nos pro vltimo & extremo bibere, & tam plenis poculis nos inuitare, quaſi poſtremum ſimus potaturi,ſed contra hanc communem, atque hanc compotationem ad multam noctem C perducere,& ita modicis poculis noſmet irrigari, atque exhilarare: itaque nulli relerimus poſtea, id eſt,ne cui poſtea cadum aperuerimus,operculo retracto,vel *nulli*,pro,*non*, vt,*nullus venit*, pro,*non venit*:ſed cadum relinquamus opertum cum pice & reſina. nam quantumuis ſubitò vel cadus inuerti poteſt, ſi ita immoderatè bibamus, & ſi velimus poſtremùm bibere. vide & quæ notauimus in commentariis Horatianis ad illum locum oda 29. libro 3. *Tyrrhena regnum progenies tibi Non antè verſo lene merum cado*, &c. & ad illum Satyra 8. lib. 2. *Inuertunt Aliphanis vinaria tota.* QVAMQVAM GRAVATVS F.] alloquitur tibicinem. quamquam, inquit Sagarinus,poculo illo pleniore grauatus fuiſti, non nocuit tibi tamen. AGE TIBICEM, QVANDO BIB.&c.] profert hunc verſum Nonius in voce *labium*, &, *labia*. SVFFLA CELERITER TIB. B.] imple tibi buccas flatu ſiue ſpiritu, & infla tibias. QVASI PROS. BESTIA]tamquam ſerpens. VTER DEMVTASSIT, POCVLO MVLTABITVR.] vter noſtrûm diſceſſerit ab hac lege, poculo multabitur: id eſt, pro multa, poculum ei auferetur. IMPETRARE OPORTET,] ſubint. te. SI PECCASSIS] ſi contra legem feceris. MVLTAM HÎC R.]id eſt, poculum hîc retinebo. AMARE INTER SE R. D.] nam riuales ſæpius inter ſe oderunt, inter ſe æmulantur,& inuident. EGO TV SVM]verè amici ſumus. nam amicus ego alter. D VNI ANIMI SVMVS] vni, id eſt, vnius.ſic autem edidit Camerarius. nam noſtri libri nihil hîc diſcrepant à vulgatis, qui habent *vnanimi ſumus*. MECVM VBI EST]cùm mecum eſt, &c. NOLO OBCÆDES, CATVLI, VT LVDVNT NVNC VOLO]nolo ludum cruentum,& tragicum,& qui occidat,ſed volo nos ita ludere, vt inter ſe catuli ludere ſolent.quem ludum Lucretius expreſſit lib.5. his verſib. *At catulos blandè cùm lingua lambere tentãt, Aut vbi eos iactãt pedibus, morſúque petentes, Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus: Longè alio pacto gannitu vocis adulant*, &c.Obcædes vox cõpoſita eſt.ſed libri veteres habẽt, *Catali*,non vt vulgati,*Catuli*.Catali autem ſunt Alpium incolæ,Catili à Plinio appellantur lib.3. cap.20.Carris vicini.ſignificat igitur fortaſſe Plautus ludũ Catalis, ſeu Catulis illis vſitatum ſibi in conuiuio placere. STEPHANISCIDIVM] diminutiuum ex σεφανισκός, quod ipſum diminutiuum eſt à σεφάνȣ.

Morem



A

## STEPHANIVM ancilla, & eidem.

Morem vobis geram,meæ deliciæ.nam ita me Venus amœna amet,
Vt ego huc iamdudum exiſſem ſimitu vobiſcum foras,
Niſi me vobis exornarem.nam ita eſt ingenium muliebre,
Bene cùm lauta eſt,terſa,ornata,ficta eſt:infecta eſt tamen.
Nimióque ſibi mulier meretrix repperit odium ocyus.
Sua immunditia,quàm in perpetuum placeat,munditia ſua.
SA. Nimium lepidè fabulata eſt. ST. Veneris mera eſt oratio,
Sagarine. SA. quid eſt? ST. totus doleo. SA. totus?tantò
B miſerior.
ST. Vtrubi accumbo? SA. vtrubi tu vis. ST. cum ambobus volo,
nam ambos amo.
ST. Vapulat peculium:actum eſt.fugit hoc libertas caput.
ST. Date mihi locum,vbi accumbam, amabo, ſiquidem placeo. tum
mihi.
Cupio cum vtroque mihi eſſe bene. ST. diſpereo. SA. quid
ais? ST. quid ego?
SA. Ita me Di ament,numquam ei fiet hodie hoc,quin ſaltet tamen.
Age mulſa mea,ſuauitudo,ſalta:ſaltabo ego ſimul.
ST. Numquam ædepol me iſtoc vinces,quin ego ibidem pruriam.
C ST. Siquidem mihi ſaltandum eſt,tum vos date,bibat,tibicini.
ST. Et quidem nobis. SA. tene tibicen primùm.poſtidea loci
Si hoc eduxeris,proinde vt conſuetus antehac,celeriter
Lepidam & ſuauem cantionem aliquam occipito cinædicam,
Vti perpruriſcamus vſque exunguiculis.inde huc aquam.

SIMITV]ſimul.Idem Amph.*non ego cùm viuo ſimitu,ebibi imperium tuum.* FICTA EST]cùm bene formata eſt,quaſi à figulo,aut ſtatuarum fictore. INFECTA EST TAMEN] eſt tamen non perfecta.quid ſi legamus *inficta eſt*,non ficta eſt,id eſt,non formata eſt tamen. NIMIÓQ. SI MVLIER,&c.]id eſt,mulier meretrix citiùs odium ſibi conciliat immunditia ſua,quàm amorem munditia ſua. NIMIVM LEP. FAB.]valde lepidè locuta eſt. TOTVS DOLEO.] ex amore & libidine. amor autem corpus,& animum afficit,quæ ſunt duæ homiD nis partes. VTRVBI ACCVMBO?] vtro in loco ſuperiore, an inferiore.VAPVLAT PECVLIVM.]id eſt,minuitur,diſſipatur, & diſperditur peculium, iis nequitiis ſcilicet. FVGIT HOC LIB. CAP.]numquam manumittemur hoc vitæ genus còlentes. longè aufugit à nobis libertas,vt ſe indignis,quòd tam nequiter,& diſſolutè viuamus. DATE MIHI LOCVM.] vt inter vos media accumbam. TVM MIHI CVPIO CVM VTROQVE] tum cupio ex vtriuſque complexu voluptatem capere. DISPEREO] amore. ſic ſuprà *totus doleo.* QVID EGO?]quid ego aiam,rogas?NVMQVAM EI FIET H. HOC.]numquã hoc ei fiet,quòd ſibi omnes ferè mulieres fieri volũt,præſertim impudicæ.QVIN EGO IBID. P.] quin ego vnà vobiſcum ſaltamus,libidinẽ incendam,aut excitem.pruriam,id eſt,libidine vrar. tralatio eſt ab iis,quibus corpus prurigine vritur. TVM VOS DATE, BIBAT, TIBICINI.]tum vos date tibicini poculum,vt bibat. POSTIDEA LOCI.]poſtea loci. SI HOC EDVXERIS.] ſi hoc poculum exhauſeris. VT CONSVETVS]es. CANTIONEM OCCIPITO CINÆDICAM.]cantionem incipito proteruam,mollem,& impudicã,quæ nobis pruritum libidinis excitet. cinædi enim molles & impudici. profert Nonius idem in Aulul. *ita fuſtibus ſum mollior magis,quàm cinædus.* VTI PERPRVRISCAMVS VSQVE EX VNGVICVLIS.] vt vſque ab extremis partibus corporis toti libidine flagremus. INDE HVC AQVAM.]infunde in hoc poculum aquam.

## EIDEM duo. A

SA. Tene tu.hoc educe. dudum placuit potio.
Nunc minus grauatè iam accipit.tene tu interim,
Meus oculus,da mihi ſuauium,dum illic bibit.
Proſtibuli eſt autem ſtantem ſtanti ſauium
Dare,amicum amicæ.euge euge ſic furi datur.
Quid igitur?quamquam grauatus,non nocuit tamen.
Age iam infla buccas. ST. nunc iam aliquid ſuauiter.
Redde cantionem,veteri pro vino,nouam.

TENE.] tu tibicem. EDVCE]ebibe,exſicca. MINVS GRAV. IAM ACCIP.] minus iam grauatur accipere tibicem,quàm antea. TENE]tene,inquam,tibicem. Licet etiam ſic legere,*tene tu.interim meus oculus.* TV INTERIM MEVS OCVLVS.] tu interim, mi ocelle Stephanium. ILLIC]ille,tibicem. PROSTIBVLI EST AVTEM,&c.] eſt meretricis viliſſimæ,& præ ſtabulis ſtantis amicam ſtantem ſtanti amico ſuauium dare.SIC FVRI DATVR.] ſauium quaſi ab inuita extortum. QVID IGITVR?]nunc ad tibicem redit. quamquam grauatus es, id eſt, grauatè poculum accepiſti, non nocuit tamen tibi potio. NVNC IAM ALIQVID SVAVITER]ſubintell.caue. REDDE CANTIONEM VET. PRO VINO, NOVAM.] nunc, vt ait Pindarus,quodam loco,cantiones nouæ magis placent. contrà,vina vetuſtas commendat. B

## EIDEM.

SA. Qui Ionicus aut cinædicus,qui hoc tale facere poſſiet?
Si iſtoc me vorſu viceris,alio me prouocato.
Fac tu hoc modo. ST. at tu hoc modo. SA. babæ. ST. tatæ. C
SA. papæ. ST. pax:
SA. Nunc pariter ambo.omneis voco cinædos.cinædus contrà
Staticulis ſtare nobis non magis potis eſt,quàm fungus imbri,
Intrò hinc abeamus.nunc iam ſaltatum ſatis pro vino'ſt.
Vos ſpectatores plaudite,atque ite ad nos comiſſatum.

QVI IONICVS AVT CINÆDICVS]quis eſt ſaltator mollis,& proteruus: quis eſt ſaltandi molliter & cinædicè peritus,qui hoc modo ſaltare poſſit?Horat. oda.lib.*Motus doceri gaudet Ionicos,Matura virgo.*Ad quem locum lege ſi tibi commodũ eſt,quæ notauimus. SI ISTOC ME VORSV VICERIS,&c.]ſi tu volubiliorem ſaltatorum orbem,ſeu verſum hoc,quem modo tibi ſaltari verſare potueris, tum me aliò prouocato. verſus, ſeu vorſus hoc loco ſaltationis genus, quod in orbem circumagitur,ſignificat. M. Tullius oratione in Piſonem: D ſaltatorem orbem appellat. BABÆ.]interiectio admirantis. Cariſ. lib.2. TATÆ.] Cariſius, Næuius in Tarentilla.*At at tatæ,caue cadas,*&c. ἐκφώνησις ἀρχαϊκὴ, ὡς ὦ πόποι. PAX.]Cariſius vult eſſe interiectionem,alij aduerbium comicum,& ſignificare παντελῶς, id eſt, prorſus, omnino:in quibus eſt Priſcianus lib.24.alij tradunt ſignificare *tantùm*: alij eſſe aduerbium adiurantis. NVNC PARITER AMBO.] ſaltemus. OMNEIS VOCO CINÆDOS] omneis cinædos voco,vt nobiſcum ſaltent,ſeu prouoco.

TRINVMMVS.



A

# TRINVMMVS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

B

LVXVRIA.
INOPIA.
MEGARONIDES ſenex.
CALLICLES ſenex.
LYSITELES adoleſcens.
PHILTO ſenex.
LESBONICVS adoleſcens.
STASIMVS ſeruos.
CHARMIDES ſenex.
SYCOPHANTA.

## ARGVMENTVM. C

THeſaurum abſtruſum abiens peregrè Charmides,
Rémque omnem amico Callicli mandat ſuo:
Iſtoc abſente malè rem perdit filius.
Nam & ædis vendit.has mercatur Callicles.
Virgo indotata ſoror iſtius poſcitur.
Minus quo cum inuidia ei det dotem Callicles,
Mandat qui dicat aurum ferre ſe à patre.
Vt venit ad ædis,hunc deludit Charmides
Senex vt rediit,cuius nubunt liberi.

D MANDAT]commendat.

## PROLOGVS LVXVRIA ET INOPIA.

LV. SEQVERE mea nata,vt munus fungaris tuum.
IN. Sequor,ſed finem fore quem dicam,neſcio.
LV. Adeſt,hem illæ ſunt ædes,i intrò nunc iam.
Nunc,ne quis erret voſtrûm,paucis in viam
Deducam,ſiquidem operam dare promittitis.
Nunc primum igitur, quæ ego ſim, & quæ illa hæc fiet,
Huc quæ abiit intrò,dicam,ſi animum aduortitis.

Primùm mihi Plautus nomen Luxuriæ indidit, A
Tum mihi natam hanc is eſſe voluit Inopiam.
Sed ea huc quid introierit impulſu meo,
Accipite,& date vaciuas aureis,dum eloquar.
Adoleſcens quidam eſt,qui habitat in hiſce ædibus:
Is rem paternam me adiutrice perdidit.
Quoniam ei,qui me aleret,nihil video eſſe reliqui,
Dedi meam natam,qui cum ætatem exigat.
Sed de argumento ne exſpectetis fabulæ,
Senes qui huc venient,hi rem vobis aperient.
Huic nomen Græcè eſt Theſauro fabulæ.
Philemo ſcripſit,Plautus vertit babarè, B
Nomen Trinummo fecit.nunc hoc vos rogat,
Vt liceat poſſidere hoc nomen fabulam.
Tantum eſt.valete,adeſte cum ſilentio.

SEQ. MEA N. VT MVNVS FVNG. TVVM] profert Nonius in extr. vbi exempla proponit accuſatiui pro ablatiuo poſiti. Sed legit ille, hoc modo, *ſequere me hâc nata, vt munus tuum fungare.* ADEST] finis. PAVCIS IN VIAM DED.] manet in tralatione verbi *errare*. nam qui viam ignorant, ne errent, deducuntur in viam. HVC QVÆ ABIIT.] quæ in has ædeis proximas introiit. VACIVAS AVREIS] id eſt, vacuas aures. ſic Aſinaria, *vt bene vaciuas aureis feciſti mihi.* & Bacchid. *valens afflictat me vaciuũ virũ.* Pſeud. *Fac ſis vaciuas Pſeudole, ædeis auriũ.* MIHI NATAM] Inopiã. BARBARè] Latinè. ſic ſæpè aliàs. VT LICEAT POSS. HOC NOM. FAB.] ſic habent noſtri libri veteres, non vt vulgati, *hanc nomen fabulam.* ſententia autem hæc eſt, vt liceat fabulam hoc nomen poſſidere, id eſt, hoc nomine appellari. C

## MEGARONIDES ſenex.

AMicum caſtigare ob meritam noxiam,
Immœne eſt facinus:verùm in ætate vtile
Et conducibile.nam ego amicum hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia,
Inuitus,ni me id inuitet vt faciam,fides.
Nam hic nimiùm morbus mores inuaſit bonos.
Ita plerique omnes iam ſunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant,interim mores mali, D
Quaſi herba irrigua,ſuccreuerunt vberrimè.
Neque quicquam hîc vile nunc eſt,niſi mores mali.
Eorum licet iam meſſem metere maximam,
Nimióque hîc pluris pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum,quàm id,quod proſit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiæ.
Quæ in rebus multis obſtant,odioſæque ſunt,
Remorámque faciunt rei priuatæ & publicæ.

AMICVM CASTIGARE] totum hunc locum Cornificius lib. 4. ad Heren. & M. Tull. lib. 2. de Inuentione Rhetoric. proferunt: vbi vitioſæ rationis exempla proponunt. IMMOENE] id eſt, immune. immœne autem, ſiue immune, id eſt, improbum, vt explicat Feſtus.

INVITVS



A INVITVS NI ME ID INVITET, &c.] inuitus quidem eum caſtigabo, ſed me fides inuitat, vt id mea ſponte faciam. ITAQVE PLERIQVE OMNES] ſic habent noſtri libri veteres, & rectè, vulgati autem mendoſè plerumque. QVAM HERBA IRRIGVA] quaſi herba multa aqua irrigata. MESSEM METERE] Ἀττικισμὸς, vel ἀρχαϊσμὸς. NIMIÓQVE HIC PLVRIS, &c.] & pars hominum multo pluris facit pauciorum gratiam, quàm id, quod proſit pluribus. vel ſic, & pars hominum multo mauult gratiam inire à paucioribus, potentibus ſcilicet, & diuitibus, quàm reipublicæ prodeſſe. REMORÁMQVE FACIVNT, &c.] & remorantur rem priuatam, & publicam.

## CALLICLES, MEGARONIDES, ſenes duo.

CA. LArem coronâ noſtrum decorari volo.
Vxor venerare,vt nobis hæc habitatio
B Bona,fauſta,felix,fortunatáque eueniat,
Téque vt,cùm primùm poſſim,videam emortuam.
ME. Hic ille eſt,ſenecta ætate qui factus eſt puer,
Qui admiſit in ſe culpam caſtigabilem.
Aggrediar hominem. CA. cuia vox propè me ſonat?
ME. Tui beneuolentis,ſi ita es,vt ego volo:
Sin aliter es,inimici,atque irati tibi.
CA. O amice ſalue,atque æqualis mihi,vt vales
Megaronides? ME. & tu ædepol ſalue Callicles.
CA. Valen'?valuiſtin'? ME. valeo,& valui rectius.
CA. Quid agit tua vxor?vt valet? ME. pluſquàm ego volo.
C CA. Bene hercle eſt,illam tibi bene valere, & viuere.
ME. Credo hercle te gaudere,ſi quid mihi mali eſt.
CA. Omnibus amicis,quod mihi eſt,cupio eſſe idem.
ME. Ehò tua vxor quid agit? CA. immortalis eſt.
Viuit,victuráque eſt. ME. bene hercle nuntias,
Deóſque oro,vt vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.
CA. Dum quidem hercle tecum nupta ſit,ſanè velim.
ME. Vin' commutemus?tuam ego ducam,& tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
Numquam tu,credo,mihi imprudenti obrepſeris.
D Ne tu hercule faxo haud ſcies quam rem egeris.
CA. Habeas,vt nactus:nota mala res,optuma'ſt.
Nam ego nunc ſi ignotam capiam,quid agam,neſciam.
ME. Ædepol proinde vt bene viuitur,diu viuitur.
Sed hoc animum aduorte,atque aufer ridicularia:
Nam ego dedita opera huc ad te aduenio. CA. quid venis?
ME. Malis te vt verbis multis multum obiurgitem.
CA. Men'. ME. num quis eſt hîc alius præter me atque te?
CA. Nemo eſt.quid igitur? ME. rogitas téne obiurgitem?
Niſi tute mihi me cenſes dicturum malè.
Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ.
Siue immutare vis ingenium moribus,

Aut ſi demutant mores ingenium tuum. A
Neque eos antiquos ſeruas,aſt captas nouos:
Omnibus amicis morbum tu incuties grauem,
Vt te videre,audiréque ægroti ſient.
CA. Quid in mentem venit tibi iſtæc dicta dicere?
ME. Quia omneis bonos,bonáſque accurare addecet,
Suſpicionem,& culpam vt ab ſe ſegregent.
CA. Non poteſt vtrumque fieri. ME. quapropter? CA. rogas?
Ne admittam culpam,ego meo ſum promus pectori,
Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.
Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer
Ioui coronam de capite,è Capitolio, B
Quod in culmine aſtat ſummo:ſi id non feceris,
Atque id tamen lubeat ſuſpicarier,
Quî tu id prohibere me potes,ne ſuſpicer?
Sed iſtud negotij ſcire cupio,quicquid eſt.
ME. Haben' tu amicum,aut familiarem quempiam
Cui pectus ſapiat? CA. ædepol haud dicam dolo,
Sunt quos ſcio eſſe amicos,ſunt quos ſuſpicor:
Quorum ingenia atque animos non poſſum noſcere,
Ad amici partem,an ad inimici perueniant.
Sed tu ex amicis certis mihi es certiſſimus.
Si quid ſcis me feciſſe inſcitè aut improbè, C
Si id non accuſas,tu ipſe obiurgandus es,ſcio.
ME. Etſi alia huc cauſſa ad te adueni,æquum poſtulas.
CA. Exſpecto ſi quid dicas. ME. primùm dum omnium,
Malè dictitatur tibi vulgo in ſermonibus:
Turpilucricupidum te vocant ciues tui.
Tum autem ſunt alij,qui te voltorium vocant.
Hoſteíſne,an ciueis comedis,paruipendere.
Hæc cum audio in te dicier,excrucior miſer.
CA. Eſt,atque non eſt mihi in manu Megaronides.
Quin dicant,non eſt:meritò vt ne dicant,id eſt.
ME Fuítne hic tibi amicus Charmides? CA. eſt,& fuit. D
Id ita eſſe vt credas,rem tibi auctorem dabo.
Nam poſtquam hic eius rem confregit filius,
Vidétque ipſe ad paupertatem protractum eſſe ſe,
Suámque filiam eſſe adultam virginem,
Simul eius matrem,ſuámque vxorem mortuam,
Quoniam hinc iturus eſt ipſe in Seleuciam,
Mihi commendauit virginem,natam ſuam,
Et rem ſuam omnem,& illum corruptum filium.
Hæc,ſi mihi inimicus eſſet,credo haud crederet.
ME. Quid tu?adoleſcentem,quem eſſe corruptum vides,

Qui tuæ



A Qui tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,
Quin eum reſtituis?quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,
Si quî probiorem facere poſſis,non vti
In eandem tute accederes infamiam,
Malúmque vt eius cum tuo miſceres malo.
CA. Quid feci? ME. quod homo nequam. CA. non iſtuc meum eſt.
ME. Emiſtin' de adoleſcente has ædeis(quid taces?)
Vbi nunc tute habitas? CA. emi,atque argentum dedi,
Minas quadraginta adoleſcenti ipſi in manum.
ME. Dediſti argentum? CA. factum,neque facti piget.
B ME. Ædepol fidei adoleſcentem mandatum malæ.
Dediſtíne hoc pacto ei gladium quî ſe occideret?
Quid ſecus eſt,aut quid intereſt dare te in manus
Argentum amanti homini adoleſcenti,animi impoti,
Qui exædificaret ſuam inchoatam ignauiam?
CA. Non ego illi argentum redderem? ME. non redderes,
Neque de illo quicquam neque emeres,neque venderes,
Nec qui deterior eſſet,faceres copiam.
Inconciliaſtin' eum,qui mandatu'ſt tibi?
Illum qui mandauit,eum exturbaſti ex ædibus?
Ædepol mandatum pulcrè,& curatum probè.
C Crede huic tu te.tuam iam melius rem geſſeris.
CA. Subigis maledictis me tuis,Megaronides,
Nouo modo adeò,vt,quod meæ concreditum eſt
Taciturnitati clàm,fidei & fiduciæ,
Ne enuntiarem cuiquam,neu facerem palàm,
Vti mihi neceſſe ſit iam id tibi concredere.
ME. Mihi quod credideris,ſumes,vbi poſiueris.
CA. Circumſpice dum te,ne quis aſſit arbiter
Nobis,&,quæſo,identidem circumſpice.
ME. Auſculto,ſi quid dicas. CA. ſi taceas,loquar.
D Cùm iam hinc eſt profectus peregrè Charmides,
Theſaurum mihi demonſtrauit in hiſce ædibus,
Hîc in conclaui quodam.ſed circumſpice.
ME. Nemo eſt. CA. nummorum Philippeûm ad tria millia,
Id ſolus ſolum per amicitiam & per fidem,
Flens me obſecrauit,ſuo ne nato crederem,
Néue cuiquam,vnde ad eum id poſſet permanaſcere.
Nunc ſi ille huc ſaluus réuenit,reddam ſuum ſibi.
Si quid eo fuerit factum,illius filiæ,
Quæ mihi mandata eſt,habeo,dotem vnde dem,
Vt eam in ſe dignam conditionem collocem.
ME. Proh di immortales: verbis paucis quàm citò

xxxx

Alium feciſti me alius ad te veneram: A
Sed vt occepiſti, perge porrò proloqui.
CA. Quid tibi ego dicam? qui illius ſapientiam
Et meam fidelitatem, & cælata omnia
Pæne ille ignauus funditus peſſum dedit?
ME. Qui dum? CA. quia rure dum ſum ego vnos ſex dies,
Me abſente atque inſciente, inconſultu meo,
Ædeis venaleis haſce inſcribit litteris.
ME. Adeſuriuit magis, & inhiauit acrius
Lupus. obſeruauit, dum dormitaret canes.
Gregem vniuerſum voluit tecum auertere.
CA. Feciſſet ædepol, ni hæc præſenſiſſet canes. B
Sed nunc rogare ego viciſſim te volo,
Quid fuit officium meum me facere? face ſciam.
Vtrùm indicare me ei theſaurum æquum fuit,
Aduerſum quàm eius me obſecrauiſſet pater:
An ego alium dominum paterer fieri ædibus,
Qui emiſſet? eius eſſétne ea pecunia?
Emi egomet potius ædeis, argentum dedi
Theſauri cauſſa, vt ſaluum amico traderem.
Neque adeò haſce emi mihi, nec vſuræ meæ.
Illi redemi, rurſum à me argentum dedi.
Hæc ſunt, ſeu rectè, ſeu peruorſè facta ſunt. C
Ego me feciſſe confiteor Megaronides.
Hem mea malefacta, hem meam auaritiam tibi.
Haſcene me propter res maledicta differunt?
ME. Pauſa. viciſti caſtigatorem tuum.
Occluſti linguam, nihil eſt qui reſpondeam.
CA. Nunc ego te quæſo, vt me opera & conſilio iuues,
Communicéſque hanc tecum meam prouinciam.
ME. Polliceor operam. CA. ergo vbi eris paulo pòſt? ME. domi.
Numquid vis? CA. cures tuam fidem. ME. fit ſedulò.
Sed quid ais? CA. quid vis? ME. vbi nunc adoleſcens habet? D
CA. Poſticulum hoc recepit, cum ædeis vendidit.
ME. Iſtuc volebam ſcire. i ſanè nunc iam,
Sed quid ais? CA. quid? ME. nunc virgo nempe apud te eſt.
CA. ita eſt.
Iuxtáque eam curo cum mea. ME. rectè facis.
CA. Num quid prius, quàm abeo, me rogaturus? ME. vale.
Nihil eſt profectò ſtultius neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quàm vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant.
Atque egomet me adeò cum illis traho ibidem vnà.

Qui illo-



A Qui illorum verbis falſis acceptor fui,
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quiſque in animo habet, aut habituru'ſt, ſciunt.
Idque quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt. quod Iuno fabulata eſt cum Ioue.
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen ij ſciunt.
Falſon', an verò laudent, culpent, quem velint,
Non floccifaciunt, dum illud, quod lubeat, ſciant.
Omnes mortales hunc aiebant Calliclem
Indignum ciuitate hac eſſe, viuere,
Bonis qui hunc adoleſcentem euertiſſet ſuis.
B Ego de eorum verbis famigeratorum inſcius,
Proſilui amicum caſtigatum innoxium.
Quod ſi exquiratur vſque ab ſtirpe auctoritas,
Vnde quicquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigerator iure fiet cum damno & malo:
Hoc ita ſi fiat, publico fiat bono:
Pauci ſint faxim, qui ſciant quod neſciunt,
Occluſiorémque habeant ſtultiloquentiam.

LAREM CORONA N.] lares dij ſunt domeſtici. Itaque eis canis adſtabat, & pelle canina cinctu Gabino veſtiebatur. Canis autem animal eſt domeſticum. Eiſque, pueri ſumturi togam virilem, bullam dicabant, & Foci cuſtodes eſſe credebantur. Ex quo quod Græci dicunt ἀφ' ἑςίας, id eſt, à veſte, Latini dicunt à Lare. VENERARE.] precare. VT NOBIS HAEC HABITATIO.] has ædes, quas emi à Leſbonico. TÉQVE VT CÙM PRIMÙM POSSIM] vel ſic legendum, vt edidimus, *& precare, vt te videam emortuum, cùm primùm poßim:* vel, *téque vt quàm primùm poßim videre emortuam.* quæ lectio ſi probabitur, m. elidetur, vt verſus menſura conſtet. Licet etiam ſic legere, *vt cùm primùm poßit, videam emortuum.* Cùm primùm poſſit autem, id eſt, cùm primùm fieri poſſit. SENECTA ÆTATE ſuprà. FACTVS EST PVER.] repuerauit. prouerbium. Bis pueri ſenes. QVI ADMISIT IN SE CVLPAM.] qui emit ædeis. CVIA VOX] cuius vox. TVI BENEVOLENTIS.] eius, qui tibi benè vult. *beneuolentis* poſitum ſubſtantiuè, vt, amici. VALEN'?] valéſne? FAXO HAVD TANTILLVM, &c.] id eſt, verba mihi non dederis, ſi vxorem tuam mihi tradideris, mea accepta. NVNQVAM TV, CREDO, MIHI IMPRVDENTIS OBREPSERIS.] nunquam tu, opinor, me inſcientem, & incautum deceperis. VT NACTVS.] es, ſubintellig. ÆDEPOL PROINDE, VT BENE VIVITVR] non viuit, qui miſerè viuit: ne dum diu viuit. MEN'] eóne venis, vt me obiurges? NVMQVIS EST HÎC ALIVS.] non prius vult Charicli reſpondere ad interrogatum, neque eum obiurgare Megaronides, quàm ſciat neminem eſſe alium, qui ſermonem exaudire poſſit. ROGITAS TÉNE OBIVRGITEM?] hoc ad illud pertinet, quod rogarat Charicles: Méne? quaſi dicat, quem alium, quàm te obiurgem? non enim me obiurgabo. Itaque ſubiungit. Niſi fortè putas me mihi dicturum malè. ÆGROTANT] tralatio à morbis corporis. Sic Lucretius lib. 4. *ægrotat fama vacillans* SIVE IMMVTARE VIS INGENIVM] ſiue ingenium tuum cum huius ætatis moribus, qui ſunt peſſimi, vis commutare. ANTIQVOS.] iubebat quidam moribus antiquis vti, verbis præſentibus. OMNIBVS AMICIS MORB.] omnibus amicis hunc morbum importabis grauem, vt te inuiti videant, & audiant. ACCVRARE ADDECET SVSP. &c.] ſuſpicionem accuratè vitare decet. NE ADMITT. CVLP.] in mea poteſtate ſitum eſt, ne culpam admittam: ſuſpicionem præſtare nec debeo, nec poſſum, quia ab alieno animo proficiſcitur. MEO SVM PROMERE POSSVM] ex meo animo & pectore, hoc promere poſſum, vt ne culpam admittam. NAM NVNC EGO SI TE SVRRIPVISSE SVSPIC.] coronam Ioui Capitolino ſurripuiſſe dicitur Petillius quidam, qui ex eo Capitolinus dictus eſt. CVI PECTVS SAPIAT.] qui ſit cordatus, & intelligens. Cicer. lib. 2. de Finibus. *Nec enim ſequitur, vt cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatus.* HAVD DICAM DOLO.] dicam planè, quod ſentio. EX AMICIS CERTIS.] Ennius apud Cicer. in Cat. *Amicus certus in re*

*incerta cernitur.* PRIMÙM DVM OMNIVM.] primùm igitur omnium, &c. A
MALÈ DICT. T.]crebrò tibi maledicitur. TVRPILVCRICVPIDVM] αἰσχροκερδῆ. VOLTVRIVM]rapacem.vultur,ſeu vulturius,auis rapax. M. Tullius in Piſon. *vulturius illius prouinciæ Scaurus.vulturius reip.*ex Chariſio. HOSTEÍSNE AN CIVEIS COMEDIS, P.] hoſteíſne,an ciueis comedas non admodum laborare. QVIN DICANT NON EST.] non eſt in mea manu efficere,vt ne dicant: id eſt, efficere,vt ne meritò dicant. REM TIBI AVCTOREM D.]re ipſa tibi fidem faciam.res ipſa tibi declarabit. ADVLTAM]viro maturam & nubilem. SI QVÎ]ſi qua ratione,ſi quo pacto. NON ISTVC MEVM EST] non ſum nequam:non eſt meum eſſe nequam. MALÆ]tuæ. DEDISTÍNE]nónne dediſti? ſic ſæpè veteres. QVÎ.]quo. QVID SECVS EST.]quid aliud eſt. ANIMI IMPOTI] qui ſe continere non poteſt.qui ſibi imperare,ſeu qui ſe regere non poteſt. QVI EXÆDIF. SVAM &c.] quo ignauiam & nequitiam ſuam inceptam ad faſtigium perduceret? tralatio, ſeu allegoria ab ædificiis. INCONCILIASTIN'.] nonne per dolum decepiſti?Feſtus. ILLVM, QVI MANDAVIT.]patrem. ÆDEPOL MAND. PVLCHR.]ironia eſt. CREDE HVIC TVTE,&c.]committe huic te ipſe,&c. TVM SPERARE DEBEAS.] ſcilicet(ironia enim eſt)te tuam rem melius geſturum.hæc horum verborum ſententia eſt, ſi ita legamus.nam vulgata lectio ſic habet.*Crede huic tu te.ſuam rem melius geſſerit.* aperta ſententia eſt, B
nempe ſine ironia. Nonnulli etiam ſic legi volunt, *tuam rem melius geſſerit.* MIHI QVOD CRED. SVMES VBI P.]quod meæ fidei,& taciturnitati commiſeris,tamquam depoſitum quoddam inde petes,vbi depoſueris. POSIVERIS.]*poſiueris*, antiquum pro poſueris. ID.] aurum ad tria nummorum Philipp.millia. PERMANASCERE.]permanare, peruenire.permanaſco à verbo *permano*,vt integraſco,labaſco,ab integro,as,labo,as. SI QVID EO FACTVM FVERIT]ſi quid ei humanitus acciderit. ſi quid de eo factum fuerit. ſic loquebātur veteres,pro eo,quod eſt,ſi mortuus fuerit,malum omen vitantes. ILLIVS FILIÆ, QVÆ MIHI MANDATA EST,&c.]habeo vnde dotem dem illius filiæ, quæ mihi mandata eſt. VT EAM IN SE DIG. COND.]vt ei conditionem ſe dignam reperiam. vt eam in matrimonium collocem ex ſua dignitate. QVI ILLIVS SAP.&c.] quid tibi dicam de illo,qui homo ignauus,pœne illius(patris)ſapientiam,& meam fidelitatem,& ea omnia, quæ celarem, pœne funditus exſtinxit? VNOS SEX DIES.] ſolos ſex dies. profert hunc locum Nonius, quo loco docet,quoties per accuſatiuum caſum annos vel dies loquimur, longos annos vel dies ſignificari,&c. INCONSVLTV MEO.]me inconſulto. INSCRIBIT] proſcribit.quidam libri veteres habent,*conſcribit*.ſed mendoſè.docti quidam legendum putant, *Ædeis venaleis* C
*has proſcribit litteris.* ADESVRIVIT MAGIS,&c.] allegoria. per lupum, ſignificatur Lyſiteles Charmidis filius,per canem,Callicles. ET INHIAVIT ACRIVS] ſuprà. DVM DORMITARET CANES.]dum dormitaret canis.canes antiquè pro canis.Lucilius:*irritata canes*.ex Chariſio.ſic iterū infrà non longè,*ni præſenſiſſet canes*. QVID FVIT OFFIC. MEVM M. F.]ordo eſt,quid me facere,id eſt,quid vt ego faciam,fuit officium meum? ADVERSVM QVÀM]contrà quàm. QVI EMISSET.] nempe eum, qui emiſſet? emtionibus enim,& ſimilibus contractibus rerum dominia quæruntur.NEC VSVRÆ MEÆ]nec vt ego iis vtar, vel nec vſui meo,ſeu in vſum meum. ILLI REDEMI.]Charmidi emi. EGO ME FECISSE CONF.]ſic legendum,non vt vulgò *egomet feciſſe confiteor*. HASCENE ME PROPTER R.]ánne propter has res maledicta tua me dilacerant? PAVSA.] finis eſto. NIHIL EST QVI RESP.]nihil eſt,quare reſpondeam. COMMVNICÉSQVE HANC TECVM]& huius meæ prouinciæ partē adminiſtrare,& gerere velis.vulgati libri habent,& nonnulli item veteres,*communicéſque hanc mecum meam p.*HABET.]habitat?POSTICVLVM HOC RECEPIT]recepit,id eſt,excepit,vel exceptum fecit,vt declarat Nonius in verbo *recipere*,& in voce *receptitium*,qui vtrobiq; hunc verſum profert.Sic & Aulus.Gellius lib.17.cap.6.Poſticulū D
autem diminutiuum eſt à poſtico.IVXTÀ EAM CVRO CVM MEA]& eam iuxtà curo atque meam. *iuxtà* hîc Nonius interpretatur ſimiliter, & apud Salluſt. *Iugurtæ bello hiemem atque æſtatem,iuxtà pati.* NVMQVID ALIVD PRIVS QVÀM ABEO MER.] numquid priuſquàm abeo,me rogaturus es? VRBANI ASSID. CIVES QVOS SCVR. VOC.] vrbani,id eſt, εὐτράπελοι,id eſt,elegantes & faceti, qui homines aſſiduè in vrbe viuunt, neque vmquam rus eunt.ſcurræ nomen initiò fuit honeſtum,poſtea autem turpe,& infame. M.Tull. pro Quinctio.*Nam neque parùm facetus ſcurra*.Sext.Næuius,*neque inhumanus præco eſt vmquam exiſtimatus.*Ibidem,*de ſcurra multo facilius diuitem,quàm patremfamilias fieri poſſe.* ACCEPTOR] approbator. IDQVE QVOD IN AVREM]res arcaniſſimas,& reconditiſſimas.Idem valet quod deinceps ſequitur,quod Iuno,&c.in quo eſt inſignis hyperbole.NON FLOCCIFACIVNT] nihili pendunt,nullius penſi habent. BONIS QVI HVNC ADOL.]ſic ſæpè loquitur M. Tull.lib.1.accuſ. *Quæ miſeræ flentes euerſum à te puerum patriis bonis eſſe dixerunt.* DE EORVM VERBIS.]ex eorum verbis.Terent.*hic de noſtris verbis errat.* FAMIGERATORVM.] ſic dicunt Latini,famigerare,vt belligerare, ex quibus & famigerator, & belligerator,qui rumores gerit & ſerit,& belligerator,qui bella gerit. VSQVE AB STIRPE]à prima origine. AVCTOR.VNDE QVIDQVID]ex qua auctoritate id omne,quòd ſe audiuiſſe dicāt,appareat.

Hoc



A HOC ITA SI FIAT.] ſi famigerator,qui auctorem ſuum proferre nòn poſſit, damno afficiatur, & pœnas meritas luat.PAVCI SINT FAXIM,&c.] pauci ſint rumigeruli, ſeu famigeratores. OCCLVSIOREM.]magis clauſam,& compreſſam.

## LYSITELES adoleſcens.

MVltas res ſimitu in meo corde verſo:multum in cogitando.
Dolorem indipiſcor:egomet me concoquo,& macero, & defatigo,
Magiſter mihi exercitor animus,hinc eſt.ſed hoc non liquet:
Nec ſatis cogitatum eſt, vtram potius harum mihi artem expeteſſam:
B Vtram ætati agundæ arbitrer firmiorem:amori me,an rei
Obſequi potius par ſiet:vtra in parte plus voluptatis ſit vitæ,
Ad ætatem agundam.de hac re mihi ſatis haud liquet,niſi hoc
Sic faciam,opinor.vtramque rem ſimul exputem,iudex ſim.
Reúſque ad eam rem.ita faciam,ita placet.omnium primùm
Amoris arteis eloquar,quemadmodum expediant.numquam
Amor quemquam niſi cupidum hominem poſtulat ſe in plagas
Conicere.eos cupit,eos conſectatur, ſubdolè blanditur,ab re.
Conſulit.blandiloquentulus,harpago, mendax, cupes,auarus.
Elegans,deſpoliator,latebricolarum hominum corruptor,
C Blandus,inops,celati indagator.nam qui ab eò,quod amat,
Quàm extemplò ſauiis ſagittatis percuſſus eſt,illico res foras
Labitur,liquitur.da mihi hoc mel meum,ſi me amas,ſodes.
Ibi ille cuculus,ocelle mi,fiat,& iſtuc:&,ſi amplius vis dari,
Dabitur.ibi illa pendentem ferit,iam amplius orat.non ſat
Id eſt mali,ni amplius etiam quod ebibit,quod comeſt,
Quod facit ſumti nox datur,ducitur familia tota:
Veſtiſpici vnctor, auri cuſtos, flabelliferæ,ſandaligerulæ,
Cantrices,ciſtellatrices,nuntij,renuntij,raptores panis & peni.
Fit ipſe,dum illis comis eſt,inops amator.hæc ego cùm ago
D Cum meo animo, & recolo, vbi qui eget, quàm pretij ſit parui apage te,
Amor,non places, nihil te vtor. quamquam illud eſt dulce, eſſe & bibere.
Amor amara dat tibi ſatis quod ægrè ſit. fugit forum, fugat tuos
Cognatos,fugat ipſe ſe à ſuo contuitu.
Neque enim eum ſibi amicum volunt dici. mille modis amor ignorandu'ſt.
Procul abhibendus eſt,atque abſtinendus. nam qui in amorem
Præcipitauit,peius perit,quàm ſi ſaxo ſaliat. apage ſis amor,
Tuas res tibi habe.amor, mihi amicus ne fuas vmquam. ſunt tamen.

Quos miſeros,maléque habeas,quos tibi obnoxios feciſti. A
Certum'ſt ad frugem applicare animum,quamquam ibi animo
Labos grandis capitur,boni ſibi hæc expetũt,rem,fidem, honorẽ,
Gloriam,& gratiam.hoc probis pretium'ſt.eo mihi magis lubet
Cum probis potius,quàm cum improbis viuere vanidicis.

MVLTAS RES SIMITV]hæc eſt illa conſultatio omniũ difficillima,& ætatis degendæ genus ſibi cõſtituere.qua de re cùm Hercules deliberare vellet,exiſſe in ſolitudinem dicitur, atque ibi ſedens multoties dubitaſſe,vt & apud Xenophontem, & apud M. Tullium libr.1.de offic. SIMITV.]ſimul.ſuprà.Amphitr.*non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum.* INDIPISCOR.]adipiſcor,ſumo,capio. EXERCITOR] qui me exercet, & vexat. HINC.] ex hac cogitatione. SED HOC NON LIQVET.]non eſt liquidum.obſcurum eſt. EXPETESSAM.]experam.docti quidam pro,*artem*,*partem* legi volunt. VTRA IN PARTE.] in amore,an in ſtudio,& cura rei familiaris. PLVS VOLVPTATIS]plus veræ,& ſinceræ voluptatis. VTRÁMQVE REM SIMVL EXP.] vtrámque ſimul apud me conſideraui.*putare*,propriè eſt purgare,vt putare ſarmenta. ex quo, putare rationes. QVEMADMODVM EXPEDIANT.]quemadmodum ſint vtiles.quomodo proſint.ELOQVAR ARTEIS,&c.] Græcè dictum,pro eloquar,quemadmodum amoris artes expediant. IN PLAGAS]in retia. AB RE CONSVLIT]ea conſilia capit,quæ è re ſunt.quæ ad rem pertinent. HARPAGO] harpax,rapax.harpago,manus ferrea vncata.Cæſar.comment.de Bello ciuili. CVPES] cupido,voluptarius,cupidiſſimus. CELATI INDAGATOR.]qui inueſtigat rem celatã. NAM QVI AB EO]ordo eſt,nam res eius,qui ab eo,&c. QVÀM EXTEMPLO]continuò. SAVIIS SAGITTATIS.]ſauiis vim ſagittarum habentibus,vel inſtar ſagittarum animum ferientibus. DA MIHI HOC MEL MEVM]verba ſunt amicæ ad amantem. LIQVITVR.]liquefit,tralatio. ILLE CVCVLVS] ille amator, qui alienis vel communibus lectis incubat. PENDENTEM]ſuſpenſum cura,titubantem,atque incertum. FERIT.] ferit munere:id eſt,multat.Terentius Phormione.*Geta ferietur alio munere.* NI AMPLIVS ETIAM QVOD EBIBIT,&c.]niſi amplius etiam quod ebibit,quod comeſt, quod denique ſumtus facit domi,id omne ſibi ab amatore dari poſtulat:comeſt,pro comedit,inquit Nonius,qui hũc locum profert iterum in voce *ſumti.* NOX DATVR]nox datur amatori à puella. DVCITVR]producitur à puella. VESTISPICI.]Nonius, veſtiſpici appellabantur veſtium cuſtodes ſerui,quòd frequenti diligentia veſteis inſpiciant. Plaut. Trinummo. *nox datur,ducitur familia tota*,&c.Varro lib.6.*ſic dicti veſtiſpici*,quòd veſtẽ ſpicerent,id eſt, viderent,& tuerentur. FLABELLIF.]ancillæ,quæ flabellũ ferũt.Terent.Eun. *Hem tu,* inquit Dore, *cape hoc flabellũ, & ventulum huic ſic facito,dum lauamus.* SANDALIGERVLÆ]quæ ſandalia dominæ gerunt,aut quæ ſuggerunt.ſandalium,calceamenti genus altum,& muliebre,quod facit vt maiores videantur. Terent.Eunu.*vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput.* CISTELLATRICES.] quæ ciſtellas vendunt. COMIS]commodus,& liberalis. AGO]agito. VBI QVI EGET.] cùm aliquis eget. APAGE TE]inquam,ſubintell. AMOR AMARI DAT TIBI SATIS Q.] amor dat tibi ſatis amari,quod animo tuo ægritudinem afferat. FVGAT IPSE SE À S.] ipſe ſe contueri horret. PRÆCIPITAVIT.] præceps cecidit. SAXO S.] è ſaxo deſiliat. TVAS RES TIBI HABE.]verba ſunt in diuortiis vxorum vſitata. Cic. Philipp. 2. amicam illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit ex xij.tabulis claueis ademit,exegit,&c.NE FVAS.] ne fias.vel ne ſis.ſuprà. CERTVM EST AD FR. APPLICARE] decretũ eſt mihi,amore relicto,ad temperantiam animum appellere. QVAMQVAM IBI LABOS GRAND. CAP.]quamquam in vita frugali & temperata, labor magnus ſuſcipitur, ac ſumitur. Labos, pro,labor,antiquum.Nonius vapos,tumos,labos,& vapor,tumor,labor.colos,color. HÆC] quæ deinceps enumerantur. PRETIVM EST.] præmium, & merces eſt. probi viri nullam aliam ſuorum laborum mercedem expetunt,aut exſpectant,quàm rem,fidem,&c.

B (margin, beside "VTRÁMQVE REM SIMVL EXP."); C (margin, beside "NOX DATVR"); D (margin, beside "QVAMQVAM IBI LABOS GRAND.")

PHILTO ſenex. LYSITELES adoleſcens.

QVò illic homo foras ſe penetrauit ex ædibus? PH. pater aſſum.
Impera quod vis.neq; tibi ero in mora,neq; latebroſe me abs tuo.
Conſpectu occultabo. PH. Feceris par tuis ceteris factis, patrem
Tuum ſi percoles per pietatem.nolo ego cum improbis te viris.

Nate



A Nate mi,neque in via neque in foro vllum ſermonem exſequi.
Noui ego hoc ſæculum moribus quibus ſit. malus bonũ,malum
Eſſe volt,vt ſit ſui ſimilis. turbant,miſcent mores mali.rapax,
Auarus,inuidus,ſacrum,prophanum: publicum,priuatum habẽt,
Hiulca gens.hæc ego doleo,hæc ſunt quæ me excruciant.
Hęc dies,noctéiſque tibi canto vt caueas.quod manu non queunt
Tangere,tantum fas habent,quo manus abſtineant.
Cætera,rape,trahe,fuge,late. lacrumas hæc mihi,cùm video,
Eliciunt,quia ego ad hoc genus hominum duraui.quin prius
Me ad plureis penetraui? nam hi mores maiorum laudant:
Eoſdem lutilant,quos collaudant. hiſce ego te artibus gratiam
B Facio neu colas, neu imbuas ingenium. meo modo & moribus viuito
Antiquis:quæ ego tibi præcipio,ea facito. nihil ego iſtos
Moror facetos mores,& turbidos,quibus boni dedecorant ſe.
Hæc tibi ſi mea imperia capeſſes,multa bona in pectore conſidẽt.
LY. Semper ego vſque ad hanc ætatem ab ineunte adoleſcentia,
Tuis ſeruiui ſeruitutem imperiis,& præceptis,pater,
Pro ingenio ego me liberum eſſe ratus ſum:pro imperio tuo,
Meum animum tibi ſeruitutem ſeruire, æquum cenſui.
PH. Qui homo cùm animo inde ab ineunte ætate depugnat ſuo,
Vtrùm is ita ne eſſe mauelit,vt eum animus æquum cenſeat:
C An ita potius,vt parentes eum eſſe, & cognati velint:
Si animus hominem perculit,actum eſt,animo ſeruiuit,non ſibi.
Si ipſe animum perculit,dum viuit,victor victorum cluet:
Tu ſi animum viciſti,potius quàm animus te,eſt quòd gaudeas.
Nimio ſatius eſt,vt opu'ſt,te ita eſſe,quàm vt animo lubet.
Qui animum vincunt, quàm quos animus, ſemper probiores cluent
LY. Iſtæc ego mihi ſemper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me vſquàm,vbi eſſet damni conciliabulum.
Ne noctu irem obambulatum,neu ſuum adimerem alteri.
D Neu tibi ægritudinem,pater,parerem,parſi ſedulò.
Sarta tecta tua præcepta vſque habui,mea modeſtia.
PH. Quid exprobras? bene quod feciſti,tibi feciſti,non mihi.
Mihi quidem ætas acta eſt fermè,tua iſtuc refert maximè.
Is probus eſt,quem non pœnitet quàm probus ſit,& frugi bonæ.
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.
Qui ipſus ſe contemnit,in eo eſt indoles induſtriæ.
LY. Ob eam rem hæc pater autumaui, quia res quædam'ſt,quam volo
Ego me abs te exorare. PH. quid id eſt? veniam iam dare geſtio.
LY. Adoleſcenti huic genere ſummo,amico,atque æquali meo,
Minus qui cautè & cogitatè ſuam rem tractauit pater,
Bene volo ego illi facere,ſi tu non neuis. PH. nempe de tuo.

LY. De meo. nam quod tuum'ſt, meum'ſt. omne meum eſt autem tuum. A
PH. Quid? is egétne? LY. eget. PH. habuítne rem? LY. habuit. PH. quî eam perdidit?
Publicíſne affinis fuit, an maritumis negotiis?
Mercaturámne, an venaleis habuit, vbi rem perdidit?
LY. Nihil iſtorum. PH. quid igitur? LY. per comitatem ædepol pater,
Præterea aliquantum animi cauſſa in deliciis diſperdidit.
PH. Ædepol hominem prædicatum fermè familiariter,
Qui quidem numquam per virtutem rem confregit, atque eget.
Nihil moror eum tibi eſſe amicum, cum eiuſmodi virtutibus. B
LY. Quia ſine omni malitia eſt, tolerare eius egeſtatem volo.
PH. De mendico malè meretur qui ei dat quod edit, aut quod bibat.
Nam & illud quot dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.
Non eò hoc dico, quin quæ tu vis, ego velim, & faciam lubens.
Sed ego hoc verbum cùm illi cuidam dico, præmonſtro tibi,
Vt ita te aliorum miſereſcat, ne tui alios miſereat.
LY. Deſerere illum, & deiuuare in rebus aduerſis pudet.
PH. Pol pudere, quàm pigere præſtat, totidem litteris.
LY. Ædepol, deûm virtute dicam pater, & maiorum, & tua,
Multa bona bene parta habemus. bene ſi amico feceris,
Ne pigeat feciſſe: at potius pudeat, ſi non feceris. C
PH. De magnis diuitiis ſi quid demas, plus fit, an minus?
LY. Minus pater. ſed ciui immunifico ſcis quid cantari ſolet?
Quod habes, ne habeas. & illud quod nunc non habes, habeas malum.
Quandoquidem nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri.
PH. Scio equidem iſtuc ita ſolere fieri. verùm nate mi,
Is eſt immunis, cui nihil eſt, qui munus fungatur ſuum.
LY. Deûm virtute habemus, & qui noſmet, vtamur pater,
Et aliis qui comitati ſimus noſtris beneuolentibus.
PH. Non ædepol tibi pernegare poſſum quicquam quod velis. D
Cuius egeſtatem tolerare vis? loquere audacter patri.
LY. Leſbonico huic adoleſcenti Charmidæ filio,
Qui illic habitat. PH. qui comêdit quod fuit, quod non fuit?
LY. Ne opprobra pater. multa eueniunt homini, quæ vult, quæne vult.
PH. Age dum eloquere, quid dare illi nunc vis? LY. nihil quicquam pater.
Sapientiæ ætas condimentum'ſt, ſapientia ætati cibu'eſt.
PH. Mentire ædepol nate, atque id nunc facis haud conſuetudine.
Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.
Eóne multa quęne volt eueniunt, niſi fictor malus'ſt,

Multa



A Multa eſt opera opus fictura, qui ſe fictorem probum
Vitæ eſſe agendæ expetit. LY. ſed hic admodum adoleſcentulus.
PH. Non ętate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.
LY. Tu modò ne me prohibeas accipere, ſi quid det mihi.
PH. An eo egeſtatem eius tolerabis, ſi quid ab illo acceperis?
LY. Eo pater. PH. pol ego iſtam volo me rationem edoceas. LY. licet.
Scin tu illum quo genere natus ſit? PH. ſcio, apprimè probo.
LY. Soror illi eſt adulta virgo, grandis. eam cupio pater
Ducere vxorem. PH. ſine dote? LY. ſine dote. PH. vxorem? LY. ita.
B Tua re ſalua. hoc pacto ab illo inibis ſummam gratiam,
Neque commodius vllo pacto ei poteris auxiliarier.
PH. Egóne indotatam te vxorem vt patiar? LY. patiundum eſt pater,
Et eo pacto addideris noſtrę lepidam famam familię.
PH. Multa ego poſſum docta dicta, & quamuis facundè loqui,
Hiſtoriam veterem, atque antiquam hęc mea ſenectus ſuſtinet.
Verùm ego quando te & amicitiam, & gratiam in noſtram domum
Video allicere, etſi aduerſatus tibi fui iſtac iudicó.
C Tibi permitto, poſce, duce. LY. di te ſeruaſſint mihi.
Sed adde ad iſtam gratiam vnum. PH. quid id eſt autem vnum? LY. eloquar,
Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poſcas. PH. eccere.
LY. Nimio citius tranſiges. firmum omne erit, quod tu egeris.
Grauius erit tuum vnum verbum ad eam rem, quàm cętum mea.
PH. Ecce autem. in benignitate hoc repperi negotium.
Dabitur opera. LY. lepidus viuis. hę ſunt ædes, hîc habet.
Leſbonico eſt nomen. age rem cura, ego te opperiar domi.

D ILLIC HOMO] ille homo. PENETRAVIT] proripuit. ſic Nonius in verbo, *penetrare*. LATEBROSÈ] eorum in morem qui latebras quærunt. NOLO EGO CVM IMPROBIS TE] nam quales ſunt ij, quibuſcùm cōgredimur, & loquimur, tales eſſe iudicamur. hoc primùm, deinde corrumpūt bonos mores malorum congreſſus, & ſermones. VT SIT SVI SIMILIS] vt bonus ſit ſui, nempe mali, ſimilis. TVRBANT, MISCENT, M. M.] mores turbant, & miſcent omnia. SACRVM PR. PVBL. PRIM.] non diſtingunt ſacrum à prophano non publicum à priuato. HIVLCA GENS] gens auida, & quaſi ore hiãte prædam captans. QVOD MANV NON QVEVNT T.] ab eo duntaxat quod manu tangere nequeunt, manus abſtinere fas eſſe putant. cætera rapiunt, trahunt, fugiunt ſi fortè iudicium metuunt, & latent. ALICIVNT] excutiunt. Terent. Heautont. *Lacrymas excußit mihi.* QVIA EGO AD HOC GENVS H. P.] quia ego ad hæc tempora tam corrupta, & perdita vitam produxi. QVIN PRIVS AD PL. P.] quare non prius quàm ad hodiernæ ætatis homines peruenirem, ad mortuos non penetraui? ad plureis, id eſt, ad mortuos. plures enim mortui ſunt, quàm viui. ſic & Græci, vt teſtatur Heſychius, ſic enim ille, Πλείονες οἱ ἐτελευτηκότες. id eſt, plures mortui & Suid. πλειόνων, τῶν νεκρῶν, id eſt, plurium mortuorum. in his Ariſtides ſophiſta in ea oratione, quæ inſcribitur, κοινὴ ἀπολογία. quinta ferè pagina, ταῦτα εἰπόντας ἂν αὐτοὺς οἶμαι ῥᾳδίως πάλιν πορεύεσθαι παρὰ τοὺς πλείονας εἰ δὴ κἀκείνους μετὰ τῶν πλειόνων χρὴ κεῖσθαι δοκεῖν ὅπερ ἔγωγε οὐκ οἶμαι, id eſt, Hæc eos locutos arbitror facilè ad plureis,

(hoc eſt,ad mortuos, ſeu ad inferos)redituros,ſi modò quidem etiam illi cum pluribus iacere A exiſtimandi ſunt,quod mihi ſanè non videtur. LVTILANT] luto inquinant,quo verbo infrà vtitur. GRATIAM FACIO] concedo,condono,ac permitto.cōcedo tibi,inquit, vt ne hiſce artibus te excolas, néue ingenium imbuas. QVÆ EGO TIBI PRÆCIPIO] quæ ego te doceo,quæ ego tibi præmonſtro,ac præſcribo. NIHIL MOROR] id eſt,ſperno,negligo. PRO INGENIO] quod ad ingenium,& naturam attinet. CVM ANIMO] cum libidine,& affectu à ratione auerſo. VTRVM ID ITÁNE ESSE] vtrúmne is talis eſſe malit,qualem eum eſſe libido poſtulet,cùm talem potius,qualem eum parentes,&cognati eſſe velint,&c.ſententia adhuc pendet.Eſt autem hæc pugna,vtrum animo obſequatur,id eſt,libidini ſeruiat,an parentum, & cognatorum auctoritatem ſequatur. SI ANIMVS HOMINEM PERCVLIT] ſi in hac pugna,inquit,libido hominem proſtrauit, ac peruertit,ac peſſum dedit, actum de illo eſt.totum hûc locum declarauimus in commentariis Horatianis ad odam 7. libri 4. carmin m,ibi. *Cuncti manus auidas fugiunt heredis*,&c.& Epod.od.11.ibi. *Amore perculſum graui.* vbi docuimus hîc legendum eſſe *perculit*,non,vt vulgò, *perpulit*. DVM VIVIT, VICTOR V. CL.] quandiu viuit victor omnium victorum clariſſimus eſt. NIMIO SATIVS EST, VT OPV'ST, TE] multo ſatius eſt te talem eſſe, qualem opus eſt eſſe, quàm qualem te vult eſſe cupiditas,& libido. ISTHÆC EGO MIHI SEMPER HABVI, &c.] iſthæc ego B mihi ſemper habui,quæ eſſent ætati meæ inſtar tegumēti,& clypei.Iſthæc ego mihi ſemper habui,quibus ætatē meam tegerem,& munirem. NE PENETRAREM] ne me vſquam committerem,ne me vſquam coniicerem,&c. VBI ESSET DAMNI CONCILIABVLVM] vbi damnum mihi conciliari,& contrahi poſſet. PARSI SEDVLÒ] caui ſedulò, abſtinui me ſedulò. SARTA TECTA TVA] tua præcepta ſanctiſſima & inuiolatiſſima mihi fuerunt,tua præcepta diligentiſſimè, & ſanctiſſimè ſeruaui. M. Tull.lib.10. epiſt. *Hoc mihi da atque largire,vt M.Curium ſartum & tectum,ab omnique incommodo,detrimento,moleſtia ſincerum,integrumq́; conſerues.* MIHI QVIDEM ÆTAS,&c.]M.Tull.epiſt.1.ad Brutum.De me poſſum idem,quod Plautus noſter in Trinummo. Mihi quidem ætas acta eſt, tua iſtuc refert maximè. QVEM NON POENITET, QVÀM PR.] qui non eſt probus inuitus: vel, qui conſtanter, & perſeueranter probus eſt. BENEFACTI BENEFACTIS PER TEG.] benefacta benefactis cumulato,ne quid vitij in animo innaſcatur. allegoria eſt à tectis domorum. NE PERPL.] ne imbrem,aut pluuiam admittant. QVI IPSIVS SE CONT.] qui ipſe non ſe effert inſolenter. AVTVMAVI]dixi. VENIAM IAM DARE] tibi concedere. TTACTAVIT] adminiſtrauit,geſſit. SI TV NÓNNE VIS] ſi tu non contrarium vis:néuis id eſt, non vis. *ne*, pro, *non*,poſuerunt veteres,vt alibi dictum eſt.Nonius, *neuult*,pro, *non vult*.Plautus Trinummo. C *filiam meam tibi deſponſatam eſſe audio, niſi tu ne vis*,id eſt,niſi tu non vis. PVBLICÍSNE A.] publicíſne.an maritimis negotiis ſeſe implicuit? MERCATVRÁMNE] mercaturámne fecit,an venaleis habuit?id eſt,fuítne mercator?an māgo?aliud eſt autē mercatorē eſſe,aliud mangonem.Nam primùm mangones ſeruos duntaxat emunt ac vendunt,ſeu reuendunt:mercator, omnis generis merces. proinde mangones ferè non curitant ſolum, neque nauigant in alias terrarum oras,quod faciunt mercatores.Horat.epiſt.1.lib.1. *Impiger extremos currit mercator ad Indos,Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa,per ignes.* PER COMITATEM] per liberalitatem, benignitatem,& bonitatem. ANIMI CAVSA] libidinis cauſa, moris gerendi animi cauſa. ÆDEPOL HOMINEM PRÆD.] hominem verò abs te deſcriptum liberè,& ſine vlla verecundia pæne dicam familiariter.Nam quibus familiares ſumus,cum iis,& de iis liberè loquimur. REM CONFREGIT]rem profudit. rei naufragium fecit. NIHIL MOROR EVM TIBI]nolo eum eſſe tibi amicum.QVIA SINE OMNI M.]vt ſunt omnes ferè prodigi,& profuſi.Nam Ariſtotel. lib.4.de moribus,eos ſtultos ait eſſe potius,quàm malitioſos.ſic Ariſt. Διὸ καὶ δοκεῖ ὁ ἄσωτος οὐκ εἶναι φαῦλος τὸ ἦθος, οὐ γὰρ μοχθηροῦ, οὐδὲ ἀγεννοῦς τὸ ὑπερβάλλειν D διδόντα καὶ μὴ λαμβάνοντα. QVOD EDIT]quod edat. PRODVCIT] protrahit,profert,protollit.ILLI QVIDEM] amico tuo.PRÆMONSTRO] præcipio.VT ITA TE AL.M.] vt tu aliorum egeſtatem toleres, vt ne ipſe egeas, & ita fiat, vt alij miſereantur tui. DEIVVARE]deſinere iuuare,vel non iuuare. POL PVDERE, QVÀM PIGERE] Nonius,pudet, verecūdiæ eſt:piget,pœnitentiæ.Plautus Pſeud. *Nimiū id,quod pudet, faciliùs fertur,quàm iſtud, quod piget, non dediſſe iſtum pudet me:quia non accepi, piget.*Idem Trin. *pol pudere*, &c. totidem litteris autem,id eſt,cum totidem litteræ ſint. eſt enim ablatiui caſus abſolutè poſiti. DEÛM VIR.] ſic loquebantur veteres,ne ſuas facultates,& copias ſuas ſuo labore, & ſua virtute partas,elicerent,neque eas diis acceptas ferrent,ingrati in deos,& fortunam viderentur, atque ita Nemeſim laceſſerēt,atque irritarent.Deûm virtutē tranſeuntium hoſpitem accepi apud me eſt comitas. SI QVID DEMAS]ſi quid detrahas. IMMVNIFICO]illiberali. QVOD HAB.] bona,quæ habes. IS EST IMMVNIS] definit aliter immunem ſeu immunificum ſenex, quàm filius:proinde ac ſi dicat,non eſt ille immunis dicendus, qui non dat, & qui non fungitur munere liberalitatis,ſed cui per egeſtatem non licet ſuo munere fungi. HABEMVS ET QVÎ] habemus & id, quo vtimur nos ipſi, & id quod conferamus in eos, qui nobis cari ſunt,quíque nobis bene volunt. COMITATI SIMVS BENEV.] ſimus comes in bene-



A in beneuolenteis. NE OPPROBRA PATER]ne exprobra:ne probrum obiice. MVLTA HOM. EVEN. QVÆ VVLT, QVÆ NE VVLT]profert Nonius,& *ne vult*, interpretatur *non vult*, vt ſuprà. SAPIENTIÆ ÆTAS COND.&c.] id eſt, ſapientiam ætas condit. vel ſapientia,niſi in ſene eſt, illepida, & inſuauis : vel ſenectus ſapientiam reddit amabiliorem, & venuſtiorem:contrà,ſapientia ætati cibus eſt:id eſt,ætas ſenilis ſine ſapientia nihilo magis conſtare poteſt,quàm corpora noſtra,ſine cibo. ſignificat,opinor,ſapientiam non cadere in adoleſcenteis & iuuenes. vel hoc fortaſſe dicit,ſapientiæ fortunam eſſe condimentum,id eſt,ſapientiam ſine fortuna eſſe inſuauem:contra fortunam ſine ſapientia conſtare non poſſe. MENTIRE] mentiris fili,qui alioqui mentiri non ſoles. mentiris præter conſuetudinem tuam. NAM SAPIENS QVIDEM,&c.] tale ferè illud eſt Cornelij Nepotis in vita Attici,Sui cuíque mores fingunt fortunam. EO NON MVLTA, QVÆ NE VVLT] iccirco non multa eueniūt ſapienti,quæ non vult,niſi ita fictor malus eſt, vt fortunam ſibi fingere nequeat. MVLTA EST OPERA OPVS F.] multa opera fingendi ei ſumenda eſt,qui ſe fictorem probum vitæ agendæ eſſe vult: vel ſic,eum multam fingendi operam ſumere, multúmque laborem ſuſcipere oportet, qui vitæ rectè degendæ rationem ſibi fingere, ac fabricare habet in animo. ADIPISCITVR] quæritur, comparatur. *adipiſcitur*, vſurpauit παθητικῶς. AN EO B EGEST. TOLL.] proinde ac ſi dicat,ſi eius ægeſtatem tolerare vis, des ei neceſſe eſt, nedum quicquam ab eo accipere debeas. EO PATER.]eo,inquam,pater, nempe accipiens. SCIN' TV ILLVM QVO G. V.] ſcin' tu, quo ille genere natus ſit? EGO INDOT. TE VXOR. VT P.] egóne vt patiar te indotatam vxorem ducere?quaſi dicat,non faciam. ISTANC IVDICO] pro te iudico.tibi aſſentior. TIBI PERMITTO] libri veteres habent, *tibi promitto*. iidem non habent,hoc totum,quod eſt vſque ab illis verbis *hoc pacto ab illo*, &c.ad verſum, *Multa ego*, &c. TVTE CONCILIES] tu ipſe nuptias conficias. ECCERE] id eſt,ecce res,vel ecce rem,vel ecce ſimpliciter.aliud eſt ecere,vno c. ſignificat enim per ædem Cereris, ſeu per Cererem: & iuſiurandum eſt,quamuis Feſtus in voce *eccere* aliter.Terent.Phorm.act.2.ſcen.2. *P. ſi rogabit. G. in te ſpes eſt. P. eccere.Quid ſi reddet? G. tu impuliſti*,&c.NIMIO CITIVS TRANSIG.] multo citius rem omnem conficies,quàm ego. FIRMVM OMNE ERIT] ratum, & ſtabile erit,quidquid tu egeris.κύριον ἔσται τὸ ὑπὸ σοῦ πεπραγμένον.GRAVIVS] maioris ponderis,& momenti. IN BENIG. HOC REPP. NEGOT.] ex eo, quod benignum me præbui,hoc negotium mihi contraxi. HÎC HABET]hîc habitat.

C

## PHILTO ſenex.

NOn optuma hæc ſunt,neque ego vt æquum cenſeo:
Verùm meliora ſunt,quàm quæ deterruma.
Sed hoc vnum conſolatur me,atque animum meum,
Quia qui nihil aliud,niſi quod ſibi ſoli placet,
Conſulit aduorſum filium,nugas agit.
Miſer ex animo fit.factius nihilo facit.
Suæ ſenectuti acriorem hyemem parat,
Cùm illanc importunam tempeſtatem conciet.
D Sed aperiuntur ædes,quò ibam,commodè.
Ipſe exit Leſbonicus cum ſeruo foras.

NEQVE EGO VT ÆQ. CENS.] neque ita vt ego eſſe poſtulo. vel ſic,neque talia, qualia ego eſſe æquum cenſeo.NVGAS AGIT] operam ludit. ſuprà, *nugas egerit*.SVAE SENECTVTI ACR. H.] allegoria eſt. CONCIET] commouet. QVÒ] in quas. COMMODÈ] coniunge aduerbium *commodè* cum verbo *aperiuntur*.

## LESBONICVS adoleſcens. STASIMVS ſeruus. PHILTO ſenex.

MInus quindecim dies ſunt. cùm pro hiſce ædibus
Minas quadraginta accepiſti à Callicle.

Eſtne hoc,quod dico,Staſime? S T. cùm conſidero, A
Meminiſſe videor fieri. L E. quid factum eſt eò?
S T. Comeſum,expotum,exutum,elotum in balneis.
Piſcator,piſtor abſtulit:lanij,coqui,
Olitores,myropolæ,aucupes. confit citò,
Quàm ſi tu obiicias formicis papauerem.
L E. Minus hercle in hiſce rebus ſumtum eſt ſex minis.
S T. Quid quod dediſti ſcortis? L E. ibidem vnà traho,
S T. Quid quod ego defraudaui? L E. hem iſta ratio maxuma eſt.
S T. Non illud tibi apparere,ſi ſumas,poteſt:
Niſi tu immortale rere eſſe argentum tibi.
Serò atque ſtultè,prius quod cautum oportuit, B
Pòſtquàm comedit rem,pòſt rationem putat.
L E. Nequaquam argenti ratio comparet tamen.
S T. Ratio quidem hercle apparet,argentum οἴχεται,
Minas quadraginta accepiſti à Callicle,
Et ille ædeis abs te accepit mancipio. L E. admodum.
P H. Pol,opinor,affinis noſter ædeis vendidit.
Pater cùm peregrè veniet,in porta eſt locus,
Niſi fortè in ventrem filio correpſerit.
S T. Trapezitæ mille drachumarum Olympicûm,
Quas de ratione debuiſti,redditæ
L E. Nempe quas ſpopondi. S T. immò quas dependi,inquito. C
Qua ſponſione pronuper tu exactus es,
Pro illo adoleſcente,quem tu aiebas eſſe diuitem.
L E. Factum. S T. vt quidē illud perierit. L E. factum id quoque eſt,
Nam tunc eum vidi miſerum,& me eius miſeritum'ſt.
S T. Miſeret te aliorum,tui te nec miſeret,nec pudet.
P H. Tempus adeundi eſt. L E. éſtne hic Philto qui aduenit?
Is hercle eſt ipſus. S T. ædepol næ ego iſtum velim
Meum fieri ſeruum cum ſuo peculio.
P H. Herum atque ſeruum plurimum Philto iubet
Saluere,Leſbonicum & Staſimum. L E. di duint D
Tibi Philto quæcumque optes. quid agit filius?
P H. Bene vult tibi. L E. Ædepol mutuum mecum facit.
S T. Nequam illud verbum'ſt, bene vult,niſi qui bene facit.
Ego quoque volo eſſe liber.nequicquam volo.
Hic poſtulet frugi eſſe,nugas poſtulet.
P H. Meus natus me ad te miſit,inter ſe atque vos
Affinitatem vt conciliarem & gratiam.
Tuam vult ſororem ducere vxorem,& mihi
Sententia eadem'ſt,& volo. L E. hau noſco tuum,
Bonis tuis rebus meas res irrides malas,
P H. Homo ego ſum,homo tu es:ita me amabit Iuppiter,

Neque



A Neque te deriſum veni, neque dignum puto.
Verùm hoc,vt dixi,meus me orauit filius,
Vt tuam ſororem poſcerem vxorem ſibi.
L E. Mearum rerum me nouiſſe æquum'ſt ordinem.
Cum veſtris noſtra non eſt æqua factio.
Affinitatem vobis aliam quærite.
S T. Satin' tu ſanus mentis,aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium eſſe amicum inuentum intellgo.
L E. Abin' hinc dierectè? S T. ſi hercle ire occipiam,vetes.
L E. Niſi quid me aliud vis Philto,reſpondit tibi.
B P H. Benigniorem Leſbonice te mihi,
Quàm nunc experior eſſe,confido fore.
Nam & ſtultè facere,& ſtultè fabularier,
Vtrumque Leſbonice in ætate haud bonum'ſt.
S T. Verum hercle hic dicit. L E. oculum ego tibi effodiam,
Si verbum addideris. S T. hercle quin dicam tamen.
Nam ſi ſic non licebit,luſcus dixero.
P H. Ita tu nunc dicis non eſſe æquiparabileis
Veſtras cum noſtris factiones, atque opes?
L E. Dico. P H. quid tum,ſi in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par fortè vt venerit,
C Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant:
Si illi congeſtæ ſint epulæ à clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congeſtum ſiet.
Edíſne, an incenatus cum opulento accubes?
L E. Edim,niſi ille vetet. S T. at pol ego etiam ſi vetet,
Edim,atque ambabus malis expletis vorem:
Et quod illi placeat,præripiam potiſſimùm,
Neque illi concedam quidquam de vita mea.
Verecundari neminem apud menſam decet,
Nam ibi de diuinis atque humanis cernitur.
D P H. Rem fabulare. S T. non tibi dicam dolo.
Decedam ego illi de via,de ſemita,
De honore populi: verùm quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longè, niſi me pugnis vicerit.
Cœna hæc annona eſt,ſine ſacris hereditas.
P H. Semper tu hoc facito,Leſbonice,cogites,
Id optimum eſſe, tute vti ſis optumus.
Si id nequeas, ſaltem vt optumis ſis proximus.
Nunc condicionem hanc, quam ego fero,& quam abs te peto,
Dare atque accipere,Leſbonice,te volo.
Dei, diuites ſunt, deos decet opulentia,
Et factiones. verùm nos homunculi,

ſſſ ſ

Salillum animæ : qui cùm extemplò amiſimus, A
Æque mendicus, atque ille opulentiſſimus,
Cenſetur cenſu ad Acheronтem mortuus.
ST. Mirum ni tu illuc tecum diuitias feras.
Vbi mortuus ſis, ita ſis vt nomen cluet.
PH. Nunc vt ſcias,hîc factiones atque opes
Non eſſe,neque nos tuam negligere gratiam,
Sine dote poſco tuam ſororem filio,
Quæ res bene vortat. habeon' pactam? quid taces?
ST. Proh di immortales, condicionem qoiuſmodi?
PH. Quin fabulare, di bene vortant,ſpondeo?
ST. Eheu vbi vſus nihil erat dicto,ſpondeo B
Dicebat:nunc hîc quom opus eſt,non quit dicere.
LE. Cùm affinitate veſtra me arbitramini
Dignum,habeo vobis Philto magnam gratiam.
Sed etſi hercle grauiter cécidi ſtultitia mea,
Pilto, eſt ager ſub vrbe hic nobis. eum dabo
Dotem ſorori. nam is de ſtultitia mea
Solus ſuperſit præter vitam relliquus,
PH. Profectò dotem nihil moror. LE. certum'ſt dare,
ST. Noſtrámne nutricem,here,quæ nos educat,
Abalienare à nobis? caue ſis feceris,
Quid edemus noſmet poſtea? LE. etiam tu taces? C
Tibi ego rationem reddam? ST. planè periimus,
Niſi quid ego comminiſcor. Philto te volo.
PH. Si quid vis Staſime. ST. huc concede aliquantum. PH. licet.
ST. Arcanò tibi ego hoc dico,ne ille ex te ſciat,
Néue alius quiſquam. PH. crede audacter quid lubet,
ST. Per deos atque homines dico,ne tu illunc agrum
Tuum ſiris vmquam fieri,neque nati tui.
Ei rei argumentum dicam. PH. audire ædepol lubet.
ST. Primum omnium olim terra cùm proſcinditur,
In quinto quoque ſulco moriuntur boues.
PH. Apage. ST. Acherontis oſtium in noſtro'ſt agro. D
Tum vinum priuſquam coactum'ſt, pendet putidum.
LE. Conſuadet homini, credo. etſi ſceleſtus eſt.
At mihi infidelis non eſt. ST. audi cetera.
Pòſt id,frumenti quom alibi meſſis maxima'ſt,
Tribus tantis illi minus redit, quàm obſeueris.
PH. Hem iſtic oportet obſeri mores malos,
Si in obſerendo poſſint interfieri.
ST. Neque vmquam quiſquam eſt cuius ille ager fuit,
Quin peſſumè ei res vorterit,cuium fuit.
Alij exſulatum abierunt,alij emortui,





A Alij ſe ſuſpendêre. hem nunc hic, cuius eſt,
Vt ad incitas redactus? PH. apage à me iſtum agrum.
ST. Magis apage dicas, ſi omnia à me audiueris.
Nam fulguritæ ſunt hîc alternæ arbores.
Sues moriuntur angina hic acerruma.
Oues ſcabræ ſunt,tam glabræ hem,quàm hæc eſt manus.
Tum autem Syrorum genus,quod patientiſſimum eſt
Hominum,nemo exſtat, qui ibi ſex menſes vixerit:
Ita cuncti ſolſtitiali morbo décidunt.
PH. Credo ego iſtuc Staſime ita eſſe,ſed Campans genus
Multo Syrorum iam anteit patientia.
B Sed iſte eſt ager profectò, vt te audiui loqui,
Malos in quem omneis publicè mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant inſulas,
Quò cuncti qui ætatem egerunt caſtè ſuam,
Conueniant : contrà iſtoc detrudi maleficos
Æquum videtur, qui quidem iſtius ſit modi.
ST. Hoſpitium eſt calamitatis,quid verbis opu'ſt?
Quamuis malam rem quærens,illic reperias.
PH. At tu hercle & illi & alibi. ST caue ſis dixeris,
Me tibi dixiſſe hoc. PH. dixiſti arcanò ſatis.
ST. Quin hic quidem cupit illum ab ſe abalienarier,
C Si quidem reperire poſſiet,cui os ſublinat.
PH. Meus quidem hercle numquam fiet. ST. ſi ſapies quidem.
Lepidè hercle de agro ego hunc ſenem deterrui:
Nam qui viuamus,nihil eſt,ſi illum amiſerit.
PH. Redeo ad te Leſbonice. LE. dic ſodes mihi,
Quid hic locutus tecum? PH. quid cenſes? homo'ſt,
Vult fieri liber : verùm quod det,non habet.
LE. Et ego eſſe locuples, verùm ne quicquam volo.
ST. Licitum ſi velles. nunc quoniam nihil eſt,non licet.
LE. Quid tecum Staſime? ST. de iſtoc quod dixti modò,
D Si antea voluiſſes, eſſes : nunc ſerò cupis.
PH. De dote mecum conuenire nihil potes.
Quod tibi lubet, tute agito cum nato meo.
Nunc tuam ſororem filio poſco meo
Quæ res bene vortat. quid nunc etiam conſulis?
LE. Quid iſtuc? quando ita vis, di bene vortant,ſpondeo.
PH. Numquam ædepol cuiquam tam exſpectatus filius
Natus, quàm eſt illud ſpondeo natum mihi.
ST. Di fortunabunt veſtra conſilia. PH. ita volo:
LE. Sed Staſime abi huc ad meam ſororem, ad Calliclem.
Dic, hoc negotij quomodo actum eſt. ST. ibitur.
LE. Et gratulator meæ ſorori. ST. ſcilicet.

PH. I hàc Leſbonice mecum, vt coram nuptiis A
Dies conſtituatur. eadem hæc confirmabimus.
LE. Tu iſtuc cura quod iuſſi, iam ego hîc ero,
De Callicli me vt conueniat. ST. quin tu i modò,
LE. De dote vt videat quid opus ſit facto. ST. i modò.
LE. Nam certum'ſt ſine dote haud dare. ST. quin tu i modò.
LE. Neque enim illi damno vmquam eſſe patiar. ST. abi modò
LE. Meam negligentiam. ST. i modò. LE. ô pater,
Æquum videtur quin quod peccarim. ST. i modò.
LE. Potiſſimum mihi id obſit? ST. i modò. LE. ô pater,
En vmquam aſpiciam te? ST. i modò, i modò, i modò.
Tandem impetraui abiret. di veſtram fidem, B
Ædepol re geſta peſſumè, geſtam probè,
Siquidem ager nobis ſaluus eſt. etſi admodum
In ambiguo eſt etiam nunc quid de hac re fuat.
Sed ſi alienatur, actum'ſt de collo meo.
Geſtandus peregrè clypeus, galea, ſarcina,
Effugiet ex vrbe, vbi erunt factæ nuptiæ,
Ibit iſtac aliquò in maximam malam crucem
Latrocinatum, aut in Aſiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quò mihi imperatum'ſt, etſi odi hanc domum
Poſtquàm exturbauit hic nos ex noſtris ædibus.

C

CVM CONSIDERO MEMINISSE VIDEOR FVISSE] cùm cogito, videor meminiſſe ita eſſe, vt dicis me accepiſſe minas quadraginta à Callicle. QVID FACTVM EST EO?] quid de ea, pecunia factum eſt? EXVTVM] exſpoliatum, id eſt, conſumtum in veſtibus, quibus ſpoliatus es. MYROPOLÆ] qui vnguenta vendunt. CONFIT CITÒ QVÀM SI TV] conficitur citò, ſubintellig. magis, quàm ſi formicis papauer obiicias. profert Nonius. SVMTVM EST] inſumtum eſt. TOTIDEM VNA TRAHO] ſex alteras minas duco. DEFRAVDAVI] ἀπιστέρησα. auerti. SERÒ ATQVE STVLTÈ, PRIVS QVOD CAVTVM OPORT.] ſerò atque ſtultè poſtquàm bona ſua comedit, & conſumſit, à quo prius ſibi cauere debuit, rationem ſubducit. hæc loquitur ad ſpectatores conuerſus. RATIO QVIDEM HERCLE APPARET,] M. Tullius in Piſon. quo loco Piſonem loquentem facit, è prouincia reuerſum, *Quas rationes ſi cognoris, intelliges, memini plus, quàm mihi litteras profuiſſe, ita enim ſunt perſcriptæ, ſutè, & litteratè, vt ſcribit, ad ærarium, qui eas retulit, perſcriptis rationibus, ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit: ratio quidem hercle apparet, argentum verò oëchetæ.* Quod autem Budæus annotat. in Pandect. titul. de Offic. quæſt. legit apud Ciceronem, *argentum decoctum oëchetæ*, pro, *argentum & doctum oëchetæ*: quod erat in libris vulgatis. neutrum recipiendum puto in contextum verborum, neque *decoctum*, neque *& doctum*, quamuis aſſentiatur Petrus Victor. Iam οἴχεται, ſeu *oëchetæ*, litteris Latinis valet, periit, abiit, euanuit. Plato Theæt. Ἀλλὰ δεινὸν ὦ σώκρατες τοῦ τόγε φαίαι. Σω. δεῖγε μέντοι, εἰ σώσοιμεν τὸν πρόσθεν λόγον. εἰ δὲ μὴ οἴχεται. ACCEPIT MANCIPIO] ea lege accepit, vt venditor periculum euictionis præſtaret, promiſit ſe dominium in emtorem tranſlaturum. Sed quid ſit, accipere mancipio, ex eo quod eſt, dare mancipio, intelligere licet, de quo ſatis multa ſuprà. IN PORTA EST LOCVS] foris & ſub dio ei eſt habitandum. vel vt alij, *mendicabit in porti trigemina.* vide in Capt. quando ædeis filius vendidit. NISI FORTÈ] quod fieri non poteſt. *in ventrem filio* autem, pro, *in ventrem filij*. MILLE DRACHVMARVM] id eſt, mille drachmæ. ſic dictum autem *mille drachumarum*, id eſt, *drachmarum*, vt mille nummûm, mille hominum, & ſimil. de quo alibi. Sed cur non dixit *redditum?* ſpectauit id, quod intelligitur, non quibus verbis dicitur: & *redditæ* poſitum eſt, proinde ac ſi dictũ eſſet, mille drachmæ, nõ mille drachmarũ. IMMÒ QVAS DEP. INQ.] id eſt, immò quas dependiſti, idem dicito non quas ſpopondi, ſed quas iam dependiſti. EXACTVS ES] more Græcorũ ἐσεπράχθης, quæ abs te exactæ ſunt.

QVEM



A QVEM TV AIEBAS] quem dicebas eſſe ſoluendo, quem dicebas eſſe ἀξιόχρεων. VT QVIDEM ILLVD PERIERIT] ſcis quo pacto illa pecunia perierit. DII DVINT] dij dent, tibi. ſubintell. MVTVVM MECVM FACIT] à me mutuo amatur. NEQVAM] improbum. NISI QVI BE.] niſi qui bene vult re, & beneuolentiam ſuam factis declarat. EGO QVOQVE VOLO ESSE] oſtendit voluntatem eſſe inanem ſine re, & factis. HAVD NOSCO TVVM] non agnoſco tuos mores in iſta oratione: putaui te antea eſſe virum pudentem & mihi amicum, nunc me in rebus meis aduerſis, in tuis ſecũdis abs te derideri video. NEQVE DIGNVM PVTO] neque te dignum puto, qui deridearis. CVM VESTRIS] cum veſtri ordinis, & generis hominibus. NON EST ÆQVA FACTIO] vos eſtis potẽtes, diuites, & factioſi: nos inopes, tenues, humiles, & imbecilli. Itaque eſt inſignis inter veſtros, & noſtros fortunæ inæqualitas. SANVS MENTIS] ſic ſuprà. FERENTARIVM ESSE AMICVM INVENT. INTELLIGO] Feſtus. *Ferentarij, auxiliatores in bello à ferendo auxilio dicti: vel quia fundis, & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non teruntur, ita appellat. Ferentarij leuis armaturæ pugnatores.* Nonius, *Ferentarij leuis armaturæ, quòd quoquo opus eſſet, auxilia ferrent ex curſu leui, armis grauibus non impediti.* Cato de re militari. *Inde partem equitatus, atque ferentarios prædatum miſit.* Salluſtius de bello Catill. *Poſtquam eò ventum eſt, vnde à ferentariis prælia committi poſſent,* B &c. Varro lib. 6. de lingua Lat. ſcribit ad hunc locum: *Nam illum tibi ferentarium*, &c. à ferendo, id eſt, inanem, ac ſine fructu: aut quod ferẽtarij equites hi dicti, qui ea modo habebãt arma quæ ferrentur, vt iacularij. Huiuſcemodi equites pictos vidi in Æſculapij æde vetere, & ferentarios adſcriptos. Miratur Turnebus, vt & ego miror, quamobrem Varro ferentarium, hîc interpretatur inanem, ſine fructu, cùm videatur potius Plautus per *ferentarium*, amicum ſignificare, amicum ad auxilium ferendum promptum, paratum, atque expeditum. Itaque putabam legendum apud Varronem, *non inanem, neque ſine fructu.* SI HERCLE IRE INC. V.] ſi hercle abire inciperem, vetares. IN ÆTATE] interdum. Terent. ET STVLTÈ FABVLAR.] & ſtultè loqui. SI SIC NON LICEBIT] ſi mihi non licebit cum duobus oculis, quod volo, dicere, cum vno dicam. ÆQVIPARABILES] æquas, æquales. IN ÆDEM] in ædem ſacram, vel in ædeis aliquas non ſacras: ſed in ædem ſacram potius: nam in ædibus ſacris epulabantur. ATQVE IBI OP.] & cum fortè ibi opulentus aliquis tibi iunctus fuerit, & in eodem lecto accubuerit. ILLI] illic. EDISNE] id eſt, edáſne, ab edim, dis, dit. ſic ſuprà. EDIM] edam. AMBAB. MALIS] ambabus maxillis, plenis faucibus. CERNITVR] pugnatur, dimicatur. NON TIBI DICAM DOLO] dicam apertè, quod ſentio. diſſimulanter, & aſtutè tecum non loquar. C CENA HÆC ANNON.] cena hæc eſt inſtar annonę. SINE SACR. HERED.] ſacra priuata pecuniam ſequebantur, vt licet intelligere ex legè Ciceronis poſita in lib. 2. de legib. *ſacra priuata perpetua manento.* de qua, ſic idem eodem libro infrà. De ſacris autem, qui locus patet latiùs, hæc ſit vna ſententia, vt conſeruentur ſemper, & deinceps familiis prodantur, & vt in lege poſui, perpetua ſint ſacra. Hoc poſito hæc iura pontificum auctoritates cõſecutæ ſunt, ne morte patrisfamiliâs ſacrorum memoria occideret, & vt iis eſſent adiuncti, ad quos eiuſdem morte pecunia venerit. Hoc vno poſito, quod eſt ad cognitionem diſciplinæ ſatis, quibus implentur iuriſconſultorum libri, &c. pag. 339. in marginis verſu 39. Idem Plautus Capt. *ſine ſacris hereditatem ſum adeptus offertiſſimam.* hereditas autem ſine ſacris, lucrum ſine vllo onere & ſumtu. hæc ſacra enim non ſine impenſa procurabantur: itaque iis aſtringebantur hæredes, & ad quos ex morte teſtatoris emolumẽtum aliquod peruenerat, vt verba Ciceronis ſuprà à nobis poſita declarant. DEI, DIVITES SVNT, &c.] hæc ad ea pertinent, quæ dixerat ſuprà Leſbonicus non eſſe ſuas, & Philtonis factiones, & opes æquiparabileis. NOS HOMVNC. SAL. A.] ſubintell. ſumus. ſumus vaſculum ſalis, id eſt, ſumus corpuſcula animata. nam corpora noſtra ſunt tanquam animarum vaſcula. ſalillum animæ, dixit fortaſſe D tranſlatione ſermonis facti à menſis pauperum, quæ ſunt perquàm tenues, & ſine apparatu. Eis enim ſal pro obſonio eſt. lege quæ notauimus ad illud Horatij oda 16. lib. 2. *Viuitur paruo bene cui paternũ Splendet in mẽſa tenui ſalinum*, &c. Licet etiam dicere Plautum eò ſpectaſſe animam corpori noſtro eſſe pro ſale, quemadmodum enim carnes pecudum, & boum, quibus veſcuntur homines, ſi diu ſeruentur, ſine ſalè putreſcunt, ita & corpora humana, efflata anima, vermeis contrahunt, & putore corrumpuntur. Non diſſimulabo tamen me in quibuſdã libris manuſcr. ſcriptum reperiſſe, *Tantillum animæ.* ÆQVÈ MENDICVS] hanc mortuorum æqualitatem facere cum ſuo more deſcribit Lucianus in dialogis mortuorũ, & maximè in eo qui inſcribitur Ἀχιλλέως καὶ Ἀντιλόχου: & in Μενίππου καὶ Ἑρμοῦ. CENSETVR CENSV] legendum puto *cenſetur cenſui.* MIRVM NI TV ILLVC] cum ſtomachoſa irriſione pronuntiandum. proinde ac ſi dicat: Tu verò illuc diuitias tecum ferre debeas. ITA SIS, VT NOMEN CLVET] ita fuerit, vt nomen eſt, nempe mortuus. HÎC] apud nos, ſeu in noſtra familia. BENE VORTAT] bene eueniat. QVIN FABVLARE, &c.] cur non hæc dicis, dij bene vortant, id eſt, dij approbent, ſpondeo. VBI NIHIL ERAT D.] cùm nihil erat opus ſpondere: ſpondebat nunc in hac re: vbi opus eſt, non ſpondet. GRAVITER CEC.] graui caſu afflictus ſum: valde proſtrata eſt res mea familiaris. AGER SVB VRBE] ager ſuburbanus. DOTEM NIHIL MOROR] dotem

ſſſſ iij

neligo. dotem non curo. de dote nihil laboro. CERTVM EST] decretum eſt mihi, ſtat ſententia. ABALIENARE] ſubintellig. decreuiſti? ſeu cogitas? ARCANÒ] arcanè, ſecretè, in aurem. SIRIS] ſiueris. OLIM] tunc. PROSCINDITVR] Virg. Georg. 2. *& terram validis proſcinde iuuencis*. Lucret. 5. *& terram preſſis proſcindere aratris*. ACHERVNTIS OSTIVM] Orci ianua. TVM VINVM PRIVSQVAM COACTVM EST] tum vuæ priuſquam coactæ, & collectæ ſunt, pendent iam putidæ. non ſolùm vinum ex vuis confectum, putorem contrahit, ſeu puteſcit, verùm etiam vuæ ipſæ adhuc pendẽtes putent, antequam vindemia fiat. AT MIHI INFIDELIS NON EST] at ager mihi reddit, quod ei credo cum fœnore, neque fidem fallit οὐκ ἐστὶ γῆ ἄπιστος. Horat. oda 1. lib. 3. *Fundúſque non mendax*. Idem oda 16. *& ſegetis, certa fides meæ*. TRIBVS T. M.] ter tanto minus. ILLI] Leſbonico. ISTIC] in iſto agro, quem mihi commemoras. VORTERIT] ceciderit, euenerit. VT AD INCIT. RED.] quo pacto ad extremam egeſtatem redactus eſt? Nonius profert hunc locum & præterea illum ex Pœnulo, *Profecto ad incitas lenonem redegit*. FVLGVRITÆ] id eſt fulgure, ſeu fulmine tactæ. Varro lib. 4. de lingua Latina, *& fulguritum, quod fulmine ictum, vt Phaëton contrariis diis*. ſic & Feſtus, *fulguritum id, quod fulmine ictum, qui locus ſtatim fieri religioſus, quòd enim Deus ſibi dicaſſe videretur*. ſic denique Nonius, *Fulguritum dicitur fulgure tactum, & exutum*. ALTERNÆ] ex duabus altera. ANGINA] Græcis συνάγχη dicitur Lucill. lib. 30. *Inſperato abiit quem vna angina abſtulit hora*. SCABRÆ] ſcabie aſperæ. Columell. lib. 7. de re ruſt. cap. 5. Oues frequentius, quàm vllum aliud animal infeſtantur ſcabie, quæ ferè naſcitur, ſicut noſter commemorat poëta, *cùm frigidus imber, Altius ad viuũ perſidit, & horrida cano Bruma gelu*, &c. TAM GLABRÆ] tam læues. PATIENTISSIMVM] Syri natio nata ſeruituti. M. Tull. pro Flacco. Sed quod patientiſſimos Syros dicit, non fortaſſe refert hoc ad laboris patientiam, ſed ad impudicitiam, & patientiam libidinis alienæ. SOLSTITIALI MORBO] morbo vnius diei. CAMPANS] ſic habent noſtri libri veteres, & ita legit Nonius hunc locum proferens in voce *campans*, id eſt, campanus. Campanos porrò molles, & impudicos, & libidinoſos fuiſſe ob rerum omnium copiam conſtat. FORTVNATORVM MEMOR. INSVL.] fortunatas, ſeu fortunatorum inſulas, (μακάρων νήσους, & ὀλβίους νήσους Græci appellant) pulcrè deſcribit Horat. oda 16. epod. ibi, *Nos manet Oceanus circumagens*, &c. & Homer. ὀδ. δ. & Strab. lib. 1. non longè à principio. Muretus variar. lect. lib. 5. ET ILLI.] & illic. CVI OS SVBLINAT] quem decipiat, ſuprà. QVI VIVAMVS] vnde viuamus. LICITVM SI VELLES] licitum eſt tibi eſſe diuiti, ſi voluiſſes rem tuam bene gerere, & continenter, ac temperanter viuere. ESSES] locuples. CONSVLIS?] conſultas? QVAM EST ILL. SP. N.] exſpectari. DII FORTVNABVNT] fortunare, & proſperare, & omnibus bonis augere. Plautus Trinummo. *Dij fortunabunt veſtra conſilia*. M. Tullius ad Curionem. *Tibi patrimonium dij fortunent*. EADEM] eadem opera. NAM CERTVM EST S. D.] nam decreui nuptui non dare ſororem meam ſine dote. ILLI DAMNO] illi eſſe damnoſam meam negligentiam. nam hìc fit ſermonis interruptio. ÆQVVM VIDETVR QVIN QVID. P.] æquúmne videtur, id quod peccaui, mihi potiſſimùm non obeſſe? proinde ac ſi dicat, æquum eſt non tibi, neque ſorori, ſed mihi potiſſimùm obeſſe: hic quoque ſermo Leſbonici interrumpitur. EN VMQVAM] ecquando. Virgil. Tityro. *En vmquam patrios longo pòſt tempore fineis Poſt aliquot*, &c. Melib. *en erit vmquam Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta*. RE GESTA P.] re familiari à Leſbonico ferè tota conſumta, & abſumta. GESTVM PROBÈ] quod agrum arte ſeruaui, dum perſuadeo Pithoni eſſe modis omnibus infelicem. FVAT] fiat, ſit. GESTANDVS PEREGRE CLYP.] quia herus meus Leſbonicus ibit aliquò militatum. LATROCINATVM] prædatum, militatum.

## CALLICLES ſenex. STASIMVS ſeruus.

D

QVOMODO tu iſtuc Staſime dixſti? noſtrum herilem filium
Leſbonicum ſuam ſororem deſpopondiſſe? ST. hoc modo.
CA. Cui homini deſpondit? ST. Lyſiteli Philtonis filio,
Sine dote. CA. ſine dote ille illam in tantas diuitias dabit?
Non credibile dicis. ST. at tu ædepol nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero. CA. quid? ST. me nihili péndere.
CA. Quamdudum iſtuc, aut vbi actum'ſt? ST. illico hîc ante oſtium





A Iam modò, inquit Præneſtinus. CA. tanton' in re perdita,
Quàm in re ſalua, Leſbonicus factus eſt frugalior?
ST. Atque equidem ipſius vltro venit Philto oratum filio.
CA. Flagitium quidem hercle fiet, niſi dos dabitur virgini.
Poſtremò ædepol ego iſtam rem ad me attinere intelligo.
Ibo ad meum caſtigatorem, atque ab eo conſilium petam.
ST. Propemodum quid illic feſtinet ſentio, & ſubolet mihi,
Vt agro euortat Leſbonicum, quando euertit ædibus.
O here Charmide, quàm abſente te hîc tua res diſtrahitur tibi?
Vtinam te rediſſe saluum videam, vt inimicos tuos
Vlciſcare! vt mihi, vt erga te fui, & ſum referas gratiam!
B Nimiùm difficile'ſt reperiri amicum ita, vt nomen cluet,
Cui tuam cùm rem credideris, ſine omni cura dormias.
Sed generum noſtrum ire eccillum video cum affini ſuo.
Neſcio quid non ſatis inter eos cónuenit. celeri gradu
Eunt vterque. ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euſcheme aſtiterunt. huc aliquantum abſceſſero.
Eſt lubido orationem audire duorum affinium.

NOSTRVM HERILEM FIL.] vel debet hîc præſcribi nomen Staſium, & legi ſine interrogatione, vt intelligamus reſpondere Staſium, dixi, noſtrum herilem filium Leſbonicum ſuam ſororem deſpopõdiſſe, hoc modo, inquam dico, vel legẽdum *veſtrum herilem filium*, &c. vel hoc totum accipiendum erit τέχνικος, hoc pacto, dixiſtíne ita, noſtrum herilem filium, &c. hæccine ſunt tua verba, quæ mecum locutus es, noſtrum herilem filium, &c. NVLLVS CREDVAS] ne credideris. IAM MODO, INQVIT, PRÆNEST.] al. tam modò. vt loquitur Præneſtinus. FLAGITIVM.] turpe, & pudendum facinus. AD MEVM CASTIGATOR.] ad Megaronidem. ILLIC] Callicles. loquitur ſecum ſeruus. SVBOLET MIHI] ſubodoror, tralatio eſt. VT AGRO EVORTAT] vt agri poſſeſſione deturbet Leſbonicum. DISTRAHITVR.] diſſipatur. AMICVM ITA, VT NOMEN CLVET.] amicum re, amicum, qui reſpondeat nomini, & qui talis ſit re, qualis eſt vis ipſius nominis, qui ſit id, quod nomine ſignificatur: ſic ſuprà. GENERVM NOSTRVM] Lyſitelem. CVM AFFINI.] cum Leſbonico. EVSCHEME] εὐσχημόνως, honeſtè, honeſta ſpecie, decoro geſtu.

## LYSITELES, LESBONICVS, adoleſcentes. STASIMVS ſeruus.

D STa illico: noli aduerſari, neque te occultaſſis mihi.
LE. Potin' vt me ire, quò profectus ſum, ſinas? LY. ſi in rem tuam.
Leſbonice eſſe videatur, gloriæ aut famæ, ſinam.
LE. Quod eſt facillimum, facis. LY. quid id eſt? LE. amico iniuriam.
LY. Neque meum'ſt, neque facere didici. LE. indoctus quàm doctè facis?
Quid faceres, ſi quis docuiſſet te, vt ſic odio eſſes mihi?
Qui bene cùm ſimulas facere mihi te, malè facis, malè conſulis.
LE. Egóne? LE. tu næ. LY. quid malè facio? LE. quod ego nolo, id cùm facis.

LY. Tuæ rei bene conſulere cupio. LE. tu mihi es melior, quàm egomet mihi?
Sat ſapio,ſatis in rem quæ ſint meam,ego conſpicio mihi.
LY. An id eſt ſapere,vt qui beneficium à beneuolente repudies?
LE. Nullum beneficium duco eſſe id,quod,cui facias,non placet.
LY. Scio ego,& ſentio ipſe quid agam;neque à me officium migrat,
Nec tuis depellor dictis,quin rumori ſeruiam.
LE. Quid ais? LY. nam retineri nequeo, quin dicam ea, quæ promeres.
Itáne tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,
Vt virtute eorum antè parta per flagitium perderes?
Atque honori pôſterorum tuorum vt vibex fieres? B
Tibi patérque auóſque facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem:tu feciſti vt difficilis foret
Culpa maximè & deſidia,tuíſque ſtultis moribus
Præoptauiſti,amorem tuum vti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata? LE. ah non ita eſt.
LY. Cape ſis virtutem animo,& corde expelle deſidiam tuo:
In foro operam amicis da,haud in lecto amicæ,vt ſolitus es.
Atque ego iſtum agrum tibi relinqui ob eam rem enixè expeto,
Vt tibi ſit,qui te corrigere poſſit,ne omnino inopiam
Ciues obiectare poſſint tibi,quos tu inimicos habes. C
LE. Omnia ego iſtæc,quæ tu dixiſti,ſcio,vel exſignauero,
Vt rem patriam,& gloriam maiorum fœdarim meûm.
Sciebam vt eſſe me deceret,facere non quibam miſer,
Ita vi Veneris vinctus,otio captus in fraudem incidi:
Et tibi nunc proinde ac merere,ſummas habeo gratias.
LY. At operam perire meam ſic,& te hæc dicta ſpernere,
Perpeti nequeo.ſimul me piget parum pudere te.
Et poſtremò niſi me auſcultas,atque hoc,vt dico,facis,
Tute ponè te latebis facilè,ne inueniat te honor.
In occulto iacebis,cùm te maximè clarum voles. D
Pernoui equidem Leſbonice peritum tuum ingeniũ admodum.
Scio te ſponte non tuapte erraſſe,ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe.atque ipſe amoris teneo omneis vias.
Ita eſt amor,balliſta vt iacitur.nihil ſic celere eſt,neque volat.
Atque is mores hominum moros & moroſos efficit.
Minus placet,magis quod ſuadetur:quod diſſuadetur,placet.
Cùm inopia'ſt,cupias:quando eius copia'ſt,tum non velis,
Ille,qui aſpellit,is compellit:ille,qui conſuadet,vetat.
Inſanum'ſt & malum,in hoſpitium deuorti ad Cupidinem.
Sed te moneo,hoc etiam atq; etiã vt reputes, quid facere expetas.
Si iſtuc,vt conare,facis incendium tuum incendes genus.

Tum



A Tum igitur tibi aqua erit,cupido,genus qui reſtinguas tuum.
Atque erit ſi nactus,proinde vt corde amantes ſunt cati,
Ne ſcintillam quidem relinques,genus qui congliſcat tuum.
LE. Facilè eſt inuentu:datur ignis,tametſi ab inimicis petas.
Sed tu obiurgans me,à peccatis rapis deteriorem in viam.
Meam vis ſororem tibi dem,ſuades ſine dote. hoc non cónuenit,
Me,qui abuſus ſum tantam rem patriam,porrò in diuitiis
Eſſe,agrúmque habere:egere illam autem,vt me meritò oderit.
Numquam erit alienis grauis,qui ſuis ſe concinnat leuem.
LY. Sicut dixi faciam.nolo te iactari diutius.
Tanto meliu'ſt te ſororis cauſſa egeſtatem exequi,
B Atque eum agrum me habere,quàm te,tua qui toleres mœnia?
LE. Nolo ego mihi te tam proſpicere,qui meam egeſtatem leues,
Sed vt in os infamis ne ſim,ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis,quàm in matrimonium.
Quis me improbior perhibeatur eſſe?hæc famigeratio
Ted honeſtet,me autem collutulet,ſi ſine dote duxeris.
Tibi ſit emolumentum honoris:mihi quod obiectent,ſiet.
LY. Quid?te dictatorem cenſes fore,ſi abs te agrum acceperim?
LE. Neque volo,neque poſtulo,neque cenſeo:verùm tamen,
Is eſt honos homini pudico,meminiſſe officium ſuum.
C LY. Scio equidem.te animatus vt ſis video,ſubolet,ſentio.
Id agis,vt,vbi affinitatem inter nos noſtram aſtrinxeris,
Atque eum agrum dederis, nec quicquam hîc tibi ſit, qui vitam colas,
Effugias ex vrbe inanis,profugus:patriam deſeras,
Cognatos,affinitatem,amicos,factis nuptiis.
Mea opera hinc proterritum te,meáque auaritia autument.
Id,me commiſſurum,vt patiar fieri,ne animum induxeris.
ST. Non enim poſſum quin exclamem:euge,euge Lyſiteles,
Facilè palmam habes.hic victus:vicit tua comœdia.
D Hic agit magis ex argumento,& verſus meliores facit.
Etiam ob ſtultitiam tuam te tueris,multa abomina.
LE. Quid tibi interpellatio,aut in conſilium huc acceſſio eſt?
ST. Eodem pacto quo huc acceſſi, abſceſſero. LE. i hàc mecum domum
Lyſiteles,ibi de iſtis rebus plura fabulabimur.
LY. Nihil ego in occulto agere ſoleo.meus vt animus eſt,eloquar.
Si mihi tua ſoror,vt ego æquum cenſeo,ita nuptum datur,
Sine dote,neque tu hinc abiturus:quod meum erit,id erit tuum.
Sin aliter animatus es,bene,quod agas,eueniat tibi.
Ego amicus numquam tibi ero alio pacto. ſic ſententia eſt.
ST. Abiit hercle ille quidem.ecquid audis Lyſiteles? ego te volo.

Hic quoque hinc abiit. Staſime reſtas ſolus, quid ego nunc agam, A
Niſi vti ſarcinam conſtringam, & clypeum ad dorſum accommodem.
Fulmentas iubeam ſuppingi ſoccis. non ſiſti poteſt,
Video caculam militarem me futurum: aut longius,
Aut aliquem ad regem in ſaginam heru' ſe coniecerit meus.
Credo ad ſummos bellatores acrem fugitorem fore:
Et capturum ſpoliari ibi illum, qui meo hero aduerſus venerit.
Egomet autem quom extemplò arcum mihi & pharetram & ſagittas ſumſero,
Caſſidem in caput: dormibo placidè in tabernaculo.
Ad forum ibo: nudiusſextus cui talentum mutuum B
Dedi, repoſcam, vt habeam, mecum quod feram, viaticum.

STA ILLICÒ] Leſbonico perſuadere non poteſt Lyſiteles, vt ſuam ſororem ſibi vxorem det indotatam. OCCVLTASSIS] occultaueris. GLORIÆ, AVT FAMÆ.] cur non dixit, gloriam, aut famam? INDOCTVS QVÀM DOCTÈ] tu quem nemo docuit malè facere, quàm doctè, & callidè malefacis? QVI BENE CÙM SIMVLAS, &c.] ordo eſt, qui cùm ſimulas te mihi bene facere, malefacis, &c. TV NÆ] tu profectò σὺ ναὶ. QVOD EGO NOLO ID CVM FACIS.] cùm id facis, quod ego nolo. TV MIHI ES MELIOR Q. EGOMET. M.] túne mihi perſuadere conaberis te eſſe mihi meliorem, quàm me ipſum mihi? AN ID EST SAPERE, &c.] an id eſt ſapere, vbi quis beneficium à beneuolo oblatum aſpernatur? vt qui, id eſt, vbi quis. Lego autem *repudiet*, non vt habent omnes libri, *repudies*. quam ſcripturam ſi quis magis probabit, difficilis eius erit explicatio, ſic enim erit explicanda: an eſt hoc tibi ſapere, vt pote, qui beneficium à beneuolo oblatum repudies? QVOD CVI F. N PL.] quod ei, cui facias, non placet. NEQVE À ME OFF. M.] neque à me officium abſcedit, ſeu diſcedit. NAM RETINERI NEQVEO, QVIN DICAM, &c.] profert Nonius C in verbo *promerens*. PER FLAGITIVM.] per dedecus, & turpitudinem turpiter, & flagitioſè. QVI RVMORI SERVIAM] interdum enim rumori ſeruiendum eſt. ATQVE HONORI POSTERORVM TVORVM VT VIBEX F.] ſecutus ſum Camerarij coniecturam, quam fecit ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, quæ eadem etiam in noſtris compârent. ſententia autem horum verborum eſt, Atque vt honori poſterorum tuorum ὑπώπιον, nota, ſeu cruenta, & liuida eſſes? id eſt, vt honorem tuorum poſterorum dedecorares, & ſugillares? PRÆOPTAVISTI AMOREM T. VTI VIRT. PRAEPON.] maluiſti amorem tuum virtuti præponere. IN FORO AMICIS OPER. DA. &c.] antitheſis. inſerui, inquit, amicis tuis in foro, non amicæ in lecto. VT TIBI SIT, QVI TE CORRIG.] vt habeas ſaltem iſtum agrum reliquum, qui te ad bonam reducat frugem. VEL EXSIGNAVERO.] etiam obſignauero. VT REM PATRIAM, ET GLORIAM MAIORVM F. M.] quo pacto bona à patre accepta conſumſerim, & gloriam maiorum meorum inquinauerim. *fædarim*, ad vtrumque pertinet, vel ad rem patrum, & ad gloriam maiorum: quamuis ad gloriam aptiùs quadret. VT ESSE ME DECERET.] qualem me eſſe deceret. OTIO CAPTVS] otio D irretitus, & illaqueatus. SVMMAS HABEO GRATIAS] rarus ſermo, habeo gratias: vſitatus eſt aliis ſcriptoribus probatis, & ipſi Plauto, habeo gratiā. TVTE PONE TE LATEBIS.] ipſe tibi eris latebræ loco. vel tu tibi ipſe obſtabis, & officies, ne te honor inueniat: id eſt ne vllo honore afficiaris. PERNOVI EQVIDEM LESBON. PERITVM] ſic habent libri noſtri veteres, atque vt ita legatur, & ſententia, & verſus poſtulat. PECTVS OBCVRASSE.] mentis aciem præſtinxiſſe. BALLISTA VT IACITVR] balliſta hîc ponitur pro telo, quod iacitur, aut mittitur: quæ propria eſt nominis ſignificatio. Nam aliàs pro tormento, vnde mittitur, aut iacitur, vſurpatur. MOROS] ſtultos. μώρους. CVM INOPIA EST CVPIAS] cùm amatori non eſt fruendi copia, tum cupit: cùm ſuppetit copia, tum faſtidit. INSANVM'ST EI ET MALVM IN HOSPITIVM DEVORTI, &c.] ordo eſt, non eſt ſani hominis, neque eius, qui malum vitare ſtudet, diuorti in hoſpitium Cupidinis: vel deuorti ad Cupidinem, & hoſpitium ſibi apud eum parare. SI ISTVC, VT CONARE, FACIS INCENDIVM, &c.] allegoria eſt: cuius hæc ſententia eſt. ſi iſtuc incendium facere pergis, vt cœpiſti, atque inſtituiſti, tuum genus incendio exſtingues, & delebis. *incendium* autem repoſuimus, reiecta vulgata lectione, *indicium*, noſtros libros veteres, quamuis deprauatos, ſecuti, in quibus ſcriptum eſt *incidium*. Iam verò incendium facere, etiam M. Tullius dixit paradoxo, ὅτι παν-



A τες οἱ ἄφρονες μαίνονται. Quod ſi nulli codices me adiuuarent, tamen me ipſa ratio facilè ad hanc coniecturam veluti manu duceret. Nam cùm ſequetur, tuum incendes genus, hæc ipſa verba indicant, incendij mentionem anteceſſiſſe: alioqui ridicula horum verborum ſubiunctio. TVM IGITVR TIBI AQVA ERIT CVPIDO.] tunc igitur, nempe incendio excitato, Cupido, id eſt, libido erit tibi pro aqua, per quam genus tuum reſtinguas. ATQVE ERIS SI NACTVS, &c.] ac ſi nactus eris aquam illam, id eſt, cupidinem, quæ tibi ſit aquæ loco, vt amantes ſunt ſollertes, & acuti, ne ſcintilla quidem reliqua tibi erit, vnde genus tuum exſtinctum, de integro ſuſcites. CONGLISCAT] nihil muto, quod etiam libri noſtri veteres hanc ſcripturam propemodùm præ ſe ferant. verumtamē, ne quid diſſimulem, ſuboffendit me compoſitionis nouitas. *gliſco*, enim ſimplex, vſitatum bonis ſcriptoribus, & cōfirmant grammatici veteres: ſed de compoſitis nullum verbum. FACILI'ST INVENTV.] ignis inuentu facilis eſt: datur etiam, ſi quis ab inimicis petat. HOC NON CONVENIT, &c.] hoc non eſt æquum, me, qui tam multa bona à patre accepta conſumſerim, diuitem eſſe, illum egere. In diuitiis eſſe, ſic dictum, vt in bonis eſſe. NVMQVAM ERIT ALIENIS GRAVIS Q. S.] præclarè dictum, & bella antitheſis, numquam, inquit, is, qui committit, vt ſuis lenis, & contemtus ſit, grauitatem & pondus apud ſuos obtinebit. concinnat, id eſt, præbet, reddit, efficit. B IACTARI.] σαλεύεσθαι. in dubio eſſe, dubitatione æſtuare. tralatio ab iis, qui in mari iactantur. vel à nauibus, quæ cum anchora, vel ſine anchora fluctibus iactantur. TANTO MELIV'ST TE SORORIS CAVSA.] Itáne melius eſt, te ſororis tuæ cauſa egeſtate laborare, quàm me, ſubintell. & te meum agrum habere, quàm te, vnde tua munia, & ſumtus quotidianos tolerare, ac ſuſtinere poſſis? Nolo te tam mihi prouidere, quo me egeſtate leues, quàm vt ne in os infamis ſim. DIFFERANT] diſſipent, diſpergant, ſubintell. homines. HAEC FAMIG. TED HONESTET, &c.] hæc fama diſperſa, & dedita tibi, ſit honorifica, & glorioſa, mihi probro, & dedecori. me collutulet, id eſt, me dedecoret, & quaſi luto inquinet. Nonius in verbo *collutulare*. TIBI SIT EMOLVMENTVM HON.] tibi quæratur honos, mihi probrum. QVID? TE DICTATOREM, &c.] hoc eò pertinet, quod Leſbonicus dixerat Lyſitelem honorem eſſe apud homines conſecuturum, ſi non accipiat agrum, ſe verò dedecus, & infamiam: Quid, inquit, at ſi agrum mihi dederis, te dictatorem conſecuturum putas? HOMINI PVDICO.] id eſt, homini pudenti. TE ANIMATVS VT SIS VID.] video quo ſis animo: video quomodo ſis animatus. SVBOLET.] mihi. tralatio. ſuprà. QVI VITAM COLAS.] vnde viuas. AVTVMENT.] dicant. ſubintell. homines. ID ME COMMISSVR. C VT PATIAR F.] ordo, & ſententia eſt, ne animum induxeris me commiſſurum, vt id patiar fieri, nempe te mea opera, meáque auaritia proterritum profugere. PALMAM HABES.] viciſti. HIC VICTVS] Leſbonicus victus eſt. VICIT TVA COMOEDIA.] ô Lyſiteles. allegoria eſt à comœdis, qui de præſtantia, & præmio inter ſe certant. HIC AGIT.] Lyſiteles magis egit pro ratione argumenti. QVID TIBI INTERPELL. &c.] quamobrem nos interpellare, aut in conſilium noſtrum accedere non vocatus audes? MEVS VT ANIMVS EST.] ita vt ego ſentio, eloquar: vel quid ego ſentiam, eloquar. NEQVE TV HINC ABITVR.] etſi non hinc abiturus es inanis & profugus. ECQVID LYSITELES?] Staſimus Lyſitelem abeuntem reuocat, ſed fruſtrà. HIC QVOQVE] Leſbonicus. FVLMENTAS IVBEAM SVPPINGI SOCCIS.] & iubeam fulmentas, id eſt, fulcimēta, ſeu fulmenta ſubſui ſoccis, vt ſint ſolidores, & firmiores. profert Nonius, ſed mendoſè. NON SISTI POTEST] non poteſt retineri Leſbonicus, quin abeat exſulatum, aut militatum. CACVLAM] Feſtus, Cacula, ſeruus militis. Plautus, *video caculam*, &c. IN SAGENAM] ſagena, vox Græca, genus retis, quod verriculum Latini appellant. ſic autem legendū, non, vt vulgò, *ſaginam*. quod & item aliis iampridem venit in mentem. ET CAPTVRVM SPOL. ILL.] & eum, qui heD ro meo in acie contrà ſteterit, aut venerit, victorem abiturum. DORMIBO.] dormiam. NVDIVSSEXTVS CVI TALENTVM, &c.] ordo eſt, ab eo, qui nudiusſextus, id eſt, ſex ab hinc diebus, talentum mutuum dedi, repoſcam.

## MEGARONIDES, CALLICLES, ſenes duo.

VT mihi rem narras Callicles, nullo modo
Poteſt fieri prorſus, quin dos detur virgini.
CA. Namque hercle honeſtè fieri fermè non poteſt,
Vt eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cùm eius rem penes me habeam domi.
Parata dos domi'ſt. ME. niſi exſpectare vis,
Vt eam ſine dote frater nuptum collocet.

Pòſt adeas tute Philtonem,& dotem dare A
Te ei dicas facere id eius ob amicitiam patris.
Verùm hoc ego vereor,ne iſtæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat,atque infamiam:
Non temerè dicant te benignum virgini:
Datam tibi dotem,ei quam dares,eius à patre.
Ex ea largitari te illi,neque ita vt ſit data, in-
Columem te ſiſtere illi,& detraxe autument.
Nunc ſi operiri vis àduentum Charmidis,
Perlongum'ſt,huic ducendi interea abſceſſerit.
CA. Nam hercle omnia iſtæc veniunt in mentem mihi.
ME. Vide ſi hoc vtibile magis,atque in rem deputas, B
Vt adeam Leſbonicum,edoceam vt res ſe habet.
CA. Vt ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem,
Indomito,pleno amoris,ac laſciuiæ?
Minimè,minimè hercle verò.nam certò ſcio
Locum quoque illum omnem,vbi ſitu'ſt,comederit.
Quem fodere metuo,ſonitum ne ille exaudiat,
Neu ipſam rem indaget,dotem dare ſi dixerim.
ME. Quo pacto ergo agetur? CA. clàm dos depromi poteſt,
Dum occaſio ei rei reperiatur,interim
Ab amico aliquo alicunde argentum in dotem rogem
ME. Potin'eſt ab amico alicunde exorari? CA. poteſt. C
ME. Gerræ.næ tu illud verbum actutum inueneris,
Mihi quidem hercle non eſt quod dem mutuum.
CA. Malim hercle vt verum dicas,quàm vt det mutuum.
ME. Sed vide conſilium,ſi placet. CA. quid conſili'ſt?
ME. Scitum,vt ego opinor,conſilium inuéni. CA. quid eſt?
ME. Homo conducatur aliquis iam quantum pot'eſt,
Quaſi ſit peregrinus. CA. quid is ſcit facere poſtea?
ME. Is homo exornetur graphicè peregrinum modum:
Ignota facies,atque inuſitata ſit:
Falſidicus,confidénſque. CA. quid tum poſtea?
ME. Quaſi ad adoleſcentem à patre ex Seleucia D
Veniat:ſalutem ei nuntiet verbis patris:
Illum bene gerere rem,& valere & viuere,
Et eum rediturum actutum.ferat epiſtolas
Duas:eas nos conſignemus,quaſi ſint à patre:
Det alteram illi,dicat alteram tibi
Dare ſeſe velle. CA. perge porrò dicere.
ME. Séque aurum ferre virgini dotem à patre
Dicat,patrémque id iuſſiſſe aurum tibi dare.
Tenes iam? CA. propemodum,atque auſculto perlubens.
ME. Tum tu igitur demum id adoleſcenti aurum dabis,





A Vbi erit locata virgo in matrimonium.
CA. Scitè hercle ſanè. ME. hoc vbi theſaurum effoderis,
Suſpicionem ab adoleſcente amoueris:
Cenſebit aurum eſſe à patre allatum tibi,
Tu de theſauro ſumes. CA. ſatis ſcitè & probè.
Quamquam hoc me ætatis ſycophantari pudet.
Sed epiſtolas quando obſignatas afferet,
Siquidem obſignatas attulerit epiſtolas,
Nonne arbitraris eum adoleſcentem annuli
Paterni ſignum nouiſſe? ME. etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem cauſſæ poſſunt colligi.
B Eum,quem habuit,perdidit:alium pòſt fecit nouum.
Iam ſi obſignatas non feret,dici hoc poteſt,
Apud portitorem eas reſignatas ſibi,
Inſpectáſque eſſe.in huiuſmodi negotio
Diem ſermone terere,ſegnities mera'ſt.
Quamuis ſermones poſſunt longi texier.
Abi ad theſaurum iam confeſtim clanculum,
Seruos,ancillas amoue, atque audin'? CA. quid eſt?
ME. Vxorem quoque ipſam,hanc rem vt celes,face.
CA. Nam pol tacere numquam quicquam'ſt quod queat.
C ME. Quid nunc ſtas?quin te hinc amoues,& te moues?
Aperi,deprome inde auri ad hanc rem quod ſat eſt.
Continuò operito denuò.ſed clanculum,
Sicut præcepi.cunctos exturba ædibus.
CA. Ita faciam. ME. at enim nimis longo ſermone vtimur.
Diem conficimus,quòd iam properato'ſt opus.
Nihil eſt de ſigno quod vereare,me vide.
Lepida eſt illa cauſſa,vt commemoraui,dicere,
Apud portitores eſſe inſpectas:denique
Diei tempus non vides?quid illum putas
Natura illa,atque ingenio?iamdudum ebriu'ſt.
D Quiduis probari poterit:tum,quod maxumum eſt,
Afferre,non petere hic ſe dicet. CA. iam ſat eſt.
ME. Ego ſycophantam iam conduco de foro,
Epiſtoláſque iam conſignabo duas,
Eúmque huc adoleſcentem meditatum probè
Mittam. CA. eo ego igitur intrò ad officium meum.
Tu iſtuc age. ME. actum reddam. *

FRATER]Leſbonicus. PHILTONEM]Lyſitelis patrem. PATRIS.] Charmidis. TE IN CRIMEN POPVLO PONAT]tibi crimen,& infamiam apud populum conciliet & contrahat.ſic dictum,te in crimen,& infamiam ponat,vt illud Ciceronis, *pone me in gratiam.* NEQVE ITA VT SIT DATA,&c.]ne te,ita vt fuerit,tibi data à Charmide,dotem incolumem,& integrã illi repræſentare,ſed contrà,de ea detraxiſſe,id eſt,demiſſe, & deminuiſſe dicant.*incolumem* autem legendum.non *columen*, aut *columem*, quæ vox non eſt Latina. prima

autem nominis ſyllaba ad vltimam ſyllabam verſus ſuperioris pertinet. ABCESSERIT.] A ſubintell. voluntas, aut aliud quiddã te. VTIBILE.] ad vſum aptum. THESAVRVM] aurum reconditum. VBI SITV'ST] theſaurus. INDAGET.] inquirat. ARGENTVM IN. DOT. R.] mutuum. GERRÆ] nugæ. CLÀM DOS DEP. P.] clàm dos ex theſauro depromi poteſt tẽpore opportuno, & occaſione oblata, interim dum occaſio fodiendi theſauri, & depromendæ dotis reperietur, ab amico aliquo pecuniam mutuam in dotem petam. NE TV ILLVD VERBVM.] *ne* affirmatiuè pro *ναὶ* accipi debet. næ tibi is, quem rogabis argentũ mutuum, tibi continuò reſponderet ſibi non eſſe, quod det mutuum. quamquam nonnulli ſic accipiunt, *ne tu inueneris*. id eſt, verendum eſt, ne tu inueneris, &c. verendum eſt, ne is quem mutuã pecuniam rogabis, hoc tibi reſpondeat, Mihi quidem, &c. MALIM HERCLE, VT V. D.] malim hercle, vt omnes mihi negent, ſe argentum daturos mutuum, quàm vt quiſquam det. QVANTVM POTE'ST] quamprimùm fieri poteſt. GRAPHICè] pulchrè, decenter, aptè, tamquam à pictore aliquo expreſſus. FALSIDICVS CONFIDÉNSQVE] noſtri libri veteres non diſcrepant à vulgatis *falſidicus confidens*, in qua lectione verſus claudicat. Nos addidimus copulam *que*. Camerarius edidit *falſidicum confidentem*: & ita ſe in libris ſuis veteribus reperiſſe teſtatur, quamquàm fatetur duriùs cum ſuperioribus cohærere. AD ADOLESCENTEM] Leſbonicum. EI] adoleſcenti Leſbonico. EAS NOS CONSIG. QVASI SINT à B P.] ſed nónne Charmides annulum habebat aliis diſſimilem, & adoleſcenti Leſbonico notum? quo poſito, nónne ſi litteræ aliud ſignum, quàm patrium præ ſe ferrent, continuò Leſbonicus ſuſpicari poterit litteras eſſe ſimulatas, & falſas? huic dubitationi occuritur infrà, ibi: *Sed epiſtolas quando obſignatas*, &c. DARE] malim legi, *dari*. CENSEBIT] exiſtimabit. SYCOPHANTARI] ſycophantias ſtruere. QVAMVIS SERM.] quantumuis longi ſermones, &c. OPERITO] obruito, obtegito. SED CLANCVLVM.] ad theſaurum abito, & aurum depromito. QVID ILLVM PVTAS NATVRA ILLA] proinde ac ſi dicat, non eſt ita callidus, & ſollers, vt hæc minus accuratè exquirat. QVIDVIS PROBARI.] quidlibet, quantumuis incredibile, & abſurdum perſuadere ei poterit. HIC] qui quaſi à patre miſſus, veniet pulchrè ornatus, & probè edoctus. AD OFFICIVM MEVM.] ad depromendum aurum.

## CHARMIDES ſenex.

C

SAlſipotenti & multipotenti Iouis fratri, Neptuno, & Nereo.
Lætus, lubens, laudes ago, & grateis gratiáſque habeo, & fluctibus ſalſis,
Quos penes mei poteſtas boni, míſque foret, & meæ vitæ,
Quom ſuis me ex locis in patriam, vrbíſque mœnia reducem faciunt.
Atque ego Neptune tibi ante alios deos, gratias ago, atque habeo ſummas.
Nam te omnes ſæuúmque, ſeuerúmque, atque auidis moribus commemorant, D
Spurcificũ, immanem, intolerandũ, veſanũ. cõtrà opera expertus.
Nam pol placido te & clementi, meo vſque modo, vt volui vſus ſum, haud alio.
Atque hanc tuam gloriam iam antè auribus acceperam, & nobileis apud homines,
Pauperibus te parcere ſolitum, diuiteis damnare atque domare.
Abi, laudo. ſcis ordine, vt æquum'ſt,
Tractare homines. hoc dis dignum'ſt, ſemper mendicis modeſti ſint,
Fidus fuiſti, infidũ eſſe iterant. nam abſque foret te, ſat ſcio in alto
Diſtraxiſſent, díſque tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœdè,





A Bonáque omnia, ita vnà mecum paſſim ceruleos per campos.
Ita iam quaſi canes, haud ſecus, circũſtabant nauem turbines vẽti.
Imber, fluctúſque atque procellæ infenſæ, frangere malum,
Ruere antennas, ſcindere vela, ni tua pax propitia foret præſtò.
Apage me ſis. deinde hinc certũ'ſt otio me dare. ſatis partũ habeo.
Quibus ærumnis deluctaui, filio dum diuitias quæro?
Sed quis hic eſt, qui in plateam ingreditur cum nouo ornatu, ſpeciéque
Simul? pol quam quã domũ cupio, opperiar hîc, quam gerat rem.

SALSIPOTENTI] maris potenti, maris domino, ἁλὸς κρατοῦντι. patriæ redditus Charmides ſaluus, & incolumis, gratias agit Neptuno, & Nereo. Quòd autem editio noſtra à B vulgata, & Cameraríana diſcrepat, quarum altera ſic habet, *ſalſipotenti & multipotenti Iouis fratri tibi Nerei Neptune*: altera, *Salſipotenti & multipotenti Iouis fratri, & Nerei Neptuni*, coniectura ducti fecimus aliquantulum à libris noſtris adiuti. BONI MÍSQVE FORET.] corruptus locus. quid ſi legamus, *hominiſque foret*. quid ſi, *nominiſque foret*. quid ſi, *bonorúmque foret*. omnino coniectura cum alibi, tum hîc difficilis, & periculoſa eſt. excogitet aliquid melius lector eruditus, & ſagax. SÆVVM.] χαλεπόν. iracundum, aſperum. AVIDIS MORIBVS] auidum, atque auarum. Horat. oda. 29. lib. 3. *Ne Cypriæ, Tyriæq; merces Addant auaro diuitias mari*. SPVRCIFICVM] qui mare ſpurcum facias, cùm velis. ſpurca tempeſtas. CONTRA OPERA EXPERTVS.] contrà re, & vſu expertus ſum placidum, & clementem, &c. MEO VSQ. MODO.] meo vſque arbitratu. HAVD ALIO] non alio ſum te vſus, quàm clementi. AVRIB. ACCEPERAM.] audiueram. ET NOBILEIS APVD HOM.] & quidem apud claros viros hoc acceperam. al. mobileis. SEMPER MENDICIS M.] vt ſemper mendicis, &c. FIDVS FVISTI, INFIDVM ESSE IT.] fidus fuiſti, cùm tamen te infidum eſſe dictitent. Virg. li. 1. Georg. *Et quando infidum remis impellere marmor Conueniat*. Luc. li. 2. *Infidi maris inſidias, vireíſque dolúmque. Vt vitare velint*. ABSQVE FORET TE.] abſque te foret: niſi tu obſtitiſſes: niſi me ſeruaſſes. ſic loquitur Terentius. IN ALTO.] in mari. DÍSQVE TVLISS.] & C diſtuliſſent. Terent. *differor doloribus*. Virg. lib. 3. *At procul inde cita metia in diuerſa quadrigæ Diſtulerãt*. SATELLITES] quinam ſint hi ſatellites, mox dicet ipſe. CERVLEOS PER CAMPOS.] per cærula, vt loquuntur poëtæ lepici. TVRBINES V.] iunxit ſpeciem cum genere. turbo enim ventus eſt non quilibet, &c. FRANGERE M.] vt frangerent malum ὥστε θραύειν τὸν ἱστόν. vel ſeparatim à ſuperioribus, dic frangere malum, id eſt, frangebant malum, &c. ſed mâlo, priore modo. RVERE.] actiuè accipiendum. Virgil. *ruit omnia latè*. APAGE ME SIS] abduc me, ſi vis à mari: vel à tantis, & talibus periculis. DEINDE HINC] noſtri libri habent, *dehinc*. QVIBVS ÆRVMNIS DELVCTAVI, &c.] quibus cum ærumnis deluctatus ſum filium, dum diuitias paro? profert Nonius in verbo, *eluctaui*, pro quo reſtituendum, *deluctaui*. & pro, *cum hiſce, quibus*, ſiue *quibuſcum*: quo modo hîc fortaſſe legendum eſt. OPPERIAR HÎC Q. R.] exſpectabo hîc, vt videam quam rem gerat.

## SYCOPHANTA. CHARMIDES ſenex.

D HVic ego diei nomen Trinummo faciam: nam ego operam meam
Tribus nummis hodie locaui ad arteis nugatorias.
Aduenio ex Seleucia, Macedonia, Aſia, atque Arabia,
Quas ego neque oculis, neque pedibus vmquam vſurpaui meis.
Viden' egeſtas quid negotij dat homini miſero mali?
Qui ego nunc ſubigor trium nummorum cauſſa, vt has epiſtolas
Dicam ab eo homine me accepiſſe, quẽ ego, qui ſit homo, neſcio,
Neque noui: neque natus, nécne, is fuerit, id ſolidè ſcio.
CH. Pol hil quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit:
Illurica facies videtur hominis, eo ornatu áduenit.
SY. Ille, qui me conduxit, vbi conduxit, abduxit domum.

Quæ voluit,mihi dixit:docuit,& præmonſtrauit prius, A
Quomodo quicq; agerē.nunc adeò ſi quid ego addidero amplius
Eo conductor melius de me nugas conciliauerit.
Vt ille me exornauit,ita ſum ornatus.argentum hoc facit,
Ipſe ornamenta à chorago hæc ſumſit ſuo periculo.
Nunc ego ſi potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam,vt me eſſe ipſum planè ſycophantam ſentiat.
CH. Quàm magis ſpecto,minus placet mihi hominis facies:mira ſunt,
Ni illic homo'ſt aut dormitator,aut ſector zonarius.
Loca contemplat,circumſpectat ſeſe,atque ædeis noſcitat.
Credo ædepol,quò mox furatum veniat,ſpeculatur loca
Magis.lubido'ſt obſeruare quid agat,ei rei operam dabo. B
SY. Has regiones demonſtrauit mihi ille conductor meus.
Apud illas ædeis ſiſtendæ mihi ſunt ſycophantiæ.
Foreis pultabo. CH. ad noſtras ædeis hic quidem habet rectam viam.
Hercle,opinor,mihi aduenienti hac noctu agitandæ ſunt vigiliæ.
SY. Aperite hoc,aperite.heus ecquis foribus tutelam gerit?
CH. Quid adoleſcēs quæris?quid vis?quid iſtas pultas?SY.heus ſenex,
*cum iuratori* Cenſus coniuratori,ſi rectè rationem dedi.
Leſbonicum hîc adoleſcentem quæro in his regionibus,
Vbi habitet,& item alterum ad iſtanc capitis albitudinem,
Calliclem aiebat vocari,qui has mihi dedit epiſtolas. C
CH. Meum natum hic quidem Leſbonicum quærit, & amicum meū,
Cui ego liberóſque,bonáque commendaui,Calliclem.
SY. Fac me,ſi ſcis,certiorem,hice homines vt habitent,pater.
CH. Quid eos quæris?aut quis es?aut vnde es?aut vnde aduenis?
SY. Multa ſimul rogitas,neſcio quid expediam potiſſimùm.
Sin vnum quidquid ſingillatim & placidè percunctabere,
Et meum nomen,& mea facta,& itinera ego faxo ſcias.
CH. Faciam ita vt vis.agedum nomen tuum primùm memora mihi.
SY. Magnum facinus incipis ſic petere. CH.quid ita?SY.quia,pater,
Si ante lucem ire occipias,à meo primo nomine D
Concubium ſit noctis,priuſquàm ad poſtremum perueneris.
CH. Opus farto eſt, & viatico ad tuum nomen,vt tu prædicas.
SY. Eſt minuſculum alterum,quaſi vaſculum vinarium.
CH. Hic homo ſolidè ſycophāta eſt. quid ais tu adoleſcēs? S. quid eſt?
CH. Eloquere.iſti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
SY. Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas
Leſbonici. CH. mihi eſt amicus. teneo hunc manifeſtarium.
Me ſibi epiſtolas dediſſe dicit.ludam hominem probè.
SY. Ita,vt occepi,ſi animum aduortas,dicam. CH.dabo operam tibi.
SY. Hanc me iuſſit Leſbonico ſuo nato dare epiſtolam,
Et item hanc alteram ſuo amico Callicli iuſſit dare.

Mihi



A CH. Mihi quoque ædepol quoniam hic nugatur, contrà nugari lubet.
Vbi ipſe erat? SY. bene rem gerebat. CH. ergo vbi? SY. in Seleucia.
CH. Ab ipſon' iſtas accepiſti? SY. è manibus dedit mihi ipſe in manus.
CH. Qua facie eſt homo? SY. ſeſquipede quidem eſt quàm tu longior.
CH. Nouiſtin' hominem? SY. ridiculè rogitas,quo cum vnà cibum
Capere ſoleo. CH. quod eſt ei nomen? SY. quod ædepol homini probo.
CH. Lubet audire. SY. illi ædepol,illi,illi,(væ miſero mihi.)
B CH. Quid eſt negotij? SY. deuoraui nomen imprudens modò.
CH. Non placet,qui amicos intra denteis concluſos habet.
SY. Atque etiam modò vorſabatur mihi in labris primoribus.
CH. Tempori huic hodie anteueni. SY.teneor manifeſtò miſer.
CH. Iámne commentus es nomen? SY. deûm hercle me atque hominum pudet.
CH. Vide homo vt hominem noueris. SY. tamquam me. iſtuc fieri ſolet,
Quod in manu teneas,atque oculis videas,id deſideres.
Litteris recomminiſcar.eſt principium nomini.
C CH. Callicles? SY. non eſt. CH. Callippus? SY. non eſt. CH. Callidemides?
SY. Non eſt. CH. Callinicus. SY. non eſt. CH. Callimachus. SY. nil agis.
Neque adeò ædepol floccifacio,quando egomet memini mei.
CH. At enim multi Leſbonici ſunt hîc.niſi nomen patris
Dices,non monſtrare poſſum iſtos homines,quos tu quæritas.
Quod ad exemplum eſt?coniectura ſi reperire poſſumus.
Ad hoc exemplū eſt?an Chares? an Charmides?num Charmides?
SY. Hem,iſtic erit.qui iſtum di perdant. CH. dixi ego iamdudū tibi:
Te potius bene dicere æquum'ſt homini amico,quàm malè.
D SY. Satin' intra labra atque denteis latuit vir minimi pretij?
CH. Ne malè loquare ei præſente amico. SY. quid ergo ille ignauiſſimus
Mihi latitabat? CH. ſi appellaſſes,reſpondiſſet nomine.
Sed ipſe vbi eſt? SY. pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia inſula.
CH. Qui homo eſt me inſipiētior,qui ipſe egomet,vbi ſim,quæritem?
Sed nihil diſconducit huic rei,quid ais? SY. quid? CH. hoc quod te rogo,
Quos locos adiſti? SY. nimium miris modis mirabileis.
CH. Lubet audire,niſi moleſtum'ſt. SY. quin diſcupio dicere.
Omnium primùm in Pontum aduecti ad Arabiā terram ſumus.

CH. Ehò an etiam Arabia'ſt in Ponto? SY. eſt, non illæc, vbi tus gignitur, A
Sed vbi abſintium fit,atque cunila gallinacea.
CH. Nimium graphicum hunc nugatorem. ſed ego ſum inſipientior.
Qui egomet,vnde redeam, hunc rogitem,quæ ego ſciam, atque hic neſciat:
Niſi quia lubet experiri,quò euaſuru'ſt denique.
Quod eſt tibi nomen adoleſcens? SY. pax,id eſt nomen mihi.
Hoc quotidianum'ſt. CH. ædepol nomen nugatorium.
Quaſi dicas,ſi quid crediderim tibi,pax,periiſſe illicò.
Sed quid ais, quò inde iiſti porrò? SY. ſi animum aduortas, eloquar. B
Ad caput amnis,quod de cœlo exoritur:ſub ſolio Iouis.
CH. Sub ſolio Iouis? SY. ita dico. CH. è cœlo? SY. atque medio quidem.
CH. Ehò an etiā in cœlum aſcendiſti?SY.imò horiola aduecti ſumus.
Vſque aqua aduorſa per amnem. CH. ehò an etiā vidiſti Iouem?
SY. Callicli iſſe ad villam aiebant ſeruis depromtum cibum.
Deinde porrò. CH. deinde porrò.nolo quicquam prædices.
SY. Ego hercle,ſi eris moleſtus. CH. nam pudicum neminem.
Eſſe oportet,qui abs terra ad cœlum peruenerit.
SY. Dimittam vt te velle video.ſed monſtra hoſce homines mihi.
Hos ego quæro,quibus me oportet has deferre epiſtolas. C
CH. Quid ais tu nunc?ſi fortè eum ipſum Charmidem conſpexeris,
Illum,quem tibi iſtas dediſſe commemoras epiſtolas,
Noueriſne hominem? SY. næ tu me ædepol arbitrare beluam.
Qui quidem non nouiſſe poſſim,qui cum ætatem exægerim.
An ille tam eſſet ſtultus,qui mihi mille nummûm crederet
Philippeûm,quod me aurum deferre iuſſit ad natum ſuum,
Atque ad amicum Calliclem, cui rem aiebat mandaſſe hic ſuam,
Mihi concrederet,niſi me ille & ego illum noſſem approbè.
CH. Enimuero ego nunc ſycophantæ huic ſycophantari volo,
Si hunc poſſim illis mille nummis Philippeis circumducere, D
Quos ſibi me dediſſe dixit.quem ego,qui ſit homo, neſcio:
Neque oculis ante hunc diem vmquam vidi, eíne aurum crederem?
Cui,ſi capitis res ſiet,nummum numquam credam plumbeum.
Aggrediūdu'ſt hic homo mihi aſtu.heus Pax te tribus verbis volo
SY. Vel trecentis. CH.haben' tu id aurū,quod accepiſti à Charmide?
SY. Atque etiam Philippeum,numeratum illius in menſa manu,
Mille nummos. CH. nempe ab ipſo id accepiſti Charmide?
SY. Mirum quin ab auo eius, aut proauo acciperem, qui ſunt mortui.
CH. Adoleſcens cedò dum iſtuc aurum mihi. SY. quod ego aurum dem tibi?





A CH. Quod à me te accepiſſe faſſus. SY. abs te accepiſſe? CH. ita loquor,
SY. Quis tu homo es? CH. qui mille nummûm tibi dedi. ego ſum Charmides.
SY. Neque ædepol tu is es, neque hodie is vmquam eris, auro huic quidem.
Abi ſis nugator. nugari nugatori poſtulas.
CH. Charmides ego ſum. SY. nequicquam hercle es. nam nihil auri fero.
Nimis argutè obrepſiſti in eapſe occaſiuncula.
Poſtquàm ego me aurum ferre dixi, pòſt tu factus Charmides.
B Prius tu non eras, quàm auri feci mentionem. nihil agis.
Proin tu te itidem vt Charmidatus es,rurſum recharmida.
CH. Quis ego ſum igitur, ſiquidem is non ſum, qui ſum? SY. quid id ad me attinet?
Dum ille ne ſis, quem ego eſſe nolo, ſis mea cauſſa quid lubet.
Prius non is eras,qui eras. nunc is factus,qui tum non eras.
CH. Age ſi quid agis. SY. quid ego agam? CH. aurum redde. SY. dormitas ſenex.
CH. Faſſus Charmidem dediſſe aurum tibi? SY. ſcriptum quidem.
CH. Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus
Dormitator,priuſquàm ego hîc te iubeo mulcari malè?
C SY. Quamobrem? CH. quia illum quem ementitus es, ego ſum ipſus Charmides,
Quem tibi epiſtolas dediſſe aiebas. SY. ehò quæſo tu is es?
CH. Is enimuero ſum. SY. ain' tu tandem,is ipſúſne es? CH. aio. SY. ipſus es?
CH. Ipſus, inquam, Charmides ſum. SY. ergo ipſúſne es? CH. ipſiſſimus.
Abi hinc, ab oculis. SY. enimuerò ſeriò, quoniam aduenis,
Vapulabis arbitratu meo, & nouorum ædilium.
CH. An etiam maledicis? SY. immò ſaluus quandoquidem aduenis,
D Di te perdant, ſi te floccifacio,pòſt,an periiſſes prius.
Ego ob hanc operam argentum accepi. te macto infortunio.
Sed enim tu qui ſis, qui non ſis, floccum non interduim.
Ibo ad illum. renuntiabo, qui mihi treis nummos dedit,
Vt ſciat ſe perdidiſſe. ego abeo. malè viue & male,
Quod di te omnes aduenientem peregrè perdant Charmides.
CH. Poſtquàm ille hinc abiit. pòſt loquendi liberè
Videtur tempus veniſſe, atque occaſio.
Iamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negotij fuerit ante ædeis meas.
Nam epiſtola illa mihi concenturiat metum
In corde, & illud mille nummûm quam rem agat.

Numquam ædepol temerè tinniit tintinabulum. A
Niſi qui illud tractat aut mouet, mutum tacet.
Sed quis hic eſt, qui huc in plateam curſuram incipit?
Lubet obſeruare quid agat, huc conceſſero.

FACIAM] imponam. QVAS EGO NEQVE OCVLIS, NEQVE P.] quas ego neque vidi, neque vmquam adij. Etiam M. Tullius dixit, *vſurpare oculis*. QVI EGO] *ego*, redundat. QVEM EGO QVI SIT HOMO N.] qui qualis homo ſit, neſcio: vel quem ignoro, qualis homo ſit. SOLIDÈ] certò, βεβαίως. FVNGINO GENERE EST] hoc ideò dicit, quòd cauſiam, ſeu petaſum latum capite geſtaret, quo ſe totum tegebat. Fulgentius tamen aliter. vide Baptiſt. VBI CONDVXIT] ſtatim vt me conduxit. ABDVXIT] me. SI QVID EGO ADD. AMPL.] ſi quid ego addidero iis, quæ me docuit conductor meus, & ſi ea, quæ ab eo accepi, amplificauero, & expoliuero, tanto melius conductor meus mea opera, rem nugatoriam, cuius cauſa me conduxit, confecerit. ARGENTVM HOC FACIT] hoc facit pecunia: hæc eſt pecuniæ virtus. tantum valet pecunia. SVO PERICVLO] vt ſi pereant, ei B
pereant. ORNAMENT. H. CIRC.] ornamentis conductorem circumuenire. à conductore ornamenta per fallaciam auertere. MINVS PLACET] tanto minus placet. ILLIC] ille. MIRVM] mirumni, affirmantis eſt. AVT DORMITATOR] alij dormitatorem accipiunt ſimpliciter pro homine ſomnolento, aut ſomniculoſo, quod qui tales ſunt, capite operto eſſe volunt: alij pro fallaci, qui dormitare ſe ſimulans, alterum decipere, & circūducere cogitat. aut ego, ſi locus emendatus eſt, dormitatorem poſitum eſſe puto, pro amatore. SECTOR ZONARIVS] βαλαντιοτόμος, crumeniſeca, ſeu crumenarum ſector. In zonis pecuniam circumferebant veteres. Horat. *Poſt hæc ille catus, quantumuis ruſticus, ibit. Ibit eò, quo vis qui zonam perdidit, inquit.* CONTEMPLET] contemplatur. ſuprà. NOSCITAT] explorat, cognoſcere conatur. SISTENDÆ] ſtatuendæ, figendæ. ECQ. FORIB. TVT. G.] numquis eſt, qui foras tutetur? numquis eſt ianitor? CENSVS CVM IVRATORI] ego, qui cenſus ſum, cùm rationem dedi iuratori, id eſt, cenſori, ſi modò rectè dedi, tum rationem dedi. AD ISTAM CAPITIS ALB.] iſta ferè canitie præditum. Profert Nonius in voce, *albitudo*. VT HABITENT] vbi habitent. PATER] ô pater. ſic infrà paullò pòſt. *quia pater, ſi ante lucem*, &c. VNVMQVIDQVID] vnumquicque. CONCVBIVM SIT NOCTIS] Solis occaſum ſequitur veſper: C
veſperum prima fax, primam facem concubium noctis: deinde nox intempeſta. Lege Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 3. OPVS FERCTO EST] eſt opus cibo, ſeu eſt opus corporis cibo referciri, & opus eſt viatico ad tuum nomen: id eſt, ſine cibo & viatico tuum nomen cognoſci nō poteſt, ſi tantum ſpatij eſt à primo nomine ad vltimum. Ferctum ſeu fertum, genus libi eſt, quo vtebantur in ſacris, ex eo dictum, quod ſæpius ad ſacra ferebatur, vt vult Feſtus: ſed malim hîc legi, *farto*, ſeu farcto à farcio: vt per fartum intelligamus, id quo impletum eſt corpus, vt ſuprà Moſtell. *Fartum veſtis*, dixit, pro corpore, quo impletur, & quaſi farcitur veſtis. EST MINVSCVLVM AL. Q.] alterum nomen eſt paruulum, tamquam vaſculum vinarium. iocus. HIC HOMO] loquitur ſecum Charmides. SOLIDÈ] planè, certò, σαφῶς. TENEO HVNC MANIFESTAR.] manifeſtè hunc deprehendi. SESQVIPEDE] pede & dimidio. ILLI ÆDEPOL] hæret ſycophanta in nomine Charmidis commemorando. DEVORAVI] ſignificat id ſibi excidiſſe, cum tamen modò memoria teneret. IN LABRIS PRIMORIBVS] id eſt, vt nos ſermone patrio dicimus, in ſumma lingua. TEMPORI HVIC HODIE] tempeſtiuè hunc anteuerti. LITTERIS RECOMM.] per litteras redibo in memoriam. C. EST PRINC. NOM.] nomen illius initium capit à littera, c. ISTIC ERIT] iſte erit. D
QVI ISTVM DII P.] ſic loquebantur veteres. AD RHADAMANTEM IN CECR.] apud Rhadamantum, hic locus nuſquam eſt. QVI HOMO] quis homo. DISCONDVCIT] obeſt. inutilis eſt. CVNILA GALLINACEA] Plinius lib. 20. cap. 16. *Eſt alia cunila gallinacea appellata à noſtris Græcis organum Heracleoticū. Prodeſt oculis addito ſale*, &c. Dioſc. lib. 3. cap. 32. PAX PERIISSE] pax, παντελῶς. prorſus, ſuprà. HORIOLA] nauicula piſcatoria. ſuprà Rud. *Salute horiæ, quæ mari fluct.* PER AMNEM] libri vulgati habent, *per anienem*. NAM PVDICVM N. ESSE OP.] alludit ad Ganymedē, quem fabulantur poëtæ à Ioue raptum eſſe. MILLE NVMMÛM] id eſt, mille nummos. millies notauimus. QVOD ME AVRVM] quos nummos Philippeos ille me ad filium ſuum deferre iuſſit. MIHI CONCREDERET] mihi, inquam, aurum illud concrederet, niſi eſſemus inter nos noti? SYCOPHANTARI] ſuprà. CIRCVMDVCERE] ſuprà. QVEM EGO *QVI SIT H. N.] ordo eſt, eíne homini aurum crederem, qui qualis homo ſit, neſcio, quémque numquā his oculis vidi? SI CAPITIS RES SIET] ſi caput eius agatur. ſi ſummo in vitæ diſcrimine verſetur. NVMMVM N. EI CRED. PLVMB.] nummum numquam eius fidei credam plumbeum, eius ſalutis redimendæ gratia. ASTV] arte, fallacia. HEVS PAX] hoc enim nomine dixerat ſe ſycophantam appellari. TE TRIBVS VERB.] conuenire volo, ſubintell. IN MENSA] apud Trapezitam.



A MIRVM QVIN, &c.] ſtomachoſè, & vultuoſè pronūtiandum, proinde ac ſi dicat, à quo igitur, niſi ab eo ipſo? ánne ab eius auo, an proauo acciperem, qui iampridem mortui ſunt? CEDÒ DVM] da igitur. FASSVS] es. ſubintell. NEQVE HODIE IS VMQ. ERIS H. Q.] neque hodie eris Charmides ad id quidem, vt hoc aurum accipias. ARGVTÈ] callidè, aſtutè. EAPSE] ea ipſa. FACTVS] ſubintell. es. PRIÙS TV NON ERAS] prius quàm auri feciſſem mentionem, non eras Charmides. PROIN TE, VT CHARMID. ES] proinde vt Charmidis nomen induiſti & ſumſiſti, ita rurſum te iſto nomine ſpolia. verba ſunt à Plauto conficta. SIS MEA CAVSSA QVID LVBET.] ſit, quod ad me attinet, quid libet. mea cauſa ἐμοῦ ἕνεκα. FASSVS CHARMIDEM] nónne faſſus es Charmidem tibi aurum dediſſe? MVLCARI MALÈ?] verberari. QVI ILLVM, QVEM EM. ES] *illum*, redundat. IPSISSIMVS] αὐτότατος Ariſtoph. Priſcianus profert. libr. 3. cap. de comparatiuo. DII TE PERDANT, SI TE FLOCCIF. &c.] ſic voluit dicere, dij me perdant, ſi vel pili æſtimo, pòſtne pereas, aut periiſſes priùs. tanti mihi eſt, te iam antè periiſſe, & poſteriùs periturum. OB HANC OPERAM] vt has binas litteras ſimulatas deferrem, & ſycophantiam ſtruerem. ARGENTVM ACCEPI] tribus nummis conductus ſum. TE MACTO INF.] ſuprà. FLOCCVM NON INTERDVIM] pilum non interim dederim, ſic ſuprà Rud. *cluas tu, an exungare,* B
*cicum non interduim*. PVNGIT] ſtimulat, fodit. CONCENTVRIAT] colligit, congregat. dictum, inquit Nonius, à centuriis, quæ ad ſuffragia conueniebant. Pſeud. *concenturio in corde ſycophantias*. & illud, *mille n. quam rem agat, & ille mille nummûm quid valeant, ſeu quò ſpectent.* NVMQVAM POL TEMERÈ TINNIIT TINTINN.] allegoria eſt, cuius hæc ſententia eſt: quemadmodum tintinnabulum non temerè, non ſine cauſa, non ſine motu alieno, & externo tinnire ſolet: & niſi quis tintinnabulum tractet, aut moueat, id mutum eſt, & tacet, neque tinnire, aut tintinnare vllo pacto poteſt: ita hic ſycophanta, non temerè ad ædeis meas venit, neque ſua ſponte litteras confectas attulit, ſed ab aliquo, qui meis rebus inſidietur, & mea bona inhiet, ſubornatus ſit, neceſſe eſt. tintinnabulum, æreum eſt inſtrumentum, à tintinnando appellatum. NISI QVI ILLVD TR.] ordò eſt. illud (tintinnabulum) mutum tacet. niſi quis illud tractat & mouet. CVRSVRAM INCIPIT] currere, ſeu curſum incipit. nomen *curſura* ſic fictum à currendo. vt ſtatura à ſtando, mercatura à mercando, vectura, è vehendo, textura à texendo, cenſura à cenſendo, &c.

C

## STASIMVS ſeruus. CHARMIDES ſenex.

STASIME fac te properè celerem: recipe te ad dominum domum:
Ne ſubitò metus exoriatur ſcapulis ſtultitia tua.
Adde gradum, appropera, iamdudū factum'ſt, cùm abiſti domo.
Caue ſis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si aberis ab heri quæſtione. ne deſtiteris currere.
Ecce hominem te, Staſime, nihili. ſatin' in thermopolio
Condalium es oblitus, poſtquàm thermopotaſti gutturem?
Recipe te, & recurre petere re recenti. CH. huic, quiſquis eſt,
D Curculio'ſt exercitor. is hunc hominem curſuram docet,
ST. Quid? homo nihili, non pudet te? tribúſne te poteriis
Memoria eſſe oblitum? an verò, quia cum frugi hominibus
Ibi bibiſti, qui ab alieno facilè cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, cruricrepidæ, ferriteri, maſtigiæ.
Inter eóſne homines condalium te redipiſci poſtulas,
Quorum eorum vnus ſurripuit currenti curſori ſolum?
CH. Ita me di ament, graphicum furem. ST. quid ego quod periit petam?
Niſi etiam laborem ad damnum apponam apothecam inſuper?
Quin tu quod periit, periiſſe ducis? cape vorſoriam.

Recipe te ad herum. CH. non fugitiuu'ſt hic homo : commeminit domi. A
ST. Atque vtinam veteres mores,veteréſque parſimoniæ,
Potius maiori,honori hîc eſſent,quàm mores mali.
CH. Dij immortales,baſilica quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit,vetera amare hunc morem maiorum ſcias.
ST. Nam nunc more nihil faciunt,quod licet,niſi quod lubet.
Ambitio iam more ſancta'ſt,libera'ſt à legibus.
Scuta iacere, fugeréque hoſtis,more habet licentiam.
Petere honorē pro flagitio, more fit. CH. morem improbum.
ST. Strenuos præterire more fit. CH. nequam quidem.
ST. Mores leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam. B
Magis queis ſunt obnoxioſi quàm parentes liberis.
Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.
CH. Lubet adire atque appellare hunc.verùm auſculto perlubens.
Sed metuo,ſi compellabo,ne aliam rem occipiat loqui.
ST. Neque iſtis quicquam lege ſanctum'ſt. leges mori ſeruiunt.
Mores autem rapere properant, quà ſacrum,quà publicum.
CH. Hercle iſtis malam rem magnam moribus dignum'ſt dari.
ST. Nónne hoc publicè animum aduorti? nam id genus hominum hominibus
Vniuerſis eſt aduorſum,atque omni populo malefacit. C
Malè fidem ſeruando,illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihili meriti. quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc qui in mentem venerit mihi,reipſa modò commonitus ſum.
Si quis mutuum quid dederit,fit pro proprio perditum.
Cùm repetas,inimicum amicum beneficio inuenis tuo.
Nam ſi exigere cupias,duarum rerum exoritur optio:
Vel illud,quod credideris,perdas : vel illum amicum amiſeris.
CH. Meus eſt hic quidem Staſimus ſeruus. ST. nam ego talentum mutuum D
Quod dederam,talento inimicum mihi emi,amicum vendidi.
Sed ego ſum inſipientior,qui rebus curem publicis
Potiuſquàm id, quod proximum'ſt, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. CH. heus tu ſta illico, audi, heus tu. ST. non ſto. CH. at ego te ſtare volo.
ST. Quid ſi egomet te velle nolo? CH. ha nimiùm Staſime ſæuiter.
ST. Emere meliu'ſt, cui imperes. CH. pol ego emi,atque argentum
Sed ſi non dicto audiens mihi eſt, quid ago? ST. damnum malum.
CH. Bene mones,ita facere certum eſt. ST. niſi quidem es obnoxius.
CH. Si bonus eſt, obnoxius ſum:ſin ſecus eſt,faciam vti iubes.

Quid id



A ST. Quid id ad me attinet, boníſne ſeruis tu vtare,an malis?
CH. Quia boni,malíque in ea re pars tibi eſt. ST. partem alteram
Tibi permitto : illam alteram, ad me, quod boni eſt,appenito.
CH. Si eris meritus,fiet. ſed reſpice ad me huc, ego ſum Charmides.
ST. Hem,quis eſt,qui mentionem facit homo hominis optimi?
CH. Ipſe homo optimus. ST. mare, terra, cœlum, di veſtram fidem.
Satin' ego oculis planè video? éſtne ipſus, an non eſt? is eſt,
Certè is eſt,is eſt profectò. ô mi here exoptatiſſime
Salue. CH. ſalue Staſime. ST. ſaluum te. CH. ſcio & credo tibi.
Sed omitto alia:hoc mihi reſponde,liberi quid agunt mei.
B Quod reliqui hîc,filium atque filiam? ST. viuunt,valent.
CH. Nempe vterque? ST. vterque. CH. di me ſaluum & ſeruatum volunt.
Cætera intus otioſe percunctabor quæ volo.
Eamus intrò, ſequere. ST. quò tu te agis? CH. quónam niſi domum?
ST. Hiccine nos habitare cenſes? CH. vbínam ergo alibi cenſeam?
ST. Iam. CH. quid iam? ST. non ſunt noſtræ ædes iſtæ. CH. quid ego ex te audio?
ST. Vendidit tuus natus ædeis. CH. perij. ST. præſentariis
Argenti minis numeratis. CH. quot? ST. quadraginta. CH. C
occidi.
Qui eas emit? ST. Callicles,cui tuam rem commendaueras,
Is habitatum huc commigrauit,noſque exturbauit foràs.
CH. Vbi nunc filius meus habitat? ST. hîc,in hoc poſticulo.
CH. Malè diſperij. ST. credidi ægrè tibi id vbi audiſſes fore.
CH. Ego miſer meis periculis ſum. per maria maxima
Vectus capitali periculo,per prædones plurimos
Me ſeruaui : ſaluus redij : nunc hîc diſperij miſer,
Propter eoſdem,quorum cauſſa fui hac ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo Staſime, tene me. ST. víſne aquam D
Tibi petam? CH. res quom animam agebat, tum eſſe offuſam oportuit.

STASIME FAC TE] Staſimus domum rediens Charmidi hero fit obuiam : quo viſo, domum properat, vt Leſbonico eum aduenifſe nuntiet,ne pater Leſbonicum opprimat imparatum. IAMDVDVM FACTVM EST CÙM] iampridem abiiſti domo. ſic loquitur ſuprà. NE BVBVLI IN TE COTTABI] cottabus,genus fuit ludicri conuiualis, de quo Athenæus lib.11.& 15.& Suidas,quos legat,qui hac de re accuratè cognoſcere velit. ſatis habeat lector hoc loco,id,quod ad huius loci intelligentiam pertinet,quaſi per tranſennam didiciſſe,id,quod è poculo eiiciebatur, ſic debuiſſe emitti,vt ſonitum ederet:ſeu vt ait M. Tullius, ea de re,loquens Tuſcul.1.*reſonaret*. Facetè igitur & more ſuo,Plautus hîc per cottabos,bubulos ſignificat,vel plagarũ crepitus & ſonitus,qui tum redduntur,cùm ſerui corio bubulo cęduntur vel lora ipſa bubula,quib.cędũtur. SI ABERIS AB H. Q.] ſi aberis,tũ,cùm te herus quęret. HOMINEM N.] hominem nequam. SATIN CAND. OBL.] ſatíſne annulum tuum in thermopolio oblitus es, poſtquàm guttur potione calida demulſiſti thermopolium taberna

A vbi dulces potiones venibant. *Thermopolare* verbum à Plauto fictum ex Græca & Latina voce conflatum. *guttur* autem maſculini,& neutrius generis vſurparunt veteres, teſte Nonio. ſuprà Aulul. *Etiámne obturas inferiorem gutturem?* RE RECENTI] dum res recens eſt.annulum repete,ne ſi longo pòſt interuallo repetas, abiuret tabernarius thermopola. RECIPE TE] ad thermopolium. HVIC QVISQVIS EST CVRCVL. EST EXERC.]hic,quiſquis eſt à Curculione aliquo vexatur,& mordetur,& incitatur ad curſum. QVID? HOMO N.]obiurgat ſe ipſe Staſimus,quod tribus poteriis,id eſt,tribus poculis exhauſtis,annulum ſuum oblitus ſit. MEMORIA ESSE OBLITVM] inſolens loquendi genus, & memoria eſſe lapſum. AN VERÒ QVIA CVM H.] an verò idcirco te condalium tuum recuperaturum ſperas, quia cum frugi hominibus,& abſtinentibus in thermopolio bibiſti, & non cum furacibus, & nequam? THERVCHVS FVIT,&c.]nomina ſunt eorum ſeruorum,quibus cum Staſimus potauit,à Plauto ficta,quorum ἔτυμον quærere, non operæ pretium eſſe arbitror. OCVLICREPIDÆ] quibus oculi pugnis contundi ſolent. FERRITERI] qui ferrum terunt, qui catenis ferteis vinciri ſolent. REDIPISCI] recuperare. QVORVM EORVM VNVS SVRR.] qui ſunt ita callidi furandi artifices, vt eorum vnus ſurripuerit curſori interea dum curreret ſolum,id eſt,ſoleam calcei? Mart. *Et mordere luto putre vetúſque ſolum.* Lucret. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo.* quorum eorum, obſeruet hanc lectionem lector. B QVID EGO QVOD PERIIT, PETAM] quamobrem ego,id, quod periit,repetam? NISI ETIAM LABOREM AD D.] niſi fortè etiam laborem damno præterea addere debeam, quod non eſt faciendum,ſatis enim mihi eſſe debet, me annulum amiſiſſe. neque committere debeo,vt ad damnum labor, quo & defatigatio corporis accedat. vox *apothecam* quid hoc loco valeat,quæro. Alij legi volunt *hypothecam* quod quadrare aptiùs videtur. CAPE VORSORIAM] muta velificationem, vela da retrorſum, vt loquitur Horat.tralatio à nautis,qui tempeſtate aduerſa coacti,velificationem mutare ſolent. ſic ſuprà Merc. *huc ſecundus ventus non eſt: cape modò vorſoriam.* ad quem locum quid ſit *vorſoria* dictum eſt. COMMEMINIT DOMI.] memor eſt domus. BASILICA] regia. VETERA AMARE H. M. M.] ſcire licet hunc nebulonem amare vetera, & morem maiorum. vel lege hoc modo, *vetera quærit vetera*. ſcire poſſis vel ſcire cuiuis licet,hunc ſeruum morem maiorum quærere. NAM NVNC MORE NIHIL F.] nam homines,qui hodie viuunt more recepto & nouo,nihil faciunt,quod liceat, niſi etiam lubeat: vel nihil faciunt, quod liceat, ſed quod lubeat. SANCTA EST] tuta, & inuiolata facta eſt. SCVTA IACERE,&c.] ſcuta,& cætera arma abiicere,& hoſteis fugere, quod eſt ignauiæ,more recepto. LICENTIAM HABET PETERE HONOREM PRO FLAGITIO]petere honorem ob flagitium,id eſt,ob turpem actum,& flagitioſa facta,in more poſitum eſt. C STRENVOS PRÆTERIRE] fortibus,& ſtrenuis viris præteritis ignauos homines magiſtratibus ornare vſitatum eſt. præteriri dicuntur in comitiis, qui repulſam tulerunt. M.Tull.pro Murena. NEQVAM QVIDEM] more malo quidem. MORES LEGES PERDVX] mores legibus ſunt ſuperiores. mores plus poſſunt quàm leges. MAGIS QVEIS] quibus legibus mores ſunt magis obnoxioſi, id eſt, dominantes, & imperioſi, quàm p.lib.obnoxioſi dicuntur à Plauto.qui alios ſibi obnoxios habere volunt. EÆ MISERÆ ETIAM AD PARIET] cùm in tabulis primùm ligneis, deinde æreis initiò leges inſcriberentur,eæ tabulæ clauis ferreis ad parietem aliquem in foro affigebantur, vt à quouis cognoſcerentur. quod igitur leges clauis ferreis affigantur parieti,vt omnibus notæ ſint,id ſeruus per calumniam trahit longè in aliam partem,quaſi legibus fiat iniuria,aut quaſi per leges ſupplicio afficiantur innocentes. NEQVE ISTIS]qui hodie viuunt. PROPERANT] σπεύδουσι, ſtudent. QVÀ SACRVM, QVÀ PVBL.]hàc ſacrum,illàc publicum. DIGNVM EST] æquum eſt,par eſt, ἄξιον ἐστί. NÓNNE HOC PVBLICÈ ANIM.] nónne oportet hoc publicè animaduerti? Nónne hoc publica animaduerſione coërceri debet? MALÈ FIDEM D SERVANDO] dum malè fides ſeruatur. vel dum malè ſeruare fidem negligunt magiſtratus, fit vt etiam iis,qui ſunt fidi,nõ credatur,fidis propter infidos non habetur fides: quippe ex eorum,qui non ſeruant fidem,ingenio,horum,qui ſunt fideles, ingenium ſpectant & metiuntur. QVI NIHIL MER.] qui nihil meriti ſunt, qui ſunt caſti & fideles. HOC QVI IN MENTEM VENERIT MIHI] ſi quis quærat,vnde hoc mihi in mentem venerit,&c. quidam legi volunt, *hoc qui in mentem veniret mihi*, &c. hac ſententia, hoc vt mihi in mentem veniret,à re ipſa commonitus ſum. RE IPSA MODÒ COMM.] res ipſa me commonuit. OPTIO] electio. NAM EGO TALENTVM MVTVVM] ordo eſt, nam ego eo talento,quod talentum mutuum dederim, inimicum mihi emi, amicum vendidi. REBVS CVREM PVBLICIS] conſulam rebus publicis,curam habeam rerum publicarum. AH NIM. STASIME SÆVITER]ſæuiter,id eſt,ſæuè.ſic Nonius,atque hunc locum profert. SED SI NON DICTO]ſed ſi ſeruus, quem ego emi, mihi non obtemperat,quid agere debeo? DAMNVM MALVM] damnum malum ei dabo, eum malè mulcabo. NISI QVIDEM ES OBNOXIVS]cum hac exceptione quidẽ,niſi ſeruus tuus ſit alioquin bene de te meritus, niſique ei,ob alia eius rectè facta,multum debeas. SI BONVS EST] ſi bonus eſt ſeruus meus, obnoxius ei ſum,id eſt,aliquid ei debeo: & habet me ſibi ſuo beneficio deuinctum: ſin ſecus eſt,

ſin malus



A ſin malus eſt,faciam,vt iubes,id eſt,dabo ei magnum malum. mendoſè autem legitur in omnibus libris vulgatis, *Si bonus es,& ſin ſecus es*: & ſuprà *audiens mihi es.* PARTEM ALTERAM T. P.] quod eſt mali,tibi relinquo,& tuæ poteſtati permitto. illam alteram partem, nempe id, quod boni eſt, mihi adiungito. VESTRAM FIDEM] imploro, poſco. SALVVM TE] fuit additurus Staſimus adueniſſe gaudeo, vt vſitatũ: ſed Charmides dicentem interpellat, neque ſermonem abſoluere ſinit, tanquam ſatis intelligens, quid fuerit dicturus. QVO TV TED AGIS?] quo tu te confers? quo te agis? d,interpoſitum eſt. PRÆSENTARIIS] præſentibus. IN HOC POSTICVLO] ſuprà poſticulum hoc recepit, cùm ædeis vendidit. CREDIDI ÆGRÈ TIBI] credidi te id ægrè laturum, cùm audiſſes. PROPTER EOSDEM] propter filium,opera filij. EXERCITVS] fatigatus, vexatus. TENE ME] ſic Antiphila apud Terentium Heautont. VÍSNE AQ. TIBI P.] quam tibi animam propemodum foras eiectam reuocem. RES CÙM ANIMAM AGEBAT] cùm res mea familiaris peribat,aquam ei obiectam eſſe oportuit. Libri noſtri veteres habent, *effuſam*, ſed *offuſam* magis probo.

B

## CALLICLES, CHARMIDES, ſenes duo. STASIMVS ſeruus.

QVid hoc hîc clamoris audio ante ædeis meas?
CH. O Callicles, ô,Callicles, ô Callicles,
Qualin' amico mea commendaui bona?
CA. Probo,& fideli,& fido,& cum magna fide,
Et ſalue,& ſaluum te adueniſſe gaudeo.
CH. Omnia iſtæc tibi,ſi ita'ſt vt prædicas.
Sed quis iſte eſt tuus ornatus? CA. ego dicam tibi.
Theſaurum effodiebam intus,dotem,filiæ
C Tuæ quæ daretur: ſed intus narrabo tibi
Et hoc,& alia ſequere. CH. Staſime. ST. hem. CH. ſtrenuò
Curre in Piræeum,atque vnum curriculum face.
Videbis iam illic nauem,qua aduecti ſumus.
Iubeto Sangarionem quæ imperauerim,
Curare vt efferantur,& tu ito ſimul.
Solutum'ſt portitori iam portorium.
ST. Nihil eſt moræ? CH. nihil. ambula,actutum redi.
ST. Illic ſum,atq; hîc ſum. CA. ſequere tu me hàc intrò. CH. ſequor.
ST. Hic meo hero amicus ſolus firmus reſtitit,
D Neque demutauit animum de firma fide.
Quamquam labores multos ipſe pertuli.
Sed hic vnus, vt ego ſuſpicor, ſeruat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepiſſe cenſeo.

QVALIN' AMICO] *ne* hîc non ſeruit interrogationi,ſed venuſtatis cauſa hîc poſitum eſt. nonnulli legendum putant,qualínam amico. non deſunt, quin, *Talíne amico*, legi malint. OMNIA ISTÆC] omnia iſtæc tibi opto, vt ſalueas & ſaluus ſis, ſi probus & fidus amicus es. SED QVIS ISTE EST TVVS] Charmides ſolus domi relictus, & omnibus domo exturbatus,vt theſaurum faciliùs effoderet,veſtem ſcilicet poſuerat, & lenonem ornatum ſumſerat. THESAVRVM EFFODIEBAM INTVS, DOTEM,&c.] effodiebam domi theſaurum κατὰ σιωπήσιν,dotem,quæ dos filiæ tuæ daretur. STRENVÒ] ſtrenuè,diligenter,celeriter. IN PIRÆEVM] Piræeus,Athenarum portus. VNVM CVRRICVL. FACE] vno curſu i in Piræeũ,continua curſum hinc vſque in Piræum: ſine vlla interruptione aut mora i in Piræeum. VT EFFERANTVR] è naui domum. ITO SIMVL] venito ſimul. PORTORIVM]

merces quæ portitori debetur. HIC] Callicles. hæc dicuntur à ſeruo εἰρωνικῶς, vt indicat Camerarius. HERO MEO] Charmidi. NEQVE DEMVTAVIT ANIMVM DE FIRMA FIDE] neque animo mutato de firma fide deceſſit. QVAMQVAM LABORES M.] verſus non eſt integer. in libris vulgatis, neque enim ex veteribus noſtris redintegrare potui. Si liceret, ſic ego, quod deeſt, ſupplerem. quamquam labores multos ipſe pertuli. OB REM] ob cauſam, vel rei faciendæ cauſa. A

## LYSITELES adoleſcens.

Hic homo eſt omnium hominum præcipuis voluptatibus,
gaudiiſque anteponendus.
Ita commoda, quæ cupio eueniunt. quod ago aſſequitur, ſubeſt,
Subſequitur. ita gaudiis gaudium ſuppeditat.
Modò me Staſimus Leſbonici ſeruus conuênit. is B
Mi dixit, ſuum herum peregrè huc aduenisse Charmidem.
Nunc mihi is properè conueniendus eſt, vt, quæ cum eius filio
Egi, ei rei fundus pater ſit potior. eo. ſed fores
Hæ ſonitu ſuo mihi moram obiiciunt incommodè.

HIC EGO] id eſt, ego Lyſiteles. nam ſe ipſe demonſtrat adoleſcens, & ſuam, lætitia elatus, felicitatē prædicat. QVOD AGO, ASSEQVITVR] quidquid ago, ex animi ſententia mihi procedit, & ſequitur me agentem. SVPPEDITAT] ſuppetit, ſuccreſcit, ſuggeritur. EI REI FVNDVS P. S. P.] id eſt, ei rei pater ſit auctor potior. Pomp. Feſtus. fundus inquit, dicitur ager, quod planus ſit ad ſimilitudinem fundi vaſorum. Fundus quoque dicitur populus eſſe rei quam alienat, hoc eſt auctor. SONITV SVO] crepitu ſuo.

## CHARMIDES, CALLICLES, ſenes duo. LYSITELES, LESBONICVS, adoleſcentes. C

Neque fuit, neque erit, neque eſſe quemquam hominū in terra
dum arbitror,
Cui fides, fidelitáſque amicum erga æquiparet ſuum,
Nam exædificauiſſet me ex his ædibus, abſque te foret.
CA. Si quid amicum erga benefeci, aut conſului fideliter,
Non videor meruiſſe laudem, culpa caruiſſe arbitror.
Nam beneficiū quod datur proprium homini, propriū ſumſerit:
Quod datum eſt vtendum, id repetendi copia'ſt, quando velis. D
CH. Eſt ita, vt tu dicis. ſed ego hoc nequeo mirari ſatis,
Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiam,
Lyſiteli quidem Philtonis filio. LY. enim me nominat.
CH. Familiam optumā occupauit. LY. quid ego ceſſo hos colloqui?
Sed maneā etiam, opinor. namque hoc commodū orditur loqui.
CH. Vah. CA. quid eſt? CH. oblitus intus dudum tibi ſum dicere:
Modò mihi aduenienti nugator quidam acceſſit obuiam,
Nimis pergraphicus ſycophanta. is mille nummûm ſe aureûm
Meo datu tibi ferre, & nato Leſbonico aiebat meo,
Quem ego nec qui eſſet norā, neque eū antè vſquā cōſpexi prius.
Sed quid rides? CA. meo allegatu venit, quaſi qui aurum mihi
Ferret



A Ferret abs te, quod darem tuæ natæ dotem vt filius
Tuus, quando illi à me darem, eſſe allatum id abs te crederet.
Neu quis rem ipſam poſſet intelligere, & theſaurum tuum
Me eſſe penes, atque eum à me lege populi patrium poſceret.
CH. ᶜcitè ædepol. CA. Megaronides communis hoc meus & tuus
Beneuolens commētu'ſt. CH. quin collaudo conſiliū, & probo.
LY. Quid ego ineptus, dum ſermonem vereor interrumpere,
Solus ſto, nec, quod conatus ſum agere, ago? homines colloquar.
CH. Quis hic eſt, qui huc ad nos incedit? LY. Charmidem ſocerum
ſuum
Lyſiteles ſalutat. CH. di dent tibi Lyſiteles, quæ velis.
B CA. Non ego ſum ſalute dignus. LY. immò ſalue Callicles,
Hunc priorem æquum'ſt me habere. tunica propior pallio eſt.
CH. Deos volo conſilia veſtra rectè vortere,
Filiam meam tibi deſponſatam eſſe audio. LY. niſi tu ne vis.
CH. Immo haud nolo. LY. ſponden' ergo tuam natam vxorē mihi?
CH. Spondeo, & mille auri Philippûm dotis. LY. dotē mihi moror.
CA. Si illa tibi placet, placenda dos quoque eſt, quam dat tibi.
CH. Poſtremò quod vis, non duces, niſi illud quod non vis, feres.
CA. Ius hic orat. LY. impetrabit te aduocato, atque arbitro.
Iſtac lege filiam tuam ſponden' mihi vxorem dari?
CH. Spondeo. CA. & ego ſpondeo idem hoc. LY. ô ſaluete af-
C fines mei.
CH. Atque ædepol ſunt res, quas propter tibi tamen ſuccenſui.
CA. Quid ego feci? CH. meum corrumpi quia perpeſſus filium.
CA. Si id mea voluntate factum eſt, quòd mihi ſuccenſeas.
Sed ſine me hoc abs te impetrare, quod volo. CH. quid id eſt?
CA. ſcies.
Si quid ſtultè fecit: vt ea miſſa facias omnia.
Quid quaſſas caput? CA. cruciatur cor mihi, & metuo. CA.
quidnam id eſt?
CH. Quom ille ita'ſt, vt eſſe nolo, id crucior. metuo ſi tibi
D Denegem quod me oras, ne te leuiorem erga me putes.
Non grauabor. faciam ita vt vis. CA. probus es. eò, vt illum
euocem.
CH. Miſerum'ſt, malè promerita, vt merita ſi mihi vlciſci non licet.
CA. Aperite hoc, aperite properè, & Leſbonicum, ſi domi'ſt, foras
Euocate, ita ſubito: eſt propere quòd eum conuentum volo.
LE. Quis homo tam tumultuoſo ſonitu me exciuit ſubitò foras?
CA. Beneuolens tuus, atque amicu'ſt. LE. ſatin' ſaluæ? dic mihi.
CA. Rectè tuum patrem rediiſſe ſaluom peregrè gaudeo.
LE. Quis id ait? CA. ego. LE. tun' vidiſti? CA. & tute idem
videas licet.
LE. O pater, pater mi, ſalue. CH. ſalue multùm nate mi.

LE. Si quid tibi pater laboris. CH. nihil euenit,ne time. A
Bene re geſta ſaluus redeo. ſi tu modò frugi eſſe vis,
Hæc tibi pacta'ſt Callicli filia. LE. ego ducam pater,
Etiam ſi quam aliam iubebis. CH. quamquam tibi ſuccenſui.
CA. Miſeria vna vni quidem homini'ſt affatim. CH. immo huic parum'ſt.
Nam ſi pro peccatis centum ducat vxores,parum'ſt.
LE. At iam poſthac temperabo. CH. dicis,ſi facias modò.
LY. Num quid cauſſæ eſt,quin vxorem cras domum ducam? CH. optimum'ſt,licet.
Tu in perendinum paratus ſis vt ducas. Plaudite.

IN TERRA DVM] particula *dum* pertinet ad copulationem negantem poſtremã *neque*, hoc modo,neque dum. CVI FIDES FIDELITÁS Q.&c.] cuius fides, & fidelitas erga amicum ſuum æqualis ſit tuæ erga me fidei. B EXÆDIFICAVISSET] eieciſſet me filius. Sic autem dictum *exædificare ex ædibus*, vt *expectorare ex animo* οἰνοχοεύειν οἶνον, &c. SI QVID A. ERGA,&c.] ſi quid de amico bene meritus ſim,aut ſi ei cõſilium fidele dedi,&c. Tale ferè illud Horat.epiſt.ad Piſon. *vitaui denique culpam,Non laudem merui.* NAM BENEF. QVOD D. PR. H.] id eſt,nam quod beneficium dederis alicui proprium,id eſt,vt fiat eius,cui datur,ſitque perpetuum,& ſtabile,id ille proprium,& perpetuum ſumſerit,non timens,ne à ſe repetatur. EVM SORोREM DESP. S. IN TAM FORTEM] Nonius hunc locum proferẽs, *in tam fortem familiam*, interpretatur,in tam diuitem & copioſam. ENIM ME N.] *enim* præpoſitum,notandum. ſic ſuprà. FAMILIAM OPT. OCCVP.] profert & hunc locum Nonius in verbo *occupare*,& interpretatur,inuenit, tenet, poſſidet. HOS COLLOQVI] hos alloqui: vel cum his colloqui. SED MANEAM ETIAM OP.] ſed ſatius eſt,me etiamnum manere, opinor. vel ſic:Sed manere debeam etiamnum,opinor. COMMODÙM] cõmodè, opportunè. MEO DATV] id eſt,à me datum.ſic dictum *meo datu*,vt meo conceſſu,meo rogatu,meo inuitatu.meo allegatu,& ſexcenta ſimilia. MEO ALLEGATV] à me allegatus. DOTEM] aurum, quod C darem filiæ tuæ in dotem. A ME] de meo,de mea pecunia. CREDERET] ſycophantæ,quem ei allegauerim,tanquam abs te miſſum,verbis & epiſtola adductus. ME ESSE PENES] penes me eſſe,in mea poteſtate eſſe. ATQ. ENIM À ME LEGE POP. P. POSC.] atque eum theſaurum Leſbonicus à me poſceret lege ciuitatis Athenienſis,vt à patre defoſſum, & repoſitum. COMMENTV'ST] excogitauit. NON EGO SALVTE D.] hoc dicit Callicles indignè ferens,quòd non parte vna cum Charmide fuerit à Lyſitele ſalutatus. ſed admonendus eſt lector Nonium legere, *non ego ſum dignus ſalutis*. vbi exempla colligit genitiui poſiti,pro ablatiuo. HVNC PR. ÆQ. ME HABERE] Charmides mihi debet eſſe prior,& antiquior,quippe qui ſit mihi affinis. NISI TV NE VIS] ita eſt,vt dicis,niſi tu non vis,ſuprà. Profert hũc locum Nonius. ET MILLE AVRI PHILIPPÛM D.] & mille Philippos auri dotis nomine,ſeu in dotem. DOTEM NON MOR.] de dote non laboro: dotem non curo. PLACENDA DOS] mira locutio. nam nomen *placendus*,a,um,quod tanquã,participium paſſiuum ſignificationẽ habet paſſiuam,præter conſuetudinẽ Latinè loquentiũ,à verbo abſoluto, *placeo*, naſcitur. Docẽt enim grãmatici.in his Priſcian.lib.8.nomina mobilia in dus,da, dum,à gerũdiis D facta,cùm paſſiuã habeãt ſignificationẽ,raro inueniri à verbis neutris abſolutam ſignificationẽ habẽtibus,vt ſto,ſedeo,ſurgo. Nemo enim dicit(inquit ille) ſtãdus,ſedẽdus, ſurgendus. QVOD VIS NON D. &c.] filiam meam quam vis, vxorem non duces,niſi dotem feres. ET EGO SPONDEO IDEM H.] filiam meam Leſbonico. QVAS PROPTER] propter quas. PERPESSVS] ſubintell.es. QVID CASSAS CAPVT?] geſtus minantis, vt indicauimus comment. Horat.ad illum locum epiſtola.lib. *Deme ſupercilio nubem*. CRVCIATVR COR MEVM] animus mihi ardet iracundia,& dolore. ET METVO] quare metuat,mox dicet ipſe. MISERVM EST MALÈ PROMER. &c.] miſerum eſt malè merita iſta, vt ſunt merita,vlciſci mihi non licere. EST PROPERÈ QVOD EVM C. V.] cauſa eſt,propter quam cauſam eum properè conuentum velim. SATIN' SALVÆ] ſatíſne res ſaluæ ſunt? RECTÈ] ſaluæ ſunt res. SI QVID TIBI PATER L.] ἀποσιώπησις, vel eſt ſermonis interruptio, erat enim additurus,tibi euenit in iſta peregrinatione,mihi moleſtũ eſt,verumtamen te ſaluum veniſſe gaudeo. CALLICLI] Calliclis. MISERIA VNA, &c.] hoc dicit ſatis dare ſupplicij Leſbonicum,ducenda vxore, eáque filij miſeria patrem contentum eſſe debere, non eſſe ei ſuccenſere,eſſet enim miſeriam miſeriæ addere. quaſi vxorem ducere miſerum ſit. TV IN P.] tu Leſbonice cura,paratus ſis in diem ab hodierno die tertium ducere.





# TRVCVLENTVS.

## DRAMATIS PERSONÆ.

| | |
|---|---|
| DINARCHVS | adoleſcens. |
| PHRONESIVM | meretrix. |
| GETA | ſeruus. |
| CALLICLES | ſenex. |
| ASTAPHIVM | ancilla. |
| STRATILAX | ſeruus. |
| STRATOPHANES | miles. |
| STRABAX | adoleſcens ruſticus. |
| ANCILLA | altera. |

## ARGVMENTVM.

TRes vnam pereunt adoleſcentes mulierem:
Rure vnus,alter vrbe,peregrè tertius.
Vtque iſta ingenti militem tangat bolo,
Clàm ſuppoſuit ſibi clandeſtino editum.
Vi magna ſeruus eſt ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parſimoniam.
Et is tamen mollitur. Miles aduenit,
Natíque cauſſa dat propenſa munera.
Tandem pater compreſſæ cognoſcit omnia,
Vtque illam ducat,qui vitiarat,cónuenit:
Suúmque is repetit à meretrice ſubditum.

TRES ADOLESCENTES.] Strabax,Dinarchus, Stratophanes miles Babylonicus. VNAM] Phroneſium. PEREVNT] perditè amant. VNVS] Strabax. ALTER] Dinarchus. VRBE] in vrbe. atque hoc modo fortaſſe legendum eſt. TERTIVS] miles. ISTA] Phroneſium. INGENTI MIL. TANGAT BOLO] ingentem à milite prædam faciat.tralatio ducta à piſcatoribus.bolus enim iactus eſt ſiue retis, ſiue cubi. ſignificat & prædam à piſcatore iacto reti captam. CLANDESTINO ED.] puerum. SERVVS] Stratilax. AC TRVC.] ex quo Truculentus dictus:& ab eodem fabula nomen traxit. LVPÆ] meretrices. NATÍQVE] quem pater putat eſſe ſuum. DAT] Phroneſio. PROPENSA] impenſa. PATER] Callicles.

# PROLOGVS.

A

PErparvam partem poſtulat Plautus loci
De veſtris magnis, atque amœnis mœnibus,
Athenas quo ſine architectis conferat.
Quid? nunc daturin' eſtis, an non? annuunt.
Meditor equidem à vobis me ablaturum ſine
B Mora. Quid ſi de veſtro quippiam orem? abnuunt.
En me hercle in vobis reſident mores priſtini,
Ad denegandum vt celeri lingua vt animi.
Sed hoc agamus, huc qua ventum eſt gratia.
Athenæ iſtæ ſunto, ita vt hoc eſt proſcenium.
Tantiſper dum tranſigimus hanc comœdiam.
Hîc habitat mulier, nomine quæ eſt Phroneſium,
Hæc huius ſæcli mores in ſe poſſidet,
Numquam ab amatore ſuo poſtulat id quod datum eſt.
C Sed relliquum dat operam, ne ſit reliquum,
Poſcendo, atque auferendo, vt mos eſt mulierum.
Nam omnes id faciunt, cum ſe amari intelligunt.
Ea ſe peperiſſe puerum ſimulat militi,
Quo citius rem auferat ab eo, cum pulluſculo.
Quid multa? ætas huic ſi ſuperet mulieri,
Ad ſe cum anima eius habentiam auerrerit.

PErparvam part.] profert hos verſus Rufinus apud Priſcianũ vbi loquitur de iambéo verſu. Athenas q.] in quem locũ transferat Athenas, ſine architectis. ſignificat Plautus ſe petere à ſpectatoribus, vt putẽt rem geri Athenis. *ſine architectis* autẽ legendũ, atque ita edidit Camerar. non vt vulgò, *arcus peltis*. quin & Apuleius lib. 4. Floridon in principio perſpicuè legit *ſine architectis*. Meditor eq.] D mihi perſuaſi equidem me à vobis impetraturũ locum intra vetera mœnia, in quẽ Athenas cõferrẽ, &c. Sed hoc a.] ſed omittamus aliena, & id agamus, cuius gratia huc venimus. Sed reliqvvm] ſed quod ad reliquum attinet, dat operam, poſcendo, atque auferendo, ne quid reliqui miles habeat. Avferet rem ab eo cvm pvlvscvlo] auferet omnia. Si svperet] ſi perduret, ſi ſuperſit. Ad se cvm anima, &c.] ſic legendum eſſe exiſtimo. *habentiam* autem interpretor οὐσίαν, τὰ ὑπάρχοντα, id quod habet miles. Scaliger fil. autem ſic legi malebat. *Is cum anima ad eam habentiam omnem euerrerit*: hæc ſententia, Is (miles) habentiam omnem à ſe ad eam tranſtulerit. Camerarius edidit: habentia, dicta eſt ab eo, quod eſt habere, inquit Nonius. Claudius lib. 7. *animus eorum habentia inflatur.*

## DINARCHVS adoleſcens.

NOn omnis ætas ad perdiſcendum ſat eſt
Amanti, dum id perdiſcat quot pereat modis,

Neque



A Neque eam rationem eapſe vmquam edocet Venus,
Quam penes amantum ſumma ſummarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quótque exoretur exorabulis.
Quot illic blanditiæ, quot illic iracundiæ
Sunt? quótque pericla vianda? Di voſtram fidem. hui
Quid peierandum eſt? etiam præter munera?
Promendum numina annua. is primus bolus 'ſt.
Ob eam tris nocteis vtor. Interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignúſne, an bonæ frugi ſies.
B Quaſi in piſcinam, rete qui iaculum parat.
Quando abiit rete peſſum, tum adducit ſinum
Sin iecit rete, piſces ne effugiant, cauet.
Modo hîc, modo illic irretitos impedit
Piſces, vſque adeò donicum eduxit foras.
Itidem eſt amator. ſi id, quod oratur, dedit,
Atque eſt benignus potius, quàm frugi bonæ,
Adduntur nocteis. interim ille hamum vorat.
Si ſemel amoris poculum accepit merè,
Eáque intra pectus ſe penetrauit potio.
Extemplò & ipſus periit, & res, & fides.
C Si iratum 'ſt ſcortum fortè amatori ſuo,
Bis periit amator, ab re, atque ab animo ſimul.
Sin alter alteri potitus 'ſt, itidem perit.
Si raras nocteis ducit, ab animo perit.
Sin increbrauit, ipſus gaudet, res perit.
Ita diſciplina in ædibus eſt lenoniis.
Priuſquam vnum dederis, centum quæ poſcat, parat.
Aut aurum periit, aut conſciſſa pallula eſt,
Aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum,
Aut vaſum aheneum aliquod, aut lectus dapſilis,
D Aut armariola Græca, aut aliquid ſemper eſt
Quod pereat, debeátque amans ſcorto ſuo.
Atque hæc celamus nos damna vna induſtria,
Cùm rem fidémque nóſque noſmet perdimus,
Ne quid parentes, neu cognati ſentiant.
Quos cùm celamus, ſi faximus conſcios.
Qui noſtræ ætati tempeſtiuè temperent,
Vt ne anteparta demus poſt partoribus,
Faxim, lenonum & ſcortorum vt plus eſt, minus
Et minus damnoſorum hominum quàm nunc eſt, ſiet.
Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt ferè,
Quàm olim muſcarum eſt, cum caletur maximè.

Nam nuſquam alibi ſi ſunt,circum argentarias A
Scorti lenones quaſi ſedent quotidie.
Ea nimia eſt ratio,quippe qui certè ſcio,
Triplo plus ſcortorum eſſe iam,quàm ponderum,
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre habere,niſi pro tabulis,neſcio,
Vbi æra perſcribantur vſur aria.
Accipiat illico expenſa,neque cenſeat.
Poſtremò in magno populo,in multis hominibus,
Res placida atque otioſa,victis hoſtibus,
Amare oportet omneis,quid quod dent,habent.
Nam mihi hæc meretrix,quæ hic habet,Phroneſium B
Suum nomen omne ex pectore exmouit meo,
Nam me fuiſſe huic fateor ſummum atque intumum.
Quod amanteis multo peſſimum eſt pecuniæ.
Eadem poſtquam alium repperit,qui plus daret,
Damnoſiorem,me exinde amouit loco,
Quem infeſtum,odioſum ſibi eſſe memorabat,mala,
Babylonienſem militem.Is nunc dicitur
Venturus peregrè.eò nunc commenta eſt dolum,
Peperiſſe ſimulat ſeſe,vt me extrudat foras,
Eum eſſe ſimulant militem puero patrem:
Atque vt cum ſolo pergræcetur milite, C
Quid iſti ſuppoſitum puerum opus peſſimæ?
Mihi verba retur dare ſeſe.an me cenſuit
Celare ſe poteſſe,grauida ſi foret?
Nam ego Lemno aduenio Athenas nudiuſtertius,
Legatus hinc quò cum poplico imperio fui.
Sed hæc quis mulier eſt? Aſtaphium eſt ancillula,
Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium.

NON OMNIS ÆTAS.]id eſt, multi modi ſunt, quibus amans perire poteſt, quos per omnem vitæ ſuæ ætatem non facilè perdiſcat.Profert Varro lib.5. de ling. Lat. ſed legit *ad perdiſcendum eſt ſatis.* EAPSE]ea ipſa.QVAM PENES AMANTVM SVMMA SVMMARVM.]id eſt,penes quam ſumma rerum amantum poteſtas eſt, quæ eſt domina amãtium prima,ſumma ſummarum,ſumma alias ſummas continens.Lucretius.Summa ſummarum, inquit Turnebus,li.10. cap.199. cum rationibus multa nomina & capita in vnam ſummam rediguntur,ac ſic multis factis omnia tandem in vnum cõſummantur. nam vt capita in ſummũ,ſic ſummæ in ſummam ſummæ rediguntur.apud Lucretium.Summa ſummarum immenſitatem vanam ſignificat. EXORETVR]à puella,quam amat. EXORABVLIS] nomen fictum ab exorando,vt à conciliãdo conciliabulum,à tintinnãdo, tintinnabulum, à latendo latibulum, ab incitando ,incitamentũ, & ſimil.QVOT QVE PERICLA M.]ſic malim legi ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ,quàm quomodo Camerarius edidit, *pericla vianda.* quamquam aliorum cogitationes meis non antepono. ETIAM PRÆTER MVNERA PROM. N. ANN.] etiam præter munera annua,nummi promendi ſunt. IS PRIMVS BOLV'ST.] is primus iactus eſt. OB EAM]ob eos nummos. TREIS NOCTEIS VTOR.] tribus noctibus vtor.dat mihi treis nocteis Phroneſium. BENIGNÚSNE]liberalíſne, largúſne. QVASI IN PISC. RETE QVI IACVL.]ſic legendum cenſet Adrian.Turneb.cui aſſentior.*rete*, iaculum autem,vt docet ille lib.14. Aduerſ. cap.26. dicitur ad verriculum diſcrimen. nam iaculum iacitur,fundáque etiam à Marone appellatur à fundendo,vel à fundo,vt & βόλος à Græcis dicitur,vt D

citur,vt



A citur,vt ſcribit Seruius,& rete,iaculum vocatur.Itaq; idem Plautus in quadam comœdia,quæ non exſtat,piſcatorem,iaculatorẽ appellauit,vt licet ex his verbis intelligere,quæ refert Iſidorus,*probus quidem antea iaculator eras.* Auſonius ad Theo. *Et iacula, & fundas & villica nomina Liui,Coláque,& inſutos terrenis vermibus hamos.* QVANDO ABIIT RETE PESS.] cùm rete in fundum abiit. TVM ADDVCIT SINVM.]tum contrahit ſinum, id eſt, laxitatem retis, vel ipſum rete laxum,& explicitum. SI IECIT RETE,&c.] ſi piſceis in rete immiſit, vel ſi rete piſceis cepit,cauet ne effugiant.quidam legi volunt, *ſi iniecit rete.* Alij, *ſi intexit rete.* quod ſic explicant,ſi in rete piſceis attraxit. MODÒ HÎC, MODÒ ILLIC IRRET. IMP.] ſic edidit Camerarius,*dum huc,dum illuc reti eos impedit*,nulla ſatis probabili ratione,libri vulgati ſic habent,*dum huc,dum illuc rete ore impedit*, planè mẽdoſè. Libri veteres non multo ſecus.Scaliger fil.*ex reti eos faciebas irretitos*,& pro,*dum illic*, legebat,*tum illic*, cetera retinebat. Nos ſic edidimus. *Modò hîc,modo illic irretitos impedit.*ſententia aperta,& numeris integris.VSQVE ADEÒ DON.] vſque eò donec eos è reti eduxit. SI SEMEL AMORIS] alia allegoria.AB RÉ, ATQ. AB ANIMO]quia & bona ſua perdit,dum eam placare ſtudet : & animi cruciatur, quandiu puella irata eſt. SI RARAS NOCTEIS D.]ſi rarò cum ſcorto cubat.ſi raras nocteis cum ſcorto exigit,ſeu traducit. SIN INCREBRAVIT.]ſin autem crebras nocteis à puella
B impetrauit.ſic autem habent libri noſtri veteres,& ita edidit Camerarius.quod ſi increbrare,à nomine crebro figuratur:ergo & increbreſco,increbrui ab eodem non increbreſco dici debet, vt vulgus putat,& docti quidam,quod miror,probant. AVT AVRVM PERIIT.] hæ ſunt προφάσεις,& cauſæ,quas profert puella,quare numquam deſinet poſcere. PALLVLA] palla,honeſtæ mulieris veſtimentum,inquit Nonius,hinc pallula. VASVM ARGENTEVM] vaſum ſic dixerunt veteres.LECTVS DAPSILIS.]lectus magnificus,ac ſumtuoſus. NOS] amantes. CELAMVS]cauſam mox afferet. VNA INDVSTRIA.]vnica cura,& opera,ſingulari ſtudio. SI FAXIMVS CONSC.]ſi faciamus,ſeu fecerimus conſcios. QVI NOSTRÆ ÆTATI TEMP. T.]qui noſtros adoleſcenteis tempeſtiuè moderentur, & proſpiciãt,vt ea, quæ ſunt à noſtris maioribus antè parta,liberis,& poſteris noſtris demus, qui ea non profundant,ſed vel tueantur,vel etiam amplificent,atque augeant. FAXIM LENONVM, &c.]id eſt,hoc facto,lenonum & ſcortorum damnoſorum hominum minus ſit, quemadmodum contrario facto plus eſt,quàm opus ſit, ſic ſuprà. DVM] tunc. CVM CALETVR MAXIMÈ]cum maximus eſt temporis calor. ÆSTIVO TEMPORE]nempe menſe Quinctili,& Sextili. CIRCVM ARGENTARIAS.]circum tabernas argẽtarias,ſeu argentario-
C rum:qui ſint argentarij,dictum eſt alibi. EA NIMIA EST RATIO.]ea ratio, quam expoſui,nimia eſt,id eſt,nimis firma,& valida eſt.quidam legunt, *Ea vera eſt ratio.* ſed nimis longè diſcedunt à ſcriptura recepta,& antiqua. PONDERVM]quibus vtuntur argentarij, & trapezitæ. QVOS ] lenones,& ſcorta. IN ARGENTARIIS.]in argentariis tabernis. REFERRE.]attinere,vtile eſſe. NISI PRO TABVLIS.]pro tabulis, in quas argentarij referebant accepti,& expenſi rationes,& pecuniarum mutuò datarum vſuras. ACCIPIAT ILLICO EXP. NEQ. CENS.]accipiat illicò Phroneſium,quæ ſunt expenſa,neque cenſeat tamen ſe accepiſſe. SVVM NOMEN]prudentiam. EXMOVIT]amouit. PHRONESIVM. NAM PHRON.] verſum alienum, & aliunde mulcatum ſuſtuli. QVOD AMANTEIS MVLTO]quod,nempe eſſe intimum meretrici,eſt multo peſſimum rei familiari,& pecuniæ eius,qui amat. Nam ita fit,vt pecuniam ſuam profundat rebus ſecundis, quibus in amore fruitur obcæcatus. ALIVM]militem Babylonienſem Stratophanem. DAMNOSIOREM]alium damnoſiorem.Nam hæc duo coniunctè ſunt intelligenda.Horat.epiſt.*quem damnoſa Venus,quem præceps alea nudat.* QVEM.] militem. INFESTVM]inimicum,infenſum.omnino malim legi, *infenſum.* MALA] ipſa Phroneſium. ATQVE VT CVM SOLO, &c.]
D ordo eſt,vt me extrudat foras,atque vt cum ſolo.&c *pergræcetur*,autem,id eſt,delicias,& nequitias faciat,molliter,& voluptariè viuat,perpotet,& animo obſequatur.QVID ISTI SVPP. P.]quid opus eſt iſti peſſimæ puerum eſſe ſuppoſitum? LEGATVS HINC QVÒ.] quò ex lemno legatus ſum,&c. QVIS MVLIER]quæ mulier.

## ASTAPHIVM ancilla, DINARCHVS idem.

AD fores auſcultate,atque aſſeruate ædeis,
Nequis aduentor grauior abeat,quàm adueniat,
Neu qui manus attulerit ſterileis intrò ad nos,
grauidas Gruidas foras exportet.Noui ego hominum mores,
Ita nunc adoleſcentes morati ſunt.Quin ei
Vt ſimitu adueniunt ad ſcorta congerrones,

Conſulta ſunt conſilia,quando intrò aduenerunt, A
Vnus eorum aliquis oſculum amicæ vſque aggerit,
Dum illi agunt quod agunt cæteri cleptæ furcantur,vel harpagãt
Sin videant quempiam ſe aſſeruare,obludunt,dum cuſtodem
Oblectent per ioculum & ludum:de noſtro ſæpè edunt,quod
Fartores faciunt. fit pol hoc,& pars ſpectatorum ſcitis,
Pol hæc vos me haud mentiri.
Ibi eſt ibus pugnæ & virtuti,de prædonibus prædam capere.
At nos rurſum lepidè referimus gratiam furibus noſtris.
Nam ipſi vident,cum eorum aggerimus bona. Quin etiam vltrò ipſi aggerunt ad nos.
DI. Me illis quidem hæc verberat verbis. nam ego huic dona accongeſſi. B
AS. Commemini.iam pol ego eum ipſum,ſi domi erit, mecũ adducã,
DI. Heus manedum Aſtaphium,prius quàm abis. AS. qui reuocat? DI. ſcies
Reſpice huc. AS. quis eſt? DI. vobis qui multa bona eſſe vult. AS. dato. ſi eſſe
Vis,faxo erunt. DI. reſpice huc modò. AS. Io enicas me miſeram,quiſquis es.
DI. Peſſima mane,
AS. Optime odio es.
Dinarchúſne illic eſt?atque is eſt.it ad nos. DI. & tu fer contra manum,& pariter C
Gradere. AS. tibi ſeruio,atque audiens ſum imperij. DI. tute quid aggis.
AS. Valeo, & validum teneo.peregrè cùm aduenis,cœnãdetur.
DI. Benignè dicis. AS. at enim amabò ſine me ire quò iuſſit ea.
DI. Sed quid ais? AS. quid vis? DI. iſtic quo iter inceptas, qui eſt?quem arceſſis? AS. Archiuam
Obſtetricem.DI.mala fœmina es.AS.ſolens ſum.ea eſt diſciplina
DI. Manifeſtam mendacij mala te teneo. AS. quid iam amabo?
DI. Quia te adducturam huc dixeras cum ipſum,non eampſe. D
Nunc mulier facta eſt ex viro.mala es,præſtigiatrix.
Sed tandem loquere.qui is homo eſt Aſtaphium?vnúſne amator?
AS. Nimis otioſum arbitror hominem eſſe te. DI. quínam arbitrare?
AS. Quia tuo veſtimento & cibo alienis rebus curas.
DI. Vos me reddidiſtis otioſum. AS.quid iam amabo? DI.expedibo,
Rem perdidi.cum re meum negotium abſtuliſtis.
Si rem ſeruaſſem,fuit vbi negotioſus eſſem
AS. An tute bene rem publicam,aut amoris alia lege
Habere ſe poſtulas,quin tu otioſus fias?
DI. Illa, haud ego,habuit publicum,peruorſè interpretaris.
Nam aduorſum legẽ à me,ob meam ſcripturã, pecudem accepit.

Plerique



A AS. Plerique idem,quod tu facis,faciunt,rei malè gerentes.
Vbi non eſt ſcriptura vnde dent,incuſant publicanos.
DI. Malè vertit res pecuaria mihi,apud vos nunc viciſſim
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
AS. Non aruus hic,ſed paſcuus eſt ager.ſi arationes
Ambituris:qui arare ſolent,ad eos verò ire melius eſt.
Hunc nos habemus publicum,illi alij ſunt publicani.
DI. Vtroſque percognoui vtrobidem. AS. iſtoc pol otioſus,
Cùm & illic & hic peruorſus es.Sed vtris cum rem eſſe mauis?
DI. Procaciores eſtis vos,ſed illi periurioſi.
Illis perit quicquid datur,neque ipſis apparet quicquam.
B Vos ſaltem,ſi quid quæritis,ebibitis & comeſtis.
Poſtremò illi ſunt improbi,vos nequam & glorioſæ
Malæque. AS. quæ in nos illóſque,ea omnia tibi dicis Dinarche,
Et noſtram & illorum vicem. DI. quî iſtuc? AS. rationem dicam.
Quia qui alterum incuſat probri,eum ipſum ſe intueri oportet.
Tu à nobis ſapiens nihil habes.nos nequam abs te habemus.
DI. O Aſtaphium,haud iſtoc modo ſolita es me antè appellare,
Sed blãdè,cùm illuc,quod apud vos nunc eſt, apud me haberem.
AS. Dum viuit,hominem noueris:vbi mortuus eſt,quieſcas.
Te,dum viuebas,noueram. DI. an me mortuum arbitrare?
C AS. Quî potis es,amabo,planius?qui antehac amator ſummus
Habitus'ſt, iſtunc ad amicam meras querimonias referre?
DI. Voſtra hercle factum iniuria,quæ properauiſtis olim
Rapere.otioſè oportuit,diu vt eſſem incolumis vobis.
AS. Amator ſimilis'ſt oppidi hoſtilis. DI. quo argumento eſt? AS. quàm
Primùm expugnari poti'ſt amator,optimum eſt amicæ.
DI. Ego fateor.ſed longè aliter eſt amicus,atque amator.
Certè hercle quàm veterrimus homini optimus eſt amicus,
Non hercle occiderunt mihi etiam,fundíque & ædeis.
D AS. Cur obſecro ergo ante oſtium pro ignoto,alienóque aſtas?
I intrò,haud alienus tu quidem es.nam ecaſtor neminem hodie
Mage amat corde atque animo ſuo, ſiquidem habes fundum atque ædeis.
DI. In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ,atque orationes,
Lactéque:corda in felle ſunt ſita,atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis,corde amarefacitis
Amanteis,ſiquidem non dant. AS. Non didici fabulare.
DI. Non iſthæc mea benignitas docuit te fabulari,
Sed iſti,qui cum Geniis ſuis belligerant,parcipromi.
Mala es,atque eadem,quæ ſoles,elecebra. AS. vt exſpectatus
Peregrè aduenisti!nam obſecro,cupiebat te hera videre:

Quæ tandem te vnum ex omnibus amat. DI. euge, funde & ædeis, A
Per tempus ſubueniſtis. ſed quid ais Aſtaphium? AS. quid vis?
DI. Eſtne intus nunc Phroneſium? AS. tibi quidem intus eſt.
DI. Valétne? AS. immò ædepol melius credo fore, vbi te videbit.
DI. Hoc nobis vitium maximum eſt: cùm amamus, tum perimus,
Si illud, quod volumus, dicitur. palàm cum mentiuntur,
Verum eſſe inſciti credimus. næ vt in æſtu mutuamur ira.
AS. Eia haud ita eſt res. DI. Ain' tu illam te me amare? AS. immò vnicè vnum.
DI. Peperiſſe eam audiui. AS. ah obſecro tace Dinarche. DI. quid iam? B
AS. Horreſco miſera, mentio quoties fit partionis.
Ita penè tibi fuit Phroneſium. i intrò iam amabò,
Viſe illam, atque opperire ibi. iam exibit. nam lauabit.
DI. Quid ais tu? quæ numquam fuit pregnans, quî párere potuit?
Nam equidem vterum illi numquam extumere ſenſi.
AS. Celabat, metuebátque te illa, ne ſibi perſuaderes
Vt abortioni operam daret, puerúmque vt enecaret.
DI. Tum pol iſti puero quis eſt pater? AS. Babylonienſis miles,
Cuius nunc iſta aduétum exſpectat. immò adeò, vt nuntiatum'ſt,
Iam hic affuturum aiunt eum. nondum aduenſſe miror.
DI. Ibo igitur intrò? AS. quippini? tam audacter, quàm domum ad te. C
Nam tu ædepol noſter es. etiam nunc Dinarche hæres tu?
DI. Quàm mox te recepiſti? iam hîc eras. AS. propè eſt profectò quò ſum.
DI. Redi verò actutum. ego interim te apud vos opperibor.

AVSCVLTATE] vulgò, *auſcultato*. ASSERVATE] al. *aſſeruabis*. ADVENTOR] verbale nomen in or, à verbo aduenio. STERILEIS] inaneis. GRAVIDAS] plenas. EI] ij adoleſcentes. VT SIMITV ADVENIVNT] ſimul vt adueniunt: vel vt ſimul adueniunt. CONGERRONES] cõgerrones dicti à gerris, id eſt, nugis, & ineptiis. Aſinar. *hic aderit credo, congerro meus*. Nonius in voce, *gerræ*. ſed legendũ hîc fortaſſe *congerones*. Congerones dicti ſunt à congerendo, qui aliena ad ſe congerant. Idem Nonius. CONSVLTA SVNT CONS.] capta, & inita iam eis ſunt conſilia. AGGERIT] quaſi aggerendo figit. DVM ILLI AGANT, &c.] D dum ceteri illi cleptæ, id eſt, fures agunt, quod agunt, agũt id accuratè, cuius gratia venerunt. SE ASSERVARE] obſeruare quid agant ipſi. CVSTODEM] à quo aſſeruãtur. OBLECTENT] & ita ab attendendo, & aſſeruando auertãt. FARTORES.] nam de iis, quæ ad eos delata ſunt, vt farcimina conficiant, nonnihil detrahunt, eóque veſcuntur, neque id omne, quod acceperunt, inferciunt. VOS] vos, pars ſpectatorum. IBI EST IBVS.] tum putandi ſibi de eo eſſe pugnandum, & ex eo virtutis famam conſecuturos, ſi de nobis prædentur. *ibus*, pro *iis* antiquum, notat Nonius, & item alij. AGGERIMVS] accumulamus. ME ILLIS QVIDEM] ad me illa pertinet oratio. ACCONGESSI] ad hanc congeſſi. COMMEMINI.] memini, quem me arceſſere iuſſeris, nempe Strabacem. heram alloquitur. QVI REVOCAT] quis reuocat.? SI ESSE VIS F. ERVNT] ſi vis nobis bona eſſe, erunt. ILLIC] ille. FER CONTRA M.] voluit dicere, *fer contra pedem*. PEREGRÈ CVM ADVENERIS C. D.] ſolebant, qui peregrè adueniebant, cenam dare. ISTIC, QVÒ ITER INCEPTAS.] iſte, ad quem iter inſtituis, quis eſt? SOLENS SVM] ſoleo eſſe mala, non ſum mala præter morem meum. NON EAMPSE] non eam ipſam. virum te dixeras adducturam, non fæminam. PRÆSTIGIATOR] præſtigiatores à præſtigiis dicti ſunt. præſtigium autem à verbo præſtinguo, quod compoſitũ eſt à præ, & ſtinguo, vt alibi admonuimus: ídque



A ídque probant complures viri doctiſſimi. QVIA TVO VESTIMENTO, &c.] profert Nonius in datiuis pro accuſatiuo. ALIENIS REBVS CVRAS] ſic ſuprà. EXPEDIBO, REM PERDIDI] profert Nonius paullò aliter: nam addidit pronomen *ego*. CVM RE MEVM NEGOT. ABSTR.] ſic ſuprà. AN TV BENE REMPVB. AVT. AM.] poſtuláſne rempublicam, aut rem amoris ſe bene habere, alia lege, quàm vt otioſus ſias? quaſi dicat, neque reſpublica bene geri poteſt, neque amor bene tractari, niſi vterque, & is qui rempublicam gerit, & is qui amat, rebus ſuis neglectis, otioſè alter reipub. conſulat, alter amori ſeruiat. ILLA, HAVD EGO] illa Phroneſium. HABVIT PVBLICVM.] habuit publicum à ſe conductum. totus hic locus allegoria tectus eſt, quem mox explicabimus, ac declarabimus. NAM ADVERSVM LEGEM À ME, &c.] vt totus hic locus intelligatur, ſciendum eſt, populi Romani vectigalia tria fuiſſe: vnum, quod ex agricultura capiebatur, quod decimæ nomine appellabatur. Nam agri publici aratoribus ea lege colendi dabantur, vt decimas populo Romano penderent, itaque vectigales dicebantur: & publicani, qui decimas redemerant, decimarij propriè dicebantur: alterum, quod ex pecore: atque hoc ſcriptura dicebatur. Nam cùm ſiluæ eſſent populi Romani, qui in ſiluis publicis pecus paſcebant, numerum pecoris apud publicanum, qui ſiluas illas redemerat, profitebantur: & contrà publicanus in codices eumdem numerum referebat, ne ab aratore pecuario B fraudaretur, & in ſingula capita certam pecuniam pro paſtione ab aratore exigebat. Atque hi agri ſcripturarij dicebantur, quod docet Feſtus in voce *ſcripturariis*, cuius verba adſcribam. *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo, vt pecora paſcentur, certum æs pandit paſtor, quia publicanus, ſcribendo rationem conſicit cum paſtore.* Tertium vectigal ex nauigatione, & ex mercibus, quæ exſportabantur & ſupportabantur, redibant: quod portorium appellatur. his cognitis, reliqua ferè ſunt expedita, & plana. NAM ADVERSVM LEGEM, &c.] id eſt, nam Phroneſiũ aduerſum legẽ à me dictã datam, ob meam ſcripturam, id eſt, ob eam pecuniam, quam ei dedi, pecudem accepit, id eſt, alium amatorem admiſit. Profert hunc locum Soſipater libro primo in voce *pecus*, & legit *cepit*, non vt habent omnes libri, *accepit*. VBI NON EST SCRIPTVRA VNDE DENT] vbi non eſt pecunia, vnde dent amicæ, accuſant amicam. MALÈ VERTIT RES PECVARIA.] res pecuaria malè mihi euenit, volo nunc viciſſim agrum conducere, quem arem apud vos pro facultatibus noſtris. ARATIVNCVLVM.] agellum, quem arem. NON ARVVS SED PASCVVS.] hic ager non eſt aruus, non eſt ad arationem aptus, ſed ad paſtionem. AMBITVRIS.] ambire vis. QVI ARARE SOLENT, &c.]
C ordo eſt, ad eos verò, qui arare ſolent, ire melius eſt. ſignificat lenones, qui producunt pueros, & puellas: vel vt alij volunt, ſcorta maſcula. VTROBIDEM.] in eodem vtroque loco. ISTOC POL OTIOSVS] ob iſtud pol otioſus es. quia & apud pueros catamitos, & apud nos verſatus es. VTRIS CVM] cum vtris, cum meretricibúſne, an cum catamitis, ſeu lenonibus. PROCACIORES.] procacitas à procando, id eſt, poſcendo, nominata eſt, inquit Feſtus. PERIVRIOSI] periurioſi, periuriis cooperti. QVÆ IN NOS ILLÓSQVE.] ſubintellige, dicis. ET NOSTRAM, ET ILLORVM VICEM] & noſtra, & illorum vice. EVM IPSVM SE INTVERI OPORTEAT] ſe ipſum inſpicere oporteat, careátne vitio, & reprehenſione. M. Tullius, *carere omni vitio debet, qui in alterum paratus eſt dicere*. TV À NOBIS SAPIENS.] tu, qui te ſapientem profiteris, nihil habes à nobis: nos, quas nequam, & malas eſſe arguis, abs te habemus. ISTOC MODO.] tam ferociter, & ſuperbè. ILLVC] illud. QVI POTIS ES, AMABO.] obſecro te qui potes planus, id eſt, apertus mortuus eſſe? QVI ANTEHAC AMATOR SVMMVS] nónne argumento eſt maximo te mortuum eſſe, eum, qui antea ſummus amator habitus es, nempe largiendo, & profundendo, nunc ad amicam nihil, præter querelas re-
D ferre? OTIOSÈ OPORTVIT] oportuit vos otioſè, & placidè prædari, & mihi mea bona auferre. NON HERCLE OCCIDERIM.] nondum mihi fundi, & ædes perierunt. AMAREFACITIS.] amarefacitis, vnico verbo ſcribendum, ab indicatiuo *amarefacio*, vt rarefacio, tabefacio, labefacio, candefacio, & ſimilia. SI QVIDEM NON DENT.] Ioſ. Scaliger legebat, *ſi qui non danunt*: id eſt, ſi qui non dant. FABVLARE.] fabulari. NON ISTHÆC MEA BENIGNITAS.] mea benignitas, id eſt, liberalitas non docuit te iſta loqui. QVI CVM GENIIS SVIS BELLIG.] qui ventri ſuo bellum indixerunt: qui Genios ſuos defraudant. ELECEBRA] ſic reſtituit Ioſeph. Scaliger. Elecebræ autem, vt docet Feſtus, argentariæ meretrices, ab eliciendo argento dictæ. TIBI QVIDEM INTVS EST] Scaliger legit *intus haud eſt*. EVGE FVNDE ET AEDES PER TEMPVS SVBV.] Euge funde & ædes, vobis habeo gratiam, quorum opera & beneficio redibo cum Phroneſio in gratiam. Nam niſi mihi tempeſtiuè ſubueniſſetis, numquam intromiſſus eſſem. NE VT IN AESTV MVTVAMVR IRA.] locus deprauatus, & in vulgatis, & in manuſcrip. codicibus. quid ſi ſic legamus? *Nunc vt in æſtu tumultuamur ira*. Libri vulgati habent, *Ne vt in æſtu motuantur iræ*. Noſtri veteres: *Ne vt meſtu mutuamur ira* quomodò ferè Camerarius edidit, *Ne vt in æſtu mutuamur ira*. AIN' TV TE ME AMARE?] ain' tu me abs te amari? ſed videtur legendum potius, *ain' tu me amari?* ſubintellig. à Phroneſio. HORRESCO

MISERA MENTIO QVOT. F. PART.] propter partus dolores, & mortis diſcrimen propinquum, quod ineſt in pariendo. Profert hunc locum Priſcianus libr. 6. ITA PAENE TIBI FVIT.] ita pæne tibi periit Phroneſium. OPPERIRE IBI.] opperire domi, dum exeat è balneo. EXIBIT] è balneo. BABYLONIENSIS MILES] non quod Babylonienſis eſſet, ſed quòd Babylone militaſſet. erat enim, vt credibile eſt, Græcus. QVIPPINI] quidni, vel quippe, etiam: DIN. HAERES TV?] proinde ac ſi dicat, quin intras Dinarche domum? etiam nunc hîc moraris? QVÀM MOX TE RECEPISTI?] quàm citò rediiſti. mirum eſt te tam citò rediiſſe: nam iam hîc eras. hoc dicit Dinarchus cum Aſtaphio iocans, quaſi illa inde redierit, quò miſſa eſt ab hera, cùm tamen ſe à foribus non commouerit. Itaque diſſimulanter eam monet, vt eat, quò itura fuit. cui reſpondet illa etiam diſſimulanter, tamquam iocandi non imperita. propè eſt profecta quò ſum: proinde quaſi dicat, non eſt mirum me tam citò rediiſſe, nam is, ad quem miſſa ſum, & ad quem profecta ſum, propè habitat. REDI ACTVTVM] nunc ſeriò loquitur Dinarchus, & extra iocum. A

# ACTVS SECVNDVS. B

## ASTAPHIVM.

AS. HA ha ha. hercle quieui, quia introiuit odium, tandem ſola ſum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar liberè quæ volam, & quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit næniam de bonis:
Nam fundi & ædes obligatæ ſunt ob amoris prandium. verùm
Apud hunc mea hera conſilia ſumma loquitur liberè, magíſque C
Adeò ei conſiliarius hic amicus eſt, quàm auxiliarius.
Dum fuit, dedit. nunc nihil habet. quod habebat, nos habemus.
Iſte nunc id habet, quod nos habuimus. humanũ facinus factu eſt
Actutum fortunæ ſolent mutarier. varia vita eſt.
Nos diuitem eum meminimus, atque iſte pauperes nos.
Verterunt ſeſe memoriæ. ſtultus ſit qui id admiretur.
Si eget, neceſſe eſt nos patiatur ali. ita æquum factu eſt.
Piaculum eſt, miſereri nos hominum rei malegerentum.
Bonis eſſe oportet dentibus lenam probam: arridere, D
Quiſquis veniat, blandéque alloqui: malè corde conſultare,
Bene loqui lingua. meretricem eſſe ſimilem ſentis condecet,
Quemquem hominem attigerit, profectò aut malum, aut damnum dari.
Numquam amatoris meretricem oportet cauſſam noſcere,
Quin vbi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum.
Nec vmquã quiſquã probus erit amator, niſi qui rei inimicu'ſt ſuę
Nugæ ſunt, niſi quod modò cùm dederit, dare iam lubeat denuò.
Is amatur apud nos, qui quod dedit, id oblitu'ſt datum.
Dum habeat, dum amet: vbi nihil habeat, alium quæſtum cœpiat,
Æquo animo ipſe, ſi nihil habeat, aliis, qui habent, det locum.

Probus eſt



A Probus eſt amator, qui relictis rebus rem perdit ſuam.
At nos malè agere prædicant viri ſolere ſecum,
Nóſque eſſe auaras. quæſo numquid malè nos agimus tandem?
Nam ecaſtor numquam ſatis dedit ſuæ quiſquam amicæ amator:
Neque pol ſatis accepimus, neque vlla ſatis popoſcit.
Nam quando ſterilis eſt amator à datis, improbus eſt.
Si negat ſe habere quod det, ſoli pernoctandum'ſt.
Nec ſatis accipimus, ſatis cùm, quòd det, non habet.
Semper datores nouos oportet quærere,
Qui de theſauris integris demum danunt.
Velut hic agreſtis eſt adoleſcens, qui hic habet,
B Nimis pol mortalis lepidus, nimíſque probus dator.
Sed is clam patre etiam hac nocte illanc illam maceriem
Per hortum tranſiliuit ad nos. eum volo conuenire.
Sed eſt huic vnus ſeruus violentiſſimus,
Qui vbi quamque noſtrarum videt prope ædeis, hàc ſi aggredias,
Item vt de frumento anſeres, clamore abſterret, abigit.
Is item eſt aggreſtis. ſed fores, quicquid eſt futurum, feriam,
Ecquis huic tutelam ianuæ gerit, ecquis intus exit?

HERCLE QVIEVI] hercle quieta ſum. tranquillo & ſoluto animo ſum. notat quidam mirum eſſe militem per Herculem iurare. quod negat Gellius. ODIVM.] homo C odioſus Dinarchus. DIXIT NENIAM.] cantauit carmen leue atque inane, id eſt, ſermonem habuit inanem, nulliúſque ponderis. OB AMORIS PRANDIVM.] ob amorem. MAGÍSQVE ADEÒ EI CONSILIARIVS] id eſt, magíſque adeò eius conſilio vtitur, ſeu eum in conſilium adhibet, quàm ab eo auxilium petit, aut ſperat. ISTE NVNC ID HABET] egeſtatem. ATQVE ISTE PAVPER. N.] meminit. VERTERVNT SESE MEMORIÆ.] memoria noſtra, & iſtius: nam nunc diuites ſumus, iſte pauper. Sed admonendus eſt lector, noſtros libros veteres ſic habere, *vertit ſeſe rota viciſſim.* REI MALÈ GERENTIVM] rem malè gerentium. hîc gerentium, loco nominis eſt. BONIS ESSE OPORTET DENTIBVS] quibus comedat amatores. MALÈ CORDE CONS.] malè animo cogitare, & inſidiari, amatoribus lingua blandiri. SENTIS.] ſpinæ. QVEMQVEM.] quemcumque. AVT MALVM.] vt cùm à ſente pungitur, & cruentatur. DAMNVM.] vt cum veſtis laceratur. NVMQVAM AMATORIS MERETRICEM.] numquam debet meretrix audire amatorem cauſas afferentem, quare ſi non largiatur, non debeat eum eiicere ex ædibus ſuis, & domum remittere, vt militem infrequentem rei militaris. Cornif. libr. 4. ad Herenn. *& illud prætereo, quòd te rei militari infrequentem tradidiſti.* vel vt in aliis libris le- D gitur, *quod te tribuni infrequentem rei familiaris tradiderunt.* Conſtat autem iure ciuili ſanctum fuiſſe, vt milites infrequentes infamiæ nota affecti, domum remitterentur, quos Græci vocant ἀστρατεύτους, ab iis differenteis, qui locum in acie non tenuerunt, aut ordinem, præſidiúmue reliquerunt, hoc eſt, τάξιν ἔλιπε. NISI QVI REI INIMICVS SVÆ] niſi qui rem ſuam perdere paratus eſt. DARE IAM LVBEAT DENVÒ.] ſic habent noſtri libri veteres, & ita legendum, *non iubeat.* DVM HABEAT, DVM AMET.] quandiu habeat, tandiu amet. ſic autem legendum, non vt vulgò, *tum amet.* nam *tum* neque ſolet, neque poteſt reſpondere aduerbio *dum*, ſed aduerbio *cùm*. ſic enim loquuntur Latini, tum ſcribit M. Tullius, cùm M. Anthonius ſtertit. *dum* autem aliud eſſe quàm *cùm*, vel pueris notum eſt. *dum* enim continuationẽ temporis ſignificat: *cùm* verò punctum temporis. vt dum tum legis, ego interea ambulo. Ne quis autem miretur hoc loquendi genus, quo hîc Plautus vſus eſt, & contendat ab illo diſcrepare, *dum habeat, interea amet*: dico re nihil diſcrepare. Nam *dum*, quod ſecundo loco ponitur, valet *interea*: atque ita Catullus loquitur. ALIVM QVAESTVM COEPIAT.] id eſt, aliam artem cedat, & amare deſinet. quaſi verò qui amant quæſtum, & non iacturam rei familiaris faciant. DET LOCVM] cedat. RELICTIS REBVS.] neglectis rectus aliis omnibus. MALÈ AGERE.] genus loquendi à foro tractum. nam bene agere cum aliquo, eſt iudicio moderatiore, & æquiore cum aliquo ius ſuum experiri. contrà, malè agere, iudicio aſpe-

riore,& iniquiore conflictari. AT VIRI, INQVIT,] dicunt nos eſſe in ipſos iniquiores,& A
aſperiores.queruntur amatores ſe duriter,& aſperè à nobis tractari. QVÆSO, NVMQVID MALÈ NOS AGIMVS.] quidam libri habent, *quæſo numquid malè nos capimus tandem?* alij nonnulli, *quæſo numquid alienum capimus tandem?* QVI DE THESAVRIS INTEGRIS.] qui ſoli de theſauris integris dant. QVI HÎC HABET.] qui hîc habitat. ILLANC MACERIAM.] maceria,eſt paries ex lapidibus ſine calce conſtructus. Terent. Adelph. *iube hanc maceriam in horto dirui.* Siſenna hiſt. lib. 3. *poſt villarum macerias,ac parietinas quinque coborteis in inſidiis reliquit.* SERVVS VIOLENTISS.] Stratilax. HÀC SI AGGREDIAS] ſi quis,aut ſi qua hàc aggrediatur. quidam legunt, *has ſi aggredias.* has autem, nempe ædeis. aggredio autem dixerunt veteres pro aggredior ſimiliter. vt progredio, pro progredior. Nonius. IS ITEM EST AGRESTIS] ruſticus eſt Strabax,& agreſtis.

## STRATILAX ſeruus, ASTAPHIVM ancilla.

QVis illic eſt,qui tam proteruè noſtras ædeis arietat? B
ST. Ego ſum,reſpice ad me. ST. quid ego? nónne ego video? væ tibi,
Quid tibi ad haſce acceſſio eſt ædeis prope,aut pultatio eſt?
AS. Salue. ST. ſatis mihi eſt tuæ ſalutis. nihil moror,non ſalueo.
Ægrotare malim,quàm eſſe tua ſalute ſanior.
Id volo ſcire,quid debetur noſtræ tibi domi? AS. comprime.
ST. Spero meam quidem hercle eſſe pudicam tu quæ ſolita es, comprimas.
Impudens,per ridiculum,nunc vt ruſtico ſuadet ſtuprum.
AS. Iram dixi. ST. vt eſſe cœpiſti:ſi dem,ſi eſt vna altera.
AS. Nimis hic quidem truculentus. ST. pergin' malè loqui mulier mihi? C
AS. Ecquid tibi ego autem dico? ST. quia enim truculentum nominas.
Nunc adeò niſi abis actutum,ac dicis quid quæras, citò
Iam hercle ego hic te mulier quaſi ſus catulos,pedibus proteram.
AS. Rus merum hoc quidem eſt. ST. pudendúmne? tu verò cluſinum pecus,
Aduenisti huc nos tentatum cum exornatis oſſibus.
Quia tibi inſuaſo infeciſti propudioſa pallulam.
An eo bella es tu, quia accepiſti ar me aduenias. AS. nunc places, D
Cum me illi vel in mentiri dicis. ST. quid quod te rogo?
Mancupi vin quia accipias geſta tecum henos annuos?
AS. Dignis dant. ST. lauiniæ hic ſunt,quas habes,victorias?
AS. Ne attigas me. ST. tangámne ego te? ita me amabit ſarculum,
Vt ego me ruri hamaxari mauelim patalem bouem,
Cúmque eo ita noctem in ſtramentis pernoctare perpetim,
Quàm tuas centum cœnatas nocteis mihi dono dari.
Rus tu mihi opprobras. vt nacta es hominẽ, quem pudeat probri.
Sed quid apud noſtras negotij mulier eſt ædeis tibi?
Quid tu huc occurſas,in vrbem quotieſçumque aduenimus?

Mulieres



A AS. Mulieres conuenire volo voſtras. ST. quas tu mulieres
Mihi narras? vbi muſca nulla fœminæ eſt in ædibus.
AS. Nulláne iſtic mulier habitat? ST. rus,inquam,abierunt,abi.
AS. Quid clamas inſane? ST. abire hinc ni properas grandi gradu,
Iam ego iſtos fictos,compoſitos,criſpos cincinnos tuos
Vnguentatos vſque ex cerebro exuellam. AS. quánam gratia?
ST. Quia adeò foreis noſtras vnguentis vncta es auſa accedere,
Quiáque iſtas buccas tam bellè purpuriſſatas habes.
AS. Erubui mecaſtor miſera,propter clamorem tuum.
ST. Itáne erubuiſti? quaſi verò corpori reliqueris
Tuo, poteſtatem coloris vlli capiendi,mala.
B Buccas rubrica,cera omne corpus intinxti tibi,
Peſſumæ eſtis. AS. quid eſt quòd vobis peſſumæ,ac cuia via?
ST. Scio ego plus,quàm me arbitrare ſcire. AS. quid id eſt obſecro,
Quod ſcias? ST. herilis noſter filius apud vos Strabax
Vt pereat,vt eum illiciatis in malam fraudem,& præmium.
AS. Sanus ſi ſis,videas,ne dixeris contumeliam.
Nemo hominum hîc perire ſolet apud nos. res perdunt ſuas.
Vbi perdidere res,abire hinc ſi volunt,tum illis licet.
Ego hunc non noui adoleſcentem veſtrum. ST. verón'? ſerión?
Quin maceria illa ait,in horto quæ eſt,quæ in nocteis ſingulas
Látere fit minor,qua iſte ad vos damni permenſu'ſt viam.
C AS. Non mirum eſt,vetuſta maceria,lateres ſi veteres ruunt.
ST. Ain' tu,mala,lateres veteres ruere? numquam ædepol mihi
Quiſquam homo mortalis poſthac duarum rerum creduit,
Ni iſta ego veſtra hero maiori facta denarrauero.
AS. Eſtne ille violentus? ST. ſuam non enim ille meretriculis
Molliendis rem coëgit,verùm parſimonia,
Duritiáque, quæ nunc ad vos iam exportatur,peſſumæ,
Em tu es exungula. malè viuitis. egóne hæc muſſitem?
Iam enim eccere ibo in forum,atque hæc facta narrabo ſeni,
Ne qua is iſtuc in ſegaſtro cogat examen mali
D AS. Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet,non cenſeam
Tam eſſe triſtem poſſe. at pol hero beneuolentus vt is eſt ſuo?
Verùm ego illum quamquam violentus eſt,ſpero,mutari poteſt
Blandimentis, ornamentis ceteris meretriciis.
Vidi equidem iumenta domita fieri,atque alias beluas.
Nunc ad heram reuidebo. ſed eccum odium progreditur meum.
Triſtis exit. haud conuenire etiam hîc velim Phroneſium.

ARIETAT?] quaſi ariete verberat? vel vt aries cornu petit? Cic. lib. 1. de Diuinat. QVID TIBI AD HASCE ACCESSIO.] quid eſt,quare ad has ædeis accedis: aut has ædeis pulſes? NIHIL MOROR] nihil moror tuam ſalutem,id eſt, nihili facio. COMPRIME.] linguam, intelligit ſeruus. ſed ancilla iram, vt mox ſubiiciet. SPERO MEAM QVIDEM HERCLE.] aliter accipit ſeruus,quam dixerit ancilla, quaſi fellatorem eſſe ſignificarit: quod hic in illam reiicit,ac retorquet. flagitioſus iocus eſt. VT ESSE COEPISTI SI

DEM ] locus corruptus.quid ſi ita legamus? *vt eſſe cœpiſti,cedam,ſi eſt vna altera.* id eſt, vt moleſta & odioſa eſſe cœpiſti,cedam tibi,ſi vna altera fœmina ad te accedat æquè odioſa. PVDENDÚMNE]pudendúmne mihi eſt,quòd ſim ruſticus? CLVSINVM PECVS.]candidum,ſeu lutei coloris. QVIA TIBI INSVASO.]Feſtus,ſuaſum,colos appellatur, qui fit ex ſtillicidio fumoſo in veſtimento albo.Plautus,*quia tibi ſuaſo infeciſti prop.pall.* quidam tamen legunt *inſuaſo*.nec deſunt,quin dicant,omnem colorem, qui fiat inficiendo,ſuaſum vocari, quod quaſi perſuadetur in alium ex alio tranſire. Idem inſuaſum appellabant colorem ſimilem luteo, qui fiebat ex fumoſo ſtillicidio. PROPVDIOSA.]turpis,inhoneſta,propudij plena.quid ſit propudium,docet Feſtus,& nos ſuprà retulimus. AN EÒ BELLA ES TV, QVIA ACCEPISTI AR ME ADVEN.]quidã ſic legunt,*an eò bella es tu, qui accepiſti arma*(id eſt,ornamenta)*aduenièns*?Scaliger ſic,*an eò bella es,quia accepiſti? Ar me aduenias* autem,interpretatur *ad me aduenias.ar* enim dixerunt veteres pro *ad*. NVNC PLACES, CVM ME ILLI,&c.] locus deprauatus,quem putabat ſic reſtituendum Ioſephus Iulij filius. Cùm te illius limen tueri dicis. vel ſic,cùm melius limen te tueri dicis. MANCVPI VIN, QVIA ACCIPIAS,&c.] hic quoque locus deprauatus eſt in libris omnibus. Quid ſi ſic legamus,*Mancupio quin accipias: geſta tecum hos ahenos annulos*,ſiue *anulos*.Fortaſſe dum hæc loquitur,oſtẽdit ei Stratilax grãdeis,& graueis annulos æneos. DIGNIS DANT]lego, *dignis dantur: tibi* nempe. Sunt autem etiam hæc B Stratilacis verba,vt arbitror,potiùs quàm Aſtaphij, niſi accipiamus dicta eſſe ab ea εἰρωνικῶς. LAVINIÆ HÎC SVNT QVAS HAB. VICTORIAS.] locus obſcurus, quem ſatius eſſe puto intactum relinquere,quàm diuinare,& nugari, cùm in eo declarando, nihil mihi veniat in mentẽ,quod probem.Alij volunt alludi ad Lauiniam Latini filiam,quam Æneas, Turno ſuperato,obtinuit,tamquam victoriæ præmium,quaſi Plautus ſignificet in ædibus meretriciis eſſe Lauinias,quas cupidè experant amatores, quæque magno conſtent amatoribus. Alij, dicunt ſignificari in ædibus meretriciis amatores bona ſua profundere, & patrimonium perdere,quaſi fiat alluſio ad illud,quod diximus ſuprà de iis,qui balneis rem ſuam perdunt,& elauant bonis. Alij Lauinias mulieres fuiſſe putant,quæ mundum muliebrem meretricibus locarent. Omnino hîc mihi hiſcendi eſt nulla poteſtas, vt verbis Lucretianis vtar. NE ATTIGAS ME]ne me attingas.veteres dixiſſe tago,& attigo, contigo, pro tango, attingo, contingo,docent veteres grammatici,in his Feſtus, & Marcellus, ſic ſuprà in Epidico. *Ne attigas*: ad quem locum plura. ITA ME AMABIT SARCVLVM]iuſiurandum ruſtico conueniens, quaſi ſarculum ſit illi cariſſimum,& inſtar Dei. proinde enim habendum eſt, ac ſi dixiſſet, Ita me amabit Iupiter,vt ego me tamquam bouem petalum eſſe patentibus, & diuerſis cornibus C hamaxari,id eſt,currum agere ac trahere,cúmque eo noctẽ in ſtramentis,id eſt,ſtraminibus traducere malem perpetuò,quàm centũ nocteis ſaturam tecũ cubare.*cœnatas* autẽ *nocteis* dicit,quia incœnati cum ſcorto cubant,iis fortaſſe friget Venus.Patentem bouem(inquit Feſtus) Plautus appellat,cuius cornua diuerſa ſunt,ac latè patent.Sic autem eſſe legendum admonuit me Scaliger fil. VT NACTA ES HOM. Q. P.] ironia eſt,proinde ac ſi dicat,non me pudet iſtius probri. QVID TV HVC OCCVRSAS?] quamobrem in has ædeis noſtras nobis crebrò occurris quotieſcumque in vrbem venimus? VBI MVSCA NVLLA FOEM. IN ÆDIBVS.]id eſt,vbi nulla prorſus fœmina eſt, ne muſca quidem. Per muſcas,ſignificantur moleſti,& odioſi homines inſtar muſcarum. CINCINNOS]cincinni,crines ſunt vel natura,vel arte,vt calamiſtris intorti,atque inflexi. EXVELLAM ] euellam.ſic eſſe legendum non *expellam* vidit Scaliger fil. PVRPVRISSATAS.]purpuriſſo infectas.purpuriſſum autem idem valet, quod rubrica, Latina vox. QVASI VERÒ CORPORI RELIQVERIS TVO, POTESTAT.]profert hæc Priſcianus libro 6.duobus locis, vbi notat, *vlli*, poſitum pro, *vllius*. BVCCAS RVBRICA, CERA OMNE C.]rubrica quid ſit autem, ceræ genus eſt,& pictura,qua veteres cera pingere ſolebãt.Varro.nam pictores & eiuſdẽ generis,lo- D culatas & magnas habent arculas, vbi diſcolores ſunt ceræ, &c. INTINXTI.] intinxiſti, ſic autem legendum eſſe,potiùs quàm *intinxit*, & ſuprà *rubrica*, non *rubricæ* Scaligero aſſenſus ſum. Et verò eius coniecturam,quod ad *intinxſti* attinet,noſtri libri veteres confirmant, in quibus legitur *intinxiſti*. QVID EST, QVOD VOBIS PESS. AC C. V.] quid eſt, quamobrem vobis peſſimæ habeamur, & cuius via,id eſt,qua ratione, ſeu quomodo? SANVS SI SIS, VIDEAS, NE DIXIS CONT.] cùm Scaliger filius ſic legendum conieciſſet,*ſanus ſi ſis vide,ne dixis contumeliam*;ego ſic malui,*ſanus ſi ſis videas,ne dixis cont*. VERON'? SERIÓN'.]verόne iſtuc ais? ſerióne loqueris? QVIN MACERIA ILLA AIT, &c.] immò paries ille rudis,qui eſt in horto,etiam ſi negas,affirmat tamen,& clamat ita eſſe vt dico: qui in nocteis ſingulas minuitur vno latere, per quem damnum vicini iniit. *Latere* autem ablatiuus eſt à nomine *later, ris*. Profert autem hunc locum Priſcianus libr. 5. vetus eſt, hæc ſunt intercludenda interpoſitionis nota, ſi hanc ſcripturam probamus. Nam Scaliger legit, *vetuſta maceria*,vt ſint ablatiui abſolutè poſiti. Idque,cùm vetuſta ſit maceria. Sic autem legendum coniecit Scaliger filius, cùm vulgati omnes & veteres habeant partim, *vetus eſt*, partim *vetu'ſt*' NVMQVAM ÆDEPOL MIHI QVISQVAM H. M.] numquã mihi quicquam duarum rerum,id eſt, humanarum & diuinarum, crediderit,niſi,&c. Camerarius legit



A legit *ſudrum rerum*. DENARRAVERO] *de*;interdum in compoſitione auget,vt in deamare, deſæuire,vt hîc.Horat.Sat.3.lib.2.in extremo. *Vnus vbi effugit matri denarrat*, &c. MOLLIENDIS] molliter tractandis,amplexandis,& oſculandis. ſed Scaliger vult legi,*molendis*,id eſt,ſubigendis.Horat.Satyr. *Non alienas permolere vxores*. DVRITIÆQVE] duriter viuendo, & laborioſè,non molliter. EM TV ES EXVNGVLA] Scaliger legit, *emtu, nexu, gula*.ſententia aperta,ſiue hęc referantur,ad ea,quæ ſequuntur,ſiue ad ea,quæ antecedũt.ſignificat enim amatores bona ſua perdere apud meretrices, emtionibus, obligationibus, compotationibus, & epulis. MVSSITEM]taceam. ECCERE]per ædẽ Cereris.vel lege *eccere*,id eſt,ecce. NE QVÀ IS ISTVC IN SEGASTRO C. EXAMEN M.] ſic reſtituit idem Scaliger.nam vulgati,& manuſcripti libri mendoſi ſunt. ſic enim habẽt illi,*Neque iſtuc in ſe geſtit,ergo coget exanimem mori*. hi ſic.*Neq; iſtuc in ſe geſtit,ergo coget exanimem mali*.ſentẽtia autẽ verſus ita reſtituti non obſcura eſt.hęc facta(inquit)narrabo ſeni,ne quà, id eſt,ne qua via, ſeu ne qua ratione, is (ſenex) iſtuc examen mali,id eſt,tantum malorum aceruum cogat,congerat in ſegeſtro,id eſt,in ſtragulo, ſeu integumento,ſeu ſtramento,quo lectus inuoluitur,ac tegitur. vel lege, *ſegaſtro*, quod pellem ſignificat. In ſegeſtro vult intelligi ſenem dormire,vt parcè,& duriter viuentẽ. SINAPI VICTITET] B quod lacrymas inuitus exprimit. Itaque ſuprà in Pſeudol. *teritur ſinapis ſcelerati cum illis, qui terunt, priuſquam triuerint, oculi vt exſtillent, facit*. NON CENSEAM] non putem. VERÙM EGO ILLVM,&c.] verùm vt ego ſpero,ille mutari poteſt blanditia. ORNAMENTIS] inſtrumentis,appareat. παρασκευή AD HERAM REVIDEBO] ſic loquebantur veteres, vt alibi indicauimus. ODIVM]homo mihi odioſus, atque inuiſus. progreditur autem ex ædibus,egreditur,& foras prodit.

## DINARCHVS adoleſcens. ASTAPHIVM ancilla.

Piſceis ego credo,qui,vſque dum viuunt,lauant,
Minus diu lauare,quàm hæc lauat Phroneſium.
Si proinde amentur mulieres,diu quàm lauant,
C Omnes amantes balneatores fient.
AS. Non quis parumper durare,opperirier?
DI. Quin hercle laſſus iam ſum durando miſer.
Mihi quoque præ laſſitudine opus eſt vt lauem.
Sed obſecro hercle Aſtaphium, i intrò,ac nuntia
Me adeſſe. tu i properè,& ſuade iam,vt ſatis lauerit.
AS. Licet. DI. audin' etiam? AS. quid vis? DI. di me perduint,
Qui te reuocaui. non tibi dicebam,i modò.
AS. Quid iam me reuocabas improbe,nihilíque homo?
Quæ tibi mille paſſuum peperit moræ mora.
D DI. Sed quid hæc hîc autem tamdiu ante ædeis ſtetit?
Neſcio quem præſtolata eſt. credo,militem.
Illud eſt. vide vt iam quaſi volturij triduo
Prius prædiuinant,quo die eſuri ſient:
Illum inhiant omnes,ille eſt animus omnibus.
Me nihilo magis reſpiciet,vbi iſte huc venerit,
Quàm ſi hinc ducentos annos fuerim mortuus.
Vt rei ſeruire ſuaue eſt! væ miſero mihi,
Poſt factum flector,quia antè partum perdidi.
Verùm nunc ſi qua mihi obtigerit hæreditas
Magna,atque luculenta,nunc poſtquàm ſcio
Dulce atque amarum quid ſit ex pecunia,
Ita ego illam ædepol ſeruem,itáque parcè victitem,

Vt nulla faxim cis dies paucos ſiet. A
Ego iſtos,qui nunc me culpant,confutauerim.
Sed eſt vocis ſat,ſentio aperiri foreis,
Quæ obſorbent quicquid venit intra peſſulos.

PISCEIS EGO,&c. ] Varro lib.8.de ling.Latin.pag.166. NON QVIS] non potes. DVRARE] χαρτερεῖν moram tolerare,ac perferre. VT SATIS LAVERIT]vt lauandi finem faciat,quaſi ſatis lauerit. QVÆ TIBI MILLE PASSVVM] quæ mora peperit tibi mille paſſuum moræ. mille paſſuum dictum,vt mille hominum , mille ouium , & ſimilia alibi notata. PRÆSTOLATA EST.] exſpectat, ſeu exſpectauit. QVASI VOLTVRII] teſtatur hoc,& Plinius lib.10. cap.6. de vulturibus, ſeu de vulturiis, his verbis, vmbricus haruſpicum in noſtro æuo periſſimus parere tradit oua tria:vno ex iis reliqua oua, nidúmque luſtrare,mox abiicere:triduo autẽ antè, ait biduo eos volare,vbi cadauera futura ſint. ILLVM MIHI] militem cupidè expetunt. OMNES] meretrix, & eius ancillæ. ILLE EST AN.] omnes in illo habent animum : omnes in illo viuunt. omnes eũ vnicè amant. RESPICIET] B. Phroneſium. HINC] abhinc. POST FACTVM PLECTOR] ſi legamus, vt edidit Camerarius,& vt habent multa exempla, *poſt factum flector*, hoc ſignificat,id eſt, poſt factum ſentẽtiam muto. Sed Scaliger in voce *flector* ineſſe mendum ſuſpicatur, & pro *flector* legendum putat *flictor*. ego *plector* malim, vt hoc ſentiat Dinarchus,ſe,poſtquam rem ſuam compotationibus,& luſtris perdidit,dare ſui peccati pœnas, quia rem antè partam abſumſit, & patrimonio naufragus eſt. omnino ſic habent exempla quædam Veneta. LVCVLENTA]ſic apud Ciceronem *patrimonium luculentum*. NVNC POSTQVAM SCIO DVLCE, ET AM. Q.]nunc poſtquàm vſu didici,quæ dulcedo inſit in pecunia,& eius vſu moderato,quæ amarities in pecuniæ profuſione,& egeſtate,ita ego illam ſeruauero,&c. VT NVLLA FAX. CIS DIES PAVCOS SIET] vt intra paucos dies nulla mihi pecunia reliqua ſit. iocus eſt παρὰ προσδοκίαν, & παρ' ὑπόνοιαν. exſpectabat enim auditor, vt planè contrarium ſubiiceret . cis dies paucos autem,id eſt,intra dies paucos,propediem:atque ita declarat Adr. Turneb. OBSORBENT] obſorbere, eſt totum ſorbere. tale eſt apud Terent. in Eunuch. *obligurrire,patria obligurrierat bona:* quamquam legitur vulgò *abligurrierat*. Et apud Marc. Tull. *obbibere*, ſeu potius *obducere*. Tuſcul. PESSVLOS] peſſuli,quaſi parui pedes, quibus fores introrſum claudebantur. Terent. *Et ſimul alia circumſpecto Satin' explorata ſint: video eſſe. peſſulum oſtio obdo*. Idem Heaut. *Continuò hic ſe coniecit intrò,ego conſequor. Anus foribus obdit peſſulum: ad lanam redit.* C

## PHRONESIVM meretrix. DINARCHVS idem.

NVm tibi nam,amabò,ianua eſt mordax mea,
Quò introire metuas,mea voluptas? DI. ver vide,
Vt tota floret! vt olet! vt nitidè nitet!
PH. Quî tam infacetus,Lemno adueniens,qui tuæ
Non des amicæ Dinarche ſuauium?
DI. Vah, vapulo hercle ego nunc,atque adeò malè.
PH. Quò te auertiſti? DI. ſalua ſis Phroneſium. D
PH. Salue. hîcne hodie cœnas,ſaluus cùm aduenis?
DI. Promiſi. PH. vbi cœnabis tu? DI. vbi tu iuſſeris.
Hic. PH. me lubente facies. DI. ædepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum mea Phroneſium,
PH. Velim,ſi fieri poſſit. DI. cedò,ſoleas mihi,
Properate:auferte menſam. PH. amabo,ſanun' es?
DI. Non ædepol bibere poſſum iam,ita animo malè eſt.
PH. Mane,aliquid fiet. ne abi. DI. ah,aſperſiſti aquam,
Iam rediit animus,deme ſoleas,cedò
Vinum. PH. idem es æcaſtor,qui ſoles. ſed dic mihi,



A Benéne ambulauiſti? DI. huc quidem hercle ad te bene.
Quoniam tui videndi eſt copia. PH. complectere.
DI. Libens. ah hoc eſt mel melli dulci dulcius.
Hoc tuis fortunis Iupiter præſtant meæ.
Dane ſuauium. PH. immò vel decem. DI. haud iſtoc pauper es.
Plus pollicere, tu, quàm ego à te poſtulo,
Vtinam à principio rei item parſiſſem meæ,
Vt nunc reparcis ſuauiis. PH. ſi quid tibi
Compendij facere poſſim,factum ædepol velim.
DI. Iam lauiſti? PH. iam pol mihi quidem atque oculis meis.
B Num tibi ſordere videor? DI. non pol mihi quidem.
Verùm tempeſtas memini cum quondam fuit,
Cum inter nos ſorderemus vnus alteri.
Sed quod ego facinus audiui adueniens tuum,
Quod tu hîc me abſente noui negotij geſſeris?
Cúmque bene proueniſti ſalua, gaudeo.
PH. Tibi mea conſilia ſumma ſemper credidi.
Equidem nec peperi puerum,nec prægnas fui.
Verùm aſſimulaui me eſſe prægnatem.
DI. Quapropter ô mea vita? PH. propter militem
Babylonienſem,qui quaſi vxorem ſibi
C Me habebat annum dum hîc fuit. DI. ego ſenſeram.
Sed quid iſtuc? cui rei te aſſimulare retulit?
PH. Vt eſſet aliquis laqueus & redimiculum,
Reuerſionem vt ad me faceret denuò.
Nunc huc remiſit nuper ad me epiſtolam,
Seſe experturum quanti ſeſe penderem.
Si,quod peperiſſem,id educarem & tollerem,
Bona ſua me habiturum omnia. DI. auſculto lubens.
Quid denique agitis? PH. mater ancillas iubet,
Quoniam iam decimus menſis aduentat propè,
D Aliam aliorſum ire,præmandare,& quærere
Puerum,aut puellam,qui ſupponantur mihi.
Quid multa verba facimus? tonſtricem Suram
Nouiſti noſtram,quæ modò erga ædem hance habet.
DI. Noui PH. hæc vna opera circumit per familias,
Puerum veſtigat clanculum,ad me detulit.
Datum ſibi eſſe dixit. DI. ô merces malæ.
PH. Eum nunc non illa peperit, quæ peperit prior.
DI. Sed tu poſterior. PH. omnem rem tenes.
Nunc,vt præmiſit nuntium miles mihi,
Non multo pòſt hic aderit. DI. nunc tu te interim
Quaſi pro puerpera hic procuras. PH. quippini?

Vbi ſine labore res geri pulcrè poteſt, A
Ad ſuum quemque æquum eſt quæſtum eſſe callidum.
DI. Quid me futurum eſt,quando miles venerit?
Relictúſne abs te viuam? PH. vbi illud,quod volo
Habebo ab illo,facilè inuenero,quomodo
Diuortium & diſcordiam inter nos parem.
Poſtidea ego tota tecum,mea voluptas,vſque ero
Aſſiduò. DI. immò hercle verò accubuo mauelim.
PH. Quin dis ſacruficare hodie pro puero volo
Quinto die,quod fieri oportet. DI. cenſeo.
PH. Non audes aliquod dare mihi munuſculum?
DI. Lucrum hercle videor facere mihi,voluptas mea, B
Vbi quippiam me poſcis. PH. at ego vbi abſtuli.
DI. Iam faxo hîc aderit.ſeruolum huc mittam meum.
PH. Sic facito. DI. quicquid autem erit,boni conſulas.
PH. Æcaſtor munus te curaturum ſcio,
Vt,cuius me non pœniteat,mittas mihi.
DI. Num quippiam me vis aliud? PH. vt quando otium
Tibi ſit, ad me reuiſas tu. DI. valeas. PH. vale.
DI. Prò di immortales,non amantis mulieris,
Sed ſociæ,vnanimantis,fidentis fuit
Officium,facere quod modò hæc fecit mihi:
Suppoſitionem pueri quæ mihi credidit, C
Germanæ quod ſorori non credit ſoror.
Oſtendit ſeſe iam mihi medullitus,
Se mihi infidelem numquam,ſe viua,fore.
Egóne illam vt non amem? egóne illi vt non bene velim?
Me potius non amabo,quàm deſit huic amo.
Ego iſti non munus mittam? modò hoc ex loco
Iubebo ad iſtam quinque perferri minas.
Præterea obſonari duntaxat ad minam.
Multo illi potius bene erit,bene quæ vult mihi,
Quàm mihimet,omnia qui mihi facio mala, D

NVM TIBÍNAM AMABO] numquídnam tibi. VER VIDE] alloquitur ſe ipſe,vel aliquem è ſpectatoribus,auerſus à Phroneſio.vide,inquit Phroneſium,inſtar veris mulierem,quæ tota vernat,& floret.Horat.oda. lib. *Inſtar veris enim vultus vbi tuus Affulſit populo*, &c. VT NITIDÈ NITET] ſuprà. QVI TAM INFACETVS,&c.] quamobrem tam infacetus,id eſt,inuenuſtus,illepidus,& inurbanus es,vt Lemno adueniens, amicam tuam non oſculeris? quidam legi volunt *inficetus*,& hîc & in omnibus locis,vt apud Catullum,*O ſæclum inſipiens,& inficetum*. SALVVS CVM ADVENIS] admonuimus ſuprà morem fuiſſe veterum,vt qui peregrè adueniebant,cenam darent. CEDÒ SOLEAS MIHI] notauimus in comment.Horat.ad illum locum, *Et ſoleas poſcit*,&c. Sat.8.lib.2. veteres non conſueuiſſe vti calceis in triclinio,ſed ſoleis, & præterea ſoleas ponere ſolitos, antequam accumberent, ſic infrà. AVFERTE MENSAM] etiam hoc ex hoc intelligimus apud veteres, vbi è lectis ſurrexerāt, in quibus accubuerant,menſas remouere ſolitos. Virg. *Poſtquam exemta fames epulis, menſæq́ remotæ*. ANIMO MALÈ EST, A. F.] vnde tibi animus redeat. *Aſperſiſti aquam,reddidiſti animū* ſuprà. DEME SOLEAS] detrahe ſoleas, vt rurſus accumbam. Terentius Heaut. *& ſoccos detrahunt*. CEDÒ VINVM] da vinum,vt bibam. HOC EST MEL.] hic complexus dulci melle



A melle dulcior eſt. HOC] quod ego Phroneſium complexus teneo. DANE SVAVIVM] da ſuauium. *dane* imperatiui modi, à præſenti indicatiuo,dano, is, ex quo danunt,id eſt, dant. VT NVNC REPARCIS] id eſt, non parcis. Lucret. libro 1. *Scilicet ex vlla facere id ſi parte reparcent, Occidet ad nihilum,nimium funditus ardor. Omnia reparcunt facere*,id eſt,facerent. SI QVID TIBI COMPENDII FACERE] ſi quid tibi prodeſſe poſſum. VERÙM TEMPESTAS MEMINI,&c.] verùm memini,cùm tempus aliquando fuit,quo tempore inter nos alter alteri contemti eſſemus. CÚMQVE BENE PROV. S. G.] & verò quod ex iſto negotio ſalua diſceſſiſti,id eſt,quòd ſalua peperiſti,gaudeo. PRÆGNAS] Feſtus,grauida eſt, quæ iam grauatur cōceptu: prægnas veluti occupata in generādo: iuuenis propinqua partui, quòd eius partus ſit incitatus. CVI REI TE ASSIMIL. RETVLIT] ad quam rem attinuit te iſtud aſſimulare? quò pertinet? ET REDIMICVLVM] malim legi, *& reticulum*,id eſt,paruum rete, niſi redimiculum hîc idem ſignificet, quod reticulum, quod non eſt abſurdū. nam etiam reticulum ſignificat & paruum rete,& ex ſimilitudine retis, ornamentū muliebre. PRÆTEREA ET TOLLEREM] alendum curarem. Terent. Andr. *Quicquid peperiſſet,decreuerunt tollere*. SVPPONANTVR] ſubdantur, vnde ſuppoſiti, & ſubditi pueri. QVID MVLTA VERB BA FACIMVS] integra locutio, & conciſa, quid multa? TONSTRICEM] à maſculino tonſor, fit tonſtrix,aſſumto t,aliter ab expulſore mutato,ſ, in t. factum eſt expultrix à Cicerone lib.1.Tuſc. *O vitæ Philoſophia dux,ô virtutis indagatrix, expultríſque vitiorum*. Ibidem *Regiæ virgines,vt tonſtriculæ tondebant barbam & capillos patris*. profert Priſcian. lib.8. ſed Cariſius lib.1. aliter ſentiens,docet à tonſor,fieri tonſrix,non tonſtrix, à foſſor, foſſrix,à curſor, curſrix. quem refellit vſus probatorum ſcriptorum. ERGA ÆDEM HANCE HABET] aduorſum hanc ædem habitat. indicat ædem ſacram propinquam. O MERCES MALÆ] fœminas eſſe malas ſignificat,ſic ſuprà. CALLIDVM] ſollertem, aſtutum, catum. PAREM] gignam. POSTIDEA] poſtea. IMMO HERCLE VERÒ ACC. M.] iocus tractus ex verbis aſſideo, & accubo: quo ſignificat ſe Phroneſio accubare, quàm aſſidere malle. hinc argumentum ſumi poteſt,aſſiduum dictum eſſe ab aſſidendo,non ab aſſe dando. QVIN DIIS SACRIF.] ἀμφιδρομία dicebantur hæc ſacra, quæ fiebant die quinto à puero nato, ſic dicti, quod curſum circum focum geſtabatur puer. NON AVDES] id eſt,non potes, & vt vulgò loquitur,non ſuſtines. AT EGO ABSTVLI] at ego lucrum facere mihi videor,cùm accepi. IAM FAXO HÎC ADERIT] iam hîc aderit munus. ÆCASTOR M. TE CVRATVRVM SCIO] Æcaſtor ſcio te curaturum,vt munus ad me mittas. non pœnitendum, id eſt, non contemnen-
C dum. AD ME R.] ſuprà. VNANIMANTIS] vnanimæ. FIDENTIS] mihi fidem habentis. FACERE, QVOD MODÒ H. F.] ordo eſt,facere,quod hæc fecit modò,non amantis mulieris,ſed ſociæ,&c. officium fuit. OSTENDIT SESE IAM M. M.] ſic legendum,quod ex Nonio conieci,apud quē ſic legitur hic locus in voce *medullitus*,oſtendiſſe ſciam,&c. Nam vt vulgò legitur,verſus claudicat, *medullitus* autem,id eſt,à medullis penitus. SE VIVA] notandus locus. OBSONARI] obſonium parari.

## PHRONESIVM meretrix.

PVero iſti date mammam. vt miſeræ matres, ſollicitæque
Ex animo ſunt,cruciantúrque! ædepol commentum malè.
Cúmque eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
D Malæ,quàm ſumus ingenio. ego prima de me modò iſta dictito.
Quanta eſt cura in animo! quantum corde capio dolorem,
Dolúſne óccidat morte pueri! mater dicta,quod ſum,eo magis
Studeo vitæ,quæ auſa ſum tantum clam dolum aggrediri.
Lucri cauſſa auara probrum ſum exſecuta: alienos dolores
Mihi ſuppoſiui,nullam rem oportet doloſè aggrediri,niſi
Aſtutè accuratéque exſequare! voſmet iam videtis,
Vt ornata incedo puerperio. ego nunc me eſſe ægram aſſimulo.
Malè quod mulier facere incepit,niſi id efficere perpetrat,
Id illi morbo,id illi ſenio eſt,ea illi miſeræ miſeria eſt.
Si bene facere incepit,eius eam citò odium percipit.
Nimiſquàm paucæ ſunt defeſſæ,malè quæ facere occeperunt:

Nimiſquàm paucæ efficiunt,ſi quid occeperint benefacere. A
Mulieri nimio malefacere leuius eſt. onus,quàm bene.
Ego,quòd mala ſum,matris opera mala ſum,& meapte malitia,
Quæ me grauidam eſſe aſſimulaui militi Babylonio.
Eam nunc malitiam accuratam miles inueniat volo.
Iſte hic haud multo pòſt credo aderit. nunc prius præcaueo ſciẽs:
Eúmque gero ornatum,vt ægra quaſi puerperio cubem.
Date mihi huc ſtactam, atque ignem in aram, vt venerem Lucinam meam.
Hîc apponite,atque abite ab oculis. ô Pithecium,
Face vt accumbam. adiutare ſic decet puerperam.
Soleas mihi date,pallium iniice in me huc Archilis, B
Vbi eſt Aſtaphium? fer huc verbenam mihi,tus,& bellaria.
Date aquam manibus. Nunc æcaſtor venerit miles velim.

PVERO ISTI DATE M.] vel hæc loquitur Phroneſium,ſimulás ſe eſſe pueri matrem, vel ſine ſimulatione puerum ſuppoſitum commendat ancillis, & iubet ei dari mammam. EX ANIMO] verè,& ſeriò. COMMENTVM] paſſiuè accipiendum, id eſt, confictum, excogitatum. IN CORDE AGITO.] cogito,ſuprà. NIMIÒ MIN.] multò minus. ſuprà. DICTITO] iterum atque iterum dico, itero. DOLÚSNE OCC.] ne meus dolus mortuo fortè puero euaneſcat,atque ad nihilum recidat. AGGREDIRI] aggredi. ALIENOS D.] alienos partus ἀλλοτρίας ὠδῖνας. VOSMET IAM VIDET.] alloquitur ſpectatores. NISI ID EFFICERE P.] niſi id efficere pergit. ID ILLI M. &c.] id illi morbi inſtar, & ſenij eſt: id illi morbum,& ſenium importat,id eſt,tædio eſt,ſuprà. EIVS EAM CITÒ ODIVM PERC.] eius ea citò odio afficitur. PERCIPIT] occupat,corripit. NIMIS QVÀM P.] valde paucæ. MVLIERI NIMIÒ M. &c.] mulieri multò faciliùs eſt malefacere, quàm C bene. VT VENEREM] vt orem, vt venerer. LVCINAM MEAM] Iunonem Lucinam, ſuprà. HÎC APPONITE] ſtactam & ignem. O PITHECIVM] nomen eſt ancillæ, ſic infrà. *Archilis, & Aſtaphium.*

## STRATOPHANES miles PHRONESIVM meretrix. ASTAPHIVM ancilla.

NE exſpectetis ſpectatores,meas pugnas dum prædicem,
Manibus,duellis,prædicare ſoleo,haud in ſermonibus.
Scio ego multos memorauiſſe milites mendacium.
Et Homeronidam & poſt illa mille memorari poteſt, D
Qui & conuicti & condemnati falſis de pugnis ſient.
Non laudandus cui plus credit qui audit,quàm qui videt.
Non placet cùm illi plus laudant,qui audiunt,quàm qui vident.
Pluris eſt oculatus teſtis vnus,quàm auriti decem.
Qui audiunt,audita dicunt:qui vident,planè ſciunt.
Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant.
Neque illi,quorum lingua gladiorum aciem præſtinguit domi.
Strenui nimiò plus proſunt populo,quàm arguti & cati.
Facile ſibi facunditatem virtus arguta inuenit.
Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica,
Quæ alios collaudare abſenteis,ſeſe verò non poteſt.

Nunc



A Nunc ad amicam decimo menſe pòſt Athenas Atticas
Viſo,quam grauidam reliqui meo compreſſu,quid ea agat.
PH. Vide quis loquitur? AS. iam propinquè miles, mea Phroneſium,
Tibi ades Stratophanes.Nunc tibi opus'ſt, ægram vt te aſſimules. PH. tace.
ST. Peperit mulier, vt ego opinor. AS. vin' adeam hominem? PH. volo.
ST. Euge Aſtaphium eccam, it mihi aduorſum. ſalue æcaſtor Stratophanes,
Venire ſaluum. ST. ſcio. ſed peperítne obſecro Phroneſium?
B AS. Peperit puerum nimium lepidum. ST. ecquid mihi ſimili'ſt? AS. rogas?
Quin vbi natu'ſt. iam machæram & clypeum poſcebat ſibi.
ST. Meus eſt. ſcio iam de argumentis. nimiùm quidem ſimili'ſt.papæ
Iam magnu'ſt? iámne electat legiones,quas ſpoliare velit?
AS. Here nudiuſquintus natus quidem ille eſt. ST. quid tum poſtea?
Inter tot dies quidem hercle iam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex vtero exitio eſt,priuſquàm poterat ire in prœlium?
AS. Conſequere, atque illam ſaluta,& gratulare illi. ST. ſequor.
PH. Vbi illa obſecro eſt, quæ me hîc reliquit atque abſtitit?
C AS. Aſſum, adduco tibi exoptatum Stratophanem. PH. vbi is eſt obſecro?
ST. Mars peregrè adueniens ſalutat Nerienen vxorem ſuam.
Cùm tu rectè prouenisti,cúmque es aucta liberis,
Gratulor,cùm mihi,tibíque magnum dediſti decus.
PH. Salue,qui me interfeciſti penè vita & lumine,
Quíque vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidiſti in corpus,quo nunc etiam morbo miſera ſum.
ST. Eia:haud ab re, mea voluptas,tibi obuênit iſtic labos:
Filium peperiſti,qui ædeis ſpoliis opplebit tuas.
D PH. Multo æcaſtor magis oppletis opu'ſt tritici granariis,
Ne, ille priuſquam ſpolia capiat,hîc nos extinxit fames.
ST. Habe bonum animum. PH. ſauium ſis pete hinc à me,nequeo caput
Tollere,ita dolui,itáque ego nunc doleo. neque etiam queo
Pedibus mea ſponte ambulare. ST. ſi planè ex medio mari
Sauium petere tuum iubeas,petere haud pigeat me,mel meum,
Id ita eſſe experta es,núncque experiere,mea Phroneſium,
Me te amare. adduxi ancillas tibi eccas,ex Suria duas.
Iis te dono. adduce huc tu iſtas. Sed iſtæ reginæ domi
Suæ fuere ambæ. verùm patriam ego exſcidi manu.
Iis te dono. pœnitétne te quod ancillas iam?

Yyyy

PH. Quin etiámne inſuper adducas,quæ mihi comedint cibum? A
ST. Hoc quidem hercle ſi ingratum eſt donum, cedò tu mihi iſtam puere,
Hem mea voluptas,attuli eccam pallam exoticam tibi
Tene tibi. PH. hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?
ST. Perij hercle, iam mihi auro contrà conſtat filius,
* Etiámnum me vilipendit? ad id purpuram ex Sara tibi
Attuli * Ponto amœnas, tene tibi voluptas mea.
Accipe. huc adduce haſce inconſpectum veſtitas Suras,
Ecquid amas me? PH. nihil æcaſtor,neque meres. ST. nihílne huic ſat eſt?
Næ mihi vnum verbum quidem dixit. viginti minis B
Venire illæc poſſe credo dona, quæ ei dedi.
Vehementer nunc mihi eſt irata,ſentio atque intelligo.
Verùm adibo. quid ais nunc tu? númne vis me,voluptas mea,
Quò vocatus ſum,ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum iuero.
Quid taces? planiſſumè ædepol perij. Ecquid illuc boni eſt?
Quis homo eſt,qui inducit pompam tantam? certu'ſt quò ferant,
Obſeruare,huic credo fertur. Verùm iam ſcibo magis.

NE EXSPECTETIS] ne fortè exſpectetis. MANIBVS] factis fortibus, & virtute, ſeu lacertis. DVELLIS] in bellis. NON LAVDANDVS] vt hiſtorici & poëtæ, quibus plus credimus nos,qui audiuimus,quàm qui viderunt. NON PLACET CÙM ILLI PL.] non placet hoc mihi, cùm qui audiunt,aut legunt res ab hiſtoricis aut poëtis ſcriptas, plus laudant,quàm qui rebus gerendis interfuerunt. C PLVRIS EST OCVL. T.] pluris faciendus eſt teſtis vnus,qui rem geſtam vidit,quàm decem,qui audierunt. Feſtus *oculàtum* poſuit Plautus pro, *præſenti oculata die*. Idem ipſe pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem, id eſt, qui ſe vidiſſe dicunt. ſenſus audiendi, omnium reliquorum ſenſuum eſt acerrimus. NON PLACET QVEM SCVRRÆ LAVDANT M. M.] non placet is, qui ab vrbanis quidem tacetur,à militibus autem tacetur. MVSSITANT] tacent, non laudant. NEQVE ILLI QVORVM L. GL. AC.] neque illi mihi placent,quorum plus poteſt lingua domi,quàm gladij fortium virorum belli,& in caſtris. Rhetores,& demagogos, id eſt, blandos populi ductores,ac rectores,ſeu concionatores ſignificat. STRENVI] fortes,gnaui,vt milites, & imperatores. ARGVTI, ET C.] vt rhetores,& concionatores. cati autem,id eſt,acuti,& ſollertes, *δεινοί*. FACILÈ SIBI FACVND. V. ARG.] facilè qui virtute præſtat res à ſe fortiter, & præclarè geſtas diſertè eloqui, & prædicare poteſt. Turnebo autem aſſenſus ſum, qui *argutam* legendum cenſet,non vt vulgò, *arguta*: ſignificat enim quod à Platone ſcriptum, & à M. Tull. relatum eſt,vnumquemque in eo ſatis eſſe diſertum,quod ſciret, & quod rectè facere poſſet. D ARGVTVM] diſertum. PRÆFICA] Varro lib. 6. Plautus in Trucul. *ſine virtute argutum ciuem*, &c. *Præfica*, vt Aurelius ſcribit, mulier ob lucrum huc conducta, quæ ante domum mortui laudes eius caneret,&c. Nonius. Nænia, inceptum,& inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis,quibus propinqui non eſſent, mortuis exhiberet. Feſtus, præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi,quaſi in hoc ipſum præfectæ. Næuius, *Hæc quidem me hercle mulier, opinor, præfica eſt,quæ ſic mortuum collaudat*. NVNC AD AMICAM DECIMO MENSE PÒST ATHENAS ATTICAS VISO,] ad amicam viſo, ſic ſuprà. COMPRESSV MEO,] Nonius,compreſſus, &c. MIHI ADVORSVM] venit mihi obuiam. ECQVID MIHI S.] numquid mihi ſimilis eſt? QVID ILLI EX VTERO EXITIO EST?] quamobrem ille prius exit ex vtero,quàm in prœlium ire poterat? MARS PEREGRÈ ADVENIENS] Gellius lib. 13.21. Plautus in Trucul. coniungem eſſe Nerienem Martis dicit, atque id ſub perſona militis in hoc verſu. *Mars peregrè aduenìens ſalutat Nerienem vxorem ſuam*. CÙM TV RECTÈ PROVENISTI] cùm tu rectè proceſſiſti, ſuprà. CONDIDISTI] conieciſti. LABOS.] labor. ſuprà. MVLTO ÆCASTOR M. OPPL.] multo magis opus eſt,vt tritico oppleantur,ſeu oppleta ſint granaria mea. EXSTINXIT] exſtinxerit,ſuffocarit. MEA SP.] meis viribus,per me. SED ISTÆ] quod nunc eas ancillas eſſe dico,reginæ olim domi fuerunt. EXSCIDI M.] exſcidi



A exſcidi ab exſcindo,non excidi ab excido: vnde exſcidium. POENITET, NE TE QVOD AN.] Donatus ad illum locum Terentij in Eunuch. *An pœnitebat flagitij*? INGRATVM EST] non placet. PVERE] puer. PALLAM EXOTICAM] pallam externam,ex longinquis terris aduectam,ſuprà. ſic autē reſtituit Scaliger,cùm hîc eſſet lacuna. AD ID PVRPVRAM EX SARA TIBI ATTVLI,&c.] ſic quoque hunc locum Scaliger reſtituit. ex Sara autem id eſt,ex Tyro. Tyrus enim Sarra dicta eſt à piſce Sar. Itaque Seruius ad illum Virg. lib. 2. Georg. *Vt gemma bibat, & ſarrano dormiat oſtro*. notat per oſtrum Tyrum ſignificari à Virgilio purpuram Tyriam: & Sarranæ tibiæ dictæ ſunt,vel Tyriæ,vel Africanæ: denique Probus ait Enniū dixiſſe Pœnos Sarra oriundos,id eſt,Tyro. HVC ADDVCE H. IN C. VEST. SVRAS] ſic & hunc locum reſtituit Scaliger. Suras autem,id eſt,Syras. ECQVID AMAS ME?] numquid amas me? NEQVE MERES] neque mereris. NIHÍLNE HVIC SAT. EST?] itáne eſt,vt nihil huic ſatis ſit? nihílne huic mulieri ſatis eſſe poteſt? hæc loquitur miles ad ſpectatores conuerſus. IVERO] venero. QVIS HOMO EST, QVI INDVCIT P. T.] vidit hîc miles Getam Dinarchi ſeruum ducentem ad Phroneſium. SCIBO] ſciam.

B

GETA ſeruus. PHRONESIVM meretrix.
STRATOPHANES miles.

ITE, ite hac ſimul mulieri,damnigeruli foras gerones,
Bonorum hamaxagogæ. Satínne qui amat,nequit quin nihili
Sit, neque improbis ſeſe artibus exſpoliet! Nam hoc quî ſciam ne quis
Id quærat ex me,domi eſt qui facit improba facta amator,
Qui bona ſua pro ſtercore habet. foras iubet ferri. metuit
Publicios mundiſſimum ſit. Puras ſibi eſſe vult ædeis.
Domi quicquid habet verritur ἔξω. quandoquidem ipſus perditum ſe it,
C
Secretò hercle equidem illum adiutabo,neque mea ille quidem
Opera vmquam hilo minus properè quàm poteſt,peribit.
Nam iam de hoc obſonio,de mina vna deminui
Modò quinque nummos,mihi detraxi partem Herculanam.
Nam hoc aſſimile eſt quaſi de fluuio qui aquam deriuat ſibi,
Niſi deriuetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit,miſeréque perit ſine omni bona gratia. hęc
Cùm video fieri, ſuffuror,ſuppilo,de præda prædam
Capio. Meretricem ego item eſſe reor,mare vt es. quod des,deuorat,nec vmquam
D
Abundat. at hoc ſaltem ſeruatū tibi æſtuat: eccū apparet. huic des
Quantumuis,nuſquam apparet neque datori,neque acceptrici.
Velut meretrix meum herum miſerum ſua blanditia intulit in
Pauperiem,priuauit bonis,luce,honore atque amicis.
Attat eccam adeſt propinquè,credo audiiſſe hæc me loqui.
Pallida eſt,vt peperit puerum. alloquar quaſi neſciam.
Iubeo vos valere. PH. noſter Geta,quid agis,vt vales?
GE. Valeo,& venio ad minus valentem,& melius qui valeat fero.
Herus meus,ocellus tuus,ad te ferre me hæc iuſſit tibi
Dona,quæ illos ferre vides,& has quinque argenti minas.
PH. Pol haud perit,quod illum tantum amo. GE. iuſſit orare vt hæc grata haberes tibi.

PH. Grata acceptáque æcaſtor habeo,iube auferri intrò. i Cyame. A
Ecquid auditis hæc,quæ imperata ſunt? GE. ah. nolo,auferant:
Deſiccari lubet. PH. impudens es mecaſtor. GE. tun' bona fide,
Túne ais impudentem me eſſe,quæ ſis ſtabulum flagitij?
PH. Dic amabo te,vbi eſt Dinarchus? GE. domi. PH. dic ob hæc dona quæ
Ad me miſerit,me illum amare plurimùm omnium hominum
* Vníque honorem illi me habere omnium maximum:
Atq; vt huc veniat,obſecra. GE. i licet.Sed quíſnã illic homo eſt,
Qui ipſus ſe comeſt, oculis malis, triſtis? animo hercle homo ſuo eſt miſer, B
Quiſquis eſt. PH. dignus eſt mecaſtor ille. GE. quid eſt.
PH. non nouiſti,obſecro?
Qui illic apud me erat? huius pater pueri illic eſt, vſque ad ientaculum
Iuſſit ali. manſi,auſcultaui,obſeruaui. GE. quem pernimis
Noui? hominem nihili? illic quæſo eſt? PH. illic eſt. GE. me intuetur gemens.
Traxit ex intimo ventre ſuſpirium.hoc vide. dentibus
Frendit. icit femur. num nam, obſecro,hariolus eſt? qui ipſus ſe verberat.
ST. Nunc ego meos animos violentos,meámque iram ex pectore C
Iam promam. loquere,vnde es? cuius es? cur auſus inclementer
Mihi dicere? GE. lubido eſt. ST. iſtuccine mihi reſpondes?
GE. Hoc. non ego te floccifacio. ST. quid tu? cur auſa es alium te
Dicere amare hominem? PH. lubitum eſt. ST. ain' tandem? iſtuc primum experiar.
Tun' tantilli doni cauſſa,olerum atque eſcarum,& poſcarum,
Mœchum malacum,cincinnatum,vmbraticolam tympanotribã
Amas? hominem non nauci? GE. quæſo hercle, meo ne hero tu improbe
Male dicere audes, fons vitij & periurij? ST. verbum vnum * D
Adde iſtoc, iam hercle ego te hîc hac offatim offutiam. GE. tãge
Modò. iam ego te hîc agnum faciam, & medium diſtruncabo, ſi tu
Ad legionem bellator clues,at ego in culina clueo.
PH. Si æquum facias, aduentores meos non incuſes,quorum mihi
Dona accepta,gratáque habeo,tuáque ingrata, quæ abs te accepi.
ST. Tum pol ego & donis priuatus ſum,& perij. GE. plane iſtuc eſt.
Quid nunc ergo huic odio es? confeſſus buſteus
ST. Perij hercle hodie,niſi hunc à te abigo. GE. accede huc modò,
Adi huc modò. ST. etiam ſcelus viri minitare? quem ego
Offatim iamiam concipilabo.Quid tibi huc ventio eſt?

Quid tibi



A Quid tibi hanc aditio eſt? quid tibi hanc notio eſt? inquam.
Amicam meam? moriere ocyus, ſi viam imbiteris.
GE. Quid? nam imbiterim? STR. fac quod iuſſi: mane, iam ego te hic
Offatim offutiam. GE. occidi. optimum eſt,captio eſt. iſtam
Machæram longiorem habes, quàm hæc eſt. ſed verutum
Sine dum petere. ſiquidem belligerandum eſt tecum.
Ibo domum.Ego tecum bellator arbitrum æquum cœperim.
Sed ego ceſſo me hinc amoliri,ventre dum ſaluo licet?

GERONES] gerones à gerendo dicti. HAMAXAGOGÆ] qui vehiculis bona amantium, B ſeu amatorum exportatis. SATÍNNE QVI AMAT, &c.] nónne perſpicuè is, qui amat,nihili eſt,& malis artibus bona ſua profundit,& perdit? NAM HOC QVÎ SCIAM. &c.] ordo eſt. nam ne quis fortè id ex me quærat, quî hoc ſciam,domi noſtræ eſt amator, Dinarchus,qui facit res improbas. QVI BONA SVA PRO STERCORE HABET] qui bona ſua nihil facit,& domi eiicit,vt ſtercus.alludit ad illud ἐκβλητότερος τοῦ κόπρου,id eſt, magis eiiciendus, quàm ſtercus. METVIT PVBL.] metuit ædileis. Feſtus, in voce *publicius* docet publicium olim à duobus publicis Malleolis L.& M.qui fuerunt ædiles curules,eſſe appellatum: quod enim ex pecunia,quam redegerant,pecuniis condemnatis,munierint. MVNDISSIMVM FIT] maxima domi fit mundities. VERRITVR ἔξω] extra verritur, euerritur,tralatio eſt. PERDITVM SE IT] it ſe perditum. Terent.in Andr. ADIVTABO] adiutabo,vt pereat. HILOMINVS] vel minima re minus. *hilum*, inquit Feſtus, putauit eſſe, quod grano fabæ adhæret,ex quo *nihil*, *&* *nihilum* apud Ciceronem lib. 1. Tuſcul. *neque proficit hilum*. MIHI DETRAXI PARTEM HERCVL.] mihi demſi decimam. ſed quomodo potuit decimam ſibi demere, ſi ex mina quinque nummos duntaxat detraxit? mina enim centum drachmas continet. drachma, & denarius Romanus idem ferè valent: at denarius quattuor nummos ſeſtertios dignitate,& pretio exæquat. Reſpondeo hîc nummum ſeſtertiũ nõ eſſe ac- C cipiendũ more Romano,ſed nummũ Græcorũ cõſuetudine,qui duas drachmas valet.Ita nummus,quinquageſima pars eſt minæ: ſiquidem mina quinquaginta nummos cõtinet,& quinque nummi,decima. NAM HOC ASSIMILE EST,&c.] quemadmodum, inquit, de fluuio deriuant homines aquam in agros ſuos: niſi id faciant, nihilominus tota fluuij aqua in mare defluat: ita niſi ex iis muneribus,quæ mittit Dinarchus ad Phroneſium,partem aliquam decerpam,ac deducam, tota ad eam peruenient. ordo autem,& ſententia eſt,hoc aſſimile eſt, vt qui aquam de fluuio deriuat ſibi. IN MARE ABIT] ad meretricem Phroneſium, quæ eſt rapax, & auara,maris inſtar. vt mox dicet. SVPPILO] Nonius, ſuppilare eſt inuolare, vel rapere,à pilorum raptu. vnde & compilare. Plautus. *Hæc cum video fieri,ſuffuror,ſuppilo*,&c. Ego ſuppilare puto eſſe furtim capere,aut rapere. AT HOC SALTEM SERVATVM TIBI ÆSTVAT ECCVM APP.] ſic à Scaligero reſtitutus eſt & hic locus ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ,quæ talis eſt. *at hoc ſaltem ſeruatu bi eſt va mecum appâret*. LVCE] id eſt vita. nam qui rem ſuam perdidit,ſe quoque ipſe perdidiſſe videtur. VT PEPERIT] poſtquam peperit. AD MINVS VAL.] ad te, quæ minus vales. ET MELIVS, QVI VAL. F.] & me D fero,qui melius valeo, quàm tu. OCELLVS TVVS] tibi cariſſimus. ILLOS] conſeruos meos. GRATA] accepta. CYAME] nomen ſerui à voce Græca κύαμος, id eſt, faba dicti. ECQVID AVDITIS HÆC Q.] numquid auditis, quæ vobis imperant? AH! NOLO, AVFERANT: DESICCARI LVBET] facetè ſeruus munera, quæ ad Phroneſium attulit, non vult tam citò domum intrò ferri, ſed quaſi madida ſint, ſoli expoſita ante fores aliquantiſper manere,vt deſiccentur. Nonnulli tamen legunt hîc, *deficari lubet*. IMPVDENS ES MECASTOR] ſecutus ſum hîc libros vulgatos. nam & noſtri libri veteres, & æditio Camerariana habent, *immò pudet me æcaſtor*. ILICET] ſine dubio,faciendum eſt,ſeu faciam ſubint. ſuprà. ILLIC HOMO] ille homo. IPSVS SE COMEST.] id eſt, ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans. OCVLIS MALIS] oculis peruerſis, & malignis. DIGNVS EST] qui miſer ſit. APVD ME] domi meæ. VSQVE AD IENTACVLVM] ientaculum,primus erat cibus apud Romanos,vt apud Græcos ἀκράτισμα,quem ſequebatur apud illos prandium, deinde veſperna, poſtremò cena, apud Græcos ἄριστον deinde ἑσπέρισμα, poſtremò δεῖπνον. quæritur igitur hîc Phroneſium militem aluiſſe puerum vſque ad ientaculum duntaxat. QVEM PERNIMIS NOVI? &c.] eúmne dicis, quem valde noui? hominem nequiſſimum? illéne,obſecro,eſt? DENTIBVS FRENDIT] Virgil. Æneid. 3. *dentibus infrendens gemitu*. lege Nonium in verbo *fremo*. ICIT FEMVR] percutit femur.

A proſert Priſcianus in verbo *icit*. geſtus eſt indignantis & ægrè aliquid ferentis. notauimus in commentar. Horat. NVM OBSECRO NAM HARIOL.] num nam obſecro, hariolus eſt? hariolus, hîc pro furioſo accipitur, vt rectè notat Turnebus lib. 24. Aduerſ. cap. 17. ſolent autem furioſi ſe ipſi interdum malè mulcare, & verberare. CVR AVSVS INCLEMENTER MIHI DICERE] cur auſus es mihi maledicere? HOC] hoc ipſum tibi reſpondeo. NON EGO TE FLOCC.] ne flocci quidem te facio ὑπερβολικῶς dictum. POSCARVM] poſca, muſtum aqua dilutum. MALACVM] mollem. CINCINNATVM] ſuprà. VMBRATICOLAM] in vmbra educatũ, ſeu qui locis vmbroſis delectatur, vt mulieres, non ſole, & puluere, vt viri ſtrenui, fortes, & militares. TYMPANOTRIBAM] mollem, & effœminatum, eiuratum, quales erant Galli Cybeles ſacerdotes, qui tympana ferebãt, & pulſabant. Virg. lib. 9. Æneid. *O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta Dindyma: vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum. Tympana vos, buxúſque vocat berecynthia matris Idææ: ſinite arma viris, & cedite ferro.* HOMINEM NON N.] hominẽ qui ne nauci quidẽ faciendus eſt. hyperbole. Moſtel *Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.* Profert vtrumque locum Priſcian. lib. 6. TV IMPROBE MALED. AVDES] vel improbe, accipiendum eſt, vt ſit nomen vocandi caſus, vel addenda copula, vt ſit aduerbium, hoc modo, *improbè ei maledicere*. HAC OFFATIM OFF.] hac (machæra.) ET MEDIVM D.] & te medium diuidam, ita vt ex corpore tuo trunci duo fiant. B CLVES] nominaris, clares. ADVENTORES MEOS NON INC.] eos, qui ad me veniũt, nõ incuſes. CONFOSSVS BVST.] tu tuo ipſius teſtimonio damnatus es. buſteus iamiam buſto conſecratus: pœne mortuus, & iam ad buſtum deportandus. SCELVS VIRI] vir ſceleſte. CONCIPILABO] id eſt, corripiam. Feſtus, concipilauiſti dictum à Næuio, pro corripuiſti, & inuolauiſti. QVID TIBI HVC VENTIO EST?] quamobrem huc venis? QVID TIBI HANC ADITIO EST?] quamobrem ad hanc adis? QVID T. H. NOTIO EST? INQVAM] quamobrẽ, inquam, hanc noſti? MORIERE OCYVS, SI VIAM IMBIT.] moriere quamprimùm, ſi viam inieris. imbito, tis, cõpoſitum, ab *in* & *beto*, quod eſt eo. de quo alibi. ſic autem emendatus eſt hic locus à Ioſepho Scaligero Iulij filio coniect. in Varronem. CAPTIO EST] fallacia eſt. SED VERVTVM SINE DVM PET.] ſic legendum puto, pro eo quod eſt in vulgatis, *verio*: in manuſcriptis, *verum*: quamquam non diſplicet, *veruicinam*: quod mauult Scaliger, qui etiam pro *dum*, *domo* legendum cenſet. ſuprà Bacchid. *Si tibi machæra eſt, & nobis veruina eſt domi.* AMOLIRI] amouere. VENTRE DVM SALVO] quem, niſi aufugio, miles machæra, perfoſſurus videtur.

C

## PHRONESIVM meretrix. STRATOPHANES miles.

Date ſoleas, atque me intro actutum ducite.
Nam mihi de vento miſeræ condoluit caput.
ST. Quid mihi futurum eſt, cui duæ ancillæ dolent,
Quibus te donaui? iámne abiiſti? hem ſic datur,
Quo pacto excludis quæſo? potin' planius
Quàm excluſus nunc ſum? pulcrè ludificor. ſine. D
Quantillo mihi opere nunc perſuaderi poteſt,
Vt ego his ſuffringam talos totis ædibus?
Num quippiam auarum mutat mores mulierum?
Poſtquàm filiolum peperit, animos ſuſtulit:
Nunc, quaſi mihi dicat, nec te iubeo, nec veto
Introire in ædis. At ago nolo, non eo.
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum eſſe. ſequere me hac, verbum ſat eſt.

DATE SOLEAS.] ſoleas poſcit, ſimulans ſe malè habere. vtebãtur enim ſoleis tum ægri, & minus bene valentes, tum cenaturi: vt ſuprà diximus. DOLENT] dolorem inurunt. POTIN' PLANIÙS, QVÀM EXCL. N. S.?] potéſne me planiùs excludere, quàm nunc excluſus.



A excluſus ſum? SINE] ſine, minãtis eſt. Terẽt. Eun. *ſine modò. Mori me malim.* QVANTILLO MIHI OPERE, &c.] quàm facilè, ſeu quàm paruo negotio mihi perſuaderi poteſt vt, &c. NVM QVIPPIAM AVARVM MVTAT.] locus non ſincerus. Quid ſi ſic legamus, *num quippiam auaros mutat mulierum?* Quid ſi ſic, Num quoppiam aurum mutat mores mulierum? quid ſi ſic, Num quippiam amarum æquè eſt, vt mores mulierum? QVASI MIHI DICAT, NEC TE IVB.] quaſi mihi ita dicat Phroneſium, nec te iubeo introire in ædeis meas, nec veto. CRVDVM VIRVM ESSE.] virum acrem, iracundum, aſperum, ſæuum, ὠμόν.

## STRABAX ruſticus adoleſcens, ASTAPHIVM ancilla.

Rvs mane dudum hinc ire me iuſſit pater,
Vt bubus glandem prandio depromerem.
B Pòſt illuc veni, quàm aduenit, ſi dis placet,
Ad villam argentum meo qui debebat patri,
Qui oueis Tarentinas erat mercatus de patre.
Quærit patrem, dico eſſe in vrbe. interrogo
Quid eum velit. homo crumenam ſibi de collo detrahit.
Minas viginti mihi dat, accipio libens,
Condo in crumenam. ille abiit, ego perperas minas
Oueis in crumena hac propere in vrbem detuli.
Fuit ædepol Mars meo periratus patri.
Nam oues illius haud longè abſunt à lupis.
Nunc ego iſtos mundulos vrbanos amaſios
C Hoc ictu exponam, atque omneis eiiciam foras.
Eradicare eſt certum cumprimis patrem:
Pòſt id locorum matrem. nunc hodie efferam
Ad hanc argentum, quam mage amo, quàm matrem meam.
Tat, ecquis eſt? nulla eſt? ecquis aperit hoc hoſtium?
AS. Quid iſtuc? alienus es, amabo, mi Strabax,
Qui non extemplò intres? ánne oportuit
Ita, te quidem, qui es familiaris? ST. ibitur,
Ne me morari cenſeas. AS. lepidè facis.

D VT BVBVS GLANDEM PRANDIO DEPROMEREM.] vt glandem prandio boum depromerem. PÒST ILLVC VENI, &c.] rus veni, ſi diis placet, poſtquàm aduenit ad villam, ille, qui argentum patri meo debebat. id eſt, ille, qui pecuniam meo patri debebat, priùs ad villam aduenerat, quàm ego illuc veniſſem. TARENTINAS] oueis, & lanas Tarentinas laudauit antiquitas. Columel. lib. 7. cap. 2. & Plinius lib. 8. cap. 48. & Horat. libr. 2. oda 8. *Dulce pellitis ouibus Galeſi flumen.* Galeſus enim Tarenti, & Calabriæ fluuius. EGO PERPERAS MINAS OVEIS] perperas, id eſt, ſtolidas, ſtultas: minas, id eſt, lacte minutas, vel vt Varro interpretatur libr. 2 cap. 2. ventre glabro. MARS.] cui lupi ſacri ſunt: ex quo Martiales dicti ſunt ab Horat. oda. libr. 2. & à Virg. Martius lupus. lib. 9. Æneid. *Quæſitum aut matri multis balatibus agnum, Martius à ſtabulis rapuit lupus.* MVNDVLOS.] deminutiuum eſt à nomine mundus, a, um. HOC ICTV EXPONAM.] hac pecunia ex ædibus Phroneſij exigam, vel proſternam. nullo enim grauiore ictu poteſt quiſquam riualem ſuum extrudere, vel percellere, & peruertere, quàm muneribus, & pecunia. ERADICARE] perdere. Terentius Heautont. *Dij te eradicent Syre.* TAT.] lege Chariſium libr. 2. de interiectione. ECQVIS EST?] nemóne eſt? ECQVIS APERIT HOC HOST.] nemóne hoc hoſtium aperit? ANNE OPORTVIT] ánnon oportuit te extemplò intrare, qui ſis familiaris? CENSEAS.] putes.

## STRATILAX ſeruus, ASTAPHIVM ancilla. A

MIrum videtur rure herilem filium
Strabacem non rediiſſe,niſi ſi clanculum
Collapſus eſt hîc in corruptelam ſuam.
AS. Iam pol ille me inclamabit,ſi aſpexerit.
ST. Nimio minus ſæuus iam ſum Aſtaphium,quàm fui.
Iam non ſum truculentus,noli metuere.
Quid vis? AS. quid?tuam exſpecto truculentiam.
ST. Dic,impera mihi quid vis & quo vis modò.
Nouos omnes mores habeo,veteres perdidi.
Vel amare poſſum,vel iam ſcortum ducere. B
AS. Lepidè mecaſtor nuntias.ſed dic mihi,
Ain' paraſitum te poteſſe ducere?
AS. Intellexiſti lepidè quid ego dicerem.
ST. Heus tu,iam poſtquam in vrbem crebrò commeo,
Dicax ſum factus,iam ſum cauillator probus.
AS. Quid id eſt amabo? iſtæcce ridicularia,
Cauillationes vis fortaſſe dicere.
ST. Ita,vt pauxillum differat à cauillulis.
AS. Sequere intrò me,amabo,mea voluptas. ST. tene hoc tibi,
Rabonem habeto,mecum vt hanc noctem ſies.
AS. Perij,rabonem?quam eſſe dicam hanc belluam? C
Quin tu arrabonem dicis? ST. ar facio lucri,
Vt Præneſtinis conia, eſt ciconia.
AS. Sequere obſecrò. ST. Strabacem hîc opperiar,modò
Si rure veniat. AS. is quidem apud nos eſt hîc Strabax,
Modò rure venit. ST. priúſne,quàm ad matrem ſuam?
Heu ædepol hominem nihili. AS. ánne autem vt ſoles?
ST. Immò nihil dico. AS. i intrò amabo,cedò manum.
ST. Tene.in tabernam ducor deuerſoriam,
Vbi malè accipiar mea mihi pecunia.

D

CORRVPTELAM SVAM.] rem corruptricem.locum corruptorem, ἐνεργητικῶς. SCORTVM DVCERE.]ſcortum domum ducere,cum quo cubem. vſitatè autem dictum,ſcortum ducere,pro,puerum aut puellam libidinis cauſa domum ducere: quamquã ambiguum eſt,vt mox dicemus. PARASITVM]ſcortum,ſiue maſculinum,ſiue muliebre.ſcorta veteres paraſitos appellabant,ſuprà.ſed nónne ſatis apertè dixerat Stratilax ſcortum ducere, neque opus erat interpretatione verborum?dixerat ſanè, ſed tamen cùm ſcortum propriè corium,& pellem ſignificet,ex quo meretrices, ſcorta appellantur, quòd vt pelles ſubigantur, vt docet Feſtus,videbatur ambiguè eſſe dictum,ſcortum ducere,& pro,pellem,ſeu corium extendere, accipi poſſe.Ita res eguit interpretatione,quæ ambiguitatem omnem ſuſtulit. CAVILLATOR.]σκώπτης. RIDICVLARIA.]dictá ridicula. CAVILLATIONES] iocationes, ioca,ſeu iocos.dicta ſalſa,& faceta.Cicero de Orat.2. RABONEM? QVEM ESSE D.] rabonem mihi dicis?quæ bellua eſt rabo? AR FACIO LVCRI]lucror ſyllabam *ar*,cum detracto *ar*,rabonem dico. VT PRÆNESTINIS CONIA EST CICONIA]irridet Præneſtinos,qui vocabula decurtant. ANNE AVTEM VT SOLES?] an redis ad ingenium tuum,atque ad mores tuos truculentos?

Neque



## A DINARCHVS adoleſcens.

NEque natu'ſt,neque progignetur,neque poteſt reperirier,
Cui ego nunc dictum, aut factum melius, quàm Veneri velim.
Dij magni,vt ego lætus ſum,& lætitia differor!ita
Ad me magna nuntiauit Cyamus hodie gaudia,
Mea dona deamata,acceptáque habita eſſe apud Phroneſium.
Cùm hoc iam volupe'ſt,tum hoc nimio magnæ melliniæ mihi,
Militis odioſa,ingratáque habita.totus gaudeo,
Mea illa eſt.ſi repudiatur miles,mulier mecum erit.
B Saluus ſum,quia pereo:ſi non peream,planè inteream
Nunc ſpeculabor quid ibi agatur,quis eat intrò,qui foras
Veniat:procul hinc obſeruabo miles quid fortunis fuat
Quia nihil habeo,vnum animus monuit me,omnia agã precariò.

CVI EGO NVNC DICTVM, AVT FACTVM M.]cui ego melius dicere,aut melius facere velim.ET LÆTITIA DIFFEROR]& præ lætitia non ſum apud me. Terentius.*differor doloribus*. DEAMATA.] valde amata, & grata. HOC.] mea dona Phroneſio fuiſſe grata,& accepta. MAGNAE MELLINIAE]magnæ dulcedini,ſeu voluptati. MILITIS]dona. SI NON PEREAM, PLANÈ INTEREAM]tale eſt illud Themiſt. *perieramus,niſi periiſſemus*.ſic autẽ reſtituimus ex antiqua ſcriptura,quam expreſſam, & incorruptam in noſtris libris reperimus.Nam vulgata, quæ omnibus ferè exemplis reperitur, *planè eſuriam*, & ea,quã habet editio Camerariana,*pane vicem*,deprauata eſt.QVID FACTVRVS FVIT] C quid facturus ſit,ſuprà.ſecuti autem ſumus libros vulgatos,à quibus noſtri veteres nihil diſcrepant.nam æditio Camerariana habet *quid fortunis fuat*.quod quid ſibi velit,non video, niſi fortè erratum eſt operarium.nonnulli libri habent,non malè,*quid facturus ſiet*. QVIA NIHIL HABEO, VNVM ANIMVS MON. ME]libri vulgati ſic habent,*quia nihil habeo vnum animos monuit mihi*.planè mendoſè.Nonnulli veteres ſic,& ita edidit Camerarius. *q. n. h.vnum animos moui mihi*.Alij ſic,*vnum animus monuit me*:quos ſecutus ſum.

## ASTAPHIVM ancilla. DINARCHVS adoleſcens.

LEpidè efficiam mea hera officium. vide intus modò vt tu tuũ
Item efficias.ama id quod decet,rem tuam,iſtum exinani.
Nunc dum iſti lubet,dum habet,tempus ei rei ſecunda.
D Prome venuſtatem,amantiam,gaudia,copeis amores.
* Ego interim hîc reſtitrix reſidebo,iſte dum ſic faciat
Domum ad te exagogam,nec quemquam interim iſtuc ad vos,
* Qui ſit odio,intromittam:tu perge vt lubet.ludin' iſtos?
Qui eſt iſte? DI. eia Aſtaphium, indica qui perit. AS. amabo,hiccíne tu
Eras? DI. moleſtúſne ſum? AS. nunc magis, quàm fuiſti. nam ſi qui haud
Nobis vſui eſt,nobis moleſtus.Sed obſecro da mi operam,vt
Narrem quæ volo. DI. nam quid eſt? AS. nam ea refert. nummos eſt
Intus,& bolos qui dat. DI. quid?amator nouus quiſpiam?

AS. Integrum,& plenum adepta eſt theſaurum. DI. quis eſt? AS. A
eloquar.
Sed tu taceto. Nouiſtin' tun' hunc Strabacem? DI. quid ni?
AS. Solus ſummam habet hic apud nos. nunc is eſt fundus nobis.
Animo bono malè rem gerit. DI. perij hercle ego. AS. ſtultus es.
Qui facta, infecta facere verbis poſtules. Thetis quoque etiam
Lamentando leſſum fecit filio. DI. Non ego nunc intro
Ad vos mittar? AS. quidum quàm miles magis?
DI. Quia enim plus dedi. AS. enim es intromiſſus, cùm plus dabas.
Sine viciſſim qui dant, ob id, quod dant, operis vtier.
Litteras didiciſti: quando ſcis, ſine alios diſcere. B
DI. Diſcant, dum mihi argumentari liceat, ni oblitus ſiem,
Qui dedi. AS. interea magiſter, dum tu commentabere,
Volt interim illa itidem commentari. DI. quid? AS. rem accipere identidem.
DI. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,
Præterea vnam in obſonatum. AS. idem iſtuc delatum ſcio.
De eo nunc bene ſumus, tua virtute. DI. Illíne vt inimici mei.
Bona iſtic edant? mortuũ hercle me, quàm vt id patiar, mauelim.
AS. Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.
Nam inuidere alij bene eſſe, tibi malè eſſe, miſeria eſt.
Qui inuident, egent: illi, quibus inuidetur, rem habent. C
Stultus es. DI. quid eſt? AS. opperire. DI. quid iam? AS. quia pol.
DI. Non licet de obſonio ſaltem me participem fieri?
AS. Si volebas participare, auferres dimidium domum.
Nam itidem vt Acherunti hic ratio accepti ſcribitur.
Intro accipimus. quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.
Bene vale. DI. reſiſte. AS. amitte, ſine. DI. amitto. intro. AS. ad te quidem.
DI. Immò iſtuc ad vos. AS. iri non poteſt. DI. nimiùm poteſt.
Experiri ſine. AS. immò opperire. DI. meliu'ſt experirier. D
AS. Dicam te adeſſe. DI. vbi eſt? AS. occupata eſt. DI. reſiſte. AS. abeo, fruſtra es. DI. redin'?
An non redis? AS. ſed vocat me, quæ in me plus poteſt, quàm potes.
DI. Vno verbo eloquar, mittin' me intro? AS. mendax es, abi.
Vnum aiebas. tria iam dixti verba, atque mendacia.
DI. Abiit intro. hinc iuit. ego vt hæc mihi patiar fieri?
Iam hercle ego tibi illecebra ludos faciam clamore in via,
Quæ aduorſum legem accepiſti à plurimis pecuniam.
Iam hercle apud omneis magiſtratus faxo erit nomen tuum.
Poſtidea ego in te manum iniiciam quadrupli, venefica,

Suppoſtrix



A Suppoſtrix puerûm. ego ædepol iam tua probra aperibo omnia.
Nihili me. perdidi omne, quod fuit. fio impudens.
Nec mihi adeſt ad illum penſi iam quos capiam calceos.
Sed quid ego híc clamo? quid ſi me iubeat intromittier?
Conceptis me non facturum verbis iurem, ſi velit.
Nugæ ſunt. Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.
De nihilo nihil eſt iraſci, quæ te non flocci facit.
Sed quid hoc eſt? prò di immortales, Calliclem video ſenem,
Alteram tonſtricem huius, alteram ancillam ſuam, meus
Qui affinis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere.
Pertimui, poſtquam vna cura cor meum mouit modò:
B Timeo ne malefacta antiqua mea nunc inueniam omnia.

LEPIDÈ EFFICIAM MEA HERA] iuſſa à Phroneſio ancilla Aſtaphium diligenter ſeruare, ne quis introeat, ne Dinarchus quidem, propter Strabacem iuuenem ruſticum, qui intromiſſus eſt, ne ſi Dinarchus eum offendat, ægrè ferat, pollicetur ſe foris officio ſuo functurum: heram monet, vt item domi ſuo fungatur. EXINANI.] ſpolia, nuda. TEMPVS EI REI SECVNDA] tempus ei rei accommoda. alij libri habent *obſecunda*. nonnulli, *obſecundes*. AMANTIAM] ſic Scaliger pro vulgata lectione *amanti tuam*. Amantia autem à participio amans, vt habentia ab habens. & apud Lucret. repentia à repens, retinentia à retinens. COPEIS MORES] ſic repoſui pro illo vulgato, *compares*. quod planè corruptum eſt. copeis autem, id eſt, copioſos. ſed Scaliger *copeis res* mauult. EGO INTERIM HÎC RESTITRIX RESIDEBO] locus hic mirè deprauatus eſt, in libris omnibus. nam libri vulgati habent, *ego interim reſtricis præſidebo*: manuſcripti, *reſtitricis præſidebo*. nonnulli, *retricis præſidebo*. Turnebus libr. xj. Aduerſar. cap. 21. legit, *ego interim hîc reſtitrix his præſidebo*. Ego ſic potius edi malui, *Ego interim hîc reſtitrix reſidebo*, id eſt, *ego interim hîc reſiſtens remanebo*. reſtitrix autem verbale eſt à reſiſto, ſeu reſto: quæ interdum idem valent, quod remaneo, & remoror. Sed Ioſephus Scaliger putat eſſe legendum potius, *Ego interim hîc rei triticeæ præſidebo*, quam coniecturam non video quare quiſquam improbare debeat. EXAGOGAM] exſportationem. faciat domum ad te exagogam autem, id eſt, rem paternam domo ad te exſportet. LVDIN' ISTOS?] ludíſne iſtos? quid non ludis iſtos? non celabo lectorem tamen in noſtris libris ſcriptum eſſe, *ludo iſtos*, amatores ſignificat. INDICA, QVI PERIT.] hoc eò pertinet, quod Aſtaphium quærens, quis eſſet, qui veniret, aut qui pulſaret, indicarat Dinarchum vel digito, vel nutu, vel certè verbo. nam, *iſte*, prouocabulum eſt demonſtratiuum. NVNC MAGIS Q.] nunc magis moleſtus es, quàm fuiſti. NAM QVID EST?] quídnam eſt? NAM MEA RÉFERT, NVMMOS EST INTVS, ET BOLOS QVI DAT.] mea enim réfert, inquit Aſtaphium, intus eſt, qui dat Phroneſio nummos, & bolos. Alij aliter: ſic ego hunc locum legẽdum puto. Nam vulgati, & manuſcripti mendoſi ſunt, quorum alij ſic habent. *nam ea refert non muſſet, intus bolos, quos dat*. Alij. *mea refert non mus: ſed intus bolos, quos dat*. Turnebus lib. xj. Aduerſariorum ſic vult legi *nam ea refert nummos, & intus bolos, quos dat*. ADEPTA EST] ſic legendum potius, quàm vt vulgò, *adorta eſt*. SVMMAM D HABET.] ſummum locum obtinet: principatum obtinet. ANIMO BONO MALÈ R. G.] fortiter & ſtrenuè perit. THETIS QVOQVE LAMENT. LESSVM F. FILIO.] Thetis quoque, (inquit, eadem Aſtaphium, vel vt alij meliùs, Dinarchus) filium ſuum Achillem plorauit, ſed fruſtra ſcilicet. quod autem ad vocem, *leſſum*, attinet. M. Tull. ad illud caput legis, quod eſt libr. 2. de Legib. *Mulieres genas ne carpanto, néue leſſum funeris ergo habento*: hoc veteres interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris. Ælius, leſſum, quaſi lugubrem eiulationem, vt vox ipſa ſignificat, quod eò magis iudico verum eſſe, quia lex Solonis id ipſum vetat. quod autem ad Thetidis luctũm, quo Achillem mortuum proſecuta eſt, operæ pretium facturus videor, ſi, quæ Philoſtratus in heroicis ea de re ſcripſit, huc adſcribam. Sic igitur ille θαυμαστὰ δὲ φησὶ ξυμβῆναι ἔτι ρα καὶ οὐ πόῤῥω τῶν Ὁμήρῳ εἰρημένων. Ἐκ γὰρ τοῦ κόλπου τοῦ μέλανος ἡ θάλασσα ἀνοιδήσασα, &c. QVIDVM QVÀM MILES M.] quamobrem tu magis intromittare, quàm miles? ENIM ES INTRO M.] *enim*, præpoſitum. ſic ſuprà. VTIER OPERIS] *operis*, numeri eſt multitudinis, ablatiui caſus à recto fœminino, *opera*. Sine, inquit, viciſſim eos, qui dant, vt Strabacẽ, vti operis Phroneſij Nam qui dant Phroneſio, eius operas conducunt. ſine igitur eos, qui dant, iis operis vti, quas redemerunt, & conduxerunt. LITTERAS DIDICISTI] fuiſti apud magiſtram, ex qua litteras didiciſti? quoniã ſcis, ſine & alios diſcere. DVM MIHI ARGVMENTARI]

ſic edidit Camerarius.libri vulgati habent *commentari*.noſtri veteres,*argentari*,mendoſè. VVLT INTERIM ILLA COMM. AST. QVID,&c.] perſonis interpoſitis hic locus à Turnebo reſtitutus ac declaratus eſt,qui alioquin obſcurus erat. QVI DEDI.]libri vulgati habēt,*quod dedi*. DEFERRI]deferendus.ὥστε πρὸς αὐλὴν φέρεσθαι. IN OBSONATVM]ad emendū obſonium,ad obſonandum.obſonatus,tus,tui. BENE SVMVS]bene nobis eſt,ſuprà.TVA VIRTVTE]tua liberalitate,tua beneficentia,ſeu tuo beneficio.MAVELIM MIHI INIM. INVID. QVÀM,&c.]id eſt,mauelim mihi bene eſſe,quàm inimicis meis. inuident enim fortunatis,non miſeris.Horat. *Inuidus alterius rebus macreſcit opimis*. Ariſtoteles ἠθικ. φθόνος λύπη. OPPERIRE]exſpecta dum Strabax animo ſuo obſecutus ſit. PARTICIPARE] partē capere,participem fieri. NAM ITIDEM VT ACHERVNTI.] vt Orcus numquàm quicquam eorum,quæ accepit,reſcribit,id eſt,renumerat,ſeu reddit,ſic neque meretrix.AMITTE] noli me retinere,ἄφες.introeo ad Phroneſium. AD TE QVIDEM.]ad te quidem intra,non ad nos. IRI NON POTEST]non poteſt quiſquam introire.NIMIVM POTEST] immò verò valde poteſt introiri. SED VOCAT ME,&c.] domina. VNO VERBO ELOQVAR.]vno verbo dicam.quidam legi volunt,*vnum verbum eloquar*.vulgati libri mendoſè habent,*vno verbo eloquar*. & prætereà hoc mendoſum, quod in eis non interponitur perſona Dinarchi.VNVM AIEBAS.]vnum verbum te locuturū dicebas,tria iam dixiſti, nempe mittin' me intro? ſed non eſt diſſimulandū in quibuſdā libris veteribus ſcriptū eſſe,*ſterilia dixiſti verba*. HINC IVIT.] nōnulli libri vet.habēt.*irruit*, partim *inruit*. EGO VT HÆC M. PAT. F.] cum indignatione pronuntiādū. Et eſt locutio non plena: egóne ita ſum ignauus, vt hæc mihi patiar fieri? ILLECEBRA]tu quæ adoleſcenteis illicis.ſed fortaſſe legendū,*elecebra*,vt ſuprà. SVPPOSTRIX PVERVM.]ſuppoſtrix,vt tonſtrix,ſuprà. APERIBO.] aperiam. ſuprà. NIHILI ME]ô me nihili hominem. FIO IMPVDENS.]qui repoſcā quod dedi. CONCEPTIS ME NON FACT. VERB.] ſi Phroneſium iubeat me intromitti, iurem verbis conceptis, ſi velit, me non introiturum. quid ſit *verbis conceptis iurare*, dictum eſt ſuprà. SI STIMVLOS PVGN. CÆDIS, M. PL. D.] tale eſt illud apud Terentiū Phorm. *nam quæ inſcitia eſt aduerſus ſtimulum calceis?* ſubintellig.iactare,id eſt,pugnare cum potentiore? DE NIHILO NIHIL EST IRASCI.] inane eſt ei iraſci, quæ te ne flocci quidem facit. TONSTRICEM HABET]tonſtricem Phroneſij puerum à Phroneſio inueſtigare iuſſerat,vt eum ſibi illa ſupponeret. MEVS QVI AFFINIS FVIT.] qui mihi filiam ſuam deſponderat, quam poſtea compreſſi. CONSTRICTAS.]vinctas. MALEFACTA.] vitia oblata virgini Calliclis filiæ.

## CALLICLES ſenex. ANCILLÆ duæ. DINARCHVS adoleſcens.

EGóne tibi maledicam, aut tibi adeò malè velim, vt animus meus'ſt?
Propemodum expertæ eſtis,quàm ego ſim mitis, tranquillúſque homo.
Rogitaui ego vos verberans pendenteis ſimul,
Commemini quo quicque pacto ſitis confeſſæ,ſcio.
Hic nunc volo ſcire eodem pacto ſi ſine malo fateamini.
Quamquam vos colubrino ingenio ambæ eſtis.edico prius,
Ne duplices habeatis linguas,ne ego bilingueis vos necem.
Niſi ſi ad tintinnaculos voltis vos educi viros.
AN. Vis ſubegit verum fateri,ita lora lædunt brachia.
CA. At ſi verum mihi eritis faſſæ,vinclis exſoluemini.
DI. Etiam nunc quid ſit negotij,falſus,incertúſque ſum,
Niſi quia timeo tamen ego:nec quid peccaui,ſcio.
CA. Omnium primum diuerſæ ſtate.hem ſic,iſtuc volo.
Neue inter vos ſignificetis.ego ero paries, loquere tu.
AN. Quid loquar? CA. quid puero factū eſt,mea quem peperit filia,

Meo ne-



Meo nepoti?capita rerum mihi expedite. AN. iſtæ dedi.
CA. Iam tace.accepiſtin' puerum tu ab hac? AN. accepi. CA. tace,
Nihili moror prætereà.ſatis eſt faſſa. AN. infitias non eo.
CA. Iam liuorem tute ſcapulis iſtoc concinnas tuis.
Conueniunt adhuc vtriuſque verba. DI. væ miſero mihi,
Mea nunc facinora aperiuntur,clàm quæ ſperaui fore.
CA. Loquere tu,quis dare te huic puerū iuſſit? AN. hera maior mea.
CA. Quid tu?cur eum accepiſti? AN. hera me rogauit minor,
Puer vt afferretur,eáque vt celarentur omnia.
CA. Loquere tu.Quid eo feciſti puero? AN. ad meam heram detuli.
CA. Quid eo puero tua hera fecit? AN. heræ meæ extemplò dedit.
CA. Cui,malū,heræ? AN. Duæ ſunt iſtæ. CA. caue tu niſi quod te rogo,niſi
Ea,quæ exquiro. AN. mater filiæ dono dedit,inquam.
CA. Pluſquàm dudum,inquam,loquere. AN. plus tu rogitas. CA. reſponde ocyus.
Quid illa,cui donatus eſt? AN. ſuppoſiuit. CA. cui? AN. ſibi
Pro filiolo. CA. pro filiolo?di obſecro voſtram fidem,
Vt facilius alia,quàm illa,vnde eſt puerum alienum parit!
Hæc labore alieno puerum peperit ſine doloribus.
Puer quidem beatus,matres duas habet,& auias duas.
Iam metuo patres quot fuerint.vide ſis facinus muliebre.
AN. Magis pol hæc malitia pertinet ad viros,quàm ad mulieres.
Vir illam,non mulier prægnatem fecit. CA. idem ego iſtuc ſcio.
Tu bona ei cuſtos fuiſti. AN. plus poteſt,qui plus valet.
Vir erat,plus valebat,vicit.quod petebat,abſtulit.
CA. Et tibi quidem hercle idem attulit magnum malum.
AN. De iſtoc ipſa,etſi tu taceas,reapſe experta intelligo.
CA. Numquam te facere hodie quiui,vt is,quis eſſet,diceres.
AN. Tacui,at nunc non tacebo.quando adeſt,neceſſe eſt indicem.
DI. Lapideus ſum,commouere me miſer non audeo.
Res palàm omnis eſt.meo illic nunc fiunt capiti comitia.
Meū illuc facinus,mea ſtultitia eſt.timeo quàm mox nominer.
CA. Loquere,filiam meam quis integram ſtuprauerit.
AN. Video ego, te propter. CA. mala es. qui eſt? AN. patronus parieti.
DI. Neque viuus,neque mortuus ſum,neque quid nunc faciam, ſcio,
Neque vt hinc abeam,neque vt hunc adeam,ſcio. timore torpeo.
CA. Dicin',an non? AN. Dinarchus.cui illam prius deſpoponderas.
CA. Vbi is homo eſt,quem dicis? DI. aſſum Callicles.per tua obſecro
Genua,vt tu iſtuc inſipienter factum,ſapienter feras,
Mihíque ignoſcas,quòd animi impos vini vitio fecerim.
CA. Non places.in mutum culpam confers,quòd nequit loqui.
Nam vinum ſi fabulari poſſet,ſe defenderet.

Non vinum hominibus moderari,ſed vino homines ſolent, A
Qui quidem probi ſunt. verùm qui improbus eſt, aquam ſi bibit,
Siue adeò caret temeto,tamen ab ingenio eſt improbus.
DI. Scio equidem,quæ nolo,multa mihi audienda obnoxia.
Ego me tibi obnoxium eſſe fateor,culpæ compotem.
AN. Callicles,vide,quæſo,homini ne facias iniuriam.
Reus ſolutus cauſam dicit. *
CA. Soluite iſtas.agite,abite,tu domum,& tu item domum,
Eloquere hæc heræ tuæ,puerum reddat,ſi quis eum petat.
Eamus tu in ius. DI. quid vis in ius me ire? tu es prætor mihi.
Verùm te obſecro. vt tuam natam des mihi vxorem,Callicles.
CA. Eundem pol te iudicaſſe quidem iſtam rem intelligo. B
Nam haud manſiſti dum ego darem illam,tute ſumſiſti tibi.
Nunc habeas vt nactus.verùm hoc ego te multabo bolo,
Sex talenta magna à dote demam pro iſta inſcitia.
DI. Bene agis mecum. CA. filium iſtinc tuum te meliu'ſt repetere.
Cæterùm vxorem quàmprimùm poteſt,abduces ex ædibus.
Ego adeò iam illi remittam nuntium,affini meo,
Dicam vt aliam conditionem filio inueniat ſuo.
DI. At ego ab hac puerum repoſcam,ne mox infitias eat.
Nihil eſt.nam ipſa hæc vltrò, vt factũ eſt, fecit omnẽ rem palàm.
Sed nimiùm pol opportunè ecce ab ſe ſe egreditur foras.
Ne illa ſtimulũ longum habet, quæ vſque illinc cor pungit meũ. C

TRANQVILLÚSQVE]leníſque. ROGITAVI EGO VOS VERB. PEND.]ſolebãt domini ſeruos & ancillas pendenteis loris verberare,ſiue verũ ab iis extorquere,ſiue pœnas de iis ſumere ob aliquod malefactum vellent. SINE MALO] ſine verberibus. COLVBRINO.]ſerpentino,vafro, & callido. NE DVPLICEIS HAB. L.] ne quæ paullò antè faſſæ eſtis,nunc negatis. BILINGVEIS.]eandem rem modò aienteis, modò neganteis. AD TINTINNACVLOS.] id eſt,ad lorarios,ſeu carnifices. vel propter plagarum crepitum, verberúmque tinnitum ac ſonitum. vel quia qui damnari erant ſupplicio extremo, ſolebãt tintinnabulum geſtare,ne quis eis appropinquans contaminaretur. Turnebus Aduerſar. lib.xj. cap. 21.& lib.23.cap.16. VINCLIS EXSOLVEMINI.]noſtri libri veteres habent, *iuncis exſolu.* DIVERSÆ.]altera hîc,altera illîc. SIGNIFICETIS.]nutu,aut nictu. EGO ERO PARIES]medius inter vos ſtabo. MEO NEPOTI]meo nepote. CAPITA RERVM] ſummas,τὰ κεφάλαια. ISTÆ DEDI]iſti dedi tonſtrici.ſuprà. INFITIAS NON EO.] non D infitior,non nego. IAM LIVOREM TVTE SCAP.] fatẽdo verum liuorem ſcapulis tuis deles. FACINORA] facta audacia, ſtuprum oblatum Calliclis filiæ. HERA MAIOR MEA]vxor tua,mater. HERA ME R. M.] Phroneſium. nam hera maior,erat Phroneſij mater. AD MEAM HERAM.]ad matrem Phroneſij heram maiorem. HERÆ MEÆ] Phroneſio,heræ minori. CAVE TV NISI Q. TE R.&c.] caue tu quidquam loquare, niſi quod te rogo:caue loquare,niſi ea,quæ à te exquiro. PLVS QVÀM DVD. INQVAM LOQ.]tu plus loqueris,inquam,quàm dudũ locuta es,ſeu loquebaris. SVPPOSIVIT] Phroneſium ſcilicet.ſuppoſiuit autẽ,id eſt,ſuppoſuit. VT FACILIS ALIA,&c.]legendũ θαυμαστικῶς.hoc modo,quanto facilius falſa mater parit filium,quàm vera? HAEC]falſa mater, quæ partum ſibi ſuppoſuit. VIDE SIS.]vide ſi vis. ILLAM.]veram matrem,filiam tuam. VIR ERAT.]Dinarchus. PLVS VALEBAT.]quàm ego,& filia tua. REAPSE EXPERTA.] re ipſa experta,quia vapulaui. NVMQVAM TE FACERE,&c.]id eſt, numquam facere potui,vt tu,quis eſſet is,qui filiam meam vitiauit,diceres. LAPIDEVS SVM.]immotus ſto, tamquam lapis obrigui,in lapidem verſus ſum. MEO ILLIC NVNC FIVNT CAPITI COMITIA.]de meo capite illic verba fiunt, & conſilium initur. INTEGRAM.] virginem intactam. VIDEO EGO TE PROPTER]eum video propter te,id eſt,prope te. Alij ſic,

*video*



A *Video ego eum,qui ſtuprauit filiam tuam.*deinde volunt eſſe ἀποστροφὴν ad Dinarchum:te propter, id eſt,tua opera,& culpa Dinarche,ſubintellig. vincta ſum, vapulaui, & vapulatura ſum. Ego illo priore modo mâlo. MALA* QVI EST?]locus lacer,vt indicat Aſteriſcus.noſtri libri habent,*malefacta qui eſt*?vulgati,*mala facta qui eſt*?PATRONVS PARIETI]id eſt,qui videtur parietem tutari, ne labatur:ita ei adhæret,latitans. NEQVE VIVVS, NEQVE MORT.] ſemianimis,ſeu ſemimortuus ſum. NEQVE VT HINC ABEAM] neque ſcio,quomodo hinc abeam,&c. PER TVA OBSECRO GENVA.]qui orabant apud veteres,eorum,quos obſecrabant,genua tangebant.cuius moris innumerabilia ſunt apud Homerum, Sophoclem, Euripidem,& aliorũ exempla. VT TV ISTVNC INSIPIENTER FACTVM SAP. FERAS.]ἀντίθεσις.*ſapienter* autem,id eſt,moderatè,σωφρόνως. ANIMI IMPOS.]animi impotens,ἀκρατής. VINI VITIO]ſic apud Terentium. HOMINIBVS MODERARI.]hominibus modum adhibere. SIVE CARET TEMETO.]ſiue vino non vtitur in potu. AB INGENIO EST IMPROBVS.]natura eſt improbus. OBNOXIA]id eſt, quibus obnoxius ſum,& quæ meritò audiam. CVLPAE COMPOTEM.]culpæ affinem. ISTAS.]tonſtricem ancillam Phroneſij,& ancillam vxoris meæ. HERAE TVAE]Phroneſio. IN IVS] ad prætorem. TV ES PRAETOR MIHI.]te prætoris loco mihi eſſe, & ius dicere volo. B EVNDEM POL TE IVDICASSE,&c.]te eundem profectò iſtam rem iudicaſſe intelligo,id eſt,intelligo te iudicaſſe non alium prætorem tibi adeundum eſſe,quàm me: vel intelligo te eundem de re iſta ſententiam tuliſſe, nempe filiam meam vxorem tibi habendam eſſe, cùm eam, quam tibi deſponderam, ipſe ſuaſiſti, neque exſpectaſti,dum illam tibi darem. VT NACTVS]es,ſubintellig. HOC TE MVLTABO BOLO.] hac te iactura multabo. MAGNA] Attica. DEMAM.] detraham. BENE AGIS MECVM] æquum & liberalem te erga me præbes. FILIVM TVVM] quem ſibi ſuppoſuit Phroneſium. ABDVCES EX AEDIBVS]abduces ex ædibus noſtris,& in tuas duces. AB HAC.]Phroneſio. PVERVM] filium meum,quem ipſa ſibi ſuppoſuit. VLTRO.] non rogata à quoquam,nullius rogatu,aut impulſu. AB SESE] domo ſua. STIMVLVM LONGVM]aculeum,& mucronem longum,qui vſque ad me peruenit. VSQVE ILLVC.] vſque ab ædibus ſuis, vel vſque à corpore & ore ſuo.

C PHRONESIVM meretrix. DINARCHVS adoleſcens. ASTAPHIVM ancilla.

Blitea & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino ad rem ſuam.
Si alia membra vino madeant.cor ſit ſaltem ſobrium.
Nam mihi diuidia eſt,tonſtricem meam ſic mulcatam malè.
Ea dixit,hunc Dinarchi puerum eſſe inuentum filium.
Vbi id audiuit?quamquam eũ penes eſt mea omnis res & liberi.
Video.eccum qui manſtutorem med adoptauit bonis.
DI. Mulier,aſſum.profectu'ſt. PH. quid agitur voluptas mea?
D DI. Non voluptas.aufer nugas.nihil ego nunc de iſtac re ago.
PH. Scio mecaſtor,quid velis,& quid poſtules,& quid petas.
Me videre vis,& à me te amari,puerum petis.
DI. Di immortales,vt planiloqua eſt?paucis vt rem ipſam attigit.
PH. Scio equidem ſponſam tibi eſſe,& filium ex ſponſa tua.
Et tibi vxorem ducendam iam eſſe,alibi iam animum tuum.
Vt me quaſi pro derelicta ſis habiturus.ſed tamen
Cogitato,mus puſillus quàm ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui vni cubili numquam committit ſuam:
Quia ſi vnum oſtium obſideatur,aliud perfugium erit.
DI. Otium vbi erit,de iſtis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. PH.immò amabo vt hos dies aliquos ſinas

Eum eſſe apud me. DI. Minimè? PH. iam,amabo. DI. quid opu'ſt? PH. è re mea eſt, A

Triduum hoc ſaltem,dum aliquò miles circumducitur.
In eam rem,ſi quid habebo,tibi quoque etiam proderit.
Si auferes puerũ,à milite omnis tum mihi ſpes animam efflauerit.

DI. Factum cupio.nam re facere ſi velim,non eſt locus.
Nunc puero vtere,& procura,quia vnde procures,habes.

PH. Multũ amabo te ob iſtam rem mecaſtor.vbi domi metues malũ,
Fugito huc ad me,ſaltem amicus mihi eſto manubiarius.

DI. Bene vale Phroneſium. PH. iam me tuum oculum non vocas?

DI. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur.

PH. Numquid vis? DI. facultas operæ vbi mihi erit ad te venero. B

PH. Ille quidem hinc abiit,abſceſſit.dicere hîc quiduis licet.
Verum eſt verbũ,quod memoratur:Vbi amici,eſſe ibidem opus.
Propter hunc ſæpè etiam ſe hodie excludi vidit militem:
Quem ego ecaſtor mage amo,quàm me,dum id,quod cupio, inde aufero.
Quæ cum multum abſtulimus, haud multum appâret, quod datum eſt,
Ita ſunt gloriæ meretricum. AS. Aha tace. PH. quid obſecro eſt?

AS. Adeſt,pueri. PH. ſine eum ipſum adire huc,ſine, ſi is eſt modò.
Sine eum ipſum adire,vt cupit,ad me,dimittam,ſi venerit, C
Næ iſtum ecaſtor hodie aſtutis confectum fallaciis.

BLITEA.]inutilis,à blito herbæ nullius vſus.Nonius, in voce *blitea*, vbi hunc locum profert. ET LVTEA.]luto vilior. VINO MANDEANT.] vino ſint vuida. ſuprà. SOBRIVM.]ſiccum. DIVIDIA EST.]dolet, dolorem affert. legendum fortaſſe eſt, *diuidiæ eſt*. MVLCATAM MALE]verberatam eſſe.ſuprà. EA DIXIT HVNC DINARCHI P.]ordo eſt,ea dixit eum puerum,quem mihi ſuppoſui,Dinarchi eſſe inuẽtum filium. QVAMQVAM EVM PENES.]correctio eſt.quamquam,inquit Phroneſium, omnes res meæ, & liberi,ſint in Dinarchi poteſtate. QVI MANSTVTOREM ME ADOPTAVIT BONIS.]qui me elegit ſuorum bonorum cuſtodem, & defenſorem. *manſtutor*, quaſi manu tutor, qui manu tuetur,& tenet.Sic Turnebus Aduerſariorum libr. xj. cap. 21. ſed cur non dixit *manſtutricem*? vt ſignificantius eſſet, & honorificentius: nam plus eſt mulieri parteis virileis dare, quàm muliebreis, & honorificentior appellatio virilis quàm muliebris. PROFECTV'ST.] D non luſi operam,profeci aliquid. DE ISTAC RE.] de amore.alibi. IAM ANIMVM TVVM.]repere eſſe ἀπὸ κοινοῦ.ſuprà. VT ME QVASI PRO DEREL.] ſcio quo pacto me quaſi pro derelicta ſis habiturus.ſic Cicero loquitur in Bruto. MVS PVSILLVS.] Horat. *naſcetur ridiculus mus*. Virgil. *ſæpè, exiguus mus*. ÆTATEM QVI VNI CVBILI NVMQ. COMMIT. SVAM.]qui non ſemper in vno cubili habitat. QVIA SI VNVM OSTIVM OBSID.] quare non ſemper in vno cubili habitat?quia ſi vnum oſtiũ obſtruatur, nempe eius cubilis in quo habitat, non habet aliud,quò perfugere poſſit. QVID OPV'ST?] quid opus eſt eum eſſe apud te? ANIMAM EFFLAVERIT]perierit,ſuprà. ET PROCVRA.]puerum. QVIA VNDE PR. H.]nempe ex iis,quæ tibi largitus ſum. VBI DOMI METVES MALVM.]iurgia,& liteis ab vxore. SALTEM AMICVS MIHI ESTO MANVB.]eſto mihi ſaltem amicus,ſi non ex animo,at fructuoſus, at manubiarum, & ſpoliorum collator.Nonius,manubias à præda hoc diſtare veteres exiſtimarunt.Aſcon.lib.1.Accuſat. Manubiæ ſunt præda imperatoris pro portione de hoſtibus capta. IAM ME TVVM OSCVLVM NON VOCAS.]vt antea ſolebas. FVTATVM] futare, inquit Feſtus, arguere eſt, vnde & cõfutare.Sed Cato hoc pro ſæpius fuiſſe poſuit. FACVLTAS OPERÆ VBI M. E.] vbi mihi licebit per occupationes,ad te venero.vbi potero,ad te veniam. VBI AMICI ESSE IBIDEM



A IBIDEM OPVS.]ſic habent noſtri libri veteres,quibuſcum nonnulli vulgati conſentiũt.ſententia plana,& perſpicua:ſignificat enim,vbi ſunt amici,ibidem eſſe negotium, & moleſtiam: amicorum enim cauſa nos interdum laborare neceſſe eſt,aut ius amicitiæ violare, & fidem lædere,ac perdere.Quòd ſi rationem acceptorum,& expenſorum diligenter inire velimus,ratione ſubducta,ſæpè reperiemus plus nos amicis expenſum,quàm acceptum retuliſſe: & plus laboris,& moleſtiæ eorum cauſa ſuſcepiſſe,quàm voluptatis,aut vtilitatis ab eis percepiſſe.Aliorum vulgatorum ſcripturam,*vbi amici,ibidem ſunt opes*,neque id,quod ſequitur,neque verſus patitur. PROPTER HVNCE SÆPÈ ETIAM H.]oſtendit,quid operis, & negotij ſuſceperit ob amicitiam Dinarchi.Nam propter hunc Dinarchum, inquit, ſæpè militem etiam hodie eieci foras.non diſſimulabo hunc verſum variè ſcriptum eſſe in libris antiquis; in aliis ſic, *Propter hunc ſpes etiam hodie exaudiuit militem*.in aliis ſic,*Propter hunc ſpes etiam ſe hodie in militem*.Deinde lacuna,in vulgatis autẽ.ſic,*Propter hunc ſpes etiam ſe hodie iam interit in militem*. Eadémque lectio etiam in vno manuſcripto reperitur:In qua quidam aliquid ineſſe boni putant, eámque ſic interpolãt.Propter hunc ſpes cum ſuis donis interiit militi.*ſpes interiit* autem, ſic dictum vt ſuprà, *ſpes animam efflauerit*. QVEM.] Dinarchum.alij *militem*, & interpretantur, *mage amo*,magis me amare ſimulo. DVM ID, QVOD CVPIO, INDE AVF.]referenda ſunt hæc ad illa re- B motiora:Dinarchus ſe hodie excludi vidit propter militem,dum ab eo id,quod cupio,aufero. QVÆ CÙM MVLTVM ABST.]mutat numerum.ſic autem locus explicandus: Tale eſt ingenium noſtrum,*Quæ cum multum*,&c. ADEST PVERI]ſubintellig.pater.

STRATOPHANES miles. ASTAPHIVM ancilla.
PHRONESIVM meretrix. STRABAX adoleſcens ruſticus.

Meo mihi more fero ſupplicium damnis ad amicam meam,
Illud vt ecceptũ ſit,prius quod perdidi, hoc addã inſuper.
Sed quid? video heram, atque ancillam ante ædeis adeunda eſt hæc mihi.
C Quid hîc vos agitis? PH. ne me appella. ST. nimium ſæuis. PH. ſic ſine.
Potin' es vt mihi moleſtúſne ſies? ST. quid Aſtaphylitium eſt?

AS. Meritò ecaſtor tibi ſuccenſet. PH. egon'?atque iſti etiam parum
Male volo. ST. ego mea voluptas,ſi quid peccaui prius
* Supplicium ad te hanc minam fero auri,ſi mihi rides:ſpice

PH. Manus vetat priuſquam penes ſeſe habeat,quicquam credere.
Puero opu'ſt cibus,opus eſt matri autem,quæ puerum lauit.
Opus nutrici autem vtrem vt habeat veteris vini largiter,
Vt dies,noctéiſque potet.opu'ſt ignẽ,opus eſt carbonibus.
Faſciis opus eſt,puluinis,cunis,incunabulis.
D Oleum opus eſt,farina puero opus eſt,opu'ſt totum diem.
Numquam hoc vno die efficiatur opus,quin opus ſemper ſiet.
* Non enim poſſunt militares pueri ſetanio educier.

ST. Reſpice ergo,accipe hoc,quî iſtuc exefficias opus. PH. cedò,
Quamquam parum eſt. ST. addam minam adhuc iſtic poſtea. PH. parum eſt.

ST. Tuo arbitratu,quod iubebis,id dabitur.da nunc ſauium.

PH. Mitte me,inquam.odioſus es. ST. nihil fit,nõ amor.teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxilliſper perdidi.

PH. Accipe hoc,atque auferto intrò. STRAB. vbi amica mea eſt gentium?
Neque ruri,neque hîc operis quicquam facto.corrumpor ſitu.

Ita miſer cubando in lecto hîc exſpectando obdurui. A
Sed eccam video.heus amica quid agis? ST. quis illic homo?
PH. Quẽ ego mecaſtor magis amo,quàm te. ST. quã me?quomodo?
PH. Hoc modo,vt moleſtus ne ſies. ST.iam abis poſtquã aurũ habes.
PH. Condidi intrò quod dediſti. ST. adeſt amica.te alloquor.
PH. At ego ad te ibam. ST. ad me?delicia. PH. hercle verò ſeriò.
ST. Quamquam ego tibi videor ſtultus.gaudere aliqui me volo.
* Ne quicquam es bella, malo tuo niſi ſimitu ego aliqui gaudeo.
PH. Vin te amplectar,& ſauium dem? ST. quiduis face.gaudeam.
ST. Meóſne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum hercle me eſſe ſatius.Abſtine hoc mulier manum.
Niſi ſi te mea manu bina in machæra vis & hunc mori. B
PH. Nihil φλυαρεῖν ſatius eſt miles,ſi te amari poſtulas
Auro,haud ferro deterrere potes me.amet Stratophanes.
ST. Quî,malum,bella aut faceta es,quæ ames hominem iſtiuſmodi?
PH. Venítne in mentem tibi quod verbum in cauea dixit hiſtrio,
Omnes homines ad ſuum quæſtum callent nec ſatis vident.
ST. Hunccíne hominem te amplexari,tam horridũ atque ſqualidum.
PH. Quamquam hic horridus eſt, quamquam hic ſqualidu'ſt, at eſt bellus mihi.
ST. Dedin' ego aurum? PH. mihi?dediſti filio cibaria.
ST. Nunc ſi hanc tecum eſſe ſperas,alia opu'ſt auri mina.
ST. In malã rem i, & magnam. ST. magno opere ſerua tibi viaticum. C
Quid iſta debet niſi tria? ST. quæ triá nam? ST. vnguenta, noctem,ſauium.
Par pari reſpondet.verùm nunc ſaltem ſi amas eam,
Tũ mihi nonnihil de tuis deliciis compaſticis. ST. abi,abi.conſultam iſtuc mi homo
Caue faxit volnus tibi iam,cui ſunt dentes ferrei.
Vulgò ad ſe omneis intromittit.abſtine iſtac tu manum.
STR. Iam hercle iam magno tu vapulas vir ſtrenuus.
ST. Dedi ego huic aurum. ST. at ego argentum. ST. at ego pallam & purpuram. D
ST. At ego oueis,& lanam,& alia multa,quæ poſcet,dabo.
Melius te minis certare mecum,quàm minaciis.
PH. Lepidus ecaſtor mortalis.Strabax mi,perge obſecro.
Stultus,atque inſanus damnis certant.nos ſaluæ ſumus.
STRAT. Age prior tiro,da aliquid.ST.immò tu prior perde, & peri.
ST. Hem tibi talentum argenti,Philippicum eſt,tene tibi.
PH. Tanto melior.noſter eſto.ſed de veſtro viuito.
ST. Vbi eſt,quod tu das?ſolue zonas.PH.prouocatur.ST.quid times?
STR. Tu peregrinus:hîc habito:timeo meas:non ego ambulo.
Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata defero.
ST. Quid dedi,vt diſtrinxi hominẽ. STR. immò ego verò qui dedi.





A PH. I nunc intrò amabo, & tu ergo hac mecum. STRAB. tueris mecum quidem.
ST. Quid tu? quid ais? cum hoccine? MIL. ego poſterior dedi.
PH. Tu dediſti,hic iam daturus eſt. iſtuc habeo,hoc expeto.
Verùm vtrique mos geratur,amborum ex ſententia.
ST. Fiat vt rem natam video,hoc accipiundum eſt quod datur.
STR. Meum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.
PH. Lepidè æcaſtor aucupaui, atque è mea ſententia.
Meámque vt rem voluiſtis geſtam,veſtram rurſus bene geram.
Verùm amabo,ſi quid animatus facere,fac iam vt ſciam.
Veneris cauſa applaudite,eius hæc in tutela eſt fabula.
B Spectatores bene valete,plaudite,atque exſurgite.

MEO MIHI MORE FERO SVPPL. D.] non eſt, inquit miles, mihi nouum quod facio,ſed vſitatum,quod fero, ſupplicium, ad amicam meam damnis, id eſt,quod eam placo damnis,& detrimentis meæ rei familiaris. vulgati nonnulli,& manuſcripti libri, qui habent partim, *eo mihi amare*, partim,*eo mihi amore*, mendoſi ſunt. Ea lectio, quam ſecuti ſumus, ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis expreſſa eſt,& probabilem ſententiã habet. NIMIVM SÆVVS] nimis ſæuum,& aſperum te præbes.Virg.lib.6.*Næ ſæui magna ſacerdos.* SIC SINE] ſine me meo modo,& arbitratu ſæuire. POTIN' ES VT M. M.] poteſne,id eſt, non potes te continere, quin mihi moleſtiam non exhibeas? ASTAPHYLITTIVM] nomen eſt bis deminutiuum ab Aſtaphio, Græcorum conſuetudine.Nam ab Aſtaphio fit Aſtaphylium:deinde ab Aſtaphylio Aſtaphylittium. blandiendi autem vim,& locum obtinent nomina deminutiua. ATQVE ISTI ETIAM P. M. V.]ego verò iſti non ita irata ſum, vt meretur. SI MIHI RIDES: SPICE]ſic emendat Adr.Turneb.lib.11.cap.21. Aduerſ. niſi quòd *ſpice* retinet,ego autem *ſpece* edendũ curaui. neque video quo modo aliter legi poſſit. *ſpecio* autem antiquum verbum,id eſt, C video,aſpicio,cerno.Lege Feſtum in voce, *ſpectio*, & *ſpectus*. Varro. lib.4. ſpeculum à ſpeciando, quòd ibi ſpeciant,id eſt,aſpiciunt. LAVIT]lauat.Nam etiam veteribus vſitatum fuit lauo,is, it. in tertia inflexione. FASCIIS]ad inuolucra pueri vincienda, & aſtringenda. INCVNABVLIS] cunarum inſtrumentis, & ornamentis. NON ENIM P. M. P. SETANIO ED.] non enim poſſunt militũ filij cepis viuere.ſetania cæpæ genus eſt.Plinius lib.19.cap.6.nonnulli legunt *ſetanio*. ſetanius autem panis purus,& cribro purgatus.Turneb.lib.Aduerſ.11.cap.20. *non enim poſſunt militares pueri & à via educier*,& ita explicat. Canes non tantùm de domini culina, & menſa paſcuntur,ſed etiam à via paſcuntur.errantes enim quidquid reperiunt, vorant per vias: ſed non item pueri militares.Camerarius edidit, *& auio educere*.vnde quæ ſententia trahi poſſit, non diſpicio.vide,& qui legunt,vt alij, *educier*. EXEFFICIAS]perfectè efficias. PAVXILLISPER]per particulas.ita Nonius. ſed verſus videtur claudicare. FACTO] facio. DELICIA]Nonius.delicia,numero ſingulari,quod aut rarum eſt,aut ſingulare.Plautus. *mea voluptas, mea delicia?* GAVDERE ALIQVI] gaudere aliqua ratione, ſeu aliquo, modo ſeu aliqua re. NEQVIQVAM ES B.] fruſtra bella es,niſi ego vna tecum aliquo pacto gaudeo:*malo tuo*, dixit vrbanè,pro,*bono tuo*.GAVDEAM]id eſt,mihi placeat & iucundum ſit. MORTVVM D HERC. ME ESSE S.]*eſſe*,non eſt in libris neque vulgatis,neque manuſcriptis. quod deſideratur,vt rectè conieciſſe mihi videtur Adr.Turneb.eod.lib.& eod.cap.Scaliger autem,*ſit*.potiùs quàm,*eſſe*,recipiendum exiſtimabat:hoc modo. *Mortuum hercle me ſit ſatius eſt*,&c. HOC]ab hoc viro.noli hunc virũ amplexari,neque tangere. φλυαρεῖν]nugari,nugas agere. AVRO, HAVD FERRO] Ennius, *Auro,non ferro, vitam cernimus vterque*. in amore plus aurum pollet, quàm ferrum.Quin etiam in re militari aurum plus interdum poteſt,quàm ferrum : non longè exempla petantur.plures vrbes expugnauit auro Philippus, quàm ferro.Itaque cùm dixiſſet ei quidam, caſtellum neſcio, an eſſet inexpugnabile,quæſiuit ab eo, an non ad id aſcendere poſſet aſinus auro onuſtus.ſignificans nullum locum quantumuis munitum, auro non expugnari poſſe. M. Tullius lib.1.epiſt.ad Attic. *Atque in eo non auctoritate,neque gratia pugnax,ſed quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat,in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere.* Horat.oda.16.lib.3. *Aurum per medios ire ſatellites, Et perrumpere amat ſaxa, potentius Ictu fulmineo. concidit auguris Argiui domus ob lucrum Demerſo exſcidio. diffudit vrbium portas vir Macedo, & ſubruit æmulos Reges muneribus.* AMET STRATOPHANES] amet me Stratophanes, ſi ſe amari poſtulat, non ferro timeat. QVÎ MALVM] malùm interiectio eſt, vt ſuprà. *quî* autem id eſt,qua ratione, quam ob cauſam, ſeu quo pacto. VENÍTNE IN M. &c.] an venit in mentem, &c. hoc eſt,vt vulgò loquimur, an non venit in mentem,&c. CALLENT, ET SATIS VIDENT] callidi ſunt,& ſatis ſapiũt,

ſatis videre, nihil videre, nullum videre, parùm videre, plus videre, vſitata bonis ſcriptoribus, pro A
ſatis ſapere, ſeu ſatis oculatum eſſe, nihil ſapere, ſeu cæcum eſſe, parùm ſapere, ſeu non admo-
dum perſpicacẽ eſſe, plus ſapere, ſeu oculatiorẽ eſſe, & intelligentiorem eſſe. *ſatis vident* autem
edidimus, pro vulgato *faſtidiunt*, quod eſt, mendoſum. certa coniectura ducti, cùm in noſtris
libris veteribus ſcriptum reperiſſemus, *ſatiſduint*. HVNCCINE HOM. TE A.] ſubintel. par
eſt, aut decet te, aut ſimile quiddam. TAM HORRIDVM, ATQVE SQ.] horrendus,
& ſqualidus nitido opponuntur. AT EST BELLVS MIHI] quia vtilis ſcilicet. DEDIN'
EGO AVRVM] nónne ego aurum dedi. IN MALAM REM I, ET M.] ſuprà. SERVA
TIBI VIAT.] noli omnem pecuniam tuam Phroneſio largiri, ſed ſerua ex ea tibi viaticum in
malam rem iturus. VNGVENTA] meretrices amatores ſuos poſt complexus, & cõcubitum
vnguentis perfundebant. PAR PARI RESP.] Phroneſium. TV MIHI N. DE TVIS
DEL. &c.] ſic reſtitui ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis. Ea autem talis eſt, *ſi amas clam, tu mihi de tuis
delictis*. al. *deliciis, ſum*, ſuperſit. *Compas dicit abaui conſultaui iſtuc mi homo*. venit autem in mentem &
Scaligero eadem cõiectura, niſi quod ille retinebat particulam *clam*, ego ex ea facio *eam*. *Compa-
ſticis* autẽ, vox Græca eſt, à verbo κομπάζειν, quod valet, ſibi nimium arrogare, & de ſe intole-
rabiliter prædicare. Itaque delicias compaſticas appellat, iactantias, & inanis gloriæ plenas.
CAVE FAXIT VVLN. TIBI, &c.] ſic edendum curaui, cùm in vulgatis, *faxis*, legeretur. B
facere vulnus, pro inferre vulnus, bonis ſcriptoribus vſitatum. CVI] Phroneſio. immò mihi,
qui habeo machæram pro dentibus. DENTES FERREI] dentes ſolidi, & duri inſtar ferri.
hoc dicit propter machæram. MAGNO] magna mercede, id eſt, magna iactura. VAPVLAS]
à Phroneſio. multis enim nummis te feriit. MINIS] minis argenteis. STVLTVS ATQVE
INSANVS] ſtultus Strabax: inſanus miles. TYRO] tu, qui nouitius amator es. VBI EST
QVOD DONAS?] Strabacẽ alloquitur. SOLVE ZONAS] in zonis nummos cõditos cir-
cumferebant veteres, ſuprà. PROVOCATVR] prouocatur Strabax à milite muneribus, in
nos conferendis ſcilicet. HIC HABETO, T. M.] ſecutus ſum libros vulgatos. nam noſtri
libri veteres habent, *hîc habito*: nunc deinde lacunulam, & ita edidit Camerarius. EGO NON
AMBVLO] non ambulo hàc & illàc, neque circumuagor, vt tu. pòſt non ego ambulo. PECVA
AD HANC COLLO, &c.] Priſcianus lib. 6. ſic profert hunc verſum. *pecua ad hanc collo neruina
ego obligata defero*. ex quo legendum ſuſpicor, *pecua ad hanc collo in nebrina*, ſeu, *in nebride*. nebris au-
tem pellis, eſt ceruina, ſeu hinulina? fortaſſis autem alludit ruſticus ad prouerbium, νεβρίδα φέ-
ρειν, quod in ignauos, & liuidos dicitur. preterea, hæc ſunt referẽda ad illud ſuperius, quod eſt in
ſcena, *Rus mane, &c. Ego perperas, minas Oueis in crumena hac in vrbem detuli*. QVI DEDI, D. H.]
ego, qui dedi, diſtrinxi, & deuinxi Phroneſium, ita vt mihi debeat, & mihi ſatisfacere, neceſſe C
habeat. I NVNC INTRO, A.] Phroneſium vtrumque domum intromittit & Strabacem,
& militem. TV ERIS MECVM] tu Phroneſium, mecum cubabis. CVM HOCCINE] tam
ruſtico, & horrido? TV DEDISTI] tu miles iam dediſti, hic Strabax iam daturus eſt. ISTVC
H. HOC EXP.] iſtud, quod dediſti, habeo: hoc, quod hic daturus eſt, expeto. FIAT, VT R.
NATAM V.] fiat, vt video rem eueniſſe. LEPIDE ÆCASTOR AVCVP.] paronomaſia
in verbis occupare, & aucupare. *aucupaui* autem, id eſt, aucupata ſum, prædata ſum. profert hũc
locum Nonius in verbo *aucupaui*. VERÙM AMABO, SI QVID ANIMAT. F.] allo-
quitur Strabacem, qui prior lectum occuparat. verùm, inquit, ſi quid facere animatus es, id eſt,
ſi quid facere in animo habes, iamiam facito. fac, ſi facis, noli longus eſſe, ſed matura. puto hanc
cohortationem ad opus venereũ pertinere. Meretrices enim nolunt tempus teri, ſed rem quam-
primùm expediri, ac tranſigi: Operas enim pluribus locare ſolent, vt hæc, quæ duobus morem
gerere inſtituunt.

D

FINIS M. ACCII PLAVTI.

LOCI



# LOCI EX XLI.

## AMISSIS PLAVTI COMOEDIIS, A GRAMMATICIS LATINIS CITATI.

ACARISTVDIVM. SV- *ſpicari, vt opinor, licet, eſſe ἄχαρι ſtudium.*

1 Quam ego tãta pauperaui per dolum pecunia.

ADDICTVS.

1 Sed enim Saturionẽ, & Addictum, & tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non ſuppetit, in piſtrino eum ſcripſiſſe, Varro & plerique alij memorię tradiderunt.

2 Opus facere nimiò quàm dormire mauolo, veternum metuo.

AGRICVS.

1 M. Varro in libro de Comœdiis Plautinis primo actu verba hæc ponit: Nam nec Gemini Lenones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec bis compreſſa, nec Bœotica vmquã fuit, neque adeò Agricus, neque Commorientes, ſed M. Acutici.

AMBROICVS.

1 Quaſi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero.

ANVS.

ARTAMON.

1 Nunc mihi licet quiduis loqui, nemo hic adeſt ſuperſtes.

ASTRABA.

1 Eſt autem aſtraba, vehiculũ, παρὰ τὸ μὴ στρέφεσθαι, quo titulo & Plautus fabulam inſcripſit, in qua mulieres in eiuſmodi vehiculis inductæ.

2. Legerat ille, apludam veteres ruſticos frumenti furfurẽ dixiſſe: ídque à Plauto in Comœdia, ſi ea Plauti eſt, quæ Aſtraba inſcripta eſt, poſitũ eſſe.

3 Apludas frumenti furfures dicunt ruſtici veteres. hoc in antiquis inuenitur, quorum in dubio eſt authoritas: quamquam & Plautus in Aſtraba fabula ita dixerit, cuius incertum eſt, an ſit ea Comœdia, atque ideo verſus eiuſdem ponere ſuperſedimus.

4 Sequere, adſequere, Polybadiſce, meam ſpem cupio conſequi. Sequor hercule quidem: nam libenter mea ſpe rata conſequor.

5 Axitioſæ annonã caram è vili concinnant viris.

6 Quaſi tellenon aut pilũ Græcum reciproces plana via.

7 Cum incurioſum locaretur, terebratum quidem pertundis.

8 Dare pedibus protinam ſeſe ab his regionibus.

BIS COMPRESSA BOEOTIA.

1 Vt illum dij perdant, primus qui horas repperit,
Quíque adeò primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero vterus hic erat ſolariũ
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum,
Vbi iſte monebat eſſe, niſi cum nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, non eſtur, niſi ſoli lubet.
Itaque adeò iam oppletum'ſt oppidũ ſolariis,
Maior pars populi aridi reptãt fame.

CÆCVS, SIVE PRÆDONES,

1 Spectaui ludos magnificè atque opulenter.

2 Plure altero tanto, quãto eius fundus eſt velim.

3 Peregrè eſt.

4 Velim te arbitrari factum. R. ſedulum eſt, ſubmouentur hoſtes, remouentur lapides.

5 Nihil feci ſecus, quàm me decet.

6 Quis tu es, qui ducis me? Mu. Perij hercle, Afer eſt.

7 Nihil quicquam factũ niſi fabrè, nec quicquam poſitum ſine luco auro, ebore, argento, purpura, picturis, ſpoliis, tum ſtatuis.

8 Neque eam à me inuito vmquam abduces.

CALCEOLVS.

1 Molluſcam nucem ſuper eius dixit impendere tegulas.

CARBONARIA.

1 Secundum ipſam aram, aurum abſcondidi.

2 Patibulum ferat per vrbem, deinde affigatur cruci.

3 Sic ego pernam, ſumen, ſue, ſpectile, callum, glandia.

CHRYSALVS.

1 Fortè ego vt in ſtega conſederam.

CLITELLARIA.

1 Quid? tuam amicam times ne te manulea caiet?

COLAX.

1 Colacem eſſe Næui & Plauti veterem fabulam.

2 Bariolam auream,octo pondo habebat,accipere voluit.

COMMORIENTES.

1 Synapothneſcontes Diphili Comœdia eſt,

Eam Commoriẽtes Plautus fecit fabulam.

2 Saliam in puteum præcipes.

CONDALIVM.

1 Tam crepuſculo ferè vt amẽt,lampadas accendite.

CORNICVLARIA.

v.cod.Diomed. Facere olãt ędes Arabicæ.

1 Olunt ædes Arabicas.

2 Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

3 Latrocinatus annos decẽ mercedẽ.

4 Pulcrum & luculentũ hodie euenit prælium.

5 Litaueram,Lauernam ni furis ſceleraſcit manus.

6 Qui amant ancillam meam Sedulium oculitus.

7 Te obſecro Lyde pileum meum, mi ſodalis,mea ſalubritas.

8 Millies aduẽtũ, quem circumeunt ludentes.

Quid ceſſamus ludos facere? Circus noſter ecce adeſt.

DACHARIA. Sed emendari video,vt fiat Bacharia.

1 Quis eſt mortalis tanta fortuna affectus vmquam,

Quàm ego nunc ſum?cuius hæc ventri portatur pompa?

Vel nunc, qui mihi in mari acipenſer latuit antehac,

Cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

DYSCOLVS.

1 Virgo ſum,non didici verba nupta dicere.

FOENERATRICIVS.

probè. v. prouè.

1 Quæ ego populabo properè.

FRETVM.

1 Hoc illud eſt,

Quod arietini reſponſum magnis ludis dicitur.

Peribo,ſi non fecero:ſi faxo, vapulauero.

FRIVOLARIA.

1 Commodo dictitemus.

2 Is mihi erat bilis, aqua intercus, tuſſis,febris.

3 Vbi rorarij eſtis? en ſunt. vbi accenſi? ecce.

4 Nauè agere oportet, quod agas, non ductarier.

5 Sequimini me hàc ſultis legiones omnes Lauernæ.

6 Superabóque omnes argutando præficas.

7 Tunc papillæ primum ſororiabãt: illud volui dicere,fraterculabant.

FVGITIVI.

1 A grege ſpecta, vide viuices quantas,iam inſpexi quid eſſent.

GESTIO. Animaduerto emendari, vt fiat Reſtio.

1 Ceraſtribula, vt de lumbo obſcœnabis.

HORTVLVS.

1 Præco ibi aſſit cum corona,cuique liceat veneat.

LENONES GEMINI.

1 Dolet hic puellus ſeſe venũ ducier.

LIPARGVS,

1 Nihil moror mihi fucum in aluo, apibus,qui peredit cibum.

MEDICVS.

1 In conſpicilio aſſeruabam pallium.

2 Paraſito cum virgis caſeum radi poteſt.

3 Domi reliqui exoletam virginem.

MOECHVS.

NERVOLARIA.

1 Scobinam ego illam actutũ adraſi.

2 Prohibent quòd mœnia alia vnde ego fungor in ea.

3 Productè prodigum eſſe in amatorem addecet.

4 Vinum ſübleſtiſſimum.

5 Inſanum valde vterque deamat.

6 Diobolares, ſchęniculæ,miraculę.

7 Scrãtiæ,ſcrupedæ,ſcritabillæ, tantillæ.

8 Non quaſi vt hæc ſunt hîc limaces,liuidæ.

9 Strateæ, ſcrupedæ, ſtratiuolæ,ſordidæ.

PATINA, SEV PATINARIA.

1 Nam quid illæ nunc diutius remorantur remeligenes?

PARASITVS PIGER.

1 Domum ire cœpit tramite dextra via.

2 Migro hinc inde, bene potus primo crepuſculo.

3 Ambo magna laude lauti, poſtremò ambo ſumus non nauci.

4 Addite lopades, echinos, oſtreas.

PHAGON.

1 Honos Synceraſto perit pernis gladio.

PHASMA.

1 Nec rectè ſi illi dixeris.

2 Eadem præcipio ſuper rebus noſtris loqui te.

PLOTINVS.

1 Nam coloratam frõtem ha betpetilis labris.

SATVRIO.

1 Catulinam carnem eſitauiſſe, hoc eſt, comediſſe Romanos, Plautus in Saturione



Saturione refert.

2 Retrahi nequitur quoquò progreſſa eſt ſemel.

3 Malè tibi eueniſſe video, glaber erat tamquam rien.

4 Succenturia,centum require, qui te delectent domi.

SCEMATICVS.

1 Nam pater tuus numquam cum illa etiam limabit caput.

SITELITERGVM.

1 Mulieres vxorculauit, ego noui, ſcio axitioſam.

TRIGEMINI.

1 Ni fugiſſem, medium credo præmorſiſſet.

VACCIAS. De quo verbo dubito: nam adducuntur alicubi hæc ex Plauti Bacchide.

1 Effer naſiternam cum aqua foras.

VIDVLARIA.

1 Neſcio quid ſeruos è myrtera proſiluit.

2 Paupera hæc res eſt.

3 Appoſita eſt claſendix? at ego dicam ſigni quid ſit.

4 Animaduertite amabo, ſi vultis, vidulum hic apponite: ego ſeruabo quaſi ſequeſtro detis, neutri reddibo, donicum res diiudicata hæc erit.

5 Inopiam,luctum, mœrorem, paupertatem,famem.

6 Eiuſdem Bacchæ fecere noſtram nauim Pentheum,

7 Nunc vt apud ſequeſtrum, vidulum poſiuimus.

8 Nunc ſeruos argentum à patre expalpabitur.

9 Malim moriri meos, quàm nunc mendicarier.

Boni miniſtrantur,illum nunc irridẽt mali.

10 Signum rectè comparebat, huius contendi anulum.

11 Quid multa verba?plurimum luctauimus.

12 Iube hunc inſui culleo, atque in altum deportari,ſi vis annonã bonã.

13 Ibi vt piſcabar fuſcina, ici vidulũ.

*LOCI ALII EX AMISSIS citati, non addito Comœdiæ nomine.*

1 Agite nunc,ſubſidite omnes,quaſi ſolent triarij.

2 Illud enim extemplò acceptum, me negato & filium.

3 Epeum,fumicum cocum.

4 Ganuit odioſus omni toti familiæ.

5 Licet vos abire curriculo.

6 Iam tibi tuis meritis craſſus corius redditus eſt.

7 Dij bene vortant,tene cruminam, minuerunt triginta minæ.

8 NVLLAM REM citiorem apud homines eſſe, quàm famã, reor.

9 Stultus eſt aduerſus ætatem & capitis canitudinem.

10 Corruſpare tua conſilia in pectore.

11 Nam modò mihi oculi cœcultãt, éſtne hic noſter Hermio.

12 Eiurauit militiam.

13 Sic me ſubes cotidie, quaſi fiber ſalicem.

14 Herbam do, cùm ait Plautus, ſignificat, victum me fateor: quod eſt antiquæ & paſtoralis vitæ indicium.

15 Iniit te numquam febris?

16 Neque muneralem legem,neque lenoniam, rogata fuerit nec ne, flocci facio.

17 Perfidioſe captus,eo ædepol neruo ceruices probat.

18 Muriaticã video in vaſis ſtagneis, naricam bonam & cauatam, & taguma quinas fartas conchas piſcinarias.

19 Non ego te noui nauatis ſcriba columbari impudens.

20 Occidamus, Plautus ponit, pro contrà cedamus.

21 Putitium Plautus dixit pro ſtulto.

22 Perediam & Bibeſiam, Plautus finxit ſua conſuetudine,cùm intelligi voluit cupiditatem edendi & bibẽdi.

23 Perſicum portum Plautus cùm ait,mare Euboicum videtur ſignificare,quòd in eo claſſis Perſarum dicitur ſtetiſſe non procul à Thebis.

24 Nihil deconciliare ſibi, niſi qui Perſicus ſapis.

puto eſſe verſum ex Lenonibus geminis ſ.

25 Olim huic puello ſe Venum ducier.

26 Sacrum aut prophanum habeas, parui penditur.

27 Vlceroſam,compeditam,ſubuerbuſtam,ſordidam.

28 Quia tibi ſuaſo infeciſti propudioſa pallulam.

29 Capulo proximos.

30 Glirium examina.

31 Nam coloratum frontem habet petilis.

Aulul.

32 Sed leno egredietur foras, hinc ex occulto ſermonem ſatis ſublegam.

33 Nec machæram audes dẽtes frendere.

34 Meam vxorem mittam catillatũ.

35 Floccipendo quid rerum geras.

36 Argentum hinc facite.

Extat in Bacchidib. ſc. Meamne

37 Confoſſiorem te faciam ſoricina nænia.

38 Clandeſtinè, vt cæletur conſuetudo.

39 Fortaſſe te amare ſuſpicauere.
40 Inſtare factum.
41 Inimicus eſto, donicum ego reuenero.
42 Quia ſciebam piſtrinum in mundo fore. Extat in Pſeud.act.1 ſc.vltima.
43 Pedibus,aduerbialiter.
44 Corpus tuum virgis inſcribam. Si de damnoſis.
45 Numquam ad ciuitatem venio, niſi cum infertur pepulum.
46 Scelerare manus, pro polluere; Plautinus ſermo, hodie non in vſu.
47 Ipſa ſibi auis mortem creat.
48 Capularis ſenex.
49 Pro laruatore circumferam.
50 Paupera eſt mulier.
51 Si qua fortè cautio eſt, vbi cum hietare nondum in mentem venit.
52 Exite & ferte fuſtes priuos in manu.
53 In pellis periculum protenditur.
54 Cedite mihi.
55 Mecum habet pagus, morbus,æs.
56 Quid eſt hoc,rugat pallium,amictus non ſum commodè.
57 Exi tu Daue,age.
Sparge, mundum eſſe hocce veſtibulum volo.
Venus ventura eſt, noſtra nolo hoc pulueret.
58 Termentum apud Plautum, detrimentum.
59 Veſperna apud Plautum, cœna intelligitur.

*LOCI EX COMOEDIIS quæ extant.citati, qui hodie in noſtris codicibus non inueniuntur.*

AMPHITRVO.

1 Optimo iure infringatur aula cineris in caput.
2 Næ tu poſtules matellam vnam tibi aquæ infundi in caput.
3 Herus Amphitruo occupatus.
4 Laruatus ædepol hominem miſerum medicum quæritat.
5 Tu certè aut laruatus es, aut ceritus.
6 Vno vt labore exſoluat ærumnas duas.
7 Cuique me abſente corpus vulgauit ſuum.
8 Animam comprime.
9 Niſi hoc ita factum eſt, perinde vt factum eſſe autumo, non cauſſam dico, verùm ne inſimules probri.
10 Quaſi aduenienti morbo, medicati iuuenem.
11 Qui nequeas noſtrorum vter ſit Amphitruo decernere.
12 Prius ipſe mecum etiam volo hic meditari.
13 Manifeſtum hunc obtorto collo teneo furem.
14 Ibi ſcrobes effodito duplos ſexagenos in dies.

ASINARIA.

1 Hic aderit credo congerro meus, & colluſor meus.
2 Pelle crebris perniciis.
3 Qui etiam me miſerum famoſum facit ſuis flagitiis.

AVLVLARIA.

1 Nec noctu nec diu quietus vmquã eam, nunc dormiam.
2 Homo ebriacus ſomno ſanari ſolet.
3 Quin mihi olera cruda ponunt, halec danunt.
4 Vbi quamque pedem videbat, ſuppurabatur omnis.
5 Ego ecfodiebam in die denos ſcrobes.
6 Hic quidam peruicus cuſtodem addidit.
7 Pro illis crocotis ſtrophiis, ſumtu vxorio.
8 Vt admemordi hominem.
9 Plautus in Aulularia Myrtã etiam fœminino genere dixit, & neutro.

CAPTEIVI.

1 Pileum quẽ habuit, diripuit, eúmque ad cœlum tollit.

CVRCVLIO.

1 Auctionem facio paraſiticam.

CASSINA.

1 Perij, flacco habebit iam illic lumbos meos.
2 Intro ad vxorem, ſufferámque meum tergum ob iniuriam.

CISTELLARIA.

1 Non quaſi vt hæc ſunt limaces liuidæ.
2 Qui niſi iteres, nimium is vægrandi gradu.
3 Prohibet diuitiis maximis, dote altili atque optima.
4 Et doloſi, idẽ conquineſce ſi iſtice vero ſimul.
5 Expurgabo hercle omnia ad raucam rauim.
6 Quæ quaſi carnificis angiporta purgitaris.
7 Pol accubiturã mater magis ſum exercitaro, quàm à curſura ſum tardiuſcula.
8 Illum amatorem, tibi proprium futurum in vita.
9 Intro ad bonam meretricem, aſtare in via ſolum, proſtibula ſanè eſt.
10 Malum aufer, bonum mihi opus eſt.
11 Meminere officium ſuum.

12 Potin'



22 Potin' es tu homo facinus facere ſtrenuum,
Aliorum eſt affatim qui faciant. ſanè ego me
Volo fortem perhiberi virum.
13 Túne igitur mea matercula?
14 Cum extortis talis, cum crocotillis cruſculis.
15 Germana mea ſororcula.
16 Siquidem impares pro copia, pro recula.
17 Datores belliſſimi negotioli ſenecis vos ſoletis eſſe.
18 Adhinnire equulam poſſim ego hanc, ſi detur ſola ſoli.

EPIDICVS.

1 In latebras condas pectori peniſſumè.

BACCHIDES.

1 Illa mea cognominis eſt.
2 Ecquis euocat cũ naſiterna & cum aqua iſtum impuriſſimum.
3 Quæ ſodalem atque me exercitos habet.
4 Nam credo cuiuis excantare cor poteſt.
5 Vincla, virgæ, molle ſæuitudo mala ſit peior.
6 Cor meum, ſpes mea, mel meum, ſuauitudo, cibus, gaudium.
7 Limaces viri, qui atterant & conſumant.
8 Nec cum quoquam alio acciperes mercedem annuam,
Niſi ab ſeſe, nec cum quoquam limares caput.
9 Quibus ingẽs in animo vtibile eſt modicum, & ſine vernilitate.
10 Cupido te conficit, ánne amor?
11 Præneſtinũ opino eſſe, ita erat glorioſus.

Seruius Eclog.8.paullo aliter hũc locum profert ad vſ. Frigid⁹ in pratis cãtando rumpitur anguis ſic. n. habet. Nã tu quidem cuiuis excãtare cor facilè potes. & excantare magicis carminibus obligare exponit. non vt Nonius excludere. § Seru. 4. Æneid.

MOSTELLARIA.

1 Sine iuxta aram ſedeã, & dabo meliora conſilia.

MILES.

1 Siue animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.
2 Viden' oculis tu illam venaturam facere, atque aucupium auribus.
3 Modicè ſapis.
4 Itáne nos noſtrámque familiam habes exercitam?

MERCATOR.

1 Noctúque & diu vt viro ſubdolaſſis.

PSEVDOLVS.

1 Itur ad me.
2 Pecus neutro & maſculino.
3 Ni carcerem effregeritis veſtram domum.

POENVLVS.

1 Quæ eſt illa auis?

PERSA.

1 Theatrum lepidum cum decora ſchema.

RVDENS.

1 Quid murmurillas tecum, & te diſcrucias?
2 Quo in loco ſis neſcius, neſcias peſſumus.
3 Ollas abſtollas.

STICHVS.

1 Publicitus.
2 Fami, in datiuo caſu.

TRINVMMVS.

1 Fulmentas iubeam ſupponi foco.

TRVCVLENTVS.

1 Dum abeam quodam, & vbi nihil cœpiam.
2 Factus ſum extimus à vobis.

*ALII LOCI A VARIIS autoribus ex Plauti Comœdiis quæ non extant, citati.*

1 Nonius, Pauperauit.

ADDICTVS.

1 Gellius lib.3.cap.3.
2 Anonymus Virgilij interpres lib.1. Georg.veternum.

AGRICVS.

1 Gellius, ibidem.

AMBROICVS.

1 Feſtus & Nonius, Clunes.

ANVS.

1 Gellius lib.3.cap.3.

ARTAMON.

1 Feſtus, Superſtites. Helenius in 1. Epod.Horatij

ASTRABA.

1 Probus in vita Virgilij.
2 Gellius lib.11.cap.7.
3 Nonius, Apludas.
4 Varro de LL.lib.5.
5 Idem libro 6.
6 Feſtus, Reciprocare.
7 Nonius, Exterebrare.
8 Idem, Protinam.

BIS COMPRESSA

1 Gellius lib.3.cap.3.

BOEOTIA.

1 Idem eodem libro & capite.

CÆCVS, SIVE PRÆDONES,

1 Chariſius lib.2. Opulenter.
2 Ibidem, Plure.
3 Ibidem, Peregrè,
4 Ibidem, Sedulum.
5 Ibidem, Secus.
6 Ibidem, Mu.
7 Ibidem, Fabre.
8 8 Ibidem, Inuito.

CALCEOLVS.

1 Macrob.lib.3.Sat.cap.18.

CARBONARIA.

*

1 Priſcianus, lib.10.
2 Nonius, Patibulum.
3 Feſtus, Spectile.

CHRYSALVS.

1 Ignotus Grammaticus ad Calcidium.

CLITELLARIA.

Caieta. 1 Fulgentius in expoſitione Virgilianæ continentiæ Caiatio.

COLAX.

1 Terentius in prologo Eunuchi.
2 Nonius, Batiola.

COMMORIENTES.

1 Terentius in prologo Adelphorum.
2 Priſc.lib.6.

CONDALIVM.

1 Varro de LL.lib.6.

CORNICVLARIA.

1 Diomedes lib.1.Oleo.
2 Varro de LL.lib.6.
3 Nonius, Latrocinari.
4 Idem, Luculentum,
5 Idem, Lauerna.
6 Idem, Oculitus.
7 Idem, Pileus.
8 Varro de LL.

DACHARIA, VEL BACHARIA.

1 Macrob.lib.4.Saturn.cap.16.

DYSCOLVS.

1 Feſtus, Nupta verba.

FOENERATRICIVS.

1 Diomedes lib. 1. de imperſonalibus.

FRETVM.

1 Gell.lib.3.cap.3.

FRIVOLARIA.

1 Char.lib.2.Commodò.
2 Priſc.lib.6.Feſtus, Querquera.
3 Varro de LL.6.
4 Feſtus, Nauus.
5 Idem, Sultis.
6 Nonius, Præficæ.
7 Feſtus, Sororiare.

FVGITIVI.

1 Varro de LL.6.

GESTIO, VEL RESTIO.

1 Idem ibidem.

HORTVLVS.

1 Feſtus, Sub corona venire.

LENONES GEMINI.

1 Priſc.lib.6.Gell.lib.3.cap.3.

LIPARGVS,

1 Priſcianus lib.10.

MEDICVS.

1 Nonius, Conſpicilium.
2 Idem, Caſeum.
3 Priſc. lib.10.

NERVOLARIA.

1 Varro de LL.lib.6.
2 Feſtus, Mœnia.
3 Idem, Prodigere.
4 Idem, Subleſta.
5 Nonius, Inſanum.
6 Varro de LL.lib.6.
7 Idem ibidem.
8 Idem ibidem.
9 Gell.lib.3.cap.3.

PATINA,

1 Feſtus, Remeligenes.

PARASITVS PIGER.

1 Varro de LL.lib.6.
2 Idem ibidem.
3 Feſtus, Nauci.
4 Nonius, Lopades,

PHAGON.

1 Varro de LL.lib.6.

PHASMA.

1 Feſtus, Nec.
2 Idem, Super.

PLOTINV.

1 Nonius, Petilis,

SATVRIO.

1 Feſtus.
2 Idem, Nequitum.
3 Rienes.
4 Succenturiare.

SCEMATICVS.

1 Nonius, Limari,

SITELITERGVM.

1 Varro de LL.lib.6.

TRIGEMINI.

1 Gell.lib.7.cap.9.

VACCIAS. *

1 Ignotus grammaticus ad Calcidium.

VIDVLARIA.

1 Priſcianus lib.4.
2 Idem lib.5.
3 Idem eodem libro.
4 Idem li.6.& 13.Nonius.Reddibo.
5 Idem lib.6.
6 Idem lib.7,
7 Idem lib.10.
8 Nonius, Expalpare.
9 Idem, Mendicarier.
10 Idem, Contendere.
11 Idem, Deluctaui. vel Eluctaui
12 Ignotus gram.ad Calcidium
13 Nonius, Icit.

*LOCI EX AMISSIS citati, amiſſo Comœdiæ nomine.*

1 Varro de LL.lib.4.
2 Idem lib.6.
3 Idem ibidem.
4 Idem ibidem.
5 Feſtus, Curriculo.
6 Idem, Corius.
7 Idem, Crumina.
8 Idem, Citior.
9 Idem, Canitudo.





10 Idem, Corruſpari.
11 Idem, Cæcultant.
12 Idem, Eiurauit.
13 Idem, Fiber.
14 Idem, Herbam do.
15 Idem, Iniit.
16 Idem, Muneralis lex.
17 Idem, Neruum.
18 Idem, Narica.
19 Idem, Naualis ſcriba.
20 Idem, Occidamus.
21 Idem, Putitium.
22 Idem, Peredia.
23 Idem, Perſicum.
24 Idem, ibidem.
25 Idem, Puellus.
26 Idem, Profanum.
27 Idem, Subuerbuſta.
28 Idem, Suaſum.
29 Nonius, Capulum.
30 Idem, Glis.
31 Idem, Frons.
Ex Aulul. 32 Idem, Legere,
33 Idem, Frendere.
Fulgentius in expoſitione ſermonũ antiquorum ad Grammaticũ Calcidiũ.alias. Claudium.
34 Ignotus gram.ad Calcidium.
35 Idem ad eundem.
36 Donatus in Phormionem.
37 Idem in Eunuchum.
38 Idem in Adelphos.
39 Idem in Hecyram.
40 Idem in Andriam.
41 Chariſius lib.2.Donicum.
42 Idem ibid. In mundo eſſe.
43 Idem ibid. Pedibus.
44 Seruius in 1.Æneidos.
45 Idem ibidem.
46 Idem in 3.
47 Idem in 6.
48 Idem in 6.& 11.
49 Idem in 6.
50 Idem in 3. & 12.
51 Diomedes lib.1.
52 Helenius in lib.2. Serm.Sat.4.
53 Idem in lib.1.Serm.Sat.6.
54 Phocas.
55 Macrob.lib.5.Sat.cap.19.
56 Gellius lib.18.cap.12.
57 Idem eodem in loco.
58 Feſtus, Terminum.
59 Idem Veſperna.

*VERBA EX COMOEDIIS quæ extant citata, quæ hodie in noſtris codicibus non inueniuntur.*

AMPHITRVO.

1 Nonius, Aula.
2 Idem, Matella.
3 Idem, Occupatus.
4 Idem, Laruatus.
5 Idem ibidem.
6 Idem, Nixum.
7 Idem, vulgauit.
8 Idem, Anima.
9 Idem, Autumo.
10 Idem, Laruatus,& Aduenire.
11 Idem, Decernere.
12 Idem, Meditari.
13 Idem, Furtum.
14 Idem, Scrobes. Seruius in 2. Georg.Item Priſc.lib 5.&.7.

ASINARIA.

1 Nonius, Gerræ.
2 Idem, Perniciis.
3 Idem, Famoſus.

AVLVLARIA.

1 Nonius, Diu.
2 Idem, Ebriacus.
3 Idem, Halec.
4 Idem, Pedis.
5 Idem, Scrobes.
6 Idem, Peruico.
7 Idem, Strophium.
8 Gellius lib.7.cap.9.
9 Porphyrio in libro 2. Carmin. odam 38.

CAPTEIVI.

1 Nonius, Pileum.

CVRCVLIO.

1 Ignotus gram.ad Calcidium.

CASINA.

1 Nonius, Deflaccare.
2 Idem, Sufferre.

CISTELLARIA.

1 Varro LL.lib.6.
2 Feſtus, Vægrandis.
3 Nonius, Altilis.
4 Idem, Conquiniſcere.
5 Idem, Rauis.
6 Idem, Angiporta.
7 Idem, Curſura.
8 Idem, Proprium.
9 Idem, Proſtibula.
10 Idem, Opus eſt illam rem.
11 Idem, Accuſatiuus pro genitiuo.
12 Gellius lib.7.cap.10.
13 Priſcianus lib.3.
14 Idem libro eodem.Feſtus, Crocotillum. Idem, Todi.
15 Priſcianus lib.3.
16 Idem ibidem.
17 Idem lib.3.&.6.
18 Idem lib.3.

EPIDICVS.

1 Chariſius lib.2.Penitiſſume.

BACCHIDES.

1 Seruius in 6.Æneid.
2 Feſtus, Naſiterna.
3 Nonius, Exercitum. Chariſius lib.2. Atque.
4 Idem, Excantare.
5 Idem, Sæuitudo.
6 Idem, Suauitudo.
7 Idem, Limari.

8 Idem ibidem.
9 Idem, Modicum.
10 Idem, Cupido: & Seruius 4. Æneid. ad verſ. turpíque cupidine captos.
11 Idem, Opino.

MOSTELLARIA.

1 Seruius 9. Æneid. ad verſ. Sacrata valle ſedebat. in eius libri initio.

MILES.

1 Nonius, Hilaritudo.
2 Idem, Venatura.
3 Idem, Modicè.
4 Ignotus gram. ad Calcidium.

MERCATOR.

1 Nonius, Diu.

PSEVDOLVS.

1 Donatus in Andriam.
2 Chariſius lib. 1.
3 Seruius in 1. Æneid.

POENVLVS.

1 Seruius in 8. Æneid.

PERSA.

1 Priſc. lib. 6.

RVDENS.

1 Nonius, Murmurillum.
2 Idem, Neſcius. Gell. lib. 9. cap. 12.
3 Diomedes lib. 1.

STICHVS.

1 Chariſius lib. 2.
2 Idem ibidem.

TRINVMMVS.

1 Nonius, Fulmentum.

TRVCVLENTVS.

1 Nonius, Cœpere.
2 Priſcianus lib. 5.

# IVSTI LIPSII ANTIQVÆ LECTIONES IN QVIBVS VARIA PLAVTI LOCA ILLVSTRANTVR, aut emendantur.

## EX ASINARIA

Scena, Siccine hoc fit. pagina huius libri 91. c.

*Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopia.*

Lego vnita voce, *impannus, inopia*. Inpannè vocat, qui caret pannis: Inopiã, antiquè pro inopem. Ita poëta vetus apud Nonium, de pãnibus dixit, nõ vt Nonius ſomniat diuiſim, de pannibus, pro pannis.

Scena, Vbi ego nunc. pag. 101. a.

*Placidè ergo vnumquidque rogita, vt acquieſcam.*

Vaticani, *vnumquidque derogita.* voce compoſita, vt deiuuare apud Plautũ, demorare apud alium neſcio quem poëtam.

Scena, Vbi ego nunc. pag. 102. d.

*Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit,*
*Numquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.*

Hæreo in his quadrigis albis. Nam eas honoris tantùm inſigne fuiſſe ſcio, atque ita Platonem à Dionyſio Tyrãno quadrigis albis exceptum in in Plinio legimus: & in altero poëta, *equis præcurreret albis*. At hîc aliquid de celeritate ſentẽtia poſtulat. In Roueriano codice margini aſcriptum erat, *quadrigis argis*. In Lãgij noſtri, *quadrigis albis*. Mihi ſuſpicio eſt ne ſcribẽdũ ſit, *quadrigis ſi abit*. vt fefellerit ſcriptores confuſa ſcriptura, *quadrigis ſabit*. quadrigis abire, curriculo fugere, & ſimilia, valẽt prouerbiali ſermone, numero & celeriter abire, fugere. Plautus Pœnulo, *Niſi ego illum iubeo quadrigis curſim ad carnificem rapi*. Aulularia, *Quod herus iubeat, citis quadrigis citius properet perſequi* Amphitr. *Quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis numquam effugies infortunium.* De hoc ita iudico, ſic tamen vt legis Valeriæ beneficium non tollam, & à me ad populum prouocari permittam.

Scena, Quid hoc eſt negotij. pag. 109. d.

*Iamnũc ſecũdamihi facis, ſcribam huic te capitulo hodie facturum ſatis pro iniuria.*

Forte legendum, *ſecundas mihi facis*. Secundas facere, aut ſecũdas agere, quid ſit, docet Senec. III. de Ira, *Optimum iudicauit, quidquid dixiſſet ſequi, & ſecundas agere. Non tulit Cœlius aſſentientem*, &c. Tractum à comœdis primis & ſecundis.

Scena, Cur me retentas. pag. 121. d.

*Hirundinem, monedulam, paſſerculum, putillum.*

Optimus ille Vaticanus, *Monerulam.* quam ſcripturam ſolicitare mihi ſanè religio ſit. Nam antiquos ſcilicet R pro D. vſitaſſe, Aruocatos, Arfines, Arfari. vt Priſcianus adnotat.

Eadem Scena. pag. 122. b.

*Quem te autem nominem Deum?* L E. *fortunatam atque obſequelam.*

Vatic. *atque obſequentem*. Eleganter: ſeruus vocari ſe fortunam vult, & quidem quia obſequebatur amori & voluntati heri ſui, cognomento Obſequẽtem. Colebatur autem Romæ fortuna Obſequens: eóque alluſum eſt.

ibidem. c.

*Dabuntur, animo ſis bono, facile exoptata obtingent.*

In verbo notiſſimo non temerarium eſt quod variant libri. Optimus Vaticanus, *face, exoptata*, alius, *facie, exoptata*. Equidem pignus in omnes fortunas meas dederim, Plautum ſcripſiſſe, *faciem exoptata obt*. antiquè, pro, faciam. Veteres faciem, dicem, pro faciam, dicam, ſcripſiſſe auctor Quinctil. lib. 1.

Scena. Ain' tu. pag. 115. c.

*Quid fatere?* D E. *me ex amore huius corruptum eſſe oppidò.*

Vatic. optimus, *correptum eſſe*.

Aſinaria, cùm anus moroſa & difficilis egenũ amatorẽ expuliſſet, amica diſcẽdentẽ illum Lacinia retineret, ſic legimus,

P H. *Quo nunc abis? quin tu hîc manes?* A R. *mox ſi voles manebo.*

Deprauatè. Nam adoleſcentem aliquid de nocte dixiſſe patet ſtatim ex ſequenti verſu quem Libanus ſubiecit, *Audin' tu hunc opera vt largus eſt nocturna?* Itaque citra controuerſiam Plautus ſcriptũ reliquit, *Nox ſi voles manebo*. Nox ἀρχαϊκῶς, pro noctu. cuius vocis inſolentia loco fuit deprauando. veteres ita locutos diſcimus ex Agellij indice lib. I I X. Noctium cap. 1. *Heſterna noctu rectè an cum vitio dicatur: itémque quòd* X. *viri in* X I I. *tabulis Nox pro Noctu dixerunt*. Caput autem ipſum quo id pluribus docuit Agellius, etſi vnà cum libro periit: tamen verba ex X I I. quę ille in mente habuit, repperi apud Macrobium, qui eiuſmodi multa vtenda ab Agellio ſumſit, ſi fatetur, furatus eſt, ſi negat. li. 1. Satyr. *Si nox furtum factum eſsit, ſi imalis occiſit, iure cæſus eſto*. Addam ex eadem ſcena aliud.

*Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt, quas hodie adoleſcens diabolus ipſi ſe daturum dixit.*

Reſtituẽdum hîc aio nimium elegans genus dicendi, quod imperiti nebulones furcis eiecerãt. *quas h. a. diabolus ipſi daturus dixit*. Ita enim ſine vlla litura Vaticani libri: & codex Langij noſtri, *daturas dixit*, littera vna diſcrepans ab illis. Eſt autem purus putus Helleniſmus, notus iis qui primoribus labris litteras Græcas guſtarunt.

## EX CVRCVLIONE.

Scena 1. pag. 263. a.

P A. *Nẽpe huic lenoni qui hic habitat?* P H. *rectè tenes.*
P A. *Nimis formido ne exedat.* P H. *odioſus es.*

Scribo *formido ne excidat*. Cum herus diceret, rectè tenes: ſeruus ludificans in verbo tenendi, nimirum, inquit, metuo ne elabatur.

Scena, Date viam. pag. 284. a.

*Video tuum ſodalem, argenti rogo vti faciat copiam,*
*Scires velle gratiam tuam nolint fruſtrarier.*

lego, *Scire velle gratia tua, noluit fr.* id eſt, ſcires facile eum tua cauſſa velle, ſed non poſſe. vide ſequentia.

*-----iacit volturios quattuor.*
*Talos arripio, inuoco almam meam nutricem: Herculem*
*Iacto baſilicum, propino magnum poculum.*

Quis iſte Hercules Baſilicus? an vt Turnebus cenſet, talorum ſpecies in qua Hercules ſculptus ſiue pictus cultu regio? Logi. Nam quis Herculem vmquam vt regẽ pinxit? & non potius cum claua & pelle leonina? Arbitror ipſe vitiatum ab interpunctione locum eſſe, & ſic diſting. *almam meam nutricem Herculem: iacto baſilicum*. Cum enim in more eſſet vt qui talis luderent, deum aliquem propitium inuocarẽt, vt exempli cauſſa milites Martem, amatores Venerem, aut pro Venere amicã: Plautus egregiè in Paraſito τὸ πρέπον ſeruans, facit ab eo Herculem inuocari ab hac cauſſa. veteribus cum decumas Herculi pollucerent, epulum publicè præbere ſolemne fuit. Ad id epulum imprimis paraſitos aduocari tamquam peculiares eius Dei ſeruos leges Græciæ ſanxerant. Athen. li. 6. τὸ τοῦ παρασίτου ὄνομα νῦν μὲν ἄδοξόν ἐστι, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις εὑρίσκομεν τὸν παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον. Ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου λέγεται τ' ἐν αὐτῷ περὶ τῆς προσηγορίας οὕτως. τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων. Simile apud Rom. obtinuiſſe ex Poſſidonij verbis apud Ath. & ex Plutarchi Craſſo licet colligere. Itaq; cũ plerumq; vſu veniret, vt paraſiti in tẽplo Herculis ex eius decimis pulchrè acciperentur: quis nõ fateatur ab homine parco, & vni vẽtri dedito rectè & facetè Herculẽ inuocatũ, cũ cognomẽto nutricis, quod ab eo ſæpe nutriretur? Tantum eſt de Hercule nutrice. Sed quis Baſilicus iactus? me iudice idem qui Venerius. Cum enim Græci magiſtrum vulgò βασιλέα dicerent: quid cauſſæ eſt, quin iactũ illum propriũ regi creãdo, Baſilicum rectè vocarit? Quod alij Herculẽ baſilicũ cõiunctim accipiũt, Latinę vt loquor, germanæ nuge. Quis volturius iactus? idẽ cũ Cane. quod enim is iactus (qui fiebat cũ quattuor tali pari ſitu in dorſũ ſubſilirẽt) infelix eſſet & rapax, vidẽtur ei nomina quædã infauſta & mali ominis indidiſſe animaliũ rapaciũ, vt canis, vulturis.

## EX CASSINA.

Pag. 322. c. Scena, Sequimini.

*Nam peculi probam nihil habere addecet.*
*Clam viro: & quod habet partum, ei haud commodi eſt.*

lego & diſtinguo, *& quod habet, partum ei haud commodè eſt.*

Scena, Non mihi licere. pag. 318. d.

*Ita te aggerunda cernuum aqua faciam probè,*

lego, *cernuum.*

Scena, Face Chaline. pag. 332. c.

C L. *Tace Chaline.* C H. *cõprime iſtum.* C L. *imo iſtum.*

Mancus ab aliquot verbis eſt verſus, ídque numeri clamant. Cenſeri enim in trochaicis debet. Vaticani habent, *imò iſtum qui dicit dare*. Lego, *qui didicit dare.* Liberior paullo iocus eſt, vt ſolet Plautus. Cum alter ſeruus dixiſſet, cõprime iſtũ, ne obloquatur videlicet: alter id inimicè cõuertens, imò hũc, inquit, potius qui ſolitus eſt à puero dare: dandi verbum inter Priapeia eſt, conuenítque propriè in mulieres cùm dãt illud quod

*Dent licet aßiduè, nil tamen inde perit.*

Hîc etiam de viro qui muliebre officiũ functus.

*Credo herclè hodie deuorabit ſortes, ſi attigerit.*

Scribo, deuorabit.

Scena, Stultitia magna. pag. 347. a.

*Non Matronarum eſt officium ſed meretricum.*

vt verſus conſtet, legend. *matronarum o. e. ſ. meretricium*, vt cuntatium hominium antiqui.

Scena, Nulla ſum. pag. 349. d.

*-----quid eſt niſi hæc meraclo*
*Se vſpiam percußit flore Libyco.*

Quid iſte flos Libycus? ſiculæ gerræ. haud dubiè ſcrib. *Flore Liberi*. Totidem pænè verbis Ennius apud Fulgentium, *Hæc anus ſe ſauciauit flore Liberi.* Meraclo, valet, meraculo, niſi placet legi *meraco*.

*-----Neque ſe tuam neque ſe ſuam.*
*Neque viri vitam ſinet in craſtinam protolli.*

Scribe, Sinere in.

Pag. 349. d.

In lepida illa fabula quam Caſſinam Plautus inſcripſit, cum mulierculæ mirum in modum libidinoſum ſenem ludos facerent: hæc in omnibus libris legimus,

*Nam niſi ex te ſcio quicquid hoc ſit certo, iam tibi iſtuc*
*Cerebrum diſpercutiam, execrata, ludibrio peſsima adhuc*
*quæ me habuiſti.*

Nec tamen dubito quin pro illo, *Execrata* Plautus ſcripſerit *Excetra tu*, id eſt, vipera, maledicto me herclè ſatis conuenienti in malas illas merces. vſus eodem eſt in Pſeudolo. *En excetra tu, quæ tibi habes tot amicos tam probè oleo onuſtos.* quamquã & ibi plerique omnes libri, *Execrato*, aut *Execrata*, corruptè referant.

Scena ſequenti. pag. 354. a.

*----nunc quidem gladium ancilla*
*intus Caſsinam habere ait qui me atque te interimat.*

Omnes planè libri, *qui me atque te inuitet*: ídque immutare ſane religio ſit, opinor inuitare eum dixiſſe pro iſto, vitam tollere, vt poëta vetus apud Cicer. euitare, *Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam euitari.*

Scena cuius initium, Si ſapitis. pag. 357. a.

*Sed eccum egreditur cum corona & lampade.*
*Meus ſocerus, compar, commaritus, villicus.*

Apage illud, Socerus. Nam Olympio ſeni illi ſeruus profectò, non ſocer. Niſi animi fallor, *meus ſociennus*. ſcriptum ἀρχαϊκῶς fuit. Sociennus valet ſocius. Plautus Amphitr. *Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere.* Aulular. *ibo intrò atque illi ſocienno tuo iam interſtringam gulam.* Iuuat vehementer coniecturam meam Rouerij liber, qui *ſocius* refert gloſſema quaſi illius. Et ſanè locum lepidè dixerit, vti & comparem & cõmaritum. Quippe ambiebat ille ſenex, (ita fabulę argumẽtum eſt) cupidus & attentus ad rem faciendam, in famula diuidũda pro Socio Olympioni eſſe, & agrum illum communi impendio arare. Nec repugnabat ſanè homo benignus, & minimè aſper Olympio: niſi argutæ mulierculę ſuppoſititia Caſſina illorum omnia turbantes, vetulum illum hircum ſerò docuiſſent quàm verè ab Ennio ſcriptum eſſet, *Stultu'ſt qui cupida cupiens cupienter cupit.*

Scena, Senſim ſuperattolle. pag. 160. a.

*quid eſt?* O L. *pectus mihi agit nunc hæc cubito.*

ſuſpicor ἀρχαϊκῶς Plautum ſcripſiſſe, *mihi tagit*, pro tangit. & paullò pòſt, qui bellè hanc tracto non tagit.

Scena, Neque quò fugiam. pag. 362. d.

*Ita nunc pudeo, atque ita nunc paueo, atque ita irridiculum ſumus ambo.* lego, *irridiculo ſumus ambo*. de ſe loquitur ſeruus, & de ſene.

*Vbi intrò hanc nouam deduxiſti.*

Vaticani, *Vbi intus h. n. deduxi*. rectè.

*ſenex ad te decumbem.*

Iidem, *abs te dec.* fortè, *ſiue abs te*. verba Olympionis ad falſam Caſſinam.

*Reſpecto identidem ne ſemel.* Vatic. *ne ſenex.*

*----Forem abdo, ne ſenex me opprimat.*

ſcribend. Forem obdo.

*-----age aucter.*
*quam debuiſti, inde volo memorare quid eſt factum?*

vetus Rouerj, *Quomodo te habuiſti.* Vaticani, vt vulgati, niſi quod *nicte*, pro *inde*. lego, *quando habuiſti hinc te volo*. ſcriptũ enim fuit, quando abuiſti. habere propriè vſurpauit vt Græci interdum τὸ ἔχειν, & vt Petronius reſpondens argutæ epiſtolæ ſcortilli illius, *paralyſim tamen cauere iubes: tamquam maior fieri poſſit, quæ abſtulit mihi, per quod etiam te habere potui.*

** Adherat maxumum. **

lego, *Ah, erat.*

*Sed cùm cogito non habuit gladium, nam & eſſe frigidus*
*eloquere.*

Ex Vatic. ſcribo, *nam eſſet frigidus.* M V. *eloquere*, S E R. *At pudet* M V. *num radix fuit?*

Vatic. M V. *memini, radix fuit.*

*Nimis tu qoidem herclè immerita meo mihi hæc fecis.*

addẽdę voces duę à Vatic. *herclè audax es: immerito.*

*Volo vt obuertam cubiti ſim.*

Totum locum ex veſtigiis Rouer. libri lego, *tollo vt obuertam cubitiſsim: verbum nullum mutit. Surgo vt ineam, atque illi impingo ſauium.* M V. *perlepide narras.* O L. *illa quaſi ſentis*, &c.

*Continuò aſtanti pectus mihi pedibus percutit.*

ſupplendus verſus auctorib. Vatica. *Continuò in genua aſtanti*. Schema illud libidinis tangit te. Lucianus in Aſino.

Scena, Maximo ego. pag. 366. d.

*Vbi tu es qui colere mores Maſſylienſes poſtulas?*

Athenæus de Maſſylienſibus, ἀσχημονοῦσι δὲ οὗν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, τρυφὴν διὰ γυναικοπαθοῦντες. ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, πλεύσαις εἰς μασσιλίαν.

*Nunc tu ſi vis nic proba eſt occaſio **
*Periſſe herclè, age accede huc.*

Vatic. *Nunc tu ſine his ſubiectare me.* Reſtituo, *ſiue os ſublectare me; proba eſt occaſio. periſti herclè.* Sublectore os, eſt ludos, aliquem & iocum facere. germaniſſima Plauti phraſis. Milite, *vt ludo?* M I. *quid ego vt ſublecto os?*

## EX EPIDICO.

pag. 404 c.

Falſò eſt Epidici initio in libris,

*Corpulentior videre atque agilior.* T H. *huic gratia.*

eámque ſcripturam non ſolùm ſententia repudiat, ſed pænè dicam natura rerum. Qui enim conuenit, vt vnus aliquis corpulẽtior fiat ſimul & agilior? immò tardior potius. Citra controuerſiam igitur rectè vet. Rouer. *atque habitior.* Et hunc locum, vt opinio mea fert, in mente Verrius Flaccus habebat, in cuius mutilata epitome legimus, *habitior, pinguior.* Agellius etiam amans Plautinæ dictionis noctium IV. *Cenſores equitem eius vberrimum atque habitiſsimum viderunt.*

## EX BACCHIDIBVS.

Scena amiciorem nunc. pag. 477. d.

*Sod ſatin' ego animum mente ſincera gero?*
*Qui ad hunc modum hîc, hæc quæ futura fabuler?*

Non dubitarim legere, *Satin' ego animi mentem ſinceram.* Mens animi, vt Catullus. *Mens animi tantis fluctuat ipſa malis.* & Plautus Ciſtell. *Nullam mentem animi habeo: vbi ſum, ibi non ſum.*

Scena,

Scena, II.

*Etiam vt ego opinor Hercules, tu autem Linus.*

Vaticani diſertim, *Eia! nunc eſſe ego opinor Hercules, tu autem Linus.*

## EX MOSTELLARIA.

pag. 572. c.

P H. *non potes tu cogere me vt tibi*
*malè non dicas.*

In duobus Vaticanis hæc interſeruntur, *Nouit herus me.* S E R. *ſuam pol culcitellam oportet.* P H. *ſi ſobrius ſis malè non dicas.* quæ Germana Plauti verba eſſe ne Carneades quidem ille dubitauerit, qui dubitare in omnibus ſolet. Nimirum cum Phaniſcus dixiſſet notum ſe eſſe ſuo hero, alter ſeruus id verbi in nequiorem ſententiam detorquens, Mirum, inquit, ni cultellam ſuam nouerit. Sic enim contumelioſè vocat eum quem intelligi vult hero officium noctu præſtitiſſe, & pro culcita fuiſſe in quam incumberet. Quomodo & Dolabella Cæſarem, qui delicium Nicomedis audiebat ſpondam interiorem regiæ lecticæ ab eadem cauſſa dixit.

## EX MENÆCHMIS.

Scena, Ni mala. pag. 596. b.

M E. *ecquid tu de odore poſsis ſiquid fortè olfeceris*
*facere coniecturam? captum ſit collegium augurum.*

corruptũ eſſe arbitror, & perſona inſita legendũ, *facere coniecturam?* P E. *captum ſit collegiũ aug.* M E. *Agedum.* Roganti enim marito, ecquid diuinare de odore poſſet? præclarus ille augur, Egóne, inquit, non ipſum collegium augurum melius coniecturam fecerit.

Sequentem etiam verſum,

*Agedum odorare hanc quam ego habeo pallam, quid olet? abſtines?* potius eſt ſcribi, *quid olere abſtines?*

Scena, Nulla eſt voluptas. pag. 604. a.

*Ego autem homo iracundus animi perditi.*

Emendo, *animi perciti.*

Scena ſequenti. pag. 606. b.

*Adoleſcens quibus hic pretiis porci væneunt*
*Sacres ſinceri nũmos eos à me accipe.*

diſtinguo & lego ex veſtigiis librorum, *Sacres ſinceri?* C Y. *nummo.* M E. *eũ à me a.* Approbat Plautus ipſe infrà. *Audin' Menæchme? ſi me conſulas, Nummum illum quem mihi dudum pollicitus dare. iubeas ſi ſapias porculum afferri tibi.*

Ibidem.

*Pro ſanè loqueris, cum me appelles nomine.*

ſcribo, *pro ſano loqueris*: eleganter, vt Cæſar de bello Gallico, v. *Nihil cùm ſe abſente pro ſano facturum ratus, qui præſentis imperium contemſiſset.* ſed hæ leuiora, ille locus inſignis & quaſi notæ Opimianæ, Scena eadem.

M E. *Iámne ille abiuit? ædepol haud mendacia*
*Tua verba.* M E S. *exterior eſſe obſeruato modo.*

quem non inuitis muſis quà diſtinxi, quà correxi, *tua verba experior eſſe.* M E S. *obſeruato modo.*

Scena, Potin' vt quieſcas. pag. 615. b.

*Potin' vt quieſcas ſi ego tibi hanc hodie probè.*

quidam libri. *ſic ego tibi.* alij, *ſed ego.* ſcriptum fuit *ſid ego*. more antiquo, addito d.

Ibidem.

*Feciſti funus abſenti me prandio*
*Cur auſus facere, cui ego æquè ac hærés hæream?*

Multarum litterarum vir Iunius noſter, *æquè ac Eres hæream*, leg. cenſuit. Erem interpretatur Erinaciam. Sed meo animo Vaticana lectione nihil verius, *æquè ac hæres eram.* Nam funeri iuſta vt fiant, hæredis curatio eſt. Huc reſpiciens paraſitus, cui de conſumto prandio ægriùs erat, quàm olim Achilli de Patroclo interfecto: hem, inquit, vappa hominis, cur auſus tu ſepelire hoc prandium & illi iuſta facere, cum ego legitimus hæres nullus adfuerim? de prandio autem ſiue cena, vt de hereditate quapiam (ſiqui exempla requirit) loquitur idem Plautus Curculione, Sticho, & Trinummo.

Scena, Vt hoc vtimur. pag. 620. c.

*Vt hoc vtimur maximè more morum*
*Moleſtóque multum, atque vti quique &c.*

emendo *more moro moleſtóque.* Plaut. Milite, *ego ſtulta atque mora multum quæ cum iſto fabulem.* vbi itidem titubant libri, & plerique, *moror multum*, vitioſè referunt.

Scena, Vt ætas mea. pag. 630. b.

*Reliquere, vt ætas mala merx eſt, ergo.* ſcribendum, *merx eſt tergo.*

## EX MILITE.

Scena, Mihi ad enarrandum. pag. 660. c.

*Hoc oppidum Epheſus'ſt, idem eſt miles meus herus.*

fortè leg. *inde eſt miles.* vt ſignificet eum Epheſium eſſe. *Vbi ſumus prouecti in altum, id quod volunt, capiunt prædones nauim.*

videtur vox abeſſe, legendúmque, *id quod di volunt.* Sic enim in rebus ſubitis loqui ſolent.

Scena, Niſi hercle, pag. 664. d.

*Domi habet ortum & condimenta ad omnes mores maleficos.*

Mirè variant libri. E Vatica. vnus, *omnes molis milificos*: alter, *omne olus milificos* Aldi editio, molis melifica. latet ὕπουλον vlcus.

*-----Feriens femur.*
*Dextrum ita vehementer quod acta ægrè ſuppetit.*

puto verum, *quod tactu ægrè.* pro tactui. vnus tamen Vatica. *quod ictu.*

*Curre in obſidium perduellis, noſtris præſidium para.*

libri mei conſentiunt cum Camerarij, *cor in obſidum.* Ex quo vir ille doctiſſimus & qui primus ad Plautum iuuandum ſignum ſuſtulit, legit, *Coge in.* Ego antiquam ſcripturam reponendam putem, *Corre in*, pro curre.

Scena, Niſi hercle. pag. 665. b.

*Tibi ego dico, aneuritatus ne ſis, heus te alloquor.*

Monſtrum verbi, quod conſenſu damnat libri veteres, qui habent, *Tibi ego dico anheriatus*. ex quo colligebat Turnebus, *an heri ius neſcis?* Ego puto ἀρχαϊσμὸν in ſcriptura fuiſſe, legendúmque, *au? heriatus ne ſis.* Au, interiectio, vt litteratores noſtri loquuntur, excitantis. Heriatus, interpretor, feriatus, priſca ratione ſcribendi H. ἀντὶ τοῦ F. &

contra, folus, foſtis, foſtia, pro holus, hoſtis: Quinctilianus notat: Fircus, pro Hircus, Varro; Felena, pro Helena, Priſcianus. vide & Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 1. Iam è contrà H. pro F. apud Feſtum Horda bos, & Hordicidia feriæ, quæ aliis forda bos, à ferendo: & Hanula, id eſt, parua delubra, pro fanula faciunt & libri. Nam infrà eadem fabula Plauti, vbi vulgò,

*Neque equidem heminas octo expromſi in vrceum.*

Vaticani, *feminas*, diſertim. veteres vulgati, *fæminas.*

Scena, Inde ignem, pag. 670. c.

*Niſi voluntate ibis, rapiam te domum.* P H. *oſtium hoc mihi domicilium eſt, Athenis domus ac herus.*

Libri vet. *hoſtium hoc mihi.* littera inſerta egregiè emendari puto, hoſticum hoc, id eſt, peregrinũ. Nam hoſtis antiquitus, qui nunc peregrinus. Callida igitur illa mulier, cum ſeruus eam vi conaretur domum abſtrahere, diſſimulãs ſe eam eſſe: mi homo, inquit, vide ne erres, equidem hîc non habito: ſed hoc Periplectomeni hoſpitio tantum vtor vt peregrina, Athenis eſt vera domus. res clara ex fabulæ argumento.

Scena, Niſi quidem ego. pag. 672. c.

*Dum ego in tegulis ſum, illac hæc ſe hoſpitio edit foras.*

legerim, *illæc ſe hoſpitio dedit foras.* S C E. *quidum?* P A. *quia ludo luto.* rectè Vatic. *quia luto iam.* Iocus fuit in vicina pronuntiatione litterarum D. & T. vt & apud Cicer. 2. de Orat.

Scena, Præcepta facito. pag. 677. c.

*----næ tu hercle obſecro opinor*
*Reſipiſce, ſi ad herum hæc res peruenerit, peribis pulchrè.*

Aliquot verbis auctior alter Vatic. *Ne tu hercle opinor magnum malum obſecro reperies, ſi ad herum h. r. p. periſti pulchrè.*

Scena, Satin' abiit. pag. 682. d.

Tranſpoſiti verſus videntur, & hoc ordine legendi,

*Ita ſum coactus Periplectomene vt neſciam*
*Vtrum me poſtulare prius tecum æquum ſiet,*
*An me expurgare hîc tibi videatur æquius,*
*Niſi iſthæc non eſt hæc.*

Ibidem.

*Licétne.* P E. *inquire iubeo & placidè noſcita.*

Ex Caſſinati colligitur. P E. *quin te iubeo, at:*

*Nam è ſummo puteo ſimilior numquam poteſt.*

In eodem rectiſſimè, *Nam ex vno puteo.*

*Nunc demum me inſipientem factum eſſe arbitror.* ſcribo ex Vatic. à me inſipienter.

pag. 684. c.

Eſt verò, quod ſemper iudicaui. corruptè in Milite legitur colloquio

*Sceledri & Periplectomeni extremo.*
*Frequens ſenatus poterit nunc haberier*
*Ibo intrò, ne dum abſum illis ſortitò fuam.*

quam enim ſententiam idoneam habet illud *ſortitò eſſe?* Comprobãt iudicium meum libri: è quibus Vaticanus alter, *ne dum abſum multi fortuitò fuam*, alter, *multi fortuita.* E quorum veſtigiis confirmo ſcribendũ, *ne dum abſum multæ fortuitò fuam.* vel potius, *multai.* venuſta ſententia. Nam cum lepidus ille, ſenex de conceſſu congerronũ ſuorum qui concilium habebat mulieris liberandæ, tamquam de ſenatu magnificè locutus eſſet: in eodem nunc ludens & ſimul veterem ad morem reſpiciẽs addit, ſe quoque tamquam vnum aliquem ſenatorem in curiam iturum, ne fortè abſenti multa imponatur. Moribus enim Rom. ſenatori qui die ſenatus non adeſſet multam dici ſolere, conſulémque ius habuiſſe pignoris capiẽdi vel ex vno Cicerone nota res eſt, de Orat. 3. de Legib. 2. & Phil. 1.

Scena, Cohibete intra. pag. 688. a.

Quod in Milite conſtanter omnibus libris ſcribitur,

*Nam bonum conſilium ſurripitur ſæpiſſimè,*
*Si minus cum cura, aut catalogo loquendi lectum*, id eſt.

id ſincerum eſſe non ipſi fidei crediderim. Nam cui Alciatus probabit catalogum ordinem loquendi eſſe: aut neſcio quis Veronenſis, enumerationem ſermonis? Quin potius diuiſim ſcribendum cenſeam, *aut cato loco.* Catus locus quem præcedentibus verſibus tutum locum nominauit, id eſt, remotum ab arbitris. Siue etiam, *aut catè locos loquendi lectus'ſt.* locos pro locus, & id ſanè perplacet.

Eadem Scena. pag. 689. b.

*O lepidum ſenem ſi quas memorat virtutes habet.*

Non temerè eſt quod in noto verbo titubant omnes libri. Rouer. *Lepidum ſemiſeum*: Alter Vatica. *ſemiſenem*: alter proximè verum, *ſemiſcem.* Naui ego paratus ſum pignus in omnes fortunas meas dare, Plautum ſcripſiſſe, *O lepidum ſenicem.* ſenicem pro ſenem, ἀρχαϊκῶς. Ita enim inflexiſſe antiquos Priſcianus diſertè tradit, prolato eiuſdem Plauti exemplo, *Datores belliſſimi negotioli ſenices ſoletis eſſe.*

Scena, Cohibete intra. pag. 689. c.

*Cedò tres mihi homines aurichalco contra cum iſtis moribus*, probam lectionem putes, abſque libris eſſet. Vaticæ alter, *contrà hentim iſtis.* vt appareat à vulgata abeſſe vocem. Fortè leg. *contrà emſim iſtis*, ſiue emiſſim. Nam emere auro contrà vt apud Varronem, *vbi poma væneunt contrà auro.* Ita enim eum locum, Delicium illud Muſarum Scaliger diuinitus emendauit. Niſi placet, *contrà mutim iſtis*, id eſt, mutem. Sicut edim pro edam.

*Tum ad ſaltandum non cinædus magis aptus eſt quã ego.*

Suppoſita lectio. Vaticani, cinædus malacus æquè. optimè. ídque approbat vetus codex Nonij in Cinædus.

Ibidem, pag. 690. a.

*Cur nos vis? nam procreare liberos lepidiſſimum eſt.*

Aliquot veteres, *Lepidus ſonus*, lego, *lepidum'ſt onus.*

*Nam bona vxor ſi ea quidem deducta eſt vſquam gentiũ.*

Lego, *educta eſt. Bona mea inhiant, certatim dona mittunt, & munera.* E Vaticanis germana lectio eruitur, *certatim nutricant & munerant.* bonos hercle vt malos deſcripſit mores. Vaticani, *Bonus bene vt.* rectè.

Eadem Scena, pag. 692. c.

*Lautam vis, an quæ nondum ſit lauta?*

Ambigi de ſententia video. Opinor ipſe per lautam, intelligi fœminam, quæ muliebris patiẽtiæ legem iam acceperit: per illautam, virginem, & quæ iugum nondũ tulerit. Nam moribus Rom. virgines

virgines à lauationibus & balneis publicis arcebantur: ſicut & pueri ante pubertatem. Inde Iuuenalis, *Nec pueri credunt niſi qui nondum ære lauantur.*

*Quaſiq; hoc anulum animo ſuæ ancillæ dederit.*

Repugnant huic ſcripturæ libri Vaticani duo, *hunc anulum ſumæ ſuæ ancillæ.* Caſſinas, *ſame ſe.*

Tu diuina. *Memineris ne Philocomaſium nomines.* P L. *quam nominem?*

P A. *dicam iam.* P L. *nempe eandem quæ dudum c. e.* Vatica. vnus. P A. *dicam.* P L. *nempe.* alter, *Glicerim.* ídque verum puto, aut certè, *Gliceram.* Argumento eſt Argumentum fabulæ. ſimulabatur enim aduenisse Athenis Germana ſoror Philocomaſij, cui Glycere nomen eſſet: Eam Pleuſidippes iubetur ad nauim arceſſere. ſuprà, *Quis igitur vocare?* P H. *Glycere nomen eſt.* Frequẽs porrò in libris error D. pro C L. vt Dinia pro Clinia, & ſimilia.

Scena, Iámne eſt, pag. 710. c.

*Iámne eſt ante ædes circus, vbi ſunt ludificandi mihi?*

Non diſplicet alterius Vatican. lectio, *ante ædes hircus qui eſt ludificandus mihi.* ſenes per contumeliã hircos vocabant, vt Menæchmis, *poſt autem illic hircus alius qui ſæpè ætate in ſua perdidit ciuem innocentem falſo teſtimonio.*

*Priúſne quàm illam oculis tuis?* P Y. *ideo id quod credo tibi,*
*Cùm hæc locutus. illa autem abſẽns adigit me vt amem hercle hanc quidem.*

P A. *Nihil tu amaſsis, mihi hæc deſponſa eſt.* fœdè acceptus locus. Vaticani habent, *Cùm hæc elocutam illam autem abſentem ſubigit me vt.* putarim legendum & diſtinguendum. P Y. *Video, ídque credo tibi: eccum hæc elocutam.* P A. *illam autem abſentem?* P Y. *ſubigit me vt.* Decorum videlicet in libidinoſo Milite ſeruans Plautus facit eum ad conſpectum ancillulæ ſtatim adhinnire: quem reprehendens quaſi Paleutrio, minimæ gentiũ, inquit, túne vt huic te des priuſquam illam abſentem videris?

*Aut facturum, aut non facturum: quid illam miſeram & amicam cruciat?* Optimè Vatica. illam miſeram animi crucias.

*Atque adeò audin' tu, dicito doctè & cordatè.* M I. *cura aliud.* Libri veteres. M I. *vt cor ei ſaliat.* ídque Germanũ. Alludit enim ancilla ad id quod ſeruus dixerat, *Cordatè*: in amore autem vehementi cor ſubſilire ſolet. Lucianus de Syria dea, ὡς δὲ ἡ μητρυιὴ ἀπίκετο, τήν τε χροιὴν ἠλλάξατο, καὶ ἱδρώειν ἄρξατο, καὶ τρόμῳ εἴχετο, καὶ ἡ καρδίη ἀνεπάλλετο. τὰ δὲ γινόμενα ἐμφανέα τῷ ἰητρῷ τὸν ἔρωτα ἐποίεε.

Scena, Quantas res, pag. 702. a.

*Si falſa dixeris loris excruciabere.* Ita edidit Camerarius contra libros, qui *nocio excruciabere*, referunt. fortè, *ocyus excruc. Vidi, bacchabatur auia, quaſſabant cadi.* puto leg. *bacchabatur aula.* facili errore, i. pro l. Turnebus legit, *Hama.* vas aquarium, inquit: vt Iuuenal. *diſpoſitis prædiues hamis.*

Scena, Rem omnem, pag. 704. c.

*Poſtquam admiſere aures meæ tuæ morem orationis.*

Vatica. vnus, *poſtquam adhiberem*, alter, *adhibère.*



puto rectum, *adhibère.* bibere ſermonẽ alicuius, frequens tralatio Plauto. *Quàs me iuſsiſti adducere, & quo ornatu.* A C. *heus noſter.* P A. *eſto. Paleutrio Acroteleutium ſalutat.* vitioſà diſtinctio. ſcribe, *heus, noſter eſto.* P A. *Paleutrio.* A C. *Noſter eſto*, familiaris locutio alterius laudandi, vel confirmandi. Trucul. *tanto melior, noſter eſto, ſed de tuo viuito.* Bacchid. *puero ſic dicit pater, noſter eſto, dum te poteris defenſare iniuria.* Virgil. 11. *Noſter eris, mihique hæc ediſſere vera roganti.*

*---ni ludificata lepidè*
*ero, culpam omnem in me imponito.*

Laudat hunc locum Nonius in ludificata, ſed turpiter corrupta ſcriptura. *ludificatà ero hominem*, pro, ludificata lepidè ero, culpam omnem in me imponit, Emẽdandum verò, *ludificata ero*, pro ludificauero. Plaut. *Ni ludificata lepidi ero*, &c.

Quid tibi ego mittam muneris? A C. *dátne ab ſe mulier operam?* rectius Vaticani, & vetus editio, *déſne aliæ mulieri operam.* id eſt, ne cum alia muliere delicias facias. Appoſitè enim ita optat illa quæ ſeni huic ad lectum & pro concubina erat.

Scena, Voluptas eſt, pag. 708. c.

*Quid ea? ingenua? an feſtuca facta?* id eſt, Reuerá ne ingenua eſt? an per feſtucam ingenua facta? id eſt, liberta. Nam qui per vindictam manumittebantur, ij feſtuca imponi ſolet. Alluſit A. gellius libr. 20. *Conferens vim illam ciuilem & feſtucariam cum vi bellica & cruenta.*

Scena, Quid mihi, pag. 717. d.

*Qui conſectare æquè maréſque & fœminas.* vetus Rouerij, *cõſectaréque maréſque fœminas.* ſimilis ſcriptura in Aldi. Repono elegãtem phraſim, *conſectare, quà mares, quà fœminas.* quomodo frequenter Liuius, & Cicero ad Atticum.

Scena, Sequimini, pag. 719. c.

*Vos modo porrò vt occœpiſtis, date operam amicabilem.*

Ex Vaticanis ſcribo, *operam adiutabilem.*

*Abierim cupiẽs iſtius ſummæ nuptiarum ordinis.* Inepta lectio quà de verbis, quà de ſenſu. Emendandum iudico, *cupiens iſtius, ſummè nuptiarum ordium.* ἀρχαϊσμὸς, Ordium pro Exordium, quæ vox reperitur etiam in Lucretij.

Scena, Hera eccum, pag. 723. d.

*---*M I. *cum ipſo pol ſum ſecuta.*
*Placidè ipſa vt libitum eſt mihi, otioſè, meo arbitratu.*

ſententiam inſiſtens emendo, *pol ſum locuta.* Ancilla enim pulchrè os ſublectans glorioſo militi, audiente illo vt magnum beneficium prædicat, quod hominis tam pulcri conueniendi copia fuerit.

*Ergo iſte metus me macerat, quod illi faſtidioſum eſt.* libri Vatica. *ille faſtidioſus eſt.* rectè.

*Dum te obtuetur, interim lingua atque oculi perierunt.* Suppoſita lectio. Nam veteres omnes, *linguam oculi præciderunt.* Eleganter. Nam in amore, cùm oculi cupidè quod amant, intuentur, non ſolum mens, ſed etiam lingua obruteſcit. Ita fit vt quaſi præcipi & præcîdi verba ab aſpectu videantur.

## EX PSEVDOLO.

Scena, Si ex te tacente, pag. 780. b.

*Compreſsiones artè amantum corporum.*

Optimè Vaticani,*amantum comparum*.lege etiam *artæ*,non *artè*. Compares propriè ſunt σύζυγοι, vſurpatur in amore de duobus qui īter ſe amāt. Horatius *Necdum munia comparis Æquare*. Catullus. *Nec tantum niueo gauiſa eſt vlla columbo Compar.*

Scena,Pſeudole non audis,pag.789.b.

*Non eſt iuſtus quiſquam amator niſi qui perpetuat data.* Item Vatica. *Non eſt vſui quiſque.* perſpicuè rectum.

*Quid ais quantum terra tegit hominum periuriſſime?* Alij,Terram tegit,ego emendo, *quantum in terra degit*.littera immutata, & ſyllaba à fine prioris vocis retracta.

*Sicut hæc eſt præſtituta numerando argento dies.* Libri veteres,*præſtituta ſumme argento dies*. lego,*ſumma argento*,id eſt,ſuprema. In Perſa. Hæc dies ſumma hodie eſt mea amica ſit ne libera. Trochaicus autem verſus non difficulter ſuſtentabitur, vocali non eliſa,nequem numeri moueant.

Scena,Pſeudole non,pag.790.a.

*Pſeudole arceſſe hoſtias.*

*Victumas,lanios , vt ego huic ſacruficem ſummo Ioui.*

B A. *Nolo victumas,agninis me exſtis placari volo.*

Libri omnes antiqui,*Nolo victumas,at minimis me*. ſcribendum iudico,*At minis me extis*, vel etiam *At minimis*,voce deducta à Mina.Nimium eleganti ſententia & ad lenonis mores accommodata. Nam cùm amator propter ſeruatā , vt putabat,amicam, facere victumam lenoni vellet, vt Deo & auctori fortunarum ſuarum: ille qui aliud ſpectaret,negat ſe victumas & inania honorum morari, ſed minas & argentum velle. Hæc porrò verba,*At minimis*.(nam in ambigua pronuntiatione iocus fit,) leno ita extulit, vt adoleſcens minimè malus intellexerit eum,*Agninis*,dixiſſe.Ergo ſubiicit,*Quid ſtas ? arceſſe agnos audin' quid ait Iupiter ?* Hoc niſi certum eſt , nolo mihi poſthac quiſquam duarum rerum quidquam creduat,vt ille ait.

Pag.794.d.

Puto in vitio eſſe verſum illum è Pſeudoli ſcena,Poſtquam illic.

*Quid nunc acturus ?poſtquam herili filio*

*Largitus dictis dapſilis,vbi ſunt ea?*& rectè ſic corrigi,*Largitus dict' es dapſilia*.Dicta dapſilia, id eſt, munifica & larga. Ortus error fuit ex vocibus imperitè confuſis.

Scena,Si de damnoſis,pag.796.d.

---C A. *meritò eſſe iratum arbitror,*

*Cùm apud te parum ſtet fides.*Scribo *parum ſiet fides*. antiquè.aut certè,*fide*, pro *fidei*, vt apud Lucretium.*Aut aliæ cuius deſiderium inſideat re.*

Scena,Hi loci ſunt,pag.801.d.

*Vt ego oculis rationem capio,quam mihi ita dixit herus.*Legerim,*nam mihi ita.*

*Hoſtis viuos rapere ſoleo ex acie,ex hoc nomen mihi eſt.*

P S. *Pol te multo magis opinor vaſa ahenea ex ædibus.*

Placet Vaticani alterius lectio, *Pol tu viuos?magis opinor*.

Scena,Di immortales,pag.804.d.

*Nam ipſa opportunitas non potuit opportunius*

*Aduenire,quàm hæc cauata eſt mihi opportunè epiſtola.* Cauare epiſtolam , non Plauti elegantiam olet,ſed ſordes & rus merim. Emēdarum ipſe, *quàm hæc allata*. Vitij cauſſa fuit,quòd repetita ex priori dictione littera ſcriptum fuit,*callata*.

Scena,Dulcia atque,pag.806.d.

*Dic vtrum ſpémne an ſalutem te ſalutem Pſeudole?*

Veteres libri conſenſu,*ſpémne an matrem te.*

*Sed iſtic ſeruus ex Caryſto qui aduenit,quî ſapit?*

C H. *Vſque à cunabulis.* P S. *manuleatam tunicam habere hominem decet.* Turnebus libr. 20. magno conſenſu totius caueæ, vt ait emendat , *Hircum ab aliis*. A quo tamen vnus ſpectator diſſentio. Nam ad eam ſententiam quam effici homo doctiſſimus vult, ſequens reſponſio Pſeudoli hilum non facit. Veteres Cunas & Cunabula inter obſcænos intellectus habuiſſe videntur,fortaſſe quia alluditur ad Cunnum. Plautus infrà de Cinædo, *Quid ais?túne etiam cubitare ſolitus es in cunis puer?* Puto igitur iſtuc Charinum alludere, nec aliud dicere,quàm ſeruum illum poſtremis partibus ſapere,illis quibus peculium ſolet facere. Docere id liquidò ſequens reſponſum Pſeudoli de manuleata tunica videtur. Nam pueri meritorij ſiue cinædi, vt internoſci poſſent , tunicas cum manicis more mulierum geſtabant,non aliter quàm meretrices togas. Scipio Africanus in Sulpitium, *Qui in conuiuiis cum amatore cum cheirodota tunica accubuerit: cúmne quiſquam dubitet quin fecerit quod cinædi ſolent ?* Plautus Pœnulo , *Quis hic eſt cum tunicis tongis quaſi puer cauponius?*

Scena,Forum coquinum,pag.811.b.

*Nam ego ciciliendrum quando in patina ſcindidi.* vnus Vatica *.in patinas indidi.*

pag. 139. b.

Plauti Pſeudolo locorum diuûm cum Græcis comparatio.

Quod Plautus ſanè quàm lepidè ſcripſit Pſeudolo in perſona glorioſi illius coqui, ſcena, Forum coquinum,

*Nam ego ita conuiuis cœnam conditam dabo*
*Hodie,atque in ſuauitate condiam,*
*Vt quiſque quidque conditum guſtauerit*
*Ipſos ſibi faciam vt digitos prærodat ſuos.*

Idem planiſſime alter coquus de ſe prædicat apud Alexidem.

Θαυμαστὸν ἐμὸν εὕρημα πάνυ, πολλὴν δ' ἐγὼ
Ἐὰν παραθῶσι, προσκαλέσῃ τοὺς δακτύλους
Σαυτῷ γε χαίρων.

Sicut & illud quod apud Philemonem comicū coquus gloriatur diuina ſe quædam & ad immortalitatem vnica condimenta repperiſſe,

Ἅπαντες οἱ φαγόντες ἐγένοντ' ἄθεοι.
Ἀθανασίαν εὕρηκα, τοὺς ἤδη νεκροὺς,
Ὅταν ὀσφρανθῶσιν ποιήσω ζῆν πάλιν,

Scena,Minus malum,pag.817.d.

*Sed vt occœpiſti perge operam experirier* . lego,*opera experirier.*

Scena malus & nequam,pag.823.a.

H A. *Tun' is es?* S I. *chlamydate caue ſis tibi à curio infortunio.*

*Atque in hunc intende digitum,hic leno eſt.*

Quod iſtud Curium infortunium ? an à cura ductum? vt Agnus Curio , in Aulularia. an potius eſt legi,*Curtio infortunio*? Nam Curtium ſcimus cùm Romæ terra hiaſſet , & poſtulionem Di manes vellent,immiſſo equo præcipitaſſe in foueam. Itaque cùm vulgò vtamur,In foueam decidere, pro, decipi, induci : fortè an Plautus idem per ambages indicans , Curtium infortunium dixit,id eſt,caue ne Curtij exemplo in foueam præcipitere. Plautus idem Perſa , *Vide ſis ego ille doctus leno pœnè in foueam decidi*,& alibi.

Scena,Quid hoc?pag.828.b.

*Pergitin' pergere?ah ſæuiendum mihi*
*Hodie eſt. magnum hoc vitium vino eſt.*

Præclarè vet. Rouerij , *ah ſedendum mihi*. Cùm enim pulchrè madidus Pſeudolus introducatur,nec vini vim pedes ſuſtinerent, qui non videt ſedendi verbum huic ſententiæ eſſe?

*Profectò ædepol ego nunc probè habeo madulſam.*

Feſti epitome,*Madulſa,ebrius, à Græco* μαδᾷν *deductum,vel quia ſit madidus vino*. Si hoc rectè Feſtus,quis hærebit quin recta mea correctio ſit; *probè habeo madulſa?* Probè habeo, id eſt, pulchrè mihi eſt.Vel etiam,*Abeo madulſa.*

*Ita victu excurato,ita mundiciis digni ah,*
*Itáque in loco feſtiuo ſumus feſtiuè accepti.*

Lego,*dignè ah*. Nam hoc hominis ebrij ebrioſa oratio dicit,dignè ſe & feſtiuè acceptos.

*Itaque dum enitor,pax,iam pœnè inquinaui pallium, nimiæ tum*
*Voluptati ædepol fui ob caſum.*

Alter Vatican. *pallium temeto. Voluptati*:quam lectionem repudiandam non arbitror.

## EX POENVLO. pag.834.b.

*E Pœnulo Plauti quædam delibata.*

In Prologo.

*Neu deſignator præter os obambulet.*

Diſſignator & Diſſignare ſemper in opt.Vaticano,à quo ſtant lapides.

Scena,Negotij ſibi.pag.843.a.

A G. *I in malam crucem.* M I. *ibi ſum equidem.*

Lego,*inibi ſum equidem.*

*Paucis verbis rem diuinām facito,atque audin' reſpice.*
*Reſpexit,idem pol Venerem credo facturam tibi.*

Magis placet Rou.lectio,*atque audin'?reſpice*. A D. *Reſpexi*.A G.*idem pol*.Luſit amator in Reſpiciendi verbo,quod interdum opem ferre ſignificat, ex quo Romanis Fortuna reſpiciens.

Scena III. pag.851.a.

*Quid mihi nunc es auctor Milphio?* M I. *vt me verberes,*
*Atque auctionem facias.nam impuniſſimè*
*Tibi quidem hercle vendere haſce ædis licet.*

A G. *Quid iam ?* M I. *maiorem parte minore habitas mea.*

Lego,*maiorem partem in ore habitas meo*. qua coniectura nihil certius vmquam cortina Phœbi protulit. Cùm enim ſeruus frequenter ab immodeſto illo amatore vapulans , per indignationem dixiſſet, Vende tandem has ædes tuas : demiratus adoleſcens inſolentiam dictionis. Quî tandem ædes?inquit. Nam,reſpondet ſeruus , ego tibi pro ædibus ſum, in cuius ore pugni tui magnam partem ſic verſantur vt habitare in eo videaris.



Notum autem eſt,Habitandi verbum ita transferri , vt quibus in rebus quis frequens & multus eſt , in iis habitare dicatur. Nec me fugit Solem illum Galliæ Turnebum legere,*maiorem partē minore habitas mea*,ſed (quod manes eius me condonent ) tam illepida & tam diuerſa à Plauti mente ſentētia, vt credam id Turnebum ipſum,Dicis cauſſa potius,quàm quia reuera ita ſentiret,ſcripſiſſe.

Scena,Quid nunc.pag.853 .b.

*Fundáſque,eo præſternebam folia farfari.*

Vaticani,*Farferi*. rectè. Pertinuit ad hunc locum adnotatio Feſti,*Farferum virgulti genus*. Sic lego; malè vulgò,*Farfenum*,vel,*Fraſenum*.

Scena,Ita me Di.pag.855.b.

*Niſi cum pedicis condidiciſtis ſic occraſſari gradu.*

Scribo diſtracta voce , *ſic hoc graſſari*. ídque perſpicuè verum.

Scena,Iam tenes.pag.858.b.

*Di te perdant.* M I. *vos quidem hercle commendo, quom quiqui tamen*
*Et bene & benignè facitis quom hero amanti*,&c.

Præeunt ad veram ſcripturam Vaticani, in quîs eſt,*quidem hercle quomeo quiqui*. Lego , *hercle com eo. quiqui tamen*.Alterum illud,*quom*, inculcatū perperam eſt ex verſu ſequenti. Cùm aduocati Milphioni malè precarentur. Di te perdant: ille paratus referundæ gratiæ , Imò hercle , inquit, Di vos perdant cum eo. lenonem digito deſignabat.

Scena,Age tu.pag.867.a.

*Quando id quo ire operam dedimus,impetrauimus.*

Omnino leg.*id quoi rei operam.*

Scena,Satis ſpectatum eſt.pag.858.d.

S Y. *Malus es.* M I.*malus ſum.* S Y. *malè mihi eſt.* M I. *memorandum eſſe aliter decet.*

*Quid eſt quod malè ſit , cui id omne eſt quod edis quod ames affatim?*

Emendandum puto, *memoradum* , *eſſe aliter decet*. id eſt,memora,vt, Iteradū. Cicero ad Att. *Iteradum eadem iſta mihi*. Sequenti etiam verſu magis placeat legi , *Quid eſt quod malè ſit cui domi eſt, quod edis quod ames* ? Habebat enim Sinceraſtus apud lenonem.

Scena,Ain' tu.pag.875.d.

*Siquidem Antidamarchi quæris adoptatitium.*

Quomodo Antidamarchi ? Nam ſtatim pòſt Antidamæ ſe adoptatitium nominat. Arbitror coaluiſſe duas voces, ſcribēdúmque, *Antidamæ Demarchi*. Antidamas Demarchi , more Græco, filius videlicet. Res clara ex his verſibus , *Hic me Antidamas hoſpes tuus Emit me ; & is me ſibi adoptauit filium.Demarcho item ipſe fuit adoptatitius.* Ad verſum porrò quod attinet ,ne iuſto longior ſit, iuuandus eliſionibus erit.

Scena,Fuit hodie.pag.880.b.

---*neque contemſi eius opus hodie.*

Scribo,*eius opes.*

*Mea fiducia hercle aruſpex , patruelis , promiſit ſcio Libertatem.*

Verior lectio ,*patruelibus promiſit*. ex argumento fabulæ.

Scena,Si ego minam.pag.884.d.

*Vbi nec leno, nec ille redeunt, nec quod eram, quidquam datur.*

Emendo,*nec illæ redeunt,neç quod edam.*

pag.886.a.

*Rapiamus in ius.* P OE. *minimè.* A G. *quapropter?* P OE. *quia*
*Iniuriarum multo induci ſatius eſt.*

Cùm perſpicuè legendum ſit, *Iniuriarum multam dici ſatius.* Vtriuſque coniecturæ meæ cùm ante biennium Carolum Langium, virum quo nihil Sol ille doctius vidit aut melius, arbitrum feciſſem,ſic eam comprobauit, vt pronuntiaret meritò iiſipſis imperitiæ multam dictum iri qui iſtud de multa non probarent.

## EX PERSA. pag.898.c.

*Plauti Perſa tranſpoſitos verſus videri.*

Fugit ratio librarios in collocandis verſibus iſtis Plauti,Scena Ioui opulento.

*Quod ego non magis ſomniabam, neque opinabar, neque cenſebam.*
*Nam herus meus me Eretriam miſit, domitos boues vti mercarer.*
*Eam fore mihi occaſionem, ea nunc quaſi decidit de cælo*
*Dedit argentum,nam ibi mercatum,*&c.

Neque dubium apud ſanos & ſobrios homines erit quin hoc ordine diſponendi ſint, *Quod ego non magis ſ.n.o.n.c.Eam fore mihi.o.e.n.q.d.d.c. Nam herus meus.m.E.m.d.b.v.m.Dedit argentum.*

pag.913.d.

--D O. *Vbi tu nata es?* V I R. *vt mihi*
*Mater dixit, in culina, in angulo ad læuam manum.*

quod leui emendatione eſt eruere, ſi legas, *Inquilina,in angulo.* Nam cùm virgo ea quæ vænum ibat, libera eſſet Athenis nata, ſeruitus autem in hoc modò ſimularetur vt irrita venditione circumduci leno poſſet:illa iam producta callidè cauet ne ſuapte confeſſione inductior, néue conſenſiſſe in ſeruitutem ſui videatur, & ad interrogata lenonis ſic reſpondet, vt partim eorum ſcitè declinet, partim ambiguè eludat. Eluſit hîc cùm interroganti vbi nata eſſet,reſpõdit,quod res erat,inquilinam ſe, & ciuem Atticam: ſed id ita perplexè pronuntiaſſe putanda eſt, vt ille bardus intellexerit *In culina.* Itaque Toxilus ſtatim ſubiicit,*Tactus eſt leno, qui rogarat, vbi nata eſſet,diceret: lepidè luſit.* Hæc tam liquida verita eſt,vt qui facetias & ſalem huius dictionis nondum videat,illi homini animum pro ſale datum arbitrari poſſimus.

## EX RVDENTE.pag.943.d.

*Non ego ſum pollucta pago,potin' vt me abſtineas manum?*

Et rectè quidem eſſe ocellus Galliæ Turnebus cenſuit,qui polluctã; pago, interpretatur communem & expoſitam pago, vt inquit,in Polluƈto Herculis omnia exponebantur obuiis. Duriuſculè, vt mihi videtur, & potius vix duabus litteris mutantibus legerim, *Non ego ſum pollucta, apage,potin'.* Sic idem Plautus in re ſimili. Para ſum, comperce amabo me adtractare Agoraſtocles.

## EX STICHO. pag.997.d.

Scena,Quiſnam obſecro,&c.

*Quid ego,cui miſero medullam ventris percepit fames.*

Lego,*perrepit fames.*

*---age tu ocius.*
*Pinge,humum conſperge ante ædis.*

ſcribo, *Tinge humum.* Horatius.*Vino tinget pauimentum ſuperbo.*

*Alij piſces depurgate quos piſcator attulit.*

Fortè,*piſcato rettuli.* Loquitur enim puer ipſe qui à piſcatu cum piſcibus redierat.

## EX TRINVMMO. pag.1033.d.

*Plautus Trinummo emendatus.*

Scena,Minus quindecim.

*Decedam ego illi de via,de ſemita,*
*De honore populi,verùm quod ad ventrem attinet*
*Non hercle hoc longè niſi me pugnis vicerit.*

Labor vt ex Roueriano libro,qui,*hoc ongue*, habet,legam,*hoc vngue.* παροιμιώδης enim ſermo eſt, tranſuerſum vnguem alicui non cedere. Nec mouet me quod item Moſtellaria legitur, *Quid eſt igitur?abeamus hinc nos.* T R. *non hoc longè Delphium.* Nam & illic emendandum cenſeo, *hoc vngue.* Corrumpendo loco fuit antiqua ſcriptura,*onge.*

*Cœna hæc annona eſt ſine ſacris hæreditas.*

Error inoleuit ex confuſis vocibus.Scribo, *Cœna hæc an non eſt?* ἐρωτηματικῶς. Hereditas ſine ſacris eſt, cùm heres non adſciſcitur in ſacra & gentem. Cùm ea hereditate ludens ſeruus cœnam comparat.Vt item Captiueis. *ſine ſacris hereditatem ſum aptus effertiſſimam.*

Scena,Huic ego diei.pag.1048.d.

*Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine*
*Concubium ſit noctis priuſquam ad poſtremum perueneris.*
C H. *Opus facto eſt & viatico ad tuum nomen, vt tu prædicas.*

Abſurdè verò:quid enim eſt illud,*Opus facto?* Sed gloriari liceat: egregiè emẽdaui,*Opus face eſt.* Nimirum cùm Sycophanta ridiculè dixiſſet, tam longum ſuum nomen eſſe,vt ab aurora ad concubiam noctem ſi ambules,vix ad finem perueneris:ſubiicit ſenex, Si ita eſt, inquit, opus profectò erit face & viatico ad tuum nomen, vt in tam longo itinere & victus ſuppetat,& in tenebris lumen. Cauſſa vulgati erroris in conciſa ſcriptura fuit,*Opus fac' eſt.* Niſi quis tamen ſcribendum putet, *Opus facla eſt.* pro, Facula, vt Pocla,Spectacla, Poplus, & talia ſexcenta. Huius poſtremi loci perſpicua veritas eſt: qui ambigit,illi nihil cauſſæ eſt quin facem etiam in meridie accendamus.

## EX TRVCVLENTO. pag.1062.a.

*Plauti Truculento antiqua vox,& alio verſu vetus ſcribendi ratio repoſita.*

Antiquitatis in Plauto veſtigia multa ſuperãt; plura per exſcriptorum imperitiam mutarunt. Habuit enim priſca illa & horridula ętas vt verba quædam propria,ita & ſcribẽdi peculiarem modum. quæ in libris antiquis & reconditis ſincerè inuenta, quidni tanquam vetuſta ſigna aut nummos miremur? Vtriuſque rei, & quomodo in eo peccatum ſit,exemplum è Truculento promam. Ac verbũ quidem antiquæ notæ ſtatim in Prologo per iniuriam deiectũ eſt, illo verſu.

*Athenas quo ſine architectis conferam.*

Nam duo Vaticani diſertè. *ſine arcuſpletis conſerant*,tertius autem *arcuſpetis*,ſuprà tamen eadem manu, L. addito vt fieret Arcuſpletis. De quo ignoto ſanè verbo nihil vltrà habeo dicere, quàm illis teſtibus probũ videri & antiquum. Iam de ſcriptura, quod eadem fabula, ſcena 1. legitur,

*Aut vaſum aheneum aliquòd aut lectus dapſilis.*

adulterinum id eſſe item cõuincunt libri. Nam duo Vaticani optimi, *lectus laptilis*, diſertè habent: tertius, *leptilis*, littera modo immutata. Prior illa pura puta Plauti ſcriptura eſt, valétque *Dapſilis.* L. videlicet pro d. & t. loco ſ. Ita enim litteras commutabant.Hinc Dingua,Cadamitas,Dacrimæ,pro Lingua, &c. Priſcianus obſeruat: Præſilium pro Præſidio Victorinus: Caſſilam pro Caſſida Feſtus. Quin & Galliuã Melicam pro Medica Varro ſcripſit,t.autẽ pro ſ.poni docet Ennij illud, *Adgrettus fari*, id eſt, aggreſſus, & veteris poëtæ apud Noniũ, *Atrez terta nitet galea*,pro *terſa.*

pagina 162. d.

*Plauti Truculentus emendata.*

In prologo, *De veſtris magnis atque amœnis mœnib.* Vaticani, *De mueris magnis.* Lego, *De mœris.* antiquè,vt *Cœrare*,pro Curare,*Mœnera*,& ſimilia.

Scena, Non omnis ætas,pag.1063.a

*Quid peierandum eſt etiam præter munera.*

Alter Vatic.*perietandum.* optimus ille,*pericrandũ.* rectè, & eam eius verbi perpetuam ſcripturam eſſe debere cenſeo:quãdo & Periuria dicimus, non peiuria.

*Qui noſtræ cætati tempeſtiuo temperent.*

Veteres,*Temperint* vt Edint,& talia.

*Triplo plus ſcortorum eſſe eam quàm ponderum.*

Vaticani tres,*Eriplus ſcortorum.* Fortè legendum. *Æciplus ſcortorum eſſe iam.* quaſi dicat,argentarias ſic obſideri à ſcortis, vt æs iam minus ponderũ habeat quàm eiuſmodi nebulonum.Niſi placet,*Triplum ſcortorum.*

Scena, Ad fores, pag.1066. b.

*Quia te adducturam huc dixeras eumipſum.*

Vatic.*adducituram.* antiqua ratione,vt Atteritũ.

*Nimis otioſum hominem arbitror eſſe te.* D I. *quinam arbitrare?*

Iidem,*quia nam arbitr.* Rectè,vt Virgil. *Heu quianam tanti cinxerunt æquora nimbi?*

*Nam aduorſum legem à me ob meam ſcripturam pecudem accepit.*
A S T. *plerique idem quod tu facis faciunt rei malè gerentes.*



Rouetij liber,*pecudem accepit Ærâque.* A S T. *idem quod.* Probo vehementer,Æra vocabãt multam pecuniariam quam portitores aut ſcripturarij imponerent. Varro apud Nonium, *Æs defraudaſſe cauponem, cauponam luto obleuiſſe,tum portitores æra indixe.* Ita lego, Indixe,pro Indixiſſe.

*---ſi arationes*
*Ambituris, qui arare ſolent ad eos verò ire melius eſt.*

Libri non erubeſcunt, iique Romana ſimplicitate hîc liberam ſententiam exprimunt, *qui arari ſolent ad pueros ire.* Intelligit de cinædis, qui arari metaphoricos dicuntur. Vnde Lucretio telum Priapi,Vomer,& Virgilio pars illa in fœminis,Sulci.

*Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.*

Vaticani,*probri,ſumſit intueri.* Nimirum Plautina ſcriptura fuit, *cumpſed intueri*, vel, *eum ſed*,D. addito.

*In melle ſunt linguæ veſtræ atque orationes.*

Alter Vatic. *In medie ſunt.* alter,*In medio.* Suſpicari quis poſſit de antiqua ſcriptura, *In medde.* id eſt,*melle.* D pro L.vt Dacrumæ,Vdyſſes,Dapſilis,Cadamitas.

Pag 1072. b.

*Plauti Truculentus reſtituta.*

Vidítne quiſquam pictum aut fictum aliquid amœnius colloquio illo ſerui ruſtici cum lepida ancilla?In quo vtriuſque ingeniũ ita diſertim Plautus expreſſit,vt in illo nil niſi ſordes & rus merũ:in hac Venerem & lepôres videaris agnoſcere. Cui pro parte emendando hoc caput ſacrum eſto.

Pag. 1077. b.

*Truculẽtus Plauti correcta, & verſib. duobus aucta.*

Truculentus Plauti quid aliud quàm Hippolytus eſt?Ita miſerè elegantiſſima fabula admutilata, lacerata, diſtracta fuit: vt vix Æſculapius cum parente ſuo illi perſanandæ ſint.E qua aliquot malè acceptis membris, hoc loco mederi conabor.

Pag.1081.a.Scena,Ne exſpectetis.

*---iam propinquè miles mea Phroneſium*
*Tibi adeſt Stratophanes:nunc tibi opus eſt ægra vt te aſſimules.* P H. *tace.*
S T. *Peperit mulier,vt ego opinor.*

Ingens hîc lacuna,& Vaticani duobus verſibus auctiores,ſic conceptis. P H. *tace cui adhuc ego tu malam eam emouet ruri à me matitio vincere eſt,repperit mulier.* Hercules, tuam fidem! monſtra verborum:quæ tamen,niſi animi fallor, non inuito Phœbo diuinantes ſic correximus. *Tace. quid adhuc egeo tui, malum, ammonitricis? an me maliſicio vincere eſt?* S T. *Peperit mulier.* Cùm enim propinquaret iam miles,ſedula ancilla dominam officij monuit, vt callidè & appoſitè ſimularet ægram puerperam:at illa quaſi indignata admoneri, vt quæ ſua ſponte nimium mala eſſet & aſtuta,Tace,inquit,&c. Scriptum autem videtur fuiſſe *Ammonitricis* &, *Maliſicio* pro Admonitricis, Maleficio. Hæc probabo fortaſſe doctis:alij quid probent, quid non probent, cic-

cum, vt comicus ait, non interduim.

Pag. 1083.

*Truculentus percurſa.*

Scena, Ite ite.

*Bonorum hamaxagogæ. Satinne qui amat, &c.*

Ex libris ſcrib. *Bonorum exagogæ.*

*Qui bona ſua pro ſtercore habet, foras iubet ferri, metuit*

*Publicos mundiſsimum ſit.*

Lego, *mundiſsimus'ſt.* Ludens ait amatorem metuere Ædiles quibus cura viarum & publicæ munditiei erat, ideóque mundiſſimum ſuis in rebus eſſe.

*Abundat. at hoc ſaltem ſeruat * vbi ea eſt apparet. huic des*

*Quantumuis, nuſquam apparet.*

Vatic. *ſaltem ſeruat mecum illi ſubeſt apparet.* cuius veſtigia vnà cum ſententia ſecutus emendo, *at hoc ſaltẽ ſeruat mare, quod illi ſubeſt apparet: huic des.* Mulierem meretricem mari comparat, magis etiã voracẽ eſſe adductis dein cauſſis oſtendit.

*Iubeo vos valere.* P H. *noſter Geta.*

Vaticani, *vos ſaluere.* Paullò antè,

*Velut meretrix meum herum miſerum ſua blanditia intulit*

*In pauperiem.*

Scribo, *Impulit in paup.*

*Adde iſtoc iam herclè ego te hic hac offatim offutiam.*

Lego, *offatim confuciam.* ſiue, conficiam, V. pro I.

*Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina clueo.*

Veteres, *in culina aue*, alij, *aues.* Rouerij cod. *ares.* & id germaniſſimum arbitror. Ares Græcè Mars.

Scena, Mirum videtur. pag. 1088.b.

*Lepidè mæcaſtor nuncias, ſed dic mihi,*

*Habent?* S T. *Paraſitum te fortaſſe dicere.*

A S T. *Intellexiſti lepidè quid ego dicerem.*

Puto corrig. *Habén'?* S T. *περὶ σίτου te fortaſſe.* Amat enim Plautus in hac fabula abuti Græcas voces. Sententia quidem concinna eſt. Meretricula principiò de obſonio ſolicita, ſine quo friget Venus, Habén'? inquit: ille autem ruſticellus vt catum ſe & facetum faceret, occupãs reſpondere: Intellego, inquit, de cibo quæris: ego verò ad eam rem habeo.

Scena, Egóne tibi. pag. 1093. b.

*Pro filiolo.* C A. *pro filiolo.* D I. *i obſecro voſtram fidem.*

Error omnium librorum. Lege, ſub perſona Callicli. *pra filiolo? dij obſecro voſtr.*

Pag. 1094. a.

*Plauti Truculentus dimidiato verſu augetur.*

Truculento cùm ſenex duas ancillas in vinclis haberet, vt certum exquireret de ſtupro oblato filiæ, in omnibus libris mutilati verſus hi leguntur.

Scena, Blitea. pag. 1095.c.

D I. *Mulier aſſum. profectu'ſt.* P H. *quid agitur voluptas mea?*

Lego & interpungo, *aſſum.* P H. *profectò is eſt: quid agitur?*

*Id quoque interim futatim nomen commemorabitur?*

Scribo, *furatim*, ſiue *furtim*, ex ſententia.

Pag. 1097. b.

*Plauti Truculentus correcta.*

Scena, Meo mihi more.

*Eo mihi amare, fero ſupplicium damnis ad amicam meam.*

Ex Roueriano colligebam, *Eu mihi amari, f. ſ. iam bis ad amicam.*

P H. *At ego ad te ibam.* S T. *ad me delicia herclẽ verò ſerio.*

Inſita perſona lego, *ad me delicia?* P H. *Herclè verò ſerio.* S T R. *Quanquam.* Paullò ſuperius.

*Supplicium ad te hanc minam fero auri, ſi mihi rideſpice.*

Turneb. diuiſim, *rides ſpice.* fortè leg. *ſed me redeſpice.* antiquè D. interpoſita pro Reſpice, vt Antidhac, Medecum, Poſtidea, &c. pro Antehac, Mecum, Poſtea. Sanè paullò pòſt miles iterum ad illam auerſam, *Reſpice ergo, accipe hoc.*

*Quamquam hic horridus eſt, quamquam hic ſqualidus'ſt, at eſt bellus mihi.*

Vaticani auctiores, *Q. hic qualis eſt, quam hic horridus citus bellum mihi.* In Aldi editione, *citus bellum init.* Veram lectionem facile eſt eruere, *Q. S. ſqualis. e. quamquam h. h. ſcitus, bellus'ſt mihi.*



# INDEX VOCVM, ELOCVTIONVMQVE, QVÆ SVNT IN CONTEXTV M. ACCII PLAVTI, AMPLISSIMVS, & locupletiſſimus.

A balneis it 874.a
A balneis hic affuturũ credo 892.a
A beneuolente repudies 1040.a
A Craſſo infortunio 959.c
A culpa mulieres decet eſſe caſtas 880.d
A Curio infortunio caue 823.a
A diis exoptat 996.a
A datis ſterilis amator 1071.a
A foribus abducas 563.b
A foribus concede huc 596.a
A foro aduenit 870.c
A foro incedo domum 577.b
A foro rediit 818.d
A fundamento vſque 997.c
A genibus exurge 937.b
A legibus liber 1054.a
A lenone illam aſſerito manu 893.d
A lenone amat 876.c.d
A lupis nõ longè oues abſunt 1089.b.1087.b
A magalibus periere 836.a
A malo peculio faciunt 570.c
A manè ad veſperum 561.a 682.c
A manè ad noctem vſq; 551.d
A mani 860.c
A me auferetur id præmium 825.b
A me homo nemo hoc ferret 664.d
A me fiunt mutua 920.d
A me fiet comiter 937.c
A me non officium migrat 1040.a
quando illi *A* me darem
A menſa ſurgere 789.a
A milite adeſt 814.d
A milite omnis ſpes mihi animam efflauit 1096.a
A minimo ad maximũ 809.d
A muſcis hoſpitium quæritare 861.c
A patre fert aurum 1017.c
A patre petiit gratiam 988.b
A primo credidi 562.b.c
A porta proximum ſextũ angiportum 816.d
A puero paruulo 740.a.b
iam *A* pauxillo puero 991.d
iam inde *A* principio probus 816.d
A portu properè fui 997.d
A portu apporto bonũ 745.a
A quiquam homine 908.c
A ſummo ſeptenis cyathis 921.a
A te mihi vt cauerem 812.d
A te ne perdeam 869.b
A tergo 606.a
A terra ad cælum 913.a
A viro tibi veniet nuntius 990.a.
Ab alis hircum ſapit 807.c
Ab daniſta vt ſumeret 569.b
Ab domo abſum 446.d
Ab eo tibi vt caueas 825.c
quid *Ab* hac metuis 451.d
Ab homine habet argentum 823.d
Ab hoc prædatus ibo 822.d
Ab heri quæſtione ſi aberis 1053.c
Ab illo inibis gratiam 1029.b
Ab illo habebit 1078.a
Ab ineunte adoleſcentia 1027.b
iam inde *Ab* adoleſcẽtia 519.c
Ab ineunte ætate 1027.b
Ab iuuentute 880.c
Ab oculis meis abite 1080.a
Ab re & ab animo ſimul perit amator 1063.c
Ab re tibi obuenit labos 1081.c
Ab re diuina rediit 846.d
Ab ſaxo auertit 932.a.b
Ab ſaxo ferunt 928.d
Ab ſe cantant, cuia ſit 945.d
Ab ſe ecca exit 596.c
Ab ſe egreditur foras 1094.b
Ab ſe petam 993.c
Ab ſe ſegregare ſuſpicionem 1020.a
Ab ſæculo ad ſæculum 713.c
Ab ſigno intimo 953.d
vſque *Ab* ſtirpe 1023.b
Ab tranſenna hic turdus lumbricum petit 491.d
Ab vnguiculo ad capillũ ſummum 443.a
Abalienatur à viro 728.d
Abalienauit ſuum abs te animum 273.b
Abdomen mœcho adimere 733.c
Abduxit eum ab eius negotiis 930.c
Abduce 502.d
Abegit me ſuo odio 108.c
Aberrauit puer à patre 589.d
Abeundum ab domo eſt mihi 150.d
Abhibendus eſt, atque abſtinendus eſt procul 1025.d
Abhinc annos ſedecim 314.a
Abhinc biennium 470.d
Abhinc iam abſunt triennium 989.d
Abhinc ſexaginta annis 548.c
Abhorrere ab 769.b
Abiegna fors 333.a
Abige abs te laſſitudinẽ 743.d
Abi curriculò ad 960.c
Abi tacitus tuam viam 966.b
Abi in malam rem 406.b
Abi in malum cruciatũ 174.a
Abi præ 40.a
Abeam' domos noſtras 866.d
Abij in Epheſium 458.d
Abiit ad Acheruntem ſine viatico 835.c
Abiit de nocte 962.b
Abij cum diluculo 50.b.
Abire ex alicuius conſpectu 636.d
Abire peſſum 183.b.c
Abire cubitum 51.d
Abibitur 767.a
Abitio hinc 946.d
Abitus 559.c
Abito, tis, 420.a
quò *Abitet* 957.b
Abiicere ſuperbiam 769.d
Abiicere funera 13.d
Abiicere curas 778.c
Abiudicabo à vita 119.c
Abiudicabit ab ſuo 966.c
Abiurat vana lingua 296.b
Abiurant pecuniam in iure 927.c
Abiuraſſit 908.c
Ablata eſt menſa 51.d
Ablatus ſublimis in medicinam 644.b
Ablegauit eum peregrè 314.c
Abnutare 233.d
Abomina multa 1041.d
Abortioni operã dedit 1068.b
Abs chorago ſumito 893.c
Abs te abiit 947.b
Abs te ſtipulatus 820.c
Abs te ſtat 970.b
Abs te expetam 982.b
Abs te caueo 569.c
Abs te exorare volo 1027.d
Abſque te foret 1058.c
Abs tuo conſpectu 1026.d
Abs terra ad cælum peruęnit 1050.b
Abſceſſi ſolens 418.b
Abſceſſit in altum nauis 928.c
Abſcindam tibi linguam 43.b
Abſcondere in latebras pectore penitiſſimo 372.c
Abſenti me 615.d
Abſintium 1050.a
Abſoluere ærumnas 37.c
Abſoluere extemplò 79.b.
Abſoluere vomitum 554.c
Abſorbet acerrimè atq; ęſtuoſè 474.a
Abſtergere ſorditudinẽ 873.d
Abſtergere labellum 130.b
Abſtergere ſibi ſudorẽ 744.a
Abſtines me factis impudicis 61.a
Abſtine ſermonem de iſtis rebus 572.c
Abſtineas manum 61.c
quò manus *Abſtineãt* 1027.a
Abſtinere culpa 642.d
Abſtinere ſe reb' vrbanis 318.b
Abſtitit ſeuera fronte 664.d
Abſtrahere ĩ malã crucẽ 590.d
Abſtrudit foris 144.b
Abſtrudere aurum 189.a
Abſtulit formam vnà cũ nomine 44.b
Abſumedo ſumini venit 252.b
Abſurdè facis 425.b
Abuſos aurum 465.b.
Abutar argentum 898.c
Arceſſit animus ad meam ſententiam 168.c.
Accedat è nocte dies 40.a.
Accederes in eandem infamiã 1021.a.
Accreduas 136.c.d
Accẽdet amicã ſenem 1005.d
Acceptus hilarè atque ampliter 740.b
Acceptor 1023.a
Acceptrix 1083.d
Acceſſio ad ædeis 1072.b
Acceſſio in cõſiliũ eſt 1041.d
Accibo illum 705.d
Accipio ſalutem mihi & meis 437.d
Accepi haud ſatis meo corde 322.b
Accepi ex tua manu 50.d
Accepiſti nos apud te lepidè atque nitidè 371.b
Accepit ex me argentũ 129.c
Accipiã ſermonẽ huius 119.b
Accipiam te miſeris modis 186.d
Ancipes ſecuricula 971.d
Accipiet comiter 75.a
Accipe conditionẽ hanc 157.c
Accipere ad ſe litem 585.c
Accipere ſortem 553.b
Accipere quæſtioni 580.d
Accipere benignis auribus 589.b
Accipere clàm furtiuè 875.a
Accipere rationes 835.b
Accipere hoſpitio pugnæ 16.b
Accipere mulſo milites 503.d
Accipere magnificè quẽpiam 784.a
Accipere cœnam 404.b
Accipiemur lepidè 1011.b
Accipiemur cynicè 1011.d
Accipi publicit' hoſpitio 13.b
Accepti fuimus ſuauibus modis 371.c
Accepti atque expenſi ratio, 534.b
Accidit mihi ſonitus auris paternæ vocis 988.c
Accipiter pecuniæ, leno 906.a
Accolæ 951.c
Accredere 120.a
Accubat mecum 135.a
Accubat placidè 563.b
Accubui ſcortum 650.a
Accudere 754.b
Accuraui omnia 842.d
Accurato opus eſt 693.a
Accurare rem ſobriè & frugaliter 438.a.b
Accurare lepidè 513.c
Accurare prandium 600.c
Accuraſſis 815.b.904.b
Accurata malitia 1080.a
Accuratè & commodè 706.a
Accurro ocyus 78.c,

Accuſat inſontẽ probri 60.b
Accuſauit me nemo merito meo 109.c
Accuſari operam 758.b
Accuſatrix 113.b
Accuſito,as,at, 559.d
Acetũ habet in pectore 807.c
Aceto pranſurus 963.c
Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro 1034.d
Acherũtis flagitij pabulũ 321.b
Acherunti non eſt 761.b
Acherunti accepti ratio ſcribitur 1090.c
ad *Acheruntem* mortuus 1034.a
ad *Acheruntem* abiit ſine viatico 835.c
ad *Acheruntem* mortui illũ arceſſunt 548.d
ad *Acheruntẽ* præmittere 338.b
quo die Orcus ab *Acherunte* mortuos amiſerit 845.a
quãtum *Acherunte* eſt mortuorum 851.c
Acherũticus ſenex 688.d.750
Acheruntica regiones colere 459.c
Aciem omnẽ habere ad 711.d
Aciem oculorum in acie hoſtibus præſtingere 655.a
Acquieſcere clementer 417.c
Acris morbus 633.a
Acris poſtulatio hæc eſt 473.b
Acerrima vxor 767.c
Acriter egetur 788.c
Acriter inſtare 745.c
Actor mihi cor odio ſauc. 460
Acta mihi eſt ætas fermè 1027
Acta eſt fabula 586.b
Actũ eſt de me 780.d.825.b
Actũ eſt de collo meo 1036.b
Actum eſt lepidè 1012.a
Actum eſt probè 684.b
Actutum 39.c.40.a.45.a.64.d
Acu tetigiſti 978.c
Aculeatus 451.c
Aculeus pungit pectus 1051.d
Acutis eſt oculis 825.b
ad *Aduertendum* animum benignitas adeſt 738.c
Ad ætatem agendam 1025.b
Ad cõpẽdium quid ponere, ad compendium addere 343.a
Ad eam rem eſt reus 1025.b
Ad frugem eũ corrigis 1021.a
Ad me nuntiauit magna gaudia 1089.a
Ad meridiem manebo 553.a
Ad præſepim ſuã ſe recepit 278
Ad ſeſe vt domum ires 993.c
Ad tria millia nummorũ Philippeũm 1021.d
Ad veſperũ hodie 561.a.978.a
Adæquè nemo viuit fortunatior 246.a
Adæquè hoc die riſit 361.d
Adæquè miſer nõ eſt me quiſquam 350.c
Adæquè nemo magis continens 521.d
non *Adæquè* eſt munda vt ſolet 372.b
Adbibere 999.a
Adagiũ vetus, fames & mora bilẽ in naſum cõciũt 72.b.
Adambulare ad 491.d
Adaxĩt te diui ad ſtipẽdiũ. 147
Addecet 1020.a.572.d
Adde gradum 1053.c
Addere operam ſedulò 372.b 913.d
Addere quid ad cõpẽdiũ. 343.a
Addere miſeriam oculis 213.a
hæc *Addam* tibi dono gratiis 432.d
Adeſte cum ſilentio 1018.b
Adeſt domo 1004.b.c
Adero hic prius opinione tua 40.a
Adire ad pactionem 156.d
Adire mammã 539.d.& 540.a
Adibo hominem 609.c.993.b
Adibo ad hominem 615.d
Adiit ad eum rectà 816.d
Adiit me 585.d
Adita eſt vobis manus lepidè 363.d
quid tibi hãc *Aditio* eſt? 1085.a
Addicere animum amabilitati 880.b
Adduxit malã fortunã 946.d
Adduce teſtes 851.c
Adduxe 968.c
Adhæſit homini ad infimum ventrem fames 993.b
Adhibere parſimoniam 532.b
Adhibere curam 656.a
Adhibere ſibi metum 642.d
Adhibere animum 989.a
Adhibere aures 339.a.783.d
Adhinnire equulam poſſim 398.b
Adhuc locorum feci 222.d
Adiecit ad eam animum 751.c
Adimit mihi animam ægritudo 1055.c
Ademſit mihi illã orcus 427.a
Adimas huius inſaniam 51.c
Adimere formam 75.b
Adimere nomen 418.a
Adincitas rediget 846.d
Adipiſcitur ingenio nõ ætate ſapientia 1029.a
Adiunge te ad probos propinquitate proximè 157.c
Adiungere ſibi ſocium 100.b
Adiuro per omneis deos 492.c
Adiuro Iouẽ, deóſq; oẽs 622.d
Adiurare ſanctè 390.a
Adiuuet me De[9] auxilio 936.b
Ad te *Adiutum* mitterem 344.d
Adiutare 346.d.1080.a.b
Adiutrix fortuna 873.d.1018.a
Admigrare ad 903.b
Adminiculũ eis danunt 527.a
Admiſerũt aures meæ moram orationis tuæ 704.c
Admiſit in ſeſe culpam 988.c
Admittere culpam 1020.a
Admiſſarius ſcitus 717.d
Admoderari 713.b
Admœnire oppidum 791.c.d 800.d
te id *Admonitum* aduento 153.c
Admoueat nemini talos 129.d
Amouere fabricas, admouere fallacias 388.c
Admutilauiſti me vſque ad cutem 923.c
Adoleſcens diabolus 120.b
Adoleſcentem verecundũ eſſe decet 135.b
Adoleſcentulo nox, mulier, vinum? 452.b
Adoleuit ad eam ætatem 314.a
Adopto te mihi ſociã ad 398.a
Adoptauit hũc ꝓ filio ſibi 836
Adoptauit hũc in diuitias 869
Adoptatitius 875.c & d
Adorea 14.a
Adornare nuptias 153.d
Adornare vaſa 62.b.c.
Adornare ad fugam viaticum 442.d
Adſcriptiuus 600.a
Adſedere 725.b
Adſpicere limis oculis 723.c
Aduena 588.c.d.875.b
Aduenio peregrè 71.a
Aduenio ad te domum 50.c
Aduenio expectatus 48.d
Aduenio pace 3.b
ægypto *Aduenio* domũ 547.b
Aduenis optumè 64.b
Aduenimus ſerò 48.b
Aduenire ad 931.a
Aduentor 101.d
Aductor grauior abeat, quàm aduenia 1065.d
Aduentores 1084.d
Aduerſa via 455.c.d
Aduerſã re 787.c
Aduerſæ mihi ſunt res omnes 328.b
Aduerſus dies 638.d
Aduerſus hero venit 1042.a
Aduerſari nolo tuam aduerſus ſententiam 752.d
Aduerſari tibi certum eſt de iſtac re numquam 153.c
Aduerſari animo ſedulò 939.a
Aduerſatrix 533.a
Aduerſarium valentiorem nactus 201.d
Aduerſum it mihi 993.b
Aduerſum mihi venit 647.a
Aduerſum nos offirmabit. 988
Aduerſum patrem 470.d
Aduerſũ tẽpori venire 611.c.d
Aduerſum is ſit mihi 615.d
Aduerſum veniet 996.a
Aduorſum vxori 73.b
ex *Aduerſo* vides 770.c
Aduertite nunc animum 4.c.d
Aduexe 751.c
Aduigilare eſt opus 470.d
Adulterij plenus 660.c
Adultero,as, 463.a
Aduocare in conſilium 765.d
Aduocatus mihi aſſis 77.a
ei volo ire *Aduocatus* 430.a
Aduocato te impetrabit 1059.
Aduocati ſpiſſigradiſſi 855.a
Aduolat adoleſcens 654.c
Aduolauit vox mihi ad aurem 17.a.770.a.940.b
Æcaſtor 843.c
Æcere 610.c
hæcce *Ædes* 554.c
Ædes hæc oppidò periere. 530.c
Ædes lamentariæ 205.b
Ædes ferreæ 912.b
AEdicula 429.c
AEdificat nauim cercurum 740.a
AEdificantur ædes 526.d
AEdificatas ædes 771.a.b
AEdificatio 527.a.665.a
AEdilitatem gerere 998.b
AEdilitias fugere dictiones 245.d
AEdium homines ſimiles eſſe 526.d
AEgidinis minis expletus incedit 106.c
ab animo *Æger* fui 412.c
AEgrè eſt illis 691.c
AEgrè eſt tibi 622.a
AEgrè facere quid 348.a
AEgrè ferre, ægrè pati 876.a
AEgrè impetraui 486.b.c
AEgrè hoc mihi eſt 239.c
malè *Ægrè* 473.d
AEgrimonia 972.c.1000.c
AEgritudo animo eſt obuiam 1004.c
AEgritudo obiecta eſt ei. 479.d
AEgritudo auctior in animo 244.d
AEgritudo vbi voluptatẽ vincit, quid ibi ineſt amœni. 752.b
AEgritudine conſenui 992.d
AEgritudinem alicui parere. 1027.d
AEgrotant in te artes antiquę tuæ 1019.d
AEgyptij atri 884.d
AEmula es mihi 936.a
AEquè ac 615.d
AEquè bene 534.b
AEquè ac meipſum amo. 460.a
AEquè ambo pares 649.c
AEquè confidenter 680.a
AEquè opus eſt facto 419.c
AEquè miſerior me nullus eſt 751.d
AEquè odit te atque angueis 766.d
AEquè ambo amicas habent 511.a
AEquum eſt credi 853.c.d
AEquum poſtulas 648.b
AEquum dicis 488.a
AEquũ eſt deũ metuere. 788
AEquum eſt dis ſempiternas agere gratias 882.c
AEquum foret me atque illo 474.b
AEquum factu eſt 1070.c
AEquum eſt tenere 398.c
AEquum poſtulare 398.d
ſi *Æquum* ſiet 418.d
præter *Æquum* ne quid delinquat 472.d
AEquum orare 596.a
AEquum fuit pudere 502.c
AEquum eſt, illi me conſulere 478.b
non *Æquum* facis 455.d
AEquum eſt credere 498.a
AEquum cenſeo 989.a.b
AEquius eſt nimio 759.c
AEquiſſimum atq; optimum 650.b
multo *Æquius* eſt 513.d
Æqui boniq; impetrare 263.c
AEquo animo noſcite 836.d
AEquo animo ſtare 834.c
AEquiparare ad 655.b
AEquiparat fidelitas erga amicum 1058.c
AEquiparabilis 273.a.1033.b
AEs pro capite dent 834.c
Æs alienum eiicere ex animo 313.c
AEre militari 884.d
AEra vſuraria 1064.a
AErulci campi 1047.a
AErumna amatorum 738.d
AErumnas venter creat, & quas 655.d
AErumnoſus 438.a.936.b


Ætas




Ætas omnis ludo non cõuenit 456.a
Ætas ſenilis, mala merx 630.b
Ætas integra 785.a
Ætas ſumma 240.b
vt *Ætas* mea eſt 630.b
Ætas mihi excellit è magiſterio 456.c
Ætas mihi fermè acta eſt 1027.d
Ætas occultanda eſt purpura 533.d
media eſt mulieris *Ætas* 153.d
Ætas huic ſi ſuperet mulieri 1062.c
quid *Ætatis* ſim ſcio 900.a
quid *Ætatis* tibi videor? 750.c
Ætatis plenus 760.b
iſtuc *Ætatis* 688.c
illuc *Ætatis* 689.c
hoccine *Ætatis*? 510.b
Ætatis vter maior ſiet 473.d
Ætati cib[9], ſapiẽtia eſt 1028.d
Ætati optabile compendium facere 456.d
Ætati agundæ arbiter 1025.b
væ *Ætati* tuæ 1007.b
Ætatem exigere cum 1018.a
Ætatẽ agit pulcerrimè 728.c
Ætatem cum eo degit 373.a
Ætatem conterere 492.c
Ætatem exercere 688.d
Ætatem agere muſicè 560.a
Ætatem expetere 860.b
Ætatem ſuam ſpernere 532.d
Ætatem extendere 473.a
Ætatẽ ſuã bene curare 822.d
Ætatem irrigas vino venuſtate edentulo 861.d
Ætatem ſuperſtes ſiet 85.b
ad eam *Ætatem* adoleuit 314.a
Ætatẽ impunè habitur[9] 797.c
præter *Ætatem* ſtult[9] eſt 412.a
Ætate tardiores 855.a
Ætate matura 758.b
Ætate illa fui 509.b
Aetate ephebis anim[9] exiit 739
in *Ætate* hominum plurimæ fiunt tranſennæ, vbi decipiũtur dolis 975.c
Aetate pari ſumus 510.d
in *Ætate* furtũ feciſti malum 456.d
Aetate ſenecta vnguentatus 325.a 68.d 774.c
Aetatula 532.a.784.b.897.a
Aeternus cibus 243.d
Aeternũ dapinare cibũ 247.d
Aetna non æque alta eſt 713.a
Aeuum vitalem viuere 880.d
Affatim eſt 474.c
Affatim diuitiarum 709.a
Affatim eſt hominũm 614.c
Affatim eſt vni homini vna mi eria 1060.a
vſque Affatim 855.d
Affectare viã ad 627.a.180.c
Affectus miſeris modis 144.b
Affero me huc 65.d
Affero omne impetratũ 561.c
Affero gaudium grande 996.a
Affero pacem 3.b
Afferre ſuppetias 644.d
Afferre auxilium 444.a
Afferre triũphũ, & prædã 99.d
Afferre vim, & vitium pudicitiæ 412.a
Afferre damnũ, & mœrorem 397.d
Affer morbũ huic abiẽs 119.a
Afferre exitium 246.a
Afferri noctuã, quæ, tu, tu, vſq; dicat tibi 622.d
Afficere lætum 2.c
Afficere lætitia & gaudiis 883
Affigi bis pedes, bis brachia 542.a
Affirmandi formula 497.b
Afflare 877.a
Affleat 893.b.c
Afflictatur indignè 952.b
Affligã te ad terrã 922.c.965.d
Afformido 509.b
Agaſo egomet ſum mihi 769.
Agathoclem duas res geſſiſſe maximas 561.b
Age dum 1012.b.1027.d
Ageſis 333.c
Aggerit vſque oſculum amicæ 1066.a
Aggerunda eſt aqua 946.a
Agglutinant ſe ad malum malæ res plurimæ 196.a
Aggredior hunc de illa 753.a
Aggrediar ad hunc 513.c
Aggrediri 1079.d
Aggrediundus eſt aſtu 1050.d
Aggredias 1071.b
Aggreſſus me obſtinatè 85.b
Aggreſſus ad eas 881.d
Agito in mentem 963.c
Agito hic cuſtodiam 960.d
Agitat me vtrobiq; met[9] 396.d
Agitamus hunc diem ſuauem 920.d 921.a
Agitatur bene nauis 493.a
Agitandæ ſunt vigiliæ 1048.b
Agitator probus 596.a
Agnina caro 168.b
Agninis lactibus canem fugitiuam alligare 789.c
Agnellus 121.a
Agnum lupo eripere 865.b
Ago rem actam 397.a
Ago tecum 968.d
vi *Agis* mecum 956.a
Agis malè mecum 92.b
Agam omnia precario 1089.b
Ago hæc cum animo meo, & recolo 1025.c
Agam cum ciuibus 825.c
Agitis ætatem cum pietate, & fide 927.d
Agit animam 1055.d
Agit ætatẽ pulcerrimè 728.c
quò *Agis* te? 20.b
bene *Agitur* pro noxia 734.a
Age, age, age 920.d
Agite ſultis 923.d
Agere grates 678.c
Agere gratias pro meritis 13.d
Agere gratias ſempiternas 882.c.d
Agere gratias merito magnas 254.c
Agere rem compacto 227.d
Agere ætatem muſicè 560.a
Agere pulcram prædam 185.c
Agere tragœdiam 201.d
Agere comœdiam 660.b
Agere fabulam 590.d
Agere apologum 1004.d
Agere ſecretò 62.c
Agere clandeſtinò 708.b
Agitare conuiuium 663.d
Agere lege cum aliquo 775.c
Agere ſobriè, accuratè, doctè, diligenter, haud ſomniculoſè 213.c
Agito rem in corde 1079.c.d
Agoranomus 245.d
Ah 890.a
Aha minimè 452.b
Aha tace 1096.b
Aheneum vaſum 1063.c
Ahena vaſa 803.c
Aĩenum 783.d
Aĩas tu mihi 943.d
Alazon. i. glorioſus 660.b.c
Albitudo 1048.b.
Albis dentibus quenquem deridere 430.b
Albo rete aliena oppugnant bona 891.a
Alę meę pĩnas nõ habẽt. 869.a
Alcedo cum pullos educit mare tranquillum eſt 845.c
Alcedonia ſunt in foro 313.d
ecquid *Aleas* 892.b
in *Ales* cluſi militem 304.b
Aleator 940.a
Algor 934.d
Algu interfectus eſt 531.b
Alicarias reliquias 843.a
Alicere gratiam in 1029.b.c
Alicunde exora mutuũ 890.a
Alienatã eſt abs te 761.b
Alienum ingenio ſuo 205.b
Alienus noſtris dictis 989.a
Alimonia 896.d
Aliò demutanda eſt oratio. 727.c
Aliò nubere 988.a
Aliouorſum 162.d
Alloqui mihi ſenem nũc tempus eſt 559.d
Aliquà 751.c
Aliquantillum 207.d
Aliquantiſper 798.d
Aliquãto æqui[9] fuerat 1021.a
Aliquanto prius 1000.d
Aliquãtum lucri facere 541.d
Aliquantum amoris 689.a
Aliquantulum 762.b
Aliquis aperite 744.a
Aliquid aliquo modo, alicũde abaliquibus blatis. 425.b.c
Aliquid aliqua aliquo modo, alicunde ab aliqui, aliqua tibi ſpes eſt 425.b
Aliqui. i. re aliqua 530.d
Aliquò geſtis ire 570.d
Aliquò ſe immerſit in ganeũ. 628.a
Aliquouorſum 328.a
Aliundè ex alio oppido 856.b
Alius nunc fieri volo 836.d
quis *Alius* præter te atque me. 1019.d
Aliter in nos faciũt ſecus 987.
Alllaudabilis 917.a
Allaudare 740.a
Allegauit villicum 314.b
Allegatu meo venit 1058.d
Allegare aliquẽ ad negotium 430.b
Allubeſcit primulùm 710.d
Allatrant me canes meæ. 882.a
Alligat eum furto 833.c.d
Allium obolere 522.a
Alliatum fungi 522.a
Allucere 909.d
Alludiabo 999.a
Alumna 878.c
Alumnus 540.a.
Alta qui quærit, malum quærere videtur 778.c
Altercatio 175.c
Alteræ huic 956.b
Altrinſecus 774.b
Altrinſecus 679.c.971.d
Altrouorſum 345.a.b
Amabilis 1012.c
Amabilitas 1012.d
Amabilitati animum addicere 880.b
Amarum dulcéque vnà miſces mihi 780.b
Amara ac dulcia eloqui 806.b
Amarefaciũt amanteis corde meretrices 1067.d
Amaſius 347.a
Amaſſo Caſinam 367.c
Amaſſint 301.a.
Ambadediſſe 749.a
Ambages agere 828.c
Ambages mittere 398.a.b
in *Ambiguo* eſt 1036.b
Ambire palmam, ambire magiſtratum 4.a
Ambire oportet virtute, non fauitoribus 4.b
Ambitio iam more ſancta eſt, liberáque à legibus. 1054.a
Amborum illorum 496.d
Ambulacrum 562.b
Ambulaui dormiens 671.d
Ambula in ius 960.d
Ambulant per vrbem 989.b
Ambulare cum fuſti 108.a
Ambulatum abiit 666.b
Amburebat gutturem 701.d
Amburet carbunculus 574.a
Ambuſtulatũ pabulum 957.a
Amens, amánſque 740.a
Amicabilem operã dare 719.c
Amicè facis 559.d
Amicè dicis 797.d
Amicè amico operam dedi 757.d
Amicibor glorioſè 901.d
Amiciter 898.c
Amicitia antiqua 787.b
Amicitia eſt habenda 881.c.d
in *Amicitiam* conuertimus 100.c
Amicitiam amiciſſimam propinare 828.c.d
Amicior mihi nullus viuit, atque is eſt 771.a
Amicus longè aliter eſt: atque amator 1067.c
Amicus quàm veterrimus eſt optimus 1067.c
Amicus firmus 1004.b
Amicus es mihi in germanum modum 348.b
Amicus in perpetuum ſeruandus 224.a
Amicus fuit mihi à puero puer 234.d
Amicus mutuo dato perditur 1054.c
Amicum reperiri, nimium difficile 1039.b
Amicum caſtigare ob meritã noxiam, immœne eſt facinus 1018.c
nihil homini *Amico* eſt opportuno amicius 430.a
Amico tardo nihil eſt quicquã iniquius 855.a
Amici falſi deſcriptio 480.a
Amici furno merſi, non foro, quĩnam ſint 412.b

Amici pauci ſunt ex multis, qui certi ſient 791.d
Amicos res inuenit 1004.b
Amicos inter denteis concluſos habet 1049.b
Amicis ſtultè nimis vteris 889.
ex *Amicis* certis es mihi certiſſimus 1020.b
Amiculus 373.d
Amiculum hoc ſuſtollę 845.b
Amiſi omnem libidinē 730.a
Amittere occaſionem 547.b
Amittere animam 15.a
Amiſi ſalutem 760.d
Amittere iuſiurandum 905.d
Ammittere 98.b
Amnis vlla 770.a
Amnem quærere comitem ſibi 860.a
Amo planè illum exēplis plurimis 477.d
Amas nihil, cùm ingratum amas 897.a
Amat immodeſtè 839.b
Amāt à lenone 785.a.876.c.d
Amat vnum vnicè 1068.a
Amat affatim 868.d.
Amat eam efflictim 314.a.b.
Amat corde atq; aīo 1067.d
Amant corde inter ſe 223.c
Amat virū ſuum cupidè 995.d
qui *Amat*, quod amat, ſi id habet, id habet pro cibo: videre amplecti, oſculari, alloqui 766.b
qui *Amat*, nequit quin nihili ſit, neque improbis artibus ſeſe expoliet 1083.b
miſer eſt, qui *Amat* 895.a
Amare, humanum eſt 751.b
Amare multùm 901.c
Amare inter ſe 1012.c
Amare quendam præter omnes 47.d
Amare validè cœpit 739.a
Amare pauxillum ſanè, bonū inſanum non bonum eſt 273.b
Amare medullitus 532.c
Amare vnicè vnum ex omnibus 93.b
Amari gratia 113.d
Amans in Veneris prœlio ſaucius eſt factus 889.c
Amans miſera deſiderat 450.d
Amans quicquid agit, properat omnia 855.a
Amans egens ingreſſus princeps in amoris vias, ſuperauit ærumnis ſuis ærumnas Herculis 888.d
Amans tui abeuntis 119.a
Amantis germana, & lepida deſcriptio 459.c
Amanti amœnitas, malo eſt, meretricibus lucro 609.b
Amanti ſeruire, miſeria eſt, præſertim qui quod amat, caret 867.b
Amanti ad perdiſcendum ętas omnis non ſat eſt 1062.d
Amantes inſaniunt, & pariter pereunt amando 273.c
Amantes omnes balneatores 1075.c
Amātes corde ſunt cati 1041.a
Amantes omnia ineptè facere ſolent 753.a
Amantes, qui egent, miſera afficiuntur ærumna 270.b
Amantum animo eſt munditia, & illecebra 609.b
Amantū corporū arctæ compreſſiones 780.b
Amātum vmbra magis, quàm amator eſt 688.d
Amātum ſumma ſummarum penes Venerem redit 1063.a
Amantium ludi, & iocoſæ cōſuetudines 780.b
Amantium voluptates, & venuſtates 828.c.
Amantiam prome 1089.d
Amatio acerba 876.d
Amatio odioſa 330.b
Amationibus 767.c
Amator viuit, vbi lenoni placet 789.c
Amator nullus adeò eſt callidè facundus, quæ in rem ſint ſuam, vt poſſit loqui 739.a
Amator improba facta facit, & bona ſua pro ſtercore habet 1083.b
Amator ſimilis eſt oppidi hoſtilis 1067.c
non eſt iuſtus *Amator* quiſquam 789.b
Amator putidus 514.a
Amator nou⁹, puer vet⁹ 774.b
Amator bis perit, ab re & ab animo ſimul 1063.c
Amator meretricis mores ſibi emit auro 533.d
Amator magn⁹ mulierū 604.a
Amator probus quis dictatur 1070.d, & 1071.a
Amator fame, & ſiti vlciſcendus 321.a.b
Amator ſterilis à datis 1071.a
Amator hamum vorat 1063.b
Amatoris manū oportet eſſe celerem 487.c
